

DE VITA SPIRITVALI, EIVSQVE PERFECTIONE,

Libri quinque:

Auctore

IACOBO ALVAREZ DE PAZ, TOLETANO, E Societate IESV, Sacræ Theologiæ ac literarum diuinarum in Peruano regno Professore.

EDITIO

Recognita: cum Indice rerum necessario.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

LVGDVNI

APVD HORATIVM CARDON

1611.

SANCTISSIMO AC BEATISSIMO PATRI, ET DOMINO N. PAVLO V. PONTIFICI MAXIMO

JACOBVS ALVAREZ DE PAZ PRESBYTER è Societate IESV *sempiternam fœlicitatem.*

PRIMVM tomum de vita ſpiritua-
li, ac eius perfectione, ex tribus,
quos Deo fauente, ſi vita ſuper-
ſtes fuerit, tuis bonis auſpiciis in
lucem dabo, dicare tibi inſtitui
(Beatiſſime Pater) qui Paulus nomine, Pe-
trus munere, & poteſtate Chriſti locum in
terris obtines: qui veritas, vita & via eſt ad il- *Ioan. 14.*
lam perfectionem ad quam ex Patris æterni
imitatione nos idẽ Chriſtus exhortatur. Cui *Matth. 5.*
enim vel melius vel iuſtius ſubmitterem li-
manda & excolenda vitæ ſpiritualis & perfe-
ctionis præcepta, quàm maximo catholicæ
religionis magiſtro, qui primam cathedram,
quæ norma & methodus totius veritatis eſt,
in Eccleſia moderatur? quã ſummo omnium *Leui. 13.*
ſacerdoti, penes quem nõ iam veram lepram
ab apparenti, ſed veram ac certã ſanctitatem,
& doctrinam à fucata & ementita diſcernẽdi

verum ac certum iudicium eſt? quàm iuſtiſſimo rerum omnium æſtimatori, qui ex Ieremiæ vaticinio quaſi os Domini, cuius vices in terris gerit, ſeparat pretioſum à vili, & quid tenẽdum, quid fugiendum ſit, æqua lance dignoſcit? Licèt enim hæc, atque alia multa eſſent, quæ me ad id agendũ impellerent, multa item retardarent, malui tamẽ nimis audax videri, quàm meæ voluntati, quæ tuæ Beatitudini peculiari voto nõ ſolùm ex noſtræ minimæ Societatis inſtituto aſtricta, ſed naturali, & Chriſtiana quadã pietate dedita eſt, non ſatisfeciſſe. Præcipuè cùm certò ſcirem, ea quæ ex remotiſſimis locis, & afferuntur, & offeruntur, hoc ipſo nomine placere multis, aditúmque ſibi aliquando ad maximos principes, licèt abiecta ſint, & vilia, ſola ratione longi itineris aperuiſſe. Capies igitur (Beatiſſime Pater) munus hoc noſtrum, licèt exiguum, eadem, imò maiore, vt ſpero, beneuolentia, & amore, quàm Perſarum ille Rex oblatam manibus à ruſtico quodam aquam ſuſcepit, quod maiori longè pietate, ac ſubmiſſione offertur, quod ex remotiſſimis his regionibus, tot ac tantis terrarum, triúmque marium interuallis à ſacroſancta Vrbe tuæ ſacræ Majeſtatis ſede diſiunctis, tibi, qua par eſt animi obſeruantia tranſmittitur. Illud ante viginti duos annos, ex quo huc ex Hiſpa-

Iere. 15.

nia à

nia à noſtræ Societatis Superioribus miſſus ſum ad trahendam cum reliquis ſociis Euangelij ſagenam mecum ipſe diſpoſui, elaboraui ſucciſiuis temporibus, quæ ex quotidianis aliis occupationibus, quæ in vinea hac Domini, plantata nuper, excolenda multæ ſunt, ac variæ, vt potui ſubtraxi. Illud ſi in auguſtiſſimo propè diuinæ tuæ Maieſtatis nomine apparet, vix dici poteſt quantum meis & animi & corporis viribus, quæ ſentio, quàm ſint omnes exiguæ, roboris accreſcet ad duas reliquas huius operis partes perurgendas, quas iam conceptas animo, necdum natas, vt veniant fœliciter ad partum tuæ Apoſtolicæ ſanctitati, quam Deus ad multos & fœliciſſimos annos ſeruet incolumem, conſecraui.

In æternum vale.

verum ac certum iudicium est? quàm iustissimo rerum omnium æstimatori, qui ex Iere-
Iere. 15. miæ vaticinio quasi os Domini, cuius vices in terris gerit, separat pretiosum à vili, & quid tenẽdum, quid fugiendum sit, æqua lance dignoscit? Licèt enim hæc, atque alia multa essent, quæ me ad id agendũ impellerent, multa item retardarent, malui tamẽ nimis audax videri, quàm meæ voluntati, quæ tuæ Beatitudini peculiari voto nõ solùm ex nostræ minimæ Societatis instituto astricta, sed naturali, & Christiana quadã pietate dedita est, non satisfecisse. Præcipuè cùm certò scirem, ea quæ ex remotissimis locis, & afferuntur, & offeruntur, hoc ipso nomine placere multis, aditúmque sibi aliquando ad maximos principes, licèt abiecta sint, & vilia, sola ratione longi itineris aperuisse. Capies igitur (Beatissime Pater) munus hoc nostrum, licèt exiguum, eadem, imò maiore, vt spero, beneuolentia, & amore, quàm Persarum ille Rex oblatam manibus à rustico quodam aquam suscepit, quod maiori longè pietate, ac submissione offertur, quod ex remotissimis his regionibus, tot ac tantis terrarum, triúmque marium interuallis à sacrosancta Vrbe tuæ sacræ Majestatis sede disiunctis, tibi, qua par est animi obseruantia transmittitur. Illud ante viginti duos annos, ex quo huc ex Hispa-

nia à

nia à noſtræ Societatis Superioribus miſſus ſum ad trahendam cum reliquis ſociis Euangelij ſagenam mecum ipſe diſpoſui, elaboraui ſucciſiuis temporibus, quæ ex quotidianis aliis occupationibus, quæ in vinea hac Domini, plantata nuper, excolenda multæ ſunt, ac variæ, vt potui ſubtraxi. Illud ſi in auguſtiſſimo propè diuinæ tuæ Maieſtatis nomine apparet, vix dici poteſt quantum meis & animi & corporis viribus, quæ ſentio, quàm ſint omnes exiguæ, roboris accreſcet ad duas reliquas huius operis partes perurgendas, quas iam conceptas animo, necdum natas, vt veniant fœliciter ad partum tuæ Apoſtolicæ ſanctitati, quam Deus ad multos & fœliciſſimos annos ſeruet incolumem, conſecraui.

In æternum vale.

Approbatio Theologorum.

EGO Andreas Hernandez professor Theologiæ iussu Patris Stephani Paez Prouincialis huius prouinciæ Peruanæ Societatis Iesu, vidi ac perlegi hos libros quinque *De vita spirituali, eiúsque perfectione*, compositos à Patre Iacobo Aluarez de Pace ex eadem Societate Theologo, in quo nihil est à catholica fide, & pietate alienum: imò eos tam varia sanctorum lectione refertos videas, vt iis perlectis omnes legisse videaris. Nihil enim in hoc verè aureo opere ad religiosam perfectionem (qui est totius operis scopus) conducens prætermissum videtur, ex iis quæ à sanctis Patribus, & spiritualis vitæ magistris accepimus: &, vt multa breuiter concludam, sapientissimè docet, & efficacissimè mouet, iucundissimè delectat, vt qui in eo legendo assiduus fuerit, nec assumpti laboris, nec insumpti temporis vnquam pœniteat. Quare dignissimum iudico quod imprimatur; & ad omnium perfectionis amatorum manus deueniat. Limæ in Collegio D. Martini duodecimo Kalendas Aprilis, id est 21. die Martij.

ANDREAS HERNANDEZ.

EGO Ludouicus de Valdiuia iussu Patris Stephani Paez Prouincialis huius Peruanæ Prouinciæ qua potui diligentia perlegi hoc opus P. Didaci Aluarez Paz *De perfectione vitæ spiritualis*, in quo miratus sum egregiam cum insigni pietate eruditionem coniunctam: Docet, mouet, delectat; nullus est ferè veterum Patrum, (eorum præcipuè qui de rebus ad mysticam Theologiam spectantibus tractant) quem Author noster non euoluerit, cuius sententias non expenderit, ac verba examinauerit. Nihil lucubrationes istæ habent, quod fidei aduersetur, quod pietatem non accendat plurimùm. Quare ingentes mihi profectus, & fructus iis qui tantum hoc opus triuerint, promitto. Nam ea ratione docet, ac mouet, vt vacuum legentem non relinquat: atque ita docet, vt omnia ea quæ sparsim variis editis libris, Theologiæ huius sacratissimæ Professores tradunt, hic vnus singulari methodo (quod in disciplinis omnibus maximum est) suis quæque propriis distribuens locis, in vnam pietatis summam tribus contentam partibus redegerit. Vt iam hac in re amplius quod desiderari possit, non sit. Labor in mysticis, Diui Thomæ labori in summa scholastica perquàm simillimus. Quare dignum censeo opus hoc vt typis mandetur. In nostro Collegio Societatis Iesu Limensi Kalendas Maij anni 1607.

LVDOVICVS DE VALDIVIA.

HOs quinque libros, Patris Iacobi Aluarez, *De vita spirituali eiúsq; perfectione*, dignos arbitror, qui in lucem prodeant: eruditione enim & pietate sunt pleni; & lectori ad vitam rectè instituendam non parum afferent adiumenti. Limæ 24. Martij 1607.

IOANNES DOMINGVEZ
Theologiæ professor.

Facultas R. P. Prouincialis Societatis Iesu in Prouincia Lugdunensi.

LVDOVICVS RICHEOMVS Prouincialis Collegiorum Societatis IESV, in Prouincia Lugdunensi, iuxta priuilegium eidem Societati à Regibus Christianissimis Henrico III. 10. Maij 1583. & Henrico IV. nunc regnante 20. Decembris 1606. concessum, quo Bibliopolis omnibus prohibetur, ne libros ab eiusdem Societatis hominibus compositos, absque Superiorum permissione imprimant: permittit Horatio Cardon Lugdunensi Bibliopolæ, vt librum qui inscribitur, *De vita spirituali eiúsque perfectione libri quinque Auctore Iacobo de Paz Toletano è Societate* IESV, ad sed proximos annos imprimere, ac liberè diuendere possit. Datum Lugduni 16. Octobris, 1607.

RICHEOMVS.

Summa Priuilegij à Christianissimo Galliarum Rege obtenti.

HENRICI IV. Galliæ & Nauarræ Regis, Diplomate cautum est, ne quis in suo regno, aliisve locis ditioni suæ subiectis, intra proximos annos decem, à die impressionis primæ inchoandos, excudat, vendat, excudendum, vendendúmque quouis modo, ac ratione conetur librum qui inscribitur, *De vita spirituali eiúsque perfectione libri quinque Auctore Iacobo de Paz Toletano è Societate* IESV, præter HORATIVM CARDON Bibliopolam Lugdunensem, aut illos quibus ipse concesserit: sub pœnis Originali Diplomate contra delinquentes expressis. Datum Parisiis 30. Maij anno 1607.

De mandato Regis.

Signatum,

BERNARD.

ORATIO

ORATIO PRO GRATIA SCRIBENDI OBTINENDA.

OMNIPOTENS ſempiterne Deus, qui es Deus ſcientiarum Dominus, ac vera lux mentis noſtræ, cæcitatem illuminans, & incomprehenſibilis ardor duritiem humani cordis emolliens, & gelicidium voluntatis inflammans: concede mihi fragiliſſimo ac miſerrimo peccatori (Beata Virgine Maria intercedente) naturam veræ virtutis, & ſanctitatis à Ieſu Chriſto filio tuo Domino noſtro, verbo & exemplo demonſtratæ, cognoſcere, cognoſcendo tua gratia diligere, diligendo cupere, concupiſcendo petere, petendo exercere, & exercendo tandem comparare. Fac Domine benigniſſime, vt iam tibi impensè ſeruire incipiam, & ex virtutis initio ad eiuſdem profectum & augmentum progrediar, & ex profectu in virum perfectum, ac in menſuram ætatis plenitudinis eiuſdem filij tui Ieſu Chriſti perueniam. Dirige obſecro cogitationes meas, vt recta ſentiam; deſideria mea, vt ſancta cupiam; eloquia mea, vt vtilia pronuntiem; & calamum meum, vt ſine vlla erroris nota iuxta Doctrinam ſanctæ Matris Eccleſiæ, quam Spiritu ſancto tuo ſemper doces & regis, perfectionis naturam ac dignitatem, nec non idonea inſtrumenta eius adipiſcendæ, declarem. Retrahe ſuppliciter oro Domine Deus meus occupationes nimias, ne me ſcribentem & meditantem impediant; da locum quietum, & tempus aptum, & miniſterium accommodatum, ne ſtrepitus curarum me tranquillè tibi vacantem inquietent: mitte corporeæ imbecillitatis remedium, & dolorum leuamen, ne me pro tua gloria laborantem interpellent. Et tu ô donator vitæ largiſſimæ, qui Ezechiæ quindecim annos vitæ mirabiliter conceſſiſti: concede mihi tempus, vt magnalia tua his libris explicare exordiar, & in hoc labore ſcribendi procedam, &, ſi tibi placitum fuerit (quod mihi quidem impoſſibile eſt, tibi verò admodum facile) ad finem vſque perducam. Per eundem Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum filium tuum, cum quo & cum Spiritu ſancto viuis & regnas per infinita ſæcula ſæculorum. Amen.

ARGVMENTVM TOTIVS OPERIS.

I. Quis est homo, qui vult vitam, diligit dies videre bonos? II. Diuertat à malo, & faciat bonum. III. Inquirat pacem, & sequatur eam. Ex Psal. 33. Iuxta tres partes huius versiculi suis numeris assignatas, tres etiam sunt Tomi huius operis: quorum quilibet suam partem interpretatur.

Tomus I. de perfectione, siue de fine vitæ religiosæ.

Argumentum huius Tomi.

Quis est homo, qui vult vitam, diligit dies videre bonos? Per vitam, vitam spiritualem: per dies bonos, eiusdem vitæ perfectionẽ intellige. Ille namq; dies bonos, id est, iocundos habet, qui ad nonnullam saltem perfectionem euectus: affectibus pacatis, & perturbationibus consopitis, syncerissima tranquillitate creatori vniuersorum obsequitur. Vnde inscribitur, de fine vitæ religiosæ.

Eius libri sunt.

De incitamentis religiosorum ad vitam spiritualem consectandam, Liber I.
De vita spirituali, & eius partibus, Liber II.
De natura perfectionis vitæ spiritualis, Liber III.
De mirabili dignitate perfectionis, Liber IV.
De excitando desiderio perfectionis, Liber V.

Tomus II. De exterminatione mali, & promotione boni.

Argumentum huius Tomi.

Diuerte à malo, & fac bonum. Malum, vt ait Cassian. Collat. 6. c. 3. solum peccatum est, aut id, quod nos Deo reddit ingratos: & bonum est sola virtus, reliquis, quæ in numero bonorum computantur (vt sunt vita, salus, honor, diuitiæ, & reliqua huiusmodi) in classem mediorum, siue indifferentiũ reiectis. Quare Tomus iste tractat de extinctione peccatorum ac vitiorum, & de victoria tentationum, & mortificatione affectuum, nec non & de acquisitione virtutum. Inscribitur autem De exterminatione mali, & promotione boni.

Eius libri sunt.

De extinctione peccatorum ac vitiorum, Liber I.
De mortificatione affectuum, Liber II.
De acquisitione virtutum Liber III.
De fundamento virtutum, siue de humilitate, Liber IV.
De tribus seminarijs virtutum, siue de votis religiosis, Liber V.

Tomus III. De inquisitione, & sequela pacis.

Argumentum huius tomi.

Inquire pacem, & sequere eam. Pax nostra Christus est, vt Augustinus ad Psalm. 33. interpretatur, concors Paulo ad Ephesios II. dicenti: Ipse est pax nostra, qui fecit vtraque vnum. Christum verò præcipuè oratione, meditatione, & contemplatione quærimus, & imitatione vitæ eius, quæ in lucrandis animabus nostris tota posita fuit, ipsum vtcunque sectamur. Vnde Tomus iste agit, tum de studio orationis, tum de quærendo profectu animarum. Inscribitúrque, de inquisitione, & sequela pacis.

Eius libri sunt.

De oratione, Liber I.
De materia orationis, Liber II.
De affectibus orationis, siuè de oratione affectiua, Liber III.
De contemplatione, Liber IV.
De procuranda salute animarum, Liber V.

Isti omnes libri pro exigentia materiæ in varias partes distribuuntur, prout in initio cuiúsque tomi patebit.

DE

INDEX LOCORVM
SACRÆ SCRIPTVRÆ, QVI HOC TOMO CITANTVR, ET EXPLICANTVR.

Numerus, Paginam; Littera, locum in textu indicat.

EX GENESI.

Cap.1. ET vidit Deus lucem quòd esset bona. 648.e
Congregationésque aquarum appellauit maria. 564.a
Et germinet terra herbam virentem,& facientem semen. 619.b
Producant aquæ reptile animæ viuentis. 619.c
Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram 562.e,687.a,996.a
2. Sed fons ascendebat de terra irrigans vniuersam superficiem terræ. 633.d
Formauit igitur Dominus Deus hominem, de limo terræ, & inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ,& factus est homo. 191.c,d,849.d
Plantauerat autem Dominus Deus paradisum voluptatis à principio: in quo posuit hominem quem formauerat. 984.c
Et fluuius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradisum. 633.d
Tulit ergo Dominus Deus hominem, & posuit eum in paradiso voluptatis vt operaretur. 205.c
In quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris. 809.a
Non est bonum hominem esse solum; faciamus ei adiutorium simile sibi. 60.b
Formatis igitur Dominus Deus de humo cunctis animantibus terræ adduxit ea ad Adam. 708.a
Omne enim quod vocauit Adam animæ viuentis, ipsum est nomen eius. ibid.
Hoc nũc os ex ossibus meis, & caro de carne mea. 127.c,770.d
Hæc vocabitur virago quoniam de viro sumpta est. 263.a
Cúmque obdormisset tulit vnam de costis eius. 1248.a
3. Præcepit nobis Dominus Deus ne comederemus,& ne tangeremus illud. 611.c,1238.e
Nequàquam morte moriemini. 809.a
Comedit deditque viro suo,qui comedit. 578.b
Eritis sicut Dij scientes bonum,& malum. 769.d
Ecce Adam quasi vnus ex nobis factus est sciens bonum & malum. 804.b
Maledicta terra in opere tuo, in laboribus comedes ex ea omnibus diebus vitæ tuæ. 1007.a, 1172.a
Puluis es, & in puluerem reuerteris. 1139.a
Ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo eius. 1180.a,1252.b
Vocem tuam audiui in paradiso,& timui eo quòd nudus essem,& abscondi me. 1243.a
Scit enim Deus quòd in quocunque die comederitis ex eo,aperientur oculi vestri. 809.a
In sudore vultus tui vesceris pane tuo. 414.b, 1216.c
4. Rursúmque peperit fratrem eius Abel. 702.b
Et respexit Dominus ad Abel, & ad múnera eius. 290.b,449.b,1191.b
Iratus est Cain vehementer, & concidit vultus eius. 44.c
6. Ponam fœdus meum tecum, & ingredieris arcam tu,& filij tui. 79.a
7. Remansit autem solus Noë,& qui cum eo erant in arca. 836.a
Dixit Dominus ad eum, Ingredere tu, & omnis domus tua in arcam. 984.b
8. Quæ cùm non inuenisset vbi requiesceret pes eius,reuersa est ad eum in arcam. 98.b
9. Benedixitque Deus Noë. 449.c
Maledictus Chanaam,seruus seruorum erit fratribus suis. 8.lin.23.
11. Venite faciamus nobis ciuitatem, & turrim cuius culmen pertingat ad cœlum. 742.d,961.b
Vixitque Thare septuaginta annis, & genuit, 8. lin.25.
12. Egredere de domo tua,& de cognatione tua,& de domo patris tui, & veni in terram quam monstrauero tibi. 124.b,224.c,84.b
Egressus itaque Abraham sicut præceperat ei Dominus. 1129.d
Benedicam tibi & magnificabo nomen tuum,erísque benedictus. 126.b
13. Eleuatis itaque Loth oculis,vidit omnem circa regionem Iordanis. 48.e
14. Leuo manum meam ad Dominum meum excelsum possessorem cœli, & terræ, quòd à filo subtegminis vsque ad corrigiam caligæ non accipiam ex omnibus quæ tua sunt. 1182.e
15. Noli timere Abram: ego protector tuus sum 124.b,c
Et apparuit clibanus fumans,& lampas ignis transiens inter diuisiones illas. 889.d
Ego vadam absque liberis, & filius procuratoris domus meæ iste Damascus Eliezer. 947.b,c
17. Masculus cuius præputij caro circumcisa non fuerit,delebitur anima illa de populo suo. 70.d
18. Et dixit non delebo propter decem. 718.a
Num celare potero Abraham, quæ gesturus sum? cùm futurus sit in gentem magnã. 762.d,887.b

19. Salua animam tuam, noli respicere post tergũ, nec stes in omni circa regione: sed in monte saluum te fac, ne & tu simul pereas. 742.c, 790.a
Surge, tolle vxorem tuam, & duas filias quas habes, ne & tu pariter pereas in scelere ciuitatis. 984.c
Percusserũt cæcitate à minimo vsque ad maximũ, ita vt ostium inuenire non possent. 52.d
24. Vocemus puellam, & quæramus ipsius voluntatem. 152.c
Soror nostra es, crescas in mille millia, & possideat semen tuum portas inimicorum suorum. 144.b
25. Esau vir gnarus venandi, & homo agricola. 154.d
Si sic mihi futurum erat, quid necesse fuit concipere? 1247.d
Da mihi de coctione hac rufa, quia oppido lassus sum. 288.d
Deditque Abraham cuncta quæ possederat, Isaac: filiis autem concubinarum largitus est munera. 795.b
27. Consurgens fuge ad Laban fratrem meum in Haran. 73.c
28. Verè Dominus est in loco isto, & ego nesciebam. 33.a
Viditque in somnis scalam stantem super terram &c. angelos quoque Dei ascendentes, & descẽdentes per eam. 1040.b, 1247.c
Si fuerit Dominus mecum, & custodierit me in via per quam ego ambulo. 336.c
29. Habebat verò duas filias: nomen maioris Lia: minor verò appellabatur Rachel. 250.b
Non est in loco nostro consuetudinis, vt minores ante tradamus ad nuptias. 251.b, 276.a
Seruiam tibi pro Rachel filia tua minori septem annis. 1003.a
Seruiuit ergo Iacob pro Rachel septem annis 526.b, 581.d
30. Cernens autem Rachel quòd infœcũda esset, inuidit sorori suæ. 253.a
Dotauit me Deus dote bona: etiam hac vice mecum erit maritus meus. 133.a
Experimento didici quia benedixerit mihi Deus propter te. 837.b
Habeo famulam Balam, ingredere ad illam. 253.b
Ditatusque est homo vltra modum, & habuit greges multos. 201.a
31. Cur furatus est Deos meos. 53.b
Et mutauit mercedem meam decem vicibus, & tamen non dimisit eum Deus vt noceret mihi. 878.a
32. Non dimittam te nisi benedixeris mihi. 277.b, 475.c, 763.a
Quos cùm vidisset, ait: castra Dei sunt hæc. 810.a
Iacob autem abiit in itinere, quo cœperat: fueruntque ei obuiam angeli Dei. 915.a
Tetigit neruum femoris eius, & statim emarcuit. 1021.b
33. Paruuli sunt, quos donauit mihi Deus seruo tuo. 876.c
34. Quam cùm vidisset Sichem filius Hemor Heuæi princeps terræ illius, adamauit eam. 845.d
Augete dotem, & munera postulate, & libenter tribuam quod petieritis. 133.b
36. Iste est Ana, qui inuenit aquas calidas in solitudine. 144.c
37. Inuidebant ei igitur fratres sui. 44.d
Ecce somniator venit, venite occidamus eum. 878.b
Non interficiatis animam eius, nec effundatis sanguinem, sed proiicite eum in cisternam. 551.a
39. Ecce Dominus meus omnibus mihi traditis ignorat quid habeat in domo sua. 24.b
40. Post quos recordabitur Pharao ministerij tui, & restituet te in gradum pristinum. 1207.b, c
Præpositus pincernarũ oblitus est interpretis sui. 670.e
41. Tu eris super domum meam, & ad tui oris imperium cunctus populus obediet. 165.e
Post duos annos vidit Pharao somnium. 460.d
42. Si pacifici estis, frater vester vnus ligetur in carcere: vos autem abite, & ferte frumenta. 1069.e
44. Præcepit autem Ioseph dispensatori domus suæ dicẽs: imple saccos eorum frumento quantum possunt capere. 1071.b
45. Tollite patrem vestrum, & properate quantocyus venientes: nec dimittatis. 632.a
47. Dies peregrinationis meæ, centum triginta annorum sunt. 499.b
48. Do tibi partem vnam extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhæi in gladio, & arcu meo. 795.d
Qui extendens manum dexteram posuit super caput Ephraim minoris fratris. 366.d
Qui renuens ait: scio fili mi, scio, & iste quidem erit in populos, & multiplicabitur. 367.c.
49. Pulchriores sunt oculi eius vino. 665.e
In consilium eorum non veniat anima mea. 665.e
Iuda te laudabunt fratres tui: manus tua in ceruicibus inimicorum tuorum. 1094.a
Catulus leonis Iuda ad prædam fili mi ascendisti, requiescens accubuisti vt leo. 134.d
Mordens vngulas equi, vt cadat ascensor eius retro. 1180.a
Benedixitque singulis benedictionibus propriis. 1095.d

EX EXODO.

*Cap.*2. Et videns eum elegantem abscondi tribus mensibus. 1148.c
Qui fugiens de conspectu eius, moratus est in terra Madian. 735.c
3. Dominus Deus patrum vestrorum, Deus Abraham & Deus Isaac & Deus Iacob misit me ad vos. 166.b
Solue calceamentum de pedibus tuis. 28.b
Dominus Deus Hebræorum vocauit nos: ibimus viam trium dierum in solitudinem. 236.a
Apparuitque ei Dominus in flãma ignis de medio rubi. 889.c
5. Opprimantur operibus, & expleant ea, vt non acquiescant verbis mendacibus. 1219.d
6. Et assumam vos mihi in populum, & ero vester Deus. 170.c
Ego Dominus, qui educam vos de ergastulo Ægyptiorum. 170.d
7. Dixitque Dominus ad Moysem, Ecce constitui te Deum Pharaonis. 797.c, 958.b
12. Et eadem die eduxit Dominus filios Israel de terra Ægypti. 79.b
Nec os illius confringetis. 832.d
13. Mementote diei huius in qua regressi estis

de Ægypto. 168.a
Sed circumduxit per viam deserti, quæ est iuxta mare Rubrum. 74.a
14. Reuersæque sunt aquæ, & operuerunt currus & equites cuncti exercitus Pharaonis. 46.a
Fugiamus Israëlem: Dominus enim pugnat pro eis. 105.b
Cúmque extendisset Moyses manum super mare, abstulit illud Dominus. 456.a
15. Iste Deus meus, & glorificabo eum: Deus patris mei, & exaltabo eum. 479.a
Quis similis tui in fortibus Domine? quis similis tui magnificus in sanctitate. 800.c, 801.a
16. Vtinam mortui essemus per manum Domini in terra Ægypti, quando 172.e
17. Cúmque leuaret manus Moyses, vincebat Israël. 267.a
18. Non bonam rem facis: stulto labore consumeris. 293.b
Et electis viris strenuis de cuncto Israël constituit eos principes populi. 351.e
20. Non habebis Deos alienos coram me. 469.d
Ego sum Dominus Deus tuus fortis Zelotes. 470.
Non loquatur nobis Dominus ne fortè moriamur. 36.a
23. Quòd si audieris vocem eius, & feceris omnia quæ loquor, inimicus ero inimicis tuis. 862.b
25. Vtrumque latus propitiatorij tegant expandentes alas, & operientes oraculum, respiciántque se mutuo. 1164.e
28. Rationale quoque iudicij facies opere polymito iuxta texturam superhumeralis ex auro, hyacintho. 197.d
Accipiéntque aurum & hyacinthum, & purpuram coccúmque bis tinctum. ibid.
Faciésque vestem sanctam Aaron fratri tuo in gloriam & decorem. 964.e
Tintinnabulum sit aureum. 1152.a
Pones autem in rationale iudicij Doctrinam, & Veritatem, quæ erunt in pectore Aaron. 384.a
30. Quando tuleris summam filiorum Israël, iuxta numerum dabunt singuli pretium. 187.a,b
31. Ecce vocaui ex nomine Beseleel filium Vri filij Hur de tribu Iuda, & impleui eum spiritu Dei & sapientia. 884.e
32. Dedit populos manducare, & bibere, & surrexerunt ludere. 210.a,b
Aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo, quem scripsisti. 631.e
33. Si inueni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi faciem tuam. 93.c, 120.e
Non enim videbit me homo, & viuet. 120.e, 620.d
Ego ostendam omne bonum tibi. 654.e
Loquebatur autem Dominus ad Moysem facie ad faciem. 758.d
34. Videntes autem Aaron, & filij Israël, cornutam Moysi faciem, timuerunt propè accedere. 885.e
Caue ne vnquam cum habitatoribus terræ illius iungas amicitias, quæ sint tibi in ruinam. 1140.e
Sex diebus operaberis, die septimo cessabis arare, & metere. 1219.e
Præcide tibi duas tabulas lapideas instar priorum. 325.d
Egressáque omnis multitudo filiorum Israël de conspectu Moysi obtulerunt mente promptissima atque deuota primitias Domino. 1030.c
38. Fecit & labium æneum cum basi sua de speculis mulierum, quæ excubabant in ostio tabernaculi. 198.d
40. Erexit Moyses illud, & posuit tabulas, ac bases. 77.e

EX LEVITICO.

Cap. 1. Masculum immaculatum offeret ad ostiũ tabernaculi. 552.d, 969.a
6. Ignis autem in altari semper ardebit, quem nutriet sacerdos subiiciens ligna. 888.e, 890.c
11. Quidquid pinnulas, & squamas non habet, eorum quæ in aquis mouentur, & viuunt, abominabile vobis execrandúmque erit. 361.a
Omne quod reptat super terram, abominabile erit nec assumetur in cibum. 60.d
Sancti eritis, quoniam ego sanctus sum. 348.e, 767.d
Et sus: qui cùm vngulam diuidat, non ruminat. 706.a
Ego sum Dominus qui eduxi vos de terra Ægypti, vt essem vobis in Deum. 168.d
19. Non morabitur opus mercenarij tui apud te vsque mane. 976.a
25. Quòd si dixeris quid comedemus anno septimo si non seuerimus, &c. dabo benedictionem meam vobis anno sexto, & faciet fructũ trium annorum. 1222.a
26. Comedetis vetustissima veterum, & vetera nouis superuenientibus proiicietis. 400.c

EX NVMERIS.

Cap. 6. Conuertat Dominus vultum suum ad te, & det tibi pacem. 78.b
Acetum ex vino, & ex alia qualibet potione & quidquid ex vua exprimitur, non bibent: vuas recentes siccásque non comedent. 1238.d
8. Leuitæ aspergantur aqua lustrationis, & radant omnes pilos carnis suæ. 1240.b
11. Congrega mihi septuaginta viros de senibus Israël. 343.b
12. Locutáque est Maria, & Aaron contra Moysem propter vxorem eius Æthiopissam. 598.a
Ore enim ad os loquor ei, & palam, & non per ænigmata & figuras dominum videt. 1071.d
13. Vidimus monstra quædam filiorum Enac, de genere Giganteo. 112.d
Terra quam lustrauimus, deuorat habitatores suos. 38.b
Absciderunt palmitem cum vua sua, quem portauerunt in vecte duo viri. 972.e
14. Viuo ego ait Dominus, sicut locuti estis audiente me, sic faciam vobis: in solitudine hac iacebunt cadauera vestra. 173.b
Vtinam mortui essemus in Ægypto, & non in hac vasta solitudine. 173.a
16. Pro populo deprecatus est, & plaga cessauit. 775.c
18. In terra eorum nihil possidebitis, nec habebitis partem inter eos; ego pars, & hæreditas tua. 91.e
19. Præcipe filiis Israël vt adducant ad te vaccam rufam ætatis. 385.e
20. Quoniam non credidistis mihi, vt sanctificaretis me coram filiis Israël. 903.a

Pergat Aaron ad populos suos, non enim intrabit terram. ibid.
21. Fecit ergo Moyses serpentem æneum,& posuit eum pro ligno, quem cùm percussi aspicerent, sanabantur. 774.e
Obsecro vt transire mihi liceat per terram tuam: non declinabimus in agros,& vineas. 1218.e
23. Moriatur anima mea morte iustorum, & fiant nouissima mea horum similia. 945.c
27. Prouideat Dominus Deus spirituum omnis carnis,hominem. 308.d
36. Omnes viri ducent vxores de tribu & cognatione sua. 1095.e
Vt hæreditas permaneat in familiis. 1096.a

EX DEVTERONOMIO.

*Cap.*4. Nec est alia natio tam grandis, quæ habeat Deos appropinquantes sibi. 136.b
Dominus Deus tuus ignis consumens est. 889.b
5. Neque mœchaberis, furtúmque non facies. 636.b
Ego sequester,& medius fui inter Deum, & vos in tempore illo, vt annunciarem vobis verba eius. 383.b
6. Diliges Dominum Deum ex toto corde tuo,& ex tota anima tua. 470.e
Audi Israël Dominus Deus noster Dominus vnus est: diliges Dominum Deum tuum. 533.c, 543.b
Et meditaberis ea sedens in domo tua, & ambulans in itinere dormiens, atque consurgens. 1247.c,d
7. Aras eorum subuertite, & confringite statuas. 171.a
Auferet Dominus à te omnem languorem. 330.d
Non erit àpud te sterilis vtriusque sexus, tam in hominibus,quàm in gregibus tuis. 417.b,c
8. Ibi absque vlla penuria comedes panem tuum, & rerum omnium abundantia perfrueris. 752.e
In qua erat serpens flatu adurens. 64.a
Fortitudo mea, & robur manus meæ hæc mihi omnia præstiterunt. 727.b,759.e
11. Omnis locus quem calcauit pes vester, vester erit. 93.d
14. Filij estote Domini Dei vestri. 764.d
Et struthionem,ac noctuam. 319.e
15. Non operaberis in primogenito bouis. 422.d
Iustè quod iustum est persequeris vt viuas, & possideas terram quam Dominus Deus. 282.e
18. Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis sicut me,suscitabit tibi Dominus. 617.e
20. Quis est homo formidolosus, & corde pauido, vadat & reuertatur in domum suam, ne pauere faciat. 103.a
Si exieris ad bellum contra hostes tuos, & videris equitatus, & currus,&c. non timebis eos, quia Dominus Deus tuus. 936.a
21. Si egressus fueris ad pugnam contra inimicos tuos,&c.& videris in numero captiuorum mulierem pulchram. 134.e
24. Non habebis in sacculo diuersa pondera,maius & minus. 599.a
26. Afflixerunt nos Ægyptij,& persecuti sunt imponentes onera grauissima. 1216.a
28. Constituet te Dominus in caput, & non in caudam. 832.a
29. Adduxit vos quadraginta annis per desertum: non sunt attrita vestimenta vestra. 125.b
Elige ergo vitam, vt & tu viuas, & semen tuum: & diligas Dominum Deum tuum. 554.b
Faciésque vniuersa mandata, quæ ego præcipio tibi hodie. 454.b
31. Quia Dominus Deus tuus ipse est ductor tuus, & non dimittet,nec derelinquet te. 1264.b
32. Si acuero vt fulgur gladium meum, & arripuerit iudicium manus mea. 265.e
Inuenit eum in terra deserta, in loco horroris & vastæ solitudinis. 126.b,899.e,900.a
Pars autem Domini,populus eius:Iacob funiculus hæreditatis eius. 170.a
Constituit eum super excelsam terram, vt comederet fructus ægrotum,vt sugeret mel. 170.b
Vidit Dominus, & ad iracundiam concitatus est, quia prouocauerunt eum filij sui. 116.e
Dei perfecta sunt opera, & omnes viæ eius iudicia. 438.d
Expandit alas suas,& assumpsit eum,atque portauit in humeris suis. 618.d,757.d
Sicut aquila prouocans ad volandum pullos suos, & super eos volitans. 757.d,900.b
Ego occidam,& ego viuere faciam:percutiam, & ego sanabo. 1029.d
Vbi sunt Dij vestri in quibus habebatis fiduciam. 1231.a
33. Et Gad ait,benedictus in latitudine Gad,quasi leo requieuit, cepítque brachium,& verticem. 622.e
Et in dextera eius ignea lex. 635.c
Dilexit populos omnes: sancti in manu illius, & qui appropinquant pedibus eius, accipient de doctrina illius. 794.b
Et Benjamin ait:Amantissimus Domini habitabit confidenter in eo. 794.c
Beatus es tu Israël,quis similis tui popule, qui saluaris in Domino. 900.c
Qui dixit patri suo & matri suæ,nescio vos;& fratribus suis,ignoro illos. 1020.d,1134.b
Lætare Zabulon in exitu tuo,& Issachar in tabernaculis tuis. 1094.b
34. Vidisti eam oculis tuis, & non transibis ad illam. 903.a

EX IOSVE.

*Cap.*1. Confortare,& esto robustus; tu enim sorte diuides populo huic terram,pro qua iuraui patribus tuis,vt traderem eam illis. 383.e,d
Non recedat volumen legis huius ab ore tuo, sed meditaberis in eo diebus,ac noctibus, vt custodias & facias omnia, quæ scripta sunt in eo. ibid.
2. Ad montana conscendite ne fortè occurrant vobis. 856.b
6. Igitur omni populo vociferante, & clangentibus tubis, &c.muri illico corruerunt. 1263.e, 1264.a
Maledictus vir coram Domino,qui suscitauerit & ædificauerit ciuitatem Ierícho. 378.a
7. Quia turbasti nos, exturbet te Dominus in die hac. 606.e
9. Decreuitque in illo die eos esse in ministerio cuncti populi,& altaris Domini. 460.d
10. Stetit itaque sol in medio cœli, & non festinauit occumbere spacio vnius diei. 456.a
Sol contra Gabaon ne mouearis, & luna contra vallem Aialon. 718.b
24. Nunc ergo,ait,auferte Deos alienos de medio

vestri

vestri, & inclinate corda vestra ad Dominum Deum Israël. 949.a

EX LIBRO IVDICVM.

Cap. 3. Suscitauit eis Dominus saluatorem vocabulo Aod, qui vtraque manu pro dextera vtebatur. 261.b
Hæ sunt gentes quas Dominus dereliquit, vt erudiret in eis Israëlem. 454.a
4. Ibo quidem tecum sed in hac vice victoria non reputabitur tibi, quia in manu mulieris tradetur Sisara. 266.e
Erat autem Debora prophetis, quæ iudicabat populum in illo tempore. 265.a
5. Noua bella elegit Dominus, & portas hostium ipse subuertit. 647.c
9. Quid vobis est melius, vt dominentur filij omnes Ierobaal, an vt dominetur vobis vnus vir? 1099.e, 1100.a
12. Dic ergo Scibboleth, quod interpretatur Spica. 720.d
14. Hanc mihi accipe, quia placuit oculis meis. 668.b
15. In maxilla asini, in mandibula pulli asinarum deleui eos, & percussi mille viros. 898.b
18. Mansitque apud eos idolũ Michæ omni tempore quo fuit domus Dei in Silo: in diebus illis non erat Rex in Israël. 53.a

EX LIBRO RVTH.

Cap. 1. Hæc mihi faciat Dominus, & hæc addat si non sola mors, me & te separauerit. 119.a
Quæ te terra morientem susceperit, in ea moriar, ibique locum accipiam sepulturæ. 118.e
2. Sedit itaque ad messorum latus, & congessit polentam sibi, comeditque, & saturata est, & tulit reliquias. 1111.a
Si iubes vadam in agrum, & colligam spicas, quæ fugerunt manus metentium. 1195.c
Quando hora vescendi fuerit, veni huc, & comede panem, & intinge bucellam tuam in aceto. 1196.e
3. Ego sum Ruth ancilla tua, expande pallium tuum super famulam tuam, quia propinquus es. 118.c,d
Booz iste, &c. hac nocte aream hordei ventilat. lauare igitur, & vngere, & induere cultioribus vestimentis. 1174.d
Dormi vsque mane. 1195.d
4. Qui respondit: Cedo iuri propinquitatis: neque enim posteritatem familiæ meæ, &c. 1197.a

EX PRIMO REGVM.

Cap. 1. Anna cur fles, & quare non comedis, & quamobrem affligitur cor tuum. 149.a
Vultúsque eius non sunt ampliùs in diuersa mutati. 250.a
Fuit vir vnus de Ramathaimsophim, de monte Ephraim. 259.b
Habuit duas vxores: nomen vni Anna, nomen secundæ, Phenenna. 145.b
Fuerúntque Phenennæ filij, Annæ autem non erant liberi. 145.e
2. Qui autem contemnunt me, erunt ignobiles. 165.a
Quicumque honorificauerit me, glorificabo eum; qui autem cõtemnunt me, erunt ignobiles. ibid.
Deus scientiarum Dominus est. 107.b
Donec sterilis peperit plurimos. 246.b
Repleti priùs pro panibus se locauerunt, & famelici saturati sunt. 835.a
Arcus fortium superatus est, & infirmi accincti sunt robore. 938.a
3. Loquere Domine, quia audit seruus tuus. 36.a, 1168.b
5. Inuenerunt Dagon iacentem super faciem suam in terra coram arca Domini. 1247.d.e
6. Ibant autem in directum vaccæ per viam, quæ ducit Bethsames, & itinere vno gradiebantur pergentes & mugientes. 1133.d, 1253.a
8. Constitue nobis regem, qui iudicet nos, sicut & vniuersæ habent nationes. 903.b
9. Numquid non filius Iemini ego sum. 41.e
10. Videntes autem omnes, qui nouerant eum heri, & nudiustertius, quòd esset cum prophetis, & prophetaret. 206.d,e
Stetit in medio populi, & altior fuit vniuerso populo ab humero, & sursum. 225.d
Num & Saul inter prophetas? 354.a, 460.d
13. Stultè egisti, nec custodisti mandata Domini Dei tui. 1060.e
14. Et nomina duarum filiarum eius. 240.d
Ascendit autem Ionathas, manibus & pedibus reptans. 898.b
Porro Ionathas, &c. extendítque summitatem virgæ quam habebat in manu, & intinxit in fauum mellis. 916.e
Et Saul confirmato regno super Israël pugnabat per circuitum aduersum omnes inimicos. 938.e
Turbauit pater noster terram, vidistis ipsi, quia illuminati sunt oculi mei, eo quòd gustauerim paululum de melle isto. 1010.e
Melior est obedientia, quàm victimæ; & auscultare, magis quàm offerre adipem. 1060.d
Quia ergo non audisti vocem Domini, abiecit te Dominus ne sis Rex. 1173.b, 1252.e
17. Veniebat leo, vel vrsus, & tollebat arietem de medio gregis; & persequebar eos, & percutiebam. 258.d
Nõ concidat cor cuiusquam in eo, ego seruus tuus vadam, & pugnabo aduersùs Philisthæum. 89.e
Dauid cucurrit, & stetit super Philistæum, & tulit gladium eius. 453.c, 1226.b
Erat autem adolescens rufus, & pulcher aspectu. 898.a
Accinctus ergo Dauid gladio eius cœpit tentare si armatus posset incedere. 339.d
18. Dilexit autem Dauid Michol, filia Saül altera. 241.a
Et percussit ex Philistiim ducentos viros: attulit eorum præputia. 241.b
Percussit Saül mille, Dauid autem decem millia. 931.a
Tulit autem Michol statuam, & posuit eam super lectum. 241.b
20. Fugit autem Dauid de Naioth. 73.c
Absit à te, non morieris. 887.d
25. Saül autem dedit Michol filiam suam vxorem Dauid. 241.a
Si enim surrexerit aliquãdo homo persequens te, & quærens animam tuam, erit anima Domini mei custodita. 824.e
26. Si autem filij hominum; maledicti sunt in conspectu Domini, qui eiecerunt me hodie. 1103.e
34. Æqua enim pars erit descendentis ad prælium,

& remanentis ad sarcinas. 1000.b
Accipite benedictionem de præda hostium Domini. 896.c

EX SECVNDO REGVM.

Cap. 3. Transferatur regnum de domo Saül, & eleuetur thronus Dauid super Israël. 165.c
Non videbis faciem meam antequam adduxeris Michol. 241.b
Et post eum Cheleab de Abigail vxore Nabal Carmeli. 767.b
Surgam vt congregem ad te Dominum meum Regem omnem Israël,& ineam tecum.f.388.b
6. Quàm gloriosus est hodie Rex Israël discooperiens se ante ancillas. 241.b
7. Ista est enim lex Adam Domine Deus. 406.a
Requiem dabo tibi ab omnibus inimicis tuis. 871.b
Prædicitque tibi Dominus quòd domum faciat tibi Dominus. 923.c,924.a
8. Et tulit Dauid Frenum tributi de manu Philistiim. 517.d
11. Viditque mulierem se lauantem ex aduerso super solarium suum: erat autem mulier pulchra valde. 44.a
Missis itaque Dauid nunciis tulit eam. 576.a, 845.c
Eo tempore quo solent reges ad bella procedere, misit Dauid Ioab,&c. Dauid autem remansit in Ierusalem. 1199.b
12. Dominus quoque transtulit peccatum tuum, non morieris. 917.d
Verumtamen quoniam blasphemare fecisti inimicos Domini propter verbum hoc,filius,qui natus est tibi, morte morietur. 797.d
Non recedet gladius de domo tua vsque in sempiternum,eo quòd dispexeris me. 846.a
Tu es ille vir: hæc dicit Dominus Deus Israël 867.a
13. Quare sic attenuaris macie fili Regis. 44.b
Cuba super lectum tuum, & languorem simula. ibid.& 665.c
Factum est autem post hæc, vt Absalon filij Dauid sororem speciosissimam, vocabulo Thamar, adamaret Amnon. 845.c
15. Surgite,fugiamus;neque enim erit nobis effugium à facie Absalon. 73.c
Cùmque immolaret victimas,facta est coniuratio valida, populúsque concurrens augebatur cum Absalon. 984.a
17. Dixit ergo Achitophel ad Absalon. 665.c
18. Si appenderes in manibus meis mille argenteos, nequaquam mitterem manum meam in filium Regis. 567.d
20. Dixit itaque Ioab ad Amasam: Salue mi frater 646.c
21. Et ceciderunt hi septem simul occisi in diebus messis primis, incipiente messione hordei. 241.c
22. Deus qui accinxit me fortitudine, & complanauit perfectam viam. 790.d
Docens manum meam ad prælium, & componens quasi arcum æreum brachia mea. 936.b
Dominus petra mea, & robur meum, & Saluator meus. 1238.b
23. Dixit vir cui constitutum est de Christo Dei Iacob, egregius psaltes in Israël. 258.e
Ipse est quasi tenerrimus ligni vermiculus. ibidem.
Hæc nomina fortium Dauid. Sedens in cathedra sapientissimus pr. 258.e,673.e
24. Perambula omnes tribus Israël à Dan vsque ad Bethsabee, & numerate populum vt sciam numerum eius. 187.a
Et propitiatus est Dominus terræ, & cohibita est plaga ab Israël. 837.b
Peccaui valde in hoc facto: sed tu Domine transfer iniquitatem meam. 903.c
Trium tibi datur optio:elige vnum quod volueris ex his. 1205.b

EX TERTIO REGVM.

Cap. 2. Et obserua vt custodias mandata Domini Dei tui,vt ambules in viis eius. 949.a
Et effudit sanguinem belli in pace,& posuit cruorem prælij in baltheo suo. 646.c
3. Postula quod vis,vt dem tibi. 986.a
Dabis ergo seruo tuo cor docile,vt populum tuum iudicare possit. ibid.
4. Habitabátque Iuda & Israël absque timore vllo vnusquisque sub vite sua. 100.a,853.b
5. Elegitque Rex Salomon operarios de omni Israël, & erat indictio triginta millia virorum. 1030.c,d
6. Ædificauit atrium interius tribus ordinibus lapidum politorum. 211.d
Et operuit illud, atque vestiuit auro purissimo. 560.a
Et malleus,& securis, & omne ferramentum non sunt audita in domo. ibid.
7. Domum quoque fecit filiæ Pharaonis (quam vxorem duxerat Salomon) tali opere, quali & hanc porticum. 957.c
9. Hæccine sunt ciuitates quas dedisti mihi frater,& appellauit eas terram Chabul. 817.c
10. Verus est sermo quem audiui in terra mea super sermonibus tuis, &c. & non credebam narrantibus mihi,donec ipsa veni,& vidi. 163.d
Omnia vasa de quibus potabat Rex Salomon,aurea. 151.e
Rex autem Salomon dedit Reginæ Saba omnia quæ voluit,& petiuit ab eo. 896.d
Dentes Elephantorum. 971.c
11. Regnauítque Roboam filius eius pro eo. 354.a
12. Et constituerunt eum regem super omnem Israël. ibid.
13. Qui cùm abiisset,inuenit eum leo in via,& occidit. 289.b
Vir Dei est, qui inobediens fuit ori Domini, & tradidit eum Dominus leoni. ibid.
16. In diebus eius ædificauit Hiel de Bethel Ierico. 378.c
17. Serui quoque deferebant ei panem. 219,b,c
Quid mihi, & tibi Vir Dei? ingressus es ad me vt rememorarentur iniquitates meæ. 114.c
Non habeo panem nisi quantum pugillus capere potest farinæ in hydria. 993.a
18. Non ego turbaui Israël, sed tu,& domus patris tui. 111.a.867.a
Cúmque se verteret huc atque illuc, ecce cœli contenebrati sunt,&c. & facta est pluuia grandis. 847.b
19. Et ecce Dominus transit, & spiritus grandis, & fortis subuertens montes, & conterens petras. 486.b
Respexit, & ecce ad caput suum subcineritius panis,& vas aquæ:comedit ergo,& bibit, & rur-

suum obdormiuit. 898.d
Quod cùm audisset Elias, operuit vultum suum pallio, & egressus stetit in ostio speluncæ. 1001.a
21. Quia humiliatus est Achab mei causa, non inducam malum in diebus eius. 917.d
22. Ascende in Ramoth Galaad, & vade prosperè & tradet Dominus in manus regis. 110.d

EX QVARTO REGVM.

*Cap.*1. Cuius figuræ, & habitus est vir ille. 336.a
2. Dixitque Eliseus, obsecro vt fiat in me duplex spiritus tuus. 559.b
Ecce currus igneus & equi ignei diuiserunt vtrũque. 335.a
Sanatæ sunt ergo aquæ iuxta verbum Elisei quod loquutus est. 837.b
Cúmque ascenderet per viam, pueri paruuli egressi sunt, & illudebant ei. 1107.d
3. Qui meus est, tuus est: populus meus, populus tuus. 658.e
Nunc autem adducite mihi psaltem, cúmque caneret psaltes. 322.d
4. Non habeo ancilla tua quidquam in domo mea nisi parum olei. 361.a
Vade, pete mutuò ab omnibus vicinis tuis vasa vacua non pauca. 818.e
Faciamus ei cœnaculum paruum, & ponamus in eo lectulum. 812.b
Dimitte illam, anima enim eius in amaritudine est. 887.c
Calefacta est caro pueri, & oscitauit puer septies, aperuitque oculos. 806.c
Ascendit, & incubuit super puerum: posuítque os suum super os eius. 806.b
5. Erat autem vir fortis, & diues, sed leprosus. 508.d
Pater, etsi rem grandem dixisset tibi propheta, facere debueras: quanto magis, quia dixit tibi, laua e, & mundaberis? 723.a
Descendit, & lauit in Iordane septies iuxta sermonem viri Dei. 46.a
6. Egressus est, viditque exercitum in circuitu ciuitatis, & equos, & currus, nuntiauítque ei, cúmque orasset Dominum, &c. aperuit Dominus oculos pueri. 810.a
Noli timere: plures enim nobiscum sunt quàm cum illis. 911.b
Dixit autem Eliseus ad eos, non est hæc via, neque ista ciuitas, sequimini me, &c. duxit ergo eos in Samariam. 52.e
13. Et proiecerunt cadauer in sepulchro Elisei, quod cùm tetigisset ossa Elisei, reuixit homo. 718.d
14. Ipse percussit Edom in valle Salinarum decem millia. 790.c
17. Et cùm Dominum colerent, diis quoque suis seruiebant iuxta consuetudinem gentium de quibus translati fuerant Samariam. 543.b
18. Ascendit Sennacherib Rex Assyriorum ad vniuersas ciuitates Iuda munitas, & cepit eas. 912.c
19. Protegam te & vrbem hanc, & saluabo eam propter me, & propter Dauid seruum meum. 836.b
20. Obsecro Domine memento quæso, quomodo ambulauerim coram te in veritate, & corde perfecto. 199.c
Inuocauit itaque Isaias propheta Dominum, & reduxit vmbram per lineas, quibus iam descenderat. 959.b, 1189.a
25. Subleuauit Euilmerodach rex Babylonis anno quo regnare cœperat, caput Ioachim regis Iuda, de carcere. 24.c

EX PRIMO PARALIPOMENON.

*Cap.*3. Daniel de Abimelech Charmelitide. 767.a
4. Cognationes domus operantium byssum in domo iuramenti. 149.a
17. Quis ego sum Domine Deus, & quæ domus mea vt præstares mihi talia. 294.d, e
Ideóque locutus es super domum serui tui, & in futurum, & fecisti me spectabilem super omnes homines Domine Deus. 294.e
18. Tulit quoque Dauid pharetras aureas, quas habuerat Adarezer. 1225.b
22. Salomon filius meus puer paruulus est, & delicatus. 789.c
26. Diuisiones autem ianitorum. 1249.e

EX SECVNDO PARAlipomenon.

Cap. 2. Sic fac mecum, vt ædificem domum nomini Domini Dei, &c. ad adolendum incensum. 86.c
3. Cœpit Salomon ædificare domũ Domini. 815.e
13. Est apud nos candelabrum aureum, & lucernæ eius vt accendantur semper ad vesperam. 887.e
16. Porro Asa Rex assumpsit vniuersum Iuda, & tulerunt lapides. 453.d
Quia habuisti fiduciam cum rege Syriæ, & non in Domino Deo. 288.e
19. Impio præbes auxilium, & his qui oderunt Dominum, amicitia iungeris: & idcirco iram quidem merebaris. 1141.d
25. Dixisti, percussi Edom, & idcirco erigitur cor tuum in superbiam. 860.a
Statimque orta est lepra in fronte eius coram Sacerdotibus. 288.b
33. Orauit Dominum Deum suum, & egit pœnitentiam, &c. & exaudiuit orationem eius. 917.d
35. Noluit Iosias reuerti, sed præparauit cõtra eum bellum, nec acquieuit sermonibus Nechao ex ore Dei. 1054.e

EX PRIMO ESDRÆ.

*Cap.*2. Et de principibus patrum, cùm ingrederentur templum Domini, quod est in Hierusalem sponte obtulerunt. 518.a

EX SECVNDO ESDRÆ.

*Cap.*2. Egressus sum per portã vallis nocte, &c. & considerabam murũ Ierusalem dissipatum. 76.e
4. Vna manu sua faciebant opus, & altera tenebant gladium: ædificantium enim vnusquisque gladio erat accinctus renes. 368.c
Opus grande est, & latum, & nos separati sumus in muro procul alter ab altero. 623.c
6. Opus grande ego facio, & non possum descendere, ne fortè negligatur cum venero, & descẽdero ad vos. 388.e
11. Benedixit populus omnibus viris, qui se sponte obtulerant, vt habitarent in Hierusalem. 162.b

EX LIBRO TOBIÆ.

Cap. 1. Tobias quotidie pergebat per omnem cognationem suam. 1107.c
2. Statimque exiliens de accubitu suo, relinquens prandium ieiunus peruenit ad corpus. 374.c
Contigit autem, &c. fieretque cæcus. 883.d
3. Non enim delectaris in perditionibus nostris. 144.b
Cùm acceperit Deus animam meã, corpus meum sepeli, & honorem habebis matri tuæ omnibus diebus. 949.a,b
4. Panem tuum cum esurientibus & egenis comede; & de vestimentis tuis nudos tege. 362.d
Fiducia magna erit coram summo Deo eleemosyna omnibus facientibus eam. 392.b
Et noli auertere faciem tuã ab vllo paupere. 585.b
Quod ab alio oderis fieri tibi, vide ne tu aliquando alteri facias. 597.c, 634.a
11. Quam apprehendens Tobias, traxit ab oculis eius, statimque visum recepit. 910.a
12. Etenim Sacramentum regis abscondere bonum est: opera autem Dei reuelare, & confiteri honorificum est. 2.lin.9.10
Quoniam eleemosyna à morte liberat, & ipsa est quæ purgat peccata. 288.c
Quando orabas cum lacrymis, & sepeliebas mortuos. 286.c
Et quia acceptus eras Deo, necesse fuit vt tentatio probaret te. 227.c

EX LIBRO IVDITH.

Cap. 5. Egressi mare rubrum, deserta Sina montis occupauerunt. 81.c
6 Respice ad nostram humilitatem, & faciem sanctorum tuorum attende, & ostende, quoniam non derelinquis præsumentes de te: & præsumentes de se, & de sua virtute gloriantes humilias. 13. sub finem.
8. Et vir eius fuit Manasses, qui mortuus est in diebus messis. 368.a
9. Capiatur laqueo oculorum suorum in me, & percuties eum ex labiis charitatis meæ. 486.c
10. Dominus hanc in illam pulchritudinem ampliauit, vt incomparabili decore omnium oculis appareret. 89.d

EX LIBRO ESTHER.

Cap. 2. Ita dumtaxat vt sex mensibus oleo vngerentur myrthino, & aliis sex, quibusdam pigmentis. 158.d
Ac dona largitus est iuxta magnificentiam principalem. 896.c,d
3. Rex Assuerus exaltabit Aman. 209.d
4. Quæ cum audisset Mardochæus, scidit vestimẽta sua. 314.c
5. Venerunt itaque Rex, & Aman ad conuiuium. 783.c
6. Sic honorabitur quemcumque voluerit Rex honorare. 161.c, 162.b

EX LIBRO IOB.

Cap. 1. Nudus egressus sum de vtero matris meæ, & nudus reuertar illuc. 55.d, 967.c
Vir erat in terra Hus, nomine Iob. 238.d
Et erat vir ille simplex, & rectus, ac timens Deum. 515.b
Dominus dedit, Dominus abstulit. 516.d, 695.c.d
Nonne tu vallasti eum, ac domũ eius vniuersámque substantiam eius per circuitum. 851.b
Numquid Iob frustra timet Deum? 911.a
Affuit inter eos etiam Satan. 1103.a,b
2. Pellem pro pelle, & cuncta, quæ habet homo dabit pro anima sua. 193.c, 548.c
Testa saniem radebat, sedens in sterquilinio. 32.b
Si bona suscepimus de manu Dei, mala quare non suscipiamus? 761.d
Percussit Iob vlcere pessimo à planta pedis vsque ad verticem eius. 805.a,b
Verumtamen animam eius serua. 907.a
3. Paruus, & magnus ibi sunt, & seruus liber à Domino suo. 960.a
Antequam comedam suspiro, & quasi inundantes aquæ sic rugitus meus. 1001.d
Ibi impij cessauerunt à tumultu, & ibi requieuerunt fessi robore. 1022.d
4. Vidi eos qui operantur iniquitatem, & seminãt dolores, & metunt eos, flante Deo perisse. 38.a
Et in angelis suis reperit prauitatem: quanto magis hi qui habitant domos luteas, &c. 760.c
5. Ipse enim est, qui ponit humiles in sublimi. 165.c
Qui apprehendit sapientes in astutia eorum, & consilium. 53.d
Quia ipse vulnerat, & medetur, percutit, & manus eius sanabunt. 1029.c
Homo nascitur ad laborem, & auis ad volatum. 180.b, 830.b
6. Qui tollit ab amico suo misericordiam, timorem Domini derelinquit. 627.a
Aut poterit comedi insulsum, quod non est sale conditum. 1229.c
Quis det vt veniat petitio mea, & quod expecto, tribuat mihi Deus? 1171.d
7. Si dormiero, dicam, quando consurgam, & rursum expectabo vesperam, & replebor doloribus vsque ad tenebras. 569.c
Quid est homo quia magnificas eum? 815.c
Militia est vita hominis super terram. 857.c,d
Sicut ceruus desiderat vmbram, & sicut mercenarius præstolatur finem operis sui, sic & ego habui menses vacuos. 870.c
Elegit suspendium anima mea, & mortem ossa mea. 944.c
8. Non ei placebit vecordia sua, & sicut tela aranearum fiducia eius. 1217.c
Deus non proiiciet simplicem, nec porriget manum malignis, donec impleatur risu os tuum, & labia tua iubilo. 332.a
9. Si iustificare me voluero, os meum condemnabit me. 196.d
Verebar omnia opera mea, sciens quòd non parceres delinquenti. 1248.b,c
Si simplex fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea. 226.d
Sapiens corde est, & fortis robore, qui restitit ei, & pacem habuit. 1173.b
10. Vitam, & misericordiam tribuisti mihi. 189.c
Et si impius fuero, væ mihi est. 742.b
Indica mihi cur me ita iudices. 773.d
Instauras testes tuos cõtra me, & multiplicas iram tuam aduersum me. 1165.d
Dimitte me vt plãgam paululum dolorem meum. 946.d
11. Et tanquam pullum onagri se liberum natum putat. 568.c

Si iniquitatem, quæ est in manu tua.abstuleris à te,&c.tunc leuare poteris faciem tuam absque macula. 853.e
Atque vtinam Deus loqueretur tecum,& aperiret labia sua tibi, vt ostenderet tibi secreta sapientiæ. 633.e
12.Deridetur enim iusti simplicitas. 43.d
Si continuerit aquas, omnia siccabuntur; & si emiserit eas,subuertent terras. 522.e,523.a
Baltheum regum dissoluit, & præcingit fune renes eorum. 558.e
In cuius manu anima omnis viuentis, & spiritus vniuersæ carnis hominis. 619.d
Ergo vos estis soli homines, & vobiscum morietur sapientia. 692.d
Lampas contempta apud cogitationes diuitum, parata ad tempus statutum. 820.c
Nonne auris verba diiudicat? 895.c
13.Contra folium, quod vento rapitur,ostendis potentiam tuam. 65.d
Etiam si occiderit me,in ipso sperabo. 911.a
Memoria vestra comparabitur cineri. 961.c
Quare lacero carnes meas dentibus meis, & porto animam meam in manibus meis. 988.c
14.Homo quasi flos egreditur,&c.conteritur, & fugit velut vmbra. 36.e
Cunctis diebus,quibus nunc milito, expecto donec veniat immutatio mea. 106.a
Et faciet comam quasi cùm primum plantatum est. 514.d
Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine. 788.a
Lignum habet spem: si præcisum fuerit, rursum virescit,& rami eius pullulant. 858.d
Breues dies hominis sunt, numerus mensium eius apud te est. 1193.a
15.Quid est homo,vt immaculatus sit,& vt iustus appareat natus de muliere? 1039.a
17. Pone me iuxta te, & cuiusuis manus pugnet contra me. 111.b
19.Miseremini mei,miseremini mei. 913.d
20. Caput aspidum suget, & occidet eum lingua viperæ. 938.c
Iuxta multitudinem adinuentionum suarum, sic & sustinebit. 243.c
21.Qui dixerunt Deo:recede à nobis, & scientiam viarum tuarum nolumus. 52.d
Interrogate quemlibet de viatoribus, & hæc eadem illum intelligere cognoscetis. 499.b
Quare ergo impij viuunt,subleuati sunt, confortatique diuitiis. 791.c
Tenent tympanum,& citharam,& gaudent ad sonitum organi. 49.b
Quia in diem perditionis seruatur malus, & ad diem furoris ducetur. 791.d
Et superueniet eis inundatio, & dolores diuidet furoris sui. 847.d
22.Qui humiliatus fuerit, erit in gloria. 165.c
23.Quis mihi tribuat,vt cognoscam,& inueniam illum. 1034.e
24. Alij quasi onagri in deserto egrediuntur ad opus suum. 1055.d
Oculus adulteri obseruat caliginem:dicens, Non me videbit oculus, & operiet vultum suum. ibid.
Eleuati sunt ad modicum, & non subsistent. 1015.a
28. Non dabitur aurum obrizum pro ea, nec appendetur argentum in commutatione eius. 401.d
Ecce timor Domini ipsa est sapientia, & recedere à malo intelligentia. 2. sub finem. & 243. d, 708.d
Habet argentum venarum suarum principium, & auro locus est,in quo conflatur. 153.a
Ferrum de terra tollitur, & lapis solutus calore in æs vertitur. 173.e
Trahitur autem sapientia de occultis. 51 a,b
Sapientia verò vbi inuenitur?& quis est locus intelligentiæ? nescit homo pretium eius. 52.b. 461.a,941.c
Terra de qua oriebatur panis in loco suo, igni subuersa est. 164.a
Abyssus dicit,non est in me,& mare loquitur,non est mecum. 714.e
Qui fecit ventis pondus. 1239.b
29. Videbant me iuuenes, & abscondebantur,& senes assurgentes stabant. 37.b
In nidulo meo moriar, & sicut palma multiplicabo dies. 314.d
Iustitia indutus sum,& vestiui me sicut vestimento,& diademate iudicio meo. 54.e,217.b
Conterebam molas iniqui, & de dentibus illius auferebam prædam. 259.a
Quis mihi tribuat, vt sim iuxta menses pristinos secundùm dies quibus Deus custodiebat me. 485.e
Et petra fundebat mihi riuos olei. 819.d
Lux vultus mei non cadebat in terram. 871.a
Si voluissem ire ad eos,sedebam primus. 1066.b
Radix mea aperta est secus aquas, & ros morabitur in messione mea. 1170.d
30. Nunc autem deridebant me iuniores tempore. 37.c
Mandebant herbas, & arborum cortices,& radix iuniperorum erat cibus eorum. 167.b,728.c
Frater fui draconum,& socius struthionum.238.d
31. Ab infantia mea creuit mecum miseratio,& de vtero matris meæ egressa est mecum. 286.b
Foris non mansit peregrinus,ostium meum viatori patuit. ibid.
Quis det de carnibus eius,vt saturemur. 227.d
Semper enim quasi tumentes super me fluctus timui Deum, & pondus eius ferre non potui. 761.d.929.a
Pepigi fœdus cum oculis meis, vt ne cogitarem quidem de virgine. 844.a
Quam enim partem haberet in me Deus desuper, & hæreditatem Omnipotens de excelsis. ibid.
Si negaui, quod volebant, pauperibus,& oculos viduæ expectare feci. 918.e
Appendat me in statera iusta; & sciat Deus simplicitatem meam. 1122.b
Si putaui aurum robur meum, & obrizo dixi, fiducia mea. 1237.c
32.Plenus sum enim sermonibus, & coarctat me spiritus vteri mei. 312.c
33.Peccaui,& verè deliqui,& vt eram dignus non recepi. 114.a,1114.d
Increpat quoque per dolorem in lectulo. 665.b, 1019.b
Consumpta est caro eius à suppliciis, reuertatur ad dies adolescentiæ suæ. 1085.a
36.Et nullus ei similis in legislatoribus. 756.e
37. Tu forsitan cum eo fabricatus es cœlos, qui solidissimi,quasi ære fusi sunt. 749.c
38.Quis dedit vehementissimo imbri cursum, & viam sonantis tonitrui. 59.c
Nunquid ingressus es thesauros niuis,aut thesauros grandinis aspexisti? 662.b

Numquid nosti ordinem cœli, & pones rationem eius in terra? 788.b
Nosti per quam viam aspergitur lux, diuiditur æstus super terram. 883.a
De cuius vtero egressa est glacies, & gelu de cælo quis genuit? 888.d
Vbi eras cùm me laudarent simul astra matutina, & iubilarent omnes filij Dei. 1261.c
39. Nunquid præbebis equo fortitudinem, aut circumdabis collo eius hinnitum. 150.d,e
Penna struthionis similis est pennis Herodij, & accipitris. 319.c
Nunquid ad præceptum tuum eleuabitur aquila, & in arduis ponet nidum suum? 374.a
Quis dimisit onagrum liberum, & vincula eius quis soluit? 864.c
Cui dedi in solitudine domum, & tabernacula eius in terra salsuginis. 865.b
41. Corpus illius quasi scuta fusilia compactum squammis se prementibus. 1151.c
Faciem eius præcedit egestas. 1075.a
42. Non sunt autem inuentæ mulieres speciosæ sicut filiæ Iob. 840.c
Et addidit Dominus omnia, quæcumque fuerant Iob, duplicia. 69.a,911.a

EX LIBRO PSALMORVM.

Psalm. 1. Sed in lege Domini voluntas eius, & in lege eius meditabitur die ac nocte. 152.a,199.c,298.b
Et erit tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum. 320 d,835.b,858.e
Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit. 81.a,b
2. Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore. 1247.b
Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuã, & possessionem tuam terminos terræ. 516.e
Dirumpamus vincula eorum, & proiiciamus à nobis iugum ipsorum. 4 lin.4
Reges eos in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringes eos. 5.sub finem
3. Quoniam tu percussisti omnes aduersantes mihi sine causa, dentes peccatorum contriuisti. 864.c
4. Quoniam tu Domine singulariter in spe constituisti me. 1108.d
In pace in idipsum dormiam, & requiescam. 82.e, 853.a
Irascimini, & nolite peccare, quæ dicitis in cordibus vestris. 567.a,693.b
5. Mane astabo tibi, & videbo. 192.a
Et lætentur omnes, qui sperant in te, in æternum exultabunt, & habitabis in eis. 750.c
Quoniam tu benedices iusto, & scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos. 900.d
6. Laboraui in gemitu meo, lauabo per singulas noctes lectum meum. 316.b
Quoniam infirmus sum, sana me. 804.d
7. Parturiit iniustitiam, concepit dolorem, & peperit iniquitatem. 869.b
8. Minuisti eum paulo minùs ab angelis. 609.d
9. Desiderium pauperum exaudiuit Dominus, præparationem cordis eorum audiuit auris tua. 321.b,547.d
Vide humilitatem meam. 117.a
Quoniam laudatur peccator in desideriis animæ suæ, & iniquus benedicitur. 43.d
Parauit in iudicio thronum suũ, & ipse iudicabit orbem terræ in æquitate, iudicabit populos in iustitia. 560.b
Patientia pauperum non peribit in finem. 841.c
Et nomen eorum delesti in æternum. 609.c
Constitue Domine legislatorem super eos; vt sciãt gentes quoniam homines sunt. 624.d
Qui exaltas me de portis mortis, vt annuntiem omnes laudationes tuas. 723.c
Factus est Dominus refugium pauperum, adiutor in opportunitatibus. 912.d
Perit memoria eorum cum sonitu. 965.e
10. Desiderium pauperum exaudiuit Dominus: præparationem cordis. 871.b
Dominus in templo sancto suo, Dominus in cælo, sedes eius. 637.c
Qui diligit iniquitatem, odit animam suam. 100.d 595.c
Iustus Dominus, & iustitias dilexit. 882.a
Quoniam ecce peccatores intenderunt arcum, parauerunt sagittas. 746.c
13. Venenum aspidum sub labiis eorum. 61.d
Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt 62.d,785.c
Oculos suos statuerunt declinare in terram. 67.a
Dominus de cælo prospexit super filios hominũ, vt videat si est intelligens. 116.e,117.a,801.e, 1027.a
15. Notas mihi fecisti vias vitæ. 232.d
Benedicam Dominum, qui tribuit mihi intellectum insuper, & vsque ad noctem increpuerunt me renes mei. 565.d
Nec memor ero nominum eorum per labia mea. 609.c
Deus meus es tu, quia bonorum meorum non eges. 662.c,703.c
Multiplicatæ sunt infirmitates eorum: postea accelerauerunt. 772.c,910.a
Dominus pars hæreditatis meæ, & calicis mei. 782.c
Delectationes in dextera tua vsque in finẽ. 823.d
Prouidebam Dominum in conspectu meo semper. 907.a
16. Satiabor cùm apparuerit gloria tua. 523.c, d.750.c
Vt non loquatur os meum opera hominum: propter verba labiorum tuorum ego custodiui vias duras. 489.d
17. Deus protector est omnium sperantium in se. 138.d
Populus quem non cognoui, seruiuit mihi. 171.d
Intonuit de cælo Dominus, & altissimus dedit vocem suam. 175.a
Diligam te Domine fortitudo mea, Dominus firmamentum meum. 489.d
Deus qui præcinxit me virtute, & posuit immaculatam viam meam. 569.c,570.a
Et in Deo meo transgrediar murum. 692.c,858.c
Ignis à facie eius exarsit, carbones succensi sunt ab eo. 890.c
Persequar inimicos meos, & comprehendam illos, & non conuertar, donec deficiant. 936.d
Vt lutum platearum delebo eos. 109.c
Cum sancto sanctus eris. 1077.c,1109.a
Quoniam tu illuminas lucernam meam Domine, Deus meus, illumina tenebras meas. 316.d
Et comminuã eos vt puluerem ante faciem venti, vt lutum platearum delebo eos. 316.b
18. Cæli enarrant gloriam Dei. 834.b
Timor Domini sanctus, permanens in seculum seculi.

In

In sole posuit tabernaculum suum. 619.c
Exultauit vt gigas ad currendam viam suam, & à summo cœlo egressio eius. 619.d,786.b
Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me. 197.a
In omnem terram exiuit sonus eorũ,& in fines orbis terræ verba eorum. 414.a
Præceptum Domini lucidum, illuminans oculos. 628.e
21. Spes mea ab vberibus matris meæ: in te proiectus sum ex vtero. 1238.b
Deus meus clamabo per diem, nec exaudies, & nocte. 922.b
Qui timetis Dominum, laudate eum vniuersum semen Iacob, glorificate eum. 801.e
Et annuntiabunt cœli iustitiam eius populo, qui nascetur. 750.c,d
Ego autem sum vermis, & non homo, opprobrium hominum,& abiectio plebis. 673.e
Deus Deus meus respice in me, quare me dereliquisti. 171.e
Sicut aqua effusus sum,& dispersa sunt omnia ossa mea. 175.b,c
Tu autem in sancto habitabis laus Israël. 813.e
22. Dominus regit me, nihil mihi deerit; in loco pascuæ ibi me collocauit. 309.b,824.d
Nam, & si ambulauero in medio vmbræ mortis, non timebo mala. 914.c
Et misericordia tua subsequetur me. 785.e
23. Quis ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto eius. 277.a,488.b,744.e
Quoniam Dominus virtutum ipse est rex gloriæ 929.e
24. Tribulationes cordis mei multiplicatæ sunt, de necessitatibus meis erue me. 223.a
Vias tuas Domine demonstra mihi, & semitas tuas edoce me. 773.d
25. Lauabo inter innocentes manus meas, & circunstabo altare tuum. 1265.c
Non sedi cum consilio vanitatis, & cum iniqua gerentibus non introibo. 977.d
Proba me Domine,& tenta me,vre renes meos,& cor meum. 526.c
Odiui ecclesiam malignantium, & cum impiis non sedebo. 81.a
Expecta Dominum, viriliter age; & confortetur cor tuum. 761.d
Vnam petij à Domino. 242.c,402.a
26. Pater meus, & mater mea dereliquerunt me, Dominus autem assumpsit me. 69.a,70.b, 82.b
Tibi dixit cor meum, exquisiuit te facies mea. 93.d,120.d,259.a
28. Afferte Domino Filij Dei, afferte Domino filios arietum. 802.a
Vox Domini confringentis cedros: & confringet Dominus cedros libani. 651.b
Afferte Domino gloriam,& honorem: afferte Domino gloriam nomini eius: adorate Dominum in atrio sancto eius. 484.d
Vox Domini in virtute, vox Domini in magnificentia. 79.e,80.a
29. Ad vesperum demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia. 375.a
Conuertisti planctum meum in gaudium mihi, conscidisti saccum meum, & circumdedisti me lætitia. 445.a
Ego autem dixi in abũdantia mea, Non mouebor in æternum. 821.d
Domine in voluntate tua præstitisti decori meo virtutem. 850.c
30. Abscondes eos in abscondito faciei tuæ. 121.d, 855.a
Illustra faciem tuam super seruum tuum. 120.e
31. Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. 56.d,186.e,274.c
Lætamini in Domino,& exultate iusti. 330.c
32. Anima nostra sustinet Dominum, quoniam adiutor & protector noster est. 761.d
Verbo Domini cœli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum. 570.a
De cœlo respexit Dominus, vidit omnes filios hominum. 116.e
33. Oculi Domini super iustos: & aures eius in preces eorum. 312.c
Pauper clamauit, & Dominus exaudiuit eum. 914,b
Diuerte à malo,& fac bonum, inquire pacem, & persequere eam. 185.e
Accedite ad Deum,& illuminamini. 200.a
Mors peccatorum pessima. 209.e
Oculi Domini super iustos. 78.b,117.a,718.b, 749.a,752.a
Prohibe linguam tuam à malo, & labia tua ne loquantur dolum. 614.c
Timete Dominum omnes sancti eius,quia non est inopia timentibus eum. 708.e
Clamauerunt iusti, & Dominus exaudiuit eos, & ex omnibus tribulationibus eorum liberauit eos. 762.e,914.b
Diuites eguerunt,& esurierunt. 816.e
Gustate,& videte quoniam suauis est Dominus. 824.b,1032.d
Exquisiui Dominum,& exaudiuit me,& ex omnibus tribulationibus meis eripuit me. 914 b
34. Omnia ossa mea dicent Domine, quis similis tibi? 832.c
Retribuebant mihi mala pro bonis: sterilitatem animæ meæ. 1047.d
35. Homines,& iumenta saluabis Domine. 397.c
Et in lumine tuo videbimus lumen. 750.c
Iustitia tua sicut montes Dei. 740.b
36. Desine ab ira,& derelinque furorem. 330.e
Confirmat autem iustos Dominus. 899.d
Mutuabitur peccator,& non soluet: iustus autem miseretur,& tribuet. 895.a
Cùm ceciderit iustus, non collidetur. 905.b
Iunior fui, etenim senui,& non vidi iustum derelictum. 914.e
Spera in Domino,& fac bonitatem, & inhabita terram,& pasceris in diuitiis eius. 924.c
Melius est modicum iusto super diuitias peccatorum multas. 927.e,829.a,
Declina à malo,& fac bonum. 186.d
Nouit Dominus dies immaculatorum,& hæreditas eorum in æternum erit. 899.d
Et educet quasi lumen iustitiam tuam. 882.d
Quia benedicentes ei hæreditabunt terram, maledicentes autem disperibunt. 846.c
37. Non est sanitas in carne mea à facie iræ tuæ. 805.a
Putruerunt,& corruptæ sunt cicatrices meæ à facie insipientiæ meæ. 392.a,861.e,1010.d
Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, & sicut onus graue grauatæ sunt super me. 928.e
Ego autem tanquam surdus non audiebam, & sicut mutus non aperiens os suum. 1105.b
38. In meditatione mea exardescit ignis. 991.c
Locutus sum in lingua mea, Notum fac mihi Do-

Numquid nosti ordinem cœli, & pones rationem eius in terra? 788.b
Nosti per quam viam aspergitur lux, diuiditur æstus super terram. 883.a
De cuius vtero egressa est glacies, & gelu de cælo quis genuit? 888.d
Vbi eras cùm me laudarent simul astra matutina, & iubilarent omnes filij Dei. 1261.c
39. Nunquid præbebis equo fortitudinem, aut circumdabis collo eius hinnitum. 150.d,e
Penna struthionis similis est pennis Herodij, & accipitris. 319.e
Nunquid ad præceptum tuum eleuabitur aquila, & in arduis ponet nidum suum? 374.a
Quis dimisit onagrum liberum, & vincula eius quis soluit! 864.e
Cui dedi in solitudine domum, & tabernacula eius in terra salsuginis. 865.b
41. Corpus illius quasi scuta fusilia compactum squammis se prementibus. 1151.c
Faciem eius præcedit egestas. 1075.a
42. Non sunt autem inuentæ mulieres speciosæ sicut filiæ Iob. 840.e
Et addidit Dominus omnia, quæcumque fuerant Iob, duplicia. 69.a,911.a

EX LIBRO PSALMORVM.

Psalm. 1. Sed in lege Domini voluntas eius, & in lege eius meditabitur die ac nocte. 152.a,199.e,298.b
Et erit tanquam lignnm, quod plantatum est secus decursus aquarum. 320 d,835.b,858.e
Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit. 81.a,b
2. Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore. 1247.b
Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuã, & possessionem tuam terminos terræ. 516.e
Dirumpamus vincula eorum, & proiiciamus à nobis iugum ipsorum. 4 lin.4
Reges eos in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringes eos. 5.sub finem
3. Quoniam tu percussisti omnes aduersantes mihi sine causa, dentes peccatorum contriuisti. 864.e
4. Quoniam tu Domine singulariter in spe constituisti me. 1108.d
In pace in idipsum dormiam, & requiescam. 82.e, 853.a
Irascimini, & nolite peccare, quæ dicitis in cordibus vestris. 567.a,693.b
5. Mane astabo tibi, & videbo. 192.a
Et lætentur omnes, qui sperant in te, in æternum exultabunt, & habitabis in eis. 750.e
Quoniam tu bendices iusto, & scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos. 900.d
6. Laboraui in gemitu meo, lauabo per singulas noctes lectum meum. 316.b
Quoniam infirmus sum, sana me. 804.d
7. Parturiit iniustitiam, concepit dolorem, & peperit iniquitatem. 869.b
8. Minuisti eum paulo minùs ab angelis. 609.d
9. Desiderium pauperum exaudiuit Dominus, præparationem cordis eorum audiuit auris tua. 321.b,547.d
Vide humilitatem meam. 117.a
Quoniam laudatur peccator in desideriis animæ suæ, & iniquus benedicitur. 43.d
Parauit in iudicio thronum suũ, & ipse iudicabit orbem terræ in æquitate, iudicabit populos in iustitia. 560.b
Patientia pauperum non peribit in finem. 843.c
Et nomen eorum delesti in æternum. 609.c
Constitue Domine legislatorem super eos; vt sciãt gentes quoniam homines sunt. 624.d
Qui exaltas me de portis mortis, vt annuntiem omnes laudationes tuas. 723.c
Factus est Dominus refugium pauperum, adiutor in opportunitatibus. 912.d
Perit memoria eorum cum sonitu. 965.e
10. Desiderium pauperum exaudiuit Dominus: præparationem cordis. 871.b
Dominus in templo sancto suo, Dominus in cælo, sedes eius. 637.c
Qui diligit iniquitatem, odit animam suam. 100.d 595.e
Iustus Dominus, & iustitias dilexit. 882.a
Quoniam ecce peccatores intenderunt arcum, parauerunt sagittas. 746.e
13. Venenum aspidum sub labiis eorum. 61.d
Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt 62.d,785.e
Oculos suos statuerunt declinare in terram. 67.a
Dominus de cælo prospexit super filios hominũ, vt videat si est intelligens. 116.e,117.a,801.e, 1017.a
15. Notas mihi fecisti vias vitæ. 232.d
Benedicam Dominum, qui tribuit mihi intellectum insuper, & vsque ad noctem increpuerunt me renes mei. 565.d
Nec memor ero nominum eorum per labia mea. 609.c
Deus meus es tu, quia bonorum meorum non eges. 662.e,703.e
Multiplicatæ sunt infirmitates eorum: postea accelerauerunt. 772.e,910.a
Dominus pars hæreditatis meæ, & calicis mei. 782.e
Delectationes in dextera tua vsque in finẽ. 823.d
Prouidebam Dominum in conspectu meo semper. 907.a
16. Satiabor cùm appparuerit gloria tua. 323.c, d.750.c
Vt non loquatur os meum opera hominum: propter verba labiorum tuorum ego custodiui vias duras. 489.d
17. Deus protector est omnium sperantium in se. 138.d
Populus quem non cognoui, seruiuit mihi. 171.d
Intonuit de cælo Dominus, & altissimus dedit vocem suam. 175.a
Diligam te Domine fortitudo mea, Dominus firmamentum meum. 489.d
Deus qui præcinxit me virtute, & posuit immaculatam viam meam. 569.e,570.a
Et in Deo meo transgrediar murum. 692.c,858.c
Ignis à facie eius exarsit, carbones succensi sunt ab eo. 890.c
Persequar inimicos meos, & comprehendam illos, & non conuertar, donec deficiant. 936.d
Vt lutum platearum delebo eos. 109.e
Cum sancto sanctus eris. 1077.c,1109.a
Quoniam tu illuminas lucernam meam Domine, Deus meus, illumina tenebras meas. 316.d
Et comminuã eos vt puluerem ante faciem venti, vt lutum platearum delebo eos. 316.b
18. Cæli enarrant gloriam Dei. 834.b
Timor Domini sanctus, permanens in seculum seculi.

In sole posuit tabernaculum suum. 619.c

Exultauit vt gigas ad currendam viam suam, & à summo cœlo egressio eius. 619.d,786.b

Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me. 197.a

In omnem terram exiuit sonus eorũ,& in fines orbis terræ verba eorum. 414.a

Præceptum Domini lucidum, illuminans oculos. 618.e

21. Spes mea ab vberibus matris meæ: in te proiectus sum ex vtero. 1238.b

Deus meus clamabo per diem, nec exaudies, & nocte. 922.b

Qui timetis Dominum, laudate eum vniuersum semen Iacob,glorificate eum. 801.e

Et annuntiabunt cœli iustitiam eius populo, qui nascetur. 750.c,d

Ego autem sum vermis, & non homo, opprobrium hominum,& abiectio plebis. 673.c

Deus Deus meus respice in me, quare me dereliquisti. 171.e

Sicut aqua effusus sum,& dispersa sunt omnia ossa mea. 175.b,c

Tu autem in sancto habitabis laus Israël. 813.e

22. Dominus regit me, nihil mihi deerit; in loco pascuæ ibi me collocauit. 309.b,824.d

Nam, & si ambulauero in medio vmbræ mortis, non timebo mala. 914.c

Et misericordia tua subsequetur me. 785.c

23. Quis ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto eius. 277.a,488.b,744.c

Quoniam Dominus virtutum ipse est rex gloriæ 929.e

24. Tribulationes cordis mei multiplicatæ sunt, de necessitatibus meis erue me. 223.a

Vias tuas Domine demonstra mihi, & semitas tuas edoce me. 773.d

25.Lauabo inter innocentes manus meas, & circunstabo altare tuum. 1265.c

Non sedi cum consilio vanitatis, & cum iniqua gerentibus non introibo. 977.d

Proba me Domine,& tenta me,vre renes meos,& cor meum. 526.c

Odiui ecclesiam malignantium, & cum impiis non sedebo. 81.a

Expecta Dominum, viriliter age; & confortetur cor tuum. 761.d

Vnam petij à Domino. 242.c,402.a

26.Pater meus, & mater mea dereliquerunt me, Dominus autem assumpsit me. 69.a,70.b,82.b

Tibi dixit cor meum, exquisiuit te facies mea. 93.d,120.d,259.a

28.Afferte Domino Filij Dei, afferte Domino filios arietum. 802.a

Vox Domini confringentis cedros: & confringet Dominus cedros libani. 651.b

Afferte Domino gloriam,& honorem:afferte Domino gloriam nomini eius:adorate Dominum in atrio sancto eius. 484.d

Vox Domini in virtute,vox Domini in magnificentia. 79.c,80.a

29.Ad vesperum demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia. 375.a

Conuertisti planctum meum in gaudium mihi, conscidisti saccum meum, & circumdedisti me lætitia. 445.a

Ego autem dixi in abũdantia mea, Non mouebor in æternum. 821.d

Domine in voluntate tua præstitisti decori meo virtutem. 850.c

30. Abscondes eos in abscondito faciei tuæ. 122.d, 855.a

Illustra faciem tuam super seruum tuum. 120.c

31. Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. 56.d,186.c,274.c

Lætamini in Domino,& exultate iusti. 330.c

32. Anima nostra sustinet Dominum, quoniam adiutor & protector noster est. 761.d

Verbo Domini cœli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum. 570.a

De cœlo respexit Dominus,vidit omnes filios hominum. 116.e

33. Oculi Domini super iustos:& aures eius in preces eorum. 312.e

Pauper clamauit, & Dominus exaudiuit eum. 914.b

Diuerte à malo,& fac bonum, inquire pacem,& persequere eam. 185.c

Accedite ad Deum,& illuminamini. 200.a

Mors peccatorum pessima. 209.e

Oculi Domini super iustos. 78.b,117.a,718.b, 749.a,752.a

Prohibe linguam tuam à malo, & labia tua ne loquantur dolum. 614.c

Timete Dominum omnes sancti eius,quia non est inopia timentibus eum. 708.e

Clamauerunt iusti, & Dominus exaudiuit eos, & ex omnibus tribulationibus eorum liberauit eos. 762.e,914.b

Diuites eguerunt,& esurierunt. 816.e

Gustate,& videte quoniam suauis est Dominus. 824.b,1032.d

Exquisiui Dominum,& exaudiuit me,& ex omnibus tribulationibus meis eripuit me. 914 b

34.Omnia ossa mea dicent Domine, quis similis tibi? 832.c

Retribuebant mihi mala pro bonis: sterilitatem animæ meæ. 1047.d

35. Homines,& iumenta saluabis Domine. 397.c

Et in lumine tuo videbimus lumen. 750.c

Iustitia tua sicut montes Dei. 740.b

36. Desine ab ira,& derelinque furorem. 330.c

Confirmat autem iustos Dominus. 899.d

Mutuabitur peccator,& non soluet: iustus autem miseretur,& tribuet. 895.a

Cùm ceciderit iustus, non collidetur. 905.b

Iunior fui, etenim senui,& non vidi iustum derelictum. 914.e

Spera in Domino,& fac bonitatem, & inhabita terram,& pasceris in diuitiis eius. 924.c

Melius est modicum iusto super diuitias peccatorum multas. 927.e,829.a,

Declina à malo,& fac bonum. 186.d

Nouit Dominus dies immaculatorum, & hæreditas eorum in æternum erit. 899.d

Et educet quasi lumen iustitiam tuam. 882.d

Quia benedicentes ei hæreditabunt terram,maledicentes autem disperibunt. 846.c

37.Non est sanitas in carne mea à facie iræ tuæ. 805.a

Putruerunt,& corruptæ sunt cicatrices meæ à facie insipientiæ meæ. 392.a,861.c,1010.d

Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, & sicut onus graue grauatæ sunt super me. 928.e

Ego autem tanquam surdus non audiebam, & sicut mutus non aperiens os suum. 1105.b

38. In meditatione mea exardescit ignis. 991.c

Locutus sum in lingua mea,Notum fac mihi Do-

mine finem meum. 1080.d
Posui ori meo custodiam cùm consisteret peccator aduersum me. 244.a
Aduena ego sum apud te,& peregrinus sicut omnes Patres mei. 64.d
Verumtamen vniuersa vanitas omnis homo viuens. 62.d
39.Et cor meum dereliquit me. 804.b
Ego autem mendicus sum, & pauper: Dominus solicitus est mei. 896.a
Quoniam circumdederunt me mala,quorum non est numerus. 1058.b
Multiplicati sunt super numerum. 355.d
41. Quando veniam, & apparebo ante faciem Dei. 121.a
Quoniam transibimus in locum 870.e
Sitiuit anima mea ad Deum fortem viuum.228.d, 827.a,870.e
Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum,ita desiderat anima mea. 489.c
Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes. 1001.e
In die mandauit Dominus misericordiam suam, & nocte canticum eius. 365.c
43. In te inimicos nostros ventilabimus cornu. 900.d
Dedisti nos tamquam oues escarum, & in gentibus dispersisti nos. 909.c
Tu es ipse Rex meus, & Deus meus, qui mandas salutes Iacob. 802.d
Nec enim in gladio suo possederunt terram, & brachium eorum non saluabit eos. 787.c
Deus auribus nostris audiuimus, patres nostri annuntiauerunt nobis. 88.d
44. Pro patribus tuis nati sunt tibi filij:constitues eos principes. 253.a,349.b
Omnis gloria eius filiæ regis ab intus. 71.e
Dico ego opera mea regi. 142.b,281.d
Myrrha,& gutta,& casia à vestimẽtis tuis,à domibus eburneis. 145.e
Speciosus forma præ filiis hominum. 155.b, 842.a
Circumdata varietate. 728.a
Constitues eos principes super omnem terram. 794.e
Et concupiscet Rex decorem tuum: omnis gloria eius filiæ Regis ab intus. 841.a,1010.d
Specie tua, & pulchritudine tua intende,prosperè procede,& regna. 842.e
Audi filia,& vide,& inclina aurem tuam, & obliuiscere populum tuum. 1130.b.1137.b
46. Quoniam Rex omnis terræ Deus, psallite sapienter. 140,
47. Sicut audiuimus, sic vidimus in ciuitate Domini virtutum. 35.d,830.e
Fundatur exultatione vniuersæ terræ mons Sion. 739.e
48. Comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis. 61.d,804.e
Qui confidunt in virtute sua. 604.a,909.a
49. Peccatori autem dixit Deus, quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum? 433.d
Et inuoca me in die tribulationis, & eruam te, & honorificabis me. 482.d
Quoniam meæ sunt omnes feræ syluarum, iumenta in montibus, & boues: cognoui omnia volatilia cœli,& pulchritudo agri mecum est. 802.e
50. Libera me de sanguinibus Deus, Deus salutis meæ. 77.a.
Asperges me Domine hyssopo, & mundabor, lauabis me. 144.c
Auerte faciem tuam à peccatis meis. 117.a
Miserere mei Deus secundùm magnam misericordiam tuam. 117.d
Ampliùs laua me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me. ibid.e
Cor contritum, & humiliatum Deus non despicies. 612.c,350.c
Cor mundum crea in me Deus. 986.e
Ecce enim veritatem dilexisti, incerta & occulta Sapientiæ tuæ manifestasti mihi. 709.c
Auditui meo dabis gaudium, & lætitiam. 832.b
Benigne fac Domine in voluntate tua Sion, vt ædificentur muri Ierusalem. 790.e
51.Ego autem sicut oliua fructifera in domo Dei. 835.c
52. Illic trepidauerunt timore vbi non erat timor. 45.a
54.Ecce elongaui fugiens, & mansi in solitudine. 82.a,334.a
Quis dabit mihi pennas sicut columbæ,& volabo & requiescam. 488.b
Iacta super Dominum curam tuam,& ipse te enutriet: & non dabit in æternum fluctuationem iusto. 872.b
Vespere & mane & meridie narrabo,& annuntiabo,& exaudiet vocem meam. 1090.d
Expectabam eum qui saluum me fecit à pusillanimitate spiritus,& tempestate. 334.b
56.Paratum cor meum Deus, paratum cor meum 259.a
57.Sicut aspidis surdæ, & obturantis aures suas, quæ non exaudiet vocem incantantium. 59.a
58. Fortitudinem meam ad te custodiam. 209.e
Deus meus misericordia eius præueniet me. 774.b
59. Deus repulisti nos,& destruxisti nos,iratus es, & misertus es nobis. 821.b
61.Diuitiæ si affluant,nolite cor apponere. 223.b
Verumtamen pretium meum cogitauerunt repellere,cucurri in siti. 719.c
Sperate in eo omnis congregatio populi: effundite coram illo corda vestra. 1003.e
Semel locutus est Deus,duo hæc audiui,quia potestas Dei est. 324.a
62.In terra deserta, inuia, & inaquosa;sic in sancto apparui tibi. 929.e
Adhæsit anima mea post te: me suscepit dextera tua. 402.c
Labia mea laudabunt te. 407.a
63. Sagittæ paruulorum factæ sunt plagæ eorum. 648.c
Accedit homo ad cor altum, & exaltabitur Deus. 745.e
Conturbati sunt omnes, qui videbant eos, & timuit omnis homo. 799.d
64 Visitasti terram,& inebriasti eam. 106.d
Replebimur in bonis domus tuæ,sanctum est templum tuum,mirabile in æquitate. 1023.d
65. Venite,audite,& narrabo, omnes qui timetis Deum,quanta fecit animæ meæ. 723.c
Holocausta medullata offeram tibi cum incenso arietum. 832.e
Transiuimus per ignem, & aquam:eduxisti nos in refrigerium. 922.d
67. Ecce dabit voci suæ vocem virtutis. 651.b
Mons coagulatus,mons pinguis. 740.b

Mons

Mons in quo bene placitum est Deo habitare in eo: etenim Dominus habitabit in finem 744.c
Confirma hoc Deus quod operatus es in nobis. 752.c
Mirabilis Deus in sanctis suis, Deus Israël ipse dabit virtutem. 800.d,942.d
Ascendisti in altum, cepisti captiuitatem, & cæt. 896.b
Si dormiatis inter medios cleros, pennæ columbæ deargentatæ. 1126.a
68. Aduersum me loquebantur, qui sedebant in porta; & in me psallebant, qui bibebant vinum; ego verò orationem meam ad te Domine. 1104.d,1105.b
Infixus sum in limo profundi, & non est substantia. 1123.a
Zelus Domus tuæ comedit me, & opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me. 1012.c
71. Orietur in diebus eius iustitia, & abundantia pacis. 202.a,850.b
Et dominabitur à mari vsque ad mare, & à flumine vsque ad terminos orbis terrarum. 718.a
Suscipiant montes pacem populo, & colles iustitiam. 743.c
72. Mei autẽ pene moti sunt pedes, pene effusi sunt gressus mei. 147.c,879.e
Deus cordis mei, & pars mea, Deus in æternum 92.a,131.c,488.c
Mihi autem adhærere Deo bonum est: ponere in Domino Deo meo spem meam. 242. c. 944.c.314.b
Quid enim mihi est in cœlo? & à te quid volui super terram. 483.d.475.c.641.e
Ex vsuris, & iniquitate redimet animas eorum. 609.b
Vt iumentum factus sum apud te; & ego semper tecum. 641.e
Ecce ipsi peccatores, & abundantes in sæculo obtinuerunt diuitias. 791.e
Sine causa iustificaui cor meum, & laui inter innocentes manus meas. 879.e
Verumtamèn propter dolos posuisti eis, deiecisti eos. 880.b
Tenuisti manum dexteram meam, & in voluntate tua deduxisti me. ibid.
Inflammatum est cor meum, & renes mei commutati sunt. 892.b
74. Neque ab Oriente, neque ab Occidente neque à desertis montibus. 165.c,603.a
75. Factus est in pace locus eius ibi. 488.b, 812.c, 850.b
Vouete & reddite Domino Deo vestro omnes, qui in circuitu eius affertis munera. 176. d, 461.d
76. In mari via tua, & semitæ tuæ in aquis multis. 46.a,502.b
In die tribulationis meæ Deum exquisiui manibus meis nocte contra eum, & non sum deceptus. 910.c,317.c
Dixi, nunc cœpi: hæc mutatio dexteræ Excelsi. 1085.c
77. Et desiderium eorum attulit eis: non sunt fraudati à desiderio suo. 998.e
Adhuc escæ eorum erant in ore ipsorum, & ira Dei ascendit super eos. 1072.c.
Et elegit Dauid. 12. in præf.
Misit in eos iram indignationis suæ indignationẽ & iram, & tribulationem. 1167.c
79. Ostende faciem tuam, & salui erimus. 120.d
Exterminauit eam aper de silua, & singularis ferus depastus est eam. 1209.b
Cibabis nos pane lacrymarum, & potum dabis nobis in lacrymis. 1010.e
Operuit montes vmbra eius, & arbusta eius cedros Dei. 342.a
80. Dilata os tuum, & implebo illud. 97.c.1159.b
Audi populus meus, & contestabor te. 170.e
81. Ego dixi Dij estis, & filij excelsi omnes. 480.b, 484.e,618.e.766.e
Surge Deus, iudica terram, quoniam tu hæreditabis in omnibus gentibus. 603.a
83. Ibunt de virtute in virtutem: videbitur Deus Deorum in Sion. 191.e
Melior est dies vna in atriis tuis super millia. 211.d,829.a
Beatus vir cuius est auxilium abs te. 232.a.786.e
Etenim benedictiones dabit legislator. 756.d
Cor meum & caro mea exultauerunt in Deum viuum, . 825.c
Concupiscit, & deficit anima mea in atria Domini. 824.b
Beati qui habitant in domo tua Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te. 332.b.401.a
84. Audiam quid loquatur in me Dominus Deus: quoniam loquetur pacem in plebem suã. 589.b
85. Da imperium tuum puero tuo. 225.b
Quoniam tu Domine suauis, & mitis, & multæ misericordiæ omnibus inuocantibus te. 747.e
86. Gloriosa dicta sunt de te ciuitas Dei. 55.d
Fundamenta eius in montibus sanctis. 442.e
88. Pater meus es tu, Deus meus, & susceptor salutis meæ. 70.a
Iustitia & iudicium præparatio sedis tuæ. 478.e, 812.c,854.e
Quoniã quis in nubibus æquabitur Domino? similis erit Deo in filiis Dei? 768.b
Deus qui glorificatur in concilio sanctorum, magnus & terribilis. 798.a
Domine in lumine vultus tui ambulabũt, & in nomine tuo exultabunt tota die. 930.a
Quoniam gloria virtutis eorum tu es. ibid.
89. Dexteram tuam sic notam fac, & eruditos corde in Sapientia. 713.e
Anni nostri sicut aranea meditabuntur; dies annorum nostrorum in ipsis, septuaginta anni 1193.a
90. Non accedet ad te malum, & flagellum nõ appropinquabit tabernaculo tuo. 154.c,908.e
Quoniam angelis suis mandauit de te, vt custodiant te. 748.e,916.a
Quoniam in me sperauit, liberabo eum. 879.c
Scuto circumdabit te veritas eius. 900.c,911.e
Susceptor meus es tu, & refugium meum. 907.d
Non accedet ad te malum, & flagellum non appropinquabit ad te. 730.
Qui habitat in adiutorio Altissimi, in protectione Dei cœli commorabitur. 909.a
Cum ipso sum in tribulatione. 916.b
Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis. 971.a
91. Iustus vt palma florebit; sicut cedrus libani multiplicabitur. 835.c
92. Dominus regnabit, decorem indutus est. 127. d.269.c
Domum tuam decet sanctitudo. 144.d,559.e,566. a
Indutus est Dominus fortitudine. 730.
93. Dominus scit cogitationes hominum quoniã vanę sunt. 53.d. Nõ videbit Dominus. 762.c

Nisi quia Dominus adiuuit me:paulo minùs habitasset in inferno anima mea. 811.c
Qui docet hominem scientiam. 345.d
94. Hodie si vocem eius audieritis,nolite obdurare corda vestra. 72.d
Quoniam Deus magnus Dominus, & Rex magnus super omnes Deos. 798.c,802.d
Quia in manu eius sunt omnes fines terræ,& altitudines. 1026.d
96. Lux orta est iusto,& rectis corde lætitia. 828.b 376.c
98. Domine Deus noster, tu exaudiebas eos. 902.b
99. Ipse fecit nos,& non ipsi nos. 563.a
100. In matutino interficiebam omnes peccatores terræ. 247.c
Psallam,& intelligam in via immaculata. 153.b
Oculi mei ad fideles terræ vt sedeant mecum:ambulans in via immaculata. 529.c
Non habitabit in medio domus meæ, qui fecit superbiam. 387.c
Detrahentem secreto proximo suo,hunc persequebar. 598.b,612.b
101. Quia cinerem tanquam panem mãducabam, & potum meum cum fletu miscebã. 510.a,812.c,1027.d
Respexit in orationem humilium, & non spreuit precem eorum. 910.a,b
Aruit cor meum quia oblitus sum comedere panẽ meum. 1017.d
Tu autem idem ipse es. 1039.b
Mutabis eos,& mutabuntur. 1255.d
Similis factus sum pellicano solitudinis. 317.d
102. Benedic anima mea Domino, & omnia quæ intra me sunt, nomini sancto eius. 591.a, 802.d
Quomodo miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se. 601.c
Quoniam ipse cognouit figmentum nostrum. 761.c
Renouabitur vt aquilæ iuuentus tua. 1024.a,1035.a,b
103. Confessionem,& decorem induisti amictus lumine. 121.c,780.c
Ortus est sol,& congregati sunt, & in cubilibus suis collocabuntur. 619.b
Exiuit homo ad opus suum,& ad operationem suã vsque ad vesperum. ibidem.
Qui facis angelos tuos spiritus: & ministros tuos ignem vrentem. 641.c
Ascendunt montes,& descendunt campi in locum quem fundasti eis. 740.c
Posuisti tenebras,& facta est nox:in ipsa pertransibunt omnes bestiæ syluæ. 850.d
104. Eloquium Domini inflammauit eum. 891.c
Nolite tangere Christos meos. 911.c
105. Confitemini Domino quoniam bonus. 751.b
Et crediderunt verbis eius, & laudauerunt laudem eius: citò fecerunt: obliti sunt operum eius. 1146.a
106. Sedẽtes in tenebris, & vmbra mortis;vinctos in mendicitate & ferro. 53.c
Viam ciuitatis habitaculi non inuenerunt. 64.a,b
Quia satiauit animam inanem,& animam esurientem satiauit bonis. 1003.c
107. Quis deducet me in ciuitatem munitam? 35.d
108. Et induit maledictionem,sicut vestimentum, & intrauit,sicut aqua in interiora eius. & sicut oleum in ossibus eius. 56.a
Adiuua me Domine Deus meus;saluum me fac secundùm misericordiam tuam. 811.c
Pro eo vt me diligerent,detrahebant mihi;ego autem orabam. 1104.d
109. Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis. 90.d
De torrente in via bibet. 1248.d
110. Initium sapientiæ timor Domini. 514.d 708.c
Intellectus bonus omnibus facientibus eum: laudatio eius manet in sæculum sæculi 453.a 272.b
111. Dispersit,dedit pauperibus, iustitia eius manet. 253.a,964.b
Beatus vir qui timet Dominum in mãdatis eius supernimis. 780.b
Gloria,& diuitiæ in domo eius. 673.a
Et iustitia eius manet in sæculum sæculi. 843.d
In memoria æterna erit iustus. 962.b,963.c
112. Qui habitare facit sterilem in domo,matrem filiorum lætantem. 775.a
Vt collocet eum cum principibus populi sui. 959.a
Suscitans à terra inopem,& de stercore erigẽs pauperem. 330.d
113. Oculos habent,& non videbunt. 300.c
Mare vidit,& fugit:Iordanis conuersus est retrorsum. 877.d
A facie Domini mota est terra,à facie Dei Iacob. 944.b,& c
114. Conuertere anima mea in requiem tuã, quia Dominus benefecit tibi. 908.a
115. Quid retribuã Domino pro omnibus,quæ retribuit mihi?Calicem salutaris accipiam. 185.a, 187.c,929.a
Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorũ eius. 109.c,945.c
Dirupisti vincula mea:tibi sacrificabo hostiã laudis. 861.d,392.b
Vota mea Domino reddam in conspectu omnis populi eius. 1258.b
117. Confitemini Domino quoniam bonus. 483.c
Confitebor tibi quoniam exaudisti me. 899.d
Impulsus euersus sum vt caderem,& Dominus suscepit me. 907.c
118. Iuraui,& statui custodire iudicia iustitiæ tuæ. 47.a,489.d
Erraui sicut ouis, quæ periit. 54.a
A mandatis tuis intellexi. 153.b,251.d
Longe à peccatoribus salus 75.d
Defecit in salutare tuum anima mea. 121.b 1021.d
Tuus sum ego:saluum me fac, quoniam iustificationes tuas exquisiui. 237.b
Et loquebar de testimoniis tuis in conspectu Regum,& non confundebar. 455.c
In mandatis tuis exercebor, & considerabo vias tuas. 489.d
Iniquitatem odio habui, & abominatus sum. 529.d
Omnis consummationis vidi finem, latum mandatum tuum nimis. 534.c
Da mihi intellectum,& scrutabor legem tuã. 320.b,545.c
Concupiuit anima mea desiderare iustificationes tuas in omni tempore. 567.a,870.c
Viam mandatorum tuorum cucurri cùm dila-

tasti si cor meum. 651.a
Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini. 780.a
Pax multa diligentibus legem tuam, & non est illis scandalum. 827.d
Ad omnia mandata tua dirigebar, omnem viam iniquam odio habui. 828.c
In iustificationibus tuis meditabor: non obliuiscar sermones tuos. 870.b
Cogitaui vias meas, & conuerti pedes meos in testimonia tua. ibid.
Lucerna pedibus meis verbum, & lumen semitis meis. 885.d
Ignitum eloquium tuum vehementer. 891.c
Bonum mihi quia humiliasti me, ut discam iustificationes tuas. 910.d
Ab omni via mala prohibui pedes meos vt custodiam verba tua. 944.c
Os meum aperui, & attraxi spiritum, quia mandata tua desiderabam. 1005.e
Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua super mel ori meo.. 328.e, 1006.b, 1159.c
Exitus aquarum deduxerunt oculi mei: quia non custodierunt legem tuam. 1012.c
Septies in die laudem dixi tibi, propter iudicia iustitiæ tuæ. 1223.c
Intellectus bonus omnibus facientibus eum, laudatio eius manet in sæculum sæculi 341.e, 565.c
Bonitatem & disciplinam, & scientiam doce me. 1232.e
Da mihi intellectum, vt discam mandata tua. 320.b
119. Ad Dominum cùm tribularer clamaui; & exaudiuit me: Domine libera animam meam. 222.e
Hei mihi, quia incolatus meus prolongatus est. 488.b, 870.d
120. Leuaui oculos meos in montes, vnde veniet auxilium mihi. 223.b, 743.c
Non dormitabit neq; dormiet qui custodit Israël. 879.a
121. Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus. 223.c
Stantes erant pedes nostri in atriis tuis Hierusalem. 211.b
Fiat pax in virtute tua, & abundantia in turribus tuis. 752.c
122. Ad te leuaui oculos meos, qui habitas in cœlis. 224.a
Ecce sicut oculi seruorum in manibus dominorum suorum, sicut oculi ancillæ in manibus. 718.d
123. Nisi quia Dominus erat in nobis, dicat nunc Israël: nisi quia Dominus erat in nobis. 224.b
Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium. 68.b
124. Qui confidunt in Domino sicut mons Sion, non commouebitur in æternum, qui habitat in Hierusalem. 224.b,c
125. In conuertẽdo Dominus captiuitatem Sion, facti sumus sicut consolati. 225.d
Euntes ibant, & flebant, mittentes semina sua. 248.a, 283.e
126. Nisi Dominus ædificauerit domum, in vanum laborauerunt qui ædificant eam. 226.b
Cùm dederit dilectis suis somnum, ecce hæreditas Domini filij, merces fructus ventris. 948.c.
127. Vxor tua sicut vitis abundans, in lateribus domus tuæ. 774.d
Labores manuum tuarum, quia manducabis: beatus es, & bene tibi erit. 227.a
Beati omnes qui timent Dominum, qui ambulant in viis eius. 626.b
128. Sæpe expugnauerunt me à iuuentute mea. 227.d
129. De profundis clamaui ad te Domine: Domine exaudi vocem meam. 228.e
130. Domine non est exaltatum cor meum. 229.d
Neque ambulaui in magnis neque in mirabilibus super me, si non humiliter sentiebam, sed exaltaui animam meam. 863.c
131. Memento Domine Dauid. 230.c
Hæc requies mea in sæculum sæculi: hic habitabo quoniam elegi eam. 813.e
Si dedero somnum oculis meis, & palpebris meis dormitationem. 1071.d
132. Ecce quàm bonum, & quàm iucundum habitare fratres in vnum. 231.b
133. Ecce nunc benedicite Dominum omnes serui Domini. 231.e
Qui statis in domo Domini in atriis domus Dei nostri. 211.c
134. Quia ego cognoui quòd magnus est Dominus. 89.b
136. Si oblitus fuero tui Hierusalem, obliuioni detur dextera mea. 970.b
Beatus, qui tenebit, & allidet paruulos tuos ad petram. 1076.b
137. Quoniam excelsus Dominus, & humilia respicit. 327.a
138. Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui Deus. 165.e
Quia tu possedisti renes meos, suscepisti me de vtero matris meæ. 558.a
Quò ibo à spiritu tuo? & quò à facie tua fugiam? 557.b
Et dixi, forsitan tenebræ conculcabunt me, & nox illuminatio mea in deliciis meis. ibid.c
Proba me Deus, & scito cor meum, interroga me, & cognosce semitas meas. 761.c
139. Domine, Domine virtus salutis meæ, obumbrasti super caput meum in die belli. 569.e
140. Corripiet me iustus in misericordia. 881.a
Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo: eleuatio manuum mearum sacrificium vespertinum. 1000.a
Cadent in retiaculo eius peccatores, singulariter sum ego donec transeam. 1108.c
141. Portio mea in terra viuentium. 69.b
Educ de custodia animam meam ad confitendum nomini tuo. 785.e
In via hac quam ambulabam absconderunt laqueum mihi.. 804.e, 1179.e
142. Defecit spiritus meus. 121.a
Non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. 441.c
143. Quorum filij sicut nouellæ plantationes in iuuentute sua: filiæ eorum compositæ; circumornatæ vt similitudo templi. 49.a
Beatum dixerunt populum cui hæc sunt: Beatus populus cuius Dominus Deus eius. 784.d
Homo vanitati similis factus est; dies eius sicut vmbra prætereunt. 1200.c
Promptuaria eorum plena eructantia ex hoc in illud. 355.d

Benedictus Dominus meus, qui docet manus meas ad prælium. 935.c
144. Oculi omnium in te sperant Domine, & tu das escam illorum in tempore opportuno. 706.c
Prope est Dominus omnibus inuocantibus eum in veritate. 920.b
Generatio,& generatio laudabit opera tua;& potentiam tuam pronuntiabunt. 965.e
Voluntatem timentium se faciet, & deprecationem eorum exaudiet. 1207.c
Memoriam abundantiæ suauitatis tuæ eructabūt, & iustitia tua exultabunt. 376.b
145. Nolite confidere in principibus,in filiis hominum in quibus non est salus. 8.in præf.
Facit iudicium iniuriam patientibus: dat escam esurientibus. 633.d
Beatus cuius Deus Iacob adiutor eius. 880.c
146. Ædificans Hierusalem Dominus dispersiones Israëlis congregauit. 521.a
Præcinite Domino in confessione: psallite Deo nostro in cithara. 591.b
Qui sanat contritos corde, & alligat contritiones eorum. 752.a
Non in fortitudine equi voluntatem habebit,nec in tibiis viri bene placitum erit ei. 786.e
147. Ante faciem frigoris eius, quis sustinebit? 1112.e
Et adipe frumenti satiat te. 1023.a
149.Exultationes Dei in gutture eorum, & gladij ancipites in manibus eorum. 70.c
Exultabunt sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis. 332.a

EX LIBRO PROVERBIORVM.

Cap.1. Frustra autem iacitur rete ante oculos pennatorum. 400.d
Audiens sapiens sapientior erit,& intelligens gubernacula possidebit. 4.in præf.
Vsque quò paruuli diligitis infantiam. 31.b
Pedes illorum ad malum currunt, & festinant, vt effundant sanguinem. 573.d
Timor Domini principium sapientiæ. 708.e
2.Et si sicut Thesauros effoderis illam;tunc intelliges timorem Domini,& scientiam Dei inuenies. 3.in præf.
Qui lætantur cùm malefecerint,& exultant in rebus pessimis. 435.b
Si enim sapientiam inuocaueris, & inclinaueris cor tuum prudentiæ, &c. tunc intelliges timorem Domini. 1011
3. Qui relinquunt iter rectum, & ambulant per vias tenebrosas; quorum viæ peruersæ sunt, & infames gressus eorum. 1107.a
Beatus homo qui inuenit sapientiam, & qui affluit prudentia. 515.a
Quem enim diligit Dominus, corripit: & quasi pater in filio complacet sibi. 665.b
Melior est acquisitio eius,negotiatione auri,& argenti. 725.c
Custodi legem, atque consilium, & erit vita animæ tuæ,& gratia faucibus tuis. 734.e
Honora Dominum de tua substantia,& de primitiis omnium frugum tuarum. 760.d
Gloriam sapientes possidebunt. 769.b
Pretiosior est eunctis opibus, & omnia quæ desiderantur,huic non valent comparari. 817.b
Longitudo dierum in dextera eius, & in sinistra illius diuitiæ,& gloria. 201.b,619.e,813.e
Ne dicas amico tuo vade,& reuertere, & cras dabo tibi,cùm possis statim dare. 918.d
4. Iustorum autem semita, quasi lux splendens procedit. 194.d,622.c,752.e
Dabit capiti tuo augmenta gratiarum, & corona inclyta proteget te. 152.e
Omni custodia serua cor tuum, quia ex ipso vita procedit. 548.a
Remoue à te os prauum,& detrahentia labia sint procul à te. 612.b
Audite filij disciplinam patris,& attendite vt sciatis prudentiam. 715.d
Arripe illam & exaltabit te. 932.d
Dirige semitam pedibus tuis. 986.c
Ne delecteris in viis impiorum, nec tibi placeat malorum via. 1107.c
Oculi tui recta videant, & palpebræ tuæ præcedant gressus tuos. 272.b
Principium sapientiæ,possidе sapientiam. 308.c
5. Sit vena tua benedicta, & lætare cum muliere adolescentiæ tuæ. 143.e
Deriuentur fontes tui foras, & in plateis aquas tuas diuide. 454.e
Et gemas in nouissimis, quando consumpseris carnes tuas, & corpus tuum:& dicas cur detestatus sum disciplinam,& increpationibus non acquieui. 1066.b
Ne fortè impleantur extranei laboribus tuis,& labores tui sint in domo aliena. 1220.e
Longè fac ab ea viam tuam,& ne appropinques foribus domus eius. 1238.e
6.Fili mi custodi sermones meos,& præcepta mea reconde tibi. 1070.b,c
Discurre,festina, suscita amicum tuum,ne dederis somnum oculis tuis, nec dormitent palpebræ tuæ. 402.b
8. O viri ad vos clamito,& vox mea ad filios hominum. 259.d
Qui me inuenerit,inueniet vitam, & hauriet salutem à Domino. 718.b
Meeum sunt diuitiæ, & gloria, opes superbæ, & iustitia. 558.c,733.d,816.e
Melior est enim fructus meus lapide pretioso. 974.c
Accipite disciplinam meam,& non pecuniam;doctrinam magis quàm aurum eligite. 817.d
Ego sapientia habito in consilio,& eruditis intersum cogitationibus. 974.b
9. Misit ancillas suas vt vocarent ad arcem. 3.in præf.
Argue sapientem,& diliget te. 714.a,715.d
Si sapiens fueris tibimetipsi eris, si autem illusor, portabis malum. 838.a
Principium sapientiæ timor Domini. 992.d
Da sapienti occasionem, & addetur ei sapientia 1198.a
Doce iustum,& festinabit accipere. ibid.
Si quis est paruulus veniat ad me, & insipientibus loquuta est, venite, comedite panem meum. 381.b,1237.c
10. Filius sapiens lætificat patrem. 127.c,765.b
Memoria iusti cum laudibus,& nomen impiorum putrescet. 157.e,760.c,766.e
In multiloquio non deerit peccatum, qui autem moderatur labia sua,prudentissimus est. 541.e
Quod timet impius, veniet super eum:desiderium suum iustis dabitur. 998.d

Egesta

Egestatem operata est manus remissa; manus autem fortium diuitias parat. 1176.c
11. Circulus aureus in naribus suis mulier pulchra & fatua. 158.b,1232.a
Statera dolosa abominatio est apud Deum,& pondus æquum voluntas eius. 599.b
Iustitia verò liberabit à morte. 718.c
In bonis iustorum exaltabitur ciuitas. 750.d
Desiderium iustorum omne bonum. 998.c
Vbi non est gubernator,populus corruet. 1055.b
Vbi fuerit superbia, ibi erit & contumelia : vbi autem est humilitas, ibi est sapientia. 341.c
12. Qui odit increpationes,insipiens est. 711.c
Manus fortium dominabitur, quæ autem remissa est,tributis seruiet. 1177.a
Cogitationes iustorum iudicia. 1239.e
13. Viam colubri super terram. 515.d
Lux iustorum lætificat, lucerna autem impiorum extinguetur. 525.b
De fructu oris sui homo satiabitur b. 752.a
Iustus comedit,& replet animam suam; venter autem impiorum insaturabilis. 1025.b. 1237.d
Vult, & non vult piger, anima autem operantium impinguabitur. 1049.b
Spes quæ differtur,affligit animam : lignum vitæ desiderium veniens. 1071.a
Multi cibi in noualibus patrum : & aliis congregantur absque iudicio. 1111.e
Amicus stultorum similis efficietur. 1113.b
Substantia festinata minuetur. 395.a
14. Septies enim in die cadit iustus. 905.c
Risus dolore miscebitur, & extrema gaudij luctus occupat. 1239.a
15. Longè est Dominus ab impiis. 75.d
Responsio mollis frangit iram. 614.d
Stultus irridet disciplinam patris sui. 711.c
Secura mens quasi iuge conuiuium. 740.a
In abundanti iustitia virtus maxima est. 1181.a
16. Melior est patiens viro forti, & qui dominatur animo suo,expugnatore vrbium. 94.a 907.d
Vniuersa propter semetipsum operatus est Dominus. 214.a.586.d
Dulcedo animæ sanitas ossium. 735.a
Qui recta loquitur,dirigetur. 1154.b
Fauus mellis composita verba. 1112.d
17. Gemma gratissima expectatio præstolantis: quocumque se vertit,prudenter intelligit. 726.d
18. Substantia diuitis vrbs roboris eius, & quasi murus validus circundans eum. 855.c
Qui mollis,& dissolutus in opere suo fuerit,frater est sua opera dissipantis. 1037.c.d
Os stulti contritio eius, & labia ipsius ruina animæ eius. 1047.d
Frater,qui iuuatur à fratre, quasi ciuitas firma. 309.c
19. Abscondit piger manum suam sub ascella, nec ad os suum applicat eam. 28.d
Erudi filium tuum ne desperes; ad interfectionem autem eius ne ponas animam tuam. 1256.d
20. Quis potest dicere mundum est cor meum? purus sum à peccato. 196.b
21. Thesaurus desiderabilis, & oleum in habitaculo iusti. 87.c
Desideria occidunt pigrum. 872.e.991.e
Qui autem iustus est tribuet,& non cessabit. ibid.
22. Stultitia colligata est in corde pueri. 31.c
Vidisti virum velocem in opere suo, & coram regibus stabit. 217.c
Eiice derisorem 848.c
Ecce descripsi eam tibi tripliciter in cogitationibus & scientia vt ostenderem tibi firmitatem, & eloquia veritatis. 1236.a
Melius est nomen bonum,quàm diuitiæ multæ. 125e.d
23. Oculi tui videbunt extraneas,& cor tuum loquetur peruersa. 42.c
Præbe fili mi cor tuum. 550.a.638.a
Noli laborare vt diteris : sed prudentiæ tuæ pone modum. 716.b,1101.c
Ne desideres de cibis eius in quo est panis mendacij. 1015.d
Fili mi si sapiens fuerit animus tuus, gaudebit tecum cor meum : & exultabunt renes mei cùm loquuta fuerint recta labia tua. 1154.c
Vacantes potibus, & dantes symbola,consumentur,& vestietur pannis dormitatio. 1214.e
Verberauerunt me sed non dolui:traxerunt me,& ego non sensi. 1255.b
Ne erigas oculos tuos ad opes,quas non potes habere,quia facient sibi pennas, quasi aquilæ, & volabunt in cœlum. 322.e
24. Septies in die cadet iustus. 210.a
Excelsa stulto sapientia. 536.b
Et cum detractoribus non commisceatis,quoniam repente consurget perditio eorum. 613.a
Sapientia ædificabitur domus,& prudentia roborabitur. 817.d
Comede fili mi mel,& fauum dulcissimum gutturi tuo. 969.c
Diligenter exerce agrum tuum, vt postea ædifices domum tuam. 1190.b
Erue eos qui ducuntur ad mortem, & qui trahuntur ad interitum, liberare ne cesses. 387.c
25. Ventus Aquilo dissipat pluuias,& facies tristis linguam detrahentem. 612.c
Nubes,& ventus,& pluuiæ non sequentes,vir gloriosus,& promissa non implens. 1173.b
26. Sicut canis,qui reuertitur ad vomitum suum. 47.c,50.a
Vidisti hominem sapientem sibi videri? magis illo spem habebit insipiens. 1063.a
27. Meliora sunt vulnera diligentis,quàm fraudulenta oscula odientis. 632.b
Sicut auis transmigrans de nido suo,sic vir qui derelinquit locum suum. 1254.c
Anima saturata calcabit fauum. 326.a
28. Iustus autem quasi leo confidens absque terrore erit. 854.c,273.d
Qui declinat aures suas, ne audiat legem, oratio eius erit exsecrabilis. 916.d
Qui abscondit scelera sua non dirigetur : qui autem confessus fuerit,& reliquerit ea, misericordiam consequitur. 1054.a
Qui operatur terram suam, satiabitur panibus: qui autem sectatur otium, replebitur egestate. 1213.c
Beatus homo,qui semper est pauidus. 1246.b
29. Rex iustus erigit terram, vir auarus destruet eam. 718.a,1025.e,1026.a
30. Generatio,quæ sibi munda videtur, & tamen non est lota à sordibus suis. 441.a
Vanitatē,& verba mendacia longè fac à me. 519.a
Tria sunt insaturabilia,& quartum quod nunquam dicit, Sufficit, infernus,& os vuluæ. 521.c
Mendicitatem, & diuitias ne dederis mihi, tribue tamen victuim eo necessaria. 526.c

Leo fortissimus bestiarum ad nullius pauebit occursum. 940.b
31. Fortitudo, & decor indumentum eius. 127.d
Fallax gratia,& vana est pulchritudo. 158.b
Mulierem fortem quis inueniet? procul & de vltimis finibus pretium eius. 167.d,941.c
Non extinguetur in nocte lucerna eius. 963 b
Nobilis in portis vir eius,quando sederit cum senatoribus terræ. 723.d.930.a
Omnes domestici eius vestiti sunt duplicibus. 1136.a
Noli regibus,ô Lamuel,noli regibus dare vinum. 1248.c

EX ECCLESIASTE.

Cap.1. Vanitas vanitatum,dixit Ecclesiastes,vanitas vanitatum & omnia vanitas. 61.c.d
Nihil sub sole nouum,nec valet quisquam dicere; ecce hoc recens est. 34.a
Arenam maris,& pluuiæ guttas,& dies sæculi quis dinumerabit. 435.in part.prim.
Ad locum vnde exeunt, flumina reuertuntur, vt iterum fluant. 563.a
Non saturatur oculus visu. 619.a
Hanc occupationem pessimam dedit Deus filiis hominum vt occuparentur in ea. 716.a
Et stultorum infinitus est numerus.237.d,793 b,c
Qui addit scientiam,addit & laborem. 805.a
Dedique cor meum vt scirem prudentiam atque doctrinam. 1011.e
2. Magnificaui opera mea,ædificaui mihi domos. 40.e
Sapientis oculi in capite eius. 231.d
Quem ignoro vtrùm Sapiens an stultus futurus sit,& dominabitur in laboribus meis. 745.d
Cúmque conuertissem ad vniuersa opera, quæ fecerant manus meæ, &c. vidi in omnibus vanitatem. 817.a
Et vidi quòd hoc quoque esset vanitas. 1007.e
Et omnia, quæ desiderauerunt oculi mei,non negaui eis. 1017.a
3. Omnia tempus habent,& suis spatiis transeunt vniuersa sub sole. 247.c
Tempus nascendi,& tempus moriendi. 247.d
Tempus plantandi,& tempus euellendi. 289.d
Tempus flendi,& tempus ridendi. ibid.
4. Melior est pugillus cum requie, quàm plena vtraque manus cum labore, & afflictione animi. 28.d.847.a
Vidi cunctos viuentes,qui ambulant sub sole cum adolescente secundo, qui consurget pro eo. 157.d
Væ soli, quia cùm ceciderit,non habet subleuantem se. 310.a,644.e
Et si dormierint duo, fouebuntur mutuo: vnus quomodo calefiet. 649.d.& 941
5. Melius est non vouere quàm post votum promissa non reddere.8.in præf. 461.c
Est & alia infirmitas pessima, quam vidi sub sole, diuitiæ conseruatæ in malum Domini sui. 85.e
Saturitas autem diuitis non sinit eum dormire. 712 b,723.a
Vbi multæ sunt opes, multi & qui comedunt eas. 809 b
Dulcis est somnus operanti,siue parum, siue multum comedat. 823.a
Non satis recordabitur dierum vitæ suæ, eo quòd Deus occupet delitiis cor eius. 317.b
6. Est & aliud malum,quod vidi sub sole,& quod frequens apud hominem. 85.c
Melius est videre quod cupias, quàm desiderare quod nescias. 1024.c
7. Cor sapientium vbi tristitia est,& cor stultorum vbi lætitia. 715.a
Solummodo hoc inueni quòd fecerit Deus hominem rectum. 803.b
8. Ego os regis obseruo, & præcepta iuramenti Dei. 231.d
9. Verti me ad aliud,& vidi sub sole,nec velocium esse cursum, nec fortium bellum, nec sapientium panem,nec doctorum diuitias, nec artificum gratiam, sed tempus casúmque in omnibus. 4.in præf.
Sunt iusti atque sapientes, & opera eorum in manu Dei, & tamen nescit homo vtrùm amore an odio dignus sit. 196.c,656.b
Omni tempore sint vestimenta tua candida.205.a
Quodcumque facere potest manus tua, instanter operare. 1198.b
Ciuitas parua,& pauci in ea viri:venit contra eam rex magnus,& vallauit eam. 775 a
Inuentúsque est in ea vir pauper,& sapiens, & liberauit eam vrbem per sapientiam suam.775.b
10. Si mordeat serpens in silentio, nihil eo minùs habet qui occultè detrahit. 611.e
Væ tibi terra cuius rex puer est,& cuius principes de manè comedunt. 691.b
Pecuniæ obediunt omnia. 817.c
In pigritiis humiliabitur contignatio. 1075.b
Si spiritus potestatem habentis ascenderit super te,locum tuum ne dimiseris. 1256.a
Muscæ morientes perdunt suauitatem vnguenti. 325.a,425 c
11. Mane semina semen tuum,& vespere ne cesset manus tua. 218.d,498.e
Qui obseruat ventum non seminat; & qui considerat nubes,nunquam metet. 1098 a,b
Da partem septem,nec non,& octo, quia ignoras quid futurum sit mali super terram. 272.c.d
12. Verba sapientium sicut stimuli, & quasi claui in altum defixi 51.c
Faciendi plures libros nullus est finis. 330.e

EX CANTICIS.

Cap.1. Trahe me;post te curremus in odorem vnguentorum tuorum. 206.c.132.d
Pulchræ sunt genæ tuæ sicut turturis. 213.b.840.b
Lectulus noster floridus. 136.e.242.e.256.d
Nigra sum,sed formosa,filiæ Hierusalem. 264.a. 417.d
Oleum effusum nomen tuum. 132.d
Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilaui te amica mea. 105.a
Meliora sunt vbera tua vino. 107.b
Vbi pascas,vbi cubes in meridie. 243.a
Filij matris meæ pugnauerunt contra me. 614.a
Ecce tu pulcher es, dilecte mi,& decorus. 759.a
Osculetur me osculo oris sui. ibid.
Indica mihi quem diligit anima mea. 773.d
Adolescentulæ dilexerunt. 794.d
Ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra es, oculi tui columbarum. 839.d
Si ignoras te ô pulcherrima inter mulieres,egredere,& abi post vestigia gregum, & pasce hædos tuos iuxta tabernacula pastorum. 96.b.311.c
2. En ipse stat post parietem nostrum respiciens

per fenestras. 75.d,621.a
Dilectus meus mihi,& ego illi.12 7.e,142.c,774.b 878.d
Qui pascitur inter lilia. 145.d
Sicut lilium inter spinas sic amica mea inter filias. 238.c,757.c,771.c
Ego flos campi,& lilium cõuallium. 243.e,963.d
Et fructus eius dulcis gutturi meo. 513.c
Introduxit me in cellam vinariam, ordinauit in me charitatem. 593.b
Adiuro vos filiæ Ierusalem per capreas ceruósque camporum. 601.b,364.c,826.e
Vox enim tua dulcis,& facies tua decora. 758.c, 851.c
Et dextera illius amplexabitur me. 783.c
Læua eius sub capite meo. 922.c
Capite nobis vulpes paruulas, quæ demoliuntur vineas. 1076.a
Ecce enim ipse venit saliens in montibus,transiliens colles. 1153.b
Surge,propera amica mea,columba mea,formosa mea,& veni. 364.c
3.Tenui eum nec dimittam,donec introducam illum in domum matris meæ. 102.c
Per vicos & plateas quæram quem diligit anima mea. 115.c
Inueni quem diligit anima mea, tenui eum, nec dimittam. 321.a
En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel. 647.e
Quæ est ista, quæ accedit per desertũ sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ,& thuris. 841.b
Vniuscuiusque ensis super femur suum propter timores nocturnos. 647.e
4.Oculi tui columbarum absque eo quod intrinsecus latet. 79.b,520.a
Quàm pulchræ sunt mammæ tuæ soror mea spõsa!pulchriora sunt vbera tua vino.107.b,840.b
Duo vbera tua,sicut duo hinnuli. 1114.c
Ferculum fecit sibi Rex Salomon de lignis Libani. 652.a
Tota pulchra es amica mea. 839.d
Fauus distillans labia tua mel,& lac sub lingua sua. 661.d
Dentes tui sicut greges tonsarum. 1164.c
Surge Aquilo ,& veni Auster:perfla hortum meũ & fluant aromata illius. 295.b
Veni de Libano sponsa mea,veni de Libano,veni: coronaberis de capite Amana. 418.b
Hortus conclusus soror mea sponsa, hortus conclusus fons signatus. ibid.& 871.c
5. Crura illius columnæ marmoreæ,quæ fundatæ sunt super bases aureas. 77.d
Expoliaui me tunica mea,quomodo induar illa. 245.d,400.a,1001.b
Veniat dilectus meus in hortum suũ, & comedat fructum pomorum suorum. 512.a,759.a
Comedite amici,& bibite, & inebriamini charissimi. 527.d,735.e
Talis est dilectus meus, & ipse est amicus meus filiæ Hierusalem. 757.b
Aperi mihi soror mea. 783.d
Qualis est dilectus tuus ex dilecto ô pulcherrima mulierum. 840.d
Caput eius aurum optimum, comæ eius sicut elatæ palmarum nigræ quasi coruus. 842.c
Anima mea liquefacta est; vt dilectus loquutus est. 891.d
Guttur illius suauissimum,& totus desiderabilis. 1006.c
Manus meæ distillauerunt myrrham. 1163.a
Ego dormio,& cor meum vigilat. 399.a
6. Ego dilecto meo,& dilectus meus mihi,qui pascitur inter lilia. 248.a
Sexaginta sunt reginæ,& octoginta concubinæ,& adolescentularum non est numerus,vna est columba mea. 496.a
Reuertere reuertere Sunamitis , vt intueamur te. 844.a
Pulchra vt luna,electa vt sol,terribilis vt castrorũ acies ordinata. 350.a
7.Ascendam in palmam, & apprehendam fructus eius. 266.b,c
Mane surgamus ad vineas, videamus si floruit vinea. 512.a
Venter tuus sicut aceruus tritici vallatus liliis 741.c
Ego dilecto meo,& ad me conuersio eius. 774.a
Egrediamur in agrum. 783.c
Quàm pulchri sunt gressus tui in calceamentis filia principis. 840.c
Quid videbis in Sunamite nisi choros castrorum. 844.a
8.Quæ est ista,quæ ascendit de deserto deliciis affluens innixa super dilectum suum. 131.a
Pone me vt signaculum super cor tuum. 142.a
Soror nostra parua,& vbera non habet. 168.d
Fortis est vt mors dilectio. 483.b,579.a
Sicut infernus æmulatio. 521.e,& 513.
Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem. 577.b
Si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione,quasi nihil despiciet eam. ibid.
Mille tui pacifici, & ducenti his qui custodiunt fructus eius. 759.a
Euge dilecte mi, & assimilare capreæ hinnulóque ceruorum. 827.b
Quis mihi det te fratrem meum sugentem vbera matris meæ? 831.d
Ex quo facta sum coram eo quasi pacem reperiens. 316.e

EX LIBRO SAPIENTIÆ.

Cap. 1. In maleuolam animam non introibit sapientia. 51.b,344.d
Quoniam spiritus Domini repleuit orbem terrarum,& hoc quod continet omnia. 564.b
Spiritus enim sanctus disciplinæ effugiet fictum, & auferet se à cogitationibus,quæ sunt sine intellectu. 304.a,b
2.Circumueniamus ergo iustum, quoniam inutilis est nobis,& contrarius est operibus nostris. 58.e
Venite ergo & fruamur bonis,quæ sunt. 239.a, 40.a
Vmbræ transitus est tempus nostrum , & non est reuersio finis nostri. 1007.d
3.Iudicabunt nationes , & dominabuntur populis. 769.a,b
Iustorum animæ in manu Dei sunt. 911.e
4.Cùm præsens est,illam imitantur. 939.e
Si morte præoccupatus fuerit,in refrigerio erit. 951.b,c
O quàm pulchra est casta generatio cum claritate. 962.c
Raptus est ne malitia mutaret intellectum eius. 665.b
5.Lumen non luxit nobis,& sol intelligentiæ non est ortus nobis. 54.a
Accipient regnum decoris,& diadema speciei de

manu Domini. 972.a
6. Initium enim illius vera est disciplinæ concupiscentia. 978.d
Concupiscentia sapientiæ deducit ad regnũ.998.c
Pusillum,& magnum ipse fecit,& æqualiter est illi cura de omnibus. 1198.b
Assidérem enim illam fotibus suis inueniet. 801.d
Et qui vigilauerit propter illam citò securus erit. 853.d
Ad vos ergo reges sunt hi sermones mei vt discatis sapientiam,& non excidatis. 450.b
Præoccupat enim qui se concupiscunt. 554.d
Incorruptio autem facit esse proximum Deo. ibid.
Præbete aures vos qui continetis multitudines. 641.b,& placetis vobis in turbis nationum. 778.d
7. Est enim hæc speciosior sole, & super omnem dispositionem stellarum, luci comparata inuenitur prior. 50.c,251.a
Omne aurum in comparatione illius, arena est exigua,& tamquam lutum æstimabitur argentum. 194.b
Et præposui illam regnis,& sedibus. 432.b
Sum quidem & ego mortalis homo similis omnibus. 583.c
Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa. 643.b
Est enim in illa spiritus intelligentiæ sanctus vnicus multiplex. 710.c
Infinitus enim thesaurus est hominibus. 733.a
Quia in manu eius,& nos,& sermones nostri. 954.b
Ego natus accepi communem aërem, & in similiter factam decidi terram. 967.c
Optaui,& datus est mihi spiritus sapientiæ. 998.d
Quam sine fictione didici,& sine inuidia communico,& honestatem illius non abscondo.330.c
8. Hanc amaui, & exquisiui à iuuentute mea, & quæsiui sponsam mihi eam assumere. 316.c
Habebo propter hanc claritatem ad turbas,& honorem apud seniores iuuenis. 736.d,961.c
Habebo per hanc immortalitatem,& memoriam æternã his qui post me futuri sunt,relinquam. ibid.
9. Da mihi sedium tuarum assistricem sapientiam, & noli me reprobare à pueris tuis. 50.d,342.c
Per sapientiam sancti sunt, quicumque placuerunt tibi Domine à principio. 51.c
Et siquis erit consummatus inter filios hominum, si ab illo absuerit sapentia tua,in nihilum computabitur. 1010.c
Corpus enim,quod corrumpitur,aggrauat animã. 276.a
10. Et det illi scientiam sanctorum. 340.b
In vinculis non dereliquit illum,donec afferret illi sceptrum regni. 162.a
Sapientia autem hos,qui se obseruant,à doloribus liberauit. 240.b
11. Sed misereris omnium, quia omnia potes,& dissimulas peccata hominum propter pœnitentiam. 761.b
Sitierunt,& inuocauerunt te, & data est illis aqua de terra altissima. 989.b
12. Tu autem dominator virtutis cum tranquillitate iudicas, & cum magna reuerentia disponis nos. 1223.b
14. Creaturæ Dei in odium factæ sunt, & in tentationem animabus hominum. 43.c
Acerbo enim luctu dolens paret citò sibi rapti filij fecit imaginem. 240.b
16. Qui enim conuersus est non per hoc quod videbat sanabatur sed per te omnium saluatorem. 735.b
18. Omnipotens sermo tuus,&c.in mediam exterminij terram prosiliuit. 264.c
In veste enim poderis, quam habebat, totus erat orbis terrarum. 147.d
Sanctis autem tuis maxima erat lux. 751.a,b

EX ECCLESIASTICO.

Cap. 1. Fili concupiscens sapientiam,conserua iustitiam. 52.b,345.c
Rami enim illius longæui. 514.d
Omnis sapientia à Domino Deo est. 563.a
2. Væ his,qui perdiderunt sustinentiam. 1257.d
Quoniam in igne probatur aurum, & argentum: homines verò receptibiles in camino humiliationis. 910.b
Væ duplici corde,& labiis scelestis. 610.c
Crede Deo,& recuperabit te,& dirige viam tuam, & spera in illum. 470.c
3. Altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris. 498.d
Filij sapientiæ Ecclesia iustorum. 536.b
Qui amat periculum,in illo peribit. 906.d
Deus enim honorauit patrem in filiis;& iudicium matris exquirens,firmauit in filios. 1189.c
Quanto magnus es,humilia te in omnibus,& coram Deo inuenies gratiam. 419.c
4. Est confusio adducens peccatum,& est confusio adducens gloriam,& gratiam. 113.a
5. De propitiato peccato noli esse sine metu.196.d
Ne dixeris peccaui,& quid mihi accidit triste.53.b
6. Amicus fidelis protectio fortis,qui autem inuenit illum,inuenit thesaurum. 127.c.309.d
Noli fieri pro amico inimicus proximo. 1143.b
Multi pacifici sint tibi,& consiliarius sit tibi vnus de mille. 1057.e,1117.d
A iuuentute tua excipe doctrinam,& vsque ad canos inuenies sapientiam. 180.c
7. Datum brachiorum tuorum,& sacrificium sanctificationis offeres domino. 150.b,c
Honora Deum ex tota anima tua. 484.d
Non te pigeat visitare infirmum: ex his enim in dilectione firmaberis. 381.c,590.a
Seruus sensatus sit tibi dilectus, quasi anima tua. 784.a
Filiæ tibi sunt?serua corpus illarum,& non ostendas hilarem faciem tuam ad illas. 820.a
Non desis plorantibus in consolatione;& cum lugentibus ambula. 381.c
10. Secundùm iudicem populi, sic & ministri eius. 1025.d
Vidi seruos in equis, & principes ambulantes super terram quasi seruos. 783.c
Quoniam initiũ omnis peccati est superbia.793.b
Stultus verba multiplicat. 793.b
11. Confide autem in Deo;& mane in loco tuo. 884.b
Facile est enim in oculis Dei subitò honestare pauperem. 316.d
12. In oculis suis lacrymatur inimicus,& si inuenerit tempus,non satiatur sanguine. 50 b
Quis miserebitur incantatori à serpente percusso, & omnibus qui appropiant bestiis. 1110.c
13. Omne animal diligit sibi simile, sic & omnis homo proximum sibi. 1205.d
Caue tibi,& attende diligenter auditui tuo, quoniam

niam cum subuersione tua ambulas. 1245. d
15. Cibabit illum pane vitæ, & intellectus, & aqua Sapientiæ salutaris potabit illū. 4. in præf. 1190 a
Oculi Domini ad timentes eum. 920. a
Deus ab initio constituit hominem, & reliquit illum in manu consilij sui. 205. d
17. In partes vade sæculi sancti, cum viuis & dantibus Confessionem Deo. 1115. c
Deus creauit de terra hominem, & secundū imaginem eius fecit illum. 803. d
18. Post concupiscentias tuas non eas, & à voluntate tua auertere. 188. b, 1101. e
Non est minuere neque adiicere, nec est inuenire magnalia Dei. 1087. d
Ante languorem adhibe medicinam. 1143. e
19. Qui spernit modica, paulatim decidit. 1074. c
Audisti verbum aduersus proximum tuum? commoriatur in te fidens. 610. b
Ex visu cognoscitur vir, & ab occursu faciei cognoscitur sensatus. 199. e, 147. c
20. Sapientia absconsa, & thesaurus inuisus: quæ vtilitas in vtrisque. 312. b
21. Quasi à facie colubri fuge peccata. 1079. c
Via peccantium complanata lapidibus. 201. c
22. Mittens lapidem in volatilia, deiiciet illa, & qui cōuitiatur amico dissoluit amicitiam. 613. a
Ad amicum, & si produxerit gladium, non desperes: est enim regressus ad amicum. 163. d
Supra mortuum plora; defecit enim lux eius: & supra fatuum plora, defecit enim sensus. 968. d
Filij ne in multis sint actus tui, & si diues fueris, non eris immunis à delicto. 1219. c
Musica in luctu importuna narratio. 1229. d
23. In me omnis gratia viæ, & veritatis. 974. d
24. Qui audit me, nō confundetur, & qui operantur in me, non peccabunt. 704. d
Qui edunt me, adhuc esurient, & qui bibunt me, adhuc sitient. 522. e, 572. e
Transite ad me omnes, qui concupiscitis me, & à generationibus meis implemini. 76. b
Et ego quasi fluuius exiui de paradiso, & dixi, rigabo hortum meum. 866. b
27. Vasa figuli probat fornax, & homines iustos tentatio tribulationis. 171. e
Qui in altum mittit lapidem, super caput eius cadet. 613. a
29. Transi hospes, & orna mensam, & quæ in manu habes ciba cæteros. 1186. d
30. Miserere animæ tuæ placens Deo. 423. e
Iucunditas cordis hæc est vita hominis, & thesaurus sine defectione sanctitatis. 516. b
31. Quàm sufficiens est homini erudito vinū exiguū; & in dormiēdo nō laborabis ab illo. 948. c
Ne comprimaris in conuiuio. 303. e
33. Duo, & duo, & vnum contra vnum. 373. d
Multam malitiam docuit otiositas. 1211.
Cibaria, & virga, & onus asino; panis, & disciplina & opus seruo. 567. c
35. Da altissimo secundùm datum eius, & in bono oculo oratio humiliantis se cœlos penetrabit. 919. a
37. Cum viro irreligioso tracta de sanctitate, & cum iniusto de iustitia. 382. b
38. Fili in tua infirmitate ne despicias teipsum; sed ora Dominum, & ipse curabit te. 1059. a
Qui minoratur actu, percipiet Sapientiam. 1220. d
Sapientiam scribe in tempore vacuitatis. 329. d
39. Sapientiam omnium antiquorum exquiret Sapiens. 329. e
Cor suum tradet ad vigilandūm diluculo ad Dominum, qui fecit illum. 344. d
Non obliuiscaris amici tui in animo tuo, & non immemor sis illius in operibus tuis. 565. d
Opera Domini vniuersa valdè bona. 438. d
40. Vinum, & musica lætificat cor, & super vtraque dilectio Sapientiæ. 964 d
41. Curā habe de bono nomine, hoc enim magis permanebit tibi, quàm mille thesauri pretiosi. 1250. e
42. Melior est iniquitas viri quàm benefaciens mulier. 406. b, 819. c
43. Glorificantes Dominum, quantumcúmque potueritis: superualebit adhuc, & admirabilis magnificentia eius. 1250. e
Vas admirabile opus excelsi. 800. b
44. Homines diuites in virtute pulchritudinis studium habentes. 752. b
Laudemus viros gloriosos, & parentes nostros in generatione sua. 1153. e, 1154. a
45. Dilectus Deo, & hominibus Moyses, cuius memoria in benedictione est. 363. b
49. Memoria Iosiæ in compositionem odoris facta opus pigmentarij. 963. c
51. Appropiate ad me indocti, & congregate vos in domum disciplinæ. 989. b
Liberasti me secundùm multitudinem misericordiæ nominis tui. 861. d
Venter meus conturbatus est, quærendo illā. 781. e

EX ISAIA.

Cap. 1. Filios enutriui & exaltaui, ipsi autem spreuerunt me. 55. e, 802. b
Calendas vestras, & solemnitates vestras odiuit anima mea. 280. c, 1176. c
Excoquam ad purum scoriam tuam. 316. d
A planta pedis vsque ad verticem non est in eo sanitas. 23. b, 63. a
Et erubescitis super hortis, quos elegeratis, cùm fueritis velut quercus defluentibus foliis. 29. a
Principes tui infideles socij furum; omnes diligūt munera, sequuntur retributiones. 47. b, 90. a
Cùm veneritis ante conspectum meum, quis quæsiuit hæc de manibus vestris. 217. b
Manus vestræ sanguine plenæ sunt. 77. a
Quiescite agere peruersè, discite benefacere. 634. b
Iniqui sunt cœtus vestri. 1157. a
2. Et conflabunt gladios suos in vomeres, & lanceas suas in falces. 201. d
Et erit in nouissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium. 741. a, b
Opus manuum suarum adorauerunt, quod fecerunt digiti eorum. 804. c
Et docebit nos vias suas, & ambulabimus in semitis eius. 1102. c
Venite, & ascendamus in montem Domini. 277. a
3. Quoniam fructum adinuentionum suarum comedet. 243. c, 524. d
Non sum medicus, & in domo mea non est panis neque vestimentum. 589. d
Et peccatum suum quasi Sodoma prædicauerunt, nec absconderunt. 1025. e
Auferam à Ierusalem validum, & fortem: omne robur panis, & omne robur aquæ. 1116. c
Popule meus, qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt. 423. c
4. Erit germen Domini in magnificentia & gloria. 90. c
Erit in vmbraculum diei ab æstu. 122. d
5. Væ qui trahitis vanitatem in funiculis vanitatis, & quasi vinculum plaustri peccatum. 1078. d

Væ qui coniungitis domum ad domum,& agrum agro copulatis vſque ad terminum loci. 53.c
Cithara,& lyra,& tympanum & tibia. 49.d
Væ qui dicitis malum bonū, & bonū malū,ponētes tenebras lucem,& lucem tenebras; ponētes amarum in dulce, & dulce in amarū.6.in præf.
6. Væ mihi quia tacui. 109.e
Ecce ego,mitte me. 1010.a
Et volauit ad me vnus de Seraphim. 518.c
7.Si non credideritis,non permanebitis. 1034.a
Egredere in occurſum Achaz tu, & qui derelictus eſt Iaſub filius tuus. 106.c
Radet Dominus in nouacula conducta,in his qui trans flumen ſunt,caput,& pilos. 108.a
8.Quos dedit mihi Dominus in ſignum & in portentum Iſrael. 10.in præf.
9.Lætabuntur coram te ſicut qui lætantur in meſſe,ſicut exultant victores capta præda, quando diuidunt ſpolia. 860.e
Princeps pacis. 846.d
Et factus eſt principatus ſuper humerū eius.756.e
Populus qui habitabat in tenebris, vidit lucem magnam. 674.e
10.Væ Aſſur,virga furoris mei,& baculus ipſe eſt: in manu eorum indignatio mea. 460.a
Et erit cùm impleuerit Dominus cuncta opera ſua in monte Sion. 460.b
Et computreſcet iugum à facie olei. 660.e
Propter hoc mittet Dominator Dominus exercituum in pinguibus eius tenuitatem, &c. & erit lumen Iſrael in igne. 890.d
11.Et erit iuſtitia cingulum lumborum eius,& fides cinctorium renum eius. 730.c
Habitabit lupus cum agno,Pardus cum hœdo accubabit. 655.a
12. Haurietis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris. 45.d
Exulta, & lauda habitatio Sion, quia magnus in medio tui ſanctus Iſrael. 825.a,b
14. In cœlum conſcendam,ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum. 602.d,1209.c
Verumtamen ad infernum detraheris in profundum laci 602.e
Aſcendam ſuper altitudinem nubium, ſimilis ero Altiſſimo. 91.c,769.d
De radice enim colubri egredietur regulus, & ſemen eius abſorbens volucrem. 353.a
Conquieuit,& ſiluit omnis terra,gauiſa eſt & exultauit. 851.e
17.Et erit tanquam lignum, quod tranſplantatur ſuper aquas, quod ad humorem mittit radices ſuas. 835.c
18.Ite angeli veloces ad gentem conuulſam,& dilaceratam. 167.a
20.Et fecit ſic,vadens nudus & diſcalceatus.866.d
24.Secretum meum mihi. 1157.e
25.Præcipitabit mortem in ſempiternum. 752.b
Conuiuium pinguium,conuiuium vindemię pinguium medullatorum. 640.b,739.c
Domine Deus meus es tu, exaltabo te,& confitebor nomini tuo. 73.a,b
26. In terra ſanctorum iniqua geſſit,& non videbit gloriam Domini. 179.a
Sic facti ſumus à facie tua Domine, & quaſi parturiuimus. 128.d
Domine dabis pacem nobis, omnia enim opera noſtra operatus es nobis. 563.a
Expergiſcimini, & laudate qui habitatis in puluere,quia ros lucis ros tuus, & terram gigantum detrahes in ruinam. 727.c
Anima mea deſiderauit te in nocte, ſed & ſpiritu meo in præcordiis meis de mane vigilabo ad te. 392.c,489.d
Vade populus meus,intra in cubicula tua. 324.c
Vrbs fortitudinis noſtræ Sion. 35.e
28. Quem docebit ſcientiam,& quem intelligere faciet auditum. 782.d
Percuſſimus fœdus cum morte,&cum inferno fecimus pactum. 936.d
In die illa eritDominus exercituū corona gl.648.b
Anguſtum eſt ſtratum,ita vt alter decidat, & palliū breue quod duos operire non poſſit.1128.b
29.Et erit ſicut puluis tenuis multitudo ventilantium ſe. 1018.e
Sicut ſomniat eſuriēs,& comedit:cùm autē fuerit expergefactus,vacua eſt anima eius. 1014.a,b
30. Nolite aſpicere nobis ea quæ recta ſunt,loquimini nobis placentia. 651.d
Væ filij deſertores vt faceretis conſilium, & non ex me,& ordiremini telam,& non per ſpiritum meum. 1217.c
31. Cuius ignis eſt in Sion, & caminus eius in Ieruſalem. 629.d
Sicut aues volantes, ſic proteget Dominus exercituum Ieruſalem. 76.a
32. Sedebit populus meus in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiduciæ, & in requie opulenta. 154.d
Et erit deſertum in charmel,& charmel in ſaltum reputabitur. 744.a
Et erit opus iuſtitiæ pax, & cultus iuſtitiæ ſilentium. 848.d
Et ſedebit populus meus in pulchritudine pacis. 399.d,316.c,752.c
33. Diuitiæ ſalutis Sapientia, & ſcientia: timor Domini ipſe eſt Theſaurus eius. 345.c
Quis poterit habitare de vobis cum igne deuorante. 277.c
Qui ambulat in iuſtitiis,& loquitur veritatē.277.d
Iſte in excelſis habitabit. 315.c
Væ qui prædaris,nonne & ipſe prædaberis. 862.b
35. Confortate manus diſſolutas,& genua debilia roborate. 150.b
37. Non intrabit ciuitatem hanc,& non iaciet ibi ſagittam. 775.d,912.c
38.Ecce in pace amaritudo mea amariſſima. 355.d,852.b
40.Loquimini ad cor Ieruſalem,& aduocate eam; quoniam completa eſt malitia eius. 34.c
Verè fœnum eſt populus: exiccatum eſt fœnum & cecidit flos. 833.b
Deus ſempiternus Dominus,qui creauit terminos terræ non deficiet. 897.c
Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius quaſi flos agri. 1018.c
Ecce Dominus Deus in fortitudine veniet,& brachium eius dominabitur:ecce merces eius cùm eo. 1065.b
41.Dabit in conſpectu eius gentes, & reges obtinebit. 141.d
Glutino bonum eſt. 475.b
Aperiam in ſupinis collibus flumina, & in medio camporum fontes. 737.c,d
42. Non clamabit neque accipiet perſonam. 609.e
Gloriam meam alteri non dabo. 362.d,763.b
45. Audite me domus Iacob, & omne reſiduum domus Iſrael. 522.a
Ego ante te ibo,& glorioſos terræ humiliabo. 284.a
46.Redite præuaricatores ad cor. 106.d

47. Descende, sede in puluere virgo filia Babylon: non est solium filiae Chaldaeorum. 95.c
48. Laude mea infrenabo te. 70.c
Vtinam attendisses mandata mea: facta fuisset sicut flumen pax tua. 827.c
Non est pax impiis dicit Dominus. 846.c
49. Et dicas in corde tuo, quis genuit mihi istos? ego sterilis. 247.b
Et erunt Reges nutritij tui. 133.c
Quia non esurient neque sitient, & non percutiet eos aestus, & sol: quia miserator eorum reget eos. 1209.e, 1210.a
51. Consolabitur ergo Dominus Sion, & consolabitur omnes ruinas eius. 736.c
Prope est iustus meus, egressus est saluator meus, & brachia mea populos iudicabunt. 824.c
52. Induere vestimentis gloriae tuae Ierusalem ciuitas sancti. 35.e, 1215.a
Quàm pulchri super montes pedes annuntiantis, & praedicantis pacem. 272.a
53. Et non aperuit os suum, sicut ouis ad occisionem ducetur. 610.a
Pro eo quod laborauit anima eius, videbit, & saturabitur. 413.d
54. Ecce ego sternã per ordinem lapides tuos. 182.d
55. Ecce testem populis dedi eum ducem ac praeceptorem gentibus. 647.d
Omnes sitientes venite ad aquas, & qui non habetis argentũ, properate, emite, & comedite. 703.c
Et comedite bonum, & delectabitur in crassitudine anima vestra. 328.c
56. Canes muti non valentes latrare. 61.c, d
Vt viuificet spiritum humilium, & viuificet cor contritorum. 165.c
Impij autem quasi mare. 66.d
58. Tunc delectaberis super Domino, & sustollam te super altitudines terrae. 201.c
Frange esurienti panem tuum, & egenos vagósque induc in domum tuam. 585.a, b
Tunc inuocabis, & Dominus exaudiet: clamabis, & dicet, ecce adsum. 762.b, 919.e
Dissolue colligationes impietatis. 277.d, 919.a
Cibabo te haereditate Iacob patris tui. 113.c
Ecce in die ieiunij vestri reperitur voluntas vestra. 1099 d
Si auerteris à Sabbatho pedem tuum facere voluntatem meam. 280.b
59. Telas araneae texuerunt: telae eorum non erunt in vestimentum, neque operietur operibus suis. 2. in praef.
Qui recessit à malo, praedae patuit. 38.b
Malum apparuit in oculis eius, quia nõ est iudiciũ, & vidit quia non est vir. 259.c, d
Ecce non est abbreuiata manus Domini, vt saluare nequeat. 375.d, 917.a
Telae eorum non erunt in vestimentum. 1215.c
60. Suges lac gentium, & mamilla regum lactaberis. 133.c
Qui sunt isti, qui vt nubes volant, & quasi columbae ad fenestras suas. 369.d. 836.d
61. Gaudens gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in Deo meo. 484.c
Quia ego Dominus diligens iudicium, & odio habens rapinam in holocausto 801.d, 1061.b
62. Iurauit Dominus in dextera sua, & in brachio Fortitudinis suae. 140.d
Transite, transite per portas, praeparate viam populo, planum facite iter. 171.b
Dicite filiae Sion, Ecce saluator tuus venit, ecce merces eius cum eo. 617.d
64. Cecidimus quasi folium vniuersi, & iniquitates nostrae quasi ventus abstulerunt nos. 66.a
Et facti sumus vt immundus omnes nos, & quasi pannus mẽstruatae vniuersę iustitię nostrę. 525.a
Aquae arderent igni. 892.a
65. Quoniam puer centum annorum morietur, & peccator centum annorũ maledictus erit. 513.c
Ecce serui mei comedent, & vos esurietis. 766.c
Quaesierunt me, qui antè non interrogabant, inuenerunt qui non quaesierunt me. 989.b
Et erũt campestria in caulas gregũ, & vallis Achor in cubile armẽtorum populo meo, qui requisierunt me. 1090.d
Antequam clament, ego exaudiam adhuc loquentibus illis dicam ecce adsum. 1153.a
66. Nunquid ego, qui alios parere facio, ipse non pariam. 128.c
Caelum sedes mea, terra autem scabellum pedum meorum. 135.a, 478.d, 641.b, 750.d, e
Ad quem autem respiciam nisi ad pauperculum & contritum spiritu, & tremẽtem sermones meos. 226.e, 465.c, d
Et annuntiabunt gloriam meam gentibus. 583.e
Ecce ego declinabo super eam quasi fluuiũ pacis. 657.a, 741.e
Quomodo si cui mater blandiatur, ita ego consolabor vos. 751.c
Ad vbera portabimini, & super genua blandientur vobis. 761.c
Et ponam in eis signum, & mittã ex eis, qui saluati fuerint, ad Gentes in mare. 1035.c

EX IEREMIA.

Cap. 1. Ego quippe dedi te hodie in ciuitatem munitam, & in columnã ferream, & in murũ aereũ super omnẽ terrã regibus Iuda, principibus eius, & sacerdotibus, & populo terrae. 89.c. 866.a
Et dixi A. A. A. Domine Deus, Ecce nescio loqui. 108.e
Ecce dedi verba mea in ore tuo. 651.c
2. Et nunc, quid tibi vis in via Aegypti vt bibas aquam turbidam. 1013.b
Desperaui; nequaquã faciam: adamaui quippe alienos. 909.a
Fregisti iugum meum, rupisti vincula mea, & dixisti non seruiam. 139.a, 804.d
Me dereliquerunt fontem aquae viuae, & foderunt sibi cisternas. 619.d
Prohibe pedem tuum à nuditate. 148.b
Recordatus sum tui, miserans adolescentiam tuã. 141.d
Quàm vilis facta es nimis, iterans vias tuas; & ab Aegypto confunderis. 65.c
3. Conuertimini filij reuertentes, quia ego vir vester. 96.d
Ergo saltem à modò voca me, Pater meus Dux virginitatis meae tu es. 132.c
4. Si reuerteris Israël ait Dominus, ad me conuertere: si abstuleris offendicula tua à facie mea, nõ commoueberis. 1074.a
Laua à malitia cor tuũ Ierusalem vt salua fias 986.c
5. Equi amatores, & emissarij facti sunt: vnusquisque ad vxorem proximi sui hinniebat 60.e, 61.d
Quia inuenti sunt in populo meo impij insidiantes quasi aucupes. 122.c
Percussi filios vestros, & non doluerunt, renuerunt sucipere disciplinam. 1170.b
6. State super vias, & videte, & interrogate de

semitis antiquis, quæ sit via bona, & ambulate in ea. 1054.c
Dicentes pax pax, & non erat pax. 8. in præf.
Et dixerunt non ambulabimus, &c. audite vocem tubæ, & dixerunt non audiemus. 52.d
7. Bonas facite vias vestras, & studia vestra, & habitabo vobiscum in loco isto. 1105.a
9. Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum? 316.b.641.c
11. Quid est quòd dilectus meus in domo mea facit scelera multa. 179.a
Non glorietur sapiens in sapientia sua, & non glorietur fortis in fortitudine sua. 1009.c
Derelinquam populum meum, & recedam ab eis, quia omnes adulteri sunt. 75.d
Visitabo super omnẽ, qui circumcisum habet præputium. 59.c
Ascendit mors per fenestras. 57.c
12. Cùm autem in terra pacis securus fueris, quid facies in superbia Iordanis. 853.c
Iustus quidem tu es Domine, si disputem tecum: verum tamen iusta loquar ad te. 880.a
Prope es tu ori eorum, & longè à renibus eorum. 880.c
15. Conuertentur ipsi ad te, & tu non conuerteris ad eos. 299.d
17. Maledictus homo, qui confidit in homine. 8. in Præfat. 909.a
Perdix fouit, quæ non peperit; fecit diuitias, & nõ in iudicio. 146.c
Sana me Domine, & sanabor, saluum me fac, & saluus ero quoniam laus mea tu es. 805.c
22. Si fuerit Iechonias annulus in manu dextera mea, inde euellam eum. 78.a
23. Ecce dies veniunt dicit Dominus, & suscitabo Dauid germen iustum. 90.c
Et regnabit rex, & sapiens erit. 617.c
Numquid non verba mea sunt quasi ignis, dicit Dominus, & quasi malleus conterens petram. 1233.d
Et suscitabo super eos pastores, & pascent eos: non formidabunt vltra, & non pauebunt: & nullus quæretur ex numero dicit Dominus. 367.c
Numquid non cœlum & terram ego impleo dicit Dominus? 557.a
27. Fac tibi vincula, & catenas, & pones eas in collo tuo. 866.d
30. Et erit dux eius ex eo. 647.d
31. Dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam. 617.c, 653.c
Benedicat tibi Dominus, pulchritudo iustitię, mõs sanctus. 744.c
Audiens audiui Ephraim transmigrantem. 748.b
Castigasti me, & eruditus sum, quasi iuuẽculus indomitus: conuerte me, & conuertar. 748.c
Si filius honorabilis mihi Ephraim, si puer delicatus, quia ex quo locutus sum de eo adhuc recordabor eius. 748.d
48. Maledictus, qui prohibet gladium suum à sanguine. 46.c
Et cor meum ad viros muri fictilis dabit sonitum tibiarum. 569.a
49. Fugite de medio Babylonis, & saluet vnusquisque animam suam. 80.a
Vlulate super eam: tollite resinam ad dolorem eius si fortè sanetur. 811.c
Curauimus Babylonem, & non est sancta: derelinquamus eam. ibid.

EX THRENIS.

Cap. 1. Vide Domine, & considera quoniam facta sum vilis. 65.d
Facti sunt hostes eius in capite. 1179.d
Venite, & videte si est dolor similis sicut dolor meus. 666.c, 675.a
Viderunt eam hostes & deriserunt sabbata eius. 1175.c, 1176.a
Hæccine est vrbs dicentes, perfecti decoris gaudiũ vniuersæ terræ. 35.d
Oculus meus deprædatus est animam meam in cunctis filiabus vrbis meæ. 804.c
Bonus est Dominus sperantibus in eum: animæ quærenti illum. 899.d, e
Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus, dispersi sunt lapides sanctuarij in capite omnium platearum. 5. in præf.
Spiritus oris nostri Christus Dominus captus est in peccatis nostris. 666.b, 675.a
Recedite polluti clamauerunt eis, recedite, abite, nolite tangere. 757.c

EX BARVCH.

Cap. 3. O Israël quàm magna est domus Dei, & ingens locus possessionis eius. 260.a
Nam si in via Domini ambulasses, habitasses vtique in pace super terram. 852.c
Disce vbi sit prudentia, vbi sit virtus, vbi sit intellectus, vt scias simul vbi sit longiturnitas vitæ & victus. 1009.a

EX EZECHIELE.

Cap. 1. Et totum corpus oculis plenum in circuitu ipsarum quatuor. 1248.c
Et in medio eius similitudo quatuor animaliũ. 270.
Explicatur omnis visio animalium à n. 4. vsque ad 14. & seq per totum caput. 271.a
Et non reuertebantur cùm ambularent. 1252.c
3. Ecce dedi faciem tuam valentiorem faciebus eorum, & frontem tuam duriorem frontibus eorum. 89.c, 1106.b
Si dicẽte me ad impium morte morieris, nõ annũtiaueris ei. 384.c
4. Ah, ah, ah, Domine Deus meus, ecce anima mea non est polluta. 1015.c
Et describes in eo ciuitatem Ierusalem. 788.d
Ecce dedi tibi fimum bonum pro stercoribus humanis, & facies panem tuum in ea. 763.a
5. Sume tibi gladium acutum radentem pilos, & assumes eum, & duces per caput tuum, & per barbam tuam. 866.d
9. Signa Thau super frontes virorum gementium. 243.c
10. Quatuor vultus vni, & quatuor alæ vni, & similitudo manus hominis. 271.c
11. Auferam cor lapideum de carne eorum, & dabo eis cor carneum. 80.d
Dabo eis cor nouum, & spiritum nouum tribuam in visceribus eorum. 986.c
13. Non ascendistis ex aduerso, neque opposuistis murum pro domo Israël vt staretis in prælio in die Domini. 10. in præf.
Væ prophetis insipientibus, qui sequuntur spiritũ suum, & nihil vident. 384.b
Vident vana, & diuinant mendacium, dicentes, ait Dominus, cùm Dominus non miserit eos. ibid.
15. Quid fiet de ligno vitis ex omnibus lignis nemorum. 66.b

16. Et decora facta es vehementer nimis. 158.a
Radix tua,& generatio tua,de terra Chanaam:pater tuus Amorrhæus, & mater tua Chetæa. 39.c
Et habens fiduciã in pulchritudine tua fornicata es. 34.c,d
Hæc dicit Dominus Deus Ierusalem. 35.c
Et quando nata es,in die ortus tui,non est præcisus vmbilicus tuus. 42.b
Non pepercit super te oculus,vt faceret tibi vnũ de his misertus tui. 59.b
Multiplicatam quasi germen agri dedi te, & multiplicata es. 86.d,95.c,96.c
Transiens autem per te,vidi te conculcatam in sanguine tuo, & dixi tibi,Viue. 79.c
Et iuraui tibi,& ingressus sum pactum tecum.127.b, 140.d.
Et emundaui sanguinem tuum ex te. 145.a
Vbera tua intumuerunt, & pilus tuus germinauit. 107.b
Et transiui per te,& vidi te. 116.b,117.b,c
Et eras nuda,& confusione plena. 112.c
Expandi amictum meum super te,& operui ignominiam tuam. 121.d
Ecce hæc fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ,superbia,saturitas panis. 868.a
18. Si autem impius egerit pœnitẽtiam ab omnibus peccatis suis. 46.c
Conuertimini,& agite pœnitẽtiam ab omnibus iniquitatibus vestris;& nõerit vobis in ruinam iniquitas. 283.d
32. Descende,& dormi cum incircumcisis. 1085.a
34. Sed pascebãt pastores semetipsos,& greges meos non pascebant. 416.a
Et scient quia ego Dominus, & contriuero catenas iugi eorum, & eruero eos de manu imperantium sibi. 864.b
Lac comedebatis,& lanis operiebamini. 663.a
Et suscitabo super eas pastorem vnũ,qui pascat eas. 617.c
Faciam cum eis pactũ pacis,& cessare faciam bestias pessimas de terra. 141.a
37. Ossa arida audite verbum Domini. 80.a,1130.b
A quatuor ventis veni spiritus, & insuffla super interfectos istos, & reuiuiscant. 554.d
Fili hominis sume tibi lignum vnum:& scribe super illud,Iudæ,& filiorum Israël sociorum eius.708.b
40. Et latitudinem portæ trium cubitorum hinc, & trium cubitorum inde. 236.b
Et mensus est vestibulum portæ octo cubitorum & frontem eius duobus cubitis. 637.b
44. Caput suum non radent, neque comam nutriẽt, sed tondentes attondent capita sua. 380.c
47. Quia aquæ eius de sanctuario egrediẽtur,& erũt fructus eius in cibum, & folia eius ad medicinã. 514.c, & e

EX DANIELE.

Cap. 1. Et ait Rex Asphenez præposito Eunuchorũ. 326.b
2. Ipse reuelat profunda, & absconditа, & nouit in tenebris constituta. 885.c
Vidit Nabuchodonosor somnium. 460,d
Videbas ita,donec abscissus est lapis de monte,sine manibus,& percussit statuam in pedibus eius ferreis & comminuit eos. 1170.a
3. Ecce ego video quatuor viros solutos, & ambulantes in medio ignis. 891.b
Non tetigit eos omnino ignis. 912.a
Non est in tempore hoc princeps & dux,& propheta neque holocaustum. 999.c
5. Purpura vestieris,& torquem aureã circa collum tuum habebis, & tertius in regno meo princeps eris. 209.d
6. Tribus temporibus in die flectebat genua sua, & adorabat confitebatúrque coram Deo suo.1223.c
7. Millia millium ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebant ei. 507.c,959.c
Potestas eius potestas æterna, quæ non auferetur. 672.c,673.a,1209.c
8. Et ego Daniel langui,& ægrotaui per dies:cúmque surrexissem,faciebam opera regis. 1021.a
9. Ego autem veni vt indicarem tibi, quia vir desideriorum es. 990.c
10. Noli timere vir desideriorum:pax tibi. 990.b
Et sta in gradu tuo. 1254.c
12. Multi de his,qui dormiunt in terræ puluere,euigilabũnt. 948.b
13. Angustiæ sunt mihi vndique, si enim hoc egero, mors mihi est. 195.b
Declinauerunt oculos suos,vt non viderent cœlum. 67.a
Erat enim cor eius fiduciam habens in Domino. 858.c
34. Exclamauit itaque omnis cœtus voce magna.& benedixerũt Deũ qui saluat sperantes in se.915.b

EX OSEA.

Cap. 1. Et erit in loco, vbi dicetur eis,non populus meus vos. 33.b
Visitabo sanguinẽ Iezrahel super domũ Iehu. 77.b
Vade,sume tibi vxorem fornicationum, & fac tibi filios fornicationum. 866.d
2. Et erit in die illa,vocabit me vir meus,& non vocabit me vltra Baalim. 130.b,802.c
Sponsabo te mihi in sempiternum. 137.b,776.c
Absque misericordia,& dicã non populo meo.609 c
Sepiam viã tuam spinis & sepiã eam maceria. 848.a
Vadam,& reuertar ad virum meum priorem, quia bene erat mihi tunc magis quàm nunc. 1145.c
Ducam eam in solitudinem,& loquar ad cor eius. 325.a
3. Et fodi eam mihi quindecim argenteis, & coro hordei. 119.b
4. Non est enim veritas, & non est misericordia, & non est scientia Dei in terra. 37.a
Comedent,& non saturabuntur. 1013.d,e
Veruntamen vnusquisque non iudicet, & non arguatur vir:populus enim tuus sicut hi, qui contradicunt sacerdoti. 1173.d
Quia tu scientiam repulisti,repellam te ne sacerdotio fungaris mihi. 1224.a
Et erit sicut populus,sic sacerdos. 386.c
5. Quoniam laqueus facti estis speculationi. 47.c
7. Ephraim in populis ipse cõmiscebatur: Ephraim factus est subcinericius panis, qui nõ reuersatur, comederunt alieni robur eius,& ipse nesciuit:sed & cani effusi sunt in eo, & ipse ignorauit.6.in præf. 175.c
Facti sunt quasi arcus dolosus. 613.a
Fur egressus est spolians,latrunculus foris. 1061.d
Factus est Ephraim sicut columba seducta non habens cor. 1229.b
8. Argentum suum & aurum suum fecerunt sibi idola vt interirent. 41.b
Ipsi regnauerunt, & non ex me:principes extiterũt, & non cognoui. 604.c
9. Quasi vuas in deserto inueni Israël, quasi prima poma ficulneæ in cacumine eius vidi patres eorum. 59.c

Ephraim (vt vidi) Tyrus erat fundata in pulchritudine. 855.a
Abominabiles facti sunt sicut ea, quæ dilexerunt. 1010.c
10. Diuisum est cor eorum, nunc interibunt. 543.c
Ephraim vitula docta diligere trituram. 568.c
Vitis frondosa Israël, fructus adæquatus est ei. 320.c
11. Ego quasi nutritius Ephraim portabam eos. 138 d. 787.b
Declinaui ad eum, vt vesceretur. 1027.c
13. Ero mors tua ô mors. 579.b
14. Germinabit sicut lilium, & erumpet radix eius vt libani. 166.c

EX IOELE.

Cap. 1. Ignis comedit speciosa deserti. 64.a
Posuit vineam in desertum, & ficum meā decorticauit: nudans spoliauit eam, & proiecit, albi facti sunt rami eius. 1185.d
2. Conuertimini ad me in toto corde vestro. 175.a, 486.a
Dedit nobis doctorem iustitiæ. 215.b
Senes vestri somnia somniabunt, & iuuenes vestri visiones videbunt. 872.c
Sanctificate ieiunium, vocate cœtum. 1210.a

EX AMOS.

Cap. 3. Quia non faciet Dominus verbum nisi reuelauerit secretū suum ad seruos suos prophetas. 762.d
Tantummodo vos cognoui. 881.a
Leo rugit, quis non timebit. 1245.c
4. Quia ipse formans montes, & creans ventum. 1174.d
5. Vrbs de qua egrediebātur mille, relinquuntur in ea centum: & de qua egrediebantur centū, relinquuntur in ea decem in domo Israel. 9. in præf.
6. Numquid currere queūt in petris equi, aut arari potest in bubalis, quoniam conuertisti in amaritudine iudicium, & fructum iustitiæ in absinthium. 7. in præf.
Optimates capita populorum, &c. qui separati estis in diem malum. 47.b
7. Non sum propheta, nec filius Prophetæ, sed armentarius ego sum vellicans sycomoros. 12. in præf.
8. Quando transibit mensis, & vendicabimus merces. 412.a
9. Ecce enim mandabo ego, & concutiam in omnibus gentibus domum Israël. 572.a, 881.a
Qui ædificat in cœlo ascensionem suam & fasciculū suum in terram fundauit. 788.b

EX ABDIA.

Cap. 1. Superbia cordis tui extulit te habitantem in scissuris petrarum, exaltantem solium tuum, qui dicis in corde tuo: Quis detrahet me in terrā. 9. in præf.
Si exaltatus fueris vt aquila, & si inter sydera posueris nidum tuum: inde detraham te, dicit dominus. ibid.
Et in monte Sion erit saluatio, & erit sanctus, & possidebit domus Iacob. 856.a

EX IONA.

Cap. 1. Surrexit Ionas vt fugeret in Tharsis à facie Domini. 74.a, 432.c
3. Adhuc quadraginta dies, & Niniue subuertetur. 867.b
4. Et ego Niniue non parcā ciuitati magnæ? 312.b
Et percussit hederā & exaruit. 735.d, 1015.b, 1209.d
& lætatus est Ionas super hedera lætitia magna. 1015.b

EX MICHEA.

Cap. 2. Secundùm dies egressionis suæ de terra Ægypti ostendam ei mirabilia. 150.c
Congregans congregabo Iacob totum te. 520.c
4. In die illo congregabo claudicantem, & eā quam eieceram colligam, & quam afflixeram. 857.b
5. Et erunt reliquiæ Iacob in gentibus in medio populorum multorum. 833.b
Quasi in iumentis siluarum, & quasi catulus leonis in gregibus. 833.c
7. Væ mihi, quia factus sum, vt qui colligit in autumno racemos vindemiæ: non est botrus ad comedendum: præcoquas ficus desiderauit anima mea. 9. in præf.
Pasce populum tuū in virga tua, gregem hæreditatis tuæ. 826.c, 1174.c
Dies vt ædificentur maceriæ tuæ: in die illa lōgè fiet lex. 837.a

EX NAHVM.

Cap. 3. Plures fecisti negotiationes tuas, quàm stellæ sint cœli: bruchus expansus est, & auolauit. 731.c

EX HABACVC.

Cap. 1. Et facies hominis quasi pisces maris, & quasi reptilia non habentia ducem. 60.c
Mundi sunt oculi tui ne videant malum. 169.c, 1242.c, d
2. Super custodiam meam stabo. 1246.b
3. Ingrediatur putredo in ossibus meis. 228.d
Deus Dominus fortitudo mea, & ponet pedes meos quasi ceruorum. 787.a

EX SOPHONIA.

Cap. 1. Visitabo super principes, & super filios regis, & super omnes, qui induti sunt veste peregrina. 27.d
2. Et accubabūt in medio eius greges, omnes bestiæ gentium. 61.b
3. Auferā de medio tui magniloquos superbiæ tuæ. 123.a
Quia tunc reddam populis labium electum. 659.d
Dominus Deus tuus in medio tui fortis, ipse saluabit: gaudebit super te in lætitia. 1028.d
Væ prouocatrix, & redempta ciuitas, colūba. 1173.c

EX AGGÆO.

Cap. 1. Et qui mercedes congregauit, misit eas in sacculum pertusum. 361.b
Cap. 2. Numquid iam semen in germine est, & adhuc vinea, & ficus. 95.b

EX ZACHARIA.

Cap. 1. Conuertimini ad me ait Dominus exercituū, & conuertar ad vos. 486.a
2. Qui enim tetigerit vos, tāgit pupillam oculi mei. 485.a
Et ego ero ei, ait Dominus, murus igneus in circuitu, & in gloria ero in medio eius. 855.b
Post gloriam misit me pater ad gentes, quæ spoliauerunt vos. 912.a
4. Manus Zorobabel fundauerunt domum istam, & manus eius perficient eam. 789.c
6. Et ecce quatuor quadrigæ egredientes de medio duorum montium, & montes, montes ærei. 743.c
Ecce vir oriens nomen eius, & subter eum orietur, & ædificabit templum Domino. 789.c
8. Et plateæ ciuitatis implebuntur infantibus. 863.a

Zelatus sum Sion zelo magno, & indignatione magna zelatus sum eam. 1029.b
Reuersus sum ad Sion,& habitabo in medio Ierusalem. 327.b
9. Dominus exercituum proteget eos:& deuorabunt. 110.c
11. Et assumpsi mihi duas virgas, vnam vocaui decorem & alteram vocaui funiculum, & paui gregem. 309.b
Non pascam vos, quod moritur, moriatur:& quod succiditur, succidatur. 309.c
12. Et erit in die illa; ponam Ierusalem lapidem oneris cunctis populis; omnes, qui leuabunt eam, concisione lacerabuntur. 35.a
13. Et ducam tertiam partem per ignem,& vram eos sicut vritur argentum. 909.d
14. Et sic erit ruina equi,& muli,& cameli,& asini. 60.d
Et erunt lebetes in domo Domini tamquam phialæ coram altari. 871.d.926.c

EX MALACHIA.

Cap. 1. Filius honorat patrem,& seruus Dominum suum. 484.d.802.b
Si offeratis cæcum ad immolandum, nonne malum est? offer illud duci tuo. 288.c.1176.a
2. Si nolueritis audire, & si nolueritis ponere super cor vt detis gloriam nomini meo, &c. mittam in vos egestatem. 917.b
Labia enim sacerdotis custodient scientiam,& legem requirent ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum est. 384.a
3. Vanus est qui seruit Deo. 233.d
Et conuertimini,& videbitis. 233.c
4. Et orietur vobis timentibus nomen meum sol iustitiæ,& sanitas in pennis eius. 618.b
Ego enim Dominus,& non mutor. 1039.b
Et egrediemini,& salietis sicut vituli, de armento, & calcabitis impios cùm fuerint cinis sub planta pedum vestrorum. 1151.a

EX LIBRO MACHABÆORUM PRIMO.

Cap. 2. Et à verbis viri peccatoris ne timueritis, quia gloria eius stercus,& vermis est. 32.a
3. Similis factus est leoni in operibus suis,& sicut catulus leonis. 940.a
4. Contriti sunt inimici nostri: ascendamus nunc mundare sancta,& renouare. 363.d
6. Et factum est vt audiuit rex sermones istos, expauit, & commotus est valde, & decidit in lectum. 44.d
Et iuit sub pedes elephantis, & supposuit se ei, & occidit eum. 972.d
9. Absit istam rem facere, vt fugiamus ab eis, &c. & non inferamus crimen gloriæ nostræ. 1218.d
Et surrexerunt ad eos ex insidiis,& occiderunt eos &c. & conuersæ sunt nuptiæ in luctum,& vox musicorum in lamentum. 1244.e
12. Habentes solatio sanctos libros, qui sunt in manibus nostris. 330.c

EX LIBRO MACHABÆORUM SECUNDO.

Cap. 2. Iussit eos ignem accipere, qui transmigrabant 553.a
6. Etenim multo tempore non sinere peccatoribus ex sententia agere, sed statim vltiones adhibere. 903.d
Non enim ætati nostræ dignum est inquit fingere, vt multi adolescentes, arbitrantes Eleazarum nonaginta annorum transisse ad vitam alienigenarum,&c. 1161.c.d,
15. Hic est fratrum amator, & populi Israel: hic est qui multum orat pro populo. 216.d

INDEX LOCORVM SACRÆ SCRIPTVRÆ E NOVO TESTAMENTO PETITORVM.

EX MATTHÆO.

Cap. 1. ET vocabis nomen eius Iesum, ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum. 45.d
Noli timere accipere Mariam coniugem tuam: quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est. 872.c
2. Herodes rex turbatus est, & omnis Hierosolyma cum illo. 1026.a
3. Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cœlorum. 46.c.371.c
Ne velitis dicere intra vos, patrem habemus Abraham, dico enim vobis, quoniam potẽs est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ. 9. in præf.
Progenies viperarum, quis demonstrauit vobis fugere à ventura ira. 61.d
Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. 461.c
Iam enim securis ad radicẽ arboris posita est. 998.a
Ipse autem Ioannes habebat vestimentum de pilis camelorum. 335.c
4. Ambulans Iesus iuxta mare Galilææ, vidit duos fratres. 87.a
Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me. 237.c,d
Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei. 606.b
Venite post me, & faciam vos fieri piscatores hominum. 899.b
5. Non potest ciuitas abscondi supra montem posita. 165.a
Qui ergo soluerit vnum de mandatis istis minimis, & docuerit sic homines; minimus vocabitur in regno cœlorum. 12. in præf.
Neque per Hierosolymam, quia ciuitas est magni regis. 35.d
Et qui amissam duxerit, adulterat. 42.c
Vos estis sal terræ. 50.c.349.c
Beati mundo corde. 102.a,b.196.c.326.d
Beati pauperes spiritu, quoniã ipsorum est regnum cœlorum. 88.b.223.d.516.c.780.c
Nolite putare quoniam veni soluere legem; non veni soluere, sed adimplere. 135.a
Estote ergo & vos perfecti, sicut & pater vester cœlestis perfectus est. 437.a 440.b
Quia non potes vnum capillum album facere, aut nigrum. 440.b
Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos. 497.d
Si enim diligitis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis. ibid. & 671.c
Qui ergo soluerit vnum de mandatis istis minimis. 533.c
Qui solem suum oriri facit super bonos & malos. 560.d
Ego autem dico vobis, quia omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio. 614.c
Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum. 628.d
Diligite inimicos vestros, benefacite his. ibid.
Ego autem dico vobis, quia omnis, qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, mœchatus est eam in corde suo. 630.d.1000.c
Si ergo offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quòd frater tuus habet aliquid aduersum te. 639.d
Beati estis cùm maledixerint vobis homines, & persequuti vos fuerint. 688.b.829.c
Esto consentiens aduersario tuo dum es in via cum eo. 692.b.905.c.952.d
Vt sitis filij patris vestri qui in cœlis est. 764.c
Vt videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum qui in cœlis est. 798.c.801.c
Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur. 1002.b
Quòd si sal euanuerit, in quo salietur? ad nihilum valet vltra. 1187.c
Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam; quoniam ipsorum est regnum cœlorum. 269.c
Vos estis lux mundi. 372.b
6. Non potestis Deo seruire, & mammonæ. 61.a
Si autem oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosum erit. 212.c
Amen dico vobis, receperunt mercedem suam. 213 c.1156.a
Attendite ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus vt videamini ab eis. 215.c.290.c
Te autem faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua. 218.b.728.d
Orantes autem nolite multum loqui sicut Ethnici faciunt: putant enim quod in multiloquio suo exaudiantur. 256.c.257.c
Nolite soliciti esse, dicentes, quid manducabimus. 99.d
Tu autem cùm ieiunas, vnge caput tuum, & faciem tuam laua. 146.a
Considerate lilia agri quomodo crescunt: non laborant neque nent. 150.a.875.c
Fiat voluntas tua. 231.b
Quærite ergo regnum Dei, & iustitiam eius. 470.c.627.c
Nemo potest duobus dominis seruire. 517.b, 969.d
Ideo dico vobis ne soliciti sitis animæ vestræ quid manducetis. 551.a
Pater noster qui es in cœlis. 423.d.559.b.798.b
Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra vbi ærugo, & tinea demolitur. 737.b
Adueniat regnum tuum. 746.c
Respicite volatilia cœli, quoniam non serunt neque metunt. 875.b
Nonne anima plus est quàm esca, & corpus plus quàm vestimentum. 1008.b

Tu autem

Tu autem cùm oraueris intra cubiculum tuum & clauso ostio ora patrem tuum. 1185.b
Cùm facis eleemosynam, noli tuba canere ante te. 289.a
Ideo dico vobis ne solliciti sitis animæ vestræ quid manducetis. 313.c
7. Numquid colligunt de spinis vuas, aut de tribulis ficus. 7.in præf.
Non omnis qui dicit mihi Domine Domine, intrabit in regnum cœlorum. 237.d.491.c
Multi dicent in illa die Domine Domine, nonne in nomine tuo prophetauimus. 456.d.655.d
Petite & dabitur vobis. 470.c
Omnis arbor bona fructus bonos facit, mala autem arbor malos fructus facit. 511.c
Omnia ergo, quæcumque vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis. 597.c.634.a
Nolite iudicare vt non iudicemini. 602.a
Et descendit pluuia, & venerunt flumina, & flauerunt venti & irruerunt in domum illam & cecidit. 813.a
Et tunc confitebor illis, quia nescio vos, discedite, 880.d
Arcta est via, quæ ducit ad vitam & pauci sunt qui intrant per eam. 1054.c
Non potest arbor bona malos fructus facere, nec arbor mala bonos fructus facere. 280.d.997.c
Quia nunquam noui vos: discedite à me, qui operamini iniquitatem. 379.d
8. Magister sequar te quocumque ieris. 132.d
Vidit socerum eius iacentem, & febricitantem. 508.d
Dimitte mortuos sepelire mortuos suos. 509.c
9. Et ait illi sequere me, & surgens secutus est eum. 76.d
Quare nos, & Pharisæi ieiunamus frequenter, discipuli autem tui non ieiunant. 602.a
Et circuibat Iesus omnes ciuitates, & castella, docens in synagogis eorum. 1144.a
Nemo autem mittit commissuram panni rudis in vestimentum vetus. 1229.b
Neque mittũt vinum nouum in vtres veteres, alioquin rumpuntur vtres, & vinũ effunditur. ibid.
Messis quidem multa, operarij autem pauci: rogate ergo Dominum messis, vt mittat operarios in messem suam. 367.d
10. Nonne duo passeres asse væneunt, & vnus ex illis non cadet super terram. 121.e
Qui recipit vos me recipit, & qui me recipit, recipit eum qui misit me. 658.b
Qui perdiderit animam suam propter me, inueniet eam. 670.a
Et siquidem fuerit domus illa digna, veniet pax vestra super eam. 852.b
Et quicumque potum dederit vni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ, &c. non perdet mercedem suam. 398.b.954.a
Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit. 1089.d
Inimici hominis domestici eius. 1128.e
Estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ. 1249.b
11. Iugum meum suaue est, & onus meum leue. 138.a.928.c
Discite à me quia mitis sum, & humilis corde. 174.d.227.a, 1121.c.d.1123.c
Qui autem minor est in regno cœlorum, maior est illo. 443.d
Euntes renuntiate Ioanni quæ audistis. 664.a,b
Confiteor tibi pater Domine cœli, & terræ; quia abscondisti hæc à sapientibus. 737.c
Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos. 865.a
Tu es, qui venturus es, an alium expectamus? 949.a
Quid existis in desertum videre? arundinem vento agitatam? sed quid existis videre. 1149.b
12 Sicut fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus, sic erit. 74.a
Bonus homo de bono thesauro profert bona. 544.a
Bene magister in veritate dixisti, quia vnus est Deus. 592.c
Non est longè à regno Dei. 592.d
Ecce discipuli tui faciunt quod non licet eis facere sabbathis. 602.a
Quæ est mater mea, & qui sunt fratres mei. 666.b
Magister volumus à te signum videre. 1193.e
Progenies viperarum quomodo potestis bona loqui cùm sitis mali? ex abundantia enim cordis os loquitur. 291.b
Bonus homo de bono thesauro profert bona, & malus homo de malo thesauro profert mala. 291.c
13. Simile est regnum cœlorum grano sinapis, quod accipiens homo. 198.a
Et continuò exorta sunt, &c. sole autem exorto æstu aruerunt. 90.e
Omnis scriba doctus in regno cœlorum similis est homini patri familias qui profert de thesauro suo noua, & vetera. 713.a.732.e
Qui verò in terrã bonã seminatus est, hic est qui audit verbum, & intelligit, & fructum affert. 496.e
Simile est regnum cœlorum homini negotiatori quærenti bonas margaritas. 730.d.e
Tunc iusti fulgebunt sicut sol in regno patris eorum. 621.c.720.b
14. Videns verò ventum validum timuit, & cùm cœpisset mergi clamauit. 44.d
15. Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè est à me. 174.d
De corde exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes. 104.b.1167.c
Cæcus autem si cæco ducatum præster, ambo in foueam cadunt. 110.c
Quare discipuli tui transgrediuntur traditiones seniorum. 602.a
Venite benedicti patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi. 802.c
Quare vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram. 1135.c
Et præcepit turbæ vt discumberet super terram. 1301.c
16. Quid prodest homini si mundum vniuersum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur? 249.a.301.c.551.c
Vade post me Satana scandalum es mihi. 666.c
Tu es Christus, filius Dei viui. 1109.d.1199.d
17. Amen Amen dico vobis, si habueritis fidem sicut granum sinapis. 536.d
Et transfiguratus est ante eos. 1248.d
18. Quicumq; ergo humiliauerit se sicut paruulus iste, hic maior est in regno cœlorum. 641 c,d
Amen dico vobis nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum cœlorum. 688.d.1123.b
Tunc surgens imperauit ventis, & mari, & facta est tranquillitas magna, qualis est hic, quia venti, & mare obediunt ei. 775.a
Necesse est vt veniant scandala: verumtamen væ homini illi per quem scandalum venit. 1076.e 1077.a
Qui autem scandalizauerit vnum de pusillis istis,

expedit ei vt suspendatur mola. 1141.b
Si oculus tuus aut manus tua, aut pes tuus scandalizat te, abscinde eum. 1141.c.1143.d
Vbi fuerint duo vel tres cõgregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum. 1152.c.1153.a 1210.c
Si duo ex vobis cõsenserint super terram, de omni re quamcumque petierint, fiet illis à patre meo. 312.d
Quia Angeli eorum semper vident faciem patris mei, qui in cœlis est. 372.d
19. Facilius est camelũ per foramẽ acus trãsire. 39.d
Omnis, qui reliquerit domum vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut vxorem, aut filios, aut agros, propter nomen meũ, centuplum accipiet, & vitam æternã possidebit. 10. in præf.
Vos qui secuti estis me in regeneratione, cùm sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israël. 601.c
Si vis ad vitam ingredi, serua mandata. 119.d.222.d.473.a
Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te, quid ergo erit nobis? 223.b.462.a
Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes & da pauperibus. 146.d.440.b.464.e.734.e
Qui potest capere capiat. 461.b
Non homicidium facies: non adulterabis. 470.e
Et erũt primi nouissimi, & nouissimi primi. 493.b.c
Et erunt duo in carne vna: itaque iam non sunt duo sed vna caro. 770.d
Magister quid boni faciam vt habeam vitam æternam? 1081.a
Omnia hæc custodiui à iuuentute mea, quid adhuc mihi deest? ibid.
Sinite paruulos, & nolite eos prohibere ad me venire. 381.b
20. Potestis bibere calicem, quem bibiturus sum? 187.c
Dic vt sedeant hi duo filij mei, vnus ad dexteram tuam, & vnus ad sinistram. 632.c
Quid hic statis tota die otiosi? 1041.b
Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, & dare animam suam redemptionem pro multis. 301.a.413.e.1065.b
Multi sunt vocati, pauci verò electi. 969.a.1252.c
Qui amat patrem & matrem plus quàm me, non est me dignus. 1255.a
Simile est regnum cœlorum homini patrifamilias, qui exiit primo mane conducere operarios in vineam suam. 367.d
21. Cùm autem tempus fructuum appropinquasset. 25.b
Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur alteri facienti fructum eius. 86.a
22. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua. 430.c.474.a.533.c
Sed sunt sicut Angeli Dei in cœlo. 443.b
In his duobus mandatis vniuersa lex pendet & prophetæ. 534.d
Amice quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem. 730.a
Multi enim sunt vocati: pauci verò electi. 793.c
Ligatis manibus & pedibus eius mitte eum in tenebras. 882.d
23. Hæc oportuit facere, & illa nõ omittere. 5. in pr.
Væ vobis Scribæ, & Pharisæi hypocritæ, quia similes estis sepulchris dealbatis, quæ foris apparent hominibus speciosa. 30.a.102.b
Hierusalem, Hierusalem, quæ occidis prophetas & lapidas eos, qui ad te missi sunt. 211.c
Et patrem nolite vocare vobis super terram, vnus est enim pater vester. 69.e.607.c
Vos autem nolite vocare Rabi, vnus est enim magister vester. 533.b.674.c
Alligant enim onera grauia, & importabilia. 600.a 756.e
Omnia quæcumq; dixerint vobis seruate & facite, secundũ verò opera eorum nolite facere. 1149.d
24. Tunc qui in Iudæa sunt, fugiãt ad montes. 746.a
Sicut fulgur exit ab Oriente, & paret vsque in Occidentem. 265.e
Fidelis seruus, & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam. 303.c
25. Qui autem vnum acceperat, abiens fodit in terram. 7. in præf.
Domine quinque talenta tradidisti mihi. 26.b
Quamdiu fecistis vni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis. 258.b.627.b
Serue male & piger, sciebas quia meto vbi non semino. 704.e
Euge serue bone, & fidelis. 730.a
Possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi. 736.d.278.c
Et vni dedit quinque talenta, alteri autẽ duo. 923.b
Esuriui, & dedistis mihi manducare: venite, & possidete paratum vobis regnum. 993.b
Nescio vos. 1068.c
Hospes eram, & non collegistis me. 1187.a
26. Et egressus foras fleuit amare. 76.c
Bonum erat ei si natus non fuisset homo ille 209.e
At ille negauit coram omnibus. 576.b
Tunc discipuli omnes relicto eo fugerunt. ibid.
Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma: dormite iam & requiescite. ibid.
Et iterum negauit cum iuramento, quia non nouit hominem. 1109.d
Fiat voluntas tua. 1192.b
Quid molesti estis huic mulieri. 423.c
27. Et genu flexo ante eum illudebant ei, dicentes, Aue Rex Iudæorum. 47.d
28. Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi. 671.a
Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra. 768.e

EX MARCO.

Cap. 2. Non necesse habent sani medico, sed, qui malè habent. 674.c
3. Qui enim fecerit voluntatẽ Dei, hic frater meus & soror mea, & mater mea est. 564.e
6. Non licet tibi habere vxorem fratris tui. 867.b
7. Et adducũt ei surdum, & mutum: & deprecabantur eum vt imponat illi manum. 23.a
9. Credo Domine, adiuua incredulitatem meam. 991.b
Exi ab eo, & ampliùs ne introeas in eum. 991.c
Habete in vobis sal, & pacẽ habete inter vos. 271.e
10. Quod Deus cõiunxit, homo non separet. 129.b
Accipiet centies tantum nunc in tempore hoc. 133.e.134.a
12. Diliges Dominum Deum tuum ex tota virtute tua. 470.c.533.c
Sed sunt sicut Angeli in cœlis. 956.c
13. Quod autem vobis dico, omnibus dico. 447.c
Inuenta autem vna pretiosa margarita, abiit, & vendidit omnia. 785.c
14. Abba pater, omnia tibi possibilia sunt, transfer calicem hunc à me. 578.e
Vbicumque fuerit prædicatum Euangelium istud in vniuerso mũdo, & quod fecit hæc, narrabitur

in memoriam eius. 962.b
Quia nescio hominem istum quem dicitis. 1199.d
16. Euntes in mundum vniuersum, prædicate Euangelium omni creaturæ. 470.c,1144.b
Serpentes tollent. 677.b
Et exprobrauit incredulitatem eorum,&c.& dixit eis:Euntes in mundum. 71.c,949.d

EX LVCA.

Cap. 1. Vinum & siceram non bibet,& Spiritu sancto replebitur adhuc ex vtero matris suæ. 92.c
Et paries filium,& vocabis nomé eius Iesum. 45.d
Multi in natiuitate eius gaudebunt. 209.e
Erit enim magnus coram Domino, & vinum, & siceram non bibet. 92.c
Deposuit potentes de sede,& exaltauit humiles. 165.b
Quia respexit humilitatem ancillæ suæ. 465.d
Vt conuertat corda patrum in filios,& incredulos ad prudentiam. 589.c
Magnificat anima mea Dominum, & exaltauit spiritus meus. 798.c
Esurientes impleuit bonis. 999.b
Quia fecit mihi magna,qui potens est. 1071.e
2. Proficiebat sapientia & ætate, & gratia apud Deum. 90.e
Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis.564.e 846.e
Lumen ad reuelationem gentium. 674.e
Nunc dimittis seruum tuum Domine secundùm verbum tuum in pace. 947.d
Nesciebatis quia in his,quæ patris mei sunt,oportet me esse. 1067.a
Et ipsi non intellexerunt verbum quod locutus est ad eos. ibid.
Et descendit cum eis, & venit Nazareth, & erat subditus illis. 421.d
3. Et ipse Iesus erat incipiens quasi annorum triginta. 422.c
4. Medice cura teipsum. 1187.e
Nemo propheta acceptus est in patria sua. 1255.b
5. Non egent,qui sani sunt,medico, sed qui malè habent. 802.d
Exi à me,quia homo peccator sum,Domine.929.a
6. Væ vobis diuitibus,quia habetis consolationem vestram. 39.d
Quid me vocatis,Domine Domine,& non facitis quæ dico. 174.d
Et erat pernoctans in oratione Dei. 263.a
Et si diligitis eos,qui vos diligunt, quæ vobis est gratia? 688.b
Ex abundantia cordis os loquitur. 1152.c
Beati qui nunc fletis,quia ridebitis. 269.e
Et elegit duodecim ex ipsis, quos & Apostolos nominauit. 423.d
7. Et misericordia motus super eam dixit illi, noli flere. 116.e
Ecce mulier, quæ erat in ciuitate peccatrix,vt cognouit quòd Iesus accubuisset. 222.d
Qui autem minor est in regno Dei,maior est illo. 443.c
Lacrymis cœpit rigare pedes eius,& capillis capitis sui tergebat. 299.a
8. Et natum aruit,quia non habebat humoré.63.e
Dixit autem illis,vbi est fides vestra. 576.b
Non sum sicut cæteri hominum. 1210.b
Redi in domum tuam, & narra quanta tibi fecit Deus. 323.a
9. Siquis vult post me venire, abneget semetipsum. 461.c
Nescitis cuius spiritus estis,filius hominis non venit animas perdere,sed saluare. 672.c
Nemo mittens manum suam ad aratrum,& respiciens retro,aptus est regno Dei. 273.a,1130.d
10. Et appropians alligauit vulnera eius,fundens oleum. 23.c
Et huic erat soror nomine Maria,quæ etiam sedés secus pedes Domini,audiebat verbũ illius.256.d
Domine nõ est tibi curæ,quòd soror mea reliquit me sola ministrare? 257.d
Nolite portare sacculum,neque peram,neque calceamenta. 111.c
Videbam Satanam, sicut fulgur de cœlo cadentem. 112.b
Martha Martha sollicita es,& turbaris erga plurima.porro vnum est necessarium. 238.b
Rogate ergo Dominum messis. 242.b
Ecce dedi vobis potestatem calcandi super serpentes,& scorpiones. 456.e
Et ex omnibus viribus tuis. 533.c
Quis horum trium videtur tibi proximus fuisse illi qui incidit in latrones. 583.a
In quamcumque domum intraueritis,primùm dicite pax huic domui. 846.c.1152.d
Et si ibi fuerit filius pacis,requiescet super illum pax vestra,sin autem ad vos reuertetur. 1152.d
Nolite transire de domo in domum. 1254.a
[illegible]t mulier quædam Martha excipit illum in domum suam,& huic erat soror nomine Maria. 276.c
Martha,Martha,sollicita es,& turbaris erga plurima. 289.a,398.a,402.b
Sedens secus pedes Domini audiebat verbum illius. 318.b
Maria optimam partem elegit,quæ non auferetur ab ea. 402.b
Designauit Dominus & alios septuaginta duos. 423.d
11. Omne regnum in seipsum diuisum desolabitur. 210.b,644.b
Væ vobis Pharisæis, qui decimatis mentham & rutam,& omne olus. 217.a
Verùmtamen quod superest, date eleemosynam. 617.e
Petite,& dabitur vobis. 281.c,919.b
Beatus venter qui te portauit, & vbera,quæ suxisti. 1154.d
Qui non est mecum contra me est,& qui non colligit mecum,dispergit. 290.e
Beati qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud. 328.c
12. Et vos similes hominibus expectantibus Dominum suũ,quando reuertatur à nuptiis.202.d, 334.b,c,1197.d
Homo quis me constituit iudicem, aut diuisorem super vos. 219.d
Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris. 148.d,1163.c
Seruus qui cognouit voluntatem Domini sui, & non apparuit,& non fecit. 458.a
Facite vobis sacculos, qui non veterascunt, thesaurum non deficientem in cœlis. 735.b
Amen dico vobis quòd præcinget se, & faciet illos discumbere, & transiens ministrabit illis. 748.d,752.a
Considerate coruos,quia neque seminant, neque metunt 875.b
Beatus ille seruus, quem cùm venerit Dominus, inuenerit ita facientem. 925.b,1082.b

Nolite timere pusillus grex, quia complacuit patri vestro dare vobis regnum. 969.b
Seruus, qui cognouit voluntatem Domini sui,& non fecit secundum voluntatem eius, vapulabit multis. 318.d,1058.b,e
13. Nisi pœnitentiam habueritis,omnes simul peribitis. 46.c
Et ecce mulier, quæ habebat spiritum infirmitatis annis decem & octo. 997.a
Mulier dimissa es ab infirmitate tua. 997.c
14. Omnes, qui viderint,incipient illudere ei dicentes, quia hic homo cœpit ædificare,& non potuit consummare.2.lin.3.
Omnis qui se exaltat,humiliabitur. 163.d
Siquis venit ad me, & non odit patrem suum & matrem suam. 1131.e
Qui non renuntiat omnibus quæ possidet,nō potest meus esse discipulus. 856.e,d
Quis rex iturus cōmittere bellum aduersus alium regem non priùs sedens cogitat. 971.e
15. Proferte stolam primam,& induite illū. 640.c
Pater peccaui in cœlum, & coram te iam non sum dignus vocari filius tuus. 671.e
Congratulamini mihi quia inueni drachmā quam perdideram. 723.c
Profectus est in regionem lōginquam & ibi dissipauit substantiam suā viuendo luxuriosè. 868.b
Dico vobis, quòd ita gaudium erit in cœlo super vno peccatore. 879.b
Manducemus, & epulemur: quia hic filius meus mortuus erat,& reuixit. 1028.e
16. Facite vobis amicos de mammona iniquitatis. 209.d,1234 b
Homo quidam erat diues qui induebatur purpura & bysso. 39.d,715.a,1204.b
Quia filij huius sæculi prudentiores filiis lucis in generatione sua sunt. 722.d
Qui fidelis est in minimo, & in maiori fidelis est. 900.e
Recordare quia recepisti bona in vita tua:Lazarus similiter mala. 909.e
17. Cùm feceritis omnia,quę præcepta sunt vobis, dicite,serui inutiles sumus. 120.a
Ecce enim regnum Dei intra vos est. 746.e
Quia propheta magnus surrexit in nobis, & quia Dominus visitauit plebem suam. 811.a
Vbicumque fuerit corpus, illuc congregabuntur & aquilæ. 953.b
Quis vestrum habens seruum arātem aut pascentem,qui regresso de agro,dicat illi, statim trāsi, recumbe, & non dicat ei,para quod cœnem. 1088.a,b
18. Deus gratias ago tibi quia non sum sicut cæteri hominum. 114.e
Deus propitius esto mihi peccatori. 114 e,299.a
19. Videns ciuitatem fleuit super illam, dicens quia si cognouisses, & tu equidem in hac die tua. 35.a
Zachæe festinans descende, quia hodie in domo tua oportet me manere. 76.d
Quia hodie salus domui huic facta est. 571.a
Venit enim filius hominis,quærere, & saluum facere,quod perierat. 676.a
Negotiamini dum venio. 724.b,c,987.d
Dico autem vobis, quia omni habenti dabitur & abundabit;ab eo autem,qui non habet,& quod habet,auferetur ab eo. 896.e
Ecce dimidium bonorum meorum Domine do pauperibus,& si quid aliquem defraudaui, reddo quadruplum. 1182.a
20. Æquales angelis sunt, & filij sunt Dei. 443.b, 916.c
Facta est autem & cōtentio inter eos, quis eorum videretur esse maior. 691.c
21. In patientia vestra possidebitis animas vestras. 521.b
Attendite vobis ne fortè grauentur corda vestra in crapula,& ebrietate,& curis huius vitæ. 386.b
22. Non mea voluntas sed tua fiat. 224.b,762.b
Tecum paratus sum,& in carcerem, & in mortem ire. 670.b
Et egressus Petrus foras fleuit amarè. 695.a
Qui maior est in vobis, fiat sicut minor, & qui præcessor sicut ministrator. 1089.c
Vos estis,qui permāsistis mecum in tentationibus meis. 1257.d,1260.b
Desiderio desideraui hoc pascha manducare vobiscum. 1263.c
Vendat tunicam suam,& emat gladium. 400.b
Ego autem in medio vestrum sum, sicut qui ministrat. 413.e
At illi dixerūt,Domine ecce duo gladij hic.261.c
23. Pater dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt. 601.b
Quia si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet. 889.a
Domine memento mei cùm veneris in regnum tuum. 299.b
24. Nonne cor nostrum ardens erat in nobis dum loqueretur in via. 1153.a
Vos autem sedete in ciuitate quoad vsque induamini virtute ex alto. 413.d

EX IOANNE.

Cap. 1. Dedit eis potestatem filios Dei fieri. 39.b, 478.a,770.a
Et lux in tenebris lucet,& tenebræ eam non comprehenderunt. 52.a
Et Deus erat verbum. 619.e
Et verbum caro factum est. 619.c,277.b,674.c
Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. 620.a
Et mundus eum non cognouit. 641.a
In mundo erat,& mundus per ipsum factus est. ibid.
Et confessus est,& non negauit. 467.c
Et de plenitudine eius nos omnes accepimus. 673.b
Quia vidi spiritum descendentem. 333.d
Ecce Agnus Dei,ecce qui tollit peccata mundi. 800.c
2. Et cùm fecisset quasi flagellum de funiculis,omnes eiecit de templo. 178.d,288.e
Tu autē seruasti bonū vinū vsque adhuc. 1033.b
Auferte ista hinc, & nolite facere domum patris mei domum negotiationis. 178.d
3. Lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quàm lucem. 52.a
Sic enim Deus dilexit mundum vt filium suum vnigenitum daret. 574.e,d.757.d
Spiritus vbi vult spirat, & vocē eius audis.769.e, 883.b
Amicus autem sponsi qui stat, & audit eum,gaudio gaudet propter vocem sponsi. 831.e
Quomodo possunt hæc fieri? & quomodo potest homo nasci cùm sit senex? 1085.d,e
Tu es magister in Israel,& hæc ignoras. ibid.
Non enim misit Deus filium suum. 641.a

Qui malè agit, odit lucem,& non venit ad lucem vt non arguantur opera eius. 1164.a
4. Meus cibus est vt faciam voluntatem eius,qui misit me. 31.d,399.b
Venit mulier de Samaria haurire aquam. 1145.e
Qui biberit ex aqua quam ego dabo ei,non sitiet æternum. 1023.b
5.Neque enim pater iudicat quemquam,sed omne iudicium dedit filio. 87.b,602.e
Erat autem quidam homo ibi triginta & octo annos habens in infirmitate sua. 807.c
Scrutamini scripturas,quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere. 330.b
Ille erat lucerna ardens,& lucens. 370.e
6. Operamini non cibum,qui perit,sed qui manet in vitam æternam. 381.d
Propterea dixi vobis, quia nemo potest venire ad me nisi fuerit ei datum à patre meo. 741.b
Hoc est opus Dei vt credatis in eum, quem misit ille. 787.d
Amen amen dico vobis,quæritis me non quia vidistis signa,sed quia manducastis. 668.c,d
Accepit ergo Iesus panes,&c. similiter & ex piscibus q. 219.b
7. Qui credit in me sicut dicit Scriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. 514.a,736.a
Siquis sitit,veniat ad me,& bibat. 1027.b
8. Vos ex patre diabolo estis, & desideria Patris vestri vultis facere. 39.a
Ego autem nõ quæro gloriam meam,est qui quærat,& iudicet. 215.c
Principium,qui & loquor vobis. 250.d
Et non reliquit me solum, quia ego quæ placita sunt ei facio semper. 530.a
Ego dæmonium non habeo, sed honorifico Patrem meum. 614.d
Quis ex vobis arguet me de peccato. 674.e. 1251.b
Qui me misit verax est. 809.a
Omnis qui facit peccatum, seruus est peccati. 860.b
Ego sum lux mundi,qui sequitur me,non ambulat in tenebris,sed habebit lumen vitæ. 1125.c
9.Venit nox quando nemo potest operari. 990.a
Neque hic peccauit neque parentes eius, sed pro gloria Dei. 881.b
Dixerunt ergo ei,quomodo aperti sunt tibi oculi? respondit,ille homo, qui dicitur Iesus, lutum fecit. 23.c
10.Quia ego sum ostium ouium. 553.b
Ego sum pastor bonus,& cognosco oues meas, & cognoscunt me meæ. 609.c
Si illos dixit Deos ad quos sermo Dei factus est. 797.b
Et oues vocem eius audiunt. 873.a
11. Domine iam fœtet: quatridianus est enim. 199.b
Eamus & nos & moriamur cum eo. 118.c
12.Qui amat animam suam,perdet eam. 551.c
Ambulate dum lucem habetis. 990.a
Vbi ego sum,illic & minister meus erit. 1268 b
13.Exemplum dedi vobis, vt quemadmodum ego feci vobis,ita & vos faciatis. 1121.c
Sciens Iesus quia venit hora eius. 850.b,c
In finem dilexit eos. 670.d
Sciens quia omnia dedit ei pater in manus. 789. d
Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem sicut dilexi vos. 624.e,628.c
In hoc cognoscẽt omnes, quia discipuli mei estis si dilectionem habueritis ad inuicem. 505.d,e
14.Ostende nobis patrem. 93.c,d
Qui habet mandata mea, & seruat ea,ille est, qui diligit me. 199.e
Venit princeps mundi huius, & in me non habet quicquam. 177.a,b
Ego sum via,& veritas,& vita. 227.a
Non turbetur cor vestrum:creditis in Deum,& in me credite. 470.c
Siquis diligit me,sermonem meum seruabit. 199. c,321.c,d,478.a,490.a
In domo patris mei mansiones multæ sunt. 503.a
Ecce sanus factus es, iam noli peccare. 508.d
Sed vt cognoscat mundus, quia diligo patrem:& sicut mandatum dedit mihi Pater. 574.d
Qui autem diligit me,diligetur à patre meo, & ego diligam eum,& manifestabo ei meipsum. 483.c
Pacem meam relinquo vobis, pacem meam do vobis. 643.a,846.e
Amen amen dico vobis, qui credit in me, opera, quæ ego facio,& ipse faciet. 677.b,927.b
Qui videt me,videt & Patrem meum. 767.c
Et ad eum veniemus, & mansionem apud Deum faciemus. 813.e
Philippe,qui videt me,videt & Patrem. 865.e
15.Si manseritis in me,& verba mea in vobis mãserint, quodcumque volueritis petetis, & fiet vobis. 919 c
Sine me nihil potestis facere. 822.c,d
Sicut dilexit me pater,& ego dilexi vos. 676.e
Non vos me elegistis, sed ego elegi vos. 132.e. 667.d
Hoc est præceptum meum vt diligatis inuicem. 624.b,c
Maiorem hac dilectionem nemo habet, vt animam suam ponat quis pro amicis suis. 574.e, 675. d
Iam non dicam vos seruos,quia seruus nescit quid faciat Dominus eius, vos autem dixi amicos. 565.e,609.d
Vos amici mei estis si feceritis, quæ ego præcipio vobis. 486.d
Vos autem dixi amicos, quia omnia,quæcumque audiui à patre meo, nota feci vobis. 120.b, 762.d
Ego sum vitis,vos palmites. 167.b
Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum. 166.d
Omnem palmitem, qui fert fructum, purgabit eum vt fructum plus afferat. 70.c
Si de mundo fuissetis, mundus,quod suum erat, diligeret. 202.b
Ego elegi vos,& posui vos vt eatis,& fructum afferatis. 188.c
Quia verò de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo,propterea odit vos mundus. 38.b
16.Sed confidite ego vici mundum. 572.a
In mundo pressuram habebitis. 937.c,d
17. Hæc est autem vita æterna vt cognoscant te solum Deum verum. 751.a
Vt omnes vnum sint sicut tu Pater in me, & ego in te,& vt ipsi in nobis vnum sint. 528.d
Non pro eis autem rogo tantùm: sed & pro eis qui credituri sunt. 476.c
18. Calicem, quem dedit mihi Pater, non vis vt bibam illum. 187.d,188.a
19.Sitio. 1027.e
Os non comminuetis ex eo. 832.d

Nolite timere pusillus grex, quia complacuit patri vestro dare vobis regnum. 969.b
Seruus, qui cognouit voluntatem Domini sui,& non fecit secundùm voluntatem eius, vapulabit multis. 318.d,1058.b,c
13. Nisi pœnitentiam habueritis, omnes simul peribitis. 46.c
Et ecce mulier, quæ habebat spiritum infirmitatis annis decem & octo. 997.a
Mulier dimissa es ab infirmitate tua. 997.c
14. Omnes, qui viderint, incipient illudere ei dicentes, quia hic homo cœpit ædificare,& non potuit consummare. 2. lin. 3.
Omnis qui se exaltat, humiliabitur. 165.d
Siquis venit ad me, & non odit patrem suum & matrem suam. 1131.c
Qui non renuntiat omnibus quæ possidet, nō potest meus esse discipulus. 856.c,d
Quis rex iturus cōmittere bellum aduersus alium regem non priùs sedens cogitat. 971.c
15. Proferte stolam primam,& induite illū. 640.c
Pater peccaui in cœlum, & coram te iam non sum dignus vocari filius tuus. 671.e
Congratulamini mihi quia inueni drachmā quam perdideram. 715.c
Profectus est in regionem lōginquam & ibi dissipauit substantiam suā viuendo luxuriosè. 868.b
Dico vobis, quòd ita gaudium erit in cœlo super vno peccatore. 879.b
Manducemus, & epulemur: quia hic filius meus mortuus erat,& reuixit. 1018.c
16. Facite vobis amicos de mammona iniquitatis. 209.d,1234 b
Homo quidam erat diues qui induebatur purpura & bysso. 39.d,715.a,1204.b
Quia filij huius sæculi prudentiores filiis lucis in generatione sua sunt. 722.d
Qui fidelis est in minimo, & in maiori fidelis est. 900.e
Recordare quia recepisti bona in vita tua: Lazarus similiter mala. 909.e
17. Cùm feceritis omnia, quę præcepta sunt vobis, dicite, serui inutiles sumus. 120.a
Ecce enim regnum Dei intra vos est. 746.e
Quia propheta magnus surrexit in nobis, & quia Dominus visitauit plebem suam. 811.a
Vbicumque fuerit corpus, illuc congregabuntur & aquilæ. 953.b
Quis vestrum habens seruum arātem aut pascentem, qui regresso de agro, dicat illi, statum trāsi, recumbe, & non dicat ei, para quod cœnem. 1088.a,b
18. Deus gratias ago tibi quia non sum sicut cæteri hominum. 114.e
Deus propitius esto mihi peccatori. 114 c,299.a
19. Videns ciuitatem fleuit super illam, dicens quia si cognouisses, & tu equidem in hac die tua. 35.a
Zachæe festinans descende, quia hodie in domo tua oportet me manere. 76.d
Quia hodie salus domui huic facta est. 571.a
Venit enim filius hominis, quærere, & saluum facere, quod perierat. 676.a
Negotiamini dum venio. 724.b,c.987.d
Dico autem vobis, quia omni habenti dabitur & abundabit; ab eo autem, qui non habet,& quod habet, auferetur ab eo. 896.e
Ecce dimidium bonorum meorum Domine do pauperibus,& si quid aliquem defraudaui, reddo quadruplum. 1182.a
20. Æquales angelis sunt, & filij sunt Dei. 443.b, 916.c
Facta est autem & cōtentio inter eos, quis eorum videretur esse maior. 632.c
21. In patientia vestra possidebitis animas vestras. 52 .b
Attendite vobis ne fortè grauentur corda vestra in crapula,& ebrietate,& curis huius vitæ. 386.b
22. Non mea voluntas sed tua fiat. 224.b,762.b
Tecum paratus sum,& in carcerem, & in mortem ire. 670.b
Et egressus Petrus foras fleuit amarè. 695.a
Qui maior est in vobis, fiat sicut minor, & qui præcessor sicut ministrator. 1089.c
Vos estis, qui permāsistis mecum in tentationibus meis. 1257.d,1260.b
Desiderio desideraui hoc pascha manducare vobiscum. 1263.c
Vendat tunicam suam,& emat gladium. 400.b
Ego autem in medio vestrum sum, sicut qui ministrat. 413.e
At illi dixerūt, Domine ecce duo gladij hic. 262.c
23. Pater dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt. 601.b
Quia si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet. 889.a
Domine memento mei cùm veneris in regnum tuum. 299.b
24. Nonne cor nostrum ardens erat in nobis dum loqueretur in via. 1153.a
Vos autem sedere in ciuitate quoad vsque induamini virtute ex alto. 423.d

EX IOANNE.

Cap. 1. Dedit eis potestatem filios Dei fieri. 39.b, 478.a,770.a
Et lux in tenebris lucet,& tenebræ eam non comprehenderunt. 52.a
Et Deus erat verbum. 619.c
Et verbum caro factum est. 619.c,277.b,674.c
Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. 620.a
Et mundus eum non cognouit. 641.a
In mundo erat,& mundus per ipsum factus est. ibid.
Et confessus est,& non negauit. 467.c
Et de plenitudine eius nos omnes accepimus. 673.b
Quia vidi spiritum descendentem. 333.d
Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. 800.c
2. Et cùm fecisset quasi flagellum de funiculis, omnes eiecit de templo. 178.d,288.c
Tu autē seruasti bonū vinū vsque adhuc. 1033.b
Auferte ista hinc, & nolite facere domum patris mei domum negotiationis. 178.d
3. Lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quàm lucem. 52.a
Sic enim Deus dilexit mundum vt filium suum vnigenitum daret. 574.c,d.757.d
Spiritus vbi vult spirat, & vocē eius audis. 709.c, 883.b
Amicus autem sponsi, qui stat, & audit eum, gaudio gaudet propter vocem sponsi. 832.c
Quomodo possunt hæc fieri? & quomodo potest homo nasci cùm sit senex? 1085.d,e
Tu es magister in Israel,& hæc ignoras. ibid.
Non enim misit Deus filium suum. 642.a

Qui malè agit, odit lucem,& non venit ad lucem vt non arguantur opera eius. 1164.a
4. Meus cibus est vt faciam voluntatem eius,qui misit me. 31.d,399.b
Venit mulier de Samaria haurire aquam. 1145.e
Qui biberit ex aqua quam ego dabo ei,non sitiet æternum. 1023.b
5.Neque enim pater iudicat quemquam,sed omne iudicium dedit filio. 87.b,602.e
Erat autem quidam homo ibi triginta & octo annos habens in infirmitate sua. 807.c
Scrutamini scripturas,quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere. 330.b
Ille erat lucerna ardens,& lucens. 370.e
6. Operamini non cibum,qui perit,sed qui manet in vitam æternam. 381.d
Propterea dixi vobis, quia nemo potest venire ad me nisi fuerit ei datum à patre meo. 721.b
Hoc est opus Dei vt credatis in eum, quem misit ille. 787.d
Amen amen dico vobis,quæritis me non quia vidistis signa,sed quia manducastis. 668.c,d
Accepit ergo Iesus panes,&c. similiter & ex piscibus q. 219.b
7. Qui credit in me sicut dicit Scriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. 514.a,736.a
Siquis sitit,veniat ad me,& bibat. 1027.b
8. Vos ex patre diabolo estis, & desideria Patris vestri vultis facere. 39.a
Ego autem nō quæro gloriam meam,est qui quærat,& iudicet. 215.c
Principium,qui & loquor vobis. 250.d
Et non reliquit me solum, quia ego quæ placita sunt ei facio semper. 530.a
Ego dæmonium non habeo, sed honorifico Patrem meum. 614.d
Quis ex vobis arguet me de peccato. 674.e. 1251.b
Qui me misit verax est. 809.a
Omnis qui facit peccatum, seruus est peccati. 860.b
Ego sum lux mundi,qui sequitur me,non ambulat in tenebris,sed habebit lumen vitæ. 1125.c
9.Venit nox quando nemo potest operari. 990.a
Neque hic peccauit neque parentes eius, sed pro gloria Dei. 881.b
Dixerunt ergo ei,quomodo aperti sunt tibi oculi? respondit,ille homo, qui dicitur Iesus, lutum fecit. 23.c
10.Quia ego sum ostium ouium. 553.b
Ego sum pastor bonus,& cognosco oues meas, & cognoscunt me meæ. 609.c
Si illos dixit Deos ad quos sermo Dei factus est. 797.b
Et oues vocem eius audiunt. 873.a
11. Domine iam fœtet: quatridianus est enim. 199.b
Eamus & nos & moriamur cum eo. 118.e
12.Qui amat animam suam,perdet eam. 551.c
Ambulate dum lucem habetis. 990.a
Vbi ego sum,illic & minister meus erit. 1268 b
13.Exemplum dedi vobis, vt quemadmodum ego feci vobis,ita & vos faciatis. 1121.c
Sciens Iesus quia venit hora eius. 850.b,c
In finem dilexit eos. 670.d
Sciens quia omnia dedit ei pater in manus. 789. d
Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem sicut dilexi vos. 624.e,628.c
In hoc cognoscēt omnes, quia discipuli mei estis si dilectionem habueritis ad inuicem. 505.d,e
14.Ostende nobis primum. 93.c,d
Qui habet mandata mea, & seruat ea,ille est, qui diligit me. 199.c
Venit princeps mundi huius, & in me non habet quicquam. 177.a,b
Ego sum via,& veritas,& vita. 227.a
Non turbetur cor vestrum:creditis in Deum,& in me credite. 470.c
Siquis diligit me,sermonem meum seruabit.199. c,321.c,d.478.a,490.a
In domo patris mei mansiones multæ sunt. 503.a
Ecce sanus factus es, iam noli peccare. 508.d
Sed vt cognoscat mundus, quia diligo patrem:& sicut mandatum dedit mihi Pater. 574.d
Qui autem diligit me,diligetur à patre meo, & ego diligam eum,& manifestabo ei meipsum. 483.c
Pacem meam relinquo vobis, pacem meam do vobis. 643.a,846.e
Amen amen dico vobis, qui credit in me, opera, quæ ego facio,& ipse faciet. 677.b,927.b
Qui videt me,videt & Patrem meum. 767.c
Et ad eum veniemus, & mansionem apud Deum faciemus. 813.c
Philippe,qui videt me,videt & Patrem. 865.e
15.Si manseritis in me,& verba mea in vobis mãserint, quodcumque volueritis petetis, & fiet vobis. 919 c
Sine me nihil potestis facere. 822.c,d
Sicut dilexit me pater,& ego dilexi vos. 676.e
Non vos me elegistis, sed ego elegi vos. 132.e. 667.d
Hoc est præceptum meum vt diligatis inuicem. 624.b,c
Maiorem hac dilectionem nemo habet, vt animam suam ponat quis pro amicis suis. 574.e, 675. d
Iam non dicam vos seruos,quia seruus nescit quid faciat Dominus eius,vos autem dixi amicos. 565.e,609.d
Vos amici mei estis si feceritis, quæ ego præcipio vobis. 486.d
Vos autem dixi amicos, quia omnia,quæcumque audiui à patre meo, nota feci vobis. 120.b, 762.d
Ego sum vitis,vos palmites. 167.b
Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum. 166.d
Omnem palmitem, qui fert fructum, purgabit eum vt fructum plus afferat. 70.c
Si de mundo fuissetis, mundus,quod suum erat, diligeret. 202.b
Ego elegi vos,& posui vos vt eatis,& fructum afferatis. 188.c
Quia verò de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo,propterea odit vos mundus. 38.b
16.Sed confidite ego vici mundum. 572.a
In mundo pressuram habebitis. 937.c,d
17. Hæc est autem vita æterna vt cognoscant te solum Deum verum. 751.a
Vt omnes vnum sint sicut tu Pater in me, & ego in te,& vt ipsi in nobis vnum sint. 528.d
Non pro eis autem rogo tantùm: sed & pro eis qui credituri sunt. 476.c
18. Calicem, quem dedit mihi Pater, non vis vt bibam illum. 187.d,188.a
19.Sitio. 1027.e
Os non comminuetis ex eo. 832.d

20. Nisi videro in manibus eius fixuram clauorum.&c.non credam. 93.d
Ascendo ad Patrem meum , & Patrem vestrum: Deum meum,& Deum vestrum. 609.d
Pax vobis. 851.d,1033.c
Et vidit duos Angelos in albis sedentes, vnum ad caput, & vnum ad pedes,vbi positum erat corpus Iesu. 1004.c
Infer digitum tuũ huc,& vide manus meas. 1071.d,1200.a
Dominus meus,& Deus meus. 1200.b
Thomas autem,&c. non erat cum eis quando venit Iesus. 1200.d
21. Dicit ei tertio: Simon Ioãnis diligis me plus his?
Dicit ei,etiam Domine,tu scis quia amo te.484.a
Dicit ei pasce agnos meos. 415.c
Cùm autem senueris, extendes manus tuas , & alius te cinget. 296.a
Discipulus quem diligebat Iesus. 1142.d
Tunica succinxit se(erat enim nudus)& misit se in mare. 1242.c
Sic eum volo manere donec veniam:quid ad te?tu me sequere.
Sunt autem , & alia multa, quæ fecit Iesus,quæ si scribantur per singula nec ipsum arbitror mundum.c. 617.b
25. Sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso. 289.c,290.a

EX ACTIS.

*Cap.*1.Quæ cœpit Iesus facere,& docere. 616.c
Ecce duo viri adstiterunt iuxta illos in vestibus albis. 1261.c
Viri Galilęi quid hic statis aspiciẽtes in cœlũ.319.a
2.Erant omnes pariter in eodem loco. 1200.c
Et factus est repentè de cœlo sonus, tanquam aduenientis spiritus vehementis. 899.b
3. Pœnitemini igitur, & conuertimini vt deleantur peccata vestra. 46.c
Argentum , & aurum non est mihi , quod autem habeo hoc tibi do. 817.c
4.Multitudinis autem credentium, erat cor vnum & anima vna. 475.c,657.b
Et non est in alio aliquo salus. 619.c
Si iustum est in conspectu Dei , vos potiùs audire quàm Deum,iudicate. 866.c
5.Anania,cur tentauit Satanas cor tuum , mentiri te Spiritui sancto. 177.d
Ibant gaudentes à conspectu concilij , quoniam digni habiti sunt , pro nomine Iesu contumeliam pati. 830.c.
Cæterorum autem nemo audebat se coniungere illis. 931.d
6. Non est æquum nos derelinquere verbum Dei, & ministrare mensis. 302.411.a
Considerate ergo fratres viros ex vobis boni testimonij septem. 302.d
Et elegerunt Stephanum , virum plenum fide , & spiritu,& Philippum. 305.a
9.Saulus autem adhuc spirans minarum, & cædis in discipulos Domini. 44.c,323.a,459.d
Contigit vt appropinquaret Damasco : & subito circumfulsit eum lux de cœlo. 982.c
Saule,Saule,quid me persequeris. 473.d,627.b
Vas electionis est mihi iste vt portet nomen meũ coram gentibus. 925.c
Duxerunt illum in cænaculum,&circumsteterunt illũ omnes viduæ flentes, & ostendentes ei tunicas,& vestes,quas faciebat illis Dorcas.964.b
Domine quid me vis facere. 1053.a
10.Qui pertransiit benefaciendo,& sanando omnes. 664.a
Et iussit eos baptizari in nomine Domini nostri Iesu Christi. 1091.c.
In veritate comperi, quia non est personarum acceptor Deus. 375.d
Parantibus autem illis,cecidit super eum mentis excessus,& vidit cœlum apertum. 376.a
13. Saulus,qui & Paulus, repletus Spiritu sancto intuens in eum dixit,ô plene omni dolo. 833.c
14. Et quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei. 615.b
15.Nunc ergo quid tentatis Deum, imponere iugum super ceruices discipulorum,quod neque patres nostri,n. 541.b
16.Vetati sunt à Spir.S.loqui verbum Dei. 373.b
17. In ipso enim viuimus,& mouemur,& sumus. 191.c
19.Erant autem quidam Iudæi Sceuæ Principis sacerdotum septem filij,qui hoc faciebant.460.d
20. Sed nihil horum vereor , nec facio animam meam pretiosiorem quàm me. 670.b
Argentum,& aurum,aut vestem nullius concupiui : ipsi scitis , quoniam ad ea , quæ mihi opus erant,ministrauerunt manus istæ. 1213.a,b
Vos scitis, à prima die qua ingressus sum qualiter per omne tempus fuerim,seruiẽs Domino cum omni humilitate. 1213.b
21.Ego enim non solùm alligari sed mori in Hierusalem paratus sum. 670.b
26.Opto apud Deum , & in modico,& in magno non tantùm te , sed etiam omnes qui audiunt, hodie fieri tales,qualis & ego sum. 1195.a
Festus magna voce dixit:Insanis Paule : multæ te litteræ ad insaniam conuertunt. 343.a
27. Amissio enim nullius animæ erit ex vobis, præterquam nauis. 718.a
28. Vt verò viderunt Barbari pendentem bestiam de manu eius,ad inuicem dicebant, vtique homicida est homo hic. 910.d
Cùm congregasset Paulus sarmentorum aliquantam multitudinem. 979.d

EX EPISTOLA PAVLI AD ROMANOS.

Cap. 1.Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum in immunditiam. 38.a
Græcis ac Barbaris , sapientibus & insipientibus debitor sum. 265.c
Reuelatur enim ira Dei de cœlo super omnẽ impietatem,& iniustitiam hominum. 86.b,987.c
Omnibus, qui sunt Romæ, dilectis Dei vocatis sanctis. 445.d
Detractores Deo odibiles. 598.b
Quia cùm cognouissent Deum , non sicut Deum glorificauerunt. 344.a,712.d
Gratia,& pax. 846.c
Quod sine intermissione memoriam vestri facio semper in orationibus meis. 387.b
Non enim erubesco Euangelium:virtus enim Dei est in salutem omni credenti. 417.d
2. An diuitias bonitatis eius,& patientiæ,& longanimitatis contemnis. 179.c
Non enim auditores legis iusti sunt apud Deum. 311.a,458.b,514.c
Qui reddit vnicuique secundùm opera eius.503.c 954.c,986.c

Iudicabit Deus occulta hominum. 824.d
Gloria,& honor,& pax omni operanti bonum.931.b
3. Omnes enim peccauerunt, & egent gloria Dei. 667.e
4. Et vocat ea,quæ non sunt, tanquam ea,quæ sunt 66.b
Qui traditus est propter delicta nostra,& resurrexit propter iustificationem nostram. 669.b
5. Scientes, quòd tribulatio patientiam operatur. 161.c
Quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum. 474.a,477.d,481.c
Non solùm autē sed & gloriamur in tribulationibus. 575.b,829.e
Commendat autem charitatem suam Deus in nobis. 668.a
Vbi abundabit delictum, superabundabit & gratia. 521.d,808.d,1260.e
Iustificati ergo in fide pacem habeamus. 850.a
Non sicut delictum,ita & donum. 985.e,1260.c
6. Gratia autem Dei est vita æterna. 190.b
Nunc verò liberati à peccato,serui autem facti Deo. 33.b
Humanum dico propter infirmitatem carnis vestræ. 181.c
Sed neque exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccati, sed exhibete vos Deo. 567.b
Vetus homo noster simul crucifixus est,vt destruatur corpus peccati. 807.b,1263.a
Nunc verò liberati à peccato,serui autē facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctificatione. 860.b.c
Sed sicut exhibuistis membra vestra seruire immunditiæ,& iniquitati ad iniquitatem,ita. 992.e
7. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius. 786.a,1102.e
Non quod volo bonum, hoc ago,sed quod odi malum,illud facio. 370.b
8. Diligentibus Deū omnia cooperantur in bonum. 124.e,480.b
Si quis autem Spiritum Christi non habet, hic non est eius. 192.b
Quicūque enim Spiritu Dei agūtur, ij sunt filij Dei 39.a,478.b
Ipse enim Spiritus testimonium reddit Spiritui nostro quòd sumus filij Dei. 203.d,484.a
Si secundùm carnem vixeritis,moriemini. 207.b
Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. 88.c, 911.d
Deus qui iustificat, quis est qui condemnet. 71.b
Quis nos separabit à charitate Christi?tribulatio?an angustia? 137.d,537.a,576.b
Scimus autem quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. 480.b,593.a,819.c
Ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro quòd sumus filij Dei. 484.a
Sed in his omnibus superamus propter eum qui dilexit nos. 575.b,639.b
Hęredes quidem Dei,cohęredes autem Christi.751.e,765.d
Quia, & ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei. 752.a,b
Quomodo nō etiam cum illo omnia nobis donauit. 763.b
Certus sum enim quia neque mors neque vita poterit nos separare à charitate Dei. 858.a
Ipsi intra nos gemimus adeptionem filiorum spectantes. 870.c,d
Si Deus pro nobis,quis contra nos. 915.b
9. Veritatem dico in Christo Iesu,&c. 10.Iin.7
Optabā enim ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis,qui sunt cognati mei. 10.I.12.248.a,394.c,606.c,632.a
Verbum enim consummans,& abbreuians in æquitate,quia verbum. 542.a
In vasa misericordiæ, quæ præparabit in gloriam. 925.d
Non volentis neque currentis sed miserētis est Dei, 986.b
Ignorantes enim iustitiam Dei, & suam quærentes statuere,iustitiæ Dei non sunt subiecti. 215.e
Non enim est distinctio Iudæi, & Græci:idē Dominus omnium. 447.d,802.e
11. Si quomodo ad æmulandum prouocem carnem meam,& saluos faciam aliquos ex illis. 10. sub finem.
Quis enim cognouit sensum Domini?aut quis consiliarius eius fuit? 195.e
Conclusit enim Deus omnia in incredulitatem, vt omnium misereatur. 515.c,667.e
Aut quis prior dedit illi,& retribuetur ei. 667.d, 982.a
Sine pœnitentia sunt dona,& vocatio Dei. 1036.b
12. Et nolite conformari huic sæculo, sed reformamini in nouitate sensus vestri. 543.c
Qui præest in sollicitudine. 627.e
Honore inuicem præuenientes. 643.e,1240.e
Sicut enim in vno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actū habent, ita,&c. 1092.d
Prouidentes bona,non tātùm coram Deo,sed etiam coram omnibus hominibus. 1162.c
13. Nox præcessit,dies autē appropinquabit,abiiciamus ergo opera tenebrarum. 54.c,135.b
Qui enim diligit proximum,legem impleuit.476.e, 630.c
Non est enim potestas nisi à Deo. 563.a
Dilectio proximi malum non operatur. 588.e
Induimini Dominum nostrum Iesum Christū.736.
Abiiciamus opera tenebrarū, & induamur arma lucis. 882.d
Plenitudo ergo legis est dilectio. 392.d,958.b,c
Reddite omnibus debita;cui honorem,honorem. 1240.e
14. Regnum Dei non est esca,& potus,sed iustitia & pax. 96.a,401.a,747.a,846.e
Nemo enim nostrū sibi viuit, & nemo sibi moritur. 552.c
Tu qui es?qui iudicas alienum seruum?Domino suo stat aut cadit. 310.b,606.a
15. Debemus autem nos firmiores imbecillitates infirmorum sustinere, & non nobis placere.381.e, 590.a 613.b
Habeo igitur gloriā in Christo Iesu ad Deum.750.c
Sicut Christus suscepit vos. 933.b

EX I. AD CORINTHIOS.

*Cap.*1. Infirma mundi elegit Deus,vt cōfundat fortia & ignobilia mundi:& cōtemptibilia elegit Deus, & ea quæ non sunt, vt ea, quæ sunt destrueret. 12. sub finem,& 775.b
Templum enim Dei sanctum est quod estis vos.429.a,558.d
Ecclesię Dei,quæ est Corinthi,sanctificatis in Christo Iesu. 445.d
Quia, quod stultum est Dei,sapientius est hominibus. 674.a

Fidelis Deus per quem vocati estis in societatem filij eius. 981.c
Qui factus est sapientia à Deo,iustitia,sanctificatio, & redemptio. 1119.a
Gratias ago Deo quòd neminem vestrum baptizaui nisi Crispum,& Caium. 1092.b
Non enim misit me Christus baptizare,sed euangelizare. 380.c
2. Loquimur nō in doctis humanæ sapiētiæ verbis, sed in doctrina spiritus, spiritualibus spiritualia comparantes. 11.in præf.
Sapientiam autem loquimur inter perfectos .ibid.& 709.e
Nos autem nō spiritum huius mundi accepimus,sed spiritum,qui ex Deo est. 203.c
3. Sapientia huius mundi,stultitia est apud Deum. 53.d
Omnia vestra sunt,siue Paulus,siue Apollo,siue Cephas. 133.d
Neque,qui plantat,est aliquid,neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus. 226.c
Nescitis,quia templum Dei estis,& spiritus Dei habitat in vobis. 558.d
Tanquam paruulis in Christo vobis potum dedi,nō escam. 648.c
Nemo se seducat: si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc sæculo,stultus fiat. 712.e,892.c
Dominus autem spiritus est:vbi spiritus Domini,ibi libertas. 860.a.b
Si cuius opus arserit,detrimentum patietur:ipse autem saluus erit. 952.c.d
Vniuscuiusque opus manifestum erit. 954.b
Secundùm gratiam Dei,quæ data est mihi,vt sapiens architectus fundamentum posui. 367.e
4. Nihil mihi conscius sum,sed non in hoc iustificatus sum. 203.b
Mihi autem pro minimo est,vt à vobis iudicer. 578.a
Quid autem habes quod non accepisti. 604.b
Nam si decē millia pædagogorū habeatis in Christo,sed nō multos patres:Nam in Christo Iesu per Euangelium ego vos genui. 650.a
Vsque in hāc horam & esurimus & sitimus,& nudi sumus. 911.b
Imitatores mei estote. 1118.a
Spectaculum facti sumus mundo. 1251.a
5. Alioqui debueratis ex hoc mundo exiisse. 360.c
6. Iam quidem omnino delictum est in vobis,quòd iudicia habetis inter vos. quare nō magis iniuriā accipitis. 220.c
Qui adhæret Domino , vnus spiritus est 131.a,488.b,418.d,849.c
Omne peccatum quodcumque fecerit homo, extra corpus est : qui autem fornicatur,in corpus suum peccat. 105.c
Nolite errare neque fornicari neque idolis seruientes. 461.c
Omnia mihi licent,sed nō omnia expediunt.518.b, 1160.c
Glorificate, & portate Deū in corpore vestro.276.a, 798.a
Contemptibiles,qui sunt in Ecclesia,illos constituite ad iudicandum. 365.d
7. Propter fornicationem autem vnusquisque suam vxorem habeat. 261.e
Quæ nupta est,cogitat quæ sunt mundi , quomodo placeat viro. 98.b
Mulier alligata est legi quāto tempore vir eius viuit. 129.d
De Virginibus autē præceptum Domini nō habeo, consilium autem do. 461.b,653.e
Mulier innupta, & virgo cogitat, quæ Domini sunt, vt sit sancta,& corpore,& spiritu. 465.b
Qui enim in Domino vocatus est seruus,libertus est Domini. 860.c
Vnusquisque in ea vocatione in qua vocatus est,in ea permaneat. 1095.e
Alligatus es vxori?noli quærere solutionem:solutus es ab vxore;noli quærere vxorem. 1096.d
8. Si quis autem se existimat scire aliquid nondum cognouit , quemadmodum oporteat eum scire. 3.in præf.1231.d
Scimus quia nihil est idolum in mundo. 53.a
Quoniā propter vos egenus factus est cùm esset diues. 669.a
Si esca scandalizat fratrem meum,non manducabo carnem in æternum. 675.c,1168.b
9. Omnibus omnia factus sum;vt omnes facerem saluos. 29.c,248.e,1220.d
Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo , ne fortè cùm aliis prædicauerim,ipse reprobus efficiar. 223.d,274.d
Factus sum Iudæis tanquam Iudæus. 147.c
Quis plantat vineā,& de fructu eius non edit.233.c
Sic currite vt comprehendatis. 538.b
Nescitis,quòd ij,qui in stadio currūt,omnes quidem currunt. 796.a,1252.a
Numquid de Bobus cura est Deo. 875.d
10. Siue ergo māducatis,siue bibitis,siue aliud quid facitis,omne in gloriam Dei facite. 212.a,552.a
Qui se existimat stare,videat ne cadat. 192.b,510.c, 729.b
Petra autem erat Christus. 989.c
Omnia mihi licent sed non omnia ædificant.1160.d
Non potestis calicem Domini bibere, & calicē dæmoniorum. 1231.a
11. Quòd si nosmetipsos diiudicaremus. 748.a
Imitatores mei estote, sicut & ego Christi. 749.d, 1124.a
Vir non debet velare caput suum, quoniam imago, & gloria Dei est. 994.c
Si quis videtur contentiosus esse,nos talem consuetudinem non habemus. 303.c
12. Nemo potest dicere Domine Iesu,nisi in Spiritu sancto. 88.d
Vnicuique datur manifestatio spiritus ad vtilitatem. 455.b
Æmulamini autē charismata meliora,& adhuc excellentiorem viam vobis demonstro.ibid.& 466. d,653.e
Vos autem estis corpus Christi. 583.d
Si totum corpus oculus, vbi auditus;si totū auditus vbi odoratus? 607.e
Numquid omnes Apostoli? numquid omnes Prophetæ? 728.a
His honorem abundantiorem circumdamus. 955.c
Alij quidem per spiritum datur sermo sapientiæ,alij autem s. 312.a,b
13. Charitas numquam excidit:siue prophetiæ euacuabuntur,s. 442.b,629.d
Ex parte enim cognoscimus, & ex parte prophetamus. ibid.
Nunc autem manent,fides,spes, charitas. ibid.
Et si habuero omnem fidē,ita vt montes transferam. 464.d
Si linguis hominum loquar. ibid.& 396.b,651.e
Si charitatem autem nō habuero,nihil mihi prodest 497.b
Charitas patiens & benigna est. 631.d
Non gaudet super iniquitate, congaudet autē veritati. 710.e,711.a

Cum

Cùm essem paruulus loquebar vt paruulus, sapiebam vt paruulus. 108.a
Non quærit quæ sua sunt. 1201.b
Et si habuero prophetiam, & nouerim mysteria omnia, & omnem scientiam &c. charitatem autem non habuero, nihil sum. 392.d
14. Nolite pueri effici sensibus. 31.b
Psallam spiritu, psallam & mente. 104.c
Sed malitia paruuli estote, sensibus autem perfecti estote. 509.c, 566.b
Omnia honestè, & secundùm ordinem fiant. 1188.a
Nam si orem lingua, spiritus meus orat. 331.d
Quid ergo? orabo spiritu, orabo & mente; psallam spiritu, psallam & mente. 331.c
Cùm conuenitis vnus quisque vestrûm psalmum habet. 376.a
Sed in Ecclesia volo quinque verba sensu meo loqui, vt & alios instruam. 381.a
15. Ego enim sum minimus Apostolorum. 115.b
Non prius quod spirituale est, sed quod animale, deinde quod spirituale. 147.a
Seminatur in corruption, esurget in incorruptione. 84.b, 751.d
Primus homo de terra terrenus; secundus homo de cœlo cælestis. 194.c
Et gratia eius in me vacua non fuit. 205.e
Quotidie morior per vestram gloriam fratres. 247.d, 674.b
Manducemus, & bibamus, cras enim moriemur. 67.b
Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem: & mortale hoc induere immortalitatem. 398.c, 440.c
Cùm autem mortale hoc induerit immortalitatē. ibid.
Alia claritas solis, alia claritas lunæ, & alia claritas stellarum. 503.c, 954.e
Absorpta est mors in victoria. 671.a
Deinde finis cùm tradiderit regnum Deo, & patri. 747.c
Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriam per dominum nostrum Iesum Christum. 936.c
Deinde visus est plusquam quingentis fratribus simul, ex quibus multi manent vsque adhuc. 948.a
Ego enim sum minimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus, quoniam persecutus sum Ecclesiam Dei. 274.d
Corrumpunt mores bonos colloquia mala. 299.c

EX SECVNDA AD CORINTHIOS.

Cap. 1. Gloria nostra hæc est testimonium conscientiæ nostræ. 203.a, 828.a
Sed ipsi in nobismet ipsis respōsum mortis habuimus. 522.d
Benedictus Deus, & pater Domini nostri Iesu Christi pater misericordiarum. 914.b
Sicut socij passionum estis; sic eritis & consolationis. 1205.d
2. Christi bonus odor sumus Deo in iis qui salui fiunt. 223.d, 798.a, 963.d, 1162.b
Non enim ignoramus cogitationes eius. 307.a
3. Non quòd sufficientes simus cogitare aliquid à nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est. 88.c
Qui idoneos nos fecit ministros noui testamenti, non littera sed spiritu. 89.d
Vbi spiritus Domini, ibi libertas. 865.a
4. Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus. 726.e
Deus, qui dixit de tenebris lucem splendescere 66.b
5. Et si cognouimus secundùm carnem Christum; sed nunc iam non nouimus. 666.d
Scimus enim quoniam si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluatur, quòd ædificationem ex Deo habemus. 953.b
Et omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis pro vt gessit. 503.c, 952.d
Si qua in Christo noua creatura, vetera transierūt, & ecce facta sunt omnia noua. 583.a, 984.d
Et pro omnibus mortuus est Christus, vt & qui viuunt iam non sibi viuant. 348.a
Siue mente excedimus Deo; siue sobrij simus, vobis. charitas Christi vrget nos, æstimantes hoc quòd si vnus pro omnibus mortuus est. 387.b
6. Quæ enim participatio iustitiæ cum iniquitate? aut quæ societas luci ad tenebras? 1227.c
Adiuuantes exhortamur ne in vacuum gratiam Dei recipiatis. 987.b, 1041.b
Os nostrum patet ad vos, ô Corinthij, cor nostrum dilatatum est. 628.b, c, 1006.a
Sed in omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros. 578.a
Vos enim estis templum Dei viui, sicut dicit Deus. 558.d
Tanquam nihil habentes, & omnia possidentes 133.d
7. Repletus sum consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione nostra. 204.c, 914.b
Sed qui consolatur humiles, consolatus est nos Deus in aduentu Titi. 516.b
Nam, & cùm venissemus in Macedoniam, nullam requiem habuit caro nostra. 271.a
Arma iustitiæ. 882.e
8. Non enim vt aliis sit remissio, vobis autem tribulatio, sed ex æqualitate in præsenti tempore vestra abundantia illorum inopiam suppleat. 416.a
9. Qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet. 94.b, 219.a
Gratias Deo super inenarrabili dono eius. 896.b
Qui parcè seminat, parcè & metet. 953.c
10. In carne enim ambulantes, non secundùm carnem militamus. 270.e
Nam arma militiæ nostræ non carnalia sunt: sed potentia Deo ad destructionem munitionum, consilia destruentes. 340.b
Patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes in Moyse baptizati sunt in nube, & in mari. 1252.d
In carne enim ambulantes non secundùm carnem militamus. 232.c
11. Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non vror. 392.d, 417.e, 675.b
Ipse enim Satanas transfigurat se in Angelum Lucis. 692.d
Libenter enim suffertis insipientes, cùm sitis ipsi sapientes: sustinetis enim si quis vos in seruitutem redigit. 859.d
Præter illa, quæ extrinsecus sunt, instantia mea

quotidiana sollicitudo omnium Ecclesiarum. 160.b,417.d
A Iudęis quinquies,quadragenas,vna minùs accepi ter virgis cæsus sum. 271.a
12. Siue in corpore nescio,siue extra corpus,nescio, Deus scit. 316.e
Ne magnitudo reuelationum extollat me, datus est mihi stimulus. 910.d
Nam virtus in infirmitate perficitur. 451.d,910.e
Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Christi. 854.d
Ego autem libentissimè impendam, & superimpendar ipse pro animabus vestris. 584.d
Et quæ putamus ignobiliora membra esse corporis,his honorem abundãtiorem circumdamus. 493.c
Raptum huiusmodi vsque ad tertium cœlum. 261.e
Cùm infirmor,tunc potens sum. 223.e,451.d, 843.a
13. De cætero fratres gaudete,perfecti estote. 440. b,445.e
Si tradidero corpus meum ita vt ardeam, charitatem autem non habuero,nihil mihi prodest. 544.a
Charitas patiens est. 697.c

EX EPISTOLA AD GALATAS.

*Cap.*1. Continuò non acquieui carni, & sanguini. 970.b
2. Viuo autẽ iam non ego;viuit verò in me Christus. 83.d,522.c,530.d
Christo confixus sum cruci. 515.d
3. Quicumque enim in Christo baptizati estis, Christum induistis. 449.e
Sed conclusit scriptura omnia sub peccato, vt promissio ex fide Iesu Christi daretur credentibus. 515.d
Sic stulti estis,vt cùm spiritu cœperitis,nunc carne consummemini? 690.c,1138.d
4. Illa autem, quæ sursum est Ierusalem, libera est,quæ est mater nostra. 211.c
Filioli mei quos iterum parturio donec formetur Christus in vobis. 651.a,675.b
Qua libertate Christus nos liberauit 752.b
Quoniam autem estis filij, misit Deus spiritum filij sui in corda vestra, clamantem Abba pater. 764.e
Quanto tempore hæres paruulus est,nihil differt à seruo. 870.d
5. Fructus autem spiritus est:charitas,gaudium, pax. 188.c,481.b,633.a
Caro enim concupiscit aduersus spiritum. 398.c
Omnis enim lex in vno sermone impletur, Diliges proximum tuum sicut te ipsum. 415.e
Spiritu ambulate, & desideria carnis non perficietis. 539.d
Currebatis bene, quis vos impediuit veritati non obedire. 1042.a
Eratis aliquando tenebræ;nunc autem lux in Domino. 1070.d
Quòd si spiritu ducimini,non estis sub lege.1184.d
6. Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. 83.d,208.b.937.b
Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi. 590.a,598. a
Nolite errare,Deus non irridetur. 612.e
Quæ enim seminauerit homo,hæc & metet. 954. c,970.d

EX EPISTOLA AD EPHESIOS.

*Cap.*1. Omnibus sanctis, qui sunt Ephesi. 445.d
2. Eramus natura filij iræ, sicut, & cæteri. 25.a, 981.c
Sed estis ciues sanctorum, & domestici Dei. 507.b
Cùm essemus mortui peccatis,conuiuificauit nos in Christo. 509.b
Deus, qui diues est in misericordia propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos. 982.d
Ipse enim est pax nostra. 849.b
3. Huius rei gratia flecto genua mea ad patrem Domini nostri Iesu Christi. 667.b,417.c,897 c,898.a
4. Induite nouum hominem,qui secundùm Deum creatus est in iustitia,& sanctitate veritatis. 4. in præf.
Donec occurramus omnes, &c. in virum perfectum in mensuram ætatis plenitudinis Christi. 91.a
Ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem prophetas. 115.a,348.b,657.e
Sol non occidat super iracundiam vestram. 616.c
Donantes inuicem, sicut & Deus in Christo donauit vobis. 640.a
Occurramus omnes in vnitatem fidei. 513. d, 752.a
Qui ascendit super omnes cælos, vt impleret omnia. 957.b
5. Fornicatio autem, & omnis immunditia, aut auaritia,nec nominetur in vobis. 103.b
Cantantes & psallentes in cordibus vestris Domino. 104.c
Ita & viri debent diligere vxores suas, vt corpora sua. Qui suam vxorem diligit. 770.d
Videte fratres quomodo cautè ambuletis,nõ quasi insipientes,sed vt sapientes,redimentes tempus. 1197.a
Estote ergo imitatores Dei, sicut filij charissimi: & ambulate in dilectione, sicut & Christus dilexit vos. 475.a,586.d
Vt filij lucis ambulate. 885.a,b
Vt illam sanctificaret mundans eam lauacro aquæ in verbo,vt exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam non habentem maculam. 1260.a
Nemo enim vnquam carnem suam odio habuit. 301.a
6. Non est nobis colluctatio aduersus carnem, & sanguinem,sed aduersus principes, & potestates. 340.a,1055 b
State ergo succincti lumbos vestros in veritate.148. d,1010 a
Et galeam salutis assumite, & gladium spiritus quod est verbum Dei. 648.a
Honora patrem tuum,& matrem tuam. 1135.d

EX EPISTOLA AD PHILIPPENSES.

*Cap.*1. Vobis donatum est pro Christo, non solùm vt in eum credatis, sed vt etiam pro illo patiamini. 161.d
Desiderium habens dissolui, & esse cum Christo. 201.d,570 d,501.d,815.b,946.a
Mihi enim viuere Christus est, & mori lucrum. 274.c.418.d,495.b
Quidam quidem, & propter inuidiam, & contentionem. 352.c
Gratias ago Deo meo in omni memoria vestri semper in cunctis orationibus meis. 387.b

2. Qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo. 371.b. 669.a
Sed semetipsum exinaniuit faciem serui accipiens. 673.b
Vt in nomine Iesu omne genu flectatur. 677.a
Si qua ergo consolatio in Christo, si quod solatium charitatis. 692.e
Deus enim est, qui operatur in nobis velle, & perficere pro bona voluntate. 727.b.785.c
Omnia autem facite sine murmurationibus, & hæsitationibus. 770.a.834.b
Omnes enim, quæ sua sunt, quærunt, non quæ sunt Iesu Christi. 352.c
3. Quorum Deus venter est, & gloria in confusione ipsorum. 39.e.40.a.60.d.67.a,b
Non quòd iam acceperim, aut iam perfectus sim, sequor autem, si quomodo comprehendam in quo & comprehensus sum. 13.in præf. 441.c
Omnia detrimentum feci, & arbitror vt stercora, vt Christum lucri faciam. 31.d.91.c.141.c. 577.c
Quæ quidem retro sunt obliuiscens. 522.c.& 1038.e
Nostra autem conuersatio in cœlis est. 8. in præf. 350.c.750.a.752.b
Qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ. 752.b
Ego me non arbitror comprehendisse. 999.a. 1038.c.1081.d
Imitatores mei estote fratres, & obseruate eos qui ita ambulant, sicut habetis formam nostram. 1118.a
Eadem vobis scribere mihi quidem non pigrum; vobis autem necessarium. 1138.a
Vnde etiam saluatorem expectamus Dominum nostrum Iesum Christum. 274.c
Verumtamen existimo omnia detrimenta esse propter eminentem scientiam Iesu Christi. 319.c,d
4. Et pax Dei, quæ superat omnem sensum, custodiat corda vestra. 201.d,851.a.853.b
Omnia possum in eo, qui me confortat. 505.b
Scio, & humiliari, scio, & abundare. 148.b
Gaudete in Domino, semper iterum dico gaudete. 484.c.831.c
5. Quia membra sumus corporis eius, de carne eius, & de ossibus eius. 583.d

EX EPISTOLA AD COLOSSENSES.

Cap. 1. Qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine.. 190.b
Qui eripuit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum filij dilectionis suæ. 75.b
Qui est imago Dei inuisibilis. 707.d
2. Quia in ipso inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter. 514.b
In quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ absconditi. 673.a
3. Induite vos ergo sicut electi Dei, sancti, & dilecti. 54.e.585.b
Cùm Christus apparuerit, vita vestra, tunc, & vos apparebitis cum ipso in gloria. 191.e
Expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, & induentes nouum eum, qui renouatur. 55.c
Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. 83.b
Mortificate ergo membra vestra, quæ sunt super terram: fornicationem. 547.c
Viri diligite vxores vestras, & nolite amari esse ad illas. 627.c
Mulieres subditæ estote viris, sicut oportet in Domino. ibid.
Quod est vinculum perfectionis. 643.b
Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt sapite. 994.c
4. Sermo vester semper in gratia sale sit conditus. 50.e
Orationi instate, vigilantes in ea in gratiarum actione. 246.d

EX EPISTOLA AD THESSALONICENSES I.

Cap. 1. Nuntiabo nomen tuum fratribus meis, in medio Ecclesiæ laudabo te. 609.c
Et vos imitatores nostri facti estis. 1118.a
2. Neque enim aliquando fuimus in sermone adulationis.. 94.b.167.d.e
Neque quærentes ab hominibus gloriam, neque à vobis, neque ab aliis. 1168.a
Ita loquimur non quasi hominibus placentes, sed Deo, qui probat corda nostra. 733.d
Sed facti sumus paruuli in medio vestrûm tanquam si nutrix foueat filios suos. 381.b
4. Hæc est voluntas Dei, sanctificatio vestra vt abstineatis vos à fornicatione. 104.a
De charitate autem fraternitatis non necesse habemus scribere vobis. 653.c
Nolumus autem vos ignorare fratres, de dormientibus vt non contristemini, sicut & cæteri, qui spem non habent. 948.b
Rogamus autem vos fratres vt abundetis magis & operam detis, vt quieti sitis. 1150.b
5. Qui dormiunt, nocte dormiunt, & qui ebrij sunt, nocte ebrij sunt. 54.a
Fidelis est, qui vocauit vos, qui etiam faciet. 140.b
Ipse autem Deus pacis sanctificet vos per omnia, vt integer spiritus vester, & anima, & corpus sine querela in aduentu Domini nostri Iesu Christi seruetur. 556.b
In omnibus gratias agite. 563.b
Omnia probate, quod bonum est tenete. 1091.a

EX EPISTOLA AD THESSALONICENSES II.

Cap. 3. Si quis non vult operari, nec manducet. 251.d.293.b
Ideo consolati sumus fratres in vobis in omni necessitate, & tribulatione. 584.c
Corripite inquietos, consolamini pusillanimes. 585.b
Ipsi scitis, quemadmodum oporteat imitari nos; quoniam non inquieti fuimus inter vos. 1150.a
Audiuimus inter vos quosdam ambulantes inquietè, nihil operantes, sed curiosè agentes. 1255.c
Iis autem, qui eiusmodi sunt, denuntiamus, & obsecramus in Domino Iesu Christo. 302.b

EX PRIMA AD TIMOTHEVM.

Cap. 1. Regi autem sæculorum immortali, inuisibili,

bili, soli Deo honor & gloria. 12. sub finem.
Vt milites in illis bonam militiam, habens fidem, & bonam conscientiam. 180.b
Finis autem præcepti est charitas de corde puro. 466.a.474.c.686.c
2. Qui omnes vult saluos fieri. 584.a
Adam non est seductus. 809.c
Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus. 388.c
3. Si quis episcopatum desiderat, bonum opus desiderat. 6.lin.10
4. Corporalis exercitatio ad modicũ vtilis est, pietas verò ad omnia. 396.a,b.1060.d
Attende tibi, & doctrinæ: insta in illis: Hoc enim faciens; & eos qui te audiunt. 365.a
5. Nam quæ in deliciis est, viuens mortua est. 509.c
Siquis autem suorum, & maximè domesticorum curam non habet, fidem negauit, & est infideli deterior. 1135.d
6. Tu autem ô homo Dei hæc fuge. 233.b
Nihil faciens in alteram partẽ declinando. 303.c
Diuitibus huius sæculi præcipe non sublime sapere. 792.c
Habentes autem alimenta, & quibus tegamur, his contenti sumus. 913.a
Radix enim omnium malorum est cupiditas. 353.b

EX SECVNDA AD TIMOTHEVM.

Cap. 2. Labora sicut bonus miles Christi Iesu. 180.b
Ille fidelis permanet; negare se ipsum non potest. 138.d
Nemo militans Deo, implicat se negotiis secularibus, vt placeat ei cui se probauit. 168.a.351.b
Qui certat in agone, non coronabitur nisi legitimè certauerit. 1251.c
3. Omnis scriptura diuinitus inspirata, vtilis est. 448.b
Semper discentes, & nunquam ad scientiam veritatis peruenientes. 352.c.782.c.1234.d
Erunt homines seipsos amantes, cupidi, elati. 352.c
Qui penetrant domos, & captiuas ducunt mulierculas. ibid.
4. Penulam quam reliqui Troade apud Carpum, veniens affer tecum. 376.a
In reliquo reposita est mihi corona iustitiæ. 140.a
Coacervabunt sibi magistros prurientes auribus. 110.d
Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui. 504.a

EX EPISTOLA AD TITVM.

Cap. 2. Apparuit enim gratia Dei saluatoris nostri omnibus hominibus erudiens nos. 617.a,b.1159.d
Expectantes beatam spem, & aduentum gloriæ magni Dei. 751.c.1259.c
In omnibus teipsum præbe exemplum bonorum operum in doctrina, in integritate, & grauitate. 1244.a
3. Stultas autem quæstiones, & genealogias, & contentiones, & pugnas legis deuita, sunt enim inutiles, & vanæ. 340.c,d

EX EPISTOLA AD HEBRÆOS.

Cap. 1. Nonne omnes sunt administratorij spiritus in ministerium missi. 179.d.372.d.687.a.820.a
Qui cùm sit splendor gloriæ, & figura substantiæ eius. 707.d
Nouissimè diebus illis loquutus est nobis in filio, quem constituit hæredem vniuersorum. 768.c
Multifariam, multisque modis olim Deus loquens patribus in prophetis. 1266.c
2. In quo passus est ipse, & tentatus, potens est & iis qui tentantur auxiliari. 938.d
Quia ergo pueri communicauerunt carni, & sanguini, & ipse similiter participauit eisdẽ. 673.d
Non confunditur fratres eos vocare. 609.d
4. Quia viuus est sermo Dei, & efficax. 58.c.265.c.556.a.648.a.1233.d
Ingrediemur enim in requiem. 1065.c
Itaque relinquitur Sabbatismus populo Dei. 825.b
Et non est vlla creatura inuisibilis in conspectu eius. 557.c
5. Cum clamore valido & lacrymis offerens, exauditus est pro sua reuerentia. 628.d
Cùm deberetis esse magistri propter tempus, rursum indigetis vt vos doceamini, quæ sint elementa exordij sermonum Dei. 349.b.1042.a
Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron. 353.b
6. Confidimus autem de vobis dilectissimi meliora & viciniora saluti, tametsi ita loquimur. 1048.d
Terra enim sæpe venientem super se bibens imbrem, &c. proferens autem spinas, ac tribulos, reproba est. 1048.b
Impossibile enim est, eos, qui semel sunt illuminati, gustauerunt etiam donum cæleste, &c. & prolapsi sunt, rursus renouari ad pœnitentiam. 983.c
Abundantiùs volens Deus ostendere pollicitationis hæredibus immobilitatẽ consilij sui. 130.a
7. Reprobatio quidem fit præcedentis mandati propter infirmitatem eius, & inutilitatẽ. 625.a
Sine patre, sine matre, sine genealogia, neque initium dierum, neque finem vitæ habens, assimilatus autem filio Dei. 1127.c
Hic autem eo quòd maneat in æternum, sempiternum habet Sacerdotium. 350.b
9. Et sine sanguinis effusione non fit remissio. 46.c
10. Horrendum est incidere in manus Dei viuentis. 614.c
11. Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti. 38.a.1183.b
Conualuerunt de infirmitate; fortes facti sunt in bello. 942.c
Iuxta fidem defuncti sunt omnes isti, non acceptis repromissionibus, sed à longè eas aspicientes. &c. quia peregrini & hospites sunt super terram. 69.c.863.c
Magis eligens affligi cum populo Dei, quàm temporalis peccati habere iucunditatem. 882.a
12. Remissas manus, & soluta genua erigite. 350.b
Qui proposito sibi gaudio. 575.b
Contemplantes nequis desit gratiæ Dei, ne qua radix amaritudinis sursum germinans. 611.a

Quem enim diligit Dominus, castigat. 650.d, 759.e
Ideoque, & nos tantam habentes impositam nubem testium, per patientiam curramus. 836.d, 1121.e
Pacem sequimini cum omnibus, & sanctimoniã. 852.a
Ne quis fornicator aut prophanus, vt Esau qui propter vnam escam vendidit primitiua sua. 288.d
Pacem sequimini cum omnibus, & sanctimonia, sine qua nemo videbit Deum. 326.c
13. Non habemus hîc manentem ciuitatem, sed futuram inquitamus. 69.b.499.b
Honorabile connubium in omnibus, & thorus immaculatus. 128.c
Beneficentiæ autem & communionis nolite obliuisci. 591.e,592.a
Charitas fraternitatis maneat in vobis. ibid.
Obedite præpositis vestris, & subiacete eis. 627.e

EX IACOBI EPISTOLA.

Cap. 1. Voluntarie genuit nos verbo veritatis, vt simus initium aliquod creaturæ eius. 261.b
Religio munda, & immaculata apud Deum & patrem. 99.b
Si quis putat se religiosum esse, non refrænans linguam suam. 151.b
Omne datum optimum, & omne donum perfectum, desursum est, descendens à patre luminum. 156.c,983.c,1166.c
Patientia autem opus perfectũ habet. 228.a,912.c
Beatus vir qui suffert tentationem. 909.c
Vir duplex animo, inconstans est in omnibus viis suis. 969.c
Qui dat omnibus affluenter, & non improperat. 1081.d
Qui enim auditor est verbi, & non factor, hic cõparabitur viro consideranti vultum natiuitatis suæ in speculo, considerauit enim se, & abiit, & statim oblitus est qualis fuerit. 1113.e.1114.a
Si quis autem vestrum indiget sapientia postulet à Deo. 343.d
2. Si introierit in conuentum vestrum vir aureum annulum habens, in veste candida: introierit autem & pauper. 64.e
Quicumque autem totam legem seruauerit, offendat autem in vno, factus est omnium reus. 537.d,721.c
Ite in pace, calefacimini, & saturamini: non dederitis autem quæ necessaria sunt corpori. 597.c
Diliges proximum tuum sicut teipsum: bene f. 653.d
Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo diuites in fide, & heredes regni, quod repromisit Deus diligentibus se. 821.d
3. Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir. 152.b,280.c
Lingua modicum quidem membrum est, & magna exaltat. 152.c
Scientes, quòd probatio fidei vestræ patientiam operatur. 448.b,451.d
Fructus autem Iustitiæ in pace seminatur facientibus pacem. 852.a
Inquietum malum, plena veneno mortifero. 1151.c
Quæ autem desursum est sapientia, primùm quidem pudica est, deinde pacifica. 272.e,341.b
Non est enim ista sapientia desursum descendens. 340.e
4. Scienti bonum facere, & non facienti, peccatum est illi. 341.e,1046.d
Quæ est vita vestra? vapor est ad modicum parẽs, & deinceps exterminabitur. 194.b,1193.a
Resistite diabolo, & fugiet à vobis. 907.e
Quicumque voluerit amicus esse sæculi huius, inimicus Dei constituitur. 907.e,d
5. Exemplum accipite fratres laboris & patientiæ. 911.b

EX PRIMA EPISTOLA PETRI.

Cap. 1. Sed secundùm eum, qui vocauit vos Sanctũ, & ipsi in omni conuersatione sancti sitis: quoniam scriptum est, sancti eritis, quoniam ego sanctus sum. 448.b,c
Propter quod succincti lumbos mentis vestræ, sobrij perfecti sperate in eam. 1140.a
2. Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis. 197.e
Obsecro vos tanquam aduenas, & peregrinos, abstinere vos. 69.e
Subiecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum. 165.a
Vos autem genus electum. 507.c
Nec inuentus est dolus in ore eius. 515.d,674.e, 790.a
Sicut modò geniti infantes rationabiles sine dolo lac concupiscite. 863.a,1024.b
Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum vt sequamini vestigia eius. 1065.b, 1121.e
Omnes honorate, fraternitatem diligite. 1240.e
Qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum: vt peccatis mortui iustitiæ viuamus. 1262.c
3. Sed qui absconditus est cordis homo in incorruptibilitate quieti, & modesti spiritus. 736.d
Et quis est qui vobis noceat si boni æmulatores fueritis? 749.a
4. Charitas operit multitudinem peccatorum. 56.d,190.a
Vnusquisque sicut accepit gratiam in alterutrum illam administrantes. 590.a
5. Omnem solicitudinem vestram proiicientes in eum. 877.b
Fratres sobrij estote, & vigilate, quia aduersarius vester diabolus, tanquam leo rugiens circuit quærens quem deuoret. 1245.c
Quia Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. 342.e

EX SECVNDA EPISTOLA PETRI.

Cap. 1. Ministrate in fide vestra virtutem. 318.d
Hęc enim si vobiscum adsint, & superent, non vacuos nec sine fructu vos constituent in Domini nostri Iesu Christi cognitione. 318.e
Cui enim non præsto sunt hæc, cæcus est. 711.e
Certus sum, quòd velox est depositio tabernaculi mei. 949.d
2. Canis reuersus ad suum vomitum, & sus lota in volutabro luti. 47.e,50.b,207.b
Et iustum Loth oppressum à nefandorum iniuria. 238.d
Vt per hæc efficiamini diuinæ consortes naturæ. 483.b,736.d
3. Sicut charissimus frater noster Paulus secundùm datam sibi sapientiam scripsit vobis. 115.b

Satagite immaculati, & inuiolati ei inueniri in pace. 852.a

EX PRIMA EPISTOLA IOANNIS.

Cap. 1. Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus. 444.b
Si autem in luce ambulamus, sicut & ipse est in luce, societatem habemus ad inuicem. 474.a, 882.c
Deus lux est, & tenebræ in eo non sunt vllæ. ibid. & 1070.e
2. Omne quod est in mundo concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ. 57.e
Debet, sicut ille ambulauit, & ipse ambulare. 232.c,d,517.b
Qui dicit se nosse Deum, & mandata eius non custodit, mendax est. 491.b
Aduocatum habemus apud patrem Iesum Christum. 409.a,670.e,762.c
Filioli, nouissima hora est. 1264.d,e
3. Omnis qui in eo manet, non peccat. 198.e
Charissimi si cor nostrum nõ reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum. 203.a
Scimus, quoniam cùm apparuerit, similes ei erimus. 95.a
Filioli mei non diligamus verbo neque lingua, sed opere, & veritate. 490.c,597.d,635.d
Qui non diligit, manet in morte. 348.b
Nos scimus quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres. 636.d
Charissimi, nunc filij Dei sumus, & nondum apparuit, quid erimus 764.d
4. Et qui manet in charitate, in Deo manet. 476.d, 536.d
Deus charitas est. 505.e,506.a,757.d
Qui enim non diligit fratrem suum, quem videt: Deum quem non videt, quomodo potest diligere. 637.e
Timor non est in charitate sed perfecta charitas foras mittit timorem. 709.b
In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniam filium suum vnigenitum misit Deus in mundum vt viuamus per eum. 757.d
Sed quoniam ipse prior dilexit nos. 774.b
Nolite omni spiritui credere sed probate spiritus si ex Deo sint. 1091.a
Ipsi de mundo sunt, ideo de mundo loquuntur. 1152.b
5. Et Mundus totus in maligno positus est. 642.a
Scimus, quia omnis, qui natus est ex Deo, nõ peccat sed generatio conseruat eum, & malignus non tangit eum. 912.b

EX EPISTOLA TERTIA IOANNIS.

Cap. 1. Cooperatores sumus veritatis. 1065.c

EX APOCALYPSI.

Cap. 1. Ego sum, α & ω, principium, & finis. 474.e
Et oculi eius sunt sicut flamma ignis. 889.d
Qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo. 687.b,1259.e
Et audiui post me vocem magnam tanquam tubæ dicentis. 323.e
2. Scio vbi habitas, vbi sedes est Satanæ, & tenes nomen meum, & non negasti fidem meam. 238.d
Sed habeo aduersus te pauca, quòd charitatem tuam primam reliquisti. 546.b,1041.a
Vincenti dabo manna absconditum. 939.b,c, 1251.d
Dabo illi stellam matutinam. 950.c
Esto fidelis vsque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ. 965.a
In diebus meis Antipas testis meus fidelis, qui occisus est apud vos. 1165.d
3. Ego sto ad ostium, & pulso. 1197.e
Esto vigilans, & confirma cætera, quæ moritura erant: non enim inuenio opera tua plena coram Deo meo. 1037.d
Scio opera tua, quia nomen habes, quòd viuas, & mortuus es. 1045.e
Ego quos amo, arguo, & castigo. 665.b,902.a
Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei. 838.a
Et collyrio inunge oculos tuos vt videas. 638.d
4. Et super thronos viginti quatuor seniores sedẽtes circumamicti stolis albis, & in capitibus eorum coronæ aureæ. 92.c,940.c
Sanctus Sanctus Sanctus, Dominus Deus omnipotens. 1253.a
5. Viginti quatuor seniores ceciderũt coram agno habentes singuli citharas. 926.d
Dignus est agnus, qui occisus est, accipere virtutem. 833.d
Et fecisti nos Deo nostro regnum, & sacerdotes, & regnabimus super terram. 507.c, 553.c, 751.d
6. Et exiuit vincens vt vinceret. 675.a,938.c
7. Post hæc vidi turbam magnam, &c. stantes ante thronum, & in conspectu Agni, amicti stolis albis. 935.b
8. Et tertia pars terræ combusta est, & tertia pars arborum concremata est. 236.b
10. Et clamauit voce magna, quemadmodum cùm leo rugit. 833.d
11. Et aduenit ira tua, & tempus mortuorum iudicari. 583.d
12. Et datæ sunt mulieri alæ duæ aquilæ magnæ vt volaret in desertum in locum suum. 988.c
Signum magnum apparuit in cælo, mulier amicta sole, & luna sub pedibus eius. 197.b
Væ terræ, & mari, quia descendit diabolus ad vos habens iram magnam. 347.b
14. Quadraginta quatuor millia habentes nomen eius, & nomen patris eius scriptum in frontibus suis. 1096.a,b
Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Amodo iam dicit spiritus vt requiescant. 951.c
17. Mulier erat circumdata purpura, & coccino, & inaurata auro, & lapide pretioso. 58.a
18. Et negotiatores terræ flebunt, & lugebunt super illam, quoniam merces eorum nemo emit ampliùs. 725.b
19. Et vestitus erat veste aspersa sanguine. 161.d
Et in capite eius diademata multa. 161.e
Et insidebat equo albo. ibid.
Qui sedebat super eum, vocabatur fidelis, & verax. 140.a
Et datum est illi, vt cooperiat se byssino splendenti & candido. 154.a,b
Et habent in vestimento, & in femore suo scriptum, Rex regum, & Dominus Dominantium. 161.b,c

Et exercitus, qui sunt in cœlo, sequebantur eum in equis albis, vestiti byssino albo, & mundo. 349.e,926.c
21. Et ego Ioannes vidi sanctam ciuitatem Ierusalem nouam descendentem de cœlo. 348.b, 923.a
Ciuitas in quadro posita est, & tanta est eius longitudo, quanta & latitudo. 923.a
Ego sitienti dabo de fonte aquæ viuæ gratis. 514.a
Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum eis. 813.d
Non intrabit in eam aliquod coinquinatum. 441.a.720.b
22. Et folia ligni ad sanitatem gentium. 514.a
Et ostendit mihi fluuium aquæ viuæ splendidum, tanquam crystallum, procedentem de sede Dei & agni. 513.e,514.a
Qui nocet noceat adhuc; & qui in sordibus est, sordescat adhuc. 905.a

FINIS.

IN OMNES LIBROS DE PERFECTIONE VITAE SPIRITVALIS,

PRÆFATIO.

OMNES homines suapte natura eas res secum cogitatione versare, & cum alijs sermone aut scriptione tractare concupiscunt, in quibus studium & operam posuerunt, aut certè amorem, ac desiderium collocarunt. Istæ enim latentes mentis cogitationes, aut in publicum effusi sermones, qui cum aliis conferuntur, non parùm (dum aliud non datur) animo satisfaciunt, & ingentem secum voluptatem afferunt. Sic milites trepidam inimicorum fugam, & commilitonum impetum, atque aduersus hostes insectationem libenter cogitant; & de armorum vi, de corporis robore, de inuicta animi fortitudine, de belli periculis, de conflictu præliorum, de vrbium expugnatione, ac de victoriis sæpe loquuntur. Sic negotiatores de quæstuosa emendi ac vendendi arte, de rerum venalium pretio ac valore, de nundinis, de eorum quæ sibi debentur, exolutione, ac de suarum fortunarum augmento vel imminutione tractant. Sic agricolæ de agrorum cultura, de extirpandis sentibus, ac subigenda vomere terra, de iactu seminum, calore solis, & commoditate pluuiarum, & prouentu segetum, de tempore quo plantandæ sunt arbores, ac de alijs rebus rusticis gratissimè verba faciunt. Sic etiam illi, qui alicuius scientiæ, aut virtutis, aut alterius rei cuiuspiam amore tenentur, illam sæpissimè ore versant, illam laudant, eiúsque præstantiam longa oratione verbis exaggerant. Atque adeò sicut ignis scintillulis, ita amor oratione se ostentat, & verbum, si bene consideretur, nihil est aliud quàm index amoris. Nos igitur, qui ab ineunte ætate nullum aliud studium, nullam operam, nisi vitam religiosam, & à curis rerum terrenarum auulsam, amplectendam suscepimus, & nullum aliud desiderium, quod vrgeat, (hæc enim fuit in nos eximia Dei Salvatoris nostri benignitas) nisi virtutis & perfectionis desiderium experimur; vniuersis aliarum rerum materijs abiectis, nihil cupimus nisi perfectionem vitæ spiritualis cognitione sanè dignissimam, oratione tractare. Istius amor suaui religionis vinculo, licèt minus fælici successu, constrictos nos tenet, quia quam vehementer optabamus. O infælicitas magna! post tot annos nunquam sumus assequuti. Istius studium ac sitis mentem sæpe solicitat, vt quam nec à limine salutauimus, libris saltem in aliorum vtilitatem editis, & in nostrum leuamen conscriptis, prout à Deo donatum fuerit, exprimamus. Non enim est parua consolatio, id cogitare, quod amas, id meditari quod diligis, & si non in animo valeas, saltem in libro præscribere. Hic itaque amor, hoc perfectionis desiderium, hæc in veram virtutem propensio nos (vt ingenuè fatear) ad scribendum, & laborandum instigat. Sed quia non est sapientis se propensione sola, & voluntatis inclinatione, sine ratione regere, & sine inspectione suæ possibilitatis sola se temeritate gubernare, antequàm opus hoc difficile satis, atque impeditum aggrederemur, multum diúque cogitauimus, quid virium ad illud suscipiendum esset in nobis; quid honesti haberet; & quid vtilitatis fratribus nostris esset allaturum. Nam si minus honestum, aut vtile foret,

Isaiæ 59. *illud Isaiæ rectè diceretur de nobis, quòd telas aranearum texuimus, & quòd telæ huiusmodi non erunt in vestimentum, neque operiemur operibus nostris; si verò neruos ac vires nostras superaret, omnes qui viderint, incipient illudere nobis, dicentes, quia hic cœpit ædificare, & non potuit* Lucæ 14. *consummare.*

Et quidem si de honesto agitur, hanc tractationem dignissimam, & honestissimam reputauimus: quid enim dignius, quàm præcipuum & excellentissimum Dei opus laudare? qui tametsi in Psal. 60. *vniuersis operibus appareat admirabilis, sed inter omnia alia, vt est in Psalmo, mirabilis Deus in sanctis suis. Quid honestius, quàm viã regiã hominibus pandere, per quam Deus verè diues* Tob. 12. *in misericordia eos sibi copulat, & in fastigiũ suæ familiaritatis extollit? Licet enim sacramẽtum regis abscondere bonum sit; opera tamen Dei reuelare & confiteri honorificum est, & præsertim talia opera, quæ non tãtùm in admirationem rapiunt, sed diuini amoris ignem accendunt. Quid iustius, quàm Deo hanc grati animi significationem offerre, vt si religiosæ vocationis beneficium exemplis, & vita præ incuria nostra laudare nesciuimus, saltem calamo, & stylo amplificemus? Neque enim quia hæc gratiarum actio, quæ verbis & laudatione perficitur, parua sit, ideò est habẽda contẽptui; nam quæcũq; illa sit, & siue verbis, siue operibus referatur, diuino vocationis beneficio semper inuenietur inferior. Et benignissimus Deus eam non contemnet, qui non obsequij exilitate læditur, sed promptissima obsequentis voluntate lætatur. Sapienter enim dixit Grego-* Naz. orat. ad Iulian. tributorũ exactorem. *rius Nazianzenus, Illud quidẽ minimè dubium est, quin etiãsi omnia cõtulerimus, minùs tamen collaturi sumus, quàm accepimus. Atque illud pulcherrimum, humanissimumq; censendum est, quòd Deus munificentiam non oblatæ rei pretio & dignitate, sed offerentis affectu, & facultate metitur. Hæc Nazianzenus. Dat ipse nobis, si non vires ad satisfaciendũ tam ingenti beneficio, saltem gratias agendi voluntatem: cui voluntati respondere oportet, tum vt grati Deo simus, tum vt doni commemoratione ad amorem eius, & ad quærendam nostri status perfectionem* Leo in octaua Apost. Petri & Pauli. *moueamur. Magnum enim periculum est (inquit Leo Papa) esse homines ingratos Deo, & per obliuionem beneficiorum eius, nec de correctione compungi, nec de remissione lætari.*

Ob dictas itaque causas honesta satis, & Deo nõ ingrata apparet ista tractatio: sed licèt illæ non intercederent, alia etiam ratione (vt nobis quidem videtur) magni momenti esset suscipienda. Hac enim tẽpestate multi nostræ Societatis viri suis lucubrationibus scientias interpretantur, & voluminum scriptione Ecclesiam dilectissimam Matrem illustrant. Nonnulli philosophicas disputationes conscribunt; alij Theologicas quæstiones ad fideles erudiendos texunt; hi librorum commentatione cum hæreticis fæliciter pugnant; illi sanctorum Patrum vestigijs inhærentes Scripturas sacras explanant. Nos autem horum discipuli pusilli, & nullius pretij, qui aduersa valetudine coacti scholas reliquimus, & sanctam Ecclesiam tam fructuosis laboribus iuuare nequiuimus, saltem fratribus nostris, & vniuersis vitæ religiosæ sectatoribus alio tractationis genere minus laborioso, quia non disputando, sed quiescendo perdiscitur, & nostræ imbecillitati magis accommodato, adiumento sumus, & eos ad mysticam Theologiam, ad artem seruiendi Deo, ad virtutum sequelam, & sanctæ perfectionis studium incitamus.

Quòd si æquum reputatur (sicut reuera est) ancillas comere & emollire, id est, scientias, quæ intelligentiam illustrant, exponere, atque exornare; quanto æquius erit pulcherrimã dominam, hoc est, scientiam voluntatis (quæ sanctitas dicitur) perpolire, & regalibus indumẽtis circundare? siquidem sola sine aliis Deo gratissima est, & reliquæ sine ista, neque in cœlestẽ thalamum admittuntur, nec pulchræ, & decoræ existimantur? Hæc est vera iustorum sapientia. nam vt Iob 28. *scriptum est; Ecce timor Domini ipsa est sapientia, & recedere à malo intelligentia. Quæ (vt ait* 10. Mor. cap. 16. *Gregorius) est nihil per ostensionem fingere; sensum verbis aperire; vera, vt sunt, diligere; falsa deuitare; bona gratis exhibere; mala libentiùs tolerare, quàm facere; nullam iniuriæ vltionem quærere; pro veritate contumeliam lucrum putare.] Hæc est vera sapientia, quæ non in ieiuna speculatione, sed in vtili operatione sita est; non in disputationibus, sed in fuga ab omni malo, in adhæsione incommutabili bono, & in perfecta mandatorum obseruatione, atque in animi puritate consistit. Huic omnes scientiæ sæculares obsequuntur, vt fructuosæ, &*

vtiles

vtiles habeantur. Mittit enim ancillas suas, hoc est, disciplinas philosophorum (vt B. Thomas interpretatur) vocare ad arcem, & ad mœnia ciuitatis, dum earum argumentis ad fidei defensionem, & ad morum informationem vtitur. Huic quoque scientiæ sacræ tamquam fideles, & honorabiles sociæ famulantur: nam ad hunc finem sunt instituta, & diuinitus inspiratæ, vt in nostras, & in proximorum mentes, sanctitatis & perfectionis thesauros inferamus. 1. p. q. 1. art. 5. Prou. 9.

Quare rectè inquit Hieronymus: *sic adhibeatur scientia, tamquam machina quædam, per quam structura charitatis assurgat, quæ maneat in æternum, etiam cum scientia destruetur, quæ ad finem charitatis adhibita, multùm est vtilis: per se autem ipsa sine tali fine, non modò superflua, sed etiam perniciosa probata est. Sic ille. Huic tandem tamquam potentissimæ, & eminentissimæ reginæ prima sedes, & dignior locus in corde nostro dandus est, secundo & minus honorabili scientiis sicut ancillis reseruato. Est enim, quod in se est (inquit dulcis Bernardus) omnis scientia bona, quæ tamen veritati subnixa sit, sed tu, qui cum timore & tremore tuam ipsius operari salutem pro temporis breuitate festinas, ea scire priùs, ampliùsque curato, quæ senseris viciniora saluti. Nónne medici corporum medicinæ portionem definiunt, eligere in sumendis cibis, quid priùs, quid posteriùs, & quemadmodum quid sumi oporteat? Nam etsi bonos constat esse cibos, quos Deus creauit, tu tamen ipsos tibi, si in sumendo modũ & ordinem non obserues, reddis planè non bonos. Ergo quod dico de cibis, hoc sentite & de scientiis: sed melius mitto vos ad magistrum. Non est enim nostra ista sententia, sed illius; imò & nostra, quoniam veritatis. Si quis se (inquit) aliquid existimat scire, nondum scit, quomodo oporteat eum scire. Vides, quoniam non probat multa scientem, si sciendi modum nescierit? Vides, inquam, quomodo fructum, & vtilitatem scientiæ in modo sciendi constituit? Quid ergo dicit modum sciendi? Quid? nisi vt scias, quo ordine, quo studio, quo fine quæque nosse oporteat. Quo ordine? Vt id priùs, quo maturius ad salutem. Quo studio? Vt id ardentius, quod vehementius ad amorem. Quo fine? Vt non ad inanem gloriam, aut curiositatem, aut aliquid simile; sed tantùm ad ædificationem tuã, vel proximi. Hactenus Bernardus.* Hieron. epist. 21. de celebratione Paschæ, ad finē. Bern. ser. 36. in Cant. 1. Cor. 8.

Nos itaque honestum iudicamus de naturalium disciplinarum subtilitatibus, & de sacrarum scientiarum mysteriis disputare. Quò pacto enim fidei veritas inconcussa atque illibata teneretur, si essemus scientiarum expertes, & in atra ignorationis caligine versaremur? sed honestius & dignius putamus perfectionis aperire viam, Euangelij ostendere semitas, & æternitatis itinera manifestare, quæ natura nostra, valdè post peccatum procliuis ad mala, magis exhorret, & minus nosse atque ingredi auet. Magnum nempe pietatis opus est (inquit Laurentius Iustinianus) atque Deo satis acceptabile sacrificium, dæmonum fallacias detegere, vitiorum actus, & causas aperire; virtutum altitudinem pandere; certamina spiritualia docere; & monasticæ conuersationis disciplinam ac perfectionem manifestare. Sic ille. Lau. Iust. in prologo lib. de disc. & perfect. monast. relig.

Huius autem melioris, honestiorisque doctrinæ non præceptores, sed auditores, & condiscipulos nos constituimus, vt & nos ipsos tepidos, & imperfectos, & omnis vitæ spiritualis amatores ad huius gloriosæ doctrinæ amorem, & studium incitemus. Quis si vniuersi religiosi quæsierint, vt mercatores quærunt pecuniam, & sicut thesauros scientiæ, quos tantopere optãt, effoderint illam, citra dubium tunc intelligent timorem Domini, & scientiam Dei inuenient. Verùm quoniam non ardenter, sed tepidè, & oscitanter quæritur, aut omninò non quæritur, ideo non inuenitur in sanctis religionibus, vt par erat, virtutum, ac perfectionis fructus. Hoc enim est, quod Thomas à Campis auctor piissimus, & venerabilis, satis prudenter plorat, dum ait, Quia verò plures magis student scire, quàm bene viuere, ideo sæpe errant, & penè nullum, vel modicum fructum ferunt. O si tantam adhiberent diligentiam ad extirpanda vitia, & virtutes inserendas, sicut ad mouendas quæstiones, non fierent tanta mala, & scandala in populo, nec tanta dissolutio in cœnobiis.] Et optimè sanè: nam cura scientiæ immoderata, mentem, & conatum nostrum exhauriens, nihil sollicitudinis, vitiis extirpandis & virtutibus inserendis relinquit. Sine sollicitudine autem, nec vitia destruuntur, nec virtutes augentur, quinimò nobis non aduertentibus paulatim, sensimque decrescunt. Prou. 2. Thom. à Camp. 1. de imitatione Christi. cap. 3.

Ex his huius laboris honestas facilè elucet, & vtilitas iam sese quodammodo ostentat. Nam in cœtibus religiosis sunt aliqui viri fortes, & strenui, qui vitiorum captiuitatem odientes, & sæculi miseram seruitutem detestantes, seipsos ad victoriam, & libertatem
Psalm. 2. *excitant illis verbis psalmographi, Dirumpamus vincula eorum, & proiiciamus à nobis iugum ipsorum.] Hi excutiunt iugum suarum passionum, curas propriarum commoditatum abiiciunt; onus honorum & dignitatum contemnunt, delicias, & voluptates sæculares execrantur: mortificatione, tum animi, tum corporis se domant; veram virtutem quærunt, Dei colloquium, & familiaritatem suspirant, & (vt breuiter dicam) nudi, & expediti Christum Iesum nudum, & cruci affixum sequuntur. His opus istud non erit prorsus inutile, quia in eo calcaria, & incitamenta ad suum fœlicem cursum inuenient. Nam & sapientibus doctrina necessaria est, vt cautiores, & sapientiores euadant, sicut didicimus ex ore Salomo-*
Prou. 1. *nis: Audiens sapiens, sapientior erit, & intelligens gubernacula possidebit. Animaduertet parabolam, & interpretationem, verba sapientium, & ænigmata eorum.] Alij autem sunt imbecilles, & ignaui (quibus (verum dico, & gemens dico,) me ipsum annumero) qui sub religiosa veste animum irreligiosum, sæculoque propinquum, gestant, & me, & istos impensè cupio à torpore dissoluere, & ad animi puritatem, & spiritualis vitæ perfectionem inflammare. Horum vitam, & mores strictim hoc loco describam, vt in tanta altitudine status, tanta vitæ abiectio, & vilitas perspecta, quemque ad sanctum timorem, & ad vitæ perfectioris amorem inuitet.*

Vnde autem hanc tepidorum religiosorum inuectionem incipiam? Ab illo perfectò, quod in
Eccle. 9. *Ecclesiaste scriptum est, Verti me ad aliud, & vidi sub sole neque velocium esse cursum, nec fortium bellum, nec sapientium panem, nec doctorum diuitias, nec artificum gratiam, sed tempus, casumque in omnibus.] Quinam sunt isti veloces? Nisi religiosi, qui pro ratione sui status, non cunctanter ambulando, sed perniciter volando debet ad vitam perfectam euolare? Isti autem, nec volant, nec currunt: imò, nec viam perfectionis ambulant, dum aut colloquiis inanibus, aut curis sæcularibus distinentur, aut otio, & socordia torpescunt. Hi sunt fortes: nam in religionis ingressu, tamquam strenui milites aduersus mundum & suos asseclas acre bellum & periculosum susceperunt; & tamen iam non bellant, sed negotiis mundanis, infami ambitioni, & honoris ac dignitatum desiderio colla submittunt. Ipsi sunt veri sapientes, etenim vitam elegerunt quietam, & tranquillam: vt diuinorum contemplationi vacarent, & se totos sapientiæ com-*
Eccl. 15. *mitterent, sed panis non est in eorum potestate, ille scilicet panis vitæ, & intellectus (qui nihil aliud est, quàm cœlestium mysteriorum consideratio) quo Deus familiares suos cibat, & abun-*
Bern. ser. 2. de Annunciatione. *dantissimè reficit. Est enim intellectus rerum spiritualium, & inuisibilium (vt ait Bernardus) verus animæ panis, confirmans cor nostrum, & ad omne opus bonum roborans in omni exercitatione spiruali.] Hoc pane cœlesti carent, quia panem Ægypti nondum consumpserunt, & in deserto religionis positi, sæculi mores conseruarunt.*

Sunt etiam doctores, qui non tam verbo, quàm vita, & ipso habitu docent sæculum fugere, & mundanas occupationes declinare: & quia in docendo non laborant, nec suis exemplis alios ad sanctitatem alliciunt, meritis carent, egeni sunt spiritu, nec animarum diuitias compararunt. Tandem religiosi sunt, aut esse deberent peritissimi artifices, quorum est in proprio solo cordis templum Domino extruere, & regiam magnificam intus in mente summo cælorum Imperatori diligentissimè ædificare. Sed videntur ad hoc ædificium construendum gratiam & industriam
Ephes. 4. *perdidisse, quia non Deo structuram virtutum, sed propriis commodis, quibus inordinatè afficiuntur, domos distractionum, & inquietudinum fabricant. Est profectò religiosa vita derelictio quædam omnium peccatorum, & vniuersorum vitiorum contemptio, qua homo exuit veterem hominem cum actibus suis: induit autem nouum, qui secundum Deum creatus est in iustitia, & sanctitate veritatis. Est immane bellum, quo aduersus inordinatos animi affectus, & molestos dæmonum insultus, grauiter & constanter pugnatur. Est quæstuosa quædam, & honorabilis negotiatio, non aurum, & argentum, diuitiásque perituras: sed*

diuinorum contemplationem,(quæ vera sapientia est) omnipotentis Dei familiarissimam amicitiam, & virtutis numquam perituræ lucrum inquirens. Est tandem ædificatio pulcherrima, qua Deo in nobis templum magnificum, nobis autem in cœlesti patria amplissimam regiam extruimus. Sed illi, qui hanc vitam verè fælicem profitentur, ô Deus, quàm longè absunt ab his animi internis functionibus, quas hoc vitæ genus, atque institutum efflagitat. Multum curæ est illis de externo habitu, de corporis amictu, ac de his cæremonijs, quas homines vident, internam autem mentis puritatem, indumenta virtutum, & pios voluntatis affectus, quos Deus ipse videt, & Angeli sancti suspiciunt, omnino contemnunt: cùm tamen certum sit, quod iuxta præscriptū Saluatoris, hæc oportuit facere, & illa non omittere. Magna abusio (inquit Bernardus) maxima cura est, vt corpus regulariter induatur, & contra regulam suis vestibus anima nuda deseritur. Cùm tanto studio tunica, & cuculla corpori procurentur, quatenus cui deerunt, monachus non putetur, cui similiter spiritui pietas, & humilitas, quæ profectò spiritualia indumenta sunt, non prouidentur?] Mat. 23. Bern. in Apologia ad Guillelmum.

Vocantur iusti, verùm longè est ab illis perfectorum vita iustorum: sunt enim non perfecti iusti, sed nonnihil declinantes in vitam mundanorum, quis enim illorum (paucos verè sanctos, & perfectos excipio) non superbia tumet, non excandescit ira, non pallet inuidia? Quis illorum non illuditur vanis cogitationibus, non diffluit verbis otiosis, non fœdatur, si non malis, saltem tepidis, & imperfectis operibus? Quis illorum orans mente non distrahitur, psallens non dormitat, aut erga tremendam maiestatem, quam laudat, non irreuerenter se habet, & incruentum sacrificium offerens, sua tepiditate, & cordis incuria diuinam indignationem non prouocat?

Lugeat illos Ieremias, ipsorum vicem sanè miseram & infœlicem doleat, stupens ac admirans dicat de illis, Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus, dispersi sunt lapides sanctuarij in capite omnium platearum?] Pergat adhuc religiosorum calamitatem deplorare, & dictis adiciat, Filij Sion incluti, amicti auro primo, quomodo reputati sunt in vasa testea, opus manuum figuli? An non aurum religiosi, qui tamquam metalla pretiosissima, in cœnobijs, ac monasterijs à patrefamilias Deo tamquam in thecis sibi charissimis reconduntur? Sed hi obscurati sunt: nam continuis imperfectionibus pristinum splendorem, & sanctitatis decorem amiserunt. An non eorum color optimus, dum modestiæ grauitate, & silentij censura sæculares instruebant, & ad sanam mentem vocabant? Sed iste color mutatus est, quia modestia in dissolutionem, & silentium in loquacitatem, & in cachinnos conuersa est. An non ipsi lapides sanctuarij? Sunt enim lapides viui, qui sanctam Ecclesiam cingunt, & instar muri fortissimi templum hoc spirituale Christi suis meritis, & orationibus circūdāt, & protegunt. At dispersi sunt in capite platearum cùm cœnobij adyta relinquentes, & cellularum secreta deserentes, per oppida, & ciuitates otiosè discurrūt, domos sæcularium ad inuisēdas mulierculas inutiliter adeunt, & curias principum, aulásque regum, nō minus molestè quàm periculosè frequentant. An non filij Sion, matris Ecclesiæ incluti, & præ omnibus filijs chari, & amabiles: quos Gregorius Nazianzenus partem selectiorem, & sapientiorem Ecclesiæ vocat? Et insuper amicti auro sapientiæ & charitatis purissimo. Sed conuersi sunt in vasa testea, quia desiderijs carnalibus emolliti, & terrenis cupiditatibus tabefacti, non ad aliud apti sunt, nisi vt in illis dictum sancti Dauidis impleatur: Quòd reget eos Dominus in virga ferrea, & tamquam vas figuli confringet eos. Thrē. 4. Nazian. orat. de laudibus Basilij. Psal. 2.

Ne tamen ex propria mente loqui videamur, Hieronymum hunc Ieremiæ locum interpretātem audiamus. Quid namq; auro (inquit) quod metallis cæteris præeminet, nisi excellētia sanctitatis? Quid colore optimo, nisi cunctis amabilis reuerētia religionis exprimitur? Quid per sanctuarij lapides nisi sacrorum ordinum personæ signantur? Quid platearum nomine, nisi præsentis vitæ latitudo signatur? Aurum igitur obscuratur, cùm terrenis actibus sanctitatis vita polluitur. Color optimus commutatur, cùm quorundam, qui agere religiosè credebantur, existimatio anteacta minuitur. Nam cùm quilibet post sanctitatis habitum terrenis se Hieron. in cap. 4. Thren.

actibus inserit, quasi colore permutato ante humanos oculos, eius reuerentia despecta, pallescit. Sanctuarij quoque lapides in plateas disperguntur, cùm causa sæcularium foras lata itinera expetunt hi, qui ad ornamenta Ecclesiæ internis mysterijs, quasi in secretis sanctuarij vacare debuerant. Hactenus Hieronymus.

Putantur Angeli, cùm tamen sint miseri & imbecilles homines, non tantùm natura (nec enim hoc mirum esset, quia cùm habitum religiosum induunt, naturam humanam non exuũt) sed terrenis affectibus, & vanis desiderijs, quibus illigati sunt alij filij Adam, qui ad cælestem hunc statum non fuerunt euocati. Vanum honorem concupiscunt, prælaturas, & dignitates religionis, imò & sæculi desiderant; quid dico desiderant? procurant, ambiunt, mercantur, nec desunt, qui per iocum, aut seriò dicant, Pauli esse sententiam; Quòd qui Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat; aut germanam intelligentiam dissimulantes, aut non intelligentes, Apostolum non superbã, & omnibus, sed maximè religiosis vetitam prensationẽ suasisse, sed vitam Episcoporum, & labores consuluisse. Proprias commoditates, non quidẽ necessarias, sed superfluas ad fastum, & ad vanitatem spectantes, quærunt, & ipsi pauperes, qui votũ nihil possidendi emiserũt, sæpe in corporis cultu, in vestitu, in libris & in alia supellectili cellularum, diuites mundi & pecuniosos excedũt. Sæculi delicias in cibis, in potibus, & in aliis ad mollitiem vitæ prouocandam sectantur, & castitatis obliti, quam colunt, ea, quæ castitatem debilitant, non exhorrent. Propriam voluntatem, quæ obedientiam, & promissam subiectionem eneruat, impensè diligunt: qui eam vel leuiter tangit, tamquam infestissimum hostem propellunt, & religionis annos, acquisitam, doctrinam prædicationis munus, & alios in animarum profectum exanthlatos labores, ad excutiendum obedientiæ iugum, & ad captãda priuilegia & exemptiones, amant. Iam non est in illis humilitatis cura, sed ille habetur melior, qui nescio quo prætextu honoris suæ religionis euasit insolentior. Aufugit studium mãsuetudinis, & opprobria, vel iniurias non ferunt, sed si possunt grauioribus iniuriis in iniuriosos illatis, qui eos læserunt, vindicant. Sancta orationis, non dico exercitium, sed desiderium relegatum est; Psalmos canunt, aut recitant, partim oscitando, partim verba præcidendo; partim vana, & otiosa cogitando, quos non omittunt, ne graue crimen in præceptum Ecclesiæ committant.

1. ad Timot. c. 3.

Sed quis est qui mente oret? Qui Christi Iesu vitam & mysteria ruminet? Qui sanctorum virtutes & beneficia à Deo accepta recogitet? Qui diuinas perfectiones contempletur? Quòd si aliqui sunt, qui hoc faciant, quis est, qui vt æquum est faciat? Quis est, qui orans purgetur? Cogitans illuminetur? Contemplans accendatur, & ignescat? Quis est, qui sanctæ contemplationis studio mundum contempsit, seipsum spreuit, honorem conculcauit? Quis est, qui amet nesciri, qui velit non splendere, qui diligat pro nihilo reputari? O quàm aptè nostro statui accommodari potest illud quod dictum est per Oseam, Ephraim in populis ipse commiscebatur, Ephraim factus est subcineritius panis, qui non reuersatur, comederũt alieni robur eius & ipse nesciuit, sed & cani effusi sunt in eo, & ipse ignorauit.] Commiscentur in populis, quia populi mores, & mundanorum vitam imitantur, quia sicut illi de rebus sentiunt, ita & ipsi sentiunt. Væ illis, qui habitantes in luce, sicut filij Israel, ac si essent Ægyptij, excæcati sunt, dicentes (vt est apud Isaiam) bonum malum, & malum bonum, ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras, ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum! Ecce enim parcitas (inquit Bernardus putatur auaritia, sobrietas, auctoritas creditur, silentium, tristitia reputatur. E contra remissio, discretio dicitur, effusio, liberalitas, loquacitas affabilitas, cachinnatio, iucunditas, mollities vestimentorũ, & equorum fastus, honestas, lectorũ superfluus cultus, mũditia, cúmque horũ alterutrum impendimus, charitas appellatur. Ista charitas destruit charitatem, hæc discretio, discretionẽ confundit, talis misericordia, crudelitate plena est, quia videlicet ita corpori seruitur, vt anima iuguletur. Quæ enim charitas est carnem diligere, & spiritum negligere? Quæue discretio totum dare corpori & nihil animæ? Qualis verò misericordia, ancillam reficere, & dominam interficere?] Facti sunt subcineritij panes, qui non reuersantur: sicut enim huiusmodi panes paulatim exuruntur, ita &

Oseæ 7.

Isaiæ 5.

Ber Apolog. ad Guillel.

religiosi modò insensibiliter concupiscentiarum, & desideriorum igne consumuntur, & propriæ voluntatis expletione obdurescunt, & tamquam panes combusti, & ferè in lapides duros conuersi, vt apponantur in mensa cœlestis regis indigni sunt. Vitia exhauserunt eorum fortitudinem, consumpserunt animi robur, & vires, & hanc ingentem calamitatem ignorant.

Ex hac autem vitæ tepiditate prouenit, vt qui mundum reliquerunt, & Deo seipsos dedicarunt, Ecclesiæ minus vtiles, & fructuosi his miseris temporibus existant. Retinent externum religionis habitum, sed mutarunt naturam, amiserunt internam mentis virtutem, & circumspectionem, qua Ecclesiam fulciebant, & sustentabant, quare non possunt sicut antea prodesse. Jmpletur enim in illis, quod scriptum est in Amos: Numquid currere queunt in petris equi, aut arari potest in bubalis? Quoniam conuertistis in amaritudinem iudicium, & fructum iustitiæ in absynthium. Nam sicut celeres equi non possunt per rupes & saxa cursum conficere, nec boues indomiti sunt idonei, vt iugum admittant, & aratro glebas terræ proscindant, ita qui pietatis opera in occupationes sæculares mutarunt, & studia iustitiæ, & sanctitatis, in curas proprij commodi verterunt: non sunt apti, vt terrea corda aratro prædicationis emolliant, & per Ecclesiam, vt alios iuuent, rapido cursu discurrant. Quomodo enim superbi & elati modestiam & humilitatem docebunt? Immites & implacabiles mansuetudinem & patientiam exponent? Ambitiosi & inanis gloriæ cupidi contemptum rerum mundanarum edicent? Discordes ac minimè consentientes pacem & concordiam prædicabunt? Quo pacto à propriis cupiditatibus victi dabunt assequendæ præcepta victoriæ? Facti vilissima suorum affectuum mancipia, ad libertatem excitabunt? Et qui orare, & Deum alloqui numquam didicerunt, ad studium orationis allicient? Numquid (ait Dominus) colligimus de spinis vuas, aut de tribulis ficus?] Qui ergo tamquam senticeta prauorum operum spinis animas pungunt, qua ratione vuas ædificationis ex animabus colligent? Et qui sicut tribuli iniquorum exemplorum aculeo videntes & audientes stimulant, qui fieri potest, vt suauissimos virtutum ficus in aliis reportent?

Amos 6. Mat. 7.

Mundus sanè esse à vitiis debet (inquit Gregorius) qui curat aliena corrigere vt terrena non cogitet, vt desideriis infimis non succumbat, quatenus tantò perspicacius aliis fugienda videat, quantò hæc ipsa per scientiam & vitam veriùs declinat, quia nequaquam purè maculam in membro considerat oculus, quem puluis grauat, & superiectas sordes tegere non valet manus, quæ lutum tenet.] Hæc ille. Hi mundi à vitiis & cupiditatibus esse debent, quorum est vitiosos & immundos à suis sordibus expurgare, dum verò impuri & lutulenti consistunt, haud quaquam peccatores, à vitiis eorum, doctrina & exemplo mundabunt. Qui autem in statu proficiendi sibi & aliis, nec sibi ipsis, nec proximis prosunt, quid aliud sperare possunt, nisi vt tamquam ille seruus malus & piger, qui acceptum talentum absconderat, & otiosum tenuerat, acriter reprehendatur, sine remedio damnentur, & interim, dum damnatio differtur, modico illo, quod habent, spolientur? Modicum est splendor externus, & opinio, quam apud alios religionis & celsioris status causa possident, sed hac tepidi, & in Dei obsequio negligentes priuati sunt, quando à laicis, & sæcularibus contemnuntur. Quid aliud boni illos manet, nisi, vt tamquam ficulnea infructuosa, quæ tribus annis ficus non dederat, à Domino iubeantur exscindi? Plantauit eos benignus Dominus in vinea sua, in vita scilicet religiosa, non vt locum otiosè occuparent, sed vt dulcissimos fructus afferrent, tribus annis, id est, in principio, & medio, & fine, vitæ, istos fructus quæsiuit, nec tamen inuenit. Ad desiderium, & orationem cultoris vineæ, id est, prælati, punitionem distulit, & patienter expectauit, donec foderet circa illos, & mitteret stercora, hoc est (vt interpretatur Augustinus) humilitatem, pœnitentiam, & patientiam doceret. Sed si post Dei longanimitatem, & patientiam, post prælatorum admonitiones, & correctiones, peiores euadant, quid iam expectant, nisi, vt vel per abiectionem sancti status, quem habent, vel per mortem succidantur, & in ignem concupiscentiarum suarum, vel in ignem semper mansurum mittantur? Jn hoc sanè periculo

Greg. 6. mor. c. 7. Mat. 25. Luc. 13. Aug. ser. 31. de verb. Domini.

versantur tepidi, & suæ salutis atque perfectionis obliti.

Cassia li. 4. de instit. c. 33. Vt enim optimè dixit Cassianus: sicut immensa gloria fideliter seruientibus Deo, ac secundum regulæ institutionem ei adhærentibus repromittitur in futurum, ita pœnæ grauissimæ præparantur his, qui tepidè eam, negligentérque fuerint executi, & secundum hoc, quod professi sunt, vel quod ab hominibus esse creduntur, fructus etiam congruos sanctitatis eidem exhibere neglexerint. Eccles. 5. Melius est enim (secundum Scripturæ sententiam) non vouere quicquam, quàm vouere, & non reddere.] Hæc est sancti istius doctoris sententia, quam sine dubio experientur illi, qui sola externa religiosæ vitæ professione contenti, internam disciplinam non expetunt, & veræ virtutis studium abiiciunt.

Illud autem est valde lamentabile, & innumeris lacrymis deplorandum, quòd isti in hoc Ierem. 6. periculo constituti, securi sunt, & animũ concipiunt pacatum, & tranquillum, dicentes: pax, pax: cùm tamen non sit pax. Confidunt in dignitate status, in religionis antiquitate, in fundatoris, & primorum parentum sanctitate, ac si minores faciant perfectos, & sanctos gesta maiorum, & quasi non esset turpissimum à primorum patrum operibus degenerasse, eorúmque feruorem laudabilem, in teporem & detestabilem ignauiam cõuertisse. Quid mihi vtilitatis affert regalis status, si vitam & mores habeo seruiles? Quid progenitorum stemmata, si illorum præclara gesta non sequor? Quid antiquorum puritas, si eam non imitor, & fœtidus sum, & impurus? An prophanus Esau sanctitate Isaac patris sui Deo satisfecit? An impius Absalon fidelitate Dauidis arrisit? An iniquus, & crudelis Manasses Ezechiæ pietate complacuit? Nullo modo. Imò isti sunt detestabiliores effecti, quia à patrum suorum bonitate desciuerunt, & iniquis operibus illorum gesta fœdarunt. Chrys. in imperfecto super Matt. in c. 3. Quid prodest ei, quem sordidant mores, (inquit Chrysostomus) generatio clara? Aut quid nocet illi generatio vilis, quem mores adornant? Ipse se vacuum ab omnibus bonis actibus ostendit, qui gloriatur in patribus. Quid profuit Cham, Genes. 9. quòd filius fuit Noe? Nónne separatus de medio filiorum, qui secundum carnem frater natus fuerat, secundum animam factus est seruus. Nec familia eius sancta potuit defendere Gen. 11. impios mores. Aut quid nocuit Abrahæ, quòd patrem habuit Thare luteorum deorum cultorem? Nónne separatus à genere suo, positus est in caput fidelium, vt iam non diceretur filius peccatorum, sed pater sanctorum? Nec potuerunt gloriam eius sordidare paterni errores. Nam & aurum de terra nascitur, sed non est terra, & stannum de argento egreditur, sed non est argentum. Hæc auctor ille nomine honoratus Chrysostomi. Sic profectò religiosæ vitæ cultores non possunt seipsos antiquorum patrum miraculis, aut vitæ integritate defendere, vel religionis vetustate protegere, si sunt patribus antiquis dissimiles, & tamquam rudes Orig. ho. 4. super Ezech. semper in vita spirituali tyrones. Quare optimè suasit Origenes. Nemo nostrûm confidat in iusto patre, in matre sancta, in fratribus castis: Beatus homo, qui spem habet in semetipso, & in via recta. Ad eos autem, qui in sanctis fiduciam habent (intellige fiduciam inanem quasi illi soli sine cura bonorum operum nos saluare possint) non incongruè proferimus exemplum. Iere. 17. Psal. 146 Maledictus homo, qui spem habet in homine. Et illud. Nolite confidere in hominibus.] His Ioan. 8. dicit Dominus: Si filij Abrahæ estis, opera Abrahæ facite. Si gloriamini quòd filij estis eorum, Gen. 12. qui Abrahæ fidem imitantes exierunt de terra sua, & de cognatione sua, & de domo patris sui, & venerunt in terram, quam Dominus monstrauit eis, vt faceret eos in gentem magnam, & benediceret eis, & magnificaret nomen illorum, vt essent benedicti, opera illorum facite, vitam sequimini, mores imitamini. Exite de terra vestra, de conuersatione terrena, & de cognatione vestra, de voluptatibus, & delectationibus carnis, ac de domo patris vestri, de superbia, & ambitione veteris Adæ, cuius sequela vos hucusque destruxit. Hoc est ex Ambrosij sententia Abrahæ vestigiis spiritualiter inhærere. Consideremus (ait) ne fortè hoc sit Amb. lib. 1. de Abrah. c. 2. exire de terra sua, de huius terræ, hoc est, corporis nostri quadam commoratione egredi, de qua exiuit Paulus, qui dixit, nostra autem conuersatio in cœlis est: & de illecebris, & delectatio- Philip. 3. nibus corporalibus, quas velut cognatas animæ nostræ, dixit, quam compati necesse est corpori, donec eius colligata vinculo adhæret. Ergo exire de conuersatione terrena, & à sæcularibus

oblecta

oblectamentis, & superioris vitæ moribus atque actibus debemus, vt non solùm loca, sed etiam nos ipsos mutemus.]

Exite, inquam, ad Abrahæ scilicet vestri spiritualis patris exemplum, de terrestri habitatione vitiorum, de ignominiosa propinquitate peccatorum, de domo sæcularium occupationũ, alioquin, ne velitis dicere intra vos, patrem habemus Abraham, dico enim vobis, quoniam potens est Deus, de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ. Potest vtique Deus, cuius iræ nemo resistere potest, vos à cœtu sanctorum excludere, & in abyssum proiicere, dura autẽ mundanorum corda excitare, & ad religionẽ vocare, qui patris religionis imitatores effecti, non habitu tantùm, sed moribus, eorum charissimi filij vocentur. O quã bene in eos, qui de religionis antiquitate, & sanctitate se iactant, illud Abdiæ quadrat. Superbia cordis tui extulit te habitantem in scissuris petrarum, exaltantẽ solium tuũ, qui dicis in corde tuo, quis detrahet me in terram?] Non enim operibus, non laboribus, non rebus præclarè gestis superbiũt, quod esset minus forsan intolerabile, sed cordis sui cogitationibus intumescunt. Quia scilicet, vident se habitare in scissuris petrarum, & inter viuos, ac electos lapides, inter sanctos viros, ac perfectos commorari, & solium, ac requiem inter Dei familiares & amicos retinere. Huius habitationis causa tument, & dicunt, si non verbis, intus tamen in animo, Quónam modo peribimus? Quánam ratione damnabimur, qui munitissimam hanc ciuitatem incolimus, & in præruptis silicibus habitamus? Quibus econtrariò dicit Dominus, Si exaltatus fueris vt aquila, & si inter sydera posueris nidum tuum, inde detrahã te. Nihil eis proficit status celsitudo, quia in eo exaltantur, vt aquilæ. Nam sicut aquila in sublime volans, corpore tantùm terrena deserit, cor tamẽ, & oculos in terra, habet defixos, vt animalculũ vilissimũ ad escam, accipiat, ita hi externo corporis indumento, & status obligatione, terrena despiciunt, animo tamen, & voluntate mundi volũtates, & commoda nequaquam derelinquunt. Nihil refert, quòd inter sydera, & splendidissimas sanctorum virorũ stellas nidum collocauerũt, quia cùm non sicut stellæ sanctitate luceant, sunt sicut Saul inter Prophetas, & tamquã Lucifer inter Angelos, à quorũ cõsortio fuit miserabiliter exturbatus. Inde iustissimo Dei iudicio detrahuntur, & nunc in mundanorum numero: postea verò in reproborum sorte ponentur. Matth. 3. Iob. 9. Abdiæ 1 Ibidem.

Hos ergo, qui à feruore primæ vocationis exciderunt, & se non propria, sed aliena virtute exornarunt, cupio his voluminibus ad perfectionem & sæculi fugã exhortari. Et tãtò maiore auiditate istum laborem suscipio, quantò huiusmodi homines, non paucos, sed multos admodũ esse formido. Potest enim Dominus de quauis religiosa congregatione, nũc dicere, quod antea dixerat per Prophetã Amos. Vrbs, de qua egrediebãtur mille, relinquentur in ea centũ, & de qua egrediebãtur centum, relinquẽtur in ea decẽ in domo Israël. Nam in Ecclesia sancta religiones sunt, sicut vrbes fortes, & egregiæ, ex quibus strenui milites educuntur, qui fidem tuentur, virtutem defendunt, vitiorum & peccatorum copias, tum docendo, tum operando, deuincunt. Sed ex qualibet istarum vrbium, ô quàm pauci iam educuntur in prælium, quàm rari sunt, qui bellare didicerint, quoniam ad ignauiam, inertiam, & timiditatem infœliciter deflexerunt! Væ mihi (ait supremus rex, atque istarũ vrbium potentissimus Imperator) quia factus sum, sicut qui colligit in autumno racemos vindemiæ: non est botrus ad comedendum, præcoces ficus desiderauit anima mea.] Dolet Christus, vel ad modum dolentis se hábet; nam sicut qui quærit racemos post factam vindemiam, non multos quærit, sed paucis suo desiderio satisfacit: ita ipse in his vineis Engaddi paucos saltem racemos, id est, aliquos sanctos, & perfectos inquirit, & nec istos aptos ad comedendum reperit: desiderat iam maturescentes ficus, id est, qui in spiritu proficiant, qui passionum & propriæ voluntatis accerbitatem abijciant, qui orationis dulcedinem, & suauitatem sectetur, & ferè nullus talis occurrit. In quolibet cœnobio, vnum, aut alterum perfectum inuenies: duos, vel tres, qui tranquillitati, & puritati cordis insistant: paucissimos, qui suis affectibus imperent, & humilitatem, ac sui despectionem concupiscant: Reliqui verò non iniqui sunt, & mali (absit, vt hoc de religiosis existimem) sed in cultu Dei tepidi, in virtutum desiderio remissi, & in studio perfectionis incuriosi. Amos 5. 3. Mich. 4.

Videas

Videas eos immodestos, loquaces, inanis gloriæ cupidos, honoris auidos, studiis vanis, & negotiis sæcularibus distractos, Cellæ quietem fugiunt, psalmodiam auersantur, lectionem parui pendunt, orationem fastidiunt: amant concursus populorum, colloquia vana mundanorum familiaritates magnatum, obsequia principum, & tanquam monstra quædam, sub externa religionis imagine, vitam præferunt sæcularem.

Horum itaque miseriam lamentabilem Christus dolet, & ego eius minimus seruus aliquãdo doleo, & licèt valde dissimili spiritu, verba tamen Apostoli vsurpo. Veritatem dico in Christo Iesu, non mentior, testimonium mihi perhibente cõsciẽtia mea in Spiritu sancto, quoniam tristitia mihi magna est, & continuus dolor cordi meo.] Non exaggero, nõ amplifico, sed simpliciter, quod mihi accidit, narro, magna sæpe tristitia afficior, dolore crucior: dũ nostri status calamitatem, & miseriã animaduerto, adeò, vt quodammodo possim dicere, quod Paulus ipse subiungit, Optabã enim ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei, si non secundum carnem, sed certe secundum spiritum, vinculo scilicet arctiori, qui sunt Israelitæ, quorum adeptio est filiorum, & gloria, & testamentũ, & legislatio, & obsequium, & promissa, quorum patres, ex quibus est Christus.]

Rom. 9.

Ibidem.

Curnon discruiter, & Christi familiaritate dulcissima ad tempus carere optem, dum laboribus studiorum occupor pro fratribus meis, pro omnibus nimirũ vitæ religiosæ sectatoribus, quos video in tantũ teporem, & negligentiam incidisse? Ipsi sunt ex genere spiritualis Israëlis, qui (vt interpretatur Hieronymus) significat præualens Deo, quoniam deberent precibus præualere ei, & orationibus fortes esse contra Deum, & manum eius tenere, qua mundum tot supplicijs ob nostras iniquitates ferit. Sed nec præualent Deo, imò nec mutire audent; quia se etiam mundi iniquitatibus reperiunt implicatos. Quibus ipse Dominus hanc ignominiam exprobrat per Ezechielem. Non ascendistis (inquit) ex aduerso, neque opposuistis murum pro domo Israël, vt staretis in prælio in die Domini.] Ipsorum est adoptio filiorum: quoniam præ omnibus aliis fidelibus, ratione altioris status, & vitæ purioris à Christo adoptantur in filios, quos dedit illi Dominus, vt sint in signũ & in portentum in Israel. Ipsorum est gloria & excellentia, qua ab Angelis socij, ab hominibus verò Dei amici, & familiares reputantur. Ipsorum est testamentũ, id est, pactum, quod cum illis pepigit Deus, vt omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrẽ, aut vxorem, aut filios, aut agros propter Christi nomen, centuplum accipiat, & vitam æternam possideat. Ipsorum est legislatio: quia specialiter legem Euangelicam receperunt, quam perfectè obseruant, & regularum muro, & antemurali cinctam, custodiunt. Et obsequium: nam à sæculi turbis, & curis segregati sunt, vt diuinæ sint maiestatis cultores. Nec non, & promissa illa magna, & ineffabilia: quibus illis promissum est, quòd sessuri sunt super sedes duodecim iudicantes duodecim tribus Israël, vniuersas nimirum orbis nationes. Ipsorum sunt patres, ex quibus est Christus: Nam sanctarum religionum fundatores, Christum spiritu conceperunt, Christum prædicarunt, & in suorum cordibus filiorum Christum genuerunt.

Hieron. trad. in Genes.

Ezech. c. 13.

Isaiæ 8.

Matt. 19.

Matt. 19.

Istos itaque tam magnos, tam paruos, tam sublimes, tam abiectos, tam diuites, tam mendicos, ad perfectionem excitare nitor. Istos tam magnos statu, tam paruos vita: tam sublimes dignitate, tam abiectos moribus: tam diuites regulis, documentis, & legibus: tam mendicos sanctitatis, atque virtutum, ad vitæ puritatem exhortari contendo. In conspectu illorum vitæ spiritualis diuitias, virtutis pulchritudinem, perfectionis iucunditatem, constituo, si quo modo ad æmulandum prouocem carnem meam, & saluos faciam aliquos ex illis. Illos denique ad veræ virtutis studium, & amorem accẽdo, vt æmulentur charismata meliorata, & vt sanctorũ patrum, ducũmque suorum, sint ipsi, & filij, & sectatores. Enim verò mirum in modum optandum est, vt si non multi Benedicti, aut multi Dominici: si non multi Francisci, aut multi Ignatij sunt in mundo, plurimi tamen essent eorum filij, non sacco, & zona tantùm, non veste vili, & abiecta (isti enim multi admodum sunt) sed contemptu sæculi, sed interna omnium vitiorum abnegatione, sed virtutum operibus, sed mentis puritate.

Rom. 11

Vt ergo hi in via perfectionis erudiantur, non Christianæ legis rudimenta proponenda sunt, sed subtiliora, & perfectiora huius sacræ scientiæ documenta propalanda. Non enim decet sermone nostro à grauioribus criminibus illos abducere, qui leuia peccata deuitant, nec à libidine, & appetitu vindictæ, & percussione proximorum auertere; quos cibi, potúsque mensura, & ex ipso statu concepta cordis humilitas, & mansuetudo lenissima remouet. Alia doctrina perfectior, quæ in fuga leuissimorum defectuum, & in passionum mortificatione, ac in cordis perfecta munditia consistit; illis ingerenda est more sanctorum Patrum, qui non sæculares, sed religiosos docuerunt. Hoc obseruauit Bernardus, volens canticorum explanatione suos filios instruere. Vobis fratres (inquit) alia, quàm aliis de sæculo, aut certè aliter dicenda sunt. Illis siquidem lac potum dat & non escam, qui Apostoli formam tenet in docendo. Nam spiritualibus solidiora apponenda esse, itidem ipse suo docet exemplo. Loquimur (inquiens) non in doctis humanæ sapientiæ verbis, sed in doctrina spiritus, spiritualibus spiritualia comparantes. Item: Sapientiam loquimur inter perfectos, quales vos nimirum esse confido, nisi frustra forte iam ex longo studiis estis cælestibus occupati, exercitati sensibus, & in lege Dei meditantes die ac nocte. Itaque parate fauces, non lacti, sed pani. Ber. ser. 2. in cant. 1. Cor. 2. Ibidem.

Hoc & Basilius custodiuit. Verùm vobis (ait) qui ex ea iam, quæ in Christo est infantia, excessistis, neque lacte iam amplius egetis, sed quod ad interiorem hominem attinet solido doctrinæ cibo ab perfectionem adolescere & prouehi potestis, præceptis sublimioribus opus est; iisque in quorum expletione vniuersa charitatis Christianæ veritas legitimè absoluitur. Idem & alij Patres asseruarunt, quorum exempla consectans, religiosis religiosa, sancta & sublimia virtutis ac sanctitatis documenta vellem explicare. Verens enim (vt verbis Ambrosij tantisper immutatis vtar) his increpationibus, & suppliciis subdi, quæ in pigrum seruum congeruntur, timore pœnæ perculsus, amore fraterno inuitatus, non iam ad infimum loquor vulgus, quos iugiter monere consueui, sed ad ipsos iam prædicatores vulgi mea verba conuerto; & meis conseruis, velut obediens seruus, id est, religiosus religiosis audacter prædicare salutis cõmunia non retardabo nec prærogatiuam mihimet scientiæ, si hæc meis commilitonibus charitatis intuitu, prærogem, vendicabo: aut vitæ perfectæ me esse fateor, cùm de vita perfecta alios moneo, sed potiùs cùm hæc ad illos loqui audeo, simul cum illis, quæ loquor, audiam. Basil. reg. 4 fusius disp. Amb. lib. de dignitate sacerdotali ca. 1.

Non timebo igitur altissima perfectionis mysteria, & quæ captum humanum superant, oculis sanctorum offerre, quia non quæ ego feci, aut expertus sum (fateor enim libentissimè multa me dicturum, quæ non sum expertus) sed, quæ in me desideraui, quæ à Domino sæpius postulaui, quæ in aliquibus viris spiritualibus vidi, quibuscum indignus viuo, & quæ in sanctis Patribus legi, sum propositurus. Quæ vehementer rogo, nemo qui legerit, aut impossibilia, ant nimis difficilia iudicet; sed si de his voluerit proferre sententiam (vt monet Cassianus) & vtrùm impleri queant, desiderat experiri; festinet priùs eorum Patrum, qui docuerunt, propositum simili studio, & conuersatione suscipere, & tunc demum ea, qua supra facultatem hominis videbantur, non solùm possibilia, sed etiam suauissima deprehendet. Periculosæ enim præsumptionis est (vt alio loco ait idem venerabilis Cassianus) nec dum rebus rectè discussis, nec certa ratione collectis, de natura cuiuslibet rei proponere, & definire, ac de fragilitatis suæ consideratione capere coniecturam, non de statu, & qualitate ipsius disciplinæ, vel de aliorum experientia, proferre sententiam: Quod simili satis apto confirmat. Addit quippe. Neque enim, si quis natandi ignarus, sciens pondus corporis sui ferri aquarum liquore non posse, experimento suæ voluerit imperitiæ definire, neminem penitus posse liquidis elementis, solida carne circundatum sustineri, idcirco, vera eius opinio iudicanda est, quam secundum experientiam suam visus est protulisse, cùm hoc non solùm non esse impossibile, sed etiam perfacilè ab aliis fieri, ratione certissima, & oculorum fide non dubia comprobetur. Cassian. præf. collation. Collat 7. cap. 4.

Abiiciat itaque huius operis lector socordiam, & ignauiam: secundum præscriptum suæ regulæ viuat; vanas cogitationes comprimat; affectus cohibeat; silentium amet; colloquia sancta suscipiat, corpus domet, orationi & meditationi vacet, ac puritati mentis insistat, &

tunc

tunc hæc, quæ à nobis afferentur, an impossibilia sint, an potius possibilia, & facilia, cognoscet.

Hæc duo, quæ hucusque proposui, honestas, & vtilitas, me valde ad scribendum inflammant; sed tertium, possibilitas scilicet, non parùm profectò ab opere suscepto deterret. Quid enim homo spiritualis scientiæ imperitus, vita incultus & agrestis, & corpore penè defectus, poterit sibi in tanti operis immensitate promittere? Hanc perfectionis sapientiam, nec acquisiui, nec didici, nec à longè salutaui. Magnis peccatis sum illigatus, vitiis, ac prauis habitibus imbutus, affectibus inordinatis, ac longa tepidè viuendi consuetudine dissolutus. Corpus est mihi inueteratis morbis exhaustum, capitis dolore quotidie crucior, & non nisi certis horis ante refectionem consuetam, aut legere, aut scribere aliquid valeo; quibus horis sæpissimè rerum exteriorum, quæ ab Obedientia mihi iniunctæ sunt, occupationibus impedior. Quid igitur homo ineptus & impeditus, de tam sublimi materia aut vtile, aut spiritualium virorum conspectu dignum conscribet? Profectò sæpissimè volui me ab hoc labore subtrahere, aut saltem in aliud tempus differre, quo nec aduersa valetudine, nec occupationibus præpedirer; sed id consilium istud remouet, quòd nec corporis incolumitatem, nec externarum occupationum cessationem spero, nec meis viribus (quæ nullæ omninò sunt:) sed Dei numine, atque afflatu, debeo hanc prouinciam aggredi, &, si illi placuerit, ante mortem, tantum opus consummare.
Psal. 77. *Dominus est, qui puerulum Dauidem sustulit de gregibus ouium, & de post fœtantes accepit eum, non solùm, vt pasceret Iacob seruum suum & Israël hæreditatem suam, sed vt etiam gratiæ mysteria calleret, & Ecclesiam illuminaret. Dominus est, qui piscatorem Petrum spiritu sapientiæ repleuit, quò fidem doceret, infidelitatis cæcitatem dispelleret, vitia destrueret.*
Amos 7. *Qui armentarium Amos sycomoros vellicantem, ad fastigium prophetiæ & diuini luminis opes, sublimauit. Ipse itaque (cui me totum commisi) poterit vilissimum seruum suum, peritia, & viribus, & temporis opportunitate ad scribendum dignare. Ignorantia quidem, & naturalis*
Greg. in præm. mor. c. 2. *inscitia, me penè desperare faciebat, sed (vt verba assumam Beati Gregorij) ad illum spem protinus erexi, per quem aperta est lingua mutorum, qui linguas infantium facit disertas, qui immensos, brutósque asini ruditus per sensatos humani colloquij distinxit modos. Quid ergo mirum, si intellectum stulto homini præbeat, qui veritatem suam, cùm voluerit, etiam per ora iumentorum narrat?*

Imperfectionis magnitudo, & vitiorum, quibus scateo, multitudo me ab incepto retrahebant; sed ea consideratio animat, quòd non meam, sed Christi, & Sanctorum doctrinam sum expositurus. Quam lectores obsecro attentè legant, reuerenter suscipiant, impigrè complectantur; scriptorem verò tamquam vilissimum, & malè aptatum calamum, ignorent, & contemnant. Si magni enim cuiusdam viri (inquit idem sanctus Pater Gregorius) susceptis
Gregor. in præmio mor. c. 1. *epistolis legeremus verba, eáque, quo calamo fuissent scripta, quæreremus, ridiculum profectò esset, si non & epistolarum auctorem scire, sensumque cognoscere; sed quali calamo ea verba impressa fuerint indagare studeremus.*

Sic ineptum erit scriptoris vitam, & mores inquirere, & propter eius vtilitatem, Dei viuentis, & Sanctorum distantium doctrinam aspernari. Imbecillitas corporis, & curæ, atque occupationes ab hoc opere reuocabant; sed Deus ipse confirmat, qui infirma mundi elegit, vt confundat fortia; & ignobilia mundi, & contemptibilia elegit, & ea, quæ non sunt, vt ea, quæ sunt,
1. Cor. 1.
1. Tim. 1. *destrueret: Vnde & poterit me imbecillum ad istorum librorum scriptionem roborare, vt non glorietur omnis caro, sed regi sæculorum immortali, atque inuisibili, soli Deo honor & gloria conferatur.*

Iam ergo his rationibus animatus, meo desiderio satisfaciam; gratitudinis erga Deum, qui me ad suam domum vocauit, significationem mundo offeram; ac fratribus meis omnibus religiosis aliquod vitæ spiritualis adiumentum præstabo; vt si magnus esse non potuerim, tamquàm, qui virtutum opera fecerim, & docuerim, saltem docens sic homines, & manda-
Matt. 5. *ta maiora pro posse non soluens, minimus, hoc est, pusillus inter pusillos, ac peccatores conuersos*

inueniar in regno cælorum. Perfectionis excellentiam & pulchritudinem scribam, ac media ad eam consequendam declarabo: non, vt hanc dulcissimam sponsam tenens, sed vt suspirans: non vt possidens, sed vt concupiscens; non ad eius purissimum admissus thalamum, sed vt qui ab ipsis religionis initijs in eum desidero admitti: non tamquam, qui iam acceperim, aut iam perfectus sim: sed tanquam qui sequor, si quomodo comprehendam, & huic eximio vocationis meæ beneficio vicem reddam, quo & comprehensus sum à Christo Iesu. Phil. 3.

Et quemadmodum pauperculi, postquam totum diem in mendicando consumpserunt, ad proprium hospitium de nocte recepti, interim magnificum colloquium instituunt, quo de potentum diuitijs, de principum fastu, de regum imperio, & dignitate tractant, & illi, qui genere sunt abiectissimi, conditione viles, penuria despecti, verbis, & sermonibus videntur amplissimi; ita & ego mendicus, qui ab adolescentia vitam in spirituali mendicatione consumpsi, & iam à fratribus meis, qui exemplo me docent, iam à sanctis, quos sæpius inuoco, stipem ad mendicitatem propriam subleuandam enixè postulaui, cùm quietem aliquam exopto, amplum & grande colloquium affecto, in quo iustorum opes, sanctorum diuitias, aulicorum cælestium dignitatem, pulchritudinem, ac purissimas voluptates, sum illustraturus, adeò vt qui me cognouerit, nihil egentius, & imbecillius; qui autem sine notitia audiuerit, nihil ditius, & opulentius existimet. Sicut etiam mercatores, quibus infæliciter mercatura successit, mercibus suis in mare submersis, aut substantia, alia via dilapidata, solent ad vitæ solatium calamum accipere, & mille summas computare, rationésque subducere eorum quæ lucrifacere nescierunt: ita ego virtutis, ac puritatis mercator infælix, qui plurimos annos in hanc dignissimam negotiationem impendi, & præ incuria, & negligentia maxima, nihil profeci, nihil acquisiui; hoc meæ egestatis solatium accipio, vt assumpto calamo, rationes fingam, virtutum numerum supputem, ac summam conficiam eorum, quæ in lucro, & quæstu animæ meæ, propriæ ignauiæ causâ, non posui. Et tandem, vt pictor consueuit, in annulo, vel tabula illius virginis effigiem exprimere, quam vnicè amat, & cupit in matrimonium accipere: ita hoc mihi leuamen relinquatur, vt post tot sancta virtutis, ac perfectionis desideria, quæ benignissimo Deo donante percepi: tandem eam, quam sponsam affecto, in his libris mihi, & aliis perfectionem sitientibus, tanquam in annulo aut tabella depingam. Tu Domine Deus meus, qui me à sæculo nequam liberasti, & animam meam de laqueo venantium, id est, negotiorum mundanorum eripuisti: Tu, qui me abscondisti in dulcissimo gremio Societatis Filij tui, in quo millies quolibet momento tuam prouidentiam erga me, tuam mansuetudinem, benignitatem & amorem experior, auxiliare mihi in hoc opere, quod ad tuum honorem, tuæque misericordiæ manifestationem, ac religiosorum vtilitatem suscipio. Scis, ô amator ardentissime, quantùm res tam profundas, ac sublimes tractare erubescam; quantùm in hac tractatione mihi ipsi diffidam, & quantùm tibi pauperum spei & remedio confidam. Sentiam ergo super me manum potentiæ tuæ, quæ meam intelligentiam illustret, voluntatem inflammet, corpus confirmet, commoditatem scribendi suppeditet, vt in hoc, experimento discam, quòd respicis humilitatem, hoc est, vtilitatem meam, & facies Sanctorum tuorum attendis, qui huius operis lectione proficient: & vt ostendas, quòd non derelinquis præsumentes de te; & præsumentes de se, ac de sua virtute gloriantes, humilias. Iudith. 6.

DE

PERFECTIONE

VITÆ SPIRITVALIS,

SIVE

DE FINE VITÆ RELIGIOSÆ,

LIBRI QVINQVE:

Quorum omnium partes, & capita ſequens pagina indicabit.

INDEX LIBRORVM, PARTIVM, ET CAPITVM.

PARTES & *Capita Libri primi, in quo agitur de incitamentis religiosorum ad vitam spiritualem consectandam.*
Procemium.
Pars I. huius Libri de Miseriis sæculi.
Multa esse, quæ religiosos ad vitam spiritualem inuitent. Cap.j.
Inter ea, quæ religiosos mouent ad vitam spiritualem, magni momenti esse considerare mala sæculi, & bona religionis. Cap.ij.
De miseriis sæculi, à quibus per vitam religiosam sumus liberati. Cap.iij.
De Cæcitate eorum, qui in sæculo nos erudiebant. Cap.iiij.
De Intemperantia passionum, quæ nos in sæculo cruciabant. Cap.v.
De Difficultate veræ pœnitentiæ in sæculo faciendæ. Cap.vj.
De Ignominia; atque insipientia sæculi. Cap.vij.
De Ignominiosa nuditate virtutum, quæ est in sæculo. Cap.viij.
Quàm sit homo præsidiis ad bonum destitutus in sæculo. Cap.ix.
Quàm vilis, & abiectus sit homo, qui mundana sectatur. Cap.x.
Quòd magnum bonum sit hæc omnia mala sæculi effugisse per religiosam vitam. Cap.xi.
Pars II. de Bonis vitæ religiosæ.
De Bonis religiosæ vitæ, & primò quanta benignitate Deus religiosos aspiciat. Cap.xij.
De Vocatione religiosa, & quòd homo eius beneficio vocetur ad vitam. Cap.xiij.
De Auxiliis gratiæ homini in vita religiosa attributis. Cap.xiv.
Quanta sit magnitudo, ac sublimitas animæ religiosæ. Cap.xv.
Quanta sit tranquillitas animæ religiosæ. Cap.xvj.
Quàm magna sit occasio puritatis cordis in vita religiosa. Cap.xvij.
Religiosos aptissimos esse, vt Ecclesiæ prosint. Cap.xiivj.
Religiosos non solùm aliis prodesse, verùm etiam in seipsis aliorum fratrũ inspectione proficere. Cap.xix.
Religiosos ad magnam Dei familiaritatem, & amicitiam fuisse vocatos. Cap.xx.
De Protectione Dei erga religiosos, & quibus rationibus cognoscatur. Cap.xxj.
Pars III. de Sublimitate vitæ religiosæ.
Quòd anima religiosa est sponsa Dei, ac primò de vinculo huius spiritualis coniugij. Cap.xxij.
De Mutuo consensu coniugij spiritualis inter Deum, & animam religiosam. Cap. xxxiij.
De Communi vitæ consuetudine Dei & animæ religiosæ. Cap.xiv.
De Fide, ac prole Dei, & animæ religiosæ. Cap.xxv.
De Indumentis, quæ in cœnobio induit anima religiosa. Cap.xxvj.
De Pretiosis gemmis animæ religiosæ. Cap.xxvij.
De honore religiosorum, ac primò, quòd sit verus honor. Cap.xxviij.

De Stabilitate honoris religiosorum. Cap.xxix.
Quanta sit magnitudo honoris religiosorum. Cap. xxx.
Religiosos, omnia prædicta bona suscepisse, vt Dominus sit Deus eorum, ipsi autem populus Dei. Cap. xxxj.
Religiosos hunc præstantissimum finem non assequi habitum monachalem gestando, sed vitam spiritualem agendo. Cap. xxxij.
Religiosis semper vitam Spiritualem esse sectandam, ac de illa in sequentibus esse tractandum. Cap. xxxiij.

PARTES, ET CAPITA Libri Secundi, in quo agitur de vita spirituali, & eius partibus.

Prooemium.

Pars I. de Substantia vitæ spiritualis, & quindecim eius gradibus.

Vitam spiritualem, prout in habitu cōsistit, esse gratiam faciētem nos gratos Deo. Cap.j.
De Discrimine vitæ naturalis, & spiritualis. Cap.ij.
De Sex indiciis vitæ spiritualis. Cap.iij.
De Sex aliis vitæ spiritualis coniecturis. Cap.iv.
Quid sit vita Spiritualis, prout in actione consistit. Cap.v.
Quæ opera ad vitam spiritualem pertineant. Cap.vj.
Quem finem habere debeant opera vitæ spiritualis. Cap. vij.
Qua regula sint opera vitæ spiritualis examinanda. Cap. viij.
De Quinque gradibus vitæ spiritualis, qui ad incipientes pertinent. Cap.ix.
De Quinque aliis gradibus proficientium in vita spirituali. Cap.x.
De quinque gradibus perfectorum in vita spirituali. Cap.xj.
Quòd Terminus vitæ spiritualis, & graduum eius, est vita in perpetuum duratura. Cap.xij.

Pars II. de triplici vita spirituali, Sacris literis adumbrata.

De triplici vita spirituali, actiua, contemplatiua, & mista. Cap.xiij.
De prima imagine vitæ actiuæ, & contemplatiuæ. Cap. xiv.
De Secunda imagine vitæ actiuæ, & contemplatiuæ. Cap. xv.
De Tertia imagine vitæ actiuæ, & contemplatiuæ. Cap.xvj.
De Quarta imagine vitæ actiuæ, & cōtemplatiuæ. Cap. xvij.
De Imaginibus vitæ mistæ, & quare viris sit designata. Cap.xviij.
Quòd vita mista etiam fuerit mulieribus designata. Cap.xix.
Quòd vita mista fuerit in animalibus Ezechielis præsignata. Cap.xx.

Pars III. de Substantia, fine, & officio vitæ actiuæ.

In quo consistat vita actiua. Cap. xxj.
In quem scopum tendat vita actiua. Cap. xxij.
Quæ sint actiones propriæ vitæ actiuæ. Cap.xxiij.
Quid necessarium sit, vt actiones vitæ actiuæ bonæ sint, meritoriæ, atque perfectæ. Cap. xxiv.
Vitam actiuam ad nouitios religionum pertinere: & hi, quales esse debeant. Cap. xxv.
Vitam actiuam ad religiosos etiam rerum temporalium administros pertinere, & hi quales futuri sint. Cap.xxvj.

Pars IIII. de Substantia, fine, & officio vitæ contemplatiuæ.

De Duplici vita contemplatiua, & de qua illarum in sequentibus tractandum. Cap.xxvij.
De Substantia, & natura vitæ contemplatiuæ. Cap. xxviij.
De Fine vitæ cōtemplatiuæ. Cap.xxix.

De Præparatione ad vitam contemplatiuam. Cap.xxx.
De Officiis vitæ contemplatiuæ. Cap. xxxj.
Quòd Vita contemplatiua est propria religiosorum solitariorum, & hi quales esse debeant. Cap.xxxij.
Vitam contemplatiuam etiam pertinere ad religiosos scholares omniũ religionum, & quales à prælatis optentur. Cap. xxxiij.

Pars V. de Substantia, fine, & officio vitæ mistæ, & eius præstantia supra alias.

Statum clericalem, cuius est vita mista, auxilio religiosorum indiguisse ad salutem animarum curandam. Cap.xxxiv.
Religiosos in auxilium statui clericali datos esse, vt saluti animarum consulant, & vitam mistam profiteantur. Cap.xxxv.
Quæ sit natura vitæ mistæ. Cap.xxxvj.
Quis sit finis vitæ mistæ. Cap. xxxvij.
Quæ sint officia vitæ mistæ. Cap. xxxviij.
Ad quos pertineat vita mista. Cap. xxxix.
Quòd ex his tribus vitis spiritualibus actiua est prior, & imperfectior. Cap.xl.
Quòd vita contemplatiua est perfectior, & tempore posterior, quàm actiua. Cap.xlj.
Quòd vita mista est duabus aliis dignitate prior. Cap.xlij.
De eadem perfectione vitæ mistæ. Cap.xliij.
Quòd vita mista sit aliis duabus temporis executione posterior. Cap. xliv.

PARTES ET CAPITA Libri Tertij, in quo agitur de natura perfectionis vitæ spiritualis.

Procemium.

Pars I. docet perfectionem consistere in charitate Dei, & proximi.

De Perfectionis nomine & notione. Cap.j.
De Tribus perfectionibus vitæ spiritualis, & quæ vestiganda. Cap.ij.
Perfectionem; vitæ spiritualis omnibus, sed præcipuè religiosis esse possibilem. Cap. iij.
Perfectionem non esse sitam in gratiis gratis datis. Cap.iv.
Perfectionem non esse positam in consiliis Euangelicis. Cap.v.
Perfectionem non esse constitutam in præceptis Decalogi. Cap.vj.
Perfectionem consistere in charitate Dei, & proximi. Cap.vij.
Perfectionem non in amore concupiscentiæ erga Deum, sed in vera charitate amicitiæ consistere. Cap. viij.
Perfectionem non esse charitatem afficientem, sed efficientem. Cap.ix.
Non quamcumque charitatem efficiẽtem esse perfectionem. Cap.x.

Pars II. de altera perfectionis parte, scilicet de charitate Dei.

Quæ charitas nomen & naturam perfectionis obtineat. Cap.xj.
Tribus similitudinibus exponitur, quæ charitas sit perfectio. Cap.xij.
De Quatuor primis fructibus perfectionis. Cap.xiij.
De Quatuor Mediis fructibus perfectionis. Cap.xiv.
De Quatuor Postremis fructibus perfectionis. Cap.xv.
Perfectionem vitæ spiritualis ad Deum relatam illo præcepto contineri: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, &c.* Cap.xvj.
Quomodo perfectio exponatur illis verbis: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.* Cap.xvij.
Quomodo perfectio exponatur illis verbis: *Diliges Dominum Deum tuum ex tota anima tua.* Cap.xviij.
Quo pacto perfectio explicetur illis

verbis; *Diliges Dominum Deum tuum ex omnibus viribus tuis.* Cap.xix.
Quo pacto perfectio explicetur illis verbis: *Diliges Dominum Deum tuum ex tota mente tua.* Cap.xx.
Qua ratione perfectio exprimatur illis verbis: *Diliges Dominum Deum tuum ex tota virtute tua.* Cap.xxj.
Qua ratione perfectio exprimatur illis verbis: *Diliges Dominum Deum tuum ex omni fortitudine tua.* Cap.xxij.

Pars III. de altera Perfectionis parte, scilicet de Charitate proximi.

Perfectionis substantiam, etiam in fratrum charitate consistere: Et primò quid sit fraterna charitas. Cap. xxiij.
Non omnem fraternam charitatem perfectionem esse. Cap.xxiv.
Quæ fraterna charitas sit vitæ Spiritualis perfectio. Cap. xxv.
De primo fructu perfectionis ad proximos relatæ, qui est, neminem temerariè iudicare. Cap.xxvj.
De secundo fructu huius perfectionis, qui est, nemini obloqui. Cap.xxvij.
De tertio fructu huius perfectionis, qui est, omnes opere & exemplo iuuare. Cap.xxviij.
Perfectionem, qua ratione iungit nos proximis, eo loco contineri: *Hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos:* Et præceptum Christi vocari, propterea quòd contineat in se charitatem Dei. Cap.xxix.
Perfectionem fraternæ charitatis præceptum Christi esse vocatam, quia continet aliam perfectionis proprietatem, quòd ad omnem legem custodiendam inclinet. Cap.xxx.
Perfectionem fraternæ charitatis præceptum Christi vocari ob aliam perfectionis proprietatem, quòd omnibus animæ morbis medeatur. Cap.xxxj.
Perfectionem fraternæ charitatis præceptum Christi vocari, ob aliam perfectionis proprietatem, quòd membra status religiosi coniungat. Cap.xxxij.
Perfectionem fraternæ charitatis præceptum Christi esse vocatam, ob aliã perfectionis proprietatem, quòd iustos fortes ad laborandum efficiat. Cap.xxxiij.
Perfectionẽ fraternæ charitatis Christi præceptũ appellari, propter ea quòd excellentias perfectionis contineat. Cap.xxxiv.
Christum hanc perfectionem fraternæ charitatis exemplo docuisse. Cap. xxxv.
De eodem exemplo Christi, quo hanc perfectionem docuit. Cap.xxxvj.
Adhuc de eodem exemplo Christi, quo perfectionẽ fraternæ charitatis docuit. Cap.xxxvij.
Duodecim documẽta ad consequendam perfectionem charitatis erga Deum. Cap.xxxviij.
Duodecim alia documenta ad consequendam perfectionem charitatis erga proximum. Cap.xxxjx.
Conclusio libri, & quis possit dici perfectus. Cap.xl.

PARTES, ET CAPITA Libri Quarti, in quo agitur de mirabili dignitate Perfectionis.

Procemium.

Pars I. De dignitate Perfectionis sumpta ex eius nominibus, & ex his, quæ per suam naturam illi insunt.

Perfectionis dignitatem ex nominibus in Sacris literis ei attributis colligi: ac primò quòd vocetur sapientia. Cap.j.
Perfectionem vocari drachmam, qua fœlicitatem coëmimus. Cap.ij.
Perfectionem vocari margaritam, propter quam emendam omnia nostra vendidimus. Cap.iij.
Perfectionem vocari thesaurum, ob cuius amorem vniuersa reliquimus. Cap.iiij.

Perfectionem vocari montē, in quem laborando conscendimus. Cap.v.
Perfectionem vocari regnum Dei, vel regnum cœlorum, quod violenti diripimus. Cap.vj.
Quòd perfectio est familiarissima amicitia hominis, & Dei. Cap.vij.
Quòd perfectio est arctissima cognatio hominis cum Deo. Cap.viij.
Quòd perfectio est maxima vnio inter animam, & Deum. Cap.ix.

Pars II. de dignitate Perfectionis ex eius adiunctis.

Perfectionem esse huius vitæ beatitudinem. Cap.x
Perfectionem esse præstantissimum opus Dei. Cap.xj.
Perfectionem nō aliis, quàm Dei amicissimis esse concessam. Cap.xij.
Perfectionem maxima gloria Deum afficere. Cap.xiij.
Quòd perfectio animā ab omni morbo sanet. Cap.xiv.
Quòd perfectio animā in verissimam dignitatem extollat. Cap.xv.
Quòd perfectio animam immensis diuitiis multiplicet. Cap.xvj.
Quòd perfectio ineffabiles delicias contineat. Cap.xvij.
Quàm sint vtiles Ecclesiæ perfecti. Cap.xviij.
De pulchritudine animæ perfectæ. Cap.xix.
De pace animæ perfectæ. Cap.xx.
De securitate animæ perfectæ. Cap.xxj.
De libertate animæ perfectæ. Cap.xxij.
De sanctissimis cogitationibus & desideriis animæ perfectæ. Cap.xxiij.

Pars III. de dignitate Perfectionis ex parte diuinæ prouidentiæ erga perfectos.

De singulari prouidentia Dei erga perfectos. Cap.xxiv.
Quomodo Deus perfectos illuminet. Cap. xxv.
Qualiter Deus perfectos inflammet. Cap.xxvj.
Quòd Deus potentissimè perfectos ad bonum roboret. Cap.xxvij.
Quòd Deus fortissimè perfectos à malo retrahat. Cap.xxviij.
Quòd Deus suauissimè perfectos à tribulationibus liberet. Cap.xxix.
Quanta benignitate Dominus perfectorū orationes exaudiat. Cap.xxx.
Quantis donis Deus perfectos repleat. Cap.xxxj.
Quanto honore Deus perfectos afficiat. Cap.xxxij.
De victoriis perfectorum. Cap. xxxiij.
Quàm admirabilis sit perfectorum vita. Cap.xxxiv.
Quàm pretiosa sit perfectorum mors. Cap.xxxv.
Quàm ineffabile sit perfectorum præmium. Cap.xxxvj.
Quàm iucunda sit perfectorum memoria. Cap. xxxvij.
Quòd perfectio ob summam sui dignitatem ab omnibus sit excolenda. Cap.xxxviij.

PARTES, ET CAPITA Libri Quinti, in quo agitur de excitando desiderio Perfectionis.

Procemium.

Pars I. de Perfectionis desiderio, & septem excitatorijs eius.

Perfectionem donum Dei esse, non tamen nostram cooperationem excludere. Cap.j.
Assequendæ perfectioni cooperandum homini esse, tum desideriis, tum operibus. Cap.ij.
Concipiendum esse nobis desiderium perfectionis. Cap.iij.
Hoc perfectionis desiderium magnum esse debere. Cap.iv.
Multa esse, quæ hoc perfectionis desiderium excitent: quorum primum est ipsius æstimatio perfectionis. Cap. v.
Secundum excitatorium desiderij perfectionis est scire, quòd temporalia non satiant. Cap.vj.
Tertium excitatorium desiderij perfe-

ctionis; quòd spiritualia animo satisfaciant. Cap.vij.
Quartum excitatorium desiderij perfectionis; quòd Deus impensè vult, vt perfectionẽ quæramus. Cap.viij.
Quintum excitatorium desiderij perfectionis; quod ipsum est signum inhabitantis gratiæ. Cap.ix.
Sextum excitatorium desiderij perfectionis; quòd non proficere, deficere est. Cap.x.
Septimum excitatorium desiderij perfectionis; quòd ad eam quærendam status obligatione constringimur. Cap.xj.

Pars II. de nonnullis documentis generalibus ad assequendam Perfectionem necessarijs.

Religiosus perfectionis cupidus magistrum perfectionis quærat, Cap.xij.
Religiosus magistro perfectionis in omnibus obediat. Cap.xiij.
Religiosus ipsam perfectionem spiritualis vitæ finem sibi præscribat. Cap.xiv.
Religiosus oculos semper intendat in magna. Cap.xv.
Religiosus perfectionem sitiens non aspernetur minima. Cap.xvj.
Obliuiscenda à viro religioso præterita, & sectanda futura. Cap.xvij.
Desideria in conuersionis initio à religioso concepta diligenter conseruanda. Cap.xviij.
Propria vocatio perfectionis certissima via à religioso censenda. Cap.xix.
Obligationes status suscepti primo loco à religioso subeundæ. Cap.xx.
Opiniones, & dicta tepidorum à religioso contemnenda. Cap.xxj.
Viri spirituales diligẽdi, & ad frequens colloquium quærendi. Cap.xxij.
Perfectorũ mores à religioso sequendi. Cap.xxiij.
Christus Saluator noster, quoad fieri poterit, imitandus. Cap.xxiv.
Quòd religiosus perfectionis amator à congressu parentum, & propinquorum abstineat. Cap.xxv.
Quòd religiosus nimias familiaritates vitet. Cap.xxvj.
Quòd religiosus superfluos discursus, & visitationes fugiat. Cap.xxvij.
Quòd religiosus de rebus sanctis cum aliis loquatur. Cap.xxviij.
Quòd religiosus in cunctis bonum exemplum præbeat. Cap.xxix.

Pars III. de alijs documentis ad Perfectionem comparandam.

Quòd religiosus diuinis inspirationibus pareat. Cap.xxx.
Quòd religiosus bona opera strenuè faciat. Cap.xxxj.
Quòd religiosus ab operibus supererogationis non desistat. Cap.xxxij.
Quòd religiosus ordinem in occupationibus teneat. Cap.xxxiij.
Quòd religiosus nullam occasionem proficiendi prætermittat. Cap. xxxiv.
Quòd religiosus perfectionem amans sit vitæ communis affectator. Cap. xxxv.
Quòd religiosus sit pusillanimis, & superbæ singularitatis inimicus. Cap. xxxvj.
Religiosus otiositatem odio habeat. Cap.xxxvij.
Religiosus nimias occupationes timeat. Cap.xxxviij.
Religiosus appetitum sciendi moderetur. Cap.xxxix.
De eodem appetitu sciendi moderando. Cap.xl.
Sit religiosus in communi conuictu grauis. Cap.xlj.
Sit Religiosus in conuersatione cautus. Cap.xlij.
Sit Religiosus in eadem vitæ ratione perseuerans. Cap.xliij.
Quanta solicitudine sunt hæc documenta seruanda. Cap.xliv.

DEO LAVS.

DE INCITAMENTIS RELIGIOSORVM AD VITAM SPIRITVALEM CONSECTANDAM,

LIBER PRIMVS.

Procemium.

HVMANVS animus peccati vulnere saucius, & à prima illa innocentiæ sanitate, in qua à Deo conditus erat, eiectus, adeò mansit infirmus & imbecillus, vt virtutem aliàs suauissimam, tamquam insulsam atque insuauem horreat, & vitæ spiritualis itinera homini vegeto & firmo valdè prona, non solùm difficilia verumetiam inaccessa diiudicet. Quémadmodum enim ægrotus cibos dulcissimos & opiparos auersatur, non quia illi amari sint, sed quia eius palato, humoribus noxiis infecto, amari videntur: ita homo peccati labe corruptus, & propè exanimis effectus, virtutem ori non admouet; non quia illa sit iniucunda, sed quia palatum animæ perditis moribus, quasi malis humoribus vitiatum, eius suauitatem non valet percipere. Et sicut cursor diuersorium deserens, in quo ad quiescendum se receperat, magna tum animi alacritate, tum pedum celeritate iter suum peraget: sed si in media via à latrunculis vulneretur, & vestibus exuatur, iam difficillimum est illi ambulare, & cœptum iter conficere: eodem prorsus modo homo, qui per æternitatem in diuinis manibus, tamquam in tranquillo hospitio quieuerat, & sicut in occulto conclaui delituerat, per opus creationis in mundum veniens, cœpit alacriter vias spiritualis vitæ ingredi, & non tam currendo quàm volando in Deum, à quo creatione exierat, sanctitatis operibus festinare. Sed heu, ab hostibus in ipso vitæ initio captus est, oculis euulsis excæcatus est, virtutibus & iustitia originali spoliatus est, innumeris plagis vulneratus est; impossibile est illi sine vehiculo gratiæ abundantioris incedere, & cœptum iter conficere. Hic est quippe ille viator descendens ab Hierusalem in Iericho, qui & incidit in latrones, qui etiam despoliauerūt eum, & plagis impositis abierunt semiuiuo relicto. *Luc. 10. 34.* Totum enim genus humanum (ait Augustinus) est homo ille, qui iacebat in via semiuiuus à latronibus relictus, quem contempsit transiens Sacerdos, & Leuites, & accessit ad eum curandum eique opitulandum transiens Samaritanus. Sic Augustinus. *Aug. ser. 36. de verbis Domini, c. 3. tit. 10. Ioan. 9. 10. 11.*

Hic est ille cæcus à natiuitate, qui in iniquitatibus, & in peccatis generatus lumen cœleste videre nequit. Tam cæcus, vt appropinquante sibi sole, id est, Christo Iesu, neque clamauerit, neque visum A postulauerit, neque aliquid dixerit, neque saltem in signum desiderij palpebras mouerit, sed tāquam quid inanime proiectum in via, & voce Domini, & oculorum inunctione debuerit excitari. Vnde Rupertus Abbas. Cæcum erat ante huius lucis aduentum totum genus humanum absque distinctione Iudæi, & Græci, testante Apostolo, qui dicit: Eramus & nos natura filij iræ, sicut & cæteri. *Ephe. 2. 3.* Hic est ille surdus, & mutus, cuius sanitatem omnes Angeli, omnes antiquæ legis iusti, & vniuersæ creaturæ à Domino postulabant; *Marc. 7. 32.* qui ab impuris cogitationibus, ab obscænis desideriis, à prauis, ac vitiosis operibus debuit separari, vt à medico animarū sanaretur. Egregiè enim dicit Hieronymus, huius surdi & muti ægritudines narrans. *Hiero. in Mar. c. 7.* B Genus humanum per multa membra, ac si vnus homo varia peste absumptus, enumeratur: In protoplasto cæcatur dum videt: surdus fit, cùm audit; dùm odoratur, emūgitur: obmutescit dum loquitur: mancus fit, dum manum extendit: incuruatur, dum erigitur: hydropicus fit, dum concupiscit: claudus fit, dum progreditur: lepra funditur, dum nudatur: dæmone impletur, dum diuinitatem appetit: morte moritur, dum audacter excusat, quod inobedienter commisit. Quid ergo mirum si homo tantis ægritudinibus affectus, tantis plagis sauciatus, tantis morbis exhaustus, in quo à planta pedis vsque ad verticem non est sanitas, *Isa. 1. 6.* neque virtutis suauitatem sentiat, neque C vitæ spiritualis itinera tenere cupiat.

Ex hac animi ægritudine prouenit, vt ad bonum prosequendum indigeamus, non tantùm voce Domini excitari, gratia adiuuari, exemplis roborari, & verbis admoneri, verumetiam sanctis considerationibus tamquam quibusdam ciborum condimentis inescari, vt virtus nobis ægris insipida aliquantulum sapiat, & nos in sui amorem, ac desiderium abripiat. Hoc autem, & sæcularibus est operæpretium & nobis religiosis mirum in modum necessarium. Si enim cùm habitum religiosum suscepimus, mores pristinos exuissemus, genus Adæ abiecissemus, & homines esse desiissemus, non esset necessaria ista diligentia, vt monitionibus ad vitam spiritualem prouocaremur: sed quia adhuc homines sumus, carnem ad vitia procliue ingestamus, & religionem ingredi, non fuit prauos mores deponere, sed ad-

uersus

uersus eos acre bellum incipere, è re est nobis efficaci aliqua persuasione, tamquam condimento ciborum ad degluriendam virtutem, & arctam viam salutis amplectendam animari.

Cùm ergo propositum nostrum sit, vitam spiritualem, ac eius perfectionem pro modulo nostra depingere, & ad eā hortari desides, impellere ignauos, excitare dormientes, & bene currentes, vt amplius currant, roborare; Visum est in hac prima huius operis tractatione aliqua prælibare, quæ & suæ salutis oblitos ad vitam religiosis dignam exacuāt, & omnes alios sanctitatis cupidos ad amorem perfectionis alliciant.

Ex multis verò, quæ in hoc argumentum adduci possent, duo præcipuè iudico efficacissima: scilicet diuinorum beneficiorum in nos exhibitorum multitudinem, & nostri status præstantiam atque sublimitatem. Nam beneficia increpant nos, si delinquamus, & altitudo status reprehendit, si more sæcularium, & mundanorum animæ nostræ salutem tractemus. Illud primum Ioseph castissimum incitauit, ne Phutipharis coniugem tangeret, à quo tanta beneficia receperat. Ecce (inquit) dominus meus omnibus mihi traditis, ignorat, quid habeat in domo sua, nec quicquam est, quod non in mea sit potestate, vel non tradiderit mihi, præter te, quæ vxor eius es: quomodo ergo possum hoc malum facere, & peccare in Dominum meum?] O magnus vir, & verè dignus à domino honorari, ad hoc donorum sibi ab hero datorum recordatus est, non vt eorum commemoratione superbiret, & insolens fieret, sed vt intra virtutis metas se contineret, & illius honori consuleret, cuius benignitate tam ingenuam captiuitatem habebat, aut potiùs inter seruos tanta fruebatur libertate.

Gen. 39.

Istud verò secundum mutauit miserias Ioachin in magnæ dignitatis amplitudinem. Postquam enim beneficio Euilmerodach regis Babylonis eductus est de carcere, in qua diu vinctus iacuerat, cōstitutus est thronus eius super thronum satraparū Babyloniæ, vestē sordidam pro regio ornatu, atq; splēdido cōmutauit, & magnificis cibis quotidie vescebatur in conspectu principis liberatoris sui. Hanc vitæ mutationem secum adduxit status, ac dignitatis cōmutatio. Nam æquum erat, vt qui statum captiui deseruit, & amplitudinem amici familiarissimi tanti Regis obtinuit, iam nesciret angustias carceris, & iniurias paupertatis ignoraret, sed amabilis libertatis lætitia, & magnarum opum possessione gauderet. Hæc eadem nos ad perfectionis amorem, ac sequelam permoueant; neque enim minora sunt in nobis, imò sine vlla comparatione maiora his, quæ duo prædicti viri à suis beneficis receperunt. Nam Ioseph à suo domino opum temporalium, non tam dominium, quàm administrationē est assequutus; nos verò à Deo cum ipsa vocatione religiosa bonorum spiritualium multò præstantiorum ingētem copiam accepimus. Quam cùm humani generis aduersarius ad vilitates sæculares, & ad desideria mūdanorum nos volet impellere, debemus ad memoriam reuocare, & tamquam scuto mentem nostram donorum receptorum commemoratione munire. Huius doctrinæ præceptorem habemus hunc illustrissimum patriarcham, non verbo, quod facilius est, sed quod est multò pretiosius, virtutis, atque fidelitatis exemplo. Cuius factum enarrans Gregorius ita philosophatus est. Bona, quæ assequutus fuerat, repentè memoriæ intulit, & malū, quod se pulsabat, euicit, quia perceptæ gratiæ meminit, vim culpæ imminentis fregit. Cùm enim voluptas lubrica tentat in prosperis, hæc ipsa sunt prospera aculeo tentationis opponenda, vt eò erubescamus praua committere, quò nos à Deo meminimus gratuitò bona percepisse; & illatam gratiam exteriorum munerum vertamus in arma virtutū, vt sint ante oculos quæ percepimus, & quæ nos alliciūt subiugamus.]

4. Re. 25.

Greg. 30. mor. c. 39.

Ioachin verò in regis barbari, & idololatræ amicitiam est admissus; at religiosus in Dei veri regis regum familiaritatem euectus. Ille liberatus è tenebricoso carcere, hic ereptus à procelloso sæculo. Ille eleuatus super principes Babylonis; hic associatus cœlestibus choris. Ille honore affectus est, principe secum benignè loquente, iste summam gloriam adeptus, Christo secum quotidie verba miscente. Ioachin abiecit vestimēta captiui, & indutus est veste regali; religiosus deposuit veterē vitam, & vitæ Christi simillimam, atque nouam assumpsit. Ioachin comedebat panem in mensa regis iniqui, quo vitam corporis ad tempus conseruabat, religiosus diuina voluntate reficitur, qua in perpetuum animæ vitam conseruat. O dulcis panis, ô cibus suauis, non iam corpus, sed cor hominis confirmans! Rectè enim dixit Bernardus, de hac diuina voluntate loquens: cibus vtique est, sed cibus cordis. Quid enim æquè confirmat & corroborat humanum, quid ita in omni necessitate confortat, & sustentat, vt diuinæ voluntatis executio, velut in quendam animæ ventrē, conscientiam scilicet eius ingesta?] Ille tandem, qui antea reus erat, post hanc tantam prosperitatem, barbari seruus permansit, licèt seruus honoratus, & præ omnibus magni habitus. At religiosus calamitatem mancipij deseruit, & se, prælato subiciens, Dei factus est filius. Quòd si (vt inquit Ambrosius) dignitas est, seruum esse potentis, quanta dignitas erit esse Dei potentissimi filium? Si humani generis dignitas in hoc sita est (vt Leo Papa ait) vt in nobis, quasi in quodam speculo diuinæ benignitatis forma resplendeat; quæ dignitas erit statum possidere, in quo non tantùm diuina benignitas, sed omnium diuinarum perfectionum decor eluceat? Si ergo Ioachin illa vmbratica prosperitate delectatus, numquam ad angustias carceris reuertere voluit, neque ad ærumnas mancipiorum redire disposuit; & se regis Babyloniæ amicum considerans, indignissimum duceret (& meritò) ad pistrinam mendicitatem repedare; Quid faciet religiosus, non aliquam falsam prosperitatem in se cogitans, sed verissimam dignitatem, & splendorem contemplans? An cupiet iterum diuitias perituras? An fœdas voluptates? An instabiles & vanos honores? An optabit opes incomparabiles sanctæ paupertatis deserere, delicias purissimæ castitatis relinquere, libertatem animi obedientis abrumpere? An experet studium orationis, suaues gemitus, & dulcia suspiria; & omnium bonorum operum cumulum cum sæcularibus curis commutare? Nullo modo. Quinimò tantam sui status maiestatem mente reuoluens vitam spiritualem, id est, vitam angelicæ vitæ similem, & verè homine dignam aucupabitur. Vt ergo religiosos omnes ad hanc vitam incitemus, & ad labores superandos, qui in ea passim occurrunt, animemus, sui status amplitudinem, suæ dignitatis magnitudinem, atque honoris maiestatem, ob oculos proponamus. Ex hoc enim fiet, vt gratia excitante expergefacti, & adiuuante communiti, maiori strenuitate, vtilitates mundanas posthabeant ad omnem virtutem, ac sanctitatem anhelent, & in vitæ spiritualis perfectionem tam sublimi statu dignissimam, magno conatu venire contendant.

Bern. de verbis domini in ramis, ser. 3.

Ambr. in 1. epis. ad Timoth. cap. 2.

Leo ser. 1. de iein. 10. mēsis.

PARS

PARS PRIMA

Huius Libri, de Miseriis sæculi.

NIHIL *est in vniuersa creaturarum multitudine, siue cælestia, siue terrestria spectemus, siue etiam inferiora ergastula purgandorum, aut perpetuos cruciatus damnatorum inspiciamus, quod non nos ad Deo per vitam spiritualem seruiendum inuitet. Hanc enim spiritualem vitam æternæ malorum pœnæ sua interminabili diuturnitate suadent, vt ab illis liberemur: hanc voraces purgatorij ignes imperfectis, ac tepidis præparati deposcunt, ne eorum acerbitate teneamur: hanc terrestria docent, dum nobis, vt Deo fideliter seruiamus, obsecundant: hanc demum cœlestia proponunt, dum se præmia fore spiritualis vitæ promittunt. Breuiter, omnia siue prospera, siue aduersa, siue magna, siue parua, voces sunt, quæ auribus nostris rerum labentium vanitatem, & rerum cœlestium, ac spiritualium dignitatem inclamant. Quia ergo scribere incitamenta ad vitam spiritualem capessendam aggredimur, latissimam disputationem eorum quæ nos ad propositum finem incitarent, instituere possemus: sed ne extra religiosum statum, quem ad perfectionem excitare nitemur, diuagetur oratio, omnibus aliis prætermissis ea solùm quæ propria sunt huius professionis incitamenta tractabimus. Quæ omnia ad commemorationem malorum sæculi, quorum nos immunes per vitam religiosam fecimus, ac bonorum, quæ in ipsa vita religiosa reperimus, possunt facili negotio reuocari. Hæc ergo tantùm incitamenta spiritualis vitæ à sæculi miseriis incipiendo proponamus. Ista autem Propheta Ezechiel sequentibus verbis enumerat. Hęc dicit Dominus Deus Jerusalem: Radix tua, & generatio tua de terra Chanaan: pater tuus Amorrhęus, & mater tua Cethęa. Et quando natus es, in die ortus tui non est pręcisus vmbilicus tuus, & aqua non es lota in salutem, nec sale salita, nec inuoluta pannis. Non pepercit super te oculus, vt faceret tibi vnum de his, misertus tui: sed proiecta es super faciem terrę in abiectione animę tuę in die, qua nata es.*]

Multa esse, quæ religiosos ad vitam spiritualem inuitant.

CAPVT I.

MVLTA sunt in religioso statu, quæ cultores vitæ religiosæ constringunt, vt vitam spiritualem amplectantur, & summo conatu, ac vi, in fastigium perfectionis conscendant. Hoc ab illis efflagitat scopus, ac finis, quem Deus sibi in eorum admirabili vocatione constituit, qui post suæ gloriæ manifestationem, non fuit alius, nisi, vt hi ad religionem vocati, super vniuersas res creatas se animo efferant, sanctitatem, ac animi puritatem expetant, vitámque cælestem in terris, & angelicis spiritibus cognatam instituant. Quam si non sedulò diligentérque quæsierint, & pœnitentiæ, ac virtutum fructus fecerint, non minùs profectò erunt vituperabiles, quàm illi infideles agricolæ, qui cùm tempus fructum appropinquasset, dominũ vineæ contempserunt, seruos plagis ac verberibus ceciderunt, filiúmque hæredem vnicum interitu crudeli mulctarunt. (*Matt. 21. 34.*) Hoc idem faciunt religiosi, qui tempore fructuum, id est, tempore vitæ Deo consecratæ, fructus virtutis ac sanctitatis non ferunt, dominum, prouentus exigentem, aspernantur, seruos

A domini, videlicet prælatos contristant, & Christum filium Dei à mentibus propriis exturbant, & immaniter in semetipsis interimunt. Quæ enim maior excogitari potest Dei eos vocantis contemptio, quàm ipsius assiduis vocibus non obtemperare, nec tot beneficiis, quæ singulis momentis accipiunt, ad virtutem capessendam emolliri. Et quæ grauior prælatis potest esse tristitia, quàm si videant suos labores in corrigendo, in docendo, in exhortando pessundari, & religiosam disciplinam à se impensè dilectam, conculcari? Et tandem quæ Christi ex propriis sedibus, scilicet ex religiosorũ cordibus ignominiosior eiectio, quàm virtutis possessionem proterere, sine cuius pulchritudine Christus in mente religiosa non habitat: sed iratus, & quasi ignominiâ affectus abscedit?

B Hoc postulant media, atque præsidia, quibus ad vitam instruuntur spiritualem, atque perfectam. cuiusmodi sunt diuinorum frequẽtia sacramentorum, sanctorum librorum assidua lectio, iugis oratio, ac rerum cœlestium intentissima meditatio, exempla, & monitiones fratrum, & cura sollicita prælatorũ; quæ omnia inaniter recipit, qui eorum vsu in spiritu & virtute non proficit. Hæc sunt illa quinque talenta, quæ fideles serui à Deo prouido Patrefamilias ad negotiandum accipiũt, hæc negotiationi exponunt, vt alia quinque talenta lucrifaciant. Nam (*Matt. 25. 20.*)

sacramentorum susceptione s, mentis lectione scientia, oratione robur spiritualiter viuendum, exemplis virtus, & sollicitudine prælatorum, omnis tentationis victoria conquiritur. Qui autem pretiosissimis illis talentis ditatus, hæc posteriora in animæ suæ lucro non ponit, detestabilior erit illo, qui vnico talento accepto, negligẽtia ductus, & pusillanimitate coactus, summam argenti sibi commissam abscondit in terra, & non auxit pecuniam domini sui. Iste enim, qui deuotat hominem sæcularem, si modicum quid accepit, nimirum vnum talentum, vt obseruaret mandata, modicum etiam potuit lucrifacere, & si nõ lucratus est, nõ multùm potuit substantiam domini sua otiositate minuere, ille verò, religiosus scilicet, qui multùm accepit, & cui vltra talentum mandatorum, talentum etiam consiliorum si commissum est, magnam faciet diuitiarum spiritualium iacturam, quas Deus ad suæ gloriæ cumulum vellet adquirere, si piger in hoc quæstuoso statu, ac negligens inueniatur. Multò potiori ratione seruus malus, & piger vocabitur, & omnibus bonis nudatus in tenebras mittetur exteriores, siquidem non vilem pecuniam & contemptibilem: sed cælestes thesauros perdidit, & incomparabiles opes amisit.

Ad vitam etiam spiritualẽ mouet ipse status religionis, status vtique sanctus, atque perfectus: hunc illi arripiunt, qui vitam angelicam, & Deo quàm simillimam concupiscunt: illi profitentur, qui aut iam perfecti sunt, aut ad perfectionem agili cursu, & celeri passu contendunt. Status autẽ perfectionis quomodo vitam carnalem, vitiisque fœdatam admittet? Status cælestis, & angelicus, quid nisi vitam angelicam, & studia cælestia postulabit? Is qui hunc nobilissimum viuendi modum admisit, in primis secum versare in animo debet assiduè (vt verbis eum Basilij moneamus) cùm vltra humanæ naturæ fines processerit, vitæ se cuidam instituto à corpore seiunctæ tradidisse, angelorum conuersationem dum sibi imitandam proponit. Siquidem proprium hoc est angelicæ naturæ liberam esse à vinculis coniugij, neque ad aliam vllam contemplandam pulchritudinem animo distrahi, sed oculos in Dei os assiduè intentos habere. Quam ob rem qui in angelicæ iam dignitatis ordinem transiuit, is si humanis se postea prauis affectionibus contaminet, Pardi assimilis efficitur pelli, cuius setæ, neque ex toto albæ sunt, neque ex toto nigræ, sed cùm sint dissimilium colorum mistione variegatæ, & interpunctæ, neque in albis numerantur, neque in nigris.

Basil. ser. 1. de institutionibus monach.

Tales prorsus sunt religiosi, qui in statu cœlesti vitam terrenam, in instituto spirituali occupationes mundanas, & carnales non horrent, cùm enim Deo dicatæ vitæ velint sæcularem adiungere, neque ex toto sunt religiosi, neque ex toto mundani, sed monstra quædam horrẽda duorum statuum valdè diuersorum commistione variata. His per Sophoniã cõminatur Dominus, cùm ait, Visitabo super principes, & super filios regis, & super omnes, qui induti sunt veste peregrina.] Nõ enim ad fugiendam iram Domini sufficit, quòd quis princeps sit, & filius regis hoc est, quòd ad statum pertineat proprium filiorum Christi, & eorum, qui super affectus, & passiones suas obtinent principatum, si vestem induant peregrinam, mores scilicet sæculares, & minimè consentaneos religiosæ professioni.

Sophonia 1. 8.

Mouet similiter locus in quo religiosi habitant, à curis diuitiarum, honorum, & voluptatum sequestrati. Quid enim sunt monasteria, nisi præsidia munitissima (vt Laurentius Iustinianus ait) sanctorum Angelorum vallata custodiis, ignitarúmque orationum roborata suffragiis: In his autem arcibus munitissimis, quæ nos vndique suis muris defendunt, à dæmonibus, solo clamore, & vocũ procacitate vinci, solis inanibus minis prosterni, magna ignominia est. Est sanè monasterium, aut religiosa domus, paradisus voluptatis, in quo ponit Deus homines, quos in dilectissimos filios efformat. Est cœlũ quoddam empyreum, in quo gustãt, & vident, quàm suauis est Dominus. Æquum verò est, vt in terrestri paradiso viuentes, primi parentis errato cautiores & prudentiores effecti, à veternoso serpente non decipiantur, & cœli imaginem, scilicet cœnobium incolentes, à terrenarum affectionum fæcibus expediti, nihil mundanum sapiant, & solam virtutem, & propriæ mentis perfectionem inquirant. Eorum quisque internis auribus vocem Domini loquentis audiat, sibique illud dictum existimet, quod in Exodo scriptum est, Solue calceamentum de pedibus tuis: locus enim in quo stas, terra sancta est. Hac verò visione compunctus, calceamenta, quæ ex mortuorum animalium pellibus conficiuntur, hoc est, mortiferas occupationes, & inutiles affectiones dimittat, si vult à monasterio, aut à cella non vomi. Sapienter enim dixit Bernardus. Morticinum mortuarum affectionum, vel hominem mortuum à corde, locus sanctus, vel terra sancta nequaquam diu patitur. Cella terra sancta, & locus sanctus est, in qua dominus & seruus eius sæpe colloquuntur, sicut vir ad amicum suum, in qua crebrò fidelis anima verbo Dei coniungitur, sponsa sponso sociatur, terrenis cœlestia, humanis diuina vniuntur.] Quid enim infelicius, quàm in loco sancto, non sanctè, sed profanè, & tepidè viuere? in conclaui Christi amici charissimi, non cum eo, sed cum mundo miscere colloquia: in cubili sponsi non sponso vniri, sed hostibus sponsi inuerecundè prosterni, & peccatis ac imperfectionibus sociari?

Laurent. Iust. lib. de obedi. cap. 17.

Exod. 3.

Bern. epistola ad fratres de mõt. Dei, nõ longe à principio.

Vitam quoque perfectam & spiritualem, non solum generant, sed fouent ac nutriunt sanctæ occupationes locum solæ in cœnobiis inuenientes, quæ non sunt honorum ambitio, voluptatum cura, diuitiarum comparatio, sed studium virtutum omnium, & cultus Dei, sordes affectionum detergẽs, mentem purificans. Qui verò inter tot adiumẽta proficiendi non proficit, & vitam spiritualem non arripit: similis erit illi, qui inter cibos delicatos fame cruciatur, inter calices vini pretiosissimi conficitur, inter sapientes, quos semper audit, perstat ignarus, & inter diuites, qui ei suas opes donant, manet pauper, atque mendicus. Huic optimè conuenit illud Salomonis. Abscõdit piger manum suam sub ascella, neque ad os suum applicat eam. Habet enim in sua potestate innumeras occasiones virtutis, quibus tamen, neque à vitiis fugit, neque ab imperfectionibus liberatur, quia virtuti manum admouere non audet. Quadrat etiam in illum, quod alio loco dicit idem Sapiens Stultus complicat manus suas, & comedit carnes suas, dicens: Melior est pugillus cum requie, quàm plena vtraque manus cum labore, & afflictione animi.] Sola namque causa mendacitatis suæ, & non perueniendi ad virtutis fastigium est, quòd non exerit manus, & tantis studiosis occupationibus, quales sunt in religiosa vita, ad sui spiritus instaurationem non vtitur.

Prou. 19. 24.

Eccles. 4. 6.

Similiter mouet ad spiritualem vitam communis opinio ab vniuersis sæcularibus de viris religiosis concepta, putant enim, eos, qui se mundo exemerunt, homines esse sanctos, atque perfectos, vitæque genus profiteri valde alienum ab ingenio carnis, &

sanguinis:

sanguinis:nec decet hanc opinionem fallere, & per quamdam hypocrisim totum orbem in errorem inducere. Siquidem hypocrita (vt auctor est Basilius) dicitur histrio, qui in theatro personā sustinet alienam, sæpe heri, cùm sit seruus, aut regis, cùm sit priuatus.] Ita isti, qui vitam religiosam, quam præferunt, operatione non tenent, aliud intus sunt, & aliud exteriùs oculis inspicientium ostendunt; iure ergo cum simulatoribus, & hypocritis numerantur. Quibus sine dubio eueniet illud Isaiæ. Erubescetis super hortis quos elegeratis, cū fueritis velut quercus defluentibus foliis.] Horti namque, quos eligūt, sunt (vt exponit idem Basilius) externæ simulationes, quibus vitia sæcularia, & aliena ab statu religioso obumbrare solent. Sed harum simulationum causa in die postremo erubescent, cùm apparebunt in cōspectu iudicis, sicut quercus detractis foliis. Ista enim arbor foliorum coma adornata, pulchra videtur, illa verò detracta decorem amittit, & deformis apparet. Ita hi mundum statu dumtaxat, & non moribus deserentes, depulsis simulationibus, quibus tamquam foliis mores distortos tegebant, apparebunt, quòd sunt mundani, vitiis obnoxij, cupiditatibus rerum temporalium corrupti: eisque non honor sed dedecus & ignominia conueniet.

Basil. hom. de laud. ieiunij. — *Isaiæ 1. 30.* — *Basil. in Isaia. 1.*

Et tandem ipse habitus, quo religiosi operiuntur, vitæ perfectionem exposcit, qui cùm sit à vestibus mundanorum dissitus, & ab amictu eorum segregatus, vitam etiam valdè diuersam, ac mores alios designat. Ad quid enim veste à mundanis separantur, si illis vitæ abiectione ac imperfectione iunguntur? Quidam religiosorum albis vestibus induuntur, vt internam animi puritatem foris designent. Alij nigris, vt mundi contemptum, vel (auctore Anselmo) vt sui despectionem denotent. Alij albis simul & nigris, vt internæ sanctitatis, & exterioris mortificationis se esse cultores ostendant. Alij fuscis, siue pullis, vt simplicitatem, & humilitatem præ se ferant. Alij vtuntur veste communi, vt se propter amorem Dei (sicut Paulus) omnibus omnia factos esse profiteantur. Quid est hoc? Nisi quòd vestes ipsæ clamant religiosos mūdana omnia deseruisse, & vitam, ac mores sanctorum fuisse complexos? Omnes vestes religiosæ (quod Cassianus latè prosequitur) mysticum aliquid & spirituale significant. Pileus in similitudinem crucis efformatus, quo omnes clerici religiosi caput obtegimus, index est, nos sub Cruce Christi militare, & velut tanti ducis antesignanos, eius vexillum per vniuersum mundum deferre: Cucullus, quo monachi caput operiunt, innocentiæ est, ac puritatis insigne. Omnes veste vtimur ad talos vsque demissa, & cingulo renes constringimus, vt tum lōganimitatem, atque constantiam, tum carnis mortificationem, & animum agilem & expeditum ad officia virtutis ostendamus.

Ansel. de similitud. 92. — *1. Cor. 9. 22.* — *Cassian. li. 1. de institut.*

Hæc vana nō sunt, vt hæretici, non solùm insani, verùm etiam ignari, atque stulti mentiuntur, sed fructuosa, & vtilia. Nam si in republica sæculari, reges, nobiles, & iudices aliqua externa gestant indicia, quibus ab aliis cognoscantur, & à reliquis discernātur, cur non gestent Ecclesiastici, & religiosi, qui, & perfectiorem statum habent, & vita à populo multò magis debent esse discreti? Si famuli, & pueri regis terreni induunt vestimenta decreta, quæ nemini, qui non sit de aula regia, licet induere; cur famuli regis cælestis, quales sunt religiosi, vestes proprias & peculiares non induant? Sed ne vana sint hæc, oportet, vt vitā religiosi teneant, quod vestimentum designat. Sicut enim rideretur priuatus, qui virgam censoriam iudicis, aut diadema regis gestaret; ita ridendus esset, & contēnendus, qui impurus, & superbus existens, vestimento humilitatis, & puritatis induitur. Cogitate ergo, fratres (inquit Augustinus) quàm reprehensibile erit, si sub tali habitu superbia lateat, vel luxuria. Summè igitur necessaria est in eremo morantibus, ipsa humilitas, quæ designatur per vestem.] Et alio loco. Nos, qui videmur gerere in corporis nostri habitu figuram crucis, & nomen religionis habemus, nigram vestem humilitatis portamus; zonis etiā præcincti apparemus: caueamus ne similes simus sepulchris dealbatis, quæ foris pulchra, & dealbata apparent, sed intus plena sunt fœtore, & ossibus mortuorum] Habitus igitur ipse, quē gestamus, & omnia illa, quæ breuiter perstrinximus, nos admonent, vt simus vitæ spiritualis atque omnis virtutis cultores.

Aug. ser. 27. ad fratres. — *Idem ser. 28. ad fratres.* — *Matt. 23. 27.*

Inter ea quæ religiosos mouent ad vitam spiritualem, magni momenti esse considerare mala sæculi, & bona religionis.

CAPVT II.

HÆc omnia, quæ diximus, magna sunt incitamenta virtutis, magna perfectionis, ac sanctitatis adiumenta, sed inter illa non infimum, imò præcipuū locum obtinet ad incitandum nos ea meditatio, qua consideramus, & serió expendimus ingentia mala sæculi, à quibus per vitam sumus religiosam liberati, & innumerabilia bona, ad quæ religiose viuendo sumus euecti.

Hæc sanè notio ex mētibus nostris hunc fructum reportabit, vt pudeat nos à tantis malis sine fructu euasisse, & tam ingētia bona sine vtilitate cōparasse. Hæc inspectio illud in nobis faciet, vt vitā tanta amplitudine dignam exoptemus, & pro ea assequenda fortiter, & constanter laboremus. Quantum hæc consideratio valeat, facilè hoc exemplo cognoscitur.

Simile.

Fingamus animo puellam cuiusdam perduellis in sterquilinio iacentē, quæ, & nuda sit, & omnis cibi, ac potus indiga, cuius opus sit cum muscis, & culicibus ludere, & se in puluere, atque stercore volutare: insuper, quæ posita sit in periculo, vt à iumētis trāseuntibus conculcetur, & à bestiis deuoretur, & occidatur. Cogitemus quoque transire regem, qui vidēs puellam miserabiliter iactatam, & ex famulis proditoris filiam esse cognoscens, misericordia motus, eā leuari iubeat, & in aulam regiam deferri, vbi velut Regina nutriatur, & inter delicias, & voluptates educetur. Addamus etiam, quòd rex puellam illā miserabilem regalibus cibis sustētet, vestibus pulcherrimis induat, & gemmis pretiosis exornet, ac tandem cùm ad nubiles annos peruenerit, præcipiat vocari Reginam, atque eam ducat vxorem. Certè istam fœminam nihil ampliùs in amorem regis accenderet, quàm suā pristinā miseriam animo voluere, & præsentem gloriam, ac splendorē meditari. Videns enim se ex sterquilinio in aulā regiam introductā, ex filia hostis, reginā, & ex miserrima muliere, coniugē magni regis effectam: quidni eum diligat, illi impensè obsequi, & placere cupiat, cuius amore, & beneficio tantam ignominiam, & calamitatem euasit, & tantā honoris, ac prosperitatis gloriā accepit? Id ipsū vniuersis animabus religiosis contigisse, & hoc maximū beneficium à Domino percepisse, adeò euidēs est, vt planè insipiēs sit, & oculis captus, qui istud donū nō videat, nec tātam religiosorum fœlicitatē agnoscat.

Vidi ego, Domine, sæpe hoc præstātissimum do-

num mihi sine vllis meritis bonis, imò & cũ multis meritis malis prærogatum. Vidi & expaui, gauisus sum, quia recepi, fleui, & contristatus sum, quia tanto beneficio me ingratum esse cognoui. Vellem vt omnes religiosi grati essent, & hoc ingens donum agnoscerent, & eius gratia in perpetuum tuam maiestatem laudarent. Audiant igitur, quo pacto ista omnia cum anima religiosa facta sint, audiât, & admirentur tantam tui erga illos bonitatem, gaudeant ob suam eximiam prosperitatem, doleât de propria stoliditate, & ingratitudine, & hæc audiendo se ad amorem sanctitatis, & perfectionis inflammmcnt. Omnes nos, quamdiu in sæculo vitam agebamus, paruuli eramus, non quidem paruuli ætate, sed pusilli virtute. Optimè enim dixit Ambrosius. Iuxta animæ, & corporis numeramus ætates, non pro ratione temporis, sed pro qualitate virtutis, vt vir perfectus ille dicatur, qui careat errore pueritiæ, & lubricum adolescentiæ animi maturitate non sentiat. Pusillus, qui nullum adhuc virtutis videatur habere processum.

Ambr. in Luc. c. 2.

Paruuli eramus illa paruitate, quam nos Paulus cauere præcipit, dicẽs: Nolite pueri effici sensibus.] Quia tamquam pueri inscij & ignari de rebus iudicabamus, & sola præsentia cõsiderantes, futurorum & æternorum nullã habebamus rationem. An non paruuli, quibus per Salomonem dicitur, Vsquequo paruuli diligitis infantiam, & stulti, ea quæ sibi sunt noxia cupient, & imprudentes odibunt scientiam?] An nõ paruuli, qui nec primos gressus dirigebamus, vt veniremus in virum perfectum, in mẽsuram ætatis plenitudinis Christi? Certè paruuli eramus, quod & teneritudo animæ nostræ indicabat leuissima occasione lãguens, tenuissimis etiam tẽtationibus cedens, & paruitas staturæ spiritualis, quæ minimis rebus minor erat, & stultitia, quæ alligata erat in corde nostro, & puerilitatum desiderium ostendebat.

1. Corint. 14. 20.

Prou. 1. 22.

In sterquilinio iacebamus nudi, & famelici, nudi, quia virtutibus vacui, famelici, quia cognitione diuinæ voluntatis expertes. Nam si vestes animæ sunt humilitas, castitas, mansuetudo, & virtutes reliquæ, quæ animæ turpitudinem contegunt, & à frigore, & æstu vitiorum defendunt, satis ignominiose nudus erat, qui virtutum decore carebat. Et si cibus animæ est, diuina voluntas, secundum illud Domini: Meus cibus est, vt faciam voluntatem Patris mei, qui in cælis est,] intolerandam famem patiebatur, qui hanc voluntatem sciens & volens ignorabat, & tam suaui epulo non saginabatur. Sed quod est sterquilinium? Ego non puto aliud esse quàm sæculum: Quia sterquilinium est receptaculum stercorum, his autem plenus est mundus, quod Paulus, non cæcus, sicut mundani, sed diuino illustratus lumine, manifestè testatur, Omnia (inquit) detrimentum feci, & arbitror vt stercora, vt Christum lucrificiam.] Quid putas esse stercus, ô Apostole sancte? An argentum & aurum? an gemmæ, & lapides pretiosi? an purpura, & byssus, & vestes pulchræ & delicatæ? an amplissimarum domorum & amœnissimorum hortorum dominia? an opum, & dignitatum possessio? an voluptatum, & deliciarum acquisitio stercora sunt? ita planè. Stultis hæc, & ignaris hominibus alicuius momenti esse videntur, sed mihi vilissima stercora apparent, & omnia arbitror vt stercora, vt Christum lucrifaciam. Numquid non stercus est, quod abstergitur, & tamquam inutile & immundum ex domo proiicitur? Sed hæc omnia Deus tamquam immunda, & infructuosa absterget ex hac amplissima domo mundi, cùm adueniet dies Domini, vt fur, in quo cæli magno impetu transient, elementa verò calore soluentur, terra autem, & quæ in ipsa sunt opera, exurentur.] Numquid non stercus est, quod in saniem, & tabem, & vermes conuertitur? Sed homo præcipua mundi creatura, in cineres, in vermes, & in fœtorem resoluitur. Quid erunt alia, quæ eius gratia condita sunt, si ipsius splendor, & gloria in saniem, & tabem commutatur? O quam verè, & sapienter in libris Machabæorum scriptum legimus; Et à verbis viri peccatoris, ne timueritis, quia gloria eius stercus, & vermis est, hodie extollitur, & cras non inuenietur, quia cõuersus est in terram suam, & cogitatio eius periit.] Si ergo mundus locus est stercoribus plenus, non sumus iniuriosi in illum, si fœtidum sterquilinium appellemus. In sterquilinio sanè sunt animalia immũda, quæ ibi suis sordibus aptam sedem inueniunt, at quis explicare poterit quot huiusmodi animalia in mundo reperiantur? In eo securus iacet lupus rapacitatis, leo crudelitatis, taurus feritatis, vulpes astutiæ, hircus immunditiæ, grues somnolentiæ, equus, & mulus luxuriæ, asinus pigritiæ; sedes tantorum vitiorum tam immanium peccatorum, quid ni sterquilinio comparetur? In hoc sterquilinio iacebamus, longè miseriores & infœliciores Iob, quem dæmon ad certamina & labores expetiit. Nam ille saniem testa radebat, & suam calamitatem deplorabat: nos verò, nec vermes peccatorum contritionis testa radebamus, nec nostras miserias deflebamus: quinimò, ridebamus, lætabamur, cum impuris cogitationibus, ac inanibus desideriis ludebamus, & in tabe, ac stercore peccatorum volutabamur, vt quotidie euaderemus fœdiores. Ibi non solùm instabat mortis spiritualis periculum: sed qualibet hora nos inuidia rodebat, superbia inflabat, luxuria conculcabat, ita discerpebat; (& quod peius est) hæc erat nostra voluptas his vitiis subiacere, tantis malis proteri, tantis miseriis dilacerari.

Prou. 22. 15.

Ioann. 4. 34.

Philip. 3. 8.

2. Petr. 3. 10.

Machab. 2. 62.

Iob. 2. 8.

Vidit nos Dominus eo modo, quo diximus, in sæculo commorantes. Vidit nos in olido, & tetro sterquilinio iacentes. Vidit prorsus quod ad nos attinet, quales ante aduentum Saluatoris eramus, scilicet (vt verbis Chrysostomi vtar, paucis omissis) non in lecto, sed in ipsa malitia, in prauitate, velut in stercore proiecti, vlceribus, ac fœtore pleni, squallidi, suppressi, idola magis, quàm homines. Circunstabant nos dæmones mali, princeps ille mundi uidẽs insultabat. Vidit planè in stercore iacentes, vermibus scatentes, vlceribus plenos, febri, & fame laborantes, omne morbi genus habentes. Nam, & febris molestabat, ea quippe est mala concupiscentia, & inflammationes premebant, hoc enim est arrogantia: & vehemens fames obtinuerat: istud namque est auaritia, & putredines vndique; nam hoc est fornicatio: Et multa deformitas, hoc scilicet est malitia, molestus quidam, & grauissimus morbus.]

Chrys. ad Philipp. c. 3. in sensu morali.

Tales vidit, neque nos filios perduelles esse ignorauit, imò potiùs, qui omniũ est cognitor, manifestè cognouit Et tamen non aduersatus est nos, non abominatus, non dedignatus, non execratus, sed miseratione tactus, erexit iacentes, excitauit dormientes, ad sanam mentem reduxit errantes, & in aulam regiam, hoc est, in religionem malè meritos introduxit. Nec immeritò religio aula summi regis vocata est. Nam sicut Hierosolymis, quæ ciuitas Dei erat, populo Israëlitarum, & colentium Deum attributa, templum erat exædificatum, in quo Deus specialibus cæremoniis colebatur, & hostiis, ac sacrificiis placabatur: ita in Ecclesia modò religiosæ vitæ status in monte sanctæ perfectionis; tamquam aula quædã regis, & templũ Domini extructus est, in quo

A speciali cura, & priuatis quibusdã sanctarum actionum generibus adoratur, & colitur. Quis videns in sancta religione Angelos ascendentes; & descendentes.id est, viros perfectos, iam contemplationem sitientes, iam ad actionem properantes, non clamet cum sancto Patriarcha Iacob; Verè Dominus est in loco isto, quàm terribilis est locus iste, non est hic aliud, nisi domus Dei, & porta cæli? [In hanc itaque domum, in hanc aulam, nos Dominus verè pius, & benignus adduxit, in qua fletibus, & lacrymis curauit ægros; virtutibus tamquam indumentis vestiuit nudos, donis & charismatibus, tanquam gemmis pretiosis ditauit pauperes; Sacramentorum frequẽtia cibauit famelicos, cælestibus consolationibus refocillauit sitibundos; lumine diuinitus indito illuminauit cæcos; voce grandi inspirationum suarum, B excitauit surdos; subsidiis diuinæ gratiæ roborauit debiles, & mutans corda nostra, & mores pristinos tollens, nouosque & spirituales inducens; viles & fugitiuos seruos extulit, & adoptauit in filios. Impleturque spiritualiter illud Oseæ: Et erit in loco, vbi dicetur eis: Non populus meus vos, dicetur eis: Filij Dei viuentis.] Nam peccatis irretiti, & iniquitatibus maculati, & serui Diaboli effecti eramus: non populus Dei; nunc autem liberati a peccato, serui autem facti Deo, ab illo statum filiorum accepimus, & nomen hoc honorabile filij supra omne meritum adepti sumus.

Gen. 28. 16.17.

Osee 1. 10.

Ad Rom. 6.22.

Nec tamen in hoc beneficio finitæ sunt misericordiæ Dei, sed animas nostras in charissimas spõsas admisit, ex quibus, non vnum, aut duos, sed innumerabiles filios generat, omnes scilicet illos, qui, aut C nostro exemplo, aut doctrina conuersi virtutem colunt, vitia derelinquunt: Hæc omnia leuiter tantùm exposita, & latiùs in sequentibus explicãda, religiosi à Domino beneficia recipiũt, & ab his miseriis, quæ diximus, liberantur. Quid mirum si tantorum bonorum commemoratione excitati, & tantorum beneficiorum pondere pressi, Deo famulari cupiant, cuius gratia tam ineffabilibus bonis donati sunt? Ista ergo mala sæculi, quæ euasimus, & hęc bona religiosæ vitæ, quæ possidemus, sunt in hac prima huius operis tractatione prælibãda, vt his tamquam firmis ac solidis lapidibus fundamentum nostri operis iaciamus, & tantis impẽsis à Domino factis in vsum nostrum, diligenti meditatione perpensis, ad vitam spi- D ritualem, quam colendam in ingressu religionis suscepimus, & ad eius perfectionem animemur.

Et quidem hoc argumentum charissimus frater noster Hieronymus Platus (quem non ex facie, sed ex virtute cognouimus) paucis abhinc annis, non solùm deuotè, sed copiosè satis, & luculenter tribus editis libris disputauit. Nec tamen ob id putamus nos actum agere, si eandem materiam, non ex professo, sed leuiter tangendam, suscipiamus, prout ad finem nostræ tractationis necessarium esse cognouimus. Nam si Augustinus Ioannẽ, & Dauidicos psalmos exposuit: si Gregorius sancti Iob profunditates enodauit: si Ambrosius opera creationis, & myste- E ria Lucæ detexit: si Hieronymus Prophetas, tam maiores, quàm minores explicuit: si Chrysostomus Pauli Epistolas est suprà captum humanum interpretatus: si alij Sãcti Patres, alia vtriusque Testamẽti volumina, Deo inspirante, declararunt; non propterea inutilis est labor illorũ patrum, qui illos sequuti in idem studium, ac operam incubuerũt Quia à prioribus omissa addiderunt, obscura exposuerũt, diffusa contraxerunt, minus certa probabiliora reddiderunt, & alia methodo rem eandem inculcantes ingeniis rudioribus laborarunt. Ita & nos, si argumentum ab alio expositum tractaremus, non ob id studium nostrum inutile esset, aut infructuosum, si quædam addentes, & alia aliter exponentes, & veluti ex eadẽ materia, ex eisdem scilicet lignis, & lapidibus aliam domum fabricantes, nouum opus cuderemus, vt in laudem status religiosi posteris elaboratum relinquamus. Præsertim cùm præsumptione non careat velle omninò noua in lucem emittere, cùm scriptum sit: Nihil sub sole nouum, nec valet quisquam dicere: Ecce hoc recens est, iam enim præcessit in sæculis, quæ fuerunt ante nos.]

Hieronymus Platus lib. 1. de bono statu religiosi.

Eccles. 1. 10.

Nec debuimus ea silentio prætetire, quæ disposueramus antequam libri isti de bono statu religiosi in nostras manus venirent, vt essent huius nostri laboris exordium. Sed re vera longe aliud est nostri operis institutum, quàm illius nostri fratris dilecti, quem non solùm magno amore prosequimur, verùm etiam ob indicium suæ excellentis virtutis, atque de rebus spiritalibus sapientiæ, magna reuerentia suspicimus. Ille enim de bono religiosæ vitæ ex professo disputauit, nos in exordio huius longissimi operis, eiusdem vitæ dona tamquam fundamẽta, locamus, ne in lubrico ac instabili loco, tanti operis moles assurgat. Ille omnia nostri status bona enucleare voluit; nos ea sola, quæ scopo operis nostri sunt necessaria enodare curamus. Ille in hoc totus positus fuit, vt vitam religiosam laudaret, & non tamquam verbosus Rhetor, sed vt rerum spiritualium valdè peritus, extolleret: nos huius vitæ præstantiam tractamus, vt quanta sit in nobis obligatio, contemnendi mundum, & sanctam perfectionem amplectendi, commemoremus. Ille tandem, vt magnus vir nullis adminiculis, sed proprio Marte (vt aiunt) suum opus digessit, nos, vt pusilli, & rudes, alterius dictis nitimur, alterius sapientia sustentamur. Volumus enim in hac tractatione sanctum Ezechielem Prophetam, ducem, & antesignanum nobis proponere, qui in sui vaticinij capite decimosexto, sub typo Hierosolymæ, mala sæculi, & bona status religiosi elegantissimè videtur adumbrare. Eius ergo verba in priori parte illius capitis scripta tropologicè interpretabimur, obnixè Dominum deprecantes, vt sicut illa, quæ exposituri sumus, nobis optimè congruunt, ita quæ inexplicata reliquimus ab eo loco, Et habens fiduciam in pulchritudine tua, fornicata es in nomine tuo:] & reliqua, quæ sequũtur minimè nobis conueniant. Quod sine dubio consequemur, si viam virtutis, ac perfectionis semitas coluerimus: sin minus, sicut Deum sentiemus in primis verbis, quæ exponimus, suorum beneficiorũ commemoratorem, & nostri status laudatorem, ita in sequentibus, quæ reliquimus habebimus eum nostræ inertiæ acrem obiurgatorem. Sed iam ad opus nos accingamus.

Ezec. 16. 15.

De miseriis sæculi, à quibus per vitam religiosam sumus liberati.

CAPVT III.

HIEROSOLYMAM illam terrestrem typum fuisse non solùm Ecclesiæ, quæ in cælis triumphat, & in terris militat, sed etiam animæ nostræ ad vitam spiritualem vocatæ, nemo est, qui ambigat. Hoc vtriúsque fœderis paginæ, hoc & sanctorum Patrum testatur auctoritas. Anima enim iusta est illa spiritualis Hierosolyma ad cuius cor pręcipit dominus, vt loquamur & aduocemus eã: quoniã cõpleta est malitia eius, & dimissa est iniquitas illius.] Et illa, de qua alio loco scriptũ est:

Isaiæ 40. 2.

Za har. 12. 3. In die illa ponam Hierusalem lapidem oneris cunctis populis, omnes, qui leuabunt eum, concisione lacerabuntur.] Quoniam dæmones suas vites in huius animæ persequutione ostentantes, & eã tamquã lapidem ad ludum expositum iactantes inaniter, fatigantur, quia Dominus refugium in tribulatione eam tuetur, atque defendit. Anima verò peccatrix est illa eadem ciuitas, quam videns Dominus fleuit super illam, dicens, quia si cognouisses & tu, & quidem in hac die tua quæ ad pacem tibi.] Digna quidem, quam lugeant vniuersi, siquidem Dominus ipse maiestatis super eius calamitatem dignatus est flere. Digna cuius omnes misereantur, quandoquidem tam cæca est, vt tempus sibi datum ad pacem & fœlicitatem assequendam, ignoret. (Luc. 19. 42.)

Has duas animas, iustam & peccatricem, præsignasse Hierosolymam, docet Origenes, in hunc modum scribens; Omnes, qui didicimus diuinas Scripturas, siue bene, siue male viuamus, Hierusalem sumus: si malè viuimus illa Hierusalem, quæ cruciatibus punitur, & sustinet quatuor vltiones, si bene, illa Hierusalem quæ in Dei sinu requiescit] Et consentit Hieronymus, ita dicens: Cæterum nulli dubium est Sion, & Hierusalem speculam, & visionem pacis posse accipi animas fidelium, quibus cùm peccauerint, iratus Dominus tradet eas captiuitati, vt quæ Deum per bona prosperáque non senserant, per mala sentiant & aduersa. Cumque egerint pœnitentiam, reuertetur Dominus ad Sion, & habitabit in medio Hierusalem. Et in quibus antea regnabant vitiorum, peccatorumque mẽdacia, postea Christus veritas commorabitur.] Quin & Cyrillus sub nomine Sion, de eadem ciuitate loquens, sic ait, Sciendum præterea, hominis animam derelinqui à Deo multifariam: nisi præscripta rectè exequatur, & Domini oraculis ceruicẽ submittat, pietatisque fructus pariat. Etenim si quis nostrûm ab initio probus fuerit, si nuncupatus filius, aut filia Dei, si etiam Sion, hoc est specula, extiterit, nimirũ animo excelso, & mente purissima mysteria intuente, ac considerante, si verò deinde, quæ fas non est perpetrare, & sanctum Israëlis exacerbare conspiciatur, ab illo deseretur, ac velut incustodita vinea prodetur Satanæ, tradetur carnis affectibus, omnibus præceptis vacuus præclarisque vitæ instituendæ, ac conseruationis decoribus, nudus omnibus onustus malis efficietur.] (Orige. lib. in Ezech. — Hiero. lib. 2. in Zachar. c. 8. — Cyril. lib. 1. in Isaiã ora. 1. ad c. 1. in illud, Et derelinquetur filia Sion, &c.)

Anima igitur est illa Hierosolyma, quæ visio geminæ pacis interpretatur, quia in eius medio Christus pax nostra, nunc per fidem cognoscitur, & in futura vita per speciem videbitur. Hæc est ciuitas sancti, ab auctore sanctitatis à peccatis emundata, ciuitas Dei summi, ab eo qui omnium est creator & rector optime gubernata: ciuitas Domini virtutum, à rege militiæ cælestis angelicis spiritibus eã custodientibus, tamquam militibus cincta: ciuitas regis magni, ab eo qui omnibus præest in suum domicilium electa. Hæc est ciuitas munita, quam Sanctorum auxilia & deprecationes muniunt: Vrbs perfecti decoris & gaudium vniuersæ terræ:] de cuius conuersatione omnes terræ viuentium habitatores, exultant. Tandem hæc est filia Sion, quia eam suprema illa Sion ciuitas cælestis protegit, & dilectissimam filiam agnoscit. (Isaia 52. 1. — Ps. 86. 3. — Ps. 47. 9. — Matth. 5. 35. — Psal. 107. 11. — Treno. 2. 15. — Isa. 26. 1.)

Ezech. 16. 3. Hanc ergo Hierosolymam putamus Dominum spiritualiter alloqui, cùm Ezechiel ait: Hæc dicit Dominus Hierusalem. Ac si diceret, verba, quæ subiungam, Domini sunt, electæ ciuitati suæ, dilectæ animę per aures spirituales infusa. Quomodo autem anima attentè non audiat, quæ Dominus creator, & fundator eius dignatur proprio ore docere, & ad eam

A erudiendam digito Spiritus sancti conscribere? serui humiliter iussa dominorum suorum aure percipiũt, filij patrum documenta magni pendunt, sponsæ voces comparium suorum amãter auscultant, quid ni attente humiliter, & amanter audiat anima vocem eius, quem Dominum veneratur, patrem intuetur, & dulcissimum sponsum amplectitur? Cuius verba, siue præterita mala commemorent, siue præsentia bona referant, semper amorem sonant, misericordiam prædicant, & opera bona in grati animi significationem expetunt.

Dicebas, ô anima, non vt illi antiqui Israëlitæ, qui animum mancipiorum conceperant: Non loquatur nobis Dominus, ne forte moriamur.] Sed vt Samuel, B qui Spiritũ filiorũ hauserat: Loquere, Domine, quia audit seruus tuus.] Ecce iam loquitur Dominus tuus: Nam hæc dicit Dominus Hierusalem. Audi loquentem mala tua, & bona sua. Audi proferentẽ miserias tuas, & miserationes suas. Audi quæ ignominiosa ex Adamo primo parente iure hæreditario recepisti; & quæ gloriosa ex secundo Adamo nostri generis restauratore habuisti. Audi non Mosem populi ingratitudinem, & peccata, ac Dei beneficia tonantẽ, sed Dominum maiestatis, tuam ipsius calamitatẽ, & suã erga te benignitatem prædicantem; quoniam hæc dicit Dominus Hierusalem; Recenset mala tua, vt te ipsam agnoscas, te ipsam cõtemnas, & tẽpus in sæculo male expensum deplores: & refert bona sua, vt ea, attenta meditatione consideres, vt ea in summo C pretio habeas, & de eorũ fœlici possessione læteris. Cõmemorat simul bona, & mala, vt si in die malorum non immemor fuisti bonorum, & ideo ad ea possidenda venisti; in die bonorum memor quoque sis malorum, & iterum, aut corpore, aut corde non redeas ad ea quæ prudenter effugisti. Commemorat simul bona, & mala, vt timore, & amore te ipsam in duas, & pretiosa veste ex his duobus affectibus texta tuam nuditatem circundes. Bona simul & mala ob oculos ponit, vt hæc iuxta tanta bona posita fœdiora appareant, & illa cum tantis malis collata, magis eluceant. Tãdem mala sæculi, & bona religionis inculcat, vt illa quotidie magis odias, hæc singulis momentis magis diligas, & ad vitæ spiritualis amo D rem, quam tantorum beneficiorum cumulus instanter postulat, te ipsam accingas. (Exod. 20. 19. — 1. Reg. 3. 9.)

Quid ergo dicit Dominus Hierusalem? Radix (inquit) tua, & generatio tua de terra Chanaan.] Est ac si dixisset, Considera ô homo, non iam dignitatem, sed vilitatem tuam, expẽde seriò quę patria te tulit, qui parentes te genuerunt, qua miseria educatus es, in quanta pericula, & calamitates proiectus, & inde incõmoda sæculi, & pericula mundani status elicies. Radix tua & generatio tua de terra Chanaan.] Hæc est patria, hæc natalis sedes, quæ te aluit, infœlix & miserum sæculum præfiguratum in terra Chanaan. Non es creatus ô homo in cœlo empyreo, vt angeli creati sunt; non es productus in loco deliciarum, vt primus parẽs nostri generis, qui à Deo ex limo terræ E prope paradisum factus est, sed natus es in sęculo, in loco tribulorũ & spinarum, in arce hostium, qui rebellarunt cõtra Deum, significata in terra Chanaã. Hoc enim nomẽ (vt Ambrosius interpretatur) idem est quod turbatio, siue cõmotio. Quid autem est sæculum, nisi locus commotionis, fons inquietudinis, seminariũ turbationis? Locus commotionis, vbi homo quasi flos egreditur, egressus autẽ non permanet, sed statim cõteritur & fugit velut vmbra,] quæ mox nullo sui vestigio derelicto abit, & euanescit, & nũquam in eodem statu permanet. Fons inquietudinis a quo tot curæ manant, tot sollicitudines rerum (Ezech. 16. 3. — Amb. lib. de Noe & arca, c. 28. & 32. — Iob. 14. 2.)

temporalium

temporalium fluunt, tot imbecillitates, & corporis morbi procedunt, quæ animum cruciāt, & pacatum esse non sinūt. Seminarium turbationis, nullus enim est amator mūdi, qui, aut desideriis eorū, quæ nō habet, aut timore amittēdi, quæ habet, nō perturbetur.

Quid est sæculum nisi vrbs iniquitatis, in qua regnat inuidia, sæuit crudelitas, dominatur ambitio, imperat libido, & vitia vniuersa requiem inueniūt? Vt enim est apud Oseam: Non est veritas, & non est misericordia, & nō est scientia Dei in terra. Maledictum, & mendacium, & homicidium, & furtum, & adulterium inundauerunt, & sanguis sanguinem tetigit:] dum quotidie homines peccata peccatis adijciunt, & nouis superuenientibus iniquitatibus, antiquas reddunt grauiores. Quis est sæculum, nisi rota quædam volubilis omnia mouens, vniuersa consumens & conterens, in qua nihil est quod stabile & constans perseueret? Quid miserabilius mundo (inquit Gregorius) cuius fructus ruina est? Ad hoc crescit vt cadat, ad hoc cadit, vt germinet, ad hoc germinat, vt quæcumque germinauerit cladibus consumat.] Hodie quemdam honoribus extollit, postera die ignominia, & infamia deiicit. Iam opibus, ac rerum temporaliū fortunis auget, statim verò penuria, ac miserabili mendicitate premit. Nunc amicorū & familiarum turbis circundat, & in nictu oculi solitarium, & inglorium derelinquit.

Osee 4.1.2.

Greg. hō 1 in Euāgel.

Ostendat hoc nobis in se ipso illud admirabile exemplum patientiæ Iob, cuius aspectum ita vniuersi suscipiebant, vt ad eius ingressum iuuenes absconderentur, & senes assurgētes starent, principes cessarent loqui, & vt aduenientis sententiam attentissimè audirent, digitum superponerent ori suo Loquente illo vocem suam cohibebant duces, & lingua eorū gutturi suo adhærebat.] Repētè tamen à tanta prosperitate deturbatus est, & in sterquilinium deiectus: & ad mutationē status, aliorum opinio & existimatio mutatur. Nunc autem (inquit) deridēt me iuniores tempore, quorū nō dignabar patres ponere cum canibus gregis mei, quorum virtus manuū mihi erat pro nihilo, & vita ipsa putabantur indigni: In eorum canticū versus sum, & factus sum illis in prouerbiū.] Quid tandem est sæculum, nisi periculosum mare in quo passionum furit sæua tempestas, curarum, ac sollicitudinum fluctus strident, tentationum, & periculorum, tam animæ, quàm corporis vndæ demergunt, adeò, vt nullus fere sit, qui omninò illæsus euadat? In quam sententiā optimè Augustinus. Plena sunt omnia periculis, plena laqueis, incitant cupiditates, insidiantur illecebræ, blandiuntur lucra, dāna deterrent. Amaræ sunt obloquētiū linguæ, nec semper veracia sunt ora laudantium. Inde sæuit odium, hinc decipit mendax officiū, vt faciliùs sit vitare discordem, quā declinare fallacē. Hæc Augustinus, & optimè. Nullus enim sęcularis status est, qui nō innumerabilibus periculis sit expositus, nullū negotiū quod non sit mille laqueis circundatum. Visa, immoderatas cupiditates augēt, audita, cor ad malum emolliunt, & ad leges diuinas conculcandas alliciunt. Non est qui errantē corrigat, qui nutantem fulciat, qui ruentē detineat.

Iob. 29 8.

Iob. 30. 1.

Aug. Sab bat. post dominic. quinquag. ser. 2.

In hoc igitur sæculo, in hac Chananæorum terra nati sumus, in qua mali pariter, & boni miserias, & calamitates patimur, quia hæc patria nostra insipiētiæ, & cæcitatis plena, tam infidelis est, vt nec malis & peccatoribus suis amicis faueat, & tam iniqua, vt nec bonos laudet, nec iustos honoret, nec virtutibus deferat, imò rideat, subsannet atque cōtemnat. Mali his bonis sensibilibus, quasi furtim perfruūtur, & sicut ille filius prodigus, qui consumpsit substantiam suam viuēdo luxuriosè, nec porcorum siliquis, id est

A obscœnis voluptatibus saciantur. In vltionem autem delictorum suorum tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam, vt contumeliis afficiant corpora sua in semetipsis. Et tandem post paululum, quos mundus fatigatos in via iniquitatis tenuit, quos Dęmon tanquam vilissima mancipia tractauit, quos Deus tamquam hostes propriæ cōscientiæ increpationibus afflixit, perpetuus gehennæ cruciatus absorbet.

Rom. 1. 24.

Vidi eos (inquit sanctus Iob) qui operantur iniquitatem, & seminant dolores, & metunt, eos flante Deo, periisse, & spiritu irę eius esse consūptos.] Boni autem, & qui piè volunt viuere in Christo, quas persequutiones nō patiuntur? Isti sunt, qui circumeūt in melotis, in pellibus caprinis, egētes, angustiati, afflicti, in solitudinibus errantes, & in montibus, & in

B speluncis, & in cauernis terræ.] Isti sunt, qui ex eo, quòd non sunt de mūdo, propterea odit eos mūdus. Isti sunt, quos mundani conculcant, & prętereūt, eorumque bona, si quæ habent ad subleuandā necessitatem, diripiunt. Nam (vt inquit Isaias) Qui recessit à malo, prædæ patuit.] Qualis igitur est patria, quæ omnes suos ciues affligit? Qualis illa, quę nec amicis, nec inimicis pepercit? Qualis illa, quæ omnes ex se nudos, & inglorios excussit? Verè terra Chanaā, quæ deuorat habitatores suos. O igitur nequā sæculum, quàm insipiens est, qui te amat, quā temerarius, qui te nō horret, quàm sui oblitus, qui tuos laqueos non fugit, quàm inuerecūdus, qui inter tot mendacia, simulationes & vitia se natum, atque educatū esse nō erubescit! O munde immūde, vt Beatus Augustinus

C hunc locum perficiat; qui homines illaqueare nō desinis; quiescere non permittis; rapere omnes appetis; occidere omnes quæris; Væ qui tibi credit; Beatus qui tibi resistit; sed beatior, qui à te illæsus recedit. O munde proditor, bona cuncta promittis, sed cūcta mala profers: promittis vitam, sed donas mortē. promittis gaudium, sed largiris mærorē, promittis quietem, sed ecce turbatio, promittis florem, sed citò vanescit; promittis stare, sed citò recedis. Nen ergo es diligēdus, quoniam omninò transis, & concupiscētia tua, vel vt fumus euanescit.] Sapiētet ergo faciūt, qui istam terram sanè miserem deserunt, qui à patria ista proditrice suorum ciuiū aufugiunt, & aliam ciuitatem fideliorem, scilicet sanctam religionem in matrem eligūt, cuius est omnes suos à prædictis ma-

D lis terrę Chanaā liberare, & veris diuitiis, solidis honoribus, ac purissimis voluptatib⁹ prosequi, & ad illam ciuitatem viuentium, quæ in cælis est, meritorum diuites, & virtutibus abundantes, destinare.

Iob. 4. 8.

Hebr. 11. 37.

Ioan. 5. 20.

Isaia 59. 15.

Numer. 13. 33.

Aug. ser. 11. ad frat. in erem.

De cæcitate eorum, qui in sæculo nos erudiebant.

CAPVT IV.

HÆc patria inconstans, & mutabilis nos tulit; hæc misera terra nos infœlices aluit, atque educauit. Sed quia nulla ęst ciuitas adeò vilis, & abiecta, quam nō incolat primarius aliquis vir, qui principatum gerens, si velut

E caput reipublicæ, & dominus aliorum, ne putes, ô homo, hāc tibi fœlicitatem in sæculo in patria scilicet infideli contigisse, parentesque nobiles, & illustres te fuisse sortitum, audi quod sequitur; Pater tuus Amorrhæus, & mater tua Chetæa.] Patres quidem nostri sunt, non tantùm, qui corporaliter generant, sed etiam, qui spiritualiter procreāt, qui mores in nos, consuetudinesque, aut bonas, aut deprauatas transfundunt. Quod si non ita esset, non dixisset

Dominus filios Abrahæ carnales alloquens: Vos ex patre Diabolo estis, & desideria patris vestri vultis perficere.] Et Paulus iustorum signum aliquod tribuens: Qui autē spiritu Dei agūtur, ij sunt filij Dei.] Diabolum profectò patrem agnoscit, quicūque ille sit, siue nobilis, siue ignobilis qui eius desideria admittit, cōsilia suscipit iussa, atque imperata custodit. Sicut econtrariò ille filius Dei putandus est, qui Dei spiritū hausit, & in se ipso imaginem virtutis expressit. Præclarè enim dixit Basilius: Etenim & is filius est Altissimi, qui studio exercēdæ virtutis Deo se familiarē reddidit, & amicū, neque hic iam, vt homo moritur, in se cùm habeat viuentē Deum.] Et latiùs Augustinus, qui sint filij Dei, & qui filij Diaboli explicans, ait; Filij Dei sunt homines renouati ad eius imaginem, & ei similes facti, vsque ad dilectionem inimici. Sicut Dominus dicit, diligere nos debere inimicos nostros, vt similes simus patri nostro, qui in cælis est. Quod in potestate nostra ab ipso Deo esse positum, docet Scriptura, cùm dicit: Dedit eis potestatem filios Dei fieri.] Filij autem Diaboli dicuntur homines cùm imitantur eius impiam superbiam, & à luce, atque celsitudine decidūt sapientiæ, & non credunt veritati.] Pulchrè quidem hæc: si enim pater est, qui vitam istam mortalem, aut mortem istam vitalem tribuit, qua sub velamine functionum vitæ, ad mortem tendimus; cur non erit pater, qui vitam spiritualem suppeditat? qui actiones vitiorum mortiferas, aut virtutum verè vitales impertit? quibus, aut vitam miseram, aut verè fœlicem, & numquam perituram comparamus?

Ioann. 8. 44. *Rom. 8. 14.* *Basil. in Psal. 115.* *August. lib. contra Adimāt. c. 4.* *Ioann. 1. 13.*

Attentè igitur consideremus, qui patres nos in sæculo spiritualiter genuerunt, qui viuendi regulam tradiderunt, qui mores suos, & vitia inueterata in mentes nostras intulerunt: diligenter inspiciamus, quorum suspiciebamus vitam, sequebamur opera, admittebam' opiniones, & planè videbimus à patre Amorrhæo, & matre Chetæa, nos vitæ moralis vsuram suscepisse. Quis namque est Amorrheus, nisi rebellis? & quæ Chetæa, nisi insaniens: Sed nos in sæculo illos magistros, illos antesignanos habuimus, qui aduersus Deum quotidie rebellabant, & furore desideriorum suorum mirū in modum insaniebant. Vis ne manifestissimè videre hoc ita fuisse. Aduerte igitur, qui ante oculos tuos iugiter obuersabantur: illi profectò, qui honorem suum, diuino honori anteponebant, & vilissimum lucrum, ac turpem libidinem, Dei iussis sanctissimis præstabiliorem putabant.

Aduerte quos fœlices & beatos existimabas, nisi diuites, gulæ & lasciuiæ deditos, purpura, serico, & gemmis ornatos. Hæc tua cupiditas hoc tuum studium erat, si talis aliquando esses, quales illi esse tibi videbantur. Nec timebas sententiam Saluatoris. Facilius est camelum per foramen acus transire, quàm diuitem intrare in regnum cœlorum.] Nec illud: quod alio loco dixit: Væ vobis diuitibus, qui habetis consolationem vestram: Væ vobis, qui saturati estis, quia esurietis.] Nec tandem illā diuitis calamitatem, qui eum indueretur purpura & bysso, & epularetur quotidie splēdidè, post mortem sepultus est in inferno: quo loco tantam indigentiam patiebatur, vt nec haberet guttam aquæ, cuius refrigerio leuiter aspersus, cruciatuum vim paulatim remitteret. Considera, quos imitaberis, sine dubio superbos, & inflatos, qui cæteros contemnebant, ambitiosos, qui reipublicæ dignitates procaciter appetebant, & inuerecundè postulabant, auaros, quorum fœlicitas aurum est & argentum, & aliæ diuitiæ perituræ, Luxuriosos, quorum Deus venter est, & gloria in

Matt. 19. 24. *Luc. 6.* *Luca 16. 19.* *Philip. 3. 3. 19.*

confusione ipsorum:] Qui tamquam equi refractarij, omni metu seposito, per scopulos concupiscentiarum suarum præcipites ruunt.

Vide tandem, quos tibi in magistros, & præceptores asciscebas, nisi homines insipientissimos, qui te ad vindictas, ad furta, ad libidines, & ad omne flagitij genus animabant. Horum doctrina hæc est. Venite, & fruamur bonis, quæ sunt, & vtamur creatura tamquam in iuuentute celeriter, vino pretioso, & vnguentis non impleamus, & nō prætereat nos flos temporis, coronemus nos rosis antequam marcescant; nullum paratum sit, quod nō pertranseat luxuria nostra, & cætera.] Si ergo iustorum mores imbibimus, peccata dileximus, & iniquitatem imitationem suscepimus, non dubium, quin isti erant nostri patres, à quibus secundum spiritum geniti sumus.

Sapient. 2. 6.

Aliud autem docuerunt nos, si non tam miserabile, sed certè valdè intolerabile, illud verò est, ab iectissimis occupationibus vacare, & in rebus parui momenti vitam insumere. Solent patres artem, aut ministerium, quo victum quæritabant, suis posteris relinquere, & tamquam iure hæreditario ad filios, & nepotes transmittere. Quæ igitur erat ars, quam non solùm magistri vitæ nostræ exercebant, sed etiam carnales patres, qui nobis vitā carnis tribuerunt, tum desiderio, tum perpetua occupatione tractabant? Certè non alia nisi opes conquirere, & aut necessaria, aut etiam superflua in vsum corporis cōparare. Hæc cogitabant, hæc exoptabant, pro his laborabant, & nulli, nō dico labori, sed nec discrimini propriæ salutis parcebāt. Quorum in his rebus adipiscendis sollicitudinem. Innocentius Papa hac oratione describit; Currunt, & discurrunt mortales per sepes, & semitas, ascendunt montes, transcendunt colles, transuolant rupes, peruolant Alpes, transgrediuntur foueas, ingrediuntur cauernas, rimantur viscera terræ, profunda maris, incerta fluminis, opaca nemoris, inuia solitudinis; exponunt se ventis, & ruinis & præcipitiis, imbribus, tonitruis, fulminibus, fluctibus, fluminibus, & procellis. Metalla cudunt, & conflant; lapides sculpunt & poliunt, ligna succidunt, & dolant, telas ordiuntur, & texunt. vestes incidunt, & consuunt; ædificant domos, plantant hortos, excolūt agros, pastinant vineas, succendunt clibanos, extruunt molendina, piscantur, venantur, & aucupantur. Meditantur, & cogitant, consiliantur, & ordinant, querelantur, & litigant, diripiunt, & furantur, decipiunt, & mercantur, contendunt & præliantur, & innumera talia, vt opes cōgerant, vt quæstus multiplicent, vt lucra sectentur, vt honores acquirant, vt dignitates extollant, vt potestates extendant; & hæc quoque labor, & mentis afflictio. Sic Innocentius, quondam Lotharius, & bene quidem. Nam hic est finis omnium curarum, atque laborum hominum, perituras diuitias acquirere, & possidere, & æternæ salutis adeptionem neque in memoriam adducere.

Innocentius de cōtēptu mū di, c. 12.

Istam nos artem ab illis didicimus, hanc à parētibus nostris exercendam, & tractandam accepimus, in hanc incumbebamus in quemcumque statum sæculi huius ascenderimus. Pauperes enim, & ignobiles has vilissimas occupationes sectari quis dubitet? Cùm illis necessariæ omninò sint, vt vitam agant, filios alant, familiam, seruosque sustentent. Diuites autem, & nobiles, imò & ipsos potentissimos reges eisdem curis subiacere, potentissimi Salomonis doceat auctoritas. Magnificaui (inquit) opera mea, ædificaui mihi domos, & plantaui vineas, feci hortos, & pomaria, & conseui ea cuncti generis arboribus, & extruxi mihi piscinas aquarum, vt irrigarem syl-

Eccle. 1. 2. 4.

uam

uam lignorum germinantium, possedi seruos, & ancillas, multamque familiam habui; armenta quoque, & magnos ouium greges vltra omnes, qui fuerunt ante me in Hierusalem.] His omnibus, & aliis multis similibus enumeratis, quid de illis sentiat statim subiungit, dicens: Cumque me conuertissem ad vniuersa opera, quæ fecerant manus meæ, & ad labores, quibus frustra sudaueram, vidi in omnibus vanitatem, & afflictionem animi, & nihil permanere sub sole.] O egregiam artem, quam sapientissimus mortalium, & adeò illustratus à Deo, vt in hoc quod dixit, non potuerit errare, non vanam, & inutilem, sed ipsam vanitatem & inutilitatem esse cognouit! O præclaras curas hominum, illorum scilicet, qui ad contemplandum, & amandum Deum, & ad consequendam fœlicitatem cōditi sunt, ea curare, quæ oculum contemplationis excæcant, voluntatis amorem impediunt, & ab itinere æternitatis abducunt. O sapientissimas occupationes filiorū Adā, qui (vt inquit Oseas) argentum suum, & aurum suum fecerunt sibi idola, vt interirent.] Si igitur istorum, non solùm mores & vitia amplectebamur, verùm etiā artes & curas admittebamus, & omne nostrum studium erat, rerum temporalium copiam lucrari, reipublicæ dignitates ambire, & cumulandis honoribus inhærere; Verè parentes nostri Amorrhæi, & Chetæi erant, id est, rebelles, & insani, qui & nos infamem & ignominiosam artem luctandi opes docuerunt, & vitia, ac peccata sua, id est, insaniā & stultitiam in animos nostros transfuderunt.

Osea 8.4.

Isti, ô homo, dum eras in sæculo, erant patres tui, à quibus nō corporis vitam, sed animæ mortem recepisti, non carnis victum, sed mentis esuriem; non statum mundanum, sed animæ tuæ casum, & ruinam miserabilem habuisti! Inter istos vitam agebas, qui, vt verum fatear, non tam patres, quàm raptores, non tam genitores, quàm calumniatores dicendi sunt, qui in opere comites & magistri sunt criminis, in pœnæ tamen sustentatione tibi soli crimen obijciunt, qui verbo delicias, & voluptates suadent, sed re vera animæ diuitias, scilicet virtutes diripiunt: Optimè enim dixit Gregorius. Calumniatores rectè dicere possumus omnes iniquos, non solùm, qui exteriora bona rapiunt, sed etiam, qui malis suis operibus, & vitæ reprobæ exemplo, interna nostra dissipare contendunt. Illi namque ea, quæ nobis extra sunt, inuadere ambiunt, isti verò nos prædari interiùs quærunt. Illi amore rerum, isti non cessant odiis sæuire virtutum. Illi inuident, quod habemus, isti quod viuimus. Illi studēt rapere bona exteriora, quia placent, isti satagunt interiora bona dissipare, quia displicent. Quantò igitur morum vita à rerum distat substantia: tantò grauior calumniator est, qui malè viuendo vim nostis infert moribus, quàm qui violenter opprimendo damna ingerit rebus.] Si hoc ita est, verè pater tuus Amorrhæus, qui nō solùm in Deum, sed etiam aduersum te suum filium rebellauit: & mater tua Chetæa, quæ vsque ad tui cladē, & perniciem insinuit. Quamobrem si Saul pudore afficiebatur, quia ex abiecta familia erat procreatus, vnde dicebat; Nunquid non filius Iemini ego sum, de minima tribu Israël, & cognatio mea nouissima inter omnes familias de tribu Beniamin?] Quanta verecundia affici deberes, qui nō ex aliqua minima cognatione regni Dei processisti, sed ex familia inimicorum Christi, & eorum, qui sanctissimas eius leges proterebant, ac mandata iustissima conculcabant?

Greg. 16. moral. 10.

1. Reg. 9. 21.

***

De intemperantia passionum, quæ nos in sæculo cruciabant.

CAPVT V.

SED interdum parētes vulgares, & plebeij solent filios suos ingenuè, & liberaliter educare, & honestis studiis instituere, vt quod illis nobilitas generis denegauit, optima educatio, ac vitæ institutio concedat. At nec istud, ô religiose, in sæculo tibi cōcessum est, sed miserabiliter natus, & infœliciter educatus, huius educationis causa, mala nō minima cōtraxisti: Quæ Propheta breuiter, sed grauiter, & luculenter depingit. Et quando natus es (inquit) in die ortus tui nō est præcisus vmbilicus tuus.] Quis vmquam infantulus, tam omnibus humanis præsidiis destitutus caruit illo, aut obstetricis, aut propriæ matris beneficio, quo sibi vmbilicus præcideretur? Tu verò in die natalis tui, quando non Deo, sed mundi calamitatibus natus es, hoc tam necessario beneficio spiritualiter caruisti. Nomine enim vmbilici, aut carnis cōcupiscentiam, cum Gregorio, & Origene, aut aliorum affectuum intemperantiam intelligimus. Quis autem in sæculo tibi libidinem, & luxuriam resecuit? Fœminarum aspectus alliciebat, occasionum laquei prouocabant, amicorum exempla, & suasiones excitabant. O quoties forsitan illud Salomonis expertus es! Oculi tui videbunt extraneas, & cor tuū loquetur peruersa, & eris sicut dormiens in medio mari, & quasi sopitus gubernator amisso clauo:] O quoties dixisti, quod statim sequitur: Verberauerunt me, sed non dolui, (cùm tamen maximè dolendum esset) traxerunt me, & ego non sensi.] Non mirum si verberibus affectus, non dolebas, & ad peccati cōsensum tractus, nō sentiebas, liquidē in medio mari, id est, inter innumera pericula & incitamenta peccandi nō vigilabas, sed sopore graui depressius dormiebas. In medio enim mari dormit, (vt Gregorius ait) qui in huius mundi tentationibus positis, prouidere motus irruentium vitiorum, quasi imminentes vndarum cumulos negligit, & quasi clauum gubernator amittit, quando mens ad regendam nauem corporis, studium sollicitudinis perdit.]

Ezec. 16. 4.

Greg. 32. mor. c. 11. Orig. hom. 6. in Ezechi.

Prou. 23. 33.

Greg. 3 p. pastoralis admonit. 33.

O quoties firmiter decreuisti vincula concupiscentiarum abrumpere, & à tua sentētia, sociorū precibus, amicorū exēplo, & occasione propinquitatis dimotus es, quæ nec domo ipsa diuellebatur. Hæc autem occasio tam vicina mētem ad peccatum inuitans si timeatur, quid nisi turbationem, & inquietudinem? si verò non timeatur, quid nisi miserandum casum efficiet? Nāque iuxta præcipitium vadens (inquit Chrysostomus) quamuis non decidat, tremit, & sæpenumero ab ipso submersus tremore decedit: ita & non procul peccata fugiens, sed secus ipsa videns, cum timore viuit, & in ipsa labitur sæpius. Etenim alienas curiosè spectans formas, quamuis non mœchetur, tamen concupiuit, & iuxta Christi sentētiam factus est adulter: sæpius autem ab ipsa concupiscētia & in peccata re ipsa defertur.] Sapienter profectò peccandi occasionem cum præcipitio confert. Nam dum ei resistimus, mentem turbat, & assiduis tentationibus, tamquam iaculis, aut telis inquietat, dum autem non resistimus, sed eius importunitati subiicimur, planè miseram animam præcipitē agit, & in barathrum peccati demergit.

Chrys. hō. 15. ad populum Antioch.

Matt. 5. 35.

Quis etiam aliorum affectuum intemperantiam cohibuit? Multa quidem erant in sæculari vita, quæ

affectus istos magis accenderent,& passiones acriùs inflammarent: nihil tamen, quod tamquam bestiis indomitis frænum iniiceret. Nam verba alioru imprudenter effusa, passiones nutriunt, dum cor nostrum tenuissima palea leuius,& instabilius, iam ad inanem gloriam, iam ad tristitiam, iam ad iram, & indignationem traducunt. Quis namque nescit(vt Richardus de Sancto Victore scriptū reliquit) quomodo homo ad tenuem spirantis fauoris auram totus statim inclinatur ad gratiam,& si ex eodem ore, & sub eodem tempore ventus detractionis erumperet,statim affectum in alteram partem flectit, & modum, & in furorem vertit? Miserabile sanè,imò & miserabile; nobilem illam creaturam, ad imaginem Dei creatam, & omni creaturæ prælatam; ad modicum verbum,tenuémque flatum,ad linguæ sonitū, aerísque ictum à rectitudinis suæ statu quasi violenter excuti, móxque mirum in modum huc, illúcque raptari,& turbinis more in vertiginem agitari.]

Richar. lib. de statu interioris hominis c.9.

Opera quoque similiter easdem passiones augent. Iste enim fortunas diripit, & iras exsuscitat,ille honorem & bonum nomen extenuat, & odium succendit,vnus temporalibus bonis extollitur, & inuidiam generat, alius sanguine iunctus ab statu suo cadit, & mœrore, ac tristitia nos afficit. Est, qui minas intentet, & timemus; est qui fallaciter montes aureos promittat, & leuiter speramus. Omnia, quæ oculis conspicimus, auribus percipimus, manibus contrectamus, insanum amorem alunt, ad turpem voluptatem alliciunt,vana,& inutilia desideria multiplicant, adeò,vt apertè illud sapientis experiamur. Quòd creaturæ Dei(ob nostram culpam) in odium factæ sunt, & in tentationem animabus hominum, & in muscipulam pedibus insipientium.] Quis autem explicare sufficiet, quantum has passionum furias mundanorum inueterata opinio perturbet,dum ignauum, & inertem existimant illum, qui data opportunitate libidini habenas non laxat, inimicum verbis amarulentis non impetit, iniuriam sibi illatam non refert,dignitates non ambit,& omnia,quæ ad luxum & splendorem sæculi faciunt, non concupiscit. Habent mundani sua iura,habent suas leges à nequam sæculo latas,& magno cunctorum statuum plausu promulgatas, diuinæ legi, & voluntati contrarias, quas tanta diligentia custodiunt, & custodiri ab omnibus volunt, vt earum transgressores verbis proscindant, murmurationibus impetant, & nullo loco quietos, & incolumes esse permittant. Qui itaque leges istas mundi non seruat, & diuinis legibus obtemperare contendit, seipsum abnegando, voluptates fugiendo, & lædentibus sibi parcendo, mirum est quantùm à stultis mundi habitatoribus rideatur,& nec dignus cōmuni luce reputetur. Nam (vt inquit Iob) deridetur iusti simplicitas.] E contrario verò, ait Propheta Regius; quoniā laudatur peccator in desideriis animæ suæ, & iniquus benedicitur.]

Sapient. 14.11. *Iob.12.4.* *Psal.9.3.*

Quis tandem sufficienter intelliget Diaboli sæuientis insidias?Qui affectus nostros tamquam arma sibi aptissima vsurpat, vt nos miseros proprio mucrone confodiat. Hoc enim est,quod eleganter dixit Leo Papa. Nouit cui adhibeat æstus cupiditatis, cui illecebras gulę ingerat,cui apponat incitamenta luxuriæ,cui infundat virus inuidiæ.Nouit, quem mærore conturbet,quem gaudio fallat, quem metu opprimat,quem admiratione seducat. Omnium discutit consuetudines, ventilat curas,scrutatur affectus, & ibi causas quærit nocēdi, vbicumque viderit studiosiùs occupari.]

Leo ser.7. in Natali Domini.

Hæc omnia passiones nostras vrgebant, & vt nos

A ipsos discerperent,acriùs incitabant. Quod non erit difficile sacræ paginæ exemplis ostendere. Quid enim Dauidem Regem à tanta sanctitate in tantam iniquitatem deiecit, vt propter illum blasphemaretur nomen Domini, nisi occasio potestate fulcita, & diuitiis, ac excellentia dignitatis adiuta? Vidit mulierem se lauantem ex aduerso super solarium suum, quæ erat pulchra valde. Quæsiuit, quæ esset mulier,audiuit esse coniugatam,dilectam militis sui, qui tunc temporis erat in castris,& propria domo,& vxoris deliciis posthabitis, vitam pro patria, & pro honore ipsius Regis profundebat.Nihil horum Dauidem cohibuit, & ab adulterij perpetratione retraxit, quia occasio vehemens,& potens excæcauit illum, ne foueam aspiceret, neque Dei offensam,
B subditi iniuriam, scandalum populi,& propriæ animæ mortē aduerteret. Quis Ammon ad incestum, & stuprum impulit, & ad extremum, illi ignominiosam, atque imparatam mortem attulit, nisi amicorum adulationes, & noxia atque stulta consilia? Dixit enim illi Ionadab filius Semmaa: Quare sic attenuaris macie, fili Regis?] Ac si diceret, cùm filius Regis sis, nobilitate polleas, opibus, & amicis abundes, & in flore tuæ ætatis consistas, non est æquum, vt curæ, aut desideria te conficiant: sed tuorum famulorum obsequio, quidquid appetieris consequaris, & tuam in omnibus expleas voluntatem. Et audita tristitiæ ac mæroris causa,Cuba(inquit)super lectum tuum,& languorem simula,cumque venerit pater tuus vt visitet te, Thamar sororis
C tuæ præsentiam neque ministerium postulabis,quā ad te venientem poteris opprimere.] Et quis erit qui filium Regis, tot amicis, & familiaribus constipatum sceleris arguat, aut aliqua vltione, aut pœna contristet? O dolorum amicum, ô verba dulcia, sed omni felle, & absynthio amariora, quæ nutantem animarunt, ad scelus prouocarunt, & ad mortem corporis, & animæ, vt verisimile est,induxerunt! Quare iratus est Cain vehementer, & concidit vultus eius?] nisi quia sacrificium Abel fratris sui Domino placuit, & oblatio sua fuit Domini gratia, & fauore priuata? Meritò quidem talis oblatio Creatori displicuit,quia fructus terræ,id est,à corde tepido, & terreno emanantes continebat, & nec ani-
D mum cælestibus rebus intentum, nec desiderium Deo placendi donabat.

2.Reg.11.3. *2.Reg.13.4.* *Ibidem 5.* *Genes.4.5.*

Quare filij Iacob inuiderunt Ioseph fratri suo, & primò quidem de inferenda illi morte tractarunt, posteà verò mercatoribus Madianitis vendiderunt, & in tantam calamitatem impulerunt? Quia videbant à patre teneriùs, & efficaciùs amari,& somnia eius futuræ prosperitatis indicia æquo animo audire non poterant. Quare Antiochus radix peccati, qui iucundus erat, & dilectus in potestate sua, gaudium amisit, incomparabilem tristitiam ac mærorem incurrit, & in grauissimum languorem incidit? Quia profectò spe sua profligandi Machabæos frustratus est, nec factum est ei sicut cogitabat. Petrus lateri Saluatoris affixus timet ventum vehementem, & procellam maris, quam irridere de-
E buerat,& ideò vani timoris, ac modicæ fidei arguitur. Paulus confidens in Epistolis Sacerdotū, & in sibi tradita ab eis potestate,spirans minarum,& cædis in Discipulos Domini, properat Damascum, vt Christi memoriam deleat,& fideles omnes,aut tormentis cōficiat,aut ad patrias cæremonias reuocet, & à fide in Christū Saluatorē abducat:Sed quia sperabat in baculo arundineo,voce Domini, ac fulgore prostratur,& quanta sit humana imbecillitas edocetur. Multa sunt alia huius generis in diuinis literis,

Gen.37.11. *1.Machab.6.8.* *Matt.14.30.* *Act.9.1.*

quibus euidenter apparet sæculum plenum esse laqueis, refertum periculis, affluentem incitamentis passionum nostrarum, quæ dentes earum exacuunt, vires augent, lacertos corroborant, vt impetu in nos facto miseram mentem discerpant, salutem dilanient. O quot sunt occasiones, quæ fortissimos quosque prosternant, quot amici, & sodales, qui prudentes etiam, & sapientes decipiant. quot fauores, & prosperitates aliorum, quæ videntes, & audientes contristent; quot vanæ spes, quæ rerum mundanarum amatores efferant, quot inanes timores, qui paruulos, & imbecilles deiiciant! Ibi sanè trepidauerunt timore, vbi non erat timor.] Corporis aduersitates, & afflictiones metuunt, & cruciatus ingentes, qui ab effrænatis passionibus manant, non horrent. Non inuenisti ergo ô homo, in sæculo, qui in die ortus tui vmbilicum animi præcideret, id est, carnis concupiscentiam, ac passionum effrænationem resecaret.

Ps. 52. 6.

De difficultate veræ pœnitentiæ in sæculo facienda.

CAPVT VI.

EX inordinatis passionibus, tamquam ex fontibus innumera peccata fluebant, & iniquitates manabant, quæ animam nostram fœdam & deformem reddebant. Maneret tamen nobis aliqua consolatio si in sæculo fuisset facile ad mentem redire, & maculas iniquitatum diluere. Nam morbum eò leuiorem iudicamus, quò facilius est illum pellere, & pristinam sanitatem recuperare: sed non ita est. Quare Dominus animam alloquens, postquam dixit: Non est præcisus vmbilicus tuus,] id est, abundantia, & intemperantia passionum non est amputata, statim addit: Et aqua non es lota in salutem.] Hæc aqua salutis, vel in salutem lauans, vera pœnitentia est. Ideò enim antiqui Patres eam secundum baptismum appellarunt, quoniam sicut ille ad delendam maculam originalis peccati est à Domino donatus, ita hæc ad diluendas fœditates propriis actibus, post baptismum contractas, est instituta. Hæc est aqua post vndam baptismatis salutē fidelibus afferens, quoniam de fontibus Saluatoris emanat, secundùm illud, quod legimus in Isaia, Haurietis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris.] Saluator hic non est alius quàm Christus Dominus, quem Pater angeli ministerio vocauit IESVM, id est, salutem, vel saluatorem, vt nomen ipsum eum humani generis liberatorem ostenderet. Vnde Hieronymus hunc Isaiæ locum interpretans, sic ait: Quē suprà Emmanuel, deinde spolia detrahe, festina prædari, & reliquis appellarat nominibus, ne videretur alter esse præter eum, quem Gabriel virgini nunciauit, dicens: Et vocabis nomen eius Iesum, ipse enim saluum faciet populum suum: nunc vocat Saluatorem, & de eius fontibus aquas prędicat hauriendas.]

Isa. 12. 3
Luc. 1. 31.
Hieron. l. 4. in Isa. 12.
Matth. 1. 21.

Fontes autem Christi sunt vulnera eius, sicut docet Ambrosius Nullū (inquit) fœtorem pœnitentiæ, sed odorem gratiæ vulnera illa redolebant. Denique non tabes mortis de vulnere eius, sicut hominum cæterorum: sed fons vitæ scaturiuit æternæ, vt Scriptura nos edocet, dicens: Et saliet aqua cum delectatione de fontibus Saluatoris. Aquæ verò ex istis fontibus fluentes, sacramenta sunt, sed præcipuè baptismus, & pœnitentia, ille ad diluendum peccatum paruulorum per originem traductum, vel etiā peccata infidelium, quādo iam adulti ad Ecclesiam veniunt: ista ad abstergenda peccata fidelium propriis actibus perpetrata. De vera aqua salutis, aqua Iordanis (quod interpretatur flumen iudicij) in qua Naaman, id est, pulcher, vel affectās pulchritudinē, septies, hoc est, perfectè lauatur, vt à peccatorum lepra mundetur. Aqua maris rubri, in qua omnes Ægyptij pereunt, id est iniquitates nostræ subruuntur. Et quid mirum si ista aqua peccata destruat, cùm in ea ille, qui solus delet peccata populi, Saluator adueniat. In mari enim, Domine, via tua, & semitæ tuæ in aquis multis.] In hoc mari spatioso, quod (vt inquit Gregorius) cadauera reiicit, & corpora viua cōseruat, adest Dominus, peccata mactans, & è cordibus suorum expellens, eósque multis contritionis gemitibus sanans, atque viuificans. Pulchrè enim dixit sanctus Ephrem Syrus: Hic medicus cælestis, & bonus Deus, lacrymis, atque gemitibus vulnera curat.] Accede peccator ad bonum hunc medicum, & pro optimo medicamento lacrymas offer: sic enim vult cælestis medicus vnumquemque suis sanare lacrymis. Nullius est negotij lacrymis curari; hoc enim medicamentum non strictius deurreit, neque exacerbat vulnus, sed breui te compendio & sine molestia sanat. Tuas expectat medicus videre lacrymas accede, & noli timere. Ostēde & vulnus, & pro medicamento lacrymas, ac gemitus offer.

Ambr. in Psal. 37.
4. Reg. 5. 14.
Exod. 14. 28.
Psal. 76. 20.
Gregor. 5. mor. c. 2.
Ephrem de pœnit. ser. 1.

In ista aqua lacrymarum, ac pœnitentiæ, perit superbia, interit inuidia, extinguitur flamma luxuriæ, & vniuersa peccata destruūtur. Quare Scriptura inquit; Pœnitemini igitur, vt deleantur peccata vestra.] Et rursus: Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cælorum.] Et, nisi pœnitentiā egeritis, omnes similiter peribitis.] Et, si impius egerit pœnitētiam omnium iniquitatū eius, quas operatus est, non recordabor.] Et tandem: sine sanguinis effusione, id est, sine peccatorum abiectione, non fit remissio.] Quisquis enim (vt Cassianus ait) ab huius sanguinis effusione gladium spiritus, quod est verbum Dei, voluerit inhibere, absque dubio illa Hieremiæ prophetæ maledictione plectetur. Nam maledictus (inquit) qui prohibet gladiū suū à sanguine. Hic namque est gladius, qui illum noxium sanguinem, quo animatur materia peccatorum, salubriter fundens, quidquid repererit in membris nostris carnale, terrenūve cōcretum, resecat, & abscindit, ac mortificatos vitiis, viuere Deo, & spiritualibus facit vigere virtutibus.] Hæc igitur est aqua salutis, quæ animā nostrā sanat, & à contagio peccatorū in gratiæ salutem traducit.

Actor. 3. 19.
Matth. 3. 2.
Luc. 13. 3.
Ezechiel. 18. 21.
Hebr. 9. 22.
Cassia col 20. c. 8.
Hierem. 48. 10.

Sed quam difficile sit in sæculo hac aqua mundari, & vera pœnitentia lauari, tum experientia, tum ratio aperta demōstrat. Omnes quidem fideles aqua ista diluuntur, quia quotannis ex Ecclesiæ præcepto, aut etiam frequentiùs ex propria deuotione ad pœnitentiam accedunt, sed nescio, an omnes lauentur ad salutē. Sicut enim dixit Origenes, doctor antiquissimus, atque grauissimus, Qui accepimus gratiam baptismi, in nomine Christi loti sumus, sed nescio quis lotus sit in salutem, id est, ita vt vltimam gloriæ salutem consequatur. Ita dicere possumus, omnes, qui accepimus gratiam pœnitentiæ, loti sumus, nescio autem quis vsque ad salutem lauetur, hoc est vsque ad consequendam Dei gratiam à peccatis mundetur. Ille sanè pœnitentiæ susceptione vsque ad salutem lauatur, qui verè supra omne sibi infestum, & detestabile peccata odit, qui tamquam de maximo malo (sicut re vera est) de suis iniquitatibus dolet, qui firmiter, & constanter statuit à pristinis criminibus abstinere, & omnia diuina mandata custodire, dicens intra seipsum,

Origen. hom. 6. in Ezech.

Iuraui,

Psal 118. 106. Iuraui, & statui custodire iudicia iustitiæ tuæ;) qui proximas saltem occasiones fugit, quibus ad peccatum pertrahitur, & ad diuinæ legis transgressionem allicitur: qui tandem castigationi præteritorum peccatorum, & bonis operibus insistens, dignos facit pœnitentiæ fructus. Sed, ô quã pauci in sæculo, comparatione multorum, hac ratione lamentis pœnitentiæ lauantur, & aqua salutis mundantur! Videmus eos sacro quadragesimæ tempore ad pedes sacerdotum accurrere, vulnera mentis detegere, remedia postulare, consilia (vt videtur) admonitionesque & impositas pœnitentias admittere: sed illo sanctissimo tempore elapso, & Paschalibus gaudiis instantibus, quantos videmus peccata deseruisse: facinora reliquisse, vitam mutasse?

Intemperans ad domum suspectam redit, illius fœminæ, quam deperibat, colloquia, & aspectũ procurat, & vetitos sibi cupiat amplexus. Mercator pecuniæ cupidus, nec male parta restituit, neque illicitas pactiones deserit, neque ab antiquis fraudibus, & technis abhorret. Iracundus odia fouet, rixas iam sopitas exsuscitat, & in antiquis simultatibus perseuerat. Ambitiosus, sicut antea dignitates ambit, in eis aurã tantùm popularem, & vulgi plausum quæritans, non verò an animæ suæ saluti conueniãt. Iudices antiquum morẽ tenentes, diligunt munera, sequuntur retributiones, pupillo non iudicant, & causa viduæ non ingreditur ad illos] Optimates, capita populorum, separati in diem malum, & appropinquãtes solio iniquitatis dormiunt securi, ac si Deum iã placuissent in lectis eburneis, & lasciuiunt in stratis suis, comedunt agnũ de grege, & vitulos de medio armenti, bibunt vinum in phialis, & optimo vnguendo delibuti nihil patiuntur super contritionem Ioseph, neque pauperum & oppressorũ miserentur. Sacerdotes iudicium, id est, damnationem propriam augentes, laqueus facti sunt speculationi, scilicet subditis suis, quorum salutem curare deberent, & rete expansum super Thabor, quia eos malis exemplis irretiunt, & iniquitatis viam facilem, & expeditam efficiũt. Tandem fere omnes in antiquis peccatis manent, pristinum viuendi modum continuant, & totus mundus ita perstat delictis obrutus, fraudibus refertus, dolis, & mendaciis irretitus, ac si non dies pœnitentiæ præcessissent.

Isa. 1. 23. Amos 6. 1. Ose. 5. 1.

Hanc igitur tu vocabis pœnitentiam veram? hanc censebis lotionem in salutem? imò magis videtur irrisio, & subsannatio Domini, similis illi, quam milites Pilati Christo Seruatori irrogarunt. Nam genu flexo ante eum, illudebant ei, dicentes; Aue Rex Iudæorum. Et expuentes in eum acceperunt arundinem, & percutiebãt caput eius.] Sic isti illudunt Domino nunc genu flectentes, & veniam petentes, statim verò nouas iniquitates addentes, iniurias irrogantes. Hodie vocant eum regem, & cras aduersus eum rebellãt, peccata fætidissima expuẽtes in eum, & arundine leuitatis, & inconstantiæ, tremendum caput vulnerantes. Quid de hac pœnitentia sentire debeamus, Gregorius his verbis exponit. Admonendi sunt (inquit) qui admissa plangunt, nec tamen deserunt, vt considerare sollicitè sciãt, quia flendo inaniter se mundant, qui viuendo se nequiter inquinant, cùm idcircò se lachrymis lauant, vt mundi ad sordes redeant. Hinc enim scriptum est: canis reuersus ad suum vomitum, & sus lota in volutabro luti. Canis quippè cum vomit, profectò cibum, qui pectus deprimebat, proiicit, sed cùm ad vomitum reuertitur, vnde leuigatus fuerat, rursus oneratur? Et qui admissa plangunt, profectò nequitiam, de qua mala saciati fuerant, & quæ mentis intima depri-

Matt. 27. 29. Prou. 26. 11. 2. Pet. 2.

A mebat, confitendo proiiciunt, quam post confessionem, dum repetunt, resumunt. Sus verò in volutabro luti, cùm lauatur, sordidior redditur. Et qui admissum plangit, nec tamen deserit, penè grauiori culpæ se subiicit, quia ipsam, quam flendo potuit impetrare veniam, contemnit, & quasi in lutosa aqua semetipsum voluit: quia dum fletibus suis vitæ munditiam subtrahit, ante Dei oculos, sordidas ipsas etiã lachrymas facit.] Hactenus Gregorius, & quidem sapienter. Ex quo manifestè colligimus, hanc pœnitentiam, non cohibentem nos, ne antiquas sordes repetamus, haud quaquam in salutem lauare, sed potiùs grauiori ingratitudinis culpa mentem inficere, dum Dei indignationem prouocat, qui accepto tam in-
B genti remissionis beneficio, peccatum remissum, & condonatum iterat.

Ipsum itaque experimentum eorum, quæ veluti oculis videmus, & manibus tangimus, satis apertè commonstrat, lotionem pœnitentiæ, quæ in salutem lauet, in sæculo esse difficilem, siquidem tam pauci sunt, qui pœnitendo vitam mutent, peccata abiiciãt, & ab antiquis delictis mundentur. Sed quæ sint huius difficultatis causæ videamus. Vna est, quod vt peccatum odio habeatur, debet eius fœditas, & malitia cognosci. Mundus autem, & mundani hanc malitiam, & deformitatem ignorant, quam vident principum exemplis, magnatum operibus, & omnium penè hominum, cuiuscunque status sint, factis,
C & assertionibus comprobatam. An mundani luxuriæ fætorem exhorrent? imò diligunt, mercantur, de illa se iactat, & in priuatis colloquiis, suos (vt ipsi dicũt) amores narrant, & tamquam rem aulicis, & nobilibus dignam hominibus, verbis tractant, versu, & soluta oratione publicant, signis præferunt, mente reuoluunt. An superbiam, & ambitionem oderũt? Quin potiùs tamquam rem dilectissimam amplectuntur. Apertè, & absque fuco in curiis principũ honores, dignitates, & publica officia aucupantur, togas senatorum, Episcoporũ infulas, & appellationes honoratas exoptant. Et hoc non superbiam, non arrogantiam, sed magnanimitatem, & prouidentiam, & fugam otiositatis, atque amorem, & curam reipublicæ
D reputant. An iram, & vindictam timent? imò, qui iniuriam dissimulat, & odium comprimit irridetur, vt vilis, illuditur, vt excors; & a consanguineis, & amicis pro nihilo reputatur: Quis ergo in tam densis tenebris lucem inueniet, vt quod omnes bonum, aut tolerabile putant, ipse malum, & detestabile existimet; illud fugiat, vt summam miseriam, quod ferè omnes, vt magnam fœlicitatem exoptant.

Euenit sanè mundanis, quod inter Æthiopes certum esse comperimus: Hi enim omnes, cum sint atri, & deformes, neque isti aliorum atritatem aduertunt, neque alij istorum deformitatem considerant. Ita cùm mundus plenus sit ambitiosis, auaris, iracundis, intemperantiæ, & libidini deditis, eorum
E quidam, neque aliorum inueterata vitia damnant, neque illa damnabilia, ac odibilia reputant, sed tamquam aliquid ineluctabile, necessariumque sustentant. Non quòd in intellectu credant (hoc namque iam non esset solùm vitium, sed error) sed quod ita viuant, ac si hanc opinionem imbibissent.

Altera huius difficultatis causa est, ipse status mũdanorum, qui delicias amat, gaudium, & exultationem cupit, abundantiam, mollitiem, & prosperitatem quærit, & omnem dolorem, tristitiam, & corporis afflictionem horret. Quare meritò designatur per illam regionem Iordanis, quæ vniuersa irrigabatur, antequam subuerteret Dominus Sodomã, & Gomorrham, sicut paradisus Domini, & sicut Gen. 13. 10.

Ægy

Ægyptus venientibus in Segor.]Hanc elegit Lot ab oriente recedens,& captiuitatem,ac omnis substantiæ suæ iacturam elegit, putans se libertatem,& diuitiarum copiam acquisisse. Hanc quoque regionem spiritualiter mundani eligunt,nihil aliud nisi voluptates,& rerum abundantiam quæritantes; inter has verò hostes latitant, qui virtutis opera impediant, & veram libertatem animæ, scilicet gratiam, diripiant,atque æternam salutem suffurentur. Illos mūdani magni faciunt;illos fælices existimant,quos tēporali prosperitate abundare conspiciunt. Illos, inquam,quorum filij sicut nouellæ plantationes in iuuentute sua:Filiæ eorum compositæ,circumornatæ, vt similitudo templi.Promptuaria eorum plena,eructantia ex hoc in illud:Oues eorum fætosæ abundātes in egressibus suis: Boues eorum crassæ. Non est ruina maceriæ,neque trāsitus, neque clamor in plateis eorum. Beatum dixerunt populum, cui hæc sunt.]Illos denique,qui tenent tympanum,& citharam,& gaudent ad sonitum organi;qui ducūt in bonis dies suos,& in puncto,id est, sine labore, & sine prolixa, & longa ægritudine, ad inferna sepulturæ descendunt.] In hoc itaque statu tam amico voluptatum quis nō videat difficile esse delicias abiicere magnum dolorem ex ipsa amissione deliciarum cōcipere,cinerem,& saccum assumere,& in pœnitentiæ operibus perseuerare?

Psal.145. 12. *Iob.21. 12.*

Hoc etiam pœnitentiæ studium nimiæ curæ, & occupationes mundanorū eneruant.Petit enim animum diuina luce perfusum, à sollicitudinibus liberum,tranquillitate pacatum,qui possit examinationi propriæ cōscientiæ vacare,lachrymis,ac dolori peccatorum intendere, concipiendo efficaci proposito emendationis insistere. Inter tot verò, tantasque rerum temporalium curas, quæ cor,mentemq; discerpunt,& à consideratione rerum diuinarum abducūt, ista peccatorum detestatio statim obliuioni traditur, lachrymæ arescant,& voluntas nouæ vitæ,quasi fumus euanescit.Et sanè Gregorius manifestè testatur immoderatas mūdanorum sollicitudines animæ vitam,atque adeò veram pœnitentiam impedire.Tractans enim quoddam Saluatoris miraculum,principis filiam suscitātis,ita ait; Foras ergo turba eiicitur, vt puella suscitetur;quia si non priùs à secretioribus cordis expellitur importuna sæcularium multitudo curarum,anima,quæ intrinsecus iacet mortua, non resurgit. Nam dum se per innumeras terrenorum desideriorum cogitationes spargit, ad considerationem sui sese nullatenus colligit.]

Greg.18. mor.c. 25.

Tu ergo, ô religiose,dum vitam sæcularem agebas,non fuisti (vt videtur) lachrymis ad salutem,& compūctione lotus.Eras namque inter illos,& vnus ex illis,qui fœditatem peccatorum ignorabāt, & nimiis curis,ac sollicitudinibus diffluebant.Eras inter illos,qui te ad falsam securitatē,ad Dei, & tui ipsius ignorationem,ad inanem lætitiam,& gaudium,non ad lachrymas,& pœnitentiam veram, & perseuerātē alliciebāt.Eras inter illos,in quos inuehitur Isaias: Cithara,& lyra,& tympanum,& tibia, & vinum in conuiuiis vestris,& opus Domini non respicitis,]illud scilicet opus,quod in vobis cœpit,dū per baptismum in suam amicitiam asciuit:nec opera manuum eius,quorum vos beneficio prosequitur, cōsideratis. Inter istos autem tam vanè gaudentes, tam miserabiliter lætos, tam infæliciter exultantes, quomodo salutarem tristitiam, & compunctionis lachrymas reperisses,vt maculas peccatorum detergeres?

Isa.5.12.

Nonnumquam criminum multitudine fessus, & vitæ malæ pertæsus,tuum exitium dolere cœpisti,& dolore,ac facinorum tuorum detestatione te lauisti; sed subitò arescebant lachrymæ, fugiebat dolor,& concepta desideria cessabant:quia sociorum risus,& exultatio;amicorum colloquia; ludi,& cōuiuia,non mentem grauem, & seriam:sed mollem,& iocosam petebant,vitamque voluptati,non verò pœnitentiæ deditam, postulabāt.Non es igitur lotus in salutem, quia illud balneum in salutem perseuerantē,nō est, cui iterum contractæ sordes succedunt. Nam sicut canis reuersus ad vomitum suum, ita stultus iterum stultitiam suam.]Illa mentis conpunctio,illæque lachrymæ non lauabāt in salutem,quæ fictæ erāt,peccandi voluntatem non expellebant, & oblata occasione te à transgressione diuinę legis non reuocabāt. Plorabas quidem peccata tua,sed vel externa fronte dolorem mentiens, vel imperfectissimo quodam timore coactus,& ideò non mundabaris, imò (vt ego cōtemplor)à Domino irridebaris, qui illud dicebat, quod in Ecclesiastico scriptū est;In oculis suis lachrymatur inimicus,& si inuenerit,tēpus non satiabitur sanguine.] Dum enim post fletum,& pœnitentiam susceptam,peccati opportunitatem inueniebas,iterum ei immergebaris,factus canis reuersus ad suum vomitū,& sus lota in volutabro luti.]Tales frequēter solēt esse lachrymę sæculariū(bonos,& Dei timorem habentes taceo)quas ad sua crimina detergēda profundūt,& cùm eorum cœtibus adhærebas;sic forsitan plorabas,& ideò non lauabaris in salutem.

Prou. 26. 11. *Eccles.12. 16.* *2.Petr. 2 22.*

De ignorantia atque insipientia sæculi.

CAPVT VII.

NON mirum est, si homini in sæculo constituto, difficile sit constanter pœnitere,& in salutem lauari,siquidē (vt præfati sum') adest ei ignorātia, abest sapientia, sine cuius præsidio,vt detestetur peccata,ipsorum nequitiā, & fœditatem peruidere non valet. Est enim sapientiæ lux, quæ inter alia eximia bona,hoc,& quidem nō minimum præstat, imò maximum & originem aliorum, vt nobis, tum virtutis pulchritudinem, tum vitiorum ac peccatorum enormitatem ostendat.Quibus perspectis, pronum est vitia vincere,ac profligare. Quamobrē iure optimo in fortitudine,sapiētiæ lux luci solis,ac omnium stellarum decori præfertur: quoniam istis succedit nox,& quasi ab ipsis tenebris superant: sapientiā autem nō vincit malitia,quinimò ante splēdorem lucis eius victa, & ligata,atque omni suo robore priuata persistit.Et hanc ob causam sapiēs eam humiliter poscit,ne scilicet à filiorum Dei dignitate cadat,& ignominiam,atque miseriam inimicorū incurrat. Da mihi(inquit) sedium tuarum assistricē sapientiam,& noli me reprobare à pueris tuis.[Quid est?Noli me reprobare à pueris tuis;nisi noli permittere,vt à sapiētia derelictus,quæ omnis bonitatis est fons,serui,& amici tui,ô Domine,dignitatem,amittam?Nam sine sapientia,id est,sine luce diuinitus indita,nec peccatū agnosco,vnde nec detestor:nec virtutis decorē video vnde nec amo, nec sequor, nec amplector.Nō est autē aliquis seruus tuus,& amicus tuus sine odio peccatorum, & sine amore virtutum.

Sapient.7. 29. *Sap.9. 4.*

Hæc autē sapientiæ lux sale in diuinis literis aliquādo designata est,quod & Hieronymus annotauit, & quod magis est Paulus edocuit, Colossensibus, scribēs:Sermo vester(inquit)semper in gratia sale sit conditus.]Nec Christus Saluator noster hāc significationē exhorruit,suos Apostolos sal terræ cōpellās, quia,doctrina ab ipsis prædicata,deberent mundum vniuersum cōdire,& à vitiorū putredine vendicare.

Hieron. pro. Osea. Colos. 4. 6. Matth. 5. 13.

Est autem non minima, si rectè inspiciamus, salis, sapientiæque cognatio. Nā si causas eius inuestigemus, ex partibus aquæ terrestribus, calore solis, & vento congelatis efficitur; & sapientia in animo instar terræ demisso Spiritus sancti afflatu, & charitatis ardore generatur. Illa enim cognitio, quam nec humilis mens suscipit, nec spiritus diuinus infūdit, nec charitas perficit, an scientia sit, nihil attinet, sed certè sapientia vera non erit, quæ scilicet cùm donum sit Spiritus sancti, non nisi mentem puram, & ipsius Spiritus templum inhabitat. Si naturam consideremus, vnum est ex fossilibus, & subterraneis, sicut aurum, argentum, stānum, plumbum, & alia huius generis, quod non in cibum, sed in condimentum omnium ciborum datum est. *Iob 28. 18.* Et sapientia (vt inquit Iob) trahitur de occultis, & non in libris addiscitur, sed suspiriis & gemitibus, quasi ex diuino pectore effoditur, vt ea virtutis opera condiantur.

Si tandem quæramus eius effectus, eos breuiter *Plin. lib. 31. c. 7.* Plinius enumerat. Salis natura (inquit) per se ignea & inimica ignibus, fugiens eos, omnia erodens: corpora verò astringens, siccans, alligans: defuncta autem, & putrescentia ita vendicans, vt durent ea per sæcula. In medendo verò mordens, adurens, repugnans, extenuans, dissoluens.] *Sapient. 1. 4.* Sapientia autem ignea est, à calore (vt diximus) Spiritus sancti generata, sed igni concupiscentiæ valde inimica, quæ in maleuolam animam non introibit, disciplinæ fugit fictum, & aufert se à cogitationibus impudicis, quæ sunt sine intellectu.] Affectus humanos erodit, atque ab eis quidquid inordinatum est, & effrænatum, detrahit. Corda iustorum astringit, ne in vitia labantur, siccat, ne humore praui amoris tabescant, alligat ne in peccata perefluant: *Sapient. 9. 19.* Nam per sapientiam sancti sunt, quicumque Domino placuerunt.] Animas peccatis mortuas, & sibi ipsis præ humilitate, & contemptu proprio putrescentes, cōseruat: & vitam aliam supra captum humanum, & incorruptionis claritatem communicat. In medēdis autem aliorum peccatis, quantùm mordeat, & exurat, *Eccl. 12. 11.* Ecclesiastes ait, Verba (inquit) sapientum, sicut stimuli, & quasi claui in altum defixi.] *Hieron. ibid.* Quo loco Hieronymus, Simul & hoc notandum est (inquit) quòd dicantur verba sapiētum pungere, non palpare, nec molli manu attrahere lasciuiam, sed errantibus, & tardis pænitentiæ dolores, & vulnus infligere. Si cuius ergo sermo non pungit, sed oblectationem facit audiētibus, iste non est sermo sapientis.]

Hoc ergo sapientiæ sal tibi sæculariter viuenti, ô anima, in mundo defuisse, Dominus, vt sæculi miserias pergat ostendere, verbis sequentibus edocet. Postquam enim præmisit: Et aqua non es lota in salutem] statim subiecit, Nec sale salita.] Hoc namque beneficio obstetrices, suos olim prosequebātur infantulos, *Galen. lib. 2. de san. tuēda. ante mediū.* (quod & Galenus præcepit) leuiter sale fricabant, vt corpora delicata restringerent, & cutem mollissimā solidarent. Hoc autem beneficium, ô anima, in sæculo lōgè fuit à te, quia non erat, qui te spiritualiter condiret, nec sapientiæ sale perfricaret. Nā si verum est neminem dare, quod non habet, nō erit difficile persuadere mundum neminem ex suis vmquam sale condisse, neque sapiētiæ luce decorasse, si non palpatores, sed veritatis assertores esse velimus. Si enim mundus sapientiæ sale, & diuinæ cognitionis luce abundaret, neqaaquam Dominus eius miseratus de tanto sale, ac de tātis luminibus prouideret. At salem, & lumen dedit mundo, Apostolos scilicet, & Apostolicos viros, qui illum acriter reprehenderent, docerent, & illuminarent, hoc beneficio mundum cæcum, & insanum, & sapientiæ sale indi-

A gum esse contestans. Ignorantiæ, ac insipientiæ plenus est mundus, adeò vt nō obscurus, nec tenebrosus, sed ipsa obscuritas, & ipsæ tenebræ cōpelletur. Et lux (inquit Ioannes) in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt.] *Ioan. 1. 5.* Est ac si dixisset, Lux mundo illuxit, & mundus eam non apprehēdit. Vnde Gregorius Nazianzenus, Et lux lucet in tenebris, *Nazian. lib. de fid.* id est, Christus in sæculo, & tenebræ eum non sunt assequutæ.] Et alibi ipse Ioānes: Venit lux in mundū. & dilexerūt homines magis tenebras quàm lucem] *Ioan. 3. 19.* Cùm enim sæculum ipsa tenebra sit, atque ipsa obscuritas, quid mirū, si lucē odio habuit, & ignorantiam, ac cæcitatem natiuam dilexit: Est vtique mundus omnis iustitiæ, ac æquitatis osor, cùm totus in maligno positus sit, *1. Ioan. 5. 19.*] quare sapientiæ luce non potest B perfundi. Nam vt Ecclesiasticus ait: Fili, concupiscēs sapientiā, serua iustitiam] *Eccles. 1. 33.* Qui ergo odit, atque detestatur iustitiā, non est aptus, vt sapientiā percipiat.

Hæc sanè sapientia tam pretiosa, tam fugiendis peccatis, & prosequēdis virtutibus necessaria, haud quaquam in sæculo isto cæco, & insipiente commoratur. Quare Beatus Iob huius præclarissimæ lucis habitaculum, ac domicilium illis verbis inquirens: *Iob. 28. 12.* Sapientia vbi inuenitur, & quis est locus intelligentiæ?] Hoc audit responsum. Nescit homo pretium eius, nec inuenitur in terra suauiter viuētium. Abyssus dicit, nō est in me, & mare loquitur, non est mecum: Abscondita est ab oculis omnium viuentium, volucres quoque cæli latet.] Quæ neque ab homine, id est, terrena sapiētia, cognoscitur, neque in suauiter C viuentibus & carnalibus inuenitur, quam neque abyssus, hoc est astutus, possidet, neque iracundus, & instar maris turbatus assequitur: quæ neq; inter viuentes sibi ipsis, & propriis passionibus seruiētes, neque inter volucres, hoc est, superbos & arrogantes inhabitat: manifestum est, quoniam à sæculo excluditur, & cum impiis & peccatoribus minimè commoratur. Hunc sensum Beatus Gregorius confirmat. *Greg. 18 mor. c. 24. & 25.* Qui nomine terræ animam humanam, nomine abyssi corda hominum, & nomine maris inquietudinem mētium sæcularium intelligit, in quibus, ait, sapientiam non inueniri, quia neque huius mundi voluptatibus pascitur, neque duplicitate & astutia humani cordis possidetur, neque curarum sæcularium inquietudine delectatur. Sed ad quid ra-D tionum momentis, aut Scripturæ sacræ testimoniis indigemus, cùm ipsos mundanos se esse sapientiæ hostes, & inimicos audiamus? Isti enim sunt, qui dixerunt Deo: *Iob. 21. 15.* recede à nobis, scientiam viarum tuarū nolumus.] Qui moniti à Domino, vt interrogarent de semitis antiquis, & de via bona, vt ambularent in ea, dixerunt: Non ambulabimus: Et rogati, vt audirent vocem tubæ, responderunt: *Ierem. 6. 16. 17.* Non audiemus.] Frustra testes afferuntur, vbi ipse mundus procaciter suam insipientiam confitetur.

Quamuis autem mundani verbis non dicerēt se esse insipientes, atque ignorantes, opera tamen illorum id manifestè testantur. Si enim cæci erant illi miseri, & impuri Sodomitæ, *Gene. 19. 11.* qui cùm essent prope domū iusti, ostium tamen eius inuenire nō poterant; E multò magis cæci nunc habitatores Sodomæ, id est, mūdi huius, qui inter tot magistros, qui eos erudiāt, atq; in media Euangelij luce, non inueniunt ostium iustitiæ, neque in ianuam suæ salutis incurrūt. Capti erāt oculis Syri, *4. Reg. 6. 19.* dum putabant se amicum sequi, cū tamen Eliseum hostem sequerētur, qui eos collocauit in medio Samariæ, & hostibus sanguinem Syrorum sitientibus tradidit. Sed multò magis lumine capti mundani, qui ab Ecclesia, & ministris eius proprij periculi admoniti, dæmonem teterrimum

hostem

hostem tamquam fidelem amicum sequuntur, qui eos, non in Samariam inferat, sed in gehennam locum tormentorum detrudat.

Iudic. 18. 31. Quo tempore non erat Rex in Israël: sed vnus quisque, quod sibi videbatur, faciebat.] Michas stultus erat, & insipiens, qui Teraphim colebat, id est, Idolum adorabat, quod nihil est, vt inquit Paulus. *1. Cor. 8. 4.* At hoc nihilum sibi furto sublatum esse peruidit, & Idoli absentiam deflēs, vocibus & gemitibus totam regionem impleuit. Verùm insipientiores sunt peccatores, qui non vanum Idolum: sed verum Deum, qui cœlum & terram implet, criminibus sublatum sibi non lugent, neque eius absentiam incredibilem, vtique calamitatem non sentiunt. *Gen. 31. 30.* Laban quoque stultus erat, & tamen falsorum Deorum iacturam dolens, qui nō sunt dij, generum itinere septem dierum insequitur, vt Deos suos recuperet, qui oculos habent, & non vident, pedes, & non ambulant, nec clamant in gutture suo.] *Psal. 113. 5.* Sed quantò stultiores mundani, qui omnipotentis Dei iacturam non dolent, cuius oculis illuminantur, voce erudiuntur, manu potenti sustinentur, neque vt illum inueniant, atque possideant, vsque ad se ipsos properare festināt? Verè stulti, qui æternam damnationem incurrunt, gratiam perdunt, charitatem amittunt, virtutes dilapidant, fœlicitatem perpetuò duraturam consumunt, *Eccles. 5. 4.* & læti, atque hilares dicunt: *Peccaui, & quid mihi accidit triste?*] Quasi non esset miserrimum tantis malis se subdidisse, & tanta bona dilapidasse. Quasi altissimus non esset patiens redditor. *Ibid.* Quasi non esset verum, quod misericordia, & ira ab illo citò proximāt, & in peccatores respicit ira illius.] Verè stulti, quos dæmones excæcant, sicut Philistæi ducem inclytum Samson, & sicut Chaldæi Sedechiam excæcarunt, vt nec ignominiosam occupationem mouendi molam tam inutilium laborum aspiciant, nec ingressum in Babyloniæ confusionem aduertant.

Non sanè quid homines sciant à mundo eruditi. Sciunt sua retinere (vt inquit Gregorius) aliena rapere, si possunt, concupiscere, si non possunt.] *Gregor. hom. 32. in Euang.* Sciunt sibi ipsis superbè confidere, cæteros verò contemnere, & aspernari. Sciunt vacare gulæ, indulgere vino, operam nauare luxuriæ, sciunt aurum, & argentum quærere, vestes pretiosas, & delicatas inquirere, & vt est apud Isaiam, agrum agro copulare vsque ad terminum loci, ac si soli in medio terræ essent habitaturi.] *Isa. 5. 8.* Sciunt inimicitias exercere, simultates fouere, innocentiam à se, simplicitatem, & fratrum charitatem ablegare. Sciunt pro rebus vilissimis, pro primis sedibus, pro honorificis titulis, pro honoribus, & dignitatibus, vsque ad sanguinem decertare. Sed hoc scire, nescire est. Hæc omnia fatuitas, inscitia, & ignorantia sunt. *1. Cor. 3. 19.* Quoniam sapientia huius mundi, stultitia est apud Deum. Scriptum est enim: *Iob. 5. 13.* Comprehendam sapientes in astutia eorum.] Et iterum: *Psal. 93. 11.* Dominus nouit cogitationes sapientum quoniam vanæ sunt.] Non ergo habebas, ô anima, qui te in sæculo sale sapientiæ condiret, vt solidareris, & virtutibus perficereris, sed vt insipientior efficereris, qui te errorum, atque ignorationis condimento fœdaret.

Certè sapientia, & diuinæ legis cognitio, illa præsertim, quæ ad praxim dirigitur, & sal est, & lux est. Sal, quia à corruptione seruat, & putredinem vitiorum auertit; & lux, quia falsas mundi opiniones pellit, & notitia diuinorum mādatorum illuminat. *Psal. 106. 10.* Sed nos, dum in sæculo vitam egimus, non in luce, sed in profunda caligine versabamur, sedentes in tenebris, & in vmbra mortis, vincti in mendicitate, & ferro.] *Bern. ser. 5. in vig. nat. Dom.* An non cuique nostrûm (inquit Bernardus) *A* caliginosa nox erat, cùm tamquam sine Deo in hoc sæculo viueremus, cùm ambularemus post cōcupiscentias nostras, cùm sectaremur carnis illecebras, cùm obtemperaremus desideriis sæcularibus, cùm exhiberemus membra nostra arma iniquitatis peccato, cùm seruiremus iniquitati ad iniquitatem, in quibus nunc erubescimus, tamquam operibus tenebrarum. Qui dormiunt enim, nocte dormiunt (Apostolus ait) & qui ebrij sunt, nocte ebrij sunt.] *1. Thess. 5. 7.* Hæc Bernardus. Dicamus igitur nunc, quòd in malo perseuerantes postmodum dicturi sunt: Errauimus à via veritatis, & iustitiæ lumen non luxit nobis, & sol intelligentiæ non est ortus nobis.] *Sapient. 5. 6.* Dic, & tu, ô anima religiosa, Erraui sicut ouis, quæ periit,] *B* *Psal. 118. 176.* & dum te errasse & ignorasse in sæculo confiteris, manifestè dicis, te sale non fuisse salitam, nec scientiæ sapore fuisse conditam.

De ignominiosa nuditate virtutum, quæ est in sæculo.

CAPVT VIII.

QVi in tenebris ambulāt, & in mediis noctibus suas actiones efficiūt, nihil curāt, si nudi, & vestibus spoliati incedāt, aut si à quopiam sine debito cultu corporis videantur. Nox enim ipsa pro vestimento est, & tenebrę locum tegumenti obtinent, dum eorum, qui astant, aspectū impediunt. *C* Lux verò minimè nuditatem permittit, quæ omnia detegens, & oculis præsentium obiiciēs, nos tāgit verecūdia, vt & corpora nostra operiamus, & pro ratione status, aut dignitatis decenter induti ambulemus. Hoc insinuauit Paulus Romanis Christi Saluatoris aduentum annuntians. *Rom. 13. 12.* Nox præcessit (ait) dies autē appropinquauit: abiiciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis, sicut in die, honestè ambulemus.] Illos, & nos admonens, vt si in nocte culpæ, vel infidelitatis, humanum genus quasi nudum, ac minùs honestum incedebat: iam in die fidei & gratiæ, & splendidis operimentis indutum, & vt diem splēdidissimum, & omnibus conspicuum decet, honestum, & decorum appareat. *D* Diei namque (vt notauit Beatus Thomas) duo videntur congruere, honestas, & labor: *D. Tho. in cap. 13. ad Rom.* honestas, vt quisque studeat se componere, vt aliis honestiùs se offerat: labor autem, ne otio torpēs iaceat, sed erectus, & strenuus ambulet, & aliquid suę saluti necessarium operetur. Cùm ergo sæculum nox quædam sit (vt testatur Ambrosius) *Amb.* & sanè nimis tetra, & obscura, cui vt dictum est, lux sapientiæ deficit, hinc ortum habet aliud malum sæculi, quòd mundani in eo tamquam in nocte, nudi, & spoliati indumētis incedunt. Quare Dominus illis verbis, quæ animæ mundanæ dixit: Neque sale es salita, ista sequētia adiicit: Neque inuoluta pannis.] Ac si exprobraret illi, cùm in nocte mundi sapientiæ lux tibi non affulserit, nuda ambulas, & ignominiæ plena, nec fuit qui curaret te pannis obtegere, aut vestibus amicire.

E Hi panni, siue istæ vestes, quarum decore, & protectione anima mundana caret, virtutes sunt. Vnde Paulus: Induite vos sicut electi Dei sancti, & dilecti, *3. Coloss. 3. 2.* viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiā, patientiam. Apertum est autem, quod non nisi vestes induimus, & illis ad honestatē, & fomentū circūdamur. Et innocēs Iob de istis indumentis gloriatur, *Iob. 39. 14.* dicēs: Iustitia indutus sum, & vestiui me sicut vestimēto, & diademate iudicio meo.] Innocentiā, & animæ puritatē iudiciū suum vocās, *Greg. 19. mor. c. 12.* quia sicut vestimēto ex omni parte circūdamur, ita ille (vt ait Greg.)

iustitia vestiebatur, quia se vndique bono opere protegebat, & nullâ parte actionis suæ peccata nudam relinquebat. Pulchræ profectò vestes, quibus primus parens noster Adam e manibus sui creatoris exiuit indutus. Præclare enim dixit Bernardus: Videre mihi videor, dilectissimi, quatuor virtutibus his amictum primum hominẽ, ab ipso suæ creationis exordio, & (vt propheta meminit) vestimento salutis indutum.]

Bern. ser. 1. de annunt.

Per quatuor autem virtutes, misericordiam, & veritatem, iustitiam & pacem intelligit. De quibus regius vates concinuit: Misericordia & veritas obuiauerunt sibi, iustitia, & pax osculatæ sunt.] Istum amictum, istam splẽdidam vestem, istam stolam nuptialem, virtutem scilicet, & innocentiam dederat illi Deus, quam vtinã nõ inobedientia fœdasset, peccato dilacerasset, incuria perdidisset, quia ea nũc nos operiremur, & tamquam quibusdã armis lucis ab aduersarij protegeremur incursib⁹. Decoræ vestes, quas Saluator noster suo asello imponi præcepit, vt his operimentis adornatus, sibi vecturæ exhiberet obsequia. In Scripturis diuinis (inquit Ambrosius) plerumque vestimẽta virtutes sunt, quæ gentium duritiam in aliquantulum propria quoque virtute mollirent, vt inoffensa vecturæ fœlicis obsequia Christo Domino, sedulis affectibus exhiberent.] Has tu vestes, ô anima mea, tibi compara, hæc indumenta habere procura, vt appareas spõsa Dei tui in vestitu deaurato, circũdata varietate.] Hic namq; vestitus, hæc operimenta varietate contexta, non corporalia, sed spiritualia sunt, non corporeis oculis aspiciuntur, sed oculis mẽtis videntur, non corpus operiunt, sed mẽtem, partem vtique nostri pretiosiorẽ amiciũt. Quod in hęc verba testatur Basilius. Quin & fimbriæ aureæ, quibus tota est circumamicta anima talis, & variegata, vtiq; in intimis sunt repositæ. Nec tu quidquam quæras in externo isto auro, aut variegato corporis amictu, magis cultum quemdam mihi hîc insinuari intellige, qui dignus sit cohonestare, ac redimere hominem, qui ad sui conditoris imaginem creatus est. iuxta verbum Apostoli: Exuti veterem hominem, & induti nouum, qui renouatur ad agnitionem secundum imaginem sui conditoris. Et qui induit se viscera misericordiæ, bonitatem, humilitatem, lõganimitatem, mansuetudinem: talis interiori auiculo redimitus est, & secundum interiorem hominem probè adornatus, & excultus.]

Psal. 84. 11.

Ambr. 9. in Luc. c. 1.

Psal. 44. 10.

Basil. in Psal. 44.

Colos. 3. 10.

Virtutes itaque vestes animæ sunt: Nam sicut vestis non est aliquid naturale nobiscum exoriẽs. (Nudus enim egressus sum de vtero matris meæ, inquit Iob, & nudus reuertar illuc) sed extrinsecus corpori adhærens: ita virtus non est cognata homini in iniquitatibus concepto, & in peccatis in lucẽ edito, sed Dei munere, labore nostro cooperãte cõquisita. Vestis ad operiendam nuditatem, & fouendum corpus inuẽta est: & virtus, vt ignominiam nostram cooperiat, data est, & vt animam defendat, & foueat. Et si illa corpus exornat, & aliquando hominis, aut statum, aut munus, aut dignitatem demonstrat: hæc mentem venustat, & quis sit iustus, & Dei filius conuenienter ostendit.

Iob. 1. 21.

Sed istis vestibus animam in mundo viuentem, & mundo deditam, non operiri in illa primorum parẽtum ignominiosa nuditate adumbratum inuenio. Simul atque peccarunt, se nudos, & vestibus spoliatos esse conspiciunt, de nuditate erubescũt, quia statim hostem, cui subdi ingẽs infamia est (vt notat Augustinus) scilicet rebellionem carnis persentiunt, & folia ficus, indicia inobedientiæ, in operimentũ contexerunt. Ista vestimẽta ignominiæ plena, nuditatem verò innocentiæ, ac sanctitatis, nobis filiis suis, iure hæreditario reliquerunt. Cui nuditati, vt genus humanum subueniret, tamquam insipiens, & ignorãs, non innocentiam amissam, vestem quidem pulcherrimam, recuperare contendit, sed induit maledictionem, sicut vestimentum, id est, vitam pessimam, innumeris peccatis cõtextam, & intrauit malitia sicut aqua in interiora eius, & sicut oleũ in ossibus eius.] Hæc est sicut vestimẽtum, quo operitur, & sicut zona, qua semper præcingitur.] Hoc indumentum filiorum Adam mundus, ne rumpatur, nec veterascat, quantum potest, conseruat: aliud verò innocentiæ perditæ, ne iterum induamus, constanter vetat. Nititur profectò conseruare illud primum nequitiæ vestimentum, & ita quæcumque à sæculo accepisti, ô homo, falsis bonis te vestiebant, & veris, ac non perituris bonis te nudabant. Vide quid tibi mundi ministri dederunt, & à quibus bonis te spoliarunt. Ab atauis tuis honorem, & sanguinis ingenuitatem recepisti, qua superbiebas; à parentibus diuitias, quarum vsu & abundantia, libidine diffluebas, à seruis, & mancipiis exquisita obsequia, quibus otio torpebas, à fratribus & consanguineis audaciam, qua proximos irritabas; ab amicis adulationis verba, quę audiens te ipsum ignorabas; à fortunis, & possessionibus, curas & solicitudines, quæ cùm te totum absorberent, cœlestia, & æterna non respiciebas. Omnes sodales & cognati tui huic desiderio intenti erãt, vt corpore bene valeres, vt auro, & gemmis ditesceres, vt honoribus, & deliciis affluceres, vt aliquam dignitatem consequereris: Nullus autẽ curabat, vt animo incolumis esses, virtutibus ornareris, & veram, summamq; dignitatem, scilicet Dei amicitiam, compararres. Vicerat enim amor carnis (vt Hugo de sancto Victore ait) reuerentiam creatoris. Quid est hoc; nisi quod omnis mũdus, & vniuersi asseclæ eius cooperiebãt te vitiis, inordinatis affectibus, peccãdi occasionibus, vt nũquam veterem hominẽ exueres, & vestem ignominiæ nouam, & recentẽ custodires?

Aug. 13. de ciuit. Dei. c. 13. tom. 5. & lib. 11. de gen. ad lit. c. 1. tom. 3.

Psa. 108. 18.

Hugo. li. 3. de vanit. mundi.

Perpende autem nunc, quam nõ fueris in sæculo inuolutus virtutum pannis, nec iustitiæ vestimentis indutus. Istæ vestes salutis in officina primùm pœnitentiæ fiunt, in taberna contritionis venduntur. Contritio vera est, quæ peccatorum maculas lauat, vt his sordibus loti, indumentis pretiosis virtutum nos induat. Illa est, quæ indumenta ista pulcherrima, non corpori, sed animo adaptat, & pura, atque illibata conseruat. Quare egregiè Bernardus. Scindamus corda nostra, dilectissimi, quatenus integra, proinde vestimenta seruemus. Vestes enim nostræ virtutes sunt: Bona vestis charitas, bona vestis obedientia est. Beatus, qui custodit vestimenta hæc, vt non ambulet nudus. Denique, beati quorum tecta sunt peccata.] Etenim charitas operit multitudinem peccatorum.] Scindamus corda, vt hæc vestimenta integra seruemus, quemadmodum integra seruata est tunica Saluatoris.]

Ber. ser. 2 quadrages.

Psal. 31. 1.

1. Petr. 4. 8.

Si autem in sæculo mentis compunctionem non habuisti, quia aqua non es lotus in salutẽ: quid mirũ si non fueris virtutum pannis coopertus, nec pretioso bonorum habituum indumento contectus? Sed si fortè aliquando in pœnitentiæ officinam ingressus es, & vi lachrymarum perfusus, contractas peccatorum maculas diluisti, & benignitate Domini fuisti stola gratiæ, ac virtutum indumentis ornatus, quis cogitare sufficiat, quanta sollicitudine mundus te iterum exuat, & spoliet, & hæc vestimenta salutis abrumpat? Si abstinere volebas, & cibo, ac potu moderatè vti, vt motus carnis comprimeres, & praua desideria refrænares, statim offert conuiuia, & epulus cognatorum, quibus

inuitantibus, & rogantibus, agrestis hominis esset non condescendere, & si conniueas, difficile admodum est gulæ & ventri non indulgere. Si pudicitiæ ac castitatis munditiem optabas, ingerit oculis puellarum formas, mulierum pulchritudinem, quam videas, quam cogitatione voluas, cuius igne emollitus in praua desideria dissoluatis, & telo illicitæ delectationis confixus intereas. Si charitatis iura seruare decreuerat, & nihil Deo ingratũ, aut proximo aduersum committere sollicitudinum ventis conceptum ignem extinguere curat, & malorum iniuriis tibi illatis à proximorum amore seiungere: patientiam rebus aduersis impetit, iustitiam amore rerum terrenarum impugnat, & breuiter, quamcumque virtutem vi oppositi vitij, & magnitudine occasionum elidit.

Sed orationis, aut sanctæ lectionis præsidio voluisti tuam mentem munire, & ad cõcepta desideria reuocare, tunc negat locum quietum, & sequestratum, in quo deberes lectioni, aut orationi vacare. Vel saltem tot impuris cogitationibus, tot vanis recordationibus, tot superfluis rerum agẽdarum curis animam turbat, vt suauitatem nullã, & vix aliquem fructum ex occupatione tam vtili valeas percipere.

Tandem, tam difficile est in sæculo vestem innocentiæ, & virtutis seruare, quàm inter flammas ignis non vri, inter animalia venenata non infici, inter cuneos hostium inermem non lædi, & in mediis fluctibus, & maris sæuientis procellis nullum motum, neq; agitationem sentire. Quis enim (vt inquit Ambrosius) inter tot passiones huius corporis, inter tantas illecebras huius sæculi, tutum atq; intemeratum seruare potest vestigiũ? Respexit oculus, & sensum mentis euertit, audiuit auris, & intentionem inflexit; inhalauit odor, & cogitationem impediuit, os libauit, & crimen reddidit: tactus cõtigit, & ignem adoleuit: Intrauit mors per fenestras (dixit Propheta.) Fenestra tua est oculus tuus; si videris mulierem ad concupiscendum, intrauit mors; si audias sermones meretricis, intrauit mors; si luxuria sensus tuos capiat, penetrauit mors.] Simile omnino scripsit Bernardus. Mundus (ait) circumcingit, & obsidet me vndique, & per quinque portas, videlicet per quinque corporis sensus, scilicet, visum, auditum, gustum, odoratum, & tactũ sagittis suis me vulnerat, & mors intrat per fenestras meas in animam meam. Respicit oculus, & mentis sensum auertit; audit auris, & intentionem cordis inflectit; odoratus cogitationem impedit; os loquitur, & fallit, per tactum ardor libidinis pro aliqua parua occasione excitatur, & nisi illicò respuatur, subitò totum corpus occupat, vrit, & incendit. Primò carnem cogitatione modicum titillat, deinde delectatione turpi mentem maculat, & ad extremum per consensum prauitatis sibi mentem subiugat.

Vides ergo, ô homo, quàm difficile sit in sæculo, non dico iã pannis virtutum inuolui: sed hos pãnos (si aliquãdo eos cõparasti) non perdere & integros, atque illibatos seruare? sicut enim infantes recenter nati, & in terra proiecti, soliq; & sine custodia relicti, mille exponuntur periculis, non solùm, vt bestia aliqua eorũ pãnos discerpat, sed vt canis illos morsibus laceret, aut equus conculcet: ita & tu iactatus super faciem mũdi huius expositus eras, vt tria, quæ numerat Apostolus Ioannes te mundi mala disperderent, nempe, vt cõcupiscentia carnis proscinderet, concupiscentia oculorum disrumperet, & superbia vitæ contereret. Paratus eras, nõ quidem, vt te pia nutrix, congregatio bonorum attolleret, quæ infantuli imbecillitatẽ sapientiæ lacte, & piarũ actionum micis educaret, sed vt mulier illa circundata purpura & coccino, & inaurata auro, & lapide pretioso, & margaritis, quæ (auctore Richardo Victorino) est multitudo malorum, suo gremio susciperet & poculo aureo pleno abominationis, & immunditia fornicationis, te potaret, quo inebriatus, neque tuam nuditatem, & paupertatem agnosceres, neque iniquitatum præcipitia timeres. Non habuisti ergo in terra Chanaan, in mundo patria tua, neque qui te sale sapientiæ saliret, nec qui pannis virtutum, & bonarum actionum obuolueret.

[Margin: Ambr. — Serm. 9. 1. — Serm. lib. Medit. c. 4. — 1. Ioan. 2. 16. — Apoc. 17. Richar. in Apoc. c. 9.]

Quàm sit homo præsidiis ad bonum destitutus in sæculo.

CAPVT IX.

Ex his quæ diximus satis apertè conspicitur quàm sit homo in sæculo omnibus adiumentis ad bene, sanctèque viuẽdum desertus, ac destitutus. Licèt enim multa auxilia ad studiosam vitam sectãdam percipiat, vt sunt sacramenta, exhortationes ministrorum Dei, inspirationes internæ, exempla aliquorum bonorum, qui tamquam lucernæ ardentes lucent in caliginoso loco, & alia huius generis: tamen hæc non mundus suppeditat, sed Deus misericordia commotus offert mundo, ne funditus pereat. Vnde Augustinus optimè. Malum desertum (& quidem de mundo loquitur) horribile, & timendum, & tamen Deus misertus est nostri, & fecit nobis viam in deserto, ipsum Dominum nostrum Iesum Christum, & fecit nobis cõsolationem in deserto mittendo ad nos prædicatores verbi sui, & dedit nobis aquam in deserto, implens Spiritu sancto prædicatores suos, vt fieret in eis fons aquæ saliẽtis in vitam æternã. Et ecce habemus hîc omnia, sed non sunt de deserto: Ergo proprietatem deserti priùs cõmendauit Psalmus, vt & cùm audisses, in quo malo esses, si quas hîc habere posses cõsolationes, vel sociorũ, vel viæ, vel aquæ, nõ tribueres deserto, sed illi qui te visitare dignat⁹ est in deserto.]

Quemadmodum ergo, si vir diues, & nobilis pretiosos, & bene paratos cibos mittat in carcerẽ, ibiq; magnificum vinctis conuiuium instruat, vt in die Paschæ gaudeant, & epulentur, nemo dicet illam ciborum præparationem esse propriam, ac debitã carceri, & ergastulo malefactorum, sed ab alio fine vllo debito missam, in eorũ leuamen, qui vincti, & compediti tenerentur: ita dona cœlestia, quæ misericordiarum pater mittit sæculo, & viuentibus in illo, nõ sunt bona sæculi: sed aliunde asportata, in hominum mundanorum subsidium. Quod adeò verum est, vt sicut aquæ dulces fluminum, intrantes in mare, natiuam suauitatẽ deserentes amarescunt, ita hæc dona Dei mundanis prærogata, ipsorum culpa, non rarò suam efficaciam amittant. Ministratur illis pœnitẽtia, nec redeunt ad cor, quia eam sine debita dispositione recipiũt. Ministratur panis angelorum, nec roborantur, nec crescunt, quia, aut mortui comedunt, & peccato graui subiecti, aut eo pane omnino tepidè distracti, & sine reuerẽtia, & amore vescũtur. Audiũt verbũ Dei, illud emolliẽs ferrũ, & cõterẽs petras, illud viuũ, & efficax & penetrabilius omni gladio ancipiti] & si illos percutiat, murmurãt, cõquerũtur, & prædicãti minas intẽtãt. Circũueniamus (inquiũt) iustũ, quoniã inutilis est nobis, & cõtrarius est operib⁹ nostris, & improperat nobis peccata legis, & diffamat in nos peccata disciplinæ nostræ.] Si verò suauiter moneat, & molliter attrahat, dicẽtis artificium laudant, eloquentiã admirãtur, sed vitã non mutãt, nec

[Margin: Aug. in Psal. 62. hom. 8. — Hebr. 4. 12. — Sap. 2. 12.]

Psal.57.5.6. mores pessimos deserunt. Aures internas obturant, ne audiant sapientiam, ad similitudinem aspidis surdæ, & obturantis aures suas, quæ non exaudiet vocem incantantium, & venefici incantantis sapiēter.] Vel si se audiuisse, & intellexisse, dissimulare non possunt: tunc verba prædicationis irrident, & tanquam amentes indignantur in medicum. Peruersa quippe mens (vt Gregorius ait) quando per increpationem corripitur, aut per prædicationis dulcedinem bona suadentur, de correptione fit deterior: Et inde in murmurationis iniquitate succenditur, vnde debuit ab iniquitate compesci.] (Greg. lib. 1. in Ezech. hom. 9.) Hæc ergo bona tam magna, & tam pretiosa, quæ in cor mundanum ingressa, solent proprio robore, & virtute priuari, citra dubium non sunt bona mundi: sed aliunde mundo illata, & in eius vtilitatem adducta. Atque adeò mundani in sæculo, quantùm est ex ratione loci, in quo degunt, valde sunt præsidiis ad bonum destituti. Quod Dominus, sequentibus verbis in aures animæ sæcularis instillat, dicens: Non pepercit super te oculus, vt faceret tibi vnum de his, misertus tui.] (Ezech. 16.5.) Id est, cùm patria tua, & natale solum, in quo nata es, sit terra Chanaan, sæculum istud infælix, & miser non fuit in eo, qui te oculis misericordiæ respiceret, non fuit qui tui misereretur, vel aliqua veste contegeret, vel mala, quæ imminebant, propelleret, aut te à tantis periculis liberaret.

Sed quare mundus caret his bonis ad studiosam vitam colendam necessariis? Quare illa sibi nō comparat, nec in vsum habitatorum suorum inquirit? Certè, quia suapte natura desertum est quoddam incultū, & vasta, atque sterilis solitudo, cui repugnat, hæc bona, vt propria & sibi debita possidere, quia si ea tamquam propria haberet, iam solitudo, & desertum non esset.

Mūdus est illud desertum, cuius gratia dedit Dominus vehementissimo imbri cursum (vt est apud Iob) & viam sonantis tonitrui, vt plueret super terram absque homine, in deserto, vbi nullus mortalium commoratur. Vt impleret inuiam, & desolatā, & produceret herbas virentes.] (Iob. 38.25.) Imber enim vehementissimus, & sonans tonitruum, nihil aliud est, quam prædicatio euangelica, quæ instar imbris, corda hominum rigat, & instar tonitrui mentes impiorum exterret. Desertum autem sunt mundani homines, mundi, aut sæculi nomine signati, quos Deus verbo prædicationis rigat, si fortè compungantur, & desideria virtutis concipiant. Vnde Gregorius. Sunt plerique ad verba Dei valde insensibiles, qui fidei quidem nomine censentur, verba vitæ auribus audiunt, sed ea transire vsque ad interna cordis, minimè permittunt. (Greg. 29. mor. c. 14.) Hi quid aliud, quàm deserta terra sunt? Quæ scilicet terra hominem non habet, quia eorum mens sensu rationis caret. Et nullus mortalium in hac terra commoratur, quia & si quando in eorum conscientia rationabilium sensuum cogitationes veniunt, non persistunt. Praua enim desideria in eorum cordibus sedem inueniunt, recta verò, si quando venerint, ac si impellātur, decurrunt.] Mundum etiam Dominus desertum vocat per Ieremiā, dicens: Visitabo super omnem, qui circumcisum habet præputium, & super omnes, qui attonsi sunt in comam, habitantes in deserto, quia omnes gentes habent præputium, omnis autem domus Israël incircumcisi sunt corde.] (Ierem. 9.26.) Qui namque sunt isti attonsi in comam, nisi gentes? (vt inquit Hieronymus) quæ desertum, id est, mundum inhabitant, & præputium non resecant, quia prauos affectus fouent, neq; inordinata desideria mortificant. (Hierony.) Et apud Oseam: Quasi vuas in deserto inueni Israël, quasi prima poma ficulneæ in cacumine eius vidi patres eorum. (Osea 9.10.) Quod dictum est, quia Dominus in solitudine sæculi, & vidit Apostolos Ecclesiæ patres, & inuenit spirituale Israelem, id est, fidelem populū à patribus illis progenitum, quem quasi primum, & suauissimum fructum in mensa sua ponendum elegit.

Meritò autem deserti nomine mundus significatus est, quoniam desertum, vt ipsum nomē sonat, locus est inhabitabilis, & solitarius, incōmodis multis refertus, & omnibus bonis destitutus. Desertum locus est infructuosus, spinis, & vepribus plenus, æstibus, ac solis ardoribus patens, bestiarum immanium latibulum, inuius, & inaquosus, solo aspectu metum & horrorem incutiens. Quæ omnia profectò quadrant in sæculum. Vnde non mirum si in eo non pepercit super nos oculus, vt vnum saltem suprà dictorum beneficiorum nobis præstaret.

Quis credat mūdum esse locum homini inhabitabilem, cùm à tot populis, gētibus, & nationibus habitetur? Verùm si rem istam, non sensus, sed rationis oculis expendamus, apertè comperiemus, hominibus, id est, iis, qui more hominum ratione, & diuina lege regantur, esse admodum vacuum, atque desertum: ac proinde eum, qui virtutem sectari velit in mundo, esse soliuagum, & hominis adiumentis destitutum. Adam in suæ creationis initio animalibus, & volatilibus cōstitutus solus esse dicitur. Quare Dominus: Non est bonum (inquit) hominem esse solum, faciamus ei adiutoriū simile sibi.] (Gen. 2.18.) Nam vbi nō est natura consimilis, neque eadē institutio, & ratio viuēdi, nō potest esse societas. Mundani autē homines sunt tamquam fera animalia, quę sensu, & desideriis naturæ; non ratione, & imperio virtutis gubernantur; locus igitur & habitatio eorum viro cultori virtutis solitarius est; & magna ex causa deserto comparatus. Quod vt ita esse nobis persuaderemus, non semel Dominus in Scripturis sāctis, huiusmodi homines per animalia designat, & bestias immanes appellat. Et facies homines (inquit propheta quidā) sicut pisces maris, & quasi reptile nō habens principem.] (Habac. 1.3.) Peccatores namque piscibus sunt similes; nam sicut isti fœcunditate maxima pollent, & voce carēt, ita & illi fœcundi sunt, & alios sibi similes gignunt: dum ad suas nequitias trahunt. Sunt etiam muti, & orationis verbo carentes, quo Dominum vt se à tantis malis eripiat inuocare debuissent. Meritò etiam reptilibus comparantur, quia sola terrena suspirant: secundum illud Pauli: Quorum Deus venter est, & gloria in confusione ipsorū qui terrena sapiunt. (Philip. 3.) [Per terram autem repere, id est, terrena sola quærere, & concupiscere, non est hominum (vt ait Isychius) qui bus concessum est, vt recti incedāt, cœlumque suspiciant. (Isych. in c. 11.) Erit ergo reptilium, quæ Dominus detestatur. Nā omne quod reptat super terram (inquit) abominabile erit, non assumetur in cibum. (Leuit. 11.41.) [Et rursus alius ex his, qui Spiritu Dei acti sunt, ita dixit: Et sic erit ruina equi, & muli, & cameli, & asini, & omnium iumentorū, quæ fuerūt in castris illis sicut ruina hæc.] (Zach. 14.15.)

In his animalibus peccatores debemus accipere. Nam grandis re vera fortitudo (ait Hieronymus) vt corruant in castris hostium equi, & muli, cameli, & asini, & omnia iumenta eorum, sicut & homines corruerunt. (Hieron.) Magnus triumphus, gloriosa victoria, bruta animalia, Deo pugnante, superari. Per equos ergo Zacharias adulteros, & fornicatios intelligit, qui (vt inquit Ieremias) Equi amatores in fœminas, & emissarij facti sūt, vnusquisque ad vxorem proximi sui hinniebat.] (Ierem. 5.8.) In mulis illos designat, qui munditiem carnis seruantes, spiritu impudici sunt, & sordidis fœdantur cogitationibus. Cameli, qui

ruminant, & vngulam non findunt, magna onera portant, & ad illa suscipienda seipsos inclinant, illi sunt qui contra illud Domini decretum: Nemo potest duobus dominis seruire.] Deo seruiunt & mammonæ, & licèt in primo appareant mundi, in secundo inueniuntur immundi. Hi non solùm iugũ Christi suaue, & onus leue, sed importabilia mundi onera portant, quibus non inuiti, sed voluntarij se, libentésque submittunt. Asini sunt insipientes, qui vt terrenis deliciis, ac voluptatibus fruantur, æterna non vident, nec cœlestia considerant. Iumenta verò illos signant, quorum vires robustæ sunt ad innumerabiles labores corporis, & animi molestias perferendas, vt suæ voluntati satisfaciant, & honorem, aut opes, aut voluptates concupitas arripiant.

Matth. 6. 24.

Addamus & alium prophetam, vt in ore duorum, vel trium testium stet omne verbum. Sophonias enim ait: Et accubabunt in medio eius greges, omnes bestiæ gentium, & onocrotalus, & ericius in liminibus eius morabuntur, vox cantãtis in fenestra, coruus in superliminari, quoniam attenuabo robur eius.] Accubant sanè in medio eius, id est, in medio mundi (vt Hieronymus, alias expositiones non respuens interpretatur) greges, ij scilicet, qui ac si essent rationis expertes, iniquos suos principes tamquam duces, & pastores sequuntur, & ne voluntati eorum contradicant, Dei iussa, & mandata conculcant. Bestiæ gentium, nimirum homines tamquam bestiæ vitam agentes, qui sola præsentia, & sensibilia conspiciunt. Onocrotali, id est, gulosi & voraces. Ericij, iracundi, & rapinis, ac cædibus feruientes, qui omnes secum conuersantes cruentant, & vulnerant. Auiculæ, animæ leues, & instabiles, putantes omne licere quod libet. Et tandem corui, qui peccandi consuetudine delectati, ita malitiæ nigredinem contraxerunt, vt valde difficile sit colorem mutare, & ad innocentiæ candorem conuerti. Hæc omnia quæ diximus confirmat sententia Chrysostomi. Homo (inquit) mansuetum animal, & benignum, contraria suæ naturę facit, & negligentia mores suos in ferinos vertit. Idcircò, & diuina Scriptura propter affectiones illas interturbantes ab irrationabilibus, & à feris agnominationes, his, qui ratione insigniti sunt, imponit. Interdum canes ob impudentiam, & impetum vocat, dicens: Canes muti, non valentes latrare. Interdum ob libidinem, equos; Nam equi in fœminam insanientes, vnusquisque vxori proximi sui adhinniebat. Interdum verò asinos, ob stupiditatem, & ruditatem. Cõparatus est enim (inquit Scriptura) iumentis insipientibus, & similis factus est illis. Interdum etiam leones, & pardos vocat ob rapacitatem, & habendi auiditatem. Aliquando autem aspides, ob fraudulentiam. Venenum (inquit) aspidum sub labiis eorum. Nonnumquam serpentes, & viperas, ob latens venenum, & malitiam, sicut & Beatus Ioannes clamabat dicens: Serpentes progenies viperarum, quis vobis demonstrauit fugere à ventura ira? Insuper & alia affectionibus respõdentia nomina imponit, vt sic vel tandem confusi ad suam aliquando redeant nobilitatem, & suo generi confœderentur, affectionibusque suis diuinas leges præferant, quibus sese delinquendo permiserunt.

Sophon. 2. 14.

Isa. 56. 10.
Ierem. 5. 8.
Psal. 48. 21.
Psal. 13. 3.
Matth. 3. 7.

Talibus hominibus figura, & bestiis immanibus vita, putas ne tu, ô homo virtutis amator, quia comitatus incedis? An existimas te habere in his, quos sequaris & imiteris? An habes aliquem, qui faciat tibi vnum ex his ad bonam vitam necessariis, misertus tui? Quinimò his circundatus es, quorum exemplis, & verbis ad extremam paupertatem, & ignominiam, tandémque ad miserrimam mortem traharis.

A Nam luxuriosus, non te castitatem, sed libidinem, & intemperantiam docebit: superbus non in modestiam, & humilitatem, sed in superbiam, & arrogantiam inducet: Diuitiarum cupidus, non vt opes tuas effundas in pauperes, sed vt alienas iniustè surripias persuadebit: & vitiis deditus, non ad virtutes colendas, sed ad sectanda monstra vitiorum excitabit. Gratia igitur diuini Spiritus in te effusa est, & quidẽ magna & pretiosa, cùm te Christus ad religionem vocauit, & potenti inspiratione permouit, vt desertum mundi relinqueres, & illos desereres quorum societas periculosa, doctrina fallax, & imitatio mortifera est. Pulchrè enim dixit Ambrosius, Deserto mundus hic comparari videtur, adhuc incultus, adhuc sterilis, adhuc infœcũdus; in quem negat nobis
B ita Dominus prodeundum, vt mente carnis inflatos, vacuósque virtutis internæ viros, & fragili se gloriæ sæcularis sublimitate iactantes, pro exẽplari quodam, & imagine nobis putemus imitandos, quos procellis mundi huius obnoxios vita mobilis inquietat, iure arundini comparandos, in quibus solidæ iustitiæ nullus est fructus, qui forensibus criniti phaleris, nodis obsiti, vacuo oris strepitu sonori, nulla sui vtilitate, frequẽti etiam offensione, intus inania, foris speciosa sectantur.] Itaque inter tales, quod ad studium virtutis attinet, non minùs solus eras, quàm inter vacuas, & perstrepentes arundines, quæ ob innatam fragilitatem, neque fulcire te possunt, neque vicem armorum præstare, neque tibi in aliũ virtutis vsum deseruire.

Amb. lib. 5. in Lucã in illud, Quid existis in desertũ videre, c. 7.

C Habet ergo mundus hanc deserti proprietatem, quòd solitarius est, & inhabitabilis, quia non ab hominibus suam dignitatem agnoscentibus, sed vtilitatem brutorum animalium sectantibus habitatur. Quare lepidè ille philosophus face accensa in frequentissima ciuitate, & in plateis hominum plenis, hominem quæritabat, innuens illos non esse homines appellandos, qui rectitudine iustitiæ posthabita voluptatibus, & pernitiosæ cupiditati se tradunt.

Est etiam mundus instar deserti incommoditatibus multis refertus, bonis vacuus. Quæ enim commoditates, aut quæ bona ad vitam secundum virtutem faciendam necessaria, in ipsa vanitate, quæ bonorum est priuatio, possumus inuenire? At vanitas vanitatum dixit Ecclesiastes, vanitas vanitatum, &
D omnia vanitas.] Et Dauid: Veruntamen vniuersa vanitas omnis homo viuens.] Quòd si homines, qui magis ad virtutem iuuare nos debent, vanitas sunt, quia omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum] quod ex aliis rebus mundanis, & honoribus scilicet, diuitiis, & voluptatibus adiumentum accipiemus? Certe nullùm, omnia mundana nos impediunt, omnia nos vinciunt, ne curramus in cœlum, ne hostium nostrorum manus fugiamus. In medio illorum tamquam in medio veprium, & tribulorum constituti, non occasiones exercendi virtutes, quæ sunt bona summo conatu exoptanda, sed incitamenta peccatorum & seminaria curarum, quæ nos veluti spinæ pungant inuenimus. Non aliquid constans, & stabile nostram imbecillitatem fulciens, atque sustentans,
E sed omnia fluxa, & caduca, quæ (si innitamur super illa) cadant, & consummentur, & fint causæ nostræ ruinæ, possidemus. Vnde Ioannes Damascenus: Valde abhorremus (ait) corruptibilia hæc, & mortalia vitæ negotia, in quibus nihil potest inueniri firmum, neque planum, neque stabile in se ipsis, sed vanitas sunt omnia, & afflictio spiritus, multas in puncto ferentes transmutationes. Somno enim & vmbra, & aura per aërem flante sunt fragiliora, minimaque

Eccles. 1. 1.
Psal. 38. 6.
Psal. 13. 3.

Damasc. hist. de Balaan. c. 12.

inest eis gratia,& neque gratia,sed error quidam, & seductio malitiæ mundi, quæ non diligere, sed potius odire ex corde præcipimur.]

A

Sicut autem loca incommoda, & rebus ad vitam transigendam necessariis destituta,solent esse insalubria, & malè sana,in quibus homines variis ægritudinibus afficiuntur : ita in sæculo vniuersis commodis ad virtutem vacuo,omnes mundani grauissimis morbis laborant. Nam vitia,& peccata quibus subiacent,quid nisi morbi, & ægrotationes sunt?

Isa.1.6. Audi Isaiam hoc affirmantem. A planta pedis vsque ad verticem:non est in eo sanitas. Vulnus, & liuor, & plaga tumens, non est circumligata, nec curata medicamine, neque fota oleo.] Audiet & Prudentium, qui ita Beatum Laurentium præfecto vrbis loquentem introducit.

B

Prud.l.2. Peristeph. hym.2.

Quemuis tuorum diuitum,
Qui veste & ore prænitet,
Magis probabo debilem,
Quàm quis meorum est pauperum.
Hunc, qui superbit serico,
Quem currus inflatum vehit,
Hydrops aquosus, lucido
Tendit veneno intrinsecus:
Ast hic auarus contrahit
Manus recuruas,& volam
Plicans aduncis vnguibus,
Laxare neruos non valet.
Istum libido fœtida,
Per scorta tractum publica,
Luto & cloacis inquinat,
Dum spurca mendicat stupra.
Quid illi feruens ambitu,
Sitique honoris æstuans,
Mersis ne anhelas febribus.
Atque igne venarum furit?
Quisquis tacendi intemperans
Silenda prurit prodere,
Vexatur, & scalpit iecur,
Scabiémque cordis sustinet:
Quid inuidorum pectorum
Strumas retexam turgidas?
Quid purulenta,& liuida
Malignitatum vulnera?
Tu te ipse,qui Romam regis
Contemptor æterni Dei
Dum dæmonum sordes colis,
Morbo laboras regio.

C

D

Hæc Prudentius, non minus verè, quàm eleganter: Isti enim omnes pestilentibus morbis laborãt quos oportet fugere,ne nos contagio scelerum suorum inficiant. Sed proposito inter illos fatuitas erat ab ægris tam grauiter laborantibus præsidia sperare virtutis: quia æger,& semimortuus non est idoneus auxilium præbere,sed magis ab aliis accipere.

E

Est ergo mundus re vera omnibus bonis desertus, & hominibus vacuus,qui hoc nomine hominum digni censeantur. In his autem omnia alia deserti incommoda sunt comprehensa. Quis enim neget mũdum locum esse sterilem, siquidem nec aratro compunctionis proscinditur,nec semina doctrinæ recipit, nec fructus operum bonorum producit?

Luc.8.7. Quod si quando semen ei diuini verbi committitur,natum aret,quia non habet humorem;aut ab spinis sollicitudinum suffocatur,aut à volucribus aëris huius,id est, ab aduersariis nostris comeditur. Quis ambigat locum esse spinis,tribulisque refertum? Nam & curæ,& tribulationes assiduæ,spinæ sunt,quæ miseram animam pungunt,atque dilacerant. Quis non videat frigori, ac æstui patere?æstus quippe est ardens amor temporalium, quẽm loẽl ignem vocat consumentẽ speciosa deserti & frigus, inordinata tristitia, quæ homines non assequentes,quæ volunt,contrahit, & vi mœroris consumit. Io.1.19. An non habitaculum bestiarum est,quod est domicilium peccatorum,& eorum hominum,qui (vt diximus) more bestiarum passionibus raptãtur,& in eos,qui miseros cohibent, crudelitate desæuiunt? An non locus meticulosus, & inaquosus,in quo (vt dicitur in Deuteronomio) est serpens flatu adurens,id est,immoderata cupiditas, & scorpio,id est,caro nostra blandiens,ac dispas, id est, Diabolus latenter percutiens,& nullæ omninò aquæ, quia res temporales haud quaquam sitim nostri cordis extinguunt? Deut.8.15. An denique nõ locus deuius, vbi mundani viam ciuitatis habitaculi minimè inueniunt? Ps.106.4 Vtinam vel viam haberet ipsum desertum (inquit Augustinus) Vtinam illuc homo incurrens, vel nosset, quia inde exiret. Aug.Ps.62. Non videt hominem ad solatium,non videt viam,qua careat deserto. Ergo ibi diuertit?Vtinam esset vel aqua,vnde reficeretur,qui inde non potest exire.]In hoc igitur spirituali deserto,tam solitario,tam hominibus vacuo, tam periculis pleno, tam omnibus bonis destituto, non mirum, ô anima mea, si non pepercit super te oculus,vt faceret tibi vnum de his,misertus tui. Sapienter igitur fugisti desertum istud, fæliciter in locum quietis, & pacis peruenisti, vbi sunt, qui te iuuent, ac foueant,qui te doceant,& induant, & ab imminentibus tueantur periculis.

Quàm vilis & abiectus sit homo,qui mundana sectatur.

CAPVT X.

SOLENT pauperes, & nobilitatis, opum, ac amicorum præsidiis destituti haberi contemptui, & ab omnibus sperni, irrideri, ac conculcari. Quia hæc est antiqua mundi consuetudo(ob quã profectò solã esset fugiendus)quod neminẽ propter seipsum diligit,aut honore afficit, sed propter diuitias,quas possidet, propter vestes, aut corporis amictũ quo splendet,propter familiaritatẽ aut amicitiã principũ,in quam se ipsum insinuat,vel propter sodales,& amicos nobiles, quorum fauore, & potentia fulcitur. Hoc autem mundi malum, non solum diuina fide perfusi,mẽte sumus assequuti, sed ethnici quoque in magnam quandam ignorationem prolapsi, cognouerunt. Quare memoriæ proditum est, philosophum quemdam contemptibili habitu amictum à domo principis non sine irrisione repulsum, habitum vilem in alium pretiosum, ac splendidum commutasse: Quo indutus, cùm statim nõ sine honore in palatium esset admissus, palliũ, quod gestabat osculari cœpit, diceẽs:Honorantem honoro, quia,quod virtus non potuit,vestis obtinuit.] Hanc verò mundanorum consuetudinem ignorantiæ subnixam,Dominus à cordibus suorum fidelium radicitus extirpare disposuit, cùm dixit per Iacobũ Apostolum. Iac.2.2. Si introierit in conuentum vestrum vir aureum annulum habens, in veste candida, introierit autem pauper in sordido habitu, & intendatis in eum,qui indutus est veste præclara,& dixeritis ei,tu sede hîc bene, pauperi autem dicatis:tu sta illic,aut sede sub scabelo pedum meorum, nónne iudicatis apud vosmetipsos, & facti estis iudices cogitationum iniquarum?] Hac oratione eos damnans, qui (quod attinet ad interiorem reuerentiam & æstima-

tionem)

tionem) solius annuli, hoc est, fimbriæ aureæ in veste candida, quod erat nobilitatis insigne, rationem habent, & virtutem, atque vitæ innocentiam mendici hominis aspernantur. Si ergo, ô anima, adeò pauper in sæculo, & omnium rerum indiga eras, vt nec aquam haberes, qua tuas sordes dilueres, nec lucem, qua iter æternitatis videres, nec pannos, quibus tuã nuditatem obtegeres, neque aliquid aliud eorum, quæ necessaria sunt ad vitam secundum virtutem consectandam, quia mundus vtique locus deserti, & solitudinis has opes proprias habere non potest, & si aliquid habet, aliunde emendicatum conquirit, quid mirum, si vilitatem, & ignominiam paupertatis comitem incurreris, eo ipso verissimam quò veram, & solam paupertatem sequitur, quæ sita est in defectu virtutis? Quid mirum si Dominus mala sæculi, & incommoda huius patriæ tuæ, in qua nata es, & educata, hac sententia concludat? Sed projecta es super faciem terræ in abiectione animæ tuæ, in die qua nata es.] Quæ enim in terra proiiciuntur, & à suo possessore pro derelictis habentur, cùm tamen seruare ea possit, vilissima sunt, & nihil æstimãtur. Tu ergo proiecta super faciem mundi huius, & in tanta bonorum solitudine relicta, vilissima, & abiectissima eras reputanda. Si autem aueas scire huius causam vilitatis, eam Dominus per prophetã designat illis verbis: In abiectione animæ tuæ,]id est, propter iniquitates, & abominationes tuas, quibus fœdabaris, & deformis, atque abominabilis efficiebaris in conspectu Dei tui.

Ezech. 16. 5.

Iam igitur huius vilitatis, & abiectionis causas sigillatim expendamus, videbimúsque quàm sit anima despicabilis, quæ mundo seruit, & rerum peritura-rum amori subiicitur. Vna est ea, quam diximus, paupertas boni, vacuitásque virtutis. Sicut enim virtus seipsa est honore dignissima, & omnes in sui honorem, & venerationem inducit, ita vitium seipso est vilissimum, & abiectissimum, & vniuersos in sui contemptum & despectionem cõuertit. Quare anima peccatis victa, vitiisque subiecta non potest in pretio haberi, sed abiecta reputari. Vnde Dominus apud Ieremiam: Quàm vilis facta es nimis, iterans vias tuas, & ab Ægypto confunderis, sicut confusa es ab Assur.] Profectò vilis, qui iterat vias suas, id est, peccata peccatis addit; quibus magis ac magis à sua dignitate discedit, & in maiorem miseriam declinat. Quæ ab Ægypto in Assyrios properans, & ab Assyriis in Ægyptios tendens, hoc est, ab his criminibus ad illa diffugiens, neque in istis, neque in illis auxilium, aut tranquillitatem, sed confusionem, & conscientiæ propriæ cruciatum inueniet; donec suas ærumnas agnoscens ad Dominum conuertatur, dicens: Vide, Domine, & considera, quoniam facta sum vilis.] Iure optimo, quæ multitudine iniquitatum suarum vilis facta est, voce sancti Iob, folio & stipulæ, rebus vilissimis, comparatur, cùm ad Dominũ inquit. Contra folium, quod vento rapitur, ostendis potentiam tuam, & stipulam siccam persequeris?] Quid est enim homo (ait Gregorius) nisi folium, qui videlicet in paradiso ab arbore cecidit? Quid est nisi folium, qui tentationis vento rapitur, & desideriorum flatibus leuatur? Mens quippe humana, quot tentationes patitur, quasi tot flatibus mouetur. Hanc enim plerumque ira perturbat, cùm recedit ira, succedit inepta lætitia, luxuriæ stimulis vrgetur, æstu auaritiæ longè latéque ad ambienda, quæ terrena sunt, tenditur. Aliquando hanc superbia eleuat, aliquando verò inordinatus timor in infimis deponit. Quia ergo tot tentationum flatibus eleuatur, & ducitur, rectè folio homo comparatur.

Ierem. 2. 36.

Thren. 1. 11.

Iob. 13. 25. Greg. 11. mor. c. 22.

Vnde bene quoque per Isaiam dicitur: Cecidimus quasi folium vniuersi, & iniquitates nostræ quasi ventus abstulerunt nos. Quasi ventus quippè nos iniquitas abstulit, quia nullo fixos virtutis pondere in vanam elationem leuauit. Bene autem post foliũ etiam stipula appellatur homo. Qui enim arbor fuit in conditione, folium à semetipso factus est in tentatione, sed pòst stipula apparuit in deiectione.] Et hæc quidem optimè.

Isa. 64. 6.

Sed non tanùm homo folio, & stipulæ comparatur, ob rationes ab hoc sanctissimo Doctores assignatas, sed quia sicut nihil est folio, & stipula vilius, ita nihil est homine mundano, & peccatis dedito, contemptibilius. Enim verò ad nihil vtilis est, nisi vt igni detur cruciandus. Quod Dominus per Ezechielem testatur, sub metaphora ligni vitis, quod à vite præcisum, neque aptum est, vt ex eo fiat opus, aut fabricetur de eo paxillus, aut vt dependeat ex eo quodcumque vas: denique (vt inquit Augustinus) nullis agricolarum vsibus prodest, nullis fabrilibus operibus deputatur.] Sic mũdanus homo, neque accõmodatus est, vt eum aliquis imitetur, neq; vt eius curæ, & prouidentiæ committatur, neq; vt ex eo fiat aliquis vir sanctus, atque perfectus. Quod si aliquãdo fit, id non est peccatoris debitum, sed Dei miserentis donum, qui dixit: De tenebris lucem splendescere, & vocat ea, quæ non sunt, tamquam ea, quæ sunt.] Meritò ergo res tam vilis, vt est peccator, proiicitur, & super faciem terræ ab omnibus conculcandus dimittitur.

Ezech. 15. 2. 3.

Aug. tr. 81. in Io. tom. 9.

2. Cor. 4. 6. Rom. 4. 17.

Altera causa est, quia homo rebus sæculi inhærens, passionibus sui cordis subiicitur, estque suorũ affectuum mancipium. Si autem seruus eò vilior est, & despicabilior, quò viliori domino seruit, & in abiectioris heri transiuit potestatem, quanta erit vilitas peccatoris, qui tot affectibus vanis obtemperat, & tam vilissimis dominis se submittit? Quanta calamitas eius, qui à sibi dominantibus ad contraria cogitur, & ad ea, quæ simul fieri non possunt, sæpius simul, & eodem tempore impellitur? Cupiditas iubet, vt parta custodiat: voluptas, vt in suum vsum, & vtilitatem insumat. ira imperat, vt vlciscatur iniuriam, timor vetat, ne discrimen infamiæ, aut mortis incurrat. Miserum autem mancipium, tamquam inter duas vias constitutum, nescit qua pergat, aut cuius domini imperatum perficiat. Magna certè miseria animum contraria cupere, & veluti in sæua tempestate positum, ventis contrariis agitari. Ideò de impiis dictum est: Impij quasi mare ferues, quod quiescere non potest, & redundant fluctus eius in conculcationem, & lutum.] Magna hominis abiectio tam contemptibilibus heris seruire, & tam vanissimis desideriis cruciari. Egregiè dixit Laurentius Iustinianus cum isto homine loquens. Quid te vilius, quid contemptibilius, quem fames, sitis, lassitudo, frigus, labor, calor, quies, peregrinatio, torpor attenunt? Quem diuitiæ extollunt, honores inflant, paupertas deiicit, successus demẽtat, odia vrunt, labores accendunt, libido inflammat, gula subigit, ira discerpit, & omnium vitiorum rabies supplantat? Quem ignorantia cæcat, dolor affligit, tristitia deprimit. inepta lætitia surripit, spes vana occidit, timórque seruilis interficit?] Quid mirum si homo tam vilis super terrã proijciatur, & tamquam res nullius pretij, & ad nullum vsum apta, solus relinquatur?

Isa. 57. 20.

Laurent. Iustin. de casto conn. c. 20.

Sed præcipua causa, quare mundanus homo dicitur in terram proiectus, ea est, quia omnes cogitationes, & omnes affectus terræ habet affixos, & vniuersa eius, tum verba, tum opera terram sapiunt, & in res terrenas diriguntur. Quemadmodum enim,

qui

qui ex eminenti loco ad terram allidit ur, manibus, & pedibus, & reliquis membris terram tangit, & puluere aspergitur, aut luto, sordibusque fœdatur: sic rerum mundanarum sectator, vniuersis viribus animæ suæ, non aliud quàm puluerem, & lutum amplectitur. An non huiusmodi homines cogitationes suas terræ habent affixas, si quidem de illis (*Psal. 16. 11.*) scriptũ est: Oculos suos statuerunt declinare in terram?] Non casu, aut perfunctoriè: sed magno conatu, & tamquam rem seriò agendam, mentis oculos, cogitationes scilicet in terram defigunt. Similes illis (*Dan. 13. 9.*) iniquis iudicibus, qui declinauerunt oculos suos, vt non viderent cælum, neque recordarentur iudiciorum iustorum] An non affectus terrestres habent, (*Philip. 3. 19.*) quorum Deus venter est (vt ait Paulus) & gloria in (*Chrys. ibi.*) confusione ipsorum, qui terrena sapiunt?] Quinam sunt isti (inquit Chrysostomus) nisi qui terrena curant? Ædificemus domos. Vbi? in terra, inquiunt. Possideamus agros, in terra rursus. Acquiramus principatum, iterum in terra. Potiamur gloria, in terra quoque. Ditescamus, omnia in terra. Isti sunt, quorum Deus venter est; qui enim nihil rerum spiritualium curant, sed hic omnia possident, & terrena ista curant, meritò Deum ventrem habent, dicen- (*1. Cor. 15. 32.*) tes: Comedamus, & bibamus: cras enim moriemur.] An non verba istorũ terrestria sunt, quorum os maledictione & amaritudine plenum est, & sepulchrũ (*Psal. 13. 3.*) patens est guttur eorum, linguis suis dolose agebãt, venenum aspidũ sub labiis eorum?] Quos si audias ex verbis, non Christi discipulos, sed iracundiæ seruos, cupiditatis vernas, libidinis amatores iudicabis.

An non tandem opera mundanorum ad terram pertinent, qui (vt ait Bernardus) omissis veris & salu- (*Ber. ser. 1. de aduentu.*) taribus studiis, caduca potiùs & trãsitoria quærunt?] Hos meritò confert cum illis, qui submersi periclitantur in aquis. Nam sicut isti omni conatu tenent, neque vlla ratione deserunt, quod primùm occurrit manibus, licèt tale sit, quod omninò prodesse non possit: ita miseri, insipientesque mundani, caduca, & peritura apprehendunt, magnáque contentione retinent, quibus haud dubiè, neque naufragium effugient, neque saluare poterunt animas suas.

Hos igitur tam viles, tam despectos, & in terram, siue in terrenarum rerum desideria proiectos, mundus irridet, & illis tamquam aleis, aut tesseris ludit. Iam illos extollit, iam deiicit: nunc rebus secundis lætificat, posteà successibus aduersis contristat, hodie bonis temporalibus implet, postera die pauperes, & vacuos derelinquit. Et in his omnibus vnus finis est infælices mundanos decipere, & ac si essent trochi puerorum mutabilitatis scutica huc illucque agitare. Hunc mundi ludum, quo mundanis illudit, Ioannes Damascenus his verbis describit: Et (*Dam. lib. de Bar. 12.*) est secundũ veritatem odibilis iste mundus, & abominabilis: Nam quantacumque donat amicis suis, cum ita denuò diripit ea, nudatósque omni bono, & confusione indutos, omnibusque grauibus prægranatos æternæ transmittit tribulationi. Quos modò exaltat, subitò vltima miseria humiliat, subdens eos pedibus omnium inimicorum suorum. Tales ergo gratiæ ipsius, talia sunt & dona. Inimicus enim est amicorum suorum, & hostis omnium, qui faciunt eius voluntatem. Discerpit crudeliter incumbentes super se, eneruat illos, qui confidunt in eo. Fædus posuit cum insipientibus, & promissiones falsas eis pollicitus est, ad hoc tantùm, vt trahat eos ad se. Illis sibi acquiescentibus ingratus ipse, & fallax demonstratur, nihil eorum complendo, quæ promiserat. Hodie regem aliquem constituit, & cras seruitutis iugo supponit. Hodie multis affluentem bonis, cras mendicantem reddit. Hodie coronam gloriæ eius vertici imponit, sed vultum illius cras in terram deprimit. Hodie exornat collum illius splendidis gemmis, dignitatum torquibus, cras humiliat ferreis vinctum compedibus. Amabilem hunc ad modicum omnibus facit, odibilem verò paulò pòst facit & abominabilem. Hodie lætificat, & cras lamentis eum & fletibus afficit. Qualem verò, & his finem imponit, audi: Habitatores gehennæ dilectores suos perficit miserrimè.]

Ecce, ô anima, ludum mundi, quo te tamquam pila ludebat, & huc illúcque versabat. Ad hoc proiecta videbaris super faciem terræ in abiectione animæ tuæ, in die qua nata es, vt mutabilitati exposita in nulla re consisteres, neque securitatem inuenires. Meritò ergo conata es, à puluere terræ consurgere, & in locum sublimem, atque in altiorem statũ properare, in quo facile est ex istis, quæ numerauimus, malis euadere, & contraria bona, nõ sine gaudio, & tranquillitate possidere. Iam itaque liberata, viris sanctis te non solùm vita, sed etiam actione gratiarum adiunge. Qui læti, & alacres canunt, Anima no- (*Psal. 123. 7.*) stra sicut passer erepta est de laqueo venantium, laqueus contritus est, & nos liberati sumus, adiutorium nostrum in nomine Domini.] Quemadmodum enim auicula, cauea aut laqueo soluta, liberè volat, quouis appetitus animalis impulerit, & in arbore residẽs alacriter garrit, quasi aucupi, qui eã tenebat, insultãs: ita isti sæculi liberati laqueis, & carcere sollicitudinum inanium exoluti, in horto sanctæ religionis considentes, mundum, qui eos vinctos detinebat, irrident, affectibus in sublime volant, & Deum à quo se sentiunt in spiritus libertatem assertos, ingenti laudatione concelebrant.

Quòd magnum bonum sit hæc omnia mala sæculi effugisse per religiosam vitam.

CAPVT XI.

SI hæc ita sunt sicut re vera sunt, nemo est qui non videat, magnum bonum, & præstantissimum Dei donum esse, ab his nos malis euasisse, & in religiosam vitã euolasse. Et quidem hoc diuinum beneficiũ non simplex, sed duplex est: Alterum, quòd religiosi tantis malis eripimur, neque enim paruum bonum est carere malo, & præsertim tanto malo, quod cumulus omnium malorum esse videtur.) Alterum verò quo contrariis bonis beneficiisque donamur. Duobus namque modis potest quis à naufragio eripi, vel à dura suorum hostium seruitute liberari: primò, si ex mediis fluctib⁹, vel ex cuneis hostium erutus in littore; vel in patria sua liber, sed nudus & pauper relinquatur: Secũdò, si hostibus, vel procellis exemptus ad priorem dignitatem, vel maiorem euehatur, & magnis opibus cumuletur. In quo multò præstantiùs donum est, & sanè ex duobus beneficiis compactum: quorũ vnum est ex procella, vel ex hostibus liberari, per se satis expetendum, quòd aperta experiẽtia demonstrat eorum, qui ex tempestate, non minus nudi, quàm alacres euadunt, aut ex ergastulo liberi, sed tamen pauperes aufugiunt.

Alterum verò simul cum euasione periculi, opes numquam habitas comparasse, & magnos honores, aut dignitates acquisisse. Ita prorsus nos in religiosa vita duo hæc benefiecia recepimus, & quòd mala sæculi intolerabilia effugimus, & quòd bona ineffabilia, quæ numquam in mentem nostram venerunt,

fumus fine meritis assequuti. Quæ duo in patiente Iob adumbrata videmus. Hic enim non solùm ab insanabili morbo conualuit, sed omnia, quæ amiserat, oues, & boues, camelos, & asinos, filios, & filias, duplicata recepit. Quia licèt post aduersitatis probationem, septem tantum filios & tres filias genuerit, tamen duplices filios recepit, quia quos vita functos viderat, non perdidit, sed (vt inquit Gregorius) in occulta animarum vita seruauit.] Eodem modo religiosam vitam amplexi, à malis sæculi, & morbis immedicabilibus conualuimus, & bona, si quæ erãt in mundo, non duplicata, sed centuplicata, suscepimus.

Iob. 42. 10.

Greg. 35. mor. c. 11.

Vt verò hæc duo beneficia præstantissima, minimè nostram cognitionem, gratitudinémque prætereant, exactè ea examinemus, sigillatímque expendamus. Ingens bonũ est ab aliquo magno malo eripi, quantò maius erit à tantis simul malis educi? Præstantissimum bonum est aliquod maximum beneficium sine vllo merito accipere, quantò præstantius erit tantis, ac tam diuinis beneficiis simul ditari? Iã nõ exprobrat nobis Dominus: Radix tua, & generatio tua de terra Chanaan.] quia per religiosam vitam, nõ incolæ terræ sumus, sed cæli habitatores efficimur. Portio namque nostra in terra viuentiũ] & noster municipatus in cælis est, non habemus hic manentem ciuitatem, sed futuram inquirimus,] cuius si regulam nostram custodiamus, iam ciues decreti sumus. Nec mirũ esse debet si ciues patriæ cælestis habitemus in terra, quia terrã incolimus, non tamquam ciues, sed tamquam aduenæ, & peregrini, Nobis enim præcipuè loquitur Petrus Apostolus, cùm ait: obsecro vos, tamquam aduenas & peregrinos; abstinere vos à carnalibus desideriis, quæ militant aduersus animam.] Nam si illi patres antiqui vxores ducentes, & huius mundi substantiam possidentes, à longè promissiones sibi factas salutabãt (vt Paulus ait) & fatebantur se hospites esse, & peregrinos super terrã] quãto potiori ratione nos erimus in mũdo peregrini, qui neque vxores ducimus, neq; nostri iuris sumus, neq; domum propriam agnoscimus, neque vilissimũ obolum, tanquam propriũ, possidemus; Peregrinus (inquit Bernardus) via regia incedit, non declinat ad dexteram, neque ad sinistram: si fortè iurgantes viderit, non attendit: si nubentes, aut choros ducẽtes, aut aliud quodlibet facientes, nihilominùs transit, quia peregrinus est, nõ pertinet ad eũ de talibus. Ad patriam suspirat, ad patriam tendit, vestitum, & victum habens: non vult aliis onerari.] Quis non videat hæc omnia religiosis conuenire, quia à Domino charitate dilatati, regiam viam mandatorum currunt, sæcularium iurgia nec respiciunt quidem, ludos & prosperitates non curant. Suum iugiter deflent incolatum, dicentes: Quoniam aduena ego sum apud te, & peregrinus, sicut omnes patres mei:] Qui ita transeunt per terram Chanaã, ad terram promissam, ad patriam viuentium festinantes, & ibi desiderio, & operum imitatione habitantes, iam desierunt esse incolæ sæculi, & facti sunt incolæ cœli, ciues sanctorum, & domestici Dei.

Psal. 141. 6.

Hebr. 13. 14.

1. Petr. 2. 11.

Hebr. 11. 13.

Ber. serm. 7. quadr.

Psal. 38. 13.

Iam non dicetur nobis, qui sæculo vale diximus: Pater tuus Amorrhæus, & mater tua Chetæa.] Quia illud à Domino mandatum accepimus, & patrẽ nolite vocare vobis super terram, vnus est enim pater vester, qui in cælis est.] Quid mihi cum parentibus, qui me ad labores, & lachrymas genuerunt, quos in limine iacentes calcaui vt ad crucis vexillum euolarem: Quid mihi & illis, nam postquam illos reliqui, mei oblitos esse cognoui: Pater enim meus, & mater mea dereliquerunt me: Dominus autem assumpsit me.] Quid tandem mihi & illis, quos obliuisci, & relinquere iubeor, vt partem, quam optaui, in æternum accipiam? Nam si quis venit ad me (inquit) & non odit patrem suum, & matrem, non potest meus esse discipulus.] Non igitur patres mei rebelles sunt, & insani, sed pater meus es tu, quem sequor, quem amo, cui placere, & similis esse cupio, Deus meus, & susceptor salutis meæ.

Matt. 23. 9.

Psal. 26. 10.

Luc. 14.

Psal. 88. 27.

Neque etiam illud probro dabitur nobis: Et quãdo nata es in die ortus tui nõ est præcisus vmbilicus tuus.] Quia pia nutrix nostra sancta religio, per votum castitatis, libidinem, & incontinentiam resecuit, & per votum paupertatis, & obedientiæ, propriam voluntatem, & reliquarum passionum intemperantiam amputauit. Visne audire, quam bene in die ortus nostri, quo Deo nati sumus, vmbilicus inordinatarum passionum nobis præcisus sit? Audi ex ore Hugonis Victorini quid sit religiosa disciplina, quam in ipso ingressu religionis sumus amplexi, & apertè videbis eam vniuersos affectus amputare, & rerum terrenarum concupiscentias cohibere. Disciplina (inquit) est compes cupiditatis, malorum desideriorum carcer, frænum lasciuiæ, elationis iugum, vinculum iracundiæ, quæ domat intemperantiam, leuitatem ligat, & omnes inordinatos motus mentis, atque illicitos appetitus suffocat.]

Hugo de instit. nouitior. c. 10.

Si, hæc tam inimica vitiorum nos Domino nascentes suscepit, quis dubitet, neque fuisse negligentem, neque obliuiosam in comprimendis vanis desideriis, ac effrænatis cupiditatibus amputãdis? Est nè in religiosa vita, qui vmbilicum cupiditatũ præscindat, & omnia noxia, & superflua resecet. Hoc enim primò facit Dominus per seipsum, sermone suo interiùs docente, ineptas concupiscẽtias amputãs. Quia cũ iã fecerimus fructum, mundana contemnendo, & vitam puram, & illibatam sectando, æquum erat, vt ipse nos purgaret, & affectus inordinatos cohiberet, cũ scriptum sit: Et omnem palmitem, qui fert fructum, purgabit eum, vt fructus plus afferat.] Deinde nos purgat per leges & regulas scriptas. Neq; enim solùm laude sua (vt legimus in Isaia) infrænauit nos, sed etiam regulę, ac legis gladio muniuit. Vt extranei nos considerantes, & admirantes, dicant, Quia exaltationes Dei in gutture eorum, & gladij ancipites in manibus eorum.] Frænum est diuina laus, cui iugiter inhæremus, quia tenet nos, ne in verba inania, & opera infructuosa feramur præcipites, & gladius est regula, quæ circumcidit non carnem, sed cor, vt in populo Domini numeremur: Viget enim adhuc lex Domini, non corpori adaptata, sed cordi. Quia masculus, cuius cor circumcisũ non fuerit, delebitur anima illa de populo suo.] Tandem hanc spiritualem amputationem facit Dominus per correctionem prælatorum, qui nihil dissimulãt, neque impunitum relinquũt: per exempla fratrum, qui sibi ipsis acriter imperãtes, opere docent nos similia præstare, & per ipsam nostri status naturã, cùm nihil aliud sit, quàm veteris hominis, & omniũ operũ eius spoliatio, affectuúmque nostrorum abiectio.

Ioan. 15. 2.

Isa. 48. 9.

Psal. 149. 6.

Gene. 17. 14.

An dicetur iam animæ cuiuscumque nostrûm: Et aqua non es lota in salutem?] Minimè, si moribus, vitam, quam profitemur, seruamus. Quæ vita est pœnitentiæ, non vno, vel duobus diebus, sed omnibus diebus, & noctibus peccata vitæ sæcularis deflẽs, & maculas inter mundanos contractas abũdantissima lachrymarum profusione detergens. Quare enim nõ dicam de qualibet religiosa domo bene instituta ac gubernata, quod Ioãnes Climacus de monasterio pænitentium, aut religione fugientium, dixit. Vidi re vera (si dicere id audeam) quæ negligentis oculus

Clim. gradu 5. de accurata pœnit.

non

non vidit, aurisque desidiosi non audiuit, & in cor pigri hominis nō ascenderūt, res & verba, quæ Deo vim inferre possent, habitus & studia, quæ ipsius studia celerrime flecterent.] Non sine magna nostra cōfusione aspicimus, quosdam grauia peccata sæculi, quotidie magnis fletibus, & cordis compunctione lugētes, alios, qui ab ipsa pueritia se Deo dediderūt, leuissimas maculas ex humana conuersatione cōtractas, amarissimis lachrymis deflentes; alios præ desiderio maioris puritatis suspirantes, & pro eius obtentu enixè diuinum adiutorium inuocantes, alios vsque ad multā noctem stare peruigiles, si fortè valeant noua dona, & charismata de manu cœlestis regis impetrare, alios flagris, ciliciis, ieiuniis, & pectoris tunsionibus seipsos affligentes, alios publicè, & coram cætu fratrum suos defectus sponte propalantes, alios ita suos sensus & affectus comprimentes, vt non carnem gestare, sed iam eam exuisse videantur: alios ita studium virtutum vniuersarum sectantes, & diuinæ familiaritati inhærentes, vt potius ciues cœli, quàm terræ habitatores appareant.

Hæc omnia, & alia, quæ sciens, vidénsq; prætereo, amplectuntur perfectionis studia, vt seipsos mundent, & lauent, & pulchritudinem in dies maiorem acquirant. Quis dubitet istos in salutem lauari, quibus tanta est munditiæ cura, tanta puritatis, & innocentiæ custodia? Quis ambiget ad salutem mundari, quibus promittit Dominus per Ioelem. Et mundabo sanguinem eorum, quem non mundaueram, & Dominus commorabitur in Sion.] Si deus iustificat, quis est qui condemnet?]

Ioel. 3. 21.
Rom. 8. 34.

An tandem dicetur per probium animæ religiosæ. Et sale non es salita, neque inuoluta pannis?] Nequaquam: Quia tanto sale sapientiæ cœlestis abundat, vt sit salinis, id est, sanctorum patrum libris circundata, ex quibus colligit, quo seipsam saliat, & alios etiam verbo, & doctrina condiat. In ipsa corporis refectione, in qua sęculares solēt gula, & ebrietate, ac verbis saltem otiosis suas animas putrefacere, anima religiosa isto diuino sale, quo se præseruet, non caret; quia ibi frater resonat alicuius sancti patris volumen legens, cuius, sicut corpus cibis, ita mens doctrina reficitur. Magnum certè bonū, quòd recumbentibus, & conuescentibus discipulis apparuit IESVS, & eos incredulitatis increpuit, & rerum faciendarum admonuit. Sed huius magni boni quotidie anima religiosa in corporis refectione perfruitur, dum Christum per os Gregorij, Bernardi, aut Basilij, aut alicuius sancti patris, loquentem audit, docentémque, quid facto opus sit, & negligentiam, ad socordiam animæ increpantem, quo inter ipsas epulas in dulces lachrymas interdum, fletúsque resoluitur. Sale profectò salita est, quæ ibi sapientiam addiscit, vbi alij sapientiam perdunt, imò & vsum propriæ mentis amittunt.

Mar. vlt. 14.

Sed quid de huius animæ vestibus dicam? Quæ quantò veriùs exteriorem corporis cultum contemnit, tantò pulchriùs interioribus indumentis ornatur. Virtutum sanè decore procedit induta, nimirum castitate, humilitate, mansuetudine, obedientia, patientia, charitate. Hæc enim sunt indumenta (vt inquit Hugo) quibus anima potest cœlesti Imperatori placere. Non enim exteriorem, sed interiorem pulchritudinem requirit sponsus, sicut scriptum est: Omnis gloria eius filiæ regis ab intus.] Quæ eò pretiosiora sunt, quò ab anima, non sine afflatu diuino proprio labore, atque industria comparantur. Nam si, vt refert Beatus Hieronymus, apud Græcos Philosophos ille laudatur, qui omne, quo vteretur, vsque ad pallium, & annulum, manu sua factum

Hugo in reg. c. 6.
Psal. 44. 14.
Hier in Epist. ad Nepotianum, c. 8.

A gloriatus est, quid ni anima in Domino glorietur, quæ vestes istas virtutum adeò pretiosas, & pulchras propriis actionibus fecit, Dei gratia, & fauore munitis, & magna vigilantia, ac labore quæsiuit? Non deest profectò qui faciat illi vnum ex his misertus eius, quia Deus ipse, & religiosus status, & omnes, tum maiores, tum æquales, tum minores, inter quos viuit, tum ipsa, viribus diuinis adiuta se purgat, illustrat, & vestit.

Non est proiecta super faciem terræ in die, qua nata est:] quia eo ipso, quòd mundo moritur, & Domino in religione nascitur, vniuersi eam honorāt, & magna reuerentia, & veneratione suspiciunt. Quis enim non eos prosequatur honore, à quibus non modicam percipit vtilitatem? Huiusmodi autem vtiles populis, sancti, & iusti sunt, quales omnes

B religiosi, a rebus mundanis remoti, & Deo consecrati esse deberent. Quare nemo erit sanæ mentis, qui eos non veneretur, atque suspiciat. Plurimùm refert (inquit Ambrosius) & moralem ædificat affectum, si etiam numerum iustorum simpliciter accipiamus prodesse populorum saluti. Comprimit, & resecat inuidiam, confundit improbitatem, virtutē incitat, auget gratiam. Nemo enim inuidere debet alteri laudem, quæ sibi prosit, atque improbus quisque redemptorem suum, dum suscipit, frequenter imitatur. Certè veneratur, plerumque etiam diligit.] Et rursus alio loco idem Beatissimus doctor ait; Ciuitates Leuitarū redemptrices significauit Moyses: quia is, qui confugit ad eam animam, in qua habitat Dei verbum, quæ vrbis modo munita, atque

Amb. lib. de Cain & Abel c. 5.
Ibid. c. 4.

C vallata sit, perpetuam libertatem acquirit sibi. Sicut enim in ciuitatibus Leuitarū, erat pœnarum remissio, vt si quis ad eas confugeret, qui non voluntariā necem hominis admiserat, nulli eum occidere liceret intra vrbes duntaxat positum Leuitarum, ita quem peccati proprij pænitet, quod aut imprudenter, aut inuitus admisit, si Leuitarum adhæreat incolatui, & ab his præceptoribus, qui Dei mandata dispensant, recedendum non putet, lex ipsa ab omni eum commissi flagitij pœna, supplicioque liberat.] Qui tam vtiles & fructuosi sunt populis, non proiicientur super faciem terræ tamquam viles & abiecti, sed ad omnibus summis laudibus extollentur.

D Magnum ergo Dei beneficium est à tantis miseriis, tanta ignominia, ac paupertate, tantis periculis calamitosi sæculi eripi, & in statum tam præstantissimum, omnibúsque opibus spiritualibus refertum adduci. Quare, ô vos, qui ad vitam religiosam vocamini, & a Domino vestras animas diligente, ad religiosorum cætus intrandum inuitamini, ponite excusationes, rumpite moras, & hodie si vocem eius audieritis, nolite obturare corda vestra. Fugite huius vastissimi maris pericula, à sæua vitiorum tempestate, & occasionum procellis vos remouete, & prora nauigij ad littora viuentium retorta in portum religionis appellite. Ego, vt verba Hieronymi vsurpem, non integra rate, vel mercibus, nec quasi ignarus fluctum præmoneo, sed quasi nu-

Psal. 94. 8.
Hier Ep. 1. ad Heliod. c. 5. tom. 1.

E per naufragio eiectus in littore, doctus nauta timida nauigationis vocē denuncio. In illo æstu Charybdis luxuriæ salutem vorat. Ibi ore virgineo ad pudicitiæ perpetranda naufragia Scylla, ceu renidens libido blanditur: Hic barbarum littus, hic Diabolus pirata cum sociis portat vincula capiendis. Nolite credere, nolite esse securi. Licèt in modum stagni fusum æquor arrideat; Licèt vix summa iacentis elementi spiritu terra crispentur, magnos hic campus montes habet, intus inclusum est periculum, intus est hostis, expedite ruentes, vela suspen-

dite, crux antennæ ligatur in frontibus, tranquillitas ista tempestas est.]

Magna igitur sapientia est Domino vocanti non reluctari, & in tanto discrimine constitutis, opem ferenti summo mentis ardore consentire.

Tu verò, qui iam vocatus à Domino, mundum effugisti, & in fidelem patriam, perfidos parentes, affectuum intemperantiā, cordis immūditiam, ignorantiam mentis turpem nuditatem, bonorum paupertatem, vitiorum ignominiā, atque omnia Babyloniæ pericula deseruisti, totis visceribus, ac omni conatu mētis tuo liberatori Deo gratias referre procura, canta carmen Isaiæ in honorem illius, Domine Deus meus es tu, exaltabo te, & confitebor nomini tuo, quoniā fecisti mirabilia, cogitationes antiquas fideles, amen. Quia posuisti ciuitatem in tumulum, (illam, quam ego meis prauis operibus ædificabam) vrbem fortem in ruinam, domum alienorum, vt non sit ciuitas, & in sempiternum nō ædificetur.] O rem mirabilem à te, Domine, ex æternitate in bonum nostrum cogitatam, & præordinatam! Propter quod laudabit te populus fortis, ille qui spretis mundi illecebris, se tibi Deo benignissimo consecrauit, & ciuitas gentium robustarum, quæ vitiis vniuersis bellum indicit, timebit te. Quòd si iam habitu, & professione sæculi vitia, & peccata effugisti, fuge etiam & mente. Nam (vt inquit Ambrosius) Gloriosa hæc fuga est, fugere a facie peccati. Sic fugit Iacob, Matre sua dicente Dixit enim Rebecca: Exurgens fuge in Haram. Sic fugit Moyses à facie Regis Pharaonis, ne eum aula regia coinquinaret, ne irretiret potentia. Denique pretiosius Ægypti diuitiis æstimauit opprobrium Christi. Sic fugit etiam Dauid à facie Regis Saul, & à facie Absalon: Denique fugiens augebat incrementa pietatis, qui & insidiatori pepercit, & parricidæ salutem rogauit. Sic fugit & populus Hebræorum, vt fides eius, & vita inter fluctus sibi aperiret viam. Fuga illa erat trames innocentiæ, virtutis via, pietatis assumptio. Audeo dicere, sic fugit & Ionas in Tharsis, non corporis fuga, sed mentis ascensione, qui vsque ad Christi ascendit similitudinem, vt fieret typus Christi. Dicit enim: sicut fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus, sic erit & Filius hominis in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus Nam si non fugisset, numquam de ventre ceti esset auditus.

[Margin: Isai. 25. — Amb. lib. de fuga sæculi, c. 1. — Gen. 27. 43. — Exod. 2. 15. — 1. Reg. 20. — 1. — 2. Reg. 15. — Exod. 13. 18. — Iona 1. 3. — Matt. 12. 40.]

Ne putes te adhuc in tuto positum, si quod statu deseruisti, animo & vita non deseras. Nam hæc statu solùm, & non operatione relicta, magis quàm in sæculo onerant, & vehementiùs nos in terram deprimunt. In mundo enim cum possessione rerum terrenarum, licet difficulter, tamen saluari possumus, si amori mensuram diuinæ legis ponamus, & modum in mandatis præscriptum non transgrediamur: At in religione, si ab gehenna liberari cupimus, omne dominium, rerúmque possessio, omnis carnis illecebra, omnis propria voluntas abiicienda est. Si ergo saluari contendimus, (vt ait Bernardus) à præsenti sæculo nequā, quid adhuc de hoc mundo decernimus? Si exire volumus, quid compedes nostros nobiscum trahere laboramus? Ponamus aureos esse, sed multò melius est sine his liberari, quàm eorum occasione teneri. Non æstimemus pretium, sed impedimētum consideremus, ne præter ipsam, quæ dura satis reputanda est, conditionis necessitatem, etiam cupiditatis visco inhærere hic incipimus, & inanis sollicitudinis nexibus irretiri. Ad hæc itaque animo abiiciēda tantum beneficium diuinæ vocationis nos moueat, & periculum imminens, tum inquietudinis, tum amittendæ salutis instiget. Et his malis mundi consideratis, iam bona religiosæ vitæ, quæ tantùm tetigimus, paulò latiùs audiamus.

[Margin: Bern. ser. de eo quod scriptum est, Beatus homo, qui audit sapientiam, &c.]

PARS SECVNDA.

De bonis vitæ Religiosæ.

BONA religiosæ vitæ, qui vellet omnia conscribere, id ipsum profectò aggrederetur quod qui intenderet cœli stellas numerare. Religiosa enim vita cælum est, aut imago quædam cœli sanctissima, quam sicut stellæ Firmamentum, ita varia ac innumera bona condecorant. Ingressus ipse plurimis bonis plenus est, quæ Deus ad victoriam sæculi, & comitum eius Diaboli, & carnis, & ad noui hospitis in suam domum gratáter admissi consolationem impertit. Progressus innumerabilibus donis, & occasionibus proficiendi refertus, quibus homo ad vitæ puritatem euehitur. Egressus mirabili tranquillitate mentis, & abundantissimis ad beatitudinem acquirendam auxiliis cumulatus. Atque adeò, qui niteretur hæc omnia minutatim edicere, priùs vitam, etsi longam acciperet, & omni alia occupatione vacuam, quàm scribendi materiam definiret. Quamobrem, ne quod breui narratione dici non potest, dicere præsumamus, sola ea vitæ nostræ bona, quæ Sanctus Propheta Ezechiel tangit, explicemus. Ille autem sic habet: transiens autem per te, vidi te conculcari in sanguine tuo. Et dixi tibi cùm esses in sanguine tuo: Viue. Dixi, inquam, tibi: In sanguine tuo viue. Multiplicatam quasi germen agri dedi te, & multiplicata es, & grandis effecta, & ingressa es, & peruenisti ad mundum muliebrem: vbera tua intumuerunt, & pilus tuus germinauit: & eras nuda, & confusione plena. Et transiui per te, & vidi te: & ecce tempus tuum, tempus amantium: & expandi amictum meum super te, & operui ignominiam tuam. c. 16. 6.

mercatur? Hoc faciunt oculi Domini splendidiores vino, qui animam illustrantes immenso lumine sapientiæ perfundunt, quo honoris mundani vilitatem aduertat, & a rebus caducis ac perituris alienant. Pulchriores sanè oculi eius vino, quia vinum homines à sana mente in insaniam transfert, oculi autem Domini ab horrore tenebrarum in luminis locum traducunt. In illum (inquam) locum, in quo mundus pro Deo deseritur, bona vilissima pro pretiosissimis relinquuntur, Domus angustiæ pro regia voluptatis aula commutantur. Hi oculi sunt, qui nos dissimulantes inuitarunt, vt properaremus exire sicut Noe de tempestate diluuij ad quietem arcæ: sicut Loth de incendio Sodomæ ad refrigeriū montis: sicut Israëlitæ de captiuitate Ægypti ad libertatem terræ promissæ, & sicut pueri Hebræi de fornace Babyloniæ ad locum, quem fecit Deus quasi ventum roris flantem. Hi oculi sunt sicut columbæ super riuulos aquarum, quæ lacte sunt lotæ.] Columbà namque felle carens, riuos aspiciens aquarum, & lacteo colore, ac suauitate suffusa, quid mirum, si oculos Christi designet, qui neque aspectu peccatorum nostrorum, ad iram permouentur, nec miserationis suauitatem amittunt, nec se ab aquarum riuulis auertunt, id est, ab exiguitate nostra, quæ semper instar aquæ decurrit, & numquam in eodem statu subsistit? Vidit te, ô anima, Deus tuus, vidit te, non pulchram, sed deformem, non mundam, sed turpem & conculcatam in sanguine tuo: & simplicitate, ac mansuetudine columbina respiciēs, non est ira commotus, nec indignatione perturbatus, sed misericordiæ dulcedine tactus intrinsecus, quod sequentia Ezechielis verba demonstrant.

Genes. 6. 18. Gene. 19. 17. Exod. 12. 51. Daniel. 3. Cāt. 4. 1.

De vocatione religiosa, & quòd homo beneficio eius vocetur ad vitam.

CAPVT XIII.

ET dixi tibi (inquit) cùm esses in sanguine tuo, Viue. Dixi, inquam tibi in sanguine tuo; Viue.] Hoc est primum religiosæ vitæ beneficium, quæ à diuina vocatione exorditur. Diuina verò vocatio nulla alia voce commodiùs explicari potuit, quàm hoc verbo, Viue. Nam cùm quis ad religionem vocatur, à faucibus mortis eripitur, & vocatur ad vitam. Nam in sæculo, Christo moriebatur, & morti viuebat, dum omni sceleri, & iniquitati habenas suæ cupiditatis laxabat: in cætu autem eorum, qui se Deo consecrarunt, morti moritur, & Christo, qui est vera vita, viuit, cùm vitiis, ac iniquitatibus abdicatis operibus vitę, scilicet virtutis, & sanctitatis actionibus vacare contēdit. Sed qua ratione Dominus eos, quos amat, vocet, & ad vitam religiosam trahat, attenta est consideratione videndum. Sūt enim homines vitam sæcularem agentes, si prauis cupiditatibus gubernentur, tamquā ossa arida, nullo spiritus vigore fulcita, nullo carnis, ac neruorum vinculo copulata, nullo cutis operimento contecta. Neque spiritum gratiæ habent, quia peccatis se subdiderunt, nec charitatis nexum, quia propria commoda (nulla habita proximorum ratione) intemperanter quæsierunt, nec virtutis operculum, quia eam à se vitiis ac criminibus abdicarūt. Dominus autem, vt eos vocet, vnicuique ipsorum dicit, Viue.] Clamat certè voce grandi, illa, inquam, voce, de qua scriptum est. Vox Domini in

Ezech. 16. 6. *Psal. 28. 4.*

A virtute, vox Domini in magnificētia.] Intonat voce virtutis & dicit. Ossa arida, audite verbum Domini.] Fugite de medio Babylonis, & saluet vnusquisque animam suam.] Et tunc quidem, ecce commotio, & accedunt ossa ad ossa, vnumquodque ad iuncturam suam, & ecce super ea nerui, & carnes ascendunt, & extenditur in eis cutis desuper, & ingreditur in ea spiritus & viuunt, & stant supra pedes suos, exercitus grandis nimis valdè.

Ezech. 37. 4. Iere. 51. 6.

Primò adest commotio, cùm ij, qui vitam religiosam sunt aggressuri, à somno vitiorum excitantur, in quo iacebant pene sepulti, & de nouo vitæ genere secundo, meditari incipiunt. Secundò, accedunt ossa ad ossa, vnumquodque ad iuncturam suā, cùm
B institutum sibi accommodatum, & à diuina prouidentia præordinatum, accipere statuerunt. Tertiò, fortitudinis neruos acquirunt, quibus mundo blandienti, & status mutationem impedienti, resistunt. Item molli carne vestiuntur, secundum illud. Auferam à vobis cor lapideum, & dabo vobis cor carneum.] Quo spontaneè & sine vlla difficultate, quæ suspiciebant, contemnunt, quæ amabant, relinquūt. Deinde, cute prudentiæ se contegunt, qua concepta desideria à consanguineis & amicis, ne clament, & perstrepant, sapienter abscondunt: postea spiritu amplioris gratiæ viuificantur: (nam omnia, quæ hucusque diximus, gratiæ sunt) & illo ditati negotium bene consideratum, & impensè commēdatum grauiter aggrediuntur. Ac rursus viuunt, cum omnia,
C quæ mortem afferebant, in ipso ingressu religionis, per veram detestationem deserunt, & modo viuendi placido, atque tranquillo semetipsos subiiciunt. Et tandem stant supra pedes suos, imò & super omnia terrena & visibilia per contemptum mundi, consistunt exercitus grandis nimis valde, qui possit alios vitæ suæ imitatione, & efficacia verbi à morte liberare, & ab hostium incursione defendere. Hæc omnia facit Dominus verè magnus & potens cùm animabus in sanguine suorum vitiorum iacentibus, dicit, Viuite.]

Ezech. 11. 19.

Audita hac voce, Viue:] qui abducuntur à morte, & inuitantur ad vitam, sine dubio viuūt, quia à corruptione peccati liberantur, à morte vitiorum suscitantur, & natali quodam spirituali nascuntur. Nasci
D quippe est, veteres mores deserere, & nouos assumere. Nascitur homo (inquit Bernardus) quando Sol iustitiæ ortus in animo peccatorum illuminat tenebras, horrendumque Dei iudicium internis obtutibus offert addens ad terroris vinculum breuem dierum numerum, & finem incertū. Hæc plane vespera est, ad quā demorabitur fletus, & necesse est addi matutini lætitiam, vt auditam faciat nobis misericordiā suam: sic enim fit vespere, & mane dies vnus. Est autem dies ista iustitiæ, reddens vnicuique quod suū est, nobis miseriam, misericordiam Deo. In hac die puer nascitur, quando ex his, quæ diximus, ad amorem pœnitentiæ & odium peccati animus excitatur.] Vbi autem hæc natiuitas cum magna tranquillitate habeatur, subdit, dicens: sed periculum est
E si fortè velit inter sæculi turbas agere pœnitentiam vbi nimirū alij venenatis persuasionibus, alij vndique exemplis peioribus ad peccatum alliciant; alij adulationibus in vanam gloriam alij detractionibus in intemperantiam animum eius deiiciāt. Præcedat iam necesse est prudentiæ radius, ostendat quantas, & quàm importunas (præsertim in hac generatione nequam) opportunitates, & occasiones peccati offerat mundus, & ingerat: quàm debilis sit ad illas humanus animus, maximè qui in peccati cōsuetudine sit nutritus. In hac ergo die, prudentiæ eligat de

Bern. ser. 3. de circum.

præsenti

præsenti sæculo nequam fugere, dicens cũ Prophetia, Odi Ecclesiam malignantium, & cum impiis non sedebo.]Et optimè sanè vocat istum prudentiæ diem, in quo homo ad conseruandam vitam animæ, religiosam vitam, & ab illecebris sæculi auulsam assumit. Quoniam si prudentiæ est ea cognoscere, quæ vtilia sunt ad finem,& cognita eligere, & electa, vt executioni mandentur, constanter præcipere. magna certè prudentia est volentis ad gratiæ vitam peruenire, aut iam adeptam, integram illibatámque seruare, si sæculum fugiat, si Ecclesiam malignantium odio habeat, si cum impiis ac peccatoribus non sedeat, inter quos vitam animæ non facilè quis assequitur: adepta verò magnopere periclitatur. Huic sine dubio conuenit illa Dauidis laus: Beatus vir qui nõ abiit in consilio impiorum,& in via peccatorum non stetit, & in cathedra pestilentiæ non sedit.] Quoniam ab impiis,& peccatoribus se subtrahens,& inter iustos, sanctos, & simplices seipsũ abscondens, vtique neque sedebit, neque stabit, neque ambulabit cum impiis peccatoribus, & pestilentibus, quorum doctrina, cõsilio, & exemplo homines à vita studiosa, quæ vera vita est, auertuntur & ad vitam vitiosam, quæ verè mors est, incitantur.

Psal. 25. 5. — *Psal. 1. 1.*

Hæc igitur fuga sæculi, hæc diuinæ vocationis auditio, hæc huius vocis acceptio, qua dictum est animæ; Viue,] est natiuitas perseuerãs, qua cœpit viuere Deo, vt si velit, facillimè iam numquam ipsa moriatur. Nam in sæculo nonnumquam sanè Deo viuitur, dum quis peccatis valedicit,& pœnitentiæ gemitibus suscitatur, tamen hæc vita, quia multis subiecta periculis, negligentia ac incuria hominum interrumpitur sæpe, & pro spirituali morte commutatur. At in cœnobio animæ vita multò conseruatur faciliùs, cùm occasionum ademptio, regularũ instructio, clamores senum, exempla feruidorum, prælati cura,& ipsa vocationis gratia eam tueatur, atque custodiat. Certè in mundo morimur: omnia enim, quæ oculis aut auribus percipimus, mortem absconditam,& inuolutam afferunt: & in religione viuimus, quia vniuersæ actiones eius, vitales sũt. & vniuersa, quę sensibus ingerit, qualia sunt, ciborum parcitas, indumentorum asperitas, orationum iugitas,& frequẽtia correctionis, instigant ad vitã. Cùm ergo quis ad religionẽ vocatur, ad vitam vocatur,& à Domino illi dicitur; Viue.] An non est vita status ille, quo mẽs nutritur auxiliis, augetur meritis, & vt apta sit generãdis in Christo filiis, potens efficitur? An nõ est vita modus ille viuẽdi, cuius cultores pro consuetudine exercitatos habent sensus ad discretionem boni, & mali, qui inter bona, & mala, sensu spirituali, discernunt, vt ista vitent, illa amplectantur,& inter maiora,& minora bona, vt illa eligãt, & minoribus bonis præponãt? An non est vita, vbi reperitur assiduus in cælum motus. & gressus nostri non in miseriam, sed in fœlicitatem diriguntur, vbi intellligẽtia ab ignoratione purgata,& à distractionibus expedita, diuini luminis claritate perfruitur? Denique nõnne vita dicenda est, in qua cælestis cibus offertur, amaritudo abnegationis dulcescit, & pacatus somnus, id est, interna securitas, inuenitur? Sed hæc religionis propria sunt.

Quadrat re vera in eius professores illud, quod de Israëlitis dicit Achior. Egressi mare rubrum, deserta Sina montis occupauerũt, in quibus numquam homo habitare potuit, vel filius hominis requieuit. Illic fontes amari obdulcati sunt eis ad bibendum, & per annos quadraginta annonam de cælo consecuti sunt. Vbicumque ingressi sunt sine arcu, & sagitta,& absque scuto & gladio, Deus eorum pugnauit pro eis,& vicit,& non fuit qui insultaret populo isti. Quotiescũque autem præter ipsum Deum suũ, alterum coluerũt, dati sunt in prædam, & in gladiũ, & opprobrium]Longum esset cætera recẽsere, quæ religiosis ordinibus nõ esset difficile accommodare, sed vt, quæ proposito magis conueniũt, attingamus, contenti erimus, quædã ex ipsis, maximè ad religiosos spectantia, qui deserta huius mundi petierunt, iuxta sensum mysticum illis explicare. Hi enim non contenti mare rubrum traiecisse, id est,(vt interpretatur Origenes) gratiã baptismatis inuenisse, deserta montis Sina, id est, statum religiosum occupant: Illo Psalmographi verbo delectati, Ecce elõgaui fugiẽs, & mansi in solitudine. Expectabam eum, qui saluum me fecit à pusillanimitate spiritus & tempestate.] Illa quidem deserta à malis, & plena bonis incolunt, in quibus homo numquã habitare potuit, ille scilicet, qui humanos affectus nõ abnegat,& prauas cupiditates non relinquit,& in quibus filius hominis carnales patres non deserit, vt possit dicere: Pater meus, & mater mea dereliquerunt me, Dominus autem assumpsit me.]Nec mirũ esse debet, quod nũc religiosam vitã desertum appellẽ, cùm supra sæculum desertum vocauerim, quoniam(vt egregiè dixit Richardus Victorinus) est desertum aliud bonum, aliud malum: Desertũ malũ est, vbi desunt germina virtutũ; desertum bonum, vbi longè sunt tumultus vitiorũ. Desertum est,& malum desertum, vbi nulla cultura hominum, vbi nullũ est sanctitatis vel religionis studium. Itẽ, desertũ est, sed bonũ, vbi nullus strepitus tumultuationis, sed in silentio auditur vox turturis,& gemitus non cessat ex desiderio diuini amoris. Desertum igitur malũ est, vbi desunt desideria cælestia, desideria spiritualia. Desertũ bonũ, vbi procul desideria sæcularia, desideria carnalia.]

Iudith. 5. 14. — *Orig. ho. 5. in Exodum.* — *Psal. 54. 8.* — *Psal. 26. 10.* — *Richard. in Ps. 28.*

Est ergo sæculum, desertum malũ: religiones autẽ, deserta, & solitudines bonæ, in quibus ea desunt, quæ animæ possunt officere,& ea abũdant, quæ possunt salutẽ veram,& desideratam puritatem afferre. In his solitudinibus pinguescent religiosi, tamquam speciosa deserti, & exultatione tãquã colles accingentur, quia fontes amari propriæ abnegationis, & corporalis afflictionis sibi dulcescũt, & pane de cælo allato reficiuntur, qui nihil aliud est, quàm omnis virtutis exercitatio,& diuinæ consolationis assecutio. Ibi etiam tamquam in lecto securi quiescunt à metu paupertatis,& ignominiæ,& ab aliis sollicitudinibus elongati, quia non timent, quod amant, & quod totis votis exoptant. Quare optimè dixit Bernardus. In Ecclesia quidem lectulum, in quo quiescitur, claustrum existimo esse,& monasteria, in quibus quietè à curis viuitur sæculi, & sollicitudinibus vitæ. Atque is lectulus floridus demonstratur, cùm exemplis, atque institutis patrũ, tamquã quibusdam bene olentibus respersa floribus, fratrũ conuersatio, & vita refulget.]Lectulus planè est vita religiosa,& lectulus floridus: lectulus, quia religiosi in eo non tãtùm quietè viuunt, verùm & calore spiritus tepescũt: floridus verò, quoniam humilitate, paupertate, castitate, obedientia & aliis Sanctorum patrum virtutibus exornatus, ita in se quiescentes allicit, vt numquam ab eo velint discedere, neque ab ea quam percipiunt, suauitate elongari.]Status hic, cui prædicta bona tam propria vitæ iucundæ, & tranquillæ, insunt, iure optimo dicitur vita,& cùm ad eum, ô homo, vocatus es, dictum est tibi, Viue.]Et auctum est beneficium, & misericordia cumulata, quòd cùm conculcaretis in sanguine peccatorum, non est tibi iracundè dictum; Morere: nec es in locum pœnarum deiectus, sed est tibi misericorditer inculcatum; Vi-

Bern. ser. 36. in Cã. — *Psal. 4. 9.*

ue:qua voce Dei,es mirabiliter translatus ad vitam.

Sed si cùm vocamur ad religionem, in vitam adducimur,quare mortui, & non potiùs viuentes appellamur?Nam Gregorius religiosos mortuos,& nō vitam agentes, vocat. Sunt (inquit) nonnulli iustorum,qui ad comprehendendum culmen perfectionis accincti,dum altiora interiùs appetunt, exteriùs cuncta derelinquunt, qui se rebus habitis nudant, gloria honoris expoliant, habere de exterioribus consolationem nolunt, qui internis gaudiis, dum mente appropiant, vitam in se funditus corporeæ delectationis necant. Talibus námque per Paulum dicitur:Mortui enim estis,& vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Cùm Christus apparuerit vita vestra,tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria.] Si ergo vitam religiosam ad hoc suscipimus,vt vitàm nostram deseramus, ad mortem potiùs trahimur,nec dictum est nobis, Viue, vt de morte transeamus ad vitam.Imò potius hoc ipsum mori,& nos mortuos vocari, manifestum indicium est in aliam vitam præstantiorem,& non fictam,sed veram trāsferri.Nam sicut in naturalibus,lignum corrumpitur, vt ignis generetur,& granum frumenti moritur, vt iterum auctum & multiplicatum viuat, vnde in huiusmodi transmutationibus duplex semper intercessit mutatio altera,qua amittitur aliquod esse imperfectum: altera qua acquiritus esse perfectum: ita in hac religiosa vocatione, homo sæculo moritur, & ob hanc causam, mortuus vocatur, sed viuit Deo, vt non mortuus, sed potius viuens appelletur.Est ergo religio quædā suauis, & pretiosa mors, qua religiosi moriuntur sæculo, vt Deo viuant, ac cælestibus desideriis. Omnino fœlix mors (ait Bernardus) quæ sic immaculatum seruat, imò penitus alienum facit ab hoc sæculo, sed necesse est, vt qui non viuit in se, viuat Christus in illo. Hoc est enim quod ait Apostolus:Viuo autem,iam non ego, viuit verò in me Christus. Ac si diceret: Ad alia quidem omnia mortuus sum,non sentio, non attendo, non curo,si qua verò sunt Christi,hæc viuum inueniunt, & paratum.Nam si non aliud possum, saltem sentio placet,quod ad eius honorem fieri video,displicent, quæ aliter fiunt. Esto ergo quòd vita religiosa sit mors,sed mors qua vitam carnis exuimus, vt vitam spiritus induamus:mors, qua sensus & affectus inordinatos deponimus, vt operibus internorum sensuum,mētis & charitatis actibus occupemur: mors, qua mundum istum corruptibilem.id est, seculi huius molestias & curas relinquimus,vt alterius mundi potioris & incorruptibilis, nempe spiritualis & perfectæ vitæ habitatores simus:Quid mihi si quod de se putridum est, hac morte putrescat,& quod vanum est,abeat,& quod vitiosum est intereat, dummodo vera bona & solida & pretiosa salua permaneant?Cùm etiam si possent vtraque simul existere, melius sit illis carere, & ista sola possidere,reiectísque incommodis sæculi,solis veris bonis abundare? Quid hac morte pretiosius?Quid vtilius? Quid suauius inuenitur?qua homo ea, quæ molestiam adferunt,nec aduertit,nec sentit, ea verò, quæ spiritualem voluptatem, ac tranquillitatem tribuunt, tamquam verè viuens,percipit,& in augmentum perfectionis aduertit?

Hæc est illa bona,& pretiosa mors,de qua inquit Ambrosius:Nónne vnusquisque in hac vita positus speciē mortis imitatur,qui potest ita se agere, vt ei moriantur omnes corporis delectationes,& cupiditatibus omnibus, mundique illecebris etiam ipse moriatur?Sicuti mortuus erat Paulus, dicens: Mihi enim mundus crucifixus est, & ego mundo.] Denique,vt sciamus, quia est mors in hac vita, & bona mors hortatur nos,vt mortem Iesu in corpore nostro circumferamus Qui enim habuerit in se mortem Iesu,is & vitam Iesu in corpore suo habebit. Operetur igitur mors in nobis,vt operetur & vita] Hæc igitur mors,qua sæculo morimur,vitam veram non tollit,imò eam infert,atque adeò nobis mundó mortuis,à Deo potentissima voce dicitur, vt viuamus,& à morte transeamus ad vitam.

Gen. 1. mor. c. 15.

Coloss. 3. 3.

Bern. ser. 7. in quadrag.

Ad Gal. 2. 20.

Amb. lib. de bono mor. c. 3.

Ad Galat. c. 6. 14.

A

Qui ita moriuntur,audiunt ex ore Pauli. Mortui estis,sed vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.]Mortui sūt hi deliciis,mortui diuitiis, mortui vanis amicitiis,mortui mūdanis sollicitudinibus,ac desideriis.Hanc autem mortem admiserunt,nō quia mors est,sed quia iter ad vitā est:non vt mortui perseuerent:sed vt in meliorem vitam resurgant.non vt maneāt sine vita,sed vt securam habeant vitā,possidētes eam absconditā cum Christo in Deo. Moritur religiosus malæ & carnali vitæ,vt viuat spirituali & bonæ.Quid enim prohibet, si illi accommodemus, quod idem Apostolus,astruēs carnis resurrectionē, affirmauit?Seminatur in corruptione, surget in incorruptione,seminatur in ignobilitate,surget in gloria:seminatur in infirmitate,surget in virtute,seminatur corpus animale,surget corpus spirituale.] O quoties hāc resurrectionē mirabilē in fratribus nostris cōspeximus!Cōspeximus,& eius causa Deū toto corde laudauimus,vidētes,quia ipse vitæ,& mortis habet imperium,mortem animæ pellens, & vitā spiritualem attribuens. Nam si ingressus in religionem,veluti quædā hominis seminatio est, qua teritur,vt mundo mortuus,Deo reuiuiscat, & fructum spiritualem afferat.Quis nō vidit sæpe seminari hominem vitiis corruptum, & post non multos dies, virtutum incorruptionem acquisiuisse?Quis non vidit seminari hominem affectuum vilitate ignobilē, & mortificationis exercitio,viles affectus cohibuisse,& gloriam cælestium desideriorum comparasse? Seminatur homo infirmus, qui existimabat se præcepta seruare nō posse,& subitò fortis euadit, nam, & præcepta custodit,& onus regulæ facilè sustinet. Seminatur tandem animalis homo, non percipiens ea,quæ sunt spiritus Dei, & surgit post paucos dies vir spiritualis,omnia diiudicans: qui inter malum, & bonum,bonum & melius oculo discretionis discernit,vt semper meliora optet, & ad perfectionem aspiret. Quidnam est hoc? nisi quòd religiosa vita interitus est, & resurrectio mors & vita est, mors sæculi,& carnalium affectuum, & resurrectio in vitam spiritualem, atque perfectam, quæ vitæ cælestis imaginem præferat? Bene ergo cùm religionem ingredimur,vocamur ad vitam.

B

C

D

Ex hoc autem elieiamus oportet, nos qui hanc vocem Domini audiuimus: Viue: & ad vitam religiosam admissi sumus,debere omninò curas rerum terrenarum deserere,mundo mori, & soli Deo, ac desideriis cælestibus viuere. Nam quid magis præposterum, quàm, quòd religiosus viuat sæculo, cui mortuus est,& moriatur virtuti, & sanctitati, cuius vitam affectauit?Quid miserius, quàm eius mortis, cui renūciauit,occupationes suscipere,& eius vitæ, quam appetiuit,studia renuere?Quid calamitosius, quàm mortuum mundo, numquam resurgere,& ad vitam spiritualem, quæ vera vita est, non euolare? Mortui sæculo sumus, (inquit Ambrosius)quid adhuc sæculo deseruimus? Mortui sumus cū Christo, quid adhuc vitæ huius actus requirimus? Mortem enim Christi in corpore nostro circumferimus, vt & vita Christi in nobis manifestetur. Non ergo iam nostram illam vitam, sed Christi vitam viuimus, vi-

E

Coloss. 3. 3.

1. Cor. 15. 43.

Amb. lib. de fuga saculi c. 7.

tam innocentiæ, vitam castimoniæ, vitam simplicitatis, omniumque virtutum. Cum Christo resurreximus, in ipso viuamus, in ipso ascendamus, vt serpens calcaneum nostrum, quod vulneret, in terrenis reperire non possit.]

Qui ergo hanc mortem, & hanc vitam profiteris, morere actibus mortis, qua mortuus es, & viue vitæ, qua, habitu & professione viuis. Quis adeò desipit (ait Chrysostomus) vt mortuo corpore, corpori sepulto, aut famulos coëmere, aut ædes struere, aut pretiosa indumenta comparare cupiat? Et, vt similitudinem ad propositum perficiam, Quis adeò insanus est, vt viuenti, corpori, nec cibum, nec vestem, nec domum parare studeat? Hoc autem tu facis, dum in religione positus, non spiritualiter, sed carnaliter viuis. Es enim tu veluti duo, quoniam alter mortuus est sæculo, alter verò viuit Christo. Sed illi mortuo, vel (vt clariùs loquar) tibi mundo mortuo, mundana sollicitè quæris, delicatos cibos, pretiosas vestes, pecunias, & equos, & apparatum sæcularem paras, honores, laudationes, applausus, & dignitates conquiris, & tibi viuenti iam Christo, nec orationis cibum parare, nec virtutum vestes assuere, nec domum cordis tui, in qua pacatè habites, ædificare studes.

Chrys. ad Col. hi. 7.

Et hic miseriam illã à Salomone animaduersam conspicio. Est & aliud malum, quod vidi sub sole, & quidem frequens apud homines; vir, cui dedit Deus diuitias, & substantiam, & honorem, & nihil deest animæ suæ ex omnibus, quæ desiderat, nec tribuit ei potestatem Deus vt comedat ex eo, sed homo extraneus vorabit illud.] Hoc malum sub sole est, neque enim vsque ad te peruenisset si supra solem, & super omnia mundana tuos affectus (vt decebat) & cogitationes attolleres: & frequens apud eos, qui ac si essent homines de prudentia, ac rerum peritia se iactant, quibus te ipsum adiungis, eo ipso quòd mundum reliquisti. Hoc autem malum, & hæc miseria tibi euenit, si in religiosa vita sæculares adhuc retines mores. Tu es enim ille vir, cui Deus diuitias, substantiã, & honorem contulit, & ob magnam negligentiam tuam, vtendi his bonis non habes potestatem. An non diuitiæ sunt, & maximæ, ingentia illa beneficia superiùs commemorata, quæ in statu religioso continentur? An non diuitiæ sunt alia dona cælestia, quæ iam explicate pergimus? An non diuitiæ sunt auxilia illa diuina, omnibus religiosis in communi prærogata, quorum præsidio alij fratres tui profecerunt spiritu, & ad magnum perfectionis gradum peruenerunt? An non est ampla substantia tot perfectiorum exempla, quæ te instruunt, adiuuant, & ad imitandum instigant? An non est honor ille, qui magnatum, & regum honorem excellit, quo vniuersi te prosequuntur, quia viri spiritualis habitum gestas? Num verum non est nihil tibi deesse, vt sanctè viuas, & vitia ac peccata tua funditus perdas? Et tamen laqueis tepiditatis illigatus, has omnes diuitias habes otiosas, quas extraneus, id est, Diabolus, deuorat, dum eas inutiles ac infructuosas in te esse considerat. Istæ sunt diuitiæ conseruatæ in malum domini sui: de quibus sic per Salomonem locutus est Dominus. Est & alia infirmitas, quam vidi sub sole, diuitiæ conseruatæ in malum domini sui. O infirmitas periculosa, ô languor pessimus has veras diuitias possidere, quibus iusti vitam beatam mercantur, & illis non vitam sed ignominiam, & vitæ spiritualis discrimina, propriam salutem non curantibus parata mercari. Quoddam genus languoris est, quo cibi saluberrimi stomacho ingesti in pessimos humores conuertuntur, qui naturalem colorem obruunt, & paulatim vitam eripiunt. Talis est ægritudo auaritiæ, quæ, dum auarus multas diuitias deuorat, & numquam liberaliter erogat, in duritiam & immisericordiam commutat. At hæc infirmitas est multo nocentior, qua dona Dei tam magna in sudario tepiditatis ligasti, nec, vt merita cumularent, ad mensam attulisti, quanto peius est meliora & pretiosiora suo emolumento priuare. Vide ergo tu qui religiosæ vocationis possessor es, ne eam serues in malum tui. Quod autem sit hoc malum, audi: Iudæis non excipientibus Christum, dictum est, Ideo dico vobis quia auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius.] Nomine autem regni Dei, Dominus vel seipsum, vel Ecclesiam, vel sacræ Scripturæ verum sensum intellexit. Hoc ipsum erit malum tuum si spiritualibus hominis diuitijs negotiari contempleris. Nam fortè Christus ipse te deseret: fortè, si non ex Ecclesia, & ex securissima eius arce, nempe ex statu religioso deturbabit: fortè à luce rerum spiritualium, qua sustentabaris, eiiciet.] Si ergo audisti à Domino te vocante hanc vocem; Viue,]ne amplius fœtore vitiorum, & squalore peccati sordescas, sed viue tamquam inuitatus, & adductus ad vitam.

Eccl. 6. 1.

Eccl. 5. 12

Matt. 21. 43.

De auxilijs gratiæ homini in vita religiosa attributis.

CAPVT XIIII.

VITA hæc, quam statum religiosum suscipientes aggressi sumus, non est vita bonorum indiga, sed opum, ac donorum cælestium satis abundè referta. Cùm enim sit veluti palatiũ regale, & domus magni Dei nostri, quã verus Salomon Christus extruxit, & cõsecrauit ad adolendũ orationis incensum corã Domino, & fumigãda sanctorũ desideriorum aromata, & ad propositionem panũ, hoc est, bonorum operum, sempiternã: æquũ erat, vt famuli, seu aulici huius domus Dei, quales sunt religiosi nõ essent pauperes id est, spiritualibus bonis carẽtes, sed diuites, qui huiusmodi bonis, ac diuinis donis affluerent. Has autem spirituales opes Dominum animæ religiosæ largiter suppeditasse, verba sequentia subindicant Multiplicatam (inquit) quasi germen agri dedi te, & multiplicata es.] Hæc multiplicatio diuitias amplissimas, id est, gratiæ subsidia, quæ religiosis dantur, significat. Statim enim atque Deus aliquem in hunc præstantissimum statum admittit, instruit illi amplissimam domum, parat speciosissimã supellectilem, tribuit copiosas diuitias, vt tamquam filius regis habeat, non tam quò liberaliter insumat, quàm quò gaudia cælestia lucretur. Harum diuitiarum nomine, quibus anima Deo dicata multiplicatur, gratiæ auxilia, & influxus intelligo: Sunt quippe, non solùm comites, sed etiam omnium actionum virtutis ac vniuersæ perfectionis exordia. Taceo nũc illã manentẽ affectionem, animo infusam quam gratia nũcupamus, quæ mors efficit Dei amicos, diuinæque naturæ consortes. Prætereo virtutes, tum intelligentiæ, tum voluntati tum appetitui inditas, sodales, & pedissequas gratiæ, & charitatis. Sola illa gratiæ auxilia commemoro, quę in actione consistunt, & meritò appellauerim actuosa, quia animum mouere, & instigare nõ cessant, vt in dies meritis crescat, & virtute proficiat. Huiusmodi autem sunt afflatus quidam diuini, qui intellectum illustrant, & suauiter de bonis erudiunt, & cuiusque rei

1. Paral. 2. 4.

Ezec. 16. 7.

aut valorem, aut vilitatem aperiunt, incitationes, & promotiones voluntatis, quæ ipsam roborant, instigant, & ad opem perfectionis inflammant: vires, & velut nerui ipsi corpori adiecti, vt imbecillitate sepolita, onera disciplinæ religiosæ & abstinentiæ, ac vigiliarum, & aliorum laborum afflictionem supportet: ac tandem subsidia, prout cuique opus est, à Christo redemptore nostro mirabiliter attributa. Nam egregiè dixit Basilius. Omnis naturæ, tum in hac creatura visibili, tum in intelligibili, ad hoc, quod consistat, Dei cura egentis, conditor est Sermo, videlicet vnigenitus Deus, quantùm cuique opus est opem distribuens. Varia quidem & omnis generis auxilia, ob varietatem eorum qui beneficio iuuantur, vnicuique tamen congruè, iuxta necessitatis modum; auxilia dimetitur. Eos, qui in tenebris ignorantiæ detinentur, illuminat; propterea lumen verum dicitur. Iudicat, iuxta operum dignitatem remetiens præmium, ob id iudex iustus dicitur: Pater enim neminem iudicat, sed omne iudicium dedit filio.] Erigit è ruina, qui è sublimitate vitæ ad peccatum delapsi sunt, ob id vocatur resurrectio. Omnia autem facit, contactu virtutis, ac voluntate bonitatis operans. Pascit, illuminat, alit, deducit, medetur, erigit. Quæ non sunt, ea facit vt sint; condita conseruat.] Quibus optimè exponit, quid nomine auxiliaris gratiæ, aut diuinorum auxiliorum, Doctores intelligant. Omne scilicet illud, quod per Christum Saluatorem nobis datur, vt à peccatis surgamus, vt mentis cæcitatem pellamus, vt in bono incipiamus, progrediamur, & perseueremus.

Basil. lib. de Spiritu sancto c. 8.

Ioan. 5. 22.

Hæc autem auxilia, quanta sint, & quàm abundè religioso tribuantur, quis sufficiet explicare? Certè hoc attentè cogitans, dicere cum Salomone compellor, Thesaurus desiderabilis, & oleum in habitaculo iusti.] O quantus Thesaurus sapientiæ in mente iusti abditus, quo repentè diues bonorum sensuum efficitur, & auratam mundi pellem agnoscit, & quam alij tantopere exoptant, ipse vt vilissimam ridet, & contemnit! O quàm suaue deuotionis oleũ in iusti voluntate reconditum, nam eo tamquam strenuus pugil inunctus, in laborum certamine perstat insuperabilis! O quantis & quàm assiduis præsidiis anima religiosa roboratur, cuius stupenda mutatio, & tam breui tempore facta, illa auxilia, aut nescire, aut non planè videre, minimè sanè permittit. Post non multos dies, quòd quis religiosum habitum induit, quàm sibi ipsi dissimilis inuenitur! Delicatus adolescens, & inter delicias, & voluptates enutritus, qui lautè & opiparè vescebatur, & mollissimas vestes induebat: iam cibis insulsis, & malè apparatis vescitur, imò ipsa inedia & fame reficitur, & vilissimo sacco, aut asperrimo cilicio tectus, hilaris & lætus incedit. Voluptuosus, atque illecebris suæ carnis addictus, iam honestatem amat, carnem flagris, vigiliis, & ciborum parcitate domat, & omnem sensum voluptatis exhorret. Ambitiosus, & honorum, famæ, ac dignitatum cupidus, iam pedibus proteri, & conculcari appetit, ignominiam amplectitur, & vilia obsequia, abiecta seruitia, & humiles functiones non erubescit. Opum & facultatum auidus, cuius pecuniæ sitis vniuerso huius noui orbis auro & argento satiari non poterat, iã pauperrima tunica, & tenuissimo vtensilium apparatu, expleta est, & libellũ, aut stylũ, aut aliquid simile in cella superfluũ habere, vt immane crimen deuitat. Antea otiositate dissolutus, iã semper occupatus inuenitur. Loquax silẽtij censurã amplectitur: Iracundus, tamquam onis mansueta, nec prouocatur iniuriis, nec lacessitur contumeliis; nec conuitiis irritatur.

Prou. 21. 20.

Hæc externa sunt, sed quis internam animi mutationem intelligit? Quàm dissimiles cogitationes, quàm disparia desideria, quàm aliæ voluntates mentem religiosi occupant! Quid cogitat? An quomodo ditescet? An quomodo fœtidum corpus ornabit, & voluptatibus ac deliciis explebit? Nequaquam. sed qua ratione commissa peccata diluet, affectus vincet, & semetipsum abnegabit. Quid desiderat? An dignitatem sæcularem consequi, an honorem Ecclesiasticum adipisci; an dominium in alios, & principatum vsurpare? Minimè: sed sui contemptum, occupationem monasterij viliorem, & opportunitatem ad Deo vacandum concupiscit. Quid animo proponit? An vitam in corporis cura & in occupationibus rerum temporalium insumere? Nullo modo, sed in assecutione virtutum, in assidua sanctorum lectione, in sacrarum Scripturarum studio, in iugi rerum cœlestium contemplatione, & in auxilio proximorum, ac in æternæ gloriæ expugnatione occupari. Paupertatem non timet, quia pauperes Christus beatos appellat. Laborem non fugit, quia nemo athleta sine sudore coronatur. De cibo non cogitat, quia fides, aut vera de Deo fiducia concepta, famem non metuit. Non horret super nudam humum exesa ieiuniis membra collidere, quia Dominus secum iacet: squallidi capitis incultam cæsariem non perhorrescit, quia Christus sui est capitis ornamentum, Cœnobij silentium, & cellæ secretum eum non terret, quia paradisum mente deambulat. Scabram sine balneis cutẽ irridet, nam qui in Christo semel lotus est, corporis lotione non indiget. Vniuersa mundi incommoda paratus est sustinere. optimè namque nouit, quia non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.] Hæc omnia quid sunt, nisi gratiæ fructus, diuinorum auxiliorum effectus, cælestiũ diuitiarum compendia, quibus quasi germen agri multiplicatur anima religiosa, & in veræ nobilitatis culmen euehitur?

Mat. 5. 3.

Rom. 8. 18.

Tam subita, & inopinata cogitationũ diuersitas tanta dissimilitudo voluntatum, tam mirabilis operum, & curarum disparitas, non à natura processit, sed à gratia manauit, non opus est solius hominis, sed opus miserentis Dei. Si enim non possumus cogitare aliquid ex nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est,] & nemo potest dicere, Dominus Iesus, nisi in Spiritu sancto,] quisnam suis viribus poterit, non iam magna cogitare, sed insignia perfectionis opera facere? Quis valebit Christum Iesum, nõ tantùm verbis dicere, sed opere confiteri, & in se ipso vitam eius sanctissimam, & mores immaculatos exprimere? Cùm ergo hanc mutationem meditamur, quam Dominus, tum in his, qui nos præcesserunt, tum in fratribus nostris quotidie facit, eius auxilium, ac misericordiam fateri cogimur, & cum ingenti admiratione clamare compellimur, Deus, auribus nostris audiuimus, patres nostri annunciauerunt nobis opus, quod operatus es in diebus eorum, & in diebus antiquis. Manus tua gentes disperdidit, & plãtasti eos, afflixisti populos, & expulisti eos. Nec enim in gladio suo possederũt terram, & brachium eorũ nõ saluauit eos, sed dextera tua & brachium tuum, & illuminatio vultus tui, quoniam cõplacuisti in eis.] Humanæ vires Domine, ad hoc opus præstandum, nequaquã sufficiũt, brachium carnis hanc stupendam mutationem hominis carnalis in spiritualem, præstare non potest: sed fortitudo tua, & fauor tuus, vitiorum gentes deiecit, virtutes inseuit, peccata depulit, & vitam perfectam, à sæculique miseriis auulsam, instituit.

2. Cor. 3. 5.

1. Corint. 12. 3.

Psal. 43. 2.

Hoc

Hoc autem ideò, Domine, quia nos dilexisti, nos ex dilectione vocasti; & in nobis tuæ misericordiæ diuitias demonstrasti. Fatemur ergo, quia iam cœpimus, & alios, quàm antea, nos esse cognoscimus; sed non nobismetipsis hoc opus ascribimus, quia te vera hæc mutatio dexteræ excelsi.

Verè opus est Dei, quod anima in se ipsa præsentiens, suo conditori ascribit purissimo humilitatis affectu, & tantas gratiæ opes sibi tam citò concedi cum ingenti stupore miratur. Quis enim in se opera Domini non miretur, (vt Cassianus ait, hoc argumentum elegantissimè tractans,) cùm insatiabilem vetris ingluuié, & sumptuosam gulæ, perniciosamque luxuriam, ita in se viderit esse compressam, vt vix ipsum exiguum, ac vilissimum cibum, tarò inuitúsque percipiat? Quis non obstupescat opera Dei, cùm illum ignem libidinis, quem naturalem antea, & velut inextinguibilé esse credebat, ita refriguisse persenserit, vt ne simplici quidem corporis motu se sentiat incitari? Quomodo non virtutem Domini contremiscat quisque, cùm homines quondam diros, ac truculentos, qui ad summum iracundiæ furorem, etiam blandissimis subditorum irritabantur obsequiis, ad tantam transisse viderit lenitatem, vt non solùm iam nullis commoueantur iniuriis, sed etiam cùm illatæ fuerint, summa magnanimitate congaudeant? Quis planè non miretur opera Dei, ac toto proclamet affectu: Quia ego cognoui, quòd magnus est Dominus] cùm vel se, vel alium quempiam, ex rapacissimo, liberalem; ex prodigo, continentem; ex superbo, humilem; ex delicato, ac tenero, squallidum, hirtumque perspexerit, & egestate, atque angustia præsentium rerum, etiam voluntariè perfruentem?

Collat. 12. c. 12.

Psal. 134.

Meritò verò religiosus tanta gratia cumulatur, & tantis præsidiis è cælo demissis roboratur, quoniam hæc omnia postulat status, quem Dei amore succensus aripuit. Si enim Dominus aliquem ad magnam dignitatem euehens, solet ei vires necessarias præstare vt dignitatem illam optime, aut ministeriũ exerceat. Si Dauidi attribuit robur, vt Philistæum super eum prosterneret. Si Ieremiæ dedit audaciam, vt Iudæ Reges, Principes, & Sacerdotes argueret Si Ezechieli suppeditauit faciem valentiorem, & frontem duriorem faciebus & frontibus eorum, quos vaticinatione sua increpare debuerat. Et viduæ Iudith, vt Holofernem inescaret, contulit splendorem. Si quos ad prædicationis ministerium vocat, idoneos facit ministros noui Testamenti, vt magnum oneris sibi commissi pondus sustineat: Quid ni religiosis ad statum perfectionis vocatis ea præsidia, quæ diximus, abundanter contribuat, sine quibus statui suscepto satis esse non possunt? Illis imperatum est, vt sint seueri pædagogi carnis suæ, cõtemptores sæculi; persecutores inanis gloriæ; Diaboli, & suarum technarum irrisores Præceptum est illis, vt virtutes colant, orationi se dedant, animi puritatem inquirant, perfectionem sectentur. Operæ pretium ergo fuit, vt ea luce perfunderentur, ea fortitudine animarentur, eo vniuersarum rerum contemptu ditarentur, quo possent virtutem ardentissimè cupere, Diabolum vincere, sęculum conculcare. Et in hoc beneficio, tum religiosorum diuitię, tum sapientia Domini largientis elucet, qui statum paupertatis, statum opum fecit, & innumerabilibus diuitiis amplificauit.

1. Reg. 17. 32.
Ierem. 1. 18.
Ezech. 3. 8.
Iudith. 10. 4.
2. Cor. 3.

Quis namque neget, religiosam vitam, paupertatem amare, paupertaté amplecti, rerum terrenarum indigentiam profiteri, quæ cultores suos rebus, quas possidebãt, spoliat, & vt eas à se abdicent, & non solùm opere, sed multò magis mẽte, & affectu abiiciát, constanter iubet? In hac auté vita mundanæ affluentiæ contemptrice, & paupertatis amatrice, dicitur tibi, ô homo, quòd multiplicatus es, & opibus immensis ditatus, non quidem opibus terrenis, quæ nec molestiam curatum auferunt, nec habendi sitim extinguunt; sed spiritualibus diuitiis, quæ solæ (vt ait Augustinus) veræ diuitiæ sunt, & nostra desideria satiant, ac tranquillitate mentem afficiunt.] Dicitur, inquam, tibi, & verè dicitur, quoniam ita multiplicatus es, vt habeas vnde tibi omnem virtutum supellectilem abundanter compares, & ciuis cælestis dignitatem conquiras. Nam si ille diues vocatur secundùm sæculum, qui aurum & argentum habet, domos amplas & agros fructiferos possidet, aliis rebus pretiosis affluit, vestibus splendidis fulget, honoribus & dignitatibus tumet, & seruis & famulis constipatus incedit: quantò meliùs & veriùs es tu diues, ô religiose vir, abundantissimis auxiliis cumulatus, vt illis tãquam diuitiis veris & solidis, aurum sapientiæ, & argentum diuinorum eloquiorum habeas, & rerum mandanarum instabilitatem & vilitatem agnoscas; cor Christi inhabites, omni aulâ regia spatiosius & pulchrius, in quo lætus, & vt in vita mortali fieri potest, securus quiescas; potentias tuas à rebus terrenis auulsas, tamquam fertiles agros possideas, ex quibus, non spinas & tribulos malarũ cogitationum, sed copiosos mortificationis manipulos colligas, virtutum, velut pretiosarum vestium decore splẽdeas, honore filiorũ Dei gaudeas, & nõ vilissimis mancipiis, sed Angelicis spiritibus comitatus incedas? Diues es illis opibus pretiosis, quas, te nolente, fur non surripit, nec tinea corrumpit, nec ipsa naturalis fragilitas minuit.

August. ser. 35. de verbis Domini.

Homo autem ita cælestibus auxiliis multiplicatus, ac diuinis opibus auctus, germini agri iure optimo comparatur, non quidem illi, quod statím ac exortum est, exuritur, & arescit; sed illi, de quo apud Isaiam legimus, Quia erit germen Domini in magnificentia, & gloria, & fructus terræ sublimis.] Hoc germen Domini Christus est. de quo alio loco scriptum est. Ecce dies veniunt. & suscitabo Dauid germen iustum, & regnabit Rex, & sapiens erit, & faciet iudicium, & iustitiam in terra.] Verè germen Domini, & fructus terræ; germen Domini, quia verbum Patris; & fructus terræ quia filius matris. Vnde Bernardus. Idem germen Domini, & fructus terrę, idem & ipse Dei filius, & fructus ventris Mariæ est, Idem filius Dauid, & Dominus, de quo hodie gaudium eius impletum est, vnde olim præcinẽs aiebat: Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis.] Quomodo enim non Dominus germen Domini? Idem tamen & filius eius, vt pote fructus terræ sublimis, fructus virgę, quę de radice Iesse processit.] Sed huic speciosissimo religiosus confertur germini, & ad eius similitudiné multiplicatur, Quia sicut ille gratiæ donã, gratis, & non ex meritis in principio suæ conceptionis accepit, vt opera mirabilia & stupenda patraret: ita iste diuina hausit adiumenta, à diuina bonitate prærogata in suæ vocationis exordio, quibus in hominem nouum mutatus, secundũ spiritum viueret, & opera carnis ablegaret, Adolescit plane sicut germé agri, Nam sicut illud diuinũ germen quotidie propagabatur: Proficiebat enim (si non habitu ostensione tamen operationum) sapientia, & ætate & gratia apud Deum, & homines.] Ita ad religiosum statum euocatus, dum quotidie pluuia gratiæ, & cælestium donorum irrigatur, sapientia proficit, cùm ab infantium, hoc est, incipientium ignoratione, in proficientium & perfectorum cognitionem ascendit, gratia procedit, dum ab imbecillitate ad animi

Matt. 13. 5.
Isai. 4. 2.
Ierem. 23. 5.
Bern. ser. 6. de Ascens.
Psal. 109. 1.
Luc. 2. 52.

Ephes. 4. 13. robur & fortitudinem transit. Ætate prouehitur: nam à puerilitatibus sæcularibus eductus, & in sensum senilem introductus, occurrit in virum perfectum in mensuram ætatis plenitudinis Christi.] Verè igitur, ô anima religiosa, tamquam germen agri multiplicatam dedit te Dominus, & multiplicata es, si quidem in initio conuersionis tuæ, repentè & ferè sine vllo labore ad tantam amplitudinem ascendisti, & in possessionem tantarum opum admissa es, vt præ amore illarum diuitiarum, mundum vilipenderis, & vniuersa, quæ in sæculo splendent, non corpore tantùm, sed multò magis animo, deserueris.

Quanta sit magnitudo ac sublimitas animæ religiosæ.

CAPVT XV.

NON hîc finem habent, ô anima religiosa, tibi data beneficia Dei, sed postquam donis gratiæ, & auxiliis diuinis es multiplicata, nequaquam vilis & pusilla remansisti; sed grandis effecta es. Grandis dignitate, grandis viribus, grandis & merito. Et quidem de dignitatis magnitudine, posteà dicemus, nunc verò virium & meritorum magnitudinem inspiciamus. Virium autem magnitudinem voco robur animi, parua despicientis, & vilia conculcantis. Quis autem hanc religiosi magnitudinem intelliget? Quis hanc granditatem explicare sufficiet? Quis rogo maior est, qui diuitias appetit, an qui contemnit? Qui dignitates ambit, an qui despicit? Qui regnum concupiscit, an qui conculcat? Quis maior est, qui superbia elatus cum Lucifero intra semetipsum dicit: Ascendam super
Isai. 14. 14. altitudinem nubium,] an, qui humilitate depres-
Philip. 3 8. sus, omnia, cum Paulo, arbitratur stercora, vt Christum lucrifaciat? Non dubium, quin incomparabiliter maior sit magna mundi contemnens, quàm concupiscens, quoniam iste rebus aspectu magnis, re vera paruis, seruit, ille imperat: iste eas suspicit, ille despicit: iste sequitur; ille fugit: iste rebus caducis se inferiorem, ille se superiorem
Chrys. hō. 48. in Apost. agnoscit. Et, vt rectè inquit Chrysostomus: Magna re vera est anima, si affectioni non seruit.] Illa autem suarum affectionum serua non est, quæ rerum labentium amore non tenetur, neque earum illecebris inescatur. Magna sanè est anima, quæ, nec honoris vento & auræ popularis distenditur, nec voluptatibus ac deliciis impletur, nec rerum temporalium abundantia satiatur, sed solus Deus, incomprehensibile vtique bonum, eam replet, ac saturat. O quanta magnitudo solum Deum quærere, solum appetere, solo Deo expleri posse, & alia omnia tamquam arida alimenta, & quæ sustentare non valent, auersari!

Sed hanc miram magnitudinem cum ipso religioso statu conquirit, quisquis verè & ex animo ei seipsum addixit. Est enim status hic, qui ab omnibus rebus mundanis abhorret, & sæculum prætérit, atque contemnit. Est, qui sola cœlestia appetit, & Dei conspectum & possessionem concupiscit. Est, cui dictum est in Numerorum libro: In ter-
Num. 18. 20. ra eorum nihil possidebis, nec habebis partem inter eos, Ego pars, & hæreditas tua in medio filiorum Israël.] Quia licèt aliquem censum, & aliquos

A agros pro victu fratrum in cōmuni possideat, quisque tamen illorum omni abdicato rerum temporalium dominio, & solo tenui vsu rerum vilissimarum contentus, sine quibus minimè vita mortalis transigitur, ad summum bonum tantùm anhelat, di-
cens: Deus cordis mei, & pars mea, Deus in æternum.] Homo igitur in hoc statu constitutus, si tamen non contradicat, & suauiter cooperetur gratiæ Dei, vires & neruos acquirit, vt Pontificum infulas fugiat; Regum diademata rideat, nobilium luxus, gemmas, & pretiosa ornamenta subsannet, potentum diuitias detestetur: & his omnibus rebus spretis, summam filiorum Dei dignitatem ambiat, & sanctitatem, Deique amicitiam, & familiaritatem suspiret. Hic est profectò magnus, qui magna optat, eximia & ingentia, sci-
B licet diuina bona exquirit, parua verò, nimirum vniuersa temporalia pusillis derelinquit. An aliquis tam stultus est, qui magnum putet, quem formicæ & culices magnum existimant? Sed ille magnus corporis mole putabitur, qui giganti comparatus, meritò magnus vocatur, & illo non inuenitur inferior. Ita prorsus non magni sunt nobiles, non magni sunt illustres, & potentes sæculi, quos paruæ formicæ, & minuti culices, imperitum scilicet vulgus, & mundani homines, magnos iudicant; sed magni sunt humiles, magni sunt spiritu pauperes; magni sunt mundanarum rerum contemptores; magni sunt Deum amantes, & venerantes, quos filius Dei, magnus vtique gigas, qui exul-
tauit vt gigas ad currendam viam, magnos existimat. Psal. 18. 6.
C

Hi sunt ad instar Ioannis, magni coram Domino, qui vinum, & siceram non bibunt, & spiritu Luc. 1. 15.
sancto replentur adhuc ex vtero matris suæ, & multos filiorum Israël conuertunt ad Dominum. Magni quidem coram Domino, nam si magni sunt in Scripturis diuinis (teste Origene) iusti, qui non Orig. hom. 11. in Leuit.
transgrediuntur mandata Dei;] quantò maiores erunt, qui perfectæ mandatorum custodiæ adiiciunt multa non debita obsequia, ad quæ, non præceptis impelluntur, sed igne charitatis incitantur? Magni coram Domino, quia sicut Magnates regni, coram summo Rege caput operiunt, non pileo, sed corona, nam cum sederint in circuitu sedis Dei circumamicti vestimentis albis, in capi- Apo. 4. 4.
D tibus eorum erunt coronæ aureæ.] In cuius signum modò caput radunt, & in modum coronæ detondent, vt hæc corona sit futuræ glorificationis insigne. Vinum etiam & siceram non bibunt, quia curas sæculares, & mundanas voluptates nequaquam admittunt. Quid enim per vinum (inquit Beatus Gregorius) nisi cura temporalis exprimi- Greg. in Cant. c. 1.
tur, à qua mens sæcularis cuiuslibet inebriatur vt ad inuisibilia cognoscenda, aut ex toto, aut penè insensibilis reddatur?] Et quid per siceram, nisi dulcedo & voluptas carnis intelligitur? Nam sicera (vt Theoph. lib. 3. allegoriarum in Euang.
Theophilus Alexandrinus ait) est succus dactyli] Sed hoc vinum, & siceram isti magni respuunt, quia non puerorum lacte, infirmorúmque solatiis:
E sed perfectorum pane, diuinis scilicet consolationibus, reficiuntur. Quòd autem Spiritu diuino repleantur, adhuc ex vtero matris suæ, ex his, quæ superiùs diximus, euidenter liquet. Nam ex quo eos pia mater religio in suo gremio suscepit, Spiritus sancti præsidiis abundant, & gratiæ donis repleti sunt. Hi tandem, non tamquam priuati milites pro se ipsis tantùm militant, sed sicut fortes & generosi duces alios Diaboli laqueis eripiunt, ad Dominum conuertunt, & in viam virtutis

Orig. hom. 16. in Numer.

adducunt. De quibus illud Origenis intelligi potest: In populo Dei esse quosdam ita robustos fide, armatosque virtutibus, vt aduersus huius mundi hostes quotidie bella conficiant, & semper in procinctu positos, non solùm semetipsos, sed cæteros, qui per sexum, vel per ætatem, vel per seruitutis conditionem, pugnare non possunt, ab hostium tueantur insidiis, verbo doctrinæ eos, exemplóque vitæ, & commonitionum sedulitate munientes.] Et non incongruè ista religiosis dicimus conuenire. Illi namque sunt (si qui alij) fide robustissimi, qui imitantes innocentem Abel, plurimam hostiam, id est, tum omnia sua, tum seipsos obtulerunt Deo; & nihil sibi metipsis reseruantes, sed omnia relinquentes, suæ magnæ fidei testimonium perhibuerunt, quia in aliam vitam semper mansuram oculos conijciebant, quam omnium rerum mundanarum pretio, & sui ipsorum oblatione mercati sunt. Illi sunt virtutibus instructissimi, quas non communibus operibus quærunt, sed magnis atque extraordinariis assequuntur, & ad sui cordis domicilium habitandum alliciunt. Quibus armati, & seipsos à vitiis, & peccatis, cooperante Dei gratia, liberant, quorum tyrannidi subiacebant, & proximos suos, vita & doctrina à tendiculis inuisibilium hostium defendunt.

Isti re vera magni sunt, nam si tu magnos vocas, quos aliqua dignitas, aut excellentia temporalis illustrat; quos opum, & possessionum, & subditorum copia nobilitat, quos sanguinis, aut generis claritudo magnificat: cur non potiori ratione magnos reputabis, quos amplitudo sanctitatis, virtutum ac honorum cælestium copia, & filiorum Dei splendor exornat? Si tu magnos existimas eos, qui magna concupiscunt, & qui amplissimas reipublicæ dignitates ambiunt, & obtinent, cur non magnos existimabis eos, qui non inter vilissimas mundanorum turbas, sed inter sanctos & amicos Dei, supremum honorem, scilicet Dei conspectum, & familiaritatem exoptant? Hi pro fidei magnitudine (ait Bernardus) digni inueniuntur, qui inducantur in omnem plenitudinem, neque est omninò in omnibus apothecis sapientiæ, à quo Deus scientiarum Dominus arcendos censeat cupidos veritatis, vanitatis nó conscios. Talis erat Moyses, qui audebat dicere Deo: Si inueni gratiam in oculis tuis, ostende mihi te ipsum. Talis Philippus, qui sibi, & suis condiscipulis patrem flagitabat ostendi. Talis & Thomas, qui nisi sua manu tangeret vulnus, & fossum latus, credere recusabat, pusilla fides, sed de magnitudine animi, miro modo, descendens. Talis quoque Dauid, qui & ipse dicebat Deo: Tibi dixit cor meum, exquisiuit te facies mea, faciem tuam, Domine, requiram.] Tales itaque magna audent, quoniam magni sunt, & quæ audent obtinent, iuxta verbum promissionis ad ipsos, quod est istiusmodi: Quemcumque locum calcauerit pes vester, vester erit.]

Bern. ser. 32. in Cant. — Exod. 33. 13. — Ioan. 14. 8. — Ioan. 20. 25. — Psal. 26. 8. — Deut. 11. 24.

Satis profectò ostendunt, se magnos esse, qui magna & eximia huius vitæ bona, quæ principes sæculi diligunt, & cupiunt, & magnis laboribus assequuntur, nimirum, diuitias, honores, & voluptates, ipsi pedibus proterunt, & tamquam vilissima fugiunt, atque alia maiora, & sine vlla comparatione præstantiora quærunt, scilicet, bona cælestia & opes magnorum meritorum, numquam perituras, honores filiorum Dei in perpetuum duraturos, delicias spiritus, quas caro & sanguis non percipit, concupiscunt. Magnanimus certe ille dicitur, qui cùm magna & mirabilia operetur, magnos tamen honores operibus magnis debitos, si non offerantur, non curat, & si offerantur, pro nihilo ducit. Religiosi er-

A go, magnanimi sunt, qui sine vlla dubitatione magna patrant, & pro eis non mundanos honores, sed Dei beneplacitum, & sui virtutem perfectionémque procurant. Magna enim sunt sola virtutis opera, qualia sunt, peccatorum non infamis, sed gloriosa fuga, rerum secularium contemptio, affectuum repressio, humilitatis, sobrietatis, patientiæ, & aliarum virtutum studium, rerum diuinarum contemplatio, & reliqua, quæ mentem perfectè subdunt legi Dei, & ab omni labe vitiorum expurgant. Quare à Salomone dictum est: Melior est patiens viro forti, & qui dominatur animo suo, expugnatore vrbium.] Melior, id est, maior, atque præstantior. Hæc autem omnia, vitæ religiosæ professores, non vtcumque, sed absolutissimè explent, qui in hunc finem, quæ mundus magna putat, reliquerunt, & his B magnis virtutis operibus se totos consecrarunt. Et tamen hæc, non ad consequendas dignitates, & prælationes referunt, non in desiderium laudum humanarum, & inanium honorum deiiciunt, sed ista vniuersa, quæ tantopere apud homines fulgent, nihili reputantes, tum propriæ perfectioni consulere, tum soli Deo placere student. Audi vnum, quem isti omni contentione sequuntur. Neque enim aliquando fuimus in sermone adulationis, sicut scitis, neque in occasione auaritiæ, Deus testis, est, nec quærentes ab hominibus gloriam, neque à vobis, neque ab aliis. Si igitur hi magna faciunt, & magnum honorem mundi contemnunt, magnanimi sunt: quòd si magnanimi, & magni; cùm hominis magni- C tudo, non in mole corporis, sed in mentis dignitate ac præstantia consistat.

Prou. 16. 32. — 1. Thessal. 2. 5.

Anima igitur religiosa grandis est, grandis profectò viribus, quæ tot rerum mundarum funibus illigata, irruente Spiritu vocationis Domini, velut Samson, omnia hæc vincula rupit, quomodo si rumpat quis filum de stuppæ tortum putamine, cùm odorem ignis acceperit; & tam robustos hostes non multis diebus à seipsa abiiciendo, prostrauit. Verùm istæ vires non sunt propriæ, & naturales animæ, sed à Domino liberaliter attributæ: si enim non possumus sine gratia, sanctas cogitationes, aut desideria concipere, quantò minus sæculum vincere, & à talibus nos catenis, ac compedibus expedire? Sed sufficientia nostra ex Deo est. D Est etiam anima religiosa grandis merito. Nam sicut, qui parcè seminat, parcè & metet: ita qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet.] Cùm ergo hæc in benedictionibus seminet, id est, solertissimè in opera virtutis incumbat; quis dubitet eam in die messis, atque in fine vitæ copiosissimos meritorum manipulos habituram? Meritum auget charitas: Quod autem est maximæ charitatis indicium, nisi propter Deum, mundo mori, & tamquam mortui à parentibus, à consanguineis, ab amicis, ab opibus, honoribus, & deliciis separari, & hoc prolixum martyrij genus subire? Auget & obiecti præstantia. Sed quod excellentius obiectum eo, quo religiosus, quidquid est, quidquid potest, quidquid valet, Deo in holocaustum offert, & E non tantùm sua, verùm seipsum liberalissimè tribuit? Auget & quantitas operis. Sed quod maius opus, quàm seipsum abnegare, & pretiosissimas gemmas proprij sensus ac voluntatis, alterius hominis iudicio ac voluntati subiicere? Auget operum multitudo: Quæ autem maior bonorum operum copia, quàm religiosi, cuius vita velut aurea quædam catena, annulis operum bonorum à primo ingressu vsque ad finem vitæ contexitur? Auget & difficultas. Sed quid difficilius, quàm semper

2. Cor. 9. 6.

A sensus comprimere, affectus colubere, propria desideria negare, corpus atterere, & crucis mortificationem, sine intermissione deferre? Auget tandem magnus operandi conatus. Sed vbi maior, quàm in religiosa vita reperitur? in qua ex assuetudine benè operandi, quotidie augetur, & crescit. Anima, quæ ex tot causis, & tā præcipuis, cumulos bonarum actionum multiplicat, magna erit merito, neque in communi pusillitate tepidorum persistet. Nondum certe apparuit, quid erimus; sed cum Christus apparuerit, iustus agonotheta, omnibus iuxta suos labores præmia decernens, tunc similes ei erimus.] Quia non tantùm in numero amicorum fidelium, sicut communes iusti, sed inter charissimos Dei filios computabimur, qui Christi, id est, fratris maioris vestigia sequuti, eius exornamur insignibus. Nunc tempus laboris est, &, vt inquit Aggæus, nec dum semen in germine est, & adhuc vinea, & ficus, & malogranatum, & lignum oliuæ non floruit.] Quia nec charitatis ad Deum, nec deuotionis internæ, nec concordiæ cum fratribus, nec misericordiæ ad proximos, merces apparet. Sed ex die ista Dominus benedicit vt magnis magna operantibus, & magna patiētibus, in futura vita magna præmia retribuat. Quicumque ergo in sanctum religiosorum cætum admissus fuisti, & tua siue multa, siue pauca dimisisti, modò affectum habendi relinqueris, ad hanc magnitudinem virium, quæ in sæculi contemptu conspicitur, vocatus es, & ad hanc granditatem meritorum, quæ ex tot bonis operibus nascitur, es etiam inuitatus, si tamen opere exhibeas quod statu præfers. Quòd si tibi adhuc, ô anima religiosa, sub habitu humilitatis constituta, hunc animum inesse non conspicis, quo vniuersa mundi ornamenta, & oblectamenta contemnas, & sine vlla intermissione perfectionis operibus vaces, nihil te in via perfectionis noueris profecisse. Geme igitur in conspectu Dei tui, plora, instanter pete, in hanc amplitudinem tui status dignam admitti; enitere rerum labentium vilitatem agnoscere, & earum despectionem comparare, vt & tu, sicut & tui sodales, & commilitones, merearis audire, Quoniam multiplicata es, & grandis effecta es.]

1. Ioan. 3. 2.

Aggæi 2. 20.

Ezec. 16. 7.

Quanta sit tranquillitas animæ religiosæ.

CAPVT XVI.

NEMO est qui non pacem amet, requiem expetat, tranquillitatem desideret. Est enim interna tranquillitas non minima pars fœlicitatis. Ac proinde, sicut naturalis est status fœlicis cupiditas, ita suapte natura ducimur ad appetendam requiem animi, mentisque tranquillitatem, sed nón omnes eam inquirunt, vbi quærenda est. Quæritur in rebus exterioribus, in expletione appetitus, ac propriæ voluntatis: cùm tamen ipsa non in his, sed in vera mortificatione, & in conclaui proprij cordis consistat. Hæc enim appetituum cohibitio nos multis curis liberat, & ad vera & numquam peritura bona mentem attollit. Quæ, qui appetitui, & prauæ concupiscentiæ seruit, citra dubium insipienter amittit. Quare animæ concupiscentiis seruienti, meritò apud Isaiā dicitur, Vt descendat, & sedeat in terra, quia non est solium filiæ Chaldæorū.] Huic (vt inquit Gregorius) aptè per increpationem dicitur diuina voce, descende, in alto quippe humanus animus stat, quando supernis retributionibus inhiat, sed ab hoc statu descendit cùm turpiter victus sese defluentibus mundi desideriis subiicit. Cui bene mox additur, sede in puluere. Descendens enim, in puluere residet, quia cœlestia deserens, terrenis cogitationibus aspersus, in infimis vilescit.] Proprij autem cordis introitus hominem clamoribus rerum mūdanarum eripit, & in quamdam ineffabilem pacem perducit. Nam regnum Dei non est esca & potus, sed iustitia, & pax.] Hoc autem regnum Dei, in quo regnat pax, intra nos est. Hanc pacem proprij cordis, qui numquam expertus est, eius absentiam non extimescit. Quid enim doleat natus cæcus, & qui videndi facultatem aliis inesse penitus ignorat, quoniā cæcus natus est, & colores non percipit, quos, nec in rerum natura esse quidem agnoscit? Qui verò aliquādo pacem est adeptus, nihil magis dolet; quàm eam amittere, & à tranquillitate mentis exturbari. Hoc summam calamitatem putat, ab intimo cordis in externas distentiones contumeliose eiici, & ab ore sponsi illam tremendam vocem audire, Egredere, & abi. Quæ enim anima (ait Bernardus) semel à Domino didicit, & accepit intrare ad seipsam, & intimis suis Dei præsentiam suspirare, & quærere faciem eius semper, nescio an vel ipsam gehennam ad tempus experiri, horribilius pœnaliúsve ducat, quàm post spiritualis studij huius gustatam semel suauitatem, exire denuò ad illecebras, vel potiùs ad molestias carnis, sensuumque inexplebilem repetere curiositatem.]

Isaiæ 47. 1.

Greg.

Rom. 14. 17.

Cant. 1. 8. Bern. ser. 35. in cāt.

Hunc autem ingressum cordis, vbi inuenitur pax, ô anima, religio sancta ex ipso mundi contemptu, ac bene perfecteque operandi consuetudine, abunde suppeditat. Vnde postquam contemnendo omnia, grandis effecta es, subiungit Dominus per eundem prophetam, Et ingressa es.] Qui aliquam domum, vel vrbem odio habent, statim, vt possunt, eam deserunt, & aliam commodiorem, & sibi magis gratam habitationem inquirunt, quam inuenientes, cum magno gaudio occupant, & cum exultatione frequentant. Sic anima, sæculi inquietudinem fugiens & commotationem abominans, statim aliam domum quærit pacificam, in qua tranquille habitet & placide vitam traducat. Inuenit autem cor suum domum vtique quietis, & pacis, illúdque ingreditur & ab omni strepitu curarum aliena, cùm Rege, & Domino suo Christo, secus pedes eius manet secura. Ibi tamquam sedula apis in alueario suo fauos dulcissimarum cogitationum fingit, & sicut formica diligens, congregat in horreum suum grana sanctorum desideriorum, quibus se ipsam reficiet, vitamque spiritualem sustentabit. Hic iucundus ingressus religiosis promissus est, cùm audierunt vocem Domini, sibi per Ieremiam dicentis, Conuertimini filij reuertentes, quia ego vir vester, & assumā vos vnum de ciuitate, & duos de cognatione, & introducam vos in Sion.] Illi namque sunt filij reuertentes, qui à peccatorum, & vitiorum fœditate, in quam insipientes abierant, in domum Domini, id est, in spiritualem vitam, sapientes reuertuntur. Hic autem reditus, vt pretiosior habeatur, nec omnium est, nec propria virtute perficitur. Opus est Dei, qui vocauit paucos, comparatione multorum, & assumpsit vnum de ciuitate hac, & duos de cognatione illa, prout sibi placuit, vt introduceret eos in Siō, hoc est, in secreta cordis proprij, vbi accipiunt pastores iuxta cor Dei, in quibus cœlestes illustrationes, & afflatus intelligo, qui pascunt eos scientiā, & doctrina. Hæc cordis habitatio iucundissima est, in qua homo magna quiete, & tranquillitate perfruitur. Quid enim tranquillius cœlo? sed corda iustorum cœli quidam sunt, quorum Deus ipse incola, & habitator est; & qui in proprio corde per sāctas cogitationes habitat, comes, & cohabitator est Dei, & commune cum eo domicilium

Ezec. 16. 7.

Ierem. 3. 14.

Ibidē 14

& ha

Aug. ser. de redēp. *Greg. ho. 38. in Euang.* & habitationem possidet. Corda fidelium (inquit Augustinus) cœlum sunt: quia in cœlos quotidie erigūtur: Et Gregorius, ex eo quòd Paulus vocat Christum. Dei virtutem & sapientiā, & ex eo quod Scriptura dicit, cœlum esse Dei sedem, ac animam iusti, sedem sapientiæ, optimè colligit; hanc animam cœlum esse quod Dei gloriā enarrat, & opera eius annuntiat: cœlū quidem est cor iusti, magnitudine immēsum, quia & ipsos corporeos cœlos, & omnia visibilia, & inuisibilia, præterita, præsentia, & futura, & quæ in Dei cadunt potestatem, capit.] In quā sententiam optimè dixit Origenes: Magnū est cor hominis, & spatiosū, & capax, si tamen mundū fuerit. Vis eius magnitudinem latitudinemque cognoscere? Vide quantam diuinorum sensuum magnitudinem capiat. Ipse, ait, dedit mihi eorum, quæ sunt, notitiam, rationem mundi scire, & opera elementorum, principium & finem, & medietatem sæculorum, temporum varietates, & translationem mensium, annorum circulos, & siderum sedes, naturas animalium, & furores bestiarum, spirituum violentias, & cogitationes hominum, diuersitates arborum, & vim radicum. Vides non paruum esse cor hominis, quod tanta capiat. Neque in corporis quantitate, sed in fortitudine eius intellige, quæ tantam scientiam capit veritatis] & paulò post. Non est paruum, vt dixi, cor hominis, quod potest tanta capere. Si autem non est paruum tanta capiens, consequenter in illo via Domini præparetur, & recta sit semita, vt ambulet in illa sermo Dei, atque sapientia.] Quemadmodum ergo illud corpus, quod omnia alia corpora continet, cœlum dicimus, ita cor humanum, quod cogitatione vniuersa visibilia, & inuisibilia comprehendit, cœlum vocare possumus, si tamen munditia & pulchritudine virtutis non careat. Quare eius habitatio non potest homini non esse expetibilis, ac præ omnibus aliis desiderabilis.

Orig. ho. 21. in Lucam.

Psal. 80. 11. Quia igitur tam amplum est cor hominis, Deus ipse, tamquam eximium beneficium se illud impleturum promittit, cùm ait, Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti: Dilata os tuum, & implebo illud] Hoc enim os, nihil aliud est quàm cor nostrum, quod non frusto panis, sed Dei tantùm possessione satiatur. Vnde Richardus de sancto Victore. Quid est hoc os interioris hominis, nisi desiderium cordis? Sed hoc os, omnes Ægypti deliciæ implere non possunt, quia omnes diuitiæ mundi, carnali desiderio satisfacere nequeunt. Vide quàm parua portio humani corporis, & quàm angustum foramen sit os carnis. Quis non videat quàm paruū est, quod vna panis buccella impleri potest? Quod igitur est vna buccella ad os carnis, hoc est totus mundus, imò multò minùs, ad os cordis, nam vna buccellā corporeum os facilè replet, sed totus mundus desiderium cordis implere non valet.] O quàm digna, & quàm nobilis animæ nostræ habitatio, in qua cœlestia lustramus, terrestria contemnimus, cuiusque rei pretium & valorem cernimus, eorum, quæ mundus amat, exilitatem cognoscimus. In hoc domicilio tamquam in arca illius Patriarchæ mundi restitutoris inclusi, minimè sæculi procellas extimescimus, aut tempestates sentimus. Nec nobis curæ est, quis regiminis clauum teneat, quis honorum, & dignitatum culmen obtineat, quis per hominum ora, fama volitet, quis diuitias, & rerum omnium affluentiam possideat. Si impius laudetur, despicimus, si literatus honoretur, ridemus; si diues, & potens quæratur, pro nihilo ducimus. Si inglorij, & despecti intra cellæ nostræ ambitum relinquamur occasio ingentis gaudij nobis est, quoniam curas

Richar. in Psal. 80.

abiicimus, sollicitudinibus exoneramur, & commoditatem maioris profectus, & diuinæ contemplationis opportunitatem accipimus. Sani, & validi, laboramus; ægroti & imbecilles, læti sumus; si mœror, & tristitia irruat, facilè eā manu discretionis propellimus, & omne, quod turbat, abigimus. Huic habitationi, quia similis cœlo est, terræ mutabilitates non appropiant. Ibi, nec atræ nubes tristitiæ cogūtur, nec sollicitudinum pluuiæ generantur; nec venti inanium affectionum spirant, nec pruina, & grando, atque gelidæ nubes prauarum cogitationum decidunt. Nec ibi homo frigore tepiditatis obrigescit, nec concupiscentiæ ardore dissoluitur, nec aëris inclementia frangitur, quia si se ipsum intra secreta cordis abscondat, & vniuersis mundi rebus ianuam occludat, & omnibus, quæ Deus non sunt, aut ad Deum non referuntur, valedicat; tempore sereno perfruitur, & tamquam in cœlo positus, ab his mutationibus passionum suarum perstat securus.

Hoc autem tam pacatum ac quietum domicilium, si alicuius est, proprium est sanè animæ religiosæ, quæ velut columba ex arca dimissa, cū non inuenisset in sæculo, vbi requiesceret pes eius, reuersa est ad Dominum in arcam cordis sui, vbi locum quietis & pacis inter munda animalia, & ab aquis diluuij seruata, reperiet. Quæ nupta est (inquit Apostolus) cogitat, quæ sunt mundi, quo modo placeat viro; at mulier innupta, & virgo, cogitat, quæ Domini sunt, vt sit sancta corpore, & spiritu.] Animam quidem sæcularem mulieri nuptæ, religiosā verò, innuptæ, & virgini cōparauerim, quoniam illa, licèt velit se Domino penitus cōsecrare, non potest tamen curam sui corporis, & suorum, aut filiorum, aut seruorum deserere, neque sollicitudinem cibi & potus, & indumentorum relinquere, atque adeò sollicita est, quæ sunt mūdi, quomodo placeat viro corpori suo, & diuisa est. Non valet semper secreta sui cordis tenere, in quo est pax, sed ad exteriora, quæ bellis sunt plena, exire compellitur. At ista omni cura cibi, & potus, & aliarum necessitatum corporalium abiecta, & in suos prælatos ac superiores iactata, soli Domino vacat, & in conclaui proprij cordis sedēs, quotidianis profectibus adaugescit. *Gen. 3. 9.* *1. Cor. 7. 34.*

Multa quidem sunt, quæ nos ignaros ex ista domo deducunt, atque ex pacatissima cordis habitatione deturbant. Primò hoc faciunt res, quas oculis videmus, aut alio corporeo sensu percipimus. Secundò, res, quas cogitamus, & licèt numquam viderimus, sensu tamen interiori confingimus. Tertiò, bona, aut vera, aut apparentia, minimè nobis necessaria, quæ concupiscentia effrænata impellente, volumus, & tamquam pulchra aut iucunda, aut pretiosa concupiscimus. Quartò, bona naturæ necessaria, quorum præsidio ad fragilitatem nostram subleuandam indigemus. Quintò, ipsa mentis nostræ instabilitas, qua nihil leuius, nihil mobilius, nihil inconstantius inuenitur. Quæ externis sensibus subiūcta sunt, nos sua pulchritudine inescant, quæ imaginatione conficta, sui ostensione decipiunt, quæ cupimus, nos extra nos ipsos trahunt, quæ opus habemus, curis & sollicitudinibus pungunt, & tandem instabilitas mētis se ipsam à quiete & tranquillitate diuellit. His omnibus hostibus religiosa vita se constanter opponit, & ne, aut seducamur, aut quasi inuiti ex proprio corde deiiciamur, aut volentes exeamus, præstantissimum remedium affert.

Nam rebus visibilibus, & aliis sensibus percepti

bilibus, per religiosam disciplinam ianuas sensuum occludit, ne nos sua importunitate perturbent. Est namque disciplina (auctore Bernardo,) quæ ceruicem submittit, ponit supercilia, componit vultum, ligat oculos, cachinnos cohibet, moderatur linguam, gulam frænat, iram sedat, format incessum.] Cùm verò res istæ disciplinæ mysterio foris maneant, mentem à domicilio cordis dimouere non valent. Monstris cogitatione fictis per assiduam bonorum operum occupationem frænum iniicit, ne ridicula ostentatione vanitatis inquietent. Nam si, vt scitè dixit Basilius, otiosæ prorsus, & cessantis animæ propria est ægritudo, cernere insomnia vigili corpore.] Econtra, negotiosæ, & laborantis animæ erit illa sanitas, quæ nos ineptis phantasmatibus liberet, & puris ac sanctis cogitationibus imbuat. At religiosa vita minutatim tempus dimetiens, & nec momentum sine boni operis aut externi, aut interni cura, relinquens, modum vanis cogitationibus ponit, & hanc effrænatam facultatem, quam ferè nullus perfectè domare potest, mirabiliter in officio continet. Superfluis rerum mundanarum desideriis per abiectionem omnium rerum, curationem affert. Nemo quippe eius amore ac desiderio tenetur, quod abiecit, & tamquam si nullius valoris esset, sine vlla difficultate contempsit. Quòd si hæc est religio munda, & immaculata, miseris subuenire, & se immaculatum custodire ab hoc sæculo, manifestum est, quoniam religiosa vita, si vera, & munda sit, docebit omnia sæculi desideria relinquere; quibus adhuc in corde residentibus, nullus se illibatum à sæculo, incontaminatúmque custodit. Certè magnũ inquietudini & distractioni patere ostium retento rerum sæcularium amore, Laurentius Iustinianus hac ferè oratione patefacit, Magna tranquillitas cordis est nihil habere concupiscentiæ sæcularis. Nam si ad terrena concupiscenda, & ad diuitias cumulandas cor inhiat, tranquillus & quietus esse homo nullatenus potest, quia aut non adepta concupiscit, vt habeat, aut acquisita metuit ne amittat. Et dum in aduersis sperat prospera, in prosperis formidat aduersa, huc illucque quasi quibusdam fluctibus voluitur, ac per modos varios aduersantium rerum volubilitate versatur.] Ea ergo vita, quæ istum amorem, & desiderium abiicit, occasionem egrediendi ex proprio corde ab inanium rerum cõcupiscentia natam funditus tollit.

Bern. Epistola 113. ad Sophiã virginem.

Basil. hõ. 3. in illud, attẽde tibi.

Iacob. 1. 27.

Laurent. Iust. in ligno vitæ, tract. paupert. c. 2.

Sollicitudini quoque rerum necessariarum religiosa vita per superiorum prouidentiam benignè prouidet, qui subditos tamquam filios diligentes, & omnia necessaria, quæ ad victum, & vestitum, & reliquas corporis indigentias pertinent, frugaliter administrantes, subditos huiuscemodi cura eximunt, & ab egressu cordis ex ea proueniente defendunt. Sciunt enim religiosi dictum esse à Domino, his qui propter ipsum cuncta reliquerant, Nolite solliciti esse, dicentes, quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur: scit enim Pater vester, quia his omnibus indigetis.] Se autem ipsos in numero istorum pauperum collocantes, curas istas victus, & indumenti deponunt, & quieti quærunt regnum Dei, & iustitiam eius, sperantes quòd Prælatorum manibus hæc omnia à Domino adiicientur illis.] Tandem instabilitati mẽtis, non tam religio alio adminiculo, quàm se ipsa resistit. Status enim cùm sit, stabilitatem quamdam, atque immobilitatem sortitur, ac corpus stabile reddens, & vni loco addiscens, & in cella manere faciens, ipsi animo cogitationum & desideriorum

Matth. 6. 31.

A stabilitatem impertit. Qui corporis veluti magisterio edoctus, iam ex conseruo suo discit, quo pacto debeat, sicut corpus in cella, ita & ipse intra se ipsum permanere, vbi pax est, & nulla externa, quæ bellis perstrepunt, quæritare.

Ecce quàm bene religiosa vita nos intra cordis claustra contineat, omnia tribuens quæ mansionem istam facilem & iucundam reddant, & vniuersa remouens quæ nos ad sæculi inquietudinem exire compellant. Impletúrque spiritualiter in nobis, quod de Israëlitis dictum est; Habitabátque Iuda & Israël absque timore vllo, vnusquisque sub vite sua, & sub ficu sua, à Dan vsque Bersabee.] Nos enim, qui non verbis tantùm, sed factis, & non quibusque factis, sed magnis & egregiis operibus, quæ in abdicatione rerum omnium elucent, ex ipsa religiosa vocatione Deum confiteri cogimur, & in Deum oculos cogitationis intendimus, habitamus non tantùm in cœnobio ab omni strepitu sæculari remoti, sed etiam (quod melius & pulchrius est) in domo cordis nostri absque timore vllo, qui nos omnino conturbet, & vnusquisque sanè sub vite sua, & sub ficu sua. Si enim vitis significat populum religiosum, ac pium, cuius laus ex fructu, & honor ex diuinæ tutelæ præsidio contingit; & ficus illos designat qui ad cœlestem Hierosolymam pertinent, sunt enim ficorum arbores, quas Deus plantauit in vinea sua: quid erit religiosos sub vite & ficu habitare, nisi sodalium suorum (qui amici Dei sunt) oratione atque exemplo muniri? Habent igitur monasticam vitam colentes pro ratione status sui, adiumenta maxima, vt in proprium cor ingrediantur, & in eo cum maxima iucunditate commorentur.

3. Reg. 4. 25.

Ad hanc ergo domum cordis tui, amplissimam quidem, & pacatissimam, ô anima mea, vocata es, cùm sæculo despecto, statum religiosum arripuisti. Ad hanc domum venisti lassa de via, cùm mundi curas & sollicitudines deseruisti, quærens qui te hospitio reciperet, & tribus panibus valde necessariis, veritatis, charitatis, & fortitudinis, fatigatam famelicámque reficeret. Sic enim mysticè interpretatur Bernardus parabolam hominis venientis de via, atque apud amicum, sed mendicum, diuertentis, qui, vt hospitem exciperet ab alio amico prædiuite tres panes commodatò postulauit. Ego (inquit) amicum venientem ad me non alium intelligo, quàm me ipsum. Nemo quippe charior mihi, nemo germanior est. Ad me ergo de via venit amicus, cùm transitoria deserens ad cor redeo, sicut scriptum est: Redite præuaricantes ad cor.] Deinde tunc verè sibi quisque amicus est cùm de via redit, quoniam, qui diligit iniquitatem, odit animam suam.] A die itaque conuersionis meæ de via venit amicus. Venit de regione longinqua, vbi pascere porcos, & ipsorum siliquas insatiabiliter esurire solebat. Venit fame laborans, confectus inedia attenuatus ieiunio.] Itaque tu es, ô anima, quæ ad te ipsam venisti, tu es inuitata, atque inuitans. Si pauper, & mendica es, neque habes, quod ponas ante teipsam, vade ad amicum tuum, imò ad Christum sponsum tuum, eúmque non dormientem, sed te expectantem, & cupientem inuenies, cum eo misce orationis sanctæ colloquia, & profundens lacrymas, ei vniuersas tuas infirmitates pande, desideria enarra, & necessitates expone, & sine dubio postulationes à te fusas exaudiet, & magnæ tuæ imbecillitati subueniet. Optat pius ac benignus sponsus tuus, vt hoc abditum cor-

Bern. ser. in rogationibus.

Isa. 46. 8.

Psal. 10. 5.

dis

dis cubiculum ingrediaris, in quo solo tres prædictos panes, & denique pacem ipsam tam propriam tui status, assequeris. Hoc enim his verbis docuit Laurentius Iustinianus. Vult enim totius bonitatis Dominus infirmum hominem mortalis corporis pondere grauatum, iacentémque erigere, illuminare, allicere, terrere: vt redeat ad cor, inspiciat se, atque intelligat extra se nihil esse tutum, nihilque liberum, sed cuncta esse laqueis plena, sollicitudinibus referta, vallata tribulationibus, permista scãdalis, pacémque eundem non nisi in se posse percipere. Nam quamdiu vagatur extra se, tentatur, turbatur, decipitur, impellitur, deprædatur, vulneratur.] Quod si, ô anima mea, nondum has tuæ internæ habitationis delicias experta es, fac vt experiaris. Linque animo, quod professione reliquisti. Linque cõsanguineorum familiaritatem: eorum, aut prosperitates, aut aduersitates obliuiscere, quia cùm mundo mortua sis, ad te non pertinent. Desere amicorum consortia, honoris anxietatem, commoditatis sollicitudinem, ac omnium rerum temporalium memoriam. Collige te intra cor tuum, quære teipsam intra te, & quæ extra te perdita eras, intrò te lucratam inuenies. Scrutare regnum Dei in corde tuo, quia regnum hoc intra te est. Inquire in hac aula interiori Deum tuum habitatorem eius, tene eũ, ne dimittas, sicque omnia bona, quæ optas, eris assequuta. Væ tibi, cùm hanc iucundissimam habitationem derelinquis, quia luto & limo terrenarum cogitationum sordescis, & puritatem deseris, cuius causa in religionem venisti. Eueniétque tibi illud, quod ait Hugo de sancto Victore, Cùmque anima elabitur ab istis, & inuoluitur in illis, vanitas illam recipit, curiositas deducit, cupiditas allicit, voluptas seducit, luxuria polluit, torquet inuidia, turbat iracundia, cruciat tristitia, sicque miseris casibus submergitur omnibus vitiis, qui vnum Deum, (qui ei sufficere poterat) dimisit. Ne ergo in hæc mala incurras, & tam ingentia bona dilapides, ingredere in cor tuum & dicetur de te: Quia grandis effecta es, & ingressa es.]

L. Laurent. Iust. lib. de humil. c. 5.

Hugo lib. de anima. c. 10.

Ezech. 16. 7.

Quàm magna sit occasio puritatis cordis in vita religiosa.

CAPVT XVII.

CVM anima in cor suum ad habitandum ingreditur, facile est illi vniuersa deponere, quæ eius pulchritudinem turpant; & omnia, quæ eam ornant, comparare. Sicut enim casta virguncula domi manens, & in texendis vestibus, & faciendis ornamentis sui corporis occupata, breui tempore multa parat in diem desponsationis suæ, quibus omnibus pulchra, & apprimè culta videatur: Ita anima cubiculum proprij cordis ingressa, ibique non desidiosa, sed officiosa manens, immensum virtutum & cœlestium donorum ornatum præparat, vt se ipsam oculis cœlestis sponsi pulchram, & amabilem offerat. Hoc autem est aliud religionis bonum, quod quietem & tranquillitatem cordis consequitur, de quo inquit Dominus, religiosam animam adhuc erudiens. Et peruenisti ad mundum muliebrem.] Mundus muliebris, aut sponsæ ornamentum, quo anima tamquam sponsa Dei pulchra ornatur, atque excolitur, vt in eius purissimum lectum deferatur,

Ezech. 16. 7.

A & od castissimos admittatur amplexus, puritas mẽtis est, quæ eam amabilem efficit, & Dei consortio atque conspectu dignam reddit. Nam sicut mundus fœminarum est, quem ipsæ omnibus præferunt, cuius causa diu noctúque laborant, eòque decoræ, & amabiles apparẽt, & ad coniugium aptæ iudicantur: Ita mentis puritas est, quam præ omnibus cupere, & amare debemus, & nocte ac die iugiter pro ea adipiscenda laborare, tamquam pro vera pulchritudine, quæ Dei oculos capit, sanctissimúmque cor eius nostri amore succendit. Rectè enim dixit Leo Papa: Vniuersitas fidelium ad perfectam innocentiam, & ad plenam debet tendere puritatem, vt eorum consortio mereatur adscribi, de quibus dicitur, Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.] Et Gregorius Nazianzenus, B ait: Neque enim quicquam apud Deum, qui purus est, pluris habetur, quàm puritas, aut certè purgatio.] Nec non & Augustinus: Munditiam vocat finem, quo perficimur, nõ quo consummamur.] Hæc puritas est, quam Deus impẽsè amat, & in anima vehementer exquirit: quæ si desit, inuisa est illi, & detestabilis omnis nostra externa lautitia. Istam quærentes, illam verò non curantes, audiunt à Domino: Væ vobis hypocritæ, quia mundatis, quod foris est, calicis, & paropsidis intus autem pleni estis rapina & immunditia. Pharisæe cæce, munda priùs, quod intus est calicis, & paropsidis, vt fiat id, quod deforis est mundum.] Hac puritate anima spõsum suum Deum tenet, nec C dimittit, donec introducat eum in domum matris suæ, & in cubiculum genitricis suæ.] Mater animæ gratia est, eam spiritualiter generans, nutriens, docens, atque gubernans: Domus autem huius matris, fructus est actionis, & cubiculum genitricis, cor nostrum occupatum in opere contemplationis: spiritualis ergo munditia est, quæ animam in hoc cubiculum introducit, idoneámque reddit, vt cum sponso quiescat, & purissimo eius perfruatur amplexu. Quare optimè Venerabilis Richardus inquit: Gratia inuenitur Christus, sed munditia in hospitium cordis introducitur, iam animam visitauit, sed donec munda sit, non est digna, vt moram cum eo faciat. Ad hoc iuuari se petit per orationis instantiam, dicens: Tenui eum, nec di- D mittam.

Leo. ser. 12 quadrag.

Matt. 5. 9

Nazia. ad Greg. Nyssen. orat. in eius promot. ad Episcopatũ

Aug. ser. 14. de sãctis, tom. 10.

Matt. 23. 25.

Cant. 3. 4.

Richar. in cant. c. 6.

Meritò itaque cordis puritas, quæ animam idoneam reddit ad diuinum consortium, mundus muliebris appellata est; sed ad istam munditiam, ac cordis puritatem, vbi anima meliùs, quàm in sancta religione perueniet? Religio, omnia remouet, quæ puritati aduersantur, & cor hominis sua vilitate commaculant. Hæc enim sunt, diuitiæ, deliciæ, & propria voluntas. Diuitiæ quidem animum nostrum inficiunt, quia amor earum immoderatus virtutes omnes euertit, & omnium vitiorum immunditiam violentissimè inuehit. Vnde Chrysostomus inter alia multa, quæ in hoc argumentum congessit, illud constanter affirmat. Diuitias, non natura sua, sed hominum vitio, E omnium bonorum materiam abscindere, & vniuersorum malorum fomitem ministrare. Non solùm (inquit) nihil virtutis animo conferunt, sed etsi paratum aliquid, & reconditum inuenerint, subruunt: & econtrariò vitia pro virtutibus introducunt. Ipsarum enim pedissequa est luxuria, ira, intemperantia, furor, iniustitia, arrogantia, superbia, omnisque irrationalis motus.] Quid, quòd licèt sine his peccatis à quibusdam possideantur, tamen sine nimio amore erga eas,

Chrys. hõ. 9. quod nemo. 18. 5.

vix retineri possunt? Qui amor in re tam vili, & abiecta collocatus, non parùm cor hominis maculat. Quam ob causam idem pater Chrysostomus sapientissimè diuitias cœnum, stercus, & sordes appellat. Ab his tamen sordibus, vita religiosa cor nostrum emundat: non solùm opes, & rerum temporalium superfluitatem amandans, verùm etiam earum amorem & cupiditatem abiiciens. Quare dum in eam vitam tamquam in castra Domini admitti postulauimus, illud Deuteronomij præceptum in auribus nostris intonuit. Si quis est homo formidolosus, & corde pauido, non egrediatur bellum: Vadat, & reuertatur in domum suam, ne pauere faciat corda fratrum suorum, sicut & ipse timore perterritus est.] Quo testimonio vt Cassianus mysticè interpretatur) illud nobis mandatum est, ne statum religiosum arripiamus, si actione & affectu exoluti à terrenis facultatibus in cænobio persistere non audemus.] Hæc namque diuitiarum possessio, non solùm nos ipsos decipiet, vt indignissimus religiosorum habitu, & nomine, verùm in alios quoque sese hæc pestis effundet, qui nostro exemplo decepti & incitati, cum ingenti religionis detrimento, eundem grauissimum morbum incurrent.

Ibid.
Deuter. 20.8.
Cassia. lib 7. de spiri tu fornic. c. 15.

At deliciæ non tantùm mentem, & corpus hominis polluunt, sed etiam ad statum bestiarum irrationabilium deiiciunt. Quod Paulus manifestissimè docuit, fornicationi immunditiam attexens. Fornicatio (inquit) & omnis immunditia, & auaritia, nec nominetur in vobis.] Immunditiæ nomine, omnes luxuriæ species intelligens, quibus homo ab ingenita sibi nobilitate degenerans, animalium rationis expertium induit vilitatem. Et sane hæc duo nomina, immunditiæ, & auaritiæ, quæ Paulus impuris voluptatibus tribuit, sunt consideratione dignissima. Vocat eas immunditiam, quoniam animam illis filiabus suis, quas Gregorius enumerat, scilicet, cæcitate mentis, inconsideratione, inconstantia, præcipitatione, amore sui, odio Dei, affectu præsentis sæculi, & horrore futuri commaculant, & corpus etiam inficiunt. Nam omne peccatum, quodcumque fecerit homo, extra corpus est: Qui autem fornicatur, in corpus suum peccat.] Hoc est, contra honorem corporis sui (vt Anselmus exposuit.) Fornicatio enim in tantum polluit corpus ipsum, in tantum libidinis æstus accendit, in quantum venenum delectationis illicitæ, sese per totum corpus diffundit. Vocat auaritiam, quo significat inexplebilem, ac insatiabilem carnis libidinem. Quæ (vt inquit Isidorus) repetita, maiorem delectationem ingerit. Iam verò si in vsum venerit, tantò perditis dulcior fit, vt separare difficile fit. Vnde & sæpe ex consuetudine delinquendi, quasi captiui ad peccandum cum quadam violentia trahimur, sensusque nostros contra rectam voluntatem in nobis rebellare sentimus. Hunc autem esse sensum Apostoli, Hieronymus apertè testatur. Non hanc (inquit) auaritiam appellat, qua pecuniā cupimus cōgregare, sed illam, de qua suprà diximus, Ne supergrediatur, & auarus fraudet in negotio fratrem suum. Quòd scilicet insatiabilis, & inexpletus per omnis turpitudinum genera, lasciuiaque, discurrat.

Ephes. 5. 3.
Greg. 31. mor. c. 3.
1. Cor 6 18.
Anselm.
Isidor. lib. 2. sent. c. 39.
Hieron. in c. 5. ad Ephes.

Hanc etiam immūditiam status religiosus abluit, castitatem vouens, minimas quoque cogitationes, puritati cōtrarias allidens, & corpori, vt spiritui seruiat, quotidianum abstinentiæ & afflictionis pensum indicens. Est autem castitas tam principalis pars cordis puritatis, vt Paulus ipsam sanctitatem

A ac puritatem appellet. Hæc (inquit) est voluntas Dei sanctificatio vestra, vt abstineatis vos à fornicatione, vt sciat vnusquisque vestrûm vas suum possidere in sanctificatione, & honore, non in passione desiderij.] Vides (ait Cassianus) quibus eam laudibus prosequatur, honorem vasis, id est, corporis nostri, & sanctificationem appellans eam? Igitur è contrario, qui in passione desiderij est, in ignominia & immunditia consistit, & alienus à sanctificatione versatur. Status ergo, qui castitatem tamquam sibi propriam amplectitur, non dubium quin delicias, cor, & corpus nostrum maculantes, abiiciat.

1. Thess. 4. 3.
Cassia. lib. 5. de spiri tu fornic. c. 11.

Propria verò voluntas, quantum hominem polluat, manifestum est, cùm vniuersorum sit peccatorum nos inquinantium seminarium. De corde
B enim, id est, à propria voluntate exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ: hæc sunt, quæ coinquinant hominem.] Hanc autem fontem iniquitatis, atque originem immunditiæ vita religiosa tam constanter obturat, vt eum religiosum, & suum filium non putet, quem viderit ceruicem obedientiæ non submisisse, nec in omnibus propriam voluntatem abnegâsse. Hanc prælati in subditis suis sæpissimè cohibent, ea ministeria illis ad mortificationem iniungentes, à quibus magis sensus abhorret. Hanc ipsi subditi in se ipsis interimunt, suspectum, & periculosum reputantes quidquid propria voluntas appetit, & non prælati iniunxit auctori-
C tas. Hanc occupationes ipsæ religiosæ remouent, suo tempore, & loco præstandæ. Neque enim quisque orat, aut laborat, aut corpori necessaria ministrat, quando vult: sed secundum superioris ordinisque præscriptum. Quare cuilibet religioso illud Hieronymi dici potest: Non facias, quod vis, comedas, quod iuberis, vestiare, quod acceperis, operis tui pensum absoluas, subiiciaris cui non vis, lassus ad stratum venias, ambulansque dormites, & necdum expleto somno, surgere compellaris, dicas Psalmum in ordine tuo, in quo non dulcedo vocis, sed mentis affectus quæritur, dicente Apostolo, Psallam spiritu, psallam & mente, & cantantes in cordibus vestris Domino.] Legerat enim esse præ-
D ceptum: Psallite sapienter.] Seruias fratribus, hospitium laues pedes, passus iniurias, taceas, præpositum monasterij timeas, vt dominum, diligas vt parentem, credas tibi salutare quidquid ille præceperit, Nec de maiorum sententia iudices, cuius officij est obedire, & implere, quæ iussa sunt, dicente Moyse: Audi Israël, & tace. Tantis negotiis occupatus, nullis vacabis cogitationibus, & dum ab alio transis ad aliud, opúsque succedit operi, illud solum mente tenebis, quod agere compelleris.] Voluntas autem his tribus telis oppugnata, armisque impetita, quid ni succumbat, & victa, ac prostrata diffugiat?

Matt. 15 19.
Hier. Epistola 4. 6. & 7.
1. Cor. 14. 16.
Ephes. 5 19.
Psal. 46. 8.
Deut.

Aufert ergo status religiosus omnia ea quæ possent cordis puritatē impedire, atque adeo facile est in ea mundum hunc muliebrem conquirere, quod
E sponsam supremi regis exornet. Si verò prædicti puritatis hostes repentè irruant, & impetu in nos facto adeptam innocentiam surripere curent, habet religio arma, quibus hostium propulset iniuriam, & suos alumnos tueatur. Quid enim sunt fletus, non desperationis, sed spei? Quid gemitus, non impatientiæ, sed compunctionis? Quid orationes assiduæ, quibus non temporalia petimus, sed cœlestia, & spiritualia postulamus? Quid ipsius sæculi derelictio, quæ omnem peccandi

materiam

materiam succidit, nisi arma quædam fortissima, quæ omnes hostes puritatis obterunt, atque peruertunt? Ideò anima mundum derelinquens equitatui sponsi aduersus currus Diaboli armato assimilata est. Equitatui meo (inquit) in curribus Pharaonis assimilaui te,] quia ea apud se habet, quo cuneos aduersariorum vincat, & à se iugum impuritatis excutiat. Nec miraberis (ait Bernardus) vnam animam equitatus multitudini similatam, si aduertas, quantæ in ipsa vna, quæ tam sancta anima sit, virtutum acies habeantur, quanta in affectionibus ordinatio, quanta in moribus disciplina, quanta in orationibus armatura, quantum in actionibus robur, quantus in zelo terror, quanta denique ipsi cum hoste conflictuum assiduitas, numerositas triumphorum.] Hanc autem multiplicem de hoste victoriam, si vis sigillatim aduertere, audi eundem infrà dicentem. Ibi populus eductus est de Ægypto, hîc homo de sæculo, ibi prosternitur Pharao, hîc diabolus; ibi subuertuntur currus Pharaonis, hîc carnalia, & sæcularia desideria, quæ militant aduersus animam, subruuntur, Illi in fluctibus, isti in fletibus, marini illi, amari isti. Puto & nunc clamitare dæmonia, si fortè contingat incidere in talem animam: Fugiamus Israëlem, quia Dominus pugnat cum eo.] Magnam quidem habet anima occasionem puritatis, tanta fortitudine roborata, quæ puritatis hostes arcet, & omnia sæculi oblectamenta nos maculantia peruertit.

Cant. 1. 9. — *Bern. ser. 39. in cāt.* — *Ber. ibid.* — *Exod. 14. 25.*

Et sanè præter arma iam dicta, ipsi domus religiosæ parietes terribiles sunt Diabolo. Fugiat ab eis, tamquam à muris fortissimis, quos vallat, & cingit angelica, ac diuina custodia. Sunt enim domus istæ armamentaria quædam omni armorum genere plena, vniuersis ad nostram tutelam necessariis instructa, quæ dæmones eminus aspicientes pertimescunt, & ne irrideantur, & deturbentur, tandem, tandem non sine indignatione diffugiunt. Si enim Diabolus lachrymis, & pœnitentia fugatur; si precibus, & oratione prosternitur, si vigiliis, atque ieiuniis vincitur, quid ni cænobia his armis aduersus impetus suos referta diffugiat? Sapienter profectò dixit Chrysostomus. Certissimæ lachrymarum sedes monasteria sunt, vbi saccus, & cinis, vbi solitudo, vbi risus nullus, vel rerum præsentium obturbatio, vbi ieiunium, & humi cubatio. Sunt namque ibi omnia nidore, & illecebris vacua, & quauis interpellatione, & inquietudine libera. Insuper portus tranquillissimi sunt, quos qui inhabitant, veluti ignes sunt, qui cùm è loco editiori emicent, lucem vel eminus aduentantibus exhibent, cúmque vel in portu resederint, cæteros ad suam alliciunt tranquillitatem, neque se intuentes pati naufragium sinunt, vel in tenebris degere, qui ad se oculos intenderint.] Ex cuius sententia elucet, quàm sint monasteria dæmonibus terribilia: siquidem in eis religiosi, non solùm se ipsos à dæmonis potestate vindicant, & à vitiorum tyrannide liberant, sed aliis etiam sunt causa salutis, quos instar ignium, vita illuminant, tamquam præceptores verbis vocant, & tamquam thesauri pretiosissimi splendore sanctitatis alliciunt. Ac his omnibus perspicuè ostendunt, sibi affatim omnia adiumenta esse donata, quibus deiiciant inimicos sanctitatis. Sunt denique domus religiosæ, sicut repositoria quædam, in quibus animæ custoditæ, si velint, nec libidinis cæno maculantur, nec cupiditatis luto fœdantur, nec propriæ voluntatis sordibus polluuntur, imò nec inanium curarum puluerem sentiunt, quia ipsa cænobia vndique parieti-

Chrys. ser. de laudibus monach. r. tom. 5.

A bus clausa, cura prælatorum circumspecta, & diuina protectione munita mirabiliter ab omni graui labi defendunt. Quare non insulsè Bernardus monasteria cum stagnis confert. Meritò (inquit) monasteria stagnis comparantur, vbi quodammodo incarcerati pisces euagandi non habent libertatem, quò videlicet parati sint sēper ad epulas spirituales, dicentes singuli intra se: Quando veniet qui me deferat? cunctis diebus, quibus nūc milito, expecto donec veniat immutatio mea.] O fœlix stagnum, in quo, & à peccatorum alienorum manibus liberamur, & hamo diuinæ dulcedinis, quę nos capiat & trahat, expositi sumus. Habemus ergo in vita religiosa adiumenta valida, quorum præsidio mentis sordes tergamus, & dæmones nostram nuditatem & ignominiam curantes, à nobis ipsis

Bern. ser. 1. de S. Andrea. — *Iob. 14. 14.*

B repellamus.

Non solùm autem hic noster status abiicit impedimenta puritatis, verùm etiam omnium illorum diues est, quæ puritatem efficiunt, conseruant, & ad omnimodam perfectionem deducunt. Huius generis sunt, mortificatio cogitationum, cohibitio passionum, iugis oratio, & familiaritas cum Deo, omniúmque exercitatio virtutum. Est enim hic noster status tamquam sapiens, & peritus mendicus, qui nouit, celerem, & expeditam medicinam omnibus nostris vulneribus adhibere. Est velut diligēs fullo, qui lixiuio, ex compunctionis aqua, & cinere humilitatis confecta, scit vniuersas maculas, tum magnas tum exiguas, animarum abluere. Et fortè ad agrum huius fullonis Isaias cum Iasub filio sibi

C relicto iubetur conscendere, vt ibi regiam mundi superbiam non iam ore quàm opere reprehendat. Nimirum subindicans hæc Scriptura (vt ait Basilius) nos oportere ad his desciscere, quę per se vilia sunt, ac repunt humi, & ad superna toto nixu contendere, vbi nobis constitutis, in expurgationem inuenietur aqua, & ager fullonis, peccatorum sordes extergentis, id quod nobis non paruum emolumentū affert. Est denique hîc noster status, sicut doctus virtutum magister, cuius omnis doctrina, omnes voces & opera ad hoc tendunt, vt puritatem & cordis munditiam discamus. Regulæ eius munditiam clamant, decreta, & scita ab ipso proposita munditiam postulāt, omnia, quæ nobis, aut videnda aut facienda proponit, cuiusmodi sunt exem-

Isa. 7. 3. — *Basil. in eū locum.*

D pla fratrum, actiones seniorum, sanctorum occupationum multitudo, sacramentorum frequentia, orationis, & Psalmodiæ iugitas; minimorum defectuum correctio, castigatio corporis, circumspectio mentis, indumentorum vilitas, cellulæ paupertas, munditiam & puritatem exposcunt. Quare egregiè dixit Hugo Victorinus. Religionem bonis & malis esse optimam. Facit enim (inquit) de malo bonum, de bono meliorem, & de meliori optimum. Et hoc fit quando visitat impium Deus: Vnde Psalmista, Visitasti terram, & inebriasti eam.] Visitat Deus & bonam & malam terram terram meliorem, & terram optimam. Per timorem, terram malam visitat, bonam per incipientem Charitatem, meliorem per abundantem, optimam per perfectam.] Si itaque religio malos emen-

Hugo lib. de claust. anim. c. 17. — *Psal. 64.*

E dat; bonos vrget; meliores promouet; & optimos perficit; non dubium quin sit gymnasium puritatis, & schola virtutis, in qua anima ab omnium vitiorum labe mundatur, & in vniuersis bonis actionibus eruditur. Hic ergo, ô anima, ad mundum muliebrem peruenisti, quod non vnum tantùm fœminæ ornamentum, sed omnia eius ornamenta, & indumenta designat, quia

puritatem Dei munere,ac beneficio acquisiuisti,quę non vnam aliquam facultatem,sed omnes vires animæ exornat, & ab omni macula, & sorde purificat. Hæc enim est,quę cogitationes ordinat,affectus mitigat,sensus purgat,verba componit, opera perficit, & totum hominem induméntum spiritualis pulchritudinis induit.

Religiosos aptissimos esse,vt Ecclesiæ prosint.

CAPVT XVIII.

O QVAM aptè,& sapiẽter scit Dominus sua nobis beneficia detegere,ac opera mirabilia manifestare! Verè Deus sciẽtiarũ Dominus est] qui non tantùm rerum naturas,verùm etiam ordinem nouit,& quid sit prius,quid verò posterius,quid ex quo nascatur,& à quo, tamquã à radice,& principio pendeat,euidẽter ostẽdit. Post mundum muliebrem, hoc est puritatem cordis suis religiosis prærogatam,vberũ, & pilorum meminit. Vbera(inquit)tua intumuerunt,& pilus tuus germinauit.Quia hæc duo ex ornamẽto prædicto animæ, ac ex munditia cordis emanant.Vbera enim illa sũt, quibus in canticis.Quàm pulchræ sunt mammæ tuę soror mea sponsa, pulchriora sunt vbera tua vino.] Quæ duplicem compassionem significant. Alteram corporalem,Alteram spiritualem. Has habet anima (inquit Venerabilis Richardus de sancto Victore) quando corporum necessitate laborantibus, compatitur, siue in aliquo peccato, vel tentatione positis, consolationem, & orationem impendit. Hæc vbera habet, quando nouit gaudere cum gaudentibus,& flere cum flentibus, infirmare cum infirmis, vri cum scandalizatis. Pulchræ sunt mammæ illius animæ, quæ omnibus ex affectu compatitur,& nullius dolores sine cordis dolore potest præterire.] Vbera profectò sponsæ dignissima, quia vberibus sponsi simillima. De illis quippe dictum est: Quia meliora sunt vbera tua vino, fragrantia vnguentis optimis.] Vis scire quàm similia? Audi Bernardũ. Duo sponsi vbera, duo in ipso sunt ingenitæ mansuetudinis argumenta, quòd patienter expectat delinquentem, & clementer recipit pœnitentem. Gemina, inquam, dulcedo suauitatis exuberat in pectore Domini Iesu, longanimitas videlicet in expectando, & in donando facilitas.] Hæc duo suauissima vbera premit spõsus amabilis, patérque benignus, vt misericordiæ lac nobis pusillis exhibeat. Magna ergo est similitudo vberum sponsæ, & spõsi, Nam si ille compatitur infirmitatibus nostris,nos ab illo discẽtes,curamus misereri infirmitatibus alienis si ille fugientes vocat, cunctantes inuitat, tepidissimè venientes expectat,accedentes amplectitur, & ne iterum à se discedant, gratiæ potentia resistit, ita & nos, cùm illi similes esse cupimus, omnibus istis subiacemus affectibus, vt fratres nostros in virtutis regnum traducamus. Meritò autem hæc duplex compassio animæ vberibus significata est, quia sicut in fœminis vbera sunt adolescentiæ, atque annorum nubilium indicia, eorúmque lacte paruulos alunt, ac nutriunt: ita compassio in anima signum est eam iam infantiam,atque pueritiam spiritualem excessisse, & ad adolescentiam, atque annos nubiles peruenisse, in quibus Christo, purissimo connubio iungatur. Et nihil est, quod æquè peccatores alliciat, & ad spirituales matres, hoc est, ad Euangelicos ministros adducat, ac dulcedo animi in ipsis inuenta,& miserorum,ac infœlicium peccatorum suscepta compassio.

Pili verò animæ robur ad sustinendos prædicationis labores,& fortitudinem internam ostendunt. Vnde Elias, vir pilosus esse describitur (vt inquit Hieronymus)in virilitatis argumentum. Quamobrem & habitatio eius in solitudine, & conuersationis austeritas,non solùm virum, sed & virum fortissimum demonstrabat.] Et Dominus in Isaia cõminatur se rasurum à Iudæa in nouacula conducta caput, & pilos pedum, & barbam vniuersam, vt scilicet, nihil in ea forte robustúmque resideat: sed effæminatis hominibus timidisque mulieribus comparetur. Et quidem huiusmodi pili non sine causa roboris sunt, ac virtutis indicia. Nam & pilosi homines fortissimi, & inuincibiles esse solent, leues verò timidi,& imbecilles, & inde ad animum similitudinem trahimus, vt cui pili nati sint, eum animum fortem, & ad sufferendos labores aptum iudicemus. Anima ergo, post mundum muliebrem in religiosa vita comparatum, audit: Vbera tua intumuerunt & pilus tuus germinauit,]quia compassione & fortitudine, ex cordis puritate nascentibus, exornatur, vt apta sit,& proximos alere, & eorum miserias & infirmitates sustinere.

Cùm primùm anima vitam religionis aggreditur, se solam inspicit, se ipsam promouere studet, sui solius curam gerit, sola sua peccata luget, affectus cohibet, virtutes inquirit, Deo adhærere cupit, seque ipsam omnium studiosarum actionum labore perficere. Aliorum salutem, aut nihil, aut parum curat, neque proximos ad Dei amorem & cognitionem incitare contendit. Non mirum hoc, quia adhuc paruula est, & necdum generandis,& educandis filiis idonea. Sicut enim natura infantes ad officium generationis non excitat, quia ad id muneris needum apti sunt, & omnes vires in eorum augmentum, non in speciei humanæ conseruationem occupat: ita gratia incipientes, & virtute pusillos, ad curam, & profectum aliorum quærendam, non permouet, solo ipsorum pusillorum spirituali augmento, & promotione contenta. At postquam anima religiosa ad perfectionem peruenit, vel plusquam mediocriter in virtute profecit, postquam acquisiuit mundum muliebrem puritatis, tunc eius vbera, ea scilicet duplicis compassionis quæ diximus, incipiunt gemmare, atque intumescere, tunc pilus, indicium fortitudinis, incipit germinare, & vltra propriæ perfectionis curam, iam ad laborandum in domo Domini, & ad adiuuandos fratres, vocari se sentit: nec timet, in Deo confisa, proximorum saluti consulere, & onera animarum suscipere.Iam non dicetur illi per probrum: Soror nostra parua, & vbera non habet.] Quia auxiliis diuinis multiplicata, & despectione sæculi grandis effecta, quid ni vbera habeat, suauissimi lactis plena, quo filios per Euangelium genitos valeat educare? Iam idonea est, illos suauiter monere, illos duriter increpare: prudentiam habet, vt lapsos erigat, tepidos inflammet, nutantes confirmet, audaces comprimat, bene currentes laudet, & omnibus perfectionis iter ambulantibus auxilium præbeat. Antea loqui timebat, docere metuebat, alienæ vtilitatis sollicitudinem fugiebat, & si illi aliquod proximorum onus committebatur, non sine mœrore clamabat: A,a,a,Domine Deus,ecce nescio loqui quia puer ego sum.] Postquam verò vberibus, & signis adolescentiæ pollet, dicit: Væ mihi, quia tacui:] & non superbia elata, neque ambitionis desiderio inci-

(Marginalia: 1.Reg.2.3. — Ezech.16.7. — Cant.4.10. — Richar. in cant.c.28. — Cant.1.2. — Bern. ser. 9. in cant. — Hiero. lib. 11. in Ezech. ad c. 35. — Isa.7.20 — Cant.8.8. — Ierem. 1.6. — Isa.6.5.)

Isa. 6. 9. tata, sed zelo diuini amoris succensa, ait ad Dominum: Ecce ego, mitte me.] Audétque imperio Domini, & prælatorum, proficisci, non quò primas cathedras teneat, aut vanas laudes populi aucupet, aut maiora commoda accipiat (hæc enim subsanat, & expuit) sed quò magis animabus proficiat.

Sed videamus quàm apti religiosi ad iuuandas animas ex ipsa animi puritate reddantur. Vbera tua (inquit Dominus) intumuerunt, & pilus tuus germinauit.] Pilo, vt diximus, fortitudinem, & vberibus compassionem designans. Duo hæc in ministro Euangelij, ad onus animarum ferendum sufficiunt: compassione & misericordia illas quærit, robore & fortitudine sustinet: compassione fouet, fortitudine tuetur. Illa inuitat; hæc allectas in virtute B conseruat. Sicut enim natura duas animalibus vires ad sui sustentationẽ concessit, concupiscibilem, vt necessaria quærerent; & irascibilem, vt quæsita defenderent, & iniurias sibi illatas propulsarent: ita Dominus his administris suis similes vires, multò tamen præstantiores, & naturæ facultatem superãtes, attribuit, quibus proximos ad virtutem adducerent, adductósque in virtute continerent. Primò ergo compassionem, & misericordiam animarum habent, ab ipsa puritate cordis exortam. Puritas nãq; solum Deum amat, & ea, quæ Dei sunt. Deique solius causa in istis amorẽ collocat, & si alterius causa in res amore feratur, eo ipso puritas nõ est, quia re- C rum ipsarum vilitate fœdatur. Animas igitur Dei imagines, ab ipso vnicè dilectas, in quarum gratiam vniuersa, tum cœlestia, tũ terrestria creauit, puritas diligit, illas inquirit, in eas se amore, & cordis teneritate diffundit. Qui honoris, aut voluptatis, aut diuitiarum cupiditate tenentur, non possunt animas purè quærere, nec vt decet, earum vacare profectibus, quia & harum rerum, quas amant, desideriis & occupationibus impediuntur, & omnia, quæ faciunt in earum adeptionem, tamquam in finem detorquent. Lacte compassionis suæ opes, & cõmoditates proprias nutriunt, & in sui ipsorum vtilitatem insumũt. Quibus dicit Dominus: Lac comedebatis, & lanis operiebamini, & quod crassũ erat, occidebatis; gregem autem meum non pascebatis.] De quibus etiã D Gregorius ait. Mens quippe concupiscentiis exterioribus occupata, igne diuini amoris non calet, & idcircò ad supremum desiderium inflammare auditores suos nequeũt verba, quæ frigido corde proferuntur. Neque enim res, quæ in seipsa non arserit, aliud accendit.] At isti, qui ad mundum muliebrem peruenerũt, tam puri, tam amore rerum terrenarum expediti, non sibi ipsis, sed solis profectibus animarum inseruiunt. Isti sunt honores, istæ diuitiæ suæ, in hoc suas delicias habent constitutas, vt peccatorem aliquem ex abysso iniquitatum extrahant, & Christo lucrifaciant. Hunc laborum atque studiorum sibi finem præfigunt; vt has gemmas pretiosas, id est, peccatorũ animas à cœno impietatis purgatas, in sponsi cœlestis repositorio recondant. E

Ezech. 34. 3. Gregor. 9. mor. c. 16.

Christus autem religiosorum animas tam auidas puritatis, & tam proximorum dilectione flagrantes, ad osculum suum, id est, ad suam familiaritatem admittit: ex qua noua desideria placendi illi, & maiorem ad lucrandas aliorum animas habilitatem accipiunt. Tantæ nempe efficaciæ osculum sanctum est (inquit Bernardus) vt ex ipso mox cùm acceperit illud, sponsa concipiat, tumescentibus nimirum vberibus, & lacte quasi pinguescentibus in testimonium.] Et infrà. Habes sponsa, quod petisti, & hoc tibi signum, quia meliora facta sunt vbera tua vino. Hinc te scilicet noueris osculum accepisse, quòd te

Bernard. ser. 9. in cant.

A concepisse sentis. Vnde, & vbera tua intumuerunt, facta in vbertate lactis, meliora vino scientiæ sæcularis, quæ quidem inebriat, sed curiositate, non charitate, implens, non nutriens, inflans, non ædificans, ingurgitans, non confortans.

Ex isto osculo Domini, tam succensæ animæ in sponsi dilectione persistunt, vt nihil aliud sitiant, nisi illi placere, eiúsque explere rectissimam voluntatẽ. Quam cùm in animarum lucris nouerint constitutam, hæc lucra, non oscitanter, & velut aliud agentes, sed grauiter & strenuè nituntur acquirere. Ad quæ ex cura sui ipsarum, atque ex propriis experimentis admodum efficiuntur idoneæ. Quæ enim peccandi occasiones fugerunt, sciunt optimè alias animas instruere: quo pacto laqueos, & decipulas peccatorum vitare debeant. Quæ proprias passiones vicerunt, & affectus compresserunt, rectè docent has immanes affectuum bestias mansuefacere, & iugo mortificationis domare. Quæ se exercuerunt in palæstra virtutum, aptissimè edicent, qua ratione sit virtutis arx obtinenda, & cum vitiis fortiter dimicandum. Et quæ in se ipsis, non semel, sed plus quàm millies expertæ sunt imbecillitatem mẽtis humanæ, sciunt optimè pusillanimis compati; infirmorum misereri, tristes & mærentes consolari, auersos attrahere, & peccatorum nexibus irretitos benignè & amicabiliter soluere, ac paulatim, & veluti per partes, tantis vinculis, & compedibus expedire. Adeò vt isti à viris spiritualibus in bonam frugem reuocati, possint iure dicere: Non habuimus pastores, qui non possint compati infirmitatibus nostris, tentati autem per omnia, vt in se priùs didicerint, quãtùm doleat assueta relinquere, & quo pacto deberẽt vulnera nostra curare. Hæc enim scientia medendi animabus, non in libris, sed in proprio corde perdiscitur. Vnde, qui numquam in proprium cor est ingressus, neque suos affectus composuit, minimè sciet corda aliorum ordinare. Et sæpe illud dictum Saluatoris in seipso videbit completum: Si cæcus cæco ducatum præstet, nónne ambo in foueam cadunt?] Anima ergo religiosa, quæ exercitiis religionis suam priùs puritatem quæsiuit, habet vbera, non arida: sed suauissimi lactis plena, quòd possit proximos lactare, & vt filios Christi decet, educare. Matt. 15. 14.

Ex hac etiam animi puritate manat robur, & fortitudo curandis animabus, valde necessaria, quam etiam in veris & spiritualibus religiosis esse, certa notitia comperimus. Adeò, vt meritò cuique illorum dicatur: Non solùm vbera tua intumuerunt, sed etiam pilus tuus germinauit. Habent isti sanctam quamdam libertatem, ac prudentem audaciam ad dicendum, quod expedit: licèt principes, aut nobiles ægrè ferant: quia neque honores aucupant, quos conculcarunt, nec diuitias, quas reliquerunt. Non sunt ex illis magistris, quos Paulus vocat, prurientes auribus.] Non ex illis prophetis, qui decipiebant Achab, dicentes: Ascende in Ramoth Galaad, & vade prosperè, & tradet Dominus in manus regis:] cùm tamen Dominus contrarium disposuisset, & id numquam fuisset eloquutus. Sed cùm in se ipsis veritatem ament, sine vllo timore aliis etiam veritatem annunciant, & quia in hoc mundo honorem laudis non quærunt, nec contumelias detrectationis sentiunt. Habent, & animum intrepidum ad increpandum, quibus illud Zachariæ optimè conuenit, Dominus exercituum proteget eos, & deuorabunt, & subiicient lapidibus fundæ, & bibentes inebriabuntur, quasi à vino, & replebũtur, vt phialæ, & quasi cornua altaris.] Quia enim vident se à diuina manu protectos, audent sæculariũ peccata amaris

Tim. 2. 4. 3. Reg. c. 22. Zacharias 9. 15.

increpationibus reprehendere,& impios,verbis sacræ Scripturæ, tamquam lapidibus fundæ percutero: zelo autem iustitiæ inebriati, & quasi phialæ sacrificiorũ & quasi cornua altaris sanguine, id est, sancta indignatione repleti,peccatores efficaci sermone terrẽt,& Domino,cui rebelles extiterant, ingenti multorum admiratione subiiciunt. Ille quidem Elias, qui in veteri lege formam religiosorũ prætulit, pro miraculo habitus est, quia impium Achab regem Israël hac liberrima oratione corripuit. Non ego turbaui Israël,sed tu,& domus patris tui,qui reliquistis mandata Domini,& sequuti estis Baalim.] Sed quantos similes Elias, homines pilosos,id est,fortes,& inuictos,religiones sanctæ protulerunt,qui cùm nihil mundanum timeant,& nullum temporale emolumentũ ex mundanis,aut quærant,aut sperent, liberè os aperiunt, non solùm, vt spiritum attrahant, sed etiam, vt quo attraxerunt spiritu,quoscũque,siue nobiles, vel ignobiles, siue principes, siue subiectos, audacibus verbis reprehendant.

1.Reg.18.18.

Habent tandem vires ac neruos ad eos labores sustinendos,qui in hac quæstuosa animarum negotiatione passim occurrunt. Qui enim internam mẽtis munditiã sunt adepti, sine labore: sed solo intellectu, & affectu, atque vitæ similitudine,Christo iunguntur, à quo fortitudinem, & animum inuictum ad resistendum accipiunt. Hac enim coniunctione patiens Iob, terribilibus etiam inimicis insultat, dicens: Pone me,Domine,iuxta te,& cuiusuis manus pugnet contra me.] Sunt etiã rebus terrenis,& sæculi curis exonerati, atque adeò multò faciliùs proximorum onera portant, quàm alij, qui propriis opibus, & honoribus,ac deliciis onusti,vix isto iugo durissimo portando sufficiunt. Dominus enim Euangelij ministris præcipit;ne portarent sacculum, neque peram, neque calceamenta;id est(vt exponit Ambrosius) ne possiderent aurum, neque argentum,neque rerum mortalium affectibus subiacerent,quia his possent à ministerio sibi commisso præpediri.] Qui ergo hæc impedimenta molestissima abiecerunt, idonei sunt, vasa Domini, id est, proximorum animas, more Leuitarum deferre, & in cœleste tabernaculum portare. Tandem assiduo rerum spiritualium vsu didicerunt sibi ipsis non fidere, quia hæc doctrina spiritus in schola propriæ diffidentiæ perdiscitur.Istos autem de se non præsumentes,propriámque vilitatem agnoscentes, confortat Deus,vt res magnas, & vires hominis excedentes efficiant.Vnde Richardus Victorinus ait;Itaque infirmitatem suam cognoscentibus, & per hoc se humiliantibus,& in se non confidentibus, robur præbet Christus, vt carnaliter esse fortes desinant, & spiritualiter conualescant.Ita dũ de se desperant, & in Christo sperant,mutant fortitudinem, & assumunt pennas,vt aquilæ,atque volant.Si ergo,ô anima, ad mundum muliebrem sponsæ Christi, id est, ad cordis munditiã per statũ religiosum peruenisti, non dubites tibi dictũ esse:Vbera tua intumuerunt, & pilus tuus germinauit.] Quoniã gemina fratris cõpassione adornata,& fortitudine roborata,iã apta effecta es,vt Christi paruulos nutrias,& eorum molestias, imbecillitatésque sustentes.Hoc autem manifestè religiosa vita subministrat, quæ disciplina animi puritatem attulit;diuinarum Scripturarum studio scientiam attribuit;& assiduo labore vires ad perseuerandum comparauit.

Iob.17.3.

Luca 10.4. Ambr.lib.7.in Lucam.

Richard. in cant. c. 11.

***

A

Religiosos non solùm aliis prodesse,verùm etiam in seipsis aliorum fratrum inspectione proficere.

CAPVT XIX.

Qvi profectibus animarum inseruiunt, & in fratrum salutem incumbũt, illud semper timere debẽt,ne dum aliis per doctrinæ ministeriũ prosunt, sibi ipsis per superbiam officiant. Tam pestilẽs enim est tinea superbiæ,vt præstantissimis operibus virtutis se ingerat, & inde homo soleat intumescere,vnde debuerat humilitate proficere. Quãuis autem omnia virtutis opera hoc possint subire superbiæ discrimen,sed illa præcipuè huic patent periculo, quibus proximos nostros iuuamus, & in iter salutis adducimus. Quia cũ altiora, & illustriora sint, procliuius est Diabolo ex illis occasionem elationis in nobis captare, & in alto positos, maiori casu, & ruina proterere. Ideò Dominus in discipulis suis missis ad prædicãdum, huic malo superbiæ primùm occurrit: Gaudentibus namque illis, quia dæmones subiicerentur ipsis, Dominus ita respondit; Videbã Satanam quasi fulgur de cœlo cadentem: Ecce dedi vobis potestatem calcãdi supra serpentes,& scorpiones,& super omnem virtutem inimici, & nihil vobis nocebit.Veruntamen in hoc, nolite gaudere, quia spiritus vobis subiiciuntur: gaudete autẽ, quia nomina vestra scripta sunt in cœlis.] Et ab hoc malo superbiæ sancta religio abũdè nos liberat,exempla nobis sanctorũ obiiciens, quibus semper proficiamus spiritu.& in humilitate,& contemptu nostri crescamus. Hoc autem bonũ ingens illud quidem ad suspiciendum Dominus per sanctum prophetã sequenti oratione declarat, dicens: Et eras nuda,& confusione plena.] Quæ verba aliis iam explicatis subiecta, non minimam dubitationem ingerunt Si enim anima mundum muliebrem adepta est, quomodo nuda est? si vberibus compassionis, & pilis fortitudinis exornata, quomodo confusione plena? Quam ob causam ei ignominiam & confusionem adscribit,quæ iam viuit, quæ iam multiplicata est; & grandis effecta, & quæ in cubiculo magni regis ingressa,ornamentum puritatis comparauit?An potest simul esse nuda,& vestita? Ignominia cooperta, & sanctitatis honoribus compta,& polita?

B

Luca 10.18.

C

Ezech 16.7.

D

Hæc verba, quæ prima fronte malum præ se ferunt,vnum ex ingentibus bonis status religiosi designant. Illud autem est, quod diximus, bonum humilitatis atque modestiæ,quod homo verissimè acquirit,cùm inter illos viuit, quos cautè viuere, & se meliores & sanctiores esse cognoscit. Quemadmodum enim Israëlitæ,homines quidẽ statura proceri,viribus robusti, & ad bella expeditissimi, assiduis laboribus, & consuetudine præliandi, seipsos cum habitatoribus terræ promissæ conferentes,despiciunt,atque contemnunt: Vidimus(inquiunt) monstra quædam filiorum Enac, de genere Gigantæo,quibus comparati, quasi locustæ videbamur.] (Et vtinam hæc aspernatio sui, nõ ad pusillanimitatem,& ignauiam,sed ad spem in Domino collocandam contulisset,quia sic euasissent suis hostibus fortiores.)Sic homo, quamuis omni virtutum genere indutus,& sanctorum operum opibus decoratus. se melioribus comparans, virtutésque suas cum illorum virtutibus metiens, vniuersa, quæ habet, minora reputat,séque ipsum verissimè minorem agnoscit. Quæ cognitio propriæ vilitatis,cùm non timi-

E

Num.13.34.

ditati, sed humilitati seruiat; cùm non ignauiæ, sed feruori, & desiderio perfectionis proficiat; magnum est præsidium sanctitatis: & vnde quis se deiicit, inde veram gloriam & sublimitatem conquirit. Hæc est illa confusio, vt est in Ecclesiastico, adducens gloriam & gratiam, quam magnus Antonius viso Paulo Eremita conceperat, cùm, teste Hieronymo, tantæ sanctitatis memoria compunctus, discipulis suis dicebat: Væ mihi peccatori, qui falsi monachi nomen fero. Vidi Eliam, vidi Ioannem in deserto, & verè vidi Paulum in Paradiso.] An hæc confusio, & ignominia non adducet gloriam, & gratiam, quæ nos ad currendum in via Dei, ad laborandum, & ad perfectiorum imitationem inuitat?

Eccles. 4. 25. *Hieron. in vita Pauli.*

Contingit homini religionem ingredienti quod nobilissimo comiti curiam regiam introeunti, aut ditissimo Episcopo, Pontificis summi aulam adeūti, euenire solet. Isti enim, qui in sua vrbe erant omnium principes, & sine controuersia, splendore domus, multitudine famulorum, nitore vestium, & dignitatis magnitudine reliquos superabant, à propria vrbe, cui dominabantur, abducti, & in aulam regiam, aut pontificiam ingressi; ita pusilli sunt, & abiecti, vt nullam amplitudinem, nec honoris gradum habere videantur. Nam illum, illustrissimi duces, serenissimi principes, & turba magnatum; istū verò, archiepiscopi, patriarchæ, & splendidissimorum Cardinalium cætus obscurant. Iam qui erecti, & gloriosi inter suos incedebant, inter illos aulicos erubescunt, & inglorij atq; obscuri procedunt. Hæc autem obscuritas, magna gloria est. Primùm quidem quoniam honor est eximius inter illos splendidissimos principes esse aliquid, ab eis comiter suscipi, & beneuolentissimè honorari, multò maior, quàm si à propriis subditis honorem acciperent. Deinde, quoniam magnifico apparatu illorū principum incitati, se ipsos superant, & elegantiorem cultum, lautiores epulas, & famulorū illustriorem magnificentiam ostendant. Ita prorsus, qui inter mundanos, & sæculares aliquid esse videbātur, quia peccatis abstinebant, castitatem amabant, eleemosynas erogabant, sacramenta frequentabant, aliquātulum temporis sanctæ meditationi concedebāt: in Christi aulam, scilicet, in religionem appulsi, & ad religiosorum conuictum admissi: tam propè nihil sunt, tam parum se in virtute profecisse conspiciūt, vt elementa virtutis, & suæ abnegationis principia discere incipiant. Qui ante in sæculo gloriosi incedebant, tamquam suis sodalibus sanctiores; inter religiosos erubescunt, ac si essent omnibus viliores. Credo nullū hìc esse (ait Bernardus suos fratres alloquens) qui si quartam partem eorum, quæ facit, in sæculo actitaret, non adoraretur, vt sanctus: reputaretur, vt Angelus: nunc autem quotidie tamquam negligens arguitur, & increpatur.]

Bern. s. 4 in Psalm. Qui habitat.

O quàm verum hoc. Nam oculi religiosæ vitæ, & lyncei sunt, & operibus pulcherrimis videndis assueti. Ex ea autem parte, qua ab initio institutionis suæ opera virtutis sublimia respexit, non miratur tyronum, licèt bonorum, opera, quæ in sæculo quidem erant rara, & in cœnobio sunt quotidiana; in sæculo, si cum iniquorum vita conferantur, erant magna; at in monasterio perfectorū operibus comparata, imperfecta reputantur, & parua. Ex ea verò parte, qua oculos lynceos habet, pusillos defectus, & penè inuisibiles maculas, quæ sæcularibus erant ignotæ, deprehendit: Hinc fit, vt qui boni erant in mundo, statum mutantes, & à sæculari vita ad religiosam venientes, quotidie negligentiæ, & tepiditatis arguantur, & tamquam ignaui milites increpentur.

De illo sanè, qui tam fœlix est, vt in religiosorum numerum asciscatur, illud dici potest, quod est apud Iob. Respiciet homines & dicet: Peccaui, & verè deliqui, & vt eram dignus, non recepi.] Nam à iumentis putrescentibus in stercore suo, hoc est, à peccatoribus, & iniquis, inter quos vitam agebat, oculos auertens, & homines, eos nempe, qui ratione reguntur, & ex præscripto virtutis gubernantur, considerans, se ipsum, licet bonum, & timoratum, deiicit, & defectibus plenum esse non dubitat. Hoc Gregorius magnus in eundem locum, ita confirmat. Sanctorum virorum exempla conspicit, atque eorum comparatione se pensans, iniquum se esse deprehendit. Qui enim plenissime intelligere appetit, qualis est, tales nimirum debet conspicere, qualis non est, vt ex bonorum forma metiatur quanto ipse deserto bono deformis est. Ex his quippe, quibus plenissimè bona adsunt, perpendit rectè, quæ sibi minus sunt, atque in illorum pulchritudine conspicit fœditatē suam, quam in semetipso, & potest perpeti, & sentire non potest. Lucem namque debet conspicere, qui vult de tenebris iudicare, vt in illa videat, quid de tenebris æstimet, per quas videre præpeditur.] Ad cætum ergo religiosum euocatus, quasi infans inter sapientissimos viros constitutus, pudore suffunditur, & quasi pannosus pauper inter diuites, & nobiles positus erubescit, aperit oculos mentis suę, & tantam in aliis lucem sanctitatis aspiciens, tunc tenebras suæ imperfectionis aduertit, tum qui aliquid se esse putabat, iam vitam suam anteactam, tamquam dignam castigatione reprehendit. Huius typum gessit vidua illa Sareptana, cuius filius mortuus est, postquam Eliæ subministrauit confidentiæ panem, & pietatis alimentum: Dixit enim ad prophetam. Quid mihi, & tibi, vir Dei? ingressus es ad me, vt rememorarentur iniquitates meæ, & interficeres filium meum?] Ac si diceret (vt Iosephus, Richelius, & Lyranus interpretantur) tanta est, ô Elia, sanctitas tua, vt & ego, licèt timens Deum coram te posita, tibique comparata, oculis Domini valde imperfecta apparuerim, adeò vt propterea (quasi meis peccatis indignatus) & filium meū interfecerit, & me hac acerbissima pœna mulctauerit. Sic prorsus in religiosa domo recenter admissus, nisi excors sit, & luce interiori priuatus, tantam adolescentulorum puritatem videns, tantam virorum doctissimorum modestiam, & humilitatem aduertens, tantam seniorum conspiciens sanctitatem, seipsum despiciet, & ob peccata præterita, nō diuinis donis, sed pœna, & indignatione iudicis, dignum agnoscet.

Iob. 33. 27 *Greg. 24 mor. c. 6* *3. Reg. 17 18.* *Iosephus antiquit. 1. Richelius, & Lyra. in 4. reg. 17.*

Hoc autem bonum, ex religiosorum societate, nō tantùm incipientes, sed etiam veterani, & in religiosa disciplina diu multúmque exercitati suscipiunt. Multi enim illorum inter sanctiores, & perfectiores vitam degunt, & in illis tamquam in speculis lucidissimis suos defectus, & vitia deprehendunt. Nullam habent occasionem dicendi illud superbi Pharisæi: Deus, gratias ago tibi, quia nō sum sicut cæteri hominum, raptores, iniusti, adulteri.] Sed potius cum humili publicano à longè stantes, & præ compunctione, nec oculos ad cœlum leuantes, pectúsque percutientes, suam prauitatem considerant, erratorúmque veniam humiliter petunt, dicentes: Deus propitius esto mihi peccatori.] Alij autem, qui re vera meliores sunt, & tamquam soles splendidissimi inter stellas refulgent, aliisque lucem doctrina sua, & calorem vitæ puritate subministrāt, etiam

Luc. 18. 11. *Ibid. 13.*

etiam habent vnde se deiiciant,& in conspectu paruulorum contemnant. Deus enim prouidentissimus iustorum pater, ita illis dona tribuit, vt non omnia in vno eodémque homine in supremo gradu reponat. Et ipse dedit(inquit Paulus) quosdam quidem Apostolos, quosdam autem prophetas, alios verò Euangelistas, alios autem pastores, & doctores; vt scilicet prophetæ in Apostolis gratiam Apostolatus suspiciant;& Apostoli in prophetis donum prophetandi venerentur: Et sic Euangelistæ in pastoribus, & isti in Doctoribus aliquid videant, quo illos se maiores,& præstantiores agnoscant. Et inter ipsos Apostolos,qui primitias spiritus acceperunt;& sanctitatis culmen obtinuerunt, ista fuit donorum ac virtutũ prouida distributio pro humilitatis gemma conseruanda. Paulus namque (inquit Beatus Gregorius) cùm cæterorum sanctorum sollicitudinem in prædicatione robustiùs laborando transcenderet, & ab elatione se premeret,& vires suas in humilitatis gremio nutriret, crudelitatis suæ antiquæ non immemor,Apostolorum omnium innocentiam cõtemplatus, ait: Ego enim sum minimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus, quia persequutus sum Ecclesiam Dei.] Et tamen eorundem Apostolorum primus,quasi accepti principatus oblitus, ac si minus ipse aliquid saperet, in Paulo sapientiam miratur, dicens: Sicut & charissimus frater noster Paulus secundum datam sibi sapientiam, scripsit vobis.] Ecce Paulus in Apostolis miratur innocentiam: Ecce Apostolorum princeps miratur in Paulo sapientiam. Quid est hoc, nisi,quòd sancti viri dum virtutum consideratione vicissim sibi alios præferunt, volantia animalia alarum percussione se tangunt, vt eo ad volatum se altiùs excitent.quo humiliùs alter in altero, quod admiretur,videt?] Ex hac ergo Domini distributione prouenit, vt in religione pusilli minusque perfecti in quibusdam donis Dei superent sanctiores: quod isti considerantes, illámque eminentiam callentes, non fictè,sed verè, & ex animo se minoribus submittunt,& ac si essent nudi,& egeni, coram illis se ipsos despiciunt.

Ephes. 4. 11. — *Greg. 24. mor. c. 6.* — *1. Cor. 15. 9.* — *2. Petr. 3. 15.*

Sic anima religiosa, casta Christi sponsa, per vicos & plateas quærit quem diligit anima sua. Vici enim sunt perfectiores; plateæ verò, quæ in maiorem tendunt latitudinem, significant imperfectiores: & dum in vtrisque bona,quæ habet, perpendit, in eis Christum quærit, & ab illis accipit incrementa virtutũ. Vnde Richardus Victorinus. Solent boni virtutes suas inuicẽ accendere, & alter ab altero profectus pariter, & humilitatis incitamenta sumere. Vnde contingit,vt dũ iste illius patientiã, & ille istius obedientiã,iste illius charitatem, & ille istius munditiã considerat, semper alter ab altero sumat, vnde in bonũ crescat. Multũ enim ad studiũ emendationis accinguntur, quando in aliis cernunt bonum, quod ipsi minus habent, & dum inuicem superiores se arbitrantur, & alter alterius bonum reueretur, & diligit, amando illud, suum facit, & se in humilitate custodit.] Hanc etiam mutuam iustorũ excellentiam in rebus à natura dispositis adumbratam, & delineatam aspicimus. Vt enim in elementis ignis calore vincit aërem, sed ab eo humiditate vincitur: & aër eadem qualitate excellit aquam, sed ab ea frigiditate excellitur: aqua verò terram frigore superans,à terræ siccitate superatur. Vtque in aliis rebus, aurum præstat ferro valore, & pretio, sed inferius est fortitudine: & homo vniuersis præstantior animantibus, à multis eorum vincitur diuturnitate; ita in iustis ac sanctis, idem prorsus euenire non dubium est. Iste eminet obedientia, ille mansuetudine, vnus gratia contemplationis ornatur,sed imbecillus est, nec valet corpus vigiliis,ieiuniis,&aliis asperitatibus corpus atterere: alius verò vigiliarum & afflictionum corporalium tenax, dono contemplationis caret: Quidam vbertimis lachrymis irrigatur, & diuinis consolationibus recreatus,quosdam haustus cœlestes experitur, sed sterilis est,nec animarum lucris accommodatus, alter verò,qui velut ignis delicta populorum,efficacia verbi, & dono prædicationis absumit, semper aret,nec illas est consolationes expertus:Sic anima sua dona consideratione præteriens,& fratrum suorum virtutes recogitans,illásque,quibus caret, exoptans, se nudam existimat, & de nuditate & paupertate erubescit. Sed, ô fœlix paupertas, ô pretiosus despectus, ô illustris contemptus, ô ignominia gloriosa, quæ animam in modestia continet, quæ sanctorum, & Dei amatorum est propria, quæ est veræ gloriæ,& maioris sanctitatis exordium. In me sit nuditas,& ignominia ista, vtinam Dominus animæ meæ dicat.Et eras nuda, & confusione plena.] Nec enim tunc nuda omninò erit, quasi non mundum muliebrem, quo ornetur, comparauerit: sed nuda, quia nondum ad omnem perfectionem sibi concedendam peruenerit,neque confusione afficietur, quasi deformis, sed erubescet, quasi amans, & desiderans Deum suum,& nudam se putans præ desiderio maiorum bonorum, & quasi æmulans charismata meliora.Hæc sunt,ô anima mea,alia eximia bona, quæ in religioso statu suscepisti, desiderabilia profectò super aurum, & lapidẽ pretiosum multum,& dulciora super mel,& fauum:]quòd si parua tibi videntur; attende, audi,diligenter considera, & adiiciam tibi multò maiora.

Cant. 3. 2. — *Richard. cant. c. 4.* — *Ezec. 16. 7.*

Religiosos ad magnam Dei familiaritatem, & amicitiam, fuisse vocatos.

CAPVT XX.

IAM ampliora vitæ religiosæ bona in sancto propheta respondent;iam præstantiora dona nostri status elucent: iam se nobis ostentant eximia diuini amoris insignia, quæ, qui in hoc statu positus meditatè perspexerit, maioribus beneficiis se à Domino prosequutum esse persentiet. Vnum autem est, quod sanctus Ezechiel, illis sequentibus verbis declarat. Et transiui per te, & vidi te.] Iam Dominus misericordiæ oculis animam viderat, dixerat quippe: Transiens autem per te, vidi te conculcari in sanguine tuo.] Quid ergo designat iste nouus aspectus, quo iterum anima à Domino transeunte videtur? An sicut ille aspectus misericordiæ fuit, ita iste est aspectus iustitiæ? Dominus enim nonnumquam videt ad misericordiam, nonnunquam ad iustitiam. Si non aspiceret ad misericordiam,non esset illam viduam consolatus,quæ vnici filij mortem deflebat. At cùm vidisset,misericordia motus super eam, dixit illi: Noli flere.] Si non aspiceret ad iustitiam, non cecinisset Moses: Vidit Dominus, & ad iracundiam concitatus est,quia prouocauerunt eum filij sui, & filiæ.] Et sanè aspectus Domini miserentis est. De cœlo respexit Dominus,vidit omnes filios hominum, de preparato habitaculo suo respexit super omnes,qui habitant terram.] Qui finxit sigillatim corda eorum. Aspectus verò punientis: Dominus de cœlo

Ezec. 16. 8. — *Luc. 7. 13.* — *Deut. 32. 19.* — *Psal. 32. 13.*

prospexi

prospexit super filios hominum, vt videat, si est intelligens, aut requirens Deum; Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt.] Primum aspectum, sanctus propheta illis verbis postulabat. Vide humilitatem meam, & laborem meum, & dimitte vniuersa delicta mea.] Secundum verò alio loco timebat, cùm diceret: Auerte faciem tuam à peccatis meis.] Vtrumque autem coniunxit, ita canens: Oculi Domini super iustos, & aures eius in preces eorum: vultus autem Domini super facientes mala, vt perdat de terra memoriam eorum.] Si ergo priùs Dominus animam antea viderat aspectu misericordiæ; fortè nunc videt aspectu iustitiæ. Sed si tunc ad misericordiam te vidit, ô anima, quando volutabaris in sanguine tuo, cur non nunc te ad misericordiam videat, quando ornabaris dono suo? Si te aspexit oculo miserationis peccatis fœdatam, & vitiis compeditam, cur non te aspiciat eodem miserationis oculo, puritate cordis expolitam, & decore humilitatis exornatam?

Psal. 13. 2. *Psal. 9. 14.* *Psal. 50. 11.* *Psal. 33. 16.*

Quod est igitur istorum duorum aspectuum discrimen, nisi quòd ille misericordiæ, iste autem non cuiusque, sed eximiæ cuiusdam misericordiæ fuit? Denique vidi te, & ecce tempus tuum, tempus amantium.] In his enim duobus aspectibus Dei, duas mihi vocationes depictas esse video, alteram, qua anima vocata fuit ad religionem: alteram, qua vocata fuit ad perfectionem. Illa vocatur, vt sit serua; ista, vt sit amica. Illa vocatur, vt timeat; ista, vt amet. Illa, vt defleat peccata; ista, vt à peccatis lota in virtutum possessione congaudeat. Illa admittitur in domum Domini, hæc extollitur ad familiaritatem Domini, illa concipit bonæ vitæ desideria; ista arripit perfectæ vitæ & sanctitatis consilia. Nam illi qui sæculum à se ablegare disponunt, non statim desideria perfectionis concipiunt, nec toto conatu, vt ad perfectionem capessendam necessarium est, iter virtutum arripiunt. Quemadmodum enim in naturæ operibus, Deus ab imperfecto ad perfectum, non imbecillitatis sed suauitatis causa, procedit. Vnde, priùs orbem, ex nihilo fecit; postea sex dierum spacio distinxit, & ornauit: & priùs legem naturæ tulit, qua hominibus sui cultus rudimenta tribueret; deinde legem scriptam, qua timorem, & reuerentiam doceret: Et tandem legem gratiæ, cuius præsidio in amore & desiderio sanctitatis erudiret. Ita in vocatione animæ pedetentim progrediens; primò eam ablactat, & ab amore rerum terrenarum abducit, & hoc fecit, cùm vidit eam conculcatam in sanguine suo, & dixit illi; Viue;] quod misericordiæ fuit: postea verò solido pane cælestium desideriorum refecit, & ad perfectionem extulit, cùm vidit eam, & ecce tempus eius, tempus amantium.] Et hoc est non cuiusque misericordiæ opus: sed magnæ, & ineffabilis misericordiæ: quam regius propheta cupiebat, dicens: Miserere mei, Deus, secundùm magnam misericordiam tuam. Iam communem misericordiam acceperat, cùm fleuit, cùm peccata sua abominatus est, cùm statum inimici deseruit, cùm dicenti sibi: Peccaui Domino, responsum est ex ore Dei; Transtulit quoque Dominus peccatum tuum.] Sed magnam misericordiam nondum fuerat consequutus, vt scilicet in pristinùm familiaritatis gradum à Domino admitteretur, & in fastigium sanctitatis perditæ attolleretur: Ideò magnam postulat misericordiam, & qui iam lotus erat, ampliùs lauari appetit. Ampliùs (inquit) laua me ab iniquitate mea] vt omninò mundatus, iterum in virum secundùm cor Dei, in virum scilicet, perfectum euadat. Quid ampliùs quæris, ô Dauid (ait Chrysostomus, istud sancti regis desiderium insinuans) perseuera gratias agens, indesinenter glorifica, quia ablatum est peccatum tuum. Sed volo (inquit) cicatricem extenuare, ablatum est vulnus, volo & pulchritudinem recipere.] Fuit ergo misericordiæ Dei, quòd Dauid tot peccata, adulterij causa perpetrata, dimisit, sed ad magnam misericordiam pertinuit, ita lapsum erexisse, vt nec signum casus, nec cicatricis vestigium permaneret. Ad magnam misericordiam pertinuit, seruum rebellem, qui regnum Domini insolenter inuaserat, iterum in pristinam amicitiam admittere, & in antiquam familiaritatem reuocare.

Ezech. 16. 8. *Psal. 50. 1.* *2. Reg. 12. 14.* *Psal. 50. 4. Chrys. hom. 2. in Psal. 50.*

Aspicit itaque Deus iterum animam religiosam magnæ misericordiæ oculis, cùm ei desideria sanctitatis, & subsidia potentissima assequendæ perfectionis instillat, ita vt dicere ei possit, non vt antea: Vidi te conculcari in sanguine tuo,] sed: Ecce tempus tuum, tempus amantium.] Sed istos duos aspectus Domini exquisitiùs aperiamus, vt quanta sit in religione cōmoditas diuinæ familiaritatis pādatur. Principiò quidem aspicit Deus animam, quam ad se vocare disposuit, & adducit eam, vel per seipsum tantùm secretissima inspiratione tangens (vt pulchrè explicat Cassianus) vel adiuncto etiam hominum ministerio, eorum aut verbis aut exemplis alliciens, vel tandem laboribus, tribulationibus, & flagellis, intrare compellens. Exit illa stupens, & tremens, quia ad quantas delicias vocetur, prorsus ignorat, putat se ad exilium, ad tristitiam, ad labores immensos impelli; sed, ô bone Deus, quàm alium statum rerum inuenit, quàm ipsa existimat. Illa castissima Ruth, quæ genealogiæ Domini meruit adscribi, cum quanto timore patriam deseruit, & cum socru sua Noemi in terram sibi ignotam, ac extraneam perrexit? Quàm seipsum cogit, quantam vim infert, vt dicat socrui: Quæ terra morientem susceperit, in ea moriar,] ibiq; locum accipiam sepulturæ? Hæc mihi faciat Dominus, & hæc addat, si nō sola mors me & te separauerit. Nihil nisi mortem videt, nihil nisi locum sepulturæ considerat, mihil nisi consortium tristis & desolatæ viduæ meditatur. At cùm minùs putabat, venit in Bethleem in domum panis, inuenit sponsum, reperit maritum, cui confidenter diceret, Ego sum Ruth ancilla tua, expāde palliū tuum super famulam tuam, quia propinquus es.] Reperit, qui se benediceret, quia nō fuit secuta iuuenes pauperes, siue diuites: sed ei adhæsit, à quo, primò sex modios hordei, deinde amantissimum filium suscepit. Et quæ inter suos erat vidua, & sterilis, inter extraneos, & fœcunda, & maritata sine spe talis successus, euasit.

Cassian. col. 3. c. 4 *Ruth. 1. 17.* *Ruth. 3. 9.*

O anima mea, vide in hac historia tui euentus imaginem, tuæ fortis fœlicitatem! Quantum timuisti patrium solum relinquere, parentes fratres, & cognatos deserere, rebus temporalibus valedicere: Iam tamen primo aspectu Domini permota; & vocatione animata, ausa es vitam mutare, nouum statum assumere. Sequuta es Deum tuum tanto metu, ac si herum seuerissimum sequereris, illud discipuli increduli intra temetipsam inculcās: Eamus & nos, & moriamur cum eo,] Ad carcerem, (vt tibi quidem videbatur) trahebaris, ad exilium mittebaris, ad mortem ipsam terribilē ducebatis. Quis enim carcer mundano homini tristior, quàm se intra augustæ cellæ ambitum includere? Quod exilium infœlicius, quàm dulcissimorum parentum consortio, & charissimorum fratrum, propinquorum, & amicorum aspectu priuari? Quæ mors terribilior, quàm omnia mundana linquere, sensus ab vniuersis deliciis abstrahere,

Ioan. 11. 16.

rahere, proprias volũtates exuere? Dicebas tamen vocanti Deo, magno timore conuessa: Hæc faciat mihi Dominus, & hæc addat, si non sola mors me, & te separauerit.] Vicisti sensum tuum, sequuta es Deum tuum, ingressa es monasterij carcerem, locũ exilij, vt ibi, aut vitam tristissimam, aut mortem amarissimam expectares: Et, ô anima, quàm insperata sors tibi obtigit. Inuenisti enim non carcerem, sed aulam regiã, omnibus opibus, ac deliciis instructam, planè Bethlehem domum panis, in qua refecta es pane consolationũ cælestium, quibus voluptates sæculi comparatæ, vilissimæ, & sordidissimæ, & abominabiles reputantur. Inuenisti non herum implacabilem, qui te opprimeret operibus luti, & B lateris, sed patrem amabilem, qui te laudaret, & intra cõscientiæ secreta, incredili suauitate diceret: Benedicta es filia, quia priorem misericordiam, qua tibi per baptismum consuluisti, hac, qua mundum deseris, posteriore superasti,] & quia non es sequuta iuuenes pauperes, siue diuites, insipiẽtes scilicet, & pueriles cogitationes, quæ te, aut metu paupertatis, & miseriarum ab hoc statu abripiebant, aut more diuitiarum, & delectationum infestabant. Inuenisti sponsum qui sex modios hordei tibi liberaliter daret, imò & qui quindecim argenteis, vt est apud Oseam, & coro hordei, & dimidio coro hordei sibi te in vxorem coëmeret. Nam argento verborum, & inspirationum suarum, & hordeo timoris, & donorum, quæ incipientibus erogantur (hordeum enim Deus, vt inquit Origenes, imperitionibus, & anima- C libus parat, amoris tritico interim suo tempore reseruato) te sibi in sponsam adiunxit. Inuenisti tandem virum, ex quo filium Obed, id est, seruum susciperes, & cor Deo subditum, & legi eius subiectum, mandatisque eius obediens comparares. Reperisti sanè regem potentissimum, simul & benignissimum, qui iterũ transiens per te, & videns te, traheret, non in locum horroris, sed in terram promissionis, in paradisum voluptatis, in cubile amicissimorum, in tempus amantium. In quo non timore pœnarum coacta, sed pulchritudine virtutis accensa, amoréque Domini illecta, & vias mandatorum curreres, & semitas consiliorum ingrederetis.

Hoc ergo magnum Dei beneficium est, & omnibus votis suscipiendum, quòd Dominus ad vitam D religiosam nos vocans, vocauit in locum amicorũ, & in tempus amantium. Hoc enim vita sæcularis à vita religiosa secernitur, quòd illa est locus seruorum, & tempus, quod in ea transigitur, ex natura status, est tempus eorum, qui timent, ista verò est locus amicorũ, & tempus in ea insumptũ, est tẽpus eorum qui amant. Iuueni namq; sæculari, qui necdũ sæculo renunciare disposuit, dictum est tantùm, vt vitam æternam assequatur; Serua mandata.] Eidem tamen maiora meditanti, & altiorem statum appetenti, cõsilia adiecta sunt Si vis (inquit) perfectus esse, vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & veni, sequere me.] Vitæ ergo sæculari præcepta pro- E ponuntur; religiosæ, consilia. Non quòd illa aliqua consilia non seruet; nã & eleemosynæ, & orationes assiduæ, & alia huiusmodi, sæpe cadunt sub consilio; sed quod perfectissimorum consiliorum, nempe dimissionis rerum, abdicationis propriæ voluntatis, & castitatis perpetuæ, voto firmatæ, expers sit. Nec quod ista à præceptis sit libera; sed quòd præceptorũ obseruationi consilia illa perfectissima adiiciat. Iusti enim (vt Cassianus ait) quibus lex non est posita, sic probantur non esse sub lege, vt iustitias legis, non solùm implere, verùm etiam superare contendant sicque deuotio eorum legali maior imperio, quæ obseruantiam cumulans præceptorum voluntaria addat ad debita.] Hoc autem est vitam sæcularem esse seruorum, religiosam verò, amicorum, & tempus illius esse tempus timentium, istius verò esse tempus amantium. An non serui sunt, & timentes, quibus hoc tantum datur elogium? Cùm feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite, Serui inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus.] Ac si dicat (inquit Bernardus) si solis contenti estis præceptis, & traditionibus impositæ legis, & non sponte etiam perfectionibus vos consiliis & suasionibus mancipatis, liberi quidem estis à debito, non tamen pro merito gloriosi, euasistis pœnam, sed nõ acquisiuistis coronã.] Illam intellige, quæ perfectis, & omnia relinquentibus tribuitur. An non amici sunt, & amãtes, qui non præcepto compulsi, sed amore Domini incitati, multa offerunt Domino non debita obsequia, quorũ operatione capaces redduntur diuinæ familiaritatis, & secretorum cœlestium, vt sic meritò possint audire: Vos autem dixi amicos: quia omnia quæcumq; audiui à Patre meo, nota feci vobis?] Præceptum (inquit Ambrosius) in subditos fertur, consilium amicis datur.] Hi ergo, qui sub consiliis Euangelicis viuunt, qui solam maiorem Dei gloriam inspicientes, cõsilia custodiunt, amici sunt, statum habent amicorum, vitam amantium.

Luc. 17. 10.
Bern. lib. de precepto, & dispensatione.
Ioan. 15. 15.
Ambr. lib. de viduis.

Iste igitur est status religionis, status amantium, in quo docemur famulari Domino, non timore pœnæ, vt serui, nec mercedis intuitu, vt mercenarij; sed vt filij charissimi, amoris obtentu. Hic non operamur tantùm, quod debemus, sed quod possumus, non curamus obligationem implere: sed possibilitati satisfacere, non vt dicatur nobis, fac quod teneris sed ne aspires ad ea, quæ non potes, non vt calcaria adhibeantur, sed vt frænum nobis iniiciatur. Hic veluti amatores fideles laboramus semper Deũ cogitare, Deum concupiscere, Deum loqui, Deum in omnibus operibus quæritare. Non hîc cogitationes perniciosæ, imò non otiosæ, & inutiles, sed sanctæ, proficuæ, & cœlestes admittuntur. Non desideria inauia rerum temporalium, sed vtilia rerum supernarum excipiuntur. Non verba iocularia, & detractoria, sed seria, & plena sapientiæ locum inueniunt. Si quis aliquod verbum sæculare, aut minùs circumspectum in medium profert, conuincitur ab omnibus, diiudicatur ab omnibus, non deest qui sermonem illum præcidat, & aut vtilem de Deo, quem amamus, iam incœptum continuet, aut nondum cœptum ingerat. Opera vniuersa in hoc tendunt, vt Domino placeamus, eúmque propitiũ, & benignum inueniamus.

Quod si amantium est cupere amati præsẽtiam, eiúsque dulcissimo aspectu frui, hic est veluti religiosæ vitæ scopus, & finis, Dei iugem præsentiam inquirere, ad eam omnibus votis aspirare. O quoties anima verè religiosa, tamquam verè, & ex corde amans, illud sancti Dauidis inculcat: Exquisiuit te facies mea, faciem tuam, Domine, requiram.] Et illud: Ostende faciem tuam, & salui erimus.] Et rursus alibi: Illumina faciem tuam super seruum tuum.] Faciei conspectum petit, nec istud præsumptionis est, sed amoris. Licèt enim sciat dictum esse à Domino: Non videbit me homo, & viuet,] non tamen aliquid aduersus hoc decretum se existimat postulare, cum iam mundo sit mortua, curisque sæcularibus minimè viuat. Petit itaque ostensionem diuinæ faciei, & audet cum Moyse dicere: Si inueni gratiam in cõspectu tuo, ostende mihi faciem tuã, vt sciam te, & inueniam gratiam ante oculos tuos] Hoc sine dubio amantium est, & magni amoris in-

Psal. 26. 8.
Psal. 79. 8.
Psal. 30. 17.
Exod. 33. 20.
Ibid. 13.

dicium. Nec tantùm anima mundi rebus exuta videre appetit, sed etiam videri à Domino cõcupiscit. Quid enim videri non cupiat, quæ in se innumerabilia Dei dona experitur, quibus oculis diuinis placeat, odium leuissimorum etiam peccatorum, possessionem virtutum, desideria sanctitatis? In quam sententiam pulchrè Richardus. Sed fortè hæc Dei sponsa, hæc Dei dilecta videre cupiebat, videri refugiebat. Et vbi est quod & alibi clamabat: Quando veniam, & apparebo ante faciem Dei?] O quantus amor, quanta fiducia! Amor, inquam, pulchritudinis diuinæ fiducia formæ, non alienæ, sed propriæ. Tantus amor, vt dicat: Defecit in salutare tuum anima mea, & in verbum tuum semper speraui] Et alibi affirmat, dicens, quia defecit spiritus meus.] Tanta præterea formositatis internæ fiducia erat, vt omninò impossibile credat, vt videatur, & non diligatur.] Sic ille. Cupit ergo anima in hoc statu, tamquam amatrix, præsentiam Dei, cupit etiam & ipso perfrui, ad hoc ergo carnales voluptates abiecit, vt cœlestes, & diuinas acciperet, ad hoc mundi complexus ablegauit, vt Dei complexus experiretur, ad hoc desideria rerum temporalium extinxit, vt sponsi dulcissimi desideriis arderet. Hæc anima amans (vt inquit Bernardus) votis fertur, trahitur desideriis, dissimulat merita, maiestati oculos claudit, aperit voluptati, ponens in salutari, fiducialiter agens in eo, Intrepida denique & inuerecunda reuocat verbum, & cum fiducia repetit delicias suas, solita libertate vocans non Dominum, sed dilectum.] Meritò igitur, ô anima religiosa, dictum est tibi à Domino: Vidi te, & ecce tempus tuum, tempus amantium.] Quoniam in statum amantium euecta es, in domum diuini amoris adducta, ad exercitationem amorum vocata, ad delicias purissimi amoris illecta, si tamen post victas concupiscentias tuas, nouisti ingredi intra te, & sanctis cogitationibus ac desideriis occupari.

[Margin: Richar. in Psal. 118. — Psal. 41. — Psal. 118. — Psal. 142. — Bern. ser. 74. in Cant.]

De protectione Dei erga religiosos, & quibus rationibus cognoscatur.

CAPVT XXI.

MAGNVM quidem bonum est vitam religiosam colentes tempus amantium fuisse sortitos, & à statu seruorum, in statum, non tantùm amicorum, verùm etiam amicissimorũ fuisse translatos, sed non est minus donum Dei, quod statim ipse Dominus per nostrum prophetam commemorat, scilicet, diuina erga nostrum statum protectio. Cuius iure optimo post statum amantium mentio habita est, quoniam ea, quæ impensè amamus, maiori cura ac diligentia custodire, atque defendere consueuimus. Expandi (inquit) amictum meum super te, & operui ignominiam tuam.] Hic amictus Domini expansus, animæ nuditatem & ignominiam operiens, eximiam quamdam prouidentiam religiosorum, nec nõ specialem protectionem designat. Licet enim Deus omnium rerum habeat prouidentiam, adeò, vt dicat: Nónne duo passeres asse væneunt, & vnus ex illis nõ cadet super terram sine Patre vestro?] Habet tamẽ multò maiorem, magisque specialem eorũ quos ad se vocauit, & in hunc statum amantium adduxit. Hos amictu suo cooperit, quo ipse amicitur, illo scilicet, cuius meminit propheta regius, cùm ait: Confessionem, & decorem induisti, amictus lumine, sicut vestimento]

[Margin: Ezechiel 16. 8. — Matth. 10. 29. — Psal. 103. 2.]

A Nónne hic Dei amictus est sua maiestas, atque potentia, qua laudabilis & gloriosus est? Sed hac illos mirabiliter tegit, quos in suam domum, nempe religionem euocauit. Quemadmodum enim rei, qui delictorum causa ad Ecclesiam confugiunt, ciuilibus & Ecclesiasticis legibus statuentibus, Dei reuerentia proteguntur, ne à iudicibus capiantur, & suorum delictorum pœnas exoluant: ita ad vitam religiosam euolantes, hac Dei maiestate protecti sunt, ne à dæmonibus, tentationum nexibus irretiantur, sed ab æterno carcere reddantur immunes.

Sed ex sententia Beati Gregorij, hic Dei amictus, nihil aliud est quàm Angelorum Sanctorúmque custodia. Ipse (inquit) speciosis induitur vestibus, quia B Sanctorum Angelorum choros, quos condidit, in vsum sui decoris assumpsit, & veluti quamdam vestem gloriosam sibi Ecclesiam exhibet, nõ habẽtem rugam, aut maculam. Vnde ei per prophetã dicitur: Confessionem, & decorem induisti, amictus lumine sicut vestimento.] Hîc quippe confessionem induit, illic decorem, quia quos hîc per pœnitentiam cõfitentes fecerit, illic fulgentes per decorem iustitiæ ostendet.] Hoc autem amictu animam religiosam Deus cooperit, quia sanctorum, & perfectorum, inter quos hæc anima viuit, exemplis, & orationibus defenditur, & Angelorum, quorum vitam imitatur, viribus ac potentia fulcitur. Expãdit ergo Dominus amictum super illam, cuius imbecillitatẽ, sua maiestate & potentia sustentat, cuius ignorantiam sanctorum vita ac moribus informat, cuius proteruiam C Angelorum consiliis emollit.

[Margin: Greg. lib. 31. in Iob c. 7. — Psal. 103. 2.]

Videamus tamen, quàm sit status religiosus à diuina potestate, & ab Angelorum cuneis protectus. Hoc quidem ostendit ipsius loci natura. Est enim religio veluti specula, ex qua quid hostes virtutis moliantur spectamus. Est locus eminens, vnde mundi laruas, sæculi personas, & malorum tragœdias inspicimus. Est portus, ad quem à tempestate passionum nostrarum confugimus. Est nidus nos libenter excipiens, & ab aucupibus defendẽs, de quibus ait Ieremias: Quia inuenti sunt in populo meo impij insidiantes, quasi aucupes laqueos ponentes, & pedicas ad capiendos viros.] Quis autem non videat hæc omnia defensionem maximam præ se ferre, requiem promittere, securitatem designare?

[Margin: Ierem. 5. 26.]

D Est religio tabernaculum à Deo structum, quod vt est apud Isaiam: Erit nobis in vmbraculum diei ab æstu, & in securitatem & absconsionem à turbine, & à pluuia.] In eo enim ab æstu cupiditatum liberamur, & à turbine tentationum, & pluuia distractionum abscondimur, quæ domum cordis paulatim euertunt, ita vt nec vestigium quidem pacis, & tranquillitatis relinquãt. Est religio cubiculum summi principis Christi, in quod nos infirmos, & imbecillos recipit, vt ab inimicis nostris tutos incolumesque custodiat. De quo regius propheta canit: Abscondes eos in abscondito faciei tuæ, à conturbatione hominum.] Sumus quippe absconditi in facie Dei, dum in eius conclaui habitamus, & in eius præsentia, & coram ipsius oculis vitam actionésque E traducimus. Est tãdem religio ciuitas refugij, in qua non tantùm securi viuimus, & nec eorum iniuriam quos læsimus, nec à iudice pœnas illatas timemus, verùm etiam alios protegimus, & ab ira diuina, nostra oratione defendimus. Ciuitates enim refugij, in quibus religiosi cœtus signati sunt, Leuitis, id est, fugientibus à sæculo, datæ sunt, vt & ipsi securi in eis vitam degant, & aduenientibus securitatem impertiantur. Rectè enim (vt inquit Ambrosius) fugaces fugacibus commẽdauit

[Margin: Isa. 4. 6. — Psal. 30. 21. — Amb. lib. de fuga saeculi c. 2.]

æternæ legis sanctio, vt qui hunc mundum obliti sunt, eos recipiant, qui peccata sua condemnantes, atque opera, obliuioné vitæ superioris expectent, & sæcularia, quæ gesserint, abolere desiderent.]

Quàm igitur securus status is, qui non solùm sibi securus est, sed aliis etiam ad illum fugiẽtibus, securitatem impartitur! Hoc sanè est, quod per Sophoniam promittit Dominus Ecclesiæ suæ: Quia tunc auferam de medio tui magniloquos superbię tuæ, & non adijcies exaltari amplius in monte sancto meo; & derelinquã in medio tui populum pauperem, & egenum, & sperabunt in nomine Domini.] Tollit Domin⁹ ab Ecclesia sua magniloquos superbiæ suę, cùm homines arrogantes, & ambitiosos remouet, qui vt laudem humanam, & cõcupitos honores aucupentur, suos auditores laudant, atque magnificant, & non peccatorum populi increpationem, sed ea, quibus populus delectetur, & admiretur, personant. Aufert superbiæ occasionem, qua nonnulli de fide tantùm mortua, & operibus vacua gloriantur: dum hos magniloquos exturbat tamquam nescientes veram virtutem edocere, & in quibus sit gloriãdum aperire. Relinquit tamen in medio congregationis fidelium, quam ab initio possedit, populum pauperem, & egenum, viros pauperes spiritu, qui cùm non defuit exequendi sui desiderij facultas, diuitias abiecerunt, omnibúsque rebus mũdanis, imò & propria se voluntate nudarunt, vt tamquam veri sapientes viam cœli docerent, & tamquam expediti milites populos sua præsentia defenderent, & oratione, consiliis, exemplisque fulcirent. Nec mirum est, quòd isti pauperes, & humiles sint Ecclesiæ defensio, quia sperant in nomine Domini, & non in sua virtute confidunt. O igitur magna misericordia Dei in statum religiosum collata, quem ita amictu suo cooperit, ita prouidentia gubernat, ita potentia defendit, vt per ipsum ciuitates, regna, nationésque defendat! Hæc est eius promissio, qua Abrahæ pollicitus est se propter decẽ homines iustos Sodomæ parsurum; quia propter religiosorum turmas in denario numero perfectioné denotãte signatas, multis peccatoribus parcit, & malorum delicta ad tempus dissimulat, vel vt conuertantur, patienter expectat.

Sophonia 3.11.

Genes. 18. 33.

Hanc diuinam protectionem conditio ipsa religiosorum declarat. Hi enim cùm ad perfectionem aspirent, & non quolibet gradu virtutis satientur, in diésque proficere studeant, & ad maioré sanctitaté venire festinẽt, in magno pretio sunt apud Deum. Quisque autem paterfamilias, si rectè suum munus exequitur, maiorem curã & prouidentiam habet rei pretiosioris, & sibi charioris, quã alterius, quæ neq; est æquè pretiosa, nec sibi tã grata: Deus igitur, qui omnes sapiẽtia, & regiminis perfectione vincit, maiori cura, & prouidẽtia prosequitur istos, quos veluti magis sui similes vnice amat, quã alios, quorũ vita, nõ rebus cælestibus cõsecrata, sed tẽporalibus curis, & expletioni propriæ volũtatis addicta, nec tãtum amorem, nec tantam curam, & diligẽtiam meretur.

Liceat mihi inter communes iustos, qui sæpe cadunt, & surgunt, Deique amicitiam vtcumque cõseruant, & inter perfectos viros, quales omnes religiosi esse deberent, hoc discrimen inducere, quòd illi sunt veluti aureæ monetæ magni valoris, isti verò sunt gẽmæ pretiosæ, quarum vnaquæque pretio, & valore multas aureas monetas exuperat. Vt ergo prudens mercator maiorem curam habet vnius gẽmæ, vt carbunculi, aut adamãtis, quàm multorũ aureorum, quia maior est illius, quàm omniũ istorum iactura: ita Deus maioré rationem habet vnius religiosi, perfecti, qui suo statui se accõmodãs cælestem vitam agit in terris, quàm multorũ aliorum, qui tamquam communes denarij aliquid virtute valent, sed non multùm valent. Illum re vera non solùm magis amat, & maiori prouidẽtia, circundat, vt fidelissimũ, & dulcissimum filium, sed etiam tribuit illi internã pacem, & trãquillitatem, animum omni metu liberum, prouidẽtiæ illius specialioris insigne. Verissimè enim Sanctus Prosper exclamat. O quantũ securitatis habent, qui sibi bene sunt conscij, & quantùm perturbatos humiliat perpetratio pudenda peccati. Sicut isti (loquitur autem de primis parentibus) se absconderunt à facie Domini, de sua turpitudine, nõ de nuditate confusi, qui non ideò erubescebãt, quia veste erant extrinsecus nudi, sed quia intrinsecùs protectione diuina nudati.] Isti amictu Dei cooperti, suum adiutorem cognoscentes, ad nullius tentationis pauent occursum, nec maleuolos timent, nec detractores horrent, nec hostes formidant, solum peccatum, etiam leuissimum, & Dei sui, non dicam iniuriam, sed displicentiam pertimescunt.

Prosp. lib. 2. de vita contēpla. c. 18.

Reliquerunt religiosi omnia, deseruerũt propter Deum vniuersa, quæ homines solẽt protegere, diuitias, possessiones, amicos, cognatos, parẽtes, & nudi, atque omni mundano præsidio spoliati, rẽmanserũt. Quid ni Deus illos tueatur, cuius causa tãtam nuditatem sustinent, tantámque desertionem perferunt? Hoc in illo patre multarum gentium præfiguratum est, qui cũ imperio Domini exisset de terra sua, & de cognatione sua, & de domo patris sui, & venisset in terram sibi monstratam, audiuit à Domino: Noli timere, Abrahã, ego protector tuus sum, & merces tua magna nimis.] O fælix exitus, qui ipsum Deum accipit in mercedem! O beatus egressus, qui talẽ meretur defẽsoré! Ego (inquit) protector tuus sum.] Quisque religiosus hãc vocem tamquam sibi dictam audiat, hãc promissioné, veluti sibi factã accipiat, & vt in illa magis exultet, verbis Chrysostomi suo statui accõmodatis amplificet. Ego, qui à Chaldæis te vocaui, ego, qui te huc duxi, ego qui te à periculis Ægypti liberaui ego qui semel, atq; iterũ promisi tibi, atq; semini tuo daturũ me terrã hanc: Ego te protegã. Ego, qui in dies magis & magis omnibus te clarũ ostẽdo; ego protego te, hoc est ego; scuti vice tibi ero, ego pro te certo, ego propugnator fio, ego curã gero, ego omnia difficilia, facilia tibi reddã.] Ita est, Domine, nõ inficior, ex quo sæculum deserui tu expandis amictũ tuum super me, & protegis me, tu me à tentationibus liberasti, ab illis præcipuè magis periculosis, quæ sub specie boni me oppugnabant, tu me ab occasionibus eripuisti, in quibus, aut vitã animæ, aut profectum amittebam, tu paupertatem fecisti iucundam, vt eam amarem, castitatem reddidisti facilem, vt eam amplecterer, obedientiam ostẽdisti suauem, & homine libero dignam, vt ei collum subiicerem. Quæ mihi incõmodiora, & molestiora visa sunt, inde meam requiem, & tranquillitaté elicuisti: Dulcia mundi in amara, & amara sanctæ domus tuæ in dulcia, & suauia conuertisti. Cella mihi videtur cœlum, solitudo apparet dulcis societas, assiduus labor versus est in vacationem, asperitas victus, & vestis, omnibus deliciis, & voluptatibus apparet iucundior, nihil difficile, nihil arduũ, sed omnia prona, omnia facilia in hoc statu reperio. Quid hæc omnia, Domine, sunt, nisi tuæ protectionis indicia? Quid nisi super me tui amictus expãsio? Quid nisi tui amoris pignus dulcissimum? Coniector enim ex his, quòd amas me, Nam vniuersa, quæ poterant me abstrahere à te, in ansam ad te veniendi commutasti, & scriptum inuenio, Quoniam diligentibus Deum, omnia cooperantur in bonum.]

Gen. 12. 1.

Gen. 15. 1.

Chrys. ho. 36. in Genes.

Habi

Habitant etiam religiosi desertum amore Dei, vt ibi nec leuibus peccatis (quoad fieri possit) vitam commaculent. Quælibet enim sancta religio desertum quoddam est, in quo spiritualis Israëlitæ peregrinantur. In ea namque, sicut in spirituali deserto, maior est libertas vacandi Deo, quia non sunt sæculares occupationes, quæ animum interpellent, maior est quoque tranquillitas: nam modò religiosi velint, nec à visu, nec ab auditu, neque à lingua molestantur. Quid enim infestent eos oculi, quos semper humi defixos habere docentur? Qui aures, quas vanis rumoribus occlusas seruare tenentur? Quid lingua, quam ligat districti silentij censura? Eremus ille, Ægypto terræque promissionis interiacens, ciborum corruptibilium sterilis erat, sed cibum incorruptibilem è cœlo demissum, peregrinanti populo suppeditabat: Ita religio, quasi eremus quidam vitæ mortali æternæque interiectus, commodis temporalibus caret, sed cœlestibus solatiis abundat. Qui ergo hoc desertum spirituale incolunt, non minus quàm illi carnales Israëlitæ, sed multò magis diuina protectiome teguntur, diuinisque fruuntur auxiliis. Hìc vestimenta eorum non sunt attrita, quia corpora inter disciplinæ religiosæ labores robustiora sunt, quàm si deliciis affluerent, nec calceamenta sunt vetustate consumpta, quia affectus non rebus hærent corruptibilibus, vbi veterascunt: sed cœlestibus, à quibus in dies nouitatem conquirunt. Pane Angelorum satiantur, contemplatione scilicet rerum diuinarum, cuius esu fortes aduersus dæmones, & robusti ad quærendam perfectionem fiunt. Colūna nubis per diem, & ignis flammantis per noctem illis ducatum præbet, cùm inter magnos honores, & applausus populorum, quos religiosi habere noscuntur, nube modestiæ ac humilitatis obteguntur, ne æstu vanitatis superbiant, & desideriis dignitatum inflammentur, & vt, cùm inter inuidorum detractiones, & maleuolorum persecutiones igne charitatis illustrantur, inimicos tamquam artifices coronæ cœlestis aspiciant, & amore verissimo prosequantur. Si verò ab ignitis serpentibus, ab aliquo nempe vano desiderio mordeantur, non deest

Deut. 29. 5.

A illis serpens æneus, aut quem ille serpens figurabat, Christus nudus, vulneratus, & patibulo affixus, cuius aspectu venenum concupiscentiæ abiiciunt, pristinámque salutem recuperant.

In hoc itaque spirituali deserto Deus paruulos suos viros humiles, & suæ prouidentiæ fidentes, ita à malis liberat, & ab omnibus periculis, tum corporalibus, tum spiritualibus illibatos intactósque conseruat, vt manifestissimè videant, se non manu hominis, imò Dei potētissimo brachio defendi. Non est enim humanæ potētiæ, sed diuinæ potestatis religionum amatores, atque beneficos, beneficiis cumulare, detractores verò, atq; maleficos multis miseriis, ac calamitatibus afficere, quod & antiquæ historiæ, & quotidiana experientia demonstrant. Non dubium, quin religiosorum cœtus iure sibi dictum existimet: Benedicam tibi, & magnificabo nomen B tuum, erisque benedictus: benedicam benedicentibus tibi, & maledicam maledicentibus tibi.] Quoniam sæpe vidimus, & audiuimus huius status defensores magnis Dei donis expletos, persecutores verò, maledictione diuina fuisse consumptos. Gaudeat igitur, & maximè gaudeat, qui professione ligatus, & tribus votis cōpeditus, vel vt melius dicam, omni materia peccandi liberatus, in deserto sanctæ religionis viuit: quoniam si ad proprium cor intrare nouerit, in se ipso illud Deuteronomij experietur. Inuenit eum in terra deserta, in loco horroris, & vastæ solitudinis. Circūduxit eum, & docuit, & custodiuit quasi pupillam oculi sui.] In hoc enim deserto malorum, pleno autem bonorū inueniet Deū potentissimum defensorem, qui se ducat securè ad C opera exteriora, & reducat cum fructu ad interiora, qui se doceat vias virtutum, & semitas æternitatis demonstret, & qui tamquam pupillam oculi sui charissimam ab omni malo custodiat. Inuenies eum, ô anima, qui expandat amictum protectionis suæ super te, & operiat ignominiam, id est, imbecillitatem tuam: quia pauperum nuditas, humilium imbecillitas, & despectorum paruitas, amictu diuinæ defensionis cooperta, omni est mundano imperio potentior.

Gen. 12. 2.

Deut. 32. 10.

PARS TERTIA.

De sublimitate vitæ Religiosæ.

NONNVLLA iam bona in superioribus nostri status expressimus, à quibus, quæ sequuntur, meritò separamus, tum vt mens lectoris fatigata, à lassitudine legendi repauset, tum vt ea illustriora demonstremus, quæ præter ingentem vtilitatem, magnam etiam sublimitatem animæ afferunt, & velut pars præmij huius status, & finis aliorum donorum esse videntur. Hæc verò, quæ ad vnionem animæ cum Deo, & ad verissimū honorem ex ipsa sequutum, spectant, idem Sanctus Propheta *hunc in modum commemorat, Et iuraui tibi, & ingressus sum pactum tecum: ait Dominus Deus: & facta es mihi. Et laui te aqua, & emundaui sanguinem tuum ex te: & vnxi te oleo, & vestiui te discoloribus, & calceaui te ianthino: & cinxi te bysso, & indui te subtilibus: & ornaui te ornamento, & dedi armillas in manibus tuis, & torquem circa collum tuum. Et dedi inaurem super os tuum, & circulos auribus tuis, & coronam decoris in capite tuo. Et ornata es auro, & argento, & vestita es bysso, & polymito, & multicoloribus: similam, & mel, &*

Ezechiel. c. 16. 8.

& oleum comedisti, & decora facta es vehementer nimis: & profecisti in regnum. Et egressum est nomen tuum in gentes propter speciem tuam: perfecta eras in decore meo, quem posueram super te, dicit Dominus Deus.

Quòd anima religiosa est sponsa Dei: ac primò de vinculo huius spiritualis coniugij.

CAPVT XXII.

QVi hanc mirabilem prouidentiã cõsiderat, qua Deus pauperculos suos protegit, atq; defendit, nõ sanè mirabitur, nec eã, aut nimiam, aut minimè conuenientẽ tantæ abiectioni & paupertati iudicabit, si dignitatem præcelsam animaduertat, ad quam religiosi vocati, & euecti sunt. Neque enim Deus religiosas animas in statum tantùm seruorum, amicorum, & filiorum admisit, sed in aliam dignitatem maiorem & optabiliorem extulit. Quam dignitatem, vel vt prædictam admirationem adimeret, vel vt ampliorem, & ex maiori causa ortum stuporẽ insereret, postquam de protectione disseruit, explicauit, dicens, Et iuraui tibi, & ingressus sum pactum tecum, ait Dominus Deus, & facta
Ezec. 16. 8. es mihi.] Hæc autẽ est dignitas sponsæ, qua nulla, nõ dico, arctior, & strictior, sed nec nobilior, atque præstantior excogitari potest. Amici quippe regum, aut filij nõ statim reges sunt, neque regni potestate potiuntur, at sponsa regis, ex conditione suæ dignitatis est regina, quæ à dextris regis sedet in vestitu deaurato, circundata varietate, ipso throno, & vestitu, si non æqualitatem, sed eximium honorem, & amplissimam dignitatem ostendens. In regia dignitate cõstituti, fideles amicos impensè amant, & filios à se progenitos, ac regni hæredes tenerrimè diligunt, sed sponsam ardentiori amore prosequuntur, quam & amicorum heram esse volunt, & filiorum principium, & velut fontem agnoscũt. Amicorum hoc est elogium, vt sint pretiosi illorũ thesauri, quibuscum amicitias inierũt. Nam amicus fidelis protectio fortis, & qui inuenit illum, inuenit thesaurum.] Filio-
Eccl. 6. 14. rum verò hæc est laudatio, vt sint occasiones lætitiæ patribus suis Filius enim sapiẽs lætitia patris sui.] At sponsæ maior & nobilior laus reseruata est, vt non diuersa res, sed eadem cum sponso computetur. Au-
Prou. 10. 1. dit quippe ab ore eius (cui non affectus, qui falli solet, sed iustitia, & veritas dominantur,) hoc, nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea.] Et certè Chri-
Gen. 2. 23. stus istud amoris verbum dicit fœlici animæ, quam non tantùm in filiam adoptat, sed sibi in sponsam adiungit. Os ex ossibus meis, & caro de carne mea.] Est os ex ossibus eius, vt sit pudica, & caro de carne eius, vt sit amica, os ex ossibus, vt resistat vitiis, caro de carne, vt respondeat beneficiis: os ex ossibus, vt custodiat fortitudinem, caro de carne, vt obtineat pulchritudinem. In vtroque autem sancti sponsi sui similitudinem præfert. Sicut enim ille decorem induit, & fortitudinem,] ita de ista legitur: Quoniam fortitudo, & decor indumentum eius.] Ille vocatur
Psal. 92. 1. Prou. 31. 25. vir, hæc autem virago: quoniam à viro isto, & robur, & decorem accepit. Non est ergo dignitas, quæ cum sponsæ dignitate possit conferri, quàm & spõsus teneriùs amat, sublimiùs effert, & maiori secum coniunctione dignatur.

Sed non omnes animæ iustæ hoc nomine sponsæ præstantissimo atque dulcissimo dignæ sunt: Non
Cant. 2. 16. omnes audent dicere; Dilectus meus mihi, & ego illi;] ita scilicet, vt Deo soli tamquam dulcissimo spõso intendant; sed si aliquæ sunt in Ecclesia, quæ tam præcelsum nomen mereantur, illæ profectò sũt ani-

A mæ religiosæ, quæ vitam propriã sui status, angelicam, cœlestem, & omni cura rerum terrenarũ exu- Bern. in cant.
tam agunt in terris. Hoc est quod dixit Bernardus; Da mihi animam nihil amantem præter Deum, & quod propter Deum amandum est, cui viuere Christus, non tantùm sit, sed & diu iam fuerit, cui studij, & otij sit prouidere Deum in conspectu suo sẽper, cui sollicitè ambulare cum Domino Deo suo, non dico magna, sed vna voluntas sit, & facultas non desit: Da, inquam, talem animam, & ego non nego dignam sponsi cura, maiestatis respectu, dominantis fauore, sollicitudine gubernantis. Hæc anima est sponsæ nomine nequaquam indigna, & hæc, aut sola anima religiosa est, aut in sæculo vitam religio-
B sam vsurpans. Quod autem hæc præ cæteris animabus iustis sponsa sit Dei, multa sunt quæ euidenter ostendunt. In ea enim coniunctione, qua Deo per solemnem professionem cohæret, omnia coniugij propria, non per similitudinem tantùm, sed si æqui cẽsores esse velimus, etiam per proprietatem, verissimè elucent. In coniugio quippe naturali, præmissa habilitate personarum, hæc ferè intercedũt. Primũ, vinculum insolubile, vtramque personam vinciẽs, atque connectens, quo vnum quid, vnum nimirum principium, & vna caro ad finem carnalis procreationis fiũt, mutuámque sibi faciunt sui ipsorum potestatem, & hæc est coniugij substãtia atque natura. Deinde, consensus amborum mutuus, hunc nexum naturalem, vinculúmque conficiens. Præterea, com-
C munis habitatio, vitæque consuetudo, qua se inuicem iuuant, & sui status onera portant. Rursus, fides, quam alter coniugum alteri seruat, vt sit honorabile cõnubium in omnibus, & thorus immacu- Heb. 13. 4.
latus.] Tandem procreatio filiorum coniugibus non solùm iucunditatem, sed etiam vtilitatem afferens.

Nihil istorũ nostro coniugio deficit, nihil istorum in eo desideratur. Personæ namq; habiles sunt. Deus & anima ad hoc fœdus ineundũ, ille, vt purissimè generet, ista vt concipiat. Ille quidẽ, vt generet. Nã per Isaiam dicit: Nũquid ego, qui alios parere facio, ipse non pariam? Si ego, qui generationem cæteris tri- Isa. 66. 9
buo, sterilis ero?] His verbis ostendens se, & rebus naturalibus vim ad procreãdum sibi similes tri-
D buisse, & spiritualium filiorum esse principiũ, quos suas imagines faciens, & similitudinem suæ sanctitatis impertiens, testimonium perhibet, quia sibi virtus generandi non deficit. Quod & propheta regius spiritu ipsius Domini edoctus euidenter affirmat, dum ipsum alloquens, ait: Vxor tua sicut vi- Psa. 127. 3.
tis abundans in lateribus domus tuæ, filij tui sicut nouellæ oliuarum in circuitu mensæ tuæ.] Qui enim vxorem à se tam mirificè fœcundatam habet, & tot filiis, & tam pulchris abundat, non dubium, quin aptus sit, vt animam ducat vxorem, & sibi vinculo spiritualis matrimonij coniungat. Hæc verò apta est, vt ex illo concipiat. Quod spiritu Dei, edocta per os Isaiæ palam cõfitetur se cum muliere
E comparans, ad partum appropinquante: Sic (inquit Isa. 26. 18.
facti sumus à facie tua Domine, cõcepimus, & quasi parturiuimus, & peperimus spiritũ. O fœlix partus in quo (vt ait Hieronymus) peperimus nõ carnis liberos, sed spiritus, vt tota in Deo mẽte credamus. Cõcipit Hieron. lib. 8. in Isa. ad c. 26.
ex Deo anima, cùm sanctitatis desideria percipit, quæ in oratione posita non sine purissima voluptate

spiritus

[A] spiritus sibi sentit immitti:parturit, cùm nõ sine ingenti dolore aliquando sensuum,& affectuum mortificationem in effectum producit:filios verò edit, & suscipit,cùm fructus partus,nimirum suauitatem veræ virtutis experitur.Isti sunt filij spiritus quos nõ caro, corruptionis seminarium, gignit, sed virtus &i Spiritus procreat. Isti etiam filij Spiritus salutis, qui animæ concipienti,& parienti illos, in hac vita salutem spiritualem afferunt, & in futura salutem gloriæ numquam perituram attribuunt.

Sunt etiam Deus & anima vinculo insolubili copulari. Nam solemnis professio, ita animam Deo, Deumq; animæ astringit, vt nulla sit humana potestas,quæ vinculum istud disrumpat,atque dissoluat. *Matt. 10. 9.* In ipsum enim illa quoq; lex Domini quadrat, quã pro naturali cõiugio sanciuit:Quia,quos Deus con- [B] iunxit,homo non separet.] Fateor adhuc sub iudice litem esse an possit summus Christi vicarius aliquam obligationem huius vinculi tollere, vt scilicet religiosus ad Episcopalem dignitatem euectus possit aliquid,vt proprium possidere:& ad coniugium, ob aliquam ingentem Ecclesiæ necessitatem coactus, possit actibus coniugij vacare,quibusdam Doctoribus affirmantibus,aliis verò negantibus. At vniuersi fateri deberent,vinculum ipsum,certa quadam ratione perseuerare, quatenus religiosus ille, qui ob necessitatẽ prædictã ad matrimonium,præcepto Papæ,coactus est,vxore mortua,filiisq; susceptis necessitateq; omninò sopita,nõ potest,vt liber, secundas nuptias appetere, sed vt verè Deo per pristinã professionem illigatus,ad statũ religiosum redire.Quod [C] si istud aut vere similius,aut certè minimè improbabile apparens, aliqui Doctores non fateantur, saltem omnes asserant,necesse est, summũ Christi Vicarium nõ humana potestate,sicut in ciuilibus legibus dispensat, sed planè diuina,è cœlóque delapsa, hoc aliquando vinculum propter ingentes Ecclesiæ necessitates,abstulisse.Itaque, sicut Deus solus potuit naturalis cõiugij vinculum,necdum opere carnalis commixtionis consummatum, religionis professione dissoluere, ita & potest per vicarium suum in terris,religionis nexum,quo anima sibi copulata est,vrgente aliqua grauissima ac communi necessitate,separare Et tunc sicut coniugatus,qui nondum sponsam cognouit,professionem solemnem faciens, coniugatus non manet, sed religiosus esse incipit, [D] ita religiosus, dispensatione Pontificis vxorem ducens, iam religiosus non est, sed ad statum sæcularem repedauit. In quam sententiam, Innocentius *In c. cum ad monasteriũ, de statu monachorũ.* huius nominis tertius,dixit:Abdicationem proprietatis,sicut & custodiam castitatis,adeò esse annexam regulæ monachali,vt contra eam,nec summus Pontifex valeat facultatem indulgere.] Est ergo professionis vinculum,quo anima religiosa Deo nectitur, vinculo naturalis coniugij admodum simile.Nam sicut istud sola morte dissoluitur, dicente Paulo. *1. Cor. 7. 39.* Mulier alligata est legi, quanto tempore vir eius viuit, quòd si dormierit vir eius,liberata est, cui vult nubat,tantùm in Domino.] Ita & professionis solemnis nexus,sola diuina potestate, quæ ipsa morte est [E] multò potentior,cùm habeat vitæ & mortis imperium,& propter grauissimas,& rarissimè contingẽtes causas auferatur.

Hoc autem vinculum commune est,sicut in naturali coniugio, & animam Deo tamquam sponso, Deúmque animæ tamquam spõsæ deuincit. Anima quidem ligata est verbis oris sui, illis nimirum:Voueo,Deóque me ipsam trado, & capta propriis sermonibus,quorum causa sponsus dicit illi:Et facta es mihi:] vtique non tam vxor, quàm sponsa,vt hoc [A] nomine ardentiorem amoris ostẽdat affectum.Deus autem verbis etiam suis est illigatus animæ:Nã iuraui(inquit)tibi,& ingressus sum pactũ tecum.]Sufficeret sanè simplex enũciatio Dei,qui summa veritas est,vt nobis instar spõsi copulatum crederemus; sed volens ostendere(verbis Pauli vtor)pollicitationis hæredibus immobilitatem consilij sui, interposuit iusiurãdum,vt per duas res immobiles,promissionem nempe, & iuramentum,quibus impossibile est mentiri Deum,fortissimum solatium habeamus.] *Heb. 6.* Per hoc autem vinculum, communémque traditionem, duo hi charissimi sponsi, mutuam sui ipsorum faciunt sui potestatem. Et de sponsa, quòd tota sit Dei,dubium esse non potest,dicente Domino:Et facta es mihi,seu facta es mea.]Et vita ipsa religiosa, [B] nõ tã verbo,quàm opere ipso attestante,in qua Deo semper & mẽte inhærere nitimur,& iugi operatione famulamur.In qua prælatus Dei personam agẽs, ac si essemus sui, nobis imperat, & omnes operas, studiaque præscribit.Quòd autem Deus totus sponsæ sit,opera ipsa declarãt.Quem enim,ô anima, tãquam sponsum dulcissimum amplexaris, nisi Deum tuum?Quem habes tuæ ignorantiæ magistrum?Tuę mœstitiæ solatium?Tuæ indigẽtiæ subsidiũ,nisi Dominum tuum?Hic seipsum dedit tibi vitæ sociũ, peregrinationis comitẽ,& planè spõsum tuũ, virúmq; fidelissimum. Denique, & erit in die illa(ait Dominus) vocabit me vir meus, & non vocabit me vltra Baalim] id est, Dominum meum.Si autem vir tuus *Osee 2. 16.* est,satis apertè liquet, tibi seipsum non necessitate, sed voluntate, amoréque dedisse,in tuique transisse [C] potestatem.

Est itaque Deus ratione huius vinculi sponsus animæ religiosæ, neque quia istæ multæ sunt, ideò amorem diuisum habet, aut minus est sufficiens ad singulas. De quo pulchrè Bernardus. *Bern. ser. 69. in cãt.* Nec ad multitudinem,multus erit,nec ad paucitatem,rarus,nec ad diuersitatem, diuersus, nec restrictus ad vnum, nec anxius ad curas, nec perturbatus, seu turbulẽtus ad sollicitudines: sic sanè vni intentus, vt non detentus, sic pluribus, vt non distentus.]O igitur magna huius animæ dignitas, quæ sponsa est summi Dei! O magna benignitas creatoris, qui tali nomine, vilissimam creaturam compellare dignatur! Meritò quidem hîc adiectũ est,ait Dominus Deus,] quoniam si Deus ipse hãc summam misericordiam [D] non affirmasset, quis eam cogitasset, non dico credidisset? Hac enim misericordia reginæ principatum tribuit animæ, & opes incomparabiles defert, & magnæ pulchritudinis esse fatetur. Sponsa namque regis æterni, quid erit nisi princeps, atque regina?& vnus spiritus cum eo facta,quid nisi eius diuitias, opesque possideat? & speciosissimo vnita, quid erit nisi tota decora,atque speciosa? Hæc monet Ambrosius(quamdam Dei sponsam alloquens) vt quietè,attentéque consideret: Aduerte (inquit, *Amb. lib 8. de virginibus.* quemdam Psalmographi locum interpretans)quãtum tibi Spiritus sanctus Scripturæ diuinæ testificatione,detulerit; Regnum, aurum, pulchritudinem. Regnum,vel quia sponsa regis æterni es, vel [E] quia inuictum animum gerens, ab illecebris voluptatum non captiua haberis,sed quasi regina dominaris. Aurum, quia sicut illa materies examinata igne pretiosior est, ita corporis species virginalis, spiritu consecrata diuino, formæ suæ acquirit augmentum. Pulchritudinem verò; quis potest maiorem existimare decore eius,quæ amatur à rege,probatur à iudice,dicatur Domino, consecratur Deo; semper sponsa,semper innupta, vt nec amor finem habeat,nec damnum pudor;]Est igitur mutuum, &

commune vinculum inter Deũ,& animam religiosam, quo ligantur, quo iunguntur, quo vnum efficiuntur. Nam qui adhæret Deo, vnus spiritus est.] Quid autem præclarius,quàm Deo connubio spirituali coniungi? Quid dulcius, quàm fonti omnium bonorum vniri? Quid securius, quàm omnipotẽti ac immutabili copulari?Huic adhærẽs anima sæculi casus, & mutabilitates non timet. Et ascendẽs de virtute in virtutem, deliciis affluẽs, innixa super dilectum suum, non sistit, quousque ad omnimodam perfectionẽ veniat,& prout possibile est in hac vita,quemdam gradum immutabilitatis acquirat.

1. Cor. 6. 7.

Cant. 8. 5.

De mutuo consensu coniugij spiritualis inter Deum,& animam religiosam.

CAPVT XXIII.

ALTERVM,quod in cõnubio spirituali,sicut & in carnali requiritur, est mutuus cõsensus eorum,qui iu vnum statum, eandémque vitæ rationẽ, pari vinculo,ac obligatione iunguntur. Neque enim, quæ duo voluntate sunt, in idem possunt conuenire, si alter ab altero in idipsum, proposito intentioneque dissentiat. Hic autem consensus sponsi Christi,& spõsæ animæ religiosæ,nequaquam abest,ex quo prędictum coniugij vinculum emanauit.Anima namque. non vi compulsa,non timore coacta: sed corde magno,animóque volẽti,votis se ligauit, professioni se tradidit,& se sui ipsi⁹ dominio priuauit,vt tota esset Dei.Non consiliis præceps,ac deuia: sed prudentia, ac iudicio permota, in hoc connubium spirituale consensit, vnius, aut duorum annorum spatio sibi ad deliberandum designato, omnibus bene perpẽsis,matureque consideratis,liberè dixit: Deus cordis mei,& pars mea,Deus in æternum.]

Psal. 72. 26.

Vt autem omnibus iste cõsensus animæ religiosæ constaret,voluit Dominus,vt prælati,qui in religione eius obtinent locum,hanc voluntatem ab eo,qui vitam religiosam amplectitur, postularent,& diligentissima indagine,an illa esset omninò spõtanea, ac libera,expẽderent.Hoc à principio religiosæ vitæ in Ecclesia seruatum est.Quod Cassianus his ferè verbis exposuit.Igitur ambiẽs quis in cænobij recipi disciplinam, non ante prorsus admittitur, quã diebus decem,vel eo amplius pro foribus excubans,indicium perseuerãtiæ,ac desiderij sui,paritérque humilitatis,ac patientiæ demonstrauerit.Cúmque omnium prætereuntiũ fratrum genibus prouolutus, & ab vniuersis de industria refutatus, atque despectus, tamquam, qui non religionis sed necessitatis obtẽtu monasterium optet intrare, iniuriis quoque & exprobrationibus multis affectus,experimẽtum dederit constantiæ suæ, qualisque futurus sit in tẽtationibus, opprobriorum tolerantia declarauerit,atque ita fuerit explorato mentis ardore susceptus,diligẽtia summa perquiritur,num de pristinis facultatibus suis inhæserit ei, vel vnius nummi contagio.]

Cassia. lib 4. de institut. c. 3.

Vide quantis experimentis olim consensus iste probabatur: Primò decursu alicuius temporis,quod solet corda mutare, priùs statuta abolere,& voluntates firmissimas emollire: deinde opprobriis,& contumeliis, quarum impetus à bono iam cœpto,nõ semel,imò sæpius facit resilire.Tandẽ abiectione vniuersarũ facultatum,qua homo huius sacri cõnubij, ac omnis perfectionis adipiscẽdæ desideriũ ostẽdat.

Ante Cassianũ verò,Beatus Dionysius Areopagita huius examinationis meminit, qua ab his, qui

A denuò vitam religiosam suscipiebãt,liber, atq; spõtanus postulabatur consensus. Perficiens autem(inquit)eam sacerdos,id est,monachalem consecrationem,ad perficiendum veniens(intellige ad eum,qui religiosum habitum induit)interrogat primùm hoc: si primùm abrenunciat diuisis non solùm conuersationibus:sed & phantasiis:Deinde perfectissimam ei vitam narrat, testimonium ei perhibens, quia oportet eum media superadstare (id est, sæculares, qui sunt in medio gradu, transcendere.) Hæc autem omnia perficienti,intentiúsque confitenti, cruciformi similitudine signans eum sacerdos, tondet, &c.]Itaque vitam religiosam aggrediens,palàm, & coram omnibus fatetur, se sponte, atque liberè renunciare mundo,iter perfectionis ingredi, & se totum Christo sponso tradere, atque cõsecrare.

Dionys. lib. de Eccles. Hier. c. 6.

B Quod autem ad huius consensus probationem olim seruauit antiquitas, nunc religio bene instituta custodit, nullo leuiter moto, aut necessitate victus oppresso, aut metu alicuius mali temporalis coacto, in suum cætum ac congregationem admisso. Si quæ tamen religiosa familia id non exactissimè custodiret, non sine ingenti suo detrimẽto huius experiretur documenti prætermissi contemptum.Videbit enim inter filios suos non vnum,aut duos tantùm:sed plurimos fictè conuersos,qui habitu religionis induti, non vitam,& mores spirituales colant:sed sæculi vitia, cõmodáque antea dimissa sectentur. Hoc ergo sanctarum religionum præpositi, aliique earum patres cũ tyronibus faciũt, quod filios Bathuel cum Rebecca

C sorore sua fecisse, sacra Geneseos narrat historia Cùm enim seruus ille Abrahæ, à matre ac fratribus virginis, ad coniugium Isaac eam instantissimè postularet,dixerunt ei: Vocemus puellam, & quæramus ipsius voluntatem.] Cúmque vocata venisset, sciscitati sunt: Vis ire cum homine isto? Quæ ait: Vadam.Et tunc demum dimiserunt eam:] sic & isti proposito, animæ ad religiosam vitam accedenti, Christi seruatoris decore, dicunt ei: Vis ire cum homine isto? Vis eum in sponsum accipere? Quæ anima tale coniugium detrectet? Quæ non te in dilectissimum sponsum accipiet? Quæ tota animi deuotione non dicet,Pater meus, & dux virginitatis meæ tu es?]Pater quidẽ familias tu es,Domine, qui

Gen. 24. 57.

Ierem. 3. 4.

D ex anima suscipis sanctissimos filios,qui eam habes loco amantissimæ filiæ, & qui internarum virium familiam sapienter benignéque gubernas. Et virginitatis dux,quem anima paterna domo egrediens libentissimè sequitur.Parum est hoc, post quem velocissimè currit, illecta odore fragrantissimo vnguentorũm eius,quia oleum effusum nomẽ suum.] Anima igitur, cùm primùm habitum religionis suscipit,constanter dicit, Vadam.] Firmissimè asseuerat:Magister,sequar te quocumque ieris.] Sed tempore probationis expleto,in prima voluntate perseuerans,professionisque voto se ligans, quod est, de camelo superbiæ mundialis descẽdere,& pallio humilitatis se operire, in dilectam vxorem à Christo suscipitur.Non est ergo dubium,quin anima in hoc sacrum coniugium sciens volénsque consentiat.

Cãt. 1. 4.

Math. 8. 20.

E Deus etiam in eadem voluntate fuit, imò prior ipse in hoc mysticum cõiugium cõsensum præbuit. Non vos me elegistis(ait)sed ego elegi vos,vt eatis, & fructum afferatis,& fructus vester maneat.] Imò cùm anima nihil de nuptiis cogitabat, has nuptias ambiuit,& tamquã procus (si dici fas est)animæ cõiugium procurãs,dotem pauperculæ obtulit (quod, qui impensè cupit alicuius virginis nuptias, facere solet)& arrhã ditissimã est ipse pollicitus. Dotẽ voco,gratiam vocationis,qua sustentat Deus animã,&

Ioan. 15. 16.

eam virtutibus & donis induit ad suum statum necessariis, oneráque vitæ religiosæ facilia reddit, atque suauia. Vnde enim rudis nouitius habet, vt dulce sit illi silentiũ? iucunda corporis castigatio; facilis in rebus etiam difficillimis obedientia? Vnde accepit, vt nouus status pristinæ vitæ sæculari adeò dissimilis, tam iucundus, & gratus ab initio sui ingressus sibi videatur, ac si in eo natus esset, & nutritus; nisi ab hac vocationis gratia, quæ tamquam amplissima dos animam ditat, & vnde reficiatur, & exornetur abundè suppeditat? Dicam profectò quod Lia, cùm sextũ ex viro suo Iacobo concepit, & peperit filiũ. Dotauit me Deus dote bona, etiã hac vice, mecum erit maritus meus.] O bona dos, quæ Liæ, id est, animæ ad labores, & pressuras religionis vocatæ, data est, vt ea labores sustineat, molestias non sentiat, & sponsum suum in nocte huius vitæ secum retineat. Hanc amplissimam dotem animabus Dominus, ne coniugium istud spirituale detrectem, ingenti asseueratione promittit. Reuera dicit illis (si ita cogitare fas est) quod Sichem cùm Dinæ nuptias insolenter ambiuit; etsi alia longè ratione, quia non aliqua concupiscentia motus, cuius aculeus nullo modo in purissimam naturã cadit, sed sanctissima charitate incitatus. Augete dotem, & munera postulate, & libenter tribuam, quod petieritis.] Quid est augete dotem, nisi quidquid necessarium est ad vitam in statu pœnitentiæ lætissimè transigendam, considerate, & hæc omnia dabũtur vobis? Quid est, munera postulate, nisi vniuersa dona, quæ decori, & pulchritudini seruiant, sine vlla hæsitatione petite; quia nullum eorum vobis negabitur? Tantummodò fugite mundum; sæculi deliramenta relinquite; ad meos amplexus properate, sanctissimas delicias accipite; & in hoc purissimum ac spirituale connubium præbete consensum.

Gen. 30. 20.

Gen. 34. 12.

Arrham autem docet me Hugo Victorinus, vt vocem subsidia temporalia. Insignis est arrha eius (inquit) nobile donum eius. quia nec magnum decuit, vt parua daret, nec pro paruo sapiens magna dedisset. Magnum ergo est, quod tibi dedit; sed maius est, quod in te diligit. Magnum ergo est, quod dedit. Quid dedit tibi, ô anima, sponsus tuus? Expectas fortassis quid dicturus sim? Cogitas à quo quid magni acceperis? Nec inuenisti aliquid tale habere, aut accepisse, vnde gloriari possis? Dicam igitur tibi vt scias, quid dedit tibi spõsus tuus. Respice vniuersum mundum istum, & cõsidera, si aliquid in eo sit, quod tibi non seruiat. Omnis natura ad hunc finem cursum suum dirigit, vt obsequiis tuis famuletur, & vtilitati deseruiat, tuisque oblectamentis, pariterque necessitatibus, secundum affluentiam indeficientem occurrat.] Hæc autem arrha à Deo sponso dulcissimo, religiosis præcipuè donata est. Ipsi enim sunt, in quos verissimè illud Apostoli quadrat: Tãquam nihil habentes, & omnia possidentes.] Et rursus illud: Omnia vestra sunt, siue Paulus, siue Apollo, siue Cephas, siue mundus, siue vita, siue mors, siue præsentia, siue futura; omnia enim vestra sunt, vos autem Christi.] Nihil religiosi habent, quia omnium dominium abdicarunt; sed possident vniuersa, quia secundum exigentiam suam omnium rerum vsum accipiunt. Nutritij sunt Apollo, Paulus & Cephas: Nam prælati illis famulantur, eorúmq; gubernantur industria. Illúdque Isaiæ agnoscunt impletum: Mammilla regum lactaberis.] Et idem alio loco dicit: Et erũt reges nutritij tui.] Vitæ, & mortis, præsentium & futurorum, imò & totius orbis decerpunt fructus, quibus pro exiguis rebus à se relictis in futuro vita æterna, & in præsenti tempore illud magnificum centuplum promissum est. Quod non aliquem determinatum numerum, sed innumerabilem bonorum multitudinem, relinquẽtibus sæculum, prærogatam esse significat. Centuplum namque (ait Cassianus) fratrum, parentúmve recipiet quantitatem, quisquis patris vnius, vel matris, seu filij, pro Christi nomine, charitate contempta, in omnium, qui Christo deseruiunt, dilectionem sincerissimam transit, pro vno scilicet tot inueniens patres, fratrésque feruentiore ac præstantiore sibi affectione deuinctos. Multiplicata etiam domorum, atque agrorum possessione ditabitur, quisquis vna domo pro Christi dilectione reiecta, innumera monasteriorum habitacula, tamquam propria possidebit, in quacumque orbis parte, velut in suo iure succedens. Quomodo enim non centuplum, & (si Domini nostri sententiæ superadiici aliquid fas est) plusquam centuplum recipit, qui decem, vel viginti seruorum ministeria infida, & coactitia derelinquens, tot ingenuorũ, ac nobilium spontaneo fulcitur obsequio? Quod ita esse, etiã vestris experimentis probare potuistis, qui singulis patribus, matribúsque, ac domibus derelictis, quamlibet mundi partem fueritis ingressi, patres, matres, fratrésq; innumeros, domos quoque, & agros, seruósque fidelissimos, absq; vllo sollicitudinis labore cõquiritis, qui vos, vt proprios dominos summis suscipiunt, amplectuntur, fouent, venerantur officiis.] Si Deus tã amplissima dote, & tam ditissima arrha religiosam animam cumulauit, vt eam ad has nuptias spirituales pertraheret, quis neget ipsum in hoc sanctũ coniugium præbuisse consensum? Assentitus est ille quidem, assentitus est, & ardentissimo amore commotus, animã quam dilexit voluntate, imò & voluptate pertraxit, & consensum eius, non vi extorsit, sed inspirationibus, sed donis, sed beneficiis, acquisiuit.

Hugo in soliloquio de arrha animæ.

1. Cor. 6. 10.

1. Cor. 3. 22.

Isaia 60. 16.

Isaia 49. 23.

Matt. 10. 30.

Cassian. col. 24. c. vlt.

Fecit profectò cum anima, quod in Deuteronomio faciendum victori præciditur, cùm virginem bello captã adamauerit, & sibi in sponsam copulare voluerit. Si ingressus (inquit) fueris ad pugnam contra inimicos tuos, & tradiderit eos Dominus Deus tuus in manu tua, captiuósque duxeris, & videris in numero captiuorum mulierem pulchrã, & adamaueris eam, voluerisque habere vxorem; introduces eam in domum tuam, quæ radet cæsariem, & circumcidet vngues, & deponet vestem, in qua capta est; sedénsque in domo tua, flebit patrem & matrem suam, vno mense, & posteà intrabis ad eã, dormiésque cũ illa, & erit vxor tua.] Cui enim melius competit esse egressum ad pugnã, quàm Christo Saluatori nostro, de quo per mysteriũ dictũ est: Catulus Leonis Iuda ad prædam fili mi ascendisti requiescẽs accubuisti, vt leo, & quasi leæna, quis suscitabit eum?] Quem namque designat iste leonis catulus, nisi Redemptorem nostrum Iesum (vt Gregorius ait) de quo in Apocalypsi legimus, quoniam vicit leo de tribu Iuda.] Hic sanè ad prædam ascendit, cùm in mundum ingressus est, vt cum peccatis pugnaret, & Diabolum in nos tyrannidem agẽtem, debellaret. Accubuit autem, vt leo, quia mortem non coactus, sed libens, voluntariúsque subiuit, & nullus eum suscitauit, sed per virtutem diuinitatis suæ à mortuis ipse resurrexit. Illi tradidit Dominus hostes in manibus suis, quia corã illo infernum prostrauit; infidelitatis cæcitatem deiecit, & omnia per suũ sanguinẽ peccata deleuit. Captiuos verò duxit, cùm homines captiuos Diaboli, captiuos veritatis fecit, & secum captiuam hanc captiuitatem, ad fidei lucem, & vitæ puritatem euexit, nõ pœnarũ vinculis compediuit. Tunc igitur inuictissimus hic dux inter-

Deut. 21. 10.

Gen. 49. 9.

Gregor. in Psalm. 4. pœnit. Apocal.

captiuos mulierem pulchrā videt, videndo adamat, adamando in vxorem acceptare disponit, cùm animam in sæculo commorantem, oculis miserationis aspicit, & aspiciendo, tenerrima dilectione prosequitur, & diligendo ad spirituale coniugium, quod in religiosa professione fit, efferre constituit. Sed antequam animam in sponsam accipiat, legem hāc à se ipso per Mosen latam, perfectissimè seruat: Hoc ipso docens; Quia non venit legem soluere, sed adimplere.] Nam primùm introducit eam in domum suam, & in monasterium, aut religiosam societatem admittit, quæ speciali ratione domus eius vocata est, qui dicit: Cœlum sedes mea, & terra scabellum pedum meorum:] quoniam inter religiosos viros, virtutum decore, & sanctitatis splendore pollentes, clariùs (prout fides admittitur) seipsum manifestat, & frequentiùs libenter requiescit. Deinde cæsariem animæ radi præcipit, quando vniuersa temporalia abijcit iubet, & curas sæculi, quę mentē excæcabāt, & ab vtilibus cogitationibus abstrahebant, abscindit: Postea monet, vt circumcidat vngues, id est, ne curam carnis faciat in desideriis, sed rebus ad naturam sustentandā necessariis contenta, spiritualia, & cœlestia concupiscat. Ad hæc, hortatur, vt deponat vestem, in qua capta est, non tam eam externā, quæ habitus religiosi susceptione deponitur, quā internā immunditiæ, & arrogantiæ, & sæcularis cōuersationis à primo nobis parente cōcessam. Nam, vt egregiè dixit Ephrem; Monachum non tonsura commendat, nec habitus, sed cœleste desiderium, diuinúmque viuendi institutum: quibus optima declaratur vita. Tandem Dominus fletum, ac luctum, causa parentum animæ indicit; vt scilicet lugeat, quòd patrem diabolum secuta sit, & matrem impiorū congregationē audiuerit. Quibus toto tēpore probationis diligentissimè præstitis, iam per professionem sibi copular, & in charissimam sponsam asciscit. Qui ista omnia ab anima iusto bello capta postulauit, & postea nexu sibi coniugali deuinxit, apertum indicium præbuit, quoniam ancillam adamauit, & sponte vxorem ducere voluit. Est ergo in hoc spirituali connubio mutuus sponsi sponsæque consensus, quo Dominus animam ad se vocauit, & sibi arctissimo vinculo ligare decreuit, & anima tam dignum, & pulchrum sponsum admisit, & sui dominium illi concessit. Quare ex hac parte nihil in statu religioso desiderari potest, quò minùs sit verum, & indissolubile cum Christo coniugium.

[Matth. 5. 8.] [Isa. 66. 1] [Rom. 13. 1.] [Ephrem de vita relig. ... cap. 58.]

De communi vitæ consuetudine Dei, & animæ religiosæ.

CAP. XXIV.

Habent etiam coniuges communem habitationem, indiuiduámque vitæ consuetudinem, vt se mutuo iuuent, & huius vitæ onera inuicem portent. Quod magnum bonnm esse, ipsi non tam verbis quàm factis astruunt, cùm à seipsis ex aliqua causa discedūt, lachrymis scilicet, ac gemitibus, & magna cordis pressura, hunc discessum intolerabile malum esse testantes, id etiam ostendit, tum voluptas, tum subsidium, quod ex ista cōmuni vita percipitur, dum alter coniugum alteri, & est occasio lætitiæ, & est molestiarū leuamen, quæ duobus simul sustinentibus, minus onerant, & facilius perferuntur. Hanc autem indiuiduam habitationem, vitæque consuetudinem non deesse spirituali coniugio Christi, & animæ religiosæ compertissimum est. Quod enim ad habitationē attinet, rudiori Minerua (vt aiunt) etiam potest intelligi: nam cuiusdam partis religiosæ domus, Deus ipse habitator est, tēpli videlicet, cui religiosorum cellulæ sunt loco sitúque coniunctæ. Inde anima ad templum tamquam ad conclaue sponsi, nullo externo ornatu conquisito, quia intra domum suam est, non minùs propera sæpe, quàm læta procedit, vt eum fide videat, deuotione loquatur, amore amplexetur, & tota ei sanctis desideriis inhæreat. O summum & incomparabile bonum. Christum tam vicinum habere, vt solus paries nos corpore, ipsúmque disiungat, ad quem, nec cubicularij, nec ianitoris obtenta, imò nec postulata facultate, cùm libet, accedimus: quia ostium sponsi charissimæ sponsæ numquam est occlusum, nec turba ianitorum impeditum. Certè non est alia natio tam grandis, quæ habeat Deos appropinquātes sibi, sicut Deus noster adest nobis.] Nec istud mirum est, quoniam dij fictitij gentium, dij tantùm videri volunt, sed non sunt: Deus autem verus noster, & Deus, & sponsus est, cuius maiestatem tēperet amor, vt nos propè habere dignetur. Salomon quidem amplissimam domum ædificauit filiæ Pharaonis, quam super omnes alias mulieres adamauerat, & tamquam primam vxorem acceperat. Hæc autem domus, licèt pulchra, atque magnifica, alia erat ab aula regia, quā ipse pacificus, & gloriosus rex in suam habitationē delegerat. At Christus in hoc erga religiosas animas ardentiorem amorem ostendit, quòd non eas à se habitationis loco, domóque disiunxit. Sed cœnobium, domus Christi est, domus quoq; animæ religiosæ, quā ille velamine sacramenti contectus inhabitat, quā ista, tāquā sponsa per fidē adhuc ambulans, non per speciem, non alienam, sed propriam existimat: Illius regis amor, qui ardentissimus erga vxorē putabatur, in hoc tepidior apparuit, quòd secum honorem, & maiestatem retinuit. Ad hoc enim sibi, & vxori distincta palatia construxit, vt regiam dignitatem, & dominationis potestatem ostētaret. Christi verò amor, quo amplectitur animam religiosam, eo ipso videtur ardentior, quòd (vt secundū morem nostrum loquamur) maiestatem, & auctoritatē consopiuit. Nam vnā eandémque domum sibi, & animæ, regi, & reginæ, sponso, & sponsæ, non sine magno consilio pietatis, ædificat, vt omnes in eo erga religiosas animas misericordiæ dulcedinem, & amoris exuperantiam aspiciant. Amor (inquit Bernardus) maiestatem non cogitat.] Quis ergo dubitet Christū hanc spōsam impensè diligere, quam sine ostēsione maiestatis, sine dignitatis respectu, in eandem domum, imò & in idē vile tugurium (tales enim sunt domus luteæ) eius desiderio incitatus, admisit?

[Deut. 4. 7.] [3. Reg. 7. 8. & 9.] [B. in ser. in Cant.]

Non horret Christus communem cum ea anima habere domum in terra, cum qua eandem habitationem, eámque perpetuam est habiturus in cœlis. Nec timet anima Christo eadem habitatione, & domicilio iungi, quem non, vt hospitem, sed vt sponsum in sinu cordis sui, aut quotidie, aut frequēter excipit, & ex eius præsentia, amore, gaudio ac puritate ditescit. Denique tantùm abest vt in Christi domo habitare timeat, quòd potiùs de hac communi cum illo habitatione non insipienter se iactat. Lectulus (inquit) noster floridus, tigna domorum nostrarum cedrina, laquearia nostra cypressina.] Nō proprij lectuli, aut propriæ domus, sed communis vtrique mētionem facit, vt spōsa scilicet de maritali lectulo, ac domo se glorians. Neque enim (vt inquit Bernardus) se sponsi contubernio, aut quietis

[Cant. 1. 17.] [Bern ser. 46. in Cant.]

eius

A eius putat ascendam consortio, quæ semper, non quæ sua, sed quæ illius sunt, quærere consueuit. Et hæc causa cur sibi, & sponso simul, siue lectulum, siue domos ausa sit pronunciare communes. Dixit enim, lectulus noster & tigna domorum nostrarum, & laquearia nostra, audacter se in possessionem associans, cui iunctam non dubitat in amore.] O igitur fœlix anima, quæ non iam vt ancilla, sed vt sponsa talem domum inhabitat, quam Christus, sapientia Patris tum per se ipsum, tum per prælatos, vicarios suos regit, atque gubernat! Nam nec rerum temporalium necessitate angustabitur, nec famulorum proteruia, & importunitate turbabitur, nec aliquo timore mali imminentis impedietur, quominus sponsi vacet amplexibus.

B Communis est ergo Christo, & animabus religiosis habitatio, neque deest communis vitæ consuetudo, & hæc tam arcta, & indiuidua, vt coniugum vita longè inferior sit, neque nomen indissolubilis vitæ mereatur. Vinculum enim coniugale, saltem morte naturali dissoluitur: at spiritualem nexum Dei & animæ neq; mors ipsa diuellit. Hoc ipse Dominus per Oseam suæ sponsæ promittit, dicens: Sponsabo te mihi in sempiternum.] Imò in morte ipsa, qua coniugium naturale concluditur, spirituale roboratur, ita vt non solùm indissolubile, verùm etiam immutabile perseueret. Sæpe coniuges corpore quidem, & conuersatione coniuncti sunt, animo verò valdè disiuncti. Quod laboris ac molestiæ esse intolerabilis, nemo est qui nesciat. Vt enim egregiè dixit Hugo Victorinus: C Neuter alterum effugere potest, vna domus, vna mensa, vnus lectus, in quo nihil durius est, quàm nec concordem socium, nec hostem habere separatum. Nam sicut iis, quibus in charitate mens vna est, nihil obstat etiamsi corpore separati sunt; ita magnum tormentum est iis, qui corporaliter sociati sunt, si animo conuenire non possunt.] At noster status, ita Deo nostras mentes associat, vt ipsum iugiter cogitemus, quod ipse vult, constantissimè velimus, & quod nõ vult, firmiter renuamus. Quia ad hoc rebus mundanis valedicimus, vt Deo, & nobis vnũ sit velle, & nolle, summa pax, perpetuàque concordia. Alter coniugum sæpissime, aut tædio victus, aut tepore amoris permotus, aut saltem ipsa necessitate coactus à compari alio discedit, sed D anima, quæ semel huius sacri cõnubij delicias exposita est, si ipsa, quod debet, efficiat, & benignissimè sibi datur, vt faciat, neque vmquam ab sponso deseritur, neq; ipsa ab eo vllis causis separatur. Audi animã hoc spirituali coniugio perfruentẽ. Quis (inquit) nos separabit à charitate Christi? Tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius? Certus sum, quia neque mors, neque vita (neque alia terribilia & potentia, quæ enumerat) poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu] Neque ipsæ profectò corporales ne- E cessitates, aut temporales curæ (si quæ incidant) animam istam à suo spõso disiungunt: In refectione corporis illum audit; in animi intermissione illum auscultat; inter aliorum colloquia illi quietissimè intendit; inter concursus, & clamores populorum eum ocissimè inspectat. Et sine eo quod circumstantes aduertant, in sponsum oculos cordis habet intentos. Illum experitur omnium laborum, & tribulationũ fidelissimum socium.

Osea 2. 19.

Hugo. 1. de van. mundi, longè ante finem.

Rom. 8. 35.

Propter hoc regula iugum Christi vocata est, vt nobis persuadeamus, Christum à dextera, nos verò à sinistra hoc iugum libertatis trahere, vt iugum seruitutis mundanæ, quod solis nostris ceruicibus insidebat, procul à nobis repellamus. Et quia Christus nobiscum tollit hoc iugũ, ideò suaue, & honorificũ putatur: suaue quidem, quoniam illud non molestia nos premit: sed à pondere rerum terrenarum exonerat, & in cœlos attollit. Quamobrem meritò dixit Augustinus: Hæc sarcina non est pondus onerati, sed alæ volaturi. Habent enim, & aues pennarum suarũ sarcinas, & quid dicimus? portant illas, & portãtur, portant illas in terra, portãtur ab illis in cœlo.] Vnde autem iugum regulæ vocatur suaue, & onus consiliorum leue? Vnde habet vt hoc iugum non sit ponderosum, sed leuissimũ, atque expeditissimũ? Vnde habet hoc onus vt non sit onus deprimẽs, sed ala in altum attollens? Inde profectò, quòd nos ferè nihil portamus, sponsus autẽ Christus totum pondus supportat. Quam causam illis verbis insinuauit Bernardus. Christi quippe iugum, & onus est & omninò importabile, nisi Christi æquè spiritui.] Est quoque hoc iugum honorificum, quoniã non serui tantùm, sed Dominus etiam ipse suam ei ceruicẽ supponit, & in Domino quidem indicium amoris est, in anima verò decoris est, & libertatis insigne. Vtrumq; apertis verbis indicauit Ambrosius. Portare Christi iugũ (inquit) suaue est, si ornamẽta putes ceruicis tuæ esse, non onera. Attolle ergo oculos semper ad Dominũ Deum tuũ, & quære Deum, & inuenies. Erige ceruicem, redimicula, nõ vincula geris. Multa quoque animalia redimiculis gaudent, & phalerari sibi magis, quàm nudari videntur, genæ sicut turturis præferent insignia verecundiæ, redimicula ceruicis libertatis attollent fiduciam. Leue est ergo iugũ Christi, & ideò ceruix eo non premitur, sed leuatur.] Non mirum quidem si iugum istud leue sit, quoniam homini gloriæ cupido, omnia gloriosa, & honorifica, leuia & suauia putantur: nihil autem est isto Christi iugo gloriosius, quo onera sæculi, & pondera peccatorum excutimus, & solum onus filiorũ Dei, quod amoris & dignitatis est, humero insidere sentimus. Non mirum si leue sit, quod non sola infirma natura nostra portat, sed & fortissima Dei gratia sustentat, cui nihil importabile, nihil laboriosum, nihil difficile reperitur.

Augu. ser. 24. de verbis Apost.

Matt. 11. 30.

Bern. lib. de precep. & disput.

Ambr. in Psal. 118. serm. 3.

Videamus igitur hos sponsos, Christm & animam, tam communem vitæ consuetudinem retinere, vt iugum religiosæ disciplinæ nec vmquam Christus derelinquat, nec anima ad momentũ sine Christo sustineat. Ille hoc iugum nõ relinquit, quia semper fidelis permanet, negare seipsum nõ potest.] Ad hanc verò fidelitatem spectat, vt numquã ab illis se subtrahat, quò eius amor impulit, vt soli diuino præsidio niterentur, & nullum auxiliũ terrenũ admitterent. Nã protector est omniũ sperãtium in se.] Neq; hoc insigni beneficio cõtentus, quo sponsæ suæ animæ religiosæ suppetias ad iugũ sustinẽdũ attribuit, addit aliud multò præstantius, vt iam præ incendio amoris iugum ipsa nõ sentiat, neq; in monastica vita aliquod pondus, imò ingẽtem suauitatem inueniat. Quod per prophetã Oseam omnibus religiosis promissum est. Isti enim sunt populus ille dilectus, tamquã filius ex Ægypto vocatus. Isti sunt, quos Dominus, quasi nutritius, portauit in brachiis suis, vt ipsis necdum aduertentibus, curaret eos.] His autem quid Domini voce promittitur? Certè illud, quod statim propheta subiicit: In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis, & pro eis quasi exaltans iugũ super maxillas eorum.] Trahit hos Dominus ad se illis funibus, ac vinculis, quibus homines ligari solent, nempe donis, muneribus, beneficiis. Ab his autem semel attractis, & vi quadam suaui, ac violentia spontanea compulsis, iugum, quod premebat, abstulit, non sanè quia illos iugo disciplinæ eximit,

2. Timot. 2. 13.

Psal. 17. 31.

Osea 11. 3.

sed quia efficit, vt iugum religionis non sentiãt,nec mortificationis onus moleste accipiant. Quisquis enim istorũ meritò dicet illud Bernardi: Fateor, nõ sustinui põdus diei,& æstus:sed iugũ suaue, & onus leue pro beneplacito patrisfamilias porto. Opus meum vix vnius est horæ,& si plus, præ amore non sentio.] Dominus itaque adeò iugum nostrum non deserit,vt à conuersionis exordio illud nobiscum ferat, & post aliquod tempus, ita illi assuescimus,vt quasi nihil sustineamus:ipse verò molestiam à nobis adimens,iugum exaltet,& veluti totum onus supportet. Anima autem sine Christo,neque ad horam iugum religionis defert,quoniam illa,quæ à sæculo, hoc est,à suæ conditionis initio confregit iugum Domini,rupit vincula,& dixit: Non seruiam] dum originali peccato infecta est,haud quaquam religionis iugo colla subiiciet, nisi potentia gratiæ Christi dometur, tantáque feritas, ac proteruia vincatur. Quis enim, quæso, præualeat (vt Cassianus rectè ait)quamuis feruens spiritu , vel squallorem solitudinis;vel sicci panis, non dicam quotidianam esuriem,sed ipsam saturitatem , nulla hominum laude suffultus,suis viribus sustinere? Quis æquè perpetuam sitim sine consolatione Domini tolerare? illúque dulci ac delectabili matutino sopore humanos fraudare oculos, & intra terminos horarum quatuor,omnem refectionem quietis iugi lege concludere? Quis indesinentem lectionis instantiam, quis operis irremissam sedulitatem,nullum præsentis lucri commodum captans, absque Dei gratia explere sufficiet?] Si autẽ ista, quæ verè minima onera religionis sunt, nemo sine Dei gratia præstare valet; quis, oro, poterit maxima huius vitæ onera omnium cogitationum , & affectuum abrenunciationem , propriæ voluntatis abnegationem , honorum ac dignitatum contemptionem, veram humilitatem,ac angelicam puritatem , suis viribus sustinere? Certè nullus. Liquet ergo,Christum, & religiosam animam, morte fidelissimorum coniugum, onera huius spiritualis connubij , vitæ nempe religiosæ,portare,vt nobis pateat,quòd sicut in hoc,& in futuro sæculo vna est illis habitatio,ita indiuidua est etiam vitæ consuetudo.

Ber. serm. 14. in Cant. — *Iere. 2. 20.* — *Cassian. col. 13. c. 16.*

De fide,ac prole Dei,& animæ religiosæ.

CAPVT XXV.

IAM de fide, ac prole huius spiritualis coniugij aliquid dicendũ est, vt dignitas ac fœlicitas animæ religiosæ pãdatur, quæ non tantùm fidelitatem Deo seruat, sed ei quoq; à tam dignissimo sponso summa fidelitas custoditur,ab eóq;filios suscipit,melle,ac fauo dulciores.Hęc duo,fides,& proles in carnali coniugio tam ingentia bona sunt, vt coniugio adiũctas curas,& distẽsiones excusent, & ardorem voluptatis honestent;quanto erant in connubio spirituali maiora,in quo nihil obscurum est, quod excusetur,nihil minus honestum, quod ad debitã munditię traducatur? ibi fidem homo homini seruat,hic Deus animæ,& anima Deo tãta firmitate custodit,vt nec vmquam ille animam obliuioni tradat,neq; ista pro alterius amore suum Dominũ derelinquat.Ibi filij generantur. quos amara mors aliquando conuellet,hic liberi in lucem eduntur, qui numquã morti cedent : sed in perpetuam ac iucundam nos vitam deducent. Quòd Christus ergo fidẽ animæ religiosæ seruet tamquam dilectissimæ sponsæ,ille solus ambiget, qui eius proprietates , atque

A perfectiones ignorat.Ioannes quidem in sua reuelatione nomen ei summæ fidelitatis imponit.Et vocabatur(inquit)fidelis & verax,& cum iustitia iudicat, & pugnat.]Si autem ad omnes fidelitatem seruat,& veritatem , quanto magis sponsæ suæ erit fidelis, quam vnicè amat , & pro qua tanta prouidentia, ac sollicitudine zelat , quam etiam nouit sibi vniuersa dedisse,& in eo solo omnem sui cordis amorem , & desiderium collocasse ? si omnibus meritorum , aut demeritorum præmia , aut pœnas exoluet , quid ni repositam habeat sponsæ coronam iustitiæ , quam reddet illi in postremo die ardens amator , & iustus iudex ?] Videt enim ipsa de propria vita bene sibi consciam diligere aduentum eius,& nihil in corpo- B re,aut corde permittere præsentia tantæ maiestatis indignum. Si pro suis aduersus hostes , & inimicos iustorum pugnat,quo pacto non tuebitur eam , cuius vita,atque status nullum alium adiutorẽ admittit,ac præter ipsum nullum habet defensorem?

Apoc. 19. 11. — *2. Tim. 4. 8.*

Fidelis profectò est , ô religiosi , qui vocauit vos, qui etiam faciet , vt secundum vestram vocationem viuatis, & integrum spiritum vestrum , & animam, & corpus illibatum ei sine querela seruetis.] Fidelis est vobis tanquã sponsis suis , siquidem iuxta necessitatem tam altissimi status auxilia perfectè viuẽdi largitur , dona , atque virtutes , religiosa vita dignas infundit , & robur ad superandas tentationes suppeditat.Fidelis est,qui nos, ac omnia nostra val- C lat per circuitum, & operibus manuum nostrarum benedicit,vt possessio nostra crescat in cœlo. Fidelem te,ô Domine, semper inuenio; fidelẽ à die meæ conuersionis agnosco,in quo habui in pugna aduersus dæmones adiutorem , virtutum præceptorem, sollicitudinis leuamen & in omnibus meis necessitatibus & tribulationibus firmissimum defensorem. Fidelissimũ denique in te sponsum possideo,cui,admirans illud tui serui Bernardi,verissimè dicã.Quomodo me amas Deus meus, amor meus , quomodo me amas,vbique recordans mei,vbique zelans salutem egeni , & pauperis , non solùm aduersus homines superbos, sed etiam adursus sublimes Angelos. In cœlo,& in terra iudicas,Domine nocẽtes me,ex- D pugnas impugnantes me.] Vbique subuenis, vbique assistis,vbique à dextris es mihi,Domine,ne cōmouear.Hęc cãtabo Domino in vita mea,psallam Deo meo, quandiu sum.Hæ virtutes eius , hæc mirabilia eius,quæ fecit. Si hæc,ô Domine , singulis momentis pro me facis ,si hæc mirabilia pro vili & atra Æthiopissa,ac si esset pulcherrima spõsa , misericorditer operaris,quid ni te fidelem vocem,fidelem prædicem,fidelem diligam,& tãquam fidelissimo spõso, vitæ veritate,& actuũ meorũ fidelitate respõdeam?]

1. Thess. 5. 24. — *Ber. serm. 17. in cãt.*

Ista etiam fidelitas Domini illis,quæ exponimus, verbis apertè declaratur. Et iuraui tibi , & ingressus sum pactum tecum,& facta es mihi.]Quid enim iurauit nobis , nisi illud , cuius meminit Isaias? Iurauit Dominus in dextera sua , & in brachio fortitudinis suæ , si dedero triticum tuum vltra cibum E inimicis tuis , & si biberint filij alieni vinum tuum, in quo laborasti: Quia qui congregant illud,comedent,& laudabunt Dominum , & qui comportant illud,bibent in atriis sanctis meis] Per dexteram,& brachium suum iurat (id est , per Christum , vt exponit Hieronymus) qui est brachium potentiæ suæ, & dextera , quæ amplexatur nos. Quis autem credat Dominum iurisiurando non stare,& ea, quæ tam asseueranter promittit,non adimplere? Implet sanè, & triticum nostrum , id est virtutum opera, quibus sustentamur,inimicis non tradit,& vinum nostrum, hoc est , consolationes spiritus , hostibus non per-

Ezech. 16. 8. — *Isa. 62. 8* — *Hieron. in loco.*

A mittit: (Quas virtutes, & dona vorabant, cùm nos in sæculo à cæpto virtutis itinere, nõ semel deiiciebant) sed facit, vt his operibus iam numquam per graue crimen intermissis sustentemur, in omni perfectione crescamus. & in atriis suis, hoc est, in religiosis domibus ipsũ toto corde laudemus. Et quod pactum nobiscum ingressus est? nisi illud, de quo in Ezechiele est eloquutus; Et faciam cum eis pactum pacis, & cessare faciam bestias pessimas de terra; & qui habitant in deserto, securè dormiẽt in saltibus.] Hoc pactum religiosa professio est, pactum vtique cócordiæ, & pacis, quo Deus nos ipsos sibi subiecit, & custodia pacti huius bestias sollicitudinum terrenarum à cordibus nostris ablegauit, vt pacati in deB serto sacræ religionis quiescamus: Et quid est, quod pacti sumus illi? Certè, quòd animas nostras in charissimas sponsas accepit, quas ardenter diligit, benignè sustentat, potenter defendit, mirabiliter secum astringit, & numquã eas deserit, nisi priùs ipse deseratur. Certè, quòd facti sumus illi in peculium de cunctis populis, quod tamquam propria industria & labore partum, & tantis inspirationibus & suasionibus acquisitum, ne iterum pereat, diligẽtissima cura & prouidentia custodit. Si ergo hanc Domini curã, & amorẽ erga nos, omnes animæ religiosæ experimur, & nulla est, si attentè se ipsam, & suos euentus consideret, quæ hanc Dei sui dilectionem nó experiatur; compertum est Christũ veluti sponsum aniC mæ fidelitatem seruare, eámque suo exemplo ad consimilem fidem & amorem allicere.

Ezech. 34.25.

At anima religiosa, sinceram quoque fidẽ Christo tamquam sponso vnicè dilecto conseruat. Nam verè fidelis est illa, quæ amore capta comparis sui, omnia detrimentum fecit, & arbitrata est, vt stercora, vt Christum lucrifaceret.] & huius facti non pœnitens, in eodem proposito ac voluntate perdurat. O quanta fidelitas, vniuersa reliquisse, etiam quæ licitè posset retinere, ne aliquo distractionis contagio fœdaretur! O quantus amor, nihil in proprios necessitatis vsus reseruare, vt cor ab omnibus mundi rebus auulsum in solius spõsi amorem ac dilectionem incumberet! Fidelis est illa, quæ non solùm exteriùs D parentes, fratres, & amicos, dignitates, opes, & delicias deseruit, sed etiam interiùs animo, & affectu reliquit, vt eius vestigiis inhæreret, qui vocauit eam, vt sequeretur se. Fœlix sequela quam merces tam copiosa subsequitur. Nam dabit Dominus in conspectu eius animæ gentes (in quibus vitia, & immoderatos affect⁹ intelligit) & reges obtinebit: Dabit vtiq; quasi puluerem gladio eius, sicut stipulam vento raptam arcui eius.] Fœlix sequela, cui sponsi iugis memoria, & ardentissimus amor promittitur. Recordatus enim sum tui (dicit Dominus) miserans adolescentiam tuam, & charitatem desponsationis tuæ, quando sequuta es me in deserto, in terra quæ E non seminatur.] Terra ista, vita religiosa est, in qua, vitam agunt, non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea; quoniam pater cœlestis pascit illos. In hac terra Dominus animæ recordatur, vt eam ab omnibus aduersis tueatur, atq; defendat, & miseretur paupertatis eius, vt eam pannis mendicitatis exutam, regalibus indumentis, & pretiosissimis gemmis virtutum amplificet. An nõ fidelis illa, quæ perfectionem sitiens minutissimas etiam cogitationes fugit, si de sponso non sint, aut non ad sponsum referantur? Menti quidem illud Cassiani habet infixum: Omnis cogitatio, non solùm turpis, sed etiam otiosa, & à Deo quantulumcumq; discedens, à perfecto viro immundissima fornicatio deputatur. Et ideò fidem debitam seruans, huiusmodi cogitationes, tamquam delicta immanissima exhorret. Non quia vana cogitatio graue peccatum sit in viro perfecto, absit, sed quia diuinus amor instigat, vt anima puritatis desiderio capta, magis de illa leuissima cogitatione, quàm homo mundanus de grauissimis peccatis suis, coram sponso doleat, & erubescat. Hanc fidelitatem sponsus animæ Christus ab ea in cantico canticorum exquirens, dicit illi: Pone me, vt signaculum, super cor tuum, vt signaculum super brachium tuum.] Qua iussione id præcipit illi, vt ceu fidelis sponsa, quæ iam paterna domo veteris Adæ egressa est, oculos mentis in vno tantùm sponso defigat, amoris affectum in eo collocet, iugem memoriam in suo ductore atque amatore cõstituat. Id sanè iubet, vt sponsum, quasi annulum signatorium in corde, hoc est, in cogitationibus, in votis, in affectibus gestet, & in brachio, in operibus, ac vitæ laboribus præferat. Vel ad hoc verba ista referenda sunt, vt animę religiosæ Christus spõsus sit pro sigillo, quo omnia eius, tum interiora, tum exteriora signentur, quia videlicet omnia desideria, & opera sponsæ Christo sponso sunt offerenda secundum illud prophetæ; Dico opera mea regi.] & in eius laudem, atque honorem præstanda. Sicut enim literæ sigillo consignatæ, illi soli patent, ad quem destinantur, ita animæ, tum affectus, tum actiones Christo tamquam sigillo signatæ, nó humanis laudibus, sed cœlesti sponso dicanda sunt. Aut tandem signaculũ hoc imaginem Christi designat, & tunc id profectò animæ intimatur, vt Christum induat, eius virtutibus moribúsque se ornet, ipsius humilitatem, mansuetudinẽ, obedientiam ac puritatem repræsentet. Hæc omnia eò tendunt, vt Christus ab anima nostra totum amorem requirat, fidelitatem exposcat, cui fidem rependimus, cùm iuxta præscriptũ status nostri viuentes, velut mundo mortui, nihil sæculi cupimus, sed solum Christum tota mente requirimus.

Philip. 3. 8.

Isa. 41. 2.

Iere. 2. 2.

Cassian. col. 14. c. 11.

Hanc ergo fidelitatem Christus, & anima religiosa casto professionis connubio copulati, sibi mutuò custodiunt, adeò, vt hæc non insolenter, sed gratè affirmare possit. Quia dilectus meus mihi, & ego illi.] Nam ille tam speciali cura ac prouidentia intendit huic animæ, ac si nihil aliud ad suum imperium pertineret: & ista tam intimo amore intendit illi ac si nihil aliud nisi amare didicisset. Ex quo mundo, & vniuersis eius sollicitudinibus valedixit. Ista verò tam verax, atque impolluta horum coniugum fides, non est gaudio ac lætitia destituta, quam filij ex isto sacro coniugio suscepti mirum in modum exhilarant. Sed quis hos liberos explicare sufficiet? Certè tantò fæliciores sunt iis, quos homines carnaliter generant, quantò minùs nostræ officiũt puritati. Carnales enim filij in carnis pruritu & corruptione gignuntur, at spirituales, quos ex verbo cõcipim⁹, purissima spiritus voluptate, & incorruptione generantur. Audacter de anima religiosa dicemus, quod Basilius de virgine sapienter affirmat. Non modò (inquit) virgo vnione qua incorruptibili verbo coniungitur, incorrupta perdurat, verùm illa quoque integritas, postquam fuerit vnita, perficitur. Non enim in amorem carnalis spõsi, qui integram virginem carnali coniugio violat, & mulierẽ facit, animarũ quoq; nostrarũ sponsus incorruptam animam sua communicatione cõmaculat, sed inquinatam potiùs à Diabolo per voluptates corporis nactus, eam ex muliere polluta, immaculatã virginem efficit.] Hinc etiam colligimus, quantò sit spirituale cõnubium carnali, nõ dico excellẽtius, & purius, sed iucundius, siquidem omnia habet coniugij propria: amplexus, & oscula, fœcunditatẽ, susceptionẽ filiorũ

Cãt. 8. 6.

Psal. 44.

Cant. 2. 16.

Basil lib. de vera virginitate.

fine

A ine fœditate carnis, & cum magna animi puritate. Animã enim (vt magnus ait contemplator Richardus) Deus amplexatur, quando eam per gratiam ad se trahit, sibique coniungit: osculatur, cùm gratiæ suæ dulcedine refigit: fœcundat eam, cùm charitatem auget: lacte pinguescunt eius vbera, cùm dulcedine compassionis repletur. Est ibi spirituale connubium, concordia videlicet, & coniunctio voluntatum. Fœcundat ibi non carnalis copula ventrem, sed Spiritus sanctus mentem, gemellis hanc impraegnans fœtibus, id est, gemina charitate, Dei videlicet dilectione, & proximi.] Quid ergo lætius, quid iucũdius, quã his omnibus frui, eisq; virtute acquirere, sanctitatẽ augere, & vitæ æternæ merita cumulare?

Sed ne illos duos animæ filios ex verbo Dei susceptos transeamus: sunt enim pulchri, amabiles valde. Alter est amor Dei, qui omnes affectus & cogi- B tationes sanctas amplectitur: Alter amor proximi, qui vniuersas animas Deo lucratas comprehendit. O dulces filij, quos non passio desiderij concepit, sed charitas virtutum regina generauit! O suaues liberi, quos, vt in statu collocemus, nõ opes, & diuitias impendimus, sed ipsi nos parẽtes suos in statu immortalitatis collocant, & diuites ac gloriosos efficiunt! O amabiles fœtus, quorum educatio nullum angorem, neque mæstitiam exhibet, sed summo nos gaudio & exultatione prosequitur! Carnales nãq; filij, innumeris nos molestiis afficiunt. Vt enim (ait Hugo Victorinus) quis dicere potest, nisi qui expertus est, quantus labor, quanta molestia sit infantes exci- C pere, & præter cæteras miserias, quæ magis tacendæ sunt, lactare, educare, nutrire, pueros instruere, disciplina pariter, & scientia informare, & ad legitimam vsque ætatem perducere? Quis non satis carè vnius noctis delectationem emisse se dicat, quàm tot annorũ labore, & cura recompensat?] At hi filij, quos spiritu puritatis concipimus, nec dolore molestant, nec mærore cõturbant, nec educationis labore contristant; sed si quæ fuit in relinquendo mundo pressura, eã suo decore, & vtilitate retribuũt. Hos filios, omnes animæ religiosæ suscipiunt. Neque enim timẽda est illis terribilis illa legis infamia, qua sterilitas probro & ignominiæ tribuebatur, quia omnes, si velint, horũ filiorũ sunt matres honorabiles. Nulla enim anima est, quæ Deum suum amare, cupere, & D affectibus sanctis amplecti non possit; nulla est, quæ animas conuertere, & in viã salutis non valeat adducere, vel prædicationis verbo, vel virtutis exẽplo, vel desideriis, fletibus, & gemitibus, & precum iugitate. Non turbetur infirmus, nõ mæreat ineloquens, non tristetur idiota, non affligatur sustentatione fratrum, & rebus temporalibus occupatus, quia verbũ Dei seminare nõ valet; sancte, & immaculatè viuat, suo exemplo odorem virtutis spargat, oret, & animarum cõuersionem gemitu & desideriis exposcat; & sine dubio non erit sterilis, sed filios spirituales Domino generabit.

Est ergo anima religiosa spõsa Dei, & Deus spon- E sus est animę sibi per hunc fœlicem statum cõsecratæ, siquidem hoc inter illos arctum vinculum intercedit. Quos spõsos dulcissimos præterire nõ possum, nisi prius illis lætissimo corde congratuler. O Domine Deus meus! O spõse charissime, sit plena tua benedicta, & lætare cũ muliere adolescentiæ tuæ cerua charissima, & gratissimus hinnulus. Vbera eius inebrient te in omni tẽpore; in amore eius delectare iugiter.] Hæc spõsa tua sicut aquarum vena effundit aquas, ita sanctorũ affectuum filios tibi profundat. Tam pulchra & decora sit, vt gaudij ac lætitiæ occasiones singulis momẽtis tibi præbeat. Tam fidelis, vt quemadmodum cerui maria tranantes, se inuicẽ iuuant, anteriore caput sequẽtis sustinẽte, sic tuæ domus curam, & tuorum seruorum sollicitudinem, nõ inuita sustineat. Tam amabilis, vt hinnuli, qui in deliciis habetur, gerat imaginẽ, eiusq; cõuictu delecteris. Vbera eius, Domine, quæ seruus tuus Bernardus, congratulationem & compassionem vocat, ita tibi satisfaciant, vt gaudio eius de profectu bonorum, & compassione eius, de casibus pusillorum, veluti inebrieris, eique vicẽ rependens, in suis bonis gaudeas, & suas infirmitates dissimules. Amor deniq; eius erga te, sic purus, & ardẽs, sic à priuato amore alienus inueniatur, vt ex eo tanquam ex amore sponsæ dulcissimæ capias voluptatẽ. O anima religiosa sponsa pulcherrima illius veri Isaac, qui humano generi attulit risum, soror nostra es, crescas in mille millia, & possideat semen tuum portas inimicorum suorum.] Soror mea es, quæcumque es, quia licèt indignissimus, eundem statum religiosum teneo, eandem vitã tecum profiteor. Crescas in mille millia, & semper in laudem spõsi tui, cœlestibus donis, supernis desideriis, & sanctis operibus augearis: Semen tuum, id est, filij tui, quos verbo, & exemplo generes, ita sint gratia fortes, & virtute robusti, vt aduersus hostes suos, victoros euadant, & peccatorum cuneos fœliciter vincant, atque prosternant.

Bern. ser. 10. in cãt.

Gen. 24. 60.

De indumentis quæ in cœnobio induit anima religiosa.

CAP. XXVI.

HÆc igitur anima, quæ rebus mundanis valedixit, est sponsa Dei, quam tam pretiosis circundedit vestibus, tam pulchris exornauit gemmis, vt ipsemet hunc illustrem ornatum, suis verbis per os prophetæ declarare dignetur, & simul habitum veri religiosi, qui omnibus quamcumque religionem profitentibus communis esse debet, manifestè commonstret. Laua (inquit) te aqua.] Hæc aqua compunctionis est, qua sanctus Dauid lauari cupiebat, cùm ita Domino precabatur: Asperges me, Domine, hyssopo, & mundabor: lauabis me, & super niuem dealbabor. Hæc Dominus sponsam suam non semel, sed sæpius lauat, vt vel pusillas maculas, ex humana conuersatione cõtractas, clemẽter abstergat. Nec enim in domo Dei, in religione scilicet, quam sine dubio decet sanctitudo, maculæ istæ, aut procaciter excusantur, aut simulatione tegũtur, sed amara assidua compunctione diluuntur. Est namque religiosa vita habitaculũ veritatis, in quo prælatus, velut suauissimus pater, defectus subditorum corrigit, & alij fratres tamquam amici, non simulati, sed veri, teporis socordes insimulant, & tam maiores quàm minores, humilitatis atque omnium virtutum exemplo, proteruiam inertium, & cordis duritiam coarguunt, & denique perfectionis documenta, quæ isti in regula voluunt, eos tepidæ vitæ & ingratitudinis sæpissimè accusant. Homo verò tot modis increpatus, & à tot reprehensoribus accusatus, qui sine vllo fuco, sua ei peccata & defectus ingerũt, quid ni rubore suffusus compungatur, & ista salutari cõpunctionis aqua, singulis momẽtis lauetur? Iste profectò est ille spiritualis Ana, qui (vt ait Beda) donatus aut gratificatus interpretatur, qui inuenit aquas calidas in solitudine.] Nam in religiosa vita per solitudinem designata, aquam compunctionis reperit, non vana tristitia frigidam, sed charitatis igne calentem. Talem aquam inueniens meritò Ana vocatus est, quia eximiũ donum, & singularem gratiam à Domino accepit, ex quo omnia alia dona dependent.

Psal. 50. 9.

Psal. 92. 5.

Genes. 36. 24. Beda: de nom. in Hebr.

Et

Ezec. 16. 10. Et emundaui ſanguinem tuum ex te.] Non quidem illum ingentium criminũ, quo Deus vidit animam ante ſuam conuerſionem fœdatam: hunc enim in ipſa mutatione ſtatus confeſſionis ſacramento deterſit, ſed ſanguinem leuium peccatorum, quem religioſa vita mirum in modũ extenuat, quia & horum defectuum numerum, & grauitatem imminuit. Si enim non eſt homo, qui non peccet, dum carne mortali circũdatur, ſunt tamen plurimi in religione, diuina gratia præuenti, qui leuiſſimas, & nõ multas culpas committunt, quas Dominus ſæpiſſimè compunctione diluit, ne orationis feruorem extinguant, aut amoris ardorem impediant. Audi virum religioſum ex ore Bernardi hũc ſanguinem minimorũ defectuum amariſſimis fletibus diluentem, Reus, (inquit) fui in ſæculo, reus ſum in clauſtro, ſed ibi per ignorantiam: hic per negligentiam, & vtrumque me terret. Verumtamen multò ampliùs terret me, quòd in monaſterio ante conſpectum Dei deteriorem me inuenio. Collocauit me Dominus in loco voluptatis in domo vbertatis, in paradiſo deliciarum, ego verò miſer, & miſerabilis inter menſas epulantium fame pereo, iuxta fontem ſitio, ante ignem algeo, & ad neutrum manus extendere volo, tam piger ſum, & deſidioſus. Ita tempus amitto, quod Deus mihi ſua pietate indulſerat ad agẽdam pænitentiam, ad obtinẽdam veniam, ad acquirendam gratiam, ad promerendam gloriam. Quaſi quoddam mõſtrum inter filios ſto, habitum monachi, non conuerſationem habens. In magna corona, & ampla cucullâ ſalua mihi omnia exiſtimo. Tamquam arbor ſterilis terram occupo, & velut iumentum vile plus conſumo quàm proficio. Altiorem alterius locum teneo, & nullius officium ſuppleo: ſed ſum ſicut truncus ſine frondibus, & fructibus. Alij me paſcunt de laboribus manuum ſuarum ſicut præbendarium ſuum. Ego autẽ tamquam pauper, & miſer, nec clericum, nec laicũ gero. Cantare nãque & legere nequeo, laborare neſcio, ſed ſum opprobrium hominum, pecore vilior, cadauere peior, & cætera.] Hæc & alia ſimilia, quæ ibi ſanctus Pater Bernardus enumerat, (& ſunt, ſi bene intelligãtur, non tã peccata, quàm magnæ humilitatis inſignia, quia vir perfectus id de ſe dicit, quod ſentit, nõ quod actione profert) religioſi quotidie lugẽt, & abũdantiſsimis lacrymis deflẽt, vt ſcilicet ab iſtis guttulis ſãguinis, hoc eſt, à modicis defectibus emundati, conſpectui ſponſi puriſsimi, qui paſcitur inter lilia] puri, & illibati ſe præſentent.

Bern. de miseria humana c. 11.

Cant. 2. 17.

Et vnxi te oleo.] Hoc eſt illud oleũ lætitiæ, quod religio ſancta miniſtrat, & in ſuorum cordibus filiorum abundanter infundit. In ea namque ex puritate cõſcientiæ, & contemptu terrenorũ, quod prædicta cõpunctione conquiritur, tãta interdum oritur exultatio, vt omnes filij eius, ac ſi in balneo lætitię eſſent loti, ſic interius læti, atque alacres incedunt. Efficit hoc ſuauiſsimus ſpõſus, cui ſe iuſtæ animæ dediderunt: nam ab eo oleo lætitiæ, quo vnxit eũ Pater præ conſortibus ſuis in has ſpõſas ſuas aliquas reliquias deriuat, illius æternæ exultationis prænũtias, quibus in loco exilij ipſæ lætẽtur Hoc in epithalamio ſpõſi concinitur. Myrrha, & gutta, & caſsia, id eſt laudum, ac lætitiæ odoramenta, à veſtimentis tuis defluũt, & à domibus eburneis manant, ex quibus odoramẽtis delectauerunt te filiæ regum in honore tuo. Hæc Chriſti veſtimenta corpora religioſorum ſunt, tanta munditia, ac puritate cõſeruata, ac ſi princeps regũ Chriſtus illis operiretur: Domus verò, ſiue pyxides eburneæ, animæ sũt religioſæ, nitidæ, & mũdæ, quæ diuinas laudationes recondunt. Sed hæc corpora, & hæ animæ lætitiæ vnguento perfuſæ ſunt, & in ſe-

Psal. 44. 9.

A renitate vultus, in maturitate inceſſus, & in operum tranquillitate magnam lætitiam præferunt, qua lætitia ſpõſum oblectant, quia de iuſtorum ſuorũ gaudio cõgaudet. Sic implẽt illud præceptum Domini ad inſtructionem ieiunãtium promulgatum: Tu autem cùm ieiunas, vnge caput tuum, & faciem tuam laua.] Religio enim quoddam generale ieiuniũ eſt, quo ab omnibus rebus mũdanis abſtinemus, & carnis delicias reſpuimus. Hoc autem ieiunij tempore, nõ ſolùm faciem mẽtis à peccatis lauamus, ſed oleo miræ exultationis caput inungimus. Decet namque in diebus feſtis, quales sũt omnes ad vitã religioſam ſpectãtes, cultiores incedere, & gaudiorum ſpiritualium oleo nos ipſos in honorem ſanctæ feſtiuitatis perfundere. Quanta autẽ ſit iſta religioſorũ lætitia, B magnus ille pater Dorotheus in ſuis præcordiis ſatis manifeſtè experiebatur, cuius hiſtoriam ipſius verbis deſcriptã, mirabilẽque Abbatis Ioãnis ei datum reſponſum haud quaquam poſſum tacere. Cùm enim laudabilem morẽ ſuum, ac omnibus religioſis apprimè neceſſariũ aperuiſſet, quo prælato vniuerſas cogitationes, omniáque ſua occulta detegebat, vt ſic ab ipſo ſine vlla offenſione regeretur, ita ſubiũgit. Quo factum eſt (credite, quod dicam, fratres) vt in tanta ſemper quiete, & ſecuritate eſſẽm, vt plerũque pœniteret me tantæ tranquillitatis. Cùm enim nõ ignorarẽ opus eſſe nobis per multas tribulationes intrare in regnum cœlorum, ſentirẽmq; me ipſum, neque vnam afflictionem pati, angebar mirum in modum, fateor, dubius inſciusque, vnde hæc tãtę quietis cau- C ſa eſſet Quod mihi tandem ſenex aperuit, monuitq́; ne mærerem, dicens: Quicũque ſeſe traderet in patrum obedientiam, hanc tantam quietem, & ſecuritatem à Deo neceſſariò conſequi.] Iſto ergo oleo lætitiæ, quo beatus hic inungebatur, boni religioſi, & propriæ perfectionis amatores ſentiunt ſe quotidie perfundi, quibus diſciplina religioſa, ſuauis profectò & leuis, pro afflictione & tribulatione data eſt, & ſubiectio monaſtica, pro onere atque labore. Onus quidẽ ſuaue, & iugũ leue, quod nobis magnæ lætitię, ac eximiæ cuiuſdã trãquillitatis materia eſt, tantùm abeſt, vt opprimat, atque cõtriſtet. Si verò aliqui hoc iugo premuntur, eiúſque pondere ſatis leui triſtãtur, D ſeipſos culpent, qui ſocordia, & diffidẽtia victi, quæ relinquere debuerãt, necdũ animo, & affectionibus abiecerunt. Hæc autem ſunt, & nõ iugum religionis quæ eos vexant, & mærore, atque dolore cordis afficiũt. In quã ſentẽtiã optimè Caſſianus: Vt nobis (ait) iugũ Chriſti nõ leue, nec ſuaue videatur, cõtumaciæ noſtræ eſt iuſtiùs adſcribẽdum, qui diffidentia, atque incredulitate deiecti, contra illius imperiũ, qui ait: Si vis perfectus eſſe, vade, vende omnia tua, & veni, ſequere me] inepta peruerſitate pugnamus, terrenarũ ſcilicet facultatum materias retẽtantes, quarum cùm nexibus animum noſtrũ Diabolus teneat illigatum, quid ſupereſt, niſi, vt cũ voluerit nos à ſpiritualibus gaudiis ſeparare, earundem imminutione, ac priuatione mæſtificet? Id verſutis fraudibus elaborans, vt E cũ iugis illius ſuauitas, & oneris leuitas vitioſæ cõcupiſcentiæ prauitate nobis fuerit aggrauata, ipſius facultatis, atque ſubſtantiæ, quam nobis pro requie, ac ſolatio reſeruamus, vinculis irretitos, ſæcularium curarum flagris ſemper excruciet, ex nobiſmetipſis, quo dilaceremur, exculpẽs.] Qui ergo vniuerſa mũdana cõtẽpſerit, & iuxta normam vitæ religioſæ vixerit, nõ dubitet ſe auditurũ à Domino: Vnxi te oleo lętitię & exultationis.] quo dies ſuos in magna quiete, & tranquillitate traducet. Quia licèt procellæ tẽtationũ irruant, ſuburbia tantùm paſſionum impetent, munitiſſimã verò mentis vrbem non attingẽt.

Matth. 6. 17.

Doroth. doctrina. 5.

Cassia. col. 24 c. 24.

Matt. 19. 21.

Et vestiui te discoloribus.] Prima hæc vestis spōsæ variorum colorum, non alia, quàm modestia est. Primò enim religio filiorum suorū corpora moderatur, deinde animas, vt à facilioribus ad difficiliora procedat, & illud Apostoli adimpleat: Non priùs, quod spirituale est, sed quod animale, deinde quod spirituale.] Non est autem hoc indumentum vnius tantùm, sed multorum colorum: quia vniuersa corporis membra, aut omnium actiones membrorum sua pulchritudine exornat, & sua potestate componit. Eáque corpus nostrum indutū, mirum est, quantùm ædificationis sæcularibus tribuat. Hi nāque cū non nisi externa cōsiderent, internarū autem actionum notionem nō habeāt, ex hac corporis disciplina, ex demissione oculorū, ex oris custodia, & exterioribus humilitatis indiciis, quæ visu conspiciunt, B internam virtutem, animique perfectionem metiūtur. Et quidē in hoc non est multa deceptio, quoniā licèt hæc exterior compositio corporis, nō sit solida virtus, est tamen index veræ virtutis, quā nullus imperfectus diu fingit, nullusque perfectus, spiritualisque contemnit. Imperfecti quidem & pigri diu latere non possunt, quia licèt assumāt intrinsecus vestimenta ouium, cùm intrinsecus sint veluti lupi rapaces, facilè ex fructibus cognoscuntur. Et cùm fuerint illa inepta cura fingēdæ modestiæ, & humilitatis obliti, statim ineptis corporis motibus, & animi perturbatione se produnt. Perfecti autē, & sui ipsorum curam gerentes, externum vultum non despiciunt: quoniam hæc exterior corporis lenitas, sensuumque ac mēbrorum compositio est internæ trāquillitatis, & quietis indiciū, per quod animi virtus C sæpe, puritasque dignoscitur. Nā ex visu cognoscitur vir, & ab occursu faciei cognoscitur sensatus. Amictus corporis, & risus dētiū, & ingressus hominis annunciant de illo.] Hæc enim modestiæ virtus aliquid à prudentia, & aliquid à charitate mutuo accipit, vt homines sęculares Christo lucretur, ad eorū mores se, sine virtutis detrimento cōformat: & cum mærētibus tristis, cum flentibus lugens, cum lætātibus modestè læta, & hilaris apparet. Hāc vestē gestabat Paulus cùm dicebat: Factus sum Iudæis, tamquā Iudæus, vt Iudæos lucrarer; iis, qui sub lege sūt, quasi sub lege essem, cū ipse nō essem sub lege, vt eos, qui sub lege erāt, lucrifacerē, iis, qui sine lege erāt, tamquā sine lege essem, (cùm sine lege Dei nō essem, sed in lege essē Christi,) vt lucrifacerē eos, qui sine lege D erāt. Factus sum infirmis infirmus, vt infirmos lucrifacerē: Omnibus omnia factus sum, vt omnes facerem saluos.] Sicque in veste Aaron, quam habebat totus erat orbis terrarū, quia vir per religiosum statum Deo consecratus, debet, quod ad externam cōuersationem attinet, omnibus (prout fuerit possibile) se accōmodare, vt omnes ad Christum trahat, & ad virtutis amorē inuitet. Sic vestitus erit discoloribus: hoc est, veste quadam, quæ vna cùm sit, multarū virtutum necessitatē supplet, & earū diuersas pulchritudines defert. Sic ad exēplum Pauli, omnibus omnia factus est, non mentientis actu (vt inquit Anselmus) sed compatientis affectu. Non mala aliorum fallaciter agendo, sed aliorum omnium malis omnibus, tamquam si sua essent, misericordis medicinæ E diligentiam procurando.

Et calceaui te hyacintho, & cinxi te bysso, & indui te subtilibus.] Sequuntur tres animæ religiosæ ornatus pretiosissimi, paupertas, castitas, & obediētia, in quibus substantia religionis consistit, & conuenientissimè calceo, cingulo, & indumento signātur. Calceus paupertatē significat, quæ pedes animę, id est, affectus protegit, ne in res temporales impingāt, & scopulis diuitiarū lædantur. Paupertas enim, licèt exterius sentiatur, præcipuè tamē in affectu est, qui res viles, & valde ad vitam necessarias admittit, curiosas verò, aut minimè necessarias, omninò reiicit, atque contemnit. Meritò autem hic calceus ex hyacintho conficitur, quoniam lapis iste (vt inquit Hieronymus) cæli habet similitudinem, & cælestia desideria sunt, quæ amorem tollunt terrenorum: nec potest quis res diuinas ardenter amare, & pecuniæ, ac supellectili, aut rebus aliis vilissimis inhærere.] Hyacinthus etiam (vt author est Hugo Victorinus) mutat colorem cum facie cæli, si clarum est cælum, lucet, si obscurum, fit obscurus: sic verus pauper, tempore, & loco, & mendicitati monasterij se accommodat, nec à fecularibus quærit superflua subsidia, illud Pauli custodiens. Scio, & humiliari, scio, & abundare. Vbique, & in omnibus institutus sum, & satiari, & esurire, & abundare, & penuriam pati.] Hyacinthus tristitiam pellit, suspiciones vitat, neruos vegetat, ebrietatem fugat, & dulcem saporem tribuit. Ita virtus paupertatis mentem paucis contentam exhilarat, vanas prælati temporalia distribuētis suspiciones tollit, corpus omne confortat, sobrietatem efficit, & cibis insulsis dulcissimum saporem impertit. Illud ergo Hieremiæ aure cordis percipientes: Prohibe pedem tuum à nuditate.] His calceis affectuum nostrorum pedes protegamus, ne rerum temporalium spinis læsi, peccatorum sanguinem fundant.

Hieron. in Ezech. 1. *Hugo lib. 3. de naturali bestiar. c. 58.* *Philip. 4. 12.* *Hieron. 2. 25.* *Hier. 1. paralip.*

Cingulum verò byssinum, quo lumbos iubemur præcingere, index est castitatis. Quia enim viris luxuria in lumbis est (vt annotauit Gregorius) lumborum cinctorium, præsertim ex mundissimo bysso contextum, non aliud quàm purissimam castitatem potest designare. Qua (vt ipse Beatus Pater post pauca verba subiungit) lumbos præcingimus, cùm carnis luxuriam per cōtinentiam coarctamus.] Hoc igitur cingulo accingit Dominus spōsam suā, vt libidinis in ea vitia cohibeat, & aptam faciat ad percipiendā diuini luminis claritatem. In quam sententiā ita scribit Hieronymus: Hac bysso accingūtur renes, quoties pinguia libidinis incentiua tenanda sunt, nihilque in eis crassi humoris relinquitur, & implemus præceptum Apostoli dicētis: State ergo succincti lumbos vestros in veritate, quasi aliis verbis diceret: Bysso. Et Dominus ad Apostolos loquitur: Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris.] Nisi enim astrinxerimus fluenta lūborum rheumata, lucernas in manibus habere nō possumus.] Nec casu putādū est hoc cingulum, quo religiosi accinguntur, non lineum, sed bysśinum fuisse nuncupatum, quod & tenuissimum est, & mundissimum, quoniam hi non tantùm externā carnis fæditatem fugere, sed minimam etiam cogitationem castitati aduersātē, debēt omni conatu deuitare. Quod optimè Hugo notauit his verbis: Qui enim non tantùm peccata carnis, quæ sunt quasi grossiora fila, relinquunt, sed etiam cogitationum delicta, subtiliter examinant; hi bysso induuntur: his enim filis tela texitur religionis. Induuntur hi tunica talari, & cinguntur baltheis. Tunica talaris est in bonis operibus perseuerantia longanimitatis, baltheus, quo renes cinguntur, est castitas, per quam luxuriæ fluxa restringuuntur.] Hoc ergo cingulum primò religiosi contexunt, & posteà illo seipsos præcingunt. Primò quidem illud faciunt, dum flagellis, ciliciis, vigiliis, inedia, sensuum mortificatione, cogitationum custodia, & præcipuè ardentissima oratione, carnem domant, & ad munditiam, & puritatem traducunt. Vnde in libro Paralipomenon scriptum

Greg. ho. 13. in Euang. *Hieron. in 4. Ez. c. 16.* *Ephes. 6. 14.* *Luc. 12. 35.* *Hugo lib. 2. de nat. rerum spirit. c.*

est

1.Paralip. 4.21. est: Quia cognationes domus operantium byssum sunt in domo iuramenti.] Domus iuramenti cænobium est, id est, domus voti, & promissionis, in qua Deo paupertatem, castitatem, & obedientiam promittimus. Meritò autem cænobium in tabernaculo Mosis, vel in templo Salomonis, quod secundum literam domus iuramenti dicitur, signatum est, quoniam diuino cultui, & iugibus sacrificiis offerendis consecratur. In hac autem domo iuramenti, cognationes operantium byssum commorantur, quia vniuersis religiosis cætibus hoc cordi est, castitatis byssum operari, & carnis, atque cordis munditiam præfatis instrumentis contexere. Postquam verò decorum, & pretiosum cingulum operati sunt, illo lumbos præcingunt, dum se ipsos ad cæleste lumen percipiendum parant, & ab omnibus carnis illecebris, quæ Dei contemplationem impedire possunt, prudenter expediunt.

Indumentum tandem ex subtilibus, obedientiam designat. Et hoc quàm aptè ille solus intelliget, qui collum perfectæ obedientiæ non fictè, sed verè submisit. Obedientia indumentum est, quoniam sicut vestis totum corpus tegit, sic obedientia omnem vitam religiosam cooperit, in qua nihil faciendum, nigil omittendum est, nisi quod prælati præscribatur imperio. Quod ita confirmat magnus Cassianus. Cassia.lib. 4. de institut.c.10. Tanta obseruantia obedientiæ regula custoditur, vt iuniores absque præpositi sui scientia, vel permissu non solùm non audeant cellam progredi, sed ne ipsi quidem communi ac naturali necessitati satisfacere sua auctoritate præsumant.] Et indumétum est subtilissimũ, quasi ex tenuissimo serico esset confectum, quia vel minima propria voluntate abrumpitur, vel paruissima repugnantia læditur, & quia non solùm corpus, & externas occupationes prælato cõmittit, non solùm voluntatem subiicit mandatis illius, sed tamquam subtilissima lux (& verè lux est, quæ nos sapientissimè regit) in abditissimã intelligẽtiam penetrat, & arcẽ munitissimã iudicij peruadit, vt ipsum in superioris redigat potestatẽ. Vestis profectò subtilis est obedientia, quæ fila solius diuinæ voluntatis habet per prælatum nobis ostensæ, & nullam propriam voluntatẽ, quæ scilicet repugnat diuinæ, tamquam crassiorem admittit. Vestis subtilis, quæ non tantùm bonum quærit, sed an bene, id est, secundum præscriptum regulæ fiat, sapienter inquirit. Vestis subtilis, quæ minora bona, & secundum hominum existimationem minus vtilia, maioribus, & speciosioribus bonis anteponit, si illa præcepta sint, hæc verò propriæ voluntati relicta. Et tandem vestis subtilissima, qua non communes homines, qui propria voluntate reguntur, sed principes nobilissimi, qui in domo, & palatio Dei habitant, operiuntur. Hac induit nos Dominus, vt nos ad eum pertinere vniuersi cognoscant, & eius honorifica signa peruideant. Sicut enim ipse venit facere non voluntatem suam, sed voluntatem Patris, qui in cœlis est, ita eius serui fidelissimi sunt, qui in nulla re propriam, & in omnibus Patris æterni exequuntur voluntatem.

De pretiosis gemmis animæ religiosæ.

CAPVT XXVII.

Nec solæ vestes fidelissimo sponso curæ fuerunt, quibus charissimæ sponsæ nuditas tegeretur, sed prouidit ornamẽta gẽmarum, quæ ipsam, tum digniorem ostẽderent, tum pulchriorem efficerent. Hoc autem est,

A quod addit. Et ornaui te ornamento.] Illis scilicet cælestibus donis, quæ tamquã pretiosissimi lapides sponsam exornãt. Quis dubitet religiosam animam non vtcumque, sed pulcherrimè ornatam esse, quã Christus simul ditissimus rex, & amantissimus sponsus, vt sibi coniunctam, ac desponsatam locupletat? si enim lilia agri, quæ non laborant, neque nent, ille Math. 6. 28. sic vestit, vt nec Salomon in omni gloria sua coopertus sit vt vnum ex illis,] quantò pulchrius, & gloriosius eam animam instruet, & ornabit quam non ad hoc in agro religionis produxit, vt statim marcescat, sed vt in omnem æternitatem virens floridáque permaneat? Quam non segnities, atque otiositas ligat, sed labor vrget, & cura proficiendi, vt maiorem in dies decorem acquirat, semper net illam virtu- B tum, & bonorum operum telam, qua se pretiosius, & præclarius operiat. Sed ne ista ornamenta leuiter, & sine debita discussione transeamus.

Et dedi armillas in manibus tuis.] In his armillis robur intelligo, quod religiosis tribuitur, vt religiosam disciplinam ferant, corporis afflictiones sustentent, & plusquam si essent ferrei, corpore, spiritúque laborent. His enim non incongruè dictũ existimo: Isai. 35. 3. Cõfortate manus dissolutas, & genua debilia roborate.] Et rursus illud: Propter quod remissas manus, Hebr. 12. 12. & soluta genua erigite.] Quoniam sub corpore infirmo & imbecillo tantis viribus pollent, vt onera occupationum importabilia, facilè, alacriter, & cum magna animi tranquillitate, & deuotione sustineãt. His etiam dicitur illud Ecclesiastici. Datum bra- Eccl. 7. 5. C chiorum tuorum, & sacrificium sanctificationis offeres Domino.] Quia externis operibus, per dona brachiorum designatis, nec dũ saciati, interna opera contemplationis, & lectionis, adiiciũt, & in altari cordis holocaustum sanctificationis, id est, se ipsos igne charitatis absumunt. Et hìc illud Micheæ impletum est: Secundum dies egressionis tuæ de terra Michea. 7.15. Ægypti ostendam ei mirabilia: Videbunt gentes, & confundentur super omni fortitudine sua, Ponent manus super os, aures eorum surdæ erunt.] Cùm enim hi sæculum, tum professione, tum vita relinquunt, vident in se mirabilem mutationem effectam, vt ardua, & mirabilia in obsequium Ecclesiæ patrantes, mundi huius sapientes, superbósque confundant, vt & aures suas, ne audiant reli- D giosorum opera, præ inuidia obturent, digitum ori supponant, nec in conspectu illorum loqui audeant.

Et torquem circa collum tuum.] Quid autem est torquis, nisi vtilitas propria, quam animæ religiosæ ex suis laboribus, & præcipuè ex munere prędicationis percipiunt? Nam eisdem laboribus, quibus alios iuuant, se ipsas roborant, & in exercitio virtutum fortiores efficiunt, & eisdem vocibus, quarũ spiritu alios terrent, se ipsas monent, ne ea opere exequantur, quæ in auditoribus prædicatione condẽnant. Quare propria verba atque labores, ad modũ torquis, qui non solùm ornamentum, sed etiam protectio colli est, eas protegunt, atque circundant. Et E propterea Dominus mystico illi equo, qui Euan- Iob.ca.39. 22. gelij administratorem designat, prius præbuit fortitudinem, & postea circumdedit collo eius hinnitum, quia prædicationis vox (vt præclarè scripsit Gregorius) de internis emanat, sed extra circum- Grego. 31. mor.c. 11. dat, & quò alios ad bene viuendum suscitat, eò ad bene agendum, & opera prædicantis ligat, ne extra sermonem actio transeat, ne voci vita contradicat.] Imò & hunc ipsum propriorum vsum laborum clariùs expressit, ita subiungens, hinc est, quòd potenter dimicantibus in munere torquis datur, vt

quia signa virtutum gestant, maiora semper exerceant,& debilitatis crimen incurrere nequeant, dũ in semetipsis iam fortitudinis est præmium, quod ostentant.] Et in eundem sensum Venerabilis Beda mysterium torquis exposuit. Additur(inquit)& collo torques,cùm fulgore perfectę operationis,sermo prædicationis, qui per collum procedit,cõfirmatur: ac ne contemni ab auditoribus debeat,indeficienti virtutum cõnexione docetur. Torques igitur iste ex propriis constans laboribus,quem Deus sponsæ suæ colla circundat, omnibus mundi diuitiis pretiosior est,siquidem eam suauiter intra metas virtutis continet;& à vitiis,quæ damnat,abducit.

Beda in rou c.3.

Et dedi inaurem super os tuum.] Hoc monile silentium est,quod iure inauris appellatur,& gemma pretiosa super os pẽdente nobis exprimitur;quia ille hoc dono præditus est,qui prius internis auribus à Domino percipit,quæ ore est eloquuturus. Hanc inaurem vita religiosa semper in magno pretio habet,& magna cura,& diligentia custodit, quia sine illa suum splendorem amittit, dicente Iacobo Apostolo:Si quis putat se religiosum esse,non refrænans linguam suam,sed seducẽs cor suum,huius vana est religio. Verè se ipsum decipit,qui sine taciturnitate putat se religionem tenere:Nam linguam non cohibens,mente Deo inhęrere,& Christo spõso religare non potest. Hanc inaurem omnes huius vitæ cultores,siue tyrones sint,siue veterani, impensè diligũt: illi,vt rerum mundanarũ obliuiscantur,& res cæle-stes memoriæ infigant. Est enim taciturnitas (vt inquit Basilius) quæ eorum,quæ dediscẽda sunt obliuionem ex desuetudine pariat, & ad ea, quæ recta sunt,dicenda,otium suppeditet.] Isti verò, vt ex bonorum operum exercitio deuotionis calorem conceptum, non solùm augeant, sed etiam conseruẽt. Beatus enim (ait Thomas à Campis) qui os suum strictè custodit, ne otiosum, aut nociuum verbum proferat.Talis magnam pacem habebit,bonam cõsciẽtiam,& famam,deuotionisque gratiam obtinebit specialem.]Et denique tam isti,quàm illi,vt omnium habeant adiumentum virtutũ. Est enim taciturnitas (vt Climacus ait) mater orationis,captiuitatis reuocatio,ignis diuini amoris obseruatio, cogitationum diligens inspectio,specula hostium,carcer luctus,lachrymarum amica,memoriæ mortis operatrix,suppliciorũ pictor,iudicij indagatrix,sagax mæroris subministratrix, inimica fiduciæ,quietis cõiux, ambitiosæ doctrinæ aduersatrix, scientiæ adiectio, speculationis opifex, secretus in Deum profectus, occultus ascensus.]

Iacob.1. 28. *Basil. reg. 13 fus.d.* *Thom. à Camp.ser. 4. ad nouic.* *Clim. in scala para. Grad. 11.*

Hæc pulchra inauris,non ex aure pendet, sed ori supponitur,vt mysticum aliquid contemplemur, nimirum silentium, nec posse esse facile, neque perpetuum, si non ab aure, id est, à cordis attentione procedat, quod esse debet diuinis rebus intentum. Ne tamen hæc auris interna decipiatur, adiectum est:Et circulos in auribus tuis.] Et fortassis hi circuli non sunt à murenulis aureis discreti vermiculatis argento, quæ sponsæ sunt datæ in decoris augmentum. Nam si (vt putat Gregorius) murenulæ ornamenta sunt aurium, verba Christi designant, plena sapientiæ, & puritatis, quibus anima prudenter occupata, nec verba inania mundi audit,nec locutionibus vanis intendit.] Horum autem verborum, ò quanta est in cænobiis abundantia! Verè his domibus Domini, & palatiis æterni regis illud accõmodari potest, quod in Regum narratur historia.Sed & omnia vasa, quibus potabat Salomon, erant aurea, & vniuersa supellex domus saltus Libani ex puro purissimo: Non erat argentum, nec alicuius pretij putabatur in diebus Salomonis.]Religiosi namque, velut magni reges,ex verbis Christi, è mundissimo auro sapientiæ fabrefactis,tamquam ex vasis pretiosis sui ipsorum eruditionem hauriunt, & limpidissimam aquam munditiæ,merúmque vinum deuotionis ebibunt. Vniuersa eorum supellex ex hoc auro componitur,quoniam in doctrina saluatoris habẽt, quo tentationes vincant, se ipsos veteri homine expolient,noui hominis virtutes discãt,& proximos in viam salutis erudiant. Ita his verbis abundant,vt ea è lecto surgentes memoria recitent,cubantes ruminent,comedentes audiant,loquentes conferant, sedentes legant,vacantes discant,& die ac nocte secũdum quod de viro iusto per Psalmistam dictum est, hanc legem Domini meditentur.]Argentum autem verborum sæcularium,quod sonat quidem, sed non replet animum,nullius pretij reputant,neque in suis collationibus in cõmuni habitis, aut in priuatis colloquiis admittũt.Quibus enim verbum Dei sapuit, omne verbũ sæculare desipit, ac si esset cibus nullo sale conditus.Cùm ergo omnia mundana fugiant,& sola diuina cupiant, hæc vera Christi,quibus diuina percipiunt,in suis auribus insonant, vel potius quasi circuli aurei ex auribus pendent, vt hæc audientes, hæc meditantes, hæc loquentes silentium seruent, & omne verbum sæculare à suo ore remoueant.

Greg. in cant. c.1. *3. Reg.10. 21.* *Psal.1.2.*

Qui autem verbo non offendit, hic perfectus est vir.] Quare animæ refrænanti linguam suam iure optimo statim dicitur:Et coronam decoris in capite tuo.]Nam quæ vincit linguam suam, vniuersa vitia ante prostrauit,omniúmque eorum victoriis coronatur.Quæ autem linguam nõ vicerit,certa sit, quia non poterit vitiorum ac peccatorum victoriis coronari.Hoc enim solum membrum modicum quidẽ, sed quòd magna exaltat] hoc est, magnas in corde procellas exsuscitat potẽs est nos multoties prostrare,& mille plagis vulnerare.Leuis res sermo(inquit Bernardus)tenera,mollis,& exigua caro linguæ hominis,quis sapiẽs magni pẽdat? Leuis quidẽ res sermo quia leuiter volat, sed grauiter vulnerat, leuiter transit,sed grauiter vrit leuiter penetrat animũ, sed nõ leuiter exit,profertur leuiter,sed nõ leuiter reuocatur,facilè volat,atque adeò facilè violat charitatẽ. Vilis res est musca moriẽs,sed exterminat olei suauitatem.Tenerum membrum lingua, attamen vix teneri potest:substãtia quidẽ infirmũ, atque exiguum, sed vsu magnum,& validũ inuenitur.Modicũ membrum est,sed nisi caueas,magnum malum,]& multa alia pulchrè.Qui itaque hoc tam pestilens membrũ domuerit,& inaure,siue monili silẽtij super os pendente compresserit,& tamquã ostio circumstantiæ, & vinculo circũspectionis ligauerit, qui circulis aurium suarum,id est,Christi verbis intentus,hunc calamum,carnis substantia paruũ, & damnis maximũ prudẽter otiosum tenuerit,& tantùm pro tempore, & loco,in diuinis laudibus,& in sanctis, & necessariis colloquiis occupauerit, sciat quoniam accepit coronam decoris in capite suo. Huius enim hostis victoria,omnium aliorum hostium victoria est,quia qui hunc perfectè vicit,signum est omnes etiã alios inimicos prostrauisse.Deus autem,qui iustus, & rectus est,omnes victores non solùm in alia vita, sed etiam in ista vita coronat.In alia dum iustorũ capita gloria & honore cingit,& sertis lapidũ pretiosorum circũdat:in hac verò,quia dat illis(vt est i Prouerbiis) augmentũ gratiarũ,& corona inclyta proteget eos]

Iacob. 3. 2. *Iacob.3.* *Bern. de triplic custodia manus, linguæ, cordis.* *Prou.4.9.*

Huic animæ,quæ has illustres victorias cõparauit,tribuit Dominus in religione (vt cætera concludamus)aurum sapientiæ, vt diuina contempletur, & argẽtum eloquij mystici,vt populos instruat, & à

peccatis

peccatis ac vitiis abducat. Huius auri atque huius argenti locuples satis est religiosa vita, fallaces diuitias, in has veras & semper mansuras commutans. (Iob.28.1.) Nam (vt inquit Iob) habet argentum venarum suarum principium, & auro locus est, in quo cõflatur.] (Greg. 18. mor.c.14.) Huius spiritualis auri locus (vt ait Beatus Gregorius) non est profectò alius, quàm Catholica Ecclesia, & huius argenti vena, non est alia nisi Scriptura diuinitus inspirata, ad cuius gnomonem vniuersa, quæ corde credimus ad iustitiam, aut ore confitemur ad salutem, referenda sunt. Sed religiosus status, Ecclesiæ occultior & selectior pars, est huius mineræ locus ditior, in quo, & argentum purius, & aurum inuenitur pretiosius. Sicut enim in venis argẽti & auri, aliqua receptacula inueniri solent, plena metalli purissimi, quæ nostri crumenas metalli vocant, in quibus auri, argentivè maior, & purior est copia, quàm in aliis venæ partibus, quæ metalla hæc cõtinẽt, lapidibus & terræ permixta: ita in hac vena veræ sapientiæ, & verbi Dei, quæ est sancta mater Ecclesia, vitam religiosam, & a curis rerum mundanarum auulsam reperimus, tamquam metalli thecam, in qua, & argẽtum sermonis pulchrius, & efficacius gignitur, & aurum sapientiæ purius effoditur: sapiẽtia cor mundum amat, & mentem curis sæculi vacuam, in sui domicilium requirit. Scriptũ est enim: (Psa.100.1.) Psallam, & intelligam in via immaculata.] Et rursus: (Psa.118.1-4.) A mandatis tuis intellexi.] Quia vita munda, & immaculata, ac diuinorum custodia mandatorum aditũ sciẽtiæ aperit, vt in abdito cordis introeat. Vnde (Cassia. col.14. c.9.) Cassianus egregiè ait, Et idcirco, si sciẽtiæ spirituali sacrum in corde vestro vultis tabernaculum præparare, ab omni vos vitiorum contagione purgate, & curis sæculi præsentis exuite. Impossibile nãque est, animam, quæ mundanis vel tenuiter distentionibus occupatur, donum sciẽtiæ promereri, vel generatricem spiritualium sensuum, aut tenacem sacrarũ lectionum fieri.] Si anima ergo religiosa mundando cordi, & curis sæcularibus vacuãdis, intenta, aptissima est, vt auro sapiẽtiæ spiritualis ornetur: Eloquiũ verò ad animas mouendas efficax, quod prauos affectus euellat, & bonorum operum desideria plantet, non inter curas diuitiarum, inter ambitiones honorũ, & corporis delicias adquiritur, sed in sanctæ meditationis studio, in orationis, ac gemituum frequẽtia, in afflictione corporis, & despectu omnium terrenorum comparatur. Quem enim vnquam vidisti suis cupiditatibus seruientem, vanis & ineptis cõfabulationibus vacantem, & suis diuitiis, & dignitatibus inhærentem, qui verbo corda permoueat, & vitiis irretita, in iustorũ libertatem educat? Certè nul(Nazianz. lib. Sent. tom.4.)lum. Quare rectè dixit Gregorius Nazianzenus: Aut docendi munere abstine, aut moribus, vitæque probitate doce, ne alioquì discipulos altera manu trahas, altera repellas. Minus tibi sermone opꝰ erit, quę facto opus sunt faciẽti: pictor non tã sermone, quàm penicillo, atque exẽplo docet.] At religio est meditationis domus, orationis schola, fletuũ, & gemituum administratrix, delitiarũ corporearũ auersatrix, honorum, ac diuitiarum cõtemptrix: omniumq; virtutum magistra. Ea igitur suis cultoribus verbũ potẽs administrabit, quod adiũctum operi cordium sæculariũ duritiẽ emolliat, & ad Christi pauperis, & patibulo affixi, imitationẽ impellat. Ornata es ergo, ô anima, in religioso statu, argento & auro, quia eam vitam professa es, cui à Domino sapiẽtia vera, & eloquium castum, & velut igne examinatum, cõceditur.

Hanc etiam animam, iam tertiò induit Dominus vestibus perfecti decoris. Et vestita es (ait) bysso, & polymito, & multis coloribus.] Cogit nos sacrarum

A literarum auctoritas, vt in hoc bysso aliud intelligamus, quã supra in cingulo byssino mysticè signatum esse cognouimus. Nec enim dona ditissimi, & liberalissimi sponsi, suæ sponsæ donata tam pauca sunt, vt in non multis lineis essent iterum repetẽda. Et ille, qui nõ est ineptus suorum donorũ exaggerator, sed largus beneficiorũ elargitor, recensens munera sua, non inculcabit illud munus, quod donatum esse iam dixerat: Necdum, quod illud cinctoriũ fuit: nam inquit: Cinxi te bysso] hoc autem indumentũ est, quare ait: Et vestita es bysso, & polymitano, & multis coloribus.] Hoc igitur byssinũ indumentũ, innocentiam significat, tunica verò polymita, multitudinem varietatemque virtutũ. Decora sanè vestis, quã Dominus sanctæ Ecclesiæ donauit. Nã datum est illi, vt (Apocal. 19.8.)
B cooperiat se byssino splendenti, & cãdido. Byssinũ enim iustificationes sunt sanctorum.] Sed hãc religiosi puriorem, & recentiorem conseruant, quia ab amore sæculi, qui vestem istã inquinat, & à curis rerum mundanarum eam lacerantibus, se magna diligentia custodiunt. Inter istas nãque cordis innocentiam & puritatem conseruare, quàm difficile sit, ille solus intelliget, qui amore mundi vallatus, & curis rerum terrenarum impeditus, nisus est cor suum à vanis cogitationibus expedire, & ab ineptis cupiditatibus liberare. Probat iste inter mundana constitutus, quàm arduum sit animum illibatum tenere. Cũ (vt inquit Leo Papa) & aduersa noceant, & secunda corrumpant, nec minoris sit periculi carere desideratis, quàm abundare concessis. Insidiæ sunt in di- (Leo.ser. 11.quadrag.)
C uitiarum amplitudine, insidiæ in paupertatis angustiis: illæ eleuant ad superbiam, istæ inuitant ad querelam. Tentat sanitas, tentat infirmitas, dum, & illa materia est negligentiæ, & hæc causa tristitiæ. Laqueus est in securitate, laqueus in timore, neque interest vtrum animus, qui terreno tenetur affectu, gaudiis occupetur, an curis, cùm par morbus sit, vel sub vana delectatione languere, vel sub anxia sollicitudine laborare.] Betus ergo, qui per religiosum statum copulatus Deo, ad quem nõ accedit malum, (Psal.90.10.) & flagellum non appropiat tabernaculo eius,] nec aduersa timet, nec prospera concupiscit, nec diuitiis distenditur, nec paupertate coangustatur, nec gaudiis extollitur, nec curis deprimitur, quia in hoc perfectionis culmine positus, neque aquis vanarum cogitationum, & cupiditatum mergitur, neque pecca-
D torum labe fœdatur. Iste non est sicut Esau gnarus (Genes.25.27.) venandi, & vir agricola, quia non quæritat cibum rerum mundanarum, qui periit, nec in sudore vultus terram subigit, vt fructus diuitiarũ perituros decerpat, sed sicut Iacob, vir simplex, qui habitat in tabernaculis] scilicet in tabernaculis fiduciæ, & in requie (Isaia 32.18.) opulẽta. Huiusmodi tabernacula sunt religiosorum cænobia, in quibus fiducia crescit æternę retributionis, & opulẽtissima requies tribuitur. Si itaque in vita religiosa tãquã in tabernaculo fiduciæ collocatus, quod vouisti reddis, quod promisisti custodis, citra omne dubiũ vestitus es innocẽtiæ bysso, quia neque diuina mãdata grauiter lædis, nec consilia ad te pertinentia præteris, nec minores exemplo scandalizas,
E nec æquales conuersatione contristas, nec maiores inobedientia conturbas. Indutus es quoque polymito, & multis coloribus, id est, vniuersitate virtutum; nam impossibile est aliquam virtutem cõtemnere, ac vitium contrarium admittere & perfectam innocentiam custodire.

Dominus auté, qui tanta misericordia vestes, & gemmas prouidit spõsæ suæ, ciborum nõ est, quibus reficiatur, oblitus. Nam similam (inquit) & mel, & oleum comedisti.] His tribus spiritualibus cibis

quotidie religiosi vescuntur. Similia enim, aut verbū Dei est, aut illud magnificum sacramentum, quod Christi corpus, & sanguinem veraciter continet. Vtriusque autem religio est abundantissima. Nam vacuitas à negotiis temporalibus, commoditatem subministrat, vt religiosi sæpissimè verbum Dei audiant, res spirituales inter se conferant, & sanctorum Patrum voluant volumina. Vitæ autem puritas, ad illud tremendum sacramētum, aut quotidianum, aut frequentissimum concedit accessum. Mel nihil aliud est, quàm spiritualis consolatio, & sanctarum lachrymarum profusio, quæ consolationes terrenas respuentibus, copiosissimè reseruatur. Oleum verò sancta deuotio currum mentis inungens, vt suauiter, & sine strepitu, onera pœnitentiæ supportet, & velociter euolet in sedes æternitatis. Audisti, ô anima mea, dignitatem tuam, qua exaltata es? Ornamentum tuum, quo decorata es? Diuitias tuas, quibus in religiosa paupertate ditata es? Audisti Dei misericordiam erga te, sponsi dulcedinem, Patris amorem? Vitam ergo tanta amplitudine dignam amplectere, & te totam puram, ac illibatam Christo dulcissimo sponso conserua, illi soli serua fidem, in eo omnem spem colloca, & ardentissimo ipsi amore coniungere, quia fidelis est, cui te totam serues, fortis, cui omnes tuas curas committas, & speciosus forma præ filiis hominum,]cui magna vi amoris inhæreas. Quis enim illo pulchrior? (vt verbis Laurentij Iustiniani finiam:) Quis modestior? Quis sapientior? Ornatus in moribus, maturus in gressibus, in sermonibus facundus, in conuersatione circunspectus, in redargutione seuerus, in exhortatione blandus, in collocutione suauissimus; & in omni suo opere venerādus: Aspectus illius venustate plenus, humilitate verecūdus, suauitate refertus; & tota elegantia decoratus; Labia illius lab ia distillātia, verba vitæ æternę emanantia, mel & lac eructantia. Illud quidem resonabat in ore, quod latebat in corde, ideò solabatur mæstos, vrebat frigidos, resuscitabat mortuos, infideles illustrabat, cunctosque ad se accedentes reddebat beneuolos: Sermonibus quoque suis audientium corda ad mundi animabat contemptum, ad virtutum profectum instruebat.]Hunc ergo sponsum semper cogita, hunc quære, huic in omnibus operib⁹ placere stude: & beata, si quod statu accepisti, toto animi conatu seruaueris.

De honore religiosorum, ac primò, quid sit verus honor.

CAPVT XXVIII.

IAM tandem, vt nostri status bona, non omnia, sed huic loco apta, & ab Ezechiele figurata cōcludamus, pauca de honore eximio religiosorum dicēdum est. Nec enim potuit deesse magnus honor, qui virtutem, ac sanctitatem comitatur, statui, tot, tantisque virtutibus cumulato, & quidem nō honor fictus, sed verus, non inanis, sed solidus, stabilitatem habens, in admirationem homines rapiens, & à vera gloriæ radice progrediens. Et decora (inquit) facta es vehementer nimis.]Ecce radicem, & certissimā honoris causam: Et profecisti in regnū.] Ecce stabilitatem, & firmitatem: Et egressum est nomen tuum in gentes propter speciem tuam, quia perfecta eras in decore meo, quem posueram super

A te.] Ecce honoris magnitudinem, corda hominum in admirationem attollens. Radix & causa honoris, decor virtutis est: Vt enim dixit Philosophus, de magnanimo loquens: Nec etiam dignus erit honore, si prauus sit, quippe cùm honor præmium sit virtutis, ac bonis hominibus tribuatur.]Quare gentes, quæ res creatas tamquam sacra numina venerabantur, ita virtuti & honori templa dicarunt, vt per virtutis templum ad honoris ædem solus pateret ingressus. Hoc insinuantes, virtutem esse velut honoris, & gloriæ ianuam, sine qua nemo vnquam verum honorem consequetur. Et licèt insipientissimæ essent, ex eo quòd rebus creatis diuinum cultum tribuerunt, in hoc autem sapientes extiterunt, quòd honorem (sicut re vera est) virtutis præmium reputarunt. Honor enim est testimonium eminentiæ alicuius, & sicut maxima hominis eminentia, verissimáque eius excellentia in virtute consistit, ita huic maximus honos tribui debet. Cui debito, nescio quo pacto, omnes quasi nescientes aut minùs aduertentes satisfaciamus. Licet enim honore afficiamus eos, qui alia quapiam excellentia, aut dignitate præcellunt, vt nobiles, vt sapientes, vt diuites, vt superiores, atque prælatos, multò tamen maiore honore prosequimur bonitatis studiosos, & maiori reuerentia suspicimus, quos virtutis decus, & sanctitatis pulchritudo nobilitat. Et meritò sanè: Nam alias dignitates, aut fortunæ (si ita loqui fas est) volubilitate suscipimus, aut ab auis, & proauis in earum hæreditatem vocamur, aut propria industria, & labore consequimur, virtutis autem dignitas, licèt proprium studium non excludat, tamen diuinitus datur, & à summi Dei pectore emanans, eius ope ac auxilio retinetur. Alia bona naturalia, ab hominibus dantibus, vel à nobis ipsis laborantibus, vel annuente, vel permittente Deo, valemus accipere, sed datum virtutis optimum, & donum sanctitatis perfectum, totum de sursum est, descendens à patre luminum, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio.] Qui cùm sit fons lucis, inglorios & obscuros, quos diligit, splendore virtutis illuminat, & cùm sit immutabilis, sic à se dilectos & illustratos bonorum operum gloria, nulla vi, nulla creata potestate (modò ipsi velint) à tanta dignitate declinare permittit. Æquum est igitur, vt virtutis dignitas à Deo procedens, & eius viribus obtenta fortissimis, honorabilior sit quapiam alia dignitate, quam, aut exiguæ hominum vires pepererunt, aut opes, & diuitiæ coēmerunt, aut ambitiosorū doli, & technæ donarunt.

Homines quidem dignitate mundana pollentes, solemus exteriùs honorare: interiùs autem, aut detestamur illos, quoniam vitam, & mores habent dignitate prorsus indignos, aut contemnimus, quoniam fauoris flatu ad honoris gradum fuerunt euecti, aut pro nihilo ducimus, quia ob quamdam industriam naturalem, ad res humanas tractandas accommodatam exaltati sunt, & dignitatem consequuti. Et alios insuper iacere videmus, & in mendicitate à regibus, & principibus derelinqui, quos natura ad rempublicam gubernādam aptiores protulit, & maiori rerum gerēdarum dexteritate cohonestauit. At virtute præstantes, non solùm visibilibus signis, sed interna reuerentia, honore prosequimur, & eos verè fœlices, & beatos existimamus, quos Deus ipse in pretio habet, & vinculo sibi puritatis deuincit. Vnde est illud Chrysostomi. Nec enim voces illæ populi, per quas iudicibus acclamatur, ex veritate proferuntur, sed & ipsæ sunt,

Arist. 4. Ethic. c. 2.

B

C

Iacob. 1. 17.

D

E

Chrysost. lib. quod nemo læditur nisi à semetipso hom. 9.

quibus

quibus fucatum nomen honoris depingitur. Nam si conscientias interroges acclamantium tibi, inuenies apud vnum quemque eorum mille te capitibus accusari. Denique vbi metus cessauerit potestatis, & publicæ pompæ fuerit scena resoluta: tunc videas quanti oblatrantes, quanti obloquentes, quanti insimulantes: & hi omnes ex illis sunt, qui prius acclamabant, & immensis te laudibus extollebant. Hæc tu honorem ducis? Et hæc diuitiis quærenda credis, quæ etiam si sponte adessent, recusanda erant? Plus enim odij quàm amoris acquirunt, sed si vis, tibi ostendam honorem verum; Honor verus, virtus animi est. Hic honor, neque à Cæsaribus præstatur, neque adulatione conquiritur, neque pecunia præparatur. Nihil fucati in se habet, nihil simulati, nihil occulti: huius honoris successor nullus est, accusator nullus, nullus ingratus: hic honor temporibus non mutatur, nec tyrannos patitur, nec picturam tabulæ metuit aliquando delendam.] Et nemo sane erit, vel tam oculis mentis orbatus, aut tam à rebus humanis alienus, qui non ista in theatro mundi sæpissimè viderit, & non sit, aut in se ipso, vel in aliis expertus. Qui enim non vidit iudices, & gubernatores reipublicæ, dum regiminis clauum tenet, à communi populo, & ab his etiam magnatibus, qui coram illis habent negotium, ficta quadam, aut coacta reuerentia affici, & tamquam histriones comœdiam agentes, honorari: peracta autem scena, & persona dignitatis, potestatisque deposita (quod non semel aut indignatione principis, aut inuidorũ dolis, aut certè sola præfiniti ad gubernandum temporis lapsione contingit) videas eos ab illis fictis honoris delatoribus, verbis amarulentis proscindi, querelis impeti, odij, iniustitiæ, cupiditatis accusari, & omni honore cum magno dedecore, & infamia priuari? Quis non vidit, aut ex annosæ antiquitatis lectione cognouit, principes ipsos, qui aut populi electione, aut iusto bello, aut hæreditario iure perpetuò cæteris imperant, arridente fortuna, à subditis efferri laudibus, falli adulationibus, & insuetis honoribus onerari; post mortem verò contemni, irrideri, maledici, ac si fuissent subditorum pestes, & reipublicæ subuersores? Si verò aliquis summus princeps pericula imperij animaduertens, & animos vere magnos concipiens, se mundo subtrahat, & adhuc viuens regnum successori tradat, videas istum, nec dum natum, nec dum de populo benemeritum, principi prudentissimo, regi magnanimo, totius regni parenti optimo, statim à turba aulicorum anteponi, & illum, qui regnum præ virtute contempsit, solitarium, inglorium, & pauperem derelinqui. Denique vidi cunctos viuentes, qui ambulant sub sole, cum adolescente secundo, qui consurget pro eo] Infinitus numerus est populi omniũ qui fuerunt ante eum, & qui postea futuri sunt, nõ lætabuntur in eo, sed & hoc vanitas, & afflictio spiritus.] At in honore iustorum & veritas, & consolatio magna est. Nam his non coactè, sed spontaneè, non fictè, sed verè, & ex animo ab omnibus honor, reuerentiaque defertur: & siue prosperitate afficiantur, siue calamitate premantur, etsi pauperes sint, aut terræ filij, aut ignorantes, & rudes, ab omnibus iudicantur honore dignissimi. Et in ipsa morte, quæ huius sæculi magnates sepelit, & à recordatione mortalium obliterat, tunc incipiunt maiorem, & excellentiorem honorem habere, & amplioribus laudationibus decorari. Vtrumque Spiritus sanctus vna Salomonis prouerbiali sententia coniunxit. Memoria iusti cum laudibus, & nomẽ

Ecclef. 4. 15.

Prou. 10. 7.

A impiorum putrescet.] Tunc non soli, & inglorij relinquuntur, sed multorum precibus, & orationibus (qui eorum auxilium implorant) cincti, & constipati procedunt. Tunc non contemnuntur, sed eorum ossa, & cineres, eorum sudaria, & semicinctia, eorum panni vilissimi, res optimæ, & auro, atque argento, quibus reconduntur, pretiosiores reputantur.

Si ergo verus, & non simulatus honor à virtute procedit, quis dubitet religiosæ vitæ dicatos eximio honore, vniuerso etiam mundo contradicente, affici, quos tam admirabilis virtus, tam ingens puritas morum exornat? Quamdam istorum animam alloquitur Deus, cùm ait: Et decora facta es vehementer nimis.] Quis iste decor? Quæ ista pulchritudo? B An illa corporis, quæ tamquam flos agris conteritur, & euanescit? An illa, de qua scriptum est: Fallax gratia & vana est pulchritudo?] An illa, cuius etiam hoc est elogium: Circulus aureus in naribus suis mulier pulchra, & fatua:] Non sanè, sed decor sanctitatis, non, sed pulchritudo virtutis. Hæc in quocumque sit, magna est, & venerabilis, verùm in anima religiosa non vtcumque magna, sed magna vehementer nimis. Vehementer magna est ista pulchritudo, quia status religiosus, nec minimã deformitatem dissimulat, sed disciplinæ censura castigat. Quid leuius verbo otioso? Quid minutius improuido oculorum aspectu? Quid aut incessu præcipiti, aut risu immoderato, aut nonnullæ ira- C cundiæ significatione tenuius? Sed hos minimos næuos anima religiosa, ita diligenter tollit, has minutissimas maculas, ita sollicitè tergit, ac si decori à se concupito nimis officerent. Hoc magnus contemplator Richardus præclarè confirmat, qui postquam dixit, perfectam pulchritudinem duobus constare, membrorum elegantia, & suauitate coloris, subiungit. Sic anima cùm per dignam pœnitentiam à peccatis mundata est, & peccati corpus destruxit, quasi corpore pulchra est. Et cùm etiam per quotidianam confessionem, à quotidianis peccatis se mundat, & pro his verecundiam patitur, quasi rubore genarum simul decoratur, vt tota pulchra meritò dicatur.] Omnimodus ergo animæ decor D non in sola grauium criminum detestatione, sed in leuissimorum defectuum abiectione situs est. Non in sola declinatione mali, aut communis boni assequutione, sed in perfecti boni adeptione consistit. Hoc autem bonum perfectum, atque absolutum, religiosa vita consectatur, à cuius ne frustretur obtentu, vniuersa impedimenta perfectionis amouet, multa etiam licita, quia non omninò perfecta, præscindit. Anima igitur vitam istam excolens, & eius se institutis accommodans, non quamcumque virtutis pulchritudinem, sed eximiam, & admirabilem pulchritudinem conquisiuit.

Nimis magna est ista pulchritudo, quam anima, non per aliquod temporis spacium, sed per totã vitam diligentissimè curat. Illæ enim puellæ ad con- E sortium regis Assueri delectæ, sex mensibus oleo vngebantur myrtino, & aliis sex quibusdam pigmentis, & aromatibus vtebantur, & iam instãte ad regẽ ingressu, quidquid postulabant ad ornamentum pertinens, accipiebant, & sic compositæ ad cubiculum regis transibant. At anima in regiam Christi regis, id est, in sanctam religionem admissa, non sex tantùm mẽsibus, sed tota vita sua, oleo compũctionis inungitur, & virtutum pigmentis, sanctorumque affectuum aromatibus illinitur, & non morte appropinquante quando ad regem Christum est ingressura (quod sæculares non raro facere solent) sed toto vitæ tempore bonorum operum indumenta

Ezec. 16. 13.

Prou. 31. 30.

Prou. 11. 22.

Richard. in cant. d. c. 24.

Esther. 2. 12.

nquirit, vt sic decora vehementer nimis, vt regi-
m decet, opulentissimè ornata, transeat de hoc tri-
inio animarum sanctarum in cubiculum sponsi,
uod est cœleste domicilium, vbi est in perpetuas
ternitates permansura. Denique magna nimis est
ulchritudo tanto labore, ac sollicitudine procura-
; illa enim anima, quæ non oscitanter, sed magna
i contentione Deo placere cupit, singulis momē-
is decorem suũ augere studet, de nocte suas cogita-
iones, ac desideria sua, verba, & opera diligenter
xaminat, & si quid omittendum egit, aut agendũ
misit, oculo discretionis aduertit, & non solùm
eues maculas, si quas ex occupatione contraxit, la-
hrymis diluit, verùm etiam, si se decore, & pul-
hritudine bonorum operum adoleuisse non sentit,
uasi otiosam, & socordem se culpat, & tamquam
igra Dei comminationes extimescit. Quæ tanta
ura deformitatem fugit, quæ tãta sollicitudine de-
orem inquirit, quomodo non erit pulcherrima?
Quomodo non decora vehementer nimis? Omnis
certè pulchritudo Solis, & Lunæ, & lucentium stel-
larum huic decori comparata, vilis reputatur, & exi-
gua; imò quid eorum, quæ in facie lucent (vt ver-
bis vtar Bernardi) si internæ cuiuspiam sanctæ ani-
mæ pulchritudini comparetur, non vile, ac fœdum
recto appareat æstimatori? Quid, inquam, tale in se
ostendit ea, quæ præterit. figura huius mundi, quod
æquare speciem animæ possit illius, quæ exuta ter-
reni hominis vetustatem, eius, qui de cœlo est, de-
corem induit, ornata optimis moribus pro monili-
bus, ipso purior, sicut excelsior æthere, sole splendi-
dior.] Propter hanc itaque eximiam pulchritudinē,
ac virtutis decorem vniuersus mundus statum reli-
giosum superiorem agnoscit, & hunc statum colen-
tes, istamq; vitam profitentes, non fictis applausi-
bus, neque externis tantùm honoris indiciis, sed ve-
rissima reuerentia, & honore prosequitur Verus
enim honor, & nulla fictione maculatus, illis profe-
ctò tribuendus est, qui veræ virtutis effecti partici-
pes, nō honorem ambierunt, sed omnes honores, &
dignitates sæculi pro Christi obsequio, & amore re-
futarunt. Nam sic immobilis, & fixa permanet diui-
na sententia; vt qui pro Christo mundana contēpse-
rit, ea etiam in hoc mundo centuplicata recipiat.
Quamobrem, si religiosi omni honori, omni di-
gnitati, omni dominationi nuncium remiserunt, nō
pro inani gloria, vt antiqui philosophi, non pro a-
deptione honoris, vt hypocritæ, qui reiiciendo ho-
norem, ipsum aucupare contendunt; sed vt Christũ
verum honorem, veras opes, veras delicias possi-
deant, æquum est, vt honorem, quem reliquerunt,
centuplicatum accipiant. Si autem honos illis at-
tributus, adhuc inanis est, numquam illum auctum,
& multiplicatum habebunt, imò eo ipso decurta-
tum, ac imminutum; quia qualibet res, aut prospe-
ritas, quò magis inanis est, eò infœlicior redditur,
atque miserior. Non igitur pro inani honore con-
tempto, auctum honorem inanem; sed verum ho-
norem, & solidum centies auctum assequentur. Hoc
verò non esset difficile innumerabilibus exemplis
comprobare, eorum, qui mundo contempto, ad
magnam gloriam pro ipsa mundi, & suarum rerum
contemptione subuecti sunt; sed vnum tantùm, aut
alterum, & quidem magnæ auctoritatis, non omit-
tam. Ioannes Cassianus Abbatis Ioannis honorem,
non ambitione, sed virtute partum, hac dissertissi-
ma oratione describit. Qui, ait, perobscuris ma-
iotibus natus, ita pro Christi nomine vniuerso pe-
nè humano generi admirabilis factus est, vt eum
ipsi quoque rerum præsentium domini, qui mundi
huius, atque imperij gubernacula retinentes, etiam
potentibus cunctis, regibúsque terrori sunt, velut
dominum venerarentur, & oracula eius de tam lon-
ginquis regionibus appetentes. imperij sui apicem
& statum salutis, bellorúmque prouentus, illius ora-
tionibus, meritisque committerent.] Simile de Ma-
gno Antonio ab hominum consortio segregato A-
thanasius narrat. Hoc (inquit) in eo viro mirabile est, *Athanas. in vita Antony.*
vt hominem in extremo mundi limite conditum,
& fauor principũ, & omnis celebraret aula regalis.
Nam & Constantinus Augustus, & eius liberi Con-
stans, atque Constantius, talia cognoscentes, crebiò
ad eum, quasi ad patrem, missis literis obsecrabant.
vt reciprocis eos literis hilararet.] Quando magna-
tes sæculi, tãto honore, tam intima reuerentia à suis
regibus dignati sunt, vt & orationum ab eis auxilia
poscerent, & quod mirabilius est, consolationem &
gaudium, ex epistolis à suis subditis missis postula-
rent? Certè honorabilissimus status est, quem princi-
pes quoque sæculi sincerissimo venerantur affectu,
& verissimus honos est, quem non ambitio com-
parauit, non simulatio detulit, non timor, ac vio-
lentia obtulit: sed vera virtus, paupertatis amor, vt
sæculi contemptio promeruit.

De stabilitate honoris religiosorum.

CAPVT XXIX.

Cor humanum desiderio veri hono-
ris incensum, non sola honoris verita-
te satiatur, sed eius firmitatem, ac sta-
bilitatem exoptat. Quæ firmitas virtu-
tis profectò pulchritudinem, & san-
ctitatis decorem consequitur. Quare religiosorum
honos firmus, & stabilis esse debet, quem non ina-
nia bona tenent, qualia sunt, diuitiæ, vel reipublicæ
dignitates; sed vera bona virtutum fulciunt, atque
sustentant. Hoc autem Dominus statim sequentibus
verbis insinuat. Nam propter hanc speciem tuam
(inquit) qua perfecta eras in decore non tuo, sed
meo, quem posuerã super te, profecisti in regnum.]
Si enim dixit quidam: Priami species digna est im- *Homer. in Iliad.*
perio, cur animæ species, beatos admirans, & cor
Dei in sui amorem rapiens, non erit digna. quæ im-
peret, ac in principatum, & regnum proficiat? Hoc
regnum quamdam honoris firmitatem, & stabilita-
tem significat, quæ ex religiosorum statu, ac quali-
tate dignoscitur. Regnat namque religiosus, quoniã
charitatis perfectionem insequitur, & suis affecti-
bus dominatur. Si enim regnat ille, qui præficitur
populis, cur non ille regnet, qui sibi ipsi, & suis affe-
ctionibus imperat? Quicumque proprium corpus
subegerit (inquit Ambrosius) nec eius passionibus *Ambr. in Psal. 118. ser. 14. vers. 5.*
turbari animam suam, rector sui congrua viuacitate
permiserit, is bene regia quadam potestate se cohi-
bens rex dicitur, quòd regere se nouerit, arbiter sui
iuris sit, non captiuus trahatur in culpam, nec præ-
ceps feratur in vitium.] Hoc autem adeò habet reli-
giosus, vt si minimè suas passiones cohibeat, si non
se ipsum seuerissimè regat, religiosus habitu sit, vita
non sit. Hoc, secundum Anselmum, capitis tonsura *Anselm. lib. de similit. ca. 93.*
designat, qua religiosus, tum dignitatis, tum proprij
muneris admonetur. Corona (inquit) capillorum-
que tonsura, eum esse debere sacerdotem, & regem
demonstrat. Sacerdotes quippe in lege, mitra tege-
bant caput, ad similitudinem cuius, & huic caput
raditur. Reges autem coronis vtuntur, ad cuius si-
militudinem, huius capilli tōdentur Hæc itaq; coar-
ctant eum, vt sacerdotis, & regis gerat officium.]

De

De officio autem, statim subdit: Officium sacerdotis erat in lege generis diuersi pecora mactare. Huius ergo similiter officium debet esse, leonem iræ, & crudelitatis; lupum rapacitatis; taurum feritatis: vulpem astutiæ: hircum immunditiæ: glirem somnolentiæ: equum, & mulum luxuriæ: asinum pigritiæ, aliáque bestialia vitia occidere. Regis autẽ officium propriũ est, regere regnum: hostes inde propellere; ne iusto iniustus iniuriam faciat prouidere; malis depressis bonos exaltare. Hoc itaq; officium debet esse monachi, vt suæ mentis regnum regat, & corporis. Hinc enim omnia expellere debet vitia, prouidere, ne malus bono appetitus resistat, sed vt bonus malum sibi semper subiiciat.] Optimũ certè regis munus, quod nõ sola regni exteriora componit, sed interiora mentis gubernat, non corpus tantùm regit, sed spiritum quoque moderatur: non pacem corruptibilem tuetur, sed pacem incorruptã affectuum interiorum conseruat: ex qua ad illam æternam pacem ascendimus, quam adepti cum Deo sine fine regnabimus.

Regnat religiosus, quoniam ex domo Christi est famulus, amicus, & sodalis ipsius. Religio enim, præcipua quadam ratione, domus Christi dicitur, quia in ea specialiter commoratur, eam regit, atque gubernat, omnesque eius sectatores Christi induuntur insignibus. Nam habitus ipse monachi, nihil aliud est, quàm indicium quoddam externum, quo religiosus se Christi esse famulum ac amicum profitetur. Omnes autẽ ex hac domo Christi, principes, & reges sunt. Ideò quipppe vocatur rex regum, & Dominus dominantium.] Quia omnes, qui ei seruiunt, sed præcipuè, qui nec latum vnguem à sua voluntate conantur discedere, & in omnibus ei famulantur, non tantùm vocantur in seruos, sed admittuntur in reges, & regium diadema suscipiunt. Quidni regnent illi, quos Deus ipse vult honorare, & ad regiam dignitatem extollere? Volens potentissimus Rex Assuerus Mardochæum Iudæum honorare, eo quòd duorum Eunuchorum aduersus caput regium detexisset insidias, iussit eum indui regalibus vestimentis, & regium diadema suscipere, & insidentem equo regio per plateas ciuitatis discurrere, primo de regiis principibus habenas equi manu tenente, & magna voce acclamante: Hoc honore condignus est, quemcumque rex voluerit honorare.] Si terrenus rex seruos suos, nec nimis familiares: nec multũ bene meritos, tanto dignatur honore, quid faciet cælestis Rex Christus, sine vlla comparatione gratior, atque potentior erga seruos suos, non illi in vno, aut altero, sed in omnibus fidelissimè obsecundantes, quos in arctissimam familiaritatem asciuit? Certè induit eos indumento suo; nam sicut ipse vestitus erat veste aspersa sanguine, pressuris, ac tribulationibus, in hominum redemptionem susceptis; ita decorat illos eodem vestimento, vt interdum illud Pauli audiant: Quia vobis donatum est pro Christo, non solùm vt in eum credatis, sed vt etiam pro illo patiamini.] O pretiosa vestis, quam mundani auersantur, quam imperfecti fugiunt, & timent; sed perfecti, & fortes spiritu, magna auiditate concupiscunt, scientes, quoniam tribulatio patientiam operatur; patientia autem probationem; probatio verò spem, spes autem non confundit.] Et sicut ipse habet in capite diademata multa, sic capita istorum amicorum suorum, non vna tantum; sed multis coronis cingit, propter multas victorias, quas de Diabolo, iustorum aduersario, de mundo superbo, ac de carne propria reportant. Insidebat ille equo albo, id est, sanctissimo corpori suo (vt interpretatur Ambrosius.) Iste equus albus erat (inquit) quia erat immaculatus, quia nulla peccati inquinamenta cognouerat. Nam si libido tenebrosa est rectè sanctimonia lucet, & splendet.] Et isti etiam equis albis, id est, propriis corporibus, castitatis virtute dealbatis insident, quæ fræno mortificationis iniecto, & habenis circumspectionis gubernant.

Apocalyp. 19.16. *Esther. 6. 9.* *Apoc. 19. 13.* *Philip. 1. 29.* *Rom. 5.4.* *Apoc. 19. 12.* *Ambr. in in Ps. 40.*

Sceptrum quidem in tanto honore non legitur datum Mardochæo, sed religioso concessum est Nam Dominus in vinculis mundi non dereliquit eum, donec afferret illi sceptrum regni, & potentiã aduersus eos, qui eum deprimebant:] vt sceptro vitia domaret, & prauas affectiones cohiberet. Nec desunt plurimi acclamatores, qui non inuiti, vt superbus Aman, sed libentes, & voluntarij proclament: sic honorabitur quẽcumque voluerit rex honorare.] Hîc namque illud Esdræ contemplor impletum: Benedixit populus omnibus viris, qui se sponte obtulerant, vt habitarent in Ierusalem.] In ea scilicet munitissima Ecclesiæ ciuitate, quæ est sancta religio, in qua pax vera est, habitatorũ summa vnio, & concordia voluntatum. His itaque, qui se propria spõte inhabitatores huius spiritualis Hierosolymæ tradiderunt, omnes populi sibiipsis consulentes benedicunt, vt sublimem vitam electorum (inquit Beda) quam sequi imitando non possunt, congaudendo, ac venerando, suam facere debeant.] Si ergo honores à Deo delati non in externis indiciis, sicut honores rerum temporalium, sed in veritate consistunt, liquet, quos regum ornat insignibus, veres esse reges, qui cor regale, hoc est, magnanimum & generosum induunt, magna & digna regibus appetens, & vilia mundi parui pedens. Veri quidem sunt reges, nam ius obtinent, non regni perituri, sed regni cœlestis, quod ipsis vniuersa abiicientibus, & suos affectus cohibentibus promissum est. Promisit namque Dominus cœlorum regnum (ait Laurentius Iustinianus) non diuitibus, sed pauperibus: non dominantibus, sed mitibus, non ventris voluptatibus deditis, sed iustitiam esurientibus, ac sitientibus non gaudentibus, sed lugentibus; non obscœnis cogitationibus inuolutis, sed corde mundis; non rixantibus & superbis, sed pacificis; non temporali fœlicitate florentibus, sed propter iustitiam, & Domini nostri Iesu Christi dilectionem persequutionem patientibus.] Qui statum susceperunt priora abdicantem, & posteriora complectentem, non dubium quin regni cœlestis sint heredes, atque adeò, quòd in regnum, imperiumque profecerint.

Sapien. 10. 14. *Esther. 6. 9.* *2. Esdræ. 11.2.* *Beda lib. 3. in Esdram c. 3.* *Lau. Iust. lib. de regim. præ. c. 26.*

Hoc ergo regnum, quod religiosi sunt assequuti, honorem eorum firmum reddit, ac stabilem. Nec enim est honor stabilior eo, qui regibus, ac principibus debitus est, quos, siue prosperitas rideat, siue aduersitas terreat, siue imperij maiestate fruantur, siue vincti, & compediti ab alio rege, qui eos prostrauit, ac vicit, teneantur, honore prosequimur. Est namque dignitas regia se ipsa venerabilis, siue bonis successibus gaudeat, siue aduersa fortuna, ac calamitate prematur. Ipsa regis insignia, sceptrum, thronus, & corona, licet vita, & sensu vacua, licèt vilioris pretij, vt si stannea essent, aut plumbea, in honore sunt, quia regem referunt, & illam supremam dignitatem repræsentant. Nec obest, quòd hac dignitate pollẽtes mali sint, aut vitiis inuoluti, imprudentes ac gubernationis imperiti, insani, qui iræ, & libidinis affectibus abripiantur, modò enim reges sint, honore sunt afficiendi, quoniam his vitiis, aut passionibus, regia dignitas si fœdatur, non tamen amittitur, nec suæ

facit

facit excellentiæ iacturam. Quare Petrus indifferenter monet regibus honorem tribuere. Regem (inquit) honorificate.] Et paulò superius: Subiecti estote omni humanæ creaturæ(in potestate constitutæ)propter Deum,siue regi,quasi præcellenti,siue ducibus,tamquam ab eo missis ad vindictam malefactorum,laudem verò bonorum;quia sic est voluntas Dei.] Religiosi igitur,qui regalem obtinent amplitudinem, magnam habent stabilitatem honoris, adeò vt quamuis omnia desint humana adiumenta, solus religionis status eos honore,ac reuerentia dignos efficiat.

Est religiosus homo ignarus, & idiota, quem scientiarum cognitio non illustrat? nihil refert; sapientes huius mundi, si non desipiant, illam insipientem sapientiam honorabunt,qua insipiens sapuit mūdi fallacias cognoscere,& ab eius periculis, ac peccatis effugere.In illoque videbunt,quod stultam fecit Deus sapientiam huius mundi,quia nō sapit,quæ Dei sunt, & sapientem fecit insipientiā iustorum,quæ sciuit bonum virtutis amplecti,& mala sapientum mundi declinare.Et religiosus pauper & mendicus,quem auri,& argenti copia nō ornat? nihil interest: Diuites huius sæculi illam mendicitatem admirabuntur, & ditiorem suis diuitiis reputabunt;quia pauperculus est sua paupertate contentus,sua penuria diues,& tantùm abest,quòd eam horreat,aut timeat,quòd potius de paupertate glorîatur.Est deniq; religiosus homo abiectus, & vilis, ex obscuris parētibus ortus,qui,aut labore manuū, aut ostiatim victum mendicabant? nihil attinet; sua professione in regium splendorē ascendit, & ob id est honore dignissimus.O quoties vidi Ecclesiæ Pōtifices,& Reipublicę Principes homini abiectissimo assurgere, & magna ei reuerentia honorē tribuere, quia habitum religiosum gestabat, eiusque virtutē præferebat! Et quem sæcularem, neque in infimum seruum admitterent, religiosum tamquam superiorem suspiciunt,ex eius ore pendent,eius consiliis libenter obtemperant,& preces,orationesque ab eo humiliter poscunt.Quod Gregorius Beati Benedicti scribens vitam,illustrissimo exēplo confirmat. Narrat enim quomodo Rex Totila voluerit prophetiæ spiritum,qui in sancto viro fulgebat,aliquo experimento dignoscere,& eo spiritu per mirabilissimum signum comperto, optauerit sanctissimum, & Deo plenum Abbatem propriis oculis contemplari;hæc sunt: Tunc per se idem Totila ad Dei hominem accessit,quem cùm longe sedentem cerneret, non ausus accedere,sese in terram dedit. Cui cùm vir Dei bis,térue diceret,surge; sed ipse ante eum de terra erigere se non auderet; Benedictus Christi Iesu famulus,per semetipsum dignatus est accedere ad regem,prostratumque de terra leuauit,& de suis actibus increpauit,atque in paucis sermonibus cuncta, quæ illi erant euentura,pronunciauit.] Hoc quidē, quod Gregorius narrat,mirabile est,sed multò mirabilius,quòd Pontifices summi Christi vicarij, & supremi Ecclesiæ capitis personam gerentes, Bernardum,Vincentium,Ferratiensem,& Catharinam Senensem, euocent, vt pro Ecclesia orationes fundāt, & ei pacem afferāt,tumultus sedent,& animos ambitione dissidentes,concilient.

Quid est hoc, quòd his sanctissimis viris,& aliis similibus, non semel,sed sæpe successit, nisi quòd profecerunt in regnū eo ipso quòd statum mutarunt, & Dei amicitiā, & familiaritatem quæsierūt? Quid hoc,nisi quod inquit Iob:Ferrum de terra tollitur,& lapis solutus calore in æs vertitur.] Nā homo à terrena cōuersatione liberat⁹,& virtutis robur

A adeptus, & à vena sæculi eductus, & in æs sonum prædicationis edentem,spiritus calore cōuersus,iam non,vt terra vilis, nec vt lapis contemnitur, sed vt plenus virtute,atque sapientia ab omnibus honoratur.Quid tandē hoc? nisi quod idem patriarcha post pauca subiūgit:Terra, de qua oriebatur panis in loco suo igni subuersa est,Locus sapphiri lapides eius & glebæ illius aurū]Eras in sæculo,ô religiose,terra,si forte non sterilis,& infrugifera, sed ad summū, de qua oriebatur panis, quia, aut bonis tēporalibus abundabas aut nobilitate fulgebas,aut sciētia, & literis splendebas Hæc tibi apud tuos aliquem honorem,nonnullam laudem afferebant,sed diuini amoris igne concepto,veluti fuisti subuersus, dum hæc omnia,quæ mundus amat,& veneratur, tāquam vilissima stercora pessundedisti,& abominatus es. Iam diuitias in paupertatem conuertisti; iam aut nobilitatem ingenitam, aut dignitatem industria quæsitā, pro vilissimis religionis obsequiis vendidisti. Iā copiosas bibliothecas,& iuris peritiā,vel alterius sciētiæ vsum pro simplici libello ad mouendum affectū edito,& pro fletu,& compūctione commutasti.Igni subuersus es:Lætare tamen:quoniā veniet tēpus, & prope est,quādo locus sapphiri lapides tui,& glebæ tuæ aurū. Quando scilicet mundanis ruderibus huius splendoris effossis, & iacto supra petram cordis tui humilitatis fundamine,sapphiri, id est,sapientiæ cœlestis, & auri,hoc est, charitatis, & omnium virtutum structura consurget. Tunc non apud tuos tātum, sed apud vniuersos in honore,& admiratione eris,& quod optabilius est,ipsum honorē, & admirationē contemnes. Tunc eris vtilis, & fructuosus, non paucis hominibus,qui ex tuo splendore pendebant, sed vniuersæ Ecclesiæ Dei, quam sanctitatis exemplo, orationis vigore, & verbo prædicationis iuuabis. Vides, ergo, ô anima,in statu tuo magnam stabilitatem honoris,neque enim rebus caducis innititur, neque à mundano splendore pendet, sed in ipso statu religionis fundatur, quæ non est rota volubilis: non est in ore vulgi positus,non in aura populari collocatus, sed est status firmissimus, fundamentum stabilissimum regiæ dignitatis, quod magnum honorem,ratum fixumque sustineat. *Ibid. 5.*

Quanta sit magnitudo honoris religiosorum.

CAPVT XXX.

HVic dignitati tam firmæ,huic regno spirituali tam sublimi,non quidē regno de hoc mundo,sed è cœlesti curia demisso, iure profectò debetur, vt egressum sit,ô anima religiosa, nomē tuum in gētes,& vt tāquam regina, & sponsa valde decora Christi,ab vniuersis eius famulis(quo nomine omnes res creatas cōprehēdo)mirum in modum honoreris. Ita est,omnes religiosum venerātur,omnes Deo consecratum honorant, si suo debito satisfaciat,quoniam multas in eo reperiūt causas honoris.Virtus honore digna est,sed religiosus habēs statum virtutis,debet esse virtutis splendor, perfectionis exemplar,imago sanctitatis.Si nō talis sit, qualē tam sanctus status exposcit:non quidem propter religiosum statum,sed propter inertiam, ac socordiā, qua tantam dignitatem fœdat, tam sanctam vitam commaculat, sempiternam meretur infamiam: Sed si (vt par est) virtutis sit, & sanctitatis sectator,impossibile est, non eum ab hominibus honorari. Hoc enim est, quod disertis verbis scripsit Ioannes Cassianus. Qui in hac, quam arripuit, via nimium tardis passibus graditur, ac secundum interiorem *Cassian. col. 24. c. 19.*

hominem

hominem conuersatur, æquum est vt ad eum, non dicam sanctorum, sed nec hominum quidem vllus adueniat. Vos autem si vera, atque perfecta Domini delectione flagratis, & Deum, qui vtique charitas est, pleno spiritus feruore sectamini ad quælibet loca inaccessibilia fugeritis, necesse est ea ab hominibus frequentari: quantóque vos propiores Deo amoris diuini ardor effecerit, tantò ad vos maior sanctorum fratrum confluet multitudo. Non enim potest secundum sententiam Domini ciuitas abscondi supra montem posita.] Quia diligentes me (inquit Dominus) glorificabo, qui autem me contemnunt erunt ignobiles:] Quare sicut maximus cōtemptus, & maxima infamia, est illa qua quis à Deo vetissimo rerum æstimatore, contemnitur, & pro nihilo ducitur; ita eximia gloria, & maximus honos est, quo Deus iustos nobilitat, & sibi fideliter seruientes coram aliis conspicuos reddit, & honorabiles.

Matth. 5. 15. 1. Reg. 2. 30.

Dominus se diligentes glorificat, &, vt alio loco dicitur, se ipsos deiicientes extollit. Deposuit enim potentes, de sede (cecinit nostra sanctissima prophetissa) & exaltauit humiles.] Illi itaque, qui statum modestiæ, & humilitatis arripuerunt, & omnem fastum, ac superbiam repudiarunt, à Domino sine dubio sunt exaltandi. Ex quo aliquorum religiosorū superba ignorantia, & ignorantissima superbia dignoscitur, qui honorem à se relictum, cùm mundo valedixerunt: volunt quasi pœnitentes tam insignis facti, in religione iterum aucupari, honorem sæculi inanem ambientes, eum autem sodilissimum, quia à Deo religiosis humilibus datur, nihili reputantes. Falleris, religiose, falleris, si putas honorem amicorum fauore, precibus, & ambitione distribui; non enim his sed Dei iudicio dispensatur, & humilitate, ac modestia conquiritur Qui enim humiliatus fuerit, erit in gloria.] Hunc Deus de honoris despectu, & fuga cogitantem, si ita, vel suæ saluti, vel profectui vtile est, etiam inuitum exaltabit. Ipse enim est, qui ponit humiles in sublime.] Qui locus, dignitatem, & super alios principatum designat: Vnde eleuatus est thronus Dauid super Iudam, quando est electus in regem, ipse est, qui viuificat spiritū humilium.] Cùm eos erigit è puluere terræ, & collocat in concilio magnatum. Non ab oriente, neque ab occidente, neque à desertis montibus.] Id est, à præsidiis humanis honor, exaltatioque procedit, sed à Deo, qui iudex est. Hunc, id est, superbum humiliat (vt Augustinus exponit) & hunc, id est, modestum exaltat.] Nam alibi scriptum est. Omnis qui se exaltat, humiliabitur, & qui se humiliat, exaltabitur. Si hoc ita est, in vita humili humilitatem seruemus, in statu modestiæ modestiā teneamus, & nostro regio honore contenti, vanos sæculi honores fugientes eximus vniuersis principibus gloriosiores.

Luc. 1. 52. Iob. 22. 29. Iob. 5. 11. 2. Reg. 3. 10. Isaia. 57. 15. Psal. 74. 7. 8. Aug. Luca 14. 11.

Mundus sanè, etiam si nolit, ingenti honore afficit, quos in magnam amicitiam, ac familiaritatem regū euectos, omnibus vtiles, & proficuos experitur. Nō est enim parua excellentia, cui honor attribuendus est, si in regis familiaritatem ascendas, & tamquam sol splendidissimus, in alios beneficiorum radios profundas. Hoc extulit apud Ægyptios Ioseph castissimum patriarcham, quòd eum nouerunt in magnam Pharaonis amicitiam insinuatum, & communis penuriæ prouisorem effectū. Hoc exaltant iustos, & sanctos, Dei amicitiam acquisisse, & totum mundum exemplis, & bonis operibus adiuuasse, Quod regius propheta considerans, cecinit: Mihi autem nimis honorati sunt amici tui, Deus; nimis confortatus est principatus eorum.] Amici tui facti sunt (inquit Augustinus) & valdè mihi honorati sunt. Valde confortati sunt principatus eorum, facti Apostoli, facti duces Ecclesiæ, facti arietes, ducentes greges.] Religiosi autem in supremi regis Christi amicitiam penitus sunt immersi, & magnas vniuersis populis vtilitates afferunt: meritò ergo ab omnibus honorantur, & nomen eorū in gentes egressum est. Sūt profectò in gradum arctæ familiaritatis asciti, ideò quippe religiosi vocantur, quasi Deo notitia, & charitate religati. Quod his verbis insinuat Augustinus. Religet nos religio vni omnipotenti Deo; quia inter mentem nostram, qua illum intelligimus Patrem, & veritatem, id est lucem interiorem, per quam illum intelligimus, nulla interposita creatura est.] Dei amore succensi omnibus creaturis se ipsos exuerunt, & ita exuti Deum semper cogitant, quantùm fragilitas humana permittit. Deum amāt, Deum, quoad eius fieri potest, imitantur, ipsiúsque similitudinem induunt, ei diligentissima cura famulantur, & nihil est in religioso statu, quod in hunc præstantissimum scopum non tendat. Quid mirum, si tales homines Deus pro sua immensa bonitate in suam amicitiam admittat?

Genes. 41. 40. Psal. 138. 17. Aug. comment. in eundem Psalm. Aug. lib. de vera religione, ca. 55. ad finem.

Ille, qui vniuersorum est Deus, Abrahā, Isaac, & Iacob; hominum fugientium, & peregrinantium Deus vocari dignatus est. Hæc (inquit) dices filiis Israël: Dominus Deus patrum vestrorū. Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob, misit me ad vos: Quasi hos præcipuè pro amicis habens, eorumque necessitudinem magni reputans. Quod hac ratione factum est, vt Dominus aperiret, quanti eorum amicitiam æstimaret, qui fugientes mundum, & odientes ea, quæ in mundo sunt, in Patriarchis peregrinātibus, & patrium solū relinquentibus, fuerint præsignati: quorum si Deus speciali ratione vocatus est, non minus vocabitur religiosorum Deus; nam istorum status est sanctior, vita à sæculi curis remotior, conuersatio perfectior.

Exod. 3. 15.

Ex hac autem amicitia manat, vt religiosi Ecclesiæ sint valde proficui, quam operibus illustrant, doctrina erudiunt, orationibus fulciunt. Hac amicitia fundati ad quærendam Domini gloriam incitantur, & hæc ad bona opera in salutem proximorum impensa vehementer instigat. Ab hac gloria officium prædicationis; ab hac scholarum ministeria, & sciētiarum doctrina; ab hac dilutio criminum per sacramentum pœnitētiæ, & aliæ occupationes fratribus vtilissimæ sumunt exordium. Inde autem, & non ab ambitione, & inani gloria emanantes, non possunt non esse valde proficuæ, dicente Domino, Qui manet in me & ego in eo, hic fert fructum multum.] Manent quippe isti in Christo, qui tamquam palmites viui per gratiam, & charitatem vniti sunt, & quē suorum operum initium, & finem agnoscunt. Et manet Christus in illis, eos, vt fructum copiosum edant, roborans, atque fortificans. Ex hoc verò quòd ista opera in Christo, & propter Christum facta, vtilia sunt proximis, non solùm laudatio Dei, sed etiam tam fidelium seruorum honor splendorque subsequitur.

Ioan. 15. 5.

Neque enim, quod de sancta Ecclesia scriptum est per Oseam, religioni, & filiis eius ineptè accommodabitur. Germinabit quasi lilium, & erūpet radix eius, vt Libani; ibūt rami eius & erūt quasi oliua, gloria eius, & odor eius, vt Libani. Conuertentur sedētes in vmbra eius, viuēt tritico, & germinabūt quasi vinea, memoriale eius quasi vinū Libani.] Ecce religiosorum gloriam, non vanæ opinioni hominum insanorum, sed veræ virtuti & sanctitati subnixam. Primùm germinant quasi lilium, quod omnium florum, & pulcherrimum, & fœcūdissimū est, quia fru-

Osea 14. 6.

tum puritatis, non trigesimum, nec sexagesimum, (A) sed centenarium emittunt. Deinde erũpit radix eorũ Libani, dũ humilitatis, & abiectionis propriæ radices in ima demergunt, quo tãquã arbores proceræ in gloriam maiorem consurgant. Postquam autem in humilitate radicati, & fundati sunt, extendũtur à mari vsq; ad mare vniuersos orbis tractus peragrantes, vt tãquã Angeli veloces missi ad gentẽ conuulsam & dilaceratam,] ei Euãgelij lumen annuntient. Neq; est inutilis ista profectio, quoniam instar oliuæ fructus misericordiæ ferunt, & instar thuris (quod Deo in sacrificiũ offertur) Deũ ipsũ redolent, & odore virtutũ, nõ minùs, quàm verbis, & doctrina alios ad bonam frugem inuitãt. Hoc non tã auribus percipimus, quàm oculis ipsis videmus. Conuertuntur enim sedẽtes sub vmbra eorũ: Nam illi, qui sub religiosorum protectione sedẽt, & ipsorũ exẽplis instruuntur, & doctrina educãtur, à tenebris ad lumen, (B) transeunt, si infideles sint; & si fideles, à peccatorum fæcibus ad virtutum decorem transferuntur. Non autẽ mirũ est, quòd ista religiosi faciãt; viuũt enim tritico:] non mandunt, sicut mundani, herbas, & arborum cortices, nec radix iuniperorum est cibus eorum: quia res inutiles respuunt, quæ sustentare non possunt; sed reficiũtur pane cœlesti, meditatione legis Dei, & cõsideratione diuinorũ, qua pasti, & saginati ad magnos labores aggrediendos roborantur. Hinc germinant quasi vinea, quia ex ea vera vite, quæ dixit: Ego sũ vitis, vos palmites,] succũ trahentes, quid mirũ si tãquam generosa vinea suauissimos fructus mensæ Domini dignos emittant? Qui ita viuũt, ita in salutẽ fratrũ incũbũt, ita in Ecclesia fru- (C) ctificant, digni profectò sunt, vt sit memoriale eorũ sicut vinũ Libani. Si .n. hoc vinũ omniũ erat generosissimũ, & prę cęteris magno pretio, & æstimatione habitũ, similiter isti Deo, & vtilitati proximorũ consecratũ aliis, qui, aut sua quærunt, aut Deũ cum suis quęrunt, meritò in aliorum animis præponũtur.

Vtilitas ergo religiosorũ eos honorabiles facit. Auget autẽ hanc amplitudinis causã, quòd ex vtilitate quã Ecclesiæ afferũt, tantùm abest ipsos honorem ambire, quòd potius ipsum omnimodè fugiũt, atq; contẽnunt. Hoc discũt in ipso religionis tyrocinio, hoc lacte educãtur, hac doctrina cælesti imbuũtur, vt velint nesciri, amẽt contẽni, diligãt (nulla tamẽ data occasione contẽptus, quæ vitiũ, aut pecca- (D) tũ est) pro nihilo reputari. Hæc sapientia, quã mũdus ignorat, animis eorũ infixa, & alta mẽte reposita, in dies adolescit, & tanta notitia vilitatis mũdanæ perficitur, vt verè dicãtur, & sint vniuersæ mũdanæ gloriæ contẽptores: Gloriam autẽ (inquit Chrysostomus) aliter assequi nõ licet, nisi gloriã fugiẽdo. Nam donec quidem eam sectamur, nos fugit, cùm autem eam fugimus, nos ipsa sequitur. Si vis esse gloriosus, noli gloriã concupiscere; si vis esse sublimis, ne te sublimem facias. Et alioquin quidem honores non quærentem, omnes honorãt: ambientẽ verò, aspernantur. Si igitur isti gloriam humanã non quærunt, honores sæculi fugiũt, laudes ab imperito vulgo profectas aspernãtur; illud Pauli opere præstantes: Neq; enim aliquãdo fuimus in sermone adulationis, sicut scitis, neq; in occasione auaritię, Deus testis est; nec quærẽtes ab hominibus gloriã, neq; à vobis, ne- (E) que ab aliis.] Æquũ est, vt honor ipse illos quærat, ipsos ambiat, & amplectatur, tãquã homines, in quibus ipse honor amplitudinẽ, & honorẽ acquirit. Et æquũ est etiã, ô anima religiosa, vt nomẽ tuũ ingressũ sit in gẽtes propter specieṽ tuã: quia nihil speciosius, & nihil honore dignius excogitari potest ea anima, quæ cũ multa quotidie præstet, honore dignissima, omnem tamen gloriã, & honorem aduersatur, vt ei placeat, cui se probauit.] Hæc, quæ diximus, sũt eximia quædã beneficia Dei, quæ in nos religiosos benignissimè contulit, neq; eorum præstantiam, ac magnitudinem obliuioni tradi permittit. Ait enim quotidie nobis Deus, quod olim Moyses inculcauit Israelitis: Mementote diei huius, in qua egressi estis de Ægypto, & de domo seruitutis, quoniã in manu forti eduxit vos Dominus.] Eduxit vtique nos, & in terram hanc cœlestem introduxit, vt non quasi vilia mãcipia, sed more hominũ ingenuorũ vitã agamus.

2. ad Tim cap. 4.

Exod. 13. 3.

Religiosos omnia prædicta bona suscepisse, vt Dominus sit Deus eorum, ipsi autem populus Dei.

CAPVT XXXI.

SAtis superq; in paucis verbis Beati Ezechielis lusimus, & non sine vtilitate per mysticos eius sensus exspatiati sumus. Tẽpus ergo est, vt receptui canamus, & quo tendat hæc tam prolixa bonorum nostrorum cõmemoratio, stylus noster prosequatur Et inquiramus à nobismetipsis, quã ob causam pius ac benignus Dominus nos à tantis calamitatibus, ac miseriis sæculi exemit? Quare nos in domum suam, in amænissimũ paradisum, in locũ quietis, & pacis, scilicet in statũ religiosum vocauit? Quare in tã amplissimã dignitatẽ extulit? Tantis beneficiis, & muneribus cumulauit? Et à fluctibus sæui maris eductos, in portũ, & arcem tantæ securitatis & tranquillitatis euexit? An fecit hoc Dominus, vt otio & socordia torperemus, & tamquam nonnulli nobiles, qui aliorũ labore se sustentant, in vanis occupationibus tẽpus insumeremus? An fecit, vt vitam cõmodis plenam, & rebus ad vsum necessariis abũdè refertam haberemus? An fecit, ne curas, ac sollicitudines mundi sentiremus, quæ in domos nobilium, & palatia regum, & imperatorum irruunt, & neminẽ, licèt illustrem, licèt diuitem nõ molestãt? Quis hoc credat? Deum nimirũ nihil aliud in tantis impensis spiritualibus nobiscũ factis, in tanta beneficiorum copia nisi nostrũ temporale commodum quæsiuisse? Quis credat, eũ, qui humanum animum sui capacẽ condidit, & in beatitudinis adeptionem destinauit, quosdam homines tãtis beneficiis muneribúsq; donasse vt vitam ignauam, & inertem ducerent, & sine vlla vtilitate in suũ finem ordinata transigerent? Quare ergo Dominus nos in aulicos suæ regalis domus elegit, & tã ingentibus bonis affecit? Inquiramus hoc, expẽdamus, perscrutemur, res enim tanti momenti est, vt ex eius cognitione tota nostra salus, nõ temporalis quidẽ, sed æterna depẽdeat. Quod si id per nos ipsos examinare nequimus, interrogemus Dominum, suppliciter oremus eum, vt nobis arcana suæ mentis aperiat, vt dicat ipse, qui tãta fecit animæ nostræ, dicat, inquã, quare fecerit, & quẽ sibi finem in tãta munerum, ac donorũ mole præfixerit Ego sum Dominus (inquit) qui eduxi vos de terra Ægypti, vt essẽ vobis in Deũ, Sãcti eritis quia ego sanctus sum.] Hic scopus est (& Deus ipse testatur) propter quẽ nos à sęculo eripuit, ad religionem admisit, & tam ingentibus est beneficiis prosequutus. A quãnam Ægypto nos Dominus eduxit? Nisi à sæculo, in quo dum vitam egimus, principi tenebrarum inseruiebamus, cuius importabilis dominatio vinctos nos, oppressósque tenebat? Ægyptus enim (vt ait sanctus Cyrillus) tenebrosa quædam regio interpretatur, & pro cõditione præsentis sæculi, atque statu, in quo magna profectò

Leuit. 11 45.

Cyrill.

premi

premimur seruitute, spiritualiter capitur. Non enim Deo dediti sumus, sed immani tyráno principi huius sæculi seruimus, & quasi sæculétum lutum voluptates carnis peruoluimus, vnde nulla merces labori, sed supplicia, & labores retribuűtur.] Ab hac Ægypto spirituali liberauit nos Dominus (sine vlla mensura gratiæ illi referátur) in manu poteti, in brachio excelso, in signis atque portentis; diabolum prosternens, peccata nos persequétia in sui sanguinis mare demergens, bonorum operum vestimenta conseruans, cœlesti pane sanctæ orationis animæ vitã sustentans, conspectu serpentis ænei, hoc est, crucifixi, sanãs, & tandẽ columna nubis splendétis per diem, & ignis flammãtis per noctem, hoc est, protectione sua, per desertum multarum difficultatum, in terram promissam, in locum nos quietis ac pacis deducens.

Hoc autem ingenti beneficio, quod tam imméſa beneficia cóplectitur, cumulauit nos Dominus verè misericordiarum Pater, nó quidem ob alium finem, nisi vt ipsum haberemus in Deum. Vt scilicet eũ iugiter cogitemus, eius consortium cupiamus, & solis diuinis obsequiis inhærétes, ipsius honorem, & gloriam affectemus. Illi Dominum habẽt in Deum, qui diuitias non colunt, voluptates non venerantur, honores, & mundanas dignitates non obseruant, sed creatorem suũ sincero corde quærentes, & virtutes, tota auiditate sectantes, testatum faciunt, Deum se in partem atque hæreditatem elegisse. Illi Dominũ habẽt in Deũ, qui ita se illi exhibent, quemadmodũ Dei natura atq; munus, quo erga nos fũgitur, poscit. Si enim (vt Dionysius Areopagita ait) Deus dicitur, quòd prospiciat cũcta prouidẽtia, bonitateq; mirabili, & circũstãtia currat, cũctaq; cõtineat, & se omnia repleat, atq; vniuersa trãscẽdat, quæ prouidẽtia illius vtũtur.] Hi erga creatorem suum se habẽt, vt decet. qui eam mentis puritatẽ sectantur, quæ possit oculis diuinis obiici, de quibus scriptũ est: Mũdi sunt oculi tui, ne videas; hoc est, ne approbes malũ, & respicere ad iniquitatem non poteris.] Qui ita in diuinũ obsequium feruore, & animi cõtentione currũt, sicut ipse Dominus in ipsorum præsidium, iuuamẽq; festinat, qui ita eum fidelitate, & mandatorũ obseruãtia cõplectũtur, sicut sentiũt se ab ipsius maiestate, ac potentia contineri, qui diuinis inspirationibus, & sanctis desideriis se repleri sinũt, neq; ea mundanis curis, & appetitu propriarũ commoditatum impediũt, & qui probè scientes Dominũ omnia gubernare, & iustos impensè diligere, se ipsos, & omnia sua cũ verissima subiectione diuinæ prouidentiæ committũt. Illi Dominũ habent in Deũ, qui nihil præter ipsum cupientes, & nullam rem creatam, nisi quatenus ad Deum ducit, amantes, in eo solo omnes affectus, desideriáque constituunt. Nam si Deus est vniuersorũ bonorum summa, omniũ honorum, opum, voluptatúmque compendium, illis profectò Dominus est in Deũ, qui in tanta maiestate omnia necessaria collocata esse putant, & præter eam nihil sibi possidendũ inquirunt. Qui eum habentes, ipsiusq; amicitia perfruẽtes, licet omnia creata desint, eximio honore affectos, amplissimis opibus ditatos, & se maximis voluptatibus repletos existimãt. Illi tandem Dominum habẽt in Deum, qui sancti esse conãtur, sicut & ipse sanctus est, & per mãdatorum obseruationem, Deo similes fiunt, & in mẽtibus propriis diuinam similitudinem exprimunt. Hoc autem ista salutari præceptione significasse Dominũ testatur his verbis Chrysostomus. Quid est, sancti estote, nisi præcepta mea implete, volũtatem meam facite, in viis meis ambulate?] Et addit: Cùm ista feceritis, sanctificatur Pater noster, qui in cœlis est.] Hac oratione deno-

[Margin: Dionys. de diuin. nomin. c. 12.]
[Margin: Abac. 1. 13.]
[Margin: Chrysost. hom. variis locis Matt. hom. 9.]

tans, homines cùm propriam sanctitatem exquirũt tunc operibus, Dei sanctificationẽ postulare. Neque enim ille, qui summè sanctus est, & omnis origo sanctitatis, in se ipso sanctitatem auget, sed nos puro corde, conscientia munda, & studiosis operibus sanctificat, & suam in creaturis ad diuinam imaginem factis, sanctitatem ostendit.

Eduxit ergo Dominus ex hac spirituali Ægypto, ex tenebricoso sæculo, vt ipse nobis esset in Deũ, ex quo illud sine dubio cõsequitur, vt nos simus populus Dei. Omnes quidem fideles sunt populus Dei. quis id neget? quia & eius fidem profitentur, legem suscipiunt, & mãdata, aut opere (quod omnes facere debent) aut saltem professione, & obligatione custodiunt. Sed religiosi præ omnibus sunt peculiaris populus, quem elegit Dominus in hæreditatẽ sibi. Iste est populus, quem inuenit in terra deserta, in loco horroris, & vastæ solitudinis. Et constituit eum super excelsam terram, vt comederet fructus agrorum, vt sugeret mel de petra, oleúmque de saxo durissimo.] Nam sæculũ terra deserta est, & ceu eremus quidã (vt iam diximus) omnis boni, & spiritualis commoditatis indiga. Terra autem excelsa est vita spiritualis, quam religiosus stat[9] profitetur. Vnde Hugo Victorinus rectè ait: Terra Israël dicitur excelsa, quia vita spiritualis per virtutum eminentiam ad cœlestia bona contemplanda, sublimiter est exaltata. Quæ expectat pluuiam de cœlo, id est, gratiam à Deo. Quã quoque Dominus Deus promisit, & semper inuisit, quia quid in ipsa agatur, diligẽter attendit, & ei gratiam ad maiora bona peragenda misericorditer tribuit.] In hac ergo terra Dominus populum istum suum, id est religiosos, constituit, vt huius vitæ professione se non tantùm, vt alij fideles, ad sortem Domini pertinere fateantur.

Quid autem dicit Dominus, cùm istos ad statum religiosũ inuitat? Certè illud, quod dixit filiis Israël. Et assumã vos mihi in populum, & ero vester Deus, & scietis, quòd ego sum Dominus Deus vester, qui eduxerim vos de ergastulo Ægyptiorum, & induxerim in terram, super quam leuaui manum meam, & dabo eam vobis possidendam. Ego Dominus.] Assumit eos in populum suum, quia maiori dilectione prosequitur, & specialiori prouidentia custodit. Est eorũ Deus, quia benignissimè se totũ religiosis tradit, & omnia numera Patris, magistri, defẽsoris erga illos exercet. Vnde experimento discũt, qua ratione ille, qui est omniũ Dominus impẽsiùs iuuet, teneriùs amet, potentiùs defendat, quos mũdus odit, & derelinquit. Educit eos de ergastulo Ægyptiorũ.] Sæculum hoc nomine infami compellans. Nam (vt inquit Beda) ergastulum Ægyptiorũ tẽtationes huius mundi significat, seruitus eiusdẽ, seruitutẽ dæmoniorum, de quibus sancti in brachio excelso, id est in Dei potestate, vel in filio liberantur.] Et inducit in terram, super quam leuauit manum suam:] hoc est, in vitam religiosam, quam illis, tamquam ingens beneficium promiserat, & super quam affert manũ potẽtiæ suæ, vt sit tamquam in fasciculo viuentium custodita. Hanc dat illis possidendam, in qua omnia præsidia ad perfectionem acquirendam necessaria possideãt.

Quid autẽ ait illis, cùm inuitati respondẽt, & statum istum colẽdũ suscipiũt? Sanè illud, quod in Psalmo scriptũ est. Audi populus meus, & cõtestabor te: Israël si audieris me, non erit in te Deus recens, neq; adorabis Deũ alienũ. Ego enim sum Dominus Deus tu[9], qui eduxi te de terra Ægypti; dilata os tuũ, & implebo illud.] Qua voce, nó vtcũq;, sed cũ magna obtestatione iubet illis, ne in rebus creatis suũ amorẽ constituant, eásve in propriũ cor, vtiq; Dei domiciliũ

[Margin: Deut. 32. 9.]
[Margin: Deut. 32. 10.]
[Margin: Hugo ser. 21.]
[Margin: Exod. 6. 7.]
[Margin: Exod. 6. 6. Beda in Exod. c. 6.]
[Margin: Psal. 80. 9.]

ctum puritatis, non trigesimum, nec sexagesimum, A sed centenarium emittunt. Deinde erūpit radix eorū Libani, dū humilitatis, & abiectionis propriæ radices in ima demergunt, quo tāquā arbores proceræ in gloriam maiorem consurgant. Postquam autem in humilitate radicati, & fundati sunt, extendūtur à mari vsq; ad mare vniuersos orbis tractus peragrantes, vt tāquā Angeli veloces missi ad gentē conuulsam & dilaceratam,] ei Euāgelij lumen annuntient. (Isaia 18. 2.) Neq; est inutilis ista profectio, quoniam instar oliuæ fructus misericordiæ ferunt, & instar thuris (quod Deo in sacrificiū offertur) Deū ipsū redolent, & odore virtutū, nō minùs, quàm verbis, & doctrina alios ad bonam frugem inuitāt. Hoc non tā auribus percipimus, quàm oculis ipsis videmus. Conuertuntur enim sedētes sub vmbra eorū: Nam illi, qui sub religiosorum protectione sedēt, & ipsorū exēplis instruuntur, & doctrina educātur, à tenebris ad lumen B transeunt, si infideles sint; & si fideles, à peccatorum fæcibus ad virtutum decorem transferuntur. Non (Iob. 30. 4.) autē mirū est, quòd ista religiosi faciāt; viuūt enim tritico:] non mandunt, sicut mundani, herbas, & arborum cortices, nec radix iuniperorum est cibus eorum: quia res inutiles respuunt, quæ sustentare non possunt; sed reficiūtur pane cœlesti, meditatione legis Dei, & cōsideratione diuinorū, qua pasti, & saginati ad magnos labores aggrediendos roborantur. Hinc germinant quasi vinea, quia ex ea vera vite, (Ioan. 15. 5.) quæ dixit: Ego sū vitis, vos palmites,] succū trahentes; quid mirū si tāquam generosa vinea suauissimos fructus mensæ Domini dignos emittant? Qui ita vi- C uūt, ita in salutē fratrū incūbūt, ita in Ecclesia fructificant, digni profectò sunt, vt sit memoriale eorū sicut vinū Libani. Si .n. hoc vinū omniū erat generosissimū, & præ cęteris magno pretio, & æstimatione habitū, similiter isti Deo, & vtilitati proximorū consecratū aliis, qui, aut sua quærunt, aut Deū cum suis quęrunt, meritò in aliorum animis præponūtur.

Vtilitas ergo religiosorū eos honorabiles facit. Auget autē hanc amplitudinis causā, quòd ex vtilitate, quā Ecclesiæ afferūt, tantùm abest ipsos honorem ambire, quòd potius ipsum omnimodè fugiūt, atq; contēnunt. Hoc discūt in ipso religionis tyrocinio, hoc lacte educātur, hac doctrina cælesti imbuūtur, vt velint nesciri, amēt contēni, diligāt (nulla tamē data occasione contēptus, quæ vitiū, aut pecca- D tū est) pro nihilo reputari. Hæc sapientia, quā mūdus ignorat, animis eorū infixa, & alta mēte reposita, in dies adolescit, & tanta notitia vilitatis mūdanæ perficitur, vt verè dicātur, & sint vniuersæ mūdanæ gloriæ contēptores: Gloriam autē (inquit Chrysostomus) aliter assequi nō licet, nisi gloriā fugiēdo. (Chrysost. 39. ad populū.) Nam donec quidem eam sectamur, nos fugit, cùm autem eam fugimus, nos ipsa sequitur. Si vis esse gloriosus, noli gloriā concupiscere; si vis esse sublimis, ne te sublimem facias. Et alioquin quidem honores non quærentem, omnes honorāt: ambientē verò, aspernantur. Si igitur isti gloriam humanā non quærunt, honores sæculi fugiūt, laudes ab imperito vulgo profectas aspernātur; illud Pauli opere præstantes: (1. Thessal. 2. 5.) Neq; enim aliquādo fuimus in sermone adulationis, sicut scitis, neq; in occasione auaritię, Deus testis est; nec quærētes ab hominibus gloriā neq; à vobis, ne- E que ab aliis.] Æquū est, vt honor ipse illos quærat, ipsos ambiat, & amplectatur, tāquā homines, in quibus ipse honor amplitudinē, & honorē acquirit. Et æquū est etiā, ò anima religiosa, vt nomē tuū ingressū sit in gētes propter specię tuā: quia nihil speciosius, & nihil honore digni⁹ excogitari potest ea anima, quæ cū multa quotidie præstet, honore dignissima, omnem tamen gloriā, & honorem aduersatur, vt ei placeat, cui se probauit.] (2. ad Tim. cap. 4.) Hæc, quæ diximus, sūt eximia quædā beneficia Dei, quæ in nos religiosos benignissimè contulit, neq; eorum præstantiam, ac magnitudinem obliuioni tradi permittit. Ait enim quotidie nobis Deus, quod olim Moyses inculcauit Israëlitis: Mementote diei huius, in qua egressi estis (Exod. 13. 3.) de Ægypto, & de domo seruitutis, quoniā in manu forti eduxit vos Dominus.] Eduxit vtique nos, & in terram hanc cœlestem introduxit, vt non quasi vilia mācipia, sed more hominū ingenuorū vitā agamus.

Religiosos omnia prædicta bona suscepisse, vt Dominus sit Deus eorum, ipsi autem populus Dei.

CAPVT XXXI.

Satis superq; in paucis verbis Beati Ezechielis lusimus, & non sine vtilitate per mysticos eius sensus exspatiati sumus. Tēpus ergo est, vt receptui canamus, & quo tendat hæc tam prolixa bonorum nostrorum cōmemoratio, stylus noster prosequatur. Et inquiramus à nobismetipsis, quā ob causam pius ac benignus Dominus nos à tantis calamitatibus, ac miseriis sæculi exemit? Quare nos in domum suam, in amænissimū paradisum, in locū quietis, & pacis, scilicet in statū religiosum vocauit? Quare in tā amplissimā dignitatē extulit? Tantis beneficiis, & muneribus cumulauit? Et à fluctibus sæui maris eductos, in portū, & arcem tantæ sæcuritatis & tranquillitatis euexit? An fecit hoc Dominus, vt otio & socordia torperemus, & tamquam nonnulli nobiles, qui aliorū labore se sustentant, in vanis occupationibus tēpus insumeremus? An fecit, vt vitam cōmodis plenam, & rebus ad vsum necessariis abūdè refertam haberemus? An fecit, ne curas, ac sollicitudines mundi sentiremus, quæ in domos nobilium, & palatia regum, & imperatorum irruunt, & neminē, licèt illustrem, licèt diuitem nō molestāt? Quis hoc credat? Deum nimirū nihil aliud in tantis impensis spiritualibus nobiscū factis, in tanta beneficiorum copia nisi nostrū temporale commodum quæsiuisse? Quis credat, eū, qui humanum animum sui capacē condidit, & in beatitudinis adeptionem destinauit, quosdam homines tātis beneficiis muneribúsq; donasse vt vitam ignauam, & inertem ducerent, & sine vlla vtilitate in suū finem ordinata transigerent? Quare ergo Dominus nos in aulicos suæ regalis domus elegit, & tā ingentibus bonis affecit? Inquiramus hoc, expēdamus, perscrutemur, res enim tanti momenti est, vt ex eius cognitione tota nostra salus, nō temporalis quidē, sed æterna depēdeat. Quod si id per nos ipsos examinare nequimus, interrogemus Dominum, suppliciter oremus eum, vt nobis arcana suæ mentis aperiat, vt dicat ipse, qui tāta fecit animæ nostræ, dicat, inquā, quare fecerit, & quē sibi finem in tāta munerum, ac donorū mole præfixerit. Ego sum Dominus (inquit) (Le uit. 11. 45.) qui eduxi vos de terra Ægypti, vt essē vobis in Deū, Sācti eritis quia ego sanctus sum.] Hic scopus est (& Deus ipse testatur) propter quē nos à sęculo eripuit, ad religionem admisit, & tam ingentibus est beneficiis prosequutus. A quānam Ægypto nos Dominus eduxit? Nisi à sæculo, in quo dum vitam egimus, principi tenebrarum inseruiebamus, cuius importabilis dominatio vinctos nos, oppressósque tenebat? Ægyptus enim (vt ait sanctus Cyrillus) tene- (Cyrill.) brosa quædam regio interpretatur, & pro cōditione præsentis sæculi, atque statu, in quo magna profectò

A premimur seruitute, spiritualiter capitur. Non enim Deo dediti sumus, sed immani tyranno principi huius sæculi seruimus, & quasi fæculentum lutum voluptates carnis peruoluimus, vnde nulla merces labori, sed supplicia, & labores retribuuntur.] Ab hac Ægypto spirituali liberauit nos Dominus (sine vlla mensura gratiæ illi referantur) in manu potenti, in brachio excelso, in signis atque portentis; diabolum prosternens, peccata nos persequentia in sui sanguinis mare demergens, bonorum operum vestimenta conseruans, cœlesti pane sanctæ orationis animæ vitam sustentans, conspectu serpentis ænei, hoc est, crucifixi, sanans, & tandem columna nubis splendentis per diem, & ignis flammantis per noctem, hoc est, protectione sua, per desertum multarum difficultatum, in terram B promissam, in locum nos quietis ac pacis deducens.

Hoc autem ingenti beneficio, quod tam immensa beneficia complectitur, cumulauit nos Dominus verè misericordiarum Pater, nō quidem ob alium finem, nisi vt ipsum haberemus in Deum. Vt scilicet eum iugiter cogitemus, eius consortium cupiamus, & solis diuinis obsequiis inhærentes, ipsius honorem, & gloriam affectemus. Illi Dominum habent in Deum, qui diuitias non colunt, voluptates non venerantur, honores, & mundanas dignitates non obseruant, sed creatorem suum sincero corde quærentes, & virtutes, tota auiditate sectantes, testatum faciunt, Deum se in partem atque hæreditatem elegisse. Illi Dominum habent in Deum, qui ita se illi exhibent, quemadmodum Dei natura atq; munus, quo erga nos fungitur, poscit. *Dionys. de diui. nomin. c. 12.* C Si enim (vt Dionysius Areopagita ait) Deus dicitur, quòd prospiciat cuncta prouidentia, bonitateq; mirabili, & circumstantia currat, cunctaq; contineat, & se omnia repleat, atq; vniuersa transcendat, quæ prouidentia illius vtuntur.] Hi erga creatorem suum se habent, vt decet, *Abac. 1. 13.* qui eam mentis puritatem sectantur, quæ possit oculis diuinis obiici, de quibus scriptum est: Mundi sunt oculi tui, ne videas; hoc est, ne approbes malum, & respicere ad iniquitatem non poteris.] Qui ita in diuinum obsequium feruore, & animi contentione currunt, sicut ipse Dominus in ipsorum præsidium, iuuameq; festinat, qui ita eum fidelitate, & mandatorum obseruantia complectuntur, sicut sentiunt se ab ipsius maiestate, ac potentia contineri, qui diuinis inspirationibus, & sanctis desideriis se repleri sinunt, neq; ea mundanis curis, & appetitu propriarum commoditatum impediunt, D & qui probè scientes Dominum omnia gubernare, & iustos impensè diligere, se ipsos, & omnia sua cum verissima subiectione diuinæ prouidentiæ committunt. Illi Dominum habent in Deum, qui nihil præter ipsum cupientes, & nullam rem creatam, nisi quatenus ad Deum ducit, amantes, in eo solo omnes affectus, desideriáque constituunt. Nam si Deus est vniuersorum bonorum summa, omnium honorum, opum, voluptatúmque compendium, illis profectò Dominus est in Deum, qui in tanta maiestate omnia necessaria collocata esse putant, & præter eam nihil sibi possidendum inquirunt. Qui eum habentes, ipsiusq; amicitia perfruentes, licet omnia creata desint, eximio honore af- E fectos, amplissimis opibus ditatos, & se maximis voluptatibus repletos existimant. Illi tandem Dominum habent in Deum, qui sancti esse conantur, sicut & ipse sanctus est, & per mandatorum obseruationem, Deo similes fiunt, & in mentibus propriis diuinam similitudinem exprimunt. Hoc autem ista salutari præce- *Chrysost. hom. variis locis Matt. ho. 9.* ptione significasse Dominum testatur his verbis Chrysostomus. Quid est, sancti estote, nisi præcepta mea implete, voluntatem meam facite, in viis meis ambulate?] Et addit: Cùm ista feceritis, sanctificatur Pater noster, qui in cœlis est.] Hac oratione denotans, homines cùm propriam sanctitatem exquirunt tunc operibus, Dei sanctificationem postulare. Neque enim ille, qui summè sanctus est, & omnis origo sanctitatis, in se ipso sanctitatem auget, sed nos puro corde, conscientia munda, & studiosis operibus sanctificat, & suam in creaturis ad diuinam imaginem factis sanctitatem ostendit.

Eduxit ergo Dominus ex hac spirituali Ægypto, ex tenebricoso sæculo, vt ipse nobis esset in Deum, *Deut. 32. 9.* ex quo illud sine dubio consequitur, vt nos simus populus Dei. Omnes quidem fideles sunt populus Dei. quis id neget? quia & eius fidem profitentur, legem suscipiunt, & mandata, aut opere (quod omnes facere debent) aut saltem professione, & obligatione custodiunt. Sed religiosi præ omnibus sunt peculiaris populus, quem elegit Dominus in hæreditatem sibi. Iste est populus, quem inuenit in terra deserta, in loco horroris, & vastæ solitudinis. Et consti- *Deut. 32. 10.* tuit eum super excelsam terram, vt comederet fructus agrorum, vt sugeret mel de petra, oleúmque de saxo durissimo.] Nam sæculum terra deserta est, & ceu eremus quidam (vt iam diximus) omnis boni, & spiritualis commoditatis indiga. Terra autem excelsa est vita spiritualis, quam religiosus stat' profitetur. Vnde Hugo Victorinus rectè ait: Terra Israël dicitur *Hugo ser. 21.* excelsa, quia vita spiritualis per virtutum eminentiam ad cœlestia bona contemplanda, sublimiter est exaltata. Quæ expectat pluuiam de cœlo, id est, gratiam à Deo. Quam quoque Dominus Deus promisit, & semper inuisit, quia quid in ipsa agatur, diligenter attendit, & ei gratiam ad maiora bona peragenda misericorditer tribuit.] In hac ergo terra Dominus populum istum suum, id est religiosos, constituit, vt huius vitæ professione se non tantùm, vt alij fideles, ad sortem Domini pertinere fateantur.

Quid autem dicit Dominus, cùm istos ad statum religiosum inuitat? Certè illud, quod dixit filiis Israël. Et assumam vos mihi in populum, & ero vester Deus, *Exod. 6. 7.* & scietis, quòd ego sum Dominus Deus vester, qui eduxerim vos de ergastulo Ægyptiorum, & induxerim in terram, super quam leuaui manum meam, & dabo eam vobis possidendam. Ego Dominus.] Assumit eos in populum suum, quia maiori dilectione prosequitur, & specialiori prouidentia custodit. Est eorum Deus, quia benignissimè se totum religiosis tradit, & omnia numera Patris, magistri, defensoris erga illos exercet. Vnde experimento discunt, qua ratione ille, qui est omnium Dominus impensiùs iuuet, teneriùs amet, potentiùs defendat, quos mundus odit, & derelinquit. Educit eos de ergastulo Ægyptiorum.] Sæcu- *Exod. 6. 6. Beda in Exod. c. 6.* lum hoc nomine infami compellans. Nam (vt inquit Beda) ergastulum Ægyptiorum tentationes huius mundi significat, seruitus eiusdem, seruitutem dæmoniorum, de quibus sancti in brachio excelso, id est in Dei potestate, vel in filio liberantur.] Et inducit in terram, super quam leuauit manum suam:] hoc est, in vitam religiosam, quam illis, tamquam ingens beneficium promiserat, & super quam affert manum potentiæ suæ, vt sit tamquam in fasciculo viuentium custodita. Hanc dat illis possidendam, in qua omnia præsidia ad perfectionem acquirendam necessaria possideant.

Quid autem ait illis, cùm inuitati respondent, & sta- *Psal. 80. 9.* tum istum colendum suscipiunt? Sanè illud, quod in Psalmo scriptum est. Audi populus meus, & contestabor te: Israël si audieris me, non erit in te Deus recens, neq; adorabis Deum alienum. Ego enim sum Dominus Deus tu', qui eduxi te de terra Ægypti; dilata os tuum, & implebo illud.] Qua voce, nō vtcumq;, sed cum magna obtestatione iubet illis, ne in rebus creatis suum amorem constituant, cásve in proprium cor, vtiq; Dei domicilium

ingredi permittant, sed se quotidie terrenis affectionibus magis euacuent, sinumq; mētis cœlestiū rerum desideriis dilatent, vt donis, ac muneribus impleātur. Et quidem licèt horrendum vniuersis hominibus esse debeat idola colere, id est, contēpto Deo, creaturas contra eius præcepta diligere, tamē multò detestabilius erit, si sanctus iste populus Dei tam immane crimen admittat. Quare illi in Deuteronomio horū idolorū deletio, cum magna asseueratione præcipitur. Aras (ait Moyses) eorū subuertitē, & confringite statuas, lucósque succidite, & sculptilia comburite. Quia populus sanctus es Domino Deo tuo. Te elegit Dominus Deus tuus, vt sis ei populus peculiaris de cunctis populis, quæ sunt super terrā.] Quid est aras idolorum subuertere, nisi materias vitiorum excindere? Quid statuas confringere, nisi fletu, & compunctione illicitas actiones diluere? Quid lucos succidere, nisi affectus, & passiones cohibere? Quid sculptilia comburere, nisi igne sancti amoris sæcularium actuum memoriam, recordationémque cremare? Hæc faciat populus sanctus, populus peculiaris, qui Deo se totum addixit. Ad hoc enim vocatus est, vt ab aliis gentibus segregatus, soli Deo vacet, & sola diuina, ac cœlestia concupiscat.

Deut. 7. 5. 6.

Quid tandem ait Dominus, cùm religiosi viam huius mortalitatis absoluunt? Illud profectò Isaiæ: Transite, transite portas, præparate viam populo, planum facite iter, eligite lapides, & eleuate signum ad populos.] Alij namque fideles, qui inter mundanas occupationes, & possessionem temporalium diuina mandata custodiunt, ingrediuntur quidem portas fœlicitatis, sed in ingressu examinantur, an habeant cor mundum, & incoinquinatum, quod solum intrabit in regnum cœlorum: At cùm religiosus ad ianuam adest, religiosus, inquam, qui non solùm habitum monachalem gestauit, sed vitam religiosam tenuit, audit à Domino, quasi iam in hoc mundo probatus, vt liberè, & absque vllo impedimento ingrediatur portas illius Ierosolymæ numquam perituræ. Neque enim est ex iudicandis, sed ex iudicibus (vt Augustinus ait) qui sessuri sūt super sedes duodecim iudicantes duodecim tribus Israel. Æquum autem est, vt despectioni rerum temporalium, religiosæ professioni, vitæ in omni sanctitate actæ, & (quod amplius est) diuinę promissioni, qua Deus istum ad iudiciariā extulit dignitatem, aliquis honor deferatur. Hoc verò esse religiosorū priuilegium, quæ Angelis dicuntur sequentia verba demōstrant. Illis namque præcipit Dominus, nō vt impediant, sed vt parent viam populo introeunti, planum iter ostendant, scopulos offensionis tollant, & veluti accēsa face inter mortis tenebras, semitas æternitatis commonstrent.

Isa. 62. 10.

Aug. Epistola 89. q. 4.

Cùm autem Dominus viros istius dilecti populi, nimirum religiosos, ad antiquos patres collegerit, & ad suam regiam vocauerit, de fidelissimis eorum obsequiis, quibus propter ipsum omnia, & se ipsos quoque reliquerunt, coram Angelis gloriabitur. Dicet enim illud Dauidis: Populus, quem non cognoui, seruiuit mihi, in auditu auris obediuit mihi.] Aues forsitan scire quis sit iste populus, quem non nouit Dominus? Audi igitur Bernardum. Qui verò non cognoscuntur, & cognoscunt, pauperes sunt voluntarij, quos nec tribulatio, nec angustia, nec alia quęcūque pericula possunt separare à charitate Dei. Et hi nimirum multis modis probātur, aduersis, durisq; fatigantur tribulationibus, sicut scriptum est: Vasa figuli probat fornax, & homines iustos tentatio tribulationis.] Ex quorum itē persona loquitur Psalmus: Deus, Deus meus respice in me quare me dereliquisti?] Numquid non incogniti videntur, qui orant, vt respiciantur? Verumtamen licet derelicti videantur, ipsi tamen Deum cognoscunt, & ex persona cognoscentium statim in eodem Psalmo subinfertur: Deus meus clamabo per diem, & non exaudies, & nocte, & nō ad insipientiam mihi.] De his ergo vox diuina dicit: Populus quem nōn cognoui seruiuit mihi.] Ac si apertè diceret Angelis suis, Quid si vos mihi seruitis, quos fœlices facio, quādoquidē illi mihi seruiūt, quos in sua paupertate derelinquo? Et quid si vos mihi obeditis, qui faciē meā videtis, cùm & illi obediāt, qui me tantùm audiunt, & nō vident?] Religiosi itaque, qui voluntariā paupertatem amplectūtur, in populo à Deo nō cognito numerantur, quia necdum eius fœlici conspectu perfruuntur, & quia cùm humanis commodis carere videantur, mūdani iudicant eos à Domino nō cognosci. Et tamen Dominus huius incogniti populi obsequia in omnē æternitatē est corā Angelis laudaturus, vt qui in mundo tēporale præmium non receperunt, cumulatiorē laudationē in cœlis recipiāt. Hic ergo est finis religiosæ vocationis, hic scopus beneficiorū, quæ in vocationis gratia cōtinentur, hæc destinatio omniū quos in vita religiosa sustinemus laborū, vt scilicet Dominus speciali prouidētia sit Deus noster, & nos vitæ sāctimonia simus dilectus populus Dei, propter hunc finem curas sæculi, & occupationes mūdanas abiecimus, cuius assequutio adeò cordi nobis esse debet, vt propter illam non vereamur omnia temporalia, imò si opus fuerit, & ipsam vitam impendere. Quod sanè Prosper Regiēsis Episcopus, hac sententia monuisse videtur. Et ideò, quē nulla corporeę necessitatis cura sollicitat, nulla occupatio domesticæ solicitudinis inquietat, nullus litigator infestat, nullus calūniosus exagitat, qui aliud curare debet harū molestiarum, & his similium liber, nisi vnde ad meliora proficiat, vnde vitia sua profectibus quotidianis imminuat, virtutes augeat, & pro carnalibus, quæ contempsit, spiritualia bona possideat? In his se diuinitus adiutus exerceat, ea semper amplectatur, ac diligat, & nō solū aliis delectationibus suis, sed etiā ipsis suæ carnis cruciatib⁹ anteponat, vt qui nihil sibi reliquit, quod formidaret amittere, ea pro quibus, omnia, quæ habebat abiecit, tanta firmitate fidei retineat, vt si necesse fuerit, pro eis libenter suū corpus impendat.]

Psal. 17. 45.

Bern. ser. 40. ex paruulis.

Eccl. 27. 6.

Psal. 21. 2.

Prosp. lib. 2. de vita contempl. c. 16.

Si hæc ita sunt, quæ dementia est, post tale beneficium susceptum, post tam perfectum statum pretio omnium, quæ possidebamus comparatum, frustrari finem, cuius gratia, & nos Deus hoc eximio dono cumulauit, & mūdanas occupationes è cordibus nostris eiecit? Quæ insania erit ea vilia, & nullius pretij concupiscere, quæ reliquimus, ea inutilia & noxia quærere, quæ spreuimus, pro his puerilitatibus laborare, quas afflati diuino spiritu cōculcauimus? Ridemus illos inertes, atque ignauos Israelitas ab Ægypto mirabiliter liberatos, qui de reditu in terram captiuitatis, ac de reuersione tractabant, qui infamem seruitutem affectantes, dicebant: Vtinam mortui essemus in Ægypto, & non in hac vasta solitudine, vtinam pereamus, & non inducat nos Dominus in terram istam, ne cadamus gladio, & vxores, ac liberi nostri ducantur captiui: Nónne melius est reuerti in Ægyptum?] Et iterum, Moysem, & Aaronem accusantes, ita clamabant: Vtinam mortui essemus per manū Domini in terra Ægypti, quando sedebamus super ollas carnium, & comedebamus panem in saturitate, cur induxistis nos in desertum istud, vt occideretis omnem multitudinem fame?] Quāto magis ridendi sumus nos qui sæculo nequā erepti, & in sanctam religionem introducti, non

Nu. 14. 2.

Exod. 16. 3.

solùm de reuersione tractamus, sed cogitatione in sæculum, sed desiderio, sed occupatione redimus? An non est redire ad sæculum, mundanos honores & dignitates ambire? Corporis delicias, & voluptates consectari? Aurum, argentum, & pretiosam supellectilem possidere? Vincula obedientiæ rumpere, & iugum propriæ abnegationis detrectare? An non est redire ad sæculum, auersari diuina colloquia, lectionem fugere, cellæ secreta abominari, & in negotiis mundanis tempus consumere, ac vanis colloquutionibus ora laxare? Certè, qui ita viuunt, vitam religiosam deserunt, Ægyptum repetunt, & in sæculum, quod reliquerant, reuertuntur.

Isti de mutatione status pœnitentes dicunt, si non ore, corde tamen, & animo: Vtinam mortui essemus in Ægypto.] Et illam terribilem Dei comminationem audiunt. Viuo ego, ait Dominus: Sicut loquuti estis, audiente me, sic faciam vobis. In solitudine hac iacebunt cadauera vestra.] Audiunt, & experiuntur; nam in quam virtutum solitudine, vitam finiũt, & post multos annos religionis, cum animo irreligioso, aut planè mundano, ex hac vita migrantes, præmium religiosorum non recipiunt. Hoc grauissimis verbis expendit Basilius. Est aurẽ (inquit) spectaculum omni commiseratione dignum, inedia multa perpessa, seuerissima educatione perlata, tot precibus factis, tot lachrymis profusis, annis viginti, aut triginta castitate custodita: tandem propter animi segnitiem, negligentiamque omnibus spoliari, ac denudari rebus, & eum, qui præcepta Domini religiosè seruauit, similẽ effici mercatori locupleti, qui copia mercium elatus, cùm iam nauis ipsius maria periculosissima vento secundo emensa esset, ad ipsum portum naui elisa, omnibus simul priuatus conspicitur.] O quàm verè hæc dicta sunt: religiosus enim mundum fugiens, & domum religionis ingrediens, ex procella, & tempestate maris euasit, & portum tutum, ac tranquillum tenuit, ex quo facilis est in terram æternitatis, & ciuitatem cœlestem ingressus. Interim autem, dum hæc profectio conceditur, in portu religionis manens, aliqua sustinet, vt vigilias, vt ieiunia, & alia huiusmodi, corpori quidem aduersa, sed animo vehementer vtilia, quæ digna sunt præmio numquam perituro. Hæc verò omnia religiosus dilapidat, & in ipso beatitudinis portu periclitatur, si vitia nõ deserat, si animum sæcularem non exuat, & occupationes mundanas admittat. Conuenit igitur (& simili, ac verbis vtemur eiusdem Basilij) vt quemadmodum, qui in balneum ingrediuntur, vestimentis se omnibus denudant, ita & qui colendæ pietatis causa ad solitariam, vel religiosam vitam accedunt, omni rerum vitæ huius materia exuti, genus vitæ, quod est secundum philosophiam, ingrediantur.] Hoc enim vitæ genere præteritas maculas lauant, & adipiscuntur animi puritatem, sine illo verò, nõ merita, sed noua onera debitorum conquirunt.

Nu. 14. 2. *Ibid. 29.* *Basil. in orat. 21. de felicitate.* *Basil. de institut. monach. serm. 2.*

Religiosos hunc præstantissimum finem non assequi, habitum monachalem gestando, sed vitam spiritualem agendo.

CAPVT XXXII.

COGNOSCERE hunc finem religiosæ vocationis tanti momenti est, vt necesse sit, ignorãtiç & imbecillitati quorundam religiosorum consulere, atque eum exquisitiùs declarare. Putãt enim nonnulli (ni fallor) se ad scopum religiosæ professionis peruenisse, & populi Dei nomen, ac meritũ acquisisse, cùm primùm habitum religiosum induunt, necdum mẽre mutata, nec indumentis veteris Adæ, hoc est, prauis affectibus, ac vitiis exutis. Quod non ita esse facillimum erit comprobare. Nam religiosa vita non est corporis indumentum, sed status animi vniuersarum virtutum exercitatione perfectus: Non est ergo religiosus opere, & merito, qui tantùm vestem monachalem, seu religiosam induit, sed qui ad virtutis normam mores suos, actúsque componit. Egregiè enim ait sanctus Ephrem, religiosorum magister peritissimus: Non putetis, in cingulo ac veste longa consistere perfectionem monachi, aut in eo salutem positam, quòd mũdas ac nitidas manus habeas, aut quòd bene disert° sis, quodq; Scripturas interpreteris, aut quòd capite inceda s abraso, comãve nutrias, licèt enim proportione respondentes, congruentésq; virtutes desint. Hæc autem non vt deprimam habitum, eique detraham, dico, quod absit, sed vt habitui, mores, & opera congruere debere demõstrẽ. Nam habitus absque operibus, nihil est.] Et verissimè. Sicut enim fieri nõ potest, vt vnus, atq; idem homo, vno atq; eodem tempore sapiens sit, & ignorans, studiosus, & vitiis corruptus, tristis, & lætus, diues, & pauper: Ita imposibile est, vt simul sit religiosus, atque mundanus. Neque enim minus distant, religio, & sæculum: mores religiosi, & mundani, quàm alia quælibet opposita, atque contraria. Ille autẽ, qui solũ de religionis habitu gloriatur, neque habet vitam indumento conformem, mundanus est: igitur (quidquid sit de statu, & obligatione) virtute, & sanctitate religiosus non est, imò mundanus, tantò vilior, & cõtẽptibilior, quantò sub religionis habitu, & monastica professione, mores habet tantæ dignitati discordes. Est velut histrio indumẽto regis indutus, vt coruus cygni alis, & plumis ornatus, & velut lupus ouium pelle contectus. Iste talis nõ est cur dilecto populo Dei se ipsum annumeret, quia licèt in externa veste ad eum pertinere videatur, sed vita ad sęculũ pertinet, & ab hoc nobilissimo populo, actione, & moribus lõgè dissidet. O quàm aptè de illo, ac de sui similibus dicemus illud Bernardi. Vereor ne multi se profiteantur de populo Dei, quos tamẽ ipse nõ habet pro populo suo.] Vereor ne plerique, qui quasi in populo eius religiosiores esse videntur, ipse aliquando dicat: Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum lõgè est à me.] Nouit enim Dominus Ies°, qui sũt eius, nouit, &, quos elegerit à principio. Quid me vocatis (ait) Domine Domine, & non facitis, quæ dico?] Vt autẽ cognoscamus vitam & mores esse, q̃ nos huic populo annumerẽt, statim subiicit. Vis scire an pertineas ad populũ eius, vel potius vis esse de populo eius? Fac, quę dicit Iesus, & cõputabit te in populo suo. Fac, quę iubet in Euãgelio Domin° Iesus, quæ iubet in lege & prophetis, quæ iubet per ministros suos, qui sũt in Ecclesia, obtẽperata ei° vicarijs pręposítis tuis, nõ tãtũ bonis, & modestis, sed etiã dyscolis; & disce ab ipso Iesu, quia mitis est, & humilis corde, & eris de beato populo ei°, quẽ elegit in hęreditatẽ sibi. Eris de laudabili populo eius, quẽ Dominus exercituũ benedixit, dicẽs; Opus manuum mearũ tu es, hæreditas mea Israël.] Liquet ergo, professionẽ vitę perfectæ populo nos Dñi adiũgere, & religiosos act°, nõ solã vestẽ, iustorũ cętui copulare.

Illis sanè actionibus finem nostræ vocationis cõsequimur, (vt scilicet Dominus sit noster Deus, nos autẽ eius dilectus & peculiaris populus,) quarũ gratia nos ipse vocauit, & à periculis sæculi in securitatem religionis adduxit. Istæ verò non sunt tantùm

Ephrem. *Bern. ho. sup. Miss.* *Matt. 15. 8.* *Luc. 6. 46.* *Matth. 11. 29.*

ttonsio capitis, mutatio vestis, & aliarum externarum cæremoniarum assumptio, sed cóuersio cordis, biectio vitiorũ, & virtutũ, ac perfectionis studium. Quod si dedit, illæ externę mutationes parui momẽti sunt reputandæ. Istud ergo perfectionis studiũ est, quos nos veros, & sãctos religiosos facit, & à vilitate mundanorum in altitudinem religiosi status extollit. Nam rogo, cùm Dominus nos ad hunc statum inuitauit, dixit-ne: Conuertimini ad me tantùm in externa veste, commutate pileum in cucullum, chlamydem in melotem, baltheum in chordam? Nequaquam sed tunc intonuit de cœlo Dominus, & altissimus dedit vocẽ suam, ita clamans, & dormientes exsuscitans. Conuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio, & in fletu, & in planctu, & scindite corda vestra, & non vestimenta vestra, & conuertimini ad Dominum Deum vestrum.] Nã ab ista conuersione mẽtis accipit meritũ habitus monachalis acceptio, & externa vestimentorum mutatio. Fratres (inquit Bernardus) si dixisset conuertimini, nihil addẽs, esset vobis forsitan liberum respondere, factum est, iam aliud propone mandatum. Nũc autem spiritualis (vt audio) conuersionis nos admonet, quæ non vna die perficitur, vtinam, & in omni vita, qua degimus in hoc corpore, valeat consummari. Corporis namque cõuersio, si sola fuerit, nulla erit. Forma siquidẽ cõuersionis est ista non veritas vacuam virtute gerẽs speciem pietatis. Miser homo, qui totus pergens in ea, quæ foris sunt, & ignarus interiorum suorum, putans aliquid se esse, cùm nihil sit, ipse se seducit. Sicut aqua effusus sum (ait Psalmista in persona hominis huiuscemodi) & dispersa sũt omnia ossa mea.] Et alius quidam propheta. Comederunt (inquit) alieni robur eius, & ignorauit.] Exteriorem quippe superficiem intuens, salua sibi omnia suspicatur, nõ sentiens vermẽ occultum, qui interiora corrodit. Manet tonsura, vestis necdum mutata est, ieiuniorum regula custoditur, statutis psallitur horis, sed cor lõgè est à me, dicit Dominus. Attende solerter quid diligas, quid metuas, vnde gaudeas, aut contristeris, & sub habitu religionis animum sæcularem, & sub pannis conuersionis inuenies cor peruersum.] Manifestum est itaque, quòd qui sub habitu monachali cor habet sæculare, corpore quidem habitat in domo Dei, fateor, professione, & obligatione religiosus est, assentior, sed corde ad cœtum mundanorum pertinet, & habitator est sæculi. Nihil enim cuiquam prodest (inquit Anselmus) habitum monachi exteriorem habere, si non studierit, & interiorem retinere.] Et Basilius secessũm à sæculo delineans, ita ad suũ Gregorium scribit. Est verò secessus à mundo, non extra mundum esse corpore: cæterùm à consensu corporis, mutuáque affectione animum abrumpere, non ciuem esse, non domum possidere, non famulum, nihil proprium habere, non sodalitatis officia, non amicitiæ colere, prædia nulla, nullas facultates habere, negotiis vacare, iuris gentium contractus, humanásque disciplinas non nosse, ita se comparare cor, vt humanam aptum sit admittere disciplinam ex diuinis monumentis informatam.] Qui solum habitum induit, & virtutes indumento congruas habere non curat, similis profectò est homini sæculari, qui aliqua necessitate coactus in cœnobium se recipit, & habitum monachi induit, non vt monachus sit, sed vt tutior maneat, & securior delitescat. Sicut enim iste nihil habet religionis, nisi vestem, & necessitatem in cœnobio commanendi, ita religiosus tepidus, ambitiosus atque mundanus, nihil religionis habet, nisi habitum, & necessitatem, quæ ex professione nascitur, non

A tamen vitam, qua quisque in monastica conuersatione perficitur.

Hanc autem conuersationem, qua mundana contemnimus, & virtutum exercitia consectamur, esse, quæ nos religiosos, & Deo coniunctos faciat, Dominus in postremo die euidenter ostendet, cùm spectãtibus omnibus hominibus, atque vniuersa cœlesti curia, religiosæ vitæ sectatores, non tantùm de gestatione vestis monachalis, sed multò magis de vita, & moribus iudicabit. Verum est, ab illis Dominum quæsiturum, an habitũ propriæ religionis induerint, quod abiicere sine vrgenti causa, & vestem sæcularem assumere ingens crimen est. Sed non est hæc tota illius examinis inquisitio. Expendet namque Dominus, an regulam custodierint, an patrum

B statuta seruauerint, an parentes, cognatos, & amicos, honores, diuitias, & voluptates, quæ corpore reliquerunt, corde quoque dimiserint, an vitia deleuerint, an passiones cohibuerint, an silentio, & orationi se dederint, an virtutes exercuerint, an proximis salutis viam, verbo & exemplo monstrauerint. Si quis autem appensus in statera iustitiæ, istorum inuentus fuerit minùs habens, licèt habitum religiosum gestauerit, arguetur, & excors punietur, vt reus, & inter mundanos, iniquorum pœna mulctabitur. Libet sanè Laurentij Iustiniani verba, licèt prolixiora, proponere, quæ tepidos terreant, & à nobis dicta confirment. Falluntur prorsus (ait) qui sine operibus de solo habitu, & religionis sibi applaudunt nomine. Non enim de titulo professio- *Iustin. lib. de obed. c. 19.*

C nis, neque de dignitatis fastigio, neque de sanctitatis imagine; sed de mandatorum obseruantia, de obedientia regulæ, de perfectione virtutum, de cordis munditia, de actione laudabili, de ministerio pietatis, & de gratiarum Deo exhibita solutione, ante tribunal æterni iudicis, cuique religioso, & Ecclesiastico viro interrogatio fiet. Aduersus inobedientes Christi ministros, defunctorum eleemosynæ monasteriorum reditus, sanctorum patrum instituta, commendabilis sæcularium vita, ficta bonitatis ostensio, consummato huius peregrinationis termino vehementissimè acclamabunt. Non erit tunc fructuosa pœnitentia, non compunctio salutaris, non locus veniæ, non mærendi tempus; sed

D discussionis, sed iustitiæ, sed iudicij, sed vltionis. Tunc quippe aperientur singulorum libri; tunc conscientia erit testis, & iudex, tunc religiosus inobediens, auarus, & petulans serò intelliget, quid omiserit, quid contempserit, quid egerit, quid perdiderit. Torquebitur vtique indicibili mœrore prætermisisse benefacere, & opere neglexisse implere, quod vouit, dicente propheta: Vouete, & reddite Domino Deo vestro, omnes qui in circuitu eius affertis munera.] Consciẽtiæ quoque immortali vretur verme, cùm reuoluet secum, quàm impudenter conditorem suum, præcepta Ecclesiastica, oblatam gratiam, & admonitionem salubrem parui penderit audire fraternam. Mœroris insuper toties confodietur *Psal. 75. 12.*

E gladio, quoties facinorum suorum meminerit, obscœnitatis, atque voluptatis carnis, edacitatis vẽtris, cupiditatis temporalium facultatum, cæterorúmque vitiorum, ob momentaneam delectationem vilissimum te fecerit seruũ. Hinc supra modũ cruciabitur animo se propter nefandissima carnis opera amisisse visionem diuinam, contuberniũ Angelorum, sanctorum cõsortium, Ecclesiæ suffragia, meritorum iustorum participationẽ, naturæ dona, adiutoriũ gratiæ, & fructus dignos pœnitẽtiæ.] Si hæc ita sunt, nõ dubiũ est, vitã ipsam religiosã, & spiritualẽ, nos Dei populũ cõstituere, veros religiosos facere, atq; in finẽ nostræ

voca

vocationis deducere. Et compertum est etiam solam vestem, & professionis obligationem, virtute vacuam, non esse satis, vt nos Dominum habeamus in Deum, ac in eius amicitiam admittamur.

Tu ergo, ô religiose, qui mundo contempto in cœnobium fugisti, & ad statum religiosum conuolasti, memento hunc esse scopum operis tui, vt Dominus sit tibi Deus, tu autem sis vnus de populo Dei. Hunc autem finem assequeris, si vitam spiritualem arripias, & per vniuersarum virtutum itinera, nō segniter, sed magna celeritate discurras. Tūc Dominus est tibi Deus cùm illi te totum possidendum tradis, & nihil tui, aut carnis illecebris, aut cupiditati mundanæ, aut superbię diabolicę derelinquis. Dixit enim Dominus tuus: Venit princeps mūdi huius, & in me (Ioan. 14. 30.) nō habet quicquam.] Et si in illo nihil habet, profectò in te, si membrum illius es, nihil habere debet. Tūc Dominus est tibi Deus, cùm illū omnibus præfers, nec pro rebus modicis, quales sūt omnes res sęculi huius, tuū vltimum finem amittis. Emisti eum tamquam pretiosam margaritam, quam pretio omnium, quæ possidebas, comparasti, ne iam emptā, & in conclaui tui cordis absconsum, pro nihilo perdas, & pedibus affectuum mundanorū conculces. Tunc Dominus est tibi Deus, cū spretis omnibus, pace, ac trāquillitate mentē exornas, vt Dei tui habitaculum efficiatur. Qui cùm magnus sit, & rex pacis nūcupetur, totum mentis domiciliū postulat, & nisi pacatū sit eius habitationem fugit. Nō das autem illi totam domū mentis tuæ, si res creatas cupis, & amore cōmodis propriis inhæres. Nec paras illi domiciliū pacis, si rerum temporalium desideriis turbaris. Tunc demum pertines ad populū Dei, cùm occupationes sæculares omninò deseris, cùm mores religiosos induis, & spiritualem vitam à curis rerū temporalium auulsam, omni diligētia sectaris. Quod, vt nō solùm iucūdum tibi fiat, sed etiā penitus necessariū appareat, illud seriò tibi cōsiderandū est, & sollicita mentis intentione cogitandū, nō posse te impunè in sancta religione positū, eas cogitationes, ea colloquia, & illas curas admittere, quæ tibi in sæculo licuissēt.

Poteras quidem, dum vitam cōmunem sectabaris, aut opes acquirere, aut res non necessarias, minime tamen noxias possidere, aut dignitatem, si ea dignus esses, bono fine appetere, & postulare, aut genio moderatè indulgere, eiúsque rerum temporalium & occupationes sæculares admittere. At postquam vitam illam communem reliquisti, & in statum religiosum euolasti, non licet tibi ista mundana conquirere, & res mundi huius corruptissimi in cætum religiosorum inferre. Quod Petrus Apostolus, non sæuitia, aut crudelitate, sed fidelium misericordia motus, & Spiritu sancto incitatus ostendit, dum (Act. 5. 3.) Ananiam, & Sapphiram morte temporali, & æterna mulctauit. Anania (inquit) cur tentauit Satanas cor tuum, mentiri te Spiritui sancto, & fraudare de pretio agri? Nónne manens tibi manebat, & venundatum in tua erat potestate?] Ac si diceret: O Anania nec Christus te coëgit, nec Ecclesia compulit, vt agrum tuum venderes, & pro Christo pauper effectus, in vsus pauperum erogares, liber eras, & agellum, aut pecunias in pretium eius acceptas, poteras sine peccato retinere: At postquam decreuisti te rebus tuis abdicare, easque offerre Deo, vt pro vilissima re temporali æternum regnum lucrareris, non tibi licuit de pretio agri aliquid defraudare, & pecuniæ partem abscondere. Hoc peccatum, quo nos Spiritu sancto plenos decipere voluisti, & pecuniam Deo iam consecratam surripere statuisti, & subita morte, & cruciatibus perpetuis exolues. Sic

A prorsus, ô religiose, tibi eueniet, si sæculares honores, aut diuitias, aut commoditates pro Deo dimissas, audeas resumere: Argueris mēdacij, atque furti, quod promissioni non steteris, & res Domino dicatas abstuleris, & nisi resipueris, seuerissimè punieris. Quia quod antea erat liberum, ingressu religionis, & obligatione voti, necessarium fecisti, cui sine animæ dispendio iam non poteris contraire.] Hæc Basilius proposito exemplo Ananiæ suprà dicto, his grauissimis verbis expressit. Quocirca ante (Basil. ser. 1. de instit. monach.) religiosæ istius vitæ professionē, liberum est vnicuique, quatenus per Dei indulgentiā leges permittūt, communem cū cęteris viuendi morem sequi, sibíq; vxorem adiungere. Vbi verò iam quis spōte sua ipse professus est, hic Deo custodire se ipsū debet veluti B corū aliquid, quæ dicata sunt Deo, ne sacrilegij iudicium incurrat, cū videlicet corpus, quod semel Deo consecrauit, ministerio rursum communis vitæ cōtaminat.] Et ne quis existimet hoc solum dici de custodia castitatis, quasi religiosus hāc districtè custodiēs, nullam aliam affectionem vitare debeat; statim ipse Beatus pater subiungit. Atque hoc dico, non vnū tātummodò vitiosæ affectionis genus spectans, quemadmodum opinātur quidam, qui perfectam habere se virginitatem existimant, si castum modò corpus suum custodierint, sed vt doceam, eum, qui Deo seruare se integrū velit, nulla debere praua affectione mūdana inquinari, iuxta omnem vitiosæ affectionis modum. Nam iracūdia, inuidia & præteritarum iniuriarum tenax memoria, mēdacium item, & super- C bia, & elatio spirit⁹, & intēpestiua locutio, & in oratione faciēda lentitudo, & rerū, quæ nullæ sunt, cupiditas, mandatorū negligētia, in vestitu nimio plus exquisitus ornatus, orísque ad venustatis speciē cōpositio, congressionesq; ac colloquia, non habita, vel decoris, vel necessitatis ratione. Hæc omnia adeò diligenter sunt ab eo cauenda, qui per virginitatem Deo seipsum consecrauit, vt par sibi propemodùm esse periculū intelligat, si in aliquo istorū lapsus sit, atq; si in vetitum propriè peccatū incurrat. Hæc ille.

Hæc omnia vitare debet, & opposita sectari, qui virginitatem, id est, vitam à sæculo remotam (hanc enim Basilius virginitatem vocat) profitendam elegit. Sibique persuadeat necesse est, multa in hoc statu esse reprehēsione digna, quæ in sæculari, nec mali, nec reprehensibilia censerentur. Vt enim emptio, D & venditio rerum venalium in foro bona est, in templo verò mala, & vetita est (Vnde Dominus facto flagello de funiculis, omnes vendentes, & emen- (Ioan. 2. 15.) tes eiecit de templo, oues quoque & oues venditioni expositos, & nummulariorum effudit æs, & mensas subuertit:) Ita sæcularia in sæculo licent, in religione autem nequaquam licent. Qui ista in vitam religiosam inuehunt, audiēt à Domino: Auferte ista hinc & nolite facere domū Patris mei domum (Ibid. 16.) negotiationis, aut etiam spelūcam latronum.] Religio enim domus Dei est, ad hoc ædificata, vt ipse in ea adoretur, atque colatur: Eam autē efficit domum negotiationis, & furū latibulum, qui vanis cogitationibus, inutilib⁹ desideriis, prophanis negotiis, ac cōfabulationibus, non necessariis commoditatibus, in- E uidiis, ac ęmulationibus, & aliis huiusmodi pestibus, tantā inficit sui status puritatem. Quæ enim turpior negotiatio ea, qua homo Deo dicatus huc illucq; discurrit, vt suas volūtates expleat, & cupiditatis insanæ expletionē cōquirat? Aut quæ spelunca latronū impurior ea, quæ tegumento virtutis, monstra vitiorum occultat, & sub habitu religionis propriam voluntatem, omnium malorum seminarium abscondit? O quanta indignatione aduersus iustum com-

mouetur Deus, qui domum religionis, sua inobedientia, atque proteruia, in bestiarum equile, aut in porcorum haram conuertit. Quid est (inquit) quòd dilectus meus in domo mea fecit scelera multa?] Dilectus quidem est, quem tāto amore complector, vt in domo mea, & inter electos meos manere permittam. Huius autem eximij benificij, hanc accipio gratitudinem, quòd domum hanc meam, cœlo quàm simillimam, prophanæ, & tepidæ vitæ fœditate commaculat. In terra sanctorum iniqua gessit, nō videbit gloriam Domini.] Hæc est in malos, & tepidos religiosos querimonia Dei, hæc terribilis districti iudicis cōminatio, quam sine dubio opere exequetur, si vitam non mutant, & ea, quæ promiserunt, non debita deuotione custodiunt.

Religiosis semper vitam spiritualem esse sectandam, ac de illa in sequentibus esse tractandum.

CAPVT XXXIII.

NE ergo religiosi hanc durissimam Domini increpationem audiant, & acerrimam socordiæ atque negligentiæ pœnam sentiant, operæpretium est eam eligant vitam, eos labores subeāt, eas curas, & occupationes suscipiant, vtique spirituales, & sanctas, quarum gratia, & à sæculo fuerunt erepti, & in statum religiosum euocati. Nam si in sæculo degentes mādata Domini custodierunt, & vitam studiosam amarunt, valdè insani sunt, si eam vitam deserant, cuius conseruandæ, & prouehendæ causa religionis habitum induerunt, & inter bonos, & sanctos innocentiam perdant, quam inter iniquos, & peccatores cōseruarūt. Si verò in sæculo omni fœditati, ac turpitudini se dediderunt, & emēdationis gratia in cœnobiū conuolarunt, quid insanius, quàm in pœnitētiæ loco præteritis iniquitatibus nouas adijcere, & maiora peccata perpetrare? Sanè tam isti quàm illi diuitias bonitatis Dei, & patientiæ, & longanimitatis contēnunt: quoniam ad pœnitentiæ locum adducti, non pœnitentes, sed in Deum contumeliosi fiunt, & tāto beneficio in arrogantiam, & superbiam abusi sunt. Ne itaq; tam ingenti stultitia fascinētur, semper vocationis suæ finem ante oculos habeant, & in quocumque loco sint, & quacumq; occupatione teneātur, desideria virtutis, timorem peccati, & vitā spiritualem, ac religiosam, tum corde amare, tum actione præstare procurēt. In religione ad instar Angelorum habitare laborent, qui domum illam cælestem, & verissimarum deliciarum plenam inhabitant, vt ex domo, quæ in terris imago cælestis est, ad illam, quæ in cælis vsque ad finem sæculi ædificatur, post huius vitæ finem, trāsferantur. Sicut enim Angeli è cælesti curia ad terras in ministerium missi propter eos, qui hereditatem capiunt salutis,] nūquam Angeli esse desinunt, nec vitam cælestem relinquunt, nec à conspectu Dei, quo beati sunt, nec ad momentum quidem recedunt: Ita religiosi dum septa cœnobij egrediuntur, dum sæcularium domos adeunt, aut necessitate cogente, aut postulante charitate, numquam vitam spiritualem, neque animum religiosum deserant, sed corpore inter mundanos degētes, spiritu in abscōdito proprij cordis commaneāt.

Laboriosum est hoc: sed ad labores, non ad otiū, nec ad segnitiem vocati sunt. Herus mancipium emit, & suis sumptibus cibos ei, & vestes subministrat, an vt otio torpeat? non: sed vt laboret, & magna

A sollicitudine famuletur. Agricola conducit operarium, debitámque mercedem promittit, an vt negligentia dissoluatur? non: sed vt segetes demetat, & in horrea recondat. Rex milites cōgregat, & stipendiū assignat, an vt lusibus vacent, & in conuiuiis, & potionibus occupentur? nullo modo: sed vt prælietur, vt locum suum teneant, vt hostium vim impetumque sustineāt. Et te Christus, ô religiose, in suam domum vocauit, & pretio sui sanguinis tibi beneficio vocationis coëmit, & tantorum donorum stipendia attribuit, vt otieris, vt negligens in cella maneas, & tui oblitus, per hortum & claustra discurras, vt confabulationes vanas, & occupationes sæculares affectes vt dicas: Laboriosum est paruos defectus vitare, passiones cohibere, silentium amare, lectioni & orationi semper insistere? Quis hoc credat? Imò potius vocatus es, vt tamquā fidelis famulus ei semper inseruias, tamquam vineæ operarius tribulos & spinas cui cordis euellas, tamquam strenuus miles, secundum præceptum Pauli, milites bonam militiam.] (1. Tim. 1. 19.) Homo (ait Iob) nascitur ad laborem, & auis ad volatum.] (Iob. 5. 7.) Si quiuis homo ad laborem natus est, quantò magis tu, qui vt laborares mundum deseruisti, & tāta bona in laborum leuamen recepisti! Ne sis, vt illi, insanus, qui, vt est apud Hugonem Victorinū, delicatā, ac voluptuosam credunt esse religionē, expertem laboris, vacantē otio, & habitum religionis indiscretè capiunt, (Hugo lib. 1. de claustro animæ c. 11.) Votum faciūt, professionis vinculo constringuntur: cùm autem religionis ordinem, & cōsuetudines eiusdem auersantes carni nouerint, in hæc verba prorumpūt, Putauimus pondus religionis leuius esse, quis enim potest ferre claustri tædium, diuturnitatem silentij, pondus laboris, parsimoniam cibi?] Ne, inquā, talia dicas nec talia cogites, sed sciēs te ad laborem vocatum, ad opus inuitatum, ad prælium immane conductum, labora sicut bonus miles Christi Iesu. Operare & exerce te ipsum,] in ædificatione cordis tui: & vt est apud Ecclesiasticū, A iuuentute tua excipe doctrinam, & vsque ad canos inuenies sapientiam: (2. ad Tim. 2. 3. Eccl. 6. 18.) Quasi is, qui arat, & qui seminat, accede ad eā, & sustine bonos fructus illius, in opere enim ipsius exiguū laborabis, & citò edes de generationibus illius.] Præliare prælia Domini, quæ aduersus dæmones cōmittuntur. In his autem nō oscitādo, & dormiendo, sed vigilādo, & orādo te exercebis. Nō vincitur diabolus otio, sed labore, nō crapula, sed ieiunio, nō vaniloquio, sed silētio, non ira, non superbia, nō ambitione, sed māsuetudine, sed humilitate, sed honoris cōtēptu. Cōtra dolos & terrores Satanæ (inquit Thomas à Cāpis vir verè religionis, spiritualis, & pius) certat, ac triumphat vnanimis cōuētus fratrū multorum, (Thom. à Camp. ser. ad nouic. ser. 1.) qui nocturnis vigiliis incubāt, diurnis laboribus insudant, sacris lectionibus intendunt, deuotis precibus, & Psalmorum melodiis insistendo, Deo iubilāt, & quasi cælestibus tubis pariter insonando, diabolū persequuntur. Vehemēter enim eum affligunt, cùm ieiunant: verberant, cùm disciplinam recipiunt: calcant, cùm veniam petūt: premunt, cùm se humiliant, terrent, cùm Iesum inuocant, torquent, cùm Mariam nominant, fugant, cùm cruce se signant, vrunt, cùm crucifixum adorāt, vincunt, cùm obediunt, arctant, cùm in solitudine manent, ligant cùm strictè silentium seruant.] Hæc sunt arma fortissima, quibus Christi milites diabolum superāt, & ante pedes suos fractum vinctúmque prosternunt.

Æquum autem est, vt religiosi, qui nomina huic sacræ militiæ dederunt, strenuè dimicent aduersus seipsos, & aduersus carnis vitia, atque peccata, & se fortes esse, ac inuictos milites glorientur. Qui enim aliquam artem liberalē exercēt, aut aliquod munus

reipu

reipublicæ tractāt, mirum est quanto studio procurant alios suæ artis peritos excellere, aliósve illius muneris administratores superare. Philosophicis, aut Theologicis studiis insistēs, ingenij acumine, disputandi dexteritate, & interpretandi facilitate, condiscipulos anteire nititur; Miles corde magis intrepido, fortior & animosior inter hostium acies esse curat: Mercator in rationibus subtilior, in debitorū exolutione promptior, in promissionibus verior, in mensuris fidelior esse conatur: Aduocatus diligentior, iudex æquior; rex benignior, atque potentior cæteris aduocatis, aut iudicibus, aut regibus esse, & videri concupiscit. Solus miserabilis religiosus opprimēs interdum hunc naturalem affectum, inter alios sodales, nec ad maiorem virtutem, nec perfectiorem aspirat. Neq; inter humiles esse modestior exoptat; neque inter mites mãsuetior; neque inter subiectos obedientior; neque inter castos purior; neque inter Deī amatores feruentior: neque inter mundi contemptores, à mundo remotior esse desiderat: Sed in cœno multarum imperfectionum lætus iacet perpetua quadā tepiditate contentus. Illam excellentiæ curam gratiæ denegat, quam in sæculo constitutus fragili naturæ cōcessit. Illū laborem pro adipiscenda sanctitate refugit, quem sæpius pro vilissimis rebus admisit: cùm tamen sanctitas, ac cordis puritas in immensum pretiosior, atque diuturnior, multò maiori diligentia esset, ac contentione quærenda. Si enim (vt ait Hieronymus) negotiatores sæculi tanta sustinent, vt ad incertas perituràsque diuitias perueniant, & seruent cum animæ discrimine, quæ multis periculis quæsierunt: Quid Christi negotiatori faciendum est, qui venditis omnibus, quærit pretiosissimum margaritum? Qui totis substantiæ suæ opibus emit agrum, in quo repetiat thesaurum, quē nec fur fodere, nec latro possit auferre?]

Hierony. epist. ad Rustic. c. 1.

Hanc insipientissimam socordiam præuidēs Paulus, quasi maiorem diligentiam rebus maioribus efflagitare non audens, saltem æqualem ei, quam vilissimis rebus impendimus postulare contendit, cùm ait: Humanum dico propter infirmitatem carnis vestræ. Sicut enim exhibuistis membra vestra seruire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem: ita nunc exhibete membra vestra seruire iustitiæ in sanctificationem] Quis tandē (inquit Chrysostomus) eousque miser, eousq; infælici sidere natus esse queat, vt ne studij quidem tantundem Christi, quantum peccati, ac diaboli seruituti impendat?] Sed cessaret sanè, ô beate pater, mixta cum admiratione interrogatio si huius temporis, non dico sæculariū domos, sed religiosorū cœnobia ingredereris. Si videres homines qui in sęculo pro diuitiis perituris, pro turpissima quadā voluptate, pro honore quocumq; vēto inaniori, magnos labores pertulerunt; pro cælesti præmio, pro virtutis pulchritudine, pro filiorū Deī gloria, nec quid minimū velle perferre. Horū proculdubiò infirmitati condescenditur, (vt inquit Gregorius) ac si eis apertiùs diceretur. Si nequaquā ampliùs potestis, saltē tales estote in fructu bonorū operū, quales fuistis dudum in actione vitiorū, ne debiliores vos habeat sancta libertas hęredes, quos in eatne validos habuit vsus terrenæ voluptatis.] Hoc igitur Domino tribuamus, vt pari saltem cura ac diligentia vitam spiritualē amemus, quali vitā carnalem, & mundanam dileximus. Et quemadmodum sæculo adhærentes, ad ampliorem aspirabamus dignitatem: ita nunc in religione viuentes, ad maiorē sanctitatem aspiremus. Quis ex nobis si Episcopatum habere potuisset, archipresbyter esse pateretur? Et si ad Cardinalatus infulam ascendere valuisset, Episcopatu tenui satiaretur? Aut si daretur sibi Ecclesiæ suprema potestas, in minore se dignitate contineret? Hoc humanum, in diuina & cælestia traducamus. Maiorem humilitatem, ampliorem spiritum orationis, ac animi puritatem quotidie quæramus, vt in Christi curia dignitatem amplissimam mereamur obtinere. Hic sit noster conatus, vt in domo spiritus, spirituales, & in officina sanctitatis, simus sancti, & studiosi in schola virtutis. Audiuimus vocem Domini dicentis cuique nostrûm cùm conculcabatur in sanguine suo, Viue.] Ne amplius moriamur morte spirituali, ne fætore vitiorum, & peccatorum putredine sordeamus: sed vitia & affectus superasse, sit nostra vita, sit nostra victoria. Ditauit nos benignissimus Deus, non auro, neque argento, sed beneficiis, sed donis, sed gratiæ cœlestis auxiliis, more diuitum magnos animos cōcipiamus, & vitam his magnis opibus congruam, puram, ac spiritualem affectus. Magnificauit nos supra mundanas dignitates extollens, introduxit in arcam cordis, ad quietem animi, & tranquillitatem inuitans: exornauit mundo muliebri tribuens interiorem puritatem: Vberibus compassionis, & fortitudinis pilis affecit, vt in bonum proximorum essemus dæmonibus fortiores. Ne vilescamus, ne effundamus cor in cœnum rerum sæcularium, neq; amore vilitatum, quas dimisimus, vitam nostram fœdemus. Est quidem tempus nostrum, tempus amantium, ne conuertamus illud in affectus, & qualitates seruorum: sed diuina prouidentia protecti, & in sponsæ dignitate constituti, sponsæ Christi, tum honorem, tum pulchritudinem, & vniuersarum virtutum indumentum optemus Sic enim fiet, vt nostro muneri satisfaciētes, assequamur spiritualem vitam, eiúsque perfectionem, cuius causa religiosam vitam cœpimus profiteri. Interim tamen dum huius vitæ naturam, partes, & gradus, quos religiosi cōscendere solent, sub alio tractationis initio explicabimus: sic Domino grates referamus, & robur ad vitam istam consectandam postulemus.

Rom. 6. 19.

Chryf. in c. 6. ad Rom. hō. 12.

Greg. 19. mor. c. 16.

Domine Deus meus, sapientia ineffabilis, qui omnia vides: bonitas incomprehensibilis: qui cuncta diligis, potentia insuperabilis, qui vniuersa sustentas: dignare me abiectissimum seruum tuum Maiestati tuæ immēsas gratias agere, & has tuas perfectiones laudare, quas in beneficio vocationis meæ mirabiliter demonstrasti. Tu enim es artifex sapientissimus, qui arcem religionis pulcherrimam fabricasti, dator bonorum optimus, qui illam tuis donis exornasti, defensor potentissimus, qui inter tot procellas, & tempestates eam illæsam, atque integrā conseruasti. Tu es, ô creator meus, qui sapiētia tua viuos lapides eligis, & à cœno rerum sæcularium extrahis, vt hæc fabrica ad excelsa cōsurgat. Tu bonitas, qui electos lapides polis, & edificationi virtutū præsidio aptas, vt pulchrior & splendidior appareat. Tu potestas, qui politos lapides iungis, & calce charitatis astringis, ne vmquam tua domus ista procumbat. Tu es Domine, opifex omnia sciēs, qui hæc magnalia promisisti domui religionis tuæ. Ecce ego sternam per ordinem lapides tuos, hoc est, filios tuos, & fundabo te in sapphyris, scilicet in desideriis cælestibus, & ponam lapides, nimirum sanctorum exēpla, propugnacula tua. Tu es Deus sancte, omnia sanctificans, qui dona donis adiiciens pollicitus es illi: Et ponam portas tuas id est munditiam, ac puritatem, in lapides sculptos, & omnes terminos tuos, regulas, quibus cingeris, in lapides desiderabiles, vniuersos filios tuos doctos à Domino, & multitudinem pacis filiis tuis.] Tu es, ô rex, omnia potens, qui adhuc stabilitatem huic regiæ tuæ attribuens, ita ais: Et in

Isa. 54. 11.

iustitia fundaberis, recede procul à calumnia: quia non timebis, & à pauore: quia non appropinquabit tibi. Et nunc, Domine, video me, ab ipsa pueritia lapidem huius fabricæ tuæ, partem huius domus tuæ, membrum religionis sanctæ tuæ, quod donum eximium, te sapientia docente, & illuminante cor meum, sine difficultate concepi, te bonitate molliente meam duritiam, admisi, te potentia meā imbecillitatem fulciente suscepi: sapientiæ tuæ fuit, quòd mundi fallacias irrisi, & status religiosi præstantiam agnoui: Bonitatis tuæ fuit, quod sæculi mala contempsi, & vitæ religiosæ bona quæsiui: Potentiæ tuæ fuit, quòd iugum disciplinæ portare valui, & onus subiectionis numquam abieci. Ob hoc ergo eximium beneficium, ac præstantissimum donum, immensas tibi, ô Deus meus, grates refero, & omnes cœlestes spiritus, atque vniuersos sanctorum cætus ad te laudandum, & prædicandum inuito, quia pusillum elegisti, vilissimum dilexisti, & infirmum, atque imbecillum sustentasti. Confirma iam, ô creator sancte meus, quod operatus es in me, qui cæpisti opus bonum, illud rogo, vt tua sapientia, bonitate, & potentia perficias. Da vt mundum, quem contempsi, verè contemnā, virtutem, ac puritatem, quam statu sequor, actione complectar; & te solum bonum meum implens sinus cordis mei, toto ardore, tota mente, & tota virtute diligam, quatenus in postremo die vitæ meæ, seruus fidelis inuentus, ex hoc paradiso terrestri, quem incolo, in cœlestem paradisum, & fœlicitatem semper duraturam, te donante, transferri merear.

ORATIO ET GRATIARVM actio pro beneficio religiosæ vocationis.

CREATOR omnium Deus, qui ex hominibus ad tuam imaginem, & similitudinem factis, quosdam, non minus mirabiliter, quàm misericorditer eligis, in quibus per religiosum statum, & per vitam eo dignam, imago tua purior & similitudo splendidior, appareat. Totis præcordiis laudo, & benedico te, qui me vilissimum vermem, vnum istorum esse fecisti, & ab ipsa pueritia vsque ad virilem ætatem tecum religiosa professione iunxisti, & firmam spem perseuerandi vsque ad mortem, non naturæ, sed efficaciæ tuæ gratiæ subnixam, benignissima pietate donasti. Rogo te, Pater, & verè Pater, vt huic præstantissimo beneficio semper gratus existam, dona tua innumerabilia in me per hunc statum collata, tua esse & non mea, sincerissima veritate cognoscam, in illis, & ex illis, non mihi omni spurcitia pleno, sed tibi infinita laude dignissimo, omnem gloriam, & laudationem quæram, & post tot religionis emensos annos vitam tandem religiosam spiritualem, & penitus à sæculo alienam agere incipiam. Amen.

DE

VITA SPIRITVALI, ET EIVS PARTIBVS

LIBER SECVNDVS.

Prœmium.

REGIVS ille vates Dauid, qui diuino spiritu afflatus, Psalmos in vsum Ecclesiæ sanctæ composuit, atque in summi Dei laudationem hymnos concinnauit, suam propriam paruitatem, ac vilitatem expendés, & innumeris beneficiis à Deo, sine vllo præueniente merito affectum se esse cognoscens, in has voces erupit. Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? [Contemplabatur se, è caulis ouium eductum, & in regiam dignitatem euectum: à furore Philistæi minacis exutum, & ore omnium fœminarum Israël summis laudibus celebratum. Videbat se Saulis regis indignationẽ euasisse; mortis pericula millies effugisse; victorias insignes ex hostibus reportasse; & quod maius est, tantorum scelerum adulterij scilicet, homicidij & scandali populi sibi subiecti, veniam misericorditer impetrasse. Quid ni obsequia gratitudinis cuperet, quibus tam liberali benefactori se debitorẽ esse monstraret? Sed statim succurrit illi, quid pro tantis muneribus retribueret, si non æquale (hoc enim est impossibile vt vilis homuncio creatori suo æquale rependat) saltẽ aliquid fragilitati humanæ accommodatum. Calicẽ (inquit) salutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo. Vota mea Domino reddam coram omni populo eius.] Tria Domino in gratiarum actionem offerenda decernit; calicis acceptionem; diuini nominis inuocationem: & votorum redditionem. Sapienter quidem: Nam Deus ab homine præter ista tria nihil amplius requirit. Calix, qui (vt inquit Ambrosius) passionem significat, mortificatio, & vniuersorum malorũ abiectio est: diuini nominis inuocatio, incensum orationis est: Votorum redditio, omnium virtutum exercitatio est. Quid autem aliud ab homine exigi potest, nisi, vt mala declinet, & bona sectetur, & Dei sui cóspectum, & familiaritatem exquirat? Certè nihil, cùm homini vitã sempiternam, & dies bonos, & fœlices exoptanti illud tantùm intimetur: Diuerte à malo, & fac bonum: inquire pacem, & persequere eam.] In fuga mali, linguæ cohibitio concluditur; & in sequela pacis, non aliud, quàm Dei familiaritas designatur; sine qua, nulla manet menti nostræ tranquillitas.

Psal. 115. 12.

Psal. 115. 13.

Amb. lib. 5 in Luc.

Psal. 33. 15.

Hoc, quod sanctus Propheta in corde meditatus est; hoc quod decreuit facere in sui Domini, ac creatoris obsequium, æquum est, vt omnes religiosi attentè meditemur, & gnauiter faciamus. Considere-

A mus dona, & beneficia nobis exhibita, & manifestè reperiemus, nec pauciora esse numero, nec valore minora iis, quæ rex iste sibi facta commemorat. Dauid à vita pastoritia, ad regium splendorem transiuit: religiosus vitam mundanam, & obscænam cum vita religiosa, & sancta cõmutauit. Ille Philistæi iram, & furorem effugit, iste sæculi blandientis dolos, & insidias euasit. Ille à periculo mortis corporalis est liberatus, iste ab interitu animæ potenter exemptus. Ille hostes plebis Israëliticæ vicit, hic proteruos inimicos, mundum, Diabolum, & carnem prostrauit. Dauid tandem suorum criminum veniam accepit; religiosus in ipso religionis ingressu tamquam in quodam spirituali baptismate, suorum facinorũ remissionem

B impetrauit. Quisnam est religiosum cætum ingressus, qui non illa septem beneficia recipiat, quæ Bernardus in se ipso experiebatur? Septem (inquit) video in me misericordias Domini, quas, & vos ipsi, credo, facilè inuenietis in vobis. Prima est, quòd à multis peccatis adhuc in sæculo positum custodiuit: prima, inquam, non inter omnes, quas mihi impendit, sed prima inter has septem. Quis enim non videat, quòd sicut in multis cecidi, sic & in alia poteram cecidisse peccata, nisi omnipotentis pietas conseruasset? Fateor, & fatebor; nisi quia Dominus adiuuit me, paulò minus cecidisset in omne peccatum anima mea. At secunda miseratio tua su-

C per me, Domine, quonam poterit explicari sermone, quã benigna, quàm liberalis, quámque gratuita fuerit? Ego peccabam, & tu dissimulabas. Non cõtinebam à sceleribus, & tu à verberibus abstinebas. Prolongabam ego multo tẽpore iniquitatem meã, & tu, Domine, pietatẽ tuam. Tertia miseratio fuit, quòd visitauit cor meum, & immutauit, vt amara fierent, quæ malè dulcia priùs erãt; qui lætabar cùm malè facerem, & exultabam in rebus pessimis, inciperem demum recogitare ei annos meos in amari-

D tudine animæ meæ. Miseratio quarta fuit, quòd pœnitentem misericorditer suscepisti, vt in eorum numero inueniret, de quibus Psalmista: Beati (inquit) quorum remissæ sunt iniquitates.] Sequitur misericordia quinta, per quam mihi continendi deinceps, & emendatiùs viuendi, præstitisti virtutem, ne recidiuum paterer, & esset nouissimus error peior priore. Iam verò postquam in his quinque miserationibus à malo liberaueris, vt fiat quod scriptum est: Declina à malo, & fac bonũ,] duabus aliis bona largiris. Hæ duæ sunt, gratia promerendi, qua videlicet

Bern. de Euang. septem panum. ser. 2.

Psal. 31. 8

Psal. 36 27.

munus

munus bonæ conuerſationis indulges, & ſpes obtinendi, quia donas domini indigno, & peccatori de tua toties experta bonitate, vſq; ad cœleſtia ſperãda præſumere.] Hæc, quibuſdã omiſſis, Bernardus. Qui demum religioſorum non ſentit in ſe omnia illa beneficia, quæ primo volumine, non tam explanata, quàm breuiter numerata ſunt, ſaltẽ ex parte inchoata, ſi non omninò completa? Hæc autem in principio commemorauimus, vt eorum recordatione ad gratitudinem, & ad vitam noſtro ſtatu dignam moneamur. Licèt enim Dominus in regem Dauidem acriter vindicauerit, eò quòd inani gloria ductus, populum ſibi ſubditum numeraſſet; tamen in Exodo hanc numerationem ad offerendum templo dimidium ſicli manifeſtè fieri conceſſit. Quando tuleris (ait) ſummam filiorum Iſraël, iuxta numerum dabunt ſinguli pretiũ pro animabus ſuis Domino, & non erit plaga in eis, cùm fuerint recenſiti Hoc autem dabit omnis, qui tranſit ad nomen, dimidium ſicli iuxta menſuram templi.] Quo per myſterium erudit nos, diuina beneficia non eſſe ad faſtũ & inanem gloriam recenſenda: ſed ad ſoluendum dimidium ſicli, quod decem obolis conſtat, id eſt, ad incitandũ nos, vt ſeruemus legem diuinam, iure optimo eſſe numeranda Sic enim ad memoriã reuocata non inflant, ſed deprimunt, non ad ſuperbiam, & obliuionem noſtri profectus, ſed ad modeſtiam, & diligentiorem proficiendi curam inuitant.

Religioſus ergo, qui ea, quæ à nobis de religioſo ſtatu conſcripta ſunt, attentè conſiderauit, dicat vidẽs ſe tantis donis onuſtum, tantis beneficiis decoratum, ingenti cordis affectu. Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi?] Et ſtatim eius memoriæ occurret, vitam ſpiritualem in gratiarum actionem eſſe Domino offerendam; quæ acceptione calicis ſalutaris, & diuini nominis inuocatione, & votorum redditione ſignatur. Quia vita hæc, ex illis tribus, quæ diximus, nimirum ex fuga mali, & aſſequutione boni, atque ex diuina familiaritate coaleſcit. Hæc itaque in tantorum beneficiorum aliqualem compenſationem, debemus Domino retribuere Primò acceptionẽ calicis ſalutaris, quæ peccatorum fletu, & omnium vitiorum mortificatione, perficitur. Nam cùm religionem ingreſſi ſumus, Domino interroganti; Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum?] aut potius, quem iam vſque ad fæces ebibi? audacter ingeſſimus iſtã reſpõſionem: Poſſumus.] Et cùm elapſo tyrocinio ad profeſſionis tempus peruenimus, carnem noſtram timentem, & onus vitæ religioſæ detrectantem, verbis noſtri Saluatoris increpauimus, dicentes: Calicem, quẽ dedit mihi pater, non vis, vt bibã illum?] Quod itaque tam intrepidè ſumus aggreſſi, æquum eſt, vt ad finem vſque ſeruemus, & in dies magis, ac magis augeamus. Deinde inuocandum eſt nobis diuinum nomen, & orationis iugiter inſiſtendum, non quidem vt tanta beneficia ſoluamus, ſed vt animi grati, atq; humilis indicium aliquid commõſtremus. Præclarè enim dixit Chryſoſtomus: Nec ſi totum vitæ tẽpus, oris obſequia occupent, laudes teneant, gratiarum actiones inſiſtant, poteris compẽſare, quod debes. Qua in reddanda nobis eſt opera, vt totis viribus deuotio mentis in diuina obſequia exerceatur, & laudum glorias os noſtrũ per omne tẽpus frequentare cogatur, non quo in iſtis debitum compenſetur, ſed vt noſtræ deuotionis volũtas, his conatibus dignoſcatur: vt quidquid fragilitas detrahit ad contemplandum, hoc deuotio conferat ad promerendum.] Tãdem vota reddenda ſunt, id eſt, virtutes in actum proferendæ. Ad hoc enim in cætũ religioſum à Domino fuimus admiſſi, & tantis beneficiis affecti, vt in virtutis actiones incumbamus. Ego (inquit) elegi vos, & poſui vos vt eatis, & fructum afferatis, & fructus veſter maneat.] Fructificate, & vos chariſſimi (ait Bernardus) quoniam in hoc poſiti eſtis, vt eatis, & fructum afferatis. Vnde eatis? Vtique à vobis ipſis, ſicut ſcriptum eſt: A voluptatibus tuis auertere.] Si ergo imus, cùm à nobis diſcedimus, & affectus, volũtatẽſque noſtras proterimus, & conculcamus; fructum afferimus, cùm bonorum operum manipulos Domino retribuimus. Hic eſt fruct⁹, qui à peccatoribus iuſtos diſcernit Illi enim (vt notauit Ambroſius) folia eligunt, id eſt, vanas excuſationes, quibus peccata ſua contegant, & delicta cooperiant: Iſti verò fructus accipiunt, illos nimirum, quorum Paulus meminit, dicens: Fructus autem ſpiritus, Charitas, gaudium, pax. Hos fructus afferamus coram omni populo eius, vt tam domeſtici, quàm externi videntes opera noſtra bona, glorificent patrem noſtrum, qui in cœlis eſt.] Meritò autem calici, & votorum redditioni, inuocatio diuini nominis interiecta eſt, qua opus orationis exprimitur, quia hæc eſt, quæ receſſuit à malo, & ſequelæ boni vires ſubminiſtrat, & ideò in medio ponitur, vt vtrumque extremum, ex illa robur conſtantiámque participet. Qui hæc tria Domino in ſacrificiũ laudis obtulerit, non ingratus, & beneficiorum oblitus reputabitur: & vitam ſpiritualem tenebit, cuius gratia ſæculum dereliquit, & in ſtatum religioſum peruenit. Quam vitam iam explicare aggredimur, vt qui diuina beneficia & agnouimus, & recepimus, fructum, quem ex eis à nobis exigit, & cognoſcamus, & opere tribuamus.

Chryſ. ho. 2. ex confuſis in Geneſ.

Ioan. 15.

Ber. ſer. de ſancto Benedicto. Eccle. 18. 30.

Amb. lib. de paradiſo. c. 15

Galat. 5 22.

PARS PRIMA

HVIVS LIBRI, DE SVBSTANTIA VITÆ ſpiritualis, & quindecim eius gradibus.

SPIRITVALIS *vita quadã habet omnibus iuſtis communia; quadam verò his, aut illis ſpecialia, iuxta diuerſum viuendi modum, quem ad Dei obſequium, & æternam ſalutem conſequendam aſſumunt. Illa ſunt, quòd omnes iuſti gratia eos viuificante, & multiplici virtute infuſa ditantur, quod quibuſdam operibus bonis, & ſpiritualis vitæ propriis intendunt, quod in aliquo gradu ſpiritualis profectus, aut*

in-

infimo, aut medio, aut supremo consistunt. Hæc verò quòd potius externas virtutis actiones, quàm internas ad contemplationem pertinentes sequantur, aut è contra potius istas, quàm illas amplectantur, aut ex æquo externis actionibus, & internis mentis exercitationibus occupentur. In hac prima huius libri parte communia, in sequentibus particularia explicabimus, vt lector quid proprium ac peculiare suæ vitæ sit, attentè consideret, & secundùm illud sanctarum exercitationum suarum rationem instituat.

Vitam spiritualem, prout in habitu consistit, esse gratiam facientem nos Deo gratos. A

CAPVT I.

ITA natura comparatum est, vt ex corporalibus ad spiritualia, & ex manifestis ad occultorum cognitionem transeamus. Vnde cùm naturalis vita clarior nobis, & euidentior sit: ipsa spiritualis vitæ lucem ac notitiam paret. Vita autem naturalis, si philosophos consulamus, nihil aliud est, quā natura rei potentis seipsam mouere, in actūve, ac perfectionem redigere. Id quod nullo negotio exemplis intelligitur. In plātis vita est illud, quo primò succum, siue alimentū attrahūt, retinent, in vniuersasq; partes distribuunt, quo seipsas alunt, augēt, & in debitā prouehunt magnitudinem. In brutis vita est, qua primò sentiunt, & huc illúcque discurrūt. hominibus vita est, qua primò ratione; & in angelis, qua primò intelligentia, liberóque vtuntur arbitrio. Itaque vita dicitur illud primum initium operationum vitalium, quo mediis facultatibus, ac viribus suis vitales actiones exercet, & quo res viuens seipsam in debitam perfectionem adducit. Quia verò vita hæc propter actiones vitales est viuentibus attributa, in hunc enim finem arbores, & plantæ vegetatricem vitam perceperunt, vt se alant, ac nutriāt, & animalia sentientem, vt sentiāt, & se loco moueant; hominésque intelligentē, vt intelligāt, & proprio arbitratu se gubernēt: Hinc ortum habuit, vt actiones istæ, non solùm vitales, sed etiā vita nūcupentur, & has duas vitæ significationes Hieronymus annotauit, illud Iob interpretans: Vitā, & misericordiā tribuisti mihi.] Ipsa anima (inquit) est vita hîc appellata, non vita animæ, quia possunt, & actus animæ vitæ nuncupari.] Hæc ille. Ideóque hic dicitur habere vitam studiosam, ille verò voluptuosam; quia alter studiosis actionibus, alter verò voluptatibus, ac deliciis insistit.

Hieron. in Iob. 10. 12.

Hæc doctrina ex philosophia petita, nos in vitæ spiritualis cognitionē inferat. Quemadmodū enim vita hominis, quam animam rationis participem nuncupamus (hęc nāque, vt nobis familiarior, huius quod quærimus, præstabit notitiā) est illa interior, spiritualisque substantia, qua homo se spiritualiter, & corporaliter mouet, ac perficit, quæ illi tribuit, vt homo sit, & est facultatum, quibus operatur, origo, & mediis illis, ipsarum operationū principium; ita vita spiritualis, est aliquid intra nos manens, quod & nos spirituales efficiat, & fons sit facultatū spiritualiū, nec nō & actionū spiritualiū exordiū. Hoc autem si diligentius quid sit inquiratur, inueniemus, nihil aliud esse, quàm illud augustissimum donum diuinitus attributū, quod gratiā nuncupamus. Hoc autem donum gratia vocatur, quoniam gratis, & liberaliter nobis datur. Quare gratia? (inquit Augustinus) & sibi ipsi respondet: Quia gratis datur. Quare

Aug. in psal. 30. illud, & in iustitia tua redime me.

gratis datur? Quia merita tua non præcesserunt, sed beneficia Dei te præuenerunt. Est autem gratia, affectio manens, seu habitus quidam supernaturalis mentibus iustorum infusus per Spiritum sanctum, qui datus est illis. Gratia est, quæ ipsam animæ naturam perficiens, eam facit veluti deiferam, participémque & consortem diuinæ naturæ. Gratia est, quæ diuidit inter filios Dei, & filios diaboli, quæ Deum placat, & homines suo creatori cōciliat Hæc est, cuius præsidio iustificamur, & Deo grati, accepti, ac amici reddimur. Hæc est, quæ operit multitudinem peccatorum,] non quidem ea, dum manent, tegendo: sed ea, vt non maneant destruendo. Hæc est semen æternæ vitæ, sine qua nulli in cœlestem patriam patet ingressus. Est decor, & pulchritudo, qua anima Deo apparet amabilis. Est lumen diuinitus inditum, & mentem reddens illustrem, & splendidam, de quo Paulus: Qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine.] Est vestis illa nuptialis hominem eximio honore dignum efficiens, vt in summi regis conuiuium admittatur. Est fons aquæ salientis in vitam æternam, vnde Paulus: Gratia Dei vita æterna.] Quia opera à gratia emanantia, illius vitæ, quam speramus, sunt merita. Est, quæ nos efficit membra Christi: Quare, & à Christo capite, & per Christi merita datur, & vt ei adhæreamus, benignè confertur. Est denique vita nostra spiritualis, quia nos ex peccatoribus cōuertit in sanctos: ex defunctis, viuentes facit: & in spiritualiter mortuis manere non potest.

1. Petr. 4. 8. — *Coloss. 1. 12.* — *Rom. 6. 23.*

Hanc esse animæ spiritualē vitā sanctus Ephrem magnificis verbis exaggerat Enitere (ait) vt diuinam gratiam iugiter in mente tua habeas, ne illudaris. Cole illam, vt custodem tuam, ne iniuria affecta relinquat te. Venerare illam, vt magistram tuam inuisibilē, vt ne illa absente verseris in tenebris: sine illa noli certamen inire, ne turpiter intereas. Sine comitatu illius, virtutis semitam ne ingrediaris, nam draco rugiens insidias tibi struet. Absque consilio illius ne tractes, quæ ad animam pertinent: multi enim sunt, qui specie recti, mentem deprauant. Illa tibi nauiganti, nisi affuerit, vani labores tui erunt. Hac nisi aduersus inimicos tuos inductus fueris, multis frustra susceptis laboribus, turpiter victus lugebis. Illam nisi sociam tibi habueris, dolos serpentis ignorabis. Cum promptitudine igitur animi morem ipsi gerito, & cuncta tibi perspicua reddet. Studiosè præcepta illius imbibe, & citò absque vlla sollicitudine eris. Illam tibi familiarem, atque domesticam facito, & consuetudinem eius honorificam experieris, nec te illudet. Sororem tibi assume illam (vt monet Scriptura) & semitam patris ostēdet tibi, filium altissimi efficiet te, si illam tibi sororem adiunxeris Instar matris vbera præbebit tibi, & velut infantem ab insidiatoribus custodiet te. Tamquam paruulum incautum gubernabit te, & in virum perfectum te formabit. Amori eius, atque indulgentiæ fidem adhibe, ea enim omnis creaturæ principium est. Nondum eius erga te amoris vim cernis, quoniam, &

Ephrem de diuina gratia.

lactantes pueruli, matris erga se ignorant sollicitudinem. Patiens esto, & illius te submitte consilio, atque ita eius fructus, vtilitatémq; percipies. Nesciũt, quomodo nutriantur, & infantes; at vbi paulatim crescendo adoleuerint, viriq́ue euaserint, naturæ vim in se admirantur. Sic & tu, si in diuina gratia perstiteris, ad perfectionem peruenies.] Hæc omnia deuotissimus iste Pater. Et tam insignia sanè elogia, quibus gratia naturæ comparatur, cum matre confertur, vnicum præsidium mentis, sapientissima cõsiliatrix & filiorum Dei effectrix dicitur, non possunt nisi in illud donum, quod ipsa spiritualis vita animæ sit, vsquequaque quadrare.

Et ergo gratia vita animæ, vt enim vita naturalis, generatione naturali; ita vita spiritualis, generatione spirituali conquiritur. Hæc autem generatio est sacramentum baptismatis, quod in paruulis peccatum originale de medio tollens, & in adultis peccata propriis actibus contracta detergens, & gratiam animæ infundens, eam ex mortua viuentem, ex inimica Dei amicam, & ex digna damnationis perpetuæ, hæredem reddit regni cœlestis. Ista ergo præstante baptismate gratiæ ministerio, non dubium quin ipsa gratia sit, veluti anima animæ, vita vitæ, quæ vitam naturalem effert in statum cœlestem, & spiritualem. Quod Ioannes Gerson nobilis auctor in Christi baptismate putat designatum. Venit enim ad Ioannem, vt baptizaretur ab eo, tanquam vitam gratiæ, non in seipso, sed in membris Ecclesiæ recepturus, qui ab ipso conceptionis initio infinitam, & non ad mensuram datam habuerat; & postea ascendit de aqua, meritorum nostrorum motum, & bonorum operum ascensionem significans. Ad hanc etiam vitam illud Pauli accommodat, quod Atheniensibus annunciauit. In ipso scilicet Deo, viuimus, mouemur, & sumus.] Viuimus gratia; mouemur meritis: sumus mansione, perseuerentia, stabilitate.

Gers. tract. de vita spirituali, lect. 1.

Act. 17. 22.

Viuimus gratia, quoniam sicut anima viuificat corpus, & ipsum rectum tenet, & aptum efficit præstandis actionibus vitalibus: ita gratia viuificat animam, ipsámque à morte peccati ad rectitudinem reuocat, & actionum, quibus præmium æternum promeremur, reddit participem. Formauit Dominus Deus hominem, secundum naturam, de limo terræ, & inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viuentem.] Formauit etiam eum supra naturam secundum spiritum filij sui, & spirauit in animam eius spiritum gratiæ, & factus est homo in spiritum viuificantem. In illum scilicet spiritum, & in illam gratiæ vitam, quæ, quoad se pertinet, nunquam corruptionem sentit, nunquam mortem expectat, nunquam suum domicilium, nimirum animam deserit, nisi ab ipsa anima, per peccatum decepta, imprudenter deseratur. Ex hac autem gratię vita, oritur, vt moueamur meritis, & actionum bonarum gressus nostri dirigantur in cœlum. Nam si corpus vitam habens, ordinatis motibus tendit in terminum, in quo quiescit, anima gratiam habens, sanctis operibus tendit in finem beatitudinis, in quo quietem veram, & nulli perturbationi obnoxiam participat. Hoc enim de his gratia viuentibus canit sanctus Dauid, dicens: Ibunt de virtute in virtutem, videbitur Deus Deorum in Sion.] His quidem virtutibus, quas gratia secum affert, ibimus in illã virtutem æternæ quietis, quam nullũ nouũ iter subsequatur, quæ nullo nouo motu interpelletur. Ab his virtutibus (inquit Augustinus) imus in illam virtutem. Et quæ est illa virtus, nisi solius contemplationis Dei? Necessaria ibi non est ista prudentia (quoad actiones intellige) vbi nulla mala occursura sunt, quæ vitemus. Non ista iustitia, vbi nulla erit cuiusquam indigentia, cui subuenire debeamus. Non ista temperantia, vbi nulla erit libido refrænanda. Non ista fortitudo, vbi nulla erunt mala toleranda. Ergo ab his virtutibus huius actionis, ibimus in virtutem illius contemplationis, qua contemplemur Deum, sicut scriptum est: Mane astabo tibi, & contemplabor.] Virtutum itaque merita sunt gressus nostri, quibus à mortalitate discedimus, & ad immortalitatem festinamus. Et denique stamus perseuerantia, & stabilitate. Qui enim in gratia perstat, & in bonorum operum exercitatione persistit, à Domino esse supernaturale, & diuinum accipit, quo à nihilo peccati emergens, cum viuentibus computetur, & inter eos, qui sunt, vita supernaturali subsistat. Itaque, qui se existimat stare, videat ne cadat.] Non cadet autem, si spiritum vitæ, qui in gratia consistit, bonorum operum perseuerãtia seruauerit. Quemadmodum enim duratio naturalis vitæ non est, nisi ipsa vita durans, & seipsam beneficio creatoris in esse, & in actione cõseruans, ita perseuerantia spiritualis vitæ, est ipsa gratia, qua viuimus, semper permanens, & in bonis actionibus perseuerans.

Gen. 2. 7.

Psal. 83. 8.

Aug. ad eundem Psal.

Psal. 5. 5.

1. Cor. 10. 12.

Hæc vita est, ratione cuius Spiritum sanctum animæ habitatorẽ possidemus, & Spiritus Christi possessores constituimur. Quod Paulus perspicuis verbis edocuit. Si quis autem Spiritum Christi nõ habet, hic non est eius,] hoc est, non habet vitam, & spiritum eius, licèt numero, ob fidem mortuam quam habet, ad cætum fidelium, & ad membra Christi mortua, pertineat. Quare optimè dixit Augustinus. Non potest viuere corpus Christi, nisi de Spiritu Christi.] Et post pauca: Qui vult viuere, habet vbi viuat, habet vnde viuat. Accedat, credat; & sufficit hoc? nequaquam, sed incorporetur, vt viuificetur. Non abhorreat à compage membrorũ, non sit putre membrum, quod resecari mereatur, non sit distortum, de quo erubescatur: sit pulchrum, sit aptum, sit sanum, hæreat corpori, viuat Deo de Deo.] Quia ergo Deus per hoc præstantissimum donum in mentibus iustorum commoratur, tamquam accola in domo, quam inhabitat; tamquam natura in naui, quam gubernat, & à syrtibus, & scopulis peccatorum liberat; tamquam olitor in horto, quem diligẽter expurgat, & floribus virtutum exornat: sicut Deus in templo sancto suo, in quo sincerissimè adoratur, & colitur: Ideò ipse à patribus vita spiritualis animæ nuncupatur: Vnde idem pater Augustinus sic ait: Dicam audacter, fratres, sed tamen verum: Duæ vitæ sunt, vna corporis, altera animæ: sicut vita corporis anima, sic vita animæ Deus: Quomodo si anima deserat, moritur corpus, sic anima moritur, si deserat Deus. Ipsa est enim gratia eius, vt resuscitet, & sit nobiscum.] Et ad idem Bernardus. Iam verò (inquit) vera animæ vita Deus est, & inter hæc quoque separat malum, sed malum animæ, quod nõ est aliud, quàm peccatum.] Nõ itaque Deus vita spiritualis animæ dicitur, quasi nulli creato dono per seipsum mentem viuificet, eique veluti forma substantialis adhæreat, hoc enim repugnat diuinæ naturæ: sed quia per gratiam cordibus iustorum infusam, eos morte peccati eripit, & in vitam spiritualem, quæ est participatio quædam vitæ diuinæ, non minùs mirabiliter quàm misericorditer transfert. Est vita animæ, non tamquam forma, sed tamquam effector: Est vita, quia auctor est vitæ. Sic etiam Christus vita nostra à Paulo vocatur. Cùm Christus (inquit) apparuerit vita vestra,

Rom. 8. 9.

Aug. tract. 26. in Io.

August. in Psal. 70.

Bern. in Psal. Qui habitat ser. 10.

Colos. 3.

vestra, tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria.] Vita nostra Christus est (ait Ambrosius) quia legimus in actis Apostolorum: Hunc esse vitæ auctorē. Sic ille. Est ergo gratia, vita spiritualis animæ, sine qua, licèt naturaliter viuat, se ipsa, (est enim secundùm suam naturam vita corporis, quæ numquam interit, licèt à corpore separetur) tamen Deo mortua est, ac cælestibus gaudiis defuncta, quia gratiam amittens Dei inimica, & iuris ad regnum cæleste expers constituitur.

Ambros. ibidem.

De discrimine vitæ naturalis, & spiritualis.

CAPVT II.

HÆc autem spiritualis vita, in multis est naturali vitæ similis, in aliis autem valde dissimilis. Est quidem similis, nam sicut vita naturalis dat corpori, vt sit, & viuat secundùm naturam, ita vita gratiæ dat animæ, vt sit, & viuat supra naturam. Illa corpus limitat, & ad propriam (vt aiunt) speciem cuiusdam viuentis restringit, hæc animam circumscribit, ne diuina mandata transiliat, & à debita fide sponsæ deflectat. Illa corpus venustat, & motum, ac vires subministrat, hæc affectus in res diuinas, & gressus tribuit, vt contendamus in cœlum, & intus spiritum nostrum exornat. Illa radix est facultatem, quibus operamur, vt intelligentiæ, qua cognoscimus, & voluntatis, qua volumus: Hæc origo virtutum, vt humilitatis, qua nos ipsos deiicimus, paupertatis, qua diuitias mundi contemnimus, charitatis, qua Deum proximúmque diligimus. Illa est principium operationum vitalium, uam ministerio facultatum suarum videt in oculo, audit in aure, & irascitur in corde: hæc est meritorum initium, quia virtutum ab ea manantium præsidio perfert iniurias, ministrat infirmis, & desideriis se infert cælestibus choris. Illa denique, deficiente debita sanitate, & humanorum tēperie, à membrorum necessaria integritate discedit: hæc, si absit fidelitas, qua Dei mandata obseruare debemus, etiā amittitur. Vnde Bernardus. Tepescimus processu temporis à feruore conuersationis nostræ, paulatim refrigescit charitas, abundat iniquitas, vt consummemur carne, qui spiritu cœperamus. Inde enim est, vt minùs ea sciamus, quæ à Deo donata sunt nobis, indeuoti pariter, & ingrati. Timorē Domini relinquimus. religiosam omittimus solitudinē, verbosi, curiosi facti, etiā detractores, & murmuratores, vacantes nugis, fugitantes labores disciplinæ, quoties sine nota id licet, quasi verò confestim fit etiam sine noxa. Quid ergo tantis repulsam obstaculis gratiam nobis deesse miramur?] Si ergo tanta sollicitudine seruamus vitam mortalem, post non multos annos finem habituram, quanta sollicitudine custodire deberemus gratiæ vitam, si volumus, per totam æternitatem duraturam? Si tam eximio amore complectimur vitam certè non admodum pretiosam, nisi quatenus vitæ spirituali subseruit, quanto maiori amore amplectenda esset ipsa spiritualis vita, cuius gratia naturalis diligitur? spiritualis, inquam, vita, quæ iure vniuersis rebus naturalibus imperat? Si opes, si delicias, si honorem ipsum contemnimus, ne vitam carnalem, & in multis rebus, nobis, bestiisque communem amittamus: (nam pellem pro pelle, & cuncta, quæ habet homo, dabit pro anima sua,]) quid non contemdendum esset, ne spiritualem vitam nobis, & cælestibus spiritibus propriam cum discrimine æternæ vitæ perdamus? Illam, si fortè ægritudine graui impugnetur, molestissimis remediis suffultis, & istā peccatis, ac tentationibus impetitam, oratione, & occasionum fuga, & sanctis exercitationibus sustentare grauaris? O cæcitas, ô absurditas, ô stultitia amarissimis lacrymis deploranda! Si ergo vtriusque vitæ par est periculum, si incurrendi mortem corporis, & animæ æquum instat discrimen, æqua saltem vtriusque seruandæ te cura sollicitet. Quamuis maximæ imprudentiæ sit, non maiorem curam seruandæ vitæ animæ dare, quàm vitæ corporis custodiendæ adhibere. Si enim vir prudens, & diligens, maiori diligentia custodiuit aurum, quā plumbum, aut rem aliam minùs pretiosam, maiori sollicitudine & cura diligenda & custodienda est vita animæ, quoniam omne aurum in comparatione illius, arena est exigua, & tamquam lutum æstimabitur argentum in conspectu illius:] Vita verò corporis lutum est, seu vapor ad modicum parens, & deinceps exterminabitur.] Hic itaque sit similitudinis fructus, quam inter vitam naturalem, & spiritualem aspeximus, vt pretiosiorem impensiùs amemus, & diligentiùs meliorem custodiamus.

Bern. de Annunt. Domini serm. 3.

Iob. 2. 5.

Sapien. 7. 9. Iacob. 4. 14.

In his, quæ diximus, vita naturalis & spiritualis sunt similes, in aliis autem est inter illas dissimilitudo non parua. Vita namque naturalis ex debito naturæ datur, vita gratiæ dono Dei ac beneficio conceditur. Illa inter limites naturæ se continet, hæc supernaturalis est, & ad ordinem diuinum spectat. Illa facit nos humanos, & terrestres, hæc reddit cælestes, & diuinos. Primus enim homo Adam, qui vitam naturæ nobis impertit, de terra terrenus est, secundus homo Christus, qui gratiæ vitam communicat, de cœlo cœlestis.] Vnde, sicut ab illo portamus imaginem terreni, ita & ab isto portamus imaginem cœlestis. Illa actibus propriis non crescit, nec, si sensuum operationes multiplices, aut perfectior in se, aut diuturnior euadit: hæc actionibus virtutum augetur, & maior ac perfectior efficitur. O quantum homines viderent, & audirent, si vitam corporis possent dilatare, videndo, & tamen non curant sanctis operibus inhærere, cùm tamen illis possint vitam animæ propagare. Illa licèt summa diligentia protrahatur, semper quotidianis, imò momentaneis diminutionibus exhauritur, & breuior, ac contractior efficitur, hæc cura diuinorum mandatorum propagatur, &, vt semper maneat, vsque ad perfectionem producitur. Iustorum enim semita, id est, vita quasi lux splendens, procedit, & crescit vsque ad perfectam diem.] In iustorum namque animis (ait Gregorius) bonum desiderium, atque intellectus lucis intimæ, iam pars diei est, sed vsque ad finem vitæ in virtute proficiunt, ad perfectum diem tunc veniunt, quando ad regna cœlestia perducti, in ea luce, quam desiderant, iam minùs aliquid non habebunt.] Illa mors quædam est: Nam quæ mors amarior illa vita, quæ semper deficit, continuò tabescit, & ad non esse tendit, & mille nos calamitatibus ferit, mille animas nostras periculis impetit? Denique (inquit Augustinus) quis numerare poterit præsentis vitæ molestias? Esurire, sitire, algere, calere, lassari, & innumerabilia ex ipsa consuetudine nobis domestica sunt; tamen initium dolorum hæc. Sed vt altiùs reuoluamus, quæ intra nos sunt, cupere, amare, odire, fornicari, adulterari, occidere, vel occidi, rapere, & furari, nónne inimicæ passiones nobis sunt? Tamen

1. Corint. 15. 47.

Prou. 4. 18.

Greg. ho. 5 in Ezechiel.

Aug. de vi sit. infirm. c. 6. serm. 9.

quis immunis, quis liber est ab his omnibus?]Vita ergo, quæ nos tantis miseriis subiicit, & non properando tantùm, sed volando, ad mortem tendit, dicatur mors. At hæc vita gratiæ, vera vita est, quæ si per nos non stat, semper crescit, semper durat, & initiũ est vitæ numquam perituræ, quæ nos ad bonas actiones vocat, ad virtutem allicit, ad diuinam familiaritatem instigat, ad quærendas veras diuitias, & sempiternos thesauros inuitat. Cuius causa vita naturalis amanda est, quòd si eam aut destruat, aut extenuet, fugienda. Ideo enim martyres, non quidem imprudenter, sed sapienter, vitam corporis profuderunt, & terribiles passiones sustinuerunt, ne gratiæ vitam dilapidarent. Ideò perfecti viri priùs parati sunt mori, quàm ex professo leue peccatum admittere, ne gratiam offendant, & aliqua macula inficiant. Ideò Susanna ab impiis illis senibus ad peccatum incitata, & non sine interminatione ingentis infamiæ, ita respondit. Angustiæ sunt mihi vndique, si enim hoc egero, mors mihi est, si autem non egero, non effugiam manus vestras. Sed melius est mihi incidere in manus vestras, quàm peccare in conspectu Domini,] vt mortem animæ effugeret, & vitam gratiæ conseruaret, nec corporis mortem, neque infamiam, ipsa morte terribiliorem exhorruit.

Hanc vitam vtique veram, & super omnes diuitias amabilem, illi morti vitali præferamus, & omnibus votis conseruare, & promouere cupiamus. Non solùm autem cupiamus, sed humiliter de rebus nostris sentientes, & nobis ipsis diffidentes, diuino auxilio fulti, ac sanctis operibus, conseruemus. Sola namque desideria vitam gratiæ custodire non possunt, nisi bona opera desideriis accedant. Optimè enim dixit Ephræm: noui permultos optare, se gratię filios esse, sed quid illis prodest velle, nisi accedant & facta? Multi etiam per fidem gratiæ filij sũt appellati; sed non multi, propter negligẽtiam, illa potientur. Non omnes postquam viri euaserint, suas matres reuerẽtur, itidémque; gratia, licèt multus enutrierit, à paucis tamẽ honoratur. Pariendi dolores, laboréſque educationis, non omnes intelligunt: ita & pauci sunt inter nos qui bene ad gratiæ sint munus affecti.] Diuinus itaque fauor ad hanc vitam & tenendam & augendam sic nobis adeſit, si gratiam vt matrem reuereamur, vt principium nostræ salutis in magno pretio habeamus, & si eam non segnem, & otiosam, sed bonis operibus insudantem habere curemus.

Vita tandem naturalis (vt postremum discrimen subiiciamus) an corpore insit, certissimè nobis constat. Quis enim viuens non experitur se viuere? Certè, qui de hoc dubitat, insanus est, nam ipsa sua dubitatio, quæ actio vitæ est, signum est euidens, quoniam ille qui dubitat, viuet, nam si non viueret, dubitare non posset. Et, si (vt dixit Philosophus) aperta negare, imprudentia est, de vita alicuius viuentis dubitare, quam tot signa, tot motus, tot actiones demonstrant, magna stultitia est. Vita autem gratiæ, an animæ insit, non est similiter nobis compertum. Licèt enim possimus, gratiam in nobis esse, nonnullis coniecturis aduertere, non tamen, aut scientiæ euidentia, aut fidei diuinæ certitudine agnoscere. Id quidem scientia non assequitur, quæ rem, aut per causam, aut per effectus venatur, causa autem vitæ gratiæ, diuina voluntas est, ad quam cognoscendam nulla ratio naturalis ascendit. Quis enim cognouit sensum Domini, aut quis consiliarius eius fuit?] Quasi diceret Paulus, neminem hanc voluntatem posse cognoscere, nisi Deus ipse illi sensa suæ mentis aperiat. Effectus verò gratiæ adeò occulti sunt, & absconditi, vt eos neque sensus percipiat, nec cogitatio apprehendat, nec ipse intellectus, an à gratia manet, quæ nos Deo gratos facit, certò cognoscat. Neque fides diuina ad credendum nos gratiam & amicitiam Dei habere, citra specialem reuelationem mouet. Quoniam licèt fides asserat, hominem, verbi gratia, verè, & vt necessarium est, detestantem peccatum, diuinam gratiam adipisci, tamen opinio, & moralis existimatio falsitati ac deceptioni subiecta profitetur, me, aut alium quempiam hanc peccati sufficientem detestationem promeruisse. Ex hac autem opinione, non elicitur certa nostræ gratiæ cognitio: sed probabilis, ac verisimilis quædam existimatio. Meritò ergo Tridentina synodus anathema dicit hæreticis, asserentibus nos (diuina, ac speciali reuelatione seclusa) certò, & ex fide, credere, gratiæ vitã & Dei amicitiam accepisse. *Conc. Triden. sess. 6. c. 9. & cano. 14 & 15.* Quam sanctorum patrum verissimam, certissimámque sententiam, certè Scriptura diuina non siluit. Salomon enim in Prouerbiis, ait. Quis potest dicere, Mundum est cor meum, purus sum à peccato? *Prou. 20. 9.* Ac si dixisset, nullus id potest dicere, & sine vlla hæsitatione affirmare. Quam sententiam euoluens venerabilis Beda, in hunc modum scribit. Non (ait) quis potest mundum habere, & purus esse à peccato? Sed quis potest dicere (inquit) mundum est cor meum, purus sum à peccato? Quia sunt, qui largiente diuina gratia possunt iuxta humanum modum, & cordis & operis munditiam habere. *Beda in hunc locum.* Vnde est illud Dominicum. Beati mundo corde.] *Mat. 5. 8.* Nec tamen se ipsum quisquam mundum credat corde, & immunem esse à peccato absque temeritate pronunciet.] Et idem Salomon alio loco, ait: Sunt iusti atque sapientes, & opera eorum in manu Dei, & *Eccles. 9. 1.* tamen nescit homo, vtrum amore, aut odio dignus sit, sed omnia in futurum seruantur incerta.] Munditiam, & mentis puritatem astruit, sed certam puritatis cognitionem negat: Quam quidem possumus quibusdam coniecturis venari, non tamen infallibili notione apprehendere, (Deo minimè reuelante) quoniam ex multis, quibus aliquid falsum subesse potest, putà ex eo quod bene sacramentum receperim, aut sufficienter me disposuerim, aut ex *Eccles. 5. 5.* aliis similibus, hæc gratiæ cognitio dependet. Rursus Ecclesiasticus: De propitiato peccato, noli esse sine metu,] quia videlicet, an sit propitiatum, tibique dimissum, ignoras. Et simplex, ac rectus Iob. Si *Iob. 9. 20.* iustificare me voluero, os meum condemnabit me: si innocentiam ostendero, prauum me comprobabit, etiamsi simplex fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea.] Quem locum ita interpretatur Gregorius. Sæpe dum nosmetipsos plus iusto discutimus, de *Greg. 8. mor. c. 13.* ipso discretionis studio indiscretiùs erramus, & mẽtis nostrę acies, quò plus cernere nititur, obscuratur. Quia & qui importunè solis radios aspicit, tenebrescit, & inde nihil videre compellitur, vnde videre ampliùs conatur. Quia igitur ab inquisitione nostra torpentes nos omnino nescimus, aut si subtili nos discussione requirimus, plerúmque inter vitia virtutésque caligamus, rectè nunc dicitur. Etiãsi simplex fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea] Ac si apertè diceretur, Conditoris contra me iudicia qua temeritate redarguo, qui ipsum me ex infirmitatis caligine ignoro?] Hæc ergo vita spiritualis animæ, nõ est nobis pariter ac vita naturalis comperta, cuius notionem tot impedimenta minùs certam faciunt, tot dubitationes obscurant. Et quisque iustus potest sibi precationem Dauidis assumere: Delicta quis in-

telligi

Psal. 18. 13. telligit? Ab occultis meis munda me, & ab alienis parce seruo tuo,]quoniam ipsa, quæ nescimus, nos sæpe maculant, nisi Deus, qui occultorum est conditor, quæ sibi displicent, occulta detergat.

De sex indiciis vitæ spiritualis.

CAPVT III.

Licet hoc ita sit, de gratia, ac vita spirituali animæ, nos omninò certos esse nõ posse ea nimirum certitudine, quæ aut euidens sit, vt scientia, vel vt fides diuinitus indita nullam falsitatem admittat: Non tamen sine testimoniis reliquit amicos suos Deus, quibus declararet erga illos diuitias misericordiæ suæ, ipsósque vitam spiritualem habere sufficienter ostenderet. Sicut enim mulier illa à Ioane in Apocalypsi conspecta, quæ sine dubio repræsentabat Ecclesiam, erat amicta sole, & luna sub pedibus eius, & in capite eius corona stellarum duodecim:]Ita gratia huius Ecclesiæ vita, & verè regina, origoque virtutum, non solùm est diuino quodam splendore circundata, & inconstantiæ humani cordis prælata, sed etiam duodecim coronata signis tãquam duodecim fulgentissimis gemmis, quorum lumine se homini ostentat, & an intus lateat in animo probabili quadam attestatione commõstrat. Liceat ergo nobis pro cõsolatione iustorum, & in gratiam huius præstantissimæ vitæ, qua viuimus, si fortè viuimus, & qua viuunt, quotquot iusti viuunt, tantisper immorari, & harum gemmarum ostẽdere pulchritudinem, siue horum signorum vim, & naturam exponere: ex quibus, an quis Deo viuat, an verò mortuus sit, possit capere coniecturam. Nec verò à proposito egredimur, dum ista indicia declaramus, quoniam, & gratiæ sunt, ac vitæ spiritualis effectus, & magnopere roborant nos, vt hoc præstantissimũ donum, quod nobis inesse ex huiusmodi indiciis cõiectamur, toto conatu atque diligentia seruemus. Meditabamur sanè, gratiam, quæ nos Deo gratos facit, Rationali summi sacerdotis fuisse signatam, neque hoc omnino dissidet à patrum sentẽtia. Si enim rationale (vt putat Gregorius) munditiam cogitationum significat, quid prohibet ipsam munditiam, ac totius animæ nostræ puritatem in illo intelligere, quæ minimè ab ipsa gratia & animæ vita secernitur. Optima quidem gratiæ, & vitæ spiritualis imago. Nam rationale, licet paruum, cæteris tamen (vt inquit Hieronymus) sacratius vestimentum, duplex erat, in mensuram palmi, ex auro & quatuor coloribus, hyacinto, & purpura, coccoque bis tincto, & bysso retorta cõtextum, atque à supernaturali depẽdẽs, pectus sacerdotis, sedem scilicet cordis, operiebat, & exornabat. Nomina doctrinæ, & veritatis (vt inquit Augustinus, & Hugo Victorinus) in ipsa textura habebat descripta, & duodecim pretiosissimis gẽmis, quatuor ordinibus dispositis ornabatur, quæ & duodecim Patriarcharum nomina præferebant, & eminus positis rationalis pulchritudinem ostendebant. Per quatuor annulos, quos habebat in angulis, superhumerali vitta hyacintina copulabatur, & ne diffluerct iungebatur.

Apoc. 12. 1. — *Gregor. in past. 2. p. c. 2.* — *Exod. 28. 15. Hieronym.* — *August. q. 9. in Exod. 9. Hugo annot. in Exod.*

O pulcherrima gratiæ imago, ô præclarissima vitæ spiritualis significatio! Gratia namque vestis sacerdotalis est, illorum nimirũ sacerdotum, ad quos loquebatur Petrus, dicẽs: Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis.]Quibus enim istæ laudes cõueniunt, nisi iustis, & amicis Dei? Hi electi sunt, quia ad æternam hæreditatem vocati, reges, & sacerdotes sũt, qui propriis affectibus imperant, & Deo se totos in odorem suauitatis offerunt. Sancti sunt quoniam mundi, & immaculati per gratiam, & populus acquisitionis, quia magno sanguinis Christi pretio redempti. Gratia quoque modica est, quod ad externam speciem attinet, sed magna virtute. Nam sicut granum sinapis, minimum quidem est omnibus seminibus, cùm autẽ creuerit, maius est omnibus oleribus: Ita hoc donum præstantissimum, paruulum est, id est, amore humilitatis exiguũ, sed cum crescit, & se in virtutes, ac bonas actiones dilatat, omnibus donis naturalibus inuenitur superius. Duplex etiam est, quia beneficio virtutum ab ipsa permanantium, internas animæ vires moderatur, & corporis sẽsus, actionesque disponit. In mensuram palmi distenditur, quòd (vt notat Beda) distentione manus, & digitorum conficitur, quia ad sui conuersationem, & augmentum, nõ animum oscitantem, & tepiditate contractum, sed conatum infatigabilem, ac diligẽtiam piæ intentionis requirit. Quare autem ex auro, & quatuor coloribus texitur? Nisi quia auri charitatis, ac quatuor virtutũ moralium infusarum, prudentiæ, iustitiæ, fortitudinis, & temperantiæ, est ipsa principium? Et quam ob causam à superhumerali pendet, quod bonorũ operum laborem designat, nisi quia bonis operibus cõseruatur, & sine vsu eorũ periculo casus exponitur? Sedem cordis, id est, vitæ naturalis domiciliũ tegit, quoniam hæc vita spiritualis, vitã ipsam naturalẽ, scilicet animam nostram informat. Vrim, & Thummim, hoc est, doctrina, & veritate depingitur, quia diuini luminis claritate, & omniũ virtutum perfectione decoratur. In hoc igitur mystico rationali, quod animam nostram exornat, & idoneam reddit, vt ante diuinum conspectum appareat, duodecim sunt gemmæ pretiosæ, id est, duodecim signa probabilia, quibus mens nostra, an grata sit Deo, & vitam spiritualem possideat, valeat vtcumque cognoscere.

1. Petr. 2. 9. — *Matt. 13. 31.* — *Beda in Exod. ca. 28.*

Primum signum est, contritio vera, & efficax detestatio præteritorum peccatorum, cùm scilicet, terra cordis nostri abũdantissimo imbre lachrymarum irrigatur, & amarissimis fletibus absorbetur. Sicut enim naturalis aqua sordes corporis lauat, ita aqua lachrymarum maculas mentis emundat, & iniquitatum nostrarum fœditatem abstergit. Et quemadmodum ignis inundatione aquarum extinguitur, ita & peccatum lachrymis cõtritionis interit. Vnde Chrysostomus. Rogum peccatorum extinguimus, nõ iam aquis multis, sed paruis enim lachrymis, multus enim peccati ignis, atq; modica extinguit eum lachryma, nã lachryma, fratres, rogum extinguit peccatorum.] Si itaque hoc odium peccatorum habes, hunc dolorem experiris, hoc imbre largissimo lachrymarum cor tuum irrigari animaduertis, non temerariè opinaris te à peccatis erutum, & gratiam, ac vitam animæ fuisse consequutum. Est namque contritio illud labrum æneum, de speculis mulierum fabrefactũ, & in introitu vitæ spiritualis collocatum, in quo est aqua doloris, ac lachrymarum, qua mũderis, & speculum, id est, indicium aliquod, in quo tuam munditiam aspicias.

Chrys. ho. 5. de pœnit. — *Exod. 39. 8.*

Secundum signum est, stabilis, ac firma voluntas non perpetrandi aliquod graue peccatum, etiamsi quis timeat, aut propriæ vitæ, aut omnium rerũ creatarum iacturam. Si enim (vt inquit Ioannes Apostolus) omnis, qui in Christo manet, non peccat,]non solũ ex eo quòd vitat omne peccatũ exterius, verũ etiã quia nõ admittit, quatenus in Deo manet, peccãdi volũtatẽ, qui huius particeps est firmissimę volũtatis

1. Ioan. 3. 6.

magnam habet suæ mãsionis in Deo, atque adeò vitæ spiritualis coniecturam. Hæc sanè voluntas, non est hostis, sed serui fidelis. Nam hostis, iniuriam & mortem exoptat eorum, quos sibi infestos, & inimicos existimat: seruus autem fidelis illi obsequi cupit, quem dominum, atque herum agnoscit. Vnde si tu, hoc desiderium es adeptus famulandi Domino, & numquam transgrediendi diuina mandata, inter fideles Domini seruos computandus videris.

Tertium signum est, multo tempore crimen non cõmisisse, neq; graue peccatum perpetrasse. Nam (vt inquit Gregorius) peccatum, quod citò pœnitentia non tergitur, iusto Dei iudicio ad aliud trahit.] Qui ergo multis annis, quantùm sibi conscius est, ad peccatum graue non trahitur, ad credendũ, quòd non sit peccatis lethalibus mortuꝰ, sed Deo viuat, probabili existimatione ducitur. Sicut enim corpus mortuũ, & anima destitutum, non potest non fœtere, & indicia absentiæ animæ, ac priuationis vitæ mõstrare: ita nõ potest anima Deo mortua, nõ signa suę spiritualis mortis ostendere, & multo tẽpore fœtorem noui alicuius peccati non emittere. Vnde iubẽte Domino tollere lapidem quo corpus Lazari defuncti tegebatur, respõdit Martha soror defũcti: Domine, iã fętet, quatriduanus est enim.] Hac responsione prudenter innuens, quod verum est, non posse videlicet animã Deo mortuam per absentiam gratiæ, quam Lazarus mortuus designabat, pulchritudinem iustorũ, & viuentiũ habere, & tetrum, ac grauẽ odorem noui criminis non exhalare. Hunc grauẽ odorem in se nõ sentiẽs, quidni piè credat se iam vocem Domini potentissimã audiuisse; Lazare, veni foras?] Qua nouã vitam à Christo profectò donatã, acquisiuit, & fauces spiritualis mortis, qua vinctus tenebatur, effugit?

Quartũ signũ est Diuinæ legis obseruatio, & omnium diuinorũ mandatorũ impletio. De iusto quippe dictum est: sed in lege Domini voluntas eius.] Et qui habet mãdata mea, & seruat ea, ille est qui diligit me.] Et rursus: si quis diligit me, sermonẽ meũ seruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eũ veniemus, & mansionem apud eum faciemus.] Ex hoc sanctus Rex Ezechias Deo se gratum esse coniectabatur. Obsecro (ait Domine, memento quæso, quomodo ambulauerim coram te in veritate, & in corde perfecto, & quod placitum est corã te fecerim.] Quã orationem, nõ de superbia Pharisaica, sed ex animo grato, ac demisso processisse, Domini responsio manifestat. Audiui orationem tuam, & vidi lachrymam tuam, & ecce sanaui te, die tertio ascendes in tẽplum Domini.] Ex eadem quoque coniectura Bernardus vult, vt nos gratiã ipse adeptos agnoscamus. Et tu ergo (inquit) si iam resurgis desiderio supernorum: si grabatum tollis, corpus scilicet à terrenis eleuans voluptatibus, vt iam non feratur anima cõcupiscentiis eius, sed magis ipsa (vt dignũ est. regat illud, & ferat, quò non vult, si demum ambulas, quæ retro sunt obliuiscens, & ad ea quæ ante sunt, te extendis desiderio, & proposito proficiendi, curatũ te esse non dubites. Neque enim surgere poteras, si nõ aliquatenus onus esset alleuiatum, & nec grabatum tollere, nisi exoneratus magis, quia neque ambulare feruore deuotionis, ac conuersationis cum peccatorum graui mole possibile est.] Sic ille, & quidem sapienter. Omnes namq; causas per suos effectus, aut manifestè cognoscimus si ab illis constet procedere, aut si non ita perspicuè constet, saltem probabili ratione coniectamur. Sic ignem ex fumo, hominem ex loquela, & solem ex splendore cognoscimus, & ex visu cognoscitur vir, & ab occursu faciei cognoscitur sensatus.] Hæc autem à Bernardo numerata, licèt possint ab alio, quàm à gratia gratos faciente procedere, nimirum ab aliquo auxilio speciali Dei, sæpe solent ab ipsa gratia, & Dei amicitia emanare. Bene igitur ex illis, si non euidenter, at vero similiter gratiam nobis iam inesse existimamus.

Quintum signum est, Lux quædam cælestis mentes iustorum illustrans, qua sæculi vanissimam vanitatem agnoscant, cœlestia mysteria contemplentur, & quid in singulis negotiis agendum sit, quidque omittendum, facilè animaduertant. Hoc regius propheta insinuauit, dicens. Accedite ad Deum, & illuminamini,] id est, illuminabimini. Accedimus ad Deum (vt notat Augustinus) duobus pedibus, nimirum, charitate Dei, & dilectione proximi, & statim, quia ad verum solem iustitiæ appropinquauimus, illuminamur claritate Dei, illa quidem claritate, quæ intellectum suauiter docens, affectum ad despectionem sæculi, ad amorem Dei, & ad studium bonorum operum, potenter exsuscitat. Confirmat hoc Laurentius Iustinianus, cuius hæc est oratio. Est namque gratia gratum faciens, quædam matutina stella præfulgida, quæ electorum quemque præcedens corde ducit ad Christum. Absque hac proculdubio humanus prostituitur animus, & sui numquã iuris est compos, numquam amator sapientiæ, neque fidelis in Domino. Per hanc verò rationalis mẽs efficitur sapiens, de cælestibus eruditur, & fide imbuitur, quæ ad Christum in veritate pergentibus prorsus necessaria fore noscuntur.] Optimè gratia comparatur lumini, non quia sine vllo medio intellectum illuminet, quæ non intellectum, sed ipsam animæ substantiam afficit, sed ideò lumini comparata est, quia secum affert lucem quandam diuinam, dona scilicet Spiritus sancti, sapientiam, intellectũ, consilium & scientiam: quibus mens iusti mirabiliter illustratur, & de rebus agendis efficaciter eruditur. Qui autem hanc lucem mirabilem sibi adesse suspicantur, & ex nonnullis effectis à Deo sibi datam esse coniiciunt neque imprudenter, neque præsumptuosè, gratiam, huius lucis fontem iam in cor suum deriuatam esse putant.

Sextum signum est, charitas, qua feruentissimè Deum amamus, ei per omnia placere cupimus, & proximos, præsertim inimicos, & nobis infestos diligimus. Discutiant ergo se fidelium mentes (inquit Leo Papa) & intimos sui cordis affectus, vera examinatione diiudicent, vt si depositum aliquid in cõscientiis suis de fructibus charitatis inuenerint, Deum sibi inesse non dubitent, & vt magis, magisque tanti hospitis sint capaces, fiant perseuerãter in misericordiæ operibus ampliores.] Dubitationis autem exclusio, quam Leo à fidelibus postulat, cùm in se fructus charitatis inueniunt, & Bernardus supra postulauit, cùm alacriter onus diuinæ legis portant, non infallibilem petit assensum, sed humanã quamdam opinionem, & probabili persuasioni subnixam. Et Origenes ait: tunc nos testimonium habere, quòd sumus filij Dei, cùm à spiritu seruitutis in adoptionis spiritum venerimus, cùm iam nihil inest timoris, id est, nihil propter pœnam gerimus, sed propter amorem patris cuncta perficimus. Ecce sex gemmas pretiosissimas, hoc est, sex indicia gratiæ nobilissima, quæ à mystico rationali dependent, & ipsum incredibili decore cohonestant. Sed ad alia, quæ supersunt, transeamus.

Ps. 33. 6.

August.

Lau. Iust. ser. de Epiphania.

Leo ser. 2. in festo Paschæ.

Orig. lib. 7. in epist. ad Rom. ad c. 8.

De sex alijs vitæ spiritualis coniecturis.

CAPVT IIII.

CVm vita spiritualis gratiæ, sit quædam similitudo Dei, quã homo percipiat, ostẽsione quoque suæ naturæ, Deo similis inuenitur. Sicut enim Deus in hac vita, neque penitus nobis innotescit, (vt ait sanctus Ioãnes Damascenus) neq; penitus à nobis ignoratur, sed per speculũ, & ænigma cognoscitur:] ita vitã gratiæ iusti, neq; omninò cognoscũt, neque verò penitus nesciunt, sed verissimilibus rationibus sibi inesse coniectant. Quarum aliquas explicauimus: & ad alias modò ostendẽdas pergamus. *Damascenus.*

Septimum ergo gratiæ indicium est, lætitia, atq; gaudium, non quidem illud inane, quod de rebus caducis cõcipitur, cuius extrema luctus occupat, sed verũ, ac de celestibus rebus adeptũ, quod nõ dolore, vel luctu, sed indeterminabili lætitia terminatur. Hoc gaudio, ita iusti animus adimpletur, vt manifestè videat gratiæ & virtutis itinera tristitia non esse, sed omnẽ mundi exultationem superare. De hac enim gratia, quæ vera sapientia est, illud dictum existimo: Longitudo dierum in dextera eius, & in sinistra illius diuitiæ, & gloria. Viæ eius viæ pulchræ, & omnes semitæ illius pacificæ.] Ista omnia annorum diuturnitas, opes incomparabiles, honores eximij, quid nisi gaudium efficiunt? Et viæ eius pulchræ, vel (vt est in Hebræo) iucundæ, ac pacis refertæ, quid nisi ipsam lætitiam, & exultationem præsignabunt? E contrario verò via peccantium complanata lapidibus, id est (vt quidam exponunt) plena doloribus, durisque peccatorum operibus, & in fine illorum inferi, & tenebræ, & pœnę. Sed clariùs Isaias hoc ipsum affirmat: Gaudium scilicet esse gratiæ fructum, ac vitæ spiritualis effectum. Cùm enim Domini volũtatem aperuisset, cuius impletione spiritualis vita comparatur, ita subiungit. Tunc nimirum, cùm hãc voluntatẽ fueris exequutus, delectaberis super Domino, & sustollã te super altitudines terræ, & cibabo te hæreditate Iacob patris tui.] Et quidẽ hoc ipsa ratio manifestat: si enim gaudium efficit præsentia rei amatæ, gaudeant iusti, & spiritualiter viuentes necesse est, qui Deum summè dilectũ gratiæ beneficio præsentem habent, suarúmque mentium habitatorem suscipiunt. Itaque hoc gaudium sentientes, eoque in Domino exultantes bene possunt existimare, se vitam gratiæ spiritualem comparasse. *Prou. 3. 16. Eccle. 21. 11. Isaiæ 58. 14.*

Octauum indicium est, Pax, illa scilicet pax exuperans omnem sensum, quæ tumultus & anxietates conscientiæ sedat, fomitis rebellionem comprimit, insultus dæmonis mitigat, carnis proteruiã spiritui subiugat, & admirabilem quamdam trãquillitatem ingerens, omnia vitiorum bella, clamorésque repellit. Cùm enim Dominus in mentibus iustorum residens, iudicat gentes, & arguit populos multos, in quibus (vt inquit Cassianus) vniuersitas vitiorum figurata est, tunc iusti in signum internæ pacis, quam possident, conflabunt gladios suos in vomeres, & lanceas suas in falces: quia non leuabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur vltra ad præliũ.] Quod quidem, & spiritualiter intelligi potest (inquit Hieronymus) quando omnis duritia cordis nostri, Christi vomere frangitur, & eradicantur spinæ vitiorum, vt sementis sermonis Dei crescat in fruges, & postea labores manuũ nostrarum manducemus, quando venientes venient in exultatione, portantes manipulos suos.] Cùm ergo anima vincendis tentationibus, & subiiciendis conscientiæ stimulis non multùm intendit, quia iam omnes ferè sopiti sunt, *Philip. 4. 7. Cassian. col. 1. c. 16. Isaiæ 2. 4. Hier. lib. 1. in Isai. c. 2.*

A sed in acquisitione virtutũ, & sincerissima Domini dilectione occupatur, signum est sponsum adesse, animam amore complecti, antéaque eam in suam amicitiam recepisse: in pace quippe factus est locus eius.] Et orietur in diebus eius, in quibus scilicet regnat per gratiam in anima, non solùm iustitia, sed abundantia pacis,] qua ipsa iustitia, sicut causa ex effectu pandatur. *Ps. 75. 3. Ps. 71. 7.*

Nonum indicium est, Contemptus sæculi, despicientia terrenorum, fuga honorum, diuitiarum, ac voluptatum, cœlestis patriæ, & perfectionis desiderium, & feruor, ac animi quies in exercitatione virtutum. Nam cor humanum sine amore, & delectatione esse nõ potest, quare cælestia amare, & in Domino delectari conuincitur, qui mundum cum omnibus rebus mundanis detestatur. Sicut & è contra, qui immoderatè sæcularium amore tenetur, diuini amoris manet ieiunus. Præclarè enim dixit Gregorius: Esse quidem sine delectatione, anima numquã potest; nam, aut infimis delectatur, aut summis. Et quantò altiori studio exercetur ad summa, tantò maiori fastidio torpescit ad infima, quantóque acriori cura inardescit ad infima, tanto tepore damnabili frigescit à summis. Vtraque enim simul, & æqualiter amari non possunt.] Qui ergo hæc terrena nõ amat, amator videtur esse rerum cælestium, siquidẽ amore vacuus non valet persistere. Si de mundo fuissetis (inquit Dominus) id est, similes iniquis, & peruersis hominibus, mundus, quod suum erat diligeret, quia verò de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, hoc est, ab iniquis vita & conuersatione seiunxi, propterea odit vos mundus.] Vertamus igitur Christi Domini argumentum, & vitæ spiritualis indiciũ eliciamus. Si mundus ad iustos, & Dei amicos pertineret, illi profectò, quod suum erat, diligerent; quia verò ad eos mundana non pertinent, & à peccatis, & peccatorũ fomitibus separati sunt, ideò fomites peccatorum nõ amãt, & ex defectu huius amoris mũdani, rectè possunt existimare se pollere amore diuino. *Greg. 18. mor. c. 8. Ioan. 15. 19.*

Decimum indiciũ est. Aut non timere mortem, sed eã æquo & alacri animo expectare, aut eã valdè cupere, sicut rem desiderabilẽ, atq; pretiosam. Amicus enim est iudicis, qui iudicis occursũ nõ timet, & seruus fidelis est regis, qui regis conspectum non veretur, & res creatas non amat, qui eas in perpetuũ deserere non exhorret. Quis dicat nisi amicus Christi: Cupio dissolui, & esse cum Christo?] Quis nisi verus amator Dei confidenter proferat: Coarctor autem à duobus, desiderium habẽs dissolui & esse cum Christo, multò magis melius, permanere autem in carne, necessarium propter vos?] Qui nisi socij fideles erũt, similes seruis expectantibus dominum suum, quãdo reuertatur à nuptiis, vt cùm venerit, & pulsauerit cõfestim, & sine timore aliquo aperiãt ei?] Videmus in sæculo (inquit Ambrosius) innocentes lætos ad iudicium festinare, odisse moras, celeritatẽ affectare iudicij: Beatus itaque ille, qui cæleste iudiciũ lætus expectat, scit enim sibi regnum cœlorum, Angelorum consortium, coronam quoque bonorum repositam esse meritorum.] *Philip. 1. 23. Luca 12. 36. Amb. in Psal. 118 ser. ... Memor fui iudiciorum tuorum, &c.*

Vndecimum indicium est, Conscientiæ propriæ testimonium, non increpantis nos, neq; aduersus aliquod graue peccatum oblatrantis. Nam conscientię motum impressit nobis Deus, vt praua reprehendat, iniqua corrigat, distorta dirigat, bona approbet, & ad meliora sẽper instiget. Hãc sola iustitia, & morũ rectitudo placare potest. Quam ob causam dixit Richardus Victorinus. Quietam conscientiam facit præteritorum malorum condigna satisfactio, & instantium malorum cauta prouidáque declinatio. *Richar. lib. de cõscien. form. c. 1.*

Quietus itaque in domo manet, quem conscientia sua, nec de præterita, nec de præsenti culpa remordet. Si ergo hæc tam importuna accusatrix, & delicata nostrarum actionum inspectrix, nullius nos criminis arguit, nullum graue peccatum reprehendit, cōiectura est, huiusmodi peccatum in nobis non inueniri. Quare meritò Paulus de isto testimonio gloriatur, dicens: Gloria nostra hæc est testimonium conscientiæ nostræ.] In hoc suam gloriam, & exultationem collocabat, nō quòd ab hominibus laudabatur, quorū attestatio sæpissimè fallit, sed quòd à cōscientia sua, coram Deo non increpabatur, cuius testimonium communiter nō errat. Et Ioannes: Charissimi, si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deū, & quicquid petierimus, accipiemus ab eo, quoniam mandata eius custodiuimus, & ea quæ sunt placita coram eo facimus.] Concipimus fiduciam, quòd Deo placemus, si cor, id est, conscientia non reprehendat nos, non sanè vanam & temerariam, sed verisimilē, & probabili persuasione fulcitam. Et tandem Gregorius. Etsi omnes vituperent, liber est tamen, quem conscientia non accusat. Quia si omnes laudent, liber esse non potest, si hunc conscientia accusat.] Modeste tamen huic conscientiæ testimonio fidendum est nobis, illud Pauli cogitantibus. Nihil mihi conscius sum, sed nō in hoc iustificatus sum.] Illud quoque Augustini. Debet quisque cū tremore exultare, quia donum Dei est, vnde exultat, non meritū suum. Etenim sunt multi sibi placentes, & iustos se esse arbitrantes, & procedit aduersus illos alia pagina, dicēs: Quis gloriabitur castum se habere cor? Aut quis gloriabitur mundum se esse à peccato?] Sic ille.

2. Cor. 1. 12. — *1. Ioan. 3. 21.* — *Greg. in reg. lib. 9. epist. 39.* — *1. Cor. 4. 4.*

Duodecimum tandem indicium est. Testimonium Spiritus sancti, qui interdum latenter mentibus iustorum verba quædam instillat dicentia, ipsos fuisse iam Dei gratiam, & amicitiam cōsequutos. Nos autem (inquit Paulus) non spiritū huius mundi accepimus, sed Spiritum, qui ex Deo est, vt sciamus quę à Deo donata sunt nobis.] Itaque Spiritus ipse Dei est, qui interiùs aliquando testificatur in nobis nos esse filios Dei. Quod his verbis Augustinus confirmat. Nos autem, charissimi, vt amici Domini esse possimus, quid noster Dominus faciat, sciamus: Non solum enim homines, verùm etiam iustos ipse facit nos, & non ipsi nos. Et hoc, vt sciamus, quis nisi ipse facit? Non enim spiritum huius mundi accepimus, sed Spiritum, qui ex Deo est, vt sciamus, quæ à Deo donata sūt nobis. Ab ipso quicquid boni est donatur. Ergo quia & hoc bonum est, ab ipso vtique donatur, vt sciatur à quo bonum omne donetur, vt omninò de omnibus bonis, qui gloriatur, in Domino glorietur.] Sed multò clariùs ipse Paulus alio loco hoc ipsum edocuit. Ipse (inquit) Spiritus testimoniū reddit spiritui nostro, quòd sumus filij Dei.] Certè si loquentē, & attestātē Spiritu sanctum esse, iustis manifestè cōstaret, clarissimè, & absque vlla hæsitatione scirēt, se Dei gratia, ac vita spirituali pollere. Nam si vel homo, vel Angelus, vel Archangelus (inquit Chrysostomus) vel alia huiusmodi potestas hoc polliceretur, par cōueniensq; esset nonnullos hæsitare, cùm autē summa essentia, & ea quidem, quæ hoc largita sit donū, vel ab his, vnde preces fundere iussit, nobis testimonium afferat, quis tādem de dignitate ambiget? Neq; enim rege suffragio suo aliquem eligente, aut honorem alicui apud omnes præconio suo decernente sustinebit subditorum quisquam cōtradicere.] Sed quia hoc diuini Spiritus testimonium cordibus particularium iustorū aliquādo tributum, certa fide non constat, sed probabili ratione cognoscitur, pariter coniectura est, eos tam eximij doni iam esse participes.

1. Cor. 2. 12. — *August. tr. 83. in Ioā.* — *Rom. 8. 16.* — *Chrysost. homil. 14. ad Rom.*

Hæ sunt duodecim nobilissimæ gemmæ, quæ à vita spirituali gratiæ dependent, & eam animæ nostræ probabiliter inesse demonstrant, multò pretiosiores iis, quæ rationale sacerdotis exornabant, & illis non omninò dissimiles. De rationali quippe, ita scriptum est: Ponésque in eo quatuor ordines lapidum: in primo versu, erit lapis sardius, & topazius, & smaragdus: In secundo, carbunculus, sapphirus, & iaspis: In tertio, ligurius, achates, & amethystus: In quarto, chrysolithus, onychinus, & beryllus. Sardius (vt inquit Arethas) immanes bestias exterret, & cōtritio monstra peccatorum fugat. Topazius tantæ est perspicuitatis vt aliarum gemmarum sibi obiectarum recipiat claritatem, & propositum non peccandi, omnium, quæ iussa sunt, perfectionem debet amplecti. Smaragdus aciem oculorum roborat, & perseuerantia in bono oculos mētis ad contemplationem diuinorum confortat. Carbunculi splendor est tantus, vt nec tenebrosa nocte vincatur, & custodiæ legis diuinæ tanta lux est, vt nullis obmurmurationibus superetur. Sapphirus cælestis coloris est, aureisque punctis collucens, & lux supernaturalis è cœlo demittitur, & illius beneficio aurea desideria charitatis excitantur. Iaspis magnam habet firmitatem, charitas verò tantæ est fortitudinis, vt nec timore præsentium aut futurorum malorum à Domino separetur. Ligurius ignei coloris, iactatus in ignē, ac si extinctus esset, colorem amittit, & aqua perfusus excandescit, sic verum gaudium in prosperitate est temperatum, in tribulatione supra omne damnum erigitur. Vnde Paulus: Repletus sum consolatione, superabūdo gaudio in omni tribulatione nostra.] Achates vitat pericula, ac vitæ discrimina, & lætitiam, atque exultationem immittit, at pax turbationis est expers, & oritur ex vera lætitia. Amethystus vini rubri colorem habet, & contemptus sæculi ita iustos inebriat, vt neque honores ament, nec ignominias timeant, & omnia humana contemnat. Chrysolithus timores noctis, & tristitiam pellit, ita audacia diuinitus attributa ad sustinendam mortem, timorem mortis eneruat. Onychinus, instar vnguis est candidus, & conscientiæ testimonium esse non potest sine candore virtutum. Beryllus, vt dicitur, manum gestantis exurit, & Spiritus sancti testimonium corda iustorum exurens, ardorem charitatis accendit.

Exod. 28. 17. — *Areth. in Apoc. c. 4.* — *2. Cor. 7. 4.*

Fœlix anima, quæ habet aliquam istarum gēmarum, sed quæ possidet omnes, multò fœlicior. Ea enim anima, quæ intima quadam peccatorum cōtritione perfunditur, & amarissimis fletibus irrigatur, quæ firmissimam habet numquam peccandi voluntatem, & quæ à die conuersionis suæ per multos annos grauia deuitans crimina, diuina mandata fideliter implet, his etiam consiliorum obseruationem adiiciens, cælesti lumine sæpius illustratur, & ardentissima charitate, summo gaudio, ac pace perfruitur, nec his diuinis obsequiis contenta, mundum adhuc, & omnia terrena contemnit, suique corporis dissolutionem suspirat, & cōscientiæ testimonium, ac Dei Spiritum (vt sibi quidem non temerarie videtur) interiùs loquentem audit, & gratiam se infudisse attestantem: Talis, inquam, anima, maxima indicia habet gratiæ, ac amicitiæ Dei. Hoc de se putans non erit insipiens si omnibus se subiiciat, si in mandatorum obseruatione persistat, si prælatis obediat, & in rebus credendis, aut agendis pro Ecclesiæ sanctæ definitionibus, suum proprium sensum in omnibus, iudiciúmque deponat

Eccles. 5. 5. Eccl. 9. 8. ponat. Ex ea ergo parte, qua ista signa omninò certa non sunt, illud obseruare debemus De propitiato peccato noli esse sine metu.] Ex illa verò, qua verisimilia sunt, illud Salomonis audientes: Omni tempore sint vestimenta tua candida] fœlicem gratiæ statum bonorum actuum præsidio seruare curemus, ne si hoc talentum habuerimus otiosum, iustè auferatur à nobis, & nostræ faciamus redemptionis iacturam.

Quid sit vita spiritualis, prout in actione consistit.

CAPUT V.

Sicut naturalis vita actionum vitalium causa homini data est, vt scilicet sentiat, & se moueat, & intelligat, aliasque vitæ operationes exerceat, & infœlix esset ille, qui nec manducare posset, nec bibere, nec sensibus vti, nec manibus laborare, nec pedibus progredi, neque aliam vitæ actionem perficere; breuique tempore vitam sibi tributam amitteret: quippe quæ sine huiusmodi operationibus non potest conseruari: Ita vita spiritualis gratiæ, non vt otiosa maneat, sed propter virtutum opera, ac sanctitatis merita, hominibus à Deo prærogata est, quæ, qui incuria, & socordia victus, omitteret, illo, qui dū viueret, opera vitæ præstare nō potuit, multò esset infœlicior, quia nō defectu naturæ, sed propriis manibus (vt aiunt) sibi mortem conscisceret, & vitam animæ, sine vlla comparatione corporis vita pretiosiorem, consumeret, ac lapidaret. Ideò Dominus, simul atque primum humani generis parentem, in gratia, ac iustitia originali creauit: tulit illum, & posuit in paradisum voluptatis, vt operaretur & custodiret illū & curā ei seruandæ alicuius legis imposuit, dicēs: Gen. 2. 15. Ex omni ligno paradisi comede; de ligno autē scientiæ boni & mali, ne comedas:] & ne legem trāsgrederetur, minas intentauit, adiiciens: In quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris.] Vt scilicet intelligeret, se gratiam, & iustitiam recepisse vt Deo creatori obediret, & virtutum meritis vitā spiritualem custodiret, & gratiā cumularet. Ad hoc sane in loco voluptatis fuit collocatus. quod tùm labor, tum illius loci custodia (secundum Ambrosiū, Amb. lib. de parad. c. 4. non obscurè significant. In opere enim (inquit) quidam virtutis processus est, in custodia quædam consummatio operis deprehenditur, eo quòd quasi consummata custodiat. Hæc duo ab homine requiruntur, & vt operibus noua quærat, & parta custodiat. Ad hoc quoq; præceptum accepit, vt obedientia, & Eccl. 15. 14. subiectione seruaret dona, quæ à suo creatore susceperat. Vnde in Ecclesiastico legimus: Deus ab initio constituit hominem, & reliquit eum in manu consilij sui Adiecit mādata, & præcepta sua,] & dixit illi, quod sequitur: Si volueris mādata seruare, conseruabunt te; si tamen in mandatorum custodia perseueraueris, & in perpetuum volueris fidem placitam facere. Vt ergo spiritualis vitæ statū conseruemus, & augeamus, operæpretium est in bonis operibus 1. Cor. 15. 10. laborare, & cū Paulo verè dicere: Gratia Dei in me vacua non fuit.] Qui enim eam vacuam habuerit, & minimè in adeptione meritorum impenderit, non longè abest ab spirituali interitu, & donorum cælestium perditione. Hoc autem negotium, hæc occupatio, quia studiosis vacamus operibus, & gratiam augemus, & ad perfectionem properamus, vita spi-

A tualis vocatur, non iam in habitu tantùm, sed in actione consistens. Cuius natura nunc explicanda est, vt qualem vitam nos in religione positos facere oporteat, & quales occupationes debeamus admittere, in ipso tractationis initio discamus.

Vita ergo spiritualis, si eam breui descriptione volumus explicare, nihil aliud est quàm bonorum operum exercitatio, qua Deo propter Deū famulamur, in virtute ac sanctitate proficimus, & illā beatam vitam promeremur, cuius gratia conditi sumus. Non est hæc vita vnum aut alterum virtutis opus, sed series quædam bonorum operum, continuatio perpetua meritorum, & iugis, ac diligens exercitatio virtutū. Neque enim spiritualem dices esse munda-
B nū, quia semel in die aliquas preculas fudit, aut aliquādo ieiunij legē impleuit, aut indigenti interdum eleemosynam erogauit, si reliqua opera sua mūdana sunt, atque carnalia, totámque vitam in mundanis occupationibus, curisque cōsumit. Sed illum vocas spiritualem virum, & meritò quidē, qui relictis actibus sæcularibus, vitam operibus bonis, ac virtutum adeptioni consecrauit. Quod Laurētius Iustinianus, Laur. Iust. libr. de spiritu. consult. c. 13. vt mihi quidem videtur, his verbis confirmat Innumeris quippe via hæc est decorata vernantibus, atq; coruscantibus virtutum gemmis, nec nō variis strata est redolentibus mandatorum floribus, adeò, vt qui per illā graditur, errorem pati nequeat, nec fœtorem. Præceptorum namque Dei obediētia introrsus refectus, quadam spirituali suauitate nutritur, sponsæ illud memorabile dicens: Trahe me post te, Cant. 1. 4
C in odorem curremus vnguentorum tuorum,] id est, præceptorum tuorum. Cæterùm de virtute transiēs in virtutem, tamquam de claritate prouectus in claritatem, spirituali Domini meretur ditari præsentia. Caueat prouidus omninò viator, ne ad dexterā partem declinet, vel læuā: sed præuia semper luce à virtutum disciplina, & mandatorum integritate non deuiet. Ista plane sunt spiritualis vitę præclara itinera cælitus viatoribus demōstrata, quatenus quā pergant sufficienter edocti, falsitatis minimè labātur in tenebras.] Quemadmodum igitur nō est miles, qui semel ensem, aut gladium exemit, neque aduocatus, qui reum aliquando in iudicio defendit, neque mercator, qui vitę sustentandæ gratia, aut cibum, aut ve-
D stem mercatus est: sed miles est, qui militiæ disciplinam arripuit: & aduocatus, qui ex officio munus patrocinandi suscepit; & mercator, qui negotiationi ac mercimoniis insistit; atque in hunc finem omnes suas operas dirigit, ac labores; vt scilicet, victoriam assequatur, in iudicium vocatos defendat, aut emēdo, & vendendo, diuitias, opésque conquirat. Ita nō est vitæ spiritualis sectator, qui aliqua bona opera, & spiritualia perficit, sed qui proposito sibi Deo tamquam vltimo suæ vitæ fine, vniuersas actiones suas, aut spirituales, & sanctas, & alicuius virtutis filias esse cupit, aut in spiritus profectum & in sanctitatem reducit.

An Saul Propheta, aut laudator Domini vocatur, 1. Reg. 10. 11. quia semel prophetauit, vel laudauit Deum, & casu inter Prophetas inuentus est? Nequaquā. Non enim
E (vt inquit Lucherius) si quis dixerit aliquid, quod Lucher. in 1. regum. 10. ad sapientiam pertinet, continuò sapiens existimandus est; sic nec quisquam si aliquando prophetauit, iam inter Prophetas numerabitur. cùm & Dominus in Euangelio dicat, quosdam cum gaudio verbum excipere, sed esse téporales. Ita profectò nō eris spiritualis vir, quia ex instituto aliqua opera spiritualia exerces, si non ad perfectionem omnem vitam dirigas, & ad normam spiritus omnes actiones tuas, studiáque componas. Num putas te virum esse spi-

ritualem, quia statutis horis in choro oscitãter psal-
lis, aut per aliquam horulam quotidie diuina myste-
ria tepida mente consideras? Cùm tamen leuia pec-
cata non timeas; tuos immoderatos affectus non or-
dines; virtutes, & animi puritatem non quæras; &
aut in vanis studiis, aut in sæcularibus negotiis; aut
in superuacuis colloquiis, tempus & vitam impen-
das? Toto cœlo erras, si hoc putas imò videris in-
ter sanctos & viros perfectos, quorum professio-
nem sectaris, tamquam agrestis Saul inter cuneos
Prophetarum. Dicemúsque de te non iam admiran-
tes, sed irridentes quod de illo asinario dictum est.
Quænam res accidit filio Cis? Num & Saul inter
Prophetas?] Vt itaque sis vir spiritualis, sæcularia
deseras necesse est, & tui contemptum, virtutisque
opera actionésque secteris. Alioquin tantùm abest
vt vitam agas spiritualem, quòd potius viuens cor
Rom.8. 13. pore, spiritu mortuus es, dicente Apostolo: Si se-
cundum carnem vixeritis, moriemini.]Habitu mun-
2.Pet. 2. 22. dus appares, id est, vir studiosus atque perfectus; in-
tus autem es canis reuersus ad vomitum, & tam-
quam sus lota in volutabro luti.] Quod non tantũ
in eos quadrat, qui statum religionis deserunt, sed in
illos quoque, qui statum retinentes, religiosos mo-
Bern. res non retinent. Vnde Bernardus, postquam dixit,
eos, qui non spiritu opera carnis mortificant, esse
plangendos, fundit: Non eos tantùm alloquor, qui
corpore, sed etiam eos, qui corde redeunt in Ægy-
ptum, sæculi huius oblectamenta sectãtes, ac proin-
de fidei vitam, quæ est charitas, non habẽtes. Si quis
enim diligit mundum, non est charitas patris in eo.
Quis magis mortuus eo, qui fouet ignem in sinu,
an qui peccatum in conscientia, nec sentit, nec ex-
pauescit, nec excutit? Et Ephrem eos iure optimo ri-
det, qui non iuxta normã suæ vocationis viuũt, eós-
que non vitã spiritualem agentes, sed mũdanos pla
Ephrẽ de non scandalizando proximo. nè, & carnales appellat. Quis (inquit) non irrideat,
aspiciens eum, qui heri in mõte seipsum ad ministe-
rium fratrum in vnum habitantium præcinxerat, ad
imitationem Domini nostri Iesu Christi, hodie fa-
mulorũ comitatu stipatum, & ab ancillis eius lauari
pedes, eosdémque in molli lecto reponi, & ad fluxũ,
atque remissum, affectionibúsque plenum vitæ ge-
nus, iterum propensum illum intueri? Aut quis eum
ludibrio nõ habeat, qui heri in cella conclusus erat,
& multorum conuersationem vitabat: hodie autem
cum inhonestis mulierculis viuentem, & in tabernis
ebrietati studentem? Aut quis eum nõ reprehendat,
qui die hesterno, sua sponte, quæcumque tempora-
lia, siue mundana abiecit, inopiam amplectens; ho-
dierno autem assidentẽ in iudiciis? Et quæ iam dam-
narat, studiosiùs rursus ad se reuocantem, & suam
mentem à cœlestibus ad terrestria traducentem, iu-
dicésque mancipiorum instar sequi gestientem? Et
loco deprecationis, atque meditationis eloquiorum
Dei, cum causidicis sermocinantem: Et pro simplici-
tate, atque innocentia, versutiam morum, atque ser-
monum assumentem?] Ex iis manifesta ratione col-
ligimus, vitam spiritualem, non in admissione status
perfectissimi; non in obligatione virtutis; non in te-
pida, ac remissa quorundam bonorum operum im-
pletione esse collocatam; sed in assidua, ac feruida
exercitatione bonorum operum, & non intermissa
mundanarum actionum serie, esse constitutam.

Est ergo vita spiritualis, quæ defectus quoque
modicos detestatur; & non tantùm in maximis, ve-
rùm etiam in minimis, Dei voluntatem complecti-
tur: Quæ mundum, & omnia sæcularia fugit, & in
vitam cœlestem, ac opera cœlestia contendit: quæ
dæmoni, vniuersisque eius suasionibus bellum indi-
A cit, & Dei imperatis, ac diuinis inspirationibus pa-
ret. Vita spiritualis est, quæ omnibus curis, & cupi-
ditatibus sæculi vacua, peccata deflet, passiones co-
hibet, amorem creaturarum pellit, tentationes vin-
cit, angelos imitatur, humilitatem amat, mansuetu-
dinem cupit, puritatem induit, secretum petit, non
in plateis, sed in cella, & abditis proprij cordis cõ-
moratur, non cum hominibus, sed cum Sanctorum
voluminibus loquitur, non rumores audit, sed Dei
afflatus auscultat, non noxia cogitat, sed Dei benefi-
cia, & perfectiones contemplatur, non vitam terre-
strem in cælo religionis, sed vitam cælestem agit in
terra. Denique illa est, quæ cum omnibus vitiis gerit
inimicitias, & vniuersas sibi virtutes adiungit. Si
B hæc non tantùm desideriis, sed operibus præstas,
iam vir spiritualis es, iam ad spiritualem vitam as-
cendisti, sin minùs, sæcularis es moribus, quemcum-
que profitearis statum, & vitam habes carnalem, at-
que mundanam.

Vita denique spiritualis est, qua vniuersis pecca-
tis, ac vitiis morimur, & omnibus virtutibus viui
mus, & ad sancta & perfecta opera facienda resur-
gimus Sicut enim mors est quædam separatio ani-
mæ & corporis; ita quoque mors dicitur, cùm sepa-
ramus à corde vitia, quæ in illo viuebant, & illud
amouebant; regebant, & secundum carnem anima-
bant. Separata autem à corde, tamquam à corpore,
hac vita carnali, statim abscedunt vitia, atq; pecca-
C ta, id est, vitæ carnalis actiones, ideò, vt mundo mor *Gal. 6. 14.*
tuus dicat: Mihi mundus crucifixus est, & ego mun-
do,] & incipit Deo viuere, & virtutis opera, id est,
actiones vitæ spiritualis sectari. Audiamus hoc, ne
forte, aut decipiamur aut decipiamus, ex ore Prospe
ri Regiensis Episcopi, qui optimè mundo mortuũ,
id est, virum spiritualem, & insistentem vitæ spiri
tuali depingit Quid est (inquit) peccato mori, ni- *Prosp. de vita contempl.*
si damnandis operibus omninò non viuere? Nihil
concupiscere carnaliter, nihil ambire? Vt sicut, qui
mortuus est carne, nulli iam detrahit, nullum auer
satur, aut despicit, nullius pudicitiam callida cir
cumuentione corrumpit, nemini violentus existit
neminem calumniatur, aut opprimit, non inuidet
D bonis, aut insultat afflictis, non luxuriæ carnis in
seruit, non vinolentiæ deditus, in se bibendi sitim,
bibendo magis, ac magis accendit, non odiorum fa-
cibus inardescit, non compendia iniusta sectatur,
non potentibus, aut diuitibus adulatur, non inquieta
curiositate raptatur, non domestica sollicitudinis
cura distenditur, non officiosis occurrentium saluta-
tionibus delectatur, nec superborum iniuriis fatiga-
tur, non eum superbia inflat, non ambitio ventosa
præcipitat, non vana gloria turpiter iactat, non desi-
derium gloriosæ opinionis inflammat, non distentio
alieni actus illaqueat, nõ ad societatem turpium tur-
pitudinis amor inuitat, nõ rabies insani furoris exa-
gitat, nõ sumptuosarum deliciarum studium mactat
non ardor animosæ contentionis exanimat, non fa-
E cit impudentem audacia, iniquum iniustitia, ferum
inclementia, varium inconstantia, pertinacem con-
tumacia, insanum vesania, deliciosum gula, rebellẽ
inobedientia, vanum iactãtia, infidelem perfidia, le-
uem facilitas, sæuum crudelitas, mãducatorem tur-
pis edacitas, impatientem mobilitas, mobilem insta-
bilitas, vagum spiritualis infirmitas, iracundum ani-
mositas, suspiciosum peruersitas, verbosum vanitas,
iniuriosum malignitas; qui remotus est prorsus à sæ-
cularibus illecebris, remotus ab inimicitiis, remotus
ab insidiis alienis, remotus à rapinis, vel occultio-
ribus, vel apertis, remotus à mẽdaciis, siue perjuriis:
postremò remotus ab omni genere flagitiorum, at-

que facinorum, quibus carnaliter viuentes Deum offendunt, & mortui peccato non seruiunt. Sicut, inquam, carne mortuus, nec facere potest ista, quæ dixi, nec pati; ita & his, & talibus vitiis omninò non viuunt, qui viuentes Deo, carnem suam cum vitiis & concupiscentiis crucifigunt.] His omnibus vitiis moriuntur, & contrariis virtutibus viuunt, qui vitam spiritualem arripiunt. Non ergo vita hæc in aliquo bono opere remissè facto, & mundanis operibus texto, sed in omnium vitiorum fuga, & in quadam bonorum operum continuatione & virtutum aggregatione consistit.

Quæ opera ad vitam spiritualem pertineant.

CAPVT VI.

TRIA sunt genera humanarum actionum. Alterum, bonas; alterum, malas: tertiū, medias actiones complectitur. Bonæ sunt, quæ ex natura sub aliqua virtute nascūtur, vt contemptus sæculi, despectio sui, castigatio corporis, mortificatio passionum & propriæ voluntatis, humilitas, mansuetudo, obedientia, & reliqua huiusmodi: Malæ sunt, quæ ab aliquo vitio procedunt, & diuinis mandatis contradicūt, vt ira, vt inuidia, vt superbia, & aliæ similes pestes, quæ mortē spiritualem efficiūt; aut quæ sunt præter diuina mandata, vt ea peccata, quæ venialia vocamus, quæ, vt ægritudines animæ, ad mortem spiritualem disponunt. Mediæ sunt, quæ pro hominis vtentis volūtate, benè & malè fieri possūt, vt vsus cibi, & potus, & somni, & aliorū similiū, sine quibus vita mortalis nō ducitur. Quod his verbis cōfirmat Cassianus. Nihil igitur in rebus dūtaxat humanis principale bonum esse credendum est, nisi virtus animi sola, quæ fide sincera nos ad diuina perducēs, illi immutabili bono facit iugiter inhęrere. Et è contrario, nihil malum esse dicendum est, nisi peccatum solum, quod à bono Deo nos separans, malo facit Diabolo copulari. Media sunt, quæ in vtramque partem pro affectu, & arbitrio vtentis deriuari possunt, vt putà, diuitiæ, potestas, honos, robur corporis, sanitas, pulchritudo, vita ipsa, vel mors, paupertas, infirmitas carnis, iniuriæ, & cætera his similia, quæ pro vtentis qualitate, & affectu, vel ad bonam possunt partem proficere, vel ad malam.] Quod autem hæc velut in medio sint constituta, vt possint in bonum & malum inclinari, manifestum esse ex huius patris ratione colligitur. Nam vsus diuitiarum bonus est, si pauperibus erogentur, secundum illud: Facite vobis amicos de mammona iniquitatis;] malus, si ad auaritiam, vel ad luxuriam congerantur. Honos, bonus fuit Danieli, qui eo vtebatur ad bonum regis, & regni Persarum: malus, Aman, qui eo iuuari voluit ad excidium Iudæorum. Sanitas, & corporis robur bonum erat illi, qui dicebat; Fortitudinem meam ad te custodiam;] malum verò ei, qui ad ministerium suæ nequitiæ detorquet. Est bona mors: Nam pretiosa in conspectu Domini mors sanctorū eius.] & est mala mors: Nam mors peccatorum pessima.] Est bona natiuitas, vt Ioannis Baptistæ, quæ gaudij materiam multis attulit, dicente Euāgelista: Multi in natiuitate eius gaudebunt,] & est mala natiuitas, vt illa Iudę. Bonum enim erat ei, si natus non fuisset homo ille.] Et tādem omnia illa, quæ vtentis arbitrio bona pos-

Cassia. col. 6. c. 3.

Luc. 16. 9.

Daniel. 5. 16.

Esther. 3. 1.

Psal. 58. 10.

Psal. 115. 15.

Psal. 33. 22.

Luc. 1. 14.

Matt. 26. 24.

sunt effici, & mala, in mediis, aut indifferentibus (vt vocant) numerantur.

Actiones ergo malæ, faciat Deus, vt longè sint à nobis, hæc enim nō vitæ spiritualis opera, sed actiones sunt vitæ carnalis. Quòd si iusti leuiter peccant, & in minima peccata labuntur (cùm non sit homo, qui non peccet, & septies in die cadit iustus) id non faciunt quà iusti sunt, sed quà homines infirmi, & imbecilles, ex corrupta Adæ radice prodeuntes, & sic non tantùm humilitatis gratia, sed verè, & ex animo vocare se possunt peccatores. Hæc opera ad vitam spiritualem non pertinent, sed è latere illi insidiantur, vt eius feruorem minuant, robur labefactent, & (quod in illis est) ad interitum excidiúmque disponant. Sedit populus manducare, & viuere, (quod non magnum, & exitiosum apparet malū) & surrexerunt ludere,] hoc est idolis immolare. Et sicut ex morbo infirmus venit ad mortem, ex morte ad vermes, & fœtorem, ita isti ex immoderato conuiuio, quod est instar morbi, ad mortē animæ processerunt, & spiritualem vitam dilapidarunt. Quæ ergo vitam istam eneruant, & ad mortem præparant, ad eam pertinere non possunt. Hac enim ratione Dominus astruit nullum sibi ac dæmoni esse commercium, quia eius insidias detegebat, & conatus disturbabat. Omne (inquit) regnum in seipsum diuisum desolabitur, & domus supra domum cadet. Si autem Sathanas in seipsum diuisus est, quomodo stabit regnum eius? Quia dicitis in Beelzebub eiicere me dęmonia.] Optima, & efficax ratio, quæ etiam in proposito locum habet. Nam si opera mala, licèt leuia, ad vitam spiritualem spectarent, non eam extenuarent, neque ad interitum, & corruptionem paulatim deducerent, quia verò eius nō sunt effectus, seu fructus, ideò vitæ spirituali repugnant, ac bonis moribus contradicunt.

Primò ergo ad vitam spiritualem pertinēt omnes actiones bonæ, id est, quæ ex natura sua, opera sunt alicuius virtutis. Quare Hieronymus eas solas inter officia viri perfecti recenset, dicens: Verā vitam esse Deum nosse, timere eius potentiam, amare pietatem, mundum in opifice mirari, interpellatorē contemnere, esse victu modico pro naturæ necessitate contentum, veste vili, vel pudoris ratione, vel pro temporis iniuria communitum. Sic reliquā creaturam, non ex sui copia, vel pro vitali ratione, sed pro adiumento huius lucis attingere. Quidquid enim amplius est, à malo est. Omnem hominem amare quasi fratrem, nullum lædere, seruire omnibus, formam serui sustinere cū Domino, qui nobis præter ministerium, quod interius continetur, quotidie seruit in mundo, producēdo solem, emittendo lucem, pluuias infundendo, tempora variando, fruges, vel gignendo, vel maturādo.] Et paulò inferiùs, ad opera hominis iusti interiora sermonem transferēs, inquit: Cæterùm illa interioris hominis vita in diuinarum rerum cognitione consistit: non qua cælum terræ parte voluatur, neque in aliis similibus, quæ enumerat. Nam hæc ad animæ non tendunt vtilitatem, & apud Deum stulta iudicantur; sed in illis sanis cogitationibus si quando versatur, tūc viuit & pascitur. Quæ sunt autem istæ sanæ cogitationes? Illæ sine dubio cùm mēs nostra sui recordatur auctoris, cùm illum velut per quamdam resipiscentiam sui, opificem suum veneratur, ac contuetur.] Hæc igitur primò & præcipuè vitæ spiritualis sunt opera.

Secundò verò opera media, vt comedere, bibere, dormire, & moderata recreatione vti, si tamen hæc ex statu mediorum, proposito fine virtutis, ad statum bonorum operum efferantur, & in Deum, tamquā

Prou. 24. 16.

Exod. 32. 6.

Luc. 11. 17.

Hier. epistola 7. de viro perfecto, tom. 9.

in scopum

in scopum referantur. Cùm enim actiones humanæ (vt doctor Angelicus subtiliter disputauit) speciem D. Tho. 1. 2. q. 1. ar. 3. sortiantur ex fine, quia iste est veluti actus & forma, est quasi anima naturam tribuens humanis actionibus, consequens est, vt opera ista in diuinum finem, ac supernaturalem directa, non iam ad naturalem vitam: sed ad spiritualem pertineant. An non vniuersa opera meritoria ad vitam spiritualem spectāt, eiúsque sunt actus, atque functiones? sed actiones istæ mediæ huius altissimi finis causa susceptæ, iam bonæ sunt, & vitales, iam mercedem, non terrenam, sed cælestem recipiunt: Sunt ergo spiritualis vitæ partus, & fructus. Hæc est natura mediorum, vt aliquid extremorum participent, & fines sint respectu priorum, media verò, aut posteriorum exordia. Vt inter colores fuscus neque albus est, neque niger, B continet tamen aliquid albi, & aliquid nigri: Et inter rerum cognitiones, Theologia, ita scientiis naturalibus ac beatæ visioni Sanctorum interiacet vt illarū sit finis, istius autem constituatur initium. Vita autē spiritualis media quidem est inter duas vitas, ac vitæ naturali, vitæque cælesti interiicitur. Quare in illis Psal. 121. 2. atriis præfigurata est, de quibus sanctus Dauid ait: Stantes erant pedes nostri in atriis tuis Hierusalem.] Sicut enim ista Hierosolyma non est illa terrestris, Aug. in eundem locum. quæ non semel ab hostibus est capta, & in cinerem versa, sed illa, quæ ex viuis, & electis lapidibus ædificatur in cœlis. Vnde (inquit Augustinus) quid enim Matt. 23. 37. magnum stare in ista Hierusalem, quando ipsa Hierusalem stare non potuit: quę in ruinā conuersa est? C Nonne illa est Hierusalē, cui dixit Dominus: Hierusalem, Hierusalem, quę interficis Prophetas, & lapidas missos ad te? Quid magnū ergo iste cōcupiscebat stare inter illos, qui interficiebant Prophetas, & lapidabant missos ad se? Absit, vt de ista Hierusalem sic cogitet, qui sic amat, qui sic ardet, qui sic vult perue- Galat. 4. 26. nire ad illam Hierusalem matrem nostrā, de qua dicit Apostolus: Æternā in cœlis.] Itaque sicut ista Hierosolyma significat patriam cœlestem, ita atria eius nō terrestria sunt, sed vitæ spiritualis opera, in quibus, Psal. 133. 1. dum stamus, citra dubium iam patriæ cælestis atria tenemus. Nec semel in Scripturis nomine atrij hæc spiritualis vita signatur. Hæc enim sunt apud eundem Prophetam, atria domus Dei nostri] in quibus introimus, vt adoremus eum in spiritu, & veritate. D Psal. 83. 11. Hæc sunt atria, quæ nos à vita carnali fugientes excipiunt, vt dies lætos, & iucundos traducamus. Quia melior est, Domine dies vna in atriis tuis super mil- 3. Reg. 6. 36. Hugo lib. 3. de claustro animæ, c. 25. lia.] Et fortè hoc est atrium interius templi, quod ædificauit Salomon Rex pacificus tribus ordinibus lapidum politorum, & vno ordine lignorum cedri. Quod (vt inquit Hugo) vitam designat illorum qui non tantùm hostias offerunt, sed etiam immolant, & occidunt. Affligunt enim carnem suam in laboribus, & ieiuniis, & incendunt igne tribulationis.] Hoc autem atrium tribus ordinibus lapidum politorum construitur, quia spiritualis vita ex incipientibus, proficientibus, & perfectis coalescit: & vno ordine lignorū cedri, quia in his omnibus, vna perseuerantia in bono requiritur.

Signatur ergo vita spiritualis in atrio, quoniam E sicut illud medium est inter plateam aut viam publicam & interiorem domum, atque aliquid vtriusque participat: ita spiritualis vita, media est inter vitam naturalem atque cœlestem, & aliquas mutuatur ex vtraque functiones. Māducat, & dormit, & quiescit, vt illa; laudat Deum, amat, & famulatur, vt ista. Vel vt verius dicam omnia hæc præstat, neq; vt illa, neque vt ista: Nam modum deserit, licet substantiam operis teneat. Quia non cibum sumit, nec somnum A admittit, nec aliis necessitatibus corporalibus vacat, sicut vita carnalis, vt curam faciat carnis in desideriis, sed vt carnem seruans, instrumentum mentis conseruet, sine quo, neque orare, neque psallere, neque virtutis opera exercere potest. In his occupatur actionibus, vt deiiciat, videns tantam altitudinem, 1. Cor. 10. 31. ad tantam miseriam illigatam, vt Deo obediat, & in actionibus spiritualibus adiuuetur. Sicque illud exequitur Pauli documentum: siue ergo manducatis, siue bibitis, siue aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.] Nec ita Deum laudat, creatorem diligit, & feruidis famulatur obsequiis, vt vita cælestis, quæ ab omni labe pura est, à corporis miseriis aliena, & ab omni onere curarum temporalium expedita. Nostra autem vita quantumuis spiritualis sit, quantumuis in cælum efferatur, & in res diuinas rapiatur numquā corporis necessitates valet abiicere. Quod Cassian. col. 5. c. 11. lepide quidam senex, apud Cassianum, cum quibusdam philosophis disputans hoc simile declarauit. Multis (inquit) creditoribus pater meus me reliquit obnoxium, cæteris ad integrum soluens, ab omni sum eorum conuentionis molestia liberatus, vni satisfacere quotidie soluendo non possum. Quod ænigma cùm illi non intelligerent, his ille verbis explicuit. Multis vitiis fui naturali conditione constrictus: sed inspirante Domino desiderio libertatis cūctis illis tamquā molestissimis creditoribus renuncians, huic mundo, & omnem substātiam, quæ mihi successione patris obuenerat, pariter à me abiiciens, satisfeci, atque ab eis sum omnimodis absolutus: Gastrimargiæ verò stimulis, id est, ventris ingluuie nullo modo carere præualui. Neque enim quamuis eam in paruum modum, vilissimamque redegerim quantitatem, vim quotidianæ compulsionis euado, sed necesse est me perpetuis eius conuentionibus perurgeri, & interminabilem quandam solutionem iugi functione dependere, atque inexplebile in ditionibus eius inferre vectigal. Hæc ille, non minus verè quàm festiuè. Ex his ergo habemus, opera mala, siue grauia sint, siue lenia, longè à vita spirituali abhorrere, opera autem tam bona, quàm media ex bono fine suscepta (quæque in suo ordine,) ad spiritualem, ac studiosam vitam spectare.

Quem finem habere debeant opera vitæ spiritualis.

CAPVT VII.

SED vt prædicta opera, tam bona quā media, tam spiritualia quàm corporalia, tam nobis quàm fratribus seruiētia, vitam spiritualem efficiāt, eiusque sint velut partes, & membra; operæ pretium est, vt in Deum dirigātur, eumque tamquā finem, & scopum respiciant. Opus enim spirituale vtique bonum, ac studiosum esse debet, nam si malum sit, eo ipso est opus carnale, id est, ad vitam mūdanam pertinens, & in finem huius vitæ, quæ mors est, suum effectorem adducēs. Vt autem opus bonū sit, non satis est, vt ex sua natura fructus virtutis sit, sed necessarium est, vt in finem virtutis ordinetur. Nam finis distortus potest totam actionem, alioquin bonam, inficere, & eius pulchritudinem omninò fœdare, dicente Domino: Si autem oculus tuus fuerit Matt. 6. 23. nequam, totū corpus tuum tenebrosum erit.] Oculum istum totam actionem fuscantem esse prauam Greg. 28. mor. c. 6. intentionem, ita docet Gregorius. Quid per oculum exprimitur, nisi opus suum præueniens cordis inten-

tio?

tio? quæ priusquam se in actionem exerceat, hoc iam quod appetit, contemplatur? Et quid appellatione corporis designatur, nisi vnaquæque actio, quæ intentionem suam, quasi intuentem oculum sequitur? Lucerna itaque corporis est oculus: quia per bonæ intentionis radium, merita illustrantur actionis.] Et, paucis interpositis, hæc de prauo fine subiungit. Et si oculus tuus nequam fuerit, totum corpus tuum tenebrosum erit; quia cùm peruersa intentione quid vel rectum agitur, & si splendere coram hominibus cernitur, apud examen tamen interni iudicis obscuratur. Et in eandem sententiam Richardus Victorinus. Quod autem est corpus sine vita, hoc est opus sine intentione bona. Quælibet ergo actio, quamuis bona videatur, quasi mortua iudicatur, nisi per consilium ad intentionem bonam animetur.] Confirmat hoc sapienter Bernardus, dicens: Duas sponsæ genas, quæ de pulchritudine à Christo sponso laudantur, esse rem, & causam: nomine rei, substantiam operis, & nomine causæ, finē, siue intentionē intelligēs. Ex his sanè duobus (inquit) animæ vel decor vel deformitas iudicatur: vt (verbi causa) animę, quæ ambo ista recta, atque pudica habuerit, illi meritò veracitérque dicatur: Pulchræ sunt genæ tuæ sicut turturis.] Quæ verò altero horum caruerit, non poterit dici de ea, quòd pulchræ sunt genæ eius sicut turturis, propter eam, quæ adhuc ex parte erit deformitatē. Multò autē minùs illi hoc poterit cōuenire, quæ neutrū horū habere laudabile inuenitur.] Vt igitur bona sit actio, atque adeò ad vitā spiritualē spectet, omnino necessarium est, vt bonum finem referatur.

Richard. stat. in-teri. hominis. c. 7.

Bern. ser. 40. in cāt. Cant. 1. 10.

Et quidem cùm vita hæc nobis fuerit à Christo monstrata, vt per eam sicut per quamdam scalam à terra in cælum protensam, ad veram & beatam vitam, quæ Deus est; post cursum huius mortalitatis, ascendamus, gradus huius vitæ, actiones scilicet bonæ, tales esse debent, vt nos in beatam vitam attollant, & in Deum auctorē fœlicitatis adducant. Hoc verò minimè facient si in prauos aut distortos fines destinentur. Scriptum est enim de illis, qui in virtutis operibus humanas laudes aucupabant. Amen dico vobis, receperunt mercedem suam.] Qui autem in terra mercedem terrenam receperūt, non est cur in cœlo remunerationem cælestem expectent. Opus namque, cuius meritum gloriæ humanæ angustiis impletur, amplitudinē diuinæ gloriæ non capit. Ne itaque tam paruam mercedem, opinionem nempe, & laudem, apud homines pro magnis operibus recipiamus, ea sincerissime ordinemus in Deū, vt mensuram bonam, & confertam & coagitatam, & superfluentem immittat in sinum nostrum.] Ipse quidem Deus, non solùm natura à nobis exprimendus est, quatenus menti impressam eius imaginem gerimus, verùm etiam actionibus imitādus, si vitam spiritualem, suæque vitæ similem exoptamus. Quod Leo Papa illum versum Dauidis explicans: Vniuersæ viæ Domini misericordia & veritas,] his verbis elegāter expressit. Forma (inquit) conuersationis fidelium ab exemplo venit operum diuinorum: Et meritò Deus imitationem sui ab eis exigit, quos ad imaginem, & similitudinem suam fecit, cuius vtique dignitate non aliter potiemur, quàm si in nobis misericordia inueniatur, & veritas. Per quæ enim ad saluādos saluator aduenit, per hæc saluantem debent properare saluati.] Deus autem suarum actionum, non aliū quàm seipsum sibi finem proponit. Et meritò quidē; Nam vt verissimè Beatus Thomas annotauit: Cùm Deus actione sua, qua mundū vniuersum condidit, nullam sibi perfectionem quæsierit; reliquum est, vt tantùm suam sapientiam voluerit, bonitatem, & potentiam manifestare, suasque diuitias in vniuersas res creatas effundere. Et hoc perspicuè legimus in Prouerbiis: Vniuersa propter semetipsum operatus est Dominus, adeò, vt eum, qui sua praua voluntate se fecit impium, ordinauerit in diem malum, hoc est, in tēpus vltionis, quo suam est iustitiam ostensurus. Vir ergo spiritualis, cuius hoc solùm propositum est, Deum in iustis operibus imitari, ne ab istò consilio deuiet, necesse est, vt eundem finem sibi præscribat, & Deum intuens, in actionibus studiosis versetur. Nam cùm humana opera naturam à fine sortiatur, qui contrarios fines habent, contrarias operationes exercent: Neque potest ille opera Dei imitari, quæ sunt misericordia, & veritas, cuius scopus est superbia, & vanitas: qui non quærit proximis subuenire, nec coram Deo in veritate se gerere, sed ipsam vanitatem, id est, inanem gloriam aucupari.

Matt. 6. 3

Luc. 6. 38

Psal. 24. 10.
Leo ser. 3. quadragesima.

D. Thom. 1 p. q. 44. art. 4.

Prou. 4.

Ob hanc causam spiritualis, & religiosa vita fuit in veteri lege eo genere sacrificij, quod holocaustū dicitur, præsignata. Holocaustum quippe, quod totū incensum dicitur, non solùm totum incendebatur, verùm etiam totùm in diuinum honorem consumebatur. Et eodem modo vita hæc secundùm omnes actiones suas igne charitatis incēditur, & soli Deo in odorem suauitatis offertur. Vnde Gregorius. Cū quis suum aliquid Deo vouet, & aliquid nō vouet, sacrificium est, cū verò omne quod habet, omne quod viuit, omne quod sapit, omnipotenti Deo vouerit. holocaustum est.] Non ergo sufficit, vt vita hæc sit holocaustum, quòd tota in sanctis operibus occupetur, si non diuino numini consecretur. Quia quantùm ex ea in alium scopum dirigitur, tantùm ex holocausto surripitur, & ne cōburatur ab igne charitatis, detrahitur. Sicut igitur carnales homines semper carnalibus operibus distinētur, & ea in finem carnis impēdunt: ita viri spirituales oppositā viam ingrediētes, actiones spirituales, & virtutis proprias exercent, atque in finem referunt spiritualem. Vtrumq; Dionysius Richelius mirè doctus, & mirè sanctus, quē propter insignes raptus & extases, doctorem extaticum appellamus, lōgiori quadā, sed deuota oratione prosequitur. Cùm enim dixisset, inter sacrificia veteris legis, holocaustum esse dignissimū, ita subiungit. Per quod religiosæ præfigurabatur personæ, quæ ex charitatis feruore debent se ipsas totaliter Deo offerre, ac eius obsequiis mancipare. Idcirco, morum suorū conuersionē Deo promittūt, vt si in sæculo erāt superbi, iracundi, impatientes, pigri, gulosi, mundi, inanes, instabiles, inuidi, loquaces, auari, contentiosi, aut obloquentes, iam de cætero in claustro dignè conentur, & efficaciter studeāt esse humiles, māsueti, patientes, feruidi, sobrij, cōtinentes, timorati, stabiles, charitatiui, silētes, pauperes, pacifici, & bene de proximis suis loquētes. Et qui antè temerariè iudicabāt, proximósque spernebāt, atque ex leuibus causis, ac signis suspicabātur mala de aliis, & verba, & facta proximorū interpretabātur in peius, iam de cætero ab omni incauto, temerario, vsurpato proximorum iudicio, prorsus abstineāt, discutiántq; iudicēt, ac diiudicent semetipsos, nec mala faciliter de aliis suspicentur, imò verba & facta ipsorū interpretentur in melius. Itaque ad morum cōuersionē pertinet singulas vires animæ reformare, in verbis, & actibus ordinatum consistere, interiores exterioresque sēsus reprimere, quatenus sicut religiosus totum quod est; & habet in animo & corpore, a Deo accepit, sit totū hoc ad Dei cultū, amorē & honorem conuertat, nec aliquid sui relinquat sibi, sed quam feruens & sollicitus fuit, aut esse potuit in sæculo ad complacēdum hominibus, atque ad obtinendū pro-

Greg. hō. 10. sup Ezech.

Dionys. opus. de profes. Monast. art. 6.

priam

priam laudem,honorem,delectationem,& commodum;tãtimò & multò plus) sollicitus sit, & feruẽs in claustro ad complacendum altissimo, ad vilipendendum,ad castigandum seipsum,ad promouendũ creatoris honorem,laudẽ, & gloriam.] Hæc Dionysius, & optimè.Nam duæ vitæ istæ, spiritualis, & carnalis: duæ vitæ istæ, conuersio ad Deum, & auersio à Deo; Duæ regiones istæ, paradisus, ad quem creati sumus, & gehenna, quam pauemus, contrariæ sunt. Sicut ergo à regione nostra (vt inquit Gregorius) superbiendo, inobediendo, visibilia sequendo, cibũ vetitum gustãdo, discessimus; sic ad eam necesse est, vt flendo,obediendo,visibilia contemnendo , atque appetitum carnis refrænando , redeamus.] Et sicut in regionem istam proficiscebamur , inanem gloriã, & vitiorum quærentes obsequium : ita in illum eundum est, Dei gloriam, ac beneplacitũ affectantibus. Operationes enim si in hunc scopum spiritualẽ vtique referantur,& spirituales erunt,& ad hanc vitam, quam profitemur,& pertinebunt.

Greg. lib. 10. in Euang.

Ne verò causaremur deesse nobis exemplar huius rectitudinis, qua omnia nostra opera sunt in Deum destinanda,dedit ipse electis suis Doctorem Iustitiæ Christum Iesum,qui doceat eos, non solùm iusta exequi, sed etiam iustè operari : & descendere faciat ad illos gratiæ imbrem matutinum,& serotinũ. Matutinũ quidem, quòd iustorum corda præueniat, & serotinum,quòd ea comitetur, & subsequatur, ne in principio bonorum operum, aut in medio ipsorum, aut fine, à debita sibi destinatione deflectant. Hoc autẽ erit sicut à principio. Nam quemadmodum in statu innocentiæ homines vniuersas actiones suas purissimè in Deum retulissent; ita & nunc in tempore gratiæ erudiuntur,ab hoc iustitiæ præceptore easdem actiones in eundem scopum & finem referre. Hoc,inquam,docentur ab ipso,tum verbo, tum vitæ sanctissimæ exẽplo. Verbo quidẽ, dum ait : Attendite,ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis, alioquin mercedem non habebitis apud patrem vestrum, qui in cælis est.] Exẽplo autẽ: Quia ego (inquit) non quæro gloriam meam, est qui quærat, & iudicet.] O verbum magnæ consolationis! ô sententia dulcior melle,& fauo suauior. Nam si quod accepit caput , speramus & membra, si non glorificauerimus nos, nec inanes laudes ex bonis operibus quæsierimus; si quorundam irrisiones, aliorum verò detractiones sustinuerimus : Est Deus vtique summæ potentiæ , qui gloriam nostram quærat , qui bona opera præ modestia abscondita manifestet, & nos in conspectu Angelorum, & hominum gloriosos efficiat. Est Deus vtique summæ iustitiæ, qui nos contemnentes, contemnat : persequentes, puniat : & subsannantes , irrideat. Si itaque spiritualis vita est imitatio vitæ Christi, & huius doctoris iustitiæ sequela,& ille (vt ita dicam)spiritualior est, qui ad Christi vitam propius accedit : manifestum est,vitæ spiritualis actiones, si hoc suum principium non deserant, nec ad vitam mundanam transferantur, in finem diuinæ gloriæ esse destinandas , quem Christus ipse suorum operum finem præfixit. Sicut enim non imitatur regem pro republica præliantem, qui præliatur,vt rempublicam,vel vrbem euertat; & licèt vtraque dimicatio videatur natura similis , est tamen ratione oppositi finis vna alteri omnino contraria:Ita non imitantur Christum, qui orant, qui ieiunant,aut verbum Dei seminant, si gloriam, & laudem propriam venari appetunt, prorsus diuinæ gloriæ contrariam. Nam ignorantes iustitiam Dei , & suam quærentes statuere, iustitiæ Dei non sunt subiecti.] Illi verò Christum imitantur , & vitam spiritualem arripiunt,qui quod ille fecit, & ipsi faciunt, & eodem fine faciunt,nihil aliud optantes in studio virtutum, nisi vt ei placeant , cui se totos consecrarunt.

Ioel. 2. 23.

Matt. 6. 1.

Ioan. 8. 50.

Rom. 10. 3.

A

Si itaque cupis vitam spiritualem tenere,non solùm animaduertas quid agis,sed quo animo, & quo fine id agis , non solùm enitaris , vt opus sit bonum, sed vt intentio & destinatio sit bona. Cùm oras, vel psallis,cùm ieiunas,vel comedis,cùm vigilas, vel ad somnum tuum corpus componis , cùm doces , aut verbum Dei seminas,& tãdem dum quippiam aliud facis , erige oculos cordis ad Deum tuum , & dicito illi,Domine,inanem gloriam contemno,commoditatem,aut voluptatem sperno,me ipsum , & omnia mea pro nihilo duco,te solum quæro,te cupio,& tibi soli in hoc opere placere desidero. Hæc sit gloria mea,hæ diuitiæ meæ,hæc delectatio mea, hoc præmium laborum meorum vt tibi placeam , licèt vniuerso mundo displiceam. Hanc intentionis rectitudinem capessendam esse in initio diei,docet Laurentius Iustinianus his verbis.Omnes igitur Christi serui , cuncti Deo placere cupientes,primordia diei, & actionum conentur consecrare altissimo , quatenus cætera secutura opera à suo nõ decliuent principio. Vnde mox,vt à somno euigilant, semper cor sursum erigere contendant.Prima vox,prima cogitatio, primus affectus, diuinam resonet laudem, ignitam ad Deũ dirigat supplicationem, & illi se sincero corde committat,qui valet potenter de imminentibus periculis liberare.] Non tamen debet amator perfectionis,hac prima suorum operum oblatione satiari, sed in principio cuiuscumque actionis , & si longa sit,in progressu illius,eam creatori suo offerat,& ingenti voluntatis affectu soli Deo placere per suum laborem exoptet. Hæc faciens,& vnitatem in congregatione procurans, custodit vigilias noctis super gregem suum.Vnde Bernardus: Prima vigilia est rectitudo operis,vt ad bene,quam iurasti regulam,omnem vitam exæquare coneris , nec trãsgrediar terminos,quos posuerunt patres tui,in omnibus viæ,& vitæ huius exercitiis, non declinans ad dexterã , neque ad sinistrã. Secunda, puritas intentionis,vt simplex oculus totum corpus lucidum faciat, vt quicquid feceris,propter Deũ facias,& ad locum , vnde exeunt gratiæ,reuertantur, vt iterum fluant. Tertia est custodia vnitatis,vt in congregatione positus,voluntates aliorum,tuis voluntatibus anteponas,vt nõ solùm sine querela,sed cum gratia inter fratres maneas,portans omnes , orans pro omnibus, vt de te quoque dicatur,Hic est fratrum amator , & populi Israël , hic est qui multùm orat pro populo , & vniuersa sancta ciuitate Hierusalem.] Qui has vigilias custodierit , tamquam vitam spiritualem Deo gratissimam cõsectans,paratus inuenietur in postremo die,& cum virginibus prudentibus intrabit ad nuptias,& admittetur in gaudium Domini sui.

B C D

Lau. Iust. lib. de discip. & perfect. monast. con. c.10. ad finem.

Bern. ser. 3. in vigil. natiuit.

2. Mach. 15.14.

E

Quæ regula sint opera vitæ spiritualis examinanda.

CAPVT VIII.

NOn satis est,vt opera nostra ad vitam spiritualẽ pertineant,quòd ex genere bona sit,& ad debitũ ac bonum finẽ destinentur,sed aliud præterea est necessarium,quod duæ regulæ siue documẽta patefaciẽt.Nam cùm vitæ spiritualis opera, aut ex natura sua bona sint,aut media,vt præfati sumus:In bonis hæc regula tenẽda est,vt ordo in illis, & modus , & discretio , & perseuerantia seruetur.

Ordo

Ordo est, vt præcedant illa, quæ debēt præcedere, & quæ debent subsequi, subsequantur. Manifestum est enim priùs nos vacare debere his actionibus, quæ præceptæ sūt, aut his ad quas ratione status, aut muneris tenemur, quàm aliis sub cōsilio cadentibus, & libera à nobis volūtate susceptis. Et qui ob actiones istas in cōsilio positas, illas à Deo missas, aut omitteret, aut oscitāter, propereq; præstaret similis esset illis, quibus dixit Dominus: Væ vobis Pharisæis, qui decimatis menthā, & rutā, & omne olus, & præteritis iudicium, & charitatem Dei.] Sicut enim isti minora decimabant, & magna Dei præcepta nō adimplebāt, ita prædictum actionum bonarum ordinem omittentes, à se minimè postulata offerūt, & iussa ac imperata contemnunt. His incuriosis in obediendo, & superstitiosis in offerendo, quod non valdè necessarium est, dicet Dominus illud Isaiæ: cùm veneritis ante cōspectum meum, quis quæsiuit hæc de manibus vestris?] Nō quia opera quæ sunt in cōsilio Deo displiceāt, absit, sed quia crassa istarum omissio, aut negligens executio præceptorū non placet. Hūc ergo bonarum actionū ordinem seruabat Beatus Iob, ita de se ipso inquiēs: Iustitia indutus sum, & vestiui me sicut vestimēto, & diademate iudicio meo. Oculus fui cæco, & pes claudo.] Quem locū interpretās Gregorius sic ait: Cùm sancti operis exempla pensamus, intuendum nobis priùs est, quàm rectus narrādi ordo seruetur, vt ante iustitiæ, & pòst, misericordiæ opera describātur. Ille quippe bene agit, quæ pia sūt qui scit priùs seruare quæ iusta, vt collatus in proximos riuus misericordiæ de iustitiæ fōte ducatur. Nā multi proximis quasi opera misericordiæ impēdūt, sed iniustitiæ facta nō deserūt. Qui si veraciter proximis misericordiæ opera facere studēt, sibi ipsis debuerant prius iustè viuēdo misereri. Itaque ordo est, priùs præcepta seruare, deinde cōsilia exercere, priùs meliora, & Deo gratiora exequi, licèt minus sapiāt, postea minora, & minùs grata, licèt magis arrideant.

Luc. 11. 42.

Isai. 1. 12.

Iob. 29. 14.

Greg. 19 mor. c. 14.

Modus est, vt bona opera feruēter & quietè exerceātur. Feruens est, qui eam curā, & diligentiam bonis operibus adhibet, quā rebus magni momenti, & in obsequium summi Dei factis adhibere debet. Iste sanè à Domino ex Sanctis eius, in postremo die honorem accipiet. Hoc namq; Salomon testatur, dicēs: Vidisti virum velocem in opere suo, coram regibus stabit, neque erit ante ignobiles.] Cum regibus stare est sanctis Apostolis, Martyribus, ac confessoribus annumerari: & nō esse ante ignobiles, est, in cœtu pigrorum, & socordium non inueniri. Quietus est, qui cuiq; operationi tempus necessariū attribuit, neque vt ad aliā veniat, in huius exercitatione festinat. Qui enim semper, quod non facit, appetit, & quod facit fastidit (inquit Hugo) nec præsentibus fruitur, nec futuris satiatur. Inchoata enim ante consummationem deserit, & inchoanda ante tempus apprehēdit. Propterea bonum est, bono suo esse contentum, & præsentia bona superuenientibus bonis augere, nō pro futuris abiicere. Leuitas enim, est bonorum cōmutatio: exercitatio autem, virtutis, multumque diuersa currunt via, qui pro nouis vetera abiiciunt, & qui ab inferioribus ad superiora conscendunt. Qui enim mutationem quærit, fastidiosus est, sicut qui profectum appetit, studiosus est. Rectissimè ergo incedit, qui sic est feruens ad melius, vt in bono non sit fastidiosus, sed sustineat priùs, donec posterius tempore suo apprehendat.] Modum igitur in bonis actionibus seruabis, si quando oras, tanta tranquillitate oraueris, ac si nihil tibi agendum restaret, si quando psallis, aut in studium sacræ Scripturæ incumbis, aut aliquid externum operaris, tanta animi

Prou. 22. 29.

Hugo lib. de medit. ad finem.

A libertate facias, ac si nihil tibi faciendum superesset.

Discretio est, si opera bona, quando præceptum non instat, pro vtilitate, aut ædificatione aliorum, aut omittantur, aut in aliud tempus differantur. Si quæ omnibus fratribus communia nō sunt, nō apud omnes in loco publico, sed quantùm fieri poterit seorsum & in cella, aut in loco secreto fiant: Si denique eo modo exerceantur, vt nullus fratrum nostris singularitatibus offendatur. Nam opus bonum differre, vel pro vtilitate aliorum in totum omittere, quando non est præceptum, non est iter perfectionis deserere, aut in illo sedere, vel sistere, sed potiùs alio modò secretiori currere, & in finem charitatis festinare. Quod testatur Thomas à Campis, in hæc verba. Pro nulla re mundi, & pro nullius hominis dile-B ctione, aliquod malum est faciendum, sed pro vtilitate tamen indigentis, opus bonum aliquando intermittendum est, aut etiam pro meliori mutandum. Hoc enim pacto opus bonum non destruitur, sed in melius commutatur.] Illud autem abscōdere, quando non est omnibus nostri status commune, est implere documentum Saluatoris, Nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua] & nos ipsos à telis inanis gloriæ defendere. Vnde idem piissimus pater ait: Quàm tutum pro conseruatione cœlestis gratiæ humanam fugere apparentiam, neque appetere, quæ foris admirationem videntur præbere, sed ea tota sedulitate sectari, quæ vitæ emendationem dant, & feruorem. Quàm multis nocuit virtus scita, ac propere laudata! Quàm sanè profuit gratia silentio seruata, in hac C fragili vita, quæ tota tentatio fertur, & malitia!] Et denique modum communem in operibus bonis tenere, neq; ad singularitates deflectere, neque insuetas cæremonias admittere, & charitatis bonum, vtique multò pretiosius in congregatione seruare. Nescio enim quo pacto alij fratres illum auersantur, quem vident veluti communia spernere, singularitatem sectari, & sua indiscretione se ipsum à cœtu aliorum, quasi alienum efficere. Hanc singularitatem fugere est (vt inquit Richardus) opera nostra media charitate sternere. Media hæc sunt (ait) opera de genere bonorum, opera scilicet communia, quæ & bono, & malo animo fieri possunt: Sicut sunt vigiliæ, ieiunia, orationes, & eleemosynæ, &c. Ista de-D bent esse constrata charitate, vt scilicet in charitate fiant, & bona intentione. Et item, vt cum charitate fraterna ita fiant, vt infirmi in his non scandalizētur, vel infirmentur: sed ita strata sint, id est, tanta æqualitate, & discretione facta, vt incedat anima in his omnibus sine querela, & opportunè nouerit illa exercere, & iterum intermittere. Bene ista media charitate constrata erunt, si ita fuerint ordinata.]

Thom. à Camp. lib. 1 de imitat. Chri. c. 15.

Matth. 6. 3.

Idem lib. 2. c. 50.

Richar. in cant. c. 12

Perseuerantia est, si bonum, quod semel cœperis, numquam sine causa dimittas. Inconstantis nāque animi indicium est, cœpta relinquere, iam hoc exercitij genus, iam illud appetere, & nūquam in aliqua bona actione consistere. Mane igitur semina semen tuum (inquit Ecclesiastes) & vespere non cesset ma-E nus tua.] Mane seminas si bene incipias; & vespere nō cessas, si quod iam cœpisti prosequaris, & nūquā leuiter derelinquas. Hanc in bono constantiam suadet Bernardus, dum cōsciētiam lectulo, & bonas actiones floribus cōfert. Vt sicut lectulus floridus est, cū ablatis marcidis floribus, aliæ recētes, & bene olētes succedūt; ita cōsciētia mūda, & quasi florida est, vt in ea Christus spōsus requiescat, quādo perfectis istis bonis actionibus, similes alias incipimus, & amore Domini inflāmati quotidie quasi vitā spiritualē inchoamus. Bernardi verba sūt. Quod si lectulus respersus floribus, cōsciētia est bonis referta operibus, vides

Eccles. 11. 6.

Bern. ser. 47. in cant.

certè, vt similitudo seruetur, nequaquã sufficere semel vel secũdò operari, quod bonũ est, nisi incessanter addas noua prioribus, quarenus seminãs in benedictionibus, de benedictionibus & metas. Alioquin iacet, & marcet flos boni operis, atque in breui omnis ex eo nitor exterminatur, & vigor, si nõ aliis, atque aliis superiectis pietatis actibus, cõtinue reparetur.] Hæc quæ diximus, interim pro regula bonarũ actionũ seruentur; in alio loco istius tractationis, prolixiùs disputanda. (2.Cor.9. 6.)

In mediis autem actionibus, hęc regula custodiatur, vt ex quibusdam tantundem quis sumat, quantùm dura necessitas exigit, ex aliis verò tantùm accipiat, quantùm prudẽs charitas poscit. Sũt enim duo genera actionum corporalium, alterũ, quod corporibus nostris impẽditur, alterũ, quod proximis erogatur. Illud, vt cum mãcipio isti vilissimo cibos ministramus, indumentis ipsum fouemus, remissione reficimus, morbos imbecillitatesq; curamus. Istud, vt dum proximos alloquimur, eorum negotia tractamus, ac in necessitatibus subuenimus. Illa opera metiatur necessitas, vt scilicet talis sit cibus & potus, tũ qualitate, tum quantitate, talis sit vestis, tũ pretij vilitate, tum pãni asperitate, talis sit intermissio, & recreatio, tum raritate, tum modo, nõ qualem tepidus animus, & sui oblitus exigit, sed qualẽ religiosus status, & imbecillitas corporis, aut resumptio viriũ admittit. Christus enim Dominus admirabili vtebatur mensura, quoties corpora recreabat, non aliis escu lentis, quã pauculis panibus hordeaceis, & piscibus in conuiuium se sequentium receptis. Et Elias corui ministerio, & iterũ subsidio viduæ pauperculæ fuit paruulo pane refectus. Vt discamus, qui sequimur Christum, & qui prophetarum more verbũ Domini prædicamus, non ciborum lautitias, non vestium luxum, sed paruam vilissimi cibi mẽsuram, & asperum saccum, aut certè religiosam vestem indicẽ pœnitẽtiæ, & humilitatis ad cõtegendũ corpus, amare. (Ioan.6. 11.) (3.Reg.17.)

Ista verò opera, quæ vsum proximorum respiciũt, charitas moderetur. Vt nimirum eas fratrum alloquutiones admittamus, ea sæcularium negotia tractemus, his necessitatibus subueniamus, quæ & statui religioso congruant, & propriæ perfectioni nõ officiant. In quo non deest nobis Christi seruatoris, quod imitemur, exemplum. Ille nãque infirmos curabat, ignaros instruebat, verbum Patris peccatoribus annunciabat, & aliis huiusmodi operibus intẽdebat, quæ animabus in suum creatorem reducendis vtilia erant, atque fructuosa. Cùm autem quidam de turba eum ad diuisionem hæreditatis vocauit, cuius causa cum proprio fratre litigabat, quadam iustissima indignatione commotus, ita respondit. Homo, quis me constituit iudicem, aut diuisorem super vos?] Et ille iudex viuorum & mortuorum super re temporali dedignatur ferre sentẽtiam, erudiẽs nos suos milites, & suæ vitæ imitatores, ne metas status nostri transilientes, negotiis sæcularibus implicemur. (Luc. 12. 14.)

O vtinam omnes religiosi hanc regulam necessitatis, & charitatis attenderent, attendendo æstimarent, æstimando custodirent, non esset in religionibus tãta distractio, & maior esset in monasteriis perfectio. Non frequentarẽt religiosi lauta sæcularium conuiuia, non quærerent exquisitos cibos, nõ carnes pretiosas, & delicatas, non sapores suaues, nec proprio ventri tamquam Domino deseruirẽt. Abaci, & thecæ cilicia, & flagra reconderent, non vina, nec dulciamina redolerent; quia hæc non necessitas postulat, sed gula, & luxus affectat. Hæc nõ sunt vitæ spiritualis esculenta, sed vitæ sæcularis condimẽ-

A ta. Non tam corpus reficiunt, quam animæ, & spirituali profectui officiunt. Cùm enim legas (vt inquit Hugo) deliquisse ionatham in gustu mellis, Esau in edulio lentis, Sodomitas in saturitate panis, putas ne sine periculo esse, tot carnium ferculis, tot piscium generibus, tot frixurarum diuersitatibus delectari? Nónne sic differt palatiũ a refectorio, sicut Ægyptus à deserto? Si igitur in deserto sumus, mirandum est, si ollas carniũ suspiramus.] Si necessitati religiosi subuenirent, non cuperẽt in veste delicias, in habitu humilitatis, minimè vanitatem requirerent, sed frigus pellere, seruareq; pudicitiam exoptarẽt. Quia tamẽ non hoc, sed blanditias concupiscunt: ideò in habitu (vt inquit Bernardus) non iam calor, sed color requiritur, magisq; cultui vestium quàm virtutum insistitur. Pudet dicere, vincũtur in suo studio mulierculæ, quando à monachis pretium affectatur, in vestibus, non necessitate, nec saltem forma religionis retenta in habitu ornari: non armari appetunt milites Christi, qui dum se præparare ad præliũ, & cõtra aëreas potestates prætendere paupertatis insigne debuerãt (quod vtique aduersarij valde formidant) in mollitie vestimentorum pacis potiùs prætendẽtes indicium, vltrò se hostibus, sine sanguine tradunt inermes.] (Hugo. 2 de claus. animæ c. 19.) (B) (Bern. ho. 4. sup. Miss. est.)

Si tandem quærerẽt charitatem, quæ à nobis ipsis debet incipere, nõ tot sustinerent mundanorum vana colloquia, non lites sæculares audirent, non nuptias, & carnalia connubia, sed spiritualia conciliarent. Non admitterent esse principes principũ, gubernatores populorum, patroni delinquentium, testamentorum exequutores, aduocati causarum, quia istas distentiones non efflagitat charitas sed tædium cellæ, lectionis, & orationis exposcit. Hoc vitium Bernardus eodem loco, non prætermisit. Video alios (ait) quod non sine dolore videri debet, post aggressam Christi militiam, rursus sæcularibus implicari negotiis, rursus cupiditatibus terrenis immergi, cũ magna cura erigere muros, & negligere mores: sub prætextu quoq; communis vtilitatis, verba vendere diuitibus, & matronis salutationes; sed & cõtra Imperatoris sui edictum, concupiscere aliena, & sua cũ lite repetere; non audientes Apostolum, ex imperio regis tubicinantem Hoc ipsum (inquit) delictum est in vobis, quòd causas habetis, quare nõ magis fraudem patimini?] Itáne mũdum sibi, & se mundo crucifixerũt, vt qui antea vix in suo vico, vel oppido cogniti fuerãt, modò circũeuntes prouincias & curias frequẽtantes, regum notitias, principumq; familiaritates assequuti sunt?] Concludamus ergo, reliqua suo loco reseruantes; Vitam spiritualẽ ex fletu peccatorum, ex mortificatione vitiorum, ex cohibitione prauorum affectuum, ex acquisitione virtutũ, ex ingi lectione, & frequẽti oratione, & ex aliis operibus spiritualibus, quæ vtilitati ánimarum inseruiũt, esse contextam: opera verò corporalia eatenus in illa cõprehendi, quatenus iustæ necessitati, aut prudenti, & non insipienti charitati deseruiunt. Qui enim sic in sua vita procedit, & in statu religioso se gerit, vir spiritualis iure potest appellari. Quod his verbis Laurẽtius Iustinianus declarat Spirituales viros, illos arbitror esse dicendos, qui carnales habẽt edomitas voluptates, carnem spiritui, mentem rationi, deuotioni affectum, intentionemque animi æternæ substernũt dominio sapientiæ. Hæc quippe est regula disciplinæ cœlestis, hæc, inquã, est spiritualis forma virorũ in carne, & supra naturã spiritualiter cõuersantium, & quotidie proficientium in idipsum. Tales igitur esse curent, qui sæculum reliquerunt, vt Domino in cordis simplicitate seruiant, & vitam spiritualem, & religiosam sibi sponsam dilectam adiungant. (C) (Bern. ibid.) (1.Cor.6. 7.) (D) (Lib. de ... c. ...) (E)

De quinque gradibus vitae spiritualis, qui ad incipientes pertinent.

CAPVT IX.

ACTIONES virtutis ex prædicto fine susceptæ, & ad præfatam normã efformatæ, nos in sanctitatem efferunt, ac in mentis proueniunt puritatem. Vt enim aliæ artes ac sciẽtiæ iteratione propriorum actuum addiscuntur, ita hæc ars præstantissima Deo famulandi, & hæc vera sciẽtia, quæ sola homines sapientes efficit, studiosarum actionum repetitione perficitur. Et ille peritior euadit, & sanctior, qui amplius in his se exercet actionibus, ac maiori contentione laborat. Quis namque ditior est? Nónne qui multiplicatis negotiationibus, maiora quotidie pecuniarum recondit augmẽta? Et quis citius ad metã sui cursus accedit? Nónne ille qui perniciosioribus passibus in finem sibi destinatum cõtendit? Eodẽ prorsus modo, qui accuratiùs se in virtutis exercet actibus, breuiori compendio perfectionis culmen assequitur. Hac cura bene studioseq; operandi anima, nõ repẽtè prodit perfecta, sed quibusdam veluti gradibus spiritualis vitæ, in eius perfectionem ascendit. Cùm autem terminus, ac meta huius vitæ sit, illa beata, & sempiterna vita, quam speramus, tales sint isti gradus necesse est; vt nos in vltimum finem euehant, & in vitam beatam extollant. Sed hæc fœlix vita, templo illo magnifico adũbrata fuit, quod pacificus Salomon in honorem, ac cultum Domini extruxit. Vnde (inquit Venerabilis Beda) mysterium ascensionis huius templi commemorans. Legimus, quod ad templum illud, quod Salomon ad honorẽ Domini ædificauerat, quindecim gradibus ascendebatur, quod non vacat à mysterio. Templũ enim illud, præfigurabat templũ illud, quod in cœlesti Ierusalẽ ædificat Dominus ex viuis lapidibus, ad quod quasi quindecim gradibus ascẽditur.] Idẽ cõfirmat Gregorius, dicens: Per quindecim verò illius tẽpli gradus, spiritualis sanctorũ signatur ascẽsus.] Vt ergo res gesta congruat mysterio, quindecim gradus vitæ spiritualis, quibus ad cœlestem vitam conscenditur, assignemus. Meritò verò in huiusmodi gradibus numerum istum admittimus, siquidem (vt docet Hieronymus) quindecim gradus sunt, per quos ad canendum Deo, & in atriis eius consistendum, iustus ascendit. Et ideo apud Petrum quindecim diebus Paulus habitat, vt ostenderet, se cum eo contulisse plenam scientiam, consummatãque doctrinam. Hæc autem nõ est alia quàm doctrina spiritus, cuius adeptione sapientes sumus, & diuinam claritatem assequimur. At quindecim gradus tẽpli in tres ordines erant diuisi, ita vt post quinque gradus aliquod esset maius, & latius spatium in quo ascendẽtes requiescerent, quod etiã post alios quinque gradus inueniebatur. Qua graduũ distinctione nobis innuitur, gradus vitæ spiritualis in tres quoq; ordines esse diuisos. Quorum primus ad incipientes pertinet, secũdus ad proficientes spectat: tertium verò perfecti conscendũt. Esse namq; in spirituali vita tres status, incipiẽtium, proficientiũ ac perfectorum, Gregorius satis euidenter insinuat, dicens: Tres sunt modi conuersorum, inchoatio, medietas, atq; perfectio. In inchoatione autem inueniuntur blandimenta dulcedinis, in medio quoque tempore certamina tentationis: an extremum verò, perfectio plenitudinis. Et alio loco: Aliud sunt virtutis exordia, aliud profectus; aliud perfectio.] Eosdem status Hugo Victorinus agnoscit, & in Ioseph virginis spõso, & Samuele, & Iacob præsignatos existimat. Posuũt (inquit)

Beda in Psal. 119. num. 8.

Gregor. in Psalm. 6. poenit.

Hier. lib. 1. in Epist. ad Galat. c. 1.

Greg. 24. mor. c. 7.

Hom. 15. in Ezech. Hugo lib. 2. de claustro animae cap. 9.

A per hos tres homines, tres hominũ species designari moraliter. In Ioseph incipiẽtium, in Samuele proficientium; in Iacob perfectorum. Monetur incipiẽs, vt fugiat, docetur proficiens, vt corripiat, inuitatur perfectus, vt recipiat. Ioseph, inquam, cui dicitur, vt cum puero, & matre fugiat in Ægyptum, incipiẽtes signat, qui mundum debent fugere, & à terrenis sollicitudinibus declinare. Samuel verò, qui ascendit in Silo, & moratur in templo, denotat proficientes, qui habitãt in templo cùm cor suũ sanctis meditationibus exercẽt, aperiunt ostia tẽpli, cùm alios docent: loquuntur ad Heli, cùm de emendatione fratrũ prælatum monẽt: & regũt multitudinem, cùm subditos disciplinæ lege coërcent. Iacob denique qui filius est Isaac, & Rebeccæ, perfectos significat, qui gaudij spiritualis, & patientiæ temporalis sunt filij, & gaudiũ habent in contemplatione, ac patientiæ virtutẽ in tribulatione.] Hæc omnia Hugo, & alia multa latissimè. Meminit, & horum trium statuum Beatus Maximus, dicẽs: Scriptura sacra hos qui introducuntur, & ad vestibula diuinæ virtutũ aulæ prostrãt, vocat metuentes; eos autem qui comparauerunt habitũ verborum, & morum, virtuti congruentium, nouit appellare proficiẽtes: at qui per cognitionem iam peruenerunt ad fastigium virtutis experimentis veritatis, illos nuncupat perfectos. Quod si in singulis tẽpli gradibus, singulos Psalmos sacerdotes cõcinebãt: vt fert Hebræorũ traditio, vt magis sedi Domini appropinquantes aliquid perfectius postularẽt, Videamus & nos an primos horũ quindecim Psalmorum versiculos, quos graduales vocamus, singulis possimus vitæ spiritualis gradibus adaptare. Multa enim sũt in diuinis literis occulta mysteria, quæ Dominus quãdo vult, & quibus vult aperit, & aliquãdo ignorãtes illustrat, si propriam ignorantiam agnoscẽtes, & imperitiam confitentes, diuinũ auxilium implorent.

Maximus ser. 1. de virtute & vitio. c. 68.

Incipientes ergo in via spiritus sunt, qui vitã spiritualem incipiũt, & à malis vitæ carnalis recedunt, & hi quinque primos gradus conscendunt. Primus gradus est, cũ diuinæ amicitiæ, ac familiaritatis magnitudine allecti, grauia peccata deserunt, & à Deo pergraue crimen numquam separari proponunt, firmissiméque hanc spiritualem mortem vitare decernunt. Et meritò hunc primum vitæ spiritualis gradum vocamus, nam qui infidelium Israëlitarum more claudicant in duas partes, & iam sequũtur Dominum, iam procumbentes ante aras Bahal, diabolum venerantur, nec dum vitæ huius iter incœperũt, neque ad primum gradum peruenerunt. Egregiè nãque dixit Leo Papa: Moriendum est diabolo, & viuendum Deo, deficiendum iniquitati, vt iustitiæ resurgatur, occumbant vetera, vt oriantur noua.] Et volentibus ad vitam ingredi primùm proponit Dominus, vt seruent mandata, nam sine mandatorum custodia ad gehennam itur, non in cœlestem patriam conscenditur. Hunc primum gradum assequuta est Magdalena, cùm cognoscẽs Dominum accubuisse in domo Pharisæi, se ad abluendos, & vngendos illius pedes præparauit, & vitam veterem abdicare disposuit. Beata illa, quæ tam velociter festinauit, nam in primo perfectionis gradu ad Domini pedes accessit, & ad postremũ euecta recessit. Hunc gradum qui cupit oculis in cœlum defixis, ita desideria sui cordis exponat. Ad Dominum cùm tribularer clamaui, & exaudiuit me. Domine, libera animã meam à labiis iniquis, & à lingua dolosa.] Hæc enim est maxima tribulatio criminibus subiacere, quæ non propriis viribus, sed auxilio Domini vincenda est. Ipse enim est eripiens nos à labiis iniquis Diaboli, qui nos decipiebat, & à lingua dolo-

Leo ser. 1. de resurrect.

Matt. 19. 17.

Luc. 7. 37.

Psal. 119. 1. 2.

ſa,cōcupiſcētiæ,quæ nos carnis illecebris ineſcabat.

Secundus gradus eſt,cùm incipientes,non tantùm grauia peccata fugiũt,ſed à leuibus quoque peccatis abhorrent. Quæ licet omnino in hac morte vitali, vitare non poſſint,cùm ſcriptum ſit: Nemo mundus à ſorde, neque infans,cuius eſt vnius diei vita ſuper terram;]poſſunt tamen quotidie minuere;poſſunt in dies leuiora facere, poſſunt nullum ex malitia, & ex profeſſo committere,poſſunt,quæ ignorantia,& infirmitate faciunt,ſtatim cōfeſſione abluere,& amaris lachrymis deplorare. Iſtum autem gradum ille tenuit qui dicebat: Tribulationes cordis mei multiplicatæ ſunt, de neceſſitatibus meis erue me.]Neceſſitates iſtæ (inquit Hugo) moleſtiæ, & tentationes ſunt, quæ ex carne proueniunt, & omnino vitari non poſſunt.] Quas,vt euadamus nobis proclamã ſum eſt.Leuaui oculos meos in mõtes,vnde veniet auxilium mihi:Auxilium meum à Domino,qui fecit cœlũ,& terram.]Nam manus Domini factoris cœli & terræ, eſt,quæ nos terreſtres,id eſt,infirmos, in cœleſtes cōuertet,& meditatio montiũ,id eſt, vitæ ſãctorũ,ſæpe à leuioribus etiã peccatis abducet.

Iob.14.4. Iuxta 70. — Pſal.24.17. — Hugo. — Pſal.120.1.

Tertius gradus eſt, omnium rerum externarum contemptio,& diuitiarum,honorum, ac dignitatum derelictio : Cùm ſcilicet quis hæc,vel affectu,& voluntate abiicit, illud Dauidis obſeruans: Diuitiæ ſi affluant,nolite cor apponere,]vel ſi ſtatus ferat,actu & operatione derelinquit. Ad hunc autem gradum peruenerunt Apoſtoli, quando dicebant: Ecce nos reliquimus omnia, & ſequuti ſumus te, quid ergo erit nobis? Omnia namque reliquiſſe eſt, vniuerſa temporalia, quæ extra nos ſunt, non ſolùm affectu, ſed actu etiam abieciſſe. Et, duabus aliis præſuppoſitis, ab iſto gradu vniuerſi religioſi debent vitam religioſam incipere.Sapienter enim dixit Laurētius Iuſtinianus,quoſdam ſpirituales gradus enumerans. Aſcenſionis huius initium eſt, vt declinquas tua, quo quietiùs habites tecum. Tecum autem habitare voluit Deus, quatenus in te ſpiritualiter diſcas abnegare teipſum.Hoc nēpe ſi peregeris,diligenter interioris pacis,atque virtutis illectus dulcēdine magni æſtimabis crucē tollere,& ire poſt Chriſtum.]In hoc autem gradu exiſtēs canit. Lætatus ſum in his,quæ dicta ſunt mihi,in domũ Domini ibimus.] Videns,quod ſibi ob hanc temporalium contemptionem cœleſte præmium promiſſum eſt. Nam ab hac ſententia Dominus quemdam ſermonem eſt exorditus. Beati pauperes ſpiritu quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum.]

Pſal. 61.11. — Matt.19.27. — Iuſtin. — Pſal. 121.1. — Matt.5.3

Quartus gradus eſt,caſtigatio corporis, ſēſus cohibitio,vniuerſorúmq; carnaliũ mortificatio vitiorum.Cuius meminit Paulus dicens: Caſtigo corpus meum,& in ſeruitutem redigo,ne fortè cũ aliis prędicauerim,ipſe reprobus efficiar.]Hunc autē gradũ omnes illi poſſidēt,qui delicias,& voluptates deſerentes,corpus ſuum diſcreta quadam,& rationi cōſona mortificatione caſtigant,& omnia vitia cordis ſui magno mentis feruore extirpare contendunt.Iſti profectò habitum geſtant militũ Chriſti, quæ afflictio corporis eſt,& aliquod indicium properãtium in cœlũ.Nam(vt inquit Baſilius)vt optimus corporis habit⁹,& coloris bonitas,pugilē à cæteris diſtinguit, ſic Chriſtianum à cæteris macilentia corporis, pallórq; defloreſcens, qui continentiæ veluti adiũctus eſt comes.Indicio eſt enim Chriſti mãdatorum verè pugilē eſſe,qui in infirmitate corporis aduerſarium ſuum in lucta proſternit,& quàm potēs ſit, in pietatis certaminibus declarat,cōuenieter verbis illius,Cùm infirmor,tunc potēs ſum.]Iſtis ſe ita affligentibus, & ſua corpora caſtigantibus, cōuenit lumina in cœlum attollere,atque ita dicere. Ad te leuaui oculos meos,qui habitas in cœlis.] Dei enim contemplatio neceſſaria eſt,& cœleſtium bonorum, quæ ſperamus conſideratio, vt arctam pœnitentiæ viam alacriter arripiamus.

1.Cor.9.27. — Baſil. reg. 17. ad finem. — 2.Cor.12.10. — Pſa.122.1.

Quintus gradus eſt abnegatio proprij conſilij,& propriæ conculcatio volũtatis: quam qui cũ corporis,ac omniũ vitiorũ mortificatione, non fuerit conſectatus,fruſtra bona externa contempſit, & vitam religioſam arripuit. Dedit enim Domino lutũ auri, & argenti,& ſtercus diuitiarũ,& gemmas iudicij,& volũtatis ſibi retinuit.Dedit corpus ſuum, & poſtea quærendo delicias,& voluptates, iterum vſurpauit. Hæc eſt lepra cordis(inquit Bernardus)propria volũtas,& proprium cōſilium.Lepra nimis peſſima,eoq; pernicioſior,quo magis interior.Quã Dominus nos vitare ſuo exemplo præcipit,dicens ad Patrem:Non mea voluntas,ſed tua fiat.]Si enim Chriſtus voluntatem bonam naturalē abiecit, vt meliori ſpiritui ſe ſubiiceret,quantò magis debemus nos, vt Deo ſubditi ſimus, malas voluntates abnegare?His autē,qui propriũ iudiciũ,& voluntatem deponunt, ſequens Pſalmus optimè cōuenit. Niſi quia Dominus erat in nobis, dicat nunc Iſrael,niſi quia Dominus erat in nobis.Cũ exurgerēt homines in nos, fortè viuos deglutiſſent nos.]Quoniam Dominus in corde eorum reſidens,potenter facit,ne ab hominibus,id eſt,à ſemetipſis,& à ſuis prauis voluntatibus deglutiãtur,& aquis mœrorũ,quæ à propria volũtate manãt,abſorbeantur.Hos tres poſtremos incipientiũ gradus,ſub nomine trium abrenuntiationũ, Ioannes Caſſianus elegãter expreſſit Prima(inquit)eſt,qua corporaliter vniuerſas diuitias mundi, facultateſq; contēnimus. Secunda,qua mores,ac vitia,affectúſq; priſtinos animi,carniſq; reſpuimus.Tertia,qua mentem noſtram de præſentibus vniuerſis,ac viſibilibus euocãtes,futura tantũmodò cōtemplamur, & ea quæ ſunt inuiſibilia cōcupiſcimus. Quæ tria, vt ſimul perficiãtur, etiã Abrahæ legimus Dominũ præcepiſſe, cũ dixit: Exi de terra tua, & de cognatione tua, & de domo Patris tui.]Primũ dixit Exi de terra tua, id eſt, de facultatibus mundi huius,opibúſque terrenis. Secundò,de cognatione tua,] id eſt, de conuerſatione & moribus,vitiiſq; prioribus. quæ nobis à noſtra natiuitate cohærentia,velut affinitate quadã, & conſanguinitate,cognata ſunt. Tertiò,de domo patris tui.] id eſt de omni memoria mundi huius, quæ oculorũ occurrit obtuitibus.Sic ille.Nec immeritò hęc cogitationum abiectio,mortificationi voluntatis & conſilij aptata eſt,quoniam ſine illa, nemo noxias cogitationes abiiciet, neque mentis tenebit puritatem. Ecce gradus incipientium, in quibus aſcendendis ſatis habes,quòd labores,& ſi nondum eos aſcendiſti,adhuc in paruulorum numero computaberis.

Bern. ſer. 7. de reſur. — Luc.22.42. — Pſa.123.1. — Caſſi. col. 3.c.6. — Gen.12.1.

De quinque aliis gradibus proficientium in vita ſpirituali.

CAPVT X.

SICVT incipientes ſunt, à malo recedunt, & vniuerſa vitia cordis extirpãt,ita proficiētes appellamus eos,qui in bono virtutis ſe exercent, & dona mentē exornãtia, tũ oratione,& gemitibus à Deo impetrãt,tũ proprio labore diuinæ gratiæ ſubnixo,comparare nituntur. Poſtquam ergo religioſi viri infantiam vitæ ſpiritualis prætererunt, hoc proficientium ſtadium debent magna celeritate percurrere, quod in quinque gradus,aut aſcenſiones aſſerimus diſtributum.

Primus gradus in vita spirituali proficiẽtium est, virtutum omniũ acquisitio. Cùm scilicet quis prædictis malis abiectis, virtutis decoré exoptat, & humilitatis, mãsuetudinis, obedientiæ, vniuersórumq; bonorum habituum iura custodit. Quorũ præsidio, non tantùm se cótinet, sicut cùm in statu mortificationis resider, sed plane regnat, & eum magna tranquillitate suis affectibus dominatur. Hoc regnum omninò cupere debemus, vt in regno cælesti, plusquã cómunem gloriã assequamur. Ad quod nos monet Richardus Victorinus, qui propositis duobus regnis, temporali, quo quis præest hominibus, & spirituali, quo suis affectibus imperat, ita subiũgit. Sed illud vitare, & fugere omninò oportet, sicut magistra veritas proprio exemplo nos docet: Istud autem debemus desiderare, & quærere, & cum summo desiderio postulare, & cum propheta supplicare: Da imperium tuum puero tuo.] Quòd autem Dauid hoc spirituale regnum postulauerit, ita confirmat. Numquid nam quæso animam prophetalem tantæ ambitionis credere oportet, vt regnum Israëliticũ à Domino peteret, & ab eiusmodi eum petitione nec saltem pudor cohiberet? Sed si non potuit cohibere linguam, ne hoc peteret, cur saltem non prohibuit manum, ne tale aliquid scriberet? Sed absit de anima tam sancta, & anima prophetali tale aliquid suspicari. Sed tale vtique regnum, vel imperium de Domini pietate postulabat, vnde salutis suæ prouentũ, vel prouectum sperabat.] Hoc ergo spirituale regnũ virtutum affectantes, si confidant in Domino, erunt sicut mons Sion,]fortes & insuperabiles erunt: nam virtutum acie, omnes prauos subiicient affectus. & habitantes in Ierusalẽ, hoc est in statu perfectæ virtutis, in quo tandem se ostentat pax, si perseuerare voluerint, numquam mutabilitatem, aut casum admittent. Montes quidem, hoc est, Angeli sancti, in circuitu eorum, quos vitæ puritate sui similes esse conspiciunt, & Dominus in circuitu populi sui, illius scilicet, qui virtutum actibus meruit appellari populus Dei, ex hoc nunc, & vsque in sæculum.]

Richar. de conscientia securit. c. 31.

Psal. 85. 16.

Psal. 124.

Ex hoc gradu ad secundum perueniunt, qui in hoc re vera consistit, vt illi, qui cura & labore virtutes acquisierunt, facti sint aliis virtutum exemplum. Indicium namque non cuiuscumque, sed excellẽtis cuiusdam virtutis est, inter bonos lucere, atque inter perfectos caput erigere: sicut Saul, qui stans in medio populi, altior fuit vniuerso populo ab humero, & sursum: & aliis, qui populo in exẽplũ virtutis dati sunt, maioris perfectionis semitas demonstrare. His optimè congruit illud Pauli: Christi bonus odor sumus Deo in his, qui salui fiunt, & in his, qui pereunt.] O admirabilis odor, qui Deo suauis est, & bonus bonis, & bonus etiam malis? Quibus tamẽ licèt bonus odor sit, est odor mortis, quoniam bonorum exemplis non proficiũt, inter epulas sibi ministratas esuriunt, & ipsius lucis susceptione cæcantur. Bonũ quoque exemplum sua excellenti virtute præstãtes, canere possunt, In conuertẽdo Dominus captiuitatem Sion, facti sumus sicut consolati.] Conuertente enim Domino eorum seruitutem, qua vitiis seruiebant, in statum tam fœlicem, vt aliis etiam sint causa libertatis, & bonæ vitæ, quid ni consolẽtur? Quid ni os eorũ gaudio, & lingua exultatione repleatur? Verè dicetur inter gentes: Magnificauit Dominus facere cum eis,] quia illos inter magnos, maiores fecit, vt tamquã soles quidã in medio astrorũ resplendeant.

1. Reg. 10. 23.

2. Cor. 2. 15.

Psal. 125. 1.

Non erit illis difficile ad tertium gradum ascendere; vt scilicet per ostensionem sanctissimæ vitæ, apud alios opinione sanctitatis adepta, potentes sint verbo, vt quod antea opere docuerũt, valeãt postea,

A sermone persuadere, & doctrina monstrare. Hic gradus secundum Gregorium, in Ægyptiis adũbratus est, qui dum erant liberi frumentum ad eũ tantùm impetrant, serui autem Pharaonis effecti, non tantùm ad esum, sed etiam ad semen percipiunt. Sic enim nos liberi, id est, nostræ libertati, & voluntati vacãtes, interdũ verbo Dei pascimur, at serui Christi facti, & odorem virtutis ex nobis spirãtes, verbo prædicationis in bonum aliorum replemur. Neque verò putãdum est istum gradum ad solos doctos & literatos pertinere. Idiotæ namque, qui bono exemplo alios ædificant, solent etiã verbo efficaci repleri, & oratione quadã simplici, agresti, & inculta, aliquãdo magis persuadẽt, & perfectiùs spiritus difficultates attingunt, quàm alij, qui non in propria cóscientia, sed in mortuis voluminibus res spirituales
B prælegerunt. Quare sapienter monet Cassianus, nec quemquam debere propriæ sciẽtiæ fidere, neq; imperitiam fratris illiterati cõtemnere. Quia sæpe accidit (ait) vt ille interdũ, qui acrioris ingenij, sciẽtiæq; maioris est, aliquid falsũ mẽte cócipiat, & ille, qui tardioris ingenij, ac minoris est meriti, rectius aliquid, veriúsque persentiat]Sed ille, qui ex abũdãtia virtutis verba potentia, & efficacia ad persuadẽdum eructat, nequaquam sibi ipsi confidat; nam in isto gradu, ne in superbiæ rupem impingat, illum Psalmum sibi proferẽdum inueniet. Nisi Dominus ædificauerit domum, in vanum laborauerunt, qui ædificãt eam. Nisi Dominus custodierit ciuitatem, frustra vigilat, qui custodit eam.] Licet nos loquamur, Dominus tamen est, qui in audientiũ cordibus tẽ-
C pla virtutis extruit; Dominus est, qui ædificata custodit. Itaque, neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus.]

Gregor. 6. mor. c. 16.

Cassia. co. 16. c. 12.

Psal. 126. 1. 2.

1. Cor. 3. 7.

Meritò ergo quartus gradus proficientium erit, si postquam virtutes acquisisti, alios sodales tuos sanctitatis exemplo promouisti, & verbo virtutis ad omnem perfectionẽ incitasti, te ipsum sub pedibus omnium constituas; & tanquam vermiculũ abiectissimum, omnium te infimũ repute, & verissima humilitate cõtemnas. Magna res humilitas, quæ ipsa virtus existens, omnium est decor virtutum, exẽpla sanctitatis, aliis exhibita perficit, doctrinã cõfirmat, & si deficiat, vniuersa dona, quæ accepim[us], periculosa reddit, atq; suspecta. Rectè profectò dixit Richardus Victorinus: Maximus nempe est animæ decor, si
D post omnium virtutum perfectionem, quis humilitatem possideat, & cùm magni sit meriti, magnũ se esse nesciat. Magnũ se nesciebat Beat[us] Iob, qui dicebat: Si simplex fuero, hoc ipsũ ignorabit anima mea.] Parua quippe bona sua ęstimabat, quia sẽper ad maiora feruebat.] Qui & paulò superius, magna asseueratione affirmauerat. Magnum Antoniũ nulla virtute apud Dominũ tam mirabiliter exaltatũ, quã post tantos superatos labores, eximia humilitate, & sui ipsius verissima deiectione. Itaq; si vniuersis virtutibus comparatis, & magnis laboribus in conuersione animarũ susceptis, te vilissimũ, & abiectissimũ reputas, neque honorem à fratribus, neq; auctoritatẽ apud externos, neq; priuilegia à prælatis, exquiris, sed
I ac si esses rudis nouiti[us], te tractari, corrigi, & exerceri permittis, te supra tres prædictos gradus, ad quartũ ascẽdisse nó dubites. Beat[us] profectò eris. Quia beati omnes qui timẽt Dominũ, qui ambulãt in viis eius. Nã qui sũt, qui timẽt Dominũ, nisi humiles? Dicẽte Domino per Isaiã: Ad quẽ respiciã, nisi ad pauperculum, & contritum spiritu, & tremẽtem sermones meos? Tremor iste est paupertatis, & cõtritionis spiritus, id est, humilitatis effectus. Et qui sunt, qui ambulant in viis Domini, nisi humiles? Cùm ipse dux

Richar. in cant. c. 3.

Iob 9. 21.

Isa. 66. 2.

sa, cócupiscétiæ, quæ nos carnis illecebris inescabat. A

Secundus gradus est, cùm incipientes, non tantùm grauia peccata fugiũt, sed à leuibus quoque peccatis abhorrent. Quæ licet omnino in hac morte vitali, vitare non possint, cùm scriptum sit: Nemo mundus à sorde, neque infans, cuius est vnius diei vita super
Iob.14.4. Iuxta 70. terram;] possunt tamen quotidie minuere; possunt in dies leuiora facere, possunt nullam ex malitia, & ex professo committere, possunt, quæ ignorantia, & infirmitate faciunt, statim cófessione abluere, & amaris lachrymis deplorare. Istum autem gradum ille
Psal.24.17. tenuit qui dicebat: Tribulationes cordis mei multiplicatæ sunt, de necessitatibus meis erue me.] Necessitates istæ (inquit Hugo) molestiæ, & tentatio-
Hugo. nes sunt, quæ ex carne proueniunt, & omnino vitari non possunt.] Quas, vt euadamus nobis procla- B
Psal.120.1. mã sum est. Leuaui oculos meos in mótes, vnde veniet auxilium mihi: Auxilium meum à Domino, qui fecit cœlũ, & terram.] Nam manus Domini factoris cœli & terræ, est, quæ nos terrestres, id est, infirmos, in cœlestes cóuertet, & meditatio montiũ, id est, vitæ sáctorũ, sępe à leuioribus etiã peccatis abducet.

Tertius gradus est, omnium rerum externarum contemptio, & diuitiarum, honorum, ac dignitatum derelictio: Cùm scilicet quis hæc, vel affectu, & vo-
Psal. 61.11. luntate abiicit, illud Dauidis obseruans: Diuitiæ si affluant, nolite cor apponere,] vel si status ferat, actu & operatione derelinquit. Ad hunc autem gradum peruenerunt Apostoli, quando dicebant: Ecce nos
Matt.19.27. reliquimus omnia, & sequuti sumus te, quid ergo erit nobis? Omnia namque reliquisse est, vniuersa C temporalia, quæ extra nos sunt, non solùm affectu, sed actu etiam abiecisse. Et, duabus aliis præsuppositis, ab isto gradu vniuersi religiosi debent vitam religiosam incipere. Sapienter enim dixit Laurétius Iustinianus, quosdam spirituales gradus enu-
Iustin. merans. Ascensionis huius initium est, vt derelinquas tua, quo quietiùs habites tecum. Tecum autem habitare voluit Deus, quatenus in te spiritualiter discas abnegare teipsum. Hoc népe si peregeris, diligenter interioris pacis, atque virtutis illectus dulcèdine magni æstimabis crucē tollere, & ire post Christum.] In hoc autem gradu existés canit. Læta-
Psal. 121.1. tus sum in his, quæ dicta sunt mihi, in domũ Domini ibimus.] Videns, quod sibi ob hanc temporalium D contemptionem cœleste præmium promissum est. Nam ab hac sententia Dominus quemdam sermo-
Matt.5.3 nem est exorditus. Beati pauperes spiritu quoniam ipsorum est regnum cœlorum.]

Quartus gradus est, castigatio corporis, sésus cohibitio, vniuersorúmq; carnaliũ mortificatio vitiorum. Cuius meminit Paulus dicens: Castigo corpus
1. Cor. 9.27. meum, & in seruitutem redigo, ne fortè cũ aliis prędicauerim, ipse reprobus efficiar.] Hunc auté gradũ omnes illi possidét, qui delicias, & voluptates deserentes, corpus suum discreta quadam, & rationi cósona mortificatione castigant, & omnia vitia cordis sui magno mentis feruore extirpate contendunt. Isti profectò habitum gestant militũ Christi, quæ affli- E ctio corporis est, & aliquod indicium properátium
Basil. reg. 17. ad finem. in cœlũ. Nam (vt inquit Basilius) vt optimus corporis habit⁹, & coloris bonitas, pugilē à cæteris distinguit, sic Christianum à cæteris macilentia corporis, pallórq; deflorescens, qui continentiæ veluti adiũ ctus est comes. Indicio est enim Christi mádatorum verè pugilē esse, qui in infirmitate corporis aduersarium suum in lucta prosternit, & quàm potés sit, in
2. Cor. 12.10. pietatis certaminibus declarat, cóuenieter verbis illius, Cùm infirmor, tunc potés sum.] Istis se ita affligentibus, & sua corpora castigantibus, cóuenit lumina in cœlum attollere, atque ita dicere. Ad te leuaui oculos meos, qui habitas in cœlis.] Dei enim Psa.122.1. contemplatio necessaria est, & cœlestium bonorum, quæ speramus consideratio, vt arctam pœnitentiæ viam alacriter arripiamus.

Quintus gradus est abnegatio proprij consilij, & propriæ conculcatio volũtatis: quam qui cũ corporis, ac omniũ vitiorũ mortificatione, non fuerit consectatus, frustra bona externa contempsit, & vitam religiosam arripuit. Dedit enim Domino lutũ auri, & argenti, & stercus diuitiarũ, & gemmas iudicij, & volũtatis sibi retinuit. Dedit corpus suum, & postea quærendo delicias, & voluptates, iterum vsurpauit. Hæc est lepra cordis (inquit Bernardus) propria volũ- Bern. ser. 7. de resur rect. tas, & proprium cõsilium. Lepra nimis pessima, eoq; perniciosior, quo magis interior. Quã Dominus nos vitare suo exemplo præcipit, dicens ad Patrem: Non mea voluntas, sed tua fiat] Si enim Christus volun- Luc. 22.42. tatem bonam naturalē abiecit, vt meliori spiritui se subiiceret, quantò magis debemus nos, vt Deo subditi simus, malas voluntates abnegare? His auté, qui propriũ iudiciũ, & voluntatem deponunt, sequens Psalmus optimè cóuenit. Nisi quia Dominus erat in Psa.123.1. nobis, dicat nunc Israel, nisi quia Dominus erat in nobis. Cũ exurgerét homines in nos, fortè viuos deglutissent nos.] Quoniam Dominus in corde eorum residens, potenter facit, ne ab hominibus, id est, à semetipsis, & à suis prauis voluntatibus deglutiãtur, & aquis mœrorũ, quæ à propria volũtate manãt absorbeantur. Hos tres postremos incipientiũ gradus, sub nomine trium abrenuntiationũ, Ioannes Cassianus Cassi. col. 3. c. 6. elegáter expressit Prima (inquit) est, qua corporaliter vniuersas diuitias mundi, facultatesq; contémnimus. Secunda, qua mores, ac vitia, affectúsq; pristinos animi, carnisq; respuimus. Tertia, qua mentem nostram de præsentibus vniuersis, ac visibilibus euocãtes, futura tantũmodò cótemplamur, & ea quæ sunt inuisibilia cócupiscimus. Quæ tria, vt simul perficiãtur, Gen.12.1. etiã Abrahæ legimus Dominũ præcepisse, cũ dixit: Exi de terra tua, & de cognatione tua, & de domo Patris tui.] Primũ dixit: Exi de terra tua, id est, de facultatibus mundi huius, opibúsque terrenis. Secundò, de cognatione tua,] id est, de conuersatione & moribus, vitiisq; prioribus. quæ nobis à nostra natiuitate cohærentia, velut affinitate quadã, & consanguinitate, cognata sunt. Tertiò, de domo patris tui.] id est de omni memoria mundi huius, quæ oculorũ occurrit obtuitibus. Sic ille. Nec immeritò hęc cogitationum abiectio, mortificationi voluntatis & consilij aptata est, quoniam sine illa, nemo noxias cogitationes abiiciet, neque mentis tenebit puritatem. Ecce gradus incipientium, in quibus ascendendis satis habes, quòd labores, & si nondum eos ascendisti, adhuc in paruulorum numero computaberis.

De quinque aliis gradibus proficientium in vita spirituali.

CAPVT X.

SICVT incipientes sunt, à malo recedunt, & vniuersa vitia cordis extirpãt, ita proficiétes appellamus eos, qui in bono virtutis se exercent, & dona menté exornãtia, tũ oratione, & gemitibus à Deo impetrãt, tũ proprio labore diuinæ gratiæ subnixo, comparare nituntur. Postquam ergo religiosi viri infantiam vitæ spiritualis prætererunt, hoc proficientium stadium debent magna celeritate percurrere, quod in quinque gradus, aut ascensiones asserimus distributum.

Primus gradus in vita spirituali proficiētium est, virtutum omniū acquisitio. Cùm scilicet quis prædictis malis abiectis, virtutis decorē exoptat, & humilitatis, māsuetudinis, obedientiæ, vniuersorumq; bonorum habituum iura custodit. Quorū præsidio, non tantùm se cōtinet, sicut cùm in statu mortificationis residet, sed planè regnat, & cum magna tranquillitate suis affectibus dominatur. Hoc regnum omninò cupere debemus, vt in regno cælesti, plusquā cōmunem gloriā assequamur. Ad quod nos monet Richardus Victorinus, qui propositis duobus regnis, temporali, quo quis præest hominibus, & spirituali, quo suis affectibus imperat, ita subiūgit. Sed illud vitare, & fugere omninò oportet, sicut magistra veritas proprio exemplo nos docet: Istud autem debemus desiderare, & quærere, & cum summo desiderio postulare, & cum propheta supplicare: Da imperium tuum puero tuo.] Quòd autem Dauid hoc spirituale regnum postulauerit, ita confirmat. Numquid nam quæso animam prophetalem tantæ ambitionis credere oportet, vt regnum Israëliticū à Domino peteret, & ab eiusmodi eum petitione nec saltem pudor cohiberet? Sed si non potuit cohibere linguam, ne hoc peteret, cur saltem non prohibuit manum, ne tale aliquid scriberet? Sed absit de anima tam sancta, & anima prophetali tale aliquid suspicari. Sed tale vtique regnum, vel imperium de Domini pietate postulabat, vnde salutis suæ prouentū, vel prouectum sperabat.] Hoc ergo spirituale regnū virtutum affectantes, si confidant in Domino, erunt sicut mons Sion,] fortes & insuperabiles erunt: nam virtutum acie, omnes prauos subiicient affectus, & habitantes in Ierusalē, hoc est in statu perfectæ virtutis, in quo tandem se ostentat pax, si perseuerare voluerint, numquam mutabilitatem, aut casum admittent. Montes quidem, hoc est, Angeli sancti, in circuitu eorum, quos vitæ puritate sui similes esse conspiciunt, & Dominus in circuitu populi sui, illius scilicet, qui virtutum actibus meruit appellari populus Dei, ex hoc nunc, & vsque in sæculum.]

Richar. de conscientia securit. c. 31.

Psal. 85. 16.

Psal. 124.

Ex hoc gradu ad secundum perueniunt, qui in hoc re vera consistit, vt illi, qui cura & labore virtutes acquisierunt, facti sint aliis virtutum exemplum. Indicium namque non cuiuscumque, sed excellētis cuiusdam virtutis est, inter bonos lucere, atque inter perfectos caput erigere: sicut Saul, qui stans in medio populi, altior fuit vniuerso populo ab humero, & sursum: & aliis, qui populo in exēplū virtutis dati sunt, maioris perfectionis semitas demonstrare. His optimè congruit illud Pauli: Christi bonus odor sumus Deo in his, qui salui fiunt, & in his, qui pereunt.] O admirabilis odor, qui Deo suauis est, & bonus bonis, & bonus etiam malis? Quibus tamē licèt bonus odor sit, est odor mortis, quoniam bonorum exemplis non proficiūt, inter epulas sibi ministratas esuriunt, & ipsius lucis susceptione cæcantur. Bonū quoque exemplum sua excellenti virtute præstātes, canere possunt, In conuertēdo Dominus captiuitatem Sion, facti sumus sicut consolati.] Conuertente enim Domino eorum seruitutem, qua vitiis seruiebant, in statum tam fælicem, vt aliis etiam sint causa libertatis, & bonæ vitæ, quid ni consolētur? Quid ni os eorū gaudio, & lingua exultatione repleatur? Verè dicetur inter gentes: Magnificauit Dominus facere cum eis,] quia illos inter magnos, maiores fecit, vt tamquā soles quidā in medio astrorū resplendeant.

1. Reg. 10. 23.

2. Cor. 2. 15.

Psal. 125. 1.

Non erit illis difficile ad tertium gradum ascendere; vt scilicet per ostensionem sanctissimæ vitæ, apud alios opinione sanctitatis adepta, potentes sint verbo, vt quod antea opere docuerūt, valeāt postea, sermone persuadere, & doctrina monstrare. Hic gradus secundum Gregorium, in Ægyptiis adūbratus est, qui dum erant liberi frumentum ad eū tantùm impetrant, serui autem Pharaonis effecti, non tantùm ad esum, sed etiam ad semen percipiunt. Sic enim nos liberi, id est, nostræ libertati, & voluntati vacātes, interdū verbo Dei pascimur, at serui Christi facti, & odorem virtutis ex nobis spirātes, verbo prædicationis in bonum aliorum replemur. Neque verò putādum est istum gradum ad solos doctos & literatos pertinere. Idiotæ namque, qui bono exemplo alios ædificant, solent etiā verbo efficaci repleri, & oratione quadā simplici, agresti, & inculta, aliquādo magis persuadēt, & perfectiùs spiritus difficultates attingunt, quàm alij, qui non in propria cōscientia, sed in mortuis voluminibus res spirituales prælegerunt. Quare sapienter monet Cassianus, nec quemquam debere propriæ sciētiæ fidere, neq; imperitiam fratris illiterati cōtemnere. Quia sæpe accidit (ait) vt ille interdū, qui acrioris ingenij, sciētiæq; maioris est, aliquid falsū mēte cōcipiat, & ille, qui tardioris ingenij, ac minoris est meriti, rectius aliquid, veriùsque persentiat.] Sed ille, qui ex abūdātia virtutis verba potentia, & efficacia ad persuadēdum eructat, nequaquam sibi ipsi confidat; nam in isto gradu, ne in superbiæ rupem impingat, illum Psalmum sibi proferēdum inueniet. Nisi Dominus ædificauerit domum, in vanum laborauerunt, qui ædificāt eam. Nisi Dominus custodierit ciuitatem, frustra vigilat, qui custodit eam.] Licet nos loquamur, Dominus tamen est, qui in audientiū cordibus tēpla virtutis extruit; Dominus est, qui ædificata custodit. Itaque, neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus.]

Gregor. 6 mor. c. 16.

Cassia. co. 16. c. 12.

Psal. 126. 1. 2.

1. Cor. 3. 7.

Meritò ergo quartus gradus proficientium erit, si postquam virtutes acquisisti, alios sodales tuos sanctitatis exemplo promouisti, & verbo virtutis ad omnem perfectionē incitasti, te ipsum sub pedibus omnium constituas; & tanquam vermiculū abiectissimum, omnium te infimū reputes, & verissima humilitate cōtemnas. Magna res humilitas, quæ ipsa virtus existens, omnium est decor virtutum, exēpla sanctitatis, aliis exhibita perficit, doctrinā cōfirmat, & si deficiat, vniuersa dona, quæ accepimus, periculosa reddit, atq; suspecta. Rectè profectò dixit Richardus Victorinus: Maximus nempe est animæ decor, si post omnium virtutum perfectionem, quis humilitatem possideat, & cùm magni sit meriti, magnū se esse nesciat. Magnū se nesciebat Beatus Iob, qui dicebat: Si simplex fuero, hoc ipsū ignorabit anima mea.] Parua quippe bona sua æstimabat, quia sēper ad maiora feruebat.] Qui & paulò superius, magna asseueratione affirmauerat. Magnum Antoniū nulla virtute apud Dominū tam mirabiliter exaltatū, quā post tantos superatos labores, eximia humilitate, & sui ipsius verissima deiectione. Itaq; si vniuersis virtutibus comparatis, & magnis laboribus in conuersione animarū susceptis, te vilissimū, & abiectissimū reputas, neque honorem à fratribus, neq; auctoritatē apud externos, neq; priuilegia à prælatis, exquiris, sed ac si esses rudis nouitius, te tractari, corrigi, & exerceri permittis, te supra tres prædictos gradus, ad quartū ascēdisse nō dubites. Beatus profectò eris. Quia beati omnes qui timēt Dominū, qui ambulāt in viis eius. Nā qui sūt, qui timēt Dominū, nisi humiles? Dicēte Domino per Isaiā: Ad quē respiciā, nisi ad pauperculum, & contritum spiritu, & tremētem sermones meos? Tremor iste est paupertatis, & contritionis spiritus, id est, humilitatis effectus. Et qui sunt, qui ambulant in viis Domini, nisi humiles? Cùm ipse dux

Richar. in cant. c. 3.

Iob 9. 21.

Isa. 66. 2.

amore sui creatoris inflammati, & nec cum hominibus conuersari, nec res creatas videre, nullam salutis,aut vitæ corporalis curam habere, neque corporis necessitatibus deseruire.Et tamen propriç imbecillitati se accommodat, communibus religionis occupationibus vacat, hominum colloquia necessaria,aut vtilia admittit,negotia suæ vocationis,aut instituti non abhorret, diuina deserit, à cœlestibus, & supernis descendit,manducat,bibit,dormit,& intermissioni vacat, vt corporis incolumitati cõsulat, & sanitatem conseruet,quia istam esse Domini voluntatem aduertit. Vellet tandem, & summè optaret ob gloriam Dei,magnus esse cum magnis, & vitam omnino cœlestem agere: sed quia videt aliam esse dispositionem Domini,sustinet libenter paruulus esse cum paruulis,& illis ingentibus donis carere,ad quæ aspirauerat,& mente conceperat.Hoc est non tantùm voce, sed corde quoque; & vita dicere: Fiat volũtas tua] qua nulla est maior, nec perfectior oratio. Nam hoc dicere,nihil aliud est,(vt ait Cassianus) quàm, vt sint homines similes angelis, & sicut voluntas Dei ab illis impletur in cœlo; ita etiã hi, qui in terra sunt, non suam,sed eius vniuersi faciant voluntatem.] Qui verò istam adepti sunt in omnibus prosperis,& aduersis,cum diuina voluntate concordiam,illius versiculi dulcedinem experiũtur: Ecce quàm bonum,& quàm iucundum habitare fratres in vnum.] Qui namque sunt isti fratres, nisi Christus,& iustus?(neque enim erubuit nos fratres vocare,ille qui noster est, & creator & Dominus) sed in vnum Christus,& iustus habitant,quando iustus Christi voluntati plenè subiectus, nihil aliud appetit,nihil quærit,nisi quod in suum bonum ille disposuit.

Tandẽ anima his omnibus lotionibus incipientium purificata; his proficientium indumentis ornata; his ditata perfectorum monilibus, meretur ad postremum, & quindecimum vitæ spiritualis gradũ peruenire: vt scilicet vnus spiritus cum Deo facta, cum semper intra seipsam præsentem habeat, illiq; sine intermissione,intellectu,& affectu cohæreat.Et quemadmodum oculis creata lustrãtes, in omnibus lucem vident,quasi vniuersis rebus adhærẽtem, eisque vt videantur tribuentem, ita anima perfecta in omnibus,quæ videt oculis, quæ audit auribus, quæ manibus perficit, aut cogitatione pertractat,illam diuinam lucem,aut fontem omnis luminis intuetur, illum adorat,& veneratur,illum intimè diligit, quẽ omnium vitam & pulchritudinem esse cognoscit. Tunc neque pulchritudine creaturarũ allicitur, neque horrore, & fœditate turbatur, quia in illis non tam illas,quàm creatorem aduertit, cuius cõspectu inescata nullius rei amore,vel odio distrahitur. Qui hunc gradum est assequutus, intelliget illud Salomonis: Sapientis oculi in capite eius; stultus in tenebris ambulat.] Et rursus illud: Ego os regis obseruo,& præcepta iuramenti Dei:Ne festines recedere à facie eius.] Os enim regis obseruare est, semper oculos mentis in Dei vultum intendere. Et habere in capite oculos, est, considerationem nostram in Christum caput nostrum defigere.Vnde Gregorius: Oculi sapientis in capite eius:quia videlicet sapiens quisque illum tota intentione considerat, cuius se membrum esse per fidem pensat.] Et ad hanc perfectionem quærendam, & exoptandam vltimus Psalmus gradualis inuitat, dum ait: Ecce nunc benedicite Dominum omnes serui Domini. Qui statis in domo Domini,in atriis domus Dei nostri: in noctibus extollite manus vestras in sancta, & benedicite Dominum.] Illud enim nunc,in quo benedicendus

A est Dominus, tota hæc vita est, stateræ momento comparata:Et illæ noctes in quibus manus in sancta sunt extollendæ,dies nostri sunt propter fidei obscuritatem noctes appellati, quas noctes, qui in iugi Domini memoria,& amore occupauerit, illam cõsequetur benedictionem, quam versiculus postremus promittit: Benedicat te Dominus ex Sion, qui fecit cœlum,& terram.]

Hi sunt gradus vitæ spiritualis,& fœlicissimi nos, si omnes conscenderimus, quoniam beatus homo, ô Domine,cuius est auxilium abs te, non ob aliam profectò rationem, nisi quia ascensiones posuit in corde suo. Sed nos infœlices, imò etiam beati, si ascendere nitimur,& in hoc labore, atque conatu vitam impendimus.Tunc namque iure optimo viri spirituales appellabimur,quia non vitam carnis sequimur,sed ad vitam spiritus aspiramus. Quamuis enim (vt inquit Leo Papa) spe salui facti sumus, & corruptibilem adhuc carnem, mortalémque gestemus, rectè tamen dicimur in carne non esse; si carnales nobis non dominẽtur affectus, & meritò eius rei deponimus nuncupationem, cuius nõ sequimur voluntatem.] Tunc vitam agimus nostro statu minimè indignam, quia illas scalas curamus ascẽdere,& ad illum finem peruenire,cuius gratia religionem ingressi sumus,& mundum reliquimus. *Psal. 83. 6.* *Leo ser. 1. de resurrectione.*

Quòd terminus vitæ spiritualis,& graduum eius est vita in perpetuum duratura.

CAPVT XII.

QVi in cõscendendis his vitæ spiritualis gradibus occupantur, & eo modo, quem diximus, suam vitam instituũt, optimè sibi poterũt illud Pauli de Domini benignitate arrogare in carne ambulantes,non secundũ carnem militamus.]Quia non carnalia, & mundana sequuntur: sed cœlestes thesauros perfectionis inquirunt.Hi re vera manẽt in Christo, tamquam membra viua, à quo gratiæ abundantissimæ influxum recipiunt:Quia ambulãt (vt inquit Ioãnes)sicut ille ambulauit.]Hoc quippe nihil aliud est (vt ait Prosper Regiensis Episcopus) nisi cõtemnere omnia prospera, quæ Christus contempsit;non timere aduersa, quæ pertulit,libenter facere,quæ fecit; fieri docere,quæ docuit; sperare, quæ promisit; & sequi, quò ipse præcessit.] Sequi autem Dominum,quò ipse pręcessit,nihil aliud est, nisi nos huius vitæ spiritualis præsidio illam beatã promereri vitam,cuius gratia conditi sumus. Nam spiritualis vita profectò via est ad perpetuam vitã, cuius viæ Dominus ipse dignatur esse imperator & ductor. Ob quod beneficium propheta regius gratias agit ex intimo cordis affectu,cùm ita ait: Notas mihi fecisti vias vitæ.]Has enim esse vitæ spiritualis vias,quas nobis Dominus demõstrauit, Ambrosius in hunc modum expressit. Notas mihi fecit vias vitæ.cùm me docuit fidem, misericordiam, iustitiam, castitatem. his enim peruenitur itineribus ad salutem. Et licet nos in resolutione corporum mortis vmbra circundet, tamen gressus suos vita nõ deserit;sed inter ipsas medias inferni leges, incunctãter Christi virtutibus ambulamus. *2. Cor. 10. 3.* *1. Ioan. 2. 6.* *Prosp. 2. de vita contemp. c. 21.* *Psal. 15. 19.* *Amb. ser. 74. in natali martyrum.*

Vitæ ergo spiritualis actiones, viæ sũt illius vitæ, quem speramus, quia non nisi viuendo spiritualiter ad illam fœlicem vitam peruenimus. Et vt has vitæ

vias disceremus; Apostoli,& alij Sancti, & viri perfecti, mundo dati sunt, qui tamquam sapientes magistri eas opere, & doctrina monstrarent. Ne autem nos qui in cœnobiis viuimus, aut harum viarum multitudine, aut itineris longitudine lassaremur; eas ad tres breues,& faciles reuocarũt, quibus tota spiritualis vita comprehenditur: nimirum, ad cultum Dei; ædificationem proximi; & ordinationem sui. Et qui has tres semitas gressibus animæ fuerit emẽsus,& in eis vsque ad mortem ambulare persliterit, absque dubio à morte perueniet ad vitam. Arbitror autem (inquit Bernardus) quòd tu, qui in congregatione es, bene viuis, si viuis ordinabiliter, sociabiliter, & humiliter: ordinabiliter tibi; sociabiliter proximo: humiliter Deo. Ordinabiliter, vt in omni conuersatione tua; sollicitus sis obseruare vias tuas, & in cõspectu Domini,& in conspectu proximi cauens, & tibi à peccato, & illi à scandalo. Sociabiliter,vt studeas amari,& amare, blandum te,& affabilem exhibere: supportare non solùm patienter, sed & libenter infirmitates fratrum tuorum, tam morum, quàm corporum. Humiliter, vt cùm hæc omnia feceris, spiritum vanitatis studeas exufflare, qui ex huiusmodi nasci solet: & quantumcumque illũ senseris, negare omninò consensum. Istas tres vias, quæ omnem spiritualem vitam amplectũtur,& vniuersas virtutes comprehendũt, non inaniter ambulamus, quia finis illarum vita est sine fine duratura. Tu autem homo Dei (inquit Paulus) hæc fuge, id est, cupiditatem rerum terrenarum, omnium malorum fontem, atque radicem; sectare verò iustitiam, pietatem, fidem, charitatem, patientiam, mansuetudinem: Certa bonum certamen fidei.] Et ne putes nullum præmium huius esse certaminis: Nã apprehendes vitam æternã, in qua vocatus es.] Qui enim ad vitam spiritualem vocatur, non ad aliud, quã ad vitam æternã vocatur: nam hæc illius est fructus & pretium. Quis plantat vineam (ait idem Paulus) & de fructu eius non edit? Quis pascit gregem, & de lacte gregis non manducat?] Et iterum: Quoniam debet in spe qui arat, arare:& qui triturat, in spe fructus percipiendi.] Si istæ occupationes temporales, suis emolumentis non carent, quis adeò desipiet, vt credat spiritualia opera,& virtutum studia fructu,& emolumento carere?

Ber. ser. 1. in festo Petri & Pauli.

1. Timot. 6.11.

1. Cor. 9. 7.

Ibidem.

Habent quidem fructum non vtilem, sed pretiosum non temporalem tantùm, sed æternum. Et meritò dixi non temporalem tantùm: quoniã, & æternum habent, & non destituuntur temporali. Quod Dominus (cuius verba fidelissima sunt) per Malachiam, non obscurè promisit. Impij namque hoc spiritualis vitæ præmium abnegantes, ita clamabãt. Vanus est, qui seruit Deo, & quod emolumentum, quia custodiuimus præcepta eius,& quia ambulauimus tristes corã Domino exercituum? Et non cõtenti virtutem elevare,& sanctis operibus detrahere,& à bona vita præmium auferre, etiam malis, ac impuris operibus virtutis mercedem attribuunt. Ergo nunc (aiunt) beatos dicemus arrogantes, siquidem ædificati, id est, ditati sunt facientes impietatẽ, & tentauerunt Deum, ac peccatis prouocauerũt, & salui facti sunt.] At Dominus quid dicit? Et erunt mihi in die: qua ego facio in peculium] in die scilicet, qua impiis delictorum pœnas,& iustis bonorum operum stipendia decerno: & parcam eis, sicut parcit vir filio suo seruienti sibi.] Ecce præmium æternum. Et conuertemini, & videbitis, quid sit inter iustum,& impium, & inter seruientem Deo, & non seruientem ei.] Ecce præmium temporale. Nam qui impietatem fugiẽs, perfectam virtutem sectatur, & vitæ spiritualis gradus ascendere nititur, tantam experitur tranquillitatem, tanta luce perfunditur, tanto gaudio, ac lætitia exhilaratur, tanta reuerentia ab hominibus afficitur, tanta cura ab Angelis protegitur, tanta benignitate à Domino honoratur, vt planè cognoscat,& vel ipsis oculis videat, iustis etiam in hac vita præmia abundantissima esse promissa, & mercedem copiosissimam illis concedi.

Malac. 3. 14.

Ibid. 15.

Ibid. 18.

Hæc igitur vita spiritualis est vita vera, vita læta, & honorabilis, vita omnibus desideriis suscipienda, cuius principium non est natura, sed gratia, cuius finis non est corruptio, sed gloria, cuius opus non est mercede vacuum, sed præmiis cælestibus plenũ. Hæc vita est, quam religionem ingredientes quæsiuimus,& fælices nos, si iam illam inuenimus. Sicut enim mercator pergit ad nundinas, vt opes augeat, & suas possessiones amplificet, & ignarus frequentat scholas, vt literarum peritus euadat,& scientiam addiscat, nec non & ambitiosus principum adit domos, atque palatia, vt splendorem, ac dignitatem acquirat: ita religionem intrauimus, & in cætum nos virorum spiritualium recepimus, vt vitam hanc spiritualem à rebus terrenis auulsam, & virtutibus cœlestibus inhærentem assequeremur. Ne ergo frustra mundum reliquerimus, ne laborem nostrum perdamus, ne fine, quem nobis proposueramus, priuemur, sed gnauiter pro hac spirituali vita, ac pro eius perfectione pugnemus. Si honorem cupiebas, ô religiose, qui ista legis, si prælationem, aut dignitatem optabas, satius tibi fuisset in sæculo commanere, academias sequi, Pontificis summi, aut alicuius principis sæcularis curiam frequentare, vt dignitatem aliquam, saltem vsque ad mortem duraturam obtineres: sed in schola humilitatis, ad quid infœlix dignitatem cõcupiscis, quam elapsis tribus, aut quatuor annis successori relinquis, & nihil aliud eius functione, nisi fratres tibi auersos, & fortassis in hostes, & inimicos conuersos acquiris? si delicias quærebas, cur non vxorem duxisti, & eum statum amplexus es, in quo carnis delectationes licent, in quo filiorum lusus, famulorũ obsequia, amicorum, & consanguineorum commercia, & bonorum possessio aliquam voluptatem pariũt? sed in domo pœnitentiæ, quomodo insane deliciis perfrueris, quas prælati negant, seniores amandant, fratres fugiunt, tyrones reiiciũt,& ipse status religiosus detestatur: si argẽti,& auri, pretiosarúmque vestium,& amplæ supellectilis desiderio flagrabas, quare, ô insipiens, tua bona multa, aut pauca reliquisti, quæ labore,& industria posses augere? Quare facultatem possidendi deseruisti, sine qua non licet tanta superflua recondere, tanta pretiosa habere, tanta curiosa, & pulchra possidere? Ad quid properasti in vitæ religiosæ desertum, in quo rerum temporalium acquisitio est laboriosa & conseruatio difficilis, quia illas prælatus,& potest,& debet à cellulis pauperum remouere? Si denique requiem corporis, & otiositatem amabas,& propriæ voluntatis amore tenebaris cur, stulte, ad militiã venisti, ad bellum processisti, alterius volũtati te subiecisti, qui animæ tuæ rationem redditurus, non potest otiositatem permittere, neque in te propriam voluntatem, omnium virtutum pestem, sustinere? Ne igitur his cæcitatibus cõturberis, his ignorantiis implicceris, ne tot periculis perdendi animam exponaris; honores fuge, voluptates despice, opes contemne, otiositatem caue,& vitam arripe spiritualem tuo statui debitam,& tuæ vocationis propriam, cuius præsidio summum honorem, infinitam voluptatem, incomparabiles diuitias, & incomprehensibilem requiem, quæ in Dei

adeptione,

:ptione, consistit, assequeris Et ne putes te verum c religiosum, nisi hæc quæ diximus fugiens, quoie opus operi, virtutem virtuti, & feruorem ferri adiicere studeas. Vt enim verissimè dixit Ioannes Climacus Ille est fidelis, & prudens monachus, ii feruorem suum seruauit inextinguibilem, & in A dies vsque ad finem vitæ suæ, ignem igni adiicere, feruorem feruori, desiderium desiderio, ac studium studio numquam desiit.] Si huius spiritualis occupationis obliuisceris, & rebus sæcularibus & prophanis inhæres, te ipsum lædis, & falsi religiosi & viri spiritualis nomen vsurpas.

PARS SECVNDA.

De Triplici vita spirituali sacris literis adumbrata.

Priusquam tres vitas spirituales tranctandas aggrediar, visum est mihi plures earum imagines sacris literis contentas præmittere, & mysticis expositionibus illustrare quæ ad sequentem tractationem ianuam aperiant. Res aliquantulum curiosa est sed non inutilis, neque à desiderio virorum spiritualium aliena, in qua sub historiarum Sanctarum inuolucris intelligent, quod diuersi Ecclesiæ status, ac professiones contineant.

De triplici vita spirituali, actiua, contemplatiua, & mista.

CAPVT XIII.

Qui vitam spiritualem profitentur, cuius naturam, gradúsque descripsimus; tribus modis creatori famulari, & in cœlestem patriam properare festinãt. Aut enim in externis se exercẽt actionibus, aut internis animi studiis occupantur, aut simul exteriora virtutum opera, & interiores functiones mentis, tota auiditate suscipiũt. Horum viuendi modorum quodam loco meminit Augustinus, in hunc modum scribens. In tribus quoque illis vitæ B generibus, vno scilicet non segniter, sed in contemplatione, vel inquisitione veritatis otioso, altero in gerendis rebus humanis negotioso, tertio ex vtroque genere temperato: Cùm quæritur quid horum sit potiùs eligendum, non finis boni habet controuersiam, sed quid horum trium difficultatem, vel facilitatem afferat, ad consequendum, vel retinendum finem boni in ista quęstione versatur.] Et rursus alio loco: Ex tribus verò illis vitæ generibus, otioso, actuoso, & ex vtroque cõposito, quamuis salua fide, quisque possit in quolibet eorum vitã ducere, & ad sempiterna præmia peruenire; interest tamen quid amore teneat veritatis, quid officio charitatis impẽdat.] Ex his ergo tribus benè, studioséque viuendi rationibus, tres sunt vitæ spirituales exortæ: actiua, C contemplatiua, & mista, sub studiosa, atq; spirituali vita contentæ. Actiua (vt eas breuiter exponamus) est, quæ externas virtutis occupationes tractat. Cõtemplatiua, quæ contemplationi diuinorum intendit: Mista, quæ neque actione sola, neque contemplatione contenta in vtroque studio pari cura, ac diligentia versatur.

Harum trium vitarum, actiua videtur fœcundior: contemplatiua formosior: mista fœlicior. Prima est laboriosior: secunda quietior: tertia robustior. Altera vtilior: altera iucundior: tertia præstantior. Denique in actiua incipimus: in contemplatiua proficimus: in mista perficimur, atque consummamur, Et omnis, qui perpetuam fœlicitatem assequi cupit, in aliquo huius triplicis vitæ debet studio occupari; A vt scilicet vel bona actio eum teneat, vel contemplatio distineat, vel actionis, contemplationisque vicissitudo delectet. Quare volentibus cum Mose, & veris Israëliris tenebras Ægypti, id est, peccata deserere, & in terram viuentium iustis promissam conuolare, illud Exodi est sine vlla cunctatione dicendum. Dominus Deus Hebræorum vocauit nos, ibimus viam trium dierum in solitudinem, vt immolemus Domino Deo nostro. Via trium dierum illis conficienda est, vt nimirum ingrediantur virtutis actionem, vel veritatis contemplationem, vel tam actionis, quàm contemplationis studium, atque laborem. Aliqua namque istarum viarum necessaria est, vt quis possit, vel ab Ægypto peccatorum discedere, vel ad præmium æternum peruenire. Et ideò etiam Angelus apud Ezechielem mensus est latitudinem portæ templi, trium cubitorum hinc, & triũ cubitorum inde, quia videlicet cœlestem patriam, non nisi per sanctæ Trinitatis fidem ingredimur, & per tres istas vitas, tamquam per portã trium cubitorum intramus. Tertia quoque pars terræ in Apocalypsi comburitur, & tertia pars arborum concrematur, & duæ partes Domino illæsæ seruantur, quia nimirum actiui, & cõtemplatiui, (atq; adeò ex vtraque vita compositi, qui non debent ab illis merito & actione secerni) in sorte Domini ponendi sunt: Qui verò nullam istarum vitarum exercẽt, in parte Diaboli numerandi. Vnde magnus cõtẽplator Richardus: Duæ hominum partes (ait) sunt Dei, actiui scilicet, & contemplatiui, imperfecti, & perfecti, minores, & maiores. Istas duas partes De⁹ sibi assumit, quia pusillis cum maioribus benedixit. Tertia pars, quæ est malorum, Diabolo relicta est, & fracta grãdine, & igne commixta in sanguine; duabus, quæ Dei sunt, illęsis permanentibus, cõbusta est.] Itaque sitientes in vitam beatam conscendere, quicumque illi sint, siue religiosi, siue sæculares, debẽt aut actiones virtutum exteriores colere, aut cõtemplationis iter arripere, aut simul vtrumque opus in vnam viuẽdi rationem copulare, quia in istis viuẽdi modis, solùm, vel in aliquo illorum Domini mandata seruantur, & extra illos, nullo pacto valet quisquã, aut diuinam legem seruare, aut Prælatorum scita custodire. Qui autem præcepta Domini, & Ecclesiæ, ac Prælatorum, qui eius personam agunt, mandata nõ

Exod. 3. 18.

Ezechiel. 40. 48.

Apocal. 8. 7.

Richar. l. 3. in Apocal. c. 2.

seruat,

seruit, minimè poterit vitam æternam adipisci.

Cum autem hæc ita sint, manifestum est, tres istas vitas, ad omnes homines, tam sæculares, quàm religiosos pertinere; nullúmque esse rectè, & secundum præceptum rationis viuentem, qui earum aliquam non sequatur. Sed nescio quonam modo, magis propriè in religiosos quadrant, ac peculiariter eorum congregationibus, cætibúsque cōueniunt. Seculares enim in duas classes, siue in duos ordines libet redigere: alterum eorum, qui vitam voluptuosam, aut ambitiosam, & vitiis, ac cupiditatibus deditā agunt: alterum verò illorum, qui diuina mandata custodiunt, & virtutem amātes puritati cordis inseruiunt. Et illis quidem cum tribus spiritualibus vitis, nihil commune est, cùm non spiritualiter, sed carnaliter viuant, non virtutum itinera, sed vitiorum præcipitia sectentur. Nam qui aliquam vitam spiritualem amplectendam suscipiunt, Domino suis operibus obsequuntur, illius famuli sunt, adeò, vt possint eum magna fiducia dicere: Tuus sum ego, saluum me fac, quoniam iustificationes tuas exquisiui.] Qui verò vitiis, & peccatis se tradunt, non Domino seruiunt, sed Diabolo famulātur; imò quot sunt vitia ab ipsis amata, tot implacabilibus heris se subiiciunt. Egregiè enim dixit Ambrosius: Non potest dicere sæcularis (& loquitur de eo, qui vitiosè viuit) Tuus sum, plures enim dominos habet. Venit libido, & dicit; meus es, quia ea, quæ sunt corporis concupiscis, in illius adolescentulæ amore te mihi vendidisti, in illius cōcubitu meretricis pretium pro te annumeraui. Venit auaritia, & dicit; argentum, & aurum, quod habes, seruitutis tuæ pretium est; possessio, quam tenes, iuris tui emptio, venditio libertatis tuæ est. Venit luxuria & dicit; meus es, vnius diei conuiuium pretium tuæ vitæ est, ille sumptus epularum, tui capitis licitatio, tui est summa contractus; & quod peius est, caro emptus es pretio, vilior cibo es tuo, pretiosior est vnius diei mensa tua, quam totius temporis vita: Inter calices te redemi, inter epulas acquisiui. Venit ambitio, & dicit tibi; planè meus es, nescis, quòd ideò imperare aliis te feci, vt mihi ipse seruires? Nescis, quòd ideò potestatem in te contuli, vt meæ te subiicerem potestati? An ignoras ipsi Domino saluatori dictum esse ab huius mundi principe cùm ei ostendisset omnia regna mundi: Hæc omnia tibi dabo, si procidens adoraueris me?] Antè ergo ipse subiicitur, qui alios vult habere subiectos. Veniunt omnia vitia, & singula dicunt: meus es. Quem tanti competūt, quàm vile mancipium est? Quomodo ergo tu, qui huiusmodi es, potes Christo dicere: Tuus sum? Respondebit tibi ille: Non quicumque dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum; non quicumque dicit, Tuus sum, meus est.] Qui ita se à vero omnium Domino subtrahūt, & in tot falsorum dominorum se redigunt potestatem, nullam vitam earum profitentur, quibus homines saluti animæ consulant, & soli Domino famulantur. Cùm autem isti sint innumerabiles: Nam stultorum infinitus est numerus] maior mundi pars vitam spiritualem non agnoscit, & ab his tribus viis, atque itineribus æternitatis est prorsus aliena.

Psal. 118. 94. — Ambr. in psal. 118. — Matt. 4. 9. — Matt. 7. 21. — Eccles. 1. 15.

Alij verò sæculares qui rectè viuunt, & præceptis Dei, & Ecclesiæ se subdunt, aut vitam in actione positam, aut in contēplatione constitutam, aut in vtraque simul functione occupatā sequuntur. Hoc certum est, sed nullam vitam istarū eum ea perfectione exercere possunt, quam cœtus religiosi custodiunt. Primum quidem, quoniam viuentes in sæculo, propria voluntate instigante, hunc, aut illum viuendi modum assumunt, religiosi verò, obedientia, & iussu prælati mouente, aliquam viuendi rationem istarum accipiunt. Deinde quoniam illi ex ratione proprij status, neque ad vitam actiuam, neque ad contemplatiuam, neque ad mistam obligantur. Nullus enim sæcularis statum habet, id est, vitæ firmitatem voto, & solemnitate stabilitam, atque ad perfectionē externam obligatam, si tamen Episcopos excipiamus, qui in sæculo vitam agentes statum habent (vt Angelicus doctor affirmauit) religiosorum statu perfectiorem. Quare sæculares possunt exercitia mutare, & ab actione ad contemplationem, & ab hac ad vtriusque sequelam transire. At religiosi ex natura proprij status, quem sæculo renunciantes acceperunt, aliquam vitam trium istarum colunt. Nam status religionis, ad Dei & proximi dilectionem, tamquam ad finem ordinatur, per opera alicuius ex tribus istis vitis consequendum, ex quibus (vt ipse beatus Thomas ait) oritur religionum diuersitas. Quia nimirum hæc ad opera vitæ actiuæ, illa ad opera vitæ contemplatiuæ: alia verò ad opera vitæ mistæ est instituta. Et quia religio actiua, non omnes actiones vitæ actiuæ exercet, & similiter religio contemplatiua, aut mista, non omnes functiones vitæ contemplatiuæ, aut mistæ tractat: hinc ortum habet, vt multæ, ac distinctæ esse possint religiones actiuæ, quarum vna huic generi actionis; alia verò alteri insistat: & idem de religionibus contemplatiuis, aut mistis est sine vlla dubitatione dicendum. Atq; adeo religiosi non possunt exercitia omnino mutare, neque in cœnobium ab eo, qui regula statutus est, nouum viuendi modum inferre.

D.Tho. 2. 2.q.184. art.5.6.& 8. — D.Tho. 2. 2.q.188. art.2.

Præterea, viuentes in sæculo, vitam, cuius studio occupantur, non semel inutilibus actionibus interrumpunt, aut in suis bonis actibus, ad propriam commoditatem tantùm aspirantes, & nullum altiorem finem diuini obsequij quærentes, vix actiuæ vitæ naturam substantiámque conseruant. Nam cùm sint in medio nationis prauæ, & peruersæ, hoc est, inter eos, qui innumeris peccatis se tradūt, & in distortos fines suas omnes actiones referunt, difficile est horum exemplis non infici, & inter illos in cura diuitiarum, & honorum, diuinum beneplacitum quærere, & non inanem gloriam, superbiam, & ambitionem aucupari. Quam difficultatem, vt sacra Scriptura declararet, sancti Iob patriam exquisitè descripsit, dicens: Vir erat in terra Hus nomine Iob.] Vt hoc eius laudibus proficiat (inquit Gregorius) quòd bonus inter malos fuit. Neque enim valde laudabile est, bonum esse cum bonis, sed bonum esse cum malis, sicut enim grauioris culpæ est inter bonos, bonum non esse, ita immensi est præconij, bonum etiam inter malos extitisse.] Qui ad eandem laudem pertinere ait, quod idem sanctus Patriarcha alio loco dixit: Frater fui draconum, & socius struthionum.] Et quod Petrus de iusto Loth, dixit: Eum Sodomorum operibus cruciari.] Et Dominus Angelo Ecclesiæ Pergamensis ait: Scio vbi habitas, vbi sedes est Sathanæ, & tenes nomen meum, & non negasti fidem meam.] Atque ipsius dilectæ sponsæ suæ hāc laudationem tribuit: Sicut liliū inter spinas, sic amica mea inter filias.] Isti omnes Spiritus sancti ore laudantur, quia inter malos innocenter vixerunt, & à recto virtutis tramite in peccata non declinauerunt, vt compertum sit, valdè esse difficile inter malorum turbas, iniquitatem nō discere, & picem tangere, atque eius atrore non inquinari. Vnde Laurentius Iustinianus optimè ait: Hinc sæcularium, quàm periculosa sit vita percipitur, quorum conuersatio socialis, est cum peccatoribus cupidis, elatis, incompositis, & moribus

Iob.1.1. — Gregor. 1. mor.c.1. — Iob 30. 29. — 2.Petr. 2. 7. — Apoc. 2. 13. — Cāt.2.2. — Iust. de compun. & conc. & compl. Lig. ante finem.

ribus effrænatis. Vndique illis offeruntur scandala, & scelerum materiæ, quæ vix à spiritualibus, & perfectis declinari valent. O quàm sæpissimè cadunt vt debiles, & cæci; ô quàm frequenter ab extraneis peccata discunt quæ ignorabant? Malitiosi efficiuntur, impudici, & discoli suasione, ac familiaritate delinquentium. Vicissim sibi parant laqueos, & mutua exhortatione loquuntur. Venite, fruamur bonis, quæ sunt] & cætera. Sed vitam religiosam amplexantes, his omnibus periculis sunt admodum expediti. Non permittuntur illis occupationes, quæ vitam spiritualem, quam sequuntur, interturbent; non occurrunt distorti fines, qui bona opera inficiant, non exempla prauorum, quæ malum persuadeant. Breuiter, inter bonos viuũt, & vitã habent in Deum tendentem, in perfectionem ordinatam, & quadam bonorum operum continuatione contextam. Sapi. 2. 6.

Tandem in sæculo nullus ferè inter istas vitas ordo seruatur, & pauci sunt admodum, qui ab vna ad aliam ordinatè conscendant, quia plurimi sæculares, aut in actiua vita semper manẽt, aut infirmo & non satis solido fundamento, orationis ædificationẽ incipiunt, aut animarum curam onusque suscipiunt. At in religione magnus est istarum trium vitarum ordo, ac dispositio; & quælibet illarum aliquod vitæ religiosæ tempus sibi vindicat, & tanquam proprium, ac sui studio consecratũ exposcit. Quemadmodum enim in scientiarum scholis spatia temporũ sunt inter disciplinas distributa, ita vt primi anni Grammaticæ, sequentes eloquentiæ, & deinde alij philosophiæ, alij iuris peritiæ, aut Theologiæ designentur. Et erraret ille, non sine magna iactura, qui aut ordinem disciplinarũ inuerteret, aut eodẽ tempore in omnium studium incumberet: Ita in schola religionis tẽpora sunt inter istas tres vitas distributa, vt quis ordinem tenens in earum adeptione, euadat tandẽ in vnaquaque perfectus. Et sicut non omnia reipublicæ munera omnibus congruũt, sed hæc nobilibus, & viris illustribus, illa communibus ciuibus, alia verò plebi conueniunt, & infimæ multitudini; ita in religione nõ omnes religiosi tres prædictas vitas arripiũt, sed quidã actiuã; alij contemplatiuam: alij ex vtraque mistam profitentur. Actiua vita propria est nouitiorum, & eorum fratrum, qui vacant obsequiis temporalibus. Contemplatiua est, non solum illorum, qui in solitudinibus commorantur; sed & eorum, qui scientias religioso statui congruas addiscunt, vt ad proximos iuuãdos efficiantur idonei. Mista est, prælatorum, atq; eorum, qui iam ad sacerdotalem gradum euecti, in proximorum salutem incumbunt. Quemadmodũ enim in collegio Christi fuêre diaconi, qui post eius ascensum in cælum temporalia curabant, & discipuli, qui doctrinam de cœlo allatam percipiebant: & Apostoli, quorum munus erat doctrinam (qua iam erant imbuti) seminare, & gentes in Dei cultum, & cognitionem adducere: sic in religionibus, quæ nihil aliud sunt nisi Christi collegia, ab ipso instituta, & per aliquos insignes seruos fundata, & gubernata; tria ista inueniuntur hominum genera: quorum primum actiuæ vitæ: secundum verò contemplatiuæ: tertium autem vitæ mistæ leges obseruat. Istæ ergo vitæ sub spirituali atque studiosa vita comprehensæ videntur in cætus religiosos demigrasse, atque ibi domicilium pacatũ inuenisse. Quia igitur vniuersæ actiones religiosæ his tribus vitis continentur, necessarium est earum vitarum naturã, finem, & actus explicare: vt quisq; religiosus sciat suo muneri satisfacere, & modo viuendi sibi proprio operam dare. Sed antequam tractationem istam exquisitiùs aggrediamur, libet harum trium vitarum imagines à Domino in Scripturis sanctis delineatas, breuiter declarare, vt ex typo veritatem, ex vmbra substantiam, atque ex imagine, instituti nostri pulchritudinem agnoscamus.

De prima imagine vitæ actiuæ, & contemplatiuæ.

CAPVT XIIII.

Rex, pulcherrimam virginem, quam duxit vxorem, impensè amans, aut filium, quem genuit, tenerrimè diligens, & omnibus amorem suum testatum esse volens, iubet eius imaginem in præcipuo loco aulæ regiæ depingi, quo vniuersis ingredientibus pateat, se illius amore teneri, nimisque cupere summis honoribus cumulari. Hanc idololatriæ causam fuisse Sapientiæ liber manifestè testatur. Acerbo enim luctu (ait) dolens pater, citò sibi rapti filij fecit imaginem, & illum, qui tunc quasi homo mortuus fuerat, nunc tamquam Deum colere cæpit.] O magna generis humani calamitas! amoris signa transtulit in incitamẽta peccati, & quod primò charitati seruiebat, fecit, vt tãtæ Dei iniuriæ deseruiret. Sed satis sit nobis hunc esse hominũ morem, internum mentis amorẽ imaginibus eorum, quos amãt, ostendere, & quod intus in corde latet, his externis insignibus demonstrare. Sic ergo Dominus quanto amore istas tres vitas spirituales complectatur, hac ratione nobis manifestare decreuit, eas in celeberrimo loco Ecclesiæ suæ, hoc est, in Scriptura sancta, non semel, sed sæpe depingens, vt omnes hanc regiam aulam ingredientes, & egredientes, passim eas sponsas valde formosas videant, quas omnium Dominus diligit, illásque sibi amore coniungere & obsequiis nitantur copulare. Has ergo imagines contemplemur nunc, & ipsarum pulchritudine interiores animæ sensus oblectemus. Et sanè duas primas vitam actiuam, & contemplatiuam, tanquam sorores, charissimas, & in vita mista insolubili nexu copulatas, vna semper literæ sacræ præsignarunt. Ipsarum fuere imagines quatuor paria fœminarũ, quæ suis motibus, operibus, votis, harum vitarum naturas, & actiones expresserunt. Sap. 14. 15.

Primum par est duarum filiarum Saul, quas ex Achinoam vxore suscepit. Et nomina (inquit Scriptura) duarum filiarum eius (scilicet Saul) nomen primogenitæ Merob, & nomen minoris Michol. Has duas sorores vitam actiuam, & contemplatiuam expressisse, Magnus Gregorius his verbis explicuit. Si quis autem velit per primogenitam filiã; contemplatiuam vitam: per minorem, actiuam potest accipere. Et tunc quidem Merob de multitudine dicitur, quia multitudinis turbas deserit, & ad rariorem numerum, in contemplatione perfectorum venit. Non ergo multitudo, sed de multitudine esse dicitur, vt non hi, cum quibus est, sed vnde venerat agnoscatur. Michol verò ex omnibus dicitur, vt in actiua vita, vniuersalis vita sanctæ Ecclesiæ designetur. In actiua etenim vita etiam illi sunt priùs, qui postea ad contemplatiuæ secretũ transeunt: sed in contemplatiuæ remotione exterioris vitæ solitudine grauati non sunt. Illa ergo de multitudine; ista verò de omnibus dici potest, quia actiua vita omnes continet, cõtemplatiua omnium conspectum declinat, vt se conspectu mentis cœlestibus iungat.] 1. Reg. 14. 49. Greg. lib. 5. in 1. Reg. ad c. 14. non longè à fin.

Oculos igitur primò in has imagines intendamus,

mus,& statim ex eis,vitæ actiuæ & contemplatiuæ proprietates eliciemus.Istę fœminæ sorores sũt,filię regis sũt,quas Achinoã vxor sibi genuit.Maior scilicet Merob,de multitudine exponitur, & minor, nẽpe Michol(vt ait Beda)aqua omnis interpretatur,illa Dauidi promissa est,sed numquã data, hæc primùm quidem promittitur,deinde conceditur.Michol Dauidem exoptat,eum ante initum cõiugium amat,& post cõiugium celebratũ in amore perseuerat. Nam dilexit Dauid(inquit Scriptura)Michol filia Saul altera.]Et postea:Dedit itaque Saul ei,nimirum Dauidi,Michol filiã suam,vxorem, Michol autẽ filia Saul diligebat eum.]Dauid verò huic sponsæ suæ amori gratus existens,eam non gratis accipit, non centum præputiis incircumcisorum comparat, quæ sibi fuerunt à socero postulata,sed pretium auget & adiungit eam sibi ducentis præputiis Philistinorum. Et percussit ex Philistiim(ait)ducentos viros, & attulit eorum præputia & annumerauit ea regi,vt esset gener eius.Hæc sponsa est,quæ Dauidem sponsum suũ posito super lectulũ simulachro morti eripit,& depositum per fenestram abire cõcedit.Hæc est,quam Saul post multos annos à proprio viro separat,& viro alteri tradit,scilicet, Phalti filio Lais, qui erat de Gallim:à quo tãdem Dauid eam,non ferro , sed precibus,puram & illibatam recuperat.Et vt sæculi instabilitatem videamus, hæc tandem est, quæ Dauidem sibi dilectum irridet, atque subsannat, dicens illi:Quàm gloriosus fuit hodie rex Israël, discooperiens se ante ancillas seruorum suorum , & nudatus est,quasi nudetur vnus de scurris.]Huius autem irrisionis grauissimas pœnas exsoluit:Nam & malo sterilitatis mulctatur,quia non est ei natus filius vsque in diem mortis suæ, & quinque filios sororis suæ, quos,vt ignominiã sterilitatis leuaret, ipsa adoptauerat,atque nutrierat, suis oculis conspexit occisos. Nam cum duobus filiis Respha,quos pepetit Sauli, Armoni,& Miphiboseth,ceciderunt in diebus messis primis incipiente messione hordei.

Beda in expos. nom. Hebræor.
1.Reg.18. 21.& 28.
Ibidẽ 27.
1.Reg. 19.13.
1.Reg.25. 44.
2.Reg.3. 13.14. 15.
2.Reg. 6. 20.
2.Reg. 21.9.

Comminuimus testam, accipiamus & nucleum, narrauimus historiam , audiamus mysterium. Duæ vitæ,actiua & contemplatiua,quas prædictæ fœminæ filiæ Saulis repræsentant , sorores sunt , quia ab eisdem parentibus genitæ , quia moribus similes, quia operibus , & voluntate concordes. Vnum patrem,& vnam matrem agnoscunt,quia à Deo inspiratæ,& à bona voluntate spiritu gratiæ fæcundatæ generantur. Similes sunt , quoniam idem habent principium,scilicet diuinum præsidium , in eundem tendunt finem , nam in vitam æternam diriguntur. Idem quodammodo opus exercent,quia altera operando,altera contemplando , non aliud quàm Deo placere,& obsequi student.Magna pollent operum, voluntatúmque concordia , quoniam mutuò se iuuant:Contemplatiua actiuam dirigit , & actiua contemplatiuam accendit.Ista vitam humanam conseruat,illa vitæ spiritualis meritum , atque feruorem: Nam sine bonis operibus humana vita in ferinam & bestialem vertitur , & sine contemplatione futurorum spiritualis vita in mundanam , & carnalem commutatur.Illa facit , si decepta non est , vt actiui contemplatiuos honorent , ista efficit , si non est illusa , vt contemplatiui actiuos suspiciant. Quarum idem est pater,eadem est mater, quarum tanta est similitudo , tanta conspiratio , atque consensus, non dubium , quin meritò sorores vocentur. Filiæ quoque regis sunt,siue quia Deum regem regum patrẽ appellant,siue quia cultores suos in hac vita super cordis affectus regnare faciũt,& in futura regalibus sertis coronant, siue quia regios , & planè cælestes

A filios parturiunt. Nam illa (vt inquit Gregorius)parit multitudinem bonorum operum:Ista verò internorum pulchritudinem gaudiorum.

Greg. lib. 5. in 1. Reg.ad c. 14.

Contemplatiua in Merob maiore , actiua in Michol minore sorore signatur.Merob enim,de multitudine dicitur,& vita cõtemplatiua de multitudine, ac turba hominum extracta est, quia, vt Deo vacet, turbas populorũ declinat.Et Michol,omnis aqua exponitur , eò quòd actiua vita Deo placere cupiens omnium bonarum actionum labores, & curas exoptat. Contemplatiua vita maior est,non solùm ætate, sed etiam præstantia,& dignitate.Maior quidem est ætate : quoniam prius cæpit, & cor humanũ suis operationibus occupauit.Primus enim parẽs in humanæ conditionis exordio ante præcepti transgressionem,
B Deum contemplatus est,& in consideratione diuinorum mysteriorũ extasim passus;post transgressum verò præceptum , laborare cæpit, atque in pœnam commissi delicti hanc vocem audiuit. In sudore vultus tui vesceris pane tuo.] Est etiam dignitate præstantior , quoniam,& Deo propinquior est, & nobilioribus insistit actionibus. Optimè enim dixit Hieronymus : Sed tamen quantũ superexcellat serenitas tranquillæ vitæ,turbulẽtiam sæcularis cõuersationis,nouit qui hanc expertus est , & dominicum iudicium in Euãgelio inter duas mulieres cernit,ad Martham dicens:Martha,Martha sollicita es, & turbaris erga plurima,Maria optimam partẽ elegit,quæ non auferetur ab ea.]Et Beatus Dauid solũ hoc necessarium homini esse definiens,
C Deo iugiter adhærere desiderat , dicens : Mihi autem adhærere Deo bonum est,ponere in Domino Deo spẽ meã.] Et alibi : Vnam petij à Domino ,]&c. Vna ergo,& sola est Theorica,id est,cõtemplatio Dei, cui meritò omnia iustificationum merita,vniuersa virtutum studia postponuntur. Actiua etenim vita cum corpore deficit : Contemplatiua autem vita,hic incipitur,vt in cælesti patria perficiatur,quia amoris ignis, qui hîc ardere inchoat,cùm ipsum, quẽ amat viderit,in amore eius amplius ignescit.]Iure itaque optimo contemplatiua vita in Merob filia Saul maiore signatur,quæ omnibus modis maior est,siue tempus consideres,siue opus animaduertas, siue trãquillitatem,sanitatémque respicias.

Gen. 3.1 9.
Hier. in Thren.c. 3.in illud. Bonum est viro, &c.
Luc. 10. 41.
Psal. 72. 28.
Psal. 26. 4.

D Merob maior promissa est , & non data, Michol verò minor, & oblata, & à Dauide in vxorem accepta. Et similiter nobis,qui curam aliorũ suscepimus (quod non sine magno mærore scribo) aut defectibus nostris exigẽtibus(quod freq̃uẽtius est)aut Deo propter aliorum bonũ ita disponente,perfectio cõtẽplationis denegatur,& actionis molestia,ac labor ingeritur.Quod Gregorius explicare nõ omisit.Quã profectò(id est Merob,inquit)in cõiugiũ Dauid dare promisit,sed ei minorem dedit,quia nonnulli cõtemplatiuæ vitæ pulchritudinẽ diligũt,ad cuius amplexus accedere nequaquã permittũtur. Quia enim regẽdi fidelibus gregibus foris necessarij sunt, summus rex sic ordinat,vt Michol minorem accipiãt,& Merob maiorem numquam comprehendant]
E Promissa est nobis cõtemplatiua vita, quia eam instituti nostri partem esse cognoscimus,neque ad rem inaccessã aut impossibilẽ vocati sumus,aliquos eius paruulos haustus accepimus , sed numquã ad satietatẽ ista aqua bibitur,nũquã in spõsam hæc pulchra virgo cõceditur.O quoties incipio, & non perficio, video,& nõ amplector;curro,& nõ apprehẽdo,ô quoties volo , & fortassis omnia ad nuptias parata sunt, sed, aut necessitatibus corporis,aut proximorũ profectibus interpellor:O quoties dico, lectulus noster floridus]& respõdetur mihi.Ego flos cãpi & lilium

Greg.lib. 5 in 1. Reg.ad c. 14.
Cant.10. 17.
Cant.2. 1.

conuallium: ostendo lectum, & vocor ad campum, ad laborem prouocor, ad externam bonorum operum sollicitudinem ire compellor. O quotis ardẽter
Cant.1.7. inquiro, vbi dilectus pascat, vbi cubet in meridie, ne vagari incipiam post greges sodalium suorũ,] & non huius, quod optabam notitiam, sed murenulas aureas vermiculatas argento,] id est, nitoré eloquij, quo alios docere possim, accipio. Vide (inquit Bernardus) quomodo illa, scilicet sponsa, aliud cupit, & aliud accipit, & nitenti ad contemplationis quieté, labor prædicationis imponitur; & sitienti spõsi pręsentiam, filiorum sponsi pariendorum, alendorũque sollicitudo iniungitur.] In nobis voluntas Dei fiat, Domini beneplacitũ impleatur. Michol, id est, vitam actiuam in spõsam accipiamus, laboribus, & curis aliorum collum supponamus, & interim Merob, id est, vitam cõtemplatiuam, aut cursim amplectamur, aut desideriis, & gemitibus postulemus. Certi tamẽ sumus, quòd si Saul promissis nõ stetit, & filiam maiorem, quam Dauidi pollicitus erat, denegauit: sed Dominus, qui fidelis est, licèt trãquillitatem contemplationis differat, non tamen in perpetuum submouebit.

Bern.ser. 41.in cãt.

Vita ergo actiua est, quæ nobis primum copulatur, & in spirituale coniugium offertur. Hęc nos ante ingressum religionis amauit, quia orationis rudes, & rerum spiritualium imperitos, tantùm bonorũ operum aliquali cognitione, & desiderio, ad statũ religiosum arripiendum allexit. Et post religionis ingressum, etiam in amore persistit, quoniã nos sibi operatione iunctos tenet, & licet optantes, & nitẽtes à suis laboribus discedere, non permittit. Cui profectò vicem amoris repẽdimus: neque enim sola præceptorum, & regularum custodia, quæ à Domino fuit nobis iniuncta, sed aliorum bonorũ operum minimè debitorũ, exercitatione, eius perseuerantiam conamur emere, & perfectionem comparare. Nam sicut malus, inusitatis inuentionibus peccatorum ad fastigium malitiæ peruenit, vt mala sine
Iob.20.18. fine sustineat, secundum illud Iob: Iuxta multitudinem adinuentionum suarum, sic sustinebit: Ita iustus insuetis inuentionibus bonorum operum, ad bonæ vitæ perfectionem ascendit, vt cumulatissi-
Isaia 3.10. mum præmium accipiat, & (vt est apud Isaiam) fructum adinuentionum suarum comedat.] Huius vitæ beneficio à morte æterna liberamur, nam ille hanc mortem effugit, qui bonorum operum exerci-
Sapiẽt.10.9. tiis incumbit. Sapientia namque hos, qui se obseruant à doloribus, id est à peccatis, liberauit. Quæ sapientia, nihil aliud profectò est, nisi peccatorũ de-
Iob.28.28. clinatio, & bonorum operum consectatio: dicẽte Spiritu Dei: Ecce timor Domini, ipsa est sapiẽtia, & recedere à malo intelligentia.

Sed quid erit, quòd ficto per hanc nostram spõsam simulachro, & super lectulum posito, mortem effugimus, nisi quòd paulatim in cubili cordis iteratione bonorum operum veri Dauidis, scilicet Christi, ducis nostri imaginem fingit, quia insigniti, eius membra agnoscimur, dono charitatis capiti vnita, ne cum membris aridis, & putridis pereamus? Hoc sanè simulachrum non est ab illo signo diuersum, quod Dominus præcipit in frontibus iustorum inscribi. Signa Thau (inquit per Ezechielem) super
Ezech.9.4. frontes virorum gementium & dolentium super cunctis abominationibus, quæ fiunt in medio eius.] Qui namque sunt isti gementes, & dolentes nisi actiui, qui piè gemunt sub onere bonæ actionis, & dolent super minimis defectibus, quos inter bona etiam opera vitare non possunt? Isti autem Thau, hoc est, cruce Christi, & imitatione laborũ eius signati sunt, ne in postremo die æterna morte feriãtur. Vita ergo actiua est quæ Christi imagine per imitationem cordibus nostris impressa, morte nos eximit, quam hostes humani generis inferre decreuerant; si dormientes, aut oscitantes, & bonæ actionis vacuos inuenissent.

Aliquando verò contingit, vt vitæ actiuæ actio inuidorum opera à iusto tollatur. Solent enim isti, quem viderint in via Dei prosperè currere, ita obmurmurationibus impetere, & persecutionibus affli-
gere, vt rationi consonum ducat se subducere, vxorem ad tempus deserere, & à bono opere consueto *Psal.38.2 & 3.*
cessare. Illudque Dauidis vsurpat: Posui ori meo custodiam, cùm consisteret peccator aduersum me, obmutui, & humiliatus sum, & silui à bonis, & dolor meus renouatus est.] Quia dum mali eum persequuntur, non solum in patientia, & tranquillitate se continet, verùm etiam, ministerium prædicationis deserens, & bona opera, quibus proximos iuuabat omittens, ori suo silentium imponit. Tunc dolor intimus renouatur, quia anima conspicit se à bonis actionibus impediri, & incalescente corde igne charitatis, & zelo honoris diuini precibus ardenter fusis, hostes fugat, ora obloquentium obturat, tempestatem sedat, & ad vitam in sancta actione positam iterum redire festinat. Et illam Domini laudationem
in seipso experitur: Non enim delectaris in perditio- *Tobi.3.22.*
nibus nostris, quia post tempestatem, tranquillum facis, & post lachrymationem & fletum exultationem infundis.] Hoc est vxorem alteri datam repetere, & fidelem consortem, quæ vitam animæ antea seruauerat, recuperare.

Si verò vita ista bonis operibus insolescat, & Dauidem subsilientem coram Domino, & saltãtem irrideat, hoc est, si humiles, qui nunc summa petunt, nunc ad ima redeunt; iam scilicet diuina contemplantur, iam ad fratrum necessitates subleuãdas deiiciuntur, spernat, quia rectitudinem, sine qua non potest subsistere, imprudenter relinquit, ingens profectò supplicium est perlatura. Nam & filiorum generatione priuabitur, quos non verbum nudum, sed oratione, & humilitate vestium, in lucem emittit. Et, si vitæ contemplatiuæ filiis, hoc est, sanctis cogitationibus tristem voluerit solitudinem consolari, illas eueſtigiò mortuas reperiet, quoniam istæ sine cordis humilitate non prodeunt, aut statim in diebus messis primis, atque in ipso sui cõceptus initio, cum filiis concubinæ, nimirum cum ineptis cogitationibus euanescunt. Vita ergo hæc, aut potiùs cultor vitæ, semper intra metas se humilitatis contineat, si cupit incœpta viuendi ratione proficere, & bonæ actionis fructum conseruare.

Ecce primam imaginem vitæ actiuæ, & contemplatiuæ, quæ primo loco explicanda fuit, quia vitas istas tyrunculas, & incipientes repræsentant. Merob enim tantùm exprimit vitam à multitudine separatam, nõdum tamen constat, quanto profectu à multitudine separetur. Et si totus eius profectus in hoc positus est, non vt sciatur, sed vt opere exerceatur, paruula est, qua iustus, non nisi per trãsitum fruitur, quia nec dum sibi in sponsam cõceditur. Michol autem denotat vitam multis actionibus occupatã, sed compertum non est, quanto feruore, & quanta intentionis puritate in bonis operibus occupetur. Nõ est quidem magna, quæ impiorum detractiones ti-
net, & persecutionibus imperita cedit. Nam (vt in- *Greg.3. mor. cap. 121.*
quit Gregorius) hoc habent iusti proprium, vt in dolore positi tribulationis suæ, curam nõ deserant vtilitatis alienæ, & cùm de se aduersa patientes dolẽt, aliis necessaria docẽtes prouident, & quasi percussi

quidam

quidam magni medici ægrotant. Ipsi tolerant scissuras vulneris, & aliis proferunt medicamenta sanitatis.] Non est magna, quæ saltantes coram Domino, hoc est, contemplatiuos, ridet, & humiles superba contemnit: quoniam nondum sciuit, se humilitate, orationéque iuuari, vt bona actione in Ecclesia fructificet. Nódum sciuit, quia Dominus messis vult rogari, vt mittat operarios in messem suã, & quia Maria Martham adiuuat, quæ (vt ait Richardus Victorinus) diuinum adiutorium illi implorat, quia frustra laborẽ impenderet, plãtaret, atque rigaret, nisi Deus incrementum daret. Istas ergo paruulas, & incipientes principiò depinximus, vt à primordiis earum, ad maiorem perfectionem pedetentim procedamus.

Luc. 10. *Richar. in ... c. 8.*

De secunda imagine vitæ actiuæ, & contemplatiuæ.

CAPVT XV.

SECVNDAM igitur harum vitarum imaginem consideremus, & si fortè in ea aliquantulum adoleuerint, non parum vtilitatis nobis accedet. Altera ergo imago ex duabus vxoribus Elcanæ conficitur. Habuit enim duas vxores, nomen vni Anna, & nomen secundæ Phenẽna. Elcana, religiosum, animas Domino generantem, & verbum Euangelij administrantem significat: qui satis stultus erit, si Annam non diligat, & soli Phenennæ filios concipienti iungatur. Anna typus est vitæ contemplatiuæ, Phenenna verò imago vitæ actiuæ. In quam sententiã Dionysius Richelius: Quidam per duas vxores vitam actiuam, & contemplatiuam intelligunt. Estque necesse in primis assumere vitam actiuam, exercendo se in actibus virtutum moralium, in luctu, & labore pœnitẽtiæ salutaris, in exterioribus misericordiæ operibus, & ita per vitam istam tamquam per ianuam ad vitam ingredi contemplatiuam.] Et nomina ipsa hoc mysterium præferunt. Nam Anna, quæ (vt ait Beda venerabilis) gratia, vel respondens, vel donãs, interpretatur, quid aptius exprimet, quàm vitam in cõtemplatione positam? Hæc enim tota gratiosa, & pulchra est, atque vt quotidie pulchrior sit, Domino loquenti respondet, & tota illi absque timore se donat. Nequaquam ab spõso vocata, ait: Expoliaui me tunica mea, quomodo induar illa? Laui pedes meos, quomodo inquinabo illos?] Neque excusationes non surgendi prætendit, sed statim sine mora pessulum otij sui aperit dilecto suo, vt eius vestigia imitando, sequatur, & nihil sibi reseruãdo, omnia quæ habet, cogitationes, affectus, opera, ei, quẽ diligit, magna volũtate committat. Phenenna verò, quæ (vt idem sanctus Doctor ait) conuersa, sed cõuersio dicitur, quid commodius, quàm vitam actiuam repræsentabit, cuius opus est, mentem à vitiis, & peccatis auellere, & ad Dominũ ministerio virtutum, & bonorum operum reuocare? Egregiè enim Bernardus, spiritualem vitam describẽs, sic ait, Prudenter proinde, fratres, & non ad insipientiam nobis spiritualem elegimus vitam, castitati scilicet corpus, & seruituti subiicere, & Deum, qui spiritus est, adorare in spiritu, & veritate.] Vt ex his verbis nos, vitæ actiuæ tribuamus subiectionem sensualitatis, id est, morum cõuersionem, & cõtemplatiuæ Dei adorationẽ assignari discamus. Proprietates quoque, & actiones vtriusque fœminæ hoc, quod astruimus, magis declarant. Nam fuerũt Phenennæ filij (inquit Scriptura) Annæ autem nõ erant liberi.] Sic contẽplatiua vita hominum conspectum

1. Reg. 1. 2. *Dionys. in 1. Reg. in c. 1. ad 2.* *Beda in expos. nom. Hebra.* *Cant. 5. 3.* *Beda ibidem.* *Bern. ser. de septem spiritibus.* *1. Reg. 1. 2.*

fugiens, & tota Deo inhærere contendens, sterilis, minúsque fructuosa imperitæ multitudini apparet: Actiua verò, dũ vniuersis se offert, & in proximorum vsum, vtilitatéque laborat, vtilior, & fœcundior iudicatur. Nec mirum est, si homines ista iudicẽt, vident enim contemplatiuos amare silentium, amplecti solitudinem, fugere turbas, vitare pia etiã opera misericordiæ, & charitatis. Considerant autem actiuos verba exhortatoria profũdere, ciuitates incolere, turbas populorũ frequentare, & pietatis, ac charitatis operibus distineri, quibus animarũ salus perficitur. Cùm verò homines videant in facie, hoc est, exteriora considerent, Deus autem solus intueatur cor, inde est, quod istos fœcundos, & Ecclesiæ proficuos putent, illos verò infœcundos, & minus proximis fructuosos existiment.

Quid moror? De illis mulieribus scriptum est. Affligebat quoque eã, scilicet Annam, æmula eius, nempe Phenenna, & vehementer angebat, in tãtùm, vt exprobraret, quòd Dominus conclusisset vuluam eius.] Et similiter (vt inquit Dionysius) quidam actiui, contemplatiuis tamquã otiosis, & inutilibus obloqui solent. Sed ineptè satis Phenenna se iactat, & tamquã multorum filiorum mater de fœcunditate gloriatur. Imò ineptissimè Annam contemnit, quasi filios minimè generãtem. Quia veniet tempus, & non longè est, cùm hæc sterilis filiũ generabit, qui omnes Phenennæ filios, tum virtutis merito superet, tum dignitatis gloria præcellat. Denique sterilis peperit plurimos, hoc est, vnum (vt exponit Euthymius) qui plurimis præstitit, & quæ multos habebat filios, infirmata est. Sic non minus ineptè actiui, aliquando contemplatiuis insultant, eósque despiciunt quasi inutiles, & minus sanctæ Ecclesiæ fructuosos. Hæc sanè magna cæcitas est, dæmonis fraudibus plena, ad pacem religiosorum turbandam, & vinculum dilectionis rumpendum. Non sola actiua vita filios spirituales generat, non hæc sola est Ecclesiæ proficua, imò sæpe actiua videtur parere, & proximos ad bonam frugem cõuertere, sed re vera cõtemplatiua est, quæ peperit, & animas à peccatis liberauit, & in Dei amicitiã euexit. Hæc enim spiritualium filiorum generatio, nõ tam à verbis, quàm à gemitibus, non tam ab eloquẽtia, quàm ab oratione dependet: Vnde Paulus Colossensibus scribens, ait: Orationi instate, vigilãtes in ea in gratiarum actione. Orantes simul, & pro nobis, vt Deus aperiat nobis ostium sermonis ad loquendum mysterium Christi.] Contemplatiua autem vita est, quæ gemit, quæ orat, quæ ostium apertum, hoc est, corda audientium mollia, ad recipiendum verbum Dei (sic quippe interpretatur Chrysostomus) à Domino impetrat. Hæc igitur haud quaquã est sterilis, sed primo loco filios generat spirituales.

Non dubium, quin puris actiuis, qui multùm laborant, & nihil orant, qui multùm loquuntur, & nihil cum affectu considerant; in die postremo illud eueniet quod perdici aui astutæ succedit, de qua hęc scribit Ambrosius. Perdicem astutã, quæ aliena oua diripiat, hoc est, perdicis alterius, & corpore foueat suo, sed fraudis suæ fructum habere non posse, quia cùm eduxerit pullos suos, amittit eos, quia vbi vocẽ ei' audierint, quæ oua generauit, relicta ea, ad illã se naturali quodã munere, & amore cõferũt quam verã sibi matrem ouorũ generatione cognouerint: significãtes hanc nutricis fungi officio, illã parẽtis. Sic itaque incassũ proprios fũdit labores, ac fraudis suæ pretio mulctatur. Vnde Hieremias ait: Clamauit perdix, & cõgregauit, quæ nõ peperit,] id est, oua cõgregauit, & clamauit quasi ouãs suæ fraudis affectu. Sed

Dionys. ibidem. *1. Reg. 2. 5.* *Coloss. 4. 2.* *Chrys. hō. 10. ad Coloss.* *Amb. 6. hexam. c. 3.* *Hier. 17. 11.*

udit operam, quia impenso labore alij educat, quos psa diuturno fœtu sedulitatis animauerit.] Hoc, inquam, nimis actiui experientur, qui non charitate accensi, sed iactantia inflati, spiritualibus animarũ ministeriis vacant, & Dei verbum seminãt, atque in magna populorum frequentia concionantur. Modò sibi spirituales filios attribuunt, & tamquã proprios fœtus ascifcunt, non contradicentibus veris parentibus, qui scilicet multùm fleuerunt, multùm orauerunt, multùm pro animarum salute ad Dominum clamauerunt. Sed veniet tempus, cũ Deus veritatem patefaciet; quãdo nimirum animæ à peccatis ereptæ, religiosum laicum charitate feruentem, licèt in tenebricosa popina commorãtem, qui multùm orauit, & non superbum, ac ambitiosum prædicatorem, qui multùm vociferatus est, patrẽ agnoscent. Tunc religiosi idiotæ anima admirãs, & stupẽs non sine exultatione illud Isaiæ dicet in corde suo. Quis genuit mihi istos? Ego sterilis, & non pariẽs, transmigrata, & captiua: & istos quis enutriuit? Ego destituta, & sola, & isti vbi hic erant?] Et accipiet diuinum responsum: Quia orationes tuæ, & lachrymæ tuæ, quas pro animarũ cõuersione fundebas, te istorum matrem fecerunt, quos literatus arrogans, nec Dominum rogans, & solo verbo & ostentatione laborans, sibi in filios arrogauerat. Non itaque vita contemplatiua sterilis est, sed potiùs spiritualis fœcunditatis origo, quam oportet, vt veram matrem animarum suspicere, non vt inutilem, atque infœcundam aspernari.

Sed quo ordine Anna filium Samuelẽ genuerit, & qua via tam nobilem natũ habuerit, internis auribus audiamus; & qua ratione vita contemplatiua filios gignat, attẽtè consideremus, vt rixas istas inter actiuos, & contemplatiuos ablegãtes, iam diu optatam pacem inter illos componamus. Anna propriã sterilitatem considerans, præ tristitia flet, & nõ capit cibum, neque aliquam cõsolationem admittit. Et similiter anima contemplatiua, illius sententiæ Salomonis oblita, Quia omnia tempus habent, & suis spatiis transeunt vniuersa sub cælo,] suæ infœcunditatis causa tabescit, & filiorum absentia, ac dilatione tristatur. Qui mæror adeò solet animam minus sapiẽtem obruere, vt iam bono zelo in actiones externas effusa possit dicere: Mei autem penè moti sunt pedes, pene effusi sunt gressus mei,] vt secretũ orationis deseram, & totum spiritum sine discretione profundam. Quid tristaris anima, quid tristaris, quasi iam omnino ad filios spirituales generandos inepta? Adhuc paruula es, adhuc tenera, & minus ad concipiendum idonea. Cogita, quia omnia tempus habent, & prius debes virtutibus adolescere, & ad perfectionem spiritualis ætatis peruenire, quã filios Deo generes, & aliorum mater appelleris. Aduerte animo, quia nunc in principio cõuersionis tuæ, tempus est nascendi,] & ad diuinum amorem perueniendi, & postea erit tempus moriendi] pro fratribus, ita vt cum Paulo possis dicere. Quotidie morior per vestrã gloriã, fratres.] Nunc tempus est plãtandi] ac in te ipsa virtutes inserendi, postea erit tempus euellendi] de cordibus aliorum, quod perperam à veternoso hoste plantatum est. Nũc tempus occidendi,] vt scilicet inordinatum tui amorem extinguas, & in matutino interficias omnes peccatores terræ,] & deinde erit tempus sanãdi,] cùm apta eris aliorum vulneribus mederi, & verbo doctrinæ infirmis mentibus curationem afferre. Nunc tempus destruendi] quæ malè in sæculo ædificaueras, & postmodum erit tempus ædificandi] cùm opes aggregaueris, quibus valeas virtutum arcẽ in aliis extruere. Nunc tempus flendi] propria delicta, & postmodum erit tempus ridendi] atque gaudendi de impiorum à te facta cõuersione. Quia de prædicatoribus scriptũ est: Euntes ibant, & flebant mittẽtes semina sua, venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos suos.] Nunc tempus plangendi] propter propria mala, & deinde erit tempus saltandi] ex deuotionis affectu propter fratrum bona. Nũc tempus colligendi lapides,] & parandi arma necessaria ad prælium, ac in posterum erit tẽpus dispergẽdi eos,] & infigendi in fronte Philistæi. Nunc tempus amplexandi] sponsum qui pascitur inter lilia,] ac deinceps erit tempus lõgè fieri ab amplexibus] cùm charitatis dono perfecta dicas cum Paulo: Optabã ego ipsa anathema esse à Christo pro fratribus meis.] Nunc tempus acquirendi] dona, quæ postea distribuas, & deinde erit tempus perdendi] te ipsam, hoc est, laborandi, & affligendi, vt lucrum animarum requiras. Nunc tempus custodiendi] arcem mẽtis tuæ, & postea erit tempus abiiciendi] ex parte curam tui, vt aliorum quoque curam admittas. Nunc tempus scindendi] cor tuum, & peccatorum dolor molliendi, ac deinde erit tempus consuendi,] hoc est, in bonum proximorum conficiendi sermonem ex sententiis scripturarum. Nunc tempus tacendi,] & postea tempus loquendi.] Quia (vt inquit Hugo) prius per silentium tempore tacendi discitur, quod postea per verbum tempore loquẽdi proferatur.] Denique nũc tempus dilectionis Dei, & tempus belli aduersus ea quæ huic dilectioni obsistunt, & in posterum erit tẽpus exercendi odij aduersus ea, quæ tuus dilectus odit, & tempus, inter occupationes, quietis & pacis.

Psal. 125. 6.

Cant. 6.

Rom. 9.

Hugo. lib. de instit. nouit. c. 16.

Omnia tempus habent,] & periculosum est in ipso spiritualis vitæ tyrocinio cupere iam matrem esse, & filios velle, quasi esses robusta, generare. Hoc ante tempus fructificandi desiderium, astus dæmonis est, vt homo proximis nihil proficiens, sibi plurimùm obsit: Quem Laurentius Iustinianus his verbis egregiè describit. Hortatur etiam (& quidem de diabolo loquitur) ad prædicationes, ad sæcularium cõuersationem, & ad virorum mulierúmque indistinctam collocationem, illud Apostoli commemorans, Omnibus omnia factus sum, vt omnes lucrifaciam.] In his omnibus latent fraudes, & inimicorum laquei formidabiles, quibus capiuntur, qui carent prudentia, & elatum habent cor. O quot, qui iam inter astra nidos suos collocasse credebantur, occasione fraternæ charitatis, in lutum carnalis concupiscentiæ, turpiter corruerunt? Quot temporibus nostris fuerunt, & sunt, qui tanquam ardentes lampades, & mundi luminaria lucebant coram hominibus, paulatim ex frequenti sæcularium conuersatione, & confabulatione tepefacti, ad pristina opera sæcularis vitæ, miserabiliter redierunt? Quàm multos quotidie intueri possumus, qui donec in humili statu, & sub obedientiæ disciplina perstiterunt, in mẽtis puritate, cordis celsitudine, & virtutis perfectione se custodierunt, sed post adeptam dignitatem, post assumptum pastorale officium, propter insuetos honores, & nimias occupationes, obliti quales fuerant, ad ima miserabiliter descenderunt.] Si hæc ita sunt, mirum est, ô anima, quod tam cito præ dolore, & tristitia defleas, quia filios sponso non concipias, & magis mirabile est, quod tuos defectus non videas, imbecillitatem non sentias, & propriam perfectionem non cures, vt possis deinceps aliis proficere, & filios spirituales generare?

Laur. in 1 lib. de disc. & perfect. monast. c. 11.

1. Cor. 9. 22.

Sed si hæc pericula proposuisse non sufficit, consolatur Helcana Annam dilectam vxorẽ suam, atque illius verbis consolatur Dominus hanc animam, nõ

vt in

1. Reg. 1. vt in perpetuum infœcũdam derelinquat, sed vt interim, dum tempus est, lætã, & quietam reddat. Dicit itaque illi: Anna cur fles? & quare non comedis? & quamobrem affligitur cor tuum? Numquid non ego melior tibi sum, quàm decem filij? O efficax animæ consolatio! Nam si Deum possidet, si eius conspectu gaudet, si sponsi amore, atque alloquio perfruitur, nõ est cur ex absentia filiorum se tristitia, & mærore cõficiat. Non solùm quia meliùs est Deum, salutem vtique, & vitã animæ possidere, quàm sine possessione Dei, in animo tepido, & propriæ salutis Matt. 16. 26. oblito decẽ, imò, & innumeros filios generare. Nam quid prodest homini si vniuersum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur?] Verùm etiam, quia anima Deum possidens, & intellectu, atque affectu iugiter suo creatori inhærens, sine dubio non erit sterilis, sed aut rationis efficacia, aut sanctitatis exemplo, aut (si ad id vocata sit) doctrinæ verbo filios edet, liberis Phenennæ, hoc est, animæ tepidæ, atque distractæ, potiores. Iam ergo hac consolatione animata, faciat, quod Anna, & speret in Domino, quia cum minùs putauerit, filios ex sponso cõcipiet.

Quidnam fecit Anna? Primò quidẽ surrexit, postquam comederat, & biberat in Silo. Comedat igitur & virtutum pane se reficiat, bibat, & aqua compunctionis se satiet, imò & vino doloris peccatorum se inebriet; Nec timeat obiurgationem Heli, tepidi sacerdotis, qui æstimauit eam temulentam, & dixit: Vsquequo ebria eris? digere paulisper vinũ, quo mades.] Hanc, inquam, reprehensionẽ non timeat, quia C hæc ebrietas ex vino cõpunctionis procedens, summa sobrietas est, & verè se poterit excusare. Nequáquã, Domine mi, nã anima infœlix nimis ego sum, vinumq; delectationis mundanæ, & omne quod inebriare potest, non bibi, sed effudi animam meam in conspectu Domini.] Deinde hoc pane, & vino refecta, surgat, mũdana deserens, & creaturarũ affectus, & cogitationes abiiciens, ingrediatur templũ cordis sui, & oret ad Dominum flẽs largiter, & ex multitudine doloris, ac mæroris, ita loquatur. Domine exercituum, si respiciens videris afflictionẽ famulæ tuæ, & recordatus mei fueris, nec oblitus ancillæ tuæ, dederisque seruæ tuæ sexum virilem,] fructum scilicet animarum, quæ verè & ex animo se ad vitã virtutis conuertant: Dabo eum Domino omnibus diebus vitæ eius,] neque hunc filium meis viribus, aut labori ascribam: Nouacula, inquam, non ascẽdet super caput eius, quia opus huiusmodi ad inanem gloriã non D referam. Hac oratione, zelo animarum accẽsa se fieri filiorum matrem, & proximorum adiutricẽ efflagitet. Recordabitur profectò eius Dominus, & post circulum dierum, cùm scilicet iam erit tempus concipiendi, & pariendi (nam omnia tempus habent) concipiet ex sponso verbum efficax, & validum, & pariet filium, vocabitque nomen eius Samuel, eo quòd à Domino postulasset eum.] Quidnam hoc, quòd ista anima vocat filium Samuelẽ, id est, postulatum, vel positum à Deo? Nisi quòd verbum suum implens, & debitam fidelitatem Deo seruans, fructũ animarum, non sibi tribuit, sed Deo intentione sincerissima ascribit? Vocat enim eum postulatum, quia E non industria tantùm sua eum genuit, sed à Domino orando, flendo, & postulando promeruit.

Hæ igitur duæ vxores Helcanæ, duas vitas, actiuã, & contemplatiuam, iam aliquantulum proficientes, nondum tamen perfectas, significant. Proficientes quidem, quia illa generat filios, & non sine fructu, & animarum emolumento laborat: hæc verò gemit, & talis est, vt filium à Deo impetret, & sociæ conuitia sine indignatione sustineat. Sed nõdũ perfectæ sunt:

A quia actiua, suo labori externo, & nõ amori interno, nec precibus, proximorum salutem arrogat: & contemplatiua, nec dum sæculo mortua est, siquidẽ aliorum obmurmurationibus impetita, non æquanimiter sustinet, sed præ tristitia dolet, & ingemiscit. Hoc tamen non mirum esse alicui debet, quia omnia tẽpus habent. Veniet sane tempus cum iniuriarũ nullam rationem habebit, cùm spe diuinæ promissionis erecta & cælestibus consolationibus satiata, optimè 1. Reg. 1. 18. in illam quadrabit. Et vultus illius non sunt amplius in diuersa mutati: illa namque vniformitas vultuũ, non se amplius in diuersa mutantium (vt Rupertus Rupert. 3. in cant. in illud c. 4. Vulnerasti cor meum, &c. ait) nihil aliud est, quàm identitas cogitationum, & valde intenta earundem perseuerantia precum. Hęc faciet, vt & iniurias imperfectorum contemnat, & B obmurmurationes in se ipsis confidentium irrideat.

De tertia imagine vitæ actiuæ, & contemplatiuæ.

CAPVT XVI.

TERTIA imago vitæ actiuæ, ex duabus vxoribus Iacob, filiabúsque Labã, Lia, & Rachele, desumitur. Habebat enim Gene. 29. 16. Laban (vt sacra narrat Historia) duas filias, nomen maioris Lia, minor verò appellabatur Rachel: sed Lia lippis erat oculis: Rachel decora facie, & venusto aspectu.] Istarum illa prior, quæ laboriosam vel fatigatam sonat, vitã in actione positam innuit. Nam, & labor in actione est, & qui curarum onere premitur, molestiis, ac sollicitudinibus fatigatur. Hæc verò, quæ ouem, vel pascẽtem, vel visum pincipium significat (vt placuit Beatissimis Cypriano, & Gregorio) vitam præfert in cõ- Cyp. de card. op. Chri. in præfat. templatione constitutam. Nam sicut ouis mãsueta, simplicitate gaudet, cælesti doctrina pascitur, atque verbi diuini cõsideratione perfruitur. Quod his verbis docuit Gregorius. Has vtrasque (scilicet vitas) si Greg. hõ. 14. in Ezech. ut & ante nos dictam est, duæ beati Iacob mulieres signauerunt Lia videlicet, & Rachel. Lia quippe interpretatur laboriosa, Rachel verò, ouis, vel visum principium. Actiua autẽ vita laboriosa est, quia desudat in opere, cõtemplatiua verò simplex, ad solum vidẽdũ principium anhelat, videlicet ipsum qui ait: Ego sum principiũ, propter quod, & loquor vobis.] Ioan. 8. 25. Licet autem dixerimus vitam contemplatiuã, tempore, & dignitate esse maiorem, non mirum, si nunc actiua per Liam maiorem sororem, & cõtemplatiua per Rachelem minorem signetur; quia post humani generis lapsum, vita actioni dedita in quocumq; viro iusto maior, id est prior est, quàm vitæ cõtemplationibus diuinis addicta. Vnde rectè Beda: Prior est in Beda in Genes. c. 29. eruditione hominis labor boni operis, quàm requies cõtẽplationis.] Seruiuit Iacob pro Rachele septem annis nulla facta mẽtione Liæ, qui pauci illi videbãtur, præ amoris magnitudine. Quia licèt vir iustus opera iustitiæ diligat, & occupationes vitę actiuę nõ respuat, non tamẽ hãc propter semetipsam expetit, sed beneficio illius ad puritatem animi, ad quietem mentis, & ad Dei contemplationem venire cõcupiscit. Nec mirum est, quòd ingens labor pro coniugio huius vitę susceptus, leuis, & nullius momẽti videatur, quia amor vehemens, quo iustus Dei cõtemplationem, id est, veram sapientiam amplectitur, æstum laboris temperat, & sensum molestiæ occurrentis euacuat. Quid miraris (inquit Richardus de sancto Richar. Beniam. minor. c. Victore) secundum magnitudinem pulchritudinis, erat magnitudo dilectionis. Certè, si in laudẽ sapiẽtiæ aliquid tentare voluero, minus erit quãtũcumq;

dixero. Quid enim sapientia ardentiùs diligitur? dulcius possidetur? Eius decor omnem superat pulchritudinem, eius dulcor omnem excedit suauitatem. Est enim (vt ait quidā) speciosior sole, & super omnem stellarum dispositionem, luci comparata inuenitur prior. Hanc amaui, & exquisiui à iuuentute mea, & quæsiui spōsam mihi eam assumere, & amator factus sum formæ illius.] Tantus amor, tāta dilectio, tantum diuinæ cognitionis desideriū, quidni labores mortificationis, & bonorum operum tēperet, quibus luctator Iacob ad vitæ contemplatiuæ possessionem ascendit?

Sapien. 7. 29.

Sed priùs Sancto Patriarchæ Lia minus grata, ac minus formosa, in coniugem data est, quàm Rachelem pulchram, pro qua seruierat, & quam semper concupierat, in vxorem acciperet. Labiam socero, non sine rationis prætextu se excusante; quia nō est (inquit) in loco nostro consuetudinis, vt minores ante tradamus ad nuptias.] Et similiter viro religioso priùs actualis vita coniungitur, quàm contemplatiua diu desiderata copuletur. Priùs ad fletum pro peccatis commissis, ad mortificationem sui, ad vniuersarúmque acquisitionem virtutum permouetur; & postea ad rerum diuinarum contemplationē incitatur. Priùs debet seipsum à fœditate imperfectionum remouere, & bonis actibus, tamquam pretiosis vestibus exornare; & deinde poterit cubile regium ingredi, vt cupitis sanctæ dilectionis fruatur amplexibus. Quòd si quis à sæculo discedens & in statum religionis veniens, statim cupiat ad contemplatiuæ vitæ delicias admitti, priusquàm sæculares affectus cohibeat, & vitia inueterata mortificet; dicatur illi, quia non est in loco nostro consuetudinis, vt minores filias antè tradamus ad nuptias. Nos spiritu diuino directi, atque Ecclesiæ legibus gubernati, non consueuimus ad quietem orationis, & contemplationis admittere, quos labor mortificationis non examinat, & vita pura, atqui illibata no approbat. Quare sapienter Bernardus. En fortè appetis & ipse contemplationis quietem, & bene facis, tantùm ne obliuiscaris flores, quibus lectulum spōsæ legis aspersum. Ergo cura & tu, tuum similiter circundare bonorum floribus operum, virtutum exercitio, tamquam flore fructum, sanctum otium præuenire. Alioqui delicato satis otio dormitare voles, si non exercitatus quiescere appetas, & Liæ fœcunditate neglecta, solis cupias Rachelis amplexibus oblectari. Sed & præposterus ordo est ante meritū exigere præmium, & ante laborē sumere cibum, cùm dicat Apostolus: Qui non laborat, non manducet.] A mādatis tuis intellexi (inquit) vt scias nisi obedientiæ mandatorum contemplationis gustum penitus non deberi. Non igitur putes de propriæ amore quietis, sanctæ obedientiæ actibus, seniorumve traditionibus præiudicium vllatenus faciendum. Alioqui nō dormiet tecum sponsus in lecto vno, illo præsertim, quem tibi pro obedientiæ floribus, ficutis, atque vrticis inobedictiæ aspersisti. Propter quod nō exaudiet orationes tuas, vocatúsque non veniet. Nec enim dabit inobedienti copiam sui tantus obedientiæ amator, vt mori quàm nō obedire maluerit. Hactenus ille.

Genes. 29 25.

Bern. ser. 46. in Cā.

2 Thess. 3. 10.
Psal. 118. 104.

Istum duarum vitarum ordinem, quem infra magis enodabimus, non solùm Liæ, & Rachelis docet historia, & sanctarum religionum approbat cōsuetudo, verùm etiam Domini internum restatur alloquium. Solet enim Dominus, quos in contēplationis gratiam videt nimis propensos, nunc desolationibus affligere, nūc ariditate cordis impetere, nunc in ipso orationis tēpore benignissimè in opera mor-

A tificationis inclinare vt sciant se priùs pro Lia laborare debere, vt ea in coniugem accepta, ad Rachelis dulcedinē, suauitatemq; perueniant. O quoties ego in mea paupertate sum istam Domini legē expertus sæpe enim quadam sancta meditatio inflammatus, quietem mētis meæ, tranquillitatémque cupiebam diuinam lucem ad contemplandum appetebam, & ardentissimam mei creatoris dilectionem suspirabā. Et nescio quomodo dicebatur mihi: Vbi est humilitas? vbi est mansuetudo? vbi est obediētia? vbi aspernatio tui? contemptus sæculi? despectio omniū terrenorum? Ista quære, ista postula, pro istis elabora: & postea ad contemplationis gratiam admitteris. Gaudeo autem hanc experiētiā meam (ne illudar) in ma-

B gno contemplatore Richardo reperisse. Queadmodum (inquit) Lia supponitur, dū Rachel speratur, facilè recognoscunt, qui hoc quàm sæpe contingat, nō tam audiēdo, quā experiendo didicerunt. Sæpe contingit, vt animus antiquæ conuersationis sordibus minus mundatus, & ad cælestium cōtemplationem nondum idoneus, dum se in cubiculo Rachel collocat, dum se in eius amplexus totum parat, dum illam iam sese tenere putat, subitò, & inopinatè inter amplexus Liæ se esse depræhēdat. Quid enim Scripturam sacram, nisi Rachel cubiculum dicimus, in qua sapientiam diuinam, sub decenti allegoriarum velamine latitare nō dubitamus? In tali cubiculo Rachel toties quæritur, quoties in lectione sacra spiritualis

Richar. in B. min. mi-nor. c. 4.

C intelligētia indagatur. Sed quamdiu adhuc ad sublimia penetranda minimè sufficimus, diu cupitam, diligenter quæsitam Rachel, nōdum inuenimus. Incipimus ergo gemere, suspirare, nostram cæcitatē non solùm plangere, sed erubescere. Dolētibus ergo nobis & quærentibus, vnde hāc cæcitatem meruimus, occurrunt mala, quæ fecimus. Quinimò ipsa diuina lectio, nobis nolētibus, & aliud quiddam in ea molentibus, fœditatem nostram frequenter ingerit, & corda nostra in eius consideratione compūgit. Quoties ergo in diuina lectione pro cōtemplatione cōpunctionē reperimus; in cubiculo Rachel, nō ipsam sed Liam nos inuenisse nō dubitemus.] Impleamus ergo hebdomadam dierum huius copulæ] qua vitæ actiuæ, eiusq; occupationi laboriosæ coniungimur.

D & Rachel quoque dabitur nobis pro opere, quo seruituti sumus Domino septem aliis annis. Neque enim contemplatiui istam in sponsam accipiunt, vt omnino quiescant, & ab externis laboribus sequestrentur, sed vt quasi milites denuò ad prælium accedentes robustiùs aduersus dæmones pugnent, & in aliis vitia, atque in se ipsis imperfectionum reliquias profligare festinent. Si enim acquieuerimus huic placito, Rachel decemus vxorem, & potiti nuptiis optatis sine dubio amorem huius priori præferemus, pro qua, ne scilicet auferatur a nobis, libēter seruiemus septem, imò, & innumeris annis aliis.

Sed alias huius imaginis partes meditemur, videbimúsque perfectiorem vitæ actiuæ, & cōtemplatiuæ gradum, maiorémque vtriusque amplitudinem,

E atque præstantiam Lia namque concipit, nō vnum tantùm, sed plures filios, nō abiectos, vt Phenenna, sed illustres, & nominatos, qui populi Dei patres, & duces habeātur. Hoc vero magna perfectio actionis est, plures filios Christo generare, eósque in virtutis perfectionem attollere, & non pusillos spiritu derelinquere. Gloriosius fuit Ambrosio vnum Augustinum conuertisse, quàm plures alios inferioris notæ ad fidem suis disputationibus pertraxisse, ita multò erit gloriosius aliquos ad virtutem allicere, ad perfectionem euehere, ad veram puritatē euocare, quàm plurimos, qui vitā cōmunem sectantur, & iā

cadunt,

caduut, ita refurgunt, aliquali notitia Catholicæ religionis imbuere. Illis cōpetit illa laudatio: Dispersit, dedit pauperibus, iustitia eius manet in sæculū sæculi.] Quia in pauperes, hoc est, in homines virtutis indignos eleemosynas spirituales effundūt. Illis verò conuenit alia eiusdem psalmistæ laus, quæ multò maior est, atque præstantior. Pro patribus tuis nati sunt tibi filij, cōstitues eos principes super omnem terram. Nam filios Deo generant, qui patribus antiquis virtute sunt similes, qui possunt populo Dei præfici, & greges animarū gubernare. Rachel verò cernens, quòd infœcunda esset, inuidit sorori suæ, & ait marito. Da mihi liberos, alioquin moriar.] Istud etiam magna est perfectio cōtemplationis, cùm scilicet anima, ita igne diuini amoris flagrat, vt non sola velit suum creatorem diligere, sed omnes cupiat ad eius amorem, & obsequium reuocare. Non vult sola deliciis affluere, non vult sola dono puritatis abundare, non vult sola in sanctam Siō, in ciuitatem cælestem admitti; sed alios curat secum deducere, & bonorum, quæ possidet, cupit esse consortes. Quis non hic videat charitatem perfectam, non quidem parcam sed liberalem, non angustam sed amplam, quæ alios quærit, inter quos sua bona distribuat?

Psal. 111. 9. *Psal. 44. 17.* *Genes. 30. 1.*

Vtraque soror, quo tempore filios non edit (quia vna sterilis est, & altera concipere, & parere desiiit) ancillas quærit, quæ vtriusq; nomine liberos ex marito concipiat. Vnde Rachel ait viro suo: Habeo famulam Balam, ingredere ad illam, vt pariat super genua mea, & habeam ex illa filios.] Et rursus Lia sentiens, quòd parere desiisset, Zelpham ancillam suam marito tradidit. Facile est hîc actiuæ, & cōtemplatiuæ vitæ considerare profectum. Nā contemplatiua ancillam suam, id est, turbam affectuum suorum cohibet, & recta appetendo, cælestiáque cogitando, Christo subiicit, vt ex eo intelligentias spirituales concipiat. Et actiua quoque seruam sibi datam, scilicet donorum naturalium copiam, qualia sunt, scientia, eloquentia, tractādorum negotiorum dexteritas; non iam sibi ipsi, sed Christo cōsecrat, & promptissima voluntate submittit. Ex hac copia donorum filios suscipit, dū his, & similibus donis, non ad fastū, & ambitionem vtitur, sed in Dei honorem, & animarum salutem impendit. Filius quidā Liæ egressus in agrum mandragoras tempore messis triticeæ repetit, matrísque tradidit; quas Rachel videns petit, & annuente Lia accipit, atque prę illarum desiderio coniugis sui intermittit amplexus. Et hîc non modicam perfectionem video. Si enim filius actiuæ vitæ est bonum opus, & mandragoræ (vt aiunt Augustinus, & Richardus Victorinus) honorem, ac famam designant. quid est, Liam mandragoras Racheli cōmittere, nisi actionem, appetitum laudis, vt ipsum moderetur, & comprimat, considerationi subiicere? Et quid est Rachelem pro mādragoris se mariti priuare complexu, nisi vitam contēplatiuam pro mortificatione vani honoris, & inanis gloriæ conculcatione, quæ meditatione tantæ vanitatis gignitur, interim alias meditationes altiores rerum diuinarum omittere? Itaque actio in hoc magnæ perfectionis præbet insigne, quòd laudem humanā ex bonis operibus ortam, rationi, & affecti contemnendam tradit; & contēplatio in hoc suam circumspectionem, & prouidentiam ostendit, quòd pro recta in bonis actionibus intentione seruanda, inanitatem mundanarū rerum considerat, & aut mysteriorum Christi, aut diuinarum perfectionum intuitum intermittit. Lia, datis mandragoris iterum incipit parere, & non semel, sed ter parit, & Rachel quoque ablato sterilitatis opprobrio, iā fœcūdatur, & parit. Quia prostrato appetitu laudis humanæ, actio valde vtilis proximis esse conspicitur, & summi Dei gloria, profectu proprio, & proximorum salute tribus fructibus exornatur. Nec non & Rachel, Ioseph ac Benjamin mater efficitur, quia oratione, ac desideriis filium dexteræ, id est, prosperum euentum, proximis ad Deum redeuntibus impetrat, & salutis eorum gignit augmentum.

Genes. 30. 3. *Augu. in Faustū. c. 56. Rich. Beni. minor. c. 40.*

Ecce quomodo vtraque vita fœcunda est, vna laborando, altera orando, & vtraque affectu intentionis purissimæ, diuini numinis gloriam quærendo. Denique Rachel consentiente Lia (vt Gregorius Naziāzenus insinuat) patris idola surripit, & abscōdit, non vt seruet, sed vt deleat. Et hoc etiam huius duplicis vitæ magna perfectio est. Nam per patrē, mundum ipsum; per idola verò inanes affectus, & terrenas cogitationes accipimus. Et quid amplius ab actiua vita potest exquiri, quàm quod ita laboret, vt curas atque inquietudines cohiberi consentiat? Et quid nobilius contemplatiua valet præstare, quàm si easdem inquietudines ferè omnino cohibeat? & inter occupationes externas animum tranquillium, & pacatum conseruet? Et quidem) vt mihi videtur) istum vtriusque vitæ profectum, insignis Nazianzeni expositor Nicetas, in hunc modum exposuit. Labam itaque, mundus hic commodè dici queat; idola autem, eius fœdæ & perturbatæ cogitationes, ac terrenæ rerum imagines. Quare si quis hunc mundum, vt patrem amauit, ac deinde per actionem, & contemplationem Christo adiunctus, mundum propter vitæ consuetudinem, cum Christo initam, abiurare velit, ille patris idola surripiat, id est, turpes & crassa rerum species, quas mūdus obiicit, ab anima expellat, ac primùm quidem virtutis fœcūditati eas subiiciat. (quandoquidem & Rachel sellæ, qua sedebat, idola supposuit) postquam autem ex diuturno labore in comprimendis affectibus exhausto, ad animi tranquillitatem, aut cognitionem peruenerit, tunc demum vitiosas impressiones, hoc est, cogitationes, prorsus, euellat, ac de medio tollat.] Quādo istæ vitæ tantam mentis tranquillitatem sunt adeptæ, vt nec actiua sollicitudinibus distrahatur; nec contemplatiua cogitationibus vanis turbetur; facilè imperfectionem actionis, & teporem orationis vitabunt. Hæc enim inde oriri solent, quod homo curis lacera tus, & veluti discissus, in eo quod nunc agit, cor liberum, & Deo puritate intentionis iunctum, habere non valet, & inanibus cogitationibus obscuratus, mentem perfectè ad Deum leuatam tenere non potest.

Greg. Nazian. 2. orat. in Pascha. *Nicetas ibidem.*

De quarta imagine vitæ actiuæ, & contemplatiuæ.

CAPVT XVII.

SED nōdum est omninò exposita huius duplicis vitæ perfectio, quia vetus lex minùs polita, atque perfecta, non potuit actionis, & contemplationis absolutionem depingere: & debuit tamquam nouæ legis discipula, quod summum ac perfectissimum est vtriusque vitæ, nouo gratiæ testamento figurandum reseruare. Omnes enim istæ mulieres, quarum hucusque gesta retulimus, suas cogitationes, curas, & labores in creaturis collocarunt, & homines concupierunt, hominibúsque seruierunt. Vnde vitæ actiuæ & cōtemplatiuæ eatenus imagines esse videtur, quatenus, aut benè erga crea-

aras se gerunt, aut reru creatarum exilitatem meditantur. At istarum vitarum ea summa perfectio est, i actiua in omnibus actionibus suis nouerit Domino obsequi; & contéplatiua in omnibus meditationibus suis, trásćursis imaginibus creaturarū, quiueit eidé Domino, & intellectu, & affectu iugiter inhærere. Hanc autem absolutissimā perfectionem postremum fœminarū par, duę nimirū, sorores Martha, & Maria, conuenientissimè præfigurant. Nam stas fœminas vitæ actiuæ, & contemplatiuæ fuisse magines, constans est patrum Ecclesiæ sententia. Basilius quidem, postquam earum contulit ministeria, ita subiūgit. Agedum igitur, per duas mulieres luo mihi vitæ genera introduci animaduertito; vnū quidem inferioris notæ, nempe quòd in crassioribus se obeundis vitæ huius muneribus occuparit, quamquam ipsum quoque mirificè commodū est: Alterum nobilius, & cum spiritu magis coniunctū, nimirum quod sese ad arcanas res contemplandas altiùs extulerit. Et Augustinus. Remanserunt (inquit) in illa domo, quæ susceperat Dominum, in duabus fœminis duæ vitæ, ambæ innocentes, ambæ laudabiles Vna laboriosa; altera otiosa, nulla facinorosa, nulla desidiosa. Ambæ innocentes, ambæ, inquam, laudabiles; sed vna laboriosa; altera otiosa, nulla facinorosa, quam cauere debet laboriosa; nulla desidiosa, quam cauere debet otiosa. Nec non, & Bernardus inter alia: Intrante (ait) Iesu in hoc castellum, duæ sorores Martha, & Maria, id est, operatio & intellectus, excipiunt illum. Excipiunt dixerim, an excipiuntur? Sed siue hoc, siue illud dicatur, vtrumque prodest illis, non Iesu. Et Iesus quidem cùm ad illas venit, duo confert eis congruentia singulis, virtutem, & sapientiam: virtutem operationi: sapientiam intellectui. Vnde etiam ab Apostolo prædicatur Dei virtus, & Dei sapientia. Sed quid est, quòd intrantem eum Martha excipit, discurrit, ministrat: Maria verò secus pedes sedens ingressi, in eius verbum cor suspendit: nisi quòd prius est actio, postea verò contemplatio?] Ac tandem Gregorius. Benè has vtrasque vitas duæ illæ mulieres signauerunt, Martha videlicet, & Maria, quarum vna satagebat circa frequens ministerium; alia verò sedebat ad pedes Dei, & audiebat verba de ore eius.] Non est operæpretium aliorum Patrum sententias recensere.

Martha igitur typus est vitæ actiuæ; Maria, imago vitę contemplatiuæ. Illa discurrit, laborat, ministrat, & ad summum stat; ista sedet, & secus pedes Domini, omniū terrenorū oblita, requiescit. Quia actiua vita veluti in trásitu somnum cótemplationis suscipit, quò ad operandum amissas vires recuperet. Cótemplatiua verò ex professo cótemplationi diuinorum vacat, eámq; tamquā finem, & scopū suæ exercitationis assumit. Vtrumq; Gregorius pulchrè verbis, quæ subiiciam, expressit. De actiua enim vita sic ait. Econtra autem actiua vita, quæ frequens circa ministeriū satagit, rara est in secreto contéplationis. Nam quæ æterna sibi præparare, non sedédo, & audiendo, sed satagendo, & ministrando proposui, nō damnū, sed dispendium putat, si sibi vacans, & sua petens, & non quæ aliorum, à solita obsequiorum oblatione requiescat. Plùs igitur operádo laborat, minùs obsecrat. Vnde & Martha, quæ circa frequens ministeriū satagebat, stetit, & locuta est. Quæ enim stetit, ei nimirū sedere nō licuit: quia si ad audiendū sederet, imperatum fortasse ministerium, & insufficiens impendisset. Et notandum, quia transeundo Dominum Martha vidit, non tamen transeundo, sed stando loquitur. Nam Euangelista cautè

A expressit, dicens: Quæ stetit, & ait.] Quo profectò exemplo instruimur, vt qui fratribus ministeria exhibemus, si per moram sedere ad redemptoris pedes non possumus, per aliquantulam morulam redemptori assistere debeamus. Sed bene ei assistimus, si transeundo, & seruiendo videamus. Quid est autem transeundo Dominum cernere, nisi in omni nostro bono opere ad ipsum cordis dirigere intentionem? Transimus enim, quando huc illuc discurrendo, in membris suis Domino ministramus. Sed transeundo Dominum cernimus, si per omne quod agimus, præsentem nobis ipsum, cui placere cupimus, contemplamur. De contemplatiuis verò, ita præmiserat.

B In transitu ergo operationem habent, quia etsi aliquando operantur, quasi currendo hoc deferunt, qui ad locum dilectæ solitudinis magno spiritus impetu impelluntur. Nam quia totis desideriis in æternorum amore requiescunt, videre magis quàm ministrare appetunt. Rari ergo sunt in publico operis, assidui in secreto contemplationis, foris parum, satis intus immorantur. Nam & fornicationem esse, solent iudicare, vel ad momentum à Christi contemplatione discedere.] Meritò ergo actiua vita stans tamquam parata ad laborandum, & contemplatiua sedens tamquam vocata ad quiescendū introducitur: quoniam illius finis est bonis operibus, atque fructuosis actionibus inhærere: istius

C verò, creatori suo intendere, & sponso intelligentia, & amore copulari. Benè Martha stetisse (inquit Beda) & Maria secus pedes Domini sedisse describitur: quia vita actiua laboriose desudat in certamine: contemplatiua verò pacatis vitiorum tumultibus, optata iam in Christo mentis quiete perfruitur.] *Beda in c. 10. Luc.*

Vide auté, quàm aptè istæ sanctæ sorores duplicis huius vitæ referant ministeria, & omnimodam perfectionem repræsentét. Martha enim satagit circa frequens ministerium. Hoc est, mūdat domum, in qua Christus excipiédus est; ornat cubiculū, in quo cómoretur, parat escas, quibus libéter vescatur; sternit lectum, in quo dormiat, & fatigata membra requiescát: ac tandem propter amoré Domini discipulos etiā excipit, & benignis fouet obsequiis. O quis eā videret, seruos vocáté, ancillis imperáté, per

D se ipsam laboranté, huc illúcq; discurrentem, laborem quidem cum aliis partientem, sed omniū curas in se suscipientem, tanto hospiti, præsertim lasso, & fatigato, congruum hospitium offerret, & debita sedulitatis officia præstaret. Ita actiua vita, cótritione, purgat animā à peccatis quā Christus inhabitet, exornat virtutib⁹ cubile métis, vt digna ipsius habitatio fiat, cibum compuncti cordis, atq; humilitatis subministrat; spinas prauorum affectuū euellet, & in lectulo spiritus, bonorum desideriorum flores spargit. Legerat enim, quia lectulus sponsi floridus,] & propter eum virtutum moralium actionibus occupata, proximis obsecundat. *Cant. 1. 17.*

E At Maria sedens secus pedes Domini audit verbū illi⁹,] nó sollicita discurrit, sed sedés requiescit, omniū externarū occupationum oblita. Et sedet iuxta pedes Domini, non dormiens, neq; otio torpens, sed vigilans atq; sponso suo oculis, & desideriis intenta. Ibi doctrinā verbi quietè audit, in corde recódit, & ex ea elicit ardentissimi amoris effectum. Sic prorsus vita cótemplatiua, sollicitudinibus vacua, in sola rerum diuinarum meditatione requiescit. Sedet secus pedes Domini, dum iam eius misericordiam erga iustos cogitat, iam eius iudicium erga peccatores cōsiderat. Nó loquax est, nec putat sicut Ethni- *Luce 10. 19.* *Mat. 6. 7.*

ci, quod

ci, quòd in multiloquio suo exaudiatur; sed magis audit, & verba sponsi dulciora super mel & fauum auscultat. Ei loquenti respondet non verbo, sed corde, non voce, sed animo, nō compositis sermonibus, sed puris, & succensis affectibus. Rogat illū, non sine lachrymis, vt pedes sibi lauari, & osculari permittat. Hoc inquit (vt verbis Cypriani vtar) in muliere peccatrice aliquando passus es, Domine, nec dedignatus es in mensa solenni multis conuescentibus infamis personæ suscipere famulatum: cuius deuotio vsa est ibi capillis pro linteo, oculis pro catino, lachrymis pro baptismo: tetigit, lauit, & vnxit vnguēto. Mactata intrinsecus anima proprium in sancta sanguinem intulit, singula suum præbuêre ministerium: cor contritum erupit in lachrymas, fides lauit, charitas vnxit. Hæc multa in conspectu tuo cōgerens haulocausta, de fōte cordis fletus hausit, quos protulit: de pœnitentiæ pyxide vnguenta, quæ obtulit, capútque pro suppedaneo strauit: crinibus circūfusis pedes sacros inuoluit, & tersit. Nihil sibi de se retinens, totam se tibi deuouit, & tu affectum potiùs, quàm factū attendēs, vngebas vngentē: abluebas lauantem, tergebas intrinsecùs pœnitentē.] Da ergo, Domine, inquam, vt sic ego faciam, ne indignè contēplatricis vitæ nomen vsurpem. Da, inquam, vt mysteria tua bonarum cogitationum capillis inuoluam, internis luminibus circumspiciam, fletibus rigem, quo ex eorum meditatione fructus dulces percipiam. Caput meum, id est, ratio, tuis piè sermonibus subsit: cor amore succensum nihil sibi creaturarum permittat accedere: quod non è vestigio dilectionis igne consumat. Nihil in me sit, quod non sanctis cogitationibus promouendis, & inflammandis affectibus consecretur. Sic enim illud vnum inueniam summe necessarium (& tu ipse es) sine quo finem, cuius causa creata sum, assequi nullatenus possum.

Cypr. lib. de card. oper. Christi de ablutione pedum.

Non solùm autē Martha, & Maria ministeria actiuæ & contemplatiuæ vitæ designant, sed etiam maximam earum perfectionem præ se ferūt. Nam, prætermissis illis primis mulieribus, quæ tyrociniū tantum istarum vitarum figurant: dum altera multis actionibus distinetur: & altera à multitudine actionū discedit: Martha, & Maria earundem vitarum absolutionem demonstrant. Phenenna quippe insultat Annæ, & quasi infœcundam sterilémque contemnit. Lia, etsi non spernit Rachelis tamen nullam rationem habet: At Martha, tantùm abest, vt Mariā sororem cōtemnat, aut suum opus pro nihilo ducat, quòd potiùs eius iuuamen impensè cupiat, & non sine querimonia à Domino exposcat. Domine (inquit) non est tibi curæ, quòd soror mea reliquit me solam ministrare? Dic ergo illi, vt me adiuuet.] Quæ autem maior perfectio actiuæ vitæ potest excogitari, quàm quòd exiguitatem propriam agnoscens, orationem suscipiat, & ad propria onera sustinēda, contemplationis adiutoriū exquirat? Anna plorat, & ægrè fert à socia cōtemni: Rachel inuidet sorori suæ, & filios habere concupiscit: Maria tacet, & nec querelis respondet, nec aliud optat, quàm verba Domini aure mentis excipere, eius cōspectu frui, & amore lætari. Et hæc summa est vitæ contēplatiuæ perfectio, dum nec querelas tepidorum aduertit, nec iniurias murmuratorum reputat, nec splendorem actiuorum cupit: sed hoc magnum est eius desiderium, adhærere Christo, & nō tam occupationis sollicitudine, quàm orationis, ac contemplationis studio Ecclesiæ proficere. Illæ sex mulieres primæ inter homines cōmorantur, hominibus obsequuntur. Martha, & Maria seruiunt Domino, illa ei ministrando, hæc verò eius decorem, & pulchritudinem contemplando. Vt discamus hunc esse maximum huius duplicis vitæ profectum, cùm scilicet contemplatiua vita, transcursis imaginibus corporalibus, diuinitatem ipsam nouerit contemplari: & actiua transgrediens homines, in illis didicerit Christum intueri, & soli Domino famulari. Hanc vitæ cōtemplatiuæ perfectionem tetigit Dionysius Richelius, dicens: Cōtemplatiua vita bipartitur, vt sit vna intuitiua, atque formabilis, alia theorica, itémque formata. Quarum prima designatur per Rachelem, quæ erat pulchra facie, non tamē omnino carnalibus mortua, alia per Mariam, quæ sedebat, vni necessario amorosè intenta, & omni carnali affectioni penitus mortua, atque in Christo solummodò viua.] Ad perfectionem verò actualis vitæ, Augustinus actiuos inuitat. Ne quis tamen vestrum (inquit) forsitan dicat: O beati, qui Christum suscipere in domum propriam meruerunt: Noli dolere, noli murmurare, quia tēporibus natus es, quando iam Dominum non vides in carne, non tibi abstulit istam dignationem. Cùm vni (inquit) ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.] Ecce quatuor imagines vitæ actiuæ & contemplatiuæ, in quibus earum pulchritudo delineata conspicitur, quam æquum est, vt semper cupiamus, sed non sine debito ordine consequi festinemus.

Luc. 10. 40.

Diony. lib. 2. de vita & fine solitary art. 8.

Aug. ser. 26. de ver. Domini.

Matt. 25. 40.

De imaginibus vitæ mistæ, & quare viris sit designata.

CAPVT XVIII.

IAM à vitæ actiuæ, & contemplatiuæ imaginibus, ad vitæ mistæ typos transeamus, qui profectò nec pauciores sunt, nec minus illustres. Hanc vitam quinque viri in primis nobiles, atque prēstantes præsignarūt, quorum institutū, qualis esse debeat minister Euangelicus clarissimè aperit, & quanta sit dignitas vitæ eius euidenter ostēdit. Neque enim dubium est Dauidem, Elcanam, atque Iacob huius vitæ mistæ gessisse personam, siquidem illas mulieres vitæ actiuæ, & contemplatiuæ figuras in coniuges accipere meruerunt. Et sicut quælibet istorum duas vxores, aut habuit, aut exoptauit, quibus coniunctus iam vnius fructu, iam alterius conuictu, ac cōuersatione frueretur: Ita Apostolicum institutum professus, cum duabus vitis, actiua scilicet, & cōtemplatiua, debet inire commercia, vt modò vni, modò alteri satisfaciens, nullius meritis careat, atque vtriusque cumulatissima præmia recipiat.

Primus ergo vir, qui vitam mistam repræsentat, fuit Dauid. Ille manibus fortis (sic enim Augustinus, & Gregorius eius nomen interpretantur) qui manibus corporis ita laborabat, vt veniente leone, vel vrso persequeretur eos, eruerétq; prædam de ore eorū & manibus mentis quæ affectiones sunt, ita Deum apprehēdebat, vt ipsius Deus esset pars, atque beata possessio. Ille magnus cōtēplator, & fortis bellator; magnus quidem cōtemplator, cui cōstitutum est de Christo Dei Iacob, egregius psaltes in Israel. Qui verè ait: Spiritus Domini loquutus est per me, & sermo eius per linguam meam:] Robustus autem bellator; nam sedens in cathedra sapientissimus princeps inter tres, ipse est quasi tenerrimus ligni vermiculus, qui octingentos interfecit impetu vno.] Hæc eadem præstat vita mista, quæ iam proximos iuuat, & à Diaboli potestate eripit, dicens cum Iob:

Aug. in tras. Psal. 34.
Greg. lib. 6. in 1. Regum.
1. Reg. 17. 34.
2. Reg. 23. 1.
Ibidem 8.

Conterebam molas iniqui, & de dentibus illius auferebam prædam.] (Iob. 21. 17.) Iam ad Deum toto pectore anhelat, ita suspirans: Tibi dixit cor meũ, exquisiuit te (Psal. 26. 8.) facies mea, faciem tuã, Domine, requirã. Iam sedens (Iob. 29. 17.) in cathedra, non sine auctoritate, & imperio instruit scientia ignorãtes, pusillanimes mansuetudine mulcet; & proteruos increpationibus, ac minis exterret. Iam cũ magna humilitate ad pedes prostrata Domini tamquam egregia psaltes, eius perfectiones commemorat, & amore flagrans, misericordias, beneficiáque collaudat. Planè ad omnia parata, quæ Dominus, eius opera & ministerio præstare voluerit, sicut Dauid, de quo hæc inquit Bernardus. (Bern. in Psal. 56. 8.) Audi hominẽ, quem secundum cor suum inuenerat Deus: Paratũ (inquit) cor meũ, Deus, paratum cor meũ:] Paratum ad aduersa, paratũ ad prospera: paratum ad humilia, paratum ad sublimia; paratum ad vniuersa, quæcũq; præceperis. Vis pastorem ouiũ facere? Vis constituere regem populorum? Paratum cor meum Deus, paratum cor meum. Quis vt Dauid fidelis ingrediens, & egrediens, & pergẽs ad imperiũ regis?] Ita istam vitam amplectens, paratus est, & in publicùm prodire, & secum in spe, & silentio commanere; animarum lucra sectari, & propriis profectibus inhærere; vacare Deo, & ad tempus proximorum causa, Deum propter Deum derelinquere: Certe paratus ad omnia, quæ Dominus per illum, & in illo disposuerit operari.

(1. Reg. 1. 1.) Secũdus vir fuit Elcana, de quo in primo regnorum volumine, hoc scriptũ reperimus. Fuit vir vnus de Ramathaim Sophim, de mõte Ephraim, & nomẽ eius Elcana: & habuit duas vxores, nomẽ vni Anna, & nomen secũdæ Phenẽna.] Tria in istis verbis innuuantur viri huius elogia: Nam, & vocatur Elcana, & vir, & vnus vir. Elcana interpretatur possessio Dei; & magnus profectò est ille, cuius inter ingẽtes creatoris opes, ratio habetur, & qui in possessionibus regis ditissimi numeratur. Si enim non consueuimus vocare possessionẽ regis, aliquid paruũ, & exiguum, vt denarium, aut obolum, sed aliquid magnũ, atque pretiosum, vt vrbem, aut Prouinciam, aut Regnum: nũquam Scriptura sancta hunc virum in Dei possessionibus recenseret, si nõ aliquid nobile, pretiosum, & illustre denotaret. Vir, tum virtutis est animi, tum (Isaia 59. 15. & 16) & honoris, ac dignitatis insigne. Nam, & malum apparuit in oculis Domini (inquit Isaias) quia non est iudicium, & vidit quia nõ est vir, hoc est, homo fortis, & cõstans, & aporiatus est, & vt, more nostro loquamur, obstupuit, quia non est qui occurrat ei. Et apud Salomonem: Sapientia (inquit) ô viri, ad vos (Prou. 8.) clamo, & vox mea ad filios hominum.] Qua oratione nobiles, & ignobiles ad suos sermones audiendos inuitat. Vocatur ergo vir, tum vt eius virtutem, animique fortitudinem intelligamus, tum, vt nobilitatẽ & amplitudinem eius supra alios homines meditemur: Vnus autẽ vir, eius cõstantiã, ac mentis firmitatem designat. Vnde Hieronymus: Elcana, qui inter- (Hier. in Iob. c. 1.) pretatur possessio Dei, pater sanctissimi Samuelis Prophetæ, vir vnus appellatur: Nõ enim per diuersa mobilis, atq; instabilis ferebatur, sed firmus, atq; incõcussus persistẽs, vir vnus erat.] Et in eandẽ sententiam Beda venerabilis. (Beda lib. 1. in Reg. c. 1.) Vnus (inquit) ad titulum laudis Elcanæ respicit, qui videlicet iuxta Apostoli monita, stabilis existens, & immobilis, abundãs in opere Domini, semper non fuerit circumductus omni (Ephes. 4.) vento doctrinæ.] Vocatur itaq; vir vnus, quia per inconstantiam animi, non erat in cõtrarias partes discissus, neq; ab intentionis rectitudine separatus. Hic tantus vir in mõte Ephraim, & Ramathaim Sophim (Orig. ho. 1. in lib. Re.) habitasse dicitur (inquit Origenes) in alta scilicet

A contemplatione virtutum, vt à nullis subiacentibus, & circumlatrantibus vitiorum cogitationibus, mẽtis eius sublimitas deiiceretur, vel vnitas scinderetur. Et duas vxores habuisse perhibetur, ex quibus filios Deo generat, & vni satisfacit, & alterã cõsolatur, & vtriusq; onera sustinet, & curam domus familiæque supportat: O quàm bene hæc omnia vitæ mistæ cõueniunt. Ipsa est possessio Dei tam magna, vt alias eius possessiones, vitam scilicet actiuam, & contemplatiuam cõtineat, vniuersasq; virtutum actiones, & veritatum speculationes cõplectatur. Cui nõ ineptè illud Baruch admirantis accõmodabimus. O Israel, (Baruch. 3. 24.) quàm magna est domus Dei, & ingens locus possessionis eius ;] Magna quidem domus est vita hæc, quæ Apostolos ipsos, & Apostolicos viros hoc institutũ
B sequentes, capit, & ingẽs possessionis locus, qui omnes spirituales diuitias, siue quæ ad actionẽ, siue quę ad contemplationem spectant, comprehendit. Ipsa nomine viri signatur, quoniã non est tenera, nec delicata, sed robusta nimis & fortis, quæ non tantùm sibi consulat, sed & aliorũ curam sustineat, quæ diuinis consolationibus onerata, proximorum onera nõ excutiat, quæ laboribus & angustiis externis affecta dicat cum Paulo: Præter illa, quæ extrinsecus sunt, instãtia mea quotidiana, sollicitudo omnium Eccle- (2. Corint. 11. 28.) siarum] Sanè huic deesse nõ potest honoris magnitudo, nobilitatisque prærogatiua, siquidem tanti pretij existimatur, vt aliis prælata eos luce diuinitus data instruat, prudentia gubernet, & in præstantissimum
C finem, scilicet, in beatitudinem dirigat. Ipsa etiam vocatur vnus vir, quia re vera vna vita est, licèt ex diuersis partibus constituta. Sicut enim homo nobilissima omnium rerum naturalium creatura, ex corpore, & spiritu, rebus valde distãtibus, constituitur; ita vita hæc, quæ sine dubio præstantissima est, & adeò homini accommodata, vt propemodum sola vita hominis esse videatur, ex operibus valdè distantibus, nimirum ex actione externa, & intima cõtemplatione coalescit. Vna est, quia tam varia, atque dissita ministeria in vnum tantùm scopum refert, atque in illis soli Deo placere, & proximis prodesse cupit: Illud Bernardi documentum in mente ha- (Bern. ser. 5. de assumpt.) bens: Nisi opus tuum in vnitate feceris, Deo, qui
D vnus est, acceptum (teste ipso) profectò non erit. Vna denique quia immutabili quodam tenore, tempus inter multas occupationes distribuit, & in multis rebus ita ordinem seruat, ita mentis tranquillitatem custodit, ac si vnum tantùm opus efficiendum suscepisset. Hæc ergo vita in Ramathaim Sophim habitat, & in monte Ephraim. Nam si (vt inquit Origenes) Ramathaim altitudinem, Sophim specu- (Origen. hom. 1. in 1. Regum.) lam, & Ephraim fructificationem significat: quid est in his habitare, nisi curas suas in contemplationẽ Dei, atque in animarum fructus, & emolumenta conuertere?] Et duabus illis mulieribus Annæ & Phenennæ coniungitur, quia vitam mistã amplexus ad perfectionem suam, iam contemplationi Dei,
E iam sanctæ actioni, qua proximos iuuat, copulatur. Est igitur Elcana imago huius excellentissimæ vitæ, siquidem eum, his donis ornatum videmus, quæ vitæ isti cognata esse conspicimus.

Tertius vir est sanctus Iacob, vel cùm virgas illas populeas virides, & amygdalinas ex parte decorticat; vel cùm in itinere scalam illam à terra vsq; ad cœlum protensam considerat; vel cùm duarum (Athanas. de variis quæst. qu. 100.) vxorum Liæ, & Rachelis amplexibus vacat. Nam si (vt exposuit sanctus Pater Athanasius) virgæ illæ in canalibus positæ, vt à gregibus viderentur, vitam actiuam, & contemplatiuam designant: Quid est sanctum Iacob vtrasque virgas per ordi-

nem

nem ponere, nisi ministrum Euangelij, vtriusque vitæ actionibus operam dare?] Hac industria ditatus est homo vltra modū, & habuit greges multos, ancillas, & seruos, camelos, & asinos. Atque eadem solertia religiosus incomparabiles diuitias acquiret, innumeros habebit ouium greges, & purissimos agnos ex hœdis conficiet, peccatorésque in iustos conuertet, quos summus rex Christus in postremo die à dextris constituat. Nec non & ancillas, & seruos possidebit, dum affectionum suarum dominium comparabit. Et si scala illa mystica vitam spiritualem significat, per quam à terra in cœlum conscendimus; quid aliud erit scalam, & Angelos ascendentes, & descēdentes aspicere, nisi propriæ vitæ contēplationes, quibus vir Apostolicus Deo intendit, & actiones, quibus proximos iuuat, examinare? Vnde Gregorius, Iacob, prædicatores signat, qui non solùm caput Ecclesiæ, id est, Christum contemplando appetunt, sed ad membra illius miserando descendunt, quod Angeli ascendentes, descendentésque demonstrant.] Nec vacat mysterio, quòd Iacob, non in terra Chanaam, sed in itinere, & post solis occasum scalæ visionem conspexit. Hoc enim significat (vt annotauit Beda) vnumquemque non videre visiones spirituales, nisi deserat peccata, & vitia, nec nisi post occasum gloriæ mundialis cælestia mysteria conspicere.] Denique si illæ duæ mulieres (vt diximus) duas prædictas vitas figurant, quid erit Iacob ambas in vxores accipere, nisi virum, quem ille signat, actioni, & contemplationi vacare? O quàm prudenter iste domum soceri effugit! quàm constanter cum suis vxoribus, & filiis longa itinera peragrat! quàm sapienter fratrem, qui impedimento esse possit, muneribus placat; quàm gnauiter suā familiam disponit! quā fortiter cum nuncio cœlesti luctatur! quàm fœliciter in locum sibi destinatum ascendit! Hæc omnia virum huius altissimi instituti cultorem præferunt, & suorum laborum merita, & præmia manifestissimè ostendunt.

Genes. 30. 43.
Greg. in past. 2. p. c. 5.
Beda in Genes. c. 28.

Quartus vir est Moses, cuius institutum his verbis describit Gregorius. Moyses crebrò tabernaculum intrat, & exit, & qui intus ad contemplationem rapitur, foris infirmantium negotiis vrgetur; intus arcana considerat: foris onera carnalium portat. Qui de dubiis semper ad tabernaculum recurrit, coram testamenti arca Dominum consulit, exēplum ductoribus præbens, vt cùm foris ambigunt, quid disponant, ad mentem quasi ad tabernaculum redeant, & velut coram testamenti arca Dominum consulant, de quibus dubitant.] O non tam figura & imago, quàm huius prēstantissimæ vitæ veritas! Sic enim hanc vitam profitentes se gerere debent, vt Moses. Qui scilicet, nunc mentis tabernaculū ingrediantur, vt Dominum videant; nunc ad proximos egrediantur, vt eorum spirituali necessitati subueniant. Priùs contemplentur, & postea, quæ apud Dominum facienda, & dicenda cognouerint, ea in vtilitatem fratrum, & faciant, & dicant. Antea Dominum consulant, & eius voluntate cognita, quod ipse præscripserit, actione perficiant. Hac ratione contemplatio erit præstantior, & actio, tum fratribus nostris vtilior, tum laboranti fructuosior. Istud sanè faciebat Paulus, illustrissimum eorum, qui mistam vitam sequuntur exemplar. Iam enim in tertium cœlum rapitur, iam inde descendēs ad coniugatorum statum mentis oculos reuocat, & qualiter in occultis conuersari debeant, non sine diuini spiritus illuminatione dispensat. Propter fornicationem (inquit) vnusquisq; suam vxorem habeat, & vnaquæq; suum virum habeat. Vxori vir debitum

Greg. in past. 2. p. c. 5.
2. Cor. 12. 2.
1. Cor. 7. 2.

A reddat, similiter autem & vxor viro.] Ecce iam cœlestibus secretis inseritur (ait Gregorius) tamen per cōdescensionis viscera carnaliū cubile perscrutatur, & quem subleuatus vsque ad inuisibilia erigit, hunc miseratus ad secreta infirmantium oculus cordis flectit Cœlum contemplatione transcendit, nec tamen statum carnalium sollicitudine deserit, quia compage charitatis, summis simul, & infimis iunctus, & in semetipso virtute spiritus, ad alta valēter rapitur, & pietate in aliis æquanimiter infirmatur.] Qui ergo animabus medendis intendunt, hunc sanctissimum Apostolum, ac doctorem gentium, sibi exemplum proponant, hunc vitæ ducem, & antesignanum habeant. Et sicut ille, ita orationi vacent, & choris cæ-B lestibus se ingerant, vt tamen paruulorum animas, sanguine Christi redemptas, non spernant: & ita in animarum salutem incumbant, vt secretum orationis non omittant, & sanctas meditationes, ac diuina colloquia, sui ipsorum obliti, non deserant.

Greg. supra.

Quintus denique vir est, Aod, quem Scriptura saluatorem vocat, qui vtraque manu pro dextera vtebatur. Talis enim esse debet, qui vitam mistam profitetur: Certè animarum liberator, quē Deus voluntariè genuit verbo veritatis, vt sit initiū aliquod creaturæ eius.] Vt scilicet populū suum velut alter Aod, ab spiritualibus Moabitis eripiat, in quibus Dæmones significantur, & in filiorum Dei libertatem asserat. Certè robustus, & fortis, qui intre-C pidè pugnet, & aduersus Domini hostes sine timore prælietur, & vtraque manu pro dextera vtatur. Manus dextera (vt mihi quidem videtur) oratio; manus sinistra, actio externa est. Ille igitur sicut Aod, vtraq; manu vtitur pro dextra, qui pariter, & ex instituto inter altissimā orationem, & vtilissimam operationem temporis spatia partitur. Et fortassis gladij, quos hic spiritualis Aod vtraq; manu vibrat, vita actiua, & contēplatiua sunt. Illi, inquam, gladij, quos Domino discipuli obtulerunt, dicentes: Ecce duo gladij hic.] Et Dominus eos, esse satis magna asseueratione pronunciat: quia in perfecto viro, nihil aliud nisi actionis, & cōtemplationis perfectio requiritur. Et hoc modo Abbas Theophilus, apud Ioannem Euiratum, hos duos gladios interpretatur, dicens: Duo gladij duas vitas significant, actiuam, & D contemplatiuam. Si quis ergo has duas virtutes habeat, hic perfectus erit. Qui itaque ad perfectionē ascendere cupit, non vno tantùm gladio pugnet, sed duobus, oratione scilicet, & actione dimicet, & sic vitia sua, & vitia proximorum fœlicissima victoria prosternet.

Iudic. 3. 15.
Iac ob. 1. 18.
Luca 22. 38.
In prato spirituali c. 40.

Nec mirum videatur vitam mistam viris, & non mulieribus fuisse hucusque præsignatam: hoc enim ideo factum est, quia nō est vita puerorum, neq; mulierum; sed re vera vita fortissimorum in Christo virorū. Anima namq; quæ actiuæ vitæ limites nōdum excessit, neq; adhuc nouit externis occupationib[9], licet bonis, orationis, ac contēplationis exercitationē adiūgere, paruula quidē est, neq; spiritualis vitæ re-E liquit infantiā. Quę verò diuinis meditationibus, ac colloquiis occupata fratrum salutem nō curat, nec ad ipsorum profectum onera ministeriorū admittit, de numero videtur esse adolescentularum, quę spōsum valdè diligentes, trahuntur post eum, & currūt in odorem vnguentorum eius.] At illa tam fortis, & animosa, quę nullum genus interiorum exercitationum ignorat, & simul nullam externam functionē proximorum saluti necessariam refugit, quæ quietē ac mentis tranquillitatem impensè amat, & propter Deum nullam curam, nullam sollicitudinē auersatur, quæ in erēmo, & in foro indifferenter viuit, &

Cant. 1.

vtrobiq;

vtrobique æquè feruida est, æquè tranquilla, & sine distractione animi rebus diuinis intenta; hæc infantiam vitę spiritualis excedens, & teneritatem adolescentularum superans, fortitudinem virilem habet, & planè virtutem robustissimorum concepit. Hæc vocetur virago, quia de viro sumpta est,] & ad Christi Iesu normam effecta, iā per diem in templo animorum infirmitates curat; iā pernoctat in oratione Dei.] Heu me miserum, qui tot annis vitam fortissimorum profiteor & numquam pusillitatem infantium, aut mollitiem adolescentularum egredior! Si actiones externæ me tenent, spiritum deuotionis, & Dei conspectum conseruare nequeo: Si aliquando spiritus sanctus perflans mentem meam sanctis cogitationibus, & puris affectionibus replet, molestissimè occupationes obedientiæ sustineo. Nolo tamē despondere animum, sed clamabo, plorabo, postulabo, laborabo, donec mihi à Domino concedatur, vt fiat duplex spiritus Domini super me, & vtrumque donum actionis, & orationis valeam accipere.

Quòd vita mista etiam fuerit mulieribus designata.

CAPVT XIX.

RES eximiæ, & plusquàm communi dignitate pollentes non possunt, vna tātùm ratione describi, neque vno figurarū genere præsignari. Ideo enim Saluator noster Christus (vt probationē à maiori petamus) agnus, leo, vitulus, margarita, thesaurus, fōs, petra, lapis angularis, & aliis multis nominibus, quæ Ambrosius, Hilarius, & Nazianzenus retulerūt, vocatus est, quia eius virtutē, atq; præstantiam non valuit vnū nomen exprimere, neque vna sola imago declarare. Cùm ergo vita hęc mista cuius propria delineanda suscepimus, pręstantissima sit, & verè vita Christi Iesu, quam positus in terris excoluit, non mirum, si needum plenè in quinque præfatis viris exposita, in tribus adhuc fœminis & illis nobilissimis, ac illustrissimis, designetur. Quarum prima (vt Hugo Victorinus insinuat) est Regina Saba, cuius iter discendi gratia sacra Scriptura commemorat. Nam relicto patrio solo, venit Ierosolymam tētare Salomonē in ænigmatibus. A quo, cùm ei suas proposuisset dubitationes; ita est luculenter edocta, vt nullum scrupulum Salomon, nullum nodum insolutum reliquerit. Videns autem apparatum domus regiæ, & profundissimam Salomonis scientiam, sapientiámque considerans, veluti in extasim rapta, dicebat; Verus est sermo, quem audiui in terra mea super sermonibus tuis, & super sapientia tua, & non credebam narrantibus mihi; donec ipsa veni, & vidi oculis meis, & probaui, quòd media pars mihi nunciata non fuerit: Maior est sapientia, & opera tua, quam rumor, quem audiui.] Nec sola hac magnifica laudatione contenta, obtulit regi centum viginti talenta auri, & aromata multa nimis, gemmásque pretiosas, vt tum amoris, tum grati animi significationem ostenderet. Quænam est ista regina, nisi aut vita mista, aut anima religiosa, quæ huius vitæ se officiis consecrauit? Quæ est ista regina Austri (inquit Richardus) & illius calidæ regionis inhabitatrix, & domina, & videndi Salomonis desiderio succensa? Quæ, inquam, est regina, nisi quælibet anima sancta, sensibus, & appetitibus carnis, cogitationibus, & affectibus mentis fortiter præsidens, & summi regis, verique prorsus Salomonis dilectione seruens, videndique desiderio ardens?] Hæc anima in regina Æthiopiæ figuratur, talis quippe erat regina Saba (vt Theodoretus ait) nigra, & pulchra, quia potest rectissimè dicere, Nigra sum, sed formosa filiæ Ierusalem, sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis. Nigra quidem, cura & sollicitudine actionis, formosa verò, requie & tranquillitate contēplationis: Nigra, laboribus animarum gratia susceptis, formosa, affectibus feruidis, ex diuini amoris abundantia comparatis: Nigra misericordiæ operibus, quæ mentem, & corpus affligunt, formosa, meditatione diuinorum, quæ molestias, & labores alleuiat. Ista igitur anima priùs suam regionem deserit, hoc est, semetipsam, & proprium amorem, ac commoda derelinquit, vt pacificum regem alloqui, & eius cōspectu frui possit. Vt enim (inquit Gregorius) nisi quis à semetipso deficiat, ad eum qui supra ipsum est, non appropinquat.] Deinde Salomonem de dubiis interrogat, & humiliter audit, cùm Christum verum regem, & dominum in intimo orationis loquentem, & inspirātem auscultat. Domus eius opes superbas, & aulæ magnificentiam videt, cùm & cœlestium rerum meditatione fructus carpit, vtilitatémque non modicam experitur. Parum namque videtur captiuo liberato, conuerso, & accenso (vt Hugo ait) audire prædicationem, nisi probet per affectum; & videre per cognitionē, nisi probet per affectum.] Et tandem offert Domino aurū, aromata, & gemmas pretiosas, cùm animas prędicationis verbo conuersas, in eius domum, & possessionem traducit. Quod namque aurum anima peccatoris iam conuersi pretiosius? Quod aroma suauius? Quæ gemma, aut margarita pulchrior? Cuius gratia verbum patris omnipotens de cœlo à regalibus sedibus in mediam exterminij terram prosiluit.] Et sanè cùm ex bonis operibus sibi præmium æternum donandū coniectet, & in diuinis colloquiis vix aliquam stillā futuræ fœlicitatis degustet, meritò dicit: Neq; dimidiam bonorum partem, quæ sperat, sibi narratā fuisse] Quia illa bona futura, sine vlla comparatione, omnibus bonis huius sæculi maiora sunt, quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, neque vmquam cor hominis apprehendit.

Vide ergò quàm aptè anima ista in Regina Æthiopiæ depicta sit Nā primò egreditur de patria sua, & obliuiscitur populum suum, vt eam Dominus concupiscat, & non solùm, vt tenellam adolescentulam diligat, sed vt sponsam charissimam filiorum matrē efficiat. Deinde excipit doctrinam pacifici Salomonis, & domus eius magnalia cōsiderat, quæ internis auribus audiens, mente reuoluens, & cōplectens voluntatis affectu, contēplatiuæ vitæ munus exequitur. Tādem offert ei ditissimū aurum, & aromata multa, gēmásque pretiosas; hoc est, charitatis opera, misericordiæ labores, vniuersarúmq; virtutum actiones, quibus actiuæ vitæ præstat officia. Ista enim dona Christo seruatori oblata, bona opera significare. Origenes, hūc locum per allegoriam de Ecclesia intelligens, hac oratione declarat. Offert Christo Ecclesia in auri specie, & pondere, non solùm multitudinē sensuum suorum, & intellectuum sed legi Dei cōsecratos indicat sensus suos, per hūc, qui Moysi annos vitæ continet, numerū. Offert etiam suauitates odoramentorum, quales & quantæ nunquā venerāt, vel orationes in hoc, vel opera misericordiæ intellige. Nūquam enim vel tam rectè orauerat, vt nunc, cùm accessit ad Christū, vel tā piè operata fuerat, vt cū cognouit iustitiā suā nō facere corā hominibus, sed corā Patre, qui videt in abscōdito & reddet palā.] Ista ergo regina, quę in terra aliena videt magnalia, &

Theod. in 3. Reg. q. 32. Cant. 1. 5.

Greg. in 7. Psal. pœnit.

Hugo lib. 2. de claustro animæ c. 20.

Sapient. 18. 15.

Orig. lib. 2. in cant. longè à principio.

offert

offert dona, alloquitur, & audit mysticum Salomonem, & eius opes, & thesauros adauget, contemplatur cœlestia, & operatur vtilia: Certè illam vitam præstantissimam repræsentat, quæ relictis propriis desideriis, & priuatis commodis abiectis, tum Deo, tum proximis vacat, & vtriusque ministerij negotium, in vnam seriem occupationum adiungit.

Sed iam secundam fœminam, eiusdem vitæ imaginem, producamus in mediū, quæ nō minus apertè eius officium ac institutum declarat. Ipsa est Debora prophetis, vxor Lapidoth, quæ viris (qui verè essent viri,) deficientibus, gubernat populos, & ciuibus iura decernit. Hęc profectò vitam mistam, siue compositam aptissimè repræsentat. Debora namque interpretatur apis, quæ in alueario commoratur, & non nisi ad colligendos flores ex suo receptaculo egreditur, aculeum habet, quo pungat, & dulcorem, quo alliciat. Eius labor ad hoc tendit, vt suauia mella componat, quæ omnibus, tā magnis quàm paruis, reputātur vtilia. Vnde Origenes. Cuius opus tale est, vt eo reges, & mediocres vtātur ad sanitatem. Ita vita mista est quasi apis studiosa, atque sollicita, quæ duobus ministeriis occupata, vel potiùs vno, quod duo diuersa officia comprehendit, ita diligenter in vtroque laborat, vt neutrum illorum queribundum derelinquat. Cellam quasi alueariam libēs inhabitat, vt in ea sanctarum meditationum, & feruentium affectuum mella cōficiat. Inde autem egreditur, non vt otiosa maneat, nō vt in negotiis inutilibus per plateas, & vicos discurrat, sed vt flores animarum colligat, & ad fauum cœlestis patriæ construēdum, inquirat. Nec deesse illi debet aculeus iustitiæ, & zeli, quo proteruos impellat, nec misericordiæ suauitas, cuius dulcedine pusillos ad virtutē inuitet. Quare Gregorius, de prælatis loquēs, qui præcipuè hanc vitam profitentur, sic inquit. Inesse bonis rectoribus debet iuste consulens misericordia, & pie sæuiēs disciplina, ne iustitia sit animis aspera, & pietas sit remissa. Sit igitur amor, sed non molliens, sit rigor, sed non exasperans, sit zelus, sed non immoderatè sæuiens, sit pietas, sed non plusquam expedit parcens.] Nec tandem labor suus talis est, vt solis principibus, & diuitibus prosit (hoc enim indicium ambitionis, & superbiæ est) sed talis, vt etiam pauperibus, ignorantibus, paruulisque proficiat. Græcis, ac Barbaris (ait Vas electionis) sapientibus, & insipientibus debitor sum.] Idem vita mista dicit verbo, & præstat exemplo. Magnos instruit, pusillos docet, diuites vocat ad regnum, & in plateis, & vicis ciuitatis clamitans, pauperes ac debiles, & cæcos, & claudos intrare compellit, ac in omnium vsum fauū doctrinæ Euangelicæ, non minore auiditate quàm charitate, componit.

Erat Debora vxor Lapidoth, quod nomen interpretatur fulgur, & iudex populi à Domino constituta, habitaculum habebat sub palma, inter Rama, & Bethel, in monte Ephraim. Ascendebantque ad eam filij Israël in omne iudiciū.] Quis nō videt hæc omnia vitæ mistæ congruere? Hæc profectò vxor est fulguris, nimirum Christi Iesu, cuius aduentus instar fulguris cuiusdam emicat. Nam de illo scriptum est: Sicut fulgur exit ab oriente, & paret vsque in occidentem, ita erit & aduentus filij hominis.] Et fortè iste est ille gladius, de quo Pater in Deuteronomio, ita est eloquutus. Si acuero, vt fulgur gladium meum, & arripuerit iudicium manus mea, reddam vltionem hostibus meis, & his, qui oderunt me, retribuam. Quis namque est ille gladius, nisi sermo Dei viuus, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti,] qui in nouissimis temporibus, quasi fulgur splendebit, & vniuersa penetrabit? Hic ergo Dominus ab ipso die natalis sui vitam mistam in sponsam elegit, & sibi arctissimo cōiugij vinculo copulauit, & vsque ad diem ascensionis in cœlum à latere suo non permisit auelli. Nam, & in illo glorioso præsepi Deum Patrem adorabat, & pastorum, ac regum animas ad creatoris notitiam & amorem vocabat. Et in progressu vitæ suæ, iam in desertū & in loca occulta, orationis gratia, secedebat. Iam proximorum desiderio ad prædicādum in publicū procedebat. In cruce verò, & Patrem non sine clamore valido & lacrymis precabatur, & conuersionis sancti illius latronis, & hostium suorum recordabatur. Ac tandem post triumphantem resurrectionē suam, nunc se discipulis patefaciens, nunc à cōspectibus eorum se subtrahens, apertè monstrauit, nūquam se istam charissimam sponsam repudiasse, neque alterius desiderium eius amori prætulisse. Hæc autem via tali sponso coniuncta, tam mirabili viro copulata, quidni sub palma commoretur? Quidni inter Rama, & Bethel tabernaculum figat? Certè sub palma crucis viuit, & inter Rama, & Bethel, id est, inter contemplationē illius excelsæ patriæ, quæ in cœlis est, & inter vtilitatem, quam cupit domui Dei, quæ est Ecclesia, tabernaculum habet, siquidem nihil in ea est, quod non aut desiderium supernorum sonet, aut fratrum spirituale emolumētum redoleat. Meritò verò sub palma crucis sedet, & ab ea numquam cogitatione discedit, quia ab ea virtutem ad prædicandum, & fructificandum sumit. Hoc enim est, quod sponsus dicit in canticis Ascēdam in palmam, & apprehendam fructus eius, & erunt vbera tua sicut botri vineæ, & odor oris tui sicut malorum.] Ascendit ipse in crucem, & ex illa fructus vitæ apprehendit, quos nobis tribueret. Inde autem vbera huius sponsæ suæ habent, vt lacte doctrinæ intumescāt, & os eius odorem sanctæ exhortationis emittat. Quare sapienter Gregorius, hūc eundem locum exponens, ait, Verè per crucem vbera sponsæ, sicut botri vineæ existunt, quia in morte Christi duo pręcepta charitatis sensus animæ susceperūt, quibus pasta anima inebrietur, inebriata, posteriora obliuiscatur, & in interiora extēdatur. His vberibus etiam proximos quosque nutrit, ac roboratos secum ad ea; quæ concupiscit, perducit.] Et paulò inferiùs. Per os sponsæ, hic debere intelligi eius prædicationem putamus. Quæ dum virtutes martyrum prædicat, dum ad eorum similitudinem animos audientium instigat, dum in vnius prædicatione fidei multas virtutes esse manifestat; quid aliud quàm odorem malorum in ore portat?] Ad hanc igitur vitam sub palma crucis commorantem ascendunt veri Israëlitæ, qui saluari volunt, in omne iudicium; quia ab eius doctrina, illius quod æquum, & iustum est, cognitionem accipiunt. Ascendunt prorsus, quoniam ipsa à vanis rumoribus abhorret, & solis diuinis & fructuosis colloquiis delectatur; atque adeò, qui eius conuersationem quærunt, necesse est, vt res inanes & inutiles deserant, & ad rerum supernarum desiderium ascendant.

Postremò Debora vocauit Barach, & ex imperio Domini incitauit eum ad pugnandum contra Sisaram principem exercitus regis Iabin. Barach autem onus impositum reluctante, si non ipsa populi gubernatrix in dimicationem pergat, audit ab ea: Ibo quidem tecum, sed in hac vice victoria nō reputabitur tibi, quia in manu mulieris tradetur Sisara,] Et hæc quoque ad vitam mistam pertinere nō dubium est. Nam vita ista virum religiosum vacātem

Iudic. 4. 4.
Orig. prol. in cant. longè ante finem.
Gregor. in past. p. 2. c. 6.
Rom. 1. 14.
Matt. 24. 27.
Deut. 32. 41.
Heb. 4. 12.
Cant. 7. 8.
Gregor. in cant. c. 7.
Iudic. 4. 9.

monet, dormiẽtem excitat, vt fratribus suis cõsulat. pro Ecclesia laboret, & aduersus vitiorum principem, scilicet Diabolum, expeditionem suscipiat Iste autem prudenter satis sine huius vitæ societate, & adiutorio ad prælium exire detrectat, quia non est tutum sine orationis præsidio, & laboris industria, aduersus vitia & peccata bellum inire, & cõtra Dæmonem dimicare. Ipse enim cum exercitu suo, non oscitando vincitur, sed intentè orando, & fortiter laborando à cordibus fidelium profligatur. Quo pacto victus est Amalech? Certè Moyse orante, & populo pugnante victus est. Nam cùm leuaret Moyses manus, vincebat Israël, sin autem paululum remisisset, superabat Amalech. Ita & nunc animo deprecante, & oculis Scripturam sacram, & non libros vanos legentibus, & auribus impiorũ errata in confessione excipientibus, & lingua verborũ diuinorum sagittas iaculante (ista enim efficiũt exercitum Domini) Amalechitarum castra sunt prosternenda, id est, vitia ab Ecclesia fuganda. Quanta igitur est huius viti prudẽtia, qui ad certamẽ ineundum illius vitæ, in cuius potestate est prosper euẽtus, societatem, & præsidium exposcit? Et quanta huius vitæ virtus (vt verbis Ambrosij vtar) cui dux exercitus dicit: Nisi tu veneris, non ibo? Quanta vitæ fortitudo, quæ à periculis filium, nec materno reuocat affectu; imò ad victoriam hortatur, dicens: Quòd in manu mulieris sit summa victoriæ?] Sed quid est, Ibo quidem tecum, sed in hac vice victoria non reputabitur tibi, quia in manu mulieris (ipsa est Iahel) tradetur Sisara?] Profectò non cessat Dominus mille modis ostendere, quoniam hæc spiritualis peccatorum victoria, non vocibus, sed precibus, non eloquentiæ præcipuè, sed orationi tribuẽda est. Iahel (vt ait Origenes) interpretatur ascẽsio, & lac, moralem Scripturæ institutionem: clauus verò, vel (vt septuaginta verterunt) palus tabernaculi, crucem significat. Quid ergo est à Iahele hostilis exercitus ducem Sisaram lacte sopiri, & clauo, aut palo vice mucronis interfici, nisi vitam mistam studio orationis, quo ad cœlestia conscenditur, doctrinam efficacem, quæ vitia consopiat, proponere, & ostensionem crucis Christi, quæ actus dæmonis interficiat, ministrare? Debora itaque huius vitæ mistæ typus est, quæ sub palma crucis cõtemplando habitat, & ad prælium aduersus vitia obliuiosos prouocat, & piè laborando, de hostibus Dei gloriosam victoriã reportat.

Exod. 17. 11.

Amb. lib de viduis.

Orig. hõ. 5. in lib. iudic.

Si autem hæc vita in altera fœmina regia, & in altera gubernatrice populi depicta est, non erit mirabile, si etiam in muliere forti signetur. Quæ enim regnat; quæ populos regit; quæ multitudini præficitur, non debet esse mollis, & tenera, sed instar virorum fortis, atque robusta. Eius igitur tertia imago inter fœminas est illa virilis, & fortis mulier, cuius raritatem describens Salomon, ait, Mulierem fortem, quis inueniet? procul, & de vltimis finibus pretium pius.] Hæc mulier (vt nobis quidem videbatur) eius animæ, quæ vitam mistam profitetur, proprietates adeò propriè & manifestè repræsentat, vt nihil, quod ad eius præstantiam exprimẽdam requiratur, aut obscurum, aut intactum prætermittat. Nam ista anima mulier est maritata, vel vxor (vt ex sequentibus verbis huius carminis constat:) Quæ enim actiuæ vitæ labores admittit, ancilla est sedula, atque fidelis, & quæ vitæ contemplatiuæ tranquillitatem exquirit, filia est pulchra, & delicata: Quæ verò vitam mistam amplectitur, vxor est Christi; ipsum namque contẽplationis stringit amplexibus, & verbo doctrinæ ei filios gignere cõsue-

Prou. 31. 10.

A uit. Est etiam vxor fortis: scit namque mundana cõtemnere, dæmones vincere, magna opera in animarum conuersione perficere, & pro his laboriosa, imò & aduersa, tolerare. Est inuentu difficilis, quoniam multi sunt in Ecclesia, qui bonis actionibus vacent, & non pauci, qui orationi & quieti se tradant, at paucissimi sunt, qui actionis & contemplationis ex æquo donum accipiant. Hoc habuit Paulus, hoc cæteri Apostoli, hoc sanctissimi Pontifices & doctores clarissimi Ecclesiæ receperunt, nunc autem rari sunt admodum, qui sciant hæc duo perfectè coniungere, & actionis ac contemplationis simul perfectionem comparare. Hanc igitur animam quis inueniet? Profectò si qua religio talem in se animam inuenirет, deberet eam omnibus vnionibus, & gemmis, B quantúmvis incomparabilis valoris, præferre: Quia vna sola magis prodest fidelibus populis, quàm multæ aliæ, quæ, aut sibi ipsis vacãres, aut solis externis occupationibus, sine orationis dono laborantes, solent Ecclesiæ proficere Sed qualis est dilecta hæc Domini? Ex quibus valebimus illam agnoscere? Certè tam pulchra est, tam splendida, tam fœcunda, tam omnibus fructuosa, vt nullo negotio ab vniuersis possit agnosci.

Verùm eius qualitates, hoc Salomonis carmen satis euidenter declarat. Non enim dubium est, quin omnia mulieris fortis elogia animæ vitam mistam colenti, facillimè accommodentur, sed illud præcipuè. Quæsiuit lanam, & linum, & operata est consilio manuum suarum.] Si enim lana, carnale aliquid, (vt ait Augustinus) linum spirituale significat, quia C in ordine vestimentorum interiora sunt linea vestimenta, lanea verò exteriora: Quid erit lanam, & linum quærere, nisi externa pietatis opera, & contemplationis interna, in quibus exerceatur, inquirere? Et quid erit operari consilio manuum suarum, nisi in his duobus ministeriis, non coactam, sed voluntariam, tota mentis contentione laborare? Illud quoque; De nocte surrexit, deditque prædam domesticis suis, & cibaria ancillis suis.] Nam re vera in nocte quietis lectulum deserit, & ad orationem, ad gemitus, ad lacrymas surgit. Ibi quasi paupercula a ditissimo rege eleemosynas doctrinæ impetrat, quas fidelibus postea distribuat. Hæc autem doctrina non incongruè præda & cibus appellatur. cibus. quia ea fidelis populus sustentatur, præda verò, D quia non simpliciter postulatur, sed vi, & potentia precum, quasi de manu Domini eripitur. Illud deinde. Manum suam misit ad fortia, & digiti eius apprehenderunt fusum.] Manus mittit ad fortia, cùm in contemplatione posita, pro animarum salute magnos labores amplectitur voluntatis affectu, & digitis apprehendit fusum, cùm id quod secum habitans mente concepit, suo tempore opere præstat. Neque enim sufficit magna statuere, si non in opus prodeant, & executioni mandentur. Quod optimè docuit Augustinus, hunc eundem locum explanans. Diligenter (inquit) attende in lanificio duo instrumenta, colum, & fusum: In colo, lana inuoluta, quæ filo ducenda transeat in fusum. E Quod in colo inuolutum est, adhuc in sinistra, & nondum in fuso est. Quod in fuso collectum est, iam præteritum est. Opus ergo tuum in fuso sit, non in colo. In colo enim est, quod facturus es, in fuso, quod fecisti. Vide ergo si habes aliquid in fuso, ibi enim firmantur brachia tua, ibi erit fortis constantia tua, ibi securus Deo dices: Da, quia dedi, dimitte, quia dimisi, fac, quia feci. Hæc ergo anima, manibus apprehendit fortia, & digitis fusum, cùm bona facienda mente

Aug. ser. 217. de tempore, tom. 10.

Aug. supra.

pro

proponit, & data opportunitate, opere, quod proposuit, exequitur.

Illud præterea. Non timebit domui suæ à frigoribus niuis: Omnes enim domestici eius vestiti sunt duplicibus.] Quæ domui suæ, hoc est, familiæ suæ non timet à frigoribus niuis, haud dubium quin nec sibi ipsi timebit. Induta est duplici vestimento, duplici nimirum Dei, & proximi dilectione. Illam cótemplando fecit, hanc operando, & laborando composuit. Nam Dei amor oratione, & deuotione nutritur, amor verò proximi bonis operibus, eius gratia præstitis, roboratur. Has duas vestes, suis domesticis tribuit, quia omnes familiares suos ad vitã suæ similem, tum ostensione tantæ pulchritudinis, tum sermone, & exhortationibus allicit. Quibus illi decenter induti, nec frigora, ne niues pertimescũt. Vestimenta enim ista, ignea sunt: quid igitur mirum, si frigus tepiditatis erga Deum arceant, & erga proximos niuem auersionis propellãt? Ex hoc autem manifestè conspicitur, huic animæ quàm aptè conueniat, quod statim sequitur, Stragulatam vestem fecit sibi, byssus & purpura indumẽtum eius.] Tria namque indumenta hoc loco mihi significari videntur, alterum puritatis ex bysso, alterũ charitatis ex purpura: tertium stragulum, hoc est, vniuersarum virtutum varietate contextum. Induit se bysso, quia Deo per orationem ignitam debet appropinquare, qui cùm sit sanctitatis origo, nisi puritate vestitam ad se venire non sinit. Induit se purpura, quia eius curæ commissum est proximis subuenire, quod fructuosè faciet si purpura se charitatis circunder, exuatque omne studium vanitatis. Induit se veste variegata, quoniam in his duobus, puritate, & charitate, omnis continetur summa virtutum.

Illud tandem optimè in istam animam quadrat, Fortitudo, & decor indumentum eius, & ridebit in die nouissimo.] Eisdem enim vestimentis, quibus dilectus suus sponsus induitur. De sponso quippe dictum est in Psalmis: Dominus regnauit, decorem indutus est: indutus est Dominus fortitudinem.] De sponsa verò: Fortitudo, & decor indumentum eius. Induit decorem, quoniam in se, & in aliis, quos ad virtutem instruit, sanctitatem cupit, puritatem amat, perfectionis vias, non sola, sed multis circundata, à peccatis abductis, ambulare curat. Induit fortitudinem, quia pro assequutione perfectionis propriæ, & alienæ, tentationes, & persequutiones, non tantùm patienter, verùm & hilariter perfert. Imitatur quidem sanctam Ecclesiam, cuius ipsa ratione vitæ, quam agit, est pars selectissima. De qua hæc scribit Beda: Fortitudo indumentum eius ad tolerandã peruersorum improbitatem, decor ad exercendã virtutum gratiam. Decor, quia operatur iustitiam, fortitudo, quia persecutionem patitur propter iustitiam.] Non satis est huic animæ inter tot aduersarios constitutæ, vt decorem induat, nisi etiam se virtute circundet. Nam si non sit in ea virtus, & fortitudo, quæ puritatem tueatur, facilè aduersarij decorem diripient. His autem indumentis ornata ridebit in die nouissimo,] gaudebit namque in retributione regni cœlestis, quæ doluit in impugnatione vitæ præsẽtis. Tunc illud in se ipsa videbit impletum. Beati, qui nunc fletis, quia ridebitis.] Et illud: Os veracium (eorum scilicet, qui vita, & doctrina veritatem prædicauerint) implebitur risu.] Et rursus illud. Beati, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniã ipsorum est regnum cœlorum.] Verè, ô anima sancta, quæ hanc vitam delegisti, & secundum illam tuas actiones componis, multæ filiæ congregauerunt diuitias, sed tu supergressa es vniuersas. Filiæ

Psal. 92. 1.

Beda in prou. c. 31.

Luc. 6.21.

Matth. 5. 10.

A enim sunt, quæ vnam tantùm vitam, vel actiuam, vel contemplatiuam sectantur, & istæ non dubium quin magnas diuitias spirituales congregent, quas in æternum possidebunt. Sed tu (si statum, quem habes spectemus) eas supergrederis, dum vtriusque vitæ merita in vnum institutum congeris, & ex abundantia amoris Dei, proximorum vtilitatem inquiris. Quàm nobilis igitur est vita, quã tres istæ mulieres repræsentãt; vna regina, altera prophetis, & populi gubernatrix: tertia fortissima, & inter sæculi procellas, & tentationes inuicta. Meritò sanè eã diximus, cæterisque prætulimus, quam verus Salomon edocet, sui populi ductricem facit, & tamquam sponsam sibi charissimam proprio ore col-

B laudat.

Quòd vita mista fuerit in animalibus Ezechielis præsignata.

CAPVT XX.

HIs imaginibus vitæ mistæ, quatuor Ezechielis animalia finem imponant: in quibus, qualis esse debeat eorum institutio, qui vitam ex actiua & contemplatiua compositam amplectuntur, non minùs clarè quàm copiosè describitur. Et

C quidem quatuor illa animalia, non tantùm quatuor Euangelistas indicasse, sed in eis Euangelij quoque prædicatores significasse (qui omnes citra dubium vitam mistam debent profiteri) Beatus Gregorius constanter affirmat. Quid enim (inquit) per quatuor animalia, nisi quatuor Euangelistæ signantur? Nec immeritò per Euangelistas quatuor perfectorum omnium numerus exprimitur, quia omnes, qui in Ecclesia modò perfecti sunt, perfectionis suæ rectitudinem per eorum Euãgelium didicerũt. Hunc ergo Beatissimum Doctorem sequentes istam visionem de vitæ mistæ professõribus explicamus, in qua eorum quisq; perfectissimam effigiẽ sui instituti cóspiciet, & qualis esse debeat, si sibi ipsi deesse nolit, manifestissimè inueniet. Facta manu Domini super sã-

D ctum istum prophetam, vidit ventũ rapidum, ac turbulentum venientem è Babylonia, & nubẽ densam, tenebrisque circumfusam, à vento ipso raptatam, ignémq; nubem ipsam inuoluentem, ac circumdantem, à quo splendor egrediens, nubem cingebat, ac circumuallabat: atque de medio ignis speciẽ purissimi electri apparentem, seque oculis ostentantem. Et statim; Et in medio eius, scilicet in medio ignis (vt exponit Hieronymus) visa est à me similitudo quatuor animalium:] Quatuor ista animalia (vt dicere cœpimus) prælatos, verbi Dei seminatores, & vno nomine, vniuersos, qui in salutem animarum incumbunt, spiritualiter indicant. Qui non anima-

E lia, quæ vilia & terrestria sunt: sed animalium similitudines appellantur, quoniam licèt instar animalium, in mundo viuant, rebus ad vitam sustentandam necessariis indigeant, & inter peccatores, & mundanos conuersentur, tamen desideriis, & operibus, non animalia sunt, sed Angelis, ac cœlestibus spiritibus annumerantur. Vnde possũt rectè eum Paulo dicere: In carne ambulantes, non secundùm carnẽ militamus. Nam arma militiæ nostrę, nõ carnalia sunt, sed potẽtia Deo.] Hi inter turbines, & tempestates, inter caligines nubiũ, & flãmas ignium venire dicũtur, quia non in solitudine, sed inter mũdanos vitam agũt, à quibus sæpe persecutiones sustinent iniurias, contumelias, & subsannationes

Greg. hõ. 2. in Ezechielem.

Ezech. 1. 5. Hieronym. ibid.

1.Cor. 10. 3.

2. Cor. 7. 5. patiuntur. Audi quemdam istorum sanctorum animalium (Paulũ intelligo) suas tribulationes enarrantem. Nam cùm venissemus in Macedoniam, nullam requiem habuit caro nostra, sed omnem tribulationem passi sumus, foris pugnæ, intus timores.] Perpende, quàm miserabiliter eum ventus turbinis iactet, & nubes minarum, atque timorum, & vorax ignis adurat. A Iudæis (inquit) quinquies quadragenas, vna minùs, accepi. Ter virgis cæsus sum, semel lapidatus sum, ter naufragium feci, nocte, & die in profundo maris fui.] Sane animalia ista, aut homines isti perfecti inter ignes, & turbines veniũt. quia in persecutionibus viuunt. Mundani eos tamquam suorum peccatorum populatores detestantur, tepidi, & segnes tamquam socordiæ reprehensores cõtemnunt, imperfecti, aut non ad tantam perfectionem vocati, tamquam temerarios, & audaces irrident, vt tãtarum tribulationum igne examinati, puriores fiant, & fideles inueniantur, ac stabiles.

Vid. cap. 11. 24. & 25.

Et hic aspectus eorum, similitudo hominis in eis.] Quis est hic homo, euius in mysticis animalibus similitudo conspicitur, nisi Dominus Iesus Christus? De quo scriptum est, Qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualẽ Deo, sed semetipsũ exinaniuit formã serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus, vt homo.] Sancta quippe animalia non essent, si huius hominis Dei similitudinem non haberent. Et quidquid humilitatis, & mansuetudinis, quidquid sapientiæ, & puritatis, quidquid amoris, & zeli possident, hoc ab omnis sanctitatis fonte, ab omnisque perfectionis origine, scilicet à Christo docente, & tribuente, percipiunt. Christi ergo similitudinem induunt, quia eum in omnibus operibus imitari nituntur, capitis sui charitatem, suauitatem circumspectionem, zelum, & alias virtutes sectãtur, vt homines ei similes per imitationem facti sint in conuersatione irreprehensibiles, & in actione efficaces. Quatuor facies vni, & quatuor pennæ vni. Pedes eorum pedes recti, & planta pedis eorum, quasi planta pedis vituli, & scintillæ quasi aspectus æris candentis.] Hæc sancta animalia facies, & pennas, & pedes habent. Facies ad Dei cognitionem, penna ad amoris affectum, & pes ad actionem refertur. Vndè ita Deo cognitione & amore iunguntur, vt tamen actionem non deserãt, & ita actioni vacant, vt tamen lucem cõtemplationis, & suauitatem amoris non derelinquant. Pedes autem eorum recti sunt, & instar pedum vituli efformati; qui & graues sunt, & fortes, & vngulam habent diuisam, vt ipsi animarum ministri suorũ operum intelligant qualitates, si facies, & pennas, hoc est, contemplationis donum nolunt amittere. Debent namque seruare maturitatem in opere, fortitudinem in perseuerãtia, & diuisionem vngulæ in discretione. Vt enim (inquit) Gregorius: Non facilè prædicatio eius accipitur, si leuis in moribus esse videatur: Et nulla erit maturitatis ostensio, si contra aduersa omnia non adfuerit operis fortitudo. Virtutis autem meritum, ipsa fortitudo operis amittit, si discretio in intellectu non fuerit.] Nec otiosè dictum est has operum qualitates ab eo esse tenẽdas, qui cupit contemplationis donum nõ perdere: quia Dominus nullo modo illum suo alloquio dignabitur, qui, aut in bono opere leuis est, aut in eo quod cœpit inconstans, aut minùs in seruando actionis modo discretus. Et fortè pedes isti scintillas euibrare dicuntur, vt eorum pulchritudo mõstretur. Pulchræ enim sunt prædicatorum actiones, quas maturitatis, fortitudinis, & discretionis decor exornat.

Philip. 2. 6.

Ezech. 1. 6 & 7.

Greg. hõ. 3. in Ezechielem.

A Conspicuæ sunt, quasi scintillæ æris candentis. qui in hunc finem tendunt, vt fidelium corda, tum illuminent, tum accẽdant. De his spiritualibus pedibus dixit Isaias. Quàm pulchri super montes pedes annunciantis, & prædicantis pacem: annunciantis bonum, prædicantis salutem, dicentis Sion: Regnabit Deus tuus.] Super montes ambulant pedes annunciantium Euangelium Dei, quod cùm bonum nuncium sit, nomine pacis, boni, & salutis intelligitur, quia omnem humanam altitudinem vincũt, & vniuersarum virtutum sublimitatem conscendunt. Et ideo speciosi sunt. Quid enim speciosius, quam actione, non solùm pulchritudinem virtutis tenere, sed etiam orbem vniuersum illustrare? Isa. 52. 7.

B Et manus hominis sub pennis eorum.] **Manus**, vitam actiuam, & penna, contemplatiuam **significat**. Quid igitur erit ista sacra animalia **habere** manus sub pẽnis, nisi opera vitæ actiuę, **nõ impetu** naturalis appetitus effundere, sed discretione **cõtemplationis** dirigere, & in principium omnis boni, nimirum in Deum, reuocare? Manus hominis sub pennis abscõdere est illud Salomonis obseruare. Oculi tui recta videant, & palpebræ tuæ præcedant gressus tuos.] Hoc est, (vt exponit Beda venerabilis) iter iustitiæ, quo ingredi debeas, diligenter edisce, & in cunctis, quæ agere disponis, sollicitus ad quem sint finem ventura, præuide. Hoc est enim palpebras recta videntium oculorum, tuos præcedere gressus, bonum opus, quod acturus es, sedula cogitatione præuenire. & quid secundum Deum sit, meditando præuidere.] Cùm sic manus sub pennis sunt, tunc erunt in quatuor partibus, quia vineæ Domini cultor, generale desiderium in se sentiet omnibus proficiendi, neque huic, aut illi generi hominum suum ministerium alligabit. Qui enim hos (exempli gratia) nobiles ac diuites, libenter iuuat, & alios, nimirum plebeios & pauperes, molestè suscipit, nondum habet manus sub pennis, quia non ratione se regit, sed naturæ procliuitate se ducit, qua nõ tam animarum salutem, quàm inanem applausum, & vanum honorem inquirit. Iste non habet, sicut sancta animalia, manus in quatuor partibus, quia in vnam tantùm partem inclinatus, ei prodesse cupit, reliquas verò, ac si nullius essent momenti, contemnit Cui è contrario dicemus. Da partes septem, nec non, & octo, quia ignoras quid futurum sit mali super terram.] Hoc est neminem à commercio tuorum laborum excludas, cùm nescias mala, scilicet tentationes hominibus euenturas, quæ si diuitem fortè prostrauerint, pauperculum in bono perseuerantem habebis per tui laboris industriam, in quo tamquam in filio sapiente glorieris.

Prou. 4. 25. Beda lib. 1. in prou. cap. 4.

C

D

Eccl. 11. 2.

Et quid amplius boni percipiunt ex manibus sub pennis constitutis? Certè illud: iunctæque erant pennæ eorum alterius ad alterum.] Iunctæ pennæ, pacis ac concordiæ indices sunt. Mutuò se constringunt (inquit Gregorius Nazianzenus) propter societatẽ, & concordiam. Quia ex eo quòd prædicatorum virtus, ac sapientia oratione regitur, fit profectò, vt non inuicem se mordeant; non hic alterius bonum nomen, & auctoritatem eleuet, sed arctissimo charitatis vinculo socientur. Ad hanc coniunctionem pennarum, siue mutuam dilectionem, atque concordiã, ministros Euangelij Dominus exhortatur, dicẽs: Habete in vobis sal, & pacem habete inter vos.] Hæc index est veræ & illibatæ sapientiæ. Nã quæ desursum est sapientia, primũ quidem pudica est, deinde pacifica.] Qui autem mutuò se ipsos odiunt, detractionibúsque dilaniant, mũdana sapientia potiùs tument, & actionum manus, non sub pennis sanctæ

Nazian. in signifi. ac. sup. Ezechiel.

E

Marc. 9. 49. Iacob. 3. 17.

oratio

orationis ponunt, sed sub vitio propriæ gloriæ, & ambitionis abscondunt.

Est ne aliud, quod ex manu sub pēna posita subsequatur? Sane quod statim sanctus propheta subiungit. Non reuertebantur, cùm incederent, sed vnumquodque ante faciem suam gradiebatur.] Cùm enim actiones suas ratione dirigant, & obstacula, quæ impedire possent, consideratione præueniant, non est cur eas deserāt, & ad vitam otiosam, ac proximis inutilem reuertantur. Sciūt dictum esse à Domino. Nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retro, aptus est regno Dei.] Et ideo stiuam aratri semel acceptam non deserunt, ne sicut vxor Loth, post se respiciens, in statuas salis conuersa, nec sibi ipsis, nec fidelibus prosint, sed tantùm (vt ait Isidorus) sint condimentum aliorum, qui infælicitatem respicientium retrò, & suam vocationem relinquētium cognoscentes, vnde illi ceciderunt, ipsi saluentur, hoc est, sibi ipsis caueant, ne ob negligentiam, aut inconstantiam, simili castigatione puniantur. Ante faciem quoque gradiuntur, quoniam nec dum hac sorte contenti, qua à terrenis ad cœlestia, à temporalibus ad spiritualia trāsierunt, semper in spirituali negotiatione maiora & perfectiora nituntur comparare virtutum augmenta.

Luca 9. 62.

Isidor.

At cùm sanctus propheta, hucusque dixerit, vnūquodque istorum animalium quatuor faciebus constare, neque earum figuras declarauerit, nemo profectò erit, qui istarum facierum lineamenta scire nō appetat. Cui legentium desiderio, ipse satisfacit, dicens: Similitudo autem vultus eorum facies hominis, & facies leonis à dextris ipsorum quatuor, facies autem bouis à sinistris ipsorum quatuor, & facies aquilæ desuper ipsorum quatuor.] Talis esse debet minister Euangelicus, cui tractandarū animarum cura committitur. Homo, qui sciat pusillis ac miseris peccatoribus compati: Leo, qui nouerit aduersus peccata rugire, & comminationes diuinas terribiliter intonare: Bos, qui possit sollicitudinum onera sustinere: Et aquila, quæ contemplando cœlestia, valeat res terrenas effugere, & ad Deum sublimiter euolare. Alio modo istas perfecti hominis facies exposuit Gregorius. Omnis (inquit) qui in ratione perfectus est, homo est. Et quoniam se metipsum ab huius mundi voluptate mortificat, vitulus est. Qui verò ipsa sua spontanea mortificatione, contra aduersa omnia fortitudinem securitatis habet, vnde scriptum est: Iustus autem quasi leo confidens, absque terrore erit:] leo est. Quia vero sublimiter contemplatur ea, quæ cœlestia atque terrena sunt: aquila est.] Ambrosius aliter. Nam in omni sapiente viro (ait) prudentes Græciæ esse memorauerunt, prudentiam, fortitudinem, temperantiam, atque iustitiam. Prudentia enim rationis humanæ est, fortitudo vim quamdam ferocientis virtutis habet, mortisque contemptum: temperantia sacratæ vinculo charitatis, mysteriorúmque contemplatione cœlestium, negligit corporis voluptates: Iustitia in alto quodam suggestu locata, videt, exploratque omnia, quæ aliis potiùs nata, quàm sibi, non tam suas vtilitates, quam publica emolumenta rimatur. Meritóque anima operata iustitiam, formam aquilæ accipit, quòd terrena defugiens, totáque cœlesti sublimis, & intenta mysteria, resurrectionis gloriam pretio æquitatis adipiscitur.] Sed siue hoc, siue alio modo interpretemur, certum est, istas omnes virtutes prædicatoribus, & animarum ministris conuenire, quibus tamquam partibus vita perfecta componitur, & Deo grata, ac proximis vtilis comprobatur. Verùm non est silentio relinquen-

Greg. ho. 4. in Ezechielem.

Prou. 28. 1.

Ambr. 3 de virgin. longè ante finem.

dum, quare facies leonis à dextris, facies bouis à sinistris, & facies aquilę desuper esse memoretur. Existimare enim quod hæc facierum distributio, mysterio vacat, nimis reputamus absurdum. Facies hominis prima se offerebat, & in primo prospectu vatis aspicientis erat, quia hæc est veluti præcipua, & magis curandis animabus necessaria, prædicatoris virtus, humanitas, atque benignitas, quæ peccatores alliciat, & ad quærendum à tam pio patre remedium inuitet. Facies leonis erat à dextris, quia increpationes ea prudētia, & circumspectione debēt esse conditæ, vt fælicem successum in dextera signatum accipiant. Facies bouis à sinistris; vt cùm aliquid sinistrum, vel aduersum acciderit, ibi sit fortitudo vituli, quæ impositum onus non deserat, & aduersitates pro fratrum salute sustineat. Facies verò aquilæ desuper apparebat; nam diuinorū contemplatio, & recursus ad Deū, omnibus aliis debet eminere, benignitatem dirigere, aduersitati se opponere, & increpationem temperare.

Longum esset omnes proprietates horum sanctorū animalium sigillatim discutere, reliqua breuiter percurramus. Facies eorum & pennæ eorum extētæ desuper.] Quod dicit: Et facies eorum (inquit Richardus de sancto Victore) defectiua oratio est, quasi dicat: Et facies eorum, in hunc modū erant. & pennæ eorum extentæ desuper illas facies.] Pennæ igitur extentæ erant, quoniam omnis contemplatio Sanctorum, non in aliquem distortum finem, sed super omnia terrena in Deum tēdit, vt sic adipisci valeat, quod in cœlestibus appetit. Duæ pēnæ singulorum iungebantur, & duæ tegebant corpora eorū.] Pennæ extentę desuper, & inter se iunctæ, sūt amor, & spes, extentæ sunt, quia iustorum corde ad æterna amanda, & speranda sustollunt: & iunctæ sūt; quia cœlestia; quæ amant, eadem se consequi sperant. Pēnæ verò tegentes corpora sunt, timor, & dolor, quæ imperfectiones in bonis operibus factas, diluētes ab oculis Dei omnipotentis abscondunt. Timere enim propriam imbecillitatem, & maculas inde ortas deflere, quid aliud est, nisi peccati corpus cooperire? Sicut in Psalmo legimus Beati quorū remissę sūt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Vide sanctū illud animal, quod superius in medium protulimus, primis duabus amoris, atque spei alis euolātem. Mihi (inquit) viuere Christus est, & mori lucrū.] O magnus amor! Et Saluatorem expectamus Dominum nostrū Iesum Christum. O ingēs fiducia! Vide eundem duabus aliis pennis, timoris, & doloris, corpus suum operiētem. Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, ne fortè cùm aliis prædicauerim, ipse reprobus efficiar.] O mirabilis trepidatio! Ego minimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus, quoniam persequutus sum Ecclesiam Dei.] O vera, & humilis pœnitentia! Verè duabus pennis volant, & duabus corpora contegunt, qui instar Pauli, cœlestia diligunt, & appetunt, & terrenos actus, sancto timore, & pœnitentia lauare contendunt.

Richar. in exposit. lit. huius visionis.

Psalm. 31. 1.

Philip. 1. 21.

Philip. 3. 20.

1 Cor. 9. 27.

1 Cor. 15. 9.

Vnumquodque eorum coram facie sua ambulat;] nam propriam vitam sollicitus aspicit, & quātùm quotidie in bonis crescat, aut fortasse quantùm in bonis decrescat, diligenter examinat. Vbi erat impetus spiritus, illuc gradiebantur.] Sācta ista animalia, nō ductum carnis suæ, aut prauarum affectionum, sed spiritus sancti motum sequuntur, aut rationis lumine, aut sapientiæ splendore, aut legibus Ecclesiæ, aut obedientiæ iussis declaratum. Cùm ambulant, non reuertuntur, quia ad occupationes sæculares, quas semel reliquerunt, minime

 redeunt,

redeunt. Aspectus eorum quasi carbonum ignis ardentium,& quasi aspectus lampadarum.] Nam ad se accedentes, luce veritatis illuminant,& exéplo sanctitatis inflammant. Hæc est visio discurrens in medio corũ,splédor ignis,& de igne fulgur egrediens.] Splendor ignis spiritus diuinus est,qui in istorũ cordibus commoratur, & desideriorum fulgura iactat Et ea,quæ ad vana,& sæcularia nõ redeunt, eunt.& reuertuntur,quia iã ad secreta contemplationis properant,iam ad labores actionis festinant, nũc charitatis zelo permoti,nũc carnis propriæ imbecillitate coacti. Vnde Isidorus: Visio animalium in Ezechiele,quæ ibant,& nõ reuertebantur, pertinet ad vitæ actiuæ perseuerantiam,& iterum, ea animalia, quæ ibant,& reuertebantur,pertinent, ad cõtemplatiuæ vitæ mensuram,in qua dum quisq; intéderit, sua re- A uerberatus infirmitate reflectitur, atque iterum renouata intentione ad ea, vnde descenderat, rursus erigitur.] Eunt, & reuertuntur, non vtcumque,sed in similitudinem fulguris coruscantis.] Nam in nocte huius vitæ,non segniter,sed ardenti feruore spiritus contemplationis suauitatem, & actionis fructum exquirunt.Hæc omnia satis copiosè,& prolixè prosequitur Sanctus Gregorius.In his igitur animalibus Apostolicum institutum adumbratũ est, quod ex vtraque vita,actiua, & contemplatiua coalescés, in aliam vitam multò præstantiorem, & duas priores comprehendentem euehitur. Cuius perfectio, neque est solùm bona opera facere, neque solùm in Dei contemplationem incumbere, sed vtrumque munus perfectè,cumulatéque præstare.Et de harum vitarum imaginibus dictum sit satis.

PARS TERTIA

De substantia,fine,& officio vitæ actiuæ.

IAm à figura ad rei substantiam transitum facimus,vt tres vitas spirituales actiuam,contemplatiuam & mistam in se ipsis declaremus. In qua tractatione primò substantia cuiusque vitæ consideranda est,deinde finis, in quem tendit, postea actiones,quarum præsidio finem consequitur,ac tandem ad quos quasi ex instituto quælibet istarum trium vitarum spectet.

In quo consistat vita actiua.

CAPVT XXI.

HActenvs tres vitas spirituales vidimus per speculum, & in ænigmate, nunc easdem in se ipsis,& quasi facie ad faciem videamus.Nec timédũ est, nobis euenturũ,quod adolescétibus solet accidere,qui cùm imaginé virginis sibi in cõiugium promissæ conspiciunt, quia mentitur venustatem,quam illa non habet,eius amore ac desiderio flammantur,at ipsius præsentiam,& copiam adepti, amor cóceptus intepescit, quoniam minorem pulchritudiné,eáque agresti ingenio, prauisque fœdatam moribus inuenerunt.Hoc,inquam, nõ eueniet nobis, quoniam cùm istarum vitarum facies viderimus, earúmque consuetudinem acquisierimus,sine vlla comparatione, maiorem, tum morum suauitatem, tum præsentiæ venustatem reperiemus,quàm imago,licèt culta,& formosa,non attigit. A vita ergo actiua incipiendum est, quia prior est aliis,& ordine temporis,& consequendi desiderio.Prius enim hæc appetenda, & quærenda est, quam Deus fecit veluti primum gradum scalę cœlestis,& quasi totius vitæ spiritualis infantiam, sine qua, nullus, neque ad vitæ contemplatiuæ iuuentam,neque ad ætatem virilem mistæ vitæ, perueniet. Omnis enim spiritualis vita à susceptione Domini in proprium cor, sumit sui cursus exordiũ.Martha autem, quæ typus actiuæ vitæ est, Dominum hospitio suscipit. Maria verò, quæ vitam contemplatiuam signat,ad pedes Domini,iam in propriam domum admissi prouoluta, quiescit. Vnde optimè Bernardus:Sed prior natu A Martha videtur, & salutis initium sibi magis actio, quàm cõtemplatio noscitur védicare Laudat Christus Mariam, sed à Martha suscipitur.Amat Rachelem Iacob,sed Lia supponitur ignoranti. Si de fraude quæritur,audiat,nõ esse consuetudinis, vt iuniores priùs tradantur ad nuptias. Quòd si luteã hanc cogites domum facile erit nosse, quemadmodum in ea Dominum Martha magis excipiat, quàm Maria. Quod enim ait Apostolus: Glorificate, & portate Deum in corpore vestro,] Marthæ dicitur,non Mariæ. Hæc nimirum corporis vtitur instrumento, B cùm illi potius sit impedimento. Denique corpus, quod corrumpitur,aggrauat animam, & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitãtem.] Nũquid & operantem? Martha igitur in domum suam excipit Saluatorem in terris; Maria potiùs cogitat, quemadmodum suscipiatur ab eo in domo nõ manu facta,æterna in cœlis.] Ex quo liquet, primo loco vitam actiuam in tractationem esse vocandam, quæ in cœlum properantibus hospita primò se offert, atque hilari vultu, & serena facie eos in domum suam excipit.

Genes. 29. 26.

1. Cor. 6 20.

Sapient. 9 15.

C Actiua igitur vita est, illud vitæ spiritualis institutum, quo homo studiosis actionibus ex professo vacat, vt se ad contemplationem veritatis, & amoris perfectionem disponat. Hæc enim vita,(vt ipsum nomen præ se fert)actionem respicit,illam scilicet, quam philosophi praxim appellant, cùm verò actio praua ad eam non pertineat, quippe quæ cum vita spirituali nihil commercij habet; manifestum est, quia studiosis tantùm actionibus vacat ex virtute profectis. Has autem ex instituto suscipit, vt homo se ad contemplationem præparet. Sine, quia re vera hunc finem in omni externo opere sibi

præfigit, vt aptus sit in Dei omnipotentis familia-
ritatem, ac consuetudinem admitti; siue, quia stu-
diosa opera etiam tantæ dignitatis oblitum, & de
hoc fine nihil cogitantem, natura sua aptum ad
diuinas res contemplandas, & ignem diuini amo-
ris suscipiendum, efficiunt. Scriptum est enim in
Psal. 23. 3. Psalmo: Quis ascendet in montem Domini: aut
quis stabit in loco sancto eius?] Cui interrogatio-
ni ipsa veritas summa respondet: Innocens mani-
bus, & mundo corde, qui non accepit in vano ani-
mam suam, nec iurauit in dolo proximo suo: Hic ac-
cipiet benedictionem à Domino, & misericordiam
à Deo salutari suo.] Mons iste Christus homo est, de
Isa. 2. 3. quo dixit Isaias: Venite, & ascendamus ad montem
Domini, & docebit nos vias suas, & ambulabimus
in semitis eius. Locus huius montis, Verbum diui-
Ioan. 1. 14. num est, in quo humanitas sustentata consistit Nam
Verbum caro factum est, & habitauit in nobis.] Be-
Gen. 32. 26. nedictio, gratia contemplationis est, quoniam eam
cupiens iustus, tamquam alter Iacob luctatur cum
Deo, neque ipsum dimittit, donec benedicat sibi.
Misericordia ignis charitatis est, quem Dominus in
corde pauperis miseratus accendit, vt omnes eius
miserias paupertatésque consumat. Ille igitur ad
montem Christum per contemplationem ascendit,
ille in diuinitate eius per amorem requiescit, ille
aptus efficitur hanc amplam benedictionem, & exi-
miam misericordiam suscipere, qui in operibus in-
nocentiam tenet, & in cogitationibus munditiam
seruat; qui vitam suam rebus inanibus & transi-
toriis non deputat, & ab iniuriis proximorum ab-
stinet: quæ omnia munera sunt vitæ in actione cō-
stitutæ.

Est etiam vita actiua illa viri spiritualis occupa-
tio, quæ peccata deflet: affectus moderatur: bella
tentationum dissoluit: proximos in rebus corpora-
libus, & spiritualibus iuuat: omniúmque virtutum
Isa 33. 14. moralium functiones exercet. Ad quam Dominus
per Isaiam iustos permouet, dicens: Quis poterit ha-
bitare devobis cum igne deuorante? Quis habitabit
ex vobis cum ardoribus sempiternis?] Se ipsum (vt
Hier. lib. 10 in Isa 33. notat Hieronymus) ignem, & ardorem appellans:
ignem quidem hypocritas deuorantē, ardorem im-
pios, & peccatores vrentem: Sed iustos, & in verita-
te ambulantes, benignè fouentem, & mirabiliter il-
luminantem. Huic autem dubitationi, ille, qui sum-
ma veritas est, ita respondet, vt cum secum habi-
Isa 33. 15. taturum astruat, qui vitæ actiuæ præstat actiones.
Qui ambulat in iustitiis, (inquit) & loquitur verita-
tem, qui proiicit auaritiam ex calumnia, & excutit
manus suas ab omni munere, qui obturat aures suas
ne audiat sanguinem; & claudit oculos suos, ne vi-
deat malum.] Et iterum alio loco per eundem pro-
phetam iisdem actiuæ vitæ operibus, gratiam, forti-
tudinem, ac fælicitatem perpetuam promittit. Dis-
Isa. 58. 6 solue (ait) colligationes impietatis, hoc est, multi-
tudinem peccatorum te colligantium: solue fascicu
los vitiorum deprimentes; dimitte eos, qui confracti
sūt, liberos, & omne onus, quo imbecillos opprime-
bas, disrumpe. Frangē esurienti panem tuum, do
ctrinæ, quę abundas, & egenos, vagósque, quia ne-
mo eos ad Christum vocauit, induc verbo prædica-
tionis in domum Ecclesiæ, quam Dominus, sua be-
gnitate, fecit tuam. Cùm videris nudum virtutibus,
operi eum, & carnem tuam, id est, proximos tuos,
ne despexeris.] Nā si in his te exercueris operibus,
tūc erumpet quasi mane lumen tuum, gratia scilicet
diuina tibi concessa, quæ tenebras peccatorum di-
spellat; & sanitas tua citius orietur: vt qui minus
potēs eras ad implenda diuina mandata, iam facilli-

A mè Dei tui in omnibus exequaris volūtatem. Et an-
teibit faciem tuam iustitia tua, vt tamquam iustus, &
Deo acceptus, non vanis, sed veris laudibus effera-
ris. Tandémque gloria Domini colliget te, illa sanè
gloria, quam paratam habet timentibus se.

Magna vita, cui tam ingens præmium decernitur.
Magna profectò, sine qua, neque esset apud homi-
nes correctio morum, neque passionum cohibitio,
neque disciplina virtutum: neque prudentia actio-
nes dirigeret, nec iustitia contineret, nec fortitudo
partem irascibilem stabiliret, nec temperantia con-
cupiscibilem ordinaret. Sine illa non esset in Eccle-
sia doctrina, non esset peccatorum punitio, non bo-
norum operum præmium, non sacramentorum ad-
ministratio. Deessent misericordiæ opera, neque ali-
B quis cibaret famelicum potaret sitibundum, vestiret
nudum, aut visitaret infirmum. Tandem hominum
procuratio, & communitatum gubernatio, totiúsq;
reipublicæ administratio deficeret; quia hæc omnia
præstamus ministerio huius vitæ, quæ vocatur acti-
ua. Cùm enim hæc omnia, non ad contemplatio-
nem, sed ad praxim pertineant, certissimum est ad
id vitæ genus spectare, quod in actione consistit.
Magna denique vita, cuius opera, si in propriam vti
litatem ordinentur (vt sunt fletus peccatorum causa
profusi; affectuum mortificatio, virtutū exercitatio,
& cætera huiusmodi) nos ipsos emendant, à pecca-
tis ac vitiis purgant, virtutum indumentis exornant,
& paulatim ad mentis prouehūt sanctitatem. Si ve-
C rò in vsum aliorum dirigantur, proximorum neces-
sitati subueniunt, fratres iuuant, imò & ipsi vniuer-
sorum Domino in suis membris inseruiunt. Quare
in nouissimo die, his, qui à dextris erūt, bonis nimi-
rum ac iustis, est ipse dicturus, Venite benedicti Pa Matt. 25. 34.
tris mei, possidete paratum vobis regnum a consti
tutione mundi. Esuriui enim, & dedistis mihi man-
ducare; sitiui, & dedistis mihi bibere, hospes eram,
& collegistis me; nudus, & cooperuistis me; infir-
mus, & visitastis me in carcere eram, & venistis ad
me] Illis autem valde admirantibus, & interrogā
tibus, quando hæc in Dominum obsequia contule-
rint, dicetur illis: Amen dico vobis, quamdiu feci-
stis vni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis.]
D Christus ergo obsequia membris suis, nempe proxi-
mis facta, ita recipit, ita diligit, ita gratificatur; ac si
in gratiam sui corporis essent effecta. Hac ratione
Basilius, certè potentissima, nos ad vitam actiuam Basil. in const. monast. c. 2.
prouocat, sic dicens: Si ministrare vis, in nomine
Christi ministrato. Ipse enim dixit: Quatenus feci-
stis vni de his fratribus meis minimis, mihi fecistis.
Nam siue hospites recipis, siue mēdicos reficis, siue
dolentium misericordia commoueris, siue necessi
tate aliqua calamitatéve oppressos auxiliati metu
subleuas: siue aduersa valetudine laborantibus in-
seruis; omnia isthæc officia perinde Christus habet,
ac si in ipsum proprie cōferrentur.] Qui ergo Chri-
stum cupimus, qui eius dulcia oscula, & purissimos
optamus amplexus, quæramus eum primò per acti-
E uam vitā, ministremus ei in proximis, vt postea il-
lum in seipso inuenire, eóque cum ingenti gaudio
perfrui possimus. Optime quidem ait sactus Bona-
uentura, Cur, anima, tota die anxiaris post Christū, Bonauent. in stimulo. c. 3.
indicabo tibi quem diligit anima tua, ó spōse dile-
cti. Certè in infirmaria iacet, & ibi angustiatur, &
ibi torquetur. Curre, & sibi ministra, sibi compatere
infirmanti. Cur instas spōsa quotidie, vt spōsi oscu-
lo osculeris? accede ad leprosum, & osculare eum,
quia ibi iacet sponsus. Cur sponsa miserrima, præ
sponsi amore languere te dicis, & ipsum quotidie
nudum, discalciatū, & afflictū ante te vides transire,

redeunt. Aspectus eorum quasi carbonum ignis ardentium,& quasi aspectus lampadarum.] Nam ad se accedentes, luce veritatis illuminant,& exẽplo sanctitatis inflammant. Hæc est visio discurrens in medio eorũ,splẽdor ignis,& de igne fulgur egrediens.] Splendor ignis spiritus diuinus est,qui in istorũ cordibus commoratur, & desideriorum fulgura iactat Et ea,quæ ad vana,& sæcularia nõ redeunt, eunt,& reuertuntur,quia iã ad secreta contemplationis properant,iam ad labores actionis festinant, nũc charitatis zelo permoti,nũc carnis propriæ imbecillitate coacti. Vnde Isidorus: Visio animalium in Ezechiele,quæ ibant,& nõ reuertebantur, pertinet ad vitæ actiuæ perseuerantiam,& iterum, ea animalia, quæ ibant,& reuertebantur,pertinent, ad cõtemplatiuæ vitæ mensuram,in qua dum quisq; intẽderit, sua re- A uerberatus infirmitate reflectitur, atque iterum renouata intentione ad ea, vnde descenderat, rursus erigitur.] Eunt, & reuertuntur, non vtcumque,sed in similitudinem fulguris coruscantis.] Nam in nocte huius vitæ,non segniter,sed ardenti feruore spiritus contemplationis suauitatem, & actionis fructum exquirunt.Hæc omnia satis copiosè,& prolixè prosequitur Sanctus Gregorius.In his igitur animalibus Apostolicum institutum adumbratũ est, quod ex vtraque vita,actiua, & contemplatiua coalescẽs, in aliam vitam multò præstantiorem, & duas priores comprehendentem euehitur. Cuius perfectio, neque est solùm bona opera facere, neque solùm in Dei contemplationem incumbere, sed vtrumque munus perfectè,cumulatéque præstare. Et de harum vitarum imaginibus dictum sit satis.

PARS TERTIA

De substantia,fine,& officio vitæ actiuæ.

Iam à figura ad rei substantiam transitum facimus,vt tres vitas spirituales actiuam,contemplatiuam & mistam in se ipsis declaremus. In qua tractatione primò substantia cuiusque vitæ consideranda est,deinde finis, in quem tendit, postea actiones,quarum præsidio finem consequitur,ac tandem ad quos quasi ex instituto quælibet istarum trium vitarum spectet.

In quo consistat vita actiua.

CAPVT XXI.

Hactenus tres vitas spirituales vidimus per speculum, & in ænigmate, nunc easdem in se ipsis,& quasi facie ad faciem videamus. Nec timẽdũ est, nobis euẽnturũ,quod adolescentibus solet accidere,qui cùm imaginẽ virginis sibi in cõiugium promissæ conspiciunt, quia mentitur venustatem,quam illa non habet,eiusamore ac desiderio flammantur,at ipsius præsentiam,& copiam adepti. amor cõceptus intepescit, quoniam minorem pulchritudinẽ,eáque agresti ingenio, prauísque fœdatam moribus inuenerunt. Hoc,inquam, nõ eueniet nobis, quoniam cùm istarum vitarum facies viderimus, earúmque consuetudinem acquisierimus,fine vlla comparatione, maiorem, tum morum suauitatem, tum præsentiæ venustatem,reperiemus,quàm imago,licèt culta,& formosa,non attigit. A vita ergo actiua incipiendum est, quia prior est aliis,& ordine temporis,& consequendi desiderio. Prius enim hæc appetenda, & quærenda est, quam Deus fecit veluti primum gradum scalę cælestis,& quasi totius vitæ spiritualis infantiam, sine qua, nullus, neque ad vitæ contemplatiuæ iuuentam,neque ad ætatem virilem mistæ vitæ, perueniet. Omnis enim spiritualis vita à susceptione Domini in proprium cor, sumit sui cursus exordiũ.Martha autem, quæ typus actiuæ vitæ est, Dominum hospitio suscipit. Maria verò, quæ vitam contemplatiuam signat,ad pedes Domini,iam in propriam domum admissi prouoluta, quiescit. Vnde optimè Bernardus:Sed prior natu A Martha videtur, & salutis initium sibi magis actio, quàm cõtemplatio noscitur vẽdicare Laudat Christus Mariam, sed à Martha suscipitur. Amat Rachelem Iacob,sed Lia supponitur ignoranti. Si de fraude quæritur,audiat,nõ esse consuetudinis, vt iuniores priùs tradantur ad nuptias. Quòd si luteã hanc cogites domum facile erit nosse, quemadmodum in ea Dominum Martha magis excipiat, quàm Maria. Quod enim ait Apostolus: Glorificate. & portate Deum in corpore vestro,] Marthæ dicitur,non Mariæ. Hæc nimirum corporis vtitur instrumento, B cùm illi potius sit impedimento. Denique corpus, quod corrumpitur,aggrauat animam, & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitãtem.] Nũquid & operantem? Martha igitur in domum suam excipit Saluatorem in terris; Maria potiùs cogitat, quemadmodum suscipiatur ab eo in domo nõ manu facta,æterna in cœlis.] Ex quo liquet. primo loco vitam actiuam in tractationem esse vocandam, quæ in cœlum properantibus hospita primò se offert, atque hilari vultu, & serena facie eos in domum suam excipit.

Genes.29. 26.

1.Cor. 6 20.

Sapient.9. 15.

C Actiua igitur vita est, illud vitæ spiritualis institutum, quo homo studiosis actionibus ex professo vacat, vt se ad contemplationem veritatis, & amoris perfectionem disponat. Hæc enim vita(vt ipsum nomen præ se fert)actionem respicit,illam scilicet, quam philosophi praxim appellant, cùm verò actio praua ad eam non pertineat, quippe quæ cum vita spirituali nihil commercij habet; manifestum est, quia studiosis tantùm actionibus vacat ex virtute profectis. Has autem ex instituto suscipit, vt homo se ad contemplationem præparet. Sine, quia re vera hunc finem in omni externo opere sibi

præsi

præfigit, vt aptus sit in Dei omnipotentis familiaritatem, ac consuetudinem admitti; siue, quia studiosa opera etiam tantæ dignitatis oblitum, & de hoc fine nihil cogitantem, natura sua aptum ad diuinas res contemplandas, & ignem diuini amoris suscipiendum, efficiunt. Scriptum est enim in Psalmo: Quis ascendet in montem Domini: aut quis stabit in loco sancto eius?] Cui interrogationi ipsa veritas summa respondet: Innocens manibus, & mundo corde, qui non accepit in vano animam suam, nec iurauit in dolo proximo suo: Hic accipiet benedictionem à Domino, & misericordiam à Deo salutari suo.] Mons iste Christus homo est, de quo dixit Isaias: Venite, & ascendamus ad montem Domini, & docebit nos vias suas, & ambulabimus in semitis eius. Locus huius montis, Verbum diuinum est, in quo humanitas sustentata consistit Nam Verbum caro factum est, & habitauit in nobis.] Benedictio, gratia contemplationis est, quoniam eam cupiens iustus, tamquam alter Iacob luctatur cum Deo, neque ipsum dimittit, donec benedicat sibi. Misericordia ignis charitatis est, quem Dominus in corde pauperis miseratus accendit, vt omnes eius miserias paupertatésque consumat. Ille igitur ad montem Christum per contemplationem ascendit, ille in diuinitate eius per amorem requiescit, ille aptus efficitur hanc amplam benedictionem, & eximiam misericordiam suscipere, qui in operibus innocentiam tenet, & in cogitationibus munditiam seruat; qui vitam suam rebus inanibus & transitoriis non deputat, & ab iniuriis proximorum abstinet: quæ omnia munera sunt vitæ in actione cõstitutæ.

Psal. 23.

Isa. 2. 3.

Ioan. 1. 14.

Gen. 32. 26.

Est etiam vita actiua illa viri spiritualis occupatio, quæ peccata deflet: affectus moderatur: bella tentationum dissoluit: proximos in rebus corporalibus, & spiritualibus iuuat: omniúmque virtutum moralium functiones exercet. Ad quam Dominus per Isaiam iustos permouet, dicens: Quis poterit habitare de vobis cum igne deuorante? Quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis?] Se ipsum (vt notat Hieronymus) ignem, & ardorem appellans: ignem quidem hypocritas deuorantẽ, ardorem impios, & peccatores vrentem: Sed iustos, & in veritate ambulantes, benignè fouentem, & mirabiliter illuminantem. Huic autem dubitationi, ille, qui summa veritas est, ita respondet, vt eum secum habitaturum astruat, qui vitæ actiuæ præstat actiones. Qui ambulat in iustitiis, (inquit) & loquitur veritatem, qui proiicit auaritiam ex calumnia, & excutit manus suas ab omni munere, qui obturat aures suas ne audiat sanguinem; & claudit oculos suos, ne videat malum.] Et iterum alio loco per eundem prophetam iisdem actiuæ vitæ operibus, gratiam, fortitudinem, ac fœlicitatem perpetuam promittit. Dissolue (ait) colligationes impietatis, hoc est, multitudinem peccatorum te colligantium: solue fasciculos vitiorum deprimentes; dimitte eos, qui confracti sũt, liberos, & omne onus, quo imbecillos opprimebas, disrumpe. Frange esurienti panem tuum, doctrinæ, quę abundas, & egenos, vagósque, quia nemo eos ad Christum vocauit, induc verbo prædicationis in domum Ecclesiæ, quam Dominus, sua benignitate, fecit tuam. Cùm videris nudum virtutibus, operi eum, & carnem tuam, id est, proximos tuos, ne despexeris.] Nã si in his te exercueris operibus, tũc erumpet quasi mane lumen tuum, gratia scilicet diuina tibi concessa, quæ tenebras peccatorum dispellat; & sanitas tua citius orietur: vt qui minus potẽs eras ad implenda diuina mandata, iam facilli-

Isaie 33. 14.

Hier. lib. 10 in Isa. c. 33.

Isa. 33. 15.

Isa. 58. 6.

me Dei tui in omnibus exequaris volũtatem. Et anteibit faciem tuam iustitia tua, vt tamquam iustus, & Deo acceptus, non vanis, sed veris laudibus efferaris. Tandémque gloria Domini colliget te, illa sanè gloria, quam paratam habet timentibus se.

Magna vita, cui tam ingens præmium decernitur. Magna profectò, sine qua, neque esset apud homines correctio morum, neque passionum cohibitio, neque disciplina virtutum: neque prudentia actiones dirigeret, nec iustitia contineret, nec fortitudo partem irascibilem stabiliret, nec temperantia concupiscibilem ordinaret. Sine illa non esset in Ecclesia doctrina, non esset peccatorum punitio, non bonorum operum præmium, non sacramentorum administratio. Deessent misericordiæ opera, neque aliquis cibaret famelicum potaret sitibundum, vestiret nudum, aut visitaret infirmum. Tandem hominum procuratio, & communitatum gubernatio, totiúsq; reipublicæ administratio deficeret; quia hæc omnia præstamus ministerio huius vitæ, quæ vocatur actiua. Cùm enim hæc omnia, non ad contemplationem, sed ad praxim pertineant, certissimum est ad id vitæ genus spectare, quod in actione consistit. Magna denique vita, cuius opera, si in propriam vtilitatem ordinentur (vt sunt fletus peccatorum causa profusi; affectuum mortificatio, virtutũ exercitatio, & cætera huiusmodi) nos ipsos emendant, à peccatis ac vitiis purgant, virtutum indumentis exornant, & paulatim ad mentis prouehũt sanctitatem. Si verò in vsum aliorum dirigantur, proximorum necessitati subueniunt, fratres iuuant, imò & ipsi vniuersorum Domino in suis membris inseruiunt. Quare in nouissimo die, his, qui à dextris erũt, bonis nimirum ac iustis, est ipse dicturus, Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi. Esuriui enim, & dedistis mihi manducare; sitiui, & dedistis mihi bibere, hospes eram, & collegistis me; nudus, & cooperuistis me; infirmus, & visitastis me in carcere eram, & venistis ad me.] Illis autem valde admirantibus, & interrogãtibus, quando hæc in Dominum obsequia contulerint, dicetur illis: Amen dico vobis, quamdiu fecistis vni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis.] Christus ergo obsequia membris suis, nempe proximis facta, ita recipit, ita diligit, ita gratificatur; ac si in gratiam sui corporis essent effecta. Hac ratione Basilius, certè potentissima, nos ad vitam actiuam prouocat, sic dicens: Si ministrare vis, in nomine Christi ministrato. Ipse enim dixit: Quatenus fecistis vni de his fratribus meis minimis, mihi fecistis. Nam siue hospites recipis, siue mẽdicos reficis, siue dolentium misericordia commoueris, siue necessitate aliqua calamitatéve oppressos auxiliari metu subleuas: siue aduersa valetudine laborantibus inseruis; omnia isthæc officia perinde Christus habet, ac si in ipsum propriè cõferrentur.] Qui ergo Christum cupimus, qui eius dulcia oscula, & purissimos optamus amplexus, quæramus eum primò per actiuam vitã, ministremus ei in proximis, vt postea illum in seipso inuenire, eóque cum ingenti gaudio perfrui possimus. Optimè quidem ait sanctus Bonauentura, Cur, anima, tota die anxiaris post Christũ, indicabo tibi quem diligit anima tua, ô sponse dilecti. Certè in infirmaria iacet, & ibi angustiatur, & ibi torquetur. Curre, & sibi ministra, sibi compatere infirmanti. Cur instas spõsa quotidie, vt spõsi osculo osculeris? accede ad leprosum, & osculare eum, quia ibi iacet sponsus. Cur sponsa miserrima, præ sponsi amore languere te dicis, & ipsum quotidie nudum, discalceiatũ, & afflictũ ante te vides transire,

Matt. 25. 34.

Basil. in const. mon. c. 2.

Bonauent. in stimul. c. 3.

& negligis, neque etiam compateris sibi? Hæc est prima vitę spiritualis pars initium cœlestis itineris, ianua incomprehensibilium thesaurorũ, vitare mala, præstare bona, seipsum per mortificationem ordinate. proximis propter Christum inseruire. Qui hãc ianuam in exordio suæ conuersionis non occupat, certò sciat se in vita spirituali minimè progredi; sed per voluntatis propriæ desetta, inuia, & inaccessa discurrere.

In quem scopum tendat vita actiua.

CAPVT XXII.

NVLLVM est hominum institutum, quod non ad aliquem peculiarem scopum & finem dirigatur, cuius gratia, & illum viuendi modum, siue institutum arripimus, & vniuersas eius molestias (si quæ incidant) non solùm patienter, sed libenter quoq; sustinemus. Ab initio documento Ioãnes Cassianus sumit disputationis initium, suarum collationum lectores ad perfectam vitam alliciat. Omnes (inquit) artes ac disciplinę, scopum & finem proprium habere noscuntur, ad quem respiciens vniusciusque artis industrius appetitor, cunctos labores, & pericula, atque dispendia, æquanimiter gratantérque sustentat.] Quod argumentum, propositis exemplis agricolæ, negotiatoris, & militis (quorum primus perceptionem copiosarum frugũ; secundus, diuitiarum quæstum, tertius, adeptionem honorum ad dignitatum, tamquam finem respicit) latè & eleganter prosequitur. In hanc eandem sententiam optimè dixit Basilius. Neque fieri potest, vt ille artem, aut scientiam aliquam exactè comprehendat, qui alias ad aliam rem se confert; imò neque vllam artem consequi poterit, si non antea ea, quæ propria finis sunt, cognouerit.] Et reuera, quia multi suorum operum finem ignorant, & nihil certum suis actionibus assequi intendunt, ideò in vanum laborant, sine fructu se cruciant, & post multas curas, & labores, parum, aut nihil emolumenti percipiunt. Est enim finis veluti calcar nos incitans, & ad currendum perurgens: Est veluti gemma, quam volumus manibus apprehendere. Si autem ipsum, nec sentiamus impellentem, neque inuitantem videamus, & cursus nostri operis erit lentus, & segnis, & eius, quod nos latet, inanis apprehendendi conatus. Nónne, quia iaculum aut sagittam emittit, si non in scopum aliquẽ dirigat, operam ludit, & priuatus manet sui laboris effectu? Eodem prosus modo, qui in nullum finem mentis oculos figens, aliquam vitã spiritualem amplectitur, nullũ, aut modicum capiet suorum operum laborúmque profectum.

Finem ergo atque scopum (pro eodem enim accipio, licèt Cassianus distinguat) viæ, ac vitæ, quam hucusque descripsimus, breuiter inquiramus, in quem tendere debet actiuus, hoc est. bonarũ actionum sectator, ne sine fructu se exerceat, atque, vt eo adepto valeat ad perfectiora conscendere. Finis iste non est alius, quàm vniuersorum vitiorũ extinctio; passionum mortificatio: virtutum moralium acquisitio; & in bonis operibus rectitudo. Aut breuius. Finis est emendatio morum, ac vitæ correctio, quæ sine vitiorum deletione, sine affectuũ cohibitione, sine virtutum adeptione, ac sine rectis operibus, nequaquam subsistit. Quare Isidorus, actiuam vitam vocat innocentiam bonorum operum.] Quomodo autem hæc innocentia, ac operum puritas, aut obtinebitur, aut conseruabitur, si adsit vitia, quæ actio- A nes inficiant, & passiones immoderatæ, quæ rationem obnubilent, si desint virtutes, quæ bonas actiones efferant, si absit ipsa æquitas, atque iustitia: Et Cassianus, religiosis nostræ disciplinam in duas partes, siue scientias (vt ipse vocat) practicam, & theoreticam, existimat esse diuisam; quæ idem sunt cum vita actiua, & contemplatiua. Practica autem, id est, actualis, emendatione (inquit) morum, & vitiorum purgatione perficitur.] Atque alio loco, Finem cœnobitæ describẽs, qui scilicet in monasterio positus, vitam actualem colit, ita ait. Finis cœnobitæ est, omnes suas mortificare, & crucifigere voluntates, ac secundum Euangelicæ perfectionis salutare mandatũ, nihil de crastino cogitare.] Nemo non videt, in B hoc fine à Cassiano proposito, ea quatuor, quæ diximus, manifestissimè contineri. Quis enim, aut vitiis infectus, aut affectuũ oppressione turbatus, suas voluntates crucifiget? Et quis virtutibus spoliatus, aut operum curuitate non rectus, poterit ita omnia cõtemnere, vt inordinatè, nihil mundanum, aut temporale recogitet? Imò & Dominus per os Isaiæ hæc a iustis, qui omnes saltem actiuam vitam agunt postulare videtur, dũ ait, Si auerteris à Sabbato pedem tuum, facere voluntatem tuam in die sancto meo, & vocaueris Sabbatum delicatum, & sanctum Domini gloriosum, & glorificaueris eum, vt non facias vias tuas, & non inuenitur voluntas tua, vt loquaris sermonem: tũc delectaberis super Domino.] Auer- C tere enim à Sabbato pedes, id est, affectus animæ, ne eos, aut desiderio, aut opere impleamus; quid est nisi passiones cohibere? Et vocare dies nostros Sabbata delicata, & Domino accepta: quid est, nisi vitia nostra delere? Hæc enim faciunt. vt non sine indignatione Dominus dies nostros sibi iã per religiosam vitam cõsecratos abiiciat, dicens: Calendas vestras, & solemnitates vestras, odiuit anima mea; facta sunt mihi molesta, laboraui sustinens.] Glorificare autẽ Dominũ; vt nõ faciamus vias nostras; quid aliud est, nisi virtutes acquirere; quæ sunt vitæ, non nostræ, sed Dei, in quibus ambulamus, vt diuinus honor semper in nobis illustrior appareat? Denique subditam esse nostram voluntatem adeò, vt nec loquamur sermonem, qui Deo displiceat, aut proximum offendat, quid est nisi perfectam innocentiam retinere? Nam si quis in verbo non offendit, hic per- D fectus est vir.] Iure ergo astruximus ea quatuor, vno vitæ actiuæ fine comprehendi.

Hæc vita iure potest appellari, bonarum actionum effectrix. quare eius scopus erit, bonas actiones præstare, quæ Deo placeant, & præmium æternum post huius mortalitatis cursum, accipiant. Studiosas autem actiones non præstat, qui bonus non est, dicente Domino: Non potest arbor mala bonos fructus facere.] Hæc igitur vita, vt bona opera reddere possit, suum sectatorem, debet bonum, & studiosum efficere. At non est studiosus, qui vitiorum labe corrumpitur, cùm vitia sibi contraria virtutibus, & omnium criminũ ac iniquitatum principia. E Nõ est studiosus, qui affectuum suorum effrænatione raptatus, quæ non amanda sunt, amat, quæ non odienda sunt, odit, quæ amplectenda sunt, fugit, & in rebus pessimis delectatur. Non est studiosus, qui habitus virtutum non comparat, à quibus, vt sapiẽtis à sapientia, sic nominatio studiosi desumitur. Nõ est demum studiosus, qui rectus non est, nec rectum meritò appellabimus, eum, qui opera elicit praua, atque distorta. Quare Bernardus sapienter dixit, Rectum re vera te dixerim, si rectè in omnibus sentias, & factis nõ dissentias. Inuisibilis animæ statum nũciet fides, & actio. Rectum iudica, si fide Catholi-

Cassi. coll. 14. & instit. lib. 1. c. 1.

Idem coll. 19. c. 5.

Isa. 58. 13.

Isa. 1. 14.

Iacob. 3.

Matth. 19.

Bern. ser. 24. in Cant.

cum,

cum, & iustum opere probaueris: finominùs curuum censere non dubites. Si ergo hæc vita pro fine habet bonum reddere possessorem suum, & bonus, ac studiosus non est, qui vitiis fœdatur, qui passionibus inordinatis inficitur, qui decore virtutum caret, ac operum probitate: consequens est, vt in hæc omnia tamquam in scopum tendat, eáque in suo amatore requirat.

Qui ergo in vita actiua se exercent, non ita eius operibus bonis insistant, velut si nihil proprio labore assequi studerent, sed quasi illi, qui tantorum laborum onere cupiunt finem illis debitum inuenire. An mercator se in emendis & vendendis mercibus occupat, & in rationibus subducendis, solùm, vt emat, & vendat, & pecunias numeret? Non, sed vt emendo, vendendo, & alia sui officij præstando, ad opes concupitas perueniat. An adolescens scholas adit, magistros auscultat, volumina Doctorum legit, lecta, & audita cum aliis confert, tantùm, vt loquentes audiat, & se assidua lectione fatiget? Non, sed vt legendo, audiendo, & disputando scientiam acquirat, & doctus, ac litteratus euadat. An pauper diuiti famulatur, iussa imperantis exequitur, & ne latum quidem vnguem ab eius voluntate discedit, vt miserè seruiat, & alterius fortè insipientis, & superbi voluntati se accommodet? Quis hoc sibi persuadeat? Seruit igitur, vt sibi ipsi de victu, & vestitu, & aliis rebus necessariis prouideat. Ita ergo, qui vitam in actione positam amplectendam suscipiunt, sic in eius actiones incumbant, quasi non sui tantùm gratia editas, sed in vlteriorem finem propriæ reformationis ordinatas. Hinc fiet, vt ea amplectantur, in quibus non mundanum splendorem, aut propriæ voluntatis expletionem, sed maiorem sui spiritus profectum inuenient. Quantum autem detrimentū sit sine isto fine bene operari, docet Hugo Victorinus, his verbis. Quæcumque magis prosunt, meliora sunt, & omne opus secundum fructum suum iudicari oportet. Multi hanc discretionem non habentes, plurimum laborauerunt, & parum profecerunt; quoniam oculum habuerunt foris tantùm ad speciem operis, & non intus ad fructum virtutis. Gauisi sunt enim magna se facere, magis quàm vtilia exercere; & dilexerunt potiùs illa, in quibus videri possent, quàm emendari.] Intendant itaque hi suis bonis operibus Deū suum quærere creatori vniuersorum placere, omnium cœlestium ac terrestrium Domino famulari. Illud psalmi secum inculcent: Dico ego opera mea regi.] Dicent sermone opera sua regi, tamquam in gloriam eius facta, & dicent facto, tamquam veraces, qui verba opere & actione confirmant. Curent studiosis actionibus vitia extinguere, & prauos mores, malis operibus roboratos, euellere. Nam, sicut vitiosa opera prauos mores generant, nutriunt, atque confirmant, ita actiones oppositæ, illæ nimirum, quæ ad chorum virtutum pertinent, inueterata vitia, & pessimas consuetudines eneruant, minuunt, penitúsque corrumpūt. Clauus namque (vt est in prouerbio) clauo truditur, & vitium contrariæ virtutis actibus profligatur. Curent bonis operibus affectus inordinatos, & passiones effrænatas cohibere, quæ in non considerantibus, & intelligentibus solent, ipso bonorū operum labore insensibiliter generari. Tristitia pullulat, si opus ab operāte susceptum, sinistrum euentum habeat: Erubescentia, si minus penè procedat: Ira, si quis se opponat, & quod faciebamus impediat: Vana lætitia, si inanem applausum, & vanum honorem afferat: atque adeò, mœrorem, cæcitatem, & turdationem sentimus, vnde lætitiam, lucem, & quietem

Hugo lib. de meditando, ad finem.

Psal. 44. 2.

A mentis deberemus accipere. Hæc perfectionis impendia, vitæ actiuæ cultores effugiunt, cùm pacatè & tranquillè externas occupationes acceptant, & sibi ipsis persuadent, nihil maioris esse momenti, quàm cor purum & illibatum cōseruare, atque alienum ab his turbatis passionum motibus custodire. Omnem itaque iram, omnem tristitiam, omnem impatientiam, omnem pusillanimitatem, & vno nomine, vniuersas passiones sopire, & tranquillare nitantur, si internam pacem spirituali vitæ omnia necessariam, cupiunt possidere. Ad quod eos monet Dionysius Richelius, dicens, Qui pacis stabilitatem seruare conatur immobilem, & item inuiolabilem, inconcussámque mentis quietem, mititate & B patientia potissimùm eget, ne iniuriis moueatur, neque ira flammescat. Mentis quippe iracundia, atque commotio, pacem prorsus extinguit, & Spiritum sanctum (qui vtique non dissensionis, sed pacis spiritus ritè dictus est) celeriter à corde depellit. Denique pacifico fortitudo necessaria est, ne extollatur in prosperis, neque opprimatur aduersis, & ne pacem cordis sui in aliorum potestate constituat, sed ipsam in se statuens, quæ eam extrinsecus, aut lædere aut tollere queunt, mox spernat, celeriter pellat, nullatenúsque suscipiat.] Ex quo illud elicimus, hunc esse bonarum actionum fructum, passiones omnes comprimere, vt mentis pacem & quietem possideamus. Curent etiam studiosis actibus, tamquam instrumentis quibusdam virtutes omnes, humilitatem, mansuetudinem, obedientiam, patien- C tiam, & reliquas adipisci. Istæ enim sunt gemmæ, quas trapezita sapiens exoptat: Istæ opes, quas sollicitus mercator bonorū operum negotiatione conquirit: Istæ amplæ diuitiæ, quarum gratia in externa occupatione laborat. Quare virtutem sitientibus dictum est Petite, & accipietis; quærite, & inuenietis: pulsate, & aperietur vobis.] Petunt oratione, qua Dominum interpellāt, & pro virtutibus acquirendis, fletibus ac gemitibus exorant: Quærūt scrutatione, qua secum examinant, quali modo, ac fine, quæuis actio bona præstanda sit, vt virtutem sibi debitā assequātur: Pulsant executione, qua id, quod à Domino postularunt, & mente qualiter faciendum erat, examinarunt, opere præstare contendunt. D Fallor, si non ita Beatissimus Dorotheus hunc locū exposuit. Petite (inquit) est, vt scilicet orando precemur: Quærite autem, hoc est, scrutamini diligēter, quo adueniat virtus in vos, quid potissimùm sit, quod eam afferat, quid agendum nobis, vt illā consequamur, & possideamus, & hoc est quod ait; Quærite: Pulsare autem est, præcepta Domini obseruare, & facere; qui enim pulsat, manibus pulsat, manus igitur per practicem accipiuntur.] Sic igitur actiui bene operentur, vt in virtutes figant mentis obtutum, eásque bonis actibus comparare conentur. Curent tandem eam rectitudinem studiosarum actionum habere, qua ipsi recti sint, atque perfecti. Sicut enim nō bonus scriptor est, qui vtcumque multùm scribit, sed qui benè ac pulchrè characteres exarat; E ita nō est rectus, neque perfectus, qui multùm operatur, sed qui perfectè bonas actiones exequitur. Et istud monet Dominus in Deuteronomio. Iustè, quod iustum est persequêris, vt viuas, & possideas terrā, quā Dominus Deus tuus dederit tibi.] Ecce finem vitæ in actione constitutæ, quam si toto mentis conatu sectatus fueris, in hac vita viues, hoc est, perfectionem, quæ vera vita est, assequeris, & in alia, terram viuentium, iustis præparatam, possidebis.

Dion. lib. 2. de vita & fine solit. art. vlt.

Luca 11 9.

Doroth. doctr. 14 post medium.

Deut. 16. 20.

Quæ

Quæ sint actiones propriæ vitæ actiuæ.

CAPVT XXIII.

SICVT volentibus in aliquam vrbē proficisci, nec tamen viam scientibus, quo progrediendum sit, statim curæ est de via scientes interrogare, vt ea cognita, sine errore, ac periculo ad locum destinatum, breui cursu perueniant: ita, qui in vita actiua positi cupiūt ad prædictum finem sanè præstantissimum peruenire, debent vias ad istum finem tendentes, ingenti desiderio mentis inquirere, ne alienam viam carpentes, propriámque deserentes, post multum laborem, longe se à fine concupito reperiant. Viæ autem istæ actiones propriæ vitæ actiuæ sunt, per quas ambulantes, ad prædictum virtutis, ac rectitudinis scopum accedunt. Has actiones in duas classes Bonauentura distinxit. Actiuæ vitæ (inquit) duæ sunt partes: Prima pars, qua quis se exercet ad suā principaliter vtilitatem, corrigendo se, emendando à vitiis, & informando virtutibus. Et idem secundariò fit, ad vtilitatem etiam proximi per opera iustitiæ, & obsequia pietatis, & charitatis: Secunda pars eius est, quomodo quis principaliter suum exercitium confert in vtilitatem proximi, quamuis ad suum etiam maius meritum, vt alios regendo, docendo, & adiuuando in animarum salutem, vt faciunt prælati, & prædicatores, & huiusmodi.] Optima est istarum actionum diuisio. Sed nos maioris claritatis gratia, vniuersa vitæ actiuæ opera, ad tria genera reuocamus. Quorum primum ea opera complectitur, quæ ad propriam emendationem, ac perfectionem pertinent. Secundum ea, quæ non sine merito nostro ad animarum conuersionem, & proximorū gubernationem spectant. Tertium illa, quæ cum proprio etiam profectu, ad necessitates, aut vsus temporales nostri, aut aliorum diriguntur. De quibus est sigillatim dicendum.

Bonauēt. lib. meditatio. c. 45.

Primum genus operū, quod ad propriam emendationem confert, in quatuor est actionum classes distribuendum. Prima illas actiones continet, quibus præterita peccata deflemus, iniquitates in sæculo patratas detestamur, & flagris, ciliciis, ieiuniis, humicubationibus, vigiliis, aliisque similibus laboribus ea in nobis ipsis castigamus, carnémque tantorum malorum fontem affligimus. Ad quas salubres actiones, & iniquitatum medicamina Dominus nos per Ezechielem inuitat, dicens: Conuertimini, & agite pœnitentiā ab omnibus iniquitatibus vestris, & non erit vobis in ruinam iniquitas. Proiicite à vobis omnes prævaricationes vestras, in quibus prævaricati estis, & facite vobis cor nouum, & spiritum nouum.] Conuersio enim in peccatorum detestatione, in lacrymis, fletibus, & gemitibus: & assumptio pœnitentiæ, in corporis afflictionibus, doloribusque causa iniquitatum illatis, consistit. Eásdem peccati medicinas Bernardus, hac oratione declarat. Tu seminasti tibi ad iustitiam, si ex vera notitia tui euigilasti timere Deum, te ipsum humiliasti, fudisti lacrymas, eleemosynas profudisti, cæterisque pietatis actionibus mancipasti. Si ieiuniis & vigiliis afflixisti corpus; si pectus tunsionibus, cœlum clamoribus fatigasti. Hoc siquidem seminare est ad iustitiam. Semina sunt, bona opera, bona studia; semina sunt lacrymæ. Ibant enim, & flebant, mittentes semina sua] His verbis, dulcissimus pater nos ad fletum, & lacrymarum amaritudinem prouocat, quibus diuinæ consolationis dulcedo con-

Ezec. 18. 30.

Bern. ser. 37. in cāt.

Psal. 125. 6.

A quiritur. Secunda illa opera comprehendit, quorum præsidio, vitia vniuersa profligamus, & hostes illos immanes sanctitatis, superbiam, inanem gloriam, iactantiam, loquacitatem, pigritiam, impudicitiam, proteruiam, & alia id genus monstra, deiicimus. Quorum victoriam, Deus nobis non nostra virtute, sed sua gratia, pugnantibus, per Isaiam pollicetur. Ego (inquit) ante te ibo, & gloriosos terræ humiliabo, portas æreas conteram, & vectes ferreos confringam, & dabo tibi thesauros absconditos, & arcana secretorum.] Quo loco, per gloriosos terræ, sæuissimas cordis nostri passiones, per portas, ignorantiam, per vectes, vitia nos à vera scientia, & cognitione excludentia, Cassianus intelligit. Et iure optimo vitia nomine vectium, & repagulorum appellat, quæ ingressum ad Dei cōtemplationem, im-
B pediunt. Vnde Isidorus optimè: Quicumque adhuc temporalē gloriā, aut carnalem affectat cōcupiscentiā, à cōtemplatione prohibetur, vt positus in actualis vitæ operatione purgetur. In ista enim prius per exercitium boni operis cuncta exhaurienda sunt vitia, vt in illa iam pura mentis acie ad contemplandum Deum, quisque pertranseat.] Pugna ergo, qua vitia prosternimus, non solùm actiuæ opus est vitæ, sed etiam ad cœlestium contemplationem, ianuam apetit, & obstacula diuinæ lucis excludit. Tertia classis, illas actiones amplectitur, quæ sensus cohibet, tam externos, vt visum, auditum, odoratum, gustum, & tactum: quàm internos: cogitationem
C præcipuè, & memoriam, ne in vana & curiosa perefluant: & omnes passiones animæ, præsertim, amorem nimium personarum, desideria rerum temporalium, tristitiam ex aduersis successibus; & iram atque indignationem, mortificant. Cùm enim vita actiua præparet animam ad vitam contemplatiuā, quia Deus intellectu & affectu possidetur; necessarium est, vt mundo renunciet, ac inordinatis sensum, passionúmque motibus, quibus mundo coniungimur, vt Deum aliquando tenere valeat. Sapienter enim dixit Prosper. Qui vult Deum possidere, renunciet mundo, vt sit illi Deus beata possessio. Nec renunciat mundo is, quem terrenæ posses-
D sionis adhuc delectat ambitio, quia quamdiu sua non relinquit, mundo, cuius bona retinet, seruit. Et vtique non potest mundo seruire simul, & Deo. Ac si propterea voluit Deus cultores suos omnibus renunciare, propter quæ diligitur mundus, vt exclusa cupiditate mundi, diuina in eis charitas possit augeri, vel perfici.] Ne autem putes te mundo renunciasse, quia diuitiis te exuisti, si aut amores, & desideria harum, & aliarum rerum temporalium retines, & cum illis cogitatione, & sensibus ludis. Renunciatio enim, non tam in illa externa abiectione, quam in ista interiori abnegatione consistit. Quarta classis, eorum operum est ad morales virtutes pertinentium, quibus affectus moderamur, vt sunt opera humilitatis, silentij, modestiæ, paupertatis, castitatis, & obediētiæ, abstinentiæ, sobrietatis
E ac mansuetudinis, & alia huiusmodi, quæ animum pacant, atque tranquillant. Hic enim ratio Beati Thomæ non incongruè procedit, cùm actiuæ vitæ scopus sit bonum opus, ad eam omnem cætū spectare moralium virtutū, quæ bonum opus efficiūt, & ad debitam sibi perfectionem ducunt.] Quamuis autem virtutes istæ agmina vitiorum extinguant, & passionibus imperent, non sine causa ab illis in hac enumeratione segregatæ sunt, quoniā aliud est virtutibus vitia delere, & passiones frænare, quod ad prędicta genera actionum pertinet, aliud verò vitiis extinctis, & passionibus cohibitis, non iam ad mor-

Isai. 45. 2.

Cassi. lib. 4. de spirituali gestrimag. c. 2.

Isidor. lib. de summo bono, c. 21.

Prosp. 2. de vita contem. c. 16.

D. Tho. 2. 2. q. 181. ar. 1.

tificatio

tificationem, sed ad meritum promptè, & alacriter, suos actus elicere. Omnes actiones huius generis Richardus Victorinus, sub typo Mosis in corde nostro resurgentis subtiliter describit. Si videris (inquit) aliquem de sæculo nuper venientem, tota die circa hoc intentum, in hoc omni hora occupatum, quid pro præteritis delictis satisfaciat, quomodo de futuris se cautum custodiat: quid, quo ordine gerendum, quantùm, vel quando cuilibet rei insistendum; scias Moysem in eius, qui eiusmodi est, corde surrexisse; & quasi nouam quamdam quodammodo legem condere. Nato namque Moyse, & adulto iam, mores componit, iam vitam disponit. Cogitat quemadmodum vultum moderari oporteat, quomodo disciplinatè habitum, gestúmque componat; dictat quid comedendum, quantùm vigilandũ, qualiter resistat iræ, quómodo cõtradicat gulæ, quemadmodũ conculcet superbiam, qua ratione extinguat luxuriam, quàm promptus esse debeat ad obediendum, quàm patiens ad sustinendum: multa præterea alia, quæ meliùs faciendo, quã legendo discimus, & arctiùs retinemus.] Quibus verbis omnes penè huius generis actiones ante oculos mentis nostræ proponit, vt ex his exterioribus, aut interioribus perfectionis initiis ad maiora, & subliminiora nostræ vitæ opera transeamus.

Richard. in Psalm. 95.

Secundum genus actionum huius vitæ multas actiones, & quidem præstantiores, comprehendit. In quibus primo loco cõstituatur scientia, non prout acquiritur, qua ratione vocatur disciplina, & est contemplatiuorum propria: sed quatenus à doctore per sermonem, aut scriptionem proficiscitur, quæ vocatur doctrina, & alios exterius erudiens ad praxim, actionémve refertur. Quare Gregorius inter opera vitæ actiuæ constituit verba sapientiæ nescientem docere. Et Augustinus. In quantùm hoc agitis (ait) id est, verbum Dei, sepositis familiaribus curis, auditis, Mariæ similes estis, & faciliùs vos intenditis quod agit Maria, quàm ego, qui prærogo] Deinde prudentia: non solùm, quia ea actiones nostras ordinamus, sed quia luce tantæ virtutis adiuti, proximis nostris consilia præbemus, eorúmque vitam, ac negotia dirigimus. Vnde Philosophus, prudentiæ opera actiuę fœlicitati ascripsit Atque adeò omnes prudentiæ species & partes, eidem vitæ attribuendæ sunt. Species quidem eius numerantur; regnatiua, qua Principes reipublicæ sibi cõmissæ, conducibilia iubent: Politica, qua subditi prudenter se gerunt in obediendo principibus: Oeconomica, qua paterfamilias, eidémq; subiecti benè se habent iuxta rationis, legisq; præscriptũ: Et militaris, cuius præsidio in republica hostium insultus repelluntur. Partes verò prudentiæ adiunctæ sunt, consilium, iudicium, & sententia, quam Græci, gnomen vocãt. Sed de his longum esset, & præter rem nostram disputare. Præterea ad hanc partẽ vitæ actiuæ pertinet misericordia, & pietas, quæ afflictos recreat, discordes pacificat, vinctos iuuat, moribundos roborat, & alia huiusmodi præstat officia Illa, inquam, quæ peccãtes corrigit, ignorantes erudit, dubitantibus, quod rectum est, consulit, pro aliorum salute Deum orat, mæstos consolatur, iniurias perfert, offensámque remittit. In cuius confirmationẽ Gregorius: Vita actiua est, errantem corrigere, ad humilitatis viã superbientem proximum reuocare, infirmantis curã gerere, quæ singulis quibusq; expediunt, dispensare; & commissis nobis, qualiter subsistere valeant, prouidere.] Rursus. Charitas verbum Dei seminans, se ipsam ad tempus deferens, & aliorum curam suscipiens: religio misericordiæ admixta confessiones peccatorum excipiens, eucharistiam benè dispositis

Grego. homil. 14. in Ezech. Aug. ser. 27. de verb. Domini.

Arist. 10 Ethi. c. 8

Grego. homil. 14. in Ezech.

conferens, & alia sacramenta subministrãs. Ad hæc, legalis iustitia, quæ subditos gubernat, congregationes regit, & communitates in officio continet. Nec non, & iustitia specialis, tam quæ in commutationibus, quàm quæ in destributionibus inuenitur, qua particulares personæ inter sese ius æqualitatémque conseruant. Ad extremum omnes illæ functiones, sub tribus à Dionysio Areopagita annumeratis, cõprehensæ, quibus Deo consecrati sacerdotes ad similitudinem Angelorum, populos sibi commissos, purgant, illuminant, atque perficiunt. Purgant, quia ab ignorantibus, nescientiam, atque ignorantiam expellunt, illuminant, quia veritates ad salutem necessarias, manifestant: perficiunt, cùm ad Deum omnium conditorem, ac vniuersarum creaturarum finem animas fratrum reducunt.

Dion. lib Eccl. Hie. rar. c. 6.

Tertium demum genus in duas actionum classes licet diuidere. Prima complectitur opera misericordiæ corporalia: qualia sunt, pascere esurientes, potare sitientes, operire nudos, captiuos redimere, ægrotos inuisere, peregrinos hospitio recipere, & defunctorum corpora tradere sepulturæ. Ideo autem corporalia vocantur, quia ad corporalem fratrum necessitatem subleuandam exercentur. Horum operũ Iob, & Tobias magisti patientiæ clarum præbuerũt exemplum. Ille quidem cùm de se ipso testatur. Ab infantia mea creuit mecum miseratio, & de vtero matris meæ egressa est mecum.] Et rursus: Foris non mansit peregrinus, ostium meum viatori patuit.] Et alio loco: Oculus fui cęco, & pes claudo: pater eram pauperum, & causam, quam nesciebam, diligentissimè inuestigabam. Conterebam molas iniqui, & de dentibus illius auferebam prædam.] Iste verò: Nam quotidie pergebat per omnem cognationem suam, & consolabatur eos, diuidebátque vnicuique prout poterat de facultatibus suis: Esurientes alebat, nudisque vestimenta præbebat, & mortuis, atque occisis sepulturam sollicitus exhibebat.] Quorum laborum merces in hac vita fuit, quòd eius orationes exaudirentur. Quando orabas enim cum lacrymis (dixit ei Angelus Raphaël) & sepeliebas mortuos, ego obtuli orationem tuam Domino.] Magnum profectò præmium in hac vita operibus misericordiæ decretum, nostras orationes à Domino exaudiri, & quod postulauerimus impetrari. Ista opera, sanctus Augustinus vitæ actiuæ tribuit, in hunc modum scribens. Attendamus occupationes nostras circa multa. Necessarium est ministerium corpora refecturis. Quare hoc? Quia esuritur, quia sititur. Misericordia miseris necessaria est. Frangis panem esurienti, quia inuenisti esurientem. Tolle famem, cui frangis panem? Tolle peregrinationẽ, cui exhibes hospitalitatem? Tolle nuditatem, cui præparas vestem? Non sit ægritudo, quem visitas? Non sit captiuitas, quem redimis? Nõ sit rixa, quem concordas. Non sit mors, quem sepelis. Et ad idem Bernardus. Actiua vita est, panem esurienti dare, verbum sapientiæ proximos docere, errantem corrigere, ad viam humilitatis superbientẽ reducere, discordantes ad concordiam reuocare, infirmos visitare, mortuos sepelire, captiuos, & in carcere positos redimere, quæ singulis quibusque expediunt, dispensare, necessaria vnicuique prouidere.] Secũda classis labores artium illiberalium continet, quas in religionibus fratres ministeriis temporalibus deputati, non lucri causa, sed desiderio humilitatis, affectu fraternæ charitatis, & impulsu diuini amoris exercent. Istæ artes ad septenarium numerum referuntur, & sic nominantur. Lanificium, armatura, nauigatio, agricultura, venatio, medicina, atque

Iob. 31. 18. Ibid. 32.

Tob. 1. 19.

Tobia 12. 12.

Aug ser. 27. de verb. Domini.

Bern. in modo viuendi ad sororem. serm. 53.

fabrilis.

ıbrilis. Ad hanc artem illiberalem, septem his partibus comprehensam (inquit Hugo) omnium rerũ ıbrica concurrere videtur. Ad hãc enim pertinent ·niuersa, quæ humanis necessitatibus inueniuntur grata, commoda, necessaria, & quæcumque sub prædictis septem speciebus eius comprehendi comprobantur.] Nec dubium esse potest, quin ista artium opera vitæ actiuæ annumerentur actionibus, siquidem in debitum finem ordinata, ac bonis circumstantiis effecta ab eo, qui non est expers gratiæ Dei, non solùm bona sunt, & rationi consona, sed etiam meritũ æternæ fœlicitatis exposcunt: illa verò, quæ tanti sunt pretij, non possunt à dignitate vitæ spiritualis excludi. Et cùm minimè ad partem contemplatricem pertineant, reliquum est, vt partis actricis sint opera, atque functiones. Nec prætermittenda est hoc loco erga nos, tum benignitas dulcis, tum admirabilis prouidentia Dei, quæ in suprà dictis elucet. Quia enim vita actiua maiorem partem sine vlla ferè comparatione fidelium occupat, quorum multi parum, aut nihil de perfectione norunt, atque in arrepto instituto propriæ voluntatis propensione regũtur: hanc magnam syluam bonorum operum, quam prædiximus, hominibus obtulit, vt quisque iuxta propriam inclinationem haberet, in quo otiositatem vitaret, & rectè, atque cum merito suæ vitæ annos insumeret. Et sicut conditor noster pro sustentanda naturali vita, tot cibos, ac tã varios, diuersisq; palatis accommodatos, prouidit, vt qui vnum detrectat, alium sine nausea recipiat; ita pro rectè ducenda vita mortali tantã multitudinem bonarum actionum obiecit, vt cuius propensio istis repugnat, aliis sibi congruentibus, & gratis insistat. Nullus ergo, prẹsertim religiosorum, aliquam excusationem suę otiositatis prætendat, quia non poterit se à reprehensione liberare, otiosus manẽs inter occasiones operandi, & aliquid agendi constitutus. *Si non potes, ô anima, semper orare, saltem aliquid exteriùs operare; in aliqua occupatione vtili tui statui accommodata, & tuæ voluntati iucunda, labora.* Collige nunc in annis vitæ tibi concessis sanctorum laborũ merita, quibus in perpetuum delecteris. Filij Noëmi, Mahalon, & Chelion appellantur in Paralipom. viri mendacij, quia mortui sine filiis, nullum sui coniugij reliquerunt effectum: Et sic filij sanctæ religionis, id est, pulchræ, meritò reputabuntur viri mendaces, si otio, & socordiæ dediti, non sui status operum signa relinquant. Isti sunt securus, & incendens, qui principes fuerunt in Moab; nam securi, iocis & vanis colloquiis insistunt: & igne mali exempli alios sodales accendunt, vt potius principes Moab, hoc est, mundanorum magistri, quàm Christi, & sanctorum discipuli, reputentur.

Quid necessarium sit, vt actiones vitæ actiuæ, bonæ, sint meritoriæ, atque perfectæ.

CAPVT XXIV.

IN his operibus vitę actiuæ, nõ sola natura operis considerãda est, vt scilicet, sit ex suo genere alicuius virtutis fructus, sed proprietates etiam inquirendæ, quarum causa opus, aut suam naturam pulchram, & perfectam omnino conseruat, aut in aliud mutatum vitiosum fit, & substantiam virtutis amittit. Vt enim opera ista non vtcumque,

A sed perfectissimè ad vitam actiuam pertineant, tria sibi postulant necessaria. Alterum, vt sint bona, quod adeò necessarium est, vt sine bonitate, vitam actiuam fugiant, & vitam mundanam, aut voluptuosam sectentur. Alterum, vt sint meritoria, & apud Dominum iustum bonorum remuneratorem, aliquo præmio, àc mercede sint digna: Tertium, vt sint omninò perfecta, quæ nos, nõ solùm iuxta præscriptum rationis bonos, aut præmio dignos, sed in virtute consummatos faciant, atque perfectos. Erũt bona, si non tantum ex proprio genere, sed etiam ex circumstantiis (vt vocant) ex his scilicet, quæ adiacent actibus, moralem bonitatem accipiant. Nam, si aut omnes circumstantiæ (quæ septem sunt, vt Diuo Thomæ, & Theologis, ac philosophis placuit) D. Thom. 1. 2. q. 7. art. 1.

B aut earum aliquæ malæ sint, ab actione nostra bonitatis decorem surripient. Bonum erat sacrificium, quod durante veteri lege Deo offerebatur, quis neget? Sed sacrificium Oziæ malum fuit ex defectu primæ circumstantiæ, nempe ex defectu personæ, quia regibus datum est gubernare populum, non tamen more sacerdotum, sacrificia, & hostias manibus propriis offerre. Quare Dominus, vt Oziam ab hoc flagitio compesceret, in ipso templo, eum lepra percussit, & vrbs (narrante Iosepho) terræmotu contremuit. Bona erat illo tempore pecudũ immolatio; sed illorum sacerdotum mala erat, qui post reditum è captiuitate Babylonica Domino animalia maculosa immolabant: quia nimirum deerat secunda circumstantia, quæ aut quantitatem, aut qualitatem, aut effectus ex actione nostra prouenientes designat. Et ideò eos Dominus per os Malachiæ vehementer increpuit. Si offeratis (inquit) cæcum ad immolandum, nónne malum est? & si offeratis claudum, & languidum, nónne malum est?] Bona erat emptio, & venditio rerum, quæ in templo deberent offerri, vt qua (vt inquit Augustinus) opus habebant homines in sacrificiis illius temporis. At mala erat emptio, & venditio facta in templo: quia nimirum apta non erat tertia circumstantia loci. Nam templum non ad exercendas nundinas, sed ad orandum consecratum est. Et in huius signum Dominus, cùm fecisset flagellum de funiculis omnes vendentes, & ementes eiecit de templo, oues quoque, & boues, & nummulariorum effudit æs, & mensas subuertit.] Rationi consonum est, necessitati corporis prouidere, & cibos ad depellendam famem comparare; at malum fuit, quòd Esau, etiam cùm oppido lassus erat, coctionem rufam primogenituræ, ac sacerdotij vẽditione, quæsiuit; quia in quarta circumstantia defecit, nimirum in auxiliis, & instrumentis, quibus ad suam indigentiam depellendam est vsus. Neque enim debuit pro esca tam vili suam dilapidare substantiam. Ideoque Paulus eum prophanum appellat, & tantorum bonorum profusionem damnat. Ne quis fornicator (inquit) aut prophanus, vt Esau, qui propter vnam escam vendidit primitiua sua.] Similiter iusta erat defensio regis Asæ, qua propulsabat iniuriam sibi illatam Baala rege Israel, sed mala fuit, Dominóque displicuit, quia vsus est auxilio regis Syriæ. Vnde dixit ei Hanani propheta missus à Domino, Quia habuisti fiduciam in rege Syriæ, & non in Domino Deo tuo, idcirco euasit Syriæ regis exercitus de manu tua. Stultè egisti, & propter hoc ex præsenti tempore aduersũ te bella consurgent.] Similiter bona est eleemosyna, quoniam à morte liberat, & ipsa est, quæ purgat peccata, & facit inuenire misericordiam, & vitam æternam,] mala verò est, si propter ventum inanis gloriæ fiat. Abest enim quinta circumstantia, nempe

2. Paral. 26. 19.

C Malach. 1. 8.

Augustin. tract. in Ioan.

Ioã. 2. 15.

D Genes. 25. 30.

Hebr. 12. 16.

E 2. Paral. c. 16. 7.

Tobiæ 12. 9.

debitas

debitus finis,in quem hoc misericordiæ opus debuit ordinari. Atque adeò monuit Dominus: cùm facis Matt. 6. 2. eleemosynam,noli tuba canere ante te: sicut hypocritæ faciunt, in synagogis, & in vicis, vt honorificentur ab hominibus.] Quænam melior hospitalitas,& excellentior,ea qua Martha, huius vitæ actiuæ typus, Christum excepit in domum suam:Et tamen quia non seruauit modum, & in nimia parandi corporalia sollicitudine excessit,reprehēsa est: Luc. 10. 41. Martha,Martha(inquit ille virtutum magister, & operū pōderator)sollicita es,& turbaris erga plurima:porrò vnum necessarium]vel,vt alij transtulerunt, pau- Cassia. lib. 12. 8. cis verò opus est, aut etiā vno. Opus quidem perfectissimæ hospitalitatis laudatur, sed nimia sollicitudo, atque turbatio aliquantulum carpitur, vt nobis persuadeamus, sextam circumstantiam modi esse tenendam, vt actio sit omnino perfecta. Illud namque,Ne quid nimis, seruandum est etiam in ipsa iustitia,quæ extrema horret,& in æquilibrio consistit. Tandem bonum est beneuolentiæ opus admittere, cùm ab alio ad prandium inuitaris, sed peccauit ille 3. Reg. 13.24. propheta,qui in tempore sibi vetito conuiuium admisit. Ob idque inuenit eum leo in via, qui scilicet ex imperio Domini illum quærebat, & ipsum occi- Ibid. 24. dit. Cuius causa statim exprimitur, cùm alius, qui prophetam ad cibum vocauerat, ita respondit, Vir Dei est,qui inobediens fuit ori Domini, & tradidit eum Dominus leoni,& confregit eum.]Hoc,inquā, ideo crimen fuit,quia vltima circumstantia temporis est prætermissa. Vt ergo opera actiuæ vitæ bona sint, hæ circumstantiæ sunt obseruandæ.Et religiosus attentè consideret, an opus quod aggreditur, suæ personæ congruat. Nam quædam conueniunt prælatis, vt iubere: quædam subditis, vt obedire; hæc senibus, vt consulere, illa verò iuuenibus, vt consilia senum & obseruare & suscipere. Item, an quantitatem teneat (exempli gratia) in cibo; an plus sumat, quàm necessarium est; an verò minus, quàm opus habet ad laborandum, accipiat. Rursus, an locus actioni sit aptus; nam in Ecclesia, in choro,in triclinio loqui & circumspicere, est nimis ineptum, in horto verò, aut alio loco recreationi destinato, verba moderata proferre non dedecet. Deinde,an æquis auxiliis ad propositum finem vtatur,quia ad subiiciendum corpus spiritui, moderatæ vigiliæ, & ieiunia, & alia huius generis sumenda sunt: Immoderata, licèt ad tempus prodesse videantur,tandem tandem officient.Præterea, quo fine bona opera faciat, an placere hominibus, vt homo ineptus & vanus, an cruciatus æternos fugere, vt seruus, an gloriam adipisci, vt mercenarius, an soli Deo placere, vt filius charissimus concupiscat. Ad hæc; Quem modum in bonis operibus teneat, an remissius sit, an imprudenter sollicitus,an priora transiliat, vel leuiter tantùm attingat, vt sequentia perficiat, an dum orat, vel celebrat, aut psallit, negotiis, quæ ad ipsum attinent, distrahatur.Denique an opportunitatem captet: Vt enim Eccles. 3. 2.& 4. ait Salomon, est tempus plantandi,& tempus euellendi,tempus flendi, & tempus ridendi, & omnia tempus habent, & suis spatiis transeunt vniuersa sub cœlo. Qui his considerandis se applicat, & iam istud in sua actione polit, iam illud emendat, tandem discet, bene perfectéque munera actiuæ vitæ præstare.

Ne verò prædicta opera merito careāt,aliud præterea requiritur, vt scilicet à vita spirituali animæ, quæ est gratia,procedant, & propter Deum fiant,in Ioan.15. 4.& 5. eúmque tamquam in finem referantur. Debent quidem à gratia procedere, dicente Domino:Sicut pal-

A mes non potest ferre fructum à semetipso, nisi mā-serit in vite, sic nec vos, nisi in me manseritis. Ego sum vitis, & vos palmites,qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum,quia sine me nihil potestis facere.]Ipse profectò est vitis pulcherrima, iusti autem palmites,ei per gratiam vniti,ac colligati. Vnde quemadmodū palmites vitis naturalis copulati viti,ab ea vitam & fructum percipiunt,separati verò,non tantùm vitam,sed vim etiam fructificandi perdunt:ita iusti facti membra viua Christi,ei per gratiam & charitatem coniuncta,fructum, hoc est opera vitæ æternæ meritoria afferunt, separati verò per graue peccatum,nihil,quod vitam æternā mereatur,possunt efficere.Hoc etiā à Diuino spiritu in libro Geneseos significatum est, dum dixit, Genes. 4. 5.

B respexisse Dominū ad Abel,& ad munera eius] denotans munera fuisse grata & accepta propter offerētis bonitatem,ac sanctitatem.Vnde Gregorius,Ex Greg. lib. 22.mor. c.8. dantis quippe corde id quod datur accipitur.Idcirco non Abel ex muneribus,sed ex Abel munera oblata placuerunt. Priùs namque ad eum legitur Dominus respexisse,qui dabat,quàm ad illa quæ dabat.] Ideò etiam vita æterna,quam speramus, gratia vocatur, licèt propter merita nostra detur, quia merita ipsa, non à natura,sed à gratia proueniūt. Quare Augustinus optimè,Quod est ergo meritū hominis ante Aug. epi. 105. gratiam?Quo merito percipiet gratiam,cùm omne bonum meritum nostrum, non in nobis faciat nisi gratia,& cùm Deus coronat merita nostra, nihil aliud coronat,quàm munera sua? Et infrà, vnde est

C ipsa vita æterna,quę vtique in fine sine fine habebitur, & ideò meritis præcedentibus redditur, tamen quia eadem merita,quibus redditur,non à nobis parata sunt per nostram sufficientiam,sed in nobis facta per gratiam, etiam ipsa gratia nuncupatur, non ob aliud nisi quia gratis datur: nec ideo, quia meritis non datur,sed quia data sunt,& ipsa merita, quibus datur.]Debent igitur opera à gratia manare, vt vitæ æternæ mercedem accipiant. Debent quoque in Deum,tamquam in scopum,ac finem dirigi.Ei enim placere optādum est,à quo mercedem laborū ac præmium nostrorum operū speramus recipere. Vnde Saluator noster ait:Attendite,ne iustitiam ve- Matt. 6.1. stram faciatis corā hominibus,vt videamini ab eis,

D alioqum mercedem non habebitis apud patrē vestrum,qui in cœlis est.]Tunc autem opera nostra in Deum tamquam in finem diriguntur,aut quādo opus nostrum actu in hunc præstantissimum scopum dirigimus,& istud perfectius est:aut quando in virtute prioris voluntatis qua summo mane(exempli gratia,) omnes operas nostras Deo, quasi sacrificia gratissima obtulimus: hæc quam modò præstamus, in eundem finem placendi Deo iudicatur esse directa.Vt igitur labores militis,nullius sunt apud regē valoris,nisi ipse miles ex acie regis sit, & ipsius gratia, labores periculáque sustineat (Quid enim ad principem Christianum refert,si tu in castris sui hostis milites, & non sui causa, sed propter te ipsum, tuámque vtilitatem, aut propter eius hostem labo-

E res?) sic non est apud Deum alicuius meriti operatio ab illo procedens, qui in castris Diaboli per graue crimen militat, neque fit diuinæ gloriæ ac bonitatis obtentu. Qui non est mecum(ait Domi- Luc. 11. 23. nus) contra me est, & qui non colligit mecum, dispergit. Ille autem, qui gratia & amicitia Dei vacuus, non est ex factione Dei, neque labores suos in horrea Diuini honoris recondit, aduersarius Domini & suorum operum dissipator est reputandus.

Sed nō satis sūt hæc,vt opera nostra sint omnibus

numeris absoluta. Potest namque contingere, vt à A gratia, animæ vita, procedāt, & quod ad bonos mores attinet, circumstantiis debitis induantur, & tamē aliqua in eis desiderentur, sine quibus ad optatam puritatis pulchritudinem, nec dum perueniant. Sicut enim homo licèt hominis naturam habeat, & membra integra, & potentias, tum corpori, tum animæ conuenientes, adhuc aliquid in eo exigi potest, nimirum, quod hanc hominis naturam, ac corporis partes ornet, eximia pulchritudo: Ita quamuis in humanis operibus boni substantiam, & congrua accidentia ad mores pertinentia videamus; sunt aliæ diuiniores proprietates; quæ possunt inesse in eis, quibus vacua, nec dum omnino pulchra oculis nostri conditoris appareant. Istæ autem proprietates sunt, quæ sequuntur. Prima, vt tu, qui vitam actiuam B profiteris, aut sis omnino perfectus, aut saltem sis non admodum imperfectus. Calamus namque malè temperatus, pulchros characteres non exarat; gladius obtusus, & rubigine sordescens, non secat; aratrum confractum, minimè terram proscindit; & homo imperfectus, vitiis corruptus, prauis affectibus fractus, sinistra intentione superatus, opera omnibus partibus absoluta non perficit. Idcirco Dominus ad Pharisæos ait, Progenies viperarum quomodo potestis bona loqui cùm sitis mali? Ex abūdātia enim cordis os loquitur.] Hac oratione docens, malitiam cordis verba noxia profundere, & pessimorum patrū progenies, nō dissimiles, & odij passione victas, non posse, quod bonum est, loqui. Et rursus: Bonus homo, de bono thesauro profert bona, & malus homo de malo thesauro profert mala.] C Ex quo non ineptè cōsequitur, religiosum tepidum, ac imperfectū, de thesauro cordis sui prolaturū opera tepida atq; imperfecta. Secūda, ne laudē humanam, aut maiorum fauorē, prælatorum beneuolentiam aucuperis, sed solā diuinam gloriam, Dominiq; beneplacitum operibus bonis inquiras: Quam tātùm cupiens, & quod in te est faciens, vt opus bene succedat, si fructus speratus non euenerit, nequaquā ista occasione turbaberis. Tristitiā enim & anxietatē ex solo peccato debes concipere. Si ergo absque peccato, & negligētiā tua, oleū & operam perdidisti, & quod optabas, non es assequutus, nō est cur ex sinistro euentu tristeris: sed omnia diuinæ voluntati cōmittens, cuius honorē ac gloriam promouere cupiebas, enitere, vt internā pacem & mentis trāquil- D litatē cōserues. Hoc est enim illud necessariū, quod omninò cōseruandū est, vt aliis inseruiendo, tibi ipsi proficias, & aliorum curam sustinēdo, Dei familiaritatem non amittas. Actionis quidem feruor (inquit Gregorius) tunc rectè disponitur, cùm sic insistimus operi, vt tranquillo corde eum cui opera nostra cōsecrare nitimur, videamus. Quid est namq; nimietas sollicitudinis, nisi cōfusio supernæ intētionis? Quia dum se erga plurima diuidit, diuisa iam ad supernorum intuitū non assurgit. Illud enim æternū & simplex bonum æternæ visionis, anima, quia vix vnita cōprehendit, se nimirum ad id diuisa non erigit.] Ex rectitudine ergo intentionis, tranquillitas procedit, ex trāquillitate puritas mentis exoritur, ex puritate, E lux venit, qua non solū in secreto orationis, sed etiā inter occupationes ipsas, Deus internis oculis videatur. Tertia, ad perfectè operādum, te ipsum oratione meditationéq; præpara. Absurdum namq; est, existimare, vitā actiuam, omne orationis studium excludere, imò ne inanis sit, & innumeris peccatis, aut defectibus implicetur, aliquo est orationis tēpore cōdienda. Quotidie itaque aliquod temporis spatium sanctæ orationi meditationique concede, in quo

Matth. 12 34.

Ibid. 35.

Luca 10. 42.

Greg. lib. 5. in 1. Reg. ante finem.

mentem ex assiduo actionis labore fatigatā recrees; actiones ipsas, in quibus occuparis, examines, emēdes, & dirigas, feruorem charitatis, ac deuotionis oleum, nec non & internas vires ad laborandum restaures, restauratas conserues, conseruatas augeas, amissas recuperes; te totum, tuosq; labores vniuersorum creatori offeras, & diuinæ prouidentiæ, cum vera resignatione committas: & tandem Christum adeas bene operandi magistrum, & virium spiritualium datorē largissimum, a quo discas studiosa agere, & accipias bene agendi facultatem. Hoc est, Marthā de Maria sorore conqueri, eius adiutorium ad Iesum in corde excipiendum exposcere, orationis studium ad bene operandum postulare. Tunc vita actiua, molestia externæ occupationis fatigata, dicit: Domine, non est tibi curæ, quòd soror mea reliquit me solam ministrare? Dic ergo illi, vt me adiuuet.] Et fœlix domus (vt Bernardus ait) & beata semper congregatio est, vbi de Maria, Martha conqueritur. Sicut enim contemplatiuæ vitæ deditos temporalia ministeria sine imperio superioris assumere, & non vocatos ad externas actiones exire, magnum est tepiditatis indicium, Ita est signum feruoris, & deuotionis, actiuos contemplationem cupere, & inter ipsos labores vitæ actiuæ, orationis spatium quæritare, & aliquod tempus sibi ipsis concedendum suffurari.

Quarta. In ipso decursu, atque exercitio actionis externæ, teipsum sollicitudine magna custodi, noxias cogitationes fuge, quæ tunc solent claustra cordis irrumpere: Christum Iesum cruci affixum, vel ad columnam ligatum, vel alio modo præsentē habe, teq; inspicientem considera, aut saltem aliquid sanctum, & quod te moueat, meditare: Silentium strictissimè serua, aut, si pro fugienda singularitate, aut leuanda molestia, aut tristitia depellenda, lingua laxanda sit, psalmus in ore tuo resonet, vel ædificationis verbū, non sine permissu patris spiritualis procedat, quo te ipsum, & alios astantes in desiderio maioris perfectionis accendas. Laurentius quidem Iustinianus protulit hoc salubre documentum. In ipsis (inquit) actionibus exterioribus, serui Dei prudenti se circūspectione custodiant. Nam solet interdum in eisdem animus effrænari, & lingua, ita vt omissa omni grauitate spiritu leuitatis totus feratur in præceps, neq; quid agat, vel quomodo, considerare velit. Facilè tūc verba proferuntur, nullo sapientiæ sale condita, quæ audientium corda impatientiæ iacula feriunt, & totam dissipant dulcedinem charitatis.] Et post pauca; Ideo sanctis cogitationibus occupanda mens est, cū corporale fit opus, vt pariter cordis & corporis gratum altissimo offeratur holocaustum. Quòd si hoc fieri nequit, verbum pronuncietur ædificationis, vel vocalis saltem nō deseratur oratio, vt Dominus dupliciter laudetur. Debent quippe, qui Deo placere cupiunt, nihil horum prætermittere, quæ valeāt cor accendere, aut proximum ædificare.] Quibus verbis hoc valde necessarium ad bene operandum documentum non minùs sapiēter quàm deuotè declarat.

Quinta, Cura, appetitum & vniuersas passiones, & desideria tua rationi & regulæ virtutis subiicere. Sic enim mitem ac amabilem te fratribus exhibebis, nulli, aut immoderatè placere, aut displicere, & nocere studebis, & omnes alias bonæ actionis qualitates, sine vlla difficultate præstabis. Quare Ambrosius hanc subiectionem ad rationis regulam tamquam fontem omnis bonitatis, quæ in actione elucet, collocauit. Tria (inquit) in hoc genere spectanda cernimus, vnum, vt rationi appetitus non reluctetur. Hoc enim solummodo possunt officia nostra illi decoro conuenire. Si enim appetitus

Luca 10. 40.

Bern. ser. 3. de assumpt.

Iustinia. de discip. & perfect. monast. c. 21.

Ambr. 1. offic. c. 24.

rationi

rationi obediat, facile id quod deceat in omnibus officiis conseruare potest. Deinde, ne maiori studio, quàm res ipsa est, quæ suscipitur, vel minore, aut paruam magno ambitu suscepisse, aut magnam inferiore destituisse videamur. Tertium de moderatione studiorum operúmque nostrorũ, de ordine quoque rerum, & de opportunitate temporum, non dissimulandum puto.] Et concludit. Sed primum illud quasi fundamentum est omnium, vt appetitus rationi pareat.] Ex cuius sententia magni momenti est ad bene perfectéque operandum, affectus rationi subiicere, ne & nobis ipsis parum vtiles, & fratribus molesti inter agendum efficiamur.

Sexta denique, tuam vocationem expende, vires, tum corporales, tum spirituales metire, & iuxta eas onus externæ occupationis admitte. Nã socordiæ & ignauiæ est nõ laborare, quod possis. Et rectè dicetur tibi, qui non laborat, non manducet.] Et temeritate ac præsumptione non caret, pondus laboris accipere, quod supportare non valeas. Patebisque reprehensioni, qua Ietro suum generum Moysem increpuit Non bonam (inquit) rem facis, stulto labore cõsumeris, & tu, & populus iste, qui tecum est, vltra vires est negotium, solus illud non poteris sustinere. Verissimum ergo est illud, Non omnia possumus omnes.] Et sicut onus aliquod vni quidem exiguum est, alteri magnum, & importabile, alij verò moderatum, suisque viribus accommodatũ, ita exterior occupatio, isti est parua, & suæ vocationi non sufficiẽs, illi magna, & suas vires excedens, alij verò omnino cõformis. Si autem dubites, quæ operis externi sit tibi apta accõmodataque mensura, id primò experiẽdo, & probando requires. Nam hac minima occupatione tepidũ & otiosum te senties, hac verò immoderata, inquietũ & desolatum te videbis, alia tandẽ in medio posita feruorem spiritus, requiem animi, & consolationẽ experieris, & inde hanc tibi cõuenientem, alias autem incongruas, & noxias iudicabis. Ciborum quantitatem, & qualitatem, cuique salubrem aut insalubrem experientia demonstrat, & quantùm exterioris operis admittere, aut recusare debeamus, ipsamet experiẽtia declarat, aut operum admissione in virtute nos promouens, aut à desiderio virtutis, & ab itinere perfectionis auellens. Deinde oratione id à Domino postulabis: Vt enim ait Bernardus, vnicũ in huiusmodi remedium, seu refugium, oratio est, & frequens gemitus ad Deum, vt quid, quãdo, & quatenus nos facere velit, assiduè nobis demonstrare dignetur.] Sed præcipuè obedientiã ex prælati imperio cognosces. Illius namque est pro sui muneris obligatione considerare, quid iniungat, quo pacto onera laborum distribuat, qua prudentia inquietos, & dono orationis carentes oneret, & quietos, & ad contemplationem vocatos alleuiet. Tuum autem est, quisquis sis, & quocumque dono polleas, alacriter, & sine vlla cunctatione obedire. His quæ diximus opera vitæ actiuæ donis ornata, non solùm bona inueniuntur, sed etiam meritoria, atque perfecta.

2 Thessal. 3.10.

Exod. 18. 18.

Bern. ser. 57. in cant. fine.

Vitam actiuam ad nouitios religionum pertinere, & hi quales esse debeant.

CAPVT XXV.

TRIA diximus esse operum genera, quæ vita actiua complectitur, ex quibus secundũ animarum saluti consulens, vitæ mistæ est relinquendum, & quibus competat, erit inferiùs enodandum: duo verò alia, primum & tertium (quorum illud propriam emẽdationem quærit, istud verò in operibus misericordiæ, & temporalibus ministeriis fratribus seruit) quibus religiosis conueniant, est nunc breuiter explicãdum. Primum illud genus actionum, quod hominis mores emendat, & vitã in melius mutat, atque cor in exercitatione virtutis informat, proprium est nouitiorum, qui mundum fallacem effugerunt, & ad trãquillum religionis portum conuolarunt, vt veterem hominem exuerent cum actibus suis, nouum autem, qui secundùm Deum creatus est in iustitia, & sanctitate veritatis, ex ardenti desiderio perfectionis, induerent. Istæ enim actiones sunt veluti fundamenta, & vitæ spiritualis exordia, quare illis congruere certum est, qui vitam carnalem, aut mortem animę deserentes, vitam spiritualem, atque studiosam incipiũt. Et sicut priores partes viæ, quæ ducit ad ciuitatem, illi viatores occupant, qui nuper ad eam properare cœperunt, medias verò tenent illi, qui iamdudum itineri se dederunt, postremas autẽ illi terunt, qui iam prope mœnia sunt, & ante alios egredi ex hospitio festinarunt: ita primas vitæ spiritualis partes, in actione positas, nouitij occupent, qui nuperrimè ex se ipsis egrediẽtes iter hoc æternitatis arripiunt: secundas in cõtemplatione constitutas, proficientes teneant, qui tyrocinij curriculo emenso, iã pridem ad perfectionem iter faciũt: postremas verò vtramque vitam copulantes, qui iã vicini fini itineris sunt, id est perfecti, possideant. Nõ negamus puros actiuos purósque contemplatiuos posse ad perfectionem ascendere, absit, imò verò quàm plurimi inter occupationes externas, ad magnam perfectionem peruenerunt, multi etiam (quod est frequentissimum) in solitudine sibi ipsis vacantes, tamquam homines quidam cœlestes, aut Angeli terrestres, ad omnis sanctitatis fastigium euolarũt. Nec etiam putamus actiuos numquam debere cõtemplationem attingere: aut contemplatiuos ita actionem relicturos, vt numquam debeant ad actionem remeare. Quis enim hoc credat? cùm mens assidua mortificatione non culta, syluescat, & affectus virtutis, sarculo nõ euulsi, pullulascant? Sed id, quod status fert, astruimus. Ideóque vitam actiuã tyronibus, contemplatiuam proficientibus, & mistã perfectis, tamquam his statibus magis cõgruentes, ascribimus.

Nouitius ergo, qui in prima vitæ actiuæ parte se exercet, quo pacto se gerere, & qua ratione cõuersari debeat, breuiter dicamus. Illud in primis curet, vt statum religionis, ad quẽ vocatus est, in maximo pretio habeat, & pro eximio beneficio vocationis creatori ac Domino Deo suo gratus in perpetuum existat. Æstimatio namque religiosæ vitæ, quam semel arripuit, perseuerantem reddet, & occurrẽtium laborum ac tentationum patiẽtem efficiet: gratitudo verò vocationis ad alia dona promerẽda, & maiorem gratiam assequẽdam, ianuam aperiet. Sedeat itaque cum Dauid coram Domino, & hoc præstantissimum donum mente recogitans, dicat, Quis ego sum, Domine Deus, & quæ domus mea, vt pręstares mihi talia?] Ego iniquus peccator, qui toties tuam maiestatem offendi; Domus mea domus perduellis & transgressoris illius, qui gustando lignum vetitũ, me, & omnes alios fratres meos, filios suos à tua gratia, & amicitia deturbauit. Et tamen, tu Domine, misertus mei è terrestri paradiso deiecti, ad cœlestem paradisum vocasti, vt iterum ea superna dona possiderem, quæ instigante Diabolo, & primo parente, mandatum transgrediente, perdideram. Sed & hoc parum visum est in conspectu tuo, ideóque locutus es super domum serui tui, etiam in futurũ, &

1 Paral. cap. 16. 17.

Ibid. 17.

feciſti me ſpectabilẽ ſuper omnes homines, Domine Deus.] Locutus,inquam, es bona ſuper domum meam, vt ſcilicet, non ſolùm mihi, ſed & fratribus meis,quibus,aut oratione,aut exẽplo, aut doctrina proficio,perpetuam fœlicitatem promitteres.Duxiſti me, amantiſſime Pater, in hanc regiam tuam,vt ex homine,imò vt ex fœdiſſimo peccatore, Angelũ faceres: (quid enim obſtat miſericordiæ tuæ iniquitas mea,ſi mea culpa & negligentia non ſum, quod tu me eſſe voluiſti?) & ſuper alios homines,qui ſcilicet humanè viuunt,vita ſuperiorem conſtitueres. Hunc autem animum gratum facilè nouitius cõcipiet,ſi ea mala,quæ effugit, & bona, quæ acquiſiuit,in ſuperiori tractatione explicata,attenta conſideratione perpenderit.Eductus eſt de cõfuſione Babylonica,de ſeruitute Ægyptiaca, de igne atque incendio Chaldæorum: Liberatus eſt à iugo peccati, ab ignorantiæ tenebris,à vinculis,ac nexibus prauitatis.Erupit ex laqueis Diaboli, ex morte animæ,ex inferni diſcrimine. Adductus verò eſt in domum pacis,& lucis,in hortum amœniſſimum deliciarum. in quẽ fugato malitiæ Aquilone,venit Auſter diuini ſpiritus,è floribus deſideriorum bonorum virtutes erumpere faciens,omnia interiora fouent,atque viuificans.Quidni amore liqueſcat? Quidni gratias agat? Quidni pro tam ingenti dono benefactori ſuo vitam puram ac illibatam retribuat? Cant. 4. 16.

Animatus ergo hoc grati animi affectu, & ſuo muneri ſatisfacere cupiens,illud ſtatim ſibi perſuadeat,vitam ſpiritualem, quam aggreſſus eſt, non in ſignis externis,non in corporalibus cæremoniis,ſed in ſpiritu & veritate conſiſtere.Parum enim prodeſit,ſi caput aliquantulum demiſſum teneat, oculos modeſtos habeat, manus veſte cõtectas, & quietas geſtet, ſi moderatè incedat, grauiter & ſummiſsè loquatur, genuflexiones & proſtrationes faciat, & omnes alias ordinis cęremonias perfectiſſimè ſeruet,niſi in his conſiſtens, ea tamquã inſtrumẽta veræ virtutis aſſumat.Hæc neceſſaria ſunt, & omnimodis amplectenda:non tamen ampliùs conferũt vitam ſpiritualem agenti,quam homini, ſine anima & ſpiritu,capilli,& barba,atque externa corporis diſpoſitio ſufficeret.Hæc,ô frater,ſigna ſunt, non veritas,accidentia ſunt, non ſubſtantia; inſtrumenta ſunt, non finis, operimenta ſunt,non corpus; flores,& folia ſunt,non fructus, quorum producẽdorum gratia ad ſtatum religionis veniſti. Audi Bernardum,quid ſentiat de his exterioribus virtutis indiciis.Videtis(inquit)iſtos nouitios:Nuper venerũt, nuper conuerſi ſunt, non poſſumus de ipſis dicere, quia vinea noſtra floruit,floret enim.Interim, quod in eis apparere videtis,flos eſt,fructuum tẽpus nondum aduenit.Flos nouella conuerſatio eſt, flos, formula recens vitæ emendatioris eſt. Induerunt ſibi faciem diſciplinatam, & bonam totius corporis cõpoſitionem.Placent,fateor, quæ in facie ſunt, negligentior vtique is,qui foris apparet, corporũ cultus,& veſtiũ,ſermo rarior,vultus hilarior, aſpectus verecũdior,inceſſus maturior. Verùm,quia hæc nouiter cœpêre(ipſa ſui nouitate flores cẽſenda ſunt,& ſpes fructuum,magis quàm fructus.Vnde ſicut ſtultus eſſet ille,qui ex arbore à ſe magno labore cõſita, nihil aliud quàm flores,& folia requireret, fructus verò,palato ſuaues,& corpori ſalubres cõtemneret: ita & tu,cum ſtultis & inſipiẽtibus computaberis,ſi ex mutatione ſtatus,qua ex deſerto ſæculi te ad hortum religionis trãſtuliſti:nihil,niſi folia cæremoniarum, & non fructum veræ virtutis exquiris. Certè religio ſtatus eſſet valde puerilis, ſi in his tantùm externis ſignis ſita eſſet, & non in ſuis ſectatoribus veram virtutem,ac ſanctitatem expoſceret. At, cùm ſit ſtatus, non iuniorum qui cingunt ſeipſos, ſed ſeniorum, qui vt dictum eſt Petro, ab alio cinguntur,nempe a Prælato,& ducuntur in ea,quæ ſpiritus amat. & non, quò caro vult, manifeſtum eſt, quoniam hæc externa petit,vt folia, ſine quorum tegmine,minimè fructus ſubſiſteret, virtutem autem mentis veram, & ſolidam, tamquam ſuauiſſimum fructum exquirit. Bern. ſer. 63. in Cant. Ioan. 21. 18.

Hoc itaque ſtatuamus, tamquam certum, & longa experientia comprobatum, externam corporis diſciplinam, ſine ſtudio mortificationis, & aſſiduo exercitio virtutum, & parum valere, & longo tempore durare non poſſe. Parum quidem valet, quoniam (vt inquit Paulus) exercitatio corporalis ad modicum vtilis eſt; pietas autem ad omnia.] Parum valet, quia ſola, & cura veræ virtutis vacua interiores affectus non ordinat, amorem rerum terrenarum non extirpat, & anxietatibus, indignationibus, & turbationibus ſæculi expoſitos derelinquit. Qui maxima, imo cuncta reliquimus (inquit Dionyſius Richelius) pro vilium rerum appetitu,moleſtiſſimas vbertim contentiones murmurationéſque mouemus, conturbantes alios, propriámque pacem lædentes, ob quam ſeruandam, cætera cuncta ſpernanda ſunt.]Et cur hoc? niſi quoniam adhuc interior manet inculta affectio, & cupido inextirpata? Ideóque gaudet ſuper nos æmulus noſter, ad hoc fugiſſe omnia cernens, vt nunc minima appetamus, atque propter vilia ſuperemur. Quod eſt huius mali remedium? Illud ſanè, quod ipſe ſtatim Dionyſius ſubiecit. Omnia (dicens) hæc corporalia, exterioráque opera, ad interiorem reformationem indeſinenter vertamus, alioquin inordinata erit cõuerſatio noſtra, & qui à feruore incœpimus, in tepore conſummabimur.] Parum tandem valet ſola exterior diſciplina, quoniam ad diuinam familiaritatem,quam magnis deſideriis debemus concupiſcere,tyrones idoneos non reddit. Sicut enim rex habitare in ea domo refugeret, quam licet exteriùs dealbatam ſciret,interiùs tamen immundam, & venenatis animalibus plenam eſſe cognoſceret: Ita Chriſtus in illo religioſo commorari, & cum eo conuerſari tenuit, quem exteriùs compoſitum, & quaſi cæremoniis dealbatum; interiùs tamen vitiis, prauis affectibus, & malis moribus coopertum agnouit. Poterit ne (ait Bernardus) domus mundata cõfeſſione priorum delictorum, & obſeruatione regularium inſtitutionum ornata, indigna adhuc iudicari habitaculo & gratiæ ſaluatoris ingreſſu?Poterit ſine dubio, ſi ſuperficie tenus emundata, & iuncis ſtrata virentibus, interiùs plena ſit luto.Quis enim ſuſcipiẽdum Dominum arbitretur in dealbatis mortuorum ſepulchris, quæ videntur à foris ſpecioſa, intrinſecus autem ſputcitia & ſanies, vniuerſa repleuit? Eſto ſiquidem, vt aliquando tamquam ipſa ſuperficie delectatus,incipiat primùm apponere pedem,ei qui huiuſmodi eſt, primam aliquam viſitationis ſuæ gratiam indulgendo Numquid non reſiliet illicò cum indignatione? Numquid non effugiet clamitans? Infixus ſum in limo profundi, & non eſt ſubſtantia.] Virtutis enim ſpecies, & non veritas, quaſi qualitas eſt, non ſubſtantia. Neque verum ingreſſum eius exterioris poteſt conuerſationis tenuis ſuperficies ſuſtinere, quoniam omnia penetrat; & in intimis cordibus eius habitatio eſt.) Exterior enim diſciplina ſine ſtudio internæ virtutis, multo tempore durare non poteſt. Nam ſicut arbuſta, radices in terra fixas non habentia, adueniente ſolis ardore, ſtatim areſcunt, & ſtante vehe- 1. Timot. 4. 8. Diony. lib. 1. de vita ol. ar. 18. Bern. ſer. 1. de aſſũptione. Pſ. l. 68. 3.

mentiori

mentiori aere, nō solùm agitantur, sed penitus euulsa procumbunt, ita exteriora ista religionis indicia, facillimè data, minima occasione decidunt, si non in mentis virtute radicentur. Hæc itaque externa quærantur, non sui ipsorum gratia, sed vt interna virtutis dona efficiant, conseruent, augeant, atque promoueant.

Substantia ergo, & veritas nouitiorum, qui iam vitam religiosam, & spiritualem inceperunt, prima pars vitæ actiuæ est, quam debent toto mētis conatu tempore tyrocinij sui exercendam suscipere. Tūc autem hoc præstant, cùm in id vehementer incumbūt, vt peccata in sæculo facta, verissimo odio detestentur, amarissimoque imbre lacrymarum diluant. Et qui antea magna peccata veluti aquam bibebāt, minimos nunc defectus aufugiāt, carnem suam ciliciis, flagris, & omnis afflictionis genere spiritui subiiciant, sensuum instrumēta, præcipuè oculos, aures, & linguam cohibeant, districtissimam tenētes silentij censuram, cogitationi acriter imperent, eamque vanis recordationibus assuetam, sanctarum meditationum vinculis ligent; passiones, & affectus immoderatos mortificent, nimiam familiaritatem, & ineptas amicitias, animæ pestes, fugiant: vitia, præsertim superbiam, iracundiam, amorem possidendi, libidinem, & alia huiusmodi, extirpent: virtutes, præcipuè humilitatem, mansuetudinem, paupertatē, & pudicitiam, Angelorū sponsam, acquirāt: se ipsos contemnant, conculcent, & proterant, ab vniuersis contemni, & pro nihilo haberi appetant, & honoris, gloriæ mundanæ, ac dignitatum appetentiam, penitus, si fieri potest, extinguant: omnibus se tractabiles & amabiles præbeant, maioribus obedientes, æqualibus gratos, minoribus virtutis se formam exhibeant: fugiant, taceant, quiescant, abscondantur, elōgentur: ament nesciri, discant mori, lugeant præterita, spernant præsentia, meditentur futura. Ac breuiter, hæc sit eorum cura, hoc studium, vt seipsos, tum officiis externis, tum actibus internis ornantes, tandem ad finem tyrocinij, quando per professionem summo creatori se offerent, viri perfecti, & spirituales euadant. Ista est, tum prima vitæ actiuæ pars, tum nouitiorum regula, & forma viuendi, quam si rectè custodierint, ad præstabiliora vitæ contemplatiuæ & vitæ mistæ opera erunt idonei.

Vt autem istam viuēdi formam tenere & ad prædictum gradum perfectionis venire possint, quinque eisdem documenta valde necessaria proponimus.

Alterū est, vt prælatum, vel spiritualē magistrum, magni æstiment, impensè diligant, suam conscientiam ei penitus apertam habeant, ipsiúsque, aut imperio, aut consilio in omnibus, non solùm alicuius momenti rebus, sed etiam in minimis gubernentur. Sanè Laurentius Iustinianus, quanti momenti sit præceptum huiusmodi de nouitiis loquens, his penè verbis explicuit. Illo (scilicet magistro suo) neminem iudicent sanctiorem, prudentiorémque: ipsum purè diligant, ipsum venerentur, ipsi tota deuotione famulentur. Aperiant denique illi simpliciter, ac sine excusatione omnes cogitationes suas, intentiones, desideria, delicta, & gesta. Ad eundem accurrant frequenter, veluti ad nutricem infans, vt ab illo doctrinæ, & consolationis suscipiant nutrimenta, atque spirituali lacte pascantur. Ab eo erudiantur, qualiter, quando, & vbi orare debeant, quid meditari, quid legere, quid operari. Similiter quantùm dormire, quantúmque eos abstinere liceat In eo omnino sit eorum velle, & nolle, atque vniuersa (si possibile est) ad imperium peragant præceptoris. Hæc profectò si fideliter adimplebunt,

Iustin. lib. de obedit. c. 20.

A ambulantes incedent, securè quiescent, diligentur a cūctis, protegentur ab Angelis, & visitabūtur à Domino. Nihil illis apparebit asperum, nihil arduum, nihilque impossibile, sine oculis vtique replebūtur lumine, sine discretione ornati erunt sapiētia, sine voluntate erunt referti gratia, eò abundantiori, quò libentiùs se subiiciēt, nec non pro Christi amore ardētiùs abnegabunt se, nihil sibi penitus reseruantes.] Qua oratione, tum huius rei vtilitatē, tum præmium clare incedentibus promissum mirificè declarat.

Alterum Libros spirituales proprio instituto accommodatos, sed præcipuè regulam & instituta suæ religionis, assiduè legant. Quæ legerint, intelligant; quæ intellexerint, ament, & cupiant, quæ concupiuerint, opere præstare contendant. Lecto B omnibus religiosis, sed præcipuè tyronibus, necessaria est, nam rerum spiritualium imperiti, legendo discent, quid agendum, quid vitādum sit, quæ bona, quæ meliora, quæ optima, & quæ mala, quæ peiora, quæ pessima: vnumquodque in suo ordine, aut fugiant, aut amplectantur. Vnde Hugo, Per electionē discimus, quid cauere, quid agere, quò tendere debeamus. Hinc Psalmista ait: Lucerna pedibus meis verbum tuum. Per lectionem sensus & intellectus augentur Lectio ad orationem nos instruit, & ad operationē, & nos informat ad cōtēplatiuā vitā, & actiuā. Ideò in psalmo, beatus vir scribitur, qui in lege Domini meditatur die ac nocte.] Consultò verò lectionem proprio instituto accommodatam exposcimus, quoniam sicut diuersæ scientiæ in diuersis libris continentur, ita & diuersa religionum C instituta. Nónne erraret, qui Philosophiam in Quintiliano, & Rhetoricam in voluminibus philosophicis Aristotelis quæreret? Nónne in vanum laboraret, qui Theologiam à iurisperitis, & iurisperitiam à libris Theologorum mutuaret? Sic decipiuntur, & errant, qui vitam solitariam profitentes libros ad animarum lucra incitantes, & labores cum proximis suadentes, frequenter legunt, & qui vitam mistam sectantes, libros ad vitam solitariam inuitātes, & ad eremi secreta prouocantes, euoluunt. Beatus Patriarcha noster Ignatius, Religiosum quemdā ex nostris, acriter corripuit, quòd cum nouitio de rebus à nostro instituto alienis loqueretur, sapienter iudicans cum auditione talium rerum, potiùs ad alienū viuēdi genus, quàm ad próprium; quod semel elegerat, incitati. Eáq; increpatione docens tyronibus in D communi exhortatione, & in familiari sermone ea esse proponēda, quæ statui eorum, vitæq; conueniāt. Quod in familiari conuersatione rerum spiritualiū sanctus Pater noster exigebat, in lectione quoq; seruandum est. Legat nouitius eos libros, qui institutū à se arreptum doceant, qui vitam suo statui cōgruā suadeāt, alios voluēdos omittat ei qui iam exercitatos habēs sensus, sciet sibi vtilia amplecti, noxia verò, aut aliena, & suo vitæ generi non accommodata, refutare.

Tertiū. Sit nouitius, orationis & sanctæ meditationis tenax, frequentissimè Christum cruci affixum adeat; ipsi suas miserias, & tribulationes aperiat, ne- E cessaria ad vitæ reformationem petat, vitiorum extinctionem, ac omnium virtutum adeptionem postulet: Recogitet seriò peccati fœditatē, sæculi vanitatē, mortis horrorem, iudicij seueritatē, gehēnæ supplicia, beatitudinis, præmia, bonis & iustis, à fidelissimo remuneratore promissa. Sed inter omnia assiduè meditetur Christi Saluatoris nostri passiones actiones, & verba, in eúmq; sēper intendat, tāquā in omnis virtutis ac sanctitatis exemplar. Istud est præcipuum emendationis instrumentum. Nam sancta

Hugo in Reg. c. 9. Psal. 118. 105.

Psal. 1. 2.

Lib. 5. vitæ. c. 10.

oratio, ac meditatio est magistra scientiæ, quam nouitius nescit; dux viæ, quam ignorat, medicamentum vitiorum, quibus ægrotat, frænum est passionum, mūditia peccatorum, expultrix pusillanimitatis, effectrix stabilitatis, quæ ipsi ad perseuerandū est necessaria. Publicanus ab oratione suam cōuersionem incepit, non sine ingenti humilitate, & tunsione pectoris, dicens: Deus propitius esto mihi peccatori.] Magdalena ab oratione nouam vitam inchoauit: Lacrymis enim pedes Domini rigabat, crinibus lotos tergebat, labiis oscula tersis pedibus imprimebat, vnguēto pretioso osculatos vngebat, & his indiciis feruorem intimæ orationis, & validæ compunctionis ostendebat, qua erratorum veniam impetrabat. Latro ab oratione quoq; sumpsit suæ cōuersionis exordium, Nam conuersus ad Iesum, ita precatus est. Domine, memento mei cùm veneris in regnum tuū.] Oratio publicano veniā præbuit. Oratio mulieri peccatrici iustitiam concessit. Oratio latroni paradisum impetrauit. Denique in initio pœnitentiæ suæ audit. Amen dico tibi hodie mecum eris in paradiso.] Ab oratione ergo nouus Christi miles nouam militiam incipiat, non quidem tantùm ab ea, quæ voce fit, sed ab ea, quæ sola mente & consideratione perficitur, cuius fructus est, animum erudire, affectus trāquillare, & nouum bellatorem fortissimis virtutum armis aduersus dæmonem communire. Valde miserum est incipientem religiosum, sola psalmorum decantatione occupari, nec miserias sæculi, nec beneficia diuina, neque vitā, & mortē saluatoris, singulis diebus per aliquot horas euoluere. Si enim in vitæ spiritualis initio orationi meditationíque non vacat, numquam meditationis consuetudinē capiet, qua sublata nescio sanè, quo pacto proficiet.

Luca 18. 13. Luca 7. 38. Luca 23. 42. Luca 23. 43.

Quartum. Sæcularium allocutiones, cōsanguineorúmque cōsortia nouitius, vt pestes, fugiat. Corrumpunt enim bonos mores colloquia praua,] Et sicut sal, qui ex aqua efficitur, in aquam coniectus, salis naturam amittit, & in aquam conuertitur, ita nouus Christi seruus à sæculo per vitam religiosam eductus, ac sæcularium consortia, & familiaritatis, & colloquia rediens, aut iterum sæcularis efficitur, aut saltem memoria, & affectu in sæculum, quod reliquerat, reuocatur. Illud inter alia cuique tyroni religioso Dominus in initio conuersionis præcipit, quod in Ieremia scriptum est, Conuertentur ipsi ad te, & tu nō conuerteris ad eos.] Quia tam studiosus debet esse, & purus, vt sæculares suo exēplo, ad statū religiosum amplectendum alliciat, & tam cautus ac circumspectus, vt numquam ipsorum curas admittat, neq; sine manifesta necessitate, ad eorum familiaritatem, aut colloquia se cōuertat. Multis Thomas à Campis hanc doctrinam confirmat, sed illo præcipuè inter alia. Tutiora loca inermibus, & infirmis sunt quærenda. Arduum enim nimis in sæculo continenter viuere, & immunem se à peccato conseruare. Dauid vir sanctus, fortis, & armatus, cùm persequutionem à Saul Rege pateretur, ad tutiora loca in deserto cum suis militibus ascēdit, ibidem latuit, donec sæuitia hostis cessaret. Et tu ergo lōgè ab amicis, & sæcularibus hominibus discede, ne peccatis prauorum inuoluaris, & post casū inopinatum plangas te errasse, & pœniteat bonis consiliis non credidisse. Siquidem tenellus flos citò manu capitur, tactu læditur, & facillimè spina perforatur: Sic imperitus iuuenis, & nouiter conuersus, nisi fugiat, & recedat à societate mundana, incendetur celeriter igne carnalis concupiscentiæ, & inquinabitur pice lubricalis vitæ, discurrendo per mortifera itinera gulæ, luxuriæ, auaritiæ, superbiæ, & inuidiæ, velut equus effrænis, sine timore, & tamquam insensatus sine ratione. Si enim vir potest tentationibus resistere, occasione remota, quid in medio laqueorum præsumis, mens infirma? Deserat ergo nouus religiosus parentum, fratrum, consanguineorúmque consortia, ne eorum colloquiis distrahatur, cutis tepescat, & amore eorum, quæ deseruit, iterum ad mundana resiliat.

1. Cor. 15. 33. Ierem. 14. 19. Thō. à Cāp. dialog. nouit. c. 4.

Quintum tandem documentum. Illos religiosos nouitius suscipiat, illos adeat, illos imitetur, quos viderit regulæ obseruatores, virtutis amatores, sanctitatisque cultores: Tepidos verò, & ignauos non videat, si viderit, non contemnat, sed ipsis ex corde compatiens, illorum gesta non imitetur. Fieri enim non potest, vt inter multos non reperiantur aliqui non bene incedentes, otiosè se gerentes, regulares obseruantias, aut serpentes, aut transgredientes. Si enim in cœlo Lucifer, & Angeli apostatæ inuenti sunt. In paradiso serpens ingressum habuit, & in cœtu Christi Iudas Apostoli locum occupauit: Quid mirum, si in religiosis cœtibus nonnulli reperiantur, qui valedicentes puritati vitæ, non religiosè, sed sæculariter viuant? At prudens tyrunculus eos non sequatur, quorum actus sua mens interiùs iudicat, atque condemnat. Sed documentum dulcius sapiet Bernardi ore pronunciatum. Inter eos (inquit) cum quibus viuis, sectare meliores: in omni gradu & ordine optimis permixta sunt pessima. Animosos senes, & pertinaces, quos vides in his abundare periculosis temporibus, noli imitari: Mores vitámque illorum fuge, ne tibi sint in laqueum, & in ruinam O quàm multos senes, & iudices Israel, turpiter vitā suam negligentes, rex Babylonis in terra captiuitatis & confessionis possidet, & quàm multi iuuenes spiritu feruentes, Domino seruientes, vim faciunt cœlo, tōtisque viribus sibi diripiunt illud! Vtinam talium præconia iuuenum nostri imitarentur senes vt annosa redderet senecta, quod tenera fert sponte adolescentia! Si tu vis proficere, non respicias quid mali faciant alij, sed quid boni ipse facere debeas.] His doctrinis instructus (quarum alio loco longior sermo redibit) sciet nouitius in tyrocinio suo vitam actiuam exercere, & paulatim ad diuinam contemplationem, & animarum lucra se disponere, vt tandem fiat Apostolicus vir, atque in omni virtute perfectus.

Bern. lib. de ordine vitæ instit.

Vitam actiuam ad religiosos etiam rerum temporalium administros pertinere, & hi quales futuri sint.

CAPVT XXVI.

TERTIVM genus operum vitæ actiuæ, quod ministeriis obsequij temporalis perficitur, & rebus exterioribus occupatur, proprium est eorum fratrū, quos alij laicos, alij cōuersos, nos coadiutores tēporales vocamus. Hi enim orationis præsidium gratiæ bonæ & perfectæ actionis amplectentes, & Marthæ sortē acceptantes, vitā actiuam in sponsam acceperunt, cuius sanctis laboribus, ad diuinæ pulchritudinis visionē, post cursum huius mortalitatis ascēdant. Et quidem cùm veri sint religiosi, votis ac professione ligati, non sunt aliorum serui, sed fratres amantissimi, qui amatores humilitatis effecti, aliis nunc inseruiunt, vt postea inter primos nobiles, sedes acquirant: re vera sine literis sapientes, & sine

scientia

scientiarū professione prudentissimi siquidē imitantur Christum præceptorem suum, qui cùm maior esset omnibus, tamquā verus, & naturalis filius Dei, non tamen venit ministrari, sed ministrare, & dare animam suam redemptionem pro multis.] Ideóque cùm filij prælatorum sint, fratres autem presbyterorum, qui illos ad sustinendum onus gubernationis iuuāt: istos verò curis exonerant, & in corporis necessitate subueniūt, à nemine sunt contemnēdi; sed magna beneuolētiæ & charitatis significatione tractandi. Nam si nemo carnem suam odio habuit (vt ait Paulus) sed nutrit, & fouet eam,] quanto magis isti honorandi sunt, amore amplectendi, officiis, gratitudinéque fouēdi, quos non vnitas carnis, sed communio spiritus, quæ strictior est, nobis in eadem vita religiosa cōiunxit? Diligimus manus, quia sunt mēbra nostra, corporali adhæsione copulata, & cæteris membris vtilia, sine quibus, nec nobis ipsis, nec aliis succurrere, neq; humanas functiones exercere possemus. Sed isti manus nostrę sunt, nobis eiusdem vocationis vinculo cohærētes; nobis adeò vtiles, vt sine illis, nec tranquillè orare, nec pacatè legere, nec sine sollicitudine, aut verbo docere, aut scripto erudire, aut aliis ministeriis proximos iuuare, nec nostris subuenire necessitatibus valeremus. Ipsi autē religiosi laici suum statum cognoscentes; vocationémq; religiosam amantes, non debent more mancipiorū, sed germanorum seruire: seruiant quidem, nō vt famuli, sed vt fratres; non vt serui, sed vt sodales: non vt pedissequi, sed vt filij charissimi. Seruiāt, non intuitu alicuius mercedis allecti, non timore prælatorū coacti, sed vt veri religiosi, qui ad perfectionem aspirāt diuini amoris obtentu. Seruiant taliter, vt aliis famulando, & in infimis obsequiis ministrando, à suis affectibus libertatem, & fastigium sanctitatis acquirant. Seruiant denique fratribus, in quibus Christum debent inspicere, ea reuerentia, eo charitatis affectu, quo Christo ac discipulis eius Martha seruiuit.

Matt. 20. 28.

Ephes. 5. 29.

Hos ergo fratres nostros dilectissimos instruamus, quo pacto in vita actiua se debeant occupare, & vt religiosos decet, in humilibus seruitiis laborare, quo aliis ministrantes, sibi ipsis in omni genere virtutum proficiant. Illud autem primò statuendum est, quæ propriæ emendationis exercitia in tyrocinio didicerunt, nulla ratione debere illos prætermittere. Sūnt enim illa omnis vitę spiritualis fūdamina, & vniuersæ perfectionis initia, quibus sublatis, religiosæ vitę structura procumbet. Qui ex vna scientia ad aliam addiscendam transeunt, non id faciunt, vt priorem dediscant, sed vt conseruent, & posterioris adiectione perficiāt. Qui iactis domus fundamentis parietes ædificat, non id agit, vt fundamēta tollat, sed vt ipsa in suo loco manentia, reliquas partes ædificij sustineant. Qui pulchram imaginem delineare contendit, quæ hesterno die laborando depinxit, hodie non delet, sed nouo labore ad finem vsque perducit. Ita religiosi, tam laici quàm alij, qui ad sacerdotium sunt prouehēdi, cùm à quiete tyrocinij exeunt, & alia ministeria perfectiorū curanda suscipiunt, non debent studium mortificationis, aut sollicitudinem augēdæ virtutis postmittere, sed his officiis ministeriisque perficere. Nullius enim momenti erit aliis prodesse, si sibi ipsis obsint, aut cœnobij substantiam custodire, si se ipsos, opes sanè monasterij pretiosiores, dilapident, atque consumant. Quid prodest homini, si mundū vniuersum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur? Aut quàm dabit homo commutationem pro anima sua?] Hæc itaque cura perfectionis propriæ semper maneat: Illam omnes religiosi, sed præcipuè temporalium rerū administri, seruare, & promouere curent: quia quo magis auersa est eorum occupatio à rebus diuinis, eo maiorem solidæ virtutis curam exigit, maiorem in via spiritus diligētiam requirit. Deinde illud omnino curandum, vt quæ in bona & perfecta actione suprà diximus esse seruanda, ea à suis laboribus abesse non sinant. Eas actiones exerceant, quæ statui religiosorum conueniunt, proficuas monasterio, fructuosas fratribus, nō inutiles, neque curiosas. Ac nimirum, eæ videtur esse (inquit Basilius) quæcumque vitæ nostræ, & quietem & tranquillitatem conseruent, quarum scilicet, neque materia magno labore quæratur, neque opera magna sollicitudine diuendantur, similiterq; illæ omnes, per quas, neque virorum, neque mulierum indecoros congressus nobis conciliāt.] Si suas actiones obedientia nō præscripserit, illud temporis spatium illis concedant, quod satis sit, reliquū orationi & lectioni tribuant. Locum laboris & operis, locum solatij & colloquiorum non faciant, sed in silentio & spe suæ actionis pensum exoluant: illud Pauli memoria retinentes: His, qui eiusmodi sunt, denunciamus, & obsecramus in Domino Iesu Christo, vt cum silentio operantes, suum panem manducent.] Non quærant ad suum munus exercendum inepta sæcularium auxilia, non vanos eorū fauores, & intercessiones aucupentur: neque illud temporale emolumētum quærant, quod non gratia religionis, & intuitu paupertatis tribuitur Deo in eo quod faciunt, & nō hominibus placere cupiant, quia ab istis sæpè ingratitudinem, & suorum operum contemptum, à Domino verò æternam mercedem accipient. In actionibus modum seruent: neque negligenter, neq; nimis sollicitè illas præstando; nam negligentia tristitiam: sollicitudo verò nimia animi distentionem inducit. Nec non & temporis opportunitatem captēt; nam tempora orationi destinata, actioni, sine aperta necessitate concedere, mentis valdè negligentis, & propriam salutem spernentis, indicium est. Denique vniuersa alia in externis operibus habere procurent quæ ea meritoria efficiunt, atque perfecta.

Matt. 16. 26.

Basil. reg. 38. fusi disp.

2. Thessal. 3. 12.

Sed, vt quibusdam magis specialibus erudiantur, sui status documentis, omninò sibi persuadere debent, se in sanctis religionibus in locum diaconorū Collegij Apostolici fuisse suffectos. Sicut enim Apostoli corporalium necessitatū sollicitudine prægrauari, conuocata Discipulorum multitudine, dixerūt: Non est ęquum, nos derelinquere verbum Dei cogitādum vtique, & prædicādum (& ministrare mēsis] eósque ad eligendos Diaconos, ac rerum tēporalium administratores instituendos, compulerunt: Ita patres nostri, ac vitæ religiosę fūdatores, aliquos suæ vitæ socios admittendos iudicarūt, quos, vt ipsi contemplationi, & verbo doctrinæ vacarent, huiuscemodi curæ exteriorum præficerent. Hi autem sūt religiosi laici, aut tēporales coadiutores, & sanè hi quales esse debeant, ex illo loco Actuum Apostolorum facilè valemus deducere. Cōsiderate fratres viros ex vobis (dixerunt Apostoli) boni testimonij septem, plenos Spiritu sancto, & sapientia, quos constituamus super hoc opus: Nos verò, orationi, & ministerio verbi instantes erimus.] Iterum electionem (vt notauit Chrysostomus) turbæ fratrum faciendam relinquunt: Quoniam ipsi non cōstituent super hoc ministeriū nisi viros mites, humiles, amabiles, qui curent omnibus inseruire, vniuersis cum magna charitate subuenire. Quare tales à fratrum congregatione eligi, nō est aliud, quàm ab omnibus cœnobij religiosis, suæ modestiæ ac mansuetudinis testificationem accipere. Sed quæ dona in religiosis laicis desiderantur? Primò quidem, vt sint viri. Cōsi-

Actor. 6. 2.

Actor. 6. 3. & 4.

Chrys. hom. 4 in Actus.

derate(inquiunt) viros ex vobis.] Nomen, vir (vt iterum diximus) nomē dignitatis est, hominis stabilitatem, fortitudinem, & cōstantiam in rebus agendis significans. Vocantur igitur fratres isti viri, quoniam ipsorū est gnauiter, & diligenter res sibi commissas tractare, & cū ingenti animi deuotione omnes labores, & officia monasterij suscipere. Tales erant illi, quos meritò laudat Ioannes Cassianus, in cœnobiis Mesopotamiæ obsequiis fratrum singulis hebdomadis mancipati. Quæ explere (inquit) tanta deuotione & humilitate deproperant, quāta nullus seruorum durissimo domino ac præpotenti exhibet famulatum: ita vt, ne istis quidem solis contēti, obsequiis quæ canonico iure soluuntur, etiam nocte surgentes, illos, quos specialiter hæc manet cura, studio suo releuent, & ea quæ ab ipsis perficiēda sunt, furtim præuenientes implere contendant.] Isti re vera erāt viri, qui non statim lassabantur, nec leuissimo labore distenti, more puerorum fatigationem simulabant; sed tanquam strenui operarij, pondus diei, & æstus sustinebant.

Item, vt sint boni testimonij,] hoc est, bonæ opinionis inter fratres, ab eis consequenter exigitur. Hanc bonam opinionem, & apud domesticos, & apud externos habeant necesse est. Apud domesticos, tum acquirent, tum conseruabunt, si fideliter, & prout cuiq; opus fuerit, res monasterij distribuerint, neque supra quàm necessarium sit, alicui, ob amicitiam erogantes, neque ab aliquo, quod opus habet, auersionis aut odij causa detrahentes. Ex quo eorum quisque in extremo die audiet illud Saluatoris elogium; Fidelis seruus, & prudens, quē constituit Dominus super familiam suam.] Quanti momenti sit hæc obsequiorum æqualitas, magnus Basilius edoceat. Diligenter illud circumspiciant (ait, coadiutores alloquens] vt faciles se ad omnes, & clemētes præbeant, neque suspicionem alicui aliquam commoueant, maioris alicuius erga aliquos beneuolentiæ, inclinationisve animi propensioris: quemadmodum Apostolus præcipit, sic dicens: Nihil faciens in alteram partem declinando,] aut contrà simultatis, contentionisque: quod vitium tamquā ab omnibus Christianis alienum, idem Apostolus reiicit, cùm dicit: Si quis videtur inter vos contentiosus esse, nos talem consuetudinem nō habemus, neque Ecclesia Dei,] vt ob eam causam, iis, quibus infensiores sint, necessarias res subtrahant, & illis, in quos animi inclinatione propendeant, amplius, quàm quantùm sit opus, largiantur, quorū alterum fraterni est odij, alterum amoris vitiosi, quod est vitium maximè infame.] Ne itaque bonum testimonium suū inter fratres dilapident, & tam graue crimen, aut odij, aut infamis amoris incurrant; in omnibus Christū agnoscant, propter illum fratribus obsequātur: & hac ratione vnicuique tribuent proportione quadā æqualem obsequij mensuram. Apud externos verò erunt quoque huius bonæ opinionis participes, si non sæcularia, non vana, aut incipiāt, aut ab aliis cœpta cōtinuent alloquia: si illos modestè ad bonam frugem exhortētur, aut certè negotia sibi commissa pro vsu monasterij breuiter tractent: si ad mensam inuitati, humiliter conuiuiū recusent, vel si id fieri non possit, nec sordidi sint, nec voraces, nec vina pretiosa, nec epulas exquisitas quærāt, sed cibis communibus temperatè sumptis, corporali necessitati prouideāt. Atque in ista occasione, in qua maius est offensionis propriæ & alienæ periculum, illud Ecclesiastici sibi dictum existiment: Ne comprimaris in conuiuio,] Intellige, quæ sūt proximi tui, ex te ipso: Vtere quasi homo his quæ tibi apponuntur, ne cùm manducas

A multum, odio habearis. Cessa prior causa disciplinæ, & noli nimius esse, ne fortè offendas. Et si in medio multorum sedisti, prior illis ne extendas manum tuam, nec prius poscas bibere.] Si denique apud sæculares, vt religiosi, non vt aulici viuant, quæ modestiæ, quæ humilitatis, quæ mansuetudinis, quæ cultus diuini sunt, nullatenus prætermittant.

Præterea, quòd sint pleni Spiritu sancto Apostoli ab istis requirunt. Erūt autem Spiritu sancto repleti, si in obsequiis temporalibus animæ quærant puritatem, & in ministerio corporis, perfectionem sui spiritus concupiscant. Sic enim veri religiosi, sancti nimirum, modesti, & humiles effecti, digni erunt, quos Spiritus diuinus inhabitet. Spiritus enim sanctus disciplinæ effugiet fictū, & auferet se à cogitationibus quæ sunt sine intellectu.] Nullus, quantumuis occupatus, ab isto desiderio quærendæ sanctitatis excipitur. Hæc quippe generalis est regula (inquit Dionysius) quod omnia exteriora, & corporalia, ad spiritualia & interiora sunt ordinanda, sicut media referuntur in finem.] Spiritus hic diuinus illos replens, qui magister est ordinis, & origo puritatis, docebit huiusmodi viros rectam intentionem tenere, & ordinem in agendis seruare. Quæ duo (auctore Bernardo) valde sunt in vita actiua laborantibus necessaria. Sed & ipsam quoque Martham (ait) admonitam esse necesse est, id maximè quæri inter dispensatores, vt fidelis quis inueniatur. Erit autem fidelis, si neque quæ sua sunt, quærat, sed quę Iesu Christi, vt sit intētio pura, nec suā faciat, sed Domini voluntatem, vt sit actio ordinata. Sunt enim, quorum non simplex est oculus, & recipiūt mercedem suam. Sunt, qui feruntur propriis motibus animorum, & contaminata sunt vniuersa, quæ offerunt, quippe cùm voluntates eorum inueniantur in eis.] Tunc ergo hoc sancto hospite replētur, & habēt aliquod huius habitationis indicium, cùm rectè intētionis, & quietis, ac ordinis in suis laboribus participes effecti, mētis perfectionem non obliuiscuntur, sed eius causa laborū pensum absoluunt. Tandē petunt à religiosis laicis, quòd sint pleni sapientia. Mirum profectò, & admodum cōsideratione dignū, ab illis, quibus scientiarum studium interdicitur, sapientiam, imò & plenitudinem sapientiæ requiri. Sed non ea sapientia requiritur, quam in voluminibus legimus, & nō semel tamquam æs sonans, & cymbalum tinniens effundimus, sed quā Spiritus sanctus illos docet, scilicet, rerum agendarum industria. Oportet eos non esse vecordes neque ignauos, sed habere solertem diligentiam, discretámque prudentiam, qua munera sibi commissa, nō vtcumque, sed cumulatè, & ex toto perficiāt. Oportet eos pro sapiētia sibi data sic exteriora ab obedientia iniūcta disponere, vt nec otio torpeant, nec vim mētis immoderatis laboribus frāgant. Otiosi enim mens (inquit Laurentius Iustinianus) nihil aliud cogitare non quàm de escis, aut de vētre, & qui otiosa quiete perfruitur, nisi spiritualiter vixerit, more pecudum vitā ducit. At cōtrà, dum plus iusto caro per inordinatos labores affligitur, etiam ab exercitatione boni operis eneruatur, vt ad orationem, vel lectionem non sufficiet, dum incēdia vitiorū quisque in se funditus per labores suffocare festinat. Hoc ergo proprium huius sapientiæ est (quæ nō multa loquitur, sed multa peragit) & industriè sibi demandata perficere, & inter otium, nimiúmque laborem, medium discretæ exercitationis assumere. Nemo autem sibi facilè persuadeat obediētiæ onera hoc medium excedere, quia sæpe caro sui amatrix immoderata, & feruoris oblita, imprudentem laborē reputat, quem prælatus maiori dis-

Sapient. 1 5.

Dionys. de laud. vitæ solit. art. 25.

Bern. ser. 3. de assumpt.

Iustin. in ligno vitæ tract. de obed. c. 4.

B C D E

cretione

cretione illustratus, moderatum, & viribus subditi accommodatum, considerat.

Magna profectò sunt hæc, quæ in fratribus coadiutoribus exoptantur. Ex quo se non tam religiosorū famulos; quàm veros religiosos esse, & homines Deo consecratos, intelligent. Sed mirum est valdè, quòd multitudo fidelium tantis virtutibus non impletur, imò præter istas aliam efflagitat. Vnde Lucas subdit, Et elegerunt Stephanum, virū plenum fide, & Spiritu sancto, & Philippum, & Prochorum, & alios, quos statuerunt ante conspectum Apostolorum, vt eis manus imponerent.] Vltra prædictas qualitates, fidem, hoc est, fidelitatem, exposcūt, quò isti fratres sibi persuadeant, se fidelissimos, tū in rebus administrandis, tum in cura ædificationis, ac in desiderio boni spiritualis religionis esse debere. Hoc verò non erit ipsis difficile, si Basilij animaduertant documentum; se in huiuscemodi muneribus, non tam hominibus quàm Domino ministrare. Sanè cū ij (ait) tū reliqui omnes, qui aliud quoduis vtile ac necessarium fratribus munus administrāt, eiusmodi & animum adhibere, & studium debent, proinde, quasi non hominibus, sed Domino ipsi ministrent, qui pro incredibili sua bonitate, delata iis qui se ipsi consecrarunt, honorem ac studium perinde habet, quasi ea ipse accepisset, & pro his cælestis se regni hæreditatem daturum promittit.] Itaque frater licèt te prælatus auctoritate præcellat, literatus scientia, prædicator arte benè aptéque dicēdi, sacerdos ordine ac dignitate sacerdotali, sed fidelitate in tuam religionem, nemo te superet. Sciant vniuersi religiosi te zelare pro domo Dei, & pro disciplina religiosa seruanda: nullū incōmodum timere, nullius vultum aut auctoritatem vereri. Sciat, qui domo exit vel ad confessiones audiendas; vel ad personas visendas, vel ad quoduis opus peragēdum, socium secum habere zelatorem boni communis, qui nihil non occultandum celabit, qui nullis minis, vel precibus aliquid contrarium statui religioso fieri permittet.

Actor. 6. 5.

Basil. reg. 34. fus. disp.

PARS QVARTA

De substantia, fine, & officio vitæ contemplatiuæ.

VITAE contemplatiuæ tractatio, omnia quæ ad studium contemplationis pertinent videtur exigere, Sed aliud est speculando eius naturam inquirere, aliud verò mentem ad contemplationem dirigendo, huius varias species edicere, & rationem contemplandi, & fructum ex contemplatis eliciendi demonstrare. Illud nunc nos tractare volumus, quod proprium est huius, quam scribimus, disputationis: istud autem in postremam istius operis partem, vbi propriam habet sedem, reiiciemus.

De duplici vita contemplatiua, & de qua illarum in sequentibus tractandum.

CAPVT XXVII.

VITA actiua ad vitam contemplatiuam transitū faciamus, quę inter partes spiritualis vitæ, secundum, ac veluti mediū locum obtinet. Animus enim tanto conatu ab amore creaturarum auulsus, & tot laboribus sanctarum actionū purgatus, quid aliud cupit nisi Deum suum, oculo supernaturalis luminis, intueri, & mysteria cælestia contemplari? Hoc autē præstat vitæ spiritualis ea pars, quæ vocatur contemplatiua; cuius munus est (vt statim dicemus) mentē rebus terrenis & curis sæculi huius exemptā, choris Angelorum inferre, & vsq; in Domini solium penetrare. Istius vitæ contemplatiuę duos fuisse, atque ex parte esse modos, siue rationes, nemo est qui ambigat. Altera est illorum, qui eremi secreta petentes, sine prælato, sine eiusdem propositi sociis, imò & sine aliquo teste, in antris atq; speluncis delitescentes, assiduæ meditationi & cōtemplationi vacabant. Quales fuerunt, Pauli, Antonij, Hilariones, Pachomij, Macharij, Arsenij, Simeones, & alij quā plurimi, qui Spiritu sācto interiùs mouēte, hoc institutū, ac vitæ genus aggressi sunt. A quo, nec fragilis mulierū sexus abhorruit, cùm legamus Mariā Ægyptiacam, Pelagiam, Theoctistē, & alias nō paucas fœminas in eremi abdita secessisse, & solas sine comite, cateruas dæmonum expugnasse.

Altera, illorum, qui in cœnobiis, sub cura prælati, consortióque multorū, in cellulis suis commorātes, & ab omnibus externis occupationibus sequestrati, oratione & contemplatione pascūtur. Cuiusmodi fuerunt Basilij, Benedicti, Brunones, Bernardi, Hieronymi; Augustini, & vniuersi, qui istorū genus vitæ sequētes, vitā quietam, ac omnibus mūdi curis exolutam, aut coluerunt, aut colunt. Quam viuendi rationem vniuersæ religiosæ fœminæ, tamquam faciliorem, & muliebri fragilitati aptiorem, nostris temporibus professæ sunt. Illam priorem viuēdi rationem, anachoreticam, hanc verò posteriorem cœnobiticam, vocauit antiquitas, eis ab ipso instituto appellationem tribuens. Nam Anachoreta, illū qui ab aliis secedit, cœnobita verò eū, qui in monasterio viuit, designat.

Vita contemplatiua, quæ in solitudine sine prælato, sine socio, & sine teste transigitur, paucissimorū est, & magnis periculis, atque incommodis nō caret. Si enim aliquibus cōgruit, illi profectò sunt, qui diu in cœnobiis versati, & in omni genere mortificationis exercitati, ac vniuersis instructi virtutibus, inspirante Deo, & prælato annuente, ad eremum confugiunt, vt in carne mortali Angelorum vitam imitētur. Sicut autem pauci admodum sunt, qui ad hanc mortificationis, ac omnium virtutum absolutionem perueniant, ita multi esse non possūt, qui ad hoc vitæ genus amplectendum inueniātur idonei. Prorsus paucorum est (inquit Beatus Laurentius Iustinianus qui humano destituti solatio, quoad vixerint, lauda- Laurent. Iustin. lib. de vit. sol.

biliter

biliter queant in cella persistere. Illorum tantùm esse arbitror, qui paracletum possident, atque virtute prudentiæ, ac naturali pollent ingenio; qui (vt ait Apostolus) non ignorant astutias Satanæ: sciúntque esurire, abundare, & penuriam vtriusque hominis pati.] Cassianus certè ab his, qui vitam anachoreticam aggressuri sunt, & virtutum perfectionem, & iugum prius in cœnobiis habitationem requirit. Secundùm (inquit) genus monachorum est, anachoretarum, qui priùs in cœnobiis instituti, iámque in actuali cóuersatione perfecti, solitudinis elegêre secreta.] Quod confirmat & nostri Saluatoris exemplum. Nam priusquam in desertum secederet, baptizari voluit, & Spiritus sancti in se manentis, signũ visibile ostendere, & sic omnem implere iustitiam. Ex quo discimus, eos, qui vitam Eremiticam, & penitus solitariam assumunt, priùs in se, dum sunt in cœnobiis, Spiritus sancti habitationem per munditiã carnis, & spiritus, & omnis iustitiæ, ac virtutis perfectionem, si proficere volunt, quæsituros. Quis solus & nudus audet pugnare cũ dæmone, à quo sociis constipatus, & exemplis bonorum armatus, sæpe deiicitur? Quis in solitudine sui victoriã obtinebit, quã de se prælatorũ exhortationibus animatus, & orationibus adiutus, inter alios vincentes, nũquã reportat? Quis in eremo virtutibus induetur, quas in ipsa schola virtutum, & in sanctitatis officina, non potuit adipisci? Certè præsumptuosum est, faciliora & peruia, non valentes; difficiliora aggredi, & qui ab alio ducti, viam salutis ambulare nesciunt, solos, & sine duce, semitas perfectionis conficere. Solitarius (vt optimè notauit Beatus Thomas) debet esse sibi per se sufficiens. Hic autem est, cui nihil deest, qui scilicet, aut Dei solo munere, vt Ioannes Baptista, repletus Spiritu sãcto ex vtero matris suæ; aut exercitatione virtutum, vt alij sancti, ad perfectionem, aut consummatam virtutem peruenit.] Quibus ergo multa desunt spiritualia dona; & qui nondum, aut Dei solis donis, aut aliorum societate, & exemplis, ad fastigium sanctitatis ascenderunt, minùs prudenter eam viuendi rationem, scilicet solitariam, arripient, quæ tantùm viros admittit, tum sibi sufficientes, tum in omni virtute perfectos.

1. Cor. 2. 11. — *Cassian. col. 18. c. 4.* — *D. Tho. 2. q 188 ar. 8.*

Si quis ergo hac vitæ solitariæ tentatione pulsatur, antequam ei se committat, & solus potestates tenebrarum ad bellum prouocet, discat in cœnobio, suorum fratrum præsidiis, prauos mores vincere, immoderatos affectus profligare, mũdana cótemnere, propriã voluntatem postmittere, virtutes cóparare, orationis ac contemplationis artẽ addiscere, & aduersarij decipulas sub specie boni se offerẽtes agnoscere; & tunc demum de cõsensu prælati, si forte suũ institutum id ferat, solitudinem petat, & suorum sodalium conuersationem, consortiúmque relinquat. Hieronymus enim his solis, qui in monasteriis diu probati sunt, huius solitariæ vitæ professionem permittit. Nã enarratis maximis huius vitæ incommodis, quæ statim referemus, in hunc modum scribit, Quid igitur? solitariam vitam reprehendimus? Minimè, quippe, quã sæpe laudauimus, sed de ludo monasteriorum huiuscemodi volumus egredi milites, quos eremi dura rudimenta non terreant; qui specimen cóuersationis suę multo tempore dederint; qui omnium fuerint minimi, vt primi omnium fierent; quos neq; esuries aliquãdo, nec saturitas superauit, qui paupertate lætantur: quorũ habitus, sermo, vultus, incessus, doctrina virtutum est, qui nesciant secundũ quosdam ineptos homines; dæmonum pugnantium contra se portenta confingere, vt apud imperitos, & vulgi homines miraculũ sui faciãt, &

Hyeronymus epist. 4. ad Rust. c. 4.

A exinde lucra sectentur.] Et in eandem sententiam Beatus gratia & nomine Benedictus in regula, ita ait: Secũdum genus monachorum est, anachoretarum, id est, eremitarum, horum, qui non conuersionis feruore nouitio, sed monasterij probatione diuturna, didicerunt, contra Diabolum, multorum solatio iam docti pugnare, & bene instructi fraterna ex acie ad singularem pugnam eremi, securi iam sine consolatione alterius, sola manu, vel brachio cõtra vitia carnis, vel cogitationum, Deo auxiliante, sufficiunt pugnare.] Si autem religiosa vita, quam semel arripuit, hunc trãsitum ex cœnobio ad solitudinem, ac cellã separatam non admittat, nequaquam ob id mœrore

B. Benedict. in regul. c. 1.

B afficiatur, imò maximè gaudeat, sibi materiam magnorum discriminum esse præcisam, quæ in hoc genere solitariæ vitæ reperitur. Hunc quidem consolatur Bernardus, dum illi sub specie boni, tendiculam Diaboli insidiatoris detegit. Quãtos (inquit) ex monasteriis, spiritu feruẽtes eremi solitudo suscepit, & aut tepefactos euomuit, aut tenuit contra eremi legem, non modò remissos, sed etiam dissolutos: Sicq; apparuit vulpeculam affuisse, vbi tanta facta est vastatio vineæ, id est, vitæ, & conscientiæ hominis detrimentum. Cogitabat, si solus degeret, multò se copiosiores fructus spiritus percepturũ, quippe qui in cõmuni vita tantùm spiritualis gratiæ fuisset expertus. Et bona visa est sua cogitatio sibi, sed rei exitus indicauit, magis eandẽ illi cogitationẽ vulpem demolientem fuisse.] Re vera pretiosum est hanc ia-

Bern. in cant. ser. 64.

C nuã solitudinis nobis esse interclusã, cuius apertione, & via in solitudinem, & via etiã in magna pericula, atq; incõmoda soliuagis aperitur. Quibus breuiter enumeratis, vitam istam cótemplatiuã ad solitudinem pertinentẽ, missam faciemus, & ad aliam, quæ in cœnobio habetur, explicãdã, properabimus.

Multa sunt vitæ contemplatiuæ ad solitudinem pertinentis incõmoda. Primò deest illi magistri spiritualis instructio, sine qua profectò nec ars sartoria, aut alia quæuis abiecta (quãtò minùs virtutũ, ac perfectionis scientia) conquiritur. Quare in prouerbiis legimus. Principium sapientiæ possidere sapientiã.] hoc est, (vt quidam ex Hebræo interpretãtur) doctorem sapientiæ, & magistrũ, qui te erudiat, & doceat,

Prou. 4. 7. — *Lyrã. ibi.*

D sine quo numquã huius spiritualis artis peritus euades. Sunt quidem religiosi sine magistro, sicut oues pastore destitutæ, qui in varia desideria dispersi, & in noxiis, aut minùs vtilibus occupati, nõ habẽt, à quo in vnum necessarium colligãtur. In quorum gratiã cum Mose Dominũ sic exorabimus: Prouideat Dominus Deus spirituum omnis carnis hominẽ, qui sit super multitudinem hanc, & possit exire, & intrare ante eos, & educere eos, vel introducere, ne sit populus Domini, sicut oues absq; pastore.] Nec putãdum est his solitariis magisterio diuino interiùs inspirãte sufficienter esse prouisũ: Licèt enim Dei inspiratio, per se considerata, satis supérque sufficiat, tamen nõ vult Deus se solo illos instruere, cùm hominem suę naturæ similẽ possunt habere ductorẽ. Quamobrẽ

Num. 27. 16. & 17.

E Dionysius Richelius sapienter ait: Quamuis omnipotens, omnisciẽs, & vbique præsẽs Deus, per se, & per Angelos sanctos, ac ciues supernos, in omnibus valeat plenè succurrere; attamẽ naturale & cõnaturale est homini, per eos quoq;, qui sibi similes sũt in natura, & eiusdem secum sũt status, vt pote viatores dirigi, ac iuuari, doceri, & gubernari, in tantum, vt serui Dei dicãtur esse, quasi oues sine pastore, & sicut grex sine custode, nec diu posse durare, nisi huiusmodi sibi similẽ in natura, ac statu passibili, quẽ possint videre, & alloqui, habeant directorem, ac præsidentem.] Deus igitur ita hominũ naturæ se accõ-

Dionys. li. de laude vitæ solitar. ar. 3.

modat,

modat, vt illos, non per seipsum ordinariè, non per Angelos, non per beatos, sed per alios homines doceat; qui autem solus est, & propria voluntate hominis magisteriũ abiicit, magisterio Dei, quod per maiores Ecclesiæ datur, aditum intercludit.

Secundò, deest huic vitæ prælatorum correctio, magnum sanè adiumentum perfectionis. Hæc namque initium sumit à cognitione sui, per quam, sicut per scalam, ad Dei notitiã & amorem peruenimus: sublata verò prælati correctione, difficulter mens nostra propria vitia cognoscit, & defectus emẽdat. Vnde Isidorus: Faciliùs reprehendimus vitia aliena, quàm nostra. Nam sæpe, quæ peruersa in aliis iudicauimus, in nobis nocibilia esse minimè sentimus.] Et Dominus huius correctionis instrumento seruos suos se gubernaturũ promittit. Et assumpsit (inquit per Zachariã) mihi duas virgas, vnam vocaui decorẽ; & alterã vocaui funiculũ, & paui gregẽ.] Virga, quæ vocatur decor, est correctio prælati suauior, qua pusillos, & facilè obsequẽtes corripit: Virga, quæ appellatur funiculus, est correctio prælati seuerior, qua duros & proteruos emendat. His duabus virgis pascit Dominus religiosorũ greges, & in vberrima pascua deducit. Beati, qui huiuscemodi virgis regũtur, & correctionis doctrinam suscipiũt, & reprehensionis onus non detrectant: erunt enim illius benedictionis participes. Dominus regit me, nihil mihi deerit, in loco pascuę, ibi me collocauit.] Qui autem nec dum perfectus existens, nec dum in omni virtute exercitatus, à congregatione fratrum se subtrahit, & in eremum secedens has virgas gregis rectrices contemnit, caueat, ne cum superbis, & correctionem odientibus illam maledictionem subeat. Non pascam vos; quod moritur, moriatur: & quod succiditur, succidatur; & reliqui deuorent vnusquisque carnem proximi sui.]

Isidor. lib. de summo bono. *Zachar. 11.7.* *Psal. 22. 2.* *Zachar. 11.9.*

Tertiò, deest vitæ solitariæ fratrum bonum consortium, qui nos verbis erudiunt, exhortationibus erigunt, monitionibus consolantur, industria adiuuant, mutuo conuictu, & conuersatione mulcent; ac tandem exemplo ad omne genus virtutis incitant, & in proposito diuini obsequij corroborant. Solus verò, & ab aliis sequestratus, his pręsidiis caret, neq; habet illam firmitudinem ex consortio fratrum exortam, de qua Salomon. Frater qui adiuuatur à fratre, quasi ciuitas firma.] Atque alio loco: Amicus fidelis, protectio foris; qui autẽ inuenit illum, inuenit thesaurum.] Amico fideli nulla est comparatio, & non est digna ponderatio auri, & argẽti contra bonitatem fidei illius. Amicus fidelis medicamentum vitæ, & immortalitatis; & qui metuunt Dominum, inuenient illum.] Quid ergo faciet imperfectus, & nouus miles in solitudine positus, minimè ab hac firma amicorum ciuitate defensus? Quid non timebit hac protectione destitutus? Quo non indigebit his immensis diuitiis, ac pretioso thesauro priuatus? quod bonum indigentiam sociorũ supplebit? Vnde hanc paupertatem expertus, medicamentum ad tuendam vitam, & monitionem salubrẽ ad seruandam immortalitatẽ, quæ in fratribus inuenitur, comparabit? Solus non habet socium, cuius doctrina instruatur, cuius verbis erigatur, cuius dulcedine consoletur. Non habet suis viribus adiuuantem, nõ habet sua societate allicientẽ, non habet suis operibus incitantem: Mirũ erit, si tot bonis desertus, tot præsidiis destitutus, admodum valeat in virtute proficere. Iure profectò Augustinus vitam cœnobiticam solitariæ præfert. Tutior (inquit) via hæc est, & dulcior, vbi vnus alium cohortatur, vbi alter alterius exemplo inflammatur.]

Prou. 18. 19. *Ecclesi. 6. 14.* *Aug. ser. 20. ad fratres.*

A Quartò, abest à vita solitaria in tentationibus fratrum iuuatio. Hi enim alios nutantes oratione fulciunt, & vita sua in virtute sustentant. Ira pulsatus, mãsuetudine alterius cohibetur. Proteruitate impetitus, alterius obedientia corrigitur. Loquacitate, aut vitio alio impugnatus, considerato silentio fratris sui, aut alia virtute conspecta, erubescit, & se ipsum accusans, ad vincendum Diabolum robustus efficitur. Melius est sanè in bello aduersus dæmones duos esse, quàm vnum: habent enim emolumentum societatis suæ: si vnus ceciderit, ab altero fulcietur. Væ soli, quia cùm ceciderit, non habet subleuantem se.] Hac ratione Hieronymus, Rusticum monet, vt vitam cœnobiticam amplectatur. Mihi quidem placet (ait) vt habeas sanctorum contubernium, ne ipse te doceas, & absque doctore ingrediaris viam, quã B numquam ingressus es, statimque tibi in partem alteram declinandum sit, & errori pateas, plúsque, aut minùs ambules, quàm necesse est, ne aut currens lassescris, aut moram faciens obdormias. In solitudine citò subrepit superbia, vt si parumper ieiunauerit, hominémque non viderit, putat se alicuius esse momẽti, oblitúsque sui, vnde, & quò venerit, intus corde, lingua foris vagatur, iudicat cõtra Apostoli voluntatem alienos seruos, quò gula voluerit, porrigit manum: dormit, quantùm voluerit, nullum veretur: facit quod voluerit, omnes inferiores se putat: crebriúsque in vrbibus, quàm in cellula est; & inter C fratres simulat verecundiam, qui platearum turbis colliditur.] His omnibus tentationibus, aliisque innumeris patet, qui non habet ductorem, quem sequatur; non fratrem, quem audiat: non socium, quem aspiciat.

Ecclesi. 4. 10. *Hierony. epist. 4. ad Rust. c. 4.* *Rom. 14. 4.*

Quintò, abest à vita solitaria multarum virtutũ exercitatio. Sunt quippe multæ virtutes, quarum actiones, si desint fratres, in quos exerceantur, rectè præstare non possumus. Obedientia sine imperio prælati, cui obediamus, corruit; mansuetudo, sine illatore iniuriarum, euanescit: beneficentia, sine indigente, non subsistit: & sic aliæ quàm plurimæ sine externa materia, circa quam versentur, otiosæ sunt, & veluti occasionum defectu compeditæ. Nec poterit solitarius solis internis virtutum actibus diuitias istarum virtutum comparare. Nam, & indicium inefficacitatis ipsarum est, quòd in opus exter D num non prodeunt, cùm possent, & valdè diuersum est, data opportunitate, prauitates affectuum, & cõsuetudines vitiorum actionibus externis virtutum vincere, aut sine vlla cõtradictione, sola virtutis cogitatione pugnare. O quoties ego intra parietes meæ cellæ conclusus, proposui animo aliis me submittere, occupationum molestias patienter sustinere, ciborum appetentiam cohibere, linguam silẽtio frænare, & alia huius generis implere mandata: Sed paulò pòst oblata occasione pugnandi, ac si nihil statuissem, ad vitia detestata rediui, & quæ amarissimè fleueram, eadem qua priùs facilitate perpetraui. Atque ex meipso cognoui, facile esse decernere, difficile verò, quæ semel decreuimus, opere im E plere. Hunc virtutis exercendæ defectum, qui in vita solitaria reperitur, sanctus Basilius, hac grauissima, ac elegantissima oratione, describit. Qua enim re humilitatis suæ documentum dabit, qui neminẽ habeat, quo seipsum humiliorem declaret? Quod item specimen edet suæ in alios commiserationis à plurium cõmunione dissectus, cui cum nullo penitus commercium sit! Ad patiẽtiam verò quomodonam tandem se exercebit, cùm voluntatibus illius obsistat nemo? Quòd si quis dicat ad componendas animi sui affectiones, moresque rectè instituẽdos,

Basil. reg. 7. fus. disp.

sufficere sibi diuinarum literarum doctrinam: is similiter facit, vt si quis disceret ædificare, neque vnquam tamẽ ædificaret: & æs cudere, & quæ didicisset, ea in actũ numquã deduceret. Sine dubio autem in huiusmodi hominẽ probè Apostoli illud conueniet. Si quis dixerit: Non auditores legis iusti sunt apud Deum, sed factores legis iustificabuntur.] Neque enim (vt videmus) Dominus ipse (quæ incredibilis eius in nos bonitas fuit) simplici modo verborum doctrina contentus fuit, sed vt expresse euidentérque humilitatis nobis exemplũ proderet, perfectæ charitatis mandatum vt expleret, ipse seipsum linteo praecinxit, & discipulorum suorum pedes lauit. Tu verò, quem ablues? in quem officiosus eris? à quo vltimus numerabere, qui ab aliorum societate disiũctus degas?] Ex huius patris sententia cognoscimus, neque solam sanctarum scripturarum lectionem, neque meditationem virtutis, neque interiora desideria, sine externis operibus ad virtutem assequendam posse sufficere.

Rom. 2. 13.

Sextò, deest huic vitæ profectus mentis propriæ cognitio. Nam sicut robur militis non nisi in pugna, & prudentia gubernatoris, nõ nisi in negotiis bene disponendis cognoscitur; ita progressio in virtute, non alibi, quàm in ipsius exercitatione discernitur. Solitariam verò vitam amplexus, cùm omnem sibi materiam exercendæ virtutis ademerit, fit, vt nõ facile intelligere queat, quod vitium ex sua mente depulerit; quem affectum inordinatum prostrauerit, quam virtutẽ acquisierit, quantúmve in iam acquisita profecerit; quibus donis polleat, quibus autem sit destitutus: ac tandem, an post multum temporis in vita spirituali consumptum, incipiens sit adhuc, an proficiẽs, an verò mentis puritate perfectus. Optabat sponsa Christi sponsi locum pastionis, ac cubile suæ quietis agnoscere; audit autem: Si ignoras te, ô pulcherrima inter mulieres, egredere, & abi post vestigia gregum tuorum, & pasce hœdos tuos iuxta tabernacula pastorum.] Inter greges ergo, hoc est, inter sanctorum cœtus, & religiosorũ familias, anima locũ, vbi Christus pascat, inueniet. Pascat hœdos suos, hoc est, inordinatas affectiones, in tabernaculis prælatorum comprimat, illisque libens se subiiciat, & in seipsa floridũ sponsi cubile, nimirum spiritum virtutibus tamquam floribus respersum, reperiet. Si autem neque istos greges imitatione sequatur, neque tabernacula istorum pastorum adeat, non facilè valebit agnoscere, an in seipsa locum Christo parauerit, neque quantùm in sanctitate profecerit.

Cant. 1. 8.

Septimò, deficit solitariæ vitæ multorum bonorum operum meritum. Multa namque bona opera, non nisi inter homines præstare possumus, vt ex his, quæ dicta sunt, liquet. Alia verò, licèt solitarius valeat vtcumque exercere: tamen dum vnum exequitur, ab alio cesset necesse est. Si enim laborat, nõ potest legere, neq; consilium petenti dare, dum libros euoluit. At, qui in cœnobio vitam agunt, non solùm omnium bonorum operum meritis abundant, verũ etiam mirabili modo, eorum quisque omnia simul opera exequitur. Est quippe cœnobium veluti vnũ corpus ex diuersis partibus, mẽbrisque compactum. Vnde sicut hominis corpus, vno eodémque tempore, & oculis videt, & auribus audit, & lingua loquitur, & manibus laborat, & pedibus graditur, & vnũ quodque membrum, nõ tantùm labore proprio, sed laboribus quoque cæterorum membrorum perfruitur: ita prorsus in cœtu multorum (qui vnum est mysticum corpus) dum ille orat, iste legit, alius prædicat, alius ignorantes instruit, & alius manibus laborat, vnusquisque, & propria actione gaudet, & par-

A ticeps laborum aliorum fratrum efficitur. Contra verò est (inquit Basilius) in eo qui solus est, dũ enim vnum exequitur, ab alio impeditur. Veluti ægrum visitans, hospitem recipere non potest, neque in opere faciendo, studium retinere, qui in partiendis distribuendisque ad vsum vitæ necessariis rebus occupetur, præsertim, quando in ministeriis hisce obeundis, fratres diutius necesse sit distinere.] Tantùm ergo distat vita eremitica à cœnobitica, quantùm homo incolumis, & omnibus membris constans, ab eo qui est vsu suorum membrorum destitutus.

Basil. reg. 7. fus. disp.

Octauò, est in vita solitaria magnum aliud incommodum, nempe talentorum nobis commissorum absconsio. Cùm enim nemo sit qui aliquo Dei dono non polleat, & vni per spiritum detur sermo sapientiæ, alij autem sermo scientiæ, secundùm eundem spiritum, alteri fides in eodem spiritu; alij gratia sanitatum in vno spiritu, alij operatio virtutum; alij prophetia, alij discretio spirituum, alij genera linguarum; alij interpretatio sermonum.] consequens est, vt solus in eremo positus, hoc donum Dei, quod accepit, habeat absconditum, nullamq; ex eo, aut in se, aut in aliis vtilitatẽ percipiat. Nam sapientia absconsa, & thesaurus inuisus, quę vtilitas in vtrisque?] Qui huiusmodi est, abiens fodit in terram, & abscõdit pecuniam domini sui.] Nam (vt inquit Gregorius) pecuniam in sudario ligare est, percepta dona sub otio lenti corporis abscondere.] Bene sanè ista donorum effossio, pecuniæque spiritualis ligatio ex ipsa tua, ô solitarie, operatione cognoscitur. Nam literatus solitudinem colens, & ab hominibus sequestratus, quem doces? Prædicator, quem ad bonam frugem conuerres? Certè plenus eris sermonibus, & coarctabit te spiritus vteri tui: & venter tuus, tamquam mustum absque spiraculo, quod lagunculas nouas disrumpet.] Prudens, cui, consilium præbes? Sacerdos, cui sacramenta ministras? Sanctus, quem ædificas? Robustus, in cuius vtilitatem laboras? Time ne seruus malus, & piger voceris, & dona accepta dilapides, dum ea infructuosa relinquis. Hęc omnia in solitudine otiosa sunt, in cœnobio verò negotiosa, quę suis laboribus in hac vita vsum, in futura verò præmium semper mansurum recipiunt.

B

1. Cor. 12. 8. &c.

Eccl. 20 32.

Greg. 1. p. past. c. 9.

C

Iob. 32. 18. 19.

Nonò, deest vitæ in solitudine actæ, non semel votorum consecutio. Quę faciliùs impetrat humilis oratio, non ab vno solo, sed ab vniuersa congregatione profusa. Vnde Leo Papa. Plenissima obtinebitur peccatorum abolitio, quãdo totius Ecclesiæ vna est oratio, & vna confessio; si enim duorum, vel triũ Sanctorum, pio consensu, omnia quæ poposcerint, Dominus præstanda promittit, quid negabitur multorum millium plebi, vnam obseruantiam pariter exequenti, & per vnum spiritum cõcorditer supplicanti?] Tanti sanè momẽti est oratio ab vna cõgregatione progrediens, vt impiorum Niniuitarum deprecationi Dominus aures non obturauerit, sed eã benignè misericorditérque susceperit. Denique misertus est Deus super malitiã, quam locutus fuerat, vt faceret eis, & non fecit.] Si tantùm potuit multorum impiorum communis oratio, vt eorum iniquitatibus, nõ minùs quã peccata Sodomæ, pro vltione clamãtibus, veniã & misericordiam impetraret; quid non poterit, vno corde & vno ore fusa deprecatio iustorum? Quid nõ ab illo obtinebit, cuius oculi super iustos, & aures eius ad preces eorum?] Hoc itaque validissimo sanctitatis præsidio illi priuati sunt qui solitarij viuentes non constipantur fratribus, qui irruente tentatione aliqua, aut occurrente quapiam necessitate, pro ipsis exorent.

D

Leo ser. 3. de Ieiun. sept. men. c. 3. Matt. 18. 16.

Ionæ. 3. 11.

E

Psal. 33 16.

Decimò tandem, hæc vita rerum tẽporalium cura

distentitur

distēditur. Cū enim solitarij corpora sua in cœnobiis
nō deserant, sed secum in solitudinem gestēt, neces-
sariò de victu atq; vestitu debent esse solliciti, Qui
quantumuis tenuis sit, non potest nō animū sui pro-
uisione distrahere, præsertim eorum, qui pro ratione
religiosi status, nihil debent possidere. Quòd si ab
aliquo cibus vestisq; ministretur, saltem cura cōser-
uandi & parandi quæ missa sunt, mentem ad terrena
trahet, & à rerū cælestium cōtemplatione diuellet.
Et ecce hominem, qui elongauit fugiens, & mansit
in solitudine, vt iugiter inter cælestes spiritus habi-
taret, sua spe frustratum, & ex prouisione rerum tē-
poralium, curis terrestribus impeditum. Si verò non
tantum sibi, verum etiam hospitibus ad eū, ædifica-
tionis gratia, venientibus, debeat alimenta parare,
quis explicet quantùm à proposito internæ quietis
præpediatur, & quantis sollicitudinibus implicetur?
Abbatem profectò Ioannem apud Cassianum, qui
tam illustres in eremo progressus fecerat, vt sæpe in
diuinos raperetur excessus, scimus, hāc solā ob cau-
sam, solitudinem reliquisse, & in cœnobium repe-
dasse. Sed cùm maior (inquit ipse, suam institutionē
enarrans) numerus fratrum, habitationem illius soli-
tudinis cœpisset expetere, & coangustata vastioris
eremi libertate, non modò ignem illum diuinæ con
templationis frigere fecisset, sed etiam multimodis
mentem carnalium rerum vinculis impediret, elegi
huius disciplinæ vtcumq; implere propositū, quàm
in illa tam sublimi professione carnalium necessita-
tum prouisione torpere: vt si mihi illa libertas, ac spi
ritualis alacritas denegantur, abiecta tamen penitus
diei crastinæ sollicitudine, Euangelici me præcepti
consummatio consoletur: & id quod mihi de illa
theoretica sublimitate subtrahitur, hac obedientiæ
subiectione pensetur.] Hoc fuit huius senis prudens
salubreque consilium, quod deberet cuique suffice-
re, ne desiderio maioris perfectionis in magnas mē-
tis distractiones decideret.

assi. col. 9. c. 1.

atth. 6. 5.

Ista, quæ diximus, sunt vitæ eremiticæ incommo
da, à quibus longè abest vita cœnobitica. Habemus
enim in illa (beneficio Dei) magistros spirituales, qui
nos instruant; prælatos, qui nos corrigant, fratres
qui verbo & exemplo, nos ad perfectionem insti-
gent. Habemus in tentationibus præsidium: oppor-
tunitatem in exercitatione virtutum: & lucem splē-
didissimam ad obtinendam nostri cognitionem. Ha-
bemus vniuersarum bonarum actionum meritum,
talentorum nobis attributorum vsum, & ad impe-
trandam diuinam gratiam efficacissimum fusæ ora-
tionis à tota congregatione remedium. Habemus
deniq; victum, & vestitū, & reliquas res necessarias
prælatorum industria benignè administratas, ne oc-
casione necessitatis corporeæ, æquum putemus, ea
quæ sunt mundi cogitare. Vnde prædictus Ioannes
Abbas hoc argumentum luculentissimè tractās, in-
ter alia inquit: In hac igitur conuersatione diuini o-
peris, nulla prouisio: venditionis, vel coëmptionis,
nulla distentio, non annui panis ineuitabilis cura,
non sollicitudo corporalium rerum, qua non tan-
tùm propriis, verum etiam multorum aduenīētium
vsibus necessaria præparantur. Postremò nulla arro-
gantia laudis humanæ, quæ immūdior his omnibus,
in conspectu Dei etiam magnos erēmi labores fre-
quenter euacuat.] Maneat igitur vitam eremiticam
(vt in hoc à magno doctore Thoma Aquinate, sicut
in omnibus aliis non discedamus) perfectis quidem
esse perfectiorē, illis scilicet, qui diuino instinctu in-
spirati, solitudinem cōtemplationis ergo petiuerunt:
at cœnobiticam vniuersis, tam perfectis, quàm im-
perfectis esse tutiorem. Illa in Ecclesia Dei iam ferè

assi. col. 9. c. 6.

Thom. 2. 2. 18. art.

A in totum euanuit: paucissimi namq; reperientur, qui
eam colant: hæc tamquam securior, hominiq; accō-
modatior, in dies, tum religionum varietate, tum re-
ligiosorū numero crescit, & robustior efficitur. De
vita itaq; contemplatiua illius solitarij silentiū aga-
mus, & ad illud cōtemplationis institutum, quod in
cœnobiis agitur, conuertamus sermonem.

De substantia, & natura vitæ contemplatiuæ.

CAPVT XXVIII.

VITAM contēplatiuā, quæ in cœnobiis re-
B tinetur, hac possumus ratione describere.
Est institutio eorū religiosorum in mona-
steriis habitantiū, qui consentiēte præla-
to, annuentibusq; institutis maiorum, ab omnibus
externis actionibus elongātur; Deoq; intellectu, &
affectu, prout possibile est in hac vita, continēter in-
hærent. Huc tendit omnis istorum vacatio: hanc ob
causam à sollicitudine occupationum feriantur, vt
negotiosum otium, diuinam naturam, & ea quæ ad
hoc ducunt contemplandi, suscipiant. Ideo cōsor-
tium hominum fugitant, & secum, non tantùm in
conclaui cordis, sed etiam in cella solitaria commo-
tantur, vt dicant: Nobis autem adhærere Deo bo- Ps. 72. 28.
num est.] Consulto verò cōsensus Prælati, religio-
sæq; institutionis memoriam fecimus, quoniā vnam
C quamq; vitam, vt spiritualis sit, Deoq; grata cōsistat,
debet obedientiæ disciplina metiri, & seniorum in-
stitutio mensurare. Ea verò, quæ contradicentibus
prælatis, & maiorū institutis obstantibus, in religio-
ne à quibusdam, non sine scādalo pusillorum intro-
ducitur, certum est non ad vitam contemplatiuam
pertinere, sed ad singularitatem, atq; ad propriā vo-
luntatem omnium malorū fontem spectare. Videat
ergo quisq; propriæ quietis studiosus, quantùm sibi
in monasterio, quod colit, quiescere liceat. quid Prę-
latus iubeat, quid societas fratrū ferat, quid religio-
sæ vitæ institutio à maiorib⁹ inducta permittat: quia
omnibus laborātibus & otiosum iudicātibus, & re-
gula, aut vsu religioso aliud reclamante, nec decet,
D nec licet cōtemplationis prætextu, in cella manere,
& communes cœnobij labores, aut penitus aliorum
ministeria recusare. Quādo tamen Prælati annuūt,
seniores probant, fratres non ægrè ferunt, ingēs bo-
num est cellæ secreta tenere, spōsum alloqui, rerum
cælestium contēplationi vacare, & in hoc interiori
silētio à bonis & perfectis approbato, quicquid ve-
cordes oblatrent, vita cœnobiorū contemplatiua
consistit. Hanc impensè rogo, quando sine nota sin-
gularitatis, & cum ostensione vtilitatis suscipitur,
Prælati tueantur, senes laudent, & tam hi, quàm illi
charissimas Dei sponsas, animas nempe contempla-
trices à morsibus imperfectorum defendant. Nec
permittant, seruos solos, & fortassis non multùm fi-
deles, lætè viuere, & sponsam Christi delicatulam,
E quam ipse miserationibus præuenit, & ad lectulum
sanctarum cogitationum inuitat, suorū fratrum per-
secutionibus impeti, & linguarum gladiis, sine vlla
miseratione feriri. Nec putent hanc desidiosam &
cœtui fratrū, aut ministeriis proximorum inutilem,
fortassis enim aliorū labores, & fructus, ex istius la-
crymis, & oratione dependent. Cùm in Susan, & in
omnibus vrbibus viginti septē prouinciarum, quæ
Assueri subdebātur imperio, pepēdit aduers⁹ Iudæos
damnationis edictū, Mardochæus vestimenta cōsci- Esther. 4. 1.
dit: reliqui Israëlitæ, sine vlla cōsolatione fleuerūt, &

A imminenti exitio remedium adhibere curarunt, sed omnium eorum in vanum certauit industria. Sola Esther, basilicam regis ingrediens, ipsum verbis deliniens, & ad lautum conuiuium inuitans, calamitatem pepulit, Aman in furca suspendit, & gentē suā à morte iam iam ingruente, liberauit. Ita fortè non clamores imperfectorum, & discursus murmuratorum, sed sanctarum animarum fletus, & lacrymæ manum Domini adhuc extētam, detinēt, iustissimæ eius indignationi obsistūt, & calamitates ab Ecclesia depellunt. Sed tu, ò anima quæcumq; es, quæ ad nuptias sponsi, ad cōtemplationis quietem vocaris, & Prælatorum, ac bonorum auctoritate fulciris, ne statim despondeas animum, ne verbulo omni vento leuiori tristeris: tanta enim dignitas, tantæ deliciæ non gratis possidendæ sunt, sed aliquo afflictionis pretio comparandæ. B Tace, & Dominus spōsus vtiq; tuus, respondebit pro te. Non est nouum laborantes quiescentibus insultare, erit tamen valdè nouū, imò & valde mirandum, si munus Domini, pro te respondendo, & tuam viuendi rationem defendendo, tibi vsurpes. Non miremur (ait Bernardus) si quempiam laborantem, & bene operantem, aduersum fratrem vacantem murmurare videamus, quia hoc in Euāgelio legimus Martham fecisse aduersus Mariam. Quòd autem Maria quandoque murmurauerit aduersus Martham, eò quod eius actionibus implicari vellet, nusquam omnino reperitur.] Ne ergo labori fratrum inuideas, neque alicuius obtrectationes molestè feras, sed voluntate Prælatorum fulcita, & diuinis cōsolationibus animata, inter inania verba tepidorum, quiesce secura.

Ber. ser. 6. de assumptio.

C Huius vitæ cōtemplatiuæ magna est dignitas, ingens vtilitas, mira suauitas. Magna certè dignitas, cuius possessio laborantibus in actiua vita, tamquā præmium ac merces promittitur. Quare Isaias, collaudato eo, qui studiosis vacat actionibus, ita concludit. Iste in excelsis habitabit, munimenta saxorum sublimitas eius, panis ei datus est, aquæ eius fideles sunt Regem in decore suo videbunt oculi eius, cernent terram de longè.] Dabitur (inquit) ei, vt habitet in excelsa spelunca petræ fortissimæ, hoc est, in corde Christi Saluatoris, cuius fortitudine, à turbine ac procella sæculi protegetur. Munimēta saxorum, sanctorum nempe intercessiones, quas orando promeruit, asylum eius. Panis, san- D ctarum meditatio Scripturarum, & fidelis aqua cælestium consolationum, affatim tribuetur ei, quibus sine nausea satiatus, terrenas consolationes lætè despiciat Christum in decore suo conspiciet: quia siue in patibulum actum meditetur, siue resurgentem consideret, siue in humanitatem eius, siue in diuinitatem oculos coniiciat, semper sui sponsi pulchritudinem, decorem, & claritatem contemplatur. Cernet de longè terram viuentium, cùm luce diuina perfusus, & delectationibus spiritus inebriatus, aliquam stillam cælestis patriæ degustabit. Non erit qui ambigat, ista omnia vitæ cōtemplatiuæ esse fructus, quibus anima, quæ diu in vita actiua laborauit, iam ad contēplationem vocata reficitur. Profe- E ctò ista Prophetæ larga promissio cōtemplatrice vita cōtinetur, vt Gregorius apertissimis verbis explanat. Ab actiuæ vitæ gradibus (inquit) ad quæ cōtemplationis culmina ascendatur, Propheta adiūxit, dicens; Iste in excelsis habitabit] & reliqua. In excelsis nāque habitare est cor in cælestibus ponere. Et munimenta saxorum, sublimitas nostra est, cùm mente choris castrisq; cælestibus iungimur, & insidiantes malignos spiritus, stātes in arce cordis, quasi subterpositos, expugnamus. Tunc nobis etiam panis datur, quia in supernis erecta intentio, æternitatis cōtemplatione reficitur. Aquæ enim nostræ fideles sunt, quia verba vitæ, quod ante mortem insinuant, hoc etiam post mortem demonstrant. Regem in decore suo oculi nostri conspiciunt, quia redemptor noster in iudicio, & à reprobis, homo videbitur: sed ad diuinitatis eius intuendam celsitudinem, soli, qui electi sunt, subleuabuntur.] Et post pauca. Qui quamdiu in hac vita sunt, quia illam viuentium patriam, sicut est, videre non possunt, rectè adiungitur: cernent terram de longè.] Si ergo merces à Domino iustis attributa magna est, siue in præsenti vita, siue in futura tribuatur, quanta erit contemplatiuæ vitæ præstantia, quæ præmium est bonorum operum, merces iustitiæ & veritatis?

Isaie 33. 16. & 17.

Greg. 31. mor. c. 20.

Est quoq; huius vitæ ingēs vtilitas, siue eam comparatione illius, qui vitam contemplatiuam colit, siue comparatione totius Ecclesiæ consideres. Nam contemplationi diuinorum vacans, quis explicet, quam magna & mirabilia dona ex Dei consortio & familiaritate percipiat? Iam præteritorum peccatorum meditatione compungitur, dicens: Laboraui in gemitu meo, lauabo per singulas noctes lectū meū, lacrymis meis stratum meum rigabo.] Iam pro duritia aliena, peccatisque proximorum affligitur, Ieremiæ sibi lamentationem vsurpans. Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarū, & plorabo die ac nocte interfectos filię populi mei?] Iam aduersus vitia sua, & effrænatos affectus indignatur, firmiter apud se statuens: Quoniam comminuam eos, vt puluerem ante faciem venti, vt lutum platearum delebo eos.] Iam virtutis desiderio, & amore succenditur. Hanc (inquit, eius contubernium exoptās) amaui, & exquisiui à iuuētute mea, & quæsiui sponsam mihi eam assumere, & amator factus sum formæ illius.] Iam pace & tranquillitate cordis hilarescit, illam Domini benedictionem experiens: Quia sedebit populus meus in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiduciæ, & in requie opulenta.] Et rursus illud, Factus sum coram eo, quasi pacem reperiens.] Iam quasi vno temporis momento humilitate deiicitur, fiducia sustollitur, mansuetudine delinitur, misericordia ac pietate liquiescit, fortitudine erigitur, patientia roboratur, & vniuersarum virtutum interna exercitatione ditescit. Videtque in se ipso illud Ecclesiastici impletum. Facile est in oculis Dei subitò honestare pauperem. Benedictio Dei in mercedem iusti festinat, & in hora veloci processus illius fructificat. Iam intelligentia fidei augmento, & sapientiæ, intellectus, consilij, & scientiæ donis illustratur: & tunc partim pro tanto dono donorum auctorem collaudans: partim ampliùs videre cupiens, cum ingenti spiritus exultatione proclamat Quoniam tu illuminas lucernam meā, Domine, Deus meus illumina tenebras meas Iam voluntas amoris & dilectionis igne flammatur, auditque, Excoquam ad purum scoriam tuam, & auferam omne stannum tuum, & restituam iudices tuos, vt fuerunt priùs, & consiliarios tuos, sicut antiquitus: post hæc vocaberis ciuitas iusti, vrbs fidelis.] Iā denique extra se ipsum raptus, his bonis perfruitur, quæ nostram omnino experientiam subterfugiunt: Fortè dicit: Scio hominem, siue in corpore, siue extra corpus nescio, Deus scit raptum huiusmodi vsque ad tertium cælum, & quoniam raptus est in paradisum, & audiuit arcana verba, quæ non licet homini loqui.] Hæc ad fructum ipsorum contéplantium pertinent: sed, quàm sint proximis vtiles ex eo percipi potest, quòd Ecclesia eorū orationibus fulcitur, & exemplis sustētatur: cuius rei testis locuples sit

Psal. 6. *Iere. 9.* *Psal. 43.* *Sapien. 8.* *Isa. 32. 18.* *Cant. 8. 10.* *Eccle. 11.* *Psal. 17. 29.* *Isa. 1. 25.* *2. Cor. 12.*

Augustinus

gu. li. mori. ecclf. c. Augustinus,ita scribens:Nihil de his loquar:Videntur enim nonnullis res humanas plusquam oportet deseruisse, non intelligentibus, quantùm nobis eorum animus in orationibus prosit, & vita ad exemplum,quorum corpora videre non sinimur.)Et optimè quidem.Est namque istorum vita contemplationi addicta, veluti Domini charissima sponsa, quæ eius domum, scilicet sanctam Ecclesiam,sua pulchritudine illustrat, sua puritate alios ad perfectionem allicit.& quidquid postulat, vel ad peccatorum purgationem,vel ad virtutis augmentum,vel ad fœlices negotiorum euentus, ipsis, non semel,sed sæpissimè impetrat.

Est deniq; admirabilis contemplatiuæ vitæ suauitas:cui homo deditus,tanta interdum iucunditate,& voluptate perfunditur, vt optimè ei aptari possit illud Salomonis. Non satis recordabitur dierum vitæ suæ, eò quòd Deus occupet deliciis cor eius.] Sicut enim mundanus ludo detentus,aut conuiuiis, & potationibus,aliisque similibus voluptatibus occupatus,tantùm abest,vt diem longum esse iudicet,quòd potiùs horas breuioribus morulis, quàm soleant, præteriisse causatur.Ita spiritualis vir deliciis purissimæ contemplationis perfusus,obliuiscitur dierum vitæ suæ,quos,quia cælestes consolationes angustāt. non tam transire quàm volare conqueritur. Hinc magnus Antonius orans, & has diuinas voluptates experiens,cùm solis ortus cœpisset infundi, solebat proclamare:Quid me impedis sol,qui ad hoc iam oriris,vt me ab huius veri luminis abstrahas claritate? His videlicet querimoniis, noctem, quam contemplando transegerat,breuitatis accusans, & solem ab oratione abstrahentem, & ad aliquam necessariam occupationem vocantem,compellans. Verè iucunda vita,quæ vitam mortalem abbreuiat,non aliquid ex eius speciis demendo,sed mentem nostram summis voluptatibus inescando.Iucunda vita, qua Deo inhæremus, & fonti immensæ suauitatis immergimur.Quid enim prohibet,ò homo, si tibi hanc vitā agēti,licet inter huius mundi miserias commoreris, illud Ambrosij dicamus: Potes & hîc esse, & adesse ad Dominum.Si illi adhæreat anima tua, si post ipsum cogitationibus tuis ambules,si fide, non specie, vias eius sequaris,si ad ipsum confugias.Est enim refugium.& virtus cui Dauid: Ad te confugi, & non sum deceptus.]Mirabilis profectò vitæ suauitas,qua vitæ huius molestias effugimus, solicitudinibus & curis eximimur.& simul merita cumulantes, Angelorum deliciis,& suauitate replemur.

Eccles. 5. | Ambr. de fuga sæcu. c. 8. | Psal. 37.

De fine vitæ contemplatiuæ.

CAPVT XXIX.

SICVT vita contemplatiua alia est à vita actiua, ita proprium finē habeat necesse est à fine actiuæ vitæ diuersum, quem contemplator debet habere perspectum, vt in illum officia sua dirigat.& ipsum magna assequi vigilantia contendat. Hic finis est, mentem ab omnibus terrenis desideriis.& cogitationibus emundare,& Deo intellectu,& affectu atque imitatione coniungere.Quem Ioannes Cassianus hac oratione nobis exposuit.Eremitæ(hoc est contemplatiui) perfectio est,exutam mentem à cūctis habere terrenis, eamque quantùm humana imbecillitas sinit, vnire cum Christo.Quem virū Ieremias propheta describens,Beatus(inquit)vir,qui tulit iugū ab adolescentia sua,sedebit solitarius, & tacebit, quia leuauit se super se]Psalmista quoq;.similis factus sū pelicano solitudinis,Vigilaui,& factus sum sicut passer solitarius in tecto.]Non solùm autem ex sancti patris auctoritate,sed ex natura quoq; humanorum actuum cognitio huius veritatis elicitur. Sicut enim natura vim sentiēdi animalibus attribuit,vt quę mala,& sibi noxia,sēsu perceperint,fugiāt,& respuant,& quę bona, & propriæ sustentationi congrua, senserint, quærant,& accipiant: Ita Deus vim intelligēdi Angelis,hominibusq; cōcessit,non solùm vt intelligāt, & in rerum cognitione sistant.sed vt ea quæ cognouerint,si mala esse,& virtuti aduersa deprehēderint, recusent, & odio habeant,si verò bona,ac sanctitati consona, & cupiant.& diligant.Desiderium autem, & dilectio rei amatæ,adhuc mentem non satiat,donec mēs rem amatam possideat, eiusq;præsentia delectetur.eiq;prout possibile fuerit,immergatur.Atq; adeò cognitio in hac vita propter amorem est.amor verò propter vnionem,qua bono iungimur, ipsūq; secundùm nostræ naturæ capacitatem possidemus. Cùm ergo vita contemplatiua,vt nomen ipsum designat,in rerum consideratione posita sit: manifestū est, quia peccatorum malitiam, & fœditatem cogitat, vt ea odio habeat.& fugiat: Creaturarum verò angustam,& minimè satisfacientem naturam considerat, earúmq;exilitatem & mendacitatem meditatur,vt ab eis animi desideria & cogitationes auertat,tamquam à rebus,quæ humanam capacitatē explere non possunt. Dei autem naturam,pulchritudinem,atq; innumerabiles perfectionum diuitias cōtemplatur,vt mentem rebus terrenis exutā,ad desiderium,& amorem Deitatis efferat,& ad quærendā diuinam vnionem inflammet.Ideoq; magnus pater Gregorius, non tam per actiones intellectus, quàm per charitatis affectus, voluit contemplatiuam vitam describere. Quia nimirum omnis consideratio,non propter se ipsam suscipitur,sed vt ea, tāquā instrumento mens ad amorem supernorum erigatur. Verba huius sancti Doctoris sunt. Contemplatiua vita est, charitatem quidem Dei, & proximi tota mente retinere, sed ab exteriore actione quiescere, soli desiderio conditoris inhærere, vt nihil iam agere debeat, sed calcatis curis omnibus,ad videndam faciem sui creatoris animus inardescat,ita vt iā nouerit carnis corruptibilis pōdus,cum mœrore portare:totisq;desideriis appetere, illis hymnicidis Angelorum choris interesse,admisceri cælestibus ciuibus, de æterna in cōspectu Dei incorruptione gaudere. Sic profectò ille dicit, non quo ab hac vita considerationē excludat,sed vt Dei amorem,& cælestes affectus,finē & scopum astruat. Defectiua namque,& manca est cognitio,quæ affectum non excitat,& odium mali,atq; amorem boni non generat, & parum Deo placet, si cognoscamus,dum ex cognitione nō assurgimus,vt mala detestemur,& bona quæramus,& diligamus.]Imò scriptum est. Seruus qui cognouit voluntatem Domini sui,& non præparauit,& non fecit secundùm volūtatem eius, vapulabit multis]Tātum abest, vt ieiuna consideratio sufficiat,quòd potius ad onus erit, si minimè ad eam volūtas,& vita se cōformet. Et rursus Petr⁹ Apostolus ait.Ministrate in fide vestra virtutem] hoc est,bene operandi fortitudinem. Cūq; multa numerasset bonarum actionū augmēta, quæ ex fide, ac Dei notitia debemus colligere,subinfert: Hęc enim si vobiscū adsint,& superēt,nō vacuos nec sine fructu vos cōstituēt in Domini nostri Iesu Christi cognitione.Nā,qui sola cōsideratione nutritur & eā in puritatis adeptionē nō dirigit.expers fructuum profectò manet,sicut ille,qui sanitatē nō assequitur: cùm tamen amiserit medicinā.Nec nō & dictū est

Cassi. col. 9. c. 8. | Tren. 3. 27 | Psal. 101. & 8. | Greg. li. 14 in Ezech. | Luca. 12. 47. | 2. Pet. 1. 5 | Ibidem 8.

Apoſtolis cùm in aſcenſione Domini contemplatiuorum perſonam gerebant: *Act. 1. 11.* Viri Galilæi quid ſtatis aſpicientes in cœlum? Hic Ieſus, qui aſſumptus eſt à vobis in cœlum, ſic veniet, quemadmodum vidiſtis eum aſcendētem in cœlum.] Peregrini adhuc eſtis, non incolæ, ſtatum habetis non manentium, ſed tranſmigrantium: (Galilæus quippe tranſmigrātem ſignificat) quid igitur ſolo conſpectu cœlorum impleminí? Quid ſola ſupernorum cōtemplatione ſatiamini? Imò potiùs cogitate, quia hic Ieſus, qui modò præfert dignitatem regis aſcendentis, poſtea iudicis deſcendentis auctoritatē oſtendet, cui vniuerſi mortales ſunt rationem ſuorū actuum reddituri. Hæc autem cogitatio efficiat, vt cœlorum aſpectū, non in ſolam admirationem, aut ſolam aſpiciēdi voluptatem, ſed in mentis veſtræ profectum dirigatis. Contemplatiuæ ergo vitæ deditus, hác Angelorum commonitionem conſiderās, ſciat, ſuæ inſtitutionis ſcopum, non ieiunam eſſe rerum diuinarum cognitionem, ſed mentis trāquillitatem & puritatē exiſtere. Illam Chryſoſtomi ſapientem ſententiam expendat: *Chryſ. hō. 2. in Act.* Proinde, ſi quis deſiderat videre Chriſtū, ſi quis dolet quòd illū non viderit, hoc Angelorum audito ſermone, Sic veniet, vitam admirandis virtutibus componat, & omninò viſurus eſt, quē deſiderat, nec fruſtrabitur ſuo voto.] Cōtemplatione in creaturarum deſpectionem, in Dei amorē, in virtutum perfectionem, atque in veram properet ſāctitatem, vt ex hac obſcura Dei notitia, ad claram & perſpicuam cognitionem transferatur.

Sed iſtum vitæ contēplatiuæ finem (quia eius notitiā ſummi momenti eſt) adhuc exquiſitius & ſubtiliùs explicemus. Ad hoc profectò vita contēplatiua tendit, vt mentem hominis ab omnibus rebus creatis abſtrahat, & quaſi in quadam temporaliū morte cōſtituat. Quemadmodum enim mortuus nihil humanum cogitat, nihil terrenum cupit, ad nullam rē quantumuis pulchram, quantumuis pretioſam, aut excellētem afficitur, ſed inter epulas, inter opes, inter honores inter alias corporis voluptates, omnino mortuus iacet, nihil iſtorum bonorum exoptans: Ita contemplatiuus omniū infimarū rerum cogitationes abiiciat, deſideria fugiat, & delicias, cōmoditates, atq; honores, tamquam ad ſe nihil attinētes, omnino cōtemnat. Huius vox ſit: *Philip. 3. 8.* Veruntamen exiſtimo omnia detrimentum eſſe propter eminentem ſciētiam Ieſu Chriſti Domini mei, propter quem omnia detrimentum feci, & arbitror vt ſtercora, vt Chriſtum lucrifaciam.] Si enim primo loco hanc generalem rerum terrenarum deſpectionem non acquirat & à proprio corde, non ſolùm cupiditates, ſed etiam cogitationes ſæculi fugare conetur, neque ad altitudinem ſanctæ contemplationis aſcendet, neque in deſtinationem optatam propriæ ſanctitatis perueniet. Egregia namq; vita cōtemplatiua eſt, ſibi ſoli vacare, vt inanes quis rerum mundanarum cogitationes euoluat; deſideria propriæ cōmoditatis enutriat, & oblata occaſione, honores, & dignitates, & onus prælationis ambiat. Huiuſmodi ſanè ego contemplatiuum non iudico, ſed ſegnem, & inertē exiſtimo, qui nec manibus laborat, nec corde (vt par eſt) in rebus diuinis ſe occupat. Qualis enim erit cordis occupatio his miſeris affectibus compediti, niſi infirma, tepida, & deſidioſa? Iſte pennas habet, non aquilæ, ſed ſtruthionis, quæ ad ornatum, non ad volatum deſeruiunt, quare inter aues immundas numerabitur. *Deut. 14. 15. Iob. 39. 13.* De illo myſtice legimus. Pēna ſtruthionis ſimilis eſt pēnis herodij, & accipitris.] Pennas habet, id eſt, externum monachi habitum, ſilentium, & cellā, & horas

A contemplationi deſtinatas, pennis auium rapacium aſſimiles, ſed neque in altum volat, nec volando eſcam ad ſuſtētationem captat. O quàm verè iſte ad ſe ipſum applicare poterit, quod Hugo Victorinus humiliter dixit: *Hugo li. 2. de claustro animæ, c. 13.* Quaſi ſtruthio volatum ſimulo, ſed tamen pedibus terram tango. Volito habitu, ſed terram tango affectu. Penna ſiquidem contemplationis à terrenis non eleuat, quem corpulentia carneæ fragilitatis pondere ſuo grauat.] Enitatur ergo vitæ cōtemplatiuæ ſectator res omnes creatas à ſuis deſideriis & cogitationibus ablegare, vt contemplationis pennis valeat infimum terræ locum deſerere, & in ſupremam cæleſtium rerum regionem aſcendere.

Deinde poſtquam vita iſta animam à rebus terrenis abſtraxit, ad illud conſiderationem dirigat, vt eā B ſordibus creaturarum defæcatam, ad cæleſtia deſideria efferat, & ad Dei amorem, & charitatis feruorem extollat. Omnis enim intelligētiæ noſtræ inquiſitio, qua ſummum bonū meditamur, & iam meditatum, ſimplici intuitu contemplationis aſpicimus, huic eſt fructum editura, vt ſummi boni cogniti amorem excitet, & virtutum internas functiones, & ſpiritualem pulchritudinem in nobis pariat. *Pſa. 118. 73.* Da mihi intellectum (ait eximius cōtemplator Dauid) an ſolùm, vt intelligam? non, ſed vt diſcam mandata tua.] Et iterum: *Ibid. 34.* Da mihi intellectum, & ſcrutabor legem tuam, non quidem, vt in perſcrutatione perſiſtā, ſed vt cuſtodiam illā toto corde meo] Cùm enim quiſque legem ſcrutatus fuerit (inquit Auguſtinus) *Aug. in Pſa. 118. ſerm. 11.* & ad eius alta peruenerit, in quibus tota lex pendet, C profectò debet Deum diligere ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota mente, & proximum ſuū tamquam ſe ipſum. In his enim duobus mandatis tota lex pendet, & Prophetæ. Hoc videtur promiſiſſe, cùm dixit: Et cuſtodiam illam in toto corde meo.] Interrogemus etiam Bernardum, *Bern. ſer. 85. in cant.* ad quem finem anima verbum ſalutis cōſideratione, & aliis actibus intelligētiæ inquirat. Et reſpondebit nobis, non alterius rei gratia, quàm propriæ reformationis, & puritatis obtentu. Eius verba ſunt. Quærit anima verbum, cui conſentiat ad correctionem, quo illuminetur ad cognitionem, cui innitatur ad virtutem, quo reformetur ad ſapientiam, cui conformetur ad decorem, cui maritetur ad fœcunditatem, quo fruatur ad iucundi-D tatem.] Iſtud igitur anima contemplatione nitatur adiſpici, cæleſtium deſideriorum feruorem, virtutis decorem, amoris pulchritudinem. Et quò magis in iſtis profecerit, tantò ampliùs ſe credat in contemplatiua vita profeciſſe. Iuſtus enim meditatus eſt in lege Domini die, ac nocte, & omni tempore, quauiſque oblata occaſione eam eſt perſcrutatus, non quidem ob aliud, niſi vt ſit tamquam lignum, quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum, *Pſa. 1.* quod fructum ſuum dabit in tempore ſuo.] Fructus iſte virtutum eſſe debet meditationis effectus, fructus amoris ſit tantæ irrigationis fœtus & partus. Ad quid enim ſpiritualis iſta arbor in cellæ paradiſo plantatur? Ad quid tot riuis aquarum, hoc eſt, meditationum ſanctarum torrentibus, imò, & fluminibus irri-E gatur? niſi vt fructus virtutum ferat, & præcipuè, ſuauiſſimi amoris poma producat? Sic ad finem optatū ſuæ quietis, & contemplationis perueniet. Meritóque dicemus de illa, quod in Oſea ſcriptum eſt: *Oſee 10. 1.* Vitis frondoſa Iſraël, fructus adæquatus ei.] Vitis frondoſa eſt anima in rerum cæleſtium contemplatione occupata, quia ſanctis meditationibus, quaſi frondibus decoratur, & eruditis cogitationibus velut pāpinis ad maiora diſtenditur. Fructus autem adæquatur ei, cùm iſtæ cogitationes, deſideria virtutum pariunt, & quaſi pampini, & frondes, ipſas virtutum

actiones

actiones, velut suauissimos fructus operiunt. Frondes in vinea sine vuis, non satiant, & meditationes, rerũ cœlestium minime sine fructu puritatis delectant.

Postremò contemplatiua vita, diuinam vnionem quærat, necesse est, vt ita vt ex intelligẽtia ad affectũ virtutis transeat, & ex affectu, & interna exercitatione virtutum, in sponsi amplexibus requiescat. Audi animam contemplatricem, sua contemplatione finem istum assequentem. Inueni, quem diligit anima mea, tenui eum, nec dimittã.] Primò in lectulo cordis sui quæsiuit sponsum, nec illum inuenit. Deinde, per vicos, & plateas quæsiuit dilectum suum, nec etiam inuenit. Postmodum vigiles custodientes ciuitatem, de dilecto interrogat, nec aliquid, quod satisfaciat, respondent ei. Hæc omnia ad solum intellectum pertinent. Eius enim est inquisitio: qua Deũ iam in nobis ipsis, iam in creaturis inquirimus, eius est & interrogatio, qua Prælatus, & spirituales magistros de sponso interrogamus. Ad hæc: Inueni (inquit) quem diligit anima mea.] Hoc iam affectui tribuendum est. Affectus namque siue desideriũ, est, quod Deum veluti absconditum manifestat, & quasi longè positum ad nos adducit. Quare desideriũ pauperum exaudiuit Dominus, præparationem cordis eorum audiuit auris tua.] Audit, inquam, desideria clamantia, & præparationes cordis, hoc est, affectus volũtatis, vociferantes, & opem efflagitantes auscultat, & tamquam tenera mater paruulo clamanti, & lugenti se benignissimè ostentat. Tandem amatrix sponsa, hac dulcissima Domini inuentione, nec dum expleta, ampliùs quærit, ampliùs exoptat, intimam vnionem suspirat, dicẽs: Tenui eum, nec dimittam.] & hũc finem esse cõtemplationis designat. Sed quæ est ista vnio, quam vitæ cõtemplatiuæ scopũ astruimus? Certè non est illa vnio, quam nonnullæ animæ puræ, & à vitiis liberatæ, solent ad breuem morulam in oratione sentire. Hæc enim non est temerè, & præsumptuosè affectanda, sed si à Domino offeratur, diligenter & humiliter accipienda. Est igitur vnio, qua Deo per voluntatis concordiam, & per virtutum imitationem copulamur, quam vniuersi sine periculo quærunt, sine nota præsumptionis exoptant. Hac vnione tenetur Deus. Vnde Richardus, ait: Manet in illa anima Christus, quæ virtutes eius possederit, humilitatem, mansuetudinem, patientiã, obedientiam, & charitatem. Et item, quæ mandata eius seruat, sicut ille ambulauit, & ipse ambulat. Si quis diligit me, (inquit) mãdata mea seruabit, & pater meus diliget eum; & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.] Talis ergo, & verè diligit, & Christum in domum mentis introducit. Vnio voluntatis est, cùm id cõstanter volumus, quod Deus vult vt velimus, & id animosè respuimus, quod Deus iubet, vt nolimus. Sic profectò Domino pacis vinculo nectimur, & vnum cum eo efficimur, non natura, sed voluntatis, pacisq; concordia. Pulchrè enim dixit Leo Papa: Quid est, dilectissimi, pacem habere ad Deũ, nisi velle, quod iubet, & nolle, quod prohibet? Si enim humanæ amicitiæ pares animos, & similes expetunt voluntates, nec vnquã diuersitas morũ ad firmam potest venire concordiam, quomodo diuinæ particeps erit pacis, cui ea placent, quæ Deo displicẽt, & iis appetit delectari, quibus illũ nouit offendi? Non est iste animus filiorũ Dei, nec talem sapientiã recipit adoptiua nobilitas.] Hoc itaq; est Deo in cõtemplatione vniri, eius præceptis subiici, cõsiliis subigi, inspirationibus parere, & id siue prosperũ, siue aduersũm complecti voluntatis affectu, quod Deus in nobis, aut de nobis decreuerit ordinare. Vnio verò imitationis est, cùm Dei Patris, Filiiq; eius Iesu Christi perfectiones ad nostram vitam transfundimus, easque operatione imitamur. Cùm scilicet hoc oratione, & contemplatione cõsequimur, vt simus humiles, mites, obediẽtes, tractabiles, puri, Deo intellectu & affectu adhęrẽtes, sicut Christ[us] Ies[us], & verbo docuit, & vita commonstrauit exemplo. Istũ esse scopum vitæ cõtemplatiuæ, sanctissimus Dionysius Richelius nõ semel affirmat. Quodam loco ait: Innotescit ex his, quoniam quo super singulari, solique Deo solitarius vicinio est, itémq; cõformior, eò præclariorem ipsius imitationem sortitur: est autem proximus Deo. Sin autem, vanum vtiq; ab omnibus loco se segregat, si non vitam quoq; pariformiter à cunctis elonget, eamq; liberiorem ac sincerior[em] possideat. Igitur verè solitarij, hæc altissima, atque finalis vitæ perhibetur perfectio, quatenus pure & vti nomen eius locusq; insinuant, excellẽtissimè assimiletur Deo, adorando, & sancto.] Et rursus alio loco, inquit: Hic est finis solitariæ vitæ, in sæculo isto Deũ excelsum, & benedictum tam purè ac stabiliter cõtemplari, tamq; feruenter & indesinenter diligere, & hoc solitarium professio proprium habet, Deo tam perfectè & assiduè adhærere, affici, frui, amplecti, sicq; vitã Angelicam & cœlestem inchoare in terris, tam copiosè & experimentaliter futurã beatitudinem in illo exilio prælibare, tam dulciter prægustare, quàm dulcis est Deus, supergloriosissimæ Trinitati tam gratiosè assimilari, tam perfectè configurari, imò sic vnum fieri, & esse cum ipsa.] Cõcludamus ergo, in vita contemplatiua intellectus cõsiderationem esse medium, instrumentum, atque subsidium: finem verò esse veram virtutem; animi puritatem; Christi imitationem verissimam. Adeò, vt contemplatiuus, in suis cogitationibus, desideriis, actionibus, Christi Saluatoris cogitatus, desideria, & actiones referat, quę ille amauit, diligat, quę ille pro nihilo duxit, contemnat, & non tam verbo, quam vita, dicat: Viuo ego, iam non ego, viuit verò in me Christus.]

De præparatione ad vitam contemplatiuam.

CAPVT XXX.

ANIMAM, hunc præstantissimum finem per vitam contemplatiuam adepturam, & actionibus eius, quas statim in medium producemus, vacaturam, necesse est priùs disponi, ac præparari. Quemadmodũ enim cithara, aut lyra priùs temperanda est, quàm pulsanda, si harmoniam editura est, atque concentum, ita anima priùs paranda est, vt creatorem dignè laudet, eique affectibus & desideriis adhæreat. Elisæus ad suscipiendam diuinam illustrationem, instrumenti musici concentu separat, & mentem à rebus terrenis auellit, & ad pacem tranquillitatémque componit. Denique, adducite mihi (inquit) psaltem. Cúmque caneret psaltes, facta est super eum manus Domini.] Sic animus, nonnullis adiumentis tranquillandus est, & quibusdam purgationibus alleuiandus, quò ad superna volet, Deum, & arcana cœlestia contempletur, internisque auribus diuina alloquia percipiat. Qui ergo vitæ contemplatiuæ desiderio tenetur, eiúsque vult institutum arripere, operæ pretium est, Domino ad hoc vitæ genus vocari; Nam si vocatus non est, illud Salomonis est sibi omnimodis obseruandum. Ne erigas oculos tuos ad opes, quas non potes habere, quia facient sibi pennas quasi aquilæ, & volabunt in cœlum.] Quam sententiam Venerabilis presbyter Beda, de

spiritualibus diuitiis intelligit. Ne erigas mentem (inquit) ad perscrutanda diuinitatis arcana,quæ penetrare non potes: hæc enim cœlestibus solum ciuibus patent. Ille autem contemplationis diuitias non potest habere, cui concessa non est à Domino contemplatiuæ vitæ vocatio, quia illas gratiæ diuinæ præsidium, & non sola naturalis acquirit industria. Neque enim ad idem institutum vocat Deus vniuersos,sed quosdam ad vnum viuendi modum, alios ad alium,secundùm decreta sapientiæ suæ, nõ minùs suauiter,quàm potẽter inuitat Paulum etiam (Act. 9. 8.) reluctantem,imò & fideles persequentem, ad Apostolatum trahit,virum autem à Dæmone liberatum, se vltrò offerentem,& inuitantem non admittit.Dimisit enim illum Iesus,dicens:Redi in domum tuã, (Luc. 8. 39.) & narra quanta tibi fecit Deus]Hic itaque minime ad contemplationem vocatus, qui à quiete mentis arcetur,& ad exteriora virtutũ opera mittitur, frustrà erigit oculos ad cœlestes cõsolationes sibi inaccessas, fatigabitur namq;,& laborabit,sed numquã eas poterit obtinere. Cognoscet verò se esse vocatum,si constanter vitæ contemplatiuæ suscipiendæ efficaces afflatus, & inspirationes sentiat,quæ sunt veluti voces Dei,eum,quem tanto beneficio dignatur, allicientis,& inuitantis. Si fortiter obstantibus impedimentis resistat:Si ad orationis exercitia aptitudinem,hoc est,mentem placidam, & quietã habeat: Si, cùm sanctis meditationibus insistit, virtutum profectum experitur:Si orãdi donum,ac meditãdi,diuinitus sibi immitti animaduertit:Si denique eam religionẽ,Deo inspirante,ingressus est,quæ cõtemplationis opera, vel sola, vel moderatæ actioni coniuncta,ex instituto,profitetur.Nã quos Deus in aliquem statũ euehit,idoneos facit ministros vocationis suæ,eísque,vt secundùm præscriptum suæ regulæ viuant,abundantissima beneficia elargitur.

Qui his cõiecturis deprehendit se ad vitam contemplatiuam,aut puram,aut actioni coniunctã vocari huius vitæ finem,nempe mentis puritatem,sibi ante oculos proponat,& omnium virtutũ adeptionem,& præcipuè intimam cum Deo vnionẽ, quam suprà enucleauimus, impensè cupiat.Viri spiritualis, & sancti nomen inter commilitones fugiat, cõsolationes,lacrymarum profusiones, raptus, extases,& alia huiusmodi extraordinaria, non quærat. Hæc enim non sunt perfectionis substãtia,sed quædam singularia adiumenta; vel indicia sanctitatis, quæ quatenus indicia humiliter vitanda sunt; &, si inciderint, prudenter abscondenda: Quatenus verò adiumẽta nullatenus etiam sunt affectanda, quoniam, nec sola sunt hæc adiumenta virtutis, neque fortassis efficaciora, neque vniuersis iustis omnino secura. Alia prouidit Deus dilectis suis sanctitatis præsidia, mortificationem, obedientiam, virtutum exercitationem: quibus faciliùs, securiùs, & naturæ nostræ accommodatiùs, poterunt ad perfectionis fastigium peruenire.Illud verò primum summopere curandum est, vt scilicet quisque,vel consolationibus delinitus,vel desolationibus probatus,diuinum beneplacitum in omnibus ad se pertinentibus concupiscat; inquirátque omnium virtutum perfectionem, & cordis puritatem. Ioannes in sua illa admirabili Apocalypsi audiuit vocem magnam tã- (Apocal. 1.) quam tubæ ad bellum prouocantis, quia vox Dei, quam in secreto orationis audimus, ad bellum cõtra vitia,& affectibus inordinatos, nos prouocat, & ad victoriam de hostibus nostris reportandam instigat.Non oramus Deum, neque ipse nobiscum loquitur, vt inutilem sermonem misceat, sed vt nos in virtute instruat, & ad bona opera loquendo per-

A moueat.Semel enim loquutus est Deus,] hoc est,ita firmè,& certò.vt suum verbum irritũ fieri non possit. Et duo hæc audiui quia potestas Dei est, & tibi, Domine,misericordia,quia tu reddes vnicuique iuxta opera sua.]Vt audiendo,Domine,& contemplando summam potestatem tuam timeam, & immensam misericordiam tuam diligam, & diligendo ad bona opera assurgam,& præmium,semper permansurum,sperem. Hanc finem igitur vitæ contemplatiuæ amator sibi præfigat, priusquam ad officia contemplationis accedat,ne mille erroribus pateat, & inutiliter meditandi,& orandi laborem assumat. (Psal. 61. 12.)

Isto scopo,ac fine ante oculos præstituto, amator vitæ contemplatiuæ,amator etiam silẽtij sit, & pro-
B priæ cellæ habitator assiduus. In ea libenter commaneat,tamquam in tutissimo mentis receptaculo,neq; inde exeat, nisi aut obedientia iubeat, aut fraterna charitas, aut iusta necessitas exire compellat. Studium enim orationis animã quietam requirit, à curis,ac negotiis auulsã, ne cogitationes ex istis rebus exortæ eam turbẽt,atq; confundant. Quamdiu animus permixtus est turbis(inquit Laurẽtius Iustinianus)& in multitudine fluctuantium volutatur, nec vacat soli Deo,nec segregatus est à vulgo.Propterea, (Laurent. Iust. lib. de ligno vitæ, tract. de orat. c. 5.) ô anima, quæ per orationem, & contemplationem Deo vacare decreuisti esto sola,hominum consortia fuge,tumultuosas mortalium cõuersationes deuita vt illi soli te solã serues,quem ex omnibus elegisti.]
C Custodiat itaq; anima illud Domini præceptũ,quod Isaiæ voce dilecto sibi populo seruãdum proposuit. (Isa. 26. 20.) Vade populus meus,intra in cubicula tua, claude ostia tua super te, abscõdere modicũ ad momentum, donec pertrãseat indignatio.] It populus Dei cùm à turbis & negotiis sæcularibus in adyta monasterij discedit,intrat in cubicula sua,cùm cellam a turbine curarum separatam colit,claudit ostia, cùm cogitationes,& desideria mũdana,nequaquam intrare permittit. Vel (vt Gregorius ait) cubicula ingredimur, (Greg. 4. mor. c. 24.) cùm secreta mẽtis nostræ intramus; ostia autẽ claudimus,cùm desideria illicita coërcemus.] Absconditur etiã populus Dei,cùm (vt ait Hieronymus) nihil gloriæ mũdanæ causa facit, sed fruitur bono cõsciẽtiæ,& solum iudicem expectat Deum.] Hoc præstet (Hier. li. 7. in Isa. 26.)
D anima contemplatrix,ingrediatur cœnobium, vt in cella tamquam in sepulchro maneat,vt ianuam cordis cũctis reb⁹ creatis occludat,vt indignationẽ Domini,quę in distractos,& loquaces cellitas minitatur,aufugiat. Amet solitudinem,vt ea tacens, & hominum frequentiam deuitans, Dei consortium mereatur.Hæc autẽ solitudo(vt clariùs istud documentũ explicemus)duplex esse debet,altera exterior: altera interior.Exterior quidẽ, qua religiosus prudenter onera occupationum externarũ vitet, & in cella solus delitescat, eam diligens tamquam centrum, in quo quiescat,tamquam locum deliciarum, & paradisum voluptatis,in quo purissimam voluptatem inueniat.Illud sancti Iob tota cordis exultatione decãtet.In nidulo meo moriar, & sicut palma multipli- (Iob. 29. 18.)
E cabo dies.]Nam re vera dies cellæ multiplicãtur, cũ vtiliter in cultu Dei,in emẽdatione propria, in ædificatione proximi,& non in rebus inutilibus, cõsumuntur.Hæc exterior solitudo animi candorẽ, munditiemq; cõseruat,quæ inter occasiones videndi,audiendi,& loquẽdi, innumeris periculis est exposita. Mẽtis tranquillitatẽ efficit,dũ curas,& distractiones amãdat cor nostrũ corroborat,dũ à multis negotiis, in quibus erat diuisum,recolligit,& vni, scilicet cõtemplationi, & amori Dei totũ tribuit, & idoneum reddit,vt vocẽ Domini audire valeat. Deus enim in solitudine loqui ad animã cõsueuit,sicut promisit per

Oseam

Oseam, dicens: Ducam eam in solitudinē, & loquar ad cor eius.] Ita tamen huic externæ solitudini quilibet sit ad dictus: vt instante Prælati mādato, aut charitate fratrū postulante, eam prompte & alacriter deserat. Imperium enim prælatorum, aut charitatis officia debita, ob silentium, & cellæ amorem, detrectare, hominis est admodum imperfecti: Interior verò solitudo, quæ multò magis est necessaria, & omnibus viris spiritualibus obseruanda proponitur, in hoc sita est vt contemplatiuis inanes cogitationes abiiciat, inutila desideria reuellat, & omnē amorem creaturarum deserat; & discat interiùs silere, & se mundum, & illibatum à rebus visibilibus custodire. Hæ quippe sunt muscæ morientes, quæ perdunt suauitatem vngnenti: Hæ sunt nubes sine aqua (hoc est, sine aliqua vtilitate,) quæ à ventis circumferuntur,] & solis iustitiæ lumen impediunt, quorum caligine Dominus indignatus ad se orationes nostras venire non finit. Sicut dictum est per Ieremiā? Opposuisti nubem tibi, ne transeat oratio.] In quem locum Hieronymus ait: Nubes opposita orationi videtur, cùm caligine quadam, & nubilo cæcitatis, mens obuoluitur, ne radio diuinæ contemplationis illustrari mereatur.] Silentium ergo, & solitudo exterior, & præcipuè interior, sollicitè tenenda est, vt sponsi casti, & verecundi fruamur amplexibus, & eius sapientiæ plena percipiamus alloquia.

Effectus iam religiosus, cellæ, silentij, solitudinisque dilector, vlteriùs in hoc itinere progrediatur, & propriam animam mortificationis beneficio purificet, atque actiuæ vitæ laboribus, omnes prauos affectus, & vitia mortificet. Quia sicut vas immundū, & plenum veneni, nisi priùs mundetur, & euacuetur, pretiosum liquorem non capit; ita anima fœdata impuris affectibus, & vitiis malè olentibus imbuta, non poterit thesauros orationis, & diuinos afflatus comprehendere. Speculum infectū, & maculatum, pulcherrimā alterius sponsi faciem nō refert: quo pacto mens passionibus turbida, vitiis inquinata, faciē Christi speciosissimā repræsentabit? Si ergo vis, ô anima, in cœlum consideratione & amore conscendere, linque terram, te sua memoria, & affectione vincientem, quia non poteris hic manere, & illuc tēdere. Confringe catenas rerum creatarū, hoc est, desideria, & amores earū, vt libera atq; expedita valeas tantum iter conficere. Vide quo pacto te moneat magnus pater Ambrosius. Transi sicut Moyses, vt videas Deum Abrahā, Isaac, & Iacob, & videas visum magnū, sed si videre vis, solue calceamentum pedum tuorum, solue omne vinculum iniquitatis, solue vincula sæculi, relinque calceamentū, quod terrenū est. Ideò Iesus sine calceamēto, auro, & argento Apostolos destinauit, ne secum terrena portarent.] Dominus quidē secundā Moysi legem daturus, iubet illi: Præcide tibi duas tabulas lapideas instar priorum, & scribā super eas verba, quæ habuerunt tabulæ, quas fregisti.] Antea Dominus tabulas præcidit. Dominus ipse dolauit, & legē digito suo conscripsit. secunda autem vice dolatas, & præcisas tabulas à Mose postulauit, vt in illis suā voluntatem scriberet. Quid hoc? Nisi, quòd Dominus in illo aureo innocentiæ statu primi parentis, potentias, & affectus sine vllo labore composuit, vt diuinæ voluntatis notitiam, & cœlestes consolationes, quasi insculptas, & cælatas reciperet: At in isto statu planè ferreo, in quo regnat peccatum, vult nos tabulas, id est, potentias & affectiones nostras, mortificatione polire, ac læuigare, vt lucem demissam cælitus, & purissimos amoris amplexus valeamus accipere. Quia autē hæc mortificatio à multis contemplatiuis abest, ideo nomē tenent, sed re, & veritate contemplationis carent, nec Christi solatia, & consolationes possident. Optime enim dixit Bernardus. Non consolatur Christi infantia garrulos, non consolantur Christi lacrymæ cachinnantes, non cōsolantur panni eius ambulantes in stolis, non consolantur præsepe & stabulum, amantes primas cathedras in synagogis, sed æquanimiter forte vniuersam hanc consolationem expectantibus in silentio Dominum, lugentibus, pannosis, pauperibus cedere videbuntur.] Anima igitur seipsam emundet, suum intellectum & effectum desideriis terrenis euacuet, vt cœlestis luminis, & diuinarum consolationum sit capax. Anima namque saturata portis & aliis Ægypti, calcabit fauum, esuriens autem, & harum rerum vacua, etiam amarum pro dulci sumet, dum in ipsis lacrymis incredibilem experietur dulcedinem.

Non sufficit autem animam à vitiis & impuris affectionibus emundari, nisi etiam virtutibus, tamquam candidissimis vestimentis, & gemmis pretiosissimis exornetur. Quemadmodum enim, qui regi terreno astant, & mundi sunt, & vt aulam regiam decet conuenienter induti, sic animæ, quæ Deo in aula contemplationis assistunt; vltra munditiam, pretiosum virtutum ornatum debent magna auiditate conquirere. Pueri Hebræorum, qui in aula barbari regis erant ministraturi, bone Deus, & quàm apti, & decori futuri fuisse memorantur! Et ait rex (dicit Scriptura) Asphenez proposito eunuchorum vt introduceret de filiis Israël, & de semine regio, & tyrannorum pueros, in quibus nulla esset macula, decoros forma, & eruditos omni sapientia, cautos sciētia & doctos disciplina.] Si ad seruiendū terreno regi, & barbaro, & idololatræ, tanta requirūtur naturæ dona; quid in nobis desiderandū est, Domine Deus meus, Rex Regum, & Domine dominantium, vt assistamus tibi, seruiamus tibi, & familiaritatem tecum, ac necessitudinem habeamus? Sane existimo non satis esse, vt simus de semine regio, quod gratia nos tibi gratos faciens, & diuinæ naturę consortes, exhibet: neq; vt vitiorū & inordinatarū passionum maculis careamus, nisi etiā virtutis decor, sapientiæ lumen, circumspectionis donum, & disciplinæ pulchritudo, nostram mentem perseueranter circundent. Istæ virtutes sunt, vt magnus Ecclesiæ Doctor Thomas Aquinas docet, quæ contemplationis impedimenta remouent. Contēplatio nāque, aut impeditur passionum vehementia, aut occupationum tumultibus, quæ in corde nostro perstrepentes internum silentium ad orandum, & contemplandum omnino necessarium, interturbāt. Virtutes autem passionum vehementiam cohibent, & actionum exteriorum tumultus, & clamores sedāt, quare mirum in modum ad contemplatiuam vitam disponunt. Quòd si ipsæ affectionum immoderatione, & distractione occupationum liberant, certè nos omni ex parte purificant, vt mundi effecti, Deum sapientiæ oculis videre possimus. Visio enim Dei solis mundis corde, est in Scriptura promissā. Nam Beati mundo corde quoniam ipsi Deum videbunt.] Et rursus alio loco. Pacem sequimini cum omnibus; & sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum.] Quamuis autem vniuersæ virtutes sint ad hanc vitā præparationes necessariæ, sed inter omnes obtinet primum locum humilitas: Hæc est fundamentum aliarum, sine qua, qui virtutes congregat (vt ait Gregorius) quasi in ventum puluerem portat, & vnde aliquid ferre cernitur, inde deteri⁹ cæcatur.] Hæc est, quæ in alto positos, hoc est, iuxta Deum in contemplationis culmine constitutos, stabilit, nè in superbiam

Marginalia: Oseæ. 2. 14. — Eccles. 10. 1. — Iudæ. c. 1. 12. — Threñ. 3. 44. — Hier. lib. 1. in Thr. c. 3. — Amb. lib. de fuga. sculi. c. 5. — Exod. 34. 1. — Bern. ser. 5. in nat. Domini. — Prou. 27. 7. — Daniel. 1. 3. & 4. — Matt. 5. 8. — Hebr. 12. 14. — Gre. hom. in Euāg.

perbiam miserabiliter corruant, & à Domino, qui superbum Angelum sustinere nó potuit, cum indignatione pellantur. Quare summopere omnibus viris spiritualibus amplectenda est, sed illis præcipuè qui ad diuinam familiaritatem aspirant. Nam excelsus Dominus, & humilia respicit,] hoc est, oculis misericordiæ videt, & cælestibus benedictionibus ditat: superbis verò sua beneficia denegat, quia alta à longè cognoscit. Psal. 137. 6.

Post acquisitionem tandem virtutũ diuina præsentia exoptanda est, & facies Domini eximio conatu, & contentione, quærẽda, ita vt huius vitæ sectator in omnibus suis operibus dicere possit: Viuit Dominus in cuius conspectu sto.] Nemo enim eius consuetudine vtitur, quẽ absentem esse cognoscit. Vnde qui Deum intus in animo præsentem non cogitat, haud quaquam poterit eius conuersatione lætari. Hæc iugis cogitatio Dei mirum est, quàm efficaciter animam ad contẽplationem disponat. Quod certè Dominus per Zachariam euidenter expressit. Reuersus (inquit) sum ad Sion, & habitabo in medio Ierusalem; & vocabitur Ierusalem ciuitas veritatis, & mons Domini exercituum, mons Domini sanctificatus.] Reuertitur enim Dominus ad Siõ, cùm misertus animæ, suæ præsentiæ, & assiduæ memoriæ, ei desiderium immittit. Habitat in medio Ierusalẽ, cùm iugem sui memoriam, diu desideratam, concedit, & se tamquã in medio cordis habitantem videre permittit. Tunc vocabitur anima ciuitas veritatis, & mons sanctificatus, quia ad notitiam veritatis per contemplationem effertur, & quasi templum Domini, in quo cultus eius viget, constituitur. Laboret itaque anima in adipiscenda ista memoria Dei, qua & timorem diuinum conseruans, & charitatem accendens, & iudicem omnium cogitationum, & operum astantem, & prospicientem considerans, nihil noxium, nihil vanum, aut otiosum admittet. Rebus autem vanis purgata, & creaturis vacua, Domini cogitatione sincerissima, & purissimo amore replebitur. Sex ergo collegimus adiumenta vitæ contemplatiuæ. Primum ex parte Dei, nimirum eius vocatio, qua nonnullas animas, imò & plurimas, ad hoc vitæ genus misericorditer trahit; quinque verò, ex parte nostra, non sine gratia, atq; adiutorio Dei. Ista autem sunt; puritas intentionis; amor silentij, & quietis; cura mortificationis; exercitatio virtutis; & assidua memoria Creatoris: sine quibus frustra enitetur quis interioribus studiis perseueranter intendere, & vitam contemplatiuam sine intermissione possidere. Zachar. 8. 3.

De officiis vitæ contemplatiuæ.

CAPVT XXXI.

HIs adiumentis mens nostra disposita, ac præparata, poterit fructuosè vitæ contemplatiuæ officiis intẽdere. Quæ omnia Beatus Thomas Aquinas, more scholastico, partim docẽdo, partim obiectionibus satisfaciẽdo, collegit. Huiusmodi autem sunt verbi Dei auditio, librorum spiritualium lectio: sacrarum literarum studium; rerum ad animum illuminandum, & perficiendum scriptio; diuinorum officiorum auscultatio; vocalis oratio, quæ horis canonicis, aut Sacrificio Missæ, aut alia quapiam oratione perficitur: & tandem exercitatio mẽtalis, quæ in cogitationem, meditationem, orationem, contemplationem, & affectum voluntatis diuisa, prolixam satis nobis materiam, suo loco scribendi, subministrat. Istæ omnes functiones animæ, vitæ cõtemplatricis sint propriæ, ab amore Dei debent incipere (vt idem Beatus Doctor ait) & in eodem amore terminari. Hic namque diuinus amor, est omnis vitæ spiritualis principium, & finis, quare, quæ ab ipso non incipiunt, vel in ipsum amorem non tendunt, ad vitam contemplatiuam, quæ spiritualis vitæ pars est, haud quaquam spectabant. Harum fũctionum animæ, quatuor priores, nempe, rerum sanctarum auditio, lectio, studium, & scriptio, animum, vt sciat quò tendere debeat, illuminant: diuinorum officiorum auscultatio mentem recreat, vocalis oratio exercet, & ad diuinum lumen recipiendum disponit: Cogitatio vocat, meditatio inuestigat, oratio impetrat, contemplatio saltat, & voluntatis affectu Deo nos coniungit, ac copulat. Verbum Dei auditum mouet, lectio docet, studium illustrat, scriptio lucem studio acquisitam perficit, vocalis oratio præparat, cogitatio colligit, meditatio eleuat, contemplatio mundat, & affectus mentem Deo infert, ac rebus diuinis assimilat. D. Tho. 2. 2. q. 180. art. 1. D. Thom. 2. 2. q. 180. art. 3.

Auditio verbi Dei est, cùm prædicatores, aut alios de rebus spiritualibus loquentes, attentè atque humiliter audimus, eorumque sermones, vt ad res diuinas afficiamur, aure cordis percipimus. Quæ actio Mariæ, id est, vitæ contẽplatiuæ est, & ideò sedens secus pedes Domini, audiebat verbum illius.] Audiunt contemplatiui verba diuina, non vt intellectum curiositate pascant, non vt quæ audierint, vanè corã aliis effundant, non vt loquendo, quæ non faciunt, scioli appareant; sed vt audita custodiant, & operatione perficiant; quia scriptum inueniunt: Beati qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud.] Custodire, operari est, & virtutũ exercitatione proficere. Vnde Bernardus. Sic serua sermonẽ Dei, quomodo meliùs seruare potes cibum corporis tui. Nã & ille panis viuus est, & cibus mentis. Panis terrenus dum in arca est, potest à fure tolli, potest à mure corrodi, potest vetustate corrumpi; vbi verò comederis illũ, quid horũ timeas? Hoc modo custodi verbum Dei. Beati enim, qui custodiũt illud. Ergo traiiciatur in viscera quædam animæ tuæ, trãseat in affectiones tuas, & in mores tuos. Comede bonum, & delectabitur in crassitudine anima tua.] Ne obliuiscaris comedere panem tuum, ne exarescat cor tuũ, sed adipe, & pinguedine repleatur anima tua. Si sic verbum Dei seruaueris, haud dubiũ quin ab eo serueris.] Breuiter explicat finem, & fructum auditionis verbi Dei. Ad hoc auditur, vt seruetur, ad hoc verò seruatur, vt ipsum nos à malo custodiat. Lucæ 10. 39. Lucæ 11. 28. Bern. ser. 5. de aduentu Dom. Isaie. 55. 2.

Lectio est, cum sanctarum scripturarum paginas, aut sanctorum doctorum libros euoluimus, non solũ, vt sciamus, sed vt spiritu proficiamus, & Dei voluntatem intelligentes, eam opere exequamur. In hoc quippe lectio ab oratione secernitur: Nam cùm oramus (inquit Augustinus) ipsi cum Deo loquimur; cùm verò legimus, Deus nobiscum loquitur. Ita ergo legendum est, ac si Deum ipsum præsentem, & nos erudientem audiremus. Et sic illum lectionis fructum colligemus, quem idem pater Augustinus statim exposuit, cuius hæc est oratio. Geminum cõfert donum lectio sanctarum Scripturarum siue quia intellectum mentis erudit, seu quia à mundi vanitatibus abstractum hominem ad amorem Dei perducit. Labor honestus est lectionis, & multis ad emundationẽ animi proficit. Sicut enim ex carnalibus escis alitur caro, ita ex diuinis eloquijs interior homo nutritur, & pascitur. Sicut psalmista ait: Quam dulcia faucibus meis eloquia tua Domine, super mel, & fa- August. ser. 112. de tempore. Psal. 118. 103.

uum

uum ori meo.] Sed ille beatissimus est, qui diuinas Scripturas vertit in opera,] Vt autem ex lectione istud emolumētū percipiamus, nō debet esse festina, sed lenta: non continua, sed oratione interrupta, nō humi repens, sed ita, vt in meditationem assurgat. Erit lenta, & quieta, si ex ea non tam scientiam quā affectum quæramus, non tam intellectum erudire, quàm voluntatem à malo subtrahere, & ad bonum incitare. Erit interrupta, si, cùm volumē accipimus, non tātùm legere, sed etiam orare intendamus. Vnde Bonauentura ait: Hauriendus est sæpe de lectionis serie affectus, & formando inde oratio, quæ lectionem aliquando interrumpat. Hoc modo diuina lectio confert intelligentiam salutarem, & scientia, quæ pro virtute despicitur, per virtutem postmodū melius inuenitur.] Erit eleuata, si quod legimus, nō leuiter attingamus, sed attentè & profundè considеremus. Adhibet Hugo aptissimum huius eleuationis exemplum. Cùm legimus, declina à malo, & fac bonum.] Accedit (inquit) meditatio lectioni. quare dixit priùs; declina a malo, & postea, fac bonum? Causa, quia nisi priùs mala recedant, non adueniūt bona. Ratio, sicut priùs mala germina eradicatur, postea plantantur bona. Item, quare dixit, declina à malo? Quia in itinere occurrunt. Item, declina? Quia vbi fortitudine resistere non possumus, consilio, & ratione declinando euadimus. Item declinamus mala, vitando materiā peccati, vt pro superbia diuitias; pro incontinentia abundantiam, pro concupiscentia speciem carnis: pro inuidia & contentione vitā da, amorē possessionis. Hoc est declinare. Itē, si quēadmodum omne malum declinandum præcipitur, sic omne bonum faciendum iubetur. Et sicut, qui non omne malum declinat, sic, qui non omne bonum facit, reus est. Sed si sic est, quis non est reus? Ergo ab omni malo declinare iubemur.] Optimus sanè legendi modus, quo veritas legitur, & eius pulchritudo desideratur. Qui ita, spiritualis lectionis cibum capit, vt quæ legit, ruminet, & attenta meditatione consideret, parum quidem leget, hoc est, non multas paginas euoluet, sed lecta in propriam substantiam affectus transmissa, nōn paruum ex lectione fructum percipiet.

Bonauent. in spec. Discip. p. 1. c. 7.

Hugo. libello de meditat.

Studium est, cùm sacras Scripturas addiscimus, aut alias scientias ad eius intelligentiam necessarias cōparamus. Quare Augustinus, vitæ contemplatiuæ ministeria pertractans, sic ait: Eligant sibi partem meliorem, vacent verbo, inhient doctrinæ dulcedini, occupentur circa scientiam salutarem.] Sed habemus firmiorem sacrarum literarum, cui adhæreamus, sermonem. Sapientia scribæ (inquit Ecclesiasticus) id est, sapientis, seu legis doctoris, in tempore vacuitatis percipienda est, & qui minoratur actu, hoc est, à vitæ actiuæ operibus elongatur, sapientiam percipiet. Nam qua sapientia replebitur, qui tenet aratrū, & qui gloriatur in iaculo, stimulo boues agitat, & cōuersatio in operibus eorum, & enarratio eius in filiis taurorum?] Profectò nulla. Nam istæ externæ occupationes, licet valdè necessariæ, à contemplatione animū auocantes, scientiæ acquisitionem non admittent. Imò, & ipse Diuinus spiritus, contemplatiuorum vitam describens, non postremo loco scientiæ studium collocauit. Sapientiā (inquit) omnium antiquorum exquiret sapiens, ille scilicet, qui opificum exercitia posthabens ad diuinorum contemplationem anhelat; & in prophetis vacabit. Narrationem virorum nominatorum conseruabit, & in versutias parabolarū simul introibit. Occulta prouerbiorum exquiret. & in absconditis parabolarū conuersabitur.] Quid enim est scripta

Eccles. 38. 25.

Eccles. 39. 1.

A antiquorum euoluere, prophetarum prædictiones addiscere, Sanctorum expositiones percipere, parabolarum obscuritates, ac sensuum mysticorum arcana inuestigare, nisi scientiæ studere, & intelligentiam ab ignorationis caligine liberatam, sapientiæ lumine decorare? Hoc excellentissimo addiscendi labore homo vtilissimè tempus consumit, & mirificè suam naturam perficit, quæ cùm sit rationis capax, rationis operibus ad debitam sibi dignitatem euehitur. Hoc præstantissimo officio sibi ipsi consulit, dum, quæ sunt ad vitam, secundùm præscriptum virtutis transigendam necessaria, cognoscit, & bono aliorum prospicit, dum ad alios iuuandos, & instruendos aptus efficitur. Licèt autem omnis scientiæ conquisitio, quæ amore veritatis addiscitur, &

B in humanæ vitæ eruditionem ordinatur, vitæ contemplatiuæ possit attribui, sed præcipuè studium sacrarum Scripturarum, primum in hoc genere, & nobilissimum locum obtinet. Nam Scripturæ sunt à Deo ipso sapientiæ fonte dictatæ, in finem æternæ fœlicitatis ordinatæ, Christi Saluatoris nostri mysteriis refertæ, cogitatione rerum cœlestium, & arcanorum celsissimorum plenæ, omnium aliarum scientiarum dominatrices, & ad hoc, vt nos doceant, hortentur, consolentur, & emundent institutæ. In his addiscendis religiosi suas curas ponant & secundùm præceptum Domini, Scripturas scrutentur, in quarum obseruatione verè putant se vitam æternam habere.] In his euoluendis sua solatia

Ioann. 5. 39.

C constituant, ita vt possint illud Machabæorum dicere: Habentes solatio sanctos libros, qui sunt in manibus nostris.] Ab his tamquam ab ipso sermone Dei, benè sanctéque viuendi normam accipiant, & ita eis vacent, vt quæ didicerint, in actus suos, morésque transfundant. Ab his tandē remedia omnium suarum necessitatum accipiant. Optimè enim dixit Origenes: Et tu ergo, si verbum Dei, quod in Ecclesia prædicatur, tota fide, tota deuotione susceipies, fiet tibi ipsum verbum, quodcumque desideras. Verbi gratia, si tribularis, consolatur te, dicens: Cor contritum, & humiliatum Deus non spernit.] Si lætaris pro spe futura, cumulat tibi gaudium, dicens: Lætamini in Domino, & exultate iusti.] Si iracundus es, mitigat te, dicens: Desine

1. Mach. 12. 9.

Orig. ho. 7. in Exo.

Psal. 50. 19.

Psa. 31. 11.

D ab ira, & derelinque indignationem.] Si in doloribus, sanat te, dicens: Dominus sanat omnes languores tuos.] Si paupertate cōsumeris, cōsolatur te, dicens: Dominus alleuat de terra inopem, & de stercore erigit pauperem.] Sic ergo manna verbi Dei reddit in ore tuo saporem quemcumque volueris.] Miserrimum est sanè, eos religiosos, qui literis vacant, hanc vtilissimam, & præstantissimam scientiam digito Dei exaratam, & Sanctorum Patrum lucubrationibus explicatam, relinquere, & alijs studijs semper insistere, quæ aut inutilia sunt, aut si vtilia, tamquam instrumenta ad intelligendas sacras literas debent ordinari.

Psal. 36. 8.

Deut. 7. 15.

Psal. 112. 7.

E Scriptio est, cùm res spirituales, aut ad spiritum ordinatas, quæ nostræ, & aliorum eruditioni deseruiant, literis consignamus. Vnde bene Dionysius Richelius ait: Scribere nobile est monachi inter corporalia opus, quatenus, qui linguis prædicare, & docere nequimus, libris conscriptis legentes ædificemus, atque prædicandi eisdem materiam relinquamus.] Qui sapientiam, quam didicerunt, literis tradunt, meritò illud sapientiæ sibi possunt arrogare. Quam sine fictione didici, & sine inuidia cōmunico, & honestatem illius non abscondo.] Neque obstat, quod in Ecclesiaste scriptum est. Faciēdi plures libros nullus est finis.] Hoc enim non ideo

Dyon. Ri. l. de vita & fine solitar. art. 1.

Sap. 7. 13.

Eccle. vlt. 12.

dicitur,

A dicitur, quia labor scribendorum voluminum sit inutilis, sed quoniam sicut intellectus humanus nunquam veritatis inquisitione satiatur, ita numquam à scribendo cessabit. Librorum ergo scriptio non habet finem: nam quamdiu Ecclesia durabit, non deerunt viri diligentes, & docti, qui libros scribant, & suarum meditationum memoriam posteris tradant: & habet finem, quia ad etuendam, elucidandamque veritatem, vel ad affectus promouendos dirigitur. Vel si alium intellectum sententiæ huius exoptas, accipe à Gregorio Episcopo Neocæsariensi, illo quidem insignium operum patratore, qui ita interpretatur. *Gre. Neo. com. in Eccles. ad finem.* Cæterùm verborum multorum nulla est vtilitas, nec tibi vir, amice, auctor fuero, vt ea, quæ minùs conuenit, inutili opera conscribas, ex quibus præter inanem laborem, nihil commodi percipiatur.] Non ergo scribendorum librorum omnis labor reiicitur, sed inutiliũ rerum scriptio damnatur.

Ausculatio diuinorum officiorum est, cùm viri spirituales horis canonicis, & aliis Ecclesiæ canticis reuerenter intersunt, quo ad diuinum amorem excitentur, & in desideria rerum cælestium efferãtur. Qua ex occupatione, quantam, tuam suauitatem, tum vtilitatem magnus ille pater, & magistrorum magister Augustinus perciperet, ipse in hunc modum cum Domino colloquia miscens, declarat: *Aug. lib. 9. confess. c. 6.* Quantùm fleui in hymnis, & canticis tuis, suaue sonantis Ecclesiæ tuæ, vocibus commotus acriter? Voces illæ influebant auribus meis, & eliquabatur veritas tua in cor meum, & ex ea æstuabat inde affectus pietatis, & currebant lacrymæ, & benè mihi erat cum eis.] Cassianus verò hũc fructum exaggerans manifestè dicit sanctos eremi cultores, cùm psalmorum cantibus præsentes aderant, in extasim rapi solitos, & ingenti diuini amoris igne succendi. *Cassia. li. 2. de institut. renun. c. 10* Nulli gemitus (inquit) nulla suspiria, etiam adstantes impeditura promuntur, nulla vox absque sacerdotis prece concludentis auditur; nisi fortè hæc, quę per excessum mentis claustra oris effugerit, quæque insensibiliter cordi subrepserit, immoderato scilicet atque intolerabili Spiritus feruore succensa: dum ea quæ ignita mens in semetipsa non præualet continere, per ineffabilem quemdam gemitũ ex intimis pectoris sui conclauibus, euaporare conatur. O vtinam nũc tanta præparatione religiosi ad chorũ accederent, tanta attentione, & reuerentia canerẽt, vt sic à Domino visitari, & ad diuina rapi mererentur; sed cordis nostri tepiditas, & mentis distractio tanta est: vt quo loco Deum placare, & ad nos allicere debuissemus, ibi ipsum ad indignationem prouocantes, nostra socordia, à cœtu, & congregatione nostra repellamus.

Alij actus, qui subsequuntur, intimius ad vitam contemplatiuam spectant. Oratio enim vocalis est, quæ à mentis attentione progrediens, & eadem attentione, & reuerentia comitata, verborum compositione profertur. Nam si orem lingua (inquit Paulus) Spiritus meus orat,] (id est, flatus oris mei, vt exposuit Anselmus) mens autem mea, sine fructu est. *1. Cor. 4. 14. Ansel. ibi. ibidem. 11.* Quid ergo est, Orabo spiritu, orabo & mente; psallam spiritu, psallam & mente?] Et meritò quidem hæc vocalis oratio ab Ecclesia immobiliter custoditur; non solùm, quia facilior est, & omnibus accommodata fidelibus, adhuc illis, quibus vel propria ruditate cogente, aut negotiis externis impedientibus ad orationem mentalem aditus præcluditur; verùm etiam perfectis viris præcipitur, tãquã valdè fructuosa; quia omniũ, siue imperfectorũ, siue perfectorum corpora à Deo creata sunt, atque adeò æquũ est, vt cunctorum corpora ipsi tamquã Creatori subdantur, illum interpellent, à quo vitam & incolumitatem accipiunt, eiq; ob perpetua beneficia, offerant laudationis obsequia. Profectò in cælesti patria, corpora Creatorem sunt vocibus laudatura. Nam exultabunt sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis, exaltationes Dei in faucibus eorum.] *Psa. 149. 5.* Quæ enim sunt cubilia Sanctorum, nisi cælestes illæ mansiones, in quibus Deum possidendo in æternum exultant? In his mansionibus fauces habent exaltationis plenas, quia ora sua in diuinis laudationibus laxant, & sui creatoris etiam ore carnali, beneficia prædicant. Quod & Iob significat, dicens: *Iob. 8. 20. & 21. Gregor. 8. mor. c. 31.* Deus non proiiciet simplicem, nec porriget manum

B malignis, donec impleatur risu os tuum, & labia tua iubilo.] Quo loco, Gregorius benè ait: Os risu impleri dicitur, & labia iubilo, quia in illa æterna patria, cùm iustorum mens in exultationem rapitur, lingua in cantum laudis eleuatur. Qui quoniam tantùm vident, quantùm dicere non valent, in risu iubilant, quia non explendo resonant, quod amant.] Quin & Beatus Augustinus: Quanta erit (inquit) illa fœlicitas, vbi nullum erit malum, nullum latebit bonum, vocabitur Dei laudibus, qui erit omnia in omnibus? *Augu lib. 22. de ciuitate c. 30. ad Marcel.* Nam, quid aliud agatur, vbi neque vlla desidia cessabitur, neque vlla indigentia laborabitur, nescio. Admoneor etiam sancto cantico, vbi lego, vel audio: Beati qui habitant in domo tua

C Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te.] *Psal. 83. 5.* Omnia membra & viscera incorruptibilis corporis quę nunc videmus per vsus necessitatis varios distributa, quoniam tunc non erit ipsa necessitas, sed plena, certa, secura, sẽpiterna fœlicitas, proficient in laudibus Dei.] Si ergo ibi Deum verbis, & voce laudabimus, æquum est, vt in hac vita, in qua illius similitudinem cupimus, hymnis, & canticis ore prolatis, glorificemus.

Quinque actiones, quæ supersunt, sub oratione mentali continentur. Cogitatio enim est (vt inquit Richardus Victorinus) improuidus animi respectus ad euagationem pronus. *Rich. 10. de contij. c. 4.* Cùm scilicet animus sine anticipatione aliqua, sine discursu, & sine mora, qua

D si in quodam transitu boni alicuius cognitione tãgitur, quæ cognitio euestigio dilabitur. Meditatio est, prouidus animi obtutus in veritatis inquisitione vehementer occupatus, quæ propriè ad ratiocinationẽ refertur; cùm ex vno nobis noto, aliud incognitum penitus, aut minùs notum elicimus. Oratio est, (vt dixit Damascenus) petitio decẽtium à Deo.] *Damasc. lib. 3. de fide c. 24.* Et quidem hæc, vt feruẽs sit, communiter ex meditatione progreditur. Nã postquam meditatione didicimus, quæ nobis fugienda sint, vel amanda, videntes non posse nos sine Dei fauore, aut malũ fugere, aut bonum pręstare, ad orationem pro auxiliis impetratione festinamus. Contemplatio est, perspicax, & liber animi contuitus, in res perspiciendas, vsque quaque

E diffusus Et optimè intuitus vocatur, quia discursu carens ad modũ cuiusdam visionis perspicacissimè res cælestes intuetur Hæc omnia ad id, quod postremo loco positum est, tendunt, nimirum ad voluntatis affectum Omnis namque cognitio, quę bono aliquo affectu non terminatur, insipida est, & ieiuna. Ad hoc igitur cogitamus bona, meditamur sancta, petimus vtilia, contemplamur cælestia; vt voluntas affectibus tamquam ignibus inardescat. Ideo mens exercitatione mentali occupata, modò præteritorũ peccatorum memoriã compungitur; modò de præsentibus defectibus erubescit; modò quæ in futurum perpetrare potest, exhortet. Iam aduersus passiones suas, & vanos amores indignatur; Iam desi-

dério virtutum allicitur; Iam humilitatis, mansuetudinis, fraternæ charitatis, cæterarúmque virtutũ exercet actiones. Iam amat, iam sperat, iam se ipsam benignissimo Creatori offert; iam omnia sua illi donat; iam gratias agit, iam cum ingenti exultatione se diuinæ voluntati committit. Denique tanta pace interdum, & tranquillitate perfunditur, & tot aliis sanctis affectibus saginatur, vt nullo modo lingua carnis eos possit exprimere. Sed de his affectibus animus est suo loco latissimè disputare, si Dominus, qui vitæ & mortis habet imperium, vitam concesserit, & obedientiæ onus scribendi opportunitatem non excluserit. Hæc de actibus vitæ contemplatiuæ non tam expressimus, quàm pro necessitate materiæ breuiter prælibauimus.

Quòd vita contemplatiua est propria religiosorum solitariorum, & hi quales esse debeant.

CAPVT XXXII.

VITAM contemplatiuam esse eorũ religiosorũ, qui in solitudinibus cænobia ex instituto cõstruxerunt, & à populis elongãtur, cuiusmodi sunt, qui sanctorũ patrum, Basilij, Hieronymi, Augustini, Benedicti, Brunonis, & Bernardi vestigiis inhærent, nõ erit difficile comprobare. Ad quid enim hi populorũ frequẽtias fugitant, & occupationũ sollicitudines abiiciũt, nisi vt sibi ipsis, & Deo intẽdãt, ac more Angelorũ diuinis laudibus, & contemplationi cælestium mysteriorum insistant? Omnis enim humana vita, quæ secundùm virtutem instituitur, aut in externis virtutis operibus distinetur: aut in internis mentis functionibus occupatur, neque otio consumitur, quod est vniuersæ bonitatis excidium. Cùm ergo istorum religiosorum vita, operibus externis sit libera, consequens profectò est, vt mentis considerationibus sit addicta. Hoc autem significat Propheta regius in persona cuiuslibet monachorum, dicens: Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo, & requiescam?] Pericula sæculi videns, ad vitam contemplatiuam vocatus, columbæ pennas ad fugiendum desiderat. Columba autẽ typus est Spiritus sancti. Quia vidi (inquit Ioannes) Spiritũ descendentem quasi columbam de cælo, & mansit super eum.] Nimirum super Christũ Iesum: pennas autẽ huius innocentissimę columbæ petere, quid est, nisi diuini Spiritus gratiam ad fugiendum postulare? Et quò anima his pennis instructa conuolabit, nisi in locum huic nostræ columbæ, cuius sunt pennæ, amicum, nec suæ puritati, & sanctitati minùs gratum? Columba (vt ait Rupertus Abbas) sedet supra riuos aquarum: Ducet ergo animam pennis sapientiæ, vbi requiescat iuxta fluenta Scripturarum. Columba nihil viuum comedit, portauit igitur eam plumis intellectus, vbi nihil malè viuũ, id est, id quod mundo viuit, acceptet. Columba alienos pullos nutrit, feret itaque animam in eum locum per donum consilij selectum, in quo alienos filios, scilicet peccatores, qui recesserũt à Domino, precibus, & oratione sustentet. Colũba in petra nidificat; vnde illos, quos deligit, munere fortitudinis in petram extollet, petra autem erat Christus, in cuius vulneribus nidum suum tutissimum collocabũt. Columba grana candidiora colligit, quare animam

Psal. 54. 7.

Ioan. 1. 32.

Rupert.

1. Cor. 9.

A citra dubium impellet in eam regionem amœnissimam, in qua dono sciẽtiæ grana virtutum candidissima coaceruet. Columba felle caret, eius ergo erit animam dono pietatis ab amaritudine sæcularium curarum auellere, & in loco diuinis amoribus accommodato constituere. Columba gemitum pro cãtu habet, igitur vocabit animam in desertum, vbi gemitibus inenarrabilibus Christum exoret. Habitationem his proprietatibus decoratam requirit, qui ad requiescendum, pennas columbæ, quibus volet, exoptat. Quia tamen desiderium pauperum exaudiuit Dominus, statim pauper iste pẽnas columbæ deposcens, ingenuè fatetur se fuisse à Domino clemẽter auditum. Ecce (inquit) elongaui fugiens, & Psal. 54. 8.

B mansi in solitudine.] In loco quidem columbæ gratissimo, in quem sæpissimè animas columbinam simplicitatem amantes, deducit. Solitudo est, vbi istæ animæ, sacrarum Scripturarum pane nutriuntur, nihil quod mundo viuat admittunt, peccatoribus opem ferunt, Christi vulneribus se meditando ingerũnt, virtutum omnium perfectionem comparãt, affectus sancti amoris colligunt, & orationibus assiduis suum Dominum interpellant. Sed ad quid, ô pauper fugiens te elõgasti: cuius causa in solitudine mansisti? Expectabã eũ (inquit) qui saluum me fecit Psal. 54. 9.

à pusillanimitate Spiritus, & tẽpestate.] Ad hoc sane in solitudinẽ secessit, vt Domini aduentũ expe-

C ctaret, vt lũbos suos, omnia mundana contẽnendo, præcingeret, contẽplationis lucernã in manibus teneret, & sic esset similis hominibus expectantibus Dominũ suũ quãdo reuertatur à nuptiis.] Hęc expe- Luc. 12. 36.

ctatio Domini, qui solitarios à pusillanimitate liberat, vt magna optare audeãt, & à tempestate sollicitudinũ eripit, ne eos à quiete contemplationis impediat, vitam contemplatiuam indicat, quam debẽt tota suę mentis contentione sectari. Sicut enim, qui sperat, illud cogitat, illud desiderat, illud loquitur, de illóque interrogat, cuius amore, & expectatione tenetur; ita vita hæc expectatio Domini dicitur, quia omnibus aliis curis sepositis in Deo cogitationes, desideria, affectúsque constituit.

Quales igitur futuri sint isti vitæ contemplatiuæ amatores in solitudinibus sub cura prælati, & in consortio fratrum habitantes; licèt nos eorũ insti-

D tutum non profiteamur, tamen ex his, ad quæ anhelamus, cùm singulis annis per aliquot dies curas deponimus, & in locum remotum secedimus, vt sordes peccatorum nostrorum lacrymis diluamus, & Deum pro modulo nostro contemplemur, possumus vtcumque coniectari. Proposito namque ante oculos prædicto huius vitæ fine, in cuius adeptione omnes suorum laborum neruos intendent, à procuranda quiete, non solùm corporis, sed multò magis mentis, huius instituti iter incipiant. Quies corporis est, vt in vno loco, scilicet in cella, aut in erẽmo solitarij quiescant. Quies verò mentis, vt omnem turbationem, omnem curam, omne desideriũ, omnem rei creatę memoriam à se remoueant, quasi

E nihil esset in mundo nisi solus Deus, quem sunt intentissimo feruore cordis amaturi. Ista quies est veluti officina, in qua ars contemplationis addiscitur, & omnium virtutum actus exercentur. Nam corpus per varia loca discurrens, sensus euagantes, & animus curis, desideriisq; distractus, qua ratione poterit suum contuitum in res cælestes defigere, & ad virtutũ possessionem festinare? Iure optimo Beatus Ephrem magnus ille Ecclesiæ Edissenæ Diaconus, quieti mentis laudem magisterij virtutis ascribit. Inter alia enim, sic inquit. Posside autem, & mẽtis trãquillitatem, atque quietẽ, frater, pro muro munitis-

Ephrem. lib. de paenitentia, & c. m. pun. 1.

simo

simo: Nam quies superaret ie faciet passiones tuas: tu enim de loco superiori pugnas, illæ autem de loco inferiori. Acquire igitur cũ timore Dei quietem, & non nocebunt tibi quęcumque tela inimici. Nam quies cum timore Dei coniuncta, currus igneus est, in cœlũ possessorem suum efferens. Fidem illius tibi faciat Propheta Elias, qui quietem ac timorem Domini amans, assumptus est quasi in cœlum: ô quies monachorũ profectus! ô quies scala cælestis! ô quies via regni cælorum! ô quies compunctionis mater! ô quies pœnitentiæ conciliatrix! ô quies peccatorum speculum, quæ homini sua scelera, atque delicta ostendis! ô quies, quæ lacrymas nequaquam impedis! ô quies mansuetudinis procreatrix! ô quies humilitatis contubernalis, ac socia! ô quies, quæ ad pacificum statum hominem perducis: ô quies timori Dei coniuncta, quæ menti tamquam fenestra lucem infers! ô quies cogitationum inspectrix, & discretionis adiutrix! ô quies omnis boni genitrix, ieiunij firmamentum, & gulæ impedimentum! ô quies orationis, sacræque lectionis vacatio! ô quies cogitationum serenitas, & tranquillitatis portus! ô quies animæ securitas! ô quies iugum suaue, & onus leue, reficiens portansque portantem te! ô quies animæ, ac cordis lætitia! ô quies oculorum, & aurium, linguæque frænum! ô quies procacitatis intemperatrix, & impudentiæ inimica! ô quies pietatis, ac religionis mater! ô quies passionum carcer! ô quies omnis virtutis cooperatrix! ô quies voluntariæ paupertatis hospita, & amica! ô quies Christi ager fructus optimos proferens! ô quies diuino timore coniuncta, munus, ac propugnaculum decertare cupientum propter regnum cælorum!] Hactenus Beatus iste pater recensuit tranquillitatis commoda Ea verò sublata, vniuersa ad Deum contemplandũ necessaria, funditus euanescunt. Sicut enim fons aquæ turbidus, non exprimit rerum iuxta positarum imagines; tranquillus autem ac quietus omnia tam propè quàm longè posita, vt arbores aquæ propinquas, & solem, lunam, & stellas dissitas repræsentat: ita mens inquieta nihil aptè cogitat, sed propriæ turbationis obscuritate tabescit: pacata verò, & quieta, tum quæ iuxta sunt, hoc est, se ipsam, & suas miserias, imbecillitatesque considerat: tum quæ longè sunt, id, est, superna Dei dona, à quibus abest, agnoscit, & istorum causa desideriis inardescit, illorum autem gratia in fletus lacrymásque resoluitur.

4. Reg. 2. 11.

Quietem corporis, & mentis, cura affligendi carnem, & castigãdi corpus subsequatur. Ad hoc enim sancti patres desertum petiuerunt, sibique solis remoti vixerunt, vt hunc virtutis hostem, vigiliis, ieiunationibus, flagris, genuflexionibus, stationibus, & aliis corporis castigationibus spiritui subiugarẽt. Et valde absurdum est loco deliciarum nuncium remittere, & ad statum pœnitentiæ, & afflictionis conuolare, vt quis cibo, & potui, & somno indulgeat, & liberiùs quàm in sæculo suis cupiditatibus seruiat. Christus Saluator noster ductus est ab Spiritu sancto in desertum, numquid, vt corpus immaculatum opiparis cibis, & pretiosis vinis immoderatè reficeret? Non, sed, vt quadraginta dierum ieiunio conficeret, & fortiter aduersus hostem veternosum pugnaret. Numquid Ioãnes Baptista in erẽmum secessit, vt mollitiem vestimentorum, & lectuli delicias haberet? Non, sed vt cilicium de pilis camelorum indutus, & zona pellicea præcinctus, & locustis, ac melle syluestri refectus, omnem mundi gloriam, & dignitatis ambitum conculcaret. An Pauli, Antonij, & Hilariones, & (vt accommodatiùs ad rem nostram loquar) an Hieronymi, Benedicti, & Brunones, soli-

Matth. 4. 1.

Matt. 3. 4.

A tudinum antra incoluerunt, vt otiosam vitam ducerent, & nullo se laborum genere fatigarent? Non sanè, sed vt orationi instarent, & magnis afflictionibus se castigantes, mundi voluptates irriderent, & corpuscula sua in obsequium Christi, prolongato martyrio, crucifigerent. Ita & nunc sapientes cœnobitæ, se in monasteriis abscondunt, quò saluatorem suum, & sanctos imitantes, & corpora sua, voluntaria castigatione cohibẽtes, ea sacrificia immaculata offerant, & hostias acceptabiles efficiant. Elias nobilissimus solitariorum pater, in quo ab Ochozia rege cognoscitur? Equidem existimo, quia in habitu pœnitentiæ, atque in veste villosa, & hirsuta. Cùm enim interrogasset Ochozias, cuius figuræ & habitus esset vir ille, qui nuntium illi mortis immitteret, & audisset, vir pilosus, & zona pellicea accinctus renibus, statim eum ex vestimenti vilitate, & asperitate cognouit, dicens: Elias Thesbites est.] Hoc fuit indicium patris, sit etiam & filiorum insigne. In ieiunio, in cilicio, in vigilia, in facie pallida, & macilenta monachos vniuersi cognoscant. Non decet filios, nouas & inusitatas vestes, & insueta fercula in desertum inuehere, & patrũ cibos, & indumenta despicere. Corporis castigatio vna est ex duabus aliis, quibus contemplatiuorũ oratio in cælum erigitur, & ad thronum Domini aditum reperit. Vnde Bernardus: Duas alias habeat oratio nostra, contemptum mundi, & afflictionem carnis, nec dubiũ, quin cælos penetret, & dirigatur, sicut incensum in conspectu Dei. Erit enim gratum sacrificium, & acceptabilis oratio nostra, in qua cum auro, & thure, fuerit etiam & myrrha, quæ licèt amara sit, tamen pertutilis est, & conseruat corpus, quod mortuum est propter peccatum, ne defluens in vitium, putrefiat.] Oratio his alis destituta, quid faciet? amore sæculi, & deliciarum pondere prægrauata, quid poterit? Non dubito, quin præ tepiditate humi repet, & nihil, aut parum à Domino scrutatore cordium impetrabit. Sanctus Iacob, cùm è domo sui patris egreditur, & in Mesopotamiam vxoris accipiendæ gratia proficiscitur, in itinere vitam asperam durámque sectatur. Nõ amiciebatur vestimentis pretiosis, nec vescebatur cibis delicatis, qui votum vouit, dicens: Si fuerit Deus mecũ, & custodierit me in via, per quã ego ambulo, & dederit mihi panem ad vescendum, & vestimentum ad inducendum, erit mihi Dominus in Deum.] Nõ dormiebat in molli culcitra, nec caput blãdo ceruicali sustẽtabat, qui in terra iacens, & lapides supponens capiti suo, sine vlla molestia dormiuit. Et quod fuit hui' corporeæ afflictionis emolumentum? Certè quòd vitæ spiritualis scalam, in cælum vsque protensam conspexit, Angelos ascendentes, & descendentes vidit, Dominũ scalæ innixum considerauit, verba eius audiuit, largam bonorum promissionem accepit. Hunc ergo patriarcham solitarius imitetur, si patriam, parẽtes, & amicos, opes, & dignitates, amore spõsæ, hoc est, sanctæ perfectionis deseruit, & Angelorum Dominique conspectum, eiusque benedictionem optat accipere. Illi primi eremitæ sub Marci Euangelistæ disciplina militantes, quorum institutum Philo disertissimus Iudæorum in libro de vita cõtemplatiua describit, hanc parcitatem, quam diximus, secũ rigorémque seruabant. In cibatu (inquit ille) vtũtur pane simplici, sal vicem supplet obsonij, qui delicatiores sunt, hyssopum pro cõdimento adijciunt, potum è fluentis hauriunt, contẽti placare dominas à natura mortalibus additas, famem sitimque, absque omnibus lenocinijs, fruendo rebus, sine quibus non licet viuere. Edunt igitur, ne esuriant bibunt, ne sitiant,

4. Reg. 1. 7.

Bernard. ser. 3. in Epiphania Domini.

Gene. 28. 20.

Philo de vita contemp.

tiant, saturitatem cauendo, vt inimicā animo pariter ac corpori. Et quoniā tegminis duæ quoque sunt species, vestis tectúmque, de ædibus iam dixi esse incultas & extemporaneas factas ad præsentem vsum tantummodo, in veste autem eadem apparet simplicitas ad arcēdos calores, & frigora, pro pelliceis crassa tunica in hyeme, æstate verò exomis, aut interula linea: in vniuersum enim exercēt modestiam, vt fontem veritatis. Et cætera.] Hac vitæ simplicitate, & austeritate, quam Philo cōmemorat, ad matutinā vespertinamque precationem therapeutæ, hoc est, Dei cultores parabantur, & ad assiduam sacrarū Scripturarum lectionem reddebantur aptissimi. Quos in his sequi debet, qui eisdem mētis exercitationibus iugiter voluerit insistere. Prudētia tamen in afflictatione corporis tenēda est, & feruor spiritus carnis imbecillitati accommodandus ne ante tempus fatigata succumbat. Nam (vt inquit Sanctus Leo Papa) cū Apostolus dicat Carnis curam ne feceritis in desideriis,] non ea nobis interdicta intelligimus, quæ saluti congruūt, & quæ humana poscit infirmitas, sed quia nō omnibus desideriis seruiēdū, nec quidquid caro cūcupiscit, implēdū est, de adhibendo tēperātiæ modo admonitos nos esse cognoscimus, vt carni, quæ sub animi est cōstituta iudicio, nec superflua cōcedamus nec necessaria denegem⁹.] Afflictio corporis hac discretione cōdita, nō solū per totā vitā facilè durabit, sed nos etiā ad mētales exercitationes aptos efficiet.

Leo ser. 1. de ieiun. mens. 10. Rom. 13.

Animo, quietis præsidio, & corpore, austeritatis beneficio purgato, iam monachus omnes horas diei & noctis, quas parco cibo, moderato somno, & aliquātulæ quieti subtraxerit, in mētales occupationes distribuat, & vnicuique horæ congruam occupatiōnē assignet. Hoc tēpus mentalis oratio sibi vendicet, hoc psalmodia, & oratio vocalis vsurpet, hoc spiritualis lectio teneat, hoc studiū sacrarūScripturarū assumat. Sit hora, in qua se solitarius examinet, in qua beatā Virginem omnium mortaliū parētem, exoret, in qua Sanctos, quibus dies sacer est, inuocet: Nūc in aliquo opere manuū laboret, deinde, quæ legerit, in propriū, aut aliorum vsum scribat, postea, quæ scripserit, corrigat, & emēdet, & nullū tēporis spacium otio & socordiæ prætermittat. Hanc exercitiorū distributionē ita mordicus teneat, vt eā sine clara necessitate, aut euidenti vtilitate præterire, velut crimē existimet. Ipse Sol, & lux, & Luna, & stellæ, diem noctémq; illuminātes, sint testes, quia eū singulis horis pēsum mentalium exercitiorum persoluētem inuenerunt, & numquā, aut tamquā desidiosum, aut tamquam incōstantem, inertiæ, aut leuitatis increparūt. Cellula ipsa testimoniū ei stabilitatis, & sanctæ solitudinis præbeat, & strenuū militem omni hora, pro prio armorum genere prælıātem, collaudet. Angelus custodiæ deputat⁹ gaudio perseuerātiæ eius illectus, ei orāti, psallēti, & legēti ac præscriptis occupationibus laborāti, alacriter assistat. Sanctissimus Dionysius Richelius, Carthusiēsis ordinis gemma pretiosa, & amplissimum omnium solitariorum exēplar, quod ipse faciebat, in hunc modū literis mandatū reliquit. Itaque quoniā animæ vires, & actus, multi diuersiq; sunt, & tempora æquè distincta, temporibus aptanda sunt, opera singulisq; horis sunt exercitia debita danda, vt dum psallendi tempus est, psallamus, dum meditandi, meditemur, dum operandi, operemur, dum plangendi, plāgamus, dum vigilandi, vigilemus, dum dormiendi, dormiamus, dum surgēdi, surgamus; dum vescēdi, vescamur, dum egrediēdi, egrediamur, dum includendi, includamur, dum silendi, sileamus, dum profandi, effemur, dum disciplinādi, disciplinemur, dum orandi, oremus, dum lætandi, lætemur, dū

Dionys. lib. 1. de fine & vita solit. art. 20.

A abstinēdi, abstineamus. Hoc enim modo omnia nostra honestè ordinatéq; fient] Ista inuiolabili internarum occupationū serie, monachus sensim ad mētis immutabilitatē perueniet, eámque interiorē serenitatem acquiret, qua ad lucem cœlestē suscipiēdam aptus efficietur. Huius lucis præsidio sæculum illi amarescet, mūdana fastidiet, & virtus ac puritas mentis dulcescet. Desideria sua, nō iā in diuitiis, nō in honoribus, nō in corporis voluptatib⁹, sed in omnium istorū despectione, atque in cruce Christi, cōstituet. Quæ desideria opera tandē subsequētur, vt mundana contēnat, cælestia diligat, creaturarū obliuiscatur, Dei tantùm, & suæ voluntatis exequendæ, recordetur. Animos sentiet, quibus vitia prosternat, seipsū vincat, virtutes acquirat, amore ardeat, ac totus in Dominum trāsformatus, euadat omnino per-

B fectus. Ecce nō solitarius audax solitarios admonui, & nec dum in actiua vita instructus, cōtemplatiuos instruxi; sed mihi profectò ignoscendum est, qui nō superbia tumēs, sed desiderio aliorum perfectionis, & operis integritati prospiciens, hanc prouinciam admonendi vitam contemplatiuam agētes, suscepi.

Nō grauabor autem, quos meis verbis edocui, sētētia prolixiori Prosperi Episcopi Rhegiēsis, quę omnia suprà dicta cōprehēdat, erudire, vt tāti patris auctoritas, huic argumento finē imponat. Vitæ cōtemplatiuæ sectator (inquit) ad cōditorē suum corde illuminandus accedat, ipsi cōtemplādo, atque insatiabiliter perfruendo, vigilāter inseruiat, ipsum iugiter cōcupiscat, præ amore eius omnia, quib⁹ inde potest

C auerti, refugiat, omnes cogitationes suas ac totā spē ex illius dilectione suspēdat. Literarū diuinarū sacris meditationibus vacet, in his se diuinitus illuminat⁹ oblectet. Ibi se totū velut in speculo quodā refulgēte consideret, quod in se prauū deprehēderit, corrigat; quod rectū est, teneat, quod deforme, cōponat, quod pulchrum, excolat, quod sanū, seruet, quod infirmū, assidua lectione corroboret. Domini sui præcepta infatigabiliter legat, inexplebiliter diligat, efficaciter impleat, & quid sibi cauēdum, quidve sectādū sit, ex eis sufficiēter instructus agnoscat; mysteriis earūdē diuinarum Scripturarum perscrutandis insistat, Christū promissum legat, repræsentatū videat,

D prophetatā perditionem populi contumacis intelligat; impleri lugeat; de salute gētiū gaudeat, ex præteritis, quæ prædicta sunt, & impleta teneat, futuris promissionib⁹ credat. Ab strepitu negotiorū sæculariū remotissimus ea feruēter excogitet, quibus animum suum in desiderium futuræ remunerationis inflāmet. Studiis spiritualibus, quibus in dies singulos melior fiat, inuigilet; amet otium sanctū in quo exerceat animę suæ negotiū, mortuum sibi deputet mūdum, ac se mūdi blandientis illecebris exhibeat crucifixū. Delectationibus speculatorum præsētium incōparabiliter anteponat sui Creatoris intuitū, semper se proficiente successu in fastigiū diuinę cōtemplationis attollat, numquā, ne ad momētum quidē à promissionibus futuris considerādis auersus, ad terrena respiciat, eò aciē mētis indesinēter intēdat, quò

E peruenire desiderat. Beatitudinē vitæ futuræ ante oculos animi sui proponat, & diligat, nec metuat aliquid tēporale, nec cupiat, nec aut metus diminuēdæ, rei temporalis, aut cupiditas acquirendæ intētionē mentis eius emolliat. Non eum blāda corrūpāt, nec aduersa cōcutiāt; nō inflet opinio secunda, nec sinistra deijciat, nec falsa vituperatio, siue laudatio augeat gaudia eius, aut minuat. Nō gaudeat de tēporalibus omnino nec lugeat. Inter læta inuictus ac tristia, vnā faciem animo cōstāti obtineat, nec pectoris eius stabilē firmitatē, quidquid promittit mūdus, aut

Prosp. l. 1. de vita contempl. c. 8.

minatur,excutiat,fed idẽ femper,ac fibi fimilis perfeuerans,mũdi huius damna, fimul & lucra nõ fentiat.Et,cùm hæc,& his fimilia contemplatiuæ vitæ defiderio affectus impleuerit,nõ fe hìc iam ex parte omni perfectum, fed perficiẽdum in illa beata vita, quæ futura eft,immobiliter credat; atque ad eãdem fe, vbi Dei fubftantiam reuelata facie videre poffit, extendat.]Nihil aliud à folitario poteft requiri, qui poft tantarum virtutum merita,fe indignũ reputat, & feruum infructuofum exiftimat,& ad perpetuam fœlicitatem, tamquam ad fontem fuæ focietatis anhelat.

Vitam contemplatiuam etiam pertinere ad religiofos fcholares omnium religionum, qualéfque à Prælatis optentur.

CAPVT XXXIII.

PRÆTER monachos folitariam vitam agentes, quos doctrina fuperior inftruxit,funt etiam in omnibus religionibus, adhuc gratia excolendarum animarum inftitutis,qui vitam contemplatiuam, vtcũque amplectantur, atque fectentur.Hi autem funt religiofi fcholaftici, qui curriculo nouitiatus emenfo,literis vacant,& intellectum fcientiarum adeptione,perficiunt.Licet enim,fi finẽ infpiciamus, cuius caufa in literarum ftudium incumbunt,manifeftè comperiamus eos effe vitæ miftæ profeffores, quia media ex fine naturam fortiuntur,& ifti ftudendo in finẽ vitæ miftæ feftinãt,tamen fubftantia functionis ipforum vitæ contemplatiuæ eft,cũ tota pofita fit in indagatione, & contemplatione veritatis. Non ergo erit abs re eos in hoc loco erudire, quo cõtẽplatiuæ vitę naturam,perfectionémque tractamus,& qualis futura fit ipforũ virtus,breuiter enodare. Vt autem fui inftituti profeffionem intelligãt,& puritatem ei congruam comparare ftudeant,hanc fuorũ ftudiorum & lucubrationum regulam fibi præfigant.Cùm literas difco,arma præparo,quib⁹ fim operarius idoneus, & miles ftrenuus ad præliandum bella Domini.Hæc regula femper ante religioforum fcholariũ oculos obuerfetur, eam iugiter meditentur,attentè confiderent,eique ftudiorum fuorum annos accõmodent,quam hoc ferè modo percipient.

Non omnia armorum genera cunctis militibus, neque cunctis præliis funt accommoda: fed hæc arma iftis militibus funt vtilia, illis verò funt inutilia; 1.Reg.17.39.&c. & nociua, & huic modo præliandi funt apta;illi verò nulla ratione conueniunt. Paftor Dauid accinctus gladio Saul cœpit tẽtare fi armatus poteft incedere,cúmque nõ poffet,depofuit arma regis iniqui, & baculo fuo,quem femper habebat in manibus,ac quinque lapidibus limpidiffimis in pera collectis, proceffit aduerfus Philifthęum,& his infirmis armis munitus,turrim illam carneam expugnauit,deiecit, vicit,atque proftrauit Ecce militẽ ftrenuum,& animofum, quodam armorum genere impeditum,alio verò mirabiliter ad vincendum adiutum, & qui galea,& clypeo,& enfe Saul,rifui effet hofti,baculo,& pera fuit ipfi formidini, ante cuius confpectũ ftare non potuit.Rex etiam,qui ad bellum nauale gladiis & lanceis triremes impleret,& tormenta ænea,puluerem tormẽtarium,& ferreos aut lapideos globos fperneret,non fibi victoriã,fed fui & omnium fuorum pararet exitium.Nam hoftibus tormentorũ vi ignitos globos,accenfáfque faces iactãtibus,nauigia his machinis vacua foluerentur,aquis obruerentur, & milites, enfes,lãceas,clypeófque geftãtes, nullo negotio perirent. At contra, in duorum fingulari certamine fcutũ & enfis,& alia huius generis arma requiruntur,machinæ autem, & tormenta bellica inutilia cenferẽtur.Vide, quo pacto diuerfum bellũ, aut ex toto, aut ex parte diffimile genus armorum expofcit.Hoc ergo bellum,quod religiofi literis, ac fcientiis tamquam armis quibufdam facturi funt,nõ corporale eft,fed fpirituale,nõ vifibile, fed inuifibile,quod aduerfus aëreas poteftates, aduerfus omnia vitia mundanorum,atque peccata fufcipitur. Nõ eft enim nobis colluctatio(inquit Paulus)aduerfus carnem,& fanguinem,fed aduerfus principes & poteftates,aduerfus mundi rectores tenebrarum harum, *Ad Ephes 6.12.* contra fpiritualia nequitiæ in cæleftibus.] Scientiæ igitur religiofis neceffariæ(id eft,arma hinc dimicationi apta)non carnales & mundanæ fint, fed fpirituales & cæleftes,oportet,ita vt poffint dicere illud eiufdem Apoftoli,Arma militiæ noftræ nõ carnalia funt, fed potentia Deo ad deftructionem munitio- 2.Cor.10.4. uum,confilia deftruentes, & omnem altitudinẽ extollentem fe aduerfus fcientiam Dei.] Scientia illis perutilis ea eft,quam Dominus profugo iræ fratris fui Iacobo Patriarchæ donauit.Dedit illi(inquit)fciẽtiam Sanctorum.]Scientiam nempe,non folùm fanctarum rerum,fed quæ iuftis,perfectis,ac fanctis cõueniat.Talem fcientiam religiofi perdifcant, talem *Sapient. 10.10.* fcientiam fuis ftudiis lucubrationibusq; conquirãt.

Sed cupiunt audire fcholaftici religiofi, quæ fit fcientia carnalis,atque mundana,bello fpirituali parum vtilis,quæ verò fpiritualis,& fancta huic dimicationi proficua.Breuiter huius duplicis fciẽtiæ qualitates vnde ignofcantur,accipiant.Scientia carnalis eft fcientia fuperba,& ambitiofa,quæ in teneris annis,& in principio religiofæ vitæ,iam ad primas fedes,ad cathedras,ad pulpita, & ad prælationes afpirat.Eft fcientia inuida laudis alienæ, ac condifcipulorum ingenio,& profectibus mœrens,quæ opinioni ac laudi prouectiorum inuidet, fubtilitatẽ & diligentiam æqualium contemnit, minorum imperitiam, & ruditatem irridet, & fola ab omnibus laudari, & in vniuerforum ore verfari ftudet.Eft fcientia curiofa nimis,nihil quærens,nifi quæ intellectus intemperantiæ fatisfaciant,& oftentationi, ac plaufui deferuiant,non quæ fratrum faluti proficiant.Illud Pauli confilium obliuifcens:Stultas autem quæ- *Tit. 3.* ftiones,& genealogias, & contentiones & pugnas legis deuita,funt enim inutiles & vanæ.]Eft fciẽntia magno errore decepta, quæ totam mentem, totum defiderium occupat,totum tempus vfurpat, nihil orationi, nihil mortificationi, nihil aliis muneribus obedientiæ derelinquit. O quanta deceptio,ô quãta ignoratio,ô quanta infipientia orationis & occupationum ab obedientia iniũctarum,fpacia præcidere, & in ftudium,& fciẽtiæ acquifitionem commutare, ac fi in illa tota hominis beatitudo confifteret. Eft fcientia arrogans,& procax,& inuerecũda, feipfam exaggerans,nouitates confectans,magiftros ac præceptores parui pendẽs,& aut minùs fubtiles, aut nimis fcrupulofos accufans Eft fciẽtia libertatis amãs, obferuantiæ inimica,relaxationis cupida,quæ difciplinam fugit,mortificationem timet, feniorum monitiones auerfatur,regulas, vt non fernet, interpretatur. Eft tandem non fapientia de furfum defcendens,fed terrena,animalis diabolica.] Hæc eft fcien- *Iacob. 3.15.* tia carnalis, venenum virtutis, peftis cætuum religioforum, initium rixæ, mater contentionis, origo fuperbiæ,fons hærefum, & protectrix omnium vitiorum. Iftam fcientiam non odit Diabolus tamquam hoftem, imò tamquam amicam, & fororem diligit,qua decipiet ignorantes, perfequetur bonos,

fouebit impios, & nihil aliud nisi fastum, arrogantiam,& vanitatem aucupabitur.

Scientia verò spiritualis,contrarias penitus habet qualitates Est scientia modesta,& humilis, quæ sui contemptum, proximorum conuersionem, & Dei laudem concupiscit:Diligētet studet, ita vt suo tempore valeat,poni super cādelabrum,sed ipsa, si Deo ita visum fuerit,magis cupit latere, & esse sub modio Est charitatis plena,quæ de profectu cōdiscipulorū gaudet,illos amat,illos reputat, illos laudat,&, si doctiores,aut Ingeniosiores habeantur, non mœret,sed vehementer exultat. Est sapiens, illa addiscens,illa in lectionibus, & in libris inquirens, non quæ luceant tantùm,sed quæ prosint, quæ deceant grauitatem, & sanctitatem religiosi status, & quæ proximos iuuent. Est discreta, & plena prudentiæ, sciens primo loco obedientiam, secundo orationis studium,&tertio seipsam constituere: Non est violenta temporis deprædatrix:sed suis horis contenta, alias libentissimè orationi, & muneribus obediētiæ concedit. Est ingenua,ac verecūda,quæ nec seipsam extollit,nec magnum aliquid de se sentit,neque terminos transgreditur ab antiquis patribus constitutos.Est scientia circumspecta, quæ non libertatem, non priuilegia, non exemptiones affectat: sed in id semper tendit,vt diligēter regulam seruet, & teneat disciplinæ censuram. Est denique sapientia de sursum descendens primum quidem pudica,deinde pacifica,modesta,suadibilis,bonis consentiens, plena misericordiæ,]& fructibus bonis,non iudicans, sine simulatione.Scientiæ his conditionibus affectæ sunt arma spiritualia aduersus acies dæmonum dimicantia,quæ infernus timet. & monstra vitiorum exhorrent.Magis iuuat Ecclesiam Dei vnus religiosus,qui sanctè, modestè, & circumspectè scientiis studuit. quàm mille,qui insolenter se ipsos,& suum honorē quærentes literis vacauerunt,Plures ille vna cócione feruenti conuertet, quàm isti mille sermonibus Hanc scientiam, ô religiose, perdisce, hanc à Deo precibus postula,hanc in libris,in lectionibus,in disputationibus habere cōtende,&,si eam obtinueris, arma ad præliandum bella Domini cōparasti.

Iacob. 3. 17.

Vt autem ad hanc sciētiam spiritualem,& ad hoc genus sapientiæ cælestis religiosi scholastici perueniāt,&,vt religiosos decet,hoc est, sæculo mortuos, Christo autem viuentes, literas compatent,illud in primis necessarium est,ne honorem, ne laudem humanam,ne dignitatem,neve aliquid temporale, sed solam diuinam gloriam, animarúmque salutem sibi scopum,ac finem præfigāt Illis namque, qui sciētiis student,vel propter seipsos, vel propter vile lucrū, vel propter honorem inanem,dicit Bernardus,sunt, qui scire volunt,eo fine tantùm, vt sciant, & turpis curiositas est.Et sunt,qui scire volunt,vt sciātur ipsi, & turpis vanitas est. Qui profectò non euadēt subsannantē Satyrū,& ei, qui eiusmodi est, decantantē;

Bern. ser. 36. in cāt.

Scire tuum nihil est,nisi te scire hoc sciat alter.

Persius Satyra 1.

Et sunt item, qui scire volunt, vt scientiam suam vendant,verbi causa,pro pecunia,pro honoribus; & turpis quæstus est.]Hac oratione eos carpit,qui præpostero fine ad scientias acquirendas accedunt. Statim autem,quo fine in eas incumbendum sit,hoc ferè modo declarat.Sed sunt quoque,qui scire volunt, vt ædificent,& charitas est;& item qui scire volunt, vt ædificentur, & prudentia est.] Horum omnium soli vltimi duo non inueniuntur in abusione scientiæ,quippe qui ad hoc volunt intelligere, vt benefaciant.Denique intellectus bonus omnibus facientibus eum. Reliqui omnes audiant: scienti bonum, & non facienti peccatum est ei.] Ac si per similitudinem dicat, sumenti cibum, & non digerenti,perniciosum est ei: cibus siquidem indigestus, & qui non habet bonam decoctionem,malos generat humores,& corrūpit corpus,& non nutrit:Ita & multa scientia ingesta,stomacho animæ,quæ est memoria, si decocta igne charitatis non fuerit, & sic per quosdam artus animæ, mores scilicet, atque actus transfusa,atque digesta,quatenus ipsa de bonis,quę nouerit, vita attestante, & moribus bona efficiatur: nónne illa scientia reputabitur in peccatum, tamquam cibus conuersus in prauos noxiósque humores?Sic ille sanctissimus Pater edocuit,quo fine quęrenda sit scientia,& quàm periculosum sit possessioni rei tam pretiosæ bonum finem non adhibere. Cui concinuit Laurentius Iustinianus,dicens: Tūc, nempe vtilis est scientia, cùm perducit ad sapientiam, cùm diuinitatis radios ostendit, cùm verbi præbet notitiam, cùm rectè viuendi mores instruit, cùm ad cælestia contemplāda animum attollit;cùm ad Deum diligendum erudit, cùm ad illum quærēdum & possidendum omnia cordis interiora inflammat.Hæ quippe sūt causæ,propter quas quisque scire debet,sine quibus nemo rectè sapit. Ille autē sapit rectè,qui se nescire sciens, gradus scrutatur,per quos ad verbi ascendat sapiētiam,& in lumine maneat sapientiæ.]Qui itaque mundo valedixerunt,& pompis eius per statum religiosum renunciarunt,& iterum se earum rerū,quas vt vilissimas dimiserunt, desiderio contaminent, sed solùm Dei amorē, suæ diuinæ voluntatis notitiam, proximorúmque salutem in literarum studio conquirant:illud sapiētis in corde habeāt,& quotidie à Domino in spiritu humilitatis exposcant:Da mihi, Domine,sedium tuarum assistricem sapiētiam,& noli me reprobare à pueris tuis:Mitte illā de cælis sanctis tuis,& à sede magnitudinis tuæ,vt mecum sit,& mecum laboret,vt sciā quid acceptum sit apud te.]Hæc scientia est religiosis conueniens,quæ in illum eundem scopum tēdit, in quem omnis vita religiosa dirigitur.

Isa. 110. 10.

Iacob. 4. 17.

Iust. lib. de casto connub. c. 14.

Sapient. 9. 4.

Deinde sciētiam,vniuersarum virtutum,sed præcipuè cuiusdam eximiæ humilitatis,& modestiæ sapore condiant; sine virtute enim insulsa est, & sine humilitate intolerabilis. Imò nomine scientiæ est prorsus indigna,Salomone attestante:Vbi fuerit superbia,ibi erit & contumelia, vbi autem est humilitas,ibi est sapientia.] Hinc sapiēter dixit Gregorius: Vera scientia afficit,non extollit; nec superbientes, quos repleuerit,sed lamentantes facit.Qua, quisque cùm repletus fuerit, primo loco se scire appetit, & iam sui conscius,tantò per illā robustius sapit,quantò se infirmum in illa veriùs recognoscit,atque ampliorem viam huius scientiæ ipsa ei humilitas aperit: dúmque imbecillitatem suam conspicit, ipsa ei cognitio secretorum sublimium absconditos sinus pandit; qua cognitione prorsus subtilior redditur: quoad occulta rapiatur.Longè ergo à scientiæ veritate discedit,qui de cognitione intumescit,& ex dono Dei, vnde se humiliare debuerat, inde superbit. Scientia sine vsu virtutū, Ethnicorum est, nō Christianorum, quantò minùs religiosorum? Et sine humilitatis sapore,nihil magnum, aut gloriosum efficiet.Quia Dominus superbis resistit,ne suis conatibus aliquid agant;humilibus autem dat gratiam,]vt quæ aggrediuntur,ad finem vsque perducāt. Humilitas est, quæ mentem ad secreta scientiarum percipienda disponit.Nā quemadmodum stillicidia pluuiarum à verticibus montium defluunt ad concaua vallium, & quo valles fuerint profundiores,eo melius aquæ abundantiam recipiunt, ita scientiarum riui ex vertice omnis sapientiæ Christo ad mentes

Prou. 11. 2.

Greg. lib. 23. mor. c. 10.

1. Petr. 1. 5.

humiles copiosè descendũt, & quò humiliores fuerint, eò copiosiùs (si cætera paria sint) vnde cælestis luminis irrigantur. Humilitas est, quæ scientiam iam adeptam perficit, atque conseruat: Sicut enim aliqui arborum fructus inter cineres, & paleas, & stercora maturescunt; sic & scientia inter propriam cognitionem, & sui ipsius despectionẽ, mirabiliter crescit, & incomparabilem quamdam dulcedinẽ parat. Omnes eam humilitate inuolutam atque circũdatam suscipiunt, amant, consectantur, superbia verò & ambitione coopertam, fugiunt, odiunt atque cõtemnunt. Humilitas tandem est, aqua suauissima, & purissima, quæ fortitudinẽ vini literarum eneruat,

Act. 26. 24.

ne (sicut Festus dixit Paulo, licèt non rectè) multæ nos literæ ad insaniam conuertant.] O quantos vidimus in publicis academiis sub habitu humilitatis, & pœnitẽtiæ, sciẽtia ebrios, qui se aliquid magnum existimabant, cùm nihil essent, qui se procaciter iactabant, inuerecundè suos labores, & ingenij acumẽ laudabant, & superbè aliis canditatis se præferebãt! Vidimus, & mirati sumus ad quantam inuerecundiam & insaniam, vinum scientiæ, non lymphatũ, homines, alioqui sapientes, & literatos, perducat. Temperetur itaque charitate, misceatur humilitate, ne vilis sit, & insuauis, ne bibentẽ extollat, ne alios audientes; aut vidẽtes minùs ædificet. Optimè enim

Amb. in 1. ad Cor. ad c. 8.

scripsit Ambrosius. Tunc scientia magna est, & sibi vtilis, si charitate humilietur, vt ampliùs crescat. Temperatur enim à dilectione, vt non satis mera sit, & inebriet sciẽtem, vt se extollat Sicut enim vinum non temperatum admixtione aquæ mentem alienat; ita & scientia superbum facit, nisi fuerit tẽperata. Omnia enim sola insuauia sunt, & nociua, quia nec panis solus benè editur, nec reliqui cibi sine admixtione grati sunt, & nociui; ideò charitas ædificat.] Scientiam itaque religiosi charitate condiãt, humilitate temperent, & omnium virtutũ cura circundent, vt & sibi eam fructuosam, & aliis vtilem, & honorabilem sentiant. Nihil pulchrius sapiente humili, atque modesto, qui sciat modeste de se sẽtire, qui sciat modestè de se loqui, qui sciat seipsũ abscondere, & nihil sciolo superbo, aut fœdius, aut inuerecundius.

Rursus, religiosi, qui literis vacãt, lectiones, quas audiunt, priuatum studium, quo occupantur, disputationes, quas ineũt, & cætera ad literas pertinẽtia, ab oratione incipiant, oratione interrumpãt in oratione definiãt, ab oratione incipiant, ne suo conatu addiscendi frustrentur, & ne illius præsidio careãt, qui est scientiarum Dominus, & omnis sapiẽtiæ origo; atque principium. Nam si quis indiget sapiẽtia

Iacob. 1. 5.

(inquit Iacobus Apostolus) postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei.] Oratione studium non semel interrumpant, ne subtili rerum consideratione solus intellectus proficiat, & deuotionis affect⁹ intepescat. Et sicut natura prouida, non vni soli corporis membro alimenta cõmunicat, sed in omnes partes sapiẽter distribuit, vt omnes debitum augmentum accipiant, ita mẽs cognitam veritatem, inter intelligẽtiam, & voluntatem, æquali mensura partiatur, vt quæ illa cognouerit; hæc diligat, & in affectum morẽsque transformet. Creaturarum namque perfectiones agnoscere, Dei præcepta, voluntatẽmque callere, virtutum decorẽ aspicere, & neque eum pro beneficio creationis laudare, neque eius iussa perficere, neque suorũ donorum pulchritudinem cupere, neque ista ignitis orationibus postulare, animi est irreligiosi, solũ splẽdorem scientiæ quærentis, non verò finem scientiæ, scilicet propriam, & aliorum salutẽ exoptantis. Qui

A hoc pacto pro sciẽtiarum acquisitione laborat, similis est illis philosophis, quorum meminit Paulus, dicens: Quia cùm cognouissent Deum, non sicut Deũ

Rom. 1. 21.

glorificauerunt, aut gratias egerunt, sed euanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum, dicẽtes enim se esse sapientes, stulti facti sunt.] Sic enim stultus, & insipiens est, qui Deũ mirabilium operum causam non laudat, & virtutem, quã agnouit possidere non curat. Tandem, studium literarum oratione perficiant, tum vt fonti lucis, qui eos illuminauit, gratias agant, tum, vt diurnum, aut nocturnum laborem in literis assumptum, ei cuius causa susceptus est, offerant, tum, vt fructum studiorum suorum, id est, animarum salutem, aliquando tandem percipiendum exposcant. Inutilis enim est sciẽ-

B tia, quæ in addiscente, aut in aliis, aliquem diuinæ laudis aut veræ virtutis effectum non habet.

Ad hæc, præter istas breues orationes, quæ in principio, & medio, & fine studij literarij funduntur, tẽpus religiosi prolixum habeant sanctis meditationibus, ac contemplationi destinatum, quo, sicut intellectus scientia illustratur, ita volũtas, despectu terrenorum, & diuino amore decoretur. Nec putent se minùs profecturos, si vnam, aut duas horas quotidie orationi tribuendas ab studio literarum suffurentur, imò potius sic Deo se oratione, & affectu iungentes, qui fons omnis sapiẽtiæ est, & cũ eo colloquia miscentis, mirabiliter sciẽtiam cumulabunt. Bernardus sanè quidquid in sanctis Scripturis valuit (& multũ

Guillel. Abba. in eius vita lib. 1. c. 4.

quidem valuit) quidquid in eis spiritualiter sensit (&

C mirum est, quàm profũda mysteria sensit) maximè in syluis, & in agris meditando & orando se confitebatur accepisse & in hoc nullos se aliquãdo magistros habuisse, nisi quercus & fagos, per iocum, nõ semel suis fratribus affirmare solebat. Idem ferè in aliorum sanctorum Doctorum gestis scriptum comperimus, quorum vita, nõ minùs oratione, quàm lectione, imò multò magis fuit semper occupata Qui ergo volunt scientiæ lucem accipere, ad iustitiæ solẽ, meditatione, & oratione frequenter accedãt, quò veritatis radiis inde demissis illustrentur. Idcirco Ecclesiasticus literarum studiosis, ad scientias comparãdas merito assiduè precandi consiliũ proponit. Sapiens (quo nomine sapiẽtiæ amatorẽ intelligit) non solùm (inquit)

D in lectionem librorum, & auditionem doctorum incumbet, & profectionem ad loca remota addiscendi gratia suscipiet, sed præcipuè cor suum tradet ad vigilandum diluculo, ad Dominum qui fecit illum, &

Eccl. 39. 6.

in conspectu Altissimi deprecabitur.] In hoc profectò suam curam, vigilãtiámque cõstituet, vt summo mane, vel potiùs tẽpore antelucano ante Dominum omnium effectorem, seipsum creaturam, scilicet imperfectam, & ignorantem sistat, vt ab eo qui dedit essentiam, scientiam quoque, & rerum cognitionem deprecando postulet, & humiliter rogando, & orando impetret. Aperiet os suum, non tantùm corporis, sed multò magis cordis in oratione, & pro delictis suis deprecabitur,] quæ scientiæ impedimẽta, obsta-

Sapient. 1. 4.

culáque esse noscuntur. Nam in maleuolam animam

E nõ introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis.] Iure igitur amator sapientiæ delicta, sua deflet, & veniam ab Altissimo humiliter petit, ne aditum luci obstruat, & ianuam cognitioni rerum occludat. Fructus autem orationis tam humilis, tam feruidæ, tam assiduæ erit, qui statim subsequitur. Si Dominus magnus voluerit: (& volet quidem, si vt oportet rogetur) spiritu intelligentiæ replebit illum, ita rogantem, & deprecantem, & vt gratias Domino pro collato scientiæ beneficio referat, & secundũ eius consilium vitam propriam instituat, & aliis

Domini voluntaté pandat. Hunc copiosissimũ fructũ religiosi studẽtes colligent, si scientiæ orationem assiduam, & literis intentam meditationem adiungãt.

Tandem cellam ament, & , vt Thomas Aquinas monuit, eam frequenter diligant, si volunt in cellam vinariam introduci. Silentium seruent, inuidias cõmilitonum, ambitiones, & cõtentiones fugiant, aliis cõdiscipulis, illis præcipue, cum quibus aliqua inest æmulationis occasio, libenter se submittant, eos tãquam prouectiores interrogent, & verbis ac factis maiores existiment. Sic in prælegendo, in disputando, & in aliis exercitiis literariis ingenij subtilitatẽ, & loquendi acrimoniam teneant, vt tamen sui contemptum, & animi modestiam non deserant. Et (vt hanc monitionem perficiam) animi puritatem, non solùm, vt scientiæ finem, sed vt præstantissimum sapientiæ instrumentum respiciant. Quod Dionysius Richelius elegantissima similitudine expressit. Sicut lux solis (inquit) in vitro recipitur clariùs, quam in luto, ita scientia (cæteris paribus) in bonæ, ac innocentis mentis ingenio splendidiùs inualescit, & ampliùs crescit, quam in deprauato Scholastici dyscoli animo]Nec non & Theodorus apud Cassianum solam animi puritatem existimat, ad sacrarũ Scripturarum intelligẽtiam sufficere. Quibusdam enim fratribus huius senis sapientiam admirantibus, ipse respondit: Monachum ad Scripturarum intelligẽtiam pertingere cupientem, nequaquam debere labores suos erga commentariorum libros impendere, sed potiùs omnem mentis industriam, & intentionem cordis erga emendationem vitiorũ carnalium detinere: Quibus expulsis, confestim cordis oculi, sublato velamine passionum, sacramenta Scripturarum, velut naturaliter incipient contemplari.] Quod non ita prolatum est, ac si Doctorum lectio sit abiicienda; sed, vt religiosi scientiam cupientes intelligant in acquirenda animi puritate plus esse laboris collocãdum. Huic enim munditiæ cordis, lumẽ cognitionis promittitur. Nam fili concupiscens sapientiam, cõserua iustitiam, & Dominus præbebit illam tibi,]&, Diuitiæ salutis sapientia; & scientia, timor Domini ipse est thesaurus eius.] Et, per nationes in animas sanctas se transfert, & in maleuolam animam non introibit.] Et iustè quidem sanctis, & mundis corde tantum donum promissum est, æquum est namque, vt Deus, qui docet hominem scientiam,] & sapientiũ est dux, atque antesignanus, eam potiùs fidelibus seruis, charis amicis, ac dilectissimis filiis cõmunicet.

D. Thom. opusc. 68. *Dionys. opusc. de doctr. Scholast. art. 3.* *Cassian. lib. 5. de institut. renunt. c. 34.* *Eccles. 1. 33.* *Isai. 33. 6.* *Sapient. 7. 27.* *Psal. 93. 10.*

Ex his autem, quæ diximus, illorum religiosorum stultitia cognoscitur, qui putant se minùs literatos euasuros, si tempus inter studium, & orationem diuidant, si occupationes à prælatis oblatas admittant; si modestiam, silentium, sui contemptum, & vniuersas virtutes consectentur. O cæcitas magna, ô ignorantia innumeris lacrymis deplorãda, quam iam ratio manifesta deiecit, & nunc euidens experientia conuincit. An sanctissimus Thomas Aquinas ignarus è schola prodiuit? Non certè, sed tam eximiè sapiens, tam mirabiliter illuminatus, vt statim à disciplina ad cathedram, ab studio ad magisterium summa cum omnium admiratione sit euectus. Et hic tãtus Doctor, in ipso statu discipuli, doctissimos nostræ tempestatis magistros excellens, quomodo literis nauabat operam? Num erat ostentator sui? Num erat loquax? Num superbus, suorum condiscipulorũ irrisor? Non sanè, sed adeò silentij tenax, vt Pythagoricam taciturnitatem sibi indixisse videretur, adeò, vt condiscipulos eo nomine propemodum in contemptum veniret, qui eum bouem mutum appellabant. Adeò humilis, vt numquam suo ingenio, sed diuina

Surius in Martio.

A gratia niteretur. Adeò cõtemptor sui, vt inuitus gradum baccalaurei susceperit, & se vel infimo gradu indignum existimauerit. Adeò modestus, vt omnes eruditione superãs, neque aliquid sibi boni arrogauerit, neque aliquem quantumuis rudem spreuerit. An Sãctus Bonauẽtura imperitus ex gymnasio processit? Minimè verò, siquidem emenso studiorũ curriculo, statim patrum sententias, non cum laude tãtùm, sed cum vniuersorũ etiam stupore, sit publicè interpretatus. Et, hic, qua ratione se literis tradidit. Tantam munditiam, illis, ac sanctitatem adiũgẽs, vt eius præceptor Alexander Halẽsis dicere solitus esset: Bonauenturam verum esse Israëlitam, in quo nec dolus appareret, neque in eo Adamus peccasse videretur] An Sanctus Edmundus Cantuariensis

B Episcopus indoctus ex ludo literarum exiuit? Nullo modo imò tam doctus, vt Theologus sapiẽtissimus, & disputator acutissimis haberetur. Hic autem quo pacto in scientias incubuit? Ita sanè, vt illud sibi in alio sensu tribuatur, quod de Megarensibus dictum esse affirmat Hieronymus. Sic studebat discere tamquam semper victurus, & ita viuere, tamquam cras moriturus.]Perpetuo, & illo durissimo vtebatur cilicio, in precibus erat assiduus, & corã imagine Beatę Virginis studebat, ita vt simul in codice legeret, & ad omnium matrem preces dirigeret, & nonnumquam in extasim raperetur. An Gregorius Neocæsariensis Episcopus (ob miraculorum magnitudinem Thaumaturgus appellatus) inscius, & rudis ex studiis euasit? Certe eum fuisse doctissimum ipsius lucubrationes in Ecclesiasten manifestè testãtur: sed

C tanta fuit eius, tempore suorum studiorũ, modestia, tãta pudicitia, ac omnium virtutum amor, vt æqualibus suis graue esset spectaculum, videre adolescẽtem, qui ornamento temperantiæ caniciem superabat. Tempus me deficeret, si omnes vellẽ recẽsere qui literarum studium cum eximia virtute, & deuotionis feruore coniunxerunt. Et sanè noui ego aliquos religiosos coætaneos meos, dum in Complutẽsi Academia literis operam darem, tãta animi puritate; tanto mortificationis, & humilitatis studio, tanto deuotionis ardore scientias addiscere, vt non homines terreni, sed Angeli cælestes esse viderẽtur, quos modò nõ solùm viros doctissimos, magistros, celebres, concionatores insignes, sed etiã religionis columnas esse cognosco. Qui, si aliter scientiis stu-

D duissent, & ambitioni, ac loquacitati locum dedissent, sine dubio, nec tantam peritiam, nec tãtam dignitatem fuissent adepti. Itaque frater tantùm abest, vt virtus & deuotio studium impediãt, quod potiùs ipsum mirifice augeant, atque perficiant. Quare nõ dubites virtutem scientiarum esse adiumentum, & veræ sapientiæ subsidium.

Si ita literis studueris, & cum meditatione operũ diuinorum orationis exercitium coniũxeris, imò ex ipso studio literario orationem effeceris, nõ dubites te studiorum tempore vitæ cõtemplatiuæ, quietem, & iucũditatem acquisiuisse. Huius autem vitæ dulcedine delectatus, & amore captus, sat scio optabis vltra non progredi, & ab omni cura, & occupatione

E sequestratus in hoc modo viuẽdi tam quieto, & pacato vsque ad mortẽ permanere. Sed vltrà progrediendum est, & hæc tam tranquillæ vitæ desideria relinquenda, neque enim scientia, & virtus tibi donatæ sunt, vt otiosus & iners maneas, sed vt aliis exemplo, & doctrina proficias. Ad quod Prosperi sententia te alliciat. Ex quo (inquit) videndum est vtrùm iustè faciant illi, qui se remouẽtes ab occupationibus cunctis, ac studiis spiritualibus offerentes, nihil humanæ societati proficiunt; & desideria

Surius in Iulio. *Surius in Nouemb.* *Hier. epi. 11. ad Ageruchiã c. 5. ad finem.* *Surius in Iulio.* *Prosp. lib. 3. de vit. contemp. c. 18.*

sua commodis omnium præferentes, vtilitatem communem desideratæ vocationis electione contemnant, cùm profectò laborantibus opem ferre nolle, cùm possis, & communi bono posthabito otiosa quiete frui, nihil habeat æquitatis: Cui æquitati, qui seruiunt, omnes omnium bono viuunt, ac velut sibi inuicem nati salutem mutuam tuentur, ac diligunt.] Dicas ergo hanc vitam exoptans, illud A Augustini: Conterritus peccatis meis, & mole miseriæ meæ agitaueram in corde, meditatúsque fueram fugam in solitudinem, sed prohibuisti me, & confirmasti me dicens: Ideo pro omnibus Christus mortuus est, vt qui viuunt, iam non sibi viuant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est.] Et hæc dicens te ipsum fauente gratia Dei robores, onera vitæ mistæ suscipias. Aug. 10 confes. c. vlt. 2. Cor. 5. 15.

PARS QVINTA.

De substantia, fine, & officio vitæ mistæ, atque de eius præstantia supra alias.

VITAM mistam valdè propriam religiosorum esse non tantùm Ecclesia sua auctoritate probat, religiosos ad statum clericalem & ad salutem animarum curandam admittens, & Apostolorum professio explicat, quos religiosos fuisse votorum obligatione constrictos Theologi ex illis verbis: Ecce nos reliquimus omnia, optimè colligit, Matt. 19. *sed & ipsa necessitas sacerdotij, & functionum Ecclesiasticarum vtilitas manifestè declarant, quibus homines mundo mortui, & à curis sæculi elongati meliùs & efficaciùs satisfacient. Et ne alicui hoc minus certum videatur, visum est nobis huius tractationis initio istam necessitatē, aut ingentem vtilitatem religiosorum clericorum (quos vniuersæ religiones Ecclesiæ susceperunt) demonstrare.*

Statum clericalem, cuius est vita mista, auxilio religiosorum indiguisse ad salutem animarum curandam.

CAPVT XXXIIII.

HIs, quæ vitæ contemplatiuæ sunt, breuiter explicatis, hæc tractationem vitæ mistæ institutiones cōplebunt; cuius necessitas in cœtibus quoque religiosis, tum ex statu sæculi, tū ex natura hominis; tum ex militantis Ecclesiæ ordine, tum denique ex clericorum qualitate cognoscitur. Sæculum namque, quod molestissimis tētationibus affligitur, & assiduis dæmonum bellis impetitur, cùm ex se fragile sit, & imbecillum, præsidio ducum, & militum indiget, quorum industria, & fortitudine à periculis sibi instantibus, protegatur. Væ terræ, & mari (ait in sua reuelatione Ioannes) quia descendit Diabolus ad vos habens irā magnā.] Quid faciet terra, & mare tam immanis hostis impetum & ferociam sustinere nō valens? Cuius malignitas (vt inquit Leo Papa) inflammat concupiscentiis, quos non potest vexare tormentis: Serit discordias, accendit iras, incitat linguas, & ne ab illicitis dolis cautiora corda se reuocent, consummādorum scelerum ingerit facultates: quia illi totius fraudis hic fructus est, vt qui immolatione pecudum, & thuris incensione non colitur, quibuslibet ei criminibus seruiatur.] Quid, inquam, faciet mundus tam acerbo, & exitioso dæmonis bello circumseptus, si exercitum militū Euāgelicorum nō habeat, cuius vi hostem irruētem arceat, & imminentem calamitatē propulset? Natura etiam hominis ea est, vt in quibusdam personis ab alio indigeat instrui, & edoceri. Quod adeò humanæ naturæ congruit, vt non solùm post peccatum, sed

Apoc. 12. 12.

Leo. serm. 6. Epiphan. c. 3.

etiam in statu innocentiæ (D. Thoma subtiliter disputante) reperiret[illegible], de quo rúmque discretio. Necesse est igitur, vt sint inter homines veritatis præceptores, virtutisque magistri, qui ignorantes doceant, instruant in omni virtute, & amore sanctitatis erudiant, & quod populis deest, sua doctrina & conatu suppleant. Nulla ars (inquit Hieronymus) absque magistro discitur. Etiam muta animalia, & ferarum greges, ductores sequuntur suos. In apibus principes sunt; Grues vnam sequūtur, ordine literato; Imperator vnus, Iudex vnus; Prouinciæ, &c.] Quantò magis doctrina virtutis, & ars benè, sanctéque viuendi, quæ aliis, tum difficilior, tum vtilior, tum excellētior est, magistris, & præceptoribus indigebit? Prouidētissimè Dominus dedit inter homines quosdam quidem Apostolos, quosdā verò Prophetas, alios verò Euangelistas, alios autem Pastores, & Doctores ad consummationem Sanctorum,] in opus scilicet ministerij huius, quo isti ad docendum electi, sibi decretam administrationem complēt, & corpus Christi, Ecclesiam nimirum militantem, ædificant. Tandem Ecclesia hæc, quæ patriæ est cælestis imago, cùm à Deo (vt est in Apocalypsi) ædificata descēdat, cuius vniuersa opera ordinata sunt, ordinem habet, vnde, & membrorū suorum disparitate perficitur. Est enim ordo (vt Augustinus dixit) parium dispariúmque rerum sua cuique loca tribuens dispositio.] Hæc autem disparitas in statuum, ac ministeriorum diuersitate consistit, quorum aliqua ad hoc videntur instituta, vt quidam homines purgentur, illuminentur, perficiantur: alia verò, vt alij inferiores suos purgent, illuminent, atque perficiāt. Quare necessarij sunt in Ecclesia purgatores, qui iniquitates lauent; illuminatores, qui tenebras ignorantiæ dispellant, perfectores, qui sāctitatis fabricam ad vmbilicum vsque perducāt. Operæpretium est in hac fideliū cōgregatione, sint capita,

D. Thom. 1. p. q. 96. ar. 1.

Hier. epist. 4. ad Rust. c. 6.

Ephes. 4. 11.

Apocal. 21. 1. Rom. 13.

Aug. 19. de Ciuit. c. 13.

quæ membra inferiora dirigant; fundamenta, quæ alias partes spiritualis ædificij sustentent: pastores, qui oues Christi pascant; & serui fideles, atque prudentes, qui opportuno tempore doctrinæ alimenta distribuant.

Isti autem mundi gubernatores, & duces, isti humani generis præceptores, atque magistri, ista Ecclesiæ lumina, quæ eam splendore veritatis illuminat, & igne charitatis succendunt, sunt sanctissimi Episcopi in locum Apostolorum suffecti: & omnes alij ad statum clericalem euecti Episcopis, tamquã veterani milites, tamquã scholæ substituti, ac veluti coadiutores adiuncti. Episcopi sane sunt, qui vniuersum mundũ sua potestate & auctoritate gubernant. Vnde in epithalamio sponsi de illis sponsæ, hoc est, Ecclesiæ, dicitur: Pro patribus tuis nati sunt tibi filij, constitues eos principes super omnem terram.] Patres missi sunt Apostoli (ait Augustinus) pro Apostolis filij nati sunt tibi, cõstituti sunt Episcopi. Qui principes facti, non solùm per se ipsos viriliter pugnant; sed alios etiam verbo & exemplo erudiunt ad pugnam, & animare nituntur ad prælium. Ipsi sũt omnium hominum magistri, quos si non sint cognitione sacrarum literarum, & diuinorum misteriorum imbuti; Apostolus corripit, dicens: Etenim cùm deberetis magistri esse propter tempus, rursum indigetis, vt vos doceamini, quæ sint elementa exordij sermonum Dei.] Ipsi sunt luminaria Ecclesiæ, & velati stellæ huius spiritualis mũdi à Christo splendidissimo sole lucem accipientes, vt in caliginosa nocte huius mortalitatis luceant; quare audiunt, non tantum, Vos estis sal terræ: verùm etiam, Vos estis lux mundi.] Atq; adeò optimè dixit Gregorius, Ioãni Episcopo Constãtinopolitano scribens, Quid enim fratres tui omnis vniuersalis Ecclesiæ Episcopi, nisi astra cœli sunt? Quorum vita simul & lingua inter peccata, erroresque hominum, quasi inter noctis tenebras lucent.] Clerici autẽ, præsertim presbyteri, qui (vt Hieronymus, Augustinus, & Damascenus clarè testantur) septuaginta duobus discipulis successerunt, milites sunt prædictorũ principũ, qui eorum signa, aut vexilla sequentes Ecclesiam circũdant, fideles protegunt, & dæmonum cuneos profligant. Isti sunt Sanctorum Episcoporum veluti prouectiores discipuli, qui accepta ab Episcopis facultate (vt antiquus Tertullianus ait) infideles, vel catechumenos, per baptismum, in Catholicæ Ecclesiæ scholam admittunt, & alios rudiores discipulos, nimirum cõmunes fideles, doctrina veritatis erudiũt. Isti sunt quasi paruæ lucernæ à maioribus luminaribus spiritualem lucem mutuantes, cuius splendore Ecclesiæ filios (vt inquit Dionysius Areopagita) ignorãtiæ tenebris purgãt, & doctrina Euangelij, & notitia veræ charitatis illuminant. Hi tandem sunt inferiores Angeli, qui iussu maiorum principum, salutem populorum sibi commissorum curant, & onus prælationis ex parte sustentant. Hæc est militia Christi ad tutamen fidelium euocata, hic exercitus verbi Dei, quemadmodum legimus in Apocalypsi, cuius supremus dux & vniuersalis princeps est Ecclesiæ Romanæ Pontifex, vicarius Christi, qui omnes acies Ecclesiasticorum moderatur, & illorum auxilio reliquos fideles gubernat. Episcopi verò sũt particularium cohortium duces, nimirum particulariũ Ecclesiarum principes, nõ æqualem, sed disparem iurisdictionis potestatẽ habentes, iuxta sui loci amplitudinem, & dignitatem: Presbyteri verò, Diaconi, & Subdiaconi, & reliqui in gradu Ecclesiastico constituti, sunt bellatores, quorum est ab Episcopis imperata exequi, & in Ecclesiæ gubernatione ad magis particularia descendere. Hoc robustissimo exercitu Ecclesia circundata vocatur pulchra, vt luna: electa, vt sol: terribilis, vt castrorum acies ordinata.] Pulchra vt luna, quia istorum militum potestate accepta diuinitus à maculis peccatorum mundatur. Electa vt sol, quia horum magistrorum doctrina à caligine ignorationis liberatur. Terribilis vt castrorum acies ordinata, quia istorum luminum, in lucendo concordia à pestifera hæresum colluuione defenditur.

Psal. 44. 17.
Aug. ibid.
Hebr. 5. 12.
Matt. 5. 14.
Greg. lib. 4. reg. in dict. 13. epist. 82.
Hier. epist. ad Marcel.
Aug. in psal. 44.
Damasc. epist. 3.
Tertul. lib. de baptismo.
Diony. c. 5. eccles. hierar. circa.
Apoc. 19. 14.
Cant. 6. 9.

Istius exercitus inuictissimi istorum bellatorum fortissimorum, siue illi duces sint, siue milites, propria est vita spiritualis mista, quam nunc intendimus explicare. Quod ex ipsa analogia temporalis exercitus manifestè perspicitur. Sicut enim exercitus, ad rempublicam humanam custodiendam conuocatus, non semper bellat, sed multo tẽpore quiescit, vt milites, vires fatigatas resumant, clypeos, galeas, & loricas resarciant, lanceas, & enses exacuant, & reliqua ad ineundum prælium necessaria disponant, ita exercitus clericorum non semper bello debet insistere, sed statutis temporibus à conflictu, hoc est, à cura prædicandi, & docendi se subtrahere, vt se ipsum oratione reficiat, cõtemplatione corroboret, & consideratione arma ad bellum necessaria, id est, virtutis, & legis diuinæ notionem, paret. Vnde Dominus noster Iesu Christus, primus Ecclesiæ Pontifex, qui eo quòd in æternum maneat, sempiternum habet sacerdotium] prius per triginta annos siluit & orauit, & postea tribus annis prædicauit, & in ipso prædicationis feruore sæpissimè in desertum locum ad orandum, & contemplandum secessit. Et Sancti Apostoli ab ea capita Ecclesiasticorum instituti, ita lucris animarum inhæserunt, vt tamen studium orationis non omitterent, & conuersationem in cœlis haberẽt, cuius rei locuples testis est Paulus, de se, & de suis sociis dicens: Nostra cõuersatio in cœlis est.] Idem alij sancti Episcopi Apostolorum successores, & sancti Presbyteri septuaginta duorũ discipulorũ hæredes, præstandum curarunt. Quod prolixum esset, & extra propositũ, exemplis (quæ sunt innumerabilia) comprobare. Quare Gregorius, ab Ecclesiæ rectore (qui est, aut Episcopus, aut sacerdos) efflagitat, vt sit singulis compassione proximus, & præ cũctis contemplatione suspensus, vt & per pietatis viscera in se infirmitatem cæterorum trãsferat, & per speculationis altitudinem semetipsũ quoque inuisibilia appetẽdo, transcendat; ne aut alta petẽs proximorum infirma despiciat; aut infirmis proximorum congruens appetere, alta derelinquat.] Necnõ, & clericorum officium euidenter ostendit. Nã ipsi magistri omnium; tam actiuorum quàm contemplatiuorum, & vniuersarum virtutum præceptores, debent omnes discipulos anteire, & omnium virtutum, quarum doctores sunt, perfectam notionẽ habere. Quomodo autem actiuos peccatorum detestationem, & affectuum mortificationem docebunt illi, qui iniqui sunt, & affectibus inordinatis addicti? Quo pacto contemplatiuos erudient, contemplationis, & interioris silentij, & quietis ignari? Qua ratione virtutis magistri virtutem orationis explicabunt, & eius pericula, aut difficultates aperient, qui præter orationem vocalem distractam, & tepidam, nihil prorsus huius exercitij didicerunt? Sint ergo oportet vtriusque vitæ periti, atque adeò vitæ mistæ sectatores, qui munus habent vniuersos instruendi, & omnium virtutum vim, & naturam propalandi. Iustè profectò Bernardus ab iis, qui sacris ordinibus initiandi sunt, inter alia quam plurima exercitationem assiduam orationis & considerationis efflagitat,

Hebr. 7. 24.
Philip. 3. 20.
Greg. 1. p. past. c. 5.

Bar. lib. 4. de con sid. longè ante fin.

gitat. Qui orandi studium gerāt (inquit ad Eugeniū Papā scribens) & vsum habeant, ac de omni re orationi plus fidāt quàm suæ industriæ, vel labori.] Debent itaque laborare; & actionibus bonis insistere, sed multò magis considerationi vacare, & orationi confidere. Iam autem initiati ad hoc fidelibus præponuntur, vt cum labore Marthæ, quietem Mariæ, & orationis opus adiungant. Optimè enim dixit Chrysostomus. Propterea sacerdotes prępositi sunt, vt multitudinis orationes cū sint infirmiores, hisce potentiores adiungentes, pariter cum illis in cœlum ascendant.[Quàm efficax, & animosa sit oporteat, sacerdotis oratio, quæ sæculariū orationes est quasi humeris portatura, & illis iter in cœlum pandens, vsq; ad thronum Dei penetratura? Denique hos spirituales populorum gubernatores, vult omnino Cyprianus, ne (vt orationi vacare possint) sæcularibus negotiis implicentur. Cū singuli (ait) diuino sacerdotio honorati, & iuncti in clericali ministerio constituti, non nisi altari; & sacrificiis deseruire, & precibus, atque orationibus vacare debeant: scriptū est enim Nemo militans Deo implicat se molestiis sæcularibus, vt possit placere ei, cui se probauit.] Quod cū de omnibus dictum sit, quātò magis molestiis & laqueis sæcularibus obligari nō debent, qui diuinis rebus, & spiritualibus occupati, ab Ecclesia recedere, & ad terrenos, & sæculares actus vacare non possunt?] Perspicuū est ergo, quos Ecclesia gubernationi populorum præficit, & a cura sæculariū remouet ne ab studio sanctæ orationis cessent, cum Lia, & cū Rachele habituros esse commerciū, vt & amplexādo Liam, proximorum salutem curent, & Rachelē optando, contemplationis exercitia sectētur. Ex his autem facile est intelligere, quare exercitus clericorum, licèt robustissimus, auxilio aliorū indiguit ad hanc prouinciā curandarū animarum obeundam. Sāctissimus enim totius Ecclesiæ Pōtifex nō potest solus omnes Ecclesiæ populos per se ipsū docere, & gubernare: cùm habeat amplissimam illā à Christo datam potestatem in vase fictili, hoc est, in corpore infirmo, & imbecillo, quod nec valet per vniuersum orbē sibi subiectum discurrere, nec omnes filios suos (qui sunt omnes fideles) lacte doctrinæ cœlestis educare. Profectò si hoc attētaret, ad sāctissimos illius pedes procumbentes moneremus illum, quia nō bonam rem faciat, hoc est, quod minime deceat tantam maiestatem, vt ad infima Ecclesię mēbra, & ad particularia officia se demittat, & quia minus discreto labore se cōsumat: nā in immensum vltra vires vnius hominis est negotium, quod solus non poterit sustinere. At habet cœtum venerabilem Cardinaliū, & sanctos Patriarchas, Archiepiscopos, & Episcopos adiutores, quorum est ad particularia descendere, & mediocria iudicare; maiora verò ad ipsum, tamquam ad alterum Moysen, tamquam ad summum ducem, & vniuersalem Ecclesiæ principē (data occasione) referre. Sed isti etiam pauci sunt, si cum immensa fidelium multitudine cōferantur, nec non & tanto oneri sustinendo impares. Habet namque Episcoporum quilibet, aut amplissimā, aut satis magnam diœcesim, quam nec breui tempore peragrare, & nec occurrentibus necessitatibus, quæ innumerabiles sunt, prouidere sufficiet. Moses vni populo, & illi quidē, non omniū numerosissimo, imò comparatione gentilium, satis angusto, præfecit, nō solùm principes, sed & tribunos, & centuriones, & quinquagenarios, & decanos, vt partito in alios onere, tolerabilior esset ei vniuersalis regiminis cura. Quid faceret sanctissimus fidelium pater vniuersæ Catholicæ Ecclesiæ præpositus, quæ, vt est in psal-

Chrys. ad popul. ho. 79. de pænit.

Cypri. lib. 1. epist. 9 ad presbyt. Furnij consistent.

2. Timot. 2. 4.

Exod. 18. 25.

Psal. 79. 11. & 12.

A mo, tam longè latèque totam terram oppleuit, vt operiat mōtes vmbra eius, & arbusta eius cedros Dei, & extendat palmites suos vsque ad mare, & vsque ad flumen propagines eius.] Si solos principes, hoc est Episcopos suo gregi præponeret, & alios minores administros, id est, presbyteros eligendos omitteret: certè non posset, vt par est, oues suas ad vberrima pascua cœlorum deducere, & subiectos suos in omnibus gubernare. Meritò ergo ipsum diuinum ius, quòd Episcopalem dignitatem instituit, etiam presbyterorum, & aliorum ordinum gradus in Ecclesia esse decreuit, quorum multitudine, & ipsa esset varietate circundata, & omnia tam maiora optimè essent gubernata.

B At iam habet etiā Dominus noster Christi Vicarius numerosissimos Presbyterorum, Diaconorum, Subdiaconorum, & aliorum clericorū greges, quorum doctrina populos sibi cōmissos instituat, honestate promoueat, robore tueatur, & potestate moderetur. Verum est hoc, multiplicata est gens vsque ad societatem, sed non magnificata lætitia. Si hūc Presbyterorum statum, & aliorum clericorum cōsideremus, clarissimè videbimus eos aliquo auxilio ad curam animarum sustinendam eguisse. Multi sunt ordine, pauci vita; multi numero, pauci merito; multi qui sacramenta ministrent, verbum Dei seminent, & alia ministeria necessaria curādis animabus exerceant, paucissimi verò, qui has venerandas functiones pro dignitate tractent. C Si enim Paulus de administris Euāgelij illius primæui temporis, quādo corda sancti spiritus igne feruebāt, sine vlla trepidatione asserit? Omnes, quæ sua sunt quærūt, nō quæ Iesu Christi.] generali numero plures, qui sua commoda quærebant significans. Et rursus. Quidā quidem, & propter inuidiam, & contentionem, quidam autem, & propter bonam voluntatem Christum prædicāt; quidam ex charitate: scientes quoniam in defensionem Euangelij positus sum. Quidam autem ex contentione Christum annunciant non sincerè, existimantes pressuram se suscitare vinculis meis.] Quid diceret de futuris diebus, in quibus iam iam instant tempora periculosa, & sunt homines se ipsos amantes, qui penetrant domos, & captiuas ducūt mulierculas oneratas peccatis, quæ ducuntur variis desideriis; semper dicentes, & numquam ad scientiam veritatis peruenientes? D Quid diceret, si videret nō paucos Presbyterorum vitam mistam sibi propriā penitus deseruisse, & ad sęculares actiones, ad delicias, ad inanes honores, & ad scandala populorum declinasse? Quid diceret, si videret, eos scientiæ sanctarum Scripturarum ignaros, nec scire conscientiis suorum subditorū mederi, nec præcepta salutis proponere, nec ad viam æternitatis capessēdam vrgere? Quid tandem diceret, si videret homines spiritum Dei non habentes, imò spiritu superbiæ, & profanæ scientiæ studiis inflatos, ex suggestu, nō more Apostolorum, sed leuissimorum oratorum, acclamantes, auribus prurientes, qui fabulas, & Ethnicorum deliramenta E simplici populo verbum Dei cupiēti proponunt; qui Ouidij transformationes, Virgilij carmina, & aliorum perditissimorum hominum dicta, inter prædicādum Euangelium effutiūt: diuinas autem Scripturas, & lucubrationes Sanctorum patrū, nec intelligunt nec legunt, nec si apud Christianum populum habeantur, agnoscūt? Fateor in statu clericorū viros esse doctissimos, vita graues, moribus circumspectos, actione integerrimos, sed hos nō multos esse; plurimos verò contra, qui sacerdotalem dignitatem ignominia afficiāt, & sub ouina pelle, animum luporum habeant, non est qui ignoret.

Philip. 2. 21.

Philip. 1. 15. &c.

2. Timot. 3. 2. Ibid. 6.

Nec

Nec miror (vt meam sententiam aperiam) multos ex clericis sæcularibus vitam sæcularem, & mundanã numquam deponere, & vitiorum pannos numquam exuere, quoniam multa hĩbẽt mutationi vitæ veteris omnino contraria. Sacerdotalem dignitatẽ, vel ipsis Angelis tremendam quærunt, officia Ecclesiastica, & curã animarum ambiunt, non amore Dei incitati, sed desiderio honoris, aut opũ allecti. Ex radice autem corrupta, hoc est, ex intentione vitiata, ex fine præpostero, & inordinato, mirabile esset pulchros ramos, folia viridia, flores suaues, & dulces fructus, optimã scilicet dignitatis adeptæ administrationẽ cõsurgere. Profectò de radice colubri, egredietur regulus, & semen eius absorbens volucrẽ.] Nã de radice prauæ intẽtionis, qua Ecclesiastici ordinationẽ, & dignitatẽ quæsierunt, erumpit cupiditas, meritissimè regulo cõparata, quia omnium malorũ est radix.] Hæc autẽ absorbet volucrem: quoniam desideria possidendi exsuscitat: & voluntatem placẽdi Deo, ac zelũ proficiendi animabus extinguit. Hãc sacerdotũ, aut aliorum ordinum amplitudinẽ, nõ obedientia coacti, sed propria voluntate, & præsumptione cõpulsi suscipiunt: illud Pauli mãdatum contemnentes: Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo, tamquã Aaron.] Qua sentẽtia percutiuntur (inquit Anselmus) qui honores Ecclesiasticos, ad quos diuinitus non vocãtur, arripere cupiũt. Qui enim se ingerit, & propriã gloriã quærit, non sumit honorem, si Pontifex, aut prælatus in Ecclesia factus fuerit: sed gratiæ Dei rapinam faciẽs ius alienum vsurpat.] Isti non intrant per ostium in ouile ouium, sed ascẽdunt aliunde.] Quare cum furibus, & latronibus numerãtur, qui non ingrediũtur ad oues, nisi vt furentur, & mactent, & perdant, aut certè cum mercenariis, qui irruentibus lupis, dimittunt oues, fugiunt, & lupus rapit, & dispergit oues. Ad eosdem gradus sine vlla consideratione, aut præparatione conscendunt. Vnde, neque eorũ maiestatem, nec puritatem agnoscũt, vt secundùm quod decet, eos tractẽt, nec sibi vtiles, nec aliis fructuosos experiũtur. Sicut enim pretiosa vestis, ex auro, gemmisque contexta, alia indumenta delicatiora, & corpori accommodatiora præsupponit, quibus calefiat, & super nudo corpore, neq; hominem foueret, neque exornaret, sed magis ludibrio, & risui cõspiciẽtibus exponeret: ita decora vestis sacerdotij, mentẽ induens, mortificatione mundam, virtutibusque circundatam, & humilitate, ac timore paratam, in admirationem rapiet, reuerentiã, & honorẽ excitabit: In corde tamen imparato, & aliis diuinis donis spoliato, risum, & contemptũ, imò lacrymas, & gemitus in iustis, ac amatoribus Ecclesiæ mouebit. Gubernator nauigij futurus, primùm remis nauem agitat, deinde ad proram conspector collocatur, postea clauũ tenet, ac demum gubernator constituitur. Exercitus etiam imperator, miles primum, inde signifer, postmodum cuiusdam aciei ductor, tandem omniũ copiarum, ac totius exercitus Imperator efficitur. Sic prorsus optimè cum fidelibus ageretur, si eorum futuri præpositi, primùm virtutum artem addiscerent, & in omni continentia, & rerum mundanarũ contemptu se exercerent: quia tamen sacerdotes hanc ascendendi rationem non seruant, neque in virtutum gradibus antea quam in fastigio sacerdotali pedes affectuum suorum collocant; hinc oritur quod optime Nazianzenus, vt ordo in toto Christianismo sanctissimus, in toto Christianismo maximè sit ridiculus.] Non enim virtute magis, quã malitia & fraude sacerdotij dignitas paratur, nec meliores, ac digniores, sed potentiores thronis insident. Samuel

Isai. 14. 29.

1. Timot. 6. 10.

Hebr. 5. 4.

Anselm. ibidem.

Nazianz. orat. in laudem Basilij.

A inter prophetas, ille inquã futura prospiciens, sed & Saul vilis & abiectus. Roboã Salomonis filius inter reges, sed & Ieroboam seruus & rebellis. Cúmque nec medici, nec pictoris nomen quisquam obtineat, nisi priùs morborum naturas expenderit, aut multos colores miscuerit, variásq; formas penicillo expresserit: Antistes cõtra facilè inuenitur, non elaboratus, sed recens, quantùm ad dignitatem, simul satus, ac prouectus, quemadmodum gigãtes poëtæ finxerunt. Vno die sanctos finximus, eósque sapiẽtes, & eruditos esse iubemus, qui nihil didicerũt, nec ad sacerdotium quicquam antè contulerũt, præter quàm velle. Atque is quidem inferiori sede acquiescit, humilisque stat, qui sublimem promeretur, atque, multùm diúque in diuinorum sermonum meditatione versatus est, & multùm diúque carni leges sanxit ad spiritui obediendum: hic contra fastuosè sedet, atque aduersus meliores supercilium attollit, nec thronis intremiscit, nec aspectu cohorrescit, cùm moderatum hominẽ, cupiditatibúsque imperantem inferiori loco stantem intuetur: Verùm simul cũ imperio, & dignitate sapientiorem quoque sese existimat, prauè vtiq; sentiens, atque à potentia, & auctoritate demẽtatus.] Sic ille suorum temporum calamitatem deplorat, & multo magis nostræ ætatis miseriã deploraret, in qua homunciones vilissimi, nulla scientiæ doctrina fulti, nulla virtutis exercitatione pollentes repentè sacerdotes prodeunt, & scientiam benè studioséque viuendi, atque virtutum doctrinam, quã nesciunt, aliis proponere non erubescunt.

1. Reg. 10. 12.

3. Reg. 11. 43. & 12. 20.

C Sed demus clericos sæculares, & intẽtione bona, & prælati iussu, & præparatione debita ad honorabiles Ecclesiæ gradus accessisse. Quis explicet quanta subeunt ex ipsa sæculi habitatione pericula, quæ illos à zelo animarum, & à procuranda salute proximorum impediant? Opes possident, quibus se ipsos, familiámque sustentent, & sub prætextu necessitatis, cupiditas eorum animos expugnat, & demũ ad coaceruãdas diuitias, & recondendas pecunias constanter instigat. Quis autem sit huius expugnationis euentus, Bernardus in hunc ferè modum scribit. Quanti hodie secus affectos se ostendunt (de his dico, qui animas regere susceperunt, quod enim sine miserabili gemitu dicẽdum non est) Christi opprobria, sputa, flagella, clauos, lanceam, crucem, & mortem, hæc omnia in fornace auaritiæ conflãt, & profligant in acquisitionem turpis quæstus, & pretium vniuersitatis suis marsupiis includere festinãt. Hoc solo sanè à Iuda Iscariothis differẽtes quòd ille horum omne emolumentum denariorum numero cõpensauit: isti voraciori ingluuie lucrorum infinitas exigũt pecunias. His insatiabili desiderio inhiãt, pro his ne amittant, timent, & cùm amittunt, dolent: harum in amore quiescunt quantum dumtaxat liberũ eis est à seruandi, vel augmentandi cura. Animarũ, nec reputatur casus, nec salus. Nõ sũt profectò matres, qui cùm sint de crucifixi patrimonio, nimirum incrassati, impinguati, dilatati, non compatiuntur super contritionem Ioseph.] Multi eorum à domibus fœminarum exire non possunt, quia commoditate alterius habitationis carent, mulierũ colloquia, & visitationes frequentãt, ne inculti, & agrestes reputẽtur. In hac verò conuersatione ô Deus, quanta discrimina, quantæ aduersus castitatem tendiculæ, quanta proximorum scandala, quanta incitamenta lasciuiæ Cyprianus quidẽ acerrimè, & verissimè in hãc clericorum cum mulieribus habitationẽ inuehitur, cuius sententiam prolixum esset recẽsere. Sed inter alia hos enumerat; non obseruatæ circumspectionis fructus. Respicite quanta mala cõuersatio

Ber. in cant. ser. 10.

parilitatis

Cypri. lib. de singul. clericorū. parilitatis huius acquirat, quæ non nisi corruptionem seminat, pullulat vitia, cupiditatem concipit, ignominiam parit, rabiem concitat, porrigit furiam, lasciuam pascit, petulantiam nutrit, casus exaltat, ruinas ædificat, rapinas erigit, præcipitia instruit, periculis nauigat, naufragiis velificat, perditione gaudet, interitū fouet, confusionē mercatur, thesaurizat opprobrium, criminationes exaggerat, accusationes inflāmat, & cateruatim semel in fascem glomerans numerosas indagines captionum, per infinita dedecorum simplices mortes inuehit, in perniciem perditorum? Hoc itaque, & tātas strages calamitatis, & strages pessimę côuersationis, nemo prosternit, & nemo calcat; nemo funestat, nisi singularis castitas, soláq; munimen inuictum est sanctimoniæ, & expugnatio fortis infamiæ.] Tandem inter prensationes educati, inter ambitiones præbendarum, & dignitatū enutriti, inter cupiditates maiorū honorū, superbiæ, & fastui assueti, quo pacto etiam vsq; ad dedecus, pro saluādis animabus laborabūt, vsque ad verbera pro manifestanda veritate persistent, vsque ad effusionem sanguinis pro conuertendis infidelibus sustinebunt? Aliæ sunt eorum curæ, aliæ sollicitudines, quæ omnes ad fastum, & arrogantiam tendunt, ad delicias, & profusionem bonorum Ecclesiasticorū, bonorum scilicet pauperum, diriguntur. Audiamus Bernardū, quas in Ecclesiasticis curas agnoscat. *Bern. ser. 33. in cant.* Væ (ait) generationi huic à fermento Pharisæorū, quod hypocrisis, si tamē hypocrisis dici debet, quæ iā latere præ abundantia non valet, & præ impudētia non quærit. Serpit hodie putida tabes per omne corpus Ecclesiæ, & quò latius, eò desperatius, eóque periculosius, quò interius. Nā si insurgeret apertus inimicus, hæreticus, mitteretur foras, & aresceret; si violentus inimicus, absconderet se forsitam ab eo. Nūc verò quē eiiciet, aut à quo abscōdet se? Omnes amici, & omnes inimici; omnes necessarij & omnes aduersarij, omnes domestici, & nulli pacifici; omnes proximi, & omnes quæ sua sunt quærūt. Ministri Christi sunt, & seruiūt Antichristo. Honorati incedūt de bonis Domini, qui Domino honorem non deferunt. Inde is, quem quotidie vides, meretricius nitor, histrionicus habitus, regius apparatus; inde aurū in frænis, in sellis, & calcaribus, & plus calcaria, quā altaria fulgent, inde splēdidæ mensæ, & cibis, & scyphis, inde comessationes, & ebrietates. *Psa. 145. 13.* Inde cithara, & lyra, & tibia. Inde redundantia torcularia, & promptuaria plena eructantia ex hoc in illud.] Inde dolia pigmētaria. Inde referta marsupia. Pro huiusmodi volūt esse, & sunt Ecclesiarū Præpositi, Decani, Archidiaconi, Episcopi, Archiepiscopi. Nec enim hæc merito cedūt, sed negotio illi, quod *Isaia. 38. 16.* perābulat in tenebris. Olim prædictū est, & nūc tēpus impletionis aduenit. Ecce in pace amaritudo mea amarissima.] Amara priùs in nece martyrū, amarior pòst in conflictu hæreticorum, amarissima *Psal. 39. 6.* nunc in moribus domesticorum. Non fugare, non fugere eos potest; ita inualuerunt, & multiplicati sunt super numerum] Intestina, & insanabilis est plaga Ecclesiæ, & ideo in pace amaritudo eius amarissima. Sed in qua pace? Et pax est, & nō pax. Pax à paganis, & pax ab hęreticis, sed non profectò à filiis. *Isaia. 1. 2.* Vox plāgentis in tempore isto. Filios enutriui, & exaltaui, ipsi autē spreuerunt me.] Spreuerunt, & maculauerunt me à turpi vita, à turpi quæstu, à turpi commercio, à negotio deniq; perambulante in tenebris.] His ergo clerici occasionibus irretiti, his vinculis compediti, his animi ægritudinibus eneruati, non dubium quin opus habeant præsidio fortiorum militum, quo curæ sibi à Domino demandatæ cu-

A randarum animarum fœlici euentu respondeant.

Religiosos in auxilium Statui clericali datos esse, vt saluti animarum consulant, & vitam mistam profiteantur.

CAPVT XXXV.

HVic tam ingenti clericorum, ac totius Ecclesiæ necessitati ille remedium attulit, & præsentissimum auxilium adhibuit, qui adiutor est in opportunitatibus, in tribulatione, vt agnoscentes eum sperent in eum: quia numquam diuinum numen quærentes se, & inuocantes B derelinquit.] Hoc autem fuit remediū. Muniuit Dominus Ecclesiam alio exercitu fortissimorum militum, si fortè alij dici possunt, qui à prioribus maiori dumtaxat vitæ puritate, & strictiori bene viuendi obligatione, nō verò aut natura, aut lege, aut fine, aut mediis ad consequendum finem secernuntur. Dedit adiutores statui clericorum, vt eum suo exemplo ad præliandum incitarēt, & opere, ac labore ad pugnādum & vincendum iuuarēt. Misit sacerdotes fidelibus suis, qui non spe lucri, sed diuini amoris obtētu; non propria volūtate, sed prælatorum iussu: nō virtutibus destituti, sed vestimētis animæ, spiritualibúsque donis ornati ad gradum sacerdotalem suscipiēdum accedunt: cuius ministeria, ab occasionibus in- C continentiæ sequestrati, sine vlla cura diuitiarū, sine vllo impedimēto ambitionis, sine vllo desiderio inanis honoris exequuntur. Isti autē sunt omnium sanctorum ordinum sacerdotes religiosi: quippe quos, cùm sæculum irrideant, mūdana contemnāt, & carnis desideriis contradicant, credendum est hac intentione, & præparatione, qua diximus, & hoc affectu Deo placendi dumtaxat, & proximos adiuuādi, ad sacerdotalem dignitatē ascendisse, & prædicationis onus acceptasse. Est autem cōsideratione dignissimum, quāta sapientia Dominus hos milites subsidiarios in adiutorium status clericalis emiserit, & quanta prouidentia eorum cohortibus validissimis, vrbes, & oppida Christianorum repleuerit. Primò D enim Basiliū in Gręcia, quia fortè maior vrgebat necessitas, & deinde Benedictum in Italia suscitauit, illum quidem circa annum Domini trecentesimū sexagesimū: Istum verò ferè sequenti mox sæculo, anno nimirum (vt fertur) quingentesimo vigesimo, qui monachos antea in eremo degentes, & sibi solis vacantes in cœnobiis, ac monasteriis prope oppida ac ciuitates coēgerūt, vt secum alios in cœlestem patriam deferrēt, à laqueis dæmonis sua præsētia protegerent, calore fouerent: & vitiis ac peccatis eriperent. Hoc autem fuisse à Deo inspiratum sancto Benedicto consiliū, ex eo non obscurè colligitur, quòd sanctissimus Patriarcha ad monachos informandos, & religiosam disciplinam propagandam euocatus, E nō potuit aliud, cœnobia construens iuxta vrbes & oppida, quæritare: nisi vt commilitones suo exēplo, & verbo proximis essēt fructuosi. Quod & hospitalitatis officium, ab hac sacra religione susceptū, adhuc clariùs euidentiusque demonstrat. Cuius enim rei gratia tunc Benedictus, tam officiosam excipiēdorum hospitum curam indixit; nisi vt eius religiosi id facerent, quod nunc faciūt, & occasione dilectionis fraternæ, aliquod spirituale emolumentū hospitum animabus afferrēt: suscepti autem hospites (inquit in regula) ducantur ad orationem, & postea sedeat cum eis Prior, aut cui iusserit ipse. Legatur coram hospite lex diuina, vt ædificetur; & post hæc omnis ei exhibeatur humanitas.] Ille erat, si nō so-

lus, saltem

lus, saltem præcipuus hospitalitatis scopus, proximos ad orationem hortari, & in custodia diuinæ legis erudire. In eundem verò finem sanctum Basiliũ oculos cõiecisse adhuc est manifestius, cùm huiusce rei Gregorium Nazianzenum habeamus attestatorẽ. Vt autem (inquit) nõ solùm sibi, sed aliis quoq; proficeret, primus cœnobia excogitauit, ritúmque illum monachorum antiquum, atque agrestem, ad ordinẽ quemdam, ac formulam religioni propriorem redegit. Cùm enim animaduertisset, eos, qui in communi vita, hoc est, aliis mixti, agunt, etiam si monasticã abstinẽtiam seruent, aliis quidem vtiles esse, non ita sibi ipsis, cùm in multis eos malis versari necesse sit, quæ vitæ quietæ omninò perfectæ contraria videntur; eos verò qui in solitudine procul ab aliis degũt, firmiores sanè in proposito, magísque Deo coniunctos, attamen sibi tantùm vtiles, cùm rerum experiẽtiam non teneant, nec cum aliis commercium vllum habeant, vtrumque vitæ genus coniungere conatus est. Quamobrem monachorum cœnobia, haud procul ab iis, qui in hominum societate viuũt, ædificari iussit, nec omnino separauit, vt & propinquitate, cũ opus charitatis exposceret, adesse possent: disiiti alioquin propriis terminis, ne quies eorum interrumpi per multitudinem posset, nec ipsi monachi actionis merito, quod ex impendenda aliis charitate existeret, priuarentur: Nec rursus eorum actio per tumultus inutilis efficeretur; & alter alterum hoc modo iuuare posset, vt monachorum vita per conuersationẽ eorum, qui in cõmuni agunt, fructuosa fieret, & ipsi à monachis quietem, sapientiam, contemplationémque discerent, quemadmodum terra, & mare se se inuicem amplectuntur, & iuuant.] Et hæc quidẽ fuit Sanctorum istorum patrũ cogitatio, quam non solùm omnes facti Benedicti propagines, vt Cluniacensis, Cisterciensis, & aliæ; sed omnes etiam sacri ordines deinceps instituti, atque fundati, nõ sine diuino afflatu amplexi sunt. Nullus est enim adeò solitudini addictus, & diuinæ contemplationis amans, quem non Deus ad aliquam proximorum vtilitatem excitauerit. Nam (vt alios omittam) certè Carthusiẽses, non solùm oratione; & exemplo; sed actione etiam, & doctrina Ecclesiæ proficiunt; dum conscribendis libris, qui eorum doctiores sunt, ex instituto operam nauãt, & piis colloquiis sæculares eos inuisentes, instituunt: & licèt non à suæ fũdationis exordio, nunc tamen confessiones ad se accedentium, & pœnitere volentiũ excipiunt. Nec non & Eremitæ, qui nomen, & regulã Beati Augustini profitentur, post tempora, quæ statim dicemus, ne Alexandri Papæ quarti iussa prætereant, in mediis vrbibus cœnobia extruunt, & verbo doctrinæ, ac labore audiendi confessiones, & docẽdi sacram Scripturam non minus, quàm alij à prima sua institutione ad hoc onus vocati, in Ecclesia fructificant. Quamobrem, & sibi iam possũt assumere, quod Hugo de sancto Victore, non Eremita, sed Augustinianus canonicus de se, & de suis contubernalibus aptè conscripsit. Quibusdam sola Rachel, quibusdam sola Lia placet. Amant enim quidam cõtemplationis pulchritudinem, quietem silentij, lectionis speculum, conscientiæ puritatem, piæ meditationis consolationem, charitati diuinæ quasi vultui Rachelis inhærẽt, aspectibus animæ, tamquã voluptuosis amplexibus illius astringũtur. Aliis verò solius Liæ fœcunditas placet: generãt verbo prædicationis filios, hos nutriunt lacte consolationis, illos verò pastu cibi fortiores reddunt. Necessariò seruiunt labori, curã rei familiaris gerunt, necessaria fratribus subministrãt, & sunt quasi vela, aut saga cilicina quib⁹ tota pulchritudo tabernaculi

Nazian. orat. in laudem Basilij.

Gabelinus in vita.

Iordan. Sax. lib. 1. vita. fra. c. 10. & 16.

Hugo. lib. 2. de nuptiis. c. 1.

A à vento & pluuia custoditur. Apud nos autem vtraque ducitur, id est Rachel, & Lia: ne intolerabilis sit labor Liæ, ne quies Rachelis habeatur tædio, sed constitutis horis sibi inuicem succedant, labor orationi, oratio labori, lectio meditationi, meditatio prædicationi.]

Hæc Basilij, & Benedicti, & aliorum religiosorum instituta, qui duorum prædictorum patrum vestigiis inhæserunt, auxiliorũ Episcopis, & aliis Ecclesiasticis datorum fuêre primordia. Hæ primæ religiosorũ acies in medium productæ, vt fratribus suis sacerdotibus sæcularibus subsidio essent, hostibus Dei; peccatis, & vitiis se fortiter opponerẽt, & simul cũ primis militibus, qui acre prælium incœperant, & iam B præ lassitudine dimicare nõ poterant, de Diabolo, & Angelis eius victoriam reportarent. Sed quia isti milites religiosi, veluti à longè cũ infestissimo hoste cõfligebant, neque omni armorum genere decertabãt, & quia mundi miserabilis seruitus, qua dæmoni seruiebat, vitiorum rabies, iniquitatum impetus, & iniquorum procacitas; maiores adhuc vires, vt deiicerentur, postulabant, alium Deus robustissimum instruxit exercitũ, qui omnibus armis necessariis vteretur, & omnino clericorum more pugnaret. Misit ergo circa annum sexcentesimum post Benedictũ, duos fortissimos imperatores, duo fulgentissima Ecclesiæ lumina, Dominicum, & Franciscũ, qui non iam propè vrbes, sed in mediis vrbibus, in ipsis po- C pulorum plateis suas domos, acies vtique munitissimas instruerent, quorum milites, tamquã leones inuicti, docendo, concionando, peccatorum confessiones audiendo, & alia ferè omnia clericorũ ministeria præstando. (Nam verè clerici, & sacerdotes sunt;) tantæ militiæ se opponerent, & Diabolo furenti & pene vincẽti resisterẽt. Has autẽ duas religiosorũ familias, ex instituto animarũ saluti consulere tã cui dẽs est, vt confirmatione nequaquã indigeat. Illa enim Prędicatorũ religio diuinitus ad prædicãdũ vocata est, atq; eius Pater Dominicus post confirmationẽ ordinis, à sanctis Apostolis Petro & Paulo ad prædicandũ inuitatus: quorũ ille, Dominico in extasim rapto, scipionẽ, iste librũ tradere videbatur, ac simul dicere ad eũ: Vade, cõcionare, diuinitus ad id ministerium electus. Hic verò cœlesti oraculo didicit se ad lucrũ animarum euocari. Nam cùm fratres D à Frãcisco in suam familiam admissi dubitarẽt, quanam vitæ rationẽ essent sequuturi, Beatissimus Pater (vt Bonauẽtura narrat) non de sua, vel suorũ confidens industria, per orationis instãtiã, diuinæ super hoc voluntatis beneplacitũ requisiuit supernæ igitur reuelationis illustratus oraculo, intellexit se ad hoc missũ à Domino, vt Christo lucraretur animas, quas Diabolus conabatur auferre.] Quã verò fœlici auspicio, quàm admirabili totius Ecclesiæ fructu isti duo præstantissimi imperatores, ac omnes eius fratres pugnauerint, non est nostrum recensere, qui non historiam teximus, sed viam ad vitæ spiritualis mixtæ tractationem paramus. Istarum igitur duarũ E religionum fundatione, nõ solùm magnũ datum est fidelibus adiumentum, sed ingens quoque facta est militum externorum accessio. Nam anteriores religiones, quæ priùs quasi occultè pugnauerãt, istorum feruidorum patrum exemplo, in publicũ prodierũt, ordines sacros non ambierũt, sed humiliter admiserunt, & functiones clericorum, nõ minori vtilitate, quã admiratione, & laude tractarũt. Recẽtiores verè post fundationem Prædicatorum, & Minorũ, aut de nouo institutæ, aut ad nouã formam, quam nunc habẽt, redactæ, quales sũt, Carmelitana, Augustiniana, (de qua paulò antè diximus) Hieronymiana, nec-

Theodori. in vita, lib. 1. c. vlt. & lib. 2. c. 1

Bonauẽt. in vita. c. 4.

non

non & redemptionis captiuorum, opera ſancti Raimũdi Dominicali inſtituta, & Minimorum à ſancto Franciſco de Paula fundata; ac breuiter ferè omnes aliæ zelo animarũ incenſæ, & fructu delectatæ ei dẽ oneri prædicandi, & iuuandi proximos, nõ ſine magna Eccleſię ædificatione filiorum ſuorum ceruices ſuppoſuerũt. Quæ gloria ſanè eximia in ſanctiſſimos Patres Dominicum, & Franciſcum redundat. Nam ſicut ſol corpora ſuperiora, & inferiora in medio totius orbis conſtitutus illuminat; ita illi exemplo ſuo, antiquiores, & recentiores ordines ad conſiderandum animarum valorem illuminarunt, & ad zelandam earum ſalutem, exercitarunt.

Nouiſſimis autẽ tẽporibus, anno nimirum milleſimo quingenteſimo quadrageſimo, cũ mirũ in modum dominabatur iniquitas, cùm peſtifera hæreſum lues in oues Chriſti graſſabatur, cũ reuelabatur homo peccati filius perditionis, qui non veritus eſt aduerſari, & extolli ſupra omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur, nec timuit in Eccleſia inſtar magiſtri ſedere, cùm eſſet diſcipulus Diaboli, & abſurdiſſima dogmata, ac planè hæretica prædicare: Tunc Dominus benigniſsimus Eccleſiæ pater, à militia ſæculi, ad militiã ſpiritus vocauit IGNATIVM Parentẽ noſtrũ optimum, qui expeditiſſimos, & fortiſſimos milites in vnũ ordinẽ religioſũ coẽgit, vt infideles ad fidẽ adduceret, hæreticos ad veritatẽ reuocaret, peccatores ad bonã frugẽ conuerteret, iuſtos ad maiorem ſanctitatem proueheret, & irruentibus in Eccleſiam calamitatibus, ſe ipſum potenter obiiceret. Hic religioſus ordo (quem ego à prima adoleſcentia, licèt indignus, ſed lætus, profiteor) clericorũ eſt, ad hoc profectò inſtitutus, vt clericalẽ ſtatum in deteriora collapſũ, & à primo ſuæ inſtitutionis feruore remotum, exẽplo ſanctorũ clericorũ erigeret, & ad auream illã ætatem primitiuæ Eccleſiæ (in qua omnes clerici erãt religioſi) reduceret. Hic primo co ſuam perfectionem quærens (ne præcepti charitatis inueniatur tranſgreſſor, quę à nobis ipſis debet incipere) ſecundo loco ferè omnia munera clericalia ex inſtituto cõplectitur, vt ex formula à Beato Patre noſtro IGNATIO compoſita, & à ſede Apoſtolica non ſemel approbata manifeſtè cognoſcitur. Nã rudimẽta Chriſtianæ fidei paruulos docet; in eiſdem myſteriis rudiores inſtruit, omnibus linguis ac ſciẽtiis ad ſacram Theologiam addiſcendã neceſſariis, & in ipſa ſacra Theologia, tũ morali, tũ ſcholaſtica, tum expoſitiua, adoleſcentes informat. Per confeſſionis ſacramentum peccatores purgat; Euchariſtiæ adminiſtratione iuſtos ſuſtẽtat; prædicatione verbi Dei dormiẽtes excitat: tepidos mouet: peccatores cõuertit: diſputationibus cõuincit hæreticos, exẽplo, & doctrina cõpellit intrare infideles; conſilio iuuat gubernatores reipublicæ; oratione regibus ac principibus fauet: ſummo Chriſti Vicario in omnibus ſeruit, & vniuerſam Dei Eccleſiã laborando cõfirmat. Hic tandẽ ordo videtur datus à Domino, inſipientibus in lucem; errantibus in viam; peccatoribus in gratiam; tepidis in ignem, hæreticis in malleũ; infidelibus in remedium; puſillis in ſolatiũ, magnatibus in conſilium, & ſanctiſsimo Domino noſtro ſupremo Eccleſiæ captiui in obſequium fideliſsimũ.

Lutherũ dicit.

Omnes iſti religioſi cætus, ſiue ex ſolitudine in populos tranſlati, ſiue à prima ſua fundatione in populis inſtituti, Epiſcopis, & clericis in adiumentum dati ſũt, vt illis tanquã cohortibus validiſsimis vndiq; cincti concipiãt animos, & bellũ aduerſus omnia vitia ſibi cõmiſſũ gnauiter proſequãtur. Habitãt in oppidis, & in vrbibus, ne ſæculares exemplo ſummæ virtutis careant, quod eos ad mediocrẽ ſal-

A tem virtutem trahat, & ne doctrina efficaciter propoſita indigeant, quæ illos ad mandatorum obſeruationem inuitet. Huic enim loco optimè cõgruit illud Ambroſij: Nec abſurdum putes, quòd facinoroſi cohabitant piis, maculoſi ſacratis. Opus enim habent purificari, qui aliquo polluti ſint delictorum contagio.] Sicut ergo farinæ ſubactæ fermẽtum iniicitur, vt tota maſſa fermentetur, ita religioſi viri ſæcularibus pene habitatione miſcẽtur, quò eos timore Domini, & legis Diuinæ cuſtodia perficiãt. Quare, quod de fidelibus dixit Chryſoſtomus, cũ inter Ethnicos & infideles habitabãt, poſſumus optimè ad religioſos in vrbibus ſæcularium commorantes transferre. Non dixerim (inquit) quod non liceat nobis verſari

Amb. lib. 2. de Caine. 4.

B inter gẽtes, ſed licèt cum illis verſemur, noſtram tamen cuſtodiamus virtutem, ſic eos ad noſtram trahẽtes religionem, & propter bonorum operum adminiſtrationem, doctrinæ ei auctores ſimus. Ea enim de cauſa communis omniũ Dominus permiſit ſimul verſari bonos, & malos, pios, & impios, vt boni lucri faciant malos qui in malitia adhuc ſunt detẽti, manu ducãtur ad pietatem.] Optimè quidem. Quia Dominus non negligit bonos, & iuſtos, & præcipuè ſibi per holocauſtum religioſæ vitæ conſecratos, vt eos inter hoſtes ſuos, nimirũ inter iniquos habitare permitteret, niſi eorum laboribus malos euincere, & ad omnem ſanctitatẽ conaretur pertrahere. Dedit eos in lucẽ gentiũ, nõ vt incaſſũ illuminent, ſed vt ſint ſalus eius vſq; ad extremũ terræ: & homines ab im

Chryſ. in 40. in Geneſ. ad finem.

C pietate ad pietatẽ, à tenebris ad lucem, à peccato ad Dei amicitiã traducãt. Nec putandũ eſt nos affirmare cõtraria, dum dicimus, religioſos iſtos, & ſæculũ fugere, & in ſęculo permanere. Fugiũt nãq; ſæculũ, quia vitia illius damnãt, & radicitus à cordibus propriis extirpãt: & manent in eo, quia inter homines terrenos, vitã nõ terrenã, ſed cæleſtẽ inſtituunt. Fugiũt ſæculũ, quia affectibus, & deſideriis mũdanorũ ſe nequaquã immiſcent: & viuũt corporaliter in illo, nã ſi inter mundanos non viuerent, debuerãt (quemadmodũ inquit Paulus) ex hoc mũdo, hoc eſt, ex humana conuerſatione exiſſe.] Fugiunt ſæculũ quoniam verè animo & corpore ad ſtatum religioſum conuolarunt, & illud non fugiunt, quia inter medias ciuitates, & populos, cœnobia conſtruunt,

1. Cor. 5. 10.

D quò illis viam ſalutis æternitatiſque demonſtrent.

Sed ne hoc onus tremendum quidem, & debilibus humeris importabile religioſi cũ magno periculo ſuæ ſalutis portandum accipiant, debent omninò vitam miſtam arripere, hoc eſt, non tantũ in actiones, licèt bonas & proximis vtiles, ſe ipſos effũdere, ſed etiam ſæpiſſimè ad ſecretum orationis recurrere, & ad quietem contemplationis properare. Sunt ipſi ſal terræ; at iſtud ſal mundanos nõ ſaliet, ſed in aquã, vnde ſumptum eſt, miſerabiliter ſe cõuertet, ſi aquam ſæcularium curarum non fugiat; & conſideratione cœleſtium rerũ, & deſpectione inanis honoris, & gloriæ minimè ſe à mari ſæculi, & à

E fluminibus affectuum ſæculariũ cõtineat. Sunt ipſi lux mundi, ſed iſta lux nequaquã lucebit, aut ignorantes illuminabit, ſi ventis ſẽper perſtet expoſita, ſi in laterna cellæ nõn ſe frequenter abſcondat, ſi oleũ deuotionis in officina meditationis nõ emat, quo ſe ipſam foueat, inextinctámque conſeruet. Sunt ciuitas ſupra montem poſita, hoc eſt, ſupra ſtatum Eccleſiæ perfectiſſimum cõſtructa, ſed iſta ciuitas non poterit aliis eſſe præſidio, ſi murũ orationis diſſipet, ſi ianuas circumſpectionis corruptis cupiditatibus pandat, ſi ignem feruoris ignitos globos in hoſtes eiaculantem extinguat. Habent iſti non vnum, aut duo, ſed quinque talenta, ad negotiandum ſibi da-

ta, ſeriò

ta, seriò igitur, secum cõsiderent, quanam ratione ea duplicata restituant. Interrogati quantùm debent Domino, respondent, nõ iam, vt vidua Elisæi, parum olei, quo ipsi se inungant, sed centum cados olei, id est, abundantissima gratiarum dona, quibus alios illiniant. Sciat ergo se huic oleo vtiliter distribuendo non posse sufficere, nisi à Domino oratione iugi, ac meditatione assidua, qualiter sit erogandum, intelligant. Pisces non habentes pinnulas, in Leuitico, immundi cẽsentur. Quidquid pinnulas (inquit) & squamas non habet, eorum, quæ in aquis mouentur, & viuunt, abominabile vobis execrandumque erit.] Et similiter Prædicatores immundi videntur, qui interdum contemplationis pennis, exteriores occupationes non deserunt, & ad superna contemplando conscendunt. Hac enim mentis ascensione lumen & robur acquiritur, vt benè & fructuosè temporalia disponantur. Præclarè enim dixit Gregorius, Qui rebus temporalibus occupãtur, tunc bene exteriora disponunt, cùm sollicitè ad interiora refugiunt, cùm nequaquam foris perturbationum strepitus diligũt. sed apud semetipsos intus in tranquillitatis sinu requiescunt.] Sic ille. & verissimè. Nam solis occupationibus externis inhærentes, & qua ratione disponendæ sunt, non considerantes, nec à Deo in oratione auxilium ad operandum postulantes, aut nullum suorum laborum fructum conspiciunt, aut si aliquem fructum colligunt, statim per inanem gloriam, & innumerabiles imperfectiones disperdunt. Euenitque illis vaticinium Aggæi. Et qui mercedes cõgregauit, misit eas in sacculum pertusum.] Cuius sententiæ intelligentiam, Ioãnes Cassianus hac oratione describit. Verè enim lucra sua in pertusum saccum cõdit, qui quicquid per aliorum cõuersionem videtur acquirere, intemperantia cordis sui, & quotidiana animi distentione, disperdit.] Sibi ergo religiosi animarum ministri persuadeant, ad secretum cõtemplationis quotidie esse recurrẽdum, si volunt alios lucrari, & se ipsos per vanas distẽtiones, & deprauatos affectus non perdere. In cõtẽplatione namq; igne charitatis accẽduntur, vt alios accendant: ibi erudiũtur, sicut Moyses in nube, atq; caligine, vt alios erudiãt, ibi ditescũt donis, atque virtutibus, vt proximis spiritualem eleemosynam præbeant, & ibi præstantissimum instrumentum ad prælium aduersus dæmonem, & ad animas conuertendas accipiunt. Nam si Rex Moabitarũ putauit Dei populum ad terrã promissam festinãtem orationibus vincere, atq; pugnare, & ideo Balaam ariolum accersiuit, qui contrariis imprecationibus populo oranti, & oratione vincẽti resisteret, quare non potiori iure putabimus Christi militiam aduersus spirituales hostes instructã, spiritualibus armis, hoc est, oratione, & contemplatione efficaciùs dimicaturã, & fœlicius vitia & peccata victuram? Nunc ablinget synagoga hæc (dixit Balach) (vt ex quodã doctissimo Hebræorũ magistro refert Origenes) omnes, qui in circuitu nostro sunt, sicut ablingit vitulus herbã cãpi. Qua similitudine, inquit, est vsus, quia sicut vitulus ore abrũpit herbã, & lingua tamquã falce, quidquid inuenerit, secat, ita populus Dei, quasi vitulus ore, & labiis pugnat, & arma habet in verbis, ac precibus.] Dicamus itaq;, & nos, tunc exercitum religiosorum fœliciter pugnaturum, & omnes hostes prostraturum cùm arma præcipua, non vanam eloquentiam, & labores externos, sed orationẽ, & gemitus iudicauerit, & magis mortificatione, & cõtemplatione, quã voce pugnauerit. Cùm ergo certum sit, vitam mistam, nõ tantùm ad statum Episcoporũ, & clericorum, sed etiam ad familias religiosorũ pertinere, quod suo loco, si Dominus voluerit, latiùs enucleabimus, in eorum gratiam, vitæ mistæ naturam (quod in aliis partibus vitæ spiritualis fecimus) & finẽ & actiones, & alia ad ipsam pertinentia breuiter explicemus.

Reg. 4. *Leuit. 11.* *Greg. 5. mor. c. 8.* *Aggæi 1.* *Cassian. coll. 24. c. 13.* *Orig. ho. 13 in nu.*

Quæ sit natura vitæ mistæ.

CAPVT XXXVI.

Operæpretium autem est nobis vitæ mistæ lucem aliquam allaturis diuinum præsidium iterum implorare; Ne quã illustrare intendimus, ruditatis nostræ verbis obscuremus. Est enim tãta eius maiestas, atq; sublimitas, vt meritò timendum sit magis nos huic viuẽdi rationi tenebras & caliginẽ offusuros, nisi mẽti nostræ cælestis luminis radius solito splẽdidior effulgeat. Quẽadmodũ ergo, qui in aliquam vrbem proficiscitur, si post emẽsas multorum camporum planities, & arduos montes superatos, cùm iam iã ad itineris metam aspirat, asperrimum cliuum ascẽdendum inueniat, solet tantæ asperitatis, ac altitudinis metu perculsus, denuò creatoris auxiliũ inuocare, quo fultus insperatum itineris impedimẽtum superare valeat, sic & nos, qui viam spiritualis vitæ, ac graduum eius scribẽdo, & explicando penè confecimus, cũ in tractationis fine vitæ mistæ præcelsum mõtem superãdum aggredimur, non possumus nõ trepidare, & de nobis ipsis diffidere, atq; huius diffidẽtiæ & trepidationis indicia, Deum inuocando, & cæleste auxiliũ implorãdo, rursus ostendere. O igitur æterna sapiẽtia, quæ cæcos illuminas, ignorantes edoces, & elinguiũ, atq; mutorum labia dissoluis; emitte radiũ lucis tuæ in sinũ mẽtis meæ, quo perfusus, tũ de vita mista digna cõcipere, tũ cõcepta perficere, atque distinguere, & distincta possim vocib[us] ac literis explicare.

Huius vitæ disputationem, sicut & reliquarum, ab eius definitione exordiamur, quam in hunc possumus modum conflare. Vita mista est, qua religiosus, vel quiuis alius ex instituto actiones saluti proximorum necessarias, & studium contemplationis amplectitur, vt actio contemplatione fulcita vtilior, & contemplatio actione interrupta feruentior existat. Ex hac breui, atque dilucida descriptione, illud in primis licet colligere, hanc vitam, nec solam actionem amplecti, nec solam contemplationẽ sectari, sed vtrumque opus sinẽ vlla hæsitatione suscipere. In hoc enim eius mistura, compositioque cõsistit, quòd orationis studia opere exteriori tẽperat, & opus exterius cõtẽplationis & orationis exercitiis adiũgit. Nã (vt optimè dixit Gregori[us]: Nec perfectus Prædicator erit (id est perfectus vitæ mistæ sectator) qui vel propter cõtẽplationis studium operanda negligit, vel propter operationis instãtiã contemplanda postponit.] Ministri ergo Euãgelici vita, illis Tobiæ verbis mihi videtur aptè describi. Panẽ tuũ cum esuriẽtibus, & egenis comede; & de vestimẽtis tuis nudos tege.] Quid enim est per mysteriũ, panis & vestimenti nostri egenos participes facere, nisi rerum cælestium notitiam, & virtutis scientiam, quam in vsum nostrum priùs orãdo, & cõtẽplãdo parauerimus, in fratres, ac proximos nostros docendo, & prædicãdo distribuere? Talis re verã sit oportet minister Euangelicus, qualis sãctus ille Simõ sacerdos magnus à sapiente describitur, Simõn (ait) Oniæ filius sacerdos magnus, qui in vita sua suffulsit domum, & in diebus suis corroborauit tẽplũ. Templi etiam altitudo ab ipso fũdata est duplex ædificatio, & excelsi parietes templi. In diebus suis emanauerũt putei aquarũ, & quasi mare adimpleti sũt supra modum.] Et statim. Qui curauit gẽtem suam, &

Greg. 6. mor. c. 17. *Tobiæ 4. 17.* *Eccl. 50. 1*

sua commodis omnium præferentes, vtilitatem comunnem desideratæ vocationis electione contemnant, cùm profectò laborantibus opem ferre nolle, cùm possis, & communi bono posthabito otiosa quiete frui, nihil habeat æquitatis: Cui æquitati, qui seruiunt, omnes omnium bono viuunt, ac velut sibi inuicem nati salutem mutuam tuentur, ac diligunt.] Dicas ergo hanc vitam exoptans, illud A Augustini: Conterritus peccatis meis, & mole miseriæ meæ agitaueram in corde, meditatúsque fueram fugam in solitudinem, sed prohibuisti me, & confirmasti me dicens: Ideo pro omnibus Christus mortuus est, vt qui viuunt, iam non sibi viuant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est.] Et hæc dicens te ipsum fauente gratia Dei robores, onera vitæ mistæ suscipias.

Aug. 10 confess. c. vlt. 2. Cor. 5. 15.

PARS QVINTA.

De substantia, fine, & officio vitæ mistæ, atque de eius præstantia supra alias.

VITAM mistam valdè propriam religiosorum esse non tantùm Ecclesia sua auctoritate probat, religiosos ad statum clericalem & ad salutem animarum curandam admittens, & Apostolorum professio explicat, quos religiosos fuisse votorum obligatione constrictos Theologi ex illis verbis: Ecce nos reliquimus omnia, optimè colligūt, sed & ipsa necessitas sacerdotij, & functionum Ecclesiasticarum vtilitas manifestè declarant, quibus homines mundo mortui, & à curis sæculi elongati meliùs & efficaciùs satisfacient. Et ne alicui hoc minus certum videatur, visum est nobis huius tractationis initio istam necessitatē, aut ingentem vtilitatem religiosorum clericorum (quos vniuersæ religiones Ecclesiæ susceperunt) demonstrare.

Matt. 19.

Statum clericalem, cuius est vita mista, auxilio religiosorum indiguisse ad salutem animarum curandam.

CAPVT XXXIIII.

HIs, quæ vitæ contemplatiuæ sunt, breuiter explicatis, hāc tractationem vitæ mistæ institutiones cōplebunt; cuius necessitas in cœtibus quoque religiosis, tum ex statu sæculi, tū ex natura hominis; tum ex militantis Ecclesiæ ordine, tum denique ex clericorum qualitate cognoscitur. Sæculum namque, quod molestissimis tētationibus affligitur, & assiduis dæmonum bellis impetitur, cùm ex se fragile sit & imbecillum, præsidio ducum, & militum indiget, quorum industria, & fortitudine à periculis sibi instantibus, protegatur. Væ terræ, & mari (ait in sua reuelatione Ioannes) quia descendit Diabolus ad vos habens irā magnā.] Quid faciet terra, & mare tam immanis hostis impetum & ferociam sustinere nō valens? Cuius malignitas (vt inquit Leo Papa) inflammat concupiscentiis, quos non potest vexare tormentis: Serit discordias, accendit iras, incitat linguas, & ne ab illicitis dolis cautiora corda se reuocent, consummādorum scelerum ingerit facultates: quia illi totius fraudis hic fructus est, vt qui immolatione pecudum, & thuris incensione non colitur, quibuslibet ei criminibus seruiatur.] Quid, inquam, faciet mundus tam acerbo, & exitioso dæmonis bello circumseptus, si exercitum militū Euāgelicorum nō habeat, cuius vi hostem irruētem arceat, & imminentem calamitatē propulset? Natura etiam hominis ea est, vt in quibusdam personis ab alio indigeat instrui, & edoceri. Quod adeò humanę naturæ congruit, vt non solùm post peccatum, sed

Apoc. 12. 12.

Leo. serm. 6. Epipha. c. 3.

A etiam in statu innocentiæ (Beato Thoma subtiliter disputante) reperiretur ista magistrorum, discipulorūque discretio. Necesse est igitur, vt sint inter homines veritatis præceptores, virtutisque magistri, qui ignorātes doceāt, discolos in omni virtute, & amore sanctitatis erudiāt, & quod pusillis deest, sua doctrina & conatu suppleāt. Nulla ars (inquit Hieronymus) absque magistro discitur. Etiam muta animalia, & ferarum greges, ductores sequūtur suos. In apibus principes sunt; Grues vnam sequūtur, ordine literato; Imperator vnus, Iudex vnus; Prouinciæ. &c.] Quantò magis doctrina virtutis, & ars B benè, sanctéque viuendi, quæ aliis, tum difficilior, tum vtilior, tum excellētior est, magistris, & præceptoribus indigebit? Prouidētissimè Dominus dedit inter homines quosdam quidem Apostolos, quosdā verò Prophetas, alios verò Euangelistas, alios autem Pastores & Doctores ad consummationem Sanctorum,] in opus scilicet ministerij huius, quo isti ad docendum electi, sibi decretam administrationem complēt, & corpus Christi, Ecclesiam nimirum militantem, ædificant. Tandem Ecclesia hæc, quæ patriæ est cælestis imago, cùm à Deo (vt est in Apocalypsi) ædificata descēdat, cuius vniuersa opera ordinata sunt, ordinem habet, vnde, & membrorū suorum disparitate perficitur. C Est enim ordo (vt Augustinus dixit) parium dispariúmque rerum sua cuique loca tribuens dispositio.] Hæc autem disparitas in statuum, ac ministeriorum diuersitate consistit, quorum aliqua ad hoc videntur instituta, vt quidam homines purgentur, illuminentur, perficiantur; alia verò, vt alij inferiores suos purgent, illuminent, atque perficiāt: Quare necessarij sunt in Ecclesia purgatores, qui iniquitates lauent; illuminatores, qui tenebras ignorantiæ dispellant, perfectores, qui sāctitatis fabricam ad vmbilicum vsque perducāt. Operæpretium est in hac fideliū cōgregatione, sint capita,

D. Thom. q. 96. ar. 3.

Hier. epist. 4. ad Rus. 6.

Ephes. 3. 11.

Apocal. 21. 2. Rom. 13

Aug. 19. de Ciuit. c. 13.

quæ

quæ membra inferiora dirigant; fundamenta, quæ alias partes spiritualis ædificij sustentent: pastores; qui oues Christi pascant; & serui fideles, atque prudentes, qui opportuno tempore doctrinæ alimenta distribuant.

A

Isti autem mundi gubernatores, & duces, isti humani generis præceptores, atque magistri, ista Ecclesiæ lumina, quæ eam splendore veritatis illuminat, & igne charitatis succendunt, sunt sanctissimi Episcopi in locum Apostolorum suffecti: & omnes alij ad statum clericalem euecti. Episcopis, tamquã veterani milites, tamquã scholæ substituti, ac veluti coadiutores adiuncti. Episcopi sane sunt, qui vniuersum mundũ sua potestate & auctoritate gubernant. Vnde in epithalamio spõsi de illis sponsæ, hoc est, Ecclesiæ, dicitur: Pro patribus tuis nati sunt tibi filij, constitues eos principes super omnem terram.] Patres missi sunt Apostoli (ait Augustinus) pro Apostolis filij nati sunt tibi, cõstituti sunt Episcopi. Qui principes facti, non solùm per se ipsos viriliter pugnant; sed alios etiam verbo & exemplo erudiunt ad pugnam, & animare nituntur ad prælium. Ipsi sũt omnium hominum magistri, quos si non sint cognitione sacrarum literarum, & diuinorum misteriorum imbuti; Apostolus corripit, dicens: Etenim cùm debueratis magistri esse propter tempus, rursum indigetis, vt vos doceamini, quæ sint elementa exordij sermonum Dei.] Ipsi sunt luminaria Ecclesiæ, & velati stellæ huius spiritualis mũdi à Christo splendidissimo sole lucem accipientes, vt in caliginosa nocte huius mortalitatis luceant; quare audiunt, non tantum, Vos estis sal terræ: verùm etiam, Vos estis lux mundi.] Atq; adeò optimè dixit Gregorius, Ioã. ni Episcopo Cõstãtinopolitano scribens, Quid enim fratres tui omnis vniuersalis Ecclesiæ Episcopi, nisi astra cœli sunt? Quorum vita simul & lingua inter peccata, erroresque hominum, quasi inter noctis tenebras lucent.] Clerici autẽ, præsertim presbyteri, qui (vt Hieronymus, Augustinus, & Damascenus clarè testantur) septuaginta duobus discipulis successerunt, milites sunt prædictorũ principũ, qui eorum signa, aut vexilla sequentes Ecclesiam circũdant, fideles protegunt, & dæmonum cuneos profligant. Isti sunt Sanctorum Episcoporum veluti prouectiores discipuli, qui accepta ab Episcopis facultate (vt antiquus Tertullianus ait) infideles, vel catechumenos, per baptismum, in Catholicæ Ecclesiæ scholam admittunt, & alios rudiores discipulos, nimirum cõmunes fideles, doctrina veritatis erudiũt. Isti sunt quasi paruæ lucernæ à maioribus luminaribus spiritualem lucem mutuantes, cuius splendore Ecclesiæ filios (vt inquit Dionysius Areopagita) ignorãtiæ tenebris purgãt, & doctrina Euangelij, & notitia veræ charitatis illuminant. Hi tandem sunt inferiores Angeli, qui iussu maiorum principum, salutem populorum sibi commissorum curant, & onus prælationis ex parte sustentant. Hæc est militia Christi ad tutamen fidelium euocata, hic exercitus verbi Dei, quemadmodum legimus in Apocalypsi, cuius supremus dux & vniuersalis princeps est Ecclesiæ Romanæ Pontifex, vicarius Christi, qui omnes acies Ecclesiasticorum moderatur, & illorum auxilio reliquos fideles gubernat. Episcopi verò sũt particularium cohortium duces, nimirum particulariũ Ecclesiarum principes, nõ æqualem, sed disparem iurisdictionis potestatẽ habentes, iuxta sui loci amplitudinem, & dignitatem: Presbyteri verò, Diaconi, & Subdiaconi, & reliqui in gradu Ecclesiastico constituti, sunt bellatores, quorum est ab Episcopis imperata exequi, & in Ecclesiæ gubernatione

Psal. 44. 17. Aug. ibid.

B

Hebr. 5. 12.

C

Matt. 5. 14. Greg. lib. 4. reg. in dict. 13. epist. 82. Hier. epist. ad Marcel. Aug. in psal. 44. Damasc. epist. 3.

D

Tertul. lib. de baptismo.

Diony. c. 5. eccles. hierar. cina.

E

Apoc. 19. 14.

ad magis particularia descendere. Hoc robustissimo exercitu Ecclesia circundata vocatur pulchra, vt luna: electa, vt sol: terribilis, vt castrorum acies ordinata.] Pulchra vt luna, quia istorum militum potestate accepta diuinitus a maculis peccatorum mundatur. Electa vt sol, quia horum magistrorum doctrina à caligine ignorationis liberatur. Terribilis vt castrorum acies ordinata, quia istorum luminum, in lucendo concordia à pestifera hæresum colluuione defenditur.

Cant. 6. 9.

Istius exercitus inuictissimi istorum bellatorum fortissimorum, siue illi duces sint, siue milites, propria est vita spiritualis mista, quam nunc intendimus explicare. Quod ex ipsa analogia temporalis exercitus manifestè perspicitur. Sicut enim exercitus, ad rempublicam humanam custodiendam conuocatus, non semper bellat, sed multo tẽpore quiescit, vt milites, vires fatigatas resumant, clypeos, galeas, & loricas resarciant, lanceas, & enses exacuant, & reliqua ad ineundum prælium necessaria disponant, ita exercitus clericorum non semper bello debet insistere, sed statutis temporibus à conflictu, hoc est, à cura prædicandi, & docendi se subtrahere, vt se ipsum oratione reficiat, cõtemplatione corroboret, & consideratione arma ad bellum necessaria, id est, virtutis, & legis diuinæ notionem, paret. Vnde Dominus noster Iesu Christus, primus Ecclesiæ Pontifex, qui eo quòd in æternum maneat, sempiternum habet sacerdotium] prius per triginta annos siluit & orauit, & postea tribus annis prædicauit, & in ipso prædicationis feruore sæpissimè in desertum locum ad orandum, & contemplandum secessit. Et Sancti Apostoli ab ea capita Ecclesiasticorum instituti, ita lucris animarum inhæserunt, vt tamen studium orationis non omitterent, & conuersationem in cœlis haberẽt, cuius rei locuples testis est Paulus, de se, & de suis sociis dicens: Nostra cõuersatio in cœlis est.] Idem alij sancti Episcopi Apostolorum successores, & sancti Presbyteri septuaginta duorũ discipulorũ hæredes, prçstandum curarunt. Quod prolixum esset, & extra propositũ, exemplis (quæ sunt innumerabilia) comprobare. Quare Gregorius, ab Ecclesiæ rectore (qui est, aut Episcopus, aut sacerdos) efflagitat, vt sit singulis compassione proximus, & præ cũctis contemplatione suspensus, vt & per pietatis viscera in se infirmitatem cæterorum trãsferat, & per speculationis altitudinem semetipsũ quoque inuisibilia appetẽdo, transcendat; ne aut alta petẽs proximorum infirma despiciat; aut infirmis proximorum congruens appetere, alta derelinquat.] Necnõ, & clericorum officium euidenter ostendit. Nã ipsi magistri omnium; tam actiuorum quàm contemplatiuorum, & vniuersarum virtutum præceptores, debent omnes discipulos anteire, & omnium virtutum, quarum doctores sunt, perfectam notionẽ habere. Quomodo autem actiuos peccatorum detestationem; & affectuum mortificationem docebunt illi, qui iniqui sunt, & affectibus inordinatis addicti? Quo pacto contemplatiuos erudient, contemplationis, & interioris silentij, & quietis ignari? Qua ratione virtutis magistri virtutem orationis explicabunt, & eius pericula, aut difficultates aperient, qui præter orationem vocalem distractam, & tepidam, nihil prorsus huius exercitij didicerunt? Sint ergo oportet vtriusque vitæ periti, atque adeò vitæ mistę sectatores, qui munus habent vniuersos instruendi, & omnium virtutum vim, & naturam propalandi. Iustè profectò Bernardus ab iis, qui sacris ordinibus initiandi sunt, inter alia quam plurima exercitationem assiduam orationis & considerationis efflagitat,

Hebre. 7. 24.

Philip. 3. 20.

Greg. 2. p. past. c. 5.

...er. lib. de con... d. longè ...no fat.

gitat. Qui orandi studium gerāt (inquit ad Eugeniū Papā scribens) & vsum habeant, ac de omni re orationi plus fidāt quàm suæ industriæ, vel labori.] Debent itaque laborare; & actionibus bonis insistere, sed multò magis considerationi vacare, & orationi confidere. Iam autem initiati ad hoc fidelibus præponuntur, vt cum labore Marthæ, quietem Mariæ, & orationis opus adiungant. Optimè enim dixit Chrysostomus. Propterea sacerdotes prępositi sunt, vt multitudinis orationes cū sint infirmiores, hisce potentiores adiungentes, pariter cum illis in cœlum ascendant. [Quàm efficax, & animosa sit oporteat, sacerdotis oratio, quæ sæculariū orationes est quasi humeris portatura, & illis iter in cœlum pandens, vsq; ad thronum Dei penetratura? Denique hos spirituales populorum gubernatores, vult omnino Cyprianus, ne (vt orationi vacare possint) sæcularibus negotiis implicentur. Cū singuli (ait) diuino sacerdotio honorati, & iuncti in clericali ministerio constituti, non nisi altari; & sacrificiis deseruire, & precibus, atque orationibus vacare debeant: scriptū est enim Nemo militans Deo implicat se molestiis sæcularibus, vt posset placere ei, cui se probauit.] Quod cū de omnibus dictum sit, quātò magis molestiis & laqueis sæcularibus obligari nō debent, qui diuinis rebus, & spiritualibus occupati, ab Ecclesia recedere, & ad terrenos, & sæculares actus vacare non possunt?] Perspicuū est ergo, quos Ecclesia gubernationi populorum præficit, & a cura sæculariū remouet ne ab studio sanctæ orationis cessent, cum Lia, & cū Rachele habituros esse commerciū, vt & amplexādo Liam, proximorum salutem curent, & Rachelē optando, contemplationis exercitia sectētur. Ex his autem facile est intelligere, quare exercitus clericorum, licèt robustissimus, auxilio aliorū indiguit ad hanc prouinciā curandarū animarum obeundam. Sāctissimus enim totius Ecclesiæ Pōtifex nō potest solus omnes Ecclesiæ populos per se ipsū docere, & gubernare: cùm habeat amplissimam illā à Christo datam potestatem in vase fictili, hoc est, in corpore infirmo, & imbecillo, quod nec valet per vniuersum orbē sibi subiectum discurrere, nec omnes filios suos (qui sunt omnes fideles) lacte doctrinæ cœlestis educare. Profectò si hoc attētaret, ad sāctissimos illius pedes procumbentes moneremus illum, quia nō bonam rem faciat, hoc est, quod minime deceat tantam maiestatem, vt ad infima Ecclesię mēbra, & ad particularia officia se demittat, & quia minus discreto labore se cōsumat: nā in immensum vltra vires vnius hominis est negotium, quod solus non poterit sustinere. At habet cœtum venerabilem Cardinaliū, & sanctos Patriarchas, Archiepiscopos, & Episcopos adiutores, quorum est ad particularia descendere, & mediocria iudicare; maiora verò ad ipsum, tamquam ad alterum Moysen, tamquam ad summum ducem, & vniuersalem Ecclesiæ principē (data occasione) referre. Sed isti etiam pauci sunt, si cum immensa fidelium multitudine cōferantur, nec non & tanto oneri sustinendo impares. Habet namque Episcoporum quilibet, aut amplissimā, aut satis magnam diœcesim, quam nec breui tempore peragrare, & nec occurrentibus necessitatibus, quæ innumerabiles sunt, prouidere sufficiet. Moses vni populo, & illi quidē, non omniū numerosissimo, imò comparatione gentilium, satis angusto, præfecit, nō solùm principes, sed & tribunos, & centuriones, & quinquagenarios, & decanos, vt partito in alios onere, tolerabilior esset ei vniuersalis regiminis cura. Quid faceret sanctissimus fidelium pater vniuersæ Catholicæ Ecclesiæ præpositus, quæ, vt est in psal.

Chrys. ad popul. ho. 9 de pæn.

Cypri lib. 1 epist. 9 ad presbyt. Furnis consistent.

2. Timot. 2. 4.

Exod. 18. 25.

Psal. 79. 11. & 12.

A mo, tam longè latéque totam terram oppleuit, vt operiat mōtes vmbra eius, & arbusta eius cedros Dei, & extendat palmites suos vsque ad mare, & vsque ad flumen propagines eius.] Si solos principes, hoc est Episcopos suo gregi præponeret, & alios minores administros, id est, presbyteros eligendos omitteret: certè non posset, vt par est, oues suas ad vberrima pascua cœlorum deducere, & subiectos suos in omnibus gubernare. Meritò ergo ipsum diuinum ius, quòd Episcopalem dignitatem instituit, etiam presbyterorum, & aliorum ordinum gradus in Ecclesia esse decreuit, quorum multitudine, & ipsa esset varietate circundata, & omnia tam maiora optimè essent gubernata.

B At iam habet etiā Dominus noster Christi Vicarius numerosissimos Presbyterorum, Diaconorum, Subdiaconorum, & aliorum clericorū greges, quorum doctrina populos sibi cōmissos instituat, honestate promoueat, robore tueatur, & potestate moderetur. Verum est hoc, multiplicata est gens vsque ad societatem, sed non magnificata lætitia. Si hūc Presbyterorum statum, & aliorum clericorum cōsideremus, clarissimè videbimus eos aliquo auxilio ad curam animarum sustinendam eguisse. Multi sunt ordine, pauci vita; multi numero, pauci merito; multi qui sacramenta ministrent, verbum Dei seminent, & alia ministeria necessaria curādis animabus exerceant, paucissimi verò, qui has venerandas functiones pro dignitate tractent. Si enim Paulus de admi-

C nistris Euāgelij illius primæui temporis, quādo corda sancti spiritus igne feruebāt, sine vlla trepidatione asserit? Omnes, quæ sua sunt quærūt, nō quæ Iesu Christi.] generali numero plures, qui sua commoda quærebant significans. Et rursus. Quidā quidem, & propter inuidiam, & contentionem, quidam autem, & propter bonam voluntatem Christum prædicāt; quidam ex charitate: scientes quoniam in defensionem Euangelij positus sum. Quidam autem ex contentione Christum annunciant non sincerè, existimantes pressuram se suscitare vinculis meis.] Quid diceret de futuris diebus, in quibus iam iam instant tempora periculosa, & sunt homines se ipsos amantes, qui penetrant domos, & captiuas ducūt mulierculas oneratas peccatis, quæ ducuntur variis desideriis; semper dicentes, & numquam ad scientiam ve-

D ritatis peruenientes? Quid diceret, si videret nō paucos Presbyterorum vitam mistam sibi propriā penitus deseruisse, & ad sęculares actiones, ad delicias, ad inanes honores, & ad scandala populorum declinasse? Quid diceret, si videret, eos scientiæ sanctarum Scripturarum ignaros, nec scire conscientiis suorum subditorū mederi, nec præcepta salutis proponere, nec ad viam æternitatis capessēdam vrgere: Quid tandem diceret, si videret homines spiritum Dei non habentes, imò spiritu superbiæ, & profanæ scientiæ studiis inflatos, ex suggestu, nō more Apostolorum, sed leuissimorum oratorum, acclamantes, auribus prurientes, qui fabulas, & Ethnicorum de-

E liramenta simplici populo verbum Dei cupiēti proponunt; qui Ouidij transformationes, Virgilij carmina, & aliorum perditissimorum hominum dicta, inter prædicādum Euangelium effutiūt: diuinas autem Scripturas, & lucubrationes Sanctorum patrū, nec intelligunt, nec legunt, nec si apud Christianum populum habeantur, agnoscūt? Fateor in statu clericorū viros esse doctissimos, vita graues, moribus circumspectos, actione integerrimos, sed hos nō multos esse; plurimos verò contra, qui sacerdotalem dignitatem ignominia afficiāt, & sub ouina pelle, animum luporum habeant, non est qui ignoret.

Philip. 2. 21.

Philip. 1. 15. &c.

2. Timo. 3. 2. ibid. 6.

Nec

Nec miror) vt meam sententiam aperiam) multos ex clericis sæcularibus vitam sæcularem, & mundanã numquam deponere, & vitiorum pannos numquam exuere, quoniam multa habẽt mutationi vitæ veteris omnino contraria. Sacerdotalem dignitatẽ, vel ipsis Angelis tremendam quærunt, officia Ecclesiastica, & curã animarum ambiunt, non amore Dei incitati, sed desiderio honoris, aut opũ allecti. Ex radice autem corrupta, hoc est, ex intentione vitiata, ex fine præpostero, & inordinato, mirabile esset pulchros ramos, folia viridia, flores suaues, & dulces fructus optimã scilicet dignitatis adeptæ administrationẽ cõsurgere. Profectò de radice colubri, egredietur regulus, & semen eius absorbens volucrẽ.] Nã de radice prauæ intẽtionis, qua Ecclesiastici ordinationẽ, & dignitatẽ quæsierunt, erumpit cupiditas, meritissimè regulo cõparata, quia omnium malorũ est radix.] Hæc autẽ absorbet volucrem: quoniam desideria possidendi exsuscitat: & voluntatem placẽdi Deo, ac zelũ proficiendi animabus extinguit. Hãc sacerdotũ, aut aliorum ordinum amplitudinẽ, nõ obedientia coacti, sed propria voluntate, & præsumptione cõpulsi suscipiunt: illud Pauli mãdatum contemnentes: Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo, tamquã Aaron.] Qua sentẽtia percutiuntur (inquit Anselmus) qui honores Ecclesiasticos, ad quos diuinitus non vocãtur, arripere cupiũt. Qui enim se ingerit, & propriã gloriã quærit, non sumit honorem, si Pontifex, aut prælatus in Ecclesia factus fuerit: sed gratiæ Dei rapinam faciẽs ius alienum vsurpat.] Isti non intrant per ostium in ouile ouium, sed ascẽdunt aliunde.] Quare cum furibus, & latronibus numerãtur, qui non ingrediũtur ad oues, nisi vt furentur, & mactent, & perdant, aut certè cum mercenariis, qui irruentibus lupis, dimittunt oues, fugiunt, & lupus rapit, & dispergit oues. Ad eosdem gradus sine vlla consideratione, aut præparatione conscendunt. Vnde, neque eorũ maiestatem, nec puritatem agnoscũt, vt secundùm quod decet, eos tractẽt, nec sibi vtiles, nec aliis fructuosos experiũtur. Sicut enim pretiosa vestis ex auro, gemmisque contexta, alia indumenta delicatiora, & corpori accommodatiora præsupponit, quibus calefiat, & super nudo corpore, neq; hominem foueret, neque exornaret, sed magis ludibrio, & risui cõspiciẽtibus exponeret: ita decora vestis sacerdotij, mentẽ induens, mortificatione mundam, virtutibusque circundatam, & humilitate, ac timore paratam, in admirationem rapiet, reuerentiã, & honorẽ excitabit: In corde tamen imparato, & aliis diuinis donis spoliato, risum, & contemptũ, imò lacrymas, & gemitus in iustis, ac amatoribus Ecclesiæ mouebit. Gubernator nauigij futurus, primùm remis nauem agitat, deinde ad proram conspector collocatur, postea clauũ tenet, ac demum gubernator constituitur. Exercitus etiam imperator, miles primum, inde signifer, postmodum cuiusdam aciei ductor, tandem omniũ copiarum, ac totius exercitus Imperator efficitur. Sic prorsus optimè cum fidelibus ageretur, si eorum futuri præpositi, primùm virtutum artem addiscerent, & in omni continentia, & rerum mundanarũ contemptu se exercerent: quia tamen sacerdotes hanc ascendendi rationem non seruant, neque in virtutum gradibus antea quam in fastigio sacerdotali pedes affectuum suorum collocant; hinc oritur quod optime Nazianzenus, vt ordo in toto Christianismo sanctissimus, in toto Christianismo maximè sit ridiculus.] Non enim virtute magis, quã malitia & fraude sacerdotij dignitas paratur, nec meliores, ac digniores, sed potentiores thronis insident. Samuel inter prophetas, ille inquã futura prospiciens, sed & Saul vilis & abiectus. Roboã Salomonis filius inter reges, sed & Ieroboam seruus & rebellis. Cúmque nec medici, nec pictoris nomen quisquam obtineat, nisi priùs morborum naturas expenderit, aut multos colores miscuerit, variásq; formas penicillo expresserit: Antistes cõtra facile inuenitur, non elaboratus, sed recens, quantùm ad dignitatem, simul satus, ac prouectus, quemadmodum gigãtes poëtæ finxerunt. Vno die sanctos finximus, eósque sapiẽtes, & eruditos esse iubemus, qui nihil didicerũt, nec ad sacerdotium quicquam antè contulerũt, præter quàm velle. Atque is quidem inferiori sede acquiescit, humilisque stat, qui sublimem promeretur, atque, multùm diuque in diuinorum sermonum meditatione versatus est, & multùm diuque carni leges sanxit ad spiritui obediendum: hic contra fastuosè sedet, atque aduersus meliores supercilium attollit, nec thronis intremiscit, nec aspectu cohorrescit, cùm moderatum hominẽ, cupiditatibúsque imperantem inferiori loco stantem intuetur: Verùm simul cũ imperio, & dignitate sapientiorem quoque sese existimat, prauè vtiq; sentiens, atque à potentia, & auctoritate demẽ ratus.] Sic ille suorum temporum calamitatem deplorat, & multo magis nostræ ætatis miseriã deploraret, in qua homunciones vilissimi, nulla scientiæ doctrina fulti, nulla virtutis exercitatione pollentes repentè sacerdotes prodeunt, & scientiam bene studioséque viuendi, atque virtutum doctrinam, quã nesciunt, aliis proponere non erubescunt.

Sed demus clericos sæculares, & intẽtione bona, & prælati iussu, & præparatione debita ad honorabiles Ecclesiæ gradus accessisse. Quis explicet quanta subeunt ex ipsa sæculi habitatione pericula, quæ illos à zelo animarum, & a procuranda salute proximorum impediant? Opes possident, quibus se ipsos, familiámque sustentent, & sub prætextu necessitatis, cupiditas eorum animos expugnat, & demũ ad coaceruãdas diuitias, & recondendas pecunias constanter instigat. Quis autem sit huius expugnationis euentus, Bernardus in hunc ferè modum scribit. Quanti hodie secus affectos se ostendunt de his dico, qui animas regere susceperunt, quod enim sine miserabili gemitu dicẽdum non est) Christi opprobria, sputa, flagella, clauos, lanceam, crucem, & mortem, hæc omnia in fornace auaritiæ conflãt, & prodigunt in acquisitionem turpis quæstus, & pretium vniuersitatis suis marsupiis includere festinãt. Hoc solo sanè à Iuda Iscariothis differẽtes quòd ille horum omne emolumentum denariorum numero cõpensauit: isti voraciori ingluuie lucrorum infinitas exigũt pecunias. His insatiabili desiderio inhiãt, pro his ne amittant, timent, & cùm amittunt, dolent: harum in amore quiescunt quantum dumtaxat liberũ eis est à seruandi, vel augmentandi cura. Animarũ, nec reputatur casus, nec salus. Nõ sũt profectò matres, qui cùm sint de crucifixi patrimonio, nimium incrassati, impinguati, dilatati, non compatiuntur super contritionem Ioseph.] Multi eorum à domibus fœminarum exire non possunt, quia commoditate alterius habitationis carent, mulierũ colloquia, & visitationes frequentãt, ne inculti, & agrestes reputẽtur. In hac verò conuersatione ô Deus, quanta discrimina, quantæ aduersus castitatem tendiculæ, quanta proximorum scandala, quanta incitamenta lasciuiæ Cyprianus quidẽ acerrimè, & verissimè in hãc clericorum cum mulieribus habitationẽ inuehitur, cuius sententiam prolixum esset recẽsere. Sed inter alia hos enumerat, non obseruatæ circumspectionis fructus. Respicite quanta mala cõuersatio

paritatis

Marginal notes: Isaiæ 14. 29. — 1. timot. 6. 10. — Hebr. 5. 4. — Anselm. ibidem. — Nazianz. orat. in laudem Basilij. — 1. Reg. 10 11. — 3. Reg. 11 43. & 12. 20. — Ber. in cant. ser. 10.

Cypri. lib. de singul. clericorū. parilitatis huius acquirat, quæ non nisi corruptionem seminat, pullulat vitia, cupiditatem concipit, ignominiam parit, rabiem concitat, porrigit furiam, lasciuam pascit, petulantiam nutrit, casus exaltat, ruinas ædificat, rapinas erigit, præcipitia instruit, periculis nauigat, naufragiis velificat, perditione gaudet, interitū fouet, confusionē mercatur, thesaurizat opprobrium, criminationes exaggerat, accusationes inflāmat, & cateruatim semel in fascem glomerans numerosas indagines captionum, per infinita dedecorum simplices mortes inuehit, in perniciem perditorum? Hoc itaque, & tātas strages calamitatis, & strages pessimę cōuersationis, nemo prosternit, & nemo calcat; nemo funestat, nisi singularis castitas, soláq; munimen inuictum est sanctimoniæ, & expugnatio fortis infamiæ.] Tandem inter prensationes educati, inter ambitiones præbendarum, & dignitatū enutriti, inter cupiditates maiorū honorū, superbiæ, & fastui assueti, quo pacto etiam vsq; ad dedecus, pro saluādis animabus laborabūt, vsque ad verbera pro manifestanda veritate persistent, vsque ad effusionem sanguinis pro conuertendis infidelibus sustinebunt? Aliæ sunt eorum curæ, aliæ sollicitudines, quæ omnes ad fastum, & arrogantiam tendunt, ad delicias, & profusionem bonorum Ecclesiasticorū, bonorum scilicet pauperum, diriguntur. Audiamus Bernardū, quas in Ecclesiasticis curas agnoscat. *Bern. ser. 33. in cant.* Væ (ait) generationi huic à fermento Pharisæorū, quod hypocrisis, si tamē hypocrisis dici debet, quæ iā latere præ abundantia non valet, & præ impudētia non quærit. Serpit hodie putida tabes per omne corpus Ecclesiæ, & quò latius, eò desperatius, eóque periculosius, quò interius. Nā si insurgeret apertus inimicus, hæreticus, mitteretur foras, & aresceret; si violentus inimicus, absconderet se forsitan ab eo. Nūc verò quē eiiciet, aut à quo abscōdet se? Omnes amici, & omnes inimici; omnes necessarij & omnes aduersarij, omnes domestici, & nulli pacifici; omnes proximi, & omnes quæ sua sunt quærūt. Ministri Christi sunt, & seruiūt Antichristo. Honorati incedūt de bonis Domini, qui Domino honorem non deferunt. Inde is, quem quotidie vides, meretricius nitor, histrionicus habitus, regius apparatus; inde aurū in frænis, in sellis, & calcaribus, & plus calcaria, quā altaria fulgent, inde splēdidæ mensæ, & cibis, & scyphis, inde comessationes, & ebrietates. *Psa. 145. 13.* Inde cithara, & lyra, & tibia. Inde redundantia torcularia, & prōptuaria plena eructantia ex hoc in illud.] Inde dolia pigmētaria. Inde referta marsupia. Pro huiusmodi volūt esse, & sunt Ecclesiarū Præpositi, Decani, Archidiaconi, Episcopi, Archiepiscopi. Nec enim hæc merito cedūt, sed negotio illi, quod perābulat in tenebris. *Isaia. 38. 16.* Olim prædictū est, & nūc tēpus impletionis aduenit. Ecce in pace amaritudo mea amarissima.] Amara priùs in nece martyrū, amarior pòst in conflictu hæreticorum, amarissima nunc in moribus domesticorum. *Psal. 39. 6.* Non fugare, non fugere eos potest; ita inualuerunt, & multiplicati sunt super numerum] Intestina, & insanabilis est plaga Ecclesiæ, & ideo in pace amaritudo eius amarissima. Sed in qua pace? Et pax est, & nō pax. Pax à paganis, & pax ab hęreticis, sed non profectò à filiis. *Isaia. 1. 2.* Vox plāgentis in tempore isto. Filios enutrini, & exaltaui, ipsi autē spreuerunt me.] Spreuerunt, & maculauerunt me à turpi vita, à turpi quæstu, à turpi commercio, à negotio deniq; perambulante in tenebris.] His ergo clerici occasionibus irretiti, his vinculis compediti, his animi ægritudinibus eneruati, non dubium quin opus habeant præsidio fortiorum militum, quo curæ sibi à Domino demandatæ curandarum animarum fœlici euentu respondeant.

Religiosos in auxilium Statui clericali datos esse, vt saluti animarum consulant, & vitam mistam profiteantur.

CAPVT XXXV.

HVic tam ingenti clericorum, ac totius Ecclesiæ necessitati ille remedium attulit, & præsentissimum auxilium adhibuit, qui adiutor est in opportunitatibus, in tribulatione, vt agnoscentes eum sperent in eum: quia numquam diuinum numen quærentes se, & inuocantes derelinquit.] Hoc autem fuit remediū. Muniuit Dominus Ecclesiam alio exercitu fortissimorum militum, si fortè alij dici possunt, qui à prioribus maiori dumtaxat vitæ puritate, & strictiori bene viuendi obligatione, nō verò aut natura, aut lege, aut fine, aut mediis ad consequendum finem secernuntur. Dedit adiutores statui clericorum, vt eum suo exemplo ad præliandum incitarēt, & opere, ac labore ad pugnādum & vincendum iuuarēt. Misit sacerdotes fidelibus suis, qui non spe lucri, sed diuini amoris obtētu; non propria volūtate, sed prælatorum iussu: nō virtutibus destituti, sed vestimētis animæ, spiritualibúsque donis ornati ad gradum sacerdotalem suscipiēdum accedunt: cuius ministeria, ab occasionibus incontinentiæ sequestrati, sine vlla cura diuitiarū, sine vllo impedimēto ambitionis, sine vllo desiderio inanis honoris exequuntur. Isti autē sunt omnium sanctorum ordinum sacerdotes religiosi: quippe quos, cùm sæculum irrideant, mūdana contemnāt, & carnis desideriis contradicant, credendum est hac intentione, & præparatione, qua diximus, & hoc affectu Deo placendi dumtaxat, & proximos adiuuādi, ad sacerdotalem dignitatē ascendisse, & prædicationis onus acceptasse. Est autem cōsideratione dignissimum, quāta sapientia Dominus hos milites subsidiarios in adiutorium status clericalis emiserit, & quanta prouidentia eorum cohortibus validissimis, vrbes, & oppida Christianorum repleuerit. Primò enim Basiliū in Gręcia, quia fortè maior vrgebat necessitas, & deinde Benedictum in Italia suscitauit, illum quidem circa annum Domini trecentesimū sexagesimū: Istum verò ferè sequenti mox sæculo, anno nimirum (vt fertur) quingentesimo vigesimo, qui monachos antea in eremo degentes, & sibi solis vacantes in cœnobiis, ac monasteriis prope oppida ac ciuitates coēgerūt, vt secum alios in cœlestem patriam deferrēt, à laqueis dæmonis sua præsētia protegerent, calore fouerent: & vitiis ac peccatis eriperent. Hoc autem fuisse à Deo inspiratum sancto Benedicto consiliū, ex eo non obscurè colligitur, quòd sanctissimus Patriarcha ad monachos informandos, & religiosam disciplinam propagandam euocatus, nō potuit aliud, cœnobia construens iuxta vrbes & oppida, quæritare: nisi vt commilitones suo exēplo, & verbo proximis essēt fructuosi. Quod & hospitalitatis officium, ab hac sacra religione susceptū, adhuc clariùs euidentiúsque demonstrat. Cuius enim rei gratia tunc Benedictus, tam officiosam excipiēdorum hospitum curam indixit; nisi vt eius religiosi id facerent, quod nunc faciūt, & occasione dilectionis fraternæ, aliquod spirituale emolumentū hospitum animabus afferrēt: suscepti autem hospites (inquit in regula) ducantur ad orationem, & postea sedeat cum eis Prior, aut cui iusserit ipse. Legatur coram hospite lex diuina, vt ædificetur; & post hæc omnis ei exhibeatur humanitas.] Iste erat, si nō solus, saltem

lus, saltem præcipuus hospitalitatis scopus, proximos ad orationem hortari, & in custodia diuinæ legis erudire. In eundem verò finem sanctum Basiliū oculos cōiecisse adhuc est manifestius, cùm huiusce rei Gregorium Nazianzenum habeamus attestatorē. Vt autem (inquit) nō solùm sibi, sed aliis quoq; proficeret, primus cœnobia excogitauit, ritúmque illum monachorum antiquum, atque agrestem, ad ordinē quemdam, ac formulam religioni propriorem redegit. Cùm enim animaduertisset, eos, qui in communi vita, hoc est, aliis mixti, agunt, etiam si monasticā abstinētiam seruent, aliis quidem vtiles esse, non ita sibi ipsis, cùm in multis eos malis versari necesse sit, quæ vitæ quietæ omninò perfectæ contraria videntur; eos verò qui in solitudine procul ab aliis degūt, firmiores sanè in proposito, magisque Deo coniunctos, attamen sibi tantùm vtiles, cùm rerum experiētiām non teneant, nec cum aliis commercium vllum habeant, vtrumque vitæ genus coniungere conatus est. Quamobrem monachorum cœnobia, haud procul ab iis, qui in hominum societate viuūt, ædificari iussit, nec omnino separauit, vt & propinquitate, cū opus charitatis exposceret, adesse possent: disiti alioquin propriis terminis, ne quies eorum interrumpi per multitudinem posset, nec ipsi monachi actionis merito, quod ex impendenda aliis charitate existeret, priuarentur: Nec rursus eorum actio per tumultus inutilis efficeretur; & alter alterum hoc modo iuuare posset, vt monachorum vita per conuersationē eorum, qui in cōmuni agunt, fructuosa fieret, & ipsi à monachis quietem, sapientiam, contemplationémque discerent, quemadmodum terra, & mare se se inuicem amplectuntur, & iuuant.] Et hæc quidē fuit Sanctorum istorum patrū cogitatio, quam non solùm omnes sācti Benedicti propagines, vt Cluniacensis, Cistercienis, & aliæ; sed omnes etiam sacri ordines deinceps instituti, atque fundati, nō sine diuino afflatu amplexi sunt. Nullus est enim adeò solitudini addictus, & diuinæ contemplationis amans, quem non Deus adaliquam proximorum vtilitatem excitauerit. Nam (vt alios omittam) certè Carthusiēses, non solùm oratione; & exemplo; sed actione etiam, & doctrina Ecclesiæ proficiunt; dum conscribendis libris, qui eorum doctiores sunt, ex instituto operam nauāt, & piis colloquiis sæculares eos inuisentes, instituunt: & licèt non à suæ fūdationis exordio, nunc tamen confessiones ad se accedentium, & pœnitere volentiū excipiunt. Nec non & Eremitæ, qui nomen, & regulā Beati Augustini profitentur, post tempora, quæ statim dicemus, ne Alexandri Papæ quarti iussa præterirent, in mediis vrbibus cœnobia extruunt, & verbo doctrinæ, ac labore audiendi confessiones, & docēdi sacram Scripturam non minus, quàm alij à prima sua institutione ad hoc onus vocati, in Ecclesia fructificant. Quamobrem, & sibi iam possūt assumere, quod Hugo de sancto Victore, non Eremita, sed Augustinianus canonicus de se, & de suis contubernalibus aptè conscripsit. Quibusdam sola Rachel, quibusdam sola Lia placet. Amant enim quidam cōtemplationis pulchritudinem, quietem silentij, lectionis speculum, conscientiæ puritatem, piæ meditationis consolationem, charitati diuinæ quasi vultui Rachelis inhærēt, aspectibus animæ, tamquā voluptuosis amplexibus illius astringūtur. Aliis verò solius Liæ fœcunditas placet: generāt verbo prædicationis filios, hos nutriunt lacte consolationis, illos verò pastu cibi fortiores reddunt. Necessariò seruiunt labori, curā rei familiaris gerunt, necessaria fratribus subministrāt, & sunt quasi vela, aut saga cilicina quib⁹ tota pulchritudo tabernaculi

Nazian. orat. in laudem Basilij.

Gabelinus in vita.

Iordan. Sax. lib. 1. vitæ. fra. c. 10. & 16.

Hugo. lib. 2. de anima c. 1.

A à vento & pluuia custoditur. Apud nos autem vtraque ducitur, id est Rachel, & Lia: ne intolerabilis sit labor Liæ, ne quies Rachelis habeatur tædio, sed constitutis horis sibi inuicem succedant, labor orationi, oratio labori, lectio meditationi, meditatio prædicationi.]

Hæc Basilij, & Benedicti, & aliorum religiosorum instituta, qui duorum prædictorum patrum vestigiis inhæserunt, auxiliorū Episcopis, & aliis Ecclesiasticis datorum fuēre primordia. Hæ primæ religiosorū acies in medium productæ, vt fratribus suis sacerdotibus sæcularibus subsidio essent, hostibus Dei; peccatis, & vitiis se fortiter opponerēt, & simul cū primis militibus, qui acre prælium incœperant, & iam

B præ lassitudine dimicare nō poterant, de Diabolo, & Angelis eius victoriam reportarent. Sed quia isti milites religiosi, veluti à longè cū infestissimo hoste cōfligebant, neque omni armorum genere decertabāt, & quia mundi miserabilis seruitus, qua dæmoni seruiebat, vitiorum rabies, iniquitatum impetus, & iniquorum procacitas; maiores adhuc vires, vt deiicerentur, postulabant, alium Deus robustissimum instruxit exercitū, qui omnibus armis necessariis vteretur, & omnino clericorum more pugnaret. Misit ergo circa annum sexcentesimum post Benedictū, duos fortissimos imperatores, duo fulgentissima Ecclesiæ lumina, Dominicum, & Franciscū, qui non iam propè vrbes, sed in mediis vrbibus, in ipsis po-

C pulorum plateis suas domos, acies vtique munitissimas instruerent, quorum milites, tamquā leones inuicti, docendo, concionando, peccatorum confessiones audiendo, & alia ferè omnia clericorū ministeria præstando. (Nam verè clerici, & sacerdotes fuēt) tantæ militiæ se opponerent, & Diabolo furenti & pene vincēti resisterēt. Has autē duas religiosorū familias, ex instituto animarū saluti consulere tā cui dēs est, vt confirmatione nequaquā indigeat. Illa enim Prędicatorū religio diuinitus ad prædicādū vocata est, atq; eius Pater Dominicus post confirmationē ordinis, à sanctis Apostolis Petro & Paulo ad prædicandū inuitatus: quorū ille, Dominico in extasim rapto, scipionē, iste librū tradere videbatur, ac simul dicere ad eū: Vade, cōcionare, diuinitus ad id ministerium electus. Hic verò cœlesti oraculo didi-

D cit se ad lucrū animarum euogari. Nam cùm fratres à Frācisco in suam familiam admissi dubitarēt, quanam vitæ rationē essent sequuturi, Beatissimus Patur (vt Bonauētura narrat) non de sua, vel suorū confidens industria, per orationis instātiā, diuinæ super hoc voluntatis beneplacitū requisiuit supernæ igitur reuelationis illustratus oraculo, intellexit se ad hoc missū à Domino, vt Christo lucraretur animas, quas Diabolus conabatur auferre.] Quā verò fœlici auspicio, quàm admirabili totius Ecclesiæ fructu isti duo præstantissimi imperatores, ac omnes eius fratres pugnauerint, non est nostrum recensere, qui non historiam teximus, sed viam ad vitæ spiritualis mixtæ tractationem paramus. Istarum igitur duarū

E religionum fundatione, nō solùm magnū datum est fidelibus adiumentum, sed ingens quoque facta est militum externorum accessio. Nam anteriores religiones, quæ prius quasi occultè pugnauerāt, istorum feruidorum patrum exemplo, in publicū prodierūt, ordines sacros non ambierūt, sed humiliter admiserunt, & functiones clericorum, nō minori vtilitate, quā admiratione, & laude tractarūt. Recētiores verò post fundationem Prædicatorum, & Minorū aut de nouo institutæ, aut ad nouā formam, quam nunc habēt, redactæ, quales sūt, Carmelitana, Augustiniana, (de qua paulò antè diximus) Hieronymiana, nec-

Theodori. in vita, lib. 1. c. ... & lib. 2. c. 1.

Bonauēt. in vita. c. 4.

non

non & redemptionis captiuorum, opera sancti Raimūdi Dominicali instituta, & Minimorum à sancto Francisco de Paula fundata; ac breuiter ferè omnes aliæ zelo animarū incensæ, & fructu delectatæ ei dē oneri prædicandi, & iuuandi proximos, nō sine magna Ecclesię ædificatione filiorum suorum ceruices supposuerūt. Quæ gloria sanè eximia in sanctissimos Patres Dominicum, & Franciscum redundat. Nam sicut sol corpora superiora, & inferiora in medio totius orbis constitutus illuminat; ita illi exemplo suo, antiquiores, & recentiores ordines ad considerandum animarum valorem illuminarunt, & ad zelandam earum salutem, exercitarunt.

Nouissimis autē tēpotibus, anno nimirum millesimo quingentesimo quadragesimo, cū mitū in modum dominabatur iniquitas, cùm pestifera hæresum lues in oues Christi grassabatur, cū reuelabatur homo peccati filius perditionis, qui non veritus est ad uersari, & extolli supra omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur, nec timuit in Ecclesia instar magistri sedere, cùm esset discipulus Diaboli, & absurdissima dogmata, ac planè hæretica prædicare: Tunc Dominus benignissimus Ecclesiæ pater, à militia sæculi, ad militiā spiritus vocauit IGNATIVM Parentē nostrū optimum, qui expeditissimos; & fortissimos milites in vnū ordinē religiosū coëgit, vt infideles ad fidē adduceret, hæreticos ad veritatē reuocaret, peccatores ad bonā frugē conuerteret, iustos ad maiorem sanctitatem proueheret, & irruentibus in Ecclesiam calamitatibus, se ipsum potenter obiiceret. Hic religiosus ordo (quem ego à prima adolescentia; licèt indignus, sed lætus, profiteor) clericorū est, ad hoc profectò institutus, vt clericalē statum in deteriora collapsū. & à ptimo suæ institutionis feruore remotum, exēplo sanctorū clericorū erigeret, & ad aream illā ætatem primitiuæ Ecclesiæ (in qua omnes clerici erāt religiosi) reduceret. Hic primo eo suam perfectionem quærens (ne præcepti charitatis inueniatur transgressor, quę à nobis ipsis debet incipere) secundo loco ferè omnia munera clericalia ex instituto cōplectitur, vt ex formula à Beato Patre nostro IGNATIO composita, & à sede Apostolica non semel approbata manifestè cognoscitur. Nā rudiméta Christianæ fidei paruulos docet; in eisdem mysteriis rudiores instruit, omnibus linguis ac sciētiis ad sacram Theologiam addiscendā necessariis, & in ipsa sacra Theologia, tū morali, tū scholastica, tum expositiua, adolescentes informat. Per confessionis sacramentum peccatores purgat; Eucharistiæ administratione iustos sustētat; prædicatione verbi Dei dormiētes excitat: tepidos mouet: peccatores cōuertit: disputationibus cōuincit hæreticos, exēplo, & doctrina cōpellit intrare infideles; consilio iuuat gubernatores reipublicæ; oratione regibus ac principibus fauet: summo Christi Vicario in omnibus seruit, & vniuersam Dei Ecclesiā laborando cōfirmat. Hic tandē ordo videtur datus à Domino, insipiētibus in lucem; errantibus in viam; peccatoribus in gratiam; tepidis in ignem, hæreticis in malleū; infidelibus in remedium; pusillis in solatiū, magnatibus in consilium, & sanctissimo Domino nostro supremo Ecclesiæ captiui in obsequium fidelissimū.

Lutherū dicit.

Omnes isti religiosi cætus, siue ex solitudine in populos translati, siue à prima sua fundatione in populis instituti, Episcopis, & clericis in adiumentum dati sūt, vt illis tanquā cohortibus validissimis vndiq; cincti concipiāt animos, & bellū aduersus omnia vitia sibi cōmissū grauiter prosequātur. Habitāt in oppidis, & in vrbibus, ne sæculares exemplo summæ virtutis careant, quod eos ad mediocrē saltem virtutem trahat, & ne doctrina efficaciter proposita indigeant, quæ illos ad mandatorum obseruationem inuitet. Huic enim loco optimè cōgruit illud Ambrosij: Nec absurdum putes, quòd facinorosi cohabitant piis, maculosi sacratis. Opus enim habent purificari, qui aliquo polluti sint delictorum contagio.] Sicut ergo farinæ subactæ fermētum iniicitur, vt tota massa fermentetur, ita religiosi viri sæcularibus pene habitatione miscētur, quò eos timore Domini, & legis Diuinæ custodia perficiāt. Quare, quod de fidelibus dixit Chrysostomus, cū inter Ethnicos & infideles habitabāt, possumus optimè ad religiosos in vrbibus sæcularium commorantes transferre. Non dixerim (inquit) quod non liceat nobis versari inter gētes, sed licèt cum illis versemur, nostram tamen custodiamus virtutem, sic eos ad nostram trahētes religionem, & propter bonorum operum administrationem, doctrinæ ei auctores simus. Ea enim de causa communis omniū Dominus permisit simul versari bonos, & malos, pios, & impios, vt boni lucri faciant malos qui in malitia adhuc sunt detēti, manu ducātur ad pietatem.] Optimè quidem. Quia Dominus non negligit bonos, & iustos, & præcipuè sibi per holocaustum religiosæ vitæ consecratos, vt eos inter hostes suos, nimirū inter iniquos habitare permitteret, nisi eorum laboribus malos euincere, & ad omnem sanctitatē conaretur pertrahere. Dedit eos in lucē gentiū, nō vt incassū illuminent, sed vt sint salus eius vsq; ad extremū terræ: & homines ab impietate ad pietatē, à tenebris ad lucem, à peccato ad Dei amicitiā traducāt. Nec putandū est nos affirmare cōtraria, dum dicimus. religiosos istos, & sæculū fugere, & in sęculo permanere. Fugiūt nāq; sæculū, quia vitia illius damnāt, & radicitus à cordibus propriis extirpāt: & manent in eo, quia inter homines terrenos, vitā nō terrenā, sed cælestē instituunt. Fugiūt sæculū, quia affectibus, & desideriis mūdanorū se nequaquā immiscent: & viuūt corporaliter in illo, nā si inter mundanos non viuerent, debuerāt (quemadmodū inquit Paulus) ex hoc mūdo, hoc est, ex humana conuersatione exisse.] Fugiunt sæculū quoniam verè animo & corpore ad statum religiosum conuolarunt, & illud non fugiunt, quia inter medias ciuitates, & populos, cœnobia construunt, quò illis viam salutis æternitatisque demonstrent.

Amb. lib. 2. de Cain. 4.

Chrys. in 40. in Genes. ad finem.

1. Cor. 5. 10.

Sed ne hoc onus tremendum quidem, & debilibus humeris importabile religiosi cū magno periculo suæ salutis portandum accipiant, debent omninò vitam mistam arripere, hoc est, non tantū in actiones, licèt bonas & proximis vtiles, se ipsos effūdere, sed etiam sæpissimè ad secretum orationis recurrere, & ad quietem contemplationis properare. Sunt ipsi sal terræ; at illud sal mundanos nō saliet, sed in aquā, vnde sumptum est, miserabiliter se cōuertet, si aquam sæcularium curarum non fugiat; & consideratione cœlestium rerū, & despectione inanis honoris, & gloriæ minimè se à mari sæculi, & à fluminibus affectuum sæculariū cōtineat. Sunt ipsi lux mundi, sed ista lux nequaquā lucebit, aut ignorantes illuminabit, si ventis sēper perstet exposita, si in laterna cellæ nōn se frequenter abscondat, si oleū deuotionis in officina meditationis nō emat, quo se ipsam foueat, inextinctámque conseruet. Sunt ciuitas supra montem posita, hoc est, supra statum Ecclesiæ perfectissimum cōstructa, sed ista ciuitas non poterit aliis esse præsidio, si murū orationis dissipet, si ianuas circumspectionis corruptis cupiditatibus pandat, si ignem feruoris ignitos globos in hostes eiaculantem extinguat. Habent isti non vnum, aut duo, sed quinque talenta, ad negotiandum sibi da-

ta, seriò igitur, secum cõsiderent, quanam ratione ea
4 Reg. 4. 2. duplicata restituant. Interrogati quantùm debent Domino, respondeant, nõ iam, vt vidua Elisæi, parum olei, quo ipsi se inungant, sed centum cados olei, id est, abundantissima gratiarum dona, quibus alios illiniant. Sciat ergo se huic oleo vtiliter distribuendo non posse sufficere, nisi à Domino oratione iugi, ac meditatione assidua, qualiter sit erogandum, intelligant.
Leui. 11. 10. Pisces non habentes pinnulas, in Leuitico, immundi cẽsentur. Quidquid pinnulas (inquit) & squamas non habet, eorum, quæ in aquis mouentur, & viuunt, abominabile vobis execrandumque erit.] Et similiter Prædicatores immundi videntur, qui interdum contemplationis pennis, exteriores occupationes non deserunt, & ad superna contemplando non scendunt. Hac enim mentis ascensione lumen & robur acquiritur, vt benè & fructuosè temporalia disponantur.
Greg. 5. mor. c. 8. Præclarè enim dixit Gregorius, Qui rebus temporalibus occupãtur, tunc bene exteriora disponunt, cùm sollicitè ad interiora refugiunt, cùm nequaquam foris perturbationum strepitus diligũt, sed apud semetipsos intus in tranquillitatis sinu requiescunt.] Sic ille, & verissimè. Nam solis occupationibus externis inhærentes, & qua ratione disponendæ sunt, non considerantes, nec à Deo in oratione auxilium ad operandum postulantes, aut nullum suorum laborum fructum conspiciunt, aut si aliquem fructum colligunt, statim per inanem gloriam, & innumerabiles imperfectiones disperdunt. Euenitque
Aggei 1 7. illis vaticinium Aggæi. Et qui mercedes cõgregauit, misit eas in sacculum pertusum.] Cuius sententiæ in-
Cassian. col. 14. c. 13. telligentiam, Ioãnes Cassianus hac oratione describit. Verè enim lucra sua in pertusum saccum cõdit qui quicquid per aliorum cõuersionem videtur acquirere, intemperantia cordis sui, & quotidiana animi distentione, disperdit.] Sibi ergo religiosi animarum ministri persuadeant, ad secretum cõtemplationis quotidie esse recurrẽdum, si volunt alios lucrari, & se ipsos per vanas distẽtiones, & deprauatos affectus non perdere. In cõtẽplatione namq; igne charitatis accẽduntur, vt alios accendant: ibi erudiũtur, sicut Moyses in nube, atq; caligine, vt alios erudiãt, ibi ditescũt donis, atque virtutibus, vt proximis spiritualem eleemosynam præbeant, & ibi præstantissimum instrumentum ad prælium aduersus dæmonem, & ad animas conuertendas accipiunt. Nam si Rex Moabitarũ putauit, Dei populum ad terrã promissam festinãtem orationibus vincere, atq; pugnare, & ideo Balaam ariolum accersiuit, qui contrariis imprecationibus populo oranti, & oratione vincẽti resisteret, quare non potiori iure putabimus Christi militiam aduersus spirituales hostes instructã, spiritualibus armis, hoc est, oratione, & contemplatione efficaciùs dimicaturã, & fælicius vitia & peccata victuram? Nunc ablinget synagoga hæc (dixit Balach)
Orig. ho 13 in nu. (vt ex quodã doctissimo Hebræorũ magistro refert Origenes) omnes, qui in circuitu nostro sunt, sicut ablingit vitulus herbã cãpi. Qua similitudine, inquit, est vsus, quia sicut vitulus ore abrũpit herbã, & lingua tamquã falce, quidquid inuenerit, secat, ita populus Dei, quasi vitulus ore, & labiis pugnat, & arma habet in verbis, ac precibus.] Dicamus itaq;, & nos, tunc exercitum religiosorum fæliciter pugnaturum, & omnes hostes prostraturum cùm arma præcipua, non vanam eloquentiam, & labores externos, sed orationẽ, & gemitus iudicauerit, & magis mortificatione, & cõtemplatione, quã voce pugnauerit. Cùm ergo certum sit, vitam mistam, nõ tantùm ad statum Episcoporũ, & clericorum, sed etiam ad familias religiosorũ pertinere, quod suo loco, si Dominus vo-

A luerit, latiùs enucleabimus, in eorum gratiam, vitæ mistæ naturam (quod in aliis partibus vitæ spiritualis fecimus) & finẽ & actiones, & alia ad ipsam pertinentia breuiter explicemus.

Quæ sit natura vitæ mistæ.

CAPVT XXXVI.

Operæpretium autem est nobis vitæ mistæ lucem aliquam allaturis diuinum præsidium iterum implorare, Ne quã illustrare intendimus, ruditatis nostræ verbis obscuremus. Est enim tãta eius maiestas, atq; sublimitas, vt meritò timendum sit magis nos huic viuẽdi rationi tenebras & caliginẽ offusuros, nisi mẽti nostræ cæ-
B lestis luminis radius solito splẽdidior effulgeat. Quẽ admodũ ergo, qui in aliquam vrbem proficiscitur, si post emẽsas multorum camporum planities, & arduos montes superatos, cùm iam iã ad itineris metam aspirat, asperrimum cliuum ascẽdendum inueniat, solet tantæ asperitatis, ac altitudinis metu perculsus, denuò creatoris auxiliũ inuocare, quo fultus insperatum itineris impedimẽtum superare valeat, sic & nos, qui viam spiritualis vitæ, ac graduum eius scribẽdo, & explicando penè confecimus, cũ in tractationis fine vitæ mistæ præcelsum mõtem superãdum aggredimur, non possumus nõ trepidare, & de nobis ipsis diffidere, atq; huius diffidẽtiæ & trepidationis indicia, Deum inuocando, & cæleste auxiliũ
C implorãdo, rursus ostendere. O igitur æterna sapiẽtia, quæ cæcos illuminas, ignorantes edoces, & elinguiũ, atq; mutorum labia dissoluis, emitte radiũ lucis tuæ in sinũ mẽtis meæ, quo perfusus, tũ de vita mista digna cõcipere, tũ cõcepta perficere, atque distinguere, & distincta possim vocib⁹ ac literis explicare.

Huius vitæ disputationem, sicut & reliquarum, ab eius definitione exordiamur, quam in hunc possumus modum conflare. Vita mista est, qua religiosus, vel quiuis alius ex instituto actiones saluti proximorum necessarias, & studium contemplationis amplectitur, vt actio contemplatione fulcita vtilior, & contemplatio actione interrupta feruentior existat. Ex hac breui, atque dilucida descriptione, illud in
D primis licet colligere, hanc vitam, nec solam actionem amplecti, nec solam contemplationẽ sectari, sed vtrumque opus sine vlla hæsitatione suscipere. In hoc enim eius mistura, compositioque cõsistit, quòd orationis studia opere exteriori tẽperat, & opus exterius cõtẽplationis & orationis exercitiis admisceat. Nã (vt optimè dixit Gregori⁹: Nec perfectus Prædicator erit (id est perfectus vitæ mistæ sectator) qui vel propter cõtẽplationis studium operanda negligit, vel propter operationis instãtiã contemplanda postponit.] Ministri ergo Euãgelici vita, illis Tobiæ verbis mihi videtur aptè describi. Panẽ tuũ cum esuriẽtibus, & egenis comede; & de vestimẽtis tuis nudos tege.] Quid enim est per mysteriũ, panis & vestimenti nostri egenos participes facere,
E nisi rerum cœlestium notitiam, & virtutis sciẽtiam, quam in vsum nostrum priùs orando, & cõtemplãdo parauerimus, in fratres, ac proximos nostros docendo, & prædicãdo distribuere? Talis re verã fit oportet minister Euangelicus, qualis sãctus ille Simõ sacerdos magnus à sapiente describitur, Simon (ait) Oniæ filius sacerdos magnus, qui in vita sua suffulsit domum, & in diebus suis corroborauit tẽplũ. Templi etiam altitudo ab ipso fũdata est duplex ædificatio, & excelsi parietes templi. In diebus suis emanauerũt putei aquarũ, & quasi mare adimpleti sũt supra modum.] Et statim. Qui curauit gẽtem suam, &

Greg. 6. mor. c. 17.
Tobiæ 4. 17.
Eccl. 50. 1

A liberauit eam à perditione; Qui præualuit amplificare ciuitatem; Qui adeptus est gloriam in conuersatione gẽtis:]Ita religiosus sacerdos, qui magnus virtute ac sanctitate esse cupit, vitæ suæ rationẽ instituat, vt his duabus rebus illam exornet. Primũ quidem, templum cordis sui obliuione rerum cælestiũ, & distractione curarum mundanarum penè collapsum, meditatione nouissimorum instauret, & cõsideratione virtutum Christi corroboret. Muro prouidæ circũspectionis ex notitia humanæ fragilitatis exortæ circũdet: qui inter domesticos, & externos, hoc spirituale templum custodiẽs (omnia enim sunt plena periculis) ad modũ duplicis ædificationis assurgat. Compunctionis aquæductum memoria præteritorum defectuum, & temporis in vanum expẽsi, resarciat, vt ad similitudinẽ maris fontes lacrymarum effundat. B Deinde verò fratres suos, carnis illecebris inescatos, ab æternis suppliciis, sacramẽtorũ administratione, & doctrina liberet; cælestem patriam amplificet, & ciuibus, id est, peccatoribus cõuersis ad eam, virtute suarum exhortationum, missis adaugeat, vt sic gloriam & honorem Prædicatorum assequatur. Sit per omnia similis illi secũdæ legis latori, cuius encomia ab hac sententia acceperũt initium. Dilectus Deo, & hominibus, Moyses, cuius memoria in benedictione est.] Hic enim (vt suprà protulimus) religiosi vitam mistam colentis præfert imaginem, & non solùm eius gesta, quæ breuiter enarrauimus, sed etiam eius nomẽ perspicuè demonstrat. Moyses namque assumptũ ex aqua (vt ait Hieronymus) aut à flumine seruatũ designat: & religiosus à flumine rerum transeuntium seruatur, & in ripa stabili vitæ religiosæ constituitur. C Hic ergo curet Deo, & hominibus esse dilectus. Erit dilectus Deo, qui sibi similes diligit. Si Dei opus, scilicet, diuinitatis contemplationem, teneat, & eius virtutes, mãsuetudinem, misericordiã, bonitatem, & puritatem imitetur. Erit autem hominibus charus (qui proprium bonum diligunt) si eis se vitiorum medicum, virtutis magistrum, supernorum donorum datorem, & spiritualium miseriarum depulsorem exhibeat. Sit denique religiosus ad animas lucrandas vocatus, sicut fortissimus ille Iudas Machabæus, in bello strenuus, in pace prouidus, qui instante bello fortiter se gessit: bello autem cessante, loca polluta mundauit, sãcta renouauit, diruta ædificauit. D Ecce (ait) contriti sunt inimici nostri, ascendamus nunc mũdare sancta, & renouare. Sic prorsus, qui hostes Christi est prostraturus oblata opportunitate, miseros peccatores sanctis ministerijs iuuet, dæmonum tendiculas detegat, aduersus cuneos vitiorum oblatret: cessante verò occasione pugnandi se ipsum lacrymis purget, sancta desideria reficiat, & quæ ex mundanorum conuersatione corruerant, orando, & gemẽdo restauret. Richardus sanè Victorinus mẽtionem huius fortissimi ducis faciens, ad eius imaginẽ Prædicatorum vitæ rationem componit. Ita milites Christi (ait) docti sunt nunc cum hostibus fortiter dimicare, & nunc mentis suæ (quæ domus Dei est) polluta mundare, & virtutes ædificare, sancta studia, & pia opera renouare.] E Non satis est vitæ istorum, aut solùm pugnare, aut solùm se ipsos virtutum operatione perficere, sed vtrique muneri attendant, necesse est, vt in bello, & in pace inueniantur strenui.

Eccl. 45. 1.

Hier. li. de nom. Hebra. in Exod.

1. Mach.

1. Mach. 4. 36.

Richar. in Cant. c. 11

Illud deinde colligitur, vitã mistam omne genus contemplationis atque orationis comprehẽdere, sed non omne genus actionis tamquam sui partem admittere. Eas namque actiones dumtaxat sibi proprias, & germanas agnoscit; quæ proximorũ saluti, atque cælestis patriæ ædificationi deseruiunt. Actiones enim aliæ temporales necessitati corporum seruientes, perfectæ orationis exercitationem non exigunt, perfecta etiam oratio prædictarum actionum laborem ex necessitate non requirit, quare in vnum vitæ genus, quod ab actiua & cõtemplatiua vita discretum sit, minimè colligantur. At Euãgelicum animarum ministerium, ita perfectæ orationis studium exposcit, vt sine illo labascat, & in sibi necessario feruore, & efficacia frangatur. Oratio quoque perfecta, si mentem inueniat, tum iuuandis proximis aptam, tum sexu, aut statu, aut alio obstaculo non impeditam, statim ad salutem proximorũ vocat, suadet, inuitat. Ex quo perspicitur, ista duo, sic in vnũ institutum copulari, vt vnam vitam à duabus aliis seiunctã efficiat. Multos vidimus ad actiuam vitam vocatos, sine studio orationis, illius præsertim, quæ sola mẽte fit, studiosè se gerere, & sine querela, bonis operibus in rectitudine & sinceritate cordis insudare. Multos vidimus ad contemplatiuam vitam vocatos, sine labore externarum actionum ad perfectionem contemplationis ascendere, & externis operibus nõ iuuari, sed impediri. At nullum vidimus ad animarum salutem vocatum, ad ministerium prędicationis euectum, ad actiones Ecclesiasticas administrandas admissum, sine aliqua orationis, & considerationis supellectili, aut sibi ipsi, aut aliis abũdãter proficere. Huius vitam Dominus ita disponit, vt nunc ad quietem contemplationis vocet, nunc ad sollicitudinem actionis alliciat. In cuius signum charissimam sponsam, iam in lectulo dormientem, tamquam fidelissimus amator custodit, iam eam exsuscitat ipse, & vinearum, ac putationis curam iniungit. Adiuro vos (inquit) filiæ Hierusalem per capreas, ceruosque cãporum, ne suscitetis, neque euigilare faciatis dilectam, quoad vsque ipsa velit]Et non multa interiecta mora, currit ipse, qui tam mirabili adiuratione dilectæ somnum zelabat, currit, inquã, instar capreæ hinnulique ceruorum, & quiescẽtem, ac soporatam exsuscitat, dicens: Surge propera, amica mea, colũba mea, formosa mea, & veni.] Istius duplicis curæ iam distantis arcanum Bernardus propria experientia doctus, in hunc ferè modum exponit. Quid sibi vult tam subita hæc mutatio voluntatis, siue cõsilij? Putas ne leuitate vsum sponsum, & aliquid voluisse priùs, quod mox noluerit? Minimè. Sed agnoscite eas, quas vobis sæpiùs, si meministis, commendaui, & non semel, vicissitudines vtique sanctæ quietis, ac necessariæ actionis, & quia non sit in hac vita copia cõtemplandi, nec diuturnitas otij vbi officij, & operis cogentior vrget, instantiórque vtilitas. More igitur suo sponsus, vbi dilectam paululùm in sinu proprio quieuisse persentit, ad eo denuò, quæ vtiliora visa sunt, trahere nõ cunctatur.]Quia ergo actiones vitæ mistæ tales natura sunt, vt orationẽ & contemplationem imbibant, & tamquam propriam animã, ex qua efficacitatem accipiũt, respiciãt, & quia oratio quoque perfecta talis est qualitatis, vt aptos & non impeditos ad proximos iuuandos impellat, inde est, quòd hæc duo, contemplatio & actio, vtilitatis animarum gratia suscepta, vnum institutum, eandémque viuendi rationem constituant.

Cant. 2.

Cãt. 2. 10.

Bern. ser. 58. in Cãt.

Illud postremò sequitur, vitam istam ex instituto, siue ex æquo in studium orationis, atque in laborem huiusmodi actionis incumbere. In hoc enim præcipuè ab actiua & contemplatiua secernitur, quòd illa orationis secreta rimatur, vt actiones suas dirigat, & examinet: hæc verò sollicitudinem actionis admittit, vt propriæ necessitati & imbecillitati consulat, quæ à cælestibus resilire, & infir-

mis inhærere propria mortalitatis grauitate cópellitur. At vitæ mistæ propositum est, tum cótemplationis tranquillitatem, tum actionis proximis fructuosæ curas, pari studio & intentione suscipere, tamquã duplicem sui partem, qua affectat ad consummatam charitatem admitti, vniuersamque dilectionis Dei, & proximi implere iustitiam. Eius desideriũ est magno illi præcepto Pauli satisfacere: Attende tibi, & doctrinæ, insta in illis: hoc enim faciens, & te ipsum saluum facies, & eos, qui te audiunt.] Attendit sibi, cùm in abdito cubili mentis considerat, qualiter viuat, & omnia sua interiora, & exteriora recogitat, vt ad meliora promoueat: & diuina mysteria perlustrat, vt visibilia contemnat, & inuisibilia acie mentis cognita concupiscat. Attendit doctrinæ, cùm impẽse laborat, vt arguendo, obsecrando, increpando, alios ad cognitionem, & amorem sui creatoris adducat. Hæc autem duo præstat, vt & sibi, & aliis fratribus (omnes enim homines fratres sunt) ianuam patriæ cælestis aperiat. Ex æquo igitur vitam mistã orationi & actioni vacare solùm est, quòd non tam vnam propter aliã, quàm vtramq; propter alium finẽ, scilicet propter perfectissimũ charitatis statũ, assumat, non verò, quòd contemplationi, & actioni, æquale temporis spatium impertiat. Nam pro necessitatum instantia, aut pro temporum qualitate, nunc plus tẽporis in externis actionibus, nunc verò in dulcedine cõtemplationis impenditur. Sicut enim, cùm corpora nostra aduersa valetudine tenentur, plus temporis in adhibendis medicamentis, & quærendis remediis malæ affectionis, insumimus, cùm verò corpora benè valent, & nos molestiæ doloris aut imbecillitatis non tenẽt, occupationibus animi plures & meliores horas diei, non sine iucunditate dedicamus. Ita cùm Ecclesiæ mẽbra statis temporibus peccatorum suorum vulnera sentiunt, & propriarum infirmitatum põdera, per detestationem, & confessionẽ abiiciunt, maiora tẽporis spatia in actione sunt collocãda. Nisi fortè quis ita robustus sit corpore, vt possit interdiu laborare, noctu autem contemplari. Huic enim, aut nullo, aut permodico somno satiato, in die mandauit Dominus misericordiam suam, & nocte canticum eius.] Et fœlix profectò ille, qui quãto magis vigilat, tantò magis viuit, quod somno detrahit, amori tribuit, & castis Domini cõcedit amplexibus. Sed, cùm proximi occupationibus mundi distenti, non ita frequenter, non ita importunè nos quærunt: cõtemplatio, & oratio longiores horas, & prolixiores moras vsurpet. Personæ etiã vocationis aut muneris qualitas consideranda est, ratione cuius quidam ad prolixiorem actionem, quidam ad lõgiorem contemplationẽ vocãtur. Quod Gregorius, illum Pauli locum interpretãs, Contemptibiles, qui sunt in Ecclesia, illos cõstituite ad iudicãdum] sapienter admonuit, his penè verbis. Quid ex re quid colligitur, nisi vt hi terrenas causas examinẽt, qui exteriorum rerũ sapiẽtiã perceperũt? Qui autẽ spiritualibus donis ditati sunt, profectò terrenis non debent negotiis implicari, vt dum nõ coguntur inferiora bona disponere, exercitati valeant bonis superioribus deseruire. Sed curandũ magnopere est, vt hi qui donis spiritualibus emicant, nequaquam proximorum infirmãtium negotia funditus deserant, sed hæc aliis quibus dignũm est, tractanda committant.] Ecce quanta requiritur in hac vita discretio. Nam quidam ad maiorem laborem prouocandi sunt, ne donọ orationis destituti, ad quam labore iuuantur, otio & socordia tabescãt: alij ad minimam, aut modicam sunt actionem cogendi, ne à diuina familiaritate, ad quã sunt admissi, se subtrahant. Licèt autem obedientia, aut Prælati voluntas (quod inculcare nõ piget) sit præcipua huius discretionis mensura; nec nõ & ipsa proximorum necessitas, quantum quieti, & contemplationi tribuẽdum sit, non obscurè aliquãdo manifestet; sed interdũ homo maximè illuminatus à Domino, zelo animarum feruens, & diuini obsequij intẽtissimo desiderio possessus, poterit ex se ipso cognoscere, quãtũ temporis actioni, quantùm contemplationi vacare debeat, & dum non manifestè errat, suo erit iudicio relinquẽdus. Cuius rei locuples testis sit Bernardus, de anima perfecta ita scribẽs. Ponitur sanè in volũtate ipsius, & vacare sibi, & curæ illarũ (scilicet aliarum animarum) intẽdere; prout oportere iudicauerit, cùm vetatur excitari ab illo, quousque ipsa velit. Nouit spõsus quanta flagret dilectione, etiam erga proximos, spõsa, & satis propria charitate sollicitari matrem de profectibus filiarum, nec se vllo pacto illis subtracturam, seu denegaturam, quantũ, & quoties opus fuerit, proptereáque securè discretioni eius credendam censuit hanc dispensationem. Nõ enim est talis, quales multos videmus Prophetica inustione notatos, qui, quod crassum est & forte, assumentes, quod debile est, proiiciunt.] Non sunt verò multi, imò paucissimi, qui valeãt sibi iudiciũ huius discretionis assumere, illi nimirum, qui fidelissimæ sponsæ amore calent, zelo feruent, & longa experiẽtia norunt se, non se ipsos, non internas mentis voluptates, non expletionem suorum desideriorum, sed solam Dei gloriam, & beneplacitum quæritare.

Hoc verò certum sit, quicquid inter actionem & contemplationem in temporis partitione cõtingat, semper tamen contemplationis studium habiturum intentionis ac desiderij principatum. Contemplatio enim, quæ (vt suo loco dicemus) Dei amorẽ cõprehendit, est occupatio actione nobilior, atque prę stãtior. Ipsa est, quæ actionem perficit, in suum finem dirigit, eiq; vim atq; efficacitatem attribuit. Ipsa tandem, quæ propter se ipsã appetitur, cùm tamen actio non tam propter se ipsam, quàm propter instantem proximorum necessitatem appetatur. Qui si, aut doctrina, aut exhortatione, aut cõsolatione, aut sacramentorum administratione nõ indigerent, satiùs esset functiones istas omittere, & vni contemplationi & amori summæ veritatis inhærere. Hanc rem duorum filiorũ Patriarchæ Ioseph egregiè præsignat historia. Cùm enim duos filios generasset, quorũ maior natu vocabatur Manasses; secundus Ephraim, & eos coram patre Iacob benedicẽdos collocasset. Ille extendens manum dexteram posuit super caput Ephraim, minoris fratris: sinistram autem super caput Manasse, qui maior natu erat, commutans manus. Quisnam est iste Ioseph, qui domini sui vxorem tãgere recusauit: qui è carcere eductus annulum regiũ accepit, & stolam byssinam induit, & collo torquem aureum circumposuit, qui tamquam fidelis dispensator, populis alimenta distribuit: nisi huius præstãtissimæ vitæ cultor, qui & proximorum salutem, & æterni regis, à quo tãtam accepit dignitatem, quærit obsequium? iste namque est, qui sponsam creatoris sui, gloriam scilicet, & honorem, illi puram, illibatamque cõseruat, sciens scriptum esse: Gloriam meã alteri non dabo.] Iste stolam puritatis præcinctus, & torquẽ charitatis ornatus, annulo potestatis sibi datæ liberationem peccatorum contritorum obsignat, vt in cælis rata & immobilis habeatur. Iste in proximos confert alimenta doctrinæ, ne aut fame pereant, aut saltem tentationibus, præ imbecillitate succumbant. Qui autem sunt duo filij huius spiritualis patriarchæ, nisi vtilis actionis labor, & feruidæ contemplationis studium? Illum Manasses ætate maior,

te maior, istud, Ephraim minor natu designat. Nam Manasses obliuionem significat, & bonorum operum labor interdum reprimendus est, & vtili quadā prudentia obliuiscendus, ne in profectū aliorū penit⁹ effusis, nostræ mētis feruor intepescat. Ephraim verò frugiferum, siue crescentem denotat; & studium contemplationis in dies recipiet perfectionis augmēta, vt sit, & nostri profectus, & fructus, quem in proximis exoptamus, initium. Labor actionis maior est, quia communiter plus temporis sibi vendicat, & apud imperitum vulgus maioris momēti est, atque carnalibus oculis maiori pollet splendore: studium autem cōtemplationis eadem ratione est minus: quia pauciores horas occupat, & in opinione stultorum, non tantùm habet pretij, atque laboris. Sed nos, qui humanam sapientiam contemnimus, & manifestam stultitiam vulgatium hominum detestamur, & sapientiam cælestem profitemur, si nolumus in magno errore versari, commutemus manus, & minori filio, hoc est, contemplationis studio manum dexteram, maiorem conatum, feruentiorem curam, & intentissimum desiderium: maiori verò filio, id est, labori actionis, manum sinistrā, & minorem sollicitudinem admoueamus. Si autem aliquis reprehendat, & nostrum propositum moleste ferat, manúsque nostras cōmutare curet, & maiorem sollicitudinem actioni, contemplationi verò minorē velit ascribere: protegamus nos verbis sancti Iacob, qui licèt externis luminibus captus, inter nos tamen oculos clariores, & sapientiores acceperat. Scio (inquit) fili mi, scio, & iste quidem erit in populos, & multiplicabitur, sed frater eius minor, maior erit illo, & semen illius crescet in gentes] Dicamus, inquam, illi: quia & si cæci videamur, & stulti ab stultis reputemur; at à magistro magistrorum edocti optimè nouimus, quid expediat. Nam pulpitum, aut cathedra, aut quoduis aliud ministerium proximorum, gratia est gratis data, in bonum, & augmentum aliorum attributa, cui satis sufficiens est manus sinistra, at mortificationis, orationis, humilitatis, & puritatis studium ad solidas, & perfectas virtutes pertinet, quibus gratiam, & Dei amicitiam comparamus, & ministerijs proximorum fructum, & efficaciam acquirimus, quare æquū est vt ei manus dextera tribuatur.

Gen. 48. 19.

Quæ dicta sunt, vtcumque vitæ mistæ naturam, substantiámque declarant; quam ex dignitate eorū, qui ea profitentur, possumus facili negotio colligere. Isti enim sūt operarij messis Domini Sabaoth, de quibus dicitur, Messis quidē multa, operarij autem pauci, rogate ergo Dominū messis, vt mittat operarios in messem suam.] Sunt cultores spiritualis vineæ, quæ est Ecclesia, quorū aliqui primo mane; alij circa horam tertiam, alij circa sextam; alij circa nouam; alij circa vndecimā vocati sunt, id est, in omni tempore, & ætate delecti; vt Ecclesiam excolant, & vites, nimirum fideliū animas putent, & ad fructum ferendum parent. Sunt dominici gregis pastores, quos per Ieremiam promisit Dominus ouibus suis. Nam & suscitabo super eos pastores, & pascent eos; non formidabunt vltrà, & non pauebunt, & nullus quæretur ex numero dicit Dominus.] Sūt tādem ædificatores spiritualis Ierosolymæ, dicente Paulo: secundùm gratiam Dei, quę data est mihi, vt sapiēs architectus fundamentum posui, alius autem (scilicet Doctor, aut Prædicator) superædificat.] Nam, vt subtiliter notauit Ambrosius, superædificia sunt, quæ post prædicationem Apostolorum à superuenientibus traduntur, aut malis, aut bonis Doctoribus. Ista autē munera vniuersa, non minùs opus habent quiete,

Matt. 9. 38.

Mat. 20. 1, &c.

Ierem. 23. 4.

1. Cor. 3. 18.

Amb. ibi.

A

quàm labore, & industria. Operarius enim, qui semper quiesceret, esset inutilis, & qui sēper laboraret, & imprudēter operi insisteret, temerarius. Et fortassis ideò maritus Iudith, mortuus est in tēpore messis, quia minus prudenter instabat super alligantes manipulos in cāpo, & venit æstus super caput eius, qui primùm incolumitatem sustulit, & deinde vita priuauit. Si verò cautè huic labori institisset, vmbrāque ab æstu protegētem præparasset, & copiosos segetū manipulos recondisset, & nō esset acerba morte mulctatus. Similiter vineæ cultor, nō semper terram fodit, stercora mittit, aut aquam per canales ducit, aut sentes extirpat, aut ipsas vites expurgat: sed aliquando cibum capit, & dormit, & fatigatis membris requiem & vacationem concedit. Et pastor, an semper inuigilat, & sine intermissione greges ouium circumeundo custodit? Non certè, sed non minùs sibi ipsi quàm ouibus cōsulens, corpori suo, & escam, & somnū, & omnia alia necessaria ministrat. Denique ædificator, an omnibus horis ædificat, an numquam cessat fundamenta iacere, parietes erigere, & tecta ædificiis superponere? Nequaquam, imò propria infirmitate admonitus, otium & quietē admittit, & vires fatigatas resumere curāt. Ita ergo Prædicatores, & alij ministri Euāgelij, vt prudentes operarij, vt solertes agricolæ, vt pastores, & ædificatores, magis de sua quàm de aliena salute solliciti, non debent supra vires laborem aggredi, animabus docendis incumbere, & proximorum curis minùs prudenter onerari, sed etiam ad suam vitam spiritualem cōseruandam necessariis temporibus, mentis quietem capessere. Quies autem mentis, oratio & contemplatio est, qua cibo verbi Dei pascimur; creaturarum obliuione soporamur, vires amissas reparamus, & nouos animos ad operā, & laborē concipimus. Oratio est, quæ cordis nostri dispersiones colligit, dispēdia recuperat, rubiginem ex mundanorum cōuersatione contractam abradit, & ad præsidium Ecclesiæ ferēdum corroborat. Quam si hostibus cinctam aspicimus, & murū eius penè dissipatū, & portas eius cupiditatis igne consumptas videmus: ad exemplum illorum, qui terrenam Ierosolymam instaurarūt, eam ædificemus. Illi enim, vna manu faciebāt opus, & altera tenebant gladium, ædificātium enim vnusquisque gladio erat accinctus renes.] Tūc sanè vna manu facimus opus, & alia manu gladiū tenemus, cùm alternis vicibus saluti animarum, & contemplationi rerum diuinarum instamus. Nam proximorum conuersio cælestis Ierosolymæ est ædificatio, cuius structuræ politos & viuos lapides superponimus, cùm à proximis nostris vitiorum superflua præcidimus, & eos virtutum pulchritudine decoramus. Cōtemplatio verò rerum cælestium, & feruens oratio, est cautissimus gladius, cuius præsidio muniti, non solùm immanissimos Ecclesiæ hostes terremus, & ab Ecclesia fugamus: verùm in nobis quoque vitia, & prauas cupiditates cohibemus, & à cordibus nostris abscindimus. Quod venerabilis presbyter Beda fortassis insinuat, dum ait: Ædificātes gladio accingūtur renes, cùm hi, qui bonis insistere operibus, qui commissos sibi regulari curant ratione disponere (hoc est enim viuos lapides in ædificio sanctæ ciuitatis ordine cōpetenti locare) fluxa in se luxuriæ acumine verbo Dei restringere satagunt.] Et meritò quidem: quoniam verbum istud meditatum ad luxuriam refrænādam & alios prauos affectus moderādos, præsentissimum est remediū. Nostrum itaq; ministeriū vitæ à nobis gerēdæ nos admonet, quod sine vtili actione & sancta cōtemplatione rectè præstare nō possumus. Nā actio sola à tepido corde, & distracto procedit, &

B

C

D

E

Iudith. 8. 2.

2. Esdr. 4. 17.

Beda l. 1. in Esd. c. 20.

ideo

ideo nō est proximis vsquequaque proficua,& contemplatio sola,si in eo sit, qui alios possit accendere,non est sine isto fructu omnino perfecta. Hæc autem duo coniuncta,ac copulata, non solùm se mutuò iuuant,& nos in perfectissimo statu collocant, verùm etiam à morsibus obtrectatorum eripiunt. Liam certe,& si fœcundam,contemnunt,vt fœdam: & Rachelem,licet pulchram,aspernantur,vt sterilē: at eam, quæ neque esset deformis,nec infœcunda; imò quæ simul esset pulcherrima, & fœcundissima, sat scio numquam contemneret. Tales verò sunt illæ animæ, quæ vtramque vitam actiuam & contemplatiuam in vna vita mista coniungunt. Actiui soli paruipenduntur,vt fœdi hoc est, vt minùs spirituales, & plusquàm oportet in rebus externis distracti. Contemplatiui soli spernuntur, vt steriles, scilicet, vt parum Ecclesiæ vtiles,vt minus animabus proficui. At mistum,& vtrique vitæ vacantem, nemo despiciet.Si virum spiritualem quæris legentem, orantem,meditantem,contemplationi addictum, mortificationis amatorem,cellæ,& silentij cultorem, talis est mistus.Si Euangelicum ministrum exquiris, qui vitia corripiat,virtutes collaudet, peccatores admoneat,fideles purget, illuminet, atque perficiat,talis est mixtus.Nulla ratione poteris illum, aut deformitatis,& distractionis arguere, aut ob sterilitatem (vt tu dicis) & otiositatem increpare.

Quis sit finis vitæ mistæ.

CAPVT XXXVII.

IAM vitæ mistæ naturam substantiámque descripsimus:nunc consequens est, vt eius scopum & finem explicemus. Qui cùm in se fines vitæ actiuæ & contemplatiuæ contineat, erit sanè duplo nobilior atque perfectior Hic finis in hoc sane positus est, vt operarius Ecclesiæ perfectam contemplationis gratiam & absolutam actionis donum assequatur; & neque contemplationis amore zelum animarum deserat; nec zelo iuuandi animas, in desiderio & ardore contemplationis intepescat.Quem finem Magnus Doctor Gregorius,illum libri Regum locum interpretans, Saul morabatur in extrema parte Gabaa,] manifeste tradit,ita scribens:Prædicatores autem sancti,sublimes valde sunt,non solum opere, sed etiam contemplatione. Extrema ergo pars illa sublimitatis est operis, intima verò illa,contemplationis. Per hanc quidem extremam partem suæ celsitudinis ad exemplum à nobis conspiciuntur:per illam verò intimam in magno amore conditori coniuncti sunt. Hos quidem nobis extrema parte sublimitatis suæ Propheta mirando ostendit,quando ait:Qui sunt isti, qui vt nubes volant,& quasi columbæ ad fenestras suas?] volant quippe,vt nubes: quia à grauedine culpæ sunt leues,& gratia Spiritus sācti in bono opere veloces. Qu di columbæ verò sunt ad fenestras, quia ad exemplum per bona opera se nobis quasi per foramina porrigunt,sed de ostensa vitæ munditia laudis appetitu,nequaquam capiuntur.] Hæc sanctissimus hic paret,qui & subdit:Prædicatores in vmbra redemptoris requiescere, & in magnis fatigationibus suis. quibus animas lucrando affliguntur,verborum Domini meditatione recreari.]Sed multò subtilius & eloquentiùs sanctus Iob hunc eundem finem patefecit:Si dormiero,dicam:quando consurgam?] Et rursum expectabo vesperam,& replebor doloribus vsque ad tenebras.] Vox esse videtur Prædicatoris,aut alterius cuiusuis ministri animarum perfecti, qui iam ad finem vitæ mistæ peruenit. Hic dormis quidem,cùm non tepida quadam rerum diuinarum meditatione, sed perfecta contemplatione perfruitur. Ita tamē dormit,vt eum proximorum amor & peccatorum conuertendorū cura sollicitet. Vigilat quoque, cùm animabus iniquitatis ægritudine pressis, tamquam bonus medicus strenuè,& vigilanter mederi laborat: ita tamen vigilat,vt in ipsa vigilia sanctæ orationis sopor,& contemplationis desiderium, eum ad requiem captandam prouocet.Hinc fit,vt in oratione positus,fructū eius in proximos deriuet, & cùm bene sibi fuerit,memoriam ipsorum apud Deū faciat,eorúmque liberationem efflagitet;& in actione detentus omnia profana amputet,sæcularia resecet,superflua rescindat;sola verò spiritualia & saluti proximorum necessaria teneat, ne voto orandi & contemplandi frustretur. Fit etiam, vt in ipsa bona actione, tam dulcis sit expectatio vesperæ,contemplationisque memoria, vt spiritualem virum in mediis occupationibus constitutum,ad conseruandam mentis quietem,& iugem Dei memoriam nō desertendam, excitet: & quia id iuxta desiderium suum præstare non valet, vsque ad diem mortis doloribus replet. Hi sunt (auctore magno Cassiano) dolores, & querimoniæ Pauli,cùm gemēs,& lugens proclamabat. Non quod volo bonum, hoc ago; sed quod nolo malum,illud facio.]Ille enim qui innumera bona præstabat, qui infidelitatis tenebras dispellebat, qui lumē veritatis vniuersis offerebat,qui in se ipso omnium virtutum decore fulgebat: manifestè testatur,se bonum non agere,quod cupiebat impensè,illud scilicet præstantissimum bonum, quo inter animarum lucra, & Ecclesiarum curas,à memoria Dei, nec ad momētum excideret,& cælestibus mysteriis, ac si solus viueret,esset semper intentus.Non solum tamē ob minimas animi distractiones tristabatur, ex iam iustis,ac necessariis causis exortas,verùm etiam inter duo desideria anceps & suspensus fluctuabat, nesciens, an vitam hanc miseriis refertam,ob salutem proximorum eligeret,aut mortem corporalem, et perpetuæ & incessabilis contemplationis initiū à Domino postularet.]Denique(vt verba Cassiani sub iiciam) cum se tantis,ac talibus ditari fructibus cerneret;& è contrario theoriæ bonum corde pēsaret, ac velut in vna lance tātorum laborum profectum, in altera delectationem diuinæ cōtemplationis appenderet, diu examine pectoris sui quodammodo castigato,dum illum hinc laborum stipendia immensa delectarent,illinc desiderium vnitatis,& inseparabilis Christi societas,etiam ad resolutionem carnis inuitat,anxius tandem proclamat,& dicit. Quid eligam ignoro,coarctor autem è duobus,desideriū habens, dissolui,& cū Christo esse, multò enim melius, permanere autem in carne magis necessarium propter vos.]Hic itaq; est scopus in quē vita mista dirigitur, somni & vigiliæ spiritualis,hoc est,contemplationis & actionis perfectionem assequi,& nec propter cōtemplationis voluptates durissimas, vtiles actiones relinquere,nec propter fructum actionem, contemplationem obliuisci,& in ipsa actione,prout fuerit, possibile, contemplationis quietem, aut saltem iugem,& indiruptam creatoris memoriam affectare.

Tantæ profectò sublimitatis,est finis iste,vt totam laudationem Ioānis Baptistæ à Saluatore nostro Iesu Christo prolatam contineat,dum eum lucernam ardentem, & splendentem appellat.Ille (inquit) erat lucerna ardens, & lucens.] Ardor(affirmante Gregorio)cælestia desideria,& lumen verbū prædicationis designat,& vtrūque cōtemplationis & actionis absolutionem quādam & perfectionem demōstrat. Ille enim in secreto orationis,cælestib' desideriis,& igne

[Margin notes: 1 Reg. 14. 2. Greg. lib. 5. in 1. Reg. ad c. 14. — Isai. 60. 8. — Iob 7. 4. — Cassia. 23. — Rom. 7. 15. — Cassia. co. 23. c. 5. — Philip. 1. 23. — Ioā. 5. 35. Greg. lib. 11. in Ezech.]

igne verissimæ dilectionis ardet, qui non cōmune aliquod orandi donum, sed magnam, & consummatam cōtēplandi gratiam accepit. Et ille in publico actionis lucet, qui bona, non vtcunque, sed optimè præstare nouit: & imperfectionum fœditate splēdorē verbi non obscurat, & opera proximis vtilia prauis exemplis non inficit. Cùm ergo vocatur Ioannes lucerna ardens, & lucens, perfectus prædicator vocatur, qui finē vitæ prædicatoris fuit assequutus; qui priùs contēplando Deum, & se ipsum maceratione carnis affligendo, in deserto arsit; & postea ex amore Dei, & zelo animarum, cum magno spiritu prædicādo in mediis populis caligine iniquitatū percussos illuminauit. Arsit quidem ille, quia sanctissimè in omnibus se gessit, quia purissimè vixit, quia viam planè cælestem in terris instituit. Arsit ille, quia [vt præclarè dictum est ab Hugone Victorino) tota eius vita nobis loquitur, tota nobis sermo est, tota nos à malo reuocat, & ad bonum exhortatur.] Et post pauca: In Beato Ioanne, nobis emicat diuersarum virtutum multitudo, & eiusdē multitudinis pulchritudo, scilicet contēptus sæculi, amor Dei, abstinentia cibi, asperitas vestimenti, quies solitudinis, verbum prædicationis, virginitas corporis humilitas cordis, rigor seueritatis, cōfessio veritatis, virtus patientiæ, odor bonæ famæ.] Luxit autem Ioānes, quia sicut vera lucerna, non à se ipso, sed à Christo vocante, & ad prædicandum mittēte (vt notarunt Cyrillus, & Ambrosius) lumē accepit. Quia nō se ipsum per inanem iactantiā, sed per intentionis rectitudinem Christū ostendit. Quia non vanitates, & historias ridiculosas exposuit, sed saluatori aduenienti testimonium dedit. Quia peccatorum, & vitiorum tenebras verbo prædicationis dispulit, & lucem virtutis, ac sanctitatis, in hominum mentes innexit. Luxit ille, quia primus pœnitētiam prædicans, viam fœlicitatis aperuit, & iter ostēdit, ac promissionem obtulit mundo regni cælorum. Denique, veni ad Ioannem (inquit Petrus Damia.) & audi vocem exultationis, vocem nouitatis, vocem lætitiæ, misericordiæ verbum, sermonem gloriæ, gratiæ largitatem, quod celauerat, Deus tacuerat Angelus, tacuerat Patriarchas, Prophetæ nesciērāt. Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnū cælorum.] Verbum pœnitētiæ dulce, & gloriosum, verbum regni cælorum lætum & adorādum, illi soli primo cōueniens, qui primus noui testamenti posuit fundamenta.] Quia ergo Ioannes arsit & luxit, ideò vitæ ministrorum Euangelij finem est adeptus, & factus est à Domino Prędicatorum exemplar. Quem re vera necesse imitentur huius vitæ, quam modò tractamus, finem assequuturi. Ardeant primum, & contemplationis adiumento in amore Conditoris suas voluntates accendant: zelum animarum penè extinctum viuificent, & vniuersarum virtutum habitus, quarum pulchritudinem contemplando nouerunt, operum accessione multiplicent. Ita tamen ardeant, & suæ mentis perfectionem constituant, vt sub prætextu proprij profectus, animarum salutem non omittant: sed potiùs ex puritate vitæ verbo prædicationis efficaciam attribuant. Egregiè namq; dixit Gregorius: Esse speculatoris vita & alta debet semper, & circumspecta. Ne enim terrenarum rerum amore succumbat, alta sit; ne occulti hostis iaculis feriatur, ex omni latere circūspecta. Neque enim speculatori sufficit, vt altè viuat, nisi & loquēdo assiduè ad alta auditores suos pertrahat, eorūmque mētes ad amorem cælestis patriæ loquendo succendat. Sed tunc hæc rectè agit, cùm lingua eius ex vita assurgit. Nam lucerna, quę in

Huge. ser. 73. de B. Ioan. sō. 2.

Cyril. li. 3. in Ioannem. c. 1. Amb. in psal. 118. ser. 14.

Petrus Dam. in quo l. ī. ser. in natali Ioan.

Matt. 3. 2.

Greg. hō. 11. in Ezech.

A semetipsa non ardet, eam rem, cui supponitur, non accendit.] Sic Beatissimus ac sapientissimus doctor, prædicatorem depingit, vt intentissimum propriæ perfectionis desiderium, eum pusillanimem, timidumq; non reddat, sed potiùs fortem, diligentem, & quàm aptissimum ad animas aliorum lucrandas efficiat. Luceant deinde Ecclesiæ administri, & publicis ac priuatis exhortationibus, atq; sacramentorum administratione, doctrinæ lucem, virtutis claritatē, gratiæ splendorem populis offerant. Sed ita luceant, vt distractionem metuant, tepiditatem odiāt, negligentiam fugiant, & lucem, qua alios illuminant, in propriæ perfectionis augmentū dirigant. Ita luceāt, vt lux ex feruore, & ex perfecta charitate, non ex arrogātia, aut ex inani gloria nascatur. Sunt enim (quēadmodum scripsit Bernardus) qui non eò lucent, B quia feruent, sed magis feruent, vt luceant. At isti planè non feruent charitatis spiritu, sed studio vanitatis. Ita luceant, vt tamen ardoris potiorem rationem, quàm splendoris habeant, quia Christus Dominus noster ardorem istum ab omnibus exigit, dicens: Ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi vt accendatur?] Splendorem verò ab illis exquirit, qui non vtcumq;, sed perfectissimo modo sunt igne dilectionis accensi. Quare Petro, ter in dilectione examinato, ouium rationalium cura committitur: Et illi lux mundi vocantur, qui priùs sal terræ vocati sunt, ita nimirum à putredine mundana seiuncti, vt possint alios exemplo salire, & à vitiorum putrefa- C ctione seruare. Qui ita ardent, & lucent, qui perfecti sunt in se, & ita in omni virtute eruditi, vt possint tamquam docti magistri, ex his, quæ in se ipsis didicerunt, alios ad mentis puritatem instruere, certum est, quia vitæ mistæ fastigium sunt assequuti.

Sed ne tā dignissimi finis assequutione frustreris, ò religiose animarum minister, qui non solam aliorum salutem, & perfectionem, sed tuam quoque, & maiori conatu, atque intensiori ardore mentis exoptas, vnum aut alterum tibi remedium offero, quod assidua cogitatione voluens, & prout fuerit possibile actione præstans, ad magnam in vtraque huius vitæ portione, sublimitatem ascendes. Hoc apud te statue, quòd imitaturus es Angelum custodem tuum (neque enim impossibile est, eum imitari, quem accepisti vitæ ducem, virtutis magistrum, D & imbecillitatis defensorem) Angelus namque perfectissimè Deo ministrat, & diligentissimè tuam salutem curat, & ad omne bonum instantissimè prouocat. Ille enim, & omnes alij cœlestes spiritus, sunt administratorij spiritus in ministerium missi, propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis.] Sed simul suam tranquillitatem conseruat, & spirituales oculos in vniuersorum conditorem intendit, & semper videt faciem patris, qui in cœlis est:] itaque neque administratio lucem obnubilat, quia Deus est sine vlla intermissione videndus: nec visio Dei administrationis curam laxat, qua pusilli erudiendi, & custodiendi sunt. Sic & tu ab isto indiuiduo comite, & E mansuetissimo protectore, disciplinam perfectionis edisce. Proximos iuua, spiritualibus periculis eripe, viam cælestis patriæ demonstra, nec enim parum est tibi Angelorum ministerium obire, sed ita, vt mentis quietem non perdas, lumen internum, quoad fieri possit, non fusces, quo & in ipsa actione Deum, quasi abscondite & dissimulanter aspicias, & horis Racheli destinatis, sine vlla distentione valeas Deum mentis oculis contemplari, & brachiis dilectionis tenere. Similiter attēde tibi magna sollicitudine, saluti tuæ mentis inuigila: esto silentij, cellæ, & contemplationis zelator, sed ita vt

Bern. in natal. 1.

Luca 12. 49.

Ioan. 21. 15. &c.

Matth. 5. 14.

Hebræ. 1. 14.

Matt. 18. 10.

oppor

opportuno tempore in publicum prodeas, ministris animarum vaces, & eas doctrinæ pane sustentes.

Si autem arduam videtur Angelos vita sequi, iam homines tibi imitandos propono. Intra te igitur ipsum decerne, quòd futurus sis, sicut Antonius in foro, & sicut Paulus Apostolus in deserto. Considera rogo Magnum Antonium, non iam in vasta solitudine, sed in foro Alexandriæ subsistentem, & flagrantem amore martyrij? Quanta pietate martyres spectabat, quanta constantia ad necem sustinendã animabat, quanta exultatione eos ad sacrificium sui ipsorum euntes prosequebatur, quãta miseratione ipsorum necessitatibus seruiebat? Hæc quidem præstabat ille, non oscitanter, non arroganter, non grauiter, sed strenuè, humiliter, & læto animo faciebat. Ita tamen his misericordiæ operibus erat intentus, vt solitudinis amor eum interpellaret, orationis desiderium vocaret, contemplationis ardor cupiditatem amicæ quietis accenderet. Quare Maximiani persecutione sopita, & pace Ecclesiæ reddita, turbas effugit, eremum repedauit, & pristina contemplationis studia resumpsit. Considera modò Paulum Apostolum in deserto aliquo constitutum, vel certè in Asia commorantem, cùm prohibitus est ab Spiritu sancto loqui verbum Dei.] Tunc sanè magnus ille prædicator, qui non prædicabat, nec verbum Dei disseminabat, nec bellum aduersus idololatriam gerebat, cuinam rei erat intentus? An inanibus colloquiis vacabat? an res inutiles, & parui momenti tractabat? an otiosam & infructuosam vitam agebat? Quis insanus tale quid de sanctissimo Apostolo in animum suum inducet? Orabat ergo, res cælestes voluebat animo, diuinam naturam, eiúsque immensas perfectiones contemplabatur, Deique misericordiam assiduis precibus, & oratione pulsabat, vt sibi os ad loquendum, & infidelibus mentes ad credendum aperiret. Sic his mentalibus exercitationibus insistebat, vt tamen ipsas in bonum animarum cõferret, & iterum ad bellum progredi, ad pugnam properare, ad animas conuertendas exire concupisceret. Ista, ô religiose, sit vita, ista institutio tua. Inter homines sis Antonius, qui eos dum necesse fuerit consilio instruas, exhortatione suadeas, prædicatione moueas & aliis bonis operibus à tua vocatione non alienis, in iam arrepta virtute suffulcias; sed ita, vt semper orationis tempus in amore habeas; & ad cellam, & quietem remeare festines. In cella autem sis Paulus: qui tempus tibi concessum, legendo, meditando, orando, contemplando, non minori fructu, quàm iucunditate mentis expendas; sed ita, vt hæc te nõ immoderatè teneant, nec suis deliciis vinciãt, nec pusillanimem, aut opera charitatis auersantem reddãt; sed potiùs aptissimum ad ministeria animarum efficiant. Ita fiet, vt Antonius sæculares occupationes spiritualibus ministeriis admisceri solitas, constanter vitet, & Paulus amorem quietis temperet, ne animarum conuersionem impediat: Sic in magnam suã vtilitatẽ illud Ecclesiastici implebitur. Duo, & duo, & vnum contra vnum.] Nam cõtemplationis amor, zelum animarum frenabit, ne in vana, aut minùs necessaria, aut certè religiosæ vocationi nõ congrua se præcipitet; & animarum zelus amorem quietis coercebit, ne vsque ad absconsionem talentorum procedat. Atque ista duo sic temperata, veluti vnum saluberrimum potum efficient, qui nos recreet, & neque nimio frigore solius actionis refrigeret; neque immoderato calore solius contemplationis inebriet.

Sed adhuc tibi apparet difficile homines imitari, & tales homines, quorum quilibet multos Angelorum sanctitate superat, & alter perfectionem contemplationis, alter actionis absolutionem monstrat. Aliquod igitur animal rationis expers vitam mistam agentibus in exemplum proponamus, cuius prudentiam homo rationis particeps non vereatur imitari. De aquila, hæc dicit Dominus, ad suum amicum Iob orationem habens. Numquid ad præceptum tuum eleuabitur aquila, & in arduis ponet nidum suũ? In petris manet, & in præruptis silicibus commoratur, atque inaccessis rupibus. Inde contemplatur escã, & de longè oculi eius prospiciunt. Pulli eius lambũt sanguinem, & vbicũq; cadauer fuerit, statim adest.] Aquila, quemuis sanctæ Ecclesiæ operarium designat. Et meritò sanè; quoniam vniuersarum auium regina existẽs, eius vitam exprimere debuit, quæ inter vitæ spiritualis partes (vt postea dicemus) præcipuum, & planè regium locum obtinet. Hæc ergo vita, aut huius vitæ amator, & cultor, cùm inter homines, vtilitatis eorum causa conuersatur, non propria voluntate illectus, sed diuino iussu vocatus, statutis diei horis in cælestium rerum contemplationem effertur, in Sanctorum stabilitate commoratur, Angelorum proprietates mentis oculis lustrat, & diuinas perfectiones attentè considerat. Non tamen ita contemplationis iucunditate absorbetur, vt penitus inferiora contemnat. Quinimò inde contemplatur animarum escam, vt eam a manu dæmonis rapiat; & compassionis oculis eos prospicit, quos per abiectionem vitæ, longè à se positos esse cognoscit. Pulli eius, hoc est, filij eius spirituales, quos verbo prædicationis Christo genuit, lambunt sanguinem, dum saluatoris passionem meditari docentur, & eius purissimo cruore satiari: ipse verò, qui istos genuit, perfectiori cibo diuinitatis pastus, eiusdem diuinitatis amore, velut alter Tobias, qui exiliens de accubitu suo, relinquens prandium, ieiunus peruenit ad corpus.] Delicias contemplationis deserit, mortuos Deo, & tabidos putredine peccatorum inquirit, & vbicunque cadauer fuerit, statim adest. Omnis enim, qui in peccati mortem ceciderit (ait Gregorius subtiliter) non inconuenienter poterit cadauer vocari. Quasi exanimis namque iacet, qui iustitiæ viuificantem spiritum non habet, sed certè huius sancti Doctoris verba, quæ hanc confirment interpretationem, subijciam. Quia sãctus quisque prædicator (inquit) vbi peccatores esse considerat, illuc anxiè peruolat, vt in peccati morte iacentibus, lucem viuificationis ostendat. Benè de hac aquila dicitur, vbicunque cadauer fuerit, statim adest, id est, illuc tẽdit, vbi vtilitatem prædicationis prospicit, vt ex eo, quòd iã spiritualiter viuit, alijs in mente sua iacentibus prosit, quos corripiendo, quasi edit, sed ab iniquitate ad innocentiã permutando in sua membra quasi edendo, conuertit.] Esto itaque tu, ô religiose sacerdos, tamquam aquila ista, qui ex altitudine contemplationis cadauera mediteris, & quanam ratione proximis sis profuturus, à Domino, cuius aspectu delecteris, confidenter exquiras, & ex sollicitudine actionis cellam, & quietis locum contempleris, illucque (re benè confecta) properare, & ad orationem, & diuina colloquia redire desideres, nec dubium, quin celeri passu in scopum huius præstãtissimæ viuendi rationis aduenias.

Hunc finem vitæ mistæ assequuti sunt (vt nunc sanctos Apostolos, & Pontifices, & Ecclesiæ doctores omittam) sanctissimi patres nostri religionũ fundatores, qui curã suarum ouiũ agentes, & actionibus charitatis instantes, amore Dei ardebãt, & perpetuæ orationi, ac contemplationi se dabant. Hunc adeptus est Beatus pater Dominicus, prædicatorum fulgẽtissimus Patriarcha, qui in corpore degens, & inter

Athanas. in vita eius.

Actor. 16. 6.

Eccl. 33. 16.

Iob 39. 27. &c.

Tob. 2. 2.

Greg. 31. mor. c. 22. ibid.

Iber. in. ...

R 4 præcepto

peccatores viuens, animo semper cum Deo, & Angelis loquebatur, & dies proximis impertiēs, noctibus feruentissimæ contemplationi vacabat, & inter fratres humanissimus existens, Deo instantissimis precibus adhærebat, ita vt ad vesperum demoraretur ei fletus, & ad matutinum lætitia.] Hūc adeptus est Beatus Pater Franciscus, non iam homo dicendus, sed seraphim cælo delapsus, qui tractus & detentus à turbis, compressus quoque, & multipliciter attrectatus, in extasim raptus, insensibilis videbatur ad omnia, & velut corpus exanime, nihil penitus sentiebat, & à suis eam actionis mensurā, quæ non suffocaret Spiritum orationis, prudentissimè efflagitabat. Hunc assequutus est Beatus Pater noster IGNATIVS, nouissimo tempore datus in columnam Ecclesiæ, qui fidem ab hæreticis oppugnatam sustineret, & diuinam gloriā per vniuersum orbē propagaret. Nam immensis animarum saluandarum curis circundatus, singulis horis intra seipsum se colligebat, & an aliquid minùs esset compositum coram oculis iudicis cuncta cernentis, minutissimè examinabat. Singulis actionibus finem diuinæ gloriæ, actuali recordatione, & humillima oblatione præfigebat: singulis in rebus, quæ sensibus obijciebantur, Deum assistentem, omniaque sustentantem, & viuificantem cernebat; & singulis tandem momentis in eum iacula ardentissimi amoris euibrabat. Hunc etiam natus est Beatus Pater noster Franciscus XAVERIVS, IGNATII amantissimus discipulus, & magnus totius Orientis Apostolus, qui inter tot infidelium myriadas in ouile Christi pastoris adductas, non contentus sæpissimè in mentis excessum rapi, & animum in Deo, quem tantopere sitiebat, habere defixum, statum tamen ac certum quotidie seponebat tempus, quod ereptum negotiis contemplationi rerum cælestium, & præcipuè ardentissimæ meditationi vitæ, mortisque Christi tribueret. Hunc obtinuerunt innumerabiles religiosi, omnium isto rū filij, & Ecclesiæ adiutores fidelissimi, qui nescio an maiori fructu sibi ipsis per contemplationem coluluerunt; an conuersioni infidelium & profectui peccatorum per actionem vacauerint. Hūc tandem finem nunc ex parte obtinent (vt modestiùs loquar) multi sancti religiosi, quos ego benè noui, qui in cella sanctissimi eremitæ toti diuina contemplatione suspensi, & in populis feruentissimi Apostoli aduersus vitia, & peccata bellantes apparent; quorum vitam suspicio, ante quorum virtutes erubesco, quorum puritas mihi est omnis perfectionis ac sanctitatis exemplum. Et sat scio, & ipsa experientia comperio, quòd non est abbreuiata manus Domini,] Et quia non est personarum acceptor Deus, sed in omni gente, qui timet Deum, & operatur iustitiam acceptus est illi,] Et quòd hodie solet in filiis patrum dona collocare, & affatim charismata distribuere.

Psal. 29. 6. *Bonauen. c. 10.* *Torselin. lib. 3. c. 5.* *Isaia 59. 1.* *Actor. 10. 34.*

Quæ sint officia vitæ mistæ.

CAPVT XXXVIII.

FINEM istum, quem hactenus explicuimus, subsidio propriarū actionum vita mista consequitur. Actiones autem istæ ad duo genera referuntur, sicut duæ sunt partes, ex quibus hæc pars vitæ spiritualis componitur. Alterum opera contemplationis: alterum opera actionis comprehendit. Et quidem si primum inspiciamus, omnia opera contemplatiuæ vitæ in sublimissima perfectione considerata, vitæ etiam mistæ sunt opera, atque functiones. Idcirco huius vitæ sectatores vniuersis vitæ contemplatiuæ operibus delectantur, cùm remoti à turbis, & vacui spiritualibus animarū negotiis, in cellæ occulta secedunt: Paulus legit, nam & penulā à Timotheo, id est, sacræ legis volumen (vt Hieronymus interpretatur) libros quoque, & maximè membranas, exposcit. Lucas dicit, ne sine debita diligentia, eorum, quæ scripsit, arcanorum cælestium annūciet veritatē. Matthæus, & alij nouæ legis historici, mediatoris Dei & hominum gesta conscribunt. Corinthij psalmum habent, vt Deum canticis, & hymnodia collaudent. Petrus orat, & in extasim raptus, vocationem gentium intuetur. Atque adeò nullus est actus vitæ contemplatiuæ, quem nō patres noui testamenti præstiterint. Hi autem non solùm vitam mistam professi sunt, verùm etiam ipsi fuerunt huius vitæ sanctissimi & illustrissimi præceptores. Imò tam illi quàm omnes sancti pastores Ecclesiæ, Apostolorum filij, atque discipuli, ea populis credenda, atque facienda, aut fugienda proponunt, quæ contemplatione didicerunt, & oratione à Domino, ac precibus impetrarūt. Quibus illud Psalmi optimè congruit, Memoriam abundantiæ suauitatis tuæ, eructabūt, & iustitia tua exultabunt.] Nam si ructus (vt ipsa naturalis scientia docet) ex repletione procedit, qui abundantiā suauitatis eructant, sine dubio cælesti dulcedine, ac suauitate repleti sūt. Et si odorem portat ructus (vt annotauit Bernardus) quandoque bonum, quandoque malum, pro vaporū, ex quibus ascendit, contrariis qualitatibus; manifestū est quoniam illi optima vasa sunt, & cælestium intellectuum atque affectuum donis imbuta, qui tam suaueolentem fructuosæ prædicationis odorem eructant. Ideò ex sententia Gregorij hanc vitam agentes, fulguri comparati sunt quia nimirum priùs exercitio perfectæ contemplationis ignescunt, & postea magno charitatis impetu ad annunciandum proximis, quæ sunt contemplati, descendunt. Sic autem cum impetu spiritus irruentes feriunt, & commouent corda, quæ tangunt, quia non tantùm delectant, sed monent, & ad contritionem & lacrymas & iniquitatū detestationem impellunt. Et impletur illud, quod in quodam Psalmo scriptum est: Lux orta est iusto, & rectis corde lætitia. Lætamini iusti in Domino, & confitemini memoriæ sanctitatis eius. Priùs refulget lux, & sua pulchritudine intelligentiam afficiens, corda iustorum lætitia & exultatione dilatat: sic autem dilatata corda, ora ipsorum laxant, & ad Dei confessionem, & laudem aperiunt. Certè sit ergo, quòd misti omnes actus vitæ contemplatiuæ, tamquam sibi proprios, & maximè conuenientes, exerceant. Audiunt illi quidem, & legunt diuina misteria, ne impatati, aut minùs instructi ad ea docenda, & enucleanda conscendant. Discunt, vt ordinem seruent, & priùs sint discipuli, quàm magistri; quia absurdum est quemquam velle docere, quod numquam didicit, & quod non intelligit, explicare. Scribunt, vel vt sibi ipsis accepta conseruent, vel vt calamo proximos exhortentur, & quæ sibi à Domino donata sunt, posteris tradant. Ecclesiæ cāticis deuotē, & reuerenter intersunt, quibus se ipsos, ex humana conuersatione tepentes calefaciant, & quasi dormiturientes exsuscitēt. Orant voce, orāt & mente, vt se totos, corpus nimirum, & animam Deo suauissimum holocaustum efficiant. Cogitant, ne in noxia cadant, meditantur, vt inueniant; contemplantur vt se dilectissimo sponso coniungant; ac tādem vatijs & multis mouentur affectibus, vt se auscultantes moueāt, & ad virtutem amandam & amplectēdam ali

Hier. Epist. ad Damas. q. 2. Tim. 4. 13. Luc. 1. 1. Corint. 14. 26. Act. 10. 10. *Psal. 144. 7.* *Bern. ser. 67. in cant.* *Greg. hom. in Ezech.* *Psal. 96. 11.*

dã alliciant. Et breuiter, nullum est sanctæ contéplationis opus, quod ipsi ad suam, & animarum perfectioné captandá strenuè, atq; viriliter non assumant.

Si autem de alio genere actionum instituamus sermonem, non omnes actiones, quæ vitæ actiuæ tribuuntur, possint etiam vitæ mixtorum attribui. Primò enim illud certum ac constitutum habeatur, actiones sæculares, & à religiosa institutione abhorrentes, huius vitæ non esse. Quis namque dicat vitam religiosissimam simul, & perfectissimam, ac mundanis rebus maximè repugnantem, sæculares curas admittere, & mundanis negotiis implicari? Aut quis meritò putet, vitam, quæ prophanis curis, & sæculi actionibus, non solùm fœdatur, sed infamatur, eas actiones, tamquam proprias agnoscere, quæ eam sua fœditate commaculant, eique non paruam ignominiæ notam inurunt? Errant ergo cùm ingenti malo suo, & sanctæ religionis dedecore, qui putant se vitam mistam tenere, cùm vanis alloquutionibus gaudent, cùm sæcularium mutuis visitationibus delectantur, cùm negotia sæcularia tractant, nuptias componunt, testamenta exequuntur, lites procurant, palatia regum, & principum, non animo religiosorum, sed more aulicorum adeunt, & respublicas sæculares magnatũ beneuolentia gubernant. His mundi implicamentis inhærere, ignominia est vitæ religiosæ, quam homines impurissimi, his negotiis addicti, verbis lacerãt, sannis irrident, atque odio prosequuntur: quia aut vident, aut suspicantur, se religiosorum industria ab eorum, quæ cupiebant, assequutione præpediri: Cogitantque religionis habitum non esse nisi superbiæ, & ambitionis prætextum, ad vanos honores ambiendos, & principum voluntates, ac magnatum animos expiscandos. Est quoq; penè irremediabile ipsorum religiosorum malum, qui his occupationibus prophanis distenti, nec possunt animabus (quarum medici sunt) congrua remedia adhibere, nec sibi ipsis, per mentales exercitationes prospicere. Quare Beatus Prosper Rhegiensis Episcopus, pastoribus Ecclesiæ aliquem contemplationis haustum sitientibus, illud cum magna attestatione suadet, vt actionibus prophanis abstineant. Duo autem media (inquit) duobus scilicet aliis extremis ab ipso inter actus cóntemplatiuæ vitæ numeratis, vacationem videlicet ab omnibus occupationibus mundi, & diuinarum studium literarum, etiam hic possunt habere pótifices: sed illi, qui se ab omnibus implicamentis negotiorum sæcularium remouentes, non torpent otio, sed insistunt perfectionis suæ negotio, & ab stultitia sæcularis sapientiæ auersi, verbo Dei infatigabiliter vacant, sapientes veraciter fiunt, cælestia sapiunt, terrena despiciunt, cótradicentes sanæ doctrinæ redarguunt, obedientes instituunt; sanctis virtutibus, quibus in dies singulos fiant Deo propinquiores, incumbunt, & tam suis, quàm omnium, qui per eos erudiuntur, profectibus clari, hic quidem velut gustum quemdam contemplatiuæ vitæ, quo ad eam frequentiùs prouocentur, accipiunt, sed sibi iam in æternum fœlices effecti, de eius protectione gaudebunt.] De pontificibus loquitur, & idem prorsus de omnibus diceret, qui licèt non pontificem dignitatem, laborem tamen & opus, videlicet saluté animarum, adepti sunt Qui nequaquam vitæ contemplatiuæ suauitate fruentur, nec virorum spiritualiũ nomen iure sibi vendicabũt, si sæculi occupationes quas vitæ religiosæ professione reliquerũt, iterũ repetãt, & in illis breue tempus suæ & animarũ perfectioni cócessum, imprudenter stulteque cósumant.

Prosp. lib. 1. de vita contemp. 13.

Non sunt ergo isti vitæ mistæ professores, sed totius vitæ spiritualis contemptores, qui ea quæ spiritus sunt, horrẽt, & ea, quæ carnis sunt, magna auiditate sectantur. Qui retẽto sanctæ religionis habitu, cogitationibus, desideriis, curis, & operibus in sæculum redeunt, & eius actibus distinentur. Qui præuaricatores effecti, ea, quæ in ingressu vitæ religiosæ damnarunt, opere approbãt, & mundanam vrbem, quam Dei zelo succensi destruxerunt, à Diabolo decepti reædificant. Timeant ergo, ne Domini maledictione mulctentur, quæ in ædificatores vrbis Iericho, est à magno duce Iosue, cũ ingenti asseueratione prolata. Maledictus vir coram Domino (ait) qui suscitauerit & ædificauerit ciuitatem Iericho. In primo genito suo fundamenta illius iaciat, & in nouissimo liberorum ponat portas eius.] Iericho (quod nomen lunam significat) mundi est (vt ait Augustinus) instabilis & inconstantis imago, quem saluator noster Iesus Christus in religiosis euertit, cùm eos ad se vocauit, ad vitam religiosam adduxit, & à negotiis, & curis sæcularibus liberauit. Vetat autem cum magna imprecatione, ne quis prophanis occupationibus insistendo, mundum à se euersum reædificet. Maledicit illi, qui sæculum à se dirutũ, & solo æquatum, iterum extruxit, & mortem primi & nouissimi liberorum dignissimam huius delicti pœná annunciat. Primus religiosi filius compunctio peccatorum est; nouissimus verò & magis dilectus, amoris diuini est, ac dilectionis affectus: hos Dominus comminatur amissurum esse illum religiosum, qui mundanas occupationes admiserit, & iterum mundum harum actionũ præsidio ædificauerit. Et ne quis putet minas istas non esse effectũ habituras, audiat quid alio loco dicat Scriptura. In diebus eius (scilicet Achab) ædificauit: Hiel de Bethel, Iericho, in Abiram primitiuo suo fundauit eam, & in Segub nouissimo suo posuit portas eius, iuxta verbũ Domini, quod locutus fuerat in manu Iosue.] Hiel, qui viuens Deo, vel faciens Deo interpretatur; & Bethel, hoc est, domus Dei, ciuis & incola est; cuiusnã erit typus, atq; figura, nisi illius, qui verã domum Dei nimirũ vitam religiosam inhabitat, vt Deo viuat, & omnia in honorem ipsius faciat? Et ipsis duo filij primus, atque nouissimus, quid significabũt, nisi duo vitæ spiritualis dona, cópũctioné & amoré, quorũ iste finis est; ille verò omniũ spiritualiũ bonorũ initium? Hos duos filios sepelit vitæ religiosæ sectator, sæcularib⁹ actibus & curis mundanis inhęreat, illum quidem amittit, cùm primùm sæculi fundamenta iacit, & his negotijs, & colloquijs inanibus cordis sui claustra insipiéter aperit Statim enim cópunctio fugit, lacrymæ euanescunt, imperfectiones non displicét, imò ea, quæ vitam religiosam eneruant, maximè placent: illum verò perdit, quãdo mũdanos, & sęculares actus prosequitur, qui tempus omne cósumũt, quo deberemus cælestiũ cótéplatione gaudere, & affectibus amoris vacare: si igitur actiones istæ sæculares vitã spiritualé destruũt, & omnia bona religionis cósumunt, nó possũt ad vitam mistam pertinere, quæ suis actibus nó ruit, sed potiùs vsque ad perfectioné perducitur.

Iosue 6. 26.

Aug. ser. 106. de tempore.

3. Reg 16. 34.

Iam his operibus reiectis, tamquã irreligiosis, ac penitus vitæ nostrę cótrarijs, quę sint opera externa propria vitæ mistæ diligétiùs inquiramus. Ista quidé nó sunt, quæ ad nostræ mẽtis perfectioné, ac eméda tioné fuerũt instituta, vt peccatorũ detestatio, vitiorum extinctio, passionum repressio, & virtutũ moraliũ, aut sollicita tractatio, aut sedula conquisitio. Nã hæc (vt suprà diximus) sunt vitæ actiuæ opera, & totius vitæ spiritualis exordia, atque adeò non possũt ad vitam mistam, ad finem scilicet, & perfectionem totius spiritualis vitæ pertinere, nisi fortè, vt funda-

mēta ad domū, vt præparatio lignorum ad ignem, A & vt sumptio medicaminū ad corporis salutē reparandā. Per istarū enim actionū studium, mens à noxiis purgatur vitiorum humoribus fundamenta perfectæ charitatis iacit,& animus ad illum ignem præparatur,quo fideliū animas calore diuini amoris, & desiderio æternæ salutis accendat,Quod studiū,licèt perfectissimæ cōtēplationi cōiūctū, perfectionē quidē animæ tribuit,sed perfectū Ecclesiæ statū,scilicet statū Episcoporū,pastorū,atq;Doctorū, nō cōstituit. Quoniā,& si aliquis omnia peccata à se depulerit, vniuersa vitia restrinxerit,passiones cohibuerit,virtutes morales acceperit,& dono ingentis contemplationis claruerit;si tantùm sibi vacat,& animarū salutem non curat, haud quaquam habet statū Ecclesiæ B omnino perfectum.Hic autē eas actiones inuestigamus,quæ vitā huius status propriam,atq;germanam (quæ vita mista vocatur)efficiant. Non ergo debent Ecclesię pastores,& animarū Doctores in his proprij profectus actionibus se exercere; nec illis curæ sit aut peccata timere,aut cōtra vitia & prauos affectus pugnare,aut virtutes morales expetere?Absit, imò si ista prætermittāt,nullā,aut permodicā,ex ministeriis animarū vtilitatē consequentur. Quæ ministeria ita proximorum animas quærūt, vt primo loco propriā animam cuiq; chariorem,& pretiosiorem asseruent, sicut autem aliorū animæ,verbo prędicationis,& sacramentorum administratione custodiuntur:ita propria,studio mortificationis,virtutū exercitatione, & C diuinæ legis adimpletione,seruatur Hæc opera mētem nostram corroborant, vt inter laqueos,& occasiones peccādi,quas Diabolus non semel in ministeriis animarū obtendit,incedamus securi.Hæc æquanimitatem præstāt,qua molestias à pusillis, & incipientibus illatas sustineamus.Hæc à vēto inanis gloriæ & à turbine superbiæ nos protegūt,ne aut in rebus à nobis præclare gestis gloriemur,aut nostra virtute perspecta,comparatione peccatorum inflemur Hæc ianuam diuinæ familiaritatis aperiunt, per quā ad gratiæ,& misericordiæ thronum ingressi,voci nostræ vocē virtutis, laboribus nostris fructum,& proximis auxilium ad peccatorum odium,& omniū virtutum amorem impetremus.Hæc fraternā charitatē excitant, æstimationem animarum ingerunt, spiritus feruorem augent,oculum intentionis purificant, D & perseuerantiam ad laborandum attribuunt. Hæc tādem sunt,quæ nos saluāt, & idoneos Euāgelij ministros efficiunt. Nullus enim cum sola prædicatione,sine sui abnegatione, & diuinæ legis custodia, in cælum ingreditur.Quare Dominus, quibusdā stultis prædicatoribus, qui in nomine eius prophetarunt, dæmonia expulerunt,& virtutes multas fecerūt, dicet: Quia nūquā noui vos; discedite à me,qui operamini iniquitatē.] Nec decet immundos, & impuros sancta tractare, & per quādā simulatā hypochrisim ea,quæ nesciunt,ac si in omni virtute essēt instructi; compositis verbis edocere. Non igitur sunt ista ab Ecclesiæ ministris omittēda: imò summis conatibus amplectenda, nō quidem, vt opera vitæ mistæ pro- E pria,sed vt opera nostræ saluti,& perfectioni necessaria,sine quibus vita mista stare non potest.Et sicut scholasticæ Theologiæ professor(vt simile ab scholis petamus)naturalē, & moralem philosophiā: quam in iuuentute didicit,magna sedulitate retinet, & excidere à memoria nō sinit,quia sine illis naturalibus scientiis ruent multa fundamēta sublimioris doctrinæ,id autē non præstat,quatenus Theologus est,sed quà sapiens,doctusque Philosophus, qui Theologo famulatur, & ea, aut parat, aut seruat, quæ dominæ omniū scientiarū necessaria noscūtur:ita vitæ mistæ

Matth.7. 23.

sectator,operibus actiuæ vitæ diligenter vacat, non quà mistus est,sed quà prudens actiuus,qui in actionibus vitæ actiuæ versatur, sine quarū præsidio, nec diuinā legē implebit, nec suæ mentis puritatē custodiet,nec vitæ mistæ officia aptè strenueq; perficiet.

Opera ergo externa propria vitæ mistæ ea sunt, quæ ad salutem animarum curandam sunt instituta. Et quidē ista omnia iā suprà retulimus, sed pro exigētia huius loci,iterum leuiter attingemus, summatimque,nō tamen sine aliquo dignitatis ordine perstringemus.Primum opus est, eorum subditorū gubernatio,quos non ad aliquod bonū temporale, nec ad externam reipublicæ pacē conseruandam, sed ad veram virtutem,& ad omnem perfectionem,ac sanctitatē dirigimus.Et iure optimo inter opera externa vitæ mistæ, gubernatio animarum primam sedem occupat:siquidem, & ars artium à Beato Gregorio nuncupatur,& præcipua huius generis opera cōprehendit, & omnia tam maiora quàm minora dirigit, & proprium munus est celsissimorum Ecclesiæ virorum nimirum Episcoporum,atque pastorum, à quibus,vt sine proprio discrimine,& cum aliorum fructu illud præstent, non quæcumque charitas, sed perfecta Dei,& proximi dilectio requiritur.

Greg. 1. past. c. 1.

Secūdū opus est,sacræ Scripturæ & in vniuersum omnis sacræ scientiæ traditio: quā subtilissima persuasione sanctus Thomas Aquinas prædicationi,& aliis animarum ministeriis prætulit,quoniam ipsa ad alia ministeria,sicut architectus ad fabros, & lapicidas,& alios minores artifices cōparatur,& quia non vt cūque docet, sed prædicatores,& pastores facit Hanc vtilissimam functionem, sacræ Scripturæ Doctores,nec nō & Theologiæ Scholasticæ,ac sacrorū canonum præceptores exercent,cuius laborem, si cum assidua oratione, & humilitatis amore condirent,non parum in virtute proficerent.

D.Thom. quodl. 1. q. 7. ar. 14.

Tertium locum obtinet prædicatio,ad extirpanda vitia,& inserēdas virtutes,& animos promouendos instituta Ad quā præcipuè Apostolus Paulus se vocatum esse à Domino gloriatur, dicēs: Nō enim misit me Christus baptizare,sed euāgelizare.]Hæc autem fūctio,nō solùm peccatores ad virtutem cōuertit,cōuersos in officio cōtinet,& ad omnem promouet perfectionē;verū etiā hæreticos cōuincit, schismaticos Ecclesiæ copulat,& infideles in ouile Christi perducit.Quare optimè Clemēs Alexādrinus. eā scientiā Angelicam vocat,duobus modis proximos adiuuantē,siue per manū:siue per linguam operetur

1. Cor. 1. 17.

Cle. Al. 1. stro. in princip.

Quartum opus sit,omnium administratio sacramentorū,cuius ope sacri Pōtifices fidelium animos in suscepta fide stabiliunt,& ad eam publicè tuēdā. confitendāque corroborant,nec nō & ministros Ecclesiæ per sacrā ordinationem, & manuum impositionem constituunt. Cuius etiam auxilio presbyteri paruulos spiritualiter mundāt,adultos à peccatis expiant, expiatos supersubstantiali pane sustentant: aptos ad prolem copulant; & moribundos ad pugnam cū humani generis hoste ineundam inungūt, & ad iter in cælestem patriā peragendum cōfirmat Hanc autem administrationem, ideò prædicationi postponimus, quia licèt sacratissima sit, non tamen omni populo simul in cōmuni proponitur (qui modus proficiendi diuinissimus est) sed vnicuique personæ fidelium singulatim confertur.

Quintū est,adolescentiū eruditio,quia eos, tum virtute,tū literis ad sacram scientiā capessendā necessariis imbuimus.Opus apprimè vtile Ecclesiæ,summè necessariū,& ad cuiusque rei publicę salutem remedium præstantissimum Nam ex pueris,& adolescētibus benè studioseq;institutis,optimi ciues prudentissi

dentissimiq; magistratus prodibunt, qui & alios sapienter gubernent, ac florentissimam rempublicam constituant. Quod opus, vt religiosis dignissimum, Beatus Basilius primò; deinde Beatus Benedictus in suis cætibus sanctissimis admiserūt; & postea Dominicana familia: ac tãdē nostra societas amplexa sūt.

Basil. in reg. breu. ad interrog. 292. Gregor. 2. dial.

Huic operi succedat necesse est doctrinæ Christianæ propositio, qua pueros fidei rudimēta edocemus, & in mysteriis fidei, quæ ante aduentū Christi senibus erant ignota, pene lactentes, & necdum se ipsos scientes, erudimus. Hæc sunt illa quinq; verba, quæ Paulus magis vult in Ecclesia sensu suo loqui, vt alios instruat, quā decē millia verborū in lingua. Quinq; enim verba sunt fidei Christianæ rudimenta, quoniam intellectum instruant, voluntatem afficiūt, appetitum cohibēt, & corpus, & animā paruulorum suo creatori subiiciunt: & decē millibus verborum præferuntur, quia non decem millia tantùm verba, id est, aliquā particularem doctrinam, sed omnia gratiæ & gloriæ mysteria comprehendunt. Huic operi vacantes, exiguo quidem corā hominibus, sed verè magno in cōspectu Dei, cum imitamur, qui dixit: Sinite paruulos venire ad me.] Et sequentes Paulum, efficimur paruuli in medio fideliū, quasi si nutrix foueat filios suos,] Sapientiæq; ipsius opus amplectimur, ita clamãtis. Si quis est paruulus veniat ad me, & insipientibus locuta est. Venite, comedite panem meum, & bibite vinum, quod miscui vobis. Relinquite infantiā, & viuite, & ambulate per vias prudentiæ.] Cuius laboris, tum magnitudinem, tum vtilitatem, tum meritum (vt nunc alios omittam) ex eo libello Ioannis Gersonis de paruulis trahendis ad Christum, & ex eius clarissimi & grauissimi doctoris exemplo, quisque cognoscet.

1. Corint. 14. 19.

Matt. 19. 14. 1. Thess. 2. 7. Prou. 9. 4. &c.

Gerson. 2. part. de paruul. trah. ad Christū, consider. 4.

Accedit deinde proximorū particularis instructio. Nam & vitam mixtam agentes solēt doctorum sententiis in mediū productis mētes timoratas sedare, scripulos cōscientiis eximere, & in rebus agendis instruere, solent etiā ad altiora progressi eos, qui ad id muneris idonei sunt, à multitudine curarum separatos, & in locum à turbis remotū eductos, exercitationibus spiritualibus informare, & in ratione orãdi meditandiq; instituere. His, nō iam paruulorum lac, sed adultorū solidus panis offertur, qui se comedentes, robustiores efficit, & ad maiorem virtutis perfectionem extollit. Cuius panis distributio tanti momenti est, vt nō vitā peritura conseruet, sed vitam perpetuò mansurā efficiat. De quo etiā illud intelligi potest: Operamini, nō cibū, qui perit, sed qui permanet in vitā æternā.] Nam & hic panis, nos ad illū panem supersubstantialem accipiendum disponit, & mentis puritatem ad frequētem eius vsum attribuit.

Ioan. 6. 27.

Huic actioni proxima est afflictorum consolatio, quæ, sicut multæ sunt vitæ mortalis miseriæ: ita multas occasiones bene operandi suppeditat. Ad eam namq; pertinet vinctos, & custodia detentos consolari, ægrotos, tum diuites in propriis domibus, tum pauperes in xenodochiis, visitare; discordes, & dissidentes componere, odia pullulantia restringere; moribundos roborare: & breuiter, omnibus miseris, & calamitosis opem afferre. Quibus operibus illud Ecclesiastici implebimus: Non desis plorantibus in consolatione; & cum lugentibus ambula. Non te pigeat visitare infirmum; ex iis enim in dilectione firmaberis.] Et rursus illud Pauli. Debemus autem nos firmiores imbecillitates infirmorum sustinere, & nō nobis placere.] Hæc autem implentes, præmium misericordium, scilicet, largam a Domino misericordiam, & donorum abundantiam consequemur.

Eccles. 7. 38. & 39.

Rom. 15. 1.

Postremò tandē loco colloquia sancta proponimus, quæ, aut de fœditate vitiorum, aut de virtutis pulchritudine, aut de sacramentorum frequētia, aut de alia quauis materia animæ audientis vtili cū aliis religiosis, aut cum sæcularibus instituuntur. Quorū tanta solet esse, tum vtilitas, tum ad persuadendum efficacia, vt & audientes à cœno peccatorum extrahant, & ad bonam vitam traducant, atque ipsum loquentem interdum doceant, & in desiderio maioris perfectionis accendant. Sunt enim verba Dei velut doctrina à sapientissimo præceptore, per os cuiusdā discipuli omnibus in communi proposita, qua non tantùm audientes discunt, verùm etiam ipse discipulus ex scripto dictãs, & loquens, instruitur: Ita Deus per aliquem loquens, & reliquos, qui audiunt, & ipsum etiam loquentem ad sanctitatem permouet.

Hæc autē colloquia, vt fructuosa sint, tribus conditionibus debent ornari. Altera, vt tantùm fine proficiendi aliis, & lucrandi eorum animas admittãtur. Quod Ecclesiasticus disertis verbis, in hunc modum admonuit. Cū viro irreligioso tracta de sanctitate.] vt scilicet illum ad sanctitatem pertrahas. Et cū iniusto de iustitia,] vt eū iustitiā doceas: Et cum muliere de ea, quæ æmulatur,] vt audiēs te virtutes eius prædicantem, illam non odiat. Cum timido, de bello,] vt animetur, & pericula imminentia non timeat: Cùm negotiatore, de traiectione,] vt bonas merces, & vtiles emptoribus asportet. Cū emptore, de vēditione,] ne pretium præter æquitatem adaugeat: Cum viro liuido, de gratiis agendis,] ne de bonis aliorū tristetur: Cum impio, de pietate; & cum inhonesto, de honestate,] vt ista vitia fugiant, & contrarias virtutes amplectãtur: Cum operario agrario, de omni opere,] ne ab hero ad aliud opus dimissus impatiens sit, & impositū onus superbe detrectet: Cum operario annuali, de consummatione anni,] in quo cùm mercedē sit accepturus, æquuū est, vt diligēter laboret: Cū seruo pigro, de multa operatione,] vt segnitiem & negligentiā abiiciat. Hi ergo ad colloquiū admittendi sunt, quò ipsos emendemus, & ad virtutes alliciamus; non verò, vt ipsorum praua consilia sequamur.

Eccl. 37. 12.

Altera est, vt materia cōuersationis nostræ proposito fini congruat, quod habebit, si bona sit, & statui proximorum cōueniens, & à nostra professione non abhorrens. Vnde Hugo Victorinus meritò ait: Quid à nobis dicendū sit, hac generali distinctione discerni, vt videlicet nūquā in sermonibus disciplinatis otiosa adhibeãtur.] Explicans autem, quæ sint ista otiosa à sermonib9 nostris remouēda, subiūgit: Otiosa autē sūt omnia, quæ sūt, aut nociua, aut inhonesta, aut inutilia. Inutilia sūt, quæ nec loquentibus, nec audientibus prosūt. Inhonesta sūt, quæ vel illius qui loquitur, vel illius, cui loquitur, vel illi9, de quo loquitur, dignitati nō cōueniūt. Nociua sūt, quæ suis suasionibus animas auditorū, siue ad errorē, siue ad prauitatē inducunt.] Tunc ergo colloquiis nostris alios ad bonum inuitabimus, cū proficua audientibus, congrua statui virorum spiritualiū, & virtutem, ac veritatem declarantia, loquemur.

Hugo in instit. nouitior. ca. 14.

Tertia est, vt conuersatio cū aliis, quàm moderatissima sit atque breuissima: Tum ne alia ministeria maioris vtilitatis impediat; tū, ne tempora orationi & lectioni destinata surripiat; tùm ne in otiosa (quod facillimū est) & inutilia, ac sæcularia diffluat; tum deniquc, vt nostræ circumspectionis exemplo, aliorū nimietatē cohibeamus, qui putãt se vtiliter tempus impēdere omnibus diei horis, cū proximis cōuersando, & de rebus, aut bonis, aut non malis colloquēdo. Certū est autē eos errare, qui cū possint vtilioribus ministeriis intēdere, hoc infimo, & multis periculis distractionis exposito ministerio delectantur, & cum aliorum etiam offensione,

in eo,

in eo, pluſquã oportet, diſtinentur. Hæc opera externa, quæ diximus, magnæ orationi coniuncta, & puriſſimę contẽplationi, & aliis internis exercitiis copulata, vitam Apoſtolicam efficiunt, & veſtem animæ non minùs pulchram quàm pretioſam cõtexũt.

Ad quos pertineat vita miſta.

CAPVT XXXIX.

VITA iſta, cuius hactenus decorem oſtendimus, cuius neceſſitatẽ, naturã, finẽ, actuſq; deſcripſimus, eorum eſt ſine dubio, qui in cœnobiis ad prǽlationẽ euecti ſubditos religioſos ſibi commiſſos gubernant; & eorum, qui aut iuſtitiæ, aut charitatis lege deuincti ſalutem animarũ curãt; & legem diuinã docendo, prædicando, peccata expiando, & alia miniſteria ſuprà commemorata exercendo, denũciant. Quod & ex dictis manifeſtè colligitur, & ex iſtorum munere poteſt breuiter, ac manifeſtè deduci. Nam officium prælati, eſt officium mediatoris, qui ea, quæ Dei ſunt, & ea quæ ad homines pertinẽt, inter Deum, & homines ſtatuat, & quid ab vtraque parte (vt ita dicam) præſtandum ſit, fideliter, amicabiliterq; cõdonat. Hoc nomẽ vſurpauit Moſes princeps populi electus, cũ ad genus Iſraël ſibi ſubiectũ, in hũc modum loquutus eſt. *Deuter. 5. 5.* Ego ſequeſter, & medius fui inter Deũ, & vos in tẽpore illo, vt annũciarẽ vobis verba eius.] Mediator autẽ cum his tractet, neceſſe eſt, quorũ partes agit, quorum negotia diſponit, quorum animos ad pacem & concordiã reducit. Quamobrẽ prǽlati miniſteriũ, illud habet propriũ, vt quæ ſubditorũ ſunt, apud Deũ faciat, quod oratione, & cõtẽplatione perficitur; & quæ Dei ſũt, apud homines agat, quod ſollicitudine, & actione cõpletur: Vnde ex his duobus, actione, & cõtẽplatione, tota eius vita debet eſſe cõpoſitã. Huius doctrinę ſanè veriſſimæ Bonauentura ſit egregius aſſertor, ita ſcribẽs. *Bonauen. tract. de ſex aliis ſeraph. c. 8.* Eſt enim Prǽlatus mediator inter Deũ, & ſubditos. & ſicut negotiũ Dei gerit apud illos docendo, corrigẽdo, ſurſum agendo; ita etiã negotia eorũ ſtudeat apud Deum fideliter promouere, placando gratiam impetrando; & conſeruando à malo.] Vita ergo prǽlati, ſiue paſtoris ex actione, & cõtemplatione cõſtat. Quare Dominus, cùm primùm Ioſue, in locum Moyſi, principẽ & ducẽ ſuæ plebi præfecit, iſtorum duorũ ei curã iniũxit; *Ioſua. 1. 6.* Actionẽ quidẽ, dũ ait: Cõfortare, & eſto robuſtus, tu enim ſorte diuides populo huic terrã, pro qua iuraui patribus ſuis, vt traderẽ eã illis.] Contẽplationem verò, cùm poſt pauca ſubiũgit: *Ibidem. 8.* Non recedat volumen legis huius ab ore tuo, ſed meditaberis in eo diebus, ac noctibus, vt cuſtodias, & facias omnia, quæ ſcripta ſunt in eo.] Nec non, & huius ſanctæ viciſſitudinis fructũ exponit, adiiciens: Tunc diriges viã tuã, & intelliges eam.] Ecce optimè delineatã ſolliciti vitã paſtoris: Nã hunc fortiſsimũ principẽ prælatorũ fuiſſe typum, Ruffinus manifeſte teſtatur. *Ruffinus expoſit. in ſymbolum.* Auſes Naue filius (inquit) cùm electus eſſet dux populi; cõmutato nomine Auſe, Ieſus cognominatus eſt, quò oſtẽderetur hoc eſſe nomẽ, quod principibus, & ducibus conueniret, qui ſalutẽ ſequẽtib⁹ ſe populis darent. Sit itaque prælatus, tã perfectionis ouium ſollicitus, vt corrigẽdo, & docendo, & alia neceſſaria obeundo, inter illos terrã viuẽtium diſtribuat, & in ſortẽ electis promiſſã, lætos & victoriam canentes, introducat: Sit etiã tam ſuæ, & aliorum ſalutis auidus, vt legis diuinæ aſsiduam meditationẽ nõ deſerat, qua, & ſeipſum paſcat, & paruulis ſibi ſubiectis viã terræ aut cœli promiſsi demõſtret. Tunc omnia prudẽter aget. & vitam ſuam ex actione meditationeque contextam, ſapienter inſtituet.

Munus verò miniſtri animarũ eſt profectò munus Angeli, ſiue nũtij, qui Dei internis aurib⁹ verba percipit, & audita ad homines perfert. Hoc nomine Malachias virũ, ad hoc præſtãtiſſimũ officiũ euectũ nobilitat. *Mala. 2. 7.* Labia enim ſacerdotis cuſtodiẽt ſcientiam, & legẽ requirẽt ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum eſt.] Quo loco Hieronymus, *Hier. in 2. Malach. 2. Exod. 30.* Angelus, id eſt, nuncius, ſacerdos Dei veriſſimè dicitur, quia Dei, & hominũ ſequeſter eſt, eiuſq; ad populũ nũciat volũtatẽ, & idcirco in ſacerdotis pectore rationale eſt, & in rationali doctrina & veritas ponitur, vt diſcamus, ſacerdotẽ doctũ eſſe debere, & præconẽ Dominicæ veritatis.] Angeli autẽ, ſiue nũcij, hoc eſt miniſteriũ, vt ad dominũ ſuũ mittẽdus accedat, ab eo, quę nũciaturus ſit, audiat: quibus rationibus eis, ad quos mittitur, ſit perſuaſurus, addiſcat, quæ præmia obediẽtib⁹ promittet, & quas pœnas nõ obedientibus denũciabit, intelligat. Quæ omnia Euãgelij miniſter, orãdo, meditãdo, gemẽdo, & lacrymas profũdendo cognoſcet. Nã ſi mittentis Domini volũtatem aſsidua meditatione non audiat. & diuina myſteria, quæ eſt ore explicaturus, oculis mẽtis non videat, illa Ezechielis ſentẽtia ridebitur, *Ezech. 3.* Væ Prophetis inſipiẽtibus, qui ſequũtur ſpiritũ ſuũ, & nihil vident.] Et rurſus. *Ibidem* Vident vana, & diuinant mendaciũ, dicentes; ait Dominus, cùm Dominus nõ miſerit eos.] An nõ ſpiritũ ſuũ ſequitur, qui à libris vanis, atq; prophanis, quæ fideli populo dicturus eſt, petit, & ſacra volumina, ac cõmentationes ſanctorũ patrum omni veneratione digniſsimas prætermittit? An nõ cæcus eſt, qui nũquã iuſtitiæ ſolem illuminãdus inquirit, ſed tenebris rerum mũdanarum obuoluitur? An non vanitatem & mendaciũ videt, qui vera loquẽs, falſa diligit; & inania, atque inutilia ſectatur? Sed talis eſt Domini nũtius ad eum iugiter per orationẽ nõ veniẽs, & vera à falſis, vtilia ab inutilib⁹ aſsidua meditatione nõ diſcernẽs. Sicut autẽ ad Angelũ iſtũ pertinet annũciãda à Domino aure cordis percipere; ita ad eũdẽ ſpectat audita & intellecta nunciare. Quare ſpeculatori domus Iſrael audiẽti verbũ de ore Domini, dicit ipſemet Dominus, qui illũ edocuit. *Ezech. 18.* Si dicẽte me ad impiũ, morte morieris, nõ annũciaueris ei, neq; locutus fueris, vt auertatur à via ſua impia, & viuat, ipſe impius in iniquitate ſua morietur, ſãguinẽ autẽ eius de manu tua requirã.] Annũciare autẽ populis, quę Domin⁹ dicẽda, & prædicãda præcipit, nõ cõtẽplationis actibus, ſed actionis fũctionibus annumeratur, atq; adeò tota iſti⁹ cæleſtis hominis, aut terreſtris Angeli vita, ex cõtẽplatione & actione apparet compoſita. Qui ergo ſæculo mortu⁹, Deo verò per inſtitutũ religioſum viuẽs, tantã iã eſt virtutẽ adeptus, vt poſſit, nõ ſibi tãtùm, ſed etiã proximorũ ſaluti prodeſſe, velut alter Abraham pater multarum gẽtium effectus in ſpelunca duplici coniugem ſuam, hoc eſt, animam ſuam, non cum mærore, ſed cum gaudio ſepeliat. Spelunca duplex (auctore Gregorio) *Greg. mor.* vita actiua, ſimul, & contemplatiua eſt, quarum illa nos prauis operibus mortuos tegit, iſta verò defunctos curis & ſollicitudinib⁹ ſepelit. Hoc igitur ſepulchrũ glorioſum ſibi eligit, qui ſaluti proximorũ cõſulens, tãquam prudẽs operarius, propriã ſalutẽ nõ ſpernit. Vnde idẽ Beatiſſimus Pater Gregorius ait: *Greg. ibidem.* Perfectus quiſq; prędicator, extinctã à præſentis vitæ deſideriis animã ſuã, ſub bonæ operationis tegmine, & contẽplationis abſcõdit, vt à carnali cõcupiſcẽtia, ſub actiua contẽplatiuaq; vita, quaſi inſenſibilis lateat, quæ prius mũdi deſideria ſẽtiẽs, mortaliter viuebat.] Duplicẽ profectò ſpelũcã, in qua vxor Abrãhæ ſepulta eſt, myſticè declarat, quã quælibet anima prędicatoris, filios Deo pariẽs, cũ ingẽti exultatione frequẽtat. *Ibidem* In ea namq; Chriſti Saluatoris vitã imitatur, de quo

ibidem

ibidem subditur. Hinc est, quod humani generis Redēptor, per diem miracula in vrbibus exhibet, & ad orationis studiū in nocte pernoctat, vt perfectis videlicet Prædicatoribus innuat, quatenus, nec actiuā vitā amore speculationis funditus deserant, nec cōtemplationis gaudia penitus operationis nimietate contemnant, sed quieti cōtemplantes sorbeāt, quod occupati erga proximos loquentes refundant.] Quis autem non exultet, Christi primi Pastoris ac summi, Prædicatoris vitam sequens, & Dei sui viuēdi rationem, quā in terris egit, exercens. Itaq; certum est, tā religionū Prælatos quàm religiosos ipsos, animarū ministros vitā ex contēplatione, actioneq; cōpositā, elegisse, quā debēt, nō solùm status nomine, & obligatione præferre, sed opere etiā & labore præstare.

Quales autem, tam Prælatos, quàm Euangelij administratores religio concupiscat, quales etiā sancta Ecclesia desideret, haud quaquā possumus breui sermone cōprehendere. Sunt enim quàm plurima, tum Prælatis, tū operariis necessaria suorū ministeriorū documēta, quæ valde incōmodum esset, imò & valde difficile vnius capituli angustia cōcludere. Quare tā hos quàm illos postremū huius operis volumen in vltima sui parte, dapibus nō insulsis, excipiet. Interim tamen vnū vtriusq; documētum proponimus, quod opere custoditū admodū illis proderit, vt vberes fructus ex proximis colligant, & se ipsos ad magnā perfectionem extollāt. Illud autē est huiusmodi. Ita dies inter actionē, & cōtemplationem diuidant; ita etiam ipsam actionē, cōtēplationémque; disponāt, vt actio cōtemplationem iuuet, & contēplatio actionē ipsā perficiat. Hoc nō esse impossibile, imò facillimū, tum quotidianū experimentū ostendit, eorum, qui & oratione ad laborandū incitātur, & laboribus ad orandū feruentiores inueniūtur; tū similia ex ipsa natura petita, & nulli nō obuia apertè demōstrāt. Anima enim & corpus, ita sūt cōtēperata, vt anima corp⁹ vegetet moueat, augeat, sanū, incolume, robustū, & pulchrū reddat, & corpus opē fert animæ, vt sētiat, appetat, & multas sibi operationes iocūdas eliciat. Labor quietē perficit, ne nimis protecta molesta sit, & salutē à moderata exercitatione pendentem eneruet, & minuat: quies verò laborē roborat, ne immoderatas existēs, vires naturales cōficiat, & nullo otio interruptus lassitudini atq; lāguori succumbat. Alimentorū admissio ieiuniū sustinet, & ipsum per multū tēporis spaciū, imò per totā vitā integrū indisruptumq; conseruat, & ieiuniū cibi sūptionē salubrē reddit. Sic ergo actū cōtēplationis animā quietē & cibū suauissimū cogita, & curā actionis corpus, laborē & inediā existima: & fac vt anima ista cōtemplationis suū corpus viuificet, quies ista laborē cōfirmet, cibus iste abstinētiam sustineat, atq; è cōtrario corpus actionis animam sanctæ orationis foueat, labor operis quietem in feruore cōseruet, & inedia sollicitudinis cibū mētis, magis desideratū dulciorem, & suauiorē efficiat.

Hac de causa Dominus in sacrificio vaccæ rufæ cedrū, hyssopū, & coccū bis tinctū offerri, & cōburi præcepit, vt hoc mutuū adiumētū, quod sibi præstāt actio, & cōtēplatio, figuratū videamus. Etenim vacca rufa, carnē nostrā significat, illecebris, & peccatis extinctā, ac Domino per vitā religiosam consecratā, cuius oblationi cedr⁹ adiūgitur, arbor alta, atq; procera, cùm perseuerātiā in virtute tenemus, hyssopus herbula modica adiicitur, cùm humilitatē, & nostræ fragilitatis diffidentiam amplectimur, & coccus bis tinctus immittitur, cùm in nostræ charitatis affectibus, cōtemplationis ardorem, & actionis feruorē nō deserimus, sed ita hæc duo attemperamus, vt contēplatio actionem dirigat, & actio velut aqua fornaci

Num. 19. 2.

A aspersa cōtēplationē accēdat. Sic fere Gregorius detexit huius sacræ historię mysteriū, cuius hęc est oratio. Sed bis tinctus coccus offerri pręcipitur, vt videlicet ante interni iudicis oculos, charitas nostra, Dei & proximi dilectione coloretur, quatenus conuersa mēs, nec sic pro amore Dei quietem diligat, vt curā proximi, vtilitatémque postponat; nec sic pro amore proximi occupationi inseruiat, vt quietē fūditus deserēs, ignē in se superni amoris extinguat. Quisquis ergo semetipsū Deo iā sacrificiū obtulit, si perfecta desiderat, curet necesse est, vt nō solū ad operationis se latitudinē, verùm etiam ad culmina contēplationis extendat.] Optimè quidem. Tāta est namq; huius duplicis occupationis vtilitas, vt neq; pro vnius dulcedine sit alterius fructus seponendus, nec pro istius

Gregor. 6. mor. c. 17.

B fructu, sit illius suauitas deserenda; quin potiùs talis modus in vtraq; quærendus, vt cōtemplatio nos ad actionē excitet, & actio ad cōtemplationem inflammet. Nobis ergo, qui curā proximorū instigāte charitate suscepimus, maxime illud Saluatoris dictū existimo. Attendite vobis, ne fortè grauētur corda vestra in crapula & ebrietate, & curis huius vitæ.] Nā quātumuis cibis corporalibus abstineamus, crapulę tamē & ebrietatis onere premimur, si aut amore doctrinæ, aut cōtemplationis suauitate capti, fratrum salutē obliuiscimur, & eorū liberationem, & cōuersionē spernimus. Cuius spiritualis ebrietatis, & crapulæ, tātò est malitia nocētior, quantò & oculis imperfectorū occultior, & potiorib⁹ mēbris iniquior, si enim cibi, ac potus mensuram non serues, corpus

Luc. 21. 34.

C tuū læsisti, & eius mēbra noxiis humoribus prægrauasti; quod malum solent medicamenta curare, aut lōga inedia ei remediū adhibere. At si hac spirituali crapula oneratus, & cōsiderationis suauitate detentus, muneri tuo nō satisfacias, & ea, ad quæ propria vocatione ligaris, prætermittas, animę tuæ non modicum affers detrimētum, & Ecclesiæ membra, quibus adiutor, magister, & medicus datus es, spirituali sanitate dispolias. Atque è cōtra, quantumuis sęculi curas abiecerimus sollicitudinibus tamen sæcularibus aggrauamur, si immoderatè & imprudēter curę animarum vacātes, perfectionem nostram postmittimus, & in studio orationis intepescimus. Quæ etiā curarū distractio est, suo modo perniciosior, quò latentiùs, tum nobis, tum proximis nostris tollit desi-

D deratæ perfectionis cōpendia. Nam sæcularium curarum nimietatē quis religiosus non horreat? Quis sanæ mētis nō timeat? At imprudentem animarum sollicitudinem, quæ vsque ad obliuionem sui ipsorum procedit, multi non timēt, imò fraternam charitatem vocant, & zelum proximorum existimant. Sed lōgè sit, à nobis ista charitas simulata, vel (vt meliùs dicā) ista stultitia operimēto charitatis cōtecta: Lōgè sit à nobis iste zelus insipiēs (vel vt clariùs loquar) ista detestatio cellæ, vestimēto zeli circūsepta. Absit à viris Apostolicis occupationū etiā bonarū, & vtiliū nimietas, quę eos à cōsueta oratione remouēs, & ab amore lectionis & silētij seiūgēs, tepidos facit,

E atq; distractos, nec sibi bonos, nec proximis efficaces. Cu⁹ immoderatis curis immersi, & vndis sollicitudinū suffocati, vitā religiosā exuūt, & animū sæcularem, distractū, curiosum, suiipsius amatorem, & ambitiosū induūt. Impletúrq; in illis, quod dicit Oseas: Et erit sicut populus, sic sacerdos.] Nā qui populum ad suæ sanctitatis imitationem trahere debuissent, multitudinis impetu abrepti, ad vitia sæculariū trahuntur, sæcularia cogitant, sæcularia loquuntur, sæcularia diligunt, & mores insipientium imitantur.

Osee 4. 9.

Hæ itaq; duæ sorores Martha, & Maria, tā arctam cognationem seruantes, ita se mutuò diligant, ita se

iuuent, vt nec Martha Mariæ quietem turbet, nec Maria Marthæ sãctos labores interpellet. Quomodo autem id fiet, ex vita fratrum meorum addiscés, & quod in illis nõ semel animaduerti, conscribens, conabor breuiter explicare. Tũc cõtemplatio actionem iuuat, cùm non solùm ad nostrum profectũ dirigitur, sed per quamdam sequelã ad vsum proximorum ordinatur. Cùm videlicet quis ad mẽtis exercitationes collectus, non tantùm pro seipso, sed etiam pro fratribus suis in spirituali necessitate cõstitutis, instãter orat; & ex his, quæ cogitat, nõ sola suæ perfectionis desideria, verùm affectus quoq; conuersionis proximorum elicere curat. Sic Paulus orabat, sic secũ solus interdũ manebat, vt ministris animarum daret accommodatæ orationis exẽplum. Testis mihi est De⁹ (ait) cui seruio in spiritu meo, in Euãgelio Filij eius, quod sine intermissione memoriam vestri facio sẽper in orationibus meis.] Et alio loco: Gratias ago Deo meo in omni memoria vestri semper, in cũctis orationibus meis cũ gaudio pro omnibus vobis deprecationẽ faciẽs super cõmunicatione vestra in Euangelio Christi à prima die vsque nunc. Et rursus explicans quem fructum ex cõtẽplatione decerperet: Siue mẽte (inquit) excedimus, Deo; siue sobrij sumus, vobis: charitas Christi vrget nos; æstimãtes hoc, quoniam si vnus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sũt, & pro omnibus mortuus est Christus, vt & qui viuunt, iam non sibi viuãt, sed ei qui pro ipsis mortuus est.] Ac si dixisset, Cùm à rebus humanis abstracti in extasim rapimur, & cum iterũ sublimes illas theorias relinquentes, ad humana redim⁹, & ad vestras infirmitates descẽdimus, hoc totum Christi charitas efficit, impellẽs nos, vt vestram vtilitatem quæramus, & nequaquã solis nobismetipsis natos esse putemus. Nã cùm à sensibus alienati, cõtemplamur Christum mortuum fuisse pro omnibus nobis, non tãtùm ardentissimo eius amore succendimur, verùm nostrã quoq; vitam contemnimus, ac nos ipsos (quod ad nostram cõmoditatem attinet) reputamus mortuos, vt vobis viuamus, & vestrã cõuersionem, & salutem curemus. Christus nãmq; dux vitæ nostrę, ad hoc pro aliis, scilicet pro omnibus hominibus mortuus est, vt nos ad suã imitationẽ impellat. Quam impẽsè cupientes, non nobis ipsis, sed fratribus nostris viuemus; qua ratione vitã nostram cõsecrabimus ei, qui vita suam hominibus donauit, siquidem pro ipsis mortuus est. Vide, quo pacto Sanctus Apostolus ex contemplatione Dei, nõ suorum commodorum desiderium, non laboris odium, non hominum iniquorum tædium, nõ (quod optimũ est) suæ solius animæ profectũ eliciebat, sed sitim proficiẽdi, & sibi, & aliis (quod melius est optimo) ac desideria laborãdi pro animab⁹ proximorũ cõparabat.

Rom. 1. 9. — Phil. 1. 3. — 2. Cor. 5. 13. & 14

Ita igitur orent, & cõtemplentur, necesse est, religiosi, ad salutẽ aliorum vocati, vt eis cõtemplatio sit actionis & laboris adiumentũ. Si fœditatẽ peccatorũ cogitant, dolorem ac detestationẽ non tantùm suorum peccatorum sed etiam alienorum concipiũt, & propria, lachrymis cõtritione, & voluntaria castigatione delere, & aliena sacramentorũ administratione, & verbi Dei prędicatione disperdere statuũt. Atq; vnusquisq; eorũ Domino dicat. Quòd in me fuerit Domine, nõ habitabit in medio domus tuę, qui facit superbiã, qui loquitur iniqua, nõ diriget in cõspectu oculorum meorum. In matutino interficiam omnes peccatores terræ, vt disperdã de ciuitate tua omnes operãtes iniquitatẽ.] Si sæculi miserias expẽdunt, & se eas effugisse lætẽtur, & aliis ad fugiendũ & declinãdum opẽ se daturos proponãt. Eruã eos, ô Creator meus, qui ducũtur ad mortẽ, & qui trahuntur ad interitum, liberare non cessabo.] Si vitam Christi cõsiderant, & seipsos ad imitandum inflammẽt, & alios ad eãdem imitationem, & ad Saluatoris amorem se pertracturos esse decernant. Meminerintq; Pauli dicentis: Si qua ergo in Christo noua creatura facti sumus, vetera trãsierunt, ecce facta sunt omnia noua.] Omnia (inquam) innouata sunt ex Deo Patre, qui nõ tantùm recõciliauit nos sibi per Christũ, sed & dedit nobis ministeriũ recõciliationis, vt alios recõciliare, & innouare curemus. Si Dei immẽsa beneficia animo voluant, & pro illis ingentes gratias agãt. & hoc acceptissimum.] Deo gratitudinis signum intelligãt, si animas, iniquitate perditas, ei recuperatas restituãt. Quare tantorum donorum commemoratione, quasi lautissimo cõuiuio saginati, dicãt Domino, quod effatus est Abner, Dauidis mensa & cõuiuio honoratus. Surgam, vt cõgregem, ad te Dominũ meum regem omnem Israel, & ineam tecũ fœdus, & imperes omnibus, sicut desiderat anima tua.] Si diuinas perfectiones, sapientiã, bonitatem, potentiam, & reliquas cõtemplantur, earum participationem sibi cupiãt, & quod sibi ex illis fuerit prærogatũ in proximos effũdere exoptent. Est enim in hoc eadem istarum perfectionum, lucisq; natura, vt sicut minimè lux alterius lucis productione minuitur, & ipsi, cuius est lucet (vt dixit Ennius) cùm alteri accenderit, ita diuinæ perfectionis mutatio non perditur cùm aliis via imitandi monstratur, sed stabiliùs, & perfectiùs possidetur. Si diuinã pietatẽ exorãt, sibi ipsis conducibilia esse igitent, & vniuerso orbi, ac omnibus tã fidelibus, quam infidelib⁹ cælestis gratiæ donũ exposcãt. In quo memores erũt illius cõsilij Apostolici: Obsecro fieri orationes pro omnibus hominibus, pro regibus, & omnibus, qui in sublimitate sunt, vt quietã, & trãquillã vitã agamus. Et tãdem, sicut prægnãs, aut ea mulier, quæ lactat infantulum, non sibi soli cibũ, & potũ accipit, sed etiã illi, quẽ in vtero gestat, aut dulcissimo lacte sustẽtat, ita hi, qui filios spirituales parturiunt, donec formetur Christus in illis, & tenerum lac illis nec dũ ad escã sufficiẽtibus præbẽt, nõ sibi solis, sed illis quoq; orationis panẽ, & cõtemplationis cibum mãducãt. Sic in ipsa oratione vires ad bene agẽdum cõfirmant, non tædiũ, sed amorẽ erga vtiles occupationes augmẽtant, atq; in secreto cõtẽplationis non parũ agũt, dum spirituales eleemosynas, & illis satis copiosas proximis subministrant. Hoc enim Richardus Victorinus satis perspicuè indicat, dicẽs. Præclarũ genus misericordiæ est delinquentes deflere, pœnitentibus indulgere, aliena delicta propriis lachrymis delere. In his misericordiæ operib. nos exercere debem⁹, qui exteriores diuitias nõ debemus.] Ex quo huius orationis, tum præstantia, tũ vtilitas manifestè conspicitur, quæ tranquillitatẽ, suauitatẽ, dulcedinẽ, & altitudinẽ habẽs, magnis meritis actionis nõ caret.

Psal. 100. 7. — Prov. 24. 11. — 2. Cor. 5. 17. — 2. Reg. 3. 21. — 1. Tim. 2. 1. — Richar. de cons. contemp. c. 38.

Sed quo pacto actio cõtemplationem iuuabit? Ita sanè, si nõ sæcularis, sed religiosa sit, hominibus spiritualibus cõgrua, & religioso instituto accõmodata. Nã actio sæcularis, est velut caligo quædã dẽsissima, quæ internos oculos mentis excæcat, ne aut seipsã, aut ea, quæ infra, aut quę supra se sũt, aspicere per cõtẽplationẽ queat. Atq; adeò si mũdus iterũ cũ anima religiosa fœdus inire voluerit, & ad suas ineptas occupationes pertrahere, illud Nehemiæ sibi suadẽti respõdeat. Opus grãde est, & nõ possum descẽdere, ne fortè negligatur, cùm venero, & descendero, ad vos. Opus quidẽ magnũ, imò, & omniũ maximũ est, Deo per orationẽ vacare, & proximis per religiosas actiones intẽdere, & nequaquã licet vtrinsq; meritũ pro curis sæcularib. periculo exponere, quibus distẽti, nec nobis in oratione, nec proximis in actione sufficim⁹.

1. Esdra 6. 4.

Deinde

Deinde, si actio non ad vitandam silentij, & cellæ molestiam, sed pro diuina tantùm gloria, & animarū remedio sumatur. Qui enim lectionē & orationem fugiens, silentium, & cellam declinans ad quærēdas animas (vt ipse dicit) in publicū prodit, & suæ perfectionis oblitus, huc illucq; discurrit, certè animas a peccatis nō liberat, sed se ipsum multis imperfectionibus, & sanctæ orationis impeditionibus ligat. Nā qui hac occasione fugiendi silentium, & cellam ad quærendos proximos exit sæpè, Deo permittente, nō spiritualia ministeria, sed vana colloquia, & inutiles occupationes reperit, quarum memoriā mens cogitationeq; distracta, diuinam lucem ad contemplandum, feruorem ad orādum, & teneritatem affectus ad Deum diligēdum, amittit. Quare enitendum est, ne natura fragilis ad loquendum, & ad conuersandum procliuis, sed diuina gratia ad quærendam Dei gloriam, ac animarum vtilitatem prona, nos ad deserendam cellam, & occupationem admittendam impellat. Ita fiet, vt solūmodo eas actiones suscipiamus, quæ & proximis prosint, & spiritum orationis, ac sanctæ cōtemplationis desideriū non extinguant.

Præterea, si ita actionis curam moderemur, vt nec minor sit quàm necessitas exigit, neq; ita immoderata, vt mentē obduret, & à quiete orationis, ac tranquillitate diuellat: sine cura námque præstantissimis animarum ministeriis intendere, magnum tum nostris conscientiis, tum ipsis animabus reportabit dānum, & cum nimia sollicitudine, & immoderata anxietate eadem ministeria peragere, ingens contemplationi afferret detrimētum. Quod tunc vitabimus, cùm illud sacerdotibus, & Leuitis per os Ezechielis datum præceptum opere implebimus. Caput suum non radent, neq; comam nutrient, sed tondentes, attondent capita sua.] Caput enim non radimus, cùm ministerij nostri curas nequaquam abiicimus, & comam non nutrimus, cùm eas non plus æquo mentē nostram pulsare permittimus. Sed libet verba sancti Gregorij, hoc documentum explicātia, subscribere, Sacerdotes (inquit) iure vocati sunt, qui vt sacrū ducatum præbeant, fidelibus præsunt. Capilli verò in capite, exteriores sunt cogitationes in mente, qui dum super cerebrum insensibiliter oriūtur, curas vitæ præsentis exprimunt, quæ ex sensu negligēti, quia importunè aliquādo prodeunt, quasi nobis non sentiētibus procedunt. Quia igitur cuncti, qui præsunt, habere quidem sollicitudines exteriores debent, nec tamen vehementer eis incumbere, Sacerdotes rectè & caput prohibentur radere, & comam nutrire, vt cogitationes carnis de vita subditorum nec à se funditus amputent, nec rursum ad recrescendum nimis relaxent. Vbi, & bene dicitur, tondentes tōdeant capita sua,] vt videlicet curæ tēporalis, sollicitudinis, & quantùm necesse est prouideant, & tamen resecentur citiùs, ne immoderatiùs excrescant.]

Ezech. 44.20.

Greg. 2. p. past. c. 7. in fine.

Tandem si nō solùm immoderatam actionem vitamus, verùm etiam in ipso exercitio operis, mentis quietem, silentiumque internum tenemus, & ita aut lingua loquitur, aut pedes ambulāt, aut manus operantur, vt mens, quantum potest, trāquilla sit, & vultui conditoris assistat. Hoc profectò (vt idem Beatus Pater Gregorius affirmat) debent magno conatu sectari, qui cælestem patriā diligunt, & pro solo amore Dei se actionibus externis subiiciunt. Cumq; occupationes (inquit) extrinsecùs perstrepunt, intrinsecùs in amore pacatissima quies tenetur, atq; occupationum tumultus exteriùs perstrepētis dispensat, interiùs præsidēs iudex ratio, & tranquillo moderamine, ea, quæ circa se minus sunt tranquilla, disponit. Sicut enim vigor mētis frænādis præest motibus car-

Greg. 18. mor. c. 25.

A nis, sic sæpe superimpositos tumultus occupationis bene regit amor quietis; quia exteriores curæ, si peruerso amore non appetuntur, non confuso, sed ordinato animo ministrari queunt.]

His actio proprietatibus ornata, moderaminibúsq; fulcita, orationem non impedit, sed mirum in modum excitat, & ad magnā perfectionem adducit. Nō est murus ingressum mētis ad contemplationē præcludens, sed scala ad conspectum Domini pacatissimum accēsum pandens. Qui sic orationem, & actionem exercēt, atque diuino amore compulsi, in vno, eodémq; vitæ instituto prudēter immiscent, mirabilem ex vtroque opere suauitatem, & vtilitatē percipient. Nam (vt optimè dixit Prosper, Regiensis Episcopus.) Quis nescit, quòd sicut otiosum studiū ineffabilem suauitatem sapientiæ cælestis infūdit, à carnalibus otioso; ita spiritualis occupatio laborum sāctorū multiplices afferat fructus, humanæ societatis, vtilitatibus occupato? In ipsis quoq; studiis spiritualibus, quātùm possint Ecclesiastici viri proficere, quis sufficienter enumeret: Cùm & inferiores docēdo se ipsos exerceant, & conferēdo cū æqualiter eruditis, cautiores in pluribus fiāt, & ab eruditiorib[us] audiēdo male sibi persuasa deponāt, recta firmius teneāt, occulta cognoscāt, & confirmēntur in eis, quorū dubiis fluctuabant.] Hos omnes fructus, tum suauitatis in orādo, tum perfectionis, circūspectionis, & maioris doctrinæ in agendo, reportant, qui oratione exteriorem actionem promouent, & actione exteriori studium orationis, & contemplationis perficiunt.

Prosp. lib. 3. de vita contempl. c. 29.

Quòd ex his tribus vitis spiritualibus actiua est prior, & imperfectior.

CAPVT XL.

IAM istas Dei charissimas filias, & instorū sponsas seorsū aspeximus, aspeximus & tantum decorem, tātam pulchritudinem, tam eximium splendorē mirati sumus: Nunc æquum est, vt simul, & veluti sub vno intuitu eas aspiciamus, vt faciem (ita enim nunc loquar) cum facie conferentes, quæ illarum nobilior, & formosior sit, agnoscamus, ac meditatione triplicis pulchritudinis oblectemur. Primò autem se nobis ostendat vita actiua, quæ veluti tenerrima quædam puella, & nec dum stimulos pudoris sentiens, hominum conspectum non fugit, & ab vniuersis iustis videri, imò & teneri, atque spirituali complexu stringi, nō timet. Hæc in nobis, ortu, & acquisitione prior est, & Solis calore fuscata & passionū immunditiis abstergendis intenta, si cum duabus sororibus conferatur, non est æquè pulchra, atque formosa. Est quidem generatione prior, quoniam (vt Thomas subtiliter disputat) ea, quæ nos ad comparandam aliquam perfectionem præparant, vt ad aliquam dignitatem accipiendā idoneos efficiūt, priora sunt tempore ea aut perfectione, aut dignitate, quam vt nostri conatus finem, & scopum aspicimus. Vita verò actiua est, quæ mentem à peccatis lauat, à vitiis purgat, ad immoderatione passionum liberat, morales virtutes inserit, cogitationum turbinem sopit, & omnia interiora pacat, ne diuinis allo quutionibus obstent, & studium contemplationis impediant. Hæc etiam est, quæ proprium amorem commoda nostra quærentem, mitigat; fraternam charitatem auget, misericordiā erga peccatores, & miseros excitat; sustinētiam, & cor inuictum ad molestias, & imbecillitates aliorum ferendas, attribuit, vt proximis nostris adiumento simus, & Ecclesiæ necessitatibus seruiam[us]. Vita igitur ista prius debet

D. Tho. 2. 2. 172. art. 1.

inquiri,& assidua exercitatione, iugique labore teneri,qua inoffenso pede,ad secreta contemplationis transeamus,& oneri animarum sustinendo,non impares simus.Quare verissimè dixit Gregorius. Duæ sunt Sanctorum Prædicatorum vitæ,actiua scilicet, & cõtemplatiua;sed actiua prior est tempore, quàm contemplatiua;quia ex bono opere tenditur ad cõtemplationem.]Nos autem boni operis nomine,ea bona opera intelligimus,quæ,& mentem nostram à malis operibus,& prauis affectibus mundant,& decore moralium virtutum exornant.Ex quorum studio,si ad cõtemplationem imus,etiam ad animarum ministeria properamus.Hęc enim,vt nõ semel diximus,& inferiùs latè confirmabimus,si perfectè omninò fieri debent, non tantùm illorũ bonorum operum præexercitationem exigunt,sed aliquem etiam orationis,& considerationis gustum requirũt. Actiua ergo vita contemplatiuam, & mistam præcedat necesse est,ex qua mens,tamquam ex infimo gradu, suo ordine,ad alios gradus scalæ cælestis ascendit.

Greg.lib. 3.in Ezechiel.c.1.

Hunc verò istarum vitarum ordinem Dominus in prima hominis conditione, haud obscurè monstrauit, dum eum in paradiso voluptatis constituit, non vt in illo quiesceret, & desidiosus maneret, sed vt operaretur, & custodiret illum.] Et dum dedit non contemplandi,sed abstinendi mandatum.Postea verò homini,iam mandato laborandi dispositio,& lege non comedẽdi præparato,soporem,hoc est)vt Hieronymus,& Procopius,& Rupertus volunt)extasim contemplationis immisit. Ac tandem ex latere dormientis,aut cõtemplantis costã eduxit,ex qua Euam vxorem,consortemq; vitæ formauit.Nam, quod in hoc homine vniuersorum parente, historicè factum est, mysticè in iustis animarum parentibus,spiritualitérque perficitur. Primò malis abstineant,nec cibum vetitum gustent;deinde dormiant, & in rerum cœlestium consideratione quiescant: tandem generent,& filios spirituales enutriant. Qui nec dum laborauit,nõ potest pacatè,suauitérq;dormire, & qui nec dum affectus inordinatos cohibuit, neq;se actibus virtutum exercuit,purè,& tranquillè cõtemplari non valet. Vnde Laurentius Iustinianus,ait: Quicumque ad arcem orationis,& cõtemplationis pulchritudinem attingere desiderant, priùs semetipsos in campo per exercitium operis probent, quàm ad quietem transeant,quatenus sciãt,an illata cõuitia à proximis æquanimiter portant, an oblatis temporalibus bonis mẽs lætitia soluitur,an sublatis vehementi dolore sauciantur; an cùm ad se introrsus redeunt,in eo quod spiritualia rimãtur,secum vmbras transeuntium rerũ ferunt, vel fortasse tractas à mẽte,manu discretionis abigũt. Quisquis hæc patitur, adhuc in actiuæ vitæ operibus non est purgatus,neque ad sanctæ orationis opus idoneus. Cẽset autem istum ad orationem nec dum idoneum,non quia ad orationis studium arripiendum expectanda sit omnium passionum perfecta mortificatio, & omnium virtutũ moraliũ acquisitio: sed quia quousque hæc plusquam mediocriter acquirantur,non solet communiter De⁹ animas magno dono orationis ornare, & ad perfectissimam contemplationem admittere. Qui etiam nec dũ dormiuit,virésq; labore fatigatas resumpsit,nõ potest filios vegetos,& sanos procreare;& qui nec dum orationis soporẽ accepit,ægrè poterit virtutes,quarum naturam diligenti consideratione nõ didicit,in alios effundere. Audi Bernardũ, quanta petat vitæ actiuæ opera,antequam ad prædicandum,& animas conuertendas accedas,audi quo pacto prius quietẽ orationis,& somnum cõtemplationis efflagitet.Sed iã audite(inquit)quæ, & quãta

Gen.2.15.

Laurent. Iust.in ligno vitæ tract.de orat.c.5.

Bern. ser. 18.in c.

A saluti propriæ necessaria sunt,quæ & quãta infundi oporteat,priùs quã effundere præsumamus, quæ tamen in præsentiarũ breuiter colligere potero.Accedit medicus ad vulneratum,spiritus ad animã,quam enim non reperiat gladio diaboli vulneratam,etiam post sanatũ vulnus antiqui delicti medicamento baptismatis?Ergo ad illam animã quæ dicit:Putruerũt, & corruptæ sunt cicatrices meæ, à facie insipientiæ meæ:]cũ accedit spiritus,quid primo opus est?vt tumor,vel vlcus,quod fortè supercreuit in vulnere, & potest impedire sanitatẽ,anteomnia amputetur.Abscindatur itaq; ferro acutæ compunctionis vlcus inueteratæ cõsuetudinis Sed est acerb⁹ dolor,leniatur proinde vnguento deuotionis,quod nõ est aliud nisi concepta de spe indulgentiæ exultatio. Hanc continendi

Psal. 37. 6.

B parit facultas,& victoria de peccato.Iam gratias agit,&dicit:Dirupisti vincula mea,tibi sacrificabo hostiam laudis.]Deinde apponitur medicamentũ pœnitẽtiæ,malagma ieiuniorum,vigiliarum,orationum,& si qua sunt alia pœnitẽtium exercitia. In labore cibãdus est cibo boni operis,ne deficiat.Quod opus sit cibus,inde doceris: Meus cibus est(inquit) vt faciã volũtatẽ Patris mei.Itaq; comitentur pœnitẽtiæ labores pietatis opera,quæ confortent.Magnã (ait)fiduciã præstat apud Altissimũ eleemosyna. Cibus sitim excitat,porãdus est.Accedat cibo boni operis orationis potus,cõponens in stomacho conscientiæ,quod bene gestum est,& cõmendans Deo. Orãdo bibitur vinũ lætificans cor hominis, vinum spiritus,quod inebriat,& carnalium voluptatum infũdit

Psal.115. 17.

Ioan. 4. 34.

Tob.4.12.

C obliuionem.Humectat interiora arentis cõscientiæ escas bonorũ actuum digerit, & deducit per quędã animæ membra,fidẽ roborans,spem confortans,vegetãs,ordinansq; charitatem,& impinguans mores Sumpto cibo,potuque quid iam restat,nisi vt pauset ægrotus,& quieti contẽplationis,post sudores actionis incumbat?Dormiens in contemplatione Deum somniat,per speculum siquidem,& in ænigmate, nõ autem facie ad faciẽ interim intuetur. Tamen sic,nõ tam spectati,quàm coniectati,idque raptim,& quasi sub quodam coruscamine scintillulæ trãseuntis tenuiter vix attacti inardescit amore,&ait:Anima mea desiderauit te in nocte,sed spiritu meo in præcordiis meis.]Talis amor zelat;hic decet amicum spõsi,hoc

Isa. 26.9.

D necesse est ardeat fidelis seruus,& prudens,quẽ constituit dominus super familiã suã.Hic replet,hic feruet,hic ebullit,hic iam securus effundit exundãs, & erumpens,ac dicens:Quis infirmatur, & ego nõ infirmor?Quis scandalizatur,& ego nõ vror?]prędicet, fructificet,innouet signa,immutet mirabilia, nõ est, quo se immisceat vanitas,vbi totum occupat charitas,siquidẽ plenitudo legis & cordis est charitas,] si tamen plena.Deus deniq; charitas est,]& nihil est in rebus,quod possit replere creaturam factam ad imaginẽ Dei,nisi charitas,Deus,qui solus maior est illa. Eã nondũ adeptus periculosissimè promouetur,quãtislibet aliis videatur pollere virtutibus. Si habuerit omnem scientiam, si dederit omnem substãtiã suam

2.Cor.11. 29.

Rom. 13. 10.

1.Ioan. 4. 8.& 16.

1.Cor.13. 2.& 3.

E pauperibus si tradiderit corpus suum, ita vt ardeat, absq; charitate vacuus est.]En quãta priùs infũdẽda sũt,vt effũdere audeamus,de plenitudine, nõ de penuria largiẽres.Primò quidẽ cõpũctio, deinde deuotio,tertiò pœnitẽtiæ labor,quartò pietatis opus,quintò orationis studiũ,sextò cõtẽplationis otiũ,septimò plenitudo dilectionis.]Hactenus Bernardus. Qui,vt valdè expertus,egregiè declarauit quãta vitæ actiuæ perfectio,& quãta vitæ cõtẽplatiuæ sublimitas quærẽda sit,priùs quàm ad docẽdos alios,& prædicãdum exeamus.Nescio quomodo volẽs mõstrare vitã actiuã esse priorẽ,simul vitã mistã esse posteriorẽ ostẽdi.

Nec

Nec mirum,quia inter id quod prius,& id quod posterius est,talis ordo reperitur, vt necessariò,si vnum probatum sit prius,liqueat reliquum esse posterius. Illud tamen nunc stabilitum maneat,vitam actiuam generatione priorem esse duabus aliis germanis sororibus, vita scilicet contemplatiua, & mista,siquidem eius munus est,mala vitæ carnalis tollere, vitia sæcularia extinguere, affectus humanos cohibere, mentem virtutibus decorare, & stabilire, vt Domino se in oratione conspiciendam exhibeat, & proximorum onus impositum,fortiter, perseueranterque sustineat.

Est quoque vita actiua minùs diues,quàm aliæ,licet magnis & copiosis bonorum spiritualium diuitiis abundet, quoniam eius merita minora sunt, si cum contemplationis meritis, aut cum animarum ministeriis conferantur. Gregorius quidem vitam actiuam contemplatiuæ comparans, ita ait:Cōtemplatiua maior est merito,quàm actiua, quia hæc in vsu præsentis operis laborat,illa verò sapore intimo venturam iam requiem degustat] Et rursus alio loco.Sed Marthæ cura non reprehenditur:Mariæ verò etiam laudatur,quia magna sunt actiuæ vitæ merita, sed contemplatiuæ potiora Et iure optimo sanè vitam in actione positam in merito contemplatiuæ supponit, quoniam eius opera à minoribus virtutibus progrediuntur., & minori perfectione decorantur.Vita enim actiua peccatis abstinet, passionibus imperat,virtutes morales nos ipsos perficientes, fortitudinem,temperantiamque custodit, opera misericordiæ,& iustitiæ atque prudentiæ ad alios homines,aut necessitatem patientes,aut suum ius vendicantes,aut gubernatione indigentes, exercet.Magna sunt hæc(quis dubitet?) & ingentia meritorum recondunt augmenta,sed vitæ contemplatiuæ opera maiori præmio digna censentur.Huius enim vitæ sunt opera religionis,qua Deum orationibus, precibus,votis,ac sacrificiis veneramur, & opera charitatis, qua Creatorem nostrum in contemplatione positi, ardentissimo amore complectimur. Harum autem duarū virtutum illa est inter omnes virtutes morales præstantior, hæc inter Theologicas excellentior. Sed audiamus Prosperum Rhegiensem Episcopum, opera vitæ actiuæ & contemplatiuæ inter se conferentem, vt inde pateat, quantùm ista illis merito & perfectione præstent. Ad actiuam (inquit) vitam pertinet inter humana proficere, & rebelles corporis motus,rationis imperio temperare:ad contemplatiuam supra humana desiderio perfectionis ascendere,& indesinenter augendis virtutibus incubare.Habet actiua profectum, contemplatiua fastigium.Hæc facit hominem sanctum, illa perfectum. Huius vitæ est nulli prorsus iniurias irrogare, illius irrogatas æquanimiter sustinere. Imò, vt proprius dicam, executor actiuæ studet in se peccāti dimittere,contemplatiuæ sectator, offensas, quibus pulsatur,nec omninò concutitur, & ignoscere magis paratus est, quàm donare. Iste iram patientiæ virtute compescit, immoderatis cupiditatibus parsimoniæ frænos imponit,tangitur desideriis carnalibus, nec cōsentit,pulsatur mundi huius curiositate, nec rapitur:quatitur diabolica impugnatione, nec vincitur: & Deo suo deuota mente subiectus,nō atteritur diuersis tentationibus, sed probatur. Ille omnes affectiones,quibus vita mortalium variatur,sanctis virtutibus vincit,cupiditatum ac perturbationum omnium liber,beata quiete perfruitur, & illecebris ac voluptatibus factus expedita mente superior,ineffabili gaudio diuinæ contemplationis afficitur. Iste suscipiendo peregrinum,vestiendo nudum, gubernando subiectum,redimēdo captiuum,tuendo violēter oppresū,iugiter se ab omnibus iniquitatibus suis emaculat,& vitam suam bonorum operum fructibus ditat: ille facultatibus suis in vsus pauperum distributis,simul se expoliauit mūdo, & admouit se totis viribus cælo, res mundi mundo proiecit,& se ipsum deuota mente Christo restituit,à quo immortales diuitias sibi dari orat,vt pauper:protegi se quotidie postulat,vt infirmus: immortalitatis indumēto vestiri cupit,vt nudus: defendi se ab impugnatione inuisibilium hostium supplicat, vt fragilitate carnis oppressus,cælestē patriam sibi dari desiderat, vt peregrinus.]Hucusque Prosper.Cuius verba,si attenta consideratione ponderemus, manifestè videbimus vitæ actiuæ opera minora esse merito iis,quibus cōtemplatiua vita cōtinērer insistit.Illa perfecta sunt, sed ista perfectiora,illa sancta,sed ista sanctiora; illa in domo Domini perficiūtur,hæc in domo secretissimo regis cōclaui executioni mandātur.Quare, sicut grata sunt regi opera seruorum suorum, qui regiam aulam mundant,ornant atque custodiunt; cibos parant, lectos sternunt,dati & expensi rationem habent, & omnia ad bonam gubernationem attinētia disponūt;sed multò gratiores sunt amicorum, & familiarium curæ,qui ipsum regem alloquuntur,cum ipso conuersātur,eius vultum intuētur,illique se fidelissimos socios,vitæ comites,& pauperum,ac miserorum intercessores exhibent:Ita multum quidem merētur actiui,qui cor suum, aulam vtique Christi regis ab omni labe perpurgant, virtutibus ornant, circumspectione custodiunt,qui exteriora administrant, & omnia, siue quæ ad vitia destruenda,siue quæ ad virtutes inserendas,siue quę ad proximos in temporalibus iuuandos pertinent, iustè, sanctéque constituunt;sed multò magis merentur cōtemplatiui, qui operibus istis actiuorum benè dispositis, & ad vmbilicum vsque perductis,Deum orant,Deum contemplantur,Deum diligūt,coram Deo pro peccatoribus intercedūt,eique tamquam amici fideles, tamquā aulici valdè familiares assistunt.Rectè ergo dixit Gregorius Naziāzenus:Quieta,& à negotiis semota viræ ratio,actuosæ vitæ splendore præstātior est.Actionis enim splendorem vincit, cōtemplationis lux actionem dirigēs,eique puritatem, & splendorem impertiens.Nam, si aliqua saltem consideratio actionem non præcedat, velut oculis carēs, casui & imperfectioni currit exposita.]

Quòd si vita actiua minora quàm contemplatiua lucra recondit, non dubium quin etiam minorem, quam vita mista mercedem acquirat.Nam hæc, & vitæ contemplatiuæ meritum habet,&charitate incitata dulcedinem quietis deserens, & ad proximos iuuandos opportuno tempore egrediens, priori lucro aliud valdè copiosum superadiicit.Quod lumen Ecclesiæ Thomas perspicuè docet,dicēs:fieri posse, vt aliquis plus mereatur in operibus vitæ actiuæ, quàm alius in actibus vitæ cōtemplatiuæ,si propter abundantiam diuini amoris,& vt diuina volūtas ad eius gloriā impleatur, interdum à dulcedine diuinæ cōtemplationis,ad tēpus aliqu sustineat. Hoc enim est;quod Paulus ad Romanos scribens,ait:Optabam ego ipse anathema esse àChristo pro fratrib⁹ meis.] Quòd si quæuis vitæ actiuæ actio hac ratione facta tanti meriti est,vt etiam contemplationem superet: quāti meriti erunt actiones Hierarchicæ ipsi cōtemplationi mistæ,ad quas nō monente aliquo fine abiecto,sed charitate instigāte,progredimur?næ igitur vitam actiuam puram superabunt, qua,aut castigamus corpora nostra, aut vitia nostra prosternimus, aut virtutes inferiores præstamus,aut corporalibus

Greg. ho. 3 in Ezechiel.

10. Mr. c. 18.

Prosp. l. de vita contempl. c. 2.

Nazian. Epist. 77. ad Olympium.

D. Tho. 2. 2 q. 182 art. 2. ad 1.

Rom. 9. 3

tantùm aliorum necessitatibus inseruimus. Est ergo vita actiua prior generatione, & tempore, quia minoris perfectionis, & meriti, vt sic paulatim, vt ordinatè procedētes in eo, quod perfectissimum est, finiamus, & in eo quod medium est, prosequamur; sed in infimo, & minoris perfectionis gradu humiliter inchoemus. Atque adeò omnes, qui itinera vitæ spiritualis peragunt; illius prouerbialis sententiæ memores: Substantia festinata minuetur; quæ autē paulatim colligitur manu, multiplicabitur.] nolint ex vita mundana ad perfectissimas statim actiones Ecclesiæ saltare, sed priùs per vitam actiuā dilecta sua purgent, & arcem cordis à vitiis tyrannicè possessam expugnēt; prius prauis affectibus imperent; corporis & sensuum desideria cohibeant, virtutes ad proprium decorē necessarias comparent; senioribus deferant; fratres in ministeriis temporalibus iuuēt; imbecillioribus & ægrotis inseruiant, se ipsos deiiciāt, & sub modio humilitatis abscondant: & sic à vitiis mūdati, mortificatione dolati, & virtutibus præparati, securè viā putissimæ contemplationis captabūt, & ad altissima ministeria animarum assurgent. Qui enim nō ita procedūt, post longum tempus in contemplatione, & Ecclesiasticis ministeriis emensum, impatientes, iracūdi, superbi, & aliis vitiis operti reperiuntur. Ac propterea nec vitam actiuam, nec contemplatiuam, nec ex vtroque mistam habēt, sed supra arenam molem ædificationis extruūt, ex quo nihil aliud potest sperari, nisi aut nullus profect⁹, aut certa, miserabilisque ruina.

Prou. 13. 11.

Quod vita contemplatiua est perfectior, & tempore posterior quàm actiua.

CAPVT XLI.

EXPLICATA superiori capite minori vitæ actiuæ perfectione, ac pulchritudine; nunc ratio diligēter inquirat, in quo maior vitæ contemplatiuæ perfectio, & pulchritudo consistat. Cuius rei non vnā, sed plurimas esse caussas, nō tantū sācti Ecclesiæ patres fidei, & sapientiæ supernaturalis splēdore illustrati, verùm etiā Aristoteles ipse fultus lumine naturali, cognouit Tanta est enim rationis vis, vt qui ratione ducuntur, & ad iudicandū de rebus, non sensibus permouentur ea, quæ secūdū rationem sunt, facilè sibi persuadeāt. Rationes ergo vtriusque scholæ, tam Philosophicæ, quàm Christianæ, hic in vnum congeramus, vt nobis elucescat, cuius dignitatē venamur, vitæ contēplatiuæ perfectio. Et primò certū est, eam vitam spiritualem esse præstantiorē, cuius perfectior est operatio, Deo gratior, ac nobis, qui huius mūdi vitā sectamur, vtilior. Hoc autem habent vitæ contēplatiuæ functiones, si cum actionibus vitæ actiuæ cōferātur. Sunt perfectiores, quia actus sunt nostræ intelligentiæ, & voluntatis, quibus, & diuinam naturam contemplamur, & eam ingēti charitatis amore prosequimur, & vitam illam cælestē imitamur, quæ est nostrorum laborum scopus, ac Dei ipsius, beata possessio. Quòd si illæ actiones sunt perfectiores (vniuersa Philosophia attestante) quæ versantur circa obiectum excellentius, non dubium, quin consideratio, & dilectio Dei, actiones exteriores superent, quibus, aut corporalibus, proximorum miseriis consulimus, aut nos ipsos in officio continemus. Verissimè igitur Gregorius oculo dextro vitam cōtemplatiuam assimilat. Duæ quippe vitæ (inquit) actiua videlicet, & cōtēplatiua, cùm conseruantur in mēte, quasi duo oculi habētur in facie. Dexter nāque oculus, vita cōtemplatiua est; sinister,

Arist. 10. Ethic. ca. 7. & 8.

Gregor. 6. moral. 17.

A actiua.] Rectè quidem. Nam si oculo dextro Deū, sinistro verò creaturas debemus aspicere, contēplatio oculus dexter est, siquidē ea Creatorē nostrū per lumina fidei, & sapientiæ conspicimus, & actio oculus sinister, qua nos ipsos ad virtutē redigimus, & fratres nostros in huius vitæ miseriis adiuuamus. Sunt etiā actiones vitæ cōtēplatiuæ Deo gratiores, quoniā aut actus charitatis sunt, aut actū charitatis cōprehēdūt. Ad hoc enim, aut mysteria vitæ, & passionis Christi, aut beneficia diuina, aut Dei nostri perfectiones, aut rem aliā cōtemplamur, vt mens nostra à se ipsa, & ab omnibus creatis resiliat, & in diuinū amorem, atque dulcissimum æterni sponsi cōplexū assurgat. Actus verò charitatis, nō solùm acceptior Deo est, sed etiā B alios morales actus imperans, & dirigens, facit acceptos, & sine charitate nihil Deo gratū, & acceptum inuenitur. Dicente Paulo: Si linguis hominū loquar, & Angelorū, charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans, aut cymbalū tinniens. Et si habuero prophetiam, & nouerim mysteria omnia, & omnem scientiam, & si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem nō habuero: nihil sum. Et si distribuero in cibos pauperū omnes facultates meas: & si tradidero corpus meum, ita vt ardeam, charitatem autem non habuero: nihil mihi prodest.] Charitas ergo est, quæ per seipsam Deo gratissima existens, reliquis operibus bonis ad Deū aditum pandit, & ad æternæ vitæ meritum ducit. Hanc verò ita contemplatio exercet, vt nō existimetur C contemplatio Christiana (quemadmodum Thomas ait) quam diuinus amor non incipit, & idem diuinus amor non terminat] Sunt tādem actiones vitæ contemplatiuæ nobis, imò, & suo modo, proximis vtiliores. Nobis quidē, quoniā ad peccata delēda, ad passiones cohibēdas, ad virtutes acquirēdas, ad sæculū, & omnē eius splendorem conculcandū, efficacissimum est orationis contemplationisq; remediū. Ex qua tamquam ex editissima specula, rerum labentiū vtilitatem aspicimus, & rerū æternarum dignitatem aduertimus, cuiusq; præsidio ab omnibus malis aufugimus, & vniuersas virtutes actibus internis exercemus, & ad earum exteriores actus, fortē animum, & robustum acquirimus, & diuinū impetramus au- D xilium. Proximis verò, quoniā contēplatio actiones dirigit proximorū gratia susceptas, ad perseuerādum in bonis operibus animat, eis prosperos euentus è throno Cōditoris reportat, & innumera obtinet gratiarū dona, quæ effundātur in proximos. Hāc contēplationis vtilitatē pulchrè Richardus de sancto Victore, his verbis subnotauit. Meritò (inquit) sponsus monet (de anima cōtemplatiua loquēs) ne suscitetur, eo quod bene circa proximorū salutē occupatur. Et bona quidē sollicitudo, & turbatio carnalis, sed melior, & sublimior circa plures occupatio, & cura spiritualis, vt pote tā Deo quā cælestibus ciuibus familiaris, & permanēs, & secura magis. Occupatio quidē exterior primò seruitus . . . , quia corporis etiā la- E bore perficitur. Interior sollicitudo, & oratio, sublimius atq; dignius officiū est Illa seruit dū ministeriū exhibet, hæc apud Deū meritis & familiaritate obtinet: messem esse multam Dominus dicit, & rogari se monet, vt in eā operarios mittat. Quod maximè perficere præualet anima perfecta, quę Deo familiaritate deuotionis adhæret, hæc modò Deo supplicat, vt in messem operarios mittat, modò, vt in hanc messis gratiā ad operandum vtiliter concedat: huius messis partem occupat actiuus exteriori ministerio, sed cōtemplatiuus totam messem occupat orationis auxilio.] Et post pauca. Optimā partē elegit Magdalena, quæ gratiam exercet cōtemplationis, & tamē occu-

1. Cor. 13. 1.

D. Tho. 2. 2. q. 180 art. 1.

Richar. in cant. c. 8.

A patur in parte sororis, vt etiam actiuæ vitæ præmio coronetur: in qua pari charitate per præmium mereretur. Martha in vno loco corpore laborat circa aliqua, Maria in multis locis charitate circa multa: in Dei enim cōtemplatione, & amore videt omnia, dilatatur ad omnia, comprehēdit, & complectitur omnia, ita vt in eius comparatione Martha sollicita dici possit circa pauca. Valde ergo hoc vnum est necessarium, & meritò præferendum, in quo, & Deo per amorem anima inhæret, & omnibus charitatē & sollicitudinē exhibet.] Si ergo actiones vitæ contēplatiuæ præstātiores sūt, relinquitur eā esse potiorē, quę meliora respicit, & excellentioribus obiectis intēdit.

Ex hoc autem principio secunda huius maioris B perfectionis causa desumitur. Nam vita contemplatiua competit homini, ex eo tantùm, quòd homo est, scilicet intellectus, & volūtatis particeps, & Dei notitiæ atq; amoris capax. At vita actiua conuenit homini, etiam ex eo quòd habet inferiores vires, nō sibi proprias, sed animalibus rationis expertibus, brutisq; cōmunes. His enim viribus, aut facultatibus, munus actionum exteriorum perficitur. Perfectior verò, & sublimior est illa operatio, quam homo communem cum Angelis habet, quàm sit illa, cuius vsu ad potētias corporales, & necessitatē corporum se demittit. Quare, sicut in republica excellētior est gubernatio, qua abiectus homo, sed studiosus, & prudēs solet ad quamdam participationem regiæ dignitatis extolli, & longè superat functiones communes, in quibus a-C lios inferioris notæ homines imitatur: ita præstantior est contemplatio, atq; sublimior, qua homo, veluti ad Angelicum munus, & cælestem quamdam dignitatē euehitur; humilior autem exterior operatio, cui insistens, non solùm natura: sed labore homo terrenus est, & cū aliis hominibus in sollicitudine, atq; occupatione communicat. De hoc, & similibus, secūdum Thomam, dictum est Homines, & iumenta saluabis, Domine.] Illos scilicet, qui vt simplicia quędā, & sancta iumenta Christum in suis membris calefaciunt, & filios Ecclesiæ suæ protectionē sustentāt, & bonis operibus iuuant. De contēplatiuis verò subiicitur. In lumine tuo videbimus lumen] Nam in lumine fidei, & sapientiæ in hac peregrinatione, lucē increatam diuinæ naturæ per speculum in ænigma-D te vident, quam in patria facie ad faciem sunt visuri, & eius gaudiis sempiternis fruituri.

D. Tho. 2. 2. q. 182. a. 1. Psal. 35.

Et si bonum, quò diuturnius, eò melius, hinc maior quoq; præstantia vitæ contemplatiuæ cognoscitur, quòd magis diuturna est; quàm actiua, & ex natura sua magis continua, atq; durabilis. Vita enim cōtēplatiua circa Deū & incorruptibilia versatur: actiua verò circa corruptibilia suas operationes exercet; vnde necesse est, ita cum corruptibilibus corrumpi, atq; transire, & illam cum incorruptibilibus durare, ac permanere. Quamobrem verissima sunt, quæ Gregorius scripsit. Actiua vita cum corpore deficit Quis enim in æterna patria panem esurienti porriget, vbi nemo esurit? Potū tribuat sitienti, vbi nemo sitit? Quis mortuum sepeliat, vbi nemo moritur? Cum præsenti ergo sæculo vita aufertur actiua. Cō-E tēplatiua autē hic incipitur, vt in cælesti patria perficiatur: quia amoris ignis, qui hic ardere inchoat, cū ipsum quē amat viderit, in amore ipsius amplius ignescit.] Et Augustinus breuiùs numeratis huius mundi miseriis, ait, In illo sæculo futuro non erunt ista mala, ergo nec ista ministeria. Sublatis itaq; paupertatis, ægritudinis, & mortis malis, opera ista bona tollenda sunt, sine quorum exercitio, actiua vita nequaquam potest subsistere.] Est etiam hæc vita laboriosa, quæ non solū mentem suis curis inquietat, ve-

Greg. hō. 14. in Ezech.

Aug. ser. 27. de verbis Domini.

rùm corpus quoque lassitudine, atque labore fatigat: Ideoque Lucas Martham sollicitam, turbatam, satagentem, & stantem inducit. At labor vacationem, & quietem requirit, nec perpetuo tēpore durare valet. Cōtemplatiua verò est vita tranquilla, quæ nullo labore corporali, sed in otio sancto. & purissima quiete exercetur: Quod Maria rerum terrenarum oblita, & sedens secus pedes Domini, & verba sapientiæ aure cordis excipiēs, manifestè designat. Quare diuturnior est, & secundū suam naturam durabilior. Quā diuturnitatem Dominus astruit, dicens: Actionem aliquando esse à nobis deferendam, & cōtemplationem numquam auferendam. Quod ita Cassianus intelligit, vt actio, quantùm ad substantiam & laborē tollenda sit, licèt eius præmium semper, mercésque permaneat: Contemplatio autem, non solùm quo ad præmium, quod in hac vita Deum considerando, & amando meruimus, sed etiam secundùm ipsum contemplationis opus est permansura, & in æterna vita duratura. Huius Patris verba sunt. Nec ergo dixi mercedem boni operis auferendam, dicente eodem Domino, Qui potum dederit vni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ tantùm in nomine discipuli, amē dico, vobis non perdet mercedem suam,] sed actionem dico, quam, vel necessitas corporalis, vel impugnatio carnis, seu mundi huius inæqualitas administrare exigit, auferendā. Nam lectionis instantia, vel ieiuniorum afflictio, ad emundationem cordis. & castigationem carnis (quæ si elata fuerit escarū nimietate, seu mentis incūria, confestim luxuria, atque libidinis aculeis duritatem cordis infestat) in præsenti tantummodo vtiliter exercentur, donec caro concupiscit aduersus spiritū. quæ nonnumquam ab his qui labore nimio, seu ægritudine corporis, senióve defessi sunt, etiam in præsenti videamus auferri, nec ab homine posse iugiter exerceri. Quantò magis ergo hęc in futuro cessabunt, cùm corruptibile hoc induerit incorruptionem] corpúsque istud quod nunc animale est, surrexerit spirituale, & cæperit caro nō esse iam talis. vt aduersus spiritum concupiscat.] Et post pauca de operibus misericordiæ. quibus proximos iuuamus, ita subiungit. Hæc etiam quæ dicitis, opera pietatis. ac misericordiæ, necessaria sūt, in hoc tempore. dū adhuc inæqualis diuersitas dominatur, quorū ne hic quidē expeteretur operatio, nisi inopum, indigentium, infirmorúmq; pars maxima redūdaret, quæ inæqualitate hominum facta est, eorū scilicet, qui omnibus in commune à Creatore cōcessa sunt, in suos tantùm occupant vsus, nec tamē vtēda tenuerint.] Hactenus Cassianus docuit, qua ratione vita actiua, quātùm ad actionem suam, debeat in cælesti patria cessare: Cōtemplatiua autem hic incipit & velut cibus externas occupationes sustētat. eis se tacitè, & prudēter immiscet, nobis proficiētib⁹ proficit, & crescentibus crescit. & dum mortem gustamus, & omnem actionē relinquimus, ipsa procedit, & crescit vsque ad perfectum diem, & in illa inaccessibili luce integra, illustris, perfectáque perdurat, Est ergo bonum hoc diuturnius, & eo ipso melius, quòd in contemplatione positum inuenitur.

Luce 10. 42.

Cassia. col. 1. cap. 10. Matt. 10. 42.

1. Cor. 15. 53. Galat. 5. 21.

Sed enim aliud huius vitæ tam diuturnæ perfectionem auget, quòd eximia quadā voluptate. & indicibili delectatione perfūditur. Homo enim suapte natura in eo delectatur, quod sibi maximè congruit, nihil verò æquè congruit mēti nostræ, ac cōtēplatio diuinorū, quæ est propria nostra operatio, qua bruta animātia superamus. & ab eorū vilitate secernimur. Et quis rem à se impensè amatam contemplādo. & amando non ingentem voluptatem percipiat? At contemplatio est, cuius auxilio Deū patrem, ipsū

sum,& omne bonum nostrum conspicimus, & sanctissimo eius amore calescimus;magnā igitur secū afferet voluptatē. Hinc sancti Ecclesiæ Patres nomina vitæ contemplatiuæ significantia voluptatem sæpe in suis scriptis attribuunt. Gregorius ait: Contēplatiua vita amabilis valde dulcedo est,quę super semet ipsam animam rapit,cælestia appetit, terrena autem debere esse contemptui ostendit, spiritualia mentis oculis patefacit,corporalia abscōdit.] Et ad hoc propositum illud canticorū applicat.Ego dormio,& cor meum vigilat] Nam, dum mens ad superna vigilat, & in tā noua consideratione rerum admirabiliū obstupescit,necesse est,vt rebus mundanis dormiat, & audiēdis sæculi vocibus obsurdescat.]Et Augustinus Martham alloquens dicit: A te autem,quod elegisti, auferetur;sed bono tuo auferetur,vt quod melius est detur.Auferetur enim à te labor,vt requies detur.Tu nauigas,illa in portu est.]Et suprà.Intenta erat Martha quomodo pasceret Dominū: intenta Maria,quomodo pasceretur à Domino. A Martha cōuiuiū Domino parabatur,in cuius conuiuio Maria iam iucundabatur.] Bernardus verò propria experiētia doctus, quid ait?Est locus(inquit)vbi quiescēs,& quietus cernitur Deus, locus omnimo non iudicis, nō magistri, sed sponsi, & qui mihi quidem(nam de aliis nescio) plane cubiculum sit,si quando in illud contigerit introduci, sed heu rara hora, & parua mora: Clarè ibi cognoscitur misericordia Domini ab æterno, & vsq; in æternum super timentes eū.] Et post multa.O verè quietis locus,& quem non immeritò cubiculi appellatione censuerim,in quo Deus, non quasi turbatus ira,nec velut distentus cura prospicitur; sed probatur voluntas eius in eo bona,& benè placens, & perfecta. Visio ista non terret,sed mulcet; inquietam curiositatem nō excitat,sed sedat;nec fatigat sensus, sed trāquillat; hic verè quiescitur. Trāquillus Deus, trāquillat omnia,& quietum aspicere,quiescere est.] At Laurentius Iustinianus, sic inquit. Meritò iucundior est(de vita autem contemplatiua loquitur)quia actiua vita habet sollicitum cursum: contemplatiua gaudium sempiternum. In hac acquiritur regnum, in illa percipitur: hæc facit pulsare bonorum operum , velut quibusdam manibus,ianuam; ista vocat consummandos in patriam:in hac contemnitur mūdus; in ista videbitur Deus.Sedebit (inquit Propheta,de contemplatiuis) populus meus in pulchritudine pacis,in tabernaculis fiduciæ, & in requie opulēta.] Hæc omnia sanctorum dicta, tot honorificis referta nominibus,quæ in vitam contemplatiuā quadrant, qualia sunt, dulcedo,raptus,somnus,requies, portus,conuiuium,locus quietis,sponsi cubiculū,visio mulcens , sedans, atque tranquillans , gaudium sempiternum, regni perceptio , ac notio Dei; Quid nisi incomparabiles diuitias,ineffabilem suauitatem, & supra omnem cogitationem nostram , ingentem mentis voluptatem ostendunt?

Greg. ho. 14. in Ezech.
Cāt.5.2.
Aug. ser. 27.de verbis Domini.
Bern. ser. 23. in cant.
Laur. in ligno vitæ tract. de orat. c.8.
Isaia.32. 18.

Huius etiam delectationis propria, quæ ex vita contēplatiua percipitur, magnū afferunt suæ perfectionis augmentū. Nam delectationes corporis immūdæ sunt,& quia nos sua immoderatione coinquinant,& quia sunt ex rebus vilibus abiectisque conceptæ;periculosæ sunt;quæ, & animæ solent officere,& corpus ipsum eneruant,atque debilitant; abiectæ sunt, quoniam non propriæ hominum aut spirituum,sed hominibus bestiisque cōmunes;nullius valoris sunt,quia omnibus peruiæ,& tāquam in platea expositæ, quas insipientes , stulti , vitiosis moribus corrupti,& denique omnes animantes, siue ratione participent,siue ratione careant,pro libito vsurpant. De hoc delectationū genere optimè dixit Bernardus.

Bern. ser. 4.in vigi. Natiuit.

A Vilis est,& ad nihilum vtilis huiusmodi cōsolatio,& (quod magis metuendum est)etiam veræ ac salubris consolationis est impedimentum.] At vitæ contemplatiuæ delectatio mundissima est,Nam & magnam munditiam præsupponit,quam vita actiua suis operibus acquisiuit,& minimarum imperfectionum adhuc manentem rubiginem,balneo diuini amoris abstergit,& cogitationes , atque affectus sæculares,ingredientibus cælestibus desideriis amandat, & Deo omnis puritatis auctori nos intellectu affectúque coniungit : qua, anima inebriata nonnumquā etiam vtilissimas occupationes fugit. Expoliaui me,dicens, tunica mea,quomodo induar illa? Laui pedes meos, quomodo inquinabo illos?]Quo loco Gregorius, animæ cōtemplatiuæ munditiam describens,ait. B Tunica sua sponsa se expoliauit, quia omnia exteriora, quibus honorabatur,& onerabatur,abiecit. De qua tunica dicitur Nunc autem qui habet tunicam,vendat eam,& emat gladium.]Quippe gladium vēdita tunica emit,qui pro æternis tēporalia abdicat, & in sancta conuersatione viuens,verbum prædicationis acquirit. De quo dicitur. Et gladium spiritus , quod est verbum Dei.]Pedes autem suos spōsa lauit, quia dum in sancto otio sancta anima viuit,opera sua studiosè ad memoriam reducit, & quidquid in eis sordidum examinando deprehendit , lacrymis quotidianis,& gemitibus plangit.Pedes itaque lauit, quia præterita opera,quibus per hunc mundum dissolutè C ambulauerat,plāxit.Pedes lauit,quia peccata abluēs lacrymis munda in conspectu dilecti sui apparere concupiuit.Hos pedes iterum inquinare metuit,quia valdè sollicita est, ne si in prælatione ponatur, per terrā ambulās,iterum suscipiat,quod dimisit.Idcirco ab otio inuita recedit, quia dum à marinis fluctibus aliena est,quasi in littore posita,securiùs viuit.]Vide ergo quanta est huius vitæ munditia, quæ ea timet charitatis ministeria , quibus Ecclesia filiorum suorum maculas tergit, ne ipsa leues maculas cōtrahat, dum alios à peccato purificat.Sed quid mirum,si exteriores occupationes timeat, quæ cogitationes etiā creaturarum abiecit? Nam illud profectò animabus cōtemplatiuis congruit. Comedetis vetustissima veterum,& vetera nouis superuenientibus proiicietis.] comedunt vetustissima veterum, quando ea cogitāt, D quæ statum innocentiæ sapiūt,& peccatum nesciūt, & vetera pro nouis proiiciunt,cùm sæculi cogitationes,& desideria pro contemplatione rerū cælestiū derelinquunt.Huius ergo vitæ delectatio purissima est,vbi anima,tamquàm in igne purgatur,& ac si in mundo non esset,cogitationibus,& affectibus,vniuersis rebus mundanis eximitur.

Cāt.5.3.
Greg. in cant.c.5.
Luca 22. 36.
Ep. 6. 17.
Leuit.26. 10.

Et eo ipso vitæ contēplatiuæ delectatio tuta est, atque secura,quòd mētem occupationibus temporalibus , & hominum consortio liberat,in quo vigent pericula,& tamquam in tutissima arce diuinæ familiaritatis constituit,vbi est vera suauisque tranquillitas.Frustra iacetur rete(vt inquit Salomō) ante oculos pennarorum] & in vanum Dæmon retia E tendit,in rebus terrenis ad capiēdos illos,qui omnia terrena contemnent,& ea memoria & affectu deserētes,ad sola cælestia & ęterna toto desiderio cordis anhelāt.Vt enim ait Beda:Facilè laqueos,qui in terra tenduntur,cauet,qui pennis virtutum subuectus, conuersationem habet in cælis.] Nec mirum sane, quòd veri contemplatiui non capiantur,aut diuitiarū amore, aut appetitu dominandi,aut carnis illecebris,cùm videāt in se quotidie possessionem virtutū amicorum Dei dignitatem verissimā,& puras,ac illibatas voluptates.Sicut enim,qui cibis vescūtur pretiosis,& delicatis,porros,& allia,& similia alimēta

Prou. 1. 17.
Beda in Prou.ad cap.1.

refugiunt;

r efugiunt; ita, qui spirituales voluptates experitur, nullo negotio fœdas carnis voluptates spernet.

Est etiam contemplationis delectatio in primis illustris,atque sublimis,quia similis est voluptatibus ac deliciis patriæ cælestis,quas Beati, ex Dei amore, & visione percipiunt. Regnum quippe Dei non est esca, & potus, sed iustitia , & pax , & gaudium in Spiritu sancto;] (m. 14.) & hoc idem , licet non eodem modo, est contemplationis gaudium,quod non esca,& potus efficit,sed perfecta iustitia, pacis abũdantia & Spiritus sãcti inhabitatio producit. In cælesti patria videbimus Deum,videndo possidebimus, possidẽdo amabimus, amando fruemur , fruendo laudabimus. (l. 83.) Quia beati , qui habitant in domo tua Domine(vt psalmista concinit) in sæcula sæculorũ laudabũt te.] Et similiter vitam contemplatiuam habentes, & in opere contemplationis se occupantes,Deum,oculis fidei,& sapientiæ conspiciunt.conspiciendo vtcumque tenent,prout in ista mortali vita conceditur; tenendo diligunt, diligendo gaudent,& gaudendo ingenti spiritus exultatione perfusi,laudibus,& gratiarum actione concelebrant. Verè illustris, ac nobilis sanctæ contemplationis voluptas,quàm non carnis infamis contactus affert, sed ex spirituali vnione ad Deum,& ex notitia tantorum bonorum assurgit.

Est tandem hæc delectatio valde pretiosa,quia rara est,nec omnibus etiam iustis,& Dei amicis cõcessa. Semper rara in pretio habita sunt, quantus ergo erit huius purissimæ voluptatis valor,cuius haustum Deus post multas lachrymas, post ingentes gemitus post plures annos mortificationis, & sanctorum laborum concedit? Non omnes Iusti, imò neque omnes,qui orationi & contemplationi vacant, cellã ingrediuntur vinariam,& ad sponsi cubiculum admittuntur: sed licèt interdũ suauitatẽ aliquam experiantur, longè tamẽ est ab illis deliciarum cælestiũ spiritualis ebrietas. In cuius signum,atq; figurã(considerante Gregorio) (Greg. lib. 6. in E. zech. hom. 6.) arca illa humani generis,animaliũq; custodia, inferiùs lata describitur, & in cubito consũmatur Quia multi sunt fideliũ superbi, auari, raptores,& aliis vitiis peccatisq; fœdati, quos quia Ecclesia tolerat, & ratione fidei mẽbra mystica agnoscit,in latitudine arcæ habitãt,& in Ecclesiæ gremio cõmorãtur. Alij verò,qui modestiã amant,aliena non rapiunt,iniurias æquanimiter tolerãt, & diuina mãdata custodiunt: sine vlla cõparatione pauciores sũt, atq; adeò,vbi illi vitã agũt,maior arcæ inuenitur angustia. At qui ita possessa relinquãt , & terrena fastidiãt,inimicos diligãt,carnẽ domẽt,& affectus spiritu,& ratione cohibeãt, vt pennis cõtemplationis ad cælestia subleuentur,& spiritus deliciis laciẽtur,sunt certè paucissimi. Quare meritò Ecclesiæ arca, quæ trecentis cubitis cæpit,in vno cubitu consummatur. Nã tã paucis habitatoribus, qui instar Angelorum, in terris viuunt,vnus cubitus,& hic in suprema parte positus quietæ habitationi præfigitur.Si ergo hæc spiritualis voluptas,quæ vsq; ad ebrietatẽ procedat, tam rara est,non erit mirabile, si tam sit desiderabilis, atque pretiosa. De qua illud Iob, (b. 28. 5.) non inconuenienter intelligo. Non dabitur aurum obrizum pro ea,nec appendetur argẽtum in commutatione eius: Non conferetur tinctis Indiæ coloribus, nec lapidi Sardonicho pretiosissimo , vel Sapphiro. Non adæquabitur ei aurum,vel vitrum,nec commutabuntur pro ea vasa auri:excelsa,& eminentia non memorabuntur in comparatione eius.] Et iure optimo hæc, quæ de sapientia dicta sunt,huic voluptati adaptantur, quæ & à sapientia emanat,& sobrios,atque sapientes facit, & stultos sæculo ad veram sapientiam extollit.

A Demum(vt alias vitæ contemplatiuæ perfectiones,nõ tam explicemus,quàm breuiter prælibemus) Hæc vita est magis sibi sufficiens , quia ad vnitatem Dei propiùs accedens , paucioribus indiget. Vnde cũ Martha circa plurima turbatur, Maria in vno solo,quod infinitis partib.illa plurima superabat quietem,& iocunditatem inuenit Et propter se ipsam amabilis,cùm tamen labores vitæ actiuæ,aut propter instantem necessitatem,aut propter assequendã trãquillitatem diligantur. Et hoc dominus subnotauit, (Lucæ 10. 42.) dicẽs,vnum esse necessarium,]scilicet intellectu, & affectu adhærere Deo , propter quod reliqua admittenda sunt,& si hoc impediãt,repudiãda. Et sanctus (Psal. 26. 4.) Dauid:Vnam(inquit) petij à Domino,hanc requirã, B vt inhabitẽ in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ.Hãc autem rem petendo,quæ est ad Deũ pura insolubilisque coniunctio,vniuersa alia vitæ actiuæ ministeria postulabat, quorum præsidio illud vnum tamquam finem assequimur.Est,non in motu,& sollicitudine,sed in quadam quiete,& vacatione consistens.Sicut enim actiuis dicitur?Discurre, festina,suscita amicum tuum,ne dederis somnum oculis tuis, (Prou. 6. 4.) nec dormitent palpebræ tuæ,] ita cõtemplatiuis inculcatur: vacate , & videte,quoniam suauis est Dominus. Et sanctus Ephrem, apertè fatetur,vitam in quiete positam per Mariã fuisse signatam.Hæc.Maria(inquit)quietis exemplar extitit,sedẽns secus pedes (Psal. 45.) C Iesu,ipsique soli adhærens: quare,& eam laudauit Dominus dicens: Maria optimã partem elegit, (Ephrem de patien. & c. summat. facul. ad finem.) quæ non auferetur ab ea.] Cernis,frater, qualis sit mentis tranquillitas,ac quies, cuius possessorem,& ipse laudat Dominus.Hanc,mi frater possìde,& delectaberis in Domino tuo, ad pedes eius sedẽs, ipsique soli vacans, atque adhærens,vt confidenter dicere queas, & tu : (Lucæ 10. 42.) Adhæsit anima mea post te, me suscepit dextera tua.]Si autem vacatio motione potior est,quia hæc propter illam, expetitur, non dubium,quin vita contemplatiua sit,quàm actiua perfectior Est etiam vita contemplatiua secundũ diuina;actiua verò secũdùm humana. Vnde Augustinus. In principio erat verbum.] Ecce quod Maria audiebat.] Verbũ caro factum est.] Ecce cui Martha mi- D nistrabat.] (Psal. 62. 9.) Diuina autem humanis præferẽda sũt,& in primo,& præcipuo loco collocanda. Est denique ista vita Domini ore laudata, & actiuæ prælata, quod sanè,vel vnũ sufficit, vt eã præstãtiorẽ censeamus Maria)dicit ipsa veritas,quæ falli nõ potest)id est,vita cõtemplatrix,optimam partem elegit,quæ non auferetur ab ea.]Non tu malam,ô Martha (inquit Augustinus)sed illa meliorem Sed vnde meliorem?Quia tu circa multa;illa circa vnum. Præponitur vnum multis:Nõ enim à multis vnum,sed multa ab vno.] (Aug. ser. 27. de verbis dom.) Et Ioannes Cassianus, hunc eundem locum copiosè tractans. Videtis(ait) principale bonũ in theoria sola,idest,in contemplatione diuina Dominum posuisse.Vnde cæteras virtutes,licet necessarias,& vtiles pronunciemus,secundo tamen gra- E du censendas esse decernimus: (Aug. ibid.) Quia vniuersæ hui' vnius parantur obtentu.Dicẽs enim Dominus:sollicita es,& turbaris erga plurima: paucis verò opus est,aut etiam vno] (Cassi. col. 1. c. 8.) summum bonum,non in actuali,quamuis laudabili opere , & multis fructibus abundanti:sed in diuina contemplatione , quæ verè simplex,& vna est,collocauit:paucis opus esse pronuncians ad perfectam beatitudinem, id est , illam theoriam,quæ priùs in paucorum seruatur consideratione sanctorum ; ad quorum contemplationem conscendens is , qui adhuc in profectu positus est, ad illud quoque,quod dicitur vnum, id est,Dei solius intuitum,ipso adiuuante perueniret,vt scilicet

etiam Sanctorum actus, ac ministeria mirifica supergressus, solius Dei iam pulchritudine, scientiáque pascatur.] Dominus ergo loquens, & vitam contemplatricem actiuæ præferens, nullum ambigendi locum reliquit, quin stabile, & fixum habeamus, harum duarum partium contemplatiuam esse meliorem, quæ nos à multitudine abstrahit, in qua turbatio est, & vni scilicet Deo, in quo est summa tráquillitas, principio nostro, finique coniungit.

Cùm ergo vita contemplatiua perfectior sit, atque præstantior, non statim à quoquam, (vt diximus) arripienda est: sed post vitam actiuam excolenda, & amplexanda. Nam animus studiosa actione paratus, vitiis ac prauis affectionibus emundatus, virtutibus excultus, & ad amorem quietis & tranquillitatis affectus, non temerariè, nec præsumptuosè diuinis mysteriis considerandis, & diligendis se ingerit, & mirificè consideratione, & amore cælestium, interiorem auget puritatem. Qui autem absque huiusmodi præparatione, & mentis emundatione in adyta sanctorum arcanorum irrumpit, tantùm abest, vt in vita contemplatiua proficiat, quòd potiùs, vt superbus, & arrogans, non sine Domini indignatione, foras eiicietur, & cæcitate, ac duritie mentis, tamquam suæ temeritatis pœna mulctabitur.

Quòd vita mista est duabus aliis dignitate prior.

CAPVT XXXXII.

MAGNA est quidem vitæ contéplatiuæ perfectio, quam tam eximię proprietates illustrant: sed non est maxima corũ graduum vitæ spiritualis, ad quos vir religiosus potest ascendere; Cùm maior sit vitæ, mistæ præstantia, atque sublimitas. Cuius splendorem volentes aperire, non, vt inaniter efferamur, sed vt strenuè laborantes, secundum nostram vocationem viuamus; iam in ipso orationis principio succumbimus, & eius status magnitudiné explicare erubescimus, cuius numero tantùm, non merito fuimus hactenus professores: Nisi tu Domine, paruulorum Pater, atque insipientium Doctor, nostrã erubescentiam, submoueas, ex vitæ propriæ tepiditate cóceptam, & calamum, quem reatus conscientiæ ligat, aliquantula obliuione assiduæ tepiditatis meæ, & recordatione misericordiæ tuæ, ac dulcedine tuæ benignitatis expedias. Sed ne stylus cum timore & cunctatione procedat, illud in primis nosse oportet, cùm dicimus vitam mistam esse contemplatiua potiorem, nos Christum minimè habere cótrarium, perspicuè proclamantem, Mariam typũ vtique vitæ contemplatiuæ, meliorem partẽ, aut potiùs, (vt habẽt Latina exemplaria) optimam, elegisse. Nã (vt doctè notauit Cardinalis Thomas Caietanus) Marthæ & Mariæ comparatio, partis cum parte, id est, vitæ actiuæ, & contéplatiuæ, comparatio est, nó vitæ contemplatiuæ cum toto, id est, cum vita Apostolica, & mista, collatio. Huius enim Christus in hoc colloquio cum sororibus habito, nullam mentionem fecit quia non erat necessarium. Martha quippe operibus hospitalitatis sollicita, atque turbata, typũ vitæ actiuæ purè gerebat, & Maria secus pedes Domini quieta sedens, vitæ contéplatiuæ partes agebat. Harum autem duarum partiũ Maria optimam partẽ elegit; sed ista parte optima multò melius est totum, id est, integra, & perfecta vita Apostolica contéplationem colens, & perfectissimã actionem, atq; omninò spiritualem exercens. Saluator ergo noster vitam contemplatiuam, comparatione actiuæ optimã vocans, actiuæ prætulit: sed vitæ mistæ amplioris perfectionis priuilegium non ademit.

Caiet. in Luc. 10. & 21. 181 ar. 1.

Et sanè tantùm abest, vt in hoc dicto quo vitam mistam contemplatiuæ præferimus, Dominum habeamus aduersarium, quòd potiùs cum exéplo suæ vitæ sanctissimæ, & spiritu veritatis, quo Ecclesiæ patres afflauit, habemus huius doctrinæ, quã astruimus, fidelissimũ ducem, atq; patronum. Sancti enim patres manifestè in hac sententia sunt, vt cótemplatiuæ mistam, & vtrumq; opus comprehendenté, anteponãt: quorum aliquos non grauabor in medium adducere. Horum primus sit Hieronymus, illam solùm omnino perfectũ existimans, qui vtrumq; opus Marthæ atque Mariæ in vnam eandémque viuendi rationem nouerit copulare. Is, (ait) verè, & non ex parte perfectus est, qui, & in erêmo squalorem solitudinis, & in cœnobio infirmitates fratrum æquali magnanimitate sustẽtat. Et ideo in vtraq; professione per omnia consummatum inuenire difficile est: quia nec anachoreta contemptum, ac priuationem materialium rerum, nec cœnobita theoriã ad integrum potest assequi puritatem. Similia prorsus habet Cassianus, qui difficultaté huius instituti declarans, non adeò putat esse difficile, vt inter solitarios illos priscos defuerint qui illud plenè fuerint consequuti. Nam de Mose, Paphuntio, atque duobus Machariis, hæc statim subdit. Qui ita erant in vtraque professione perfecti, vt cùm, vltra omnes erêmi accolas secedentes, insatiabiliter secreto solitudinis pascerentur, quantúmq; in ipsis erat, nequaquam inquirerent humana consortia: tamen ita frequentiã ac fragilitatem ad se concurrentium sustinebant, vt cùm ad eos visitationis, vel profectus gratia, innumera fratrum multitudo conflueret, tam iugem penè susceptionis inquietudinem immobili patiẽtia tolerantes, nihil aliud, vel didicisse, vel exercuisse omni vitæ suæ tempore crederentur, quàm, vt communibus tantùm aduenientium officiis deseruirent.] Atque ex his duobus patribus solùm habemus illã omnimodam secessionem, qua puri contemplatiui omnia humana deserunt, & sibi solis in perpetua quadã tranquillitate consulunt, non esse vitam Ecclesiæ (si rerum naturã inspiciamus) vsquequaq; perfectã: sed illã potiùs, quæ actioni, & contemplationi vacat: & vt proximis etiam sit vtilis, simul cum perfecta cótemplatione, curam etiã rerũ humanarũ, aut potiùs diuinarum ad proximos pertinentium amplectitur.

Hier. in reg. [illegible]

Cassia. [illegible]

Sed multò clariùs & euidentiùs loquitur Augustinus, statum clericalé monachorum professioni præferens; in quo & vitam mistam (quæ clericorum est, vt suprà diximus, præsertim regularium) vitæ monachorum, id est, contemplatiuæ præponit. Vnde in epistola ad Aurelium, quoddam vulgarium & insipientium dictum deplorans, quòd malus monachus bonus clericus est, hæc sãctissimus Pater verba subiecit. Nimis dolendum, si ad tam ruinosam superbiam monachos surrigamus, & tam graui cótumelia clericos dignos putemus, in quorum numero sumus, cùm aliquãdo etiam bonus monachus vix bonum clericum faciat, si adsit ei sufficiens cótinẽtia, & tamen desit instructio necessaria, aut personæ regularis integritas. Et rursus in alia epistola ad Valeriũ. Cogitet religiosa prudẽtia tua, nihil esse in hac vita, & maximè hoc tempore, difficilius, laboriosius, periculosius Episcopi, aut presbyteri, aut diaconi officio, sed apud Deũ nihil beatius, si eo modo militetur, quo noster Imperator iubet. Ex his certè locis, non id colligimus (quod Thomas vetat) statum

Aug. ep. 76.

Aug. ep. 138.

Th. 2. q. 184. 13. tum simplicium clericorum, aut curam animarum habentium, statui religiosorum esse præferendum. Illi enim, non consecrant totam vitam suam saluti animarum, sicut isti totam vitam suam studio perfectionis dedicarunt. Sed illud sine dubio colligendum est, vitam religiosam, non tantùm contemplationi, sed etiam proximorum profectibus consecratam, multò præstantiorem esse ea, quæ soli contemplationi vacans, proprium dumtaxat profectum, & perfectionem exquirit. Nam illa vltra professionem contemplatiuorum, ex instituto ministeria clericorum includit, atque adeò duplicem habet religionis & clericatus laudem, quorum illa paupertatem, castitatem, & obedientiam profitetur, & mentem his votis à rebus terrenis solutam, in cælestium contemplationem affert; & isti, pro instituti ratione Ecclesiastica ministeria tractat, & salutem animarum, non perfunctoriè tantùm & quasi aliud agens, sed vt proprium munus, ab Ecclesia sibi demandatum, exequitur.

Chrys. li. . de sa cerdotio. Chrysostomus verò adhuc apertiùs hãc maiorem vitæ mistæ perfectionem ostendit, non iam statum sacerdotis, hoc est, Episcopi (nam de hoc solũ agit) statui monachorum præponens, in quo multus est, & mirũ in modum illius supra istum præstantiam, & dignitatem exponit; sed religiosum curæ animarum vacantem, religioso solitario præferens. Proinde (ait) ne monachum quidem magnopere, ac supra modum admirabimur quòd is apud se viuens, neq; commoueatur, neq; in multa, aut magna peccata prolabatur. Neq; enim ei res illæ adsunt, quibus ipse animo irritetur, extimuleturq;. Sin verò quis se ipse turbis vniuersis tradiderit, ac multorum delicta hominum ferre coactus cùm esset, inconcussus immotúsque perstiterit, animum ipsum, vel tempestate actum, tamquam in malacia ac tranquillitate gubernans; hic verò dignus est quem omnes plausu, atque admiratione prosequantur: abundè enim suæ ille virtutis periculum fecerit.] Sic ille monachũ ministeria Ecclesiastica agentem, monacho solitario præfert, & meritò quidem, nam (vt paulò superiùs dixi) qui intra portum ad gubernaculi regimen assidet, is non continuò sufficiens artis periculum præbet, sed qui in medio mari nauem, sæuiente tempestate seruare potuit, is optimus gubernator reputatur.

Bern. ser. in natal. S. Ioan. Bapt. At Bernardus eleganter, vt solet, & breuiter huius vitæ mistæ præstantiam ingenuè fatetur. Est (inquit) tantùm lucere, vanum; tantùm ardere, parum; ardere, & lucere, perfectum. Illi lucent, qui ex prædicationis ministerio, auram solùm popularem captant, & non Dei gloriæ, sed propriæ ambitioni seruire student. Hoc autem vanum est. Nam quid inanius, quàm ex tam sanctis ac præstantibus laboribus, non fructũ præmij cælestis decerpere, sed inanis gloriæ, & insipientis laudationis ventum aucupare. Illi ardent, qui sibi solis vacant, & contemplationi se tradũt, & sola cordis proprij puritate côtenti, aliis doctrina non prosunt. Et hoc parum est. Sancta enim rusticitas sibi soli prodest, quæ nullo modo potest cum illius sanctitatis opulentia conferri, cuius tam eximiæ opes sunt, vt habeat vnde abundè sibi prouideat, & vnde in alios sine sui detrimento doctrinæ diuitias effundat. Illi verò ardent, & lucẽt, qui in similitudinem solis splendorem igneum, & ardorem splendidũ habẽt. Qui ardore charitatis se ipsos supra omnia creata efferũt, & Deo Creatori intellectu, & affectu se copulãt, & luce doctrinæ proximos docent, ac vitiis liberatos in viam virtutis adducũt.] Sed hoc sanè perfectum est. Nam sicut natura, non pueris, sed perfectis hominibus desideriũ posteritatis iniecit, & generandi dedit facultatem, & vt in libro regum dicitur: Ista est lex Adam,] vt scilicet, homo prolis generandæ curam habeat, & prout mortali possibile est, suæ immortalitati, ac perpetuitati prospiciat: Ita gratia, non virtute pusillis, & adhuc in virtute tenellis, sed magnis, atque planè perfectis, sobolis spiritualis desideria, & filiorum in Christo generandorum facultatem impressit. 2. Reg. 7. 20. Atque alio loco idem Bernardus, solitarium, mulierem vocat, & ministeriis Ecclesiasticis occupatum, virum, non quemlibet, sed fortem & bellatorẽ appellat. Bern. ser. 12 medit. Temerariè (inquit) obiurgat virum de prælio reuertentem mulier nens in domo. Dico enim, si, is, qui de claustro est, eum, qui versatur in populo, interdum minus districtè, minúsve circumspectè sese agere deprehẽderit, verbi gratia, in verbo, in cibo, in somno, in risu, in ira, in iudicio, nõ ad iudicandum confestim prosiliat, sed meminerit scriptum, Melior est iniquitas viri, quàm bene faciens mulier.] Exod. 42. 14. Nam tu quidem in tui custodia vigilans, bene facis, sed qui iuuat multos, & meliùs facit, & vtilius. Quod si implere non sufficit absque aliqua iniquitate, id est, absque quadam inæqualitate vitæ, & conuersationis suæ, memento, quia charitas operit multitudinem peccatorũ.] His titulis vir verè sanctus, & sapiẽs vnius vitæ teneritatem, & alterius robur, & perfectionem significat. Vita quippe contemplatiua sola, instar est mulieris delicatæ, suam curantis internam pulchritudinem; at vita mista est tamquam vir, cui nec minor solet inesse pulchritudinis decor; sed multò maior fortitudo, quæ pulchritudini admista, multò rarior, præstantior, ac perfectior existit.

c. Licet de regularib. Accedat nunc Innocentij tertij sententia, qui (vt Ecclesiæ supremũ caput loquens) errare non potuit. Sic ille ait. Sicut maius bonũ minori bono præponitur; ita communis vtilitas speciali vtilitati præfertur. Et in hoc casu rectè præponitur doctrina silentio; sollicitudo contemplationi, & labor quieti.] Et certum est eum de illa sollicitudine atq; de illo labore agere, qui sacerdotis est in curam animarum incumbentis, illius nimirum, qui contemplata tradit, & ad actionem ex contemplatione procedit. Iste enim labor quietis perfectionem habens, & sollicitudinis tã necessariæ, atq; vtilis bonitatem adiiciens, nõ potest non esse melior, aut quiete sola, aut labore solo, quæ adinuicem separata, nec tam mirabilem nobilitatem continent, nec tantùm Ecclesiæ proficiunt. Hoc est ergo maius bonũ, quod minori bono præfertur; ita cõtemplationem diuinorum sectari, vt diuinæ lucis fructus in nobis non sistat, sed in doctrinam conuersus, & in exhortationẽ commutatus, postquam nos exatiauerit, ad proximos sitientes perueniat. Quod perfectæ contemplationi non obstat, imò ex ea, tãquã ex causa exoriri, his verbis docet Bernard⁹. Bern. ser. 57. in cant. Hoc siquidẽ vera, & casta contẽplatio habet, vt mentem quã diuino igne vehementer succenderit, tãto interdũ repleat zelo, & desiderio, acquirendi Deo, qui eũ similiter diligant, vt otium contemplationis, pro studio prædicationis libentissimè intermittat: & rursũ potita votis, aliquatenus in hac parte, tãtò ardentiùs redeat in id ipsum, quãtò se fructuosiùs intermisisse meminerit, & item sũpto cõtemplationis gustu valentius ad conquirenda lucra, solita alacritate, recurrat.] Magna re vera est vita hæc perfectionem cõtẽplationis cõtinẽs, & ex illa ad Apostolicas actiones ardore charitatis incitante, descendens. Meritò vocatur communis vtilitas vsui particulari prælata, si quidem, & habentẽ virtutibus, & luce cælitùs emissa decorat, & in Ecclesia lucẽdo, & ad virtutes, quas experientia nouit, exhortando fructificat.

Nec

A etiam Sanctorum actus, ac ministeria mirifica supergressus, solius Dei iam pulchritudine, scientiáque pascatur.] Dominus ergo loquens, & vitam contemplatricem actiuæ præferens, nullum ambigendi locum reliquit, quin stabile, & fixum habeamus, harum duarum partium contemplatiuam esse meliorem, quæ nos à multitudine abstrahit, in qua turbatio est, & vni scilicet Deo, in quo est summa trãquillitas, principio nostro, finique coniungit.

Cùm ergo vita contemplatiua perfectior sit, atque præstantior, non statim à quoquam, (vt diximus) arripienda est: sed post vitam actiuam excolenda, & amplexanda. Nam animus studiosa actione paratus, vitiis ac prauis affectionibus emundatus, virtutibus excultus, & ad amorem quietis & tranquillitatis affectus, non temerariè, nec præsumptuosè diuinis mysteriis considerandis, & diligendis se ingerit, & mirificè consideratione, & amore cælestium, interiorem auget puritatem. Qui autem absque huiusmodi præparatione, & mentis emundatione in adyta sanctorum arcanorum irrumpit, tantùm abest, vt in vita contemplatiua proficiat, quòd potiùs, vt superbus, & arrogans, non sine Domini indignatione, foras eiicietur, & cæcitate, ac duritie mentis, tamquam suæ temeritatis pœna mulctabitur.

Quòd vita mista est duabus aliis dignitate prior.

CAPVT XXXXII.

MAGNA est quidem vitæ contẽplatiuæ perfectio, quam tam eximię proprietates illustrant: sed non est maxima corũ graduum vitæ spiritualis, ad quos vir religiosus potest ascendere; Cùm maior sit vitæ, mistæ præstantia, atque sublimitas. Cuius splendorem volentes aperire, non, vt inaniter efferamur, sed vt strenuè laborantes, secundum nostram vocationem viuamus; iam in ipso orationis principio succumbimus, & eius status magnitudinẽ explicare erubescimus, cuius numero tantùm, non merito fuimus hactenus professores: Nisi tu Domine, paruulorum Pater, atque insipientium Doctor, nostrã erubescentiam, submoueas, ex vitæ propriæ tepiditate cóceptam, & calamum, quem reatus conscientiæ ligat, aliquantula obliuione assiduæ tepiditatis meæ, & recordatione misericordiæ tuæ, ac dulcedine tuæ benignitatis expedias. Sed ne stylus cum timore & cunctatione procedat, illud in primis nosse oportet, cùm dicimus vitam mistam esse contemplatiua potiorem, nos Christum minimè habere cõtrarium, perspicuè proclamantem, Mariam typũ vtique vitæ contemplatiuæ, meliorem partẽ, aut potiùs, (vt habẽt Latina exemplaria) optimam, elegisse. Nã (vt doctè notauit Cardinalis Thomas Caietanus) Marthæ & Mariæ comparatio, partis cum parte, id est, vitæ actiuæ, & contẽplatiuæ, comparatio est, nõ vitæ contemplatiuæ cum toto, id est, cum vita Apostolica, & mista, collatio. Huius enim Christus in hoc colloquio cum sororibus habito, nullam mentionem fecit quia non erat necessarium. Martha quippe opetibus hospitalitatis sollicita, atque turbata, typũ vitæ actiuæ purè gerebat, & Maria secus pedes Domini quieta sedens, vitæ contẽplatiuæ partes agebat. Harum autem duarum partiũ Maria optimam partẽ elegit; sed ista parte optima multò melius est totum, id est, integra, & perfecta vita Apostolica contẽplationem colens, & perfectissimã actionem, atq; omninò spiritualem exercens. Saluator ergo noster vitam contemplatiuam, comparatione actiuæ optimã vocans, actiuæ prætulit: sed vitæ mistæ amplioris perfectionis priuilegium non ademit.

Caiet. in Luc. 10. & 21. 182 ar. 1.

Et sanè tantùm abest, vt in hoc dicto quo vitam mistam contemplatiuæ præferimus, Dominum habeamus aduersarium, quòd potiùs eum exẽplo suæ vitæ sanctissimæ, & spiritu veritatis, quo Ecclesiæ patres afflauit, habemus huius doctrinæ, quã astruimus, fidelissimũ ducem, atq; patronum. Sancti enim patres manifestè in hac sententia sunt, vt cõtemplatiuæ mistam, & vtrumq; opus comprehendentẽ, anteponãt: quorum aliquos non grauabor in medium adducere. Horum primus sit Hieronymus, illam solùm omnino perfectũ existimans, qui vtrumq; opus
B Marthæ atque Mariæ in vnam eandémque viuendi rationem nouerit copulare. Is, (ait) verè, & non ex parte perfectus est, qui, & in erẽmo squalorem solitudinis, & in cœnobio infirmitates fratrum æquali magnanimitate sustẽtat. Et ideo in vtraq; professione per omnia consummatum inuenire difficile est: quia nec anachoreta contemptum, ac priuationem materialium rerum, nec cœnobita theoricã ad integrum potest assequi puritatem. Similia prorsus habet Cassianus, qui difficultatẽ huius instituti declarans, non adeò putat esse difficile, vt inter solitarios illos priscos defuerint, qui illud plenè fuerint consequuti. Nam de Mose, Paphuntio, atque duobus Machariis, hæc statim subdit. Qui ita erant in vtraque
C professione perfecti, vt cùm, vltra omnes erẽmi accolas secedentes, insaciabiliter secreto solitudinis pascerentur, quantúmq; in ipsis erat, nequaquam inquirerent humana consortia: tamen ita frequentiã ac fragilitatem ad se concurrentium sustinebant, vt cùm ad eos visitationis, vel profectus gratia, innumera fratrum multitudo conflueret, tam iugem penè susceptionis inquietudinem immobili patiẽtia tolerantes, nihil aliud, vel didicisse, vel exercuisse omni vitæ suæ tempore crederentur, quàm, vt communibus tantùm aduenientium officiis deseruirent.] Atque ex his duobus patribus solùm habemus illã omnimodam secessionem, qua puri contemplatiui omnia humana deserunt, & sibi solis in perpetua quadã tranquillitate consulunt, non esse vitam Ecclesiæ (si
D rerum naturã inspiciamus) vsquequaq; perfectã: sed illã potiùs, quæ actioni, & contemplationi vacat: & vt proximis etiam sit vtilis, simul cum perfecta cõtemplatione, curam etiã rerũ humanarũ, aut potiùs diuinarum ad proximos pertinentium amplectitur.

Hier. in [...]ensi c. [...] in illud, [...]onem q[...] viro &c.

Cassia. col. 19. c. [...]

Sed multò clariùs & euidentiùs loquitur Augustinus, statum clericalẽ monachorum professioni præferens; in quo & vitam mistam (quæ clericorum est, vt suprà diximus, præsertim regularium) vitæ monachorum, id est, contemplatiuæ præponit. Vnde in epistola ad Aurelium, quoddam vulgarium & insipientium dictum deplorans, quòd malus monach⁹ bonus clericus est, hæc sãctissimus Pater verba subiecit. Nimis dolendum, si ad tam ruinosam superbiam monachos surrigamus, & tam graui cõtumelia clericos dignos putemus, in quorum numero sumus, cùm aliquãdo etiam bonus monachus vix bo-
E num clericum faciat, si adsit ei sufficiens cõtinẽtia, & tamen desit instructio necessaria, aut personæ regularis integritas. Et rursus in alia epistola ad Valeriũ. Cogitet religiosa prudẽtia tua, nihil esse in hac vita, & maximè hoc tempore, difficilius, laboriosius, periculosius Episcopi, aut presbyteri, aut diaconi officio, sed apud Deũ nihil beatius, si eo modo militetur, quo noster Imperator iubet. Ex his certè locis, non id colligimus (quod Thomas vetat) sta-

Aug. ep. 76.

Aug. ep. 138.

tum

tum simplicium clericorum, aut curam animarum habentium, statui religiosorum esse præferendum. Illi enim, non consecrant totam vitam suam saluti animarum, sicut isti totam vitam suam studio perfectionis dedicarunt. Sed illud sine dubio colligendum est, vitam religiosam, non tantùm contemplationi, sed etiam proximorum profectibus consecratam, multò præstantiorem esse ea, quæ soli contemplationi vacans, proprium dumtaxat profectum, & perfectionem exquirit. Nam illa vltra professionem contemplatiuorum, ex instituto ministeria clericorum includit, atque adeò duplicem habet religionis & clericatus laudem, quorum illa paupertatem, castitatem, & obedientiam profitetur, & mentem his votis à rebus terrenis solutam, in cælestium contemplationem affert; & isti, pro instituti ratione Ecclesiastica ministeria tractat, & salutem animarum, non perfunctoriè tantùm & quasi aliud agens, sed vt proprium munus, ab Ecclesia sibi demandatum, exequitur.

Chrysostomus verò adhuc apertiùs hāc maiorem vitæ mistæ perfectionem ostendit, non iam statum sacerdotis, hoc est, Episcopi (nam de hoc solū agit) statui monachorum præponens, in quo multus est, & mirū in modum illius supra istum præstantiam, & dignitatem exponit; sed religiosum curæ animarum vacantem, religioso solitario præferens Proinde (ait) ne monachum quidem magnopere, ac supra modum admirabimur quòd is apud se viuens, neq; commoueatur, neq; in multa, aut magna peccata prolabatur. Neq; enim ei res illæ adsunt, quibus ipse animo irritetur, extimuletúrq;. Sin verò quis se ipse turbis vniuersis tradiderit, ac multorum delicta hominum ferre coactus cùm esset, inconcussus immotúsque persistiterit, animum ipsum, vel tempestate actum, tamquam in malacia ac tranquillitate gubernans; hic verò dignus est quem omnes plausu, atque admiratione prosequantur: abundè enim suæ ille virtutis periculum fecerit.] Sic ille monachū ministeria Ecclesiastica agentem, monacho solitario præfert, & meritò quidem, nam (vt paulò superiùs dixi) qui intra portum ad gubernaculi regimen assidet, is non continuò sufficiens artis periculum præbet, sed qui in medio mari nauem, sæuiente tempestate seruare potuit, is optimus gubernator reputatur.

At Bernardus eleganter, vt solet, & breuiter huius vitæ mistæ præstantiam ingenue fatetur. Est (inquit) tantùm lucere, vanum; tantùm ardere, parum; ardere, & lucere, perfectum. Illi lucent, qui ex prædicationis ministerio, auram solùm popularem captant, & non Dei gloriæ, sed propriæ ambitioni seruire student. Hoc autem vanum est. Nam quid inanius, quàm ex tam sanctis ac præstantibus laboribus, non fructū præmij cælestis decerpere, sed inanis gloriæ, & insipientis laudationis ventum aucupare. Illi ardent, qui sibi solis vacant, & contemplationi se tradūt, & sola cordis proprij puritate contenti, aliis doctrina non prosunt. Et hoc parum est. Sancta enim rusticitas sibi soli prodest, quæ nullo modo potest cum illius sanctitatis opulentia conferri, cuius tam eximiæ opes sunt, vt habeat vnde abundè sibi prouideat, & vnde in alios sine sui detrimento doctrinæ diuitias effundat. Illi verò ardent, & lucēt, qui in similitudinem solis splendorem igneum, & ardorem splendidū habēt. Qui ardore charitatis se ipsos supra omnia creata efferūt, & Deo Creatori intellectu, & affectu se copulāt, & luce doctrinæ proximos docent, ac vitiis liberatos in viam virtutis adducūt.] Sed hoc sanè perfectum est. Nam sicut natura non pueris, sed perfectis hominibus desideriū posteritatis iniecit, & generandi dedit facultatem, & vt in libro regum dicitur: Ista est lex Adam,] vt scilicet, homo prolis generandæ curam habeat, & prout mortali possibile est, suæ immortalitati, ac perpetuitati prospiciat: Ita gratia, non virtute pusillis, & adhuc in virtute tenellis, sed magnis, atque planè perfectis, sobolis spiritualis desideria, & filiorum in Christo generandorum facultatem impresit. Atque alio loco idem Bernardus, solitarium, mulierem vocat, & ministeriis Ecclesiasticis occupatum, virum, non quemlibet, sed fortem & bellatorē appellat. Temerariè (inquit) obiurgat virum de prælio reuertentem mulier nens in domo. Dico enim, si, is, qui de claustro est, eum, qui versatur in populo, interdum minus districtè, minúsve circumspectè sese agere deprehēderit, verbi gratia, in verbo, in cibo, in somno, in risu, in ira, in iudicio, nō ad iudicandum confestim prosiliat, sed meminerit scriptum, Melior est iniquitas viri, quàm bene faciens mulier.] Nam tu quidem in tui custodia vigilans, bene facis, sed qui iuuat multos, & meliùs facit, & vtilius. Quod si implere non sufficit absque aliquā iniquitate, id est, absque quadam inæqualitate vitæ, & conuersationis suæ, memento, quia charitas operit multitudinem peccatorū.] His titulis vir verè sanctus, & sapiēs vnius vitæ teneritatem, & alterius robur, & perfectionem significat. Vita quippe contemplatiua sola, instar est mulieris delicatæ, suam curantis internam pulchritudinem; at vita mista est tamquam vir, cui nec minor solet inesse pulchritudinis decor; sed multò maior fortitudo, quæ pulchritudini admista, multò rarior, præstantior, ac perfectior existit.

Accedat nunc Innocentij tertij sententia, qui (vt Ecclesiæ supremū caput loquens) errare non potuit. Sic ille ait. Sicut maius bonū minori bono præponitur; ita communis vtilitas speciali vtilitati præfertur. Et in hoc casu rectè præponitur doctrina silentio; sollicitudo contemplationi, & labor quieti] Et certum est eum de illa sollicitudine atq; de illo labore agere, qui sacerdotis est in curam animarum incumbentis, illius nimirum, qui contemplata tradit, & ad actionem ex contemplatione procedit. Iste enim labor quietis perfectionem habens, & sollicitudinis tā necessariæ, atq; vtilis bonitatem adiiciens, nō potest non esse melior, aut quiete sola, aut labore solo, quæ adinuicem separata, nec tam mirabilem nobilitatem continent, nec tantùm Ecclesiæ proficiunt. Hoc est ergo maius bonū, quod minori bono præfertur; ita cōtemplationem diuinorum sectari, vt diuinæ lucis fructus in nobis non sistat, sed in doctrinam conuersus, & in exhortationē commutatus, postquam nos exatiauerit, ad proximos sitientes perueniat. Quod perfectæ contemplationi non obstat, imò ex ea, tāquā ex causa exoriri, his verbis docet Bernard⁹. Hoc siquidē vera, & casta contēplatio habet, vt mentem quā diuino igne vehementer succenderit, tāto interdū repleat zelo, & desiderio, acquirendi Deo, qui eū similiter diligant, vt otium contemplationis, pro studio prædicationis libentissimè intermittat: & rursū potita votis, aliquatenus in hac parte, tātò ardentiùs redeat in id ipsum, quātò se fructuosius intermisisse meminerit, & item sūpto cōtemplationis gustu valentius ad conquirenda lucra, solita alacritate, rēcurrat.] Magna re vera est vita hæc perfectionem cōtēplationis cōtinēs, & ex illa ad Apostolicas actiones ardore charitatis incitante, descendens. Meritò vocatur communis vtilitas vsui particulari prælata, si quidem, & habentē virtutibus, & luce cælitùs emissa decorat, & in Ecclesia lucēdo, & ad virtutes, quas experientia nouit, exhortando fructificat.

Marginalia: Th. 2. 2. q. 184. a. 8. — Chrys. li. 6. de sacerdotio. — Bern. ser. in natal. S. Ioan. Bapt. — 2. Reg. 7. 19. — Bern. ser. 12 in cant. — Exod. 42. 14. — c. Licet de regularib. — Bern. ser. 57. in cant.

Nec silentio committenda est Thomæ Aquinatis auctoritas, quin potius eò pluris æstimanda, quò res Theologicas exquisitiùs & veriùs pertractauit, & ad scholasticos gnomones vniuersa distinxit. Is itaque religionum perfectionē expendens, eam priorem dignitate, ac excellentiorem existimat, quæ ex plenitudine contemplationis ad opus doctrinæ, ac prædicationis progreditur. Sicut enim (inquit) maius est illuminare, quàm lucere; ita maius est contemplata aliis tradere, quàm solùm contemplari.] Cui cōsentit Antoninus Florentiæ Archiepiscopus, perspicuè tradēs vitam mistam esse cōtemplatiua præstantiorē, quam putat illo Dauidis versu descriptam. Labia mea laudabunt te.] Nā laudatur Deus labiis oris, admonēdo & prædicando, quod in vita actiua primū, atq; præcipuū tenet locum; & laudatur Deus labiis oris, & cordis, in oratione, dū cogitationibus, & affectibus coniungimur Deo, quod in vita contemplatiua obtinet principatū. Affirmat etiā hāc vitā ab ipso Dauide fuisse complexam, cùm interdum populum sibi subiectum regebat, & interdum contemplatione cælestiū, & Psalmorū se cantibus oblectabat. At vita mista huius sancti regis, nullo modo potest (si solas rerū naturas inspiciamus) cum vita religiosorum mistorum cōferri; quoniam istorum institutum vitæ illius in contemplatione par est, & in actione longe superat. Est quidem in contemplatione par, quia, quæ illa contemplabatur, eadem mysteria ista cōsiderat, licèt in hoc sit multò felicior, quòd gesta iam nostræ redemptionis arcana inspicit, quæ vita Dauidis solū inspiciebat futura. Sed est in actione superior; quoniam illa rempublicam temporalem gubernabat, & bella aduersùs Allophylos temporalia gerebat; hæc verò Christi spiritualem rempublicam regit, panem verbi Dei distribuit, sacramenta ministrat, negotia spiritualia tractat, & bella aduersùs inuisibiles potestates exercet. Prolixum sanè esset, & terminos huius tractationis excedens, Doctorum Scholasticorū turbam in medium afferre, qui vitam mistam super alias partes vitæ spiritualis extollunt. Quare patres iam citati sufficiant, qui cùm Spiritu Christi docente (vt piè credimus) loquuti sint, certum apparet Christum Doctorem veritatis per suos seruos, & nūcios attestari vitam mistam præstantissimam esse vitam Ecclesiæ, & inter spirituales vitas, primam, ac præcipuam sedem obtinere.

D. Tho. 2. 2. q 188. art. 6.

Anton.

Psal. 92. 4.

Sed quis dubitet vitam Christi Saluatoris, quam ipse adamauit, quam ipse coluit, quam veluti in dulcissimam sponsam accepit, esse in suo genere præstātissimam, ac dignam planè, vt Deus ipse in terris visus, & cū hominibus conuersatus eam sibi amore iūxerit, & operatione copulauerit? Hæc autem non est alia, quàm vita mista, vt Antoninus intrepidè ait Hāc ipse opere tenuit, & actionibus exercuit; hanc Mariā genitricem suam habere voluit; hanc Apostolos docuit, & præstare mandauit; hanc etiam Episcopis, & Apostolicis viris, quasi testamēto reliquit. Ipse profectò vitam mistam egit nostra mortalitate circundatus, cuius, vt hominibus perfectissimum se exhiberet exemplar, iam pertransibat, benefaciendo, & sanando omnes oppressos à Diabolo; iam in desertum secedebat, & pernoctabat in oratione Dei; iam quærebat turbas, vt eis beneficia conferret, & verba vitæ tribueret; iā dimissa turba ascendebat in montē, vt solus, & ab hominibus sequestratus orationi se traderet Et quemadmodū sol per diē nos illuminat, & radiis lucis suæ, ac calore huius hemisphærij corpora fouet: nocte autē discedit, & se à nobis abscondit, non vt otiosus maneat, sed vt oppositis, & in alio mundi tractatu viuētibus splendeat: ita Christus, ve-

Anton. supra.

A nus institiæ sol, in die hominibus doctrinæ suæ splēdore lucebat, & eos beneficiorū calore fouebat, noctu verò in montibus, & locis solitariis delitescens, à mortalibus se subtrahebat, vt cum æterno Patre nostra negotia peragēs, Angelos orbis illius immortales incolas orando, reuerētiam & amorem erga Patrē doceret, & sua præsentia exhilararet. Hanc igitur fuisse Christi Saluatoris vitam. Gregorius manifeste perscripsit. Quodam enim loco, ait. Humani generis Redemptor per diem miracula vrbibus exhibet, & ad orationis studium in monte pernoctat, vt perfectis, videlicet Prædicatoribus, innuat, quatenus nec actiuā vitam amore speculationis funditus deserāt, nec contemplationis gaudia penitus operationis nimietate contemnant, sed quietè contemplantes sorbeant, quod occupati erga proximos loquētes refūdant.] Et alio loco, inquit, Ipsa veritas per susceptionem nostræ humanitatis ostensa nobis, in mōte orationi inhæret, miracula in vrbibus exercet: imitationis videlicet viā bonis rectoribus sternens, vt & si iā summa contemplando appetāt, necessitatibus tamē infirmantium compatiendo misceantur, quia tūc ad alta charitas mirabiliter surgit, cùm ad ima proximorū se misericorditer attrahit, & cum benignè descendit ad infima, valēter recurrit ad summa.] & optimè. Nam istas vicissitudines orandi & agendi suscipiebat illa summa maiestas, non quia ille, qui ab initio conceptionis suæ beatus erat, vel ad momentum in actione à celsissima contemplatione, vel à præsentia sui Patris discederet; sed vt nobis mortalibus ad ministris suis perfectissimā vitā ostēderet, quæ in hoc certè posita est, vt à Deo ad proximos per compassionē descendamus; & à proximis ad Deum per cōtemplationem, & charitatis affectum ascendamus.

Greg. 1 mor. c.

Idem past. 2.

Ex eo autem, quòd Redemptor noster numquam suæ diuinæ naturæ contemplationem deseruit, non sequitur, quòd solam vitam contemplatiuam coluit, & vitam mistam non tenuit; quin potiùs ob eandem rationem fuit, non tantùm vitæ mistæ cultor, verùm eius quoque perfectum ac consummatum exemplar. Quoniā vita ista actiones quidem saluti animarum necessarias exequitur, at intermissionem contemplationis nō postulat, sed eam in nobis mortalibus, & imbecillibus benignè & æquanimiter sustinet, & quia aliud non datur, est vicissitudine contemplationis, actionisque contenta. Ac ideo illi perfectiùs hui⁹ vitæ muneri præstāt, qui inter ipsas studiosas occupationes, minùs internam tranquillitatem perdunt, & magis orationes ignitas, & diuinam præsentiam frequentant. Quòd si aliquis ita esset diuinis assuetus, vt prædicando, & docendo, & peccata expiando, numquam à Dei præsētia discederet, iste multò magis esset in vita mista perfectus. Imò iste est verus, & absolutus mist⁹, qui vno eodēque tempore actionē orationi copulat, & orationē contemplationi miscet: & ita orat, vt actionem non deserat, & ita laborat, vt tamen exercitia interna nō omittat. Quamobrem Christus, nunquam secundū animam à perfectissima (supra quā dici, aut excogitari possit) cōtēplatione discedēs, quia simul nostræ salutis curā egit, & turbis circumfluētibus se medicum, & doctorē exhibuit, non vitam solam cōtemplatiuam, sed mistam, & illam perfectissimā, pro nostro exēplo, & emolumento suscepit. Huius ergo vitæ Christum Redemptorem nostrum habemus ducem, & antesignanum, & quidem (vt nobis videtur non solū in terris nobiscum manentem, sed etiam (quod magis est) in cælos euntem, & ad dexterā Patris sedentē Nam ita ascendit, vt nobiscū manserit, & ita māsit, vt qui secūdum diuinam naturam vbi-

que

quę est, secundum humanam etiam cœlos sua præsentia repleuerit: Ita est ad dexteram Patris, vt tamē ibi interpellet pro nobis Hoc ipso monstrans, quod ita gerit munus beati ad contemplationē pertinens, vt munus aduocati non reliquerit, ad actionem spectās. Denique aduocatū habemus apud Patrē Iesum Christum iustum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris.] Oportet itaque, spōsam (vt Bernardus egregiè scripsit) sponsum suum imitari, & petentem nimirum cælos, & nihilominus in terris, cū suis se fore vsque ad consummationem sæculi pollicentē. Sic & ista, quantumuis proficiat, quamtumlibet promoueatur cura, prouidētia, atque effectu, ab eis quos in Euangelio genuit numquam amouetur, numquam sua viscera obliuiscitur.] Excellentissima sanè vita, quam Christus, & mortalitate circundatus, & immortalitate vestitus, quasi in sponsam accepit, opere excoluit, actione docuit, exemplo monstrauit.

1. Ioann. 2.1.

Bern. ser. 27. in Cant.

At Deiparam virginē hāc eandā vitā, & dilexisse, & opere præstitisse nō solus ardēs amor in filiū, & perfectissima eius imitatio, verū etiā ipsius nomina, quibus ab Ecclesia insignitur, ipsius opera, quibus tāquā pretiosis gēmis est eius vita contexta, & ipsius filij, & serui, magni Doctores Ecclesiæ, satis testatū faciunt. Nomina enim ei ab Ecclesia, & patribus attributa, si rebus vacua nō sunt, sicut re vera nō sunt, quædā contemplationis sublimitatem, quædā actionis perfectionem, & alia vtriusque operis mistionē, designāt. Longum esset, & præter nostrum institutū vniuersa recēsere, quæ sūt penè innumera, sed aliqua in huius veritatis cōfirmationē non prætereibo. Hæc nomina perfectionem actionis declarāt. Mater, Domina, Regina, Hera, Aduocata, atque virtutū operatrix. Mater namque piissima filiorū suorum (qui omnes peccatores sumus) sollicitudinē habet: Domina, seruis necessaria ministrat: Regina, aulicos suos, subiectosq; defendit: Hera, famulis, ac famulabus iusta imperat: Aduocata, egenorum patrociniū suscipit: & virtutum Operatrix, vniuersarum virtutū exēplum præbet. Hæc verò altitudinem cōtemplationis ostēdunt. Halma, hoc est puella abscōdita, & à cōsortio, ac cōspectu virorum, segregata, Virginum Magistra, Lumē, Princeps, atque Exemplar, Cœlū, Domus, ac Tabernaculum Dei, Templum Deitatis, & Tricliniū Trinitatis. Quare enim ab hominū cōspectu seclusa, degebat, nisi vt Dei oculis tota pulchra & formosa appareret? Quare virgo, nisi vt Verbum carnē factū pariens, ei tamquam mater adhæreret? Quare cœlū nisi, vt cœlorū munus, nimirum perpetua laudatio eius cor iugiter occuparet? Quare Domus Dei, nisi vt ignitis desideriis eius præsentiā affectaret? Quare templum Deitatis, nisi, vt in seipsa Deitatē purissimè coleret? Quare Triclinium Trinitatis, nisi vt tribus virtutibus, fide inconcussa, spe certa, & charitate illibata, tamquam tribus mensis optimè præparatis, ad se totam Trinitatem alliceret? Hæc tandem vtriusq; vitæ in vnam copulatæ mistionē exponūt. Illuminatrix stella, columba, ianua cælorum, scala cæli, & totius religionis nostræ magistra. Illuminatrix enim, priùs à Deo illuminata est, quàm nos cæcos & ignaros illuminet Stella priùs à sole lumē accepit, quàm huius mundi mare tranantibus, portū salutis demōstret. Columba, anteà comparem suum dilectionis astringit amplexibus, quàm adoptionis filios effūdat. Ianua cælorum, sicut, & aliis ingressum, & egressum pandit, ita & sibi prior, & diligentior assumit. Scala cæli, & ascensum ad Deum, & descensum ad proximos præbet. Et demùm religionis magistra prius secus pedes Domini didicit, quod alios erat verbo doctura. Et hæc quidem quantùm ad nomina.

A Opera autem multò clarius aperiunt Mariam fuisse vitæ mistæ cultricē. Nam si eam, vt vitæ cōtemplatiuæ deditam aspiciamus, ostentabit se nobis, non iā, vt cælestis tātùm creatura, sed tamquam prima quędam, & perfectissima contemplationis idea. Mundi tumultus ipsa cōstantissimè fugiebat; sæculo, ac eius curis defuncta viuebat, diebus & noctibus, orationi & precibus incumbebat, templa & loca sacra respersa Redemptoris sanguine amabat, in carne, sed ac si esset sine carne, vitæ suæ annos transigebat. Hoc vnum illi erat institutum desideriis, gemitibus, ac suspiriis ad cælestia tendere, cum angelis, atque omnibus aliis cælestibus conuersari; Scripturarū lectione, & sacris studiis animum pascere: Christi Iesu vitam meditari; doctrinam euoluere, crucem
B adorare, cruenta vulnera, & acerbam mortem deflere, gloriam eius cōtemplando exultare. Vacabat illa, & videbat, quoniam filius eius est Deus; vidēs accēdebatur amore, succensa liquefiebat, liquefacta immergebatur, immersa rapiebatur, rapta trāsformabatur, & trāsformata, nō iam vitam humanā, sed planè cœlestem, & Deo (vt creaturæ conceditur) quàm simillimam agebat. Si autem, vt animarū saluti vacātem contemplemur, apparebit iam nobis, vt omniū Apostolorum, & Apostolicorum virorum exemplar. Nō in antris, aut in speluncis (quod certè bonum est) sed in mediis populis, habitationis suæ locum constituit. (quod factum est affectu amplioris charitatis est melius) vt tamquam luna plena, & nullum vmquam defectum patiēs, fidelibus exemplo & verbo
C luceret: egenis & pauperibus assidebat illa, quacum sunt diuitiæ, & gloria, opes superbæ, & iustitia,] vt opum suarum illis partē, sine vlla sua imminutione tribueret. Inter virgines, & viduas habitabat, quo & illis doctrinam puritatis, & istis consolationis affectum daret: feruentissima precatione, verbis, scriptis, & Apostolorū ministerio labantes erexit, stantes confirmauit, iacentes sustulit, contritos curauit, desides animauit, ægrotis opem tulit. Quid plura? Vniuersorum fidelium fuit consiliatrix, procerum Ecclesiæ doctrix, mysteriorum filij Dei explicatrix, ac totius militantis Ecclesiæ columna firmissima.

Prouer. 8. 8.

Sapienter ergo huius Virginis serui, nostri autem Doctores de ea, nunc quæ cōtemplatiuæ vi-
D tæ, nunc ea, quæ actiuæ sunt, prædicant, quia re vera in vtraque omnes excelluit, & in vnum, idémque institutum vtramque coniunxit. Hildelphonsus Toletanus Antistes ait; eam multò meliùs, quàm Magdalenam ad pedes Domini consedisse; & verba eius ardentiùs auscultasse: Guerricus ineffabilem voluptatem percepisse, ex consideratione eius mysterij, quòd Christus sit Deus, quia super omnes puras creaturas magis amauit. Dionysius Richelius post glorificationem filij, multò veriùs sæculum illi vilesse, & cælestibus intentiùs inhiasse. Rupertus, eam sicut sacrificij adipem igne amoris fuisse liquefactam, quoties Christi mysteria cogi-
E tabat. Tandem Sophronius, amorem Christi, Mariæ desiderium peperisse, desiderium verò nouos ardores reparasse, adeò, vt omnia mente relinqueret, & seipsam etiam in extases rapta transcenderet. Ista munia sunt vitę contemplatiuæ. De actiua verò, Bernardus ait: Mariam meliùs, quàm alios, tamquam magis edoctam, Euangelij mysteria reserasse. Eusebius, vt ipsa docente, narrante, & annūciante verba Euangelij scriberentur, ea omnia conseruasse, & in corde suo contulisse. Rupertus, tenuisse illam tempus tacendi, ante Christi filij sui ascensionem in cœlum, & post illam tempus loquēdi illi aduenisse. Antoninus demùm, & sapiens idiota, vt

Hildelphons. ser. de assupt.

Guerric. ser. 14. Assumpt.

Richel li. 2. de lau. de Virg. ar. 21.

Rupert. in Cant. c. 5.

Sophro ser. de assumpt.

Bern. ser. 4. in Assu. ejs.

Rupert. in Matt c. 2.

Anton. 4. p. & 15. c. Idiota in lib. con- temp. c. 3. virginis vitam Apostolicam astruat, eam doctricem doctorum, ac Apostolorum magistram appellat. Optimè ergo, & verè beatę Virginis vita vocatur mista, quæ ita contemplationem habuit, vt actioné fidelibus vtilem nó omiserit; & ita actionem istam impleuit, vt tamen numquam à perfectissima contemplatione discesserit.

Iam de sanctis Apostolis, non est cur multa dicamus, cùm ipsi apertè fateãtur se esse vitæ mistæ professores. Acto. 6. 2. Nõ est æquum (aiunt) nos derelinquere verbum Dei, & ministrare mensis, considerare viros, quos cõstituamus super hoc opus; Nos verò orationi & ministerio verbi instantes erimus.] Pulchrè sanè: Ad hoc enim Apostoli orationi intẽdebãt, vt seipsos in amore conditoris accenderent, & ad verbi prædicationẽ pararẽt, quia prædicatio minimè orationis, & meditationis sale cõdita, nec fructũ percipit, nec efficaciam habet, & distortæ intentionis incursu, ac inanis gloriæ flatib9 prodit exposita. Omnibus etiam Apostolis illud Pauli certissimè cõgruit: 2. Corint. 5. 13. siue mente excedimus Deo; siue sobrij sumus, vobis.] Quoniam hæc duo ad Apostolicam vitam pertinẽt; & amoris diuini ebrietas, quæ sobrietatem fraternæ charitatis nõ auferat; & misericors ac benigna sobrietas, quæ ebrietatem contemplationis nõ tollat. Apostolici autem viri, quales sunt Pontifices, Prælati Doctores, & qui quoquo modo animarũ salutẽ curant, si in Apostolorum munus successerunt; si Apostolorum, aut dignitatẽ, aut onus susceperũt; si Apostolorum artem tractandam didicerunt, Apostolicã vitam imitentur, necesse est, ex contemplatione, & proximorũ ministeriis contextam, quia quælibet ars tunc sine errore exercetur, cùm iuxta præscriptũ in eadem arte peritissimorũ ipsius præcepta, ac documenta tractantur. Sicut ergo naturalis vita perfecti9 viget in capite, quàm in pede, & quò mẽbra sũt nobiliora, eò præstantiùs vsuram vitæ participãt; ita vita spiritualis mista, propria capitis Ecclesiæ, Christi, propria reginę Ecclesię, Bearę Virginis, propria principum, Apostolorum Ecclesiæ, propria denique procerum Ecclesiæ, Apostolicorum virorum perfectior, atque prętãtior erit ex sua natura, aut vita actiua pura, aut vita contẽplatiua sola, quas inferiora Ecclesiæ membra pro sui status ratione profitentur, & alij fideles non ad iubendum, nec ac docẽdum, sed ad parendum, & discendum vocati, sectantur.

De eadem perfectione vitæ mistæ.

CAPVT XLIII.

ALIA multa sunt, quæ vitæ mistæ præstãtiã super alias vitas spirituales patefaciũt, & quidẽ tot, ac tãta, vt nõ possint breui sermone explicari. Quamobrem, ea in postremũ huius operis tractatum, de curanda salute animarũ agẽtem, reseruamus, paucis exceptis, quæ hic subiiciemus, vt huic tractationi, iam admodũ prolixæ finem imponant. Illud autem posset sufficere ad hanc summam, & absolutam dignitatem declarãdam, quòd vita mista non vnam tãtùm perfectionẽ, sed omnem protsus vitæ actiuæ, & contemplatiuæ perfectionem cõprehendit. Quare, sicut homo cõstans ex animo & corpore, perfectior est, animo solo, aut corpore seorsum accepto, nam si animum cogites, supra illum habet naturã, & sẽsus corporis per se satis pulchros, atque perfectos, & si corpus consideres, supra ipsum constat substantia animæ spiritualis, immortalis, &

A quasi diuinæ. Ita vita hæc præstantior est, aut vita actiua, aut vita contẽplatiua, separatim acceptis, quoniam actioni contemplationis ardorem adiicit, & contemplationi actionis fructum, & vtilitatem addicit. Est itaque hoc discrimẽ inter vitam mistam ex vna parte, & vitam actiuam, aut contemplatiuam ex alia, quod est inter totum, & partem, inter regnum, & vrbem, inter ciuitatem, & familiam, inter thesaurum, & gemmam: inter manticam, & monetam: ac inter vniuersum orbem, & vnicum elementum.

At sat scio, quid es modò dicturus. Dices enim, quòd sicut melior & pretiosior est gleba auri fulgẽtissimi, atque purissimi, cui nullum est extraneum metallum admixtum, quàm si ei aliquid plumbi, vel æris, vel argenti misceretur, ita nobilior est, atque B præstantior, vita purè contemplatiua, solum sapientiæ splendorem, & charitatis ardorem habẽs, quàm si rerum humanarum sollicitudinibus, & proximorũ curis offuscetur. Hæc enim sunt instar plumbi, vel æris, aut certè instar argenti, quæ mentem nostrã deprimunt, & inter homines sonant, & alicuius valoris censentur, at nullo modo possunt cum pretio auri, id est, purissimæ charitatis conferri. Nihil sanè obiici potuit, quod clariùs, & euidentiùs magnitudinem vitæ mistæ, atque præstantiam enuclearet. Istis namque tam eximiis indiruptæ contemplationis, & continuæ charitatis amatoribus, illud cuiusdam fratris exẽplum volumus ad memoriam reuocare, qui, cùm quibusdam fratribus insultaret, quòd operarẽtur cibum, qui perit, & se illis tamquam semper orantem, & contemplantem præponeret, ab Abbate Syluano C dictum est: Tu homo spiritualis es, & non habes necesse hãc escam (cibum enim quotidianum postulabat) nos autem tamquam carnales laboramus, vt escam corpori necessariam cõparemus.] Qua oratione illum superbæ ignorationis obiurgauit, quòd nec saltem propria experientia didicisset, hominem corruptibili carne circundatum, non posse semper cum Angelis conuersari, & sine vlla interruptione, studio orationis, & cõtemplationis inhærere. Hoc ergo statuamus, vitam perpetuæ contemplationi, & cõtinuo ardori charitatis addictam, esse vitam cælestem, quæ verò in terris, & in carne mortali agitur, quãtumuis contemplatiua, & solitaria sit, debere aliqua externa actione, & aliquo labore corporis interrũpi. Quod, & naturæ nostræ, & perfectioni huius vitæ cõgruit, D & sanctissimo omnium Ecclesiæ instituto nequaquã repugnat, conuenit quidem humanæ naturę, quoniã (vt præclarè dixit Basilius) si essemus extra corpus constituti, necessariò solo tantùm animo optima ac præclarissima quæque sequeremur: Verùm, quia ex duplici natura cõstamus, duplex virtutis quoque esse studium debet, idq; cùm strenuitate corporis, tum animi etiam industria exerceri Porrò strenuitas corporis, non in otio posita est, sed in negotio.] Et hæc sanè verissimè. Si enim Dominus, non solam animã dedit homini, sed etiã corpus, & ex variis partibus, ac membris compegit, manifestum est, quia non solius animæ, sed etiã corporis poscit famulatus, & seruitutis obsequia. Sicut autẽ anima, fide, spe, charitate, contemplatione, & aliis affectibus internis obseE cundat, ita corpus, labore, discursibus, laudatione, & prędicationis ministerio, & aliis actibus exterioribus seruit. Non ergo repugnat summæ perfectioni naturæ nostræ. Quam in hac vita potest adipisci, si exteriorem aliquam administrationem suscipiat, qua cõtemplationem, & functiones internas interpellet.

Basil. in const. monast. c. 5.

Conuenit etiam perfectioni huius vitæ, quæ non beatorum est, sed hominum corruptibilium in cælũ tendentium, & carnem suam in æternam patriam

gestātium. Quòd si, quamdiu hic viuimus, corruptibiles sumus, non possumus, saltem cura corporis eximi, & ad minus pro eius incolumitate seruāda aliqua exercitatione corporali distendi. Si in cœlum tēdimus, tendat animus, tēdat & corpus necesse est, ille contemplando, & amando, istud laborādo, & aliquod bonum externum operando. Nam gressus animi, affectus sunt, gressus autē corporis, non est otiositas, & inertia, sed sancti, vtilesq; labores. Si in terram viuentiū carnem nostram, tamquam animi pedissequam, & cooperatricem gestamus, æquū est re vera, vt ipsa aliquid operetur, aliquid faciat, & animo in expugnatione mansionum supernarum collaboret. Cassianus certè, & ipse solitarius adeò putat laborem externum omnibus eremitis quoque esse necessarium, vt sine illo, à quoquam perfectionem adipisci non putet. Vnde enarrās Pauli probatissimi patris historiam, per totum annum instantissimè laborantis, & ad finem anni, quæ laborauerat, quia commodè vendi non poterant, concremantis, hac sententia, notatione dignissima, narrationem concludit. In tantùm probans sine opere manuum, nec in loco posse monachum perdurare, nec ad perfectionis culmē aliquando cōscēdere; vt, cùm hoc fieri (id est, onus laboris suscipere) nequaquam necessitas victus exigeret, pro sola purgatione cordis, & cogitationum soliditate, ac perseuerantia cellæ, vel acidiæ ipsius victoria, & expugnatione perficeret.] Quin & Augustinus, atque Thomas Aquinas docēt orationem in desiderio quidem debere esse diuturnam, in se autem ipsa esse non posse cōtinuam, quia necesse est aliis operibus occupari. Necesse, inquam, quia vel ad alias occupationes, aut status obligatio constringit, aut lex charitatis mittit, aut certè ipsa fragilitas carnis impellit. Quibus resistere, & semper orationi, & cōtemplationi se tradere, aut esset aperta iniustitia, aut patens negligentia, aut manifesta temeritas, non quidem quia malum sit orare, aut cōtemplari, sed quia malum est leges iustitiæ, charitatisque contemnere, & homines se esse homines, id est, infirmos, & fragiles ignorare.

Cassia. l. 10. de spiritu acidiæ c. 24.

August. epist 121. ad Prob. D. Thom. 2. 2. q. 83. art. 14.

Adeò autem labor externus cū sanctissimo vitæ instituto non pugnat, vt potiùs indiuiduus eius comes semper extiterit. Nonne hoc fuit, quod Christus Deus, & homo inter homines viuens suscepit? Sed ipse quid de se dicit? Pauper sum ego, & in laboribus a iuuētute mea.] Et Dauid, quid de eodem dicit? Labores manuum tuarum, quia manducabis, beatus es, & bene tibi erit? Vxor tua Ecclesia, sicut vitis abundans, in lateribus domus tuæ, filij tui, fideles, sicut nouellæ oliuarum in circuitu mensæ tuæ.] Et Isaias, quid dicit? Pro eo quòd laborauit anima eius, videbit, & saturabitur.] Quæ igitur vita fuit liberatoris nostri? (inquit Basilius) quam ille, dum hìc inter nos versaretur, vitæ rationē secutus est?] Et cū multis explicasset, illum peccatum non fecisse, & omniū virtutum exempla præbuisse, hæc statim subdit. Cæterùm, vbi pòst ætate progressus, dominica iā diuinaque beneficia aperiret, discipulos deniq; eligeret, & de cœlesti regno promulgando cogitaret, non in angulo aliquo abiectis, & corpore viribus destituto aliorum ministerio indiget, sed assiduè, nunc quidem itineribus faciendis, iisdemque continenter pedibus conficiendis, simulque discipulis ministrādo, vt ipse ait. Ego enim in medio vestrum sum (inquit) sicut qui ministrat.] Et item: Sicut filius hominis non venit, vt sibi ministraretur, sed vt ministraret; Nunc discipulorum suorum pedes lauando, pòst doctrina eos, & longioribus sermonibus instruendo, impigreque ex locis aliis, in alia se transferendo, saluti nostræ con-

Psa. 127. 2. & 3.

Isai. 53. 11.

Basil. in const. monast. c. 5.

Luca 22. 27.

Matt. 20. 28.

A fulcere non intermittebat: semelque tantūmodò sumēto, eoque ad exiguum tempus vsus reperitur, neque id, vt lassitudinē corporis leuaret, sed vt opere ipso propheticum oraculum confirmaret.] Tandem omnes sācti, & Ecclesiæ viri perfecti, adeò ab externa aliqua actione non abhorruerūt, vt eam mirificè colerent, & tamquam rem magnam, & necessariam adamarent. Patriarchæ peregrinationibus vacant, & regendis suis amplis familiis intēdunt. Apostoli prædicant, & ad disseminandam fidem per orbē vniuersum discurrūt. Nam in omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.] Martyres pugnant, & fidei veritatem profuso cruore defendunt. Pontifices regunt greges suos, & cùm præsint in sollicitudine, à luporum rabie defendunt. B Doctores vigilant, & in prædicationis verbo, atque in edendis voluminibus, tota contentione desudant, Confessores, & Eremitæ, manibus opus faciunt, & mentales labores corporalibus intermittunt. Virgines otiositatem fugant, & vt corporis puritatem teneāt, multi variis ipsum afflictionibus exercēt. Omnes comprehendit creatoris illa sentētia, qua generis nostri parens fuit ob inobedientiā mulctatus. In sudore vultus tui, vescēris pane tuo.] Nec quisquam potest pœnæ resistere, quam culpæ originalis admissione meruit, quámque terræ spinas & tribulos germinantis habitator effectus, volēs nolēsve suscepit. Si ergo omnes debent aliquod opus externum, aliquámue administrationem rei temporalis accipere, quo muneri sibi cōmisso, vel iuribus charitatis, vel C certè propriæ infirmitati satisfaciant, manifestū est, quia ea vita spiritualis erit nobilior, atque præstantior, quæ cum æquali contēplationis dono, actiones meliores, celsiores, & vtiliores assumit. Talis autem est vita mista, nam tempus, quod puri cōtemplatiui excolendis hortulis, texendis sportulis, conficiendis storeis, & aliis similibus seruitiis attribuūt; mixti sacrarum literarū studio, verbi prædicationi, sacramētorum administrationi, hæreticorum & infidelium conuersioni, & remedio hominum peccatorum impendunt. Et cùm ex contemplatione se demittūt, & è colloquiis diuinis ad humana descendunt, tunc, si attentè inspiciamus, non delabuntur, sed ad functiones Apostolicas, ad act⁹ hierarchicos, ad animarū sa- D lutē, qua procurāda (vt Dionysius Areopagita docet) nihil est diuinius, ascendunt. Si ergo cōtēplationis, & continentis charitatis aurū in hac vita, sicut in patria, purum, & nulli occupationi externæ mistum esse non potest; certè bonum est, si laboribus corporalibus, & humilibus obsequiis misceatur, sed multò melius, atque fælicius, si actibus Apostolicis, exhortādis proximis, itineribus animarū gratia susceptis, & diuini verbi prædicatione temperetur.

Psal. 18. 5.

Genes. 3. 19.

Sed cōcedamus gratis omnes leges diuinas, & humanas, imò & ipsam naturæ infirmitatē ferre, quod quis perpetuò, & sine vlla interruptione cōtemplationi intendat, & in rerum diuinarum, ceu Angelus quidam sit consideratione suspēsus, certè perfectius E esset, & Deo acceptius illam ad tempus pro operibus charitatis, & pro salute fratrum intermittere; & ad bonum aliorum festinare. Nam ignis ille charitatis in camino cōtemplationis accensus, si ardens est, si magnus, atque perfectus, an intra seipsum se continebit? An potens ad exteriora non exibit? an alios non illuminabit, & calefaciet? An in res sibi propinquas suæ efficaciæ scintillas non effundet? An non mirū fuit, ꝙ ignis fornacis Babylonicę, tres adolescētes ligatos, & in media fornace cōiectos nō exussit? Et quare nō esset etiā mirabile, si charitatis ignis multò potentior in corde iusti succēsus, nullū illuminaret,

Greg. lib. 30. in Euangel. nullum accenderet, nullum verbis tamquā scintillis ardētibus ad bonum inflammaret. Denique nūquam est Dei amor otiosus (vt Gregorius ait) Operatur etenim magna, si est; si verò operari renuit, amor non est.] Si ergo nō solùm est, sed etiam est magnus, atque perfectus, mētem, quam affecerit, nō vinciet, vt semper, tāquā delicatula dormiat, & in sinu sponsi requiescat, sed excitabit, & impellet, vt tamquam fidelis sponsa, pro amore spōsi delicias posthabeat, amplexus intercidat, & ad domū spōsi sedula exeat, dormientes excitet, torpētes moneat, sollicitos laudet, prudēter omnia disponat, & vniuersos ad amorē, & laudē illius, quem tātopere amat, inuitet. Hoc igitur petit magnus in Christum amor, vt quis more ebrij charitate totus crapulat⁹, & veluti sui oblitus, congruo tempore delicias contemplationis deserat, lacrymarum imbrem contineat, desideria cælestia dissimulet, & in publicū prodeat, vt alios Christo lucretur, & ei verbi persuasione subiiciat. Ideóque optimè dixit Thomas Aquinas: *D. Tho. 2.2.q.184. ar. 7. ad 2.* Maioris esse dilectionis indicium, si quis propter amicum, etiam alij seruiat, quàm si soli amico velit seruire. Nam amor faciens vt seruiamus amico, est velut fluuius alueū suū occupans, & placidè sensimque decurrens. At impellēs nos vt aliis propter amicum famulemur, est veluti fluuius aluei angustias prætergrediēs, & omnia sata, & agros inūdans, qui non solùm amico, sed omnibus rebus eius cupit dona & beneficia præstare. E cōtra verò, amor Dei, qui cùm possit, vsque ad amorem proximi non decurrit, & in proximum exhortationis verba & virtutis exempla non effundit, satis tepidus, & exiguus esse conuincitur. Imò ex sententia Gregorij, *Greg. 1. p. past. c. 5.* qui virtutibus pollens gregem Dei pascere renuit, pastorem suum cōuincitur non amare. Meritò, itaq; Dominus à Petro pastionis curam in signum aut effectum amoris perfecti postulauit. *Ioann. 21. 15. &c.* Simō Ioannis (inquit) diligis me plus his? Ipsique respondēti, etiam Domine tu scis, quia amo te; agnorū suorum curam demandauit illis verbis. Pasce agnos meos.] Quia videlicet non est maius perfectæ charitatis indicium, quàm si quis non solus velit bonis diuinis frui, sed alios etiam enitatur ad eorū participationē prouocare. Quòd si hæc ita sunt, sicut re vera sunt, ille, qui in hac peregrinatione cōstitutus posset perpetuò actibus contēplationis insistere, benefaceret; sed si eos propter amorem proximorū ad tēpus relinqueret, & seipsum dulcedine cupitæ trāquillitatis priuaret, meliùs faceret, & maioris amoris præferret insigne. Quare sapiēter admirabilis Ammianus, volens Eusebio Eremitæ clarissimo viā perfectiore, & iter compendiosus ad diuinum amorem assequēdum ostēdere, ei persuasit, vt relicta solitudine, aliorum salutē curaret, & fratrum gubernādorū onus susciperet. Cui⁹ verba grauissima à Theodoreto relata *Theod. in religiosa hist. c. 4. in Euseb.* licet longiora, subiiciam. Dic mihi (ait ad Eusebium Ammianus) cuinam placere existimans, laboriosam hanc, sordidámque, & squalidā vitam es persecutus? Cùm autem (vt par est) is vtique dixisset, Deo, qui est virtutis legislator, & magister, Quoniam ergo eum amas (inquit Ammianus) ego tibi modum ostendam per quem, & amorem magis accēdes, & ei, quem amas, seruies. Nam quòd omnis tua cura, & industria in teipsum cōuertatur, non effugiet, vt sentio, crimē nimij in te ipsū amoris. Lex enim diuina iubet proximum amare, vt te ipsum. Multos autem opum sumere participes, hoc est proprium veri muneris charitatis. Hanc autem diuinus Paulus appellauit legis *Rom 13. 10 Galat. 5. 14.* plenitudinē Rursus quoque clamat. Tota lex, & prophetæ in hoc sermone in summam rediguntur, nēpe. Diliges proximū tuum, sicut te ipsum.] Porro autem dominus quoque in sacris Euāgeliis, Petro, qui *Ioan. 21. 15. &c.* confessus est eum amare plus aliis, præcepit pascere oues suas Eos autem, qui hoc non fecerunt, reprehendens, clamat per prophetam: ô pastores, nonne *Ezech. 34. 9.* se ipsos pastores pascunt, nō oues? Et ideo magnum quoque Eliam, qui hanc vitàm persequebatur, iussit versari in medio impiorum. Et secundum Eliam, tātopere celebratum Ioannem, qui amplectebatur solitudinem, transmisit ad ripas Iordanis, illic baptizare iubens, & prædicare. Quoniàm ergo, tu quoque es Dei, qui te fecit, ardens amator, multos quoque tecū alios effice amatores. Hoc enim est valde gratum communi Domino. Propterea Ezechielē quoque appellauit, speculatorem, & peccatoribus iussit testificari, & Ionam iussit currere Niniuen, & nolētem transmisit in vinculis.] Hæc omnia Ammianus pulchrè quidem, & eruditè, quibus apertè vitam mistam, & ex contemplatione, atque actione compositam, quæ ob animarum vtilitatem suscipitur, vitæ purè contemplatiuæ præponit.

Est etiam aliud, & quidem efficax huius maioris perfectionis argumentum, quòd vita mista tamquā integrum spiritualis generationis principium, cum aliis duabus vitis, quasi cum partibus, debet cōferri. Vita enim contemplatiua est sicut vir, cui nondum adest fœminei sexus ad filios procreandos adiutorium. Est, sicut Adā cùm solus erat, & nec dum mulieris societatem acceperat. Ita contemplatiuorum institutum vires habet in oratione, & contemplatione, & diuina familiaritate cōceptas quibus quis aliis præpositus poterit illis proficere, sed adhuc non habet materiam, (in quā vires illas internas exerceat, & lucrum externi laboris conquirat. Vita autē actiua, est sine orationis dono, velut mulier viri consortio destituta, quæ potest quidem se ipsam cōseruare, ab omni fœditate purgare, & virtutum decore circundare, nec tamen commodè valet sterilitatem abiicere, & filiorū esse mater, atque ad dignitatē principij spiritualis peruenire. Illi namque spiritus immundos eiiciunt, & animas Deo per gratiam generant, qui voci bonam vitam addūt, appetitus super flua præcidentem, & gemitus, & orationem adiiciūt. dicente Domino Hoc genus dæmoniorum in nullo potest exire, nisi in oratione, & ieiunio] *Marc. 9. 28.* Quòd si nōnulli ministri Euangelij, quorum est bona doctrina, & nulla oratio, & mala vita, aliquem fructū prædicādo faciunt, ille non ipsis tanquam instrumentis bene dispositis debet attribui, sed misericordiæ Dei, qui sicut per os bruti animalis prophetā edocuit, ita per os superbi & iniqui verba sanctitatis profert, & in eis spiritum & efficaciam inuoluit, vt populos ad se trahat, & suam potentiam & bonitatem ostendat. At vita mista est, sicut vir simul & mulier, quæ & gratiam agendi habet, mulieri comparatam, qua filios spiritualiter concipit, conceptos in lucem edit, editos lactat, lactatos pane maiorum nutrit, & nutritos ad debitam vsque ætatem materna auctoritate gubernat: & gratiam orandi possidet viro admodum similem, quæ actionem, tamquam propriam vxorem fœcundat, & dirigit, & ad filios alendos, & domum sustentandam omnia necessaria suppeditat. Fœcundat, efficaciam & spiritum à Domino impetrando; dirigit, mala vt vitentur, & bona vt agantur mōstrādo, necessaria suppeditat, ea ab omniū bonorū Domino humiliter impetrādo. Si ergo perfectius est integrū generationis principiū, quàm altera pars præsidio alterius indigens, perfectissima omnium spiritualium vitarū est vita mista, quæ omnia in se habet ad spirituales filios procreandos, & cœlestes tantùm influxus omni particulari causæ necessarios, id est,

gratiæ auxiliũ,atq; cõcursum exquirit. Dicamus itaque nos de vita cõteplatiua,quod Ambros.in primo homine animaduertit.Sine muliere(inquit)homo nõ habet laudem,in muliere prædicatur. Nam cùm dicit.Non est bonum solum esse hominem, confirmat vtique bonum esse hominum genus, si virili sexui fœmineus sexus accedat.] Nos autem idem prorsus affirmamus,non scilicet esse bonum, id est, omninò perfectum,si vir contemplationis solus sit,neque sine fœmina,hoc est,sine actione,istum mysticum virum habere laudẽ,vsquequaque perfectã,quia deest ei vna ptincipalis pars,sine qua,nec gratiam spiritus aliis communicat,nec perfectissimum fructum charitatis Dei,scilicet,amorem proximi per præstantissimas & verè Apostolicas actiones,demonstrat. *Ambros.*

Si verò in viris,post latam Euangelij legem , melior est status virginitatis,statu cõiugij, & valde laudantur,qui seipsos castrauerũt propter regnum cælorum,quoniam carnis integritatem seruãtes, more angelorum viuunt,nec sordes animæ contrahunt ex curis rerũ temporalium exortas:hoc verũ est,si intra carnis,& sanguinis limites maneat , quam Christus voluit dono virginitatis purgare,non tamen licet ad mysteria spiritualia transferre.Quia esse quempiam spiritualem patrem mẽtis integritatem , & puritatẽ non adimit,quinimo mirificè perficit, sicut in Beata Virgine nostra per partum excelsior fuit & mirabilior apparuit,suæ purissimæ carnis integritas.Secundum quem intellectũ adhuc magna est illa benedictio:Non erit apud te sterilis vtriusque sexus,tam in hominibus,quã in gregibus tuis.] Quia re vera pretiosum est,si fideles vtriusque sexus Deo filios spirituales generent,& greges,hoc est, potẽtiarũ nostrarum spirituales intelligentias concipiãt. Et hæc spiritualis paternitas nos nõ dissimiles Angelis, imò simillimos facit.Inter illos namque spiritualẽ paternitatẽ esse,quatenus superiores , inferiores purgant, illuminãt, atque perficiunt,perspicuè docet Paulus, dicens:Flecto genua meũ ad Patrem Domini nostri Iesu Christi,ex quo omnis paternitas in cælis , & in terra nominatur.]Nos ergo illis similes sumus , cùm ita Deum contemplatione conspicimus,vt etiam filios spirituales generemus.At non poterimus adhuc in ista spirituali paternitate curas rerum humanarũ effugere,quæ mentis tranquillitatem auferunt,& eã sordibus cogitationum inficiũt?Ego quidem has curas non timeo,de quibus Paulus gloriatur,tãtùm abest,vt illas erubescat.Non enim(inquit)erubesco Euangelium,virtus enim Dei est in salutem omni credenti.]Et alio loco.Præter illa,quæ extrinsecùs sunt, instantia mea , quotidiana sollicitudo omniũ Ecclesiarum.]Quis eas curas,tamquam seminaria imperfectionis cõtẽnat , quas Paulus Apostolus perfectissimus,atque sanctissimus suscipit, diligit , amplectitur,veluti suorum meritorũ augmenta, quibus oneratus,& pressus, adhuc sidentèr dicit , quia sua conuersatio in cœlis est. Hæ igitur curæ non inficiunt animam,sed meritis nouis afficiunt : nigram laboribus,sed non deformem peccatis,reddunt. Ideo gloriatur de illis,dicens,Nigra sum , sed formosa , filiæ Ierusalem]Hoc exemplo(inquit Bernardus) sponsa non negat nigredinem,sed excusat , nec probro ducit qualemcumque habitum , quem charitas firmet, iudicium veritatis non improbet.] Denique , quis infirmatur,cum quo non infirmetur. Quis scandalizatur,& nõ vritur? Induit se compassionis næuum, vt morbum in altero passionis leuet , vel sanet. Nigrescit candoris zelo , lucto pulchritudinis. Multos candidos facit vnius denigratio , non cùm tingitur culpa sed cùm afficitur cura.] Sanctæ ergo curæ fra-

Deut.7.14. — *Ephes. 3.14.* — *Rom.1.16.* — *2.Cor.11.28.* — *Cant.1.5.* — *Bern. ser. 28. in cant.* — *1. Cor. 11.29.*

A trum,& misericordes proximorũ sollicitudines,quæ ex magna in Deum charitate procedunt, ad lucrum animarũ tendunt,nos ipsos immoderatè nõ inquietant,& ad thronum Dei sępissimè mittunt,vt aliorũ miserias defleamus,vt pro remedio iniquorũ instemus , vt illis dona & gratias cœlestes impetremus, haud quaquam vitæ mistæ næuũ aliquẽ,aut imperfectionem obtendunt,quin potiùs perfectiorem & accessione meritorum ampliorem efficiunt.

Nomen tãdem,quod datur animæ huius vitæ cultrici , satis manifestè indicat vitam ex suo genere sanctissimam ac perfectissimam fuisse sortitam. Cùm enim ad eum perfectionis gradum ascẽdit , vt
B per vitam actiuam ab omni vitiorũ labe purgata, & per contemplatiuam,supernaturali luce illuminata, Deóque coniuncta, gignendis Christo filiis efficiatur idonea;iam non vocatur adolescentula,nec amica,nec filia,sed sponsa charissima.Huic namque dicitur,Veni de Libano sponsa mea,veni,coronaberis de capite Amana,de vertice Sanir,& Hermon.] De Libano venit,quod nomen dealbatio interpretatur, quia de puritate vitæ,ad coronam æterni præmij recipiendam accedit.Et de montibus coronatur , quia dum regnum prædicat æternum (vt Gregorius ait) dum exemplo suo anima , quæ mundi sunt,vilia esse demõstrat,ipsos etiam potentes ad pœnitentiam inclinat , & sibi ipsi pro eorum acquisitione coronam in cœlestibus parat. Huic etiam datur illud magnæ
C laudis elogium.Hortus conclusus,soror,mea sponsa, hortus conclusus,fons signatus. Emissiones tuæ paradisus malorum punicorum cum malorum fructibus.[Hortus conclusus est,quoniam in seipsa flores virtutum emittit,effectus sancti amoris gignit,& rectam intentionem tenens ab humanis laudibus se prudenter abscondit. Et emissiones eius paradisus, dum verbi prædicatione filios gignit, quos puritate candentes,& ardentissimi amore rubẽtes,quasi malorum,& pomorum odores suauissimos,in supernas mãsiones transmittit.Ista est,in quam omninò quadrat nomẽ sponsæ:Nam & Verbo adhæret,per contemplationẽ,& ei filios generat , per Ecclesiasticam actionem. Dicat nobis Bernardus,quæ anima spõsæ appellatione sit digna?Quam videris(inquit,relictis
D omnibus,Verbo,votis omnibus adhærere,Verbo viuere,Verbo se gerere (quæ omnia contemplationis sũt)de Verbo cõcipere quod pariat Verbo:quæ possit dicere: Mihi viuere Christus est,& mori lucrum (quæ omnia actionis sunt proximis fructuosæ) hanc puta coniugem,Verbóque maritatam.]Et alio loco, postquam dixit : Vineas animas esse fidelium,istam sententiam adiecit.Sponsam tamen nusquã, vt memini,in hoc toto opere apertè adhuc nominatat,nisi modò,cùm ad vineas itur,cũ vino charitatis appropinquatur. Quæ cùm venerit,& perfecta fuerit , faciet spirituale coniugium,& erunt duo,nõ in carne vna,sed in vno spiritu.Dicẽte Apostolo:Qui adhæ-
E ret Deo,vnus spiritus est.]Spõsa ergo hæc appellatur,quoniã vitam perfectiorẽ habet, & institutionẽ sublimiorem,& Christo propinquiorẽ amplectitur.

Nam hæc institutio,ex cõtemplatione, & actione compacta,multò maiorem,ac excellentiorẽ vtriusque operis perfectionem postulat,quàm si vni operi tantùm insisteret. Mixti quippe,& ad vitam Apostolicã euocati,tã orationis,quàm actionis,vt diximus, sunt magistri,atque doctores.Quamobrẽ,sicut munus præceptoris alicui⁹ artis aut sciẽtiæ,maiori eiusdẽ sciẽtię perfectione opus habet,quã mun⁹,aut status discipuli;quoniam iste ex conditione sua tãtùm habet addiscere;ille verò nõ discit,sed quæ optimè didicit , alios non ita prouectos , & literatos,docet:

Cant.4.8. — *Greg.in Cant.c.4.* — *Cant.4.12.* — *Bern.ser. 85.in Cant.* — *Philip. 1.21.* — *Bern.ser. 61. in Cant.* — *1. Corint. 6.17.*

Ita contemplatiuus, aut actiuus (quod ad statū pertinet) vitā habet adhuc virtutis doctrinam addiscētem, & contemplationis lucem comparantem: mixtus verò institutum sequitur orationis, & actionis magnam perfectionem præsupponens, tantam scilicet, vt quis possit in vtroque itinere, & errores, ac deceptiones detegere, & semitam rectam, securámque monstrare. Hoc autem quantæ celsitudinis sit, nemo est, qui non videat. Certe magnus debet esse mundi contemptor, qui alios docturus est mundum fallacē cōtemnere; magnus peccatorum osor, qui populum doctur⁹ est, peccata, & delicta detestari. Necesse est, sit in humilitate, in castitate, in mãsuetudine, atque in aliis virtutibus perfectus, qui alios adiuturus est. Scalam virtutum ascēdere, & earum gradus, & partes debet hominibus aperire. Nec nō, vt sit in dono orationis consummatus, cui hoc munus committitur, vt alios orationem, & cōtemplationem doceat, pericula ostendat; dona discernat, & quid magnum est, quid verò paruū, & quid nihil, & dæmonis illusiones cognoscat: vita virtutum nō tantùm discipula, quatenus à Deo, & Ecclesia, & Prælatis discit, sed etiā omnis sanctitatis, perfectionisq; magistra, quatenus alios docet, & ad veras virtutes comparādas monet, reliquis vitis hác magisterij dignitatē ex natura sua non habentibus, erit illustrior, atque perfectior. Accedit ad hoc, quòd vita ista tantam puritatē amans, tantā sanctitatem amplectens, tantam virtutum omniū absolutionē expostulās, & ex alia parte non in antris, nec in speluncis delitescens, sed inter turbas populorum habitās, eo ipso rarior est, & mirabilior inuenitur, adeò, vt qui ei⁹ partes perfectè egerit, si est, qui perfectè agat, omnes in stuporem rapiat, & in incredibilem admirationem adducat. Si enim (vt optime dixit Gregorius) non est valde laudabile bonum esse cum bonis, sed immensi est præconij bonum inter malos extitisse; quāti preconij, imò quātæ admirationis erit inter frequentissimas populorū turbas, in quibus multi iniqui, & pessimi viuūt, non solū bonum extitisse, sed hanc innocētiā, quam diximus, hunc mundi contēptum, hanc mentis tranquillitatē, hunc spiritū orationis & contemplationis studium cōseruasse? Equidē puto hoc mirificentissimū esse, quod Deo summè placeat, Angelos magnopere delectet, & hominibus sapiētibus, & fidei luce perfusis valde perfectum simul ac difficile appareat.

Greg. 1. mor. c. 1.

Ex his autem, quæ de vitæ mistæ sublimitate annotauimus, illud certe licet colligere, vt qui eam profitentur, de altitudine status non superbiant, sed de sua tepiditate erubescāt, & de die reddēdæ rationis timeāt, cùm pretiosissimi talēti sibi commissi Domino sunt vsuras oblaturi. Quia non sufficit in celsissimum statum ascēdisse, si abiecta vita statui non congruat, neque sequitur statim, vt si admirabilis est instituti perfectio, ipsi, qui illud habēt, sancti sint, atque perfecti. Curent ergo in statu perfectissimo perfectā habere vitā, & siquidē duo onera contemplationis, & actionis susceperūt, duplū etiam conatum apponere, & contēplādi & prędicādi duplicē sustinere laborē. Quātò maiores sunt, iuxta consiliū Ecclesiastici, humiliēt se in omnibus, & vniuersis libēter se subiiciāt, & coram Deo inuenient gratiā, vt possint non tam professionis honorē, quàm onus sustinere, & ei vita, & actione satisfacere. Qui autem statū mixtorum nō habēt, aut quia religionis ad solam actionē, vt solam cōtēmplationem fundatæ institutio impedit, aut certè sexus infirmus, & muliebris obstat, nequaquā tristitiæ aut mærori se subdāt, scientes, quòd si magis ament, & maiori cū mentis puritate viuāt, maiorem quàm mixti in hac vita sanctitatem, & in

Eccles. 3. 20.

A alia gloriosius præmium assequentur. Curent in ipsa solitudine, quam solis cum fratribus eiusdem professionis incolūt, aliquid (prout patrum instituta ferent) vitæ mistæ tenere, commilitones suos exemplo docendo (qui præstantissimus prædicādi modus est) virtute ad virtutē incitando, & priuatis colloquiis ad feruorem ac perfectionem adhortando. Neque ista tamquam parua contemnant, quia re vera parua nō sunt: cùm vitæ mistæ sublimitas non ex frequentissima turba, ad quam quisque concionatur, neque ex potentibus, & illustribus viris, qui audiunt, petenda sit, sed ex ardore charitatis, & ex vero, & solido fructu captanda. Quòd si quis in curiis regum prædicans, superbia turgidus, nihil nisi admirationem, & plausum ex suo labore decerpat, & alius in cœnobio solitario consistens, modestia, & amore proximi

B fulgens, aliquem fratrem tepidum suo exemplo & verbo ad feruorem incitans, eius animam ad virtutis fastigium adducat, non dubium quin istius vita Deo acceptior sit, Angelis amabilior, & præmio atque mercede opulentior.

Fœminis autem vitam religiosam agentibus, hoc cōsilium damus, vt Mariam Oegniacensem sanctissimam fœminam imitentur. Quæ cùm sexu impedita concionari non posset, multis suspiriis, & lacrymis, multis precibus ac ieiuniis à Domino postulauit, vt aliquem insignem concionatorem mitteret qui suum ingens desiderium animas lucrandi suppleret. Quod & obtinuit. Nam Dominus precibus eius, & piis desideriis annuens, quemdam concio

Surius in I. tomo lib. 2. vita c. 4.

C natorem excitauit (is fuit, vt credimus, Iacobus de Vitriaco Episcopus, & Cardinalis doctissimus, qui vitæ eius texit historiam) qui sanctæ mulieris meritis, ac orationibus vires corpori, verbum cordi, & efficaciam in sermone accipiebat, vt animas ad bonā frugem reuocaret. Orent igitur fœminæ religiosæ pro Ecclesia Dei, infidelibus fidem, hæreticis lumē peccatoribus gratiam, istis donum perseuerantiæ petant: rogēt obnixè Dominum, vt mittat operarios in messem suam, operarios, inquam, inconfusibiles qui priùs faciant, & postea doceant, qui Christum prædicent crucifixum, qui non se ipsos, sed Dei gloriam, & animarum salutem quærant, qui magis orando, & gemendo, quàm loquendo laborent: Huic

D orationi vitam putam, & illibatam, atque à collo quiis virorum abhorrentem adiungāt, & certò sciāt se non parum Ecclesiæ profuturas, & minimè prædicatorum mercede carituras.

Quòd vita mista sit aliis duabus temporis executione posterior.

CAPVT XLIV.

SI vita mista, vt monstratum est, reliquis est natura præstātior, & institutione sublimior, facilè intelligemus, quòd sicut dignitate, & nobilitate est prior, sic debet esse in exercitatione posterior. Ita enim natura comparatum est, vt

E in rebus, ea quæ sunt imperfectiora præcedant: quæ verò perfectiora & altiora, sequantur. Homo priùs ex vtero matris prodit tenellus infās, deinde fit puer, postea adolescens, postmodum iuuenis, ac his emensis ætatum spaciis vir robustus, & prudens efficitur. Scientiæ à primis, & manifestissimis elementis incipiunt, & ad rerum occultissimarum cognitionem procedunt; ars militaris & nautica, professores suos, primùm in abiectis, aut certè moderatis obsequiis constituunt, postea ad dignitatem gubernationis extollunt: quin & natura ipsa

ex

ex pusillo semine in principio, tenellam arbuscu lam, & quæ nullo negotio auelli potest, emittit,& post modum in proceram arborem, ita terræ radici bus affixam assurgit, vt nulla humana vis eam extrahere, aut dimouere possit. Eodem igitur modo spiritualis vita, non tam à natura, aut ab arte, quàm à diuina gratia perdocta, iustum, quem in filiū excipit, primò lacte laborum corporalium,& micis propriç abnegationis lactat; secundò, cibo orationis,& contemplationis reficit; ac tandem laborum spiritualiū & cōuersionis animarum pane sustētat. Cuius quisque eruditionem sequens, si vult non errare, eundē ordinē in suis actionibus teneat, vt videlicet primò se per vitam actiuam à vitiis purget,& decore virtutum exornet; deinceps orationis, & meditationis pretiosissimis cibis fortem & robustum faciat, atq; Deo, à quo ista fortitudo petenda est, magno se desiderio coniungat; & demum fortis, & animosus effectus ad bellū prodeat, & aduersus aliorum vitia expeditionē suscipiat. Si enim infirmus: & imbecillus bellare contendat, aut hostiū impetu victus, & prostratus cadet, aut magno labore se conficiens, nihil arduum & difficile ad finem vsque perducet. Auicula sine alis volare contendens, non in altum se subleuat, sed ad ima cadit; viator sine viribus, & pecuniis ad iter se accingens, in media via lassus, fatigatúsque subsistit; inscius cum astuto ad disputationē progrediens irrisioni audientium patet; & imperfectus ad magisterium perfectionis ascendens, aut miserabiliter decidit, aut ferè nihil agit, aut irrisioni dæmonum seipsum exponit. Neminem quippe Diabolus magis irridet, quàm impudicum de pudicitia loquentem, superbum humilitatem docentem,& virtutibus vacuum, ad virtutem & sanctitatem exhortantem.

Istum nostræ vitæ,& actionum ordinem Saluator noster Christus exemplo suo apertè mōstrauit, & in mundum veniēs omnem implere iustitiam, huic institiæ parti. qua in iustitiæ operibus ordo constituitur, ius suum non denegauit, neque eam sine suæ institutionis exemplo dereliquit. Erat quidem ille ab ipso conceptionis initio infinita sapientia præditus, qui cuncta creata,& creanda, imò,& vniuersa possibilia cognouerat: & vir, si non ætate, sed rerum cognitione; & fortitudine in vtero matris existens (Nam, vt Ieremias ait; Fœmina circumdabit virum) bene poterat, statim atque in lucē est editus, munia virorum aggredi, & hominum magisterium obire. Non tamen sic fecit, sed ordinem & modū seruauit, in ostensione virtutum, vt nobis discretionis & ordinis se præberet sapientissimum præceptorem. Principio namque quamdam in seipso vitæ actiuæ formam exhibuit, cùm descendens cū matre, & pædagogo venit Nazareth,& erat subditus illis.] Quænā quæso erat ista subiectio, nisi illa eximia, quæ ad vitam actiuam pertinet, reuerētiæ delatio, humilitatis ostensio, obeditionis exhibitio? De honore, ac reuerentia, hęc Ambrosius. Quid enim magister virtutis, nisi officium pietatis impleret? Et miramur si patri deferr, qui subditur matri? Non vtique infirmitatis, sed pietatis ista subiectio est.] De humilitate. hæc Bernardus Deus cui Angeli subditi sunt, cui principatus, & potestates obediunt, subditus erat Mariæ: nec tantùm Mariæ, sed etiam Ioseph propter Mariam. Mirare ergo vtrumlibet,& elige, quid amplius mireris, siue filij benignissimam dignationem, siue matris excellentissimam dignitatem. Vtrimque stupor, vtrimque miraculum. Et quòd Deus fœminæ obtemperet, humilitas absque exēplo, & quod Deo fœmina principetur, sublimitas sine socio.] Et paulò

Ierem. 31. 22.

Luc. 2. 51.

Ambr. in Lucam.

Bern. ser. 1. in Miss. est.

A pòst. Erubesce, superbe cinis, Deus se humiliat,& tu te exaltas? Deus se hominibus subdit,& tu dominari gestiens hominibus, tuo te præponis auctori? De obedientia, hæc Origenes. Si Iesus filius Dei subiicitur Ioseph,& Mariæ, ego nō subiiciar Episcopo, qui mihi à Deo ordinatus est pater? Non subiiciar presbytero, qui mihi Domini dignatione præpositus est? Et cætera.] Hæc fuerunt in terra virtutum Christi primordia, reuerentia, humilitas, obedientia, vt discamus,& nos ista esse vitæ spiritualis initia, quia nec sine ambitione honorem admittes, si nulli honorē, ac reuerentiam detulisti, nec securè in dignitatem, aut magisterium ascendes, si numquam te ipsum deiecisti: nec scies prudenter iubere, si priùs non didicisti obtemperare.

Origen.

B Hoc verò illustrissimo exemplo vitæ actiuæ mōstrato, contemplatiuæ vitæ hominibus formam prærogauit,& per triginta annos tacens, ac profundissimo silentio se cōtinens,& post baptismum in desertum locum ieiunij, & orationis causa secedens. Nā quid tot annis nihil externum agēs, egit illa summa maiestas? Cuinam rei intendit? in quo se occupauit? Certè eius opus cōtemplatio erat, eius labor oratio, eius institutum præcipuū, habita cum æterno Patre colloquia. Audi Bonauenturam, quo pacto hoc tēpore Christum vitæ contemplatiuæ præceptorem ostendat. Subtrahebat se (inquit) à consortio,& conuersatione hominum. Ibat ad Synagogā, id est, Ecclesiā; stabat multùm ibi in oratione, in loco viliori se ponens. Redibat domum; stabat cū matre, & aliquando suum nutritium adiuuabat. Pertrāsibat eundo,& redeundo inter homines, ac si non videret homines.] Orationi incumbere, inter homines nihil aduertens, pertrāsire, mortalium consortia declinare, ieiuniis, ac vigiliis se affligere, vitæ contēplatiuæ sūt munera, nobis à Saluatore nostro, post vitæ actiuæ labores ostensa, quæ debemus cum animi alacritate suscipere, & in eis toto tempore, quo nobis à Prælatis permissū fuerit, perdurare, ne saltantes iter spiritus ambulemus,& volentes prioris vitæ partes trāsilire, in superbię barathrū præcipites incidamus.

Bonau. lib. 6. meditat. c. 15.

C

D His autem duobus viæ spatiis emensis, non propter ipsius Domini necessitatem, sed propter exemplum; & ipse Iesus erat incipiēs quasi annorum triginta.] Tunc profectò cœpit prædicare,& doctrina, atque miraculis viam salutis ostendere; vt reprimat temerarios (inquit Beda) qui omnem ætatem ad hæc officia idoneam credunt.] Vt erudiat dociles, quando debeant ad lucra animarum exire, cùm videlicet seipsos per mortificationis, & virtutum moralium actiones lucrati sunt; cùm per orationem & meditationem assiduam lucem ad docendum, quæsierūt, & spiritum ad mouendos peccatorum animos compararunt. Nam imparatos,& imperfectos ad ministeria animarum exire, Gregorius putat Dominum in Deuteronomio vetuisse, cùm arare in primogenito bouis prohibuit. Non arabis (inquit) in primogenito bouis.] Per hunc primogenitum primæuam ætatē, & necdum virtutibus excultam intelligens. Cuius mandati transgressio, quāti sit periculi, Beatissimus Doctor his verbis expressit. Primogenitū enim bouis accipimus in infirma ætate primi nostri temporis bonam operationem In qua tamen arādum non est, quia cùm prima sunt adolescentiæ, vel iuuētutis nostra tempora, nobis adhuc à prædicatione cessādum est, vt vomer linguæ nostræ proscindere non audeat terrā cordis alieni. Quoad vsque etenim infirmi sumus, continere nos intra nosmetipsos debemus, ne dum tenera bona citiùs ostendimus, amittamus, quia & arbusta plātata, si priùs in terra radicata

Luc. 3. 23.

Beda in Luc. c. 3.

E

Deut. 15. 19.

Greg. hom. 2. super Ezech.

non fuerint, manu tacta citiùs arescunt, at, si semel radicem fixerint, manus tãgit, & tamen nihil officit, venti impellunt, nec tamen impellentes lædunt. Et constructi parietes, si impellantur, eruuntur, nisi à suo priùs fuerint humore siccati. Mens itaque quousq; ab humore prauitatis suæ, priùs nō fuerit exiccata, alienæ linguæ manu tangi non debet, ne prius quàm plenè percipiat, perdat soliditatem suam, ne impulsa ruat, ne velut arbustum sine radicibus, dum plusquā tolerare valet, cōcutiatur, arescat. Ad exemplum ergo non sunt ostendenda, nisi quæ firma sunt. Priùs etenim conualescere debet mens, atque ad vtilitatem proximorum postmodum demonstrari, cùm iam nec per laudem eleuata corruat, nec per vituperationem percussa contabescat. Volens itaque Dominus his periculis, & malis remedium afferre, quæ ex immatura prædicationis administratione nascuntur, ab obedientia, & humilitate inchoauit, in silentio, & assidua contemplatione durauit, & in officio prædicationis finiuit, vt nos eius vestigiis inhærentes, prius mentem nostram à peccatis, ac vitiis purgemus, & humilitatis, obedientiæ, ac omnium virtutum gemmis decoremus: Deinde oratione, & contemplatione rerum cælestium, & amore silentij, & cellæ ad occasiones temporis, & distractionis, quæ in conuersatione cum sæcularibus magnæ sunt, & frequentes, nos præparemus, & tandem, non nisi obedientia, & charitate compulsi, ad onus prædicationis, aut prælationis subeundum exeamus.

Non solū autem Dominus in seipso, verùm etiam in gubernatione familiæ suæ, & discipulorum suorum, huius triplicis vitæ ordinem ostendere voluit. Mundum quippe à Diaboli potestate liberaturus, & ad seipsum per fidem, & amorem tracturus, & in patris amicitiam euecturus, discipulos sibi asciuit, huius gloriosi operis administros, quos præstantissimi muneris nobilitate dignaret: Hos autem primò quidem sibi socios, & commilitones adiunxit, sanctitatis suæ exemplo, ad mundi contemptum, ad odium omnium vitiorum, & virtutū amorem allexit; opere & verbo ad studium orationis, & contemplationis permouit, vt idonei orbis magistri, & præceptores, ex eius schola, ad docendum, prodirent. Postquā verò per aliquod tempus eos secum in hac virtutis institutione retinuit, prolixa oratione præmissa, vocauit discipulos ad se, quos scilicet exemplo iam, & doctrina nutrierat, & elegit duodecim ex ipsis, quos & Apostolos nominauit.] (Luc. 6. 13.) Et, quia copiosissimę messi tam pauci operarij minime sufficiebant, post aliquātulum temporis, designauit & alios septuaginta duos, & misit illos binos ante faciem suam in omnem ciuitatem, & locum quò erat ipse venturus.] (Luc. 10. 1.) Apostolis autem electis, orandi formulam, tam ipsis quàm omnibus aliis præscripsit, dicens: Sic ergo vos orabitis. Pater noster, qui es in cœlis.] (Matt. 6. 9.) Nō quia ante orationis doctrinam omninò tacuerit, sed vt ea, quæ oratione petenda sunt, breui sermone concluderet, & quid quoque loco desiderandum à nobis sit, & quærendum, sub forma orationis ostenderet. Meritò quidem Dominus, & vsq; ad perfectā ætatem siluit, & in eligendis Apostolis, designandisque discipulis aliquantulum expectauit, vt charitatis ordinem nos edoceret, quæ nō ab aliis, sed à nobis ipsis debet incipere, secundū illud: Miserere animæ tuæ placens Deo.] (Eccl. 30. 24.) Nam, quæ, rogo, charitas erit nostræ salutis obliuisci, vt proximis consulamus, aut quæ prudētia, si cū nostræ animæ detrimento fratrum salutem curemus? Charitatis præceptum in hæc verba promulgatum est. Diliges proximū tuū, sicut teipsum.] Quod autē vltra nos ipsos diligamus, nec Dominus iubet, nec charitas exigit, nec iustitiæ lex, aut regula prudentiæ consentit. Hunc appetitum docendi ante tempus, quo aliqui stimulantur, & temeritatem, qua seipsos effundunt, Bernardus, multis ac grauissimis verbis, in quodam loco perstringit. (Bern. ser. 18. in cãt.) Et inter alia, sic ait. Cæterùm tu frater, cui firma satis propria salus nōdum est, cui charitas adhuc, aut nulla est, aut adeò tenera, atque arundinea, quatenus omni flatui cedat, omni credat spiritui, omni circumferatur vento doctrinæ, imò cui charitas tanta est, vt vltra mandatum quidem diligas proximū tuum plusquàm teipsum: & rursus tantilla, vt cōtra mandatum fauore liquescat, pauore deficiat, perturbetur tristitia, auaritia cōtrahatur, protrahatur ambitione, suspicione inquinetur, cōuitiis exagitetur, curis euisceretur, honoribus tumeat, liuore tabescat; tu inquam, ita in propriis teipsum sentiens, quanam dementia, quæso, aliena curare, aut ambis, aut acquiescis? Et satis egregiè. Nam istorum charitas, qui sui ipsorum obliti, profectibus aliorum intendunt, ex vna parte eximia videtur, vltra quàm par est: siquidem vsque ad iniuriā propriæ sanctitatis procedit, ex alia verò tā modica, aut nulla, vt nec sibi ipsi consulat, cui tāquam rei magis cōiunctæ maior debebatur, & diligentior affectus.

His tam propriæ salutis contemptoribus, & tam alienæ salutis cupidis, optimè conuenit illud Amos: (Amos. 8.) Quādo transibit mensis, & venundabimus merces, & sabbatum, & aperiemus frumentum?] Quousque tandem, inquiunt, abscōsi, & inglorij erimus? Quam diu in hac ignaua, & socordi otiositate consistemus? Quando elapsum erit tempus tacendi, & nobis tantùm prospiciendi? Et scientiam, ac eloquentiam tanto labore conquisitam in publicum producemus, & ex pulpitis, atq; cathedris concionatorum, & magistrorū more proclamabimus? Et quare, ô miseri, odio habetis silentium, & cellam? quare ante tempus statum humilitatis deseritis? quare adhuc teneri, & imbecilles ad virorū officia properatis? Si charitas fraterna impellit vos, scitote, quia charitas neminē cū proprio dispendio ad aliorum profectum curādum, instigat. Non ex imus, (inquiunt) nec nostram salutē posthabemus, vt charitatis legem impleamus: sed vt imminuamus mensurā, & augeamus siclum, & supponamus stateras dolosas, vt possideamus in argēto egenos, & pauperes pro calceamētis, & quisquilias frumenti vendamus.] (Amos. 8. 5.) O quàm verè respōdent! Hæc sanè auent imperfecti, hæc cupiunt, cùm nec dum à vitiis exoluti, & in virtute radicati, & in spiritu orationis fundati, ad lucrandas aliorum animas progrediuntur. Mensuras mittunt, quia eum plausum à populis, quem sperabāt, non recipiunt. Siclos augent, quia vt honorem concupitum venētur, inanes labores, & perniciosas animi distractiones, præteritis distractionibus addunt: stateras dolosas supponunt, quoniā solis vocibus, & corporis gestibus, nō verò efficacia spiritus animas ad Dominū adducere intēdunt. Solo eloquētiæ argento volunt sibi conciliare populos virtutis egenos, & pro humanis, & prophanis historiis (quæ proh dolor, pro diuinis Scripturis passim ex suggestu sæcularibus proponuntur) quærūt idiotas, & stultos allicere, & has paleas, & purgamenta Ethnicorū, tritico scripturarum admista venditare. Istud quærunt; & istud malo suo assequuntur, quia ambitionis pleni, & superbia distēti, spiritu autē virtutis, & orationis vacui, Apostolica ministeria exercenda suscipiunt.

Tu ergo frater, qui mundi pericula per vitam religiosam effugisti, vt vitam spiritualem, scalam vtique cælestem, arriperes, & per quindecim gradus eius in æternas mansiones conscenderes, noli

fine

sine ordine in his gradibus affectuum tuorum pedes figere, & formam à Christo Domino nostro, suo exemplo præscriptam, temerariè transilire. A minimis incipe, vt ad mediocria procedas; mediocria ne contemnas, vt ad maxima, & planè difficilia, sine ambitionis nota, peruenias. Domum vitæ actiuæ satis tutam, & securam primùm inhabita. In ea non oscitanter, sed diligenter, nō cursim, sed lentè peccata tua in sæculo facta deplora; vitiosas affectiones extirpa: passiones effrænatas, & iam assiduis actibus roboratas, comprime; rerum mundanarū, præcipuè honoris, & dignitatum amores relega: virtutū moralium chorum tibi, tum ardentissimo desiderio, tum verissima possessione, coniunge. Ne cogites te oleū & operam perdere cùm tibi vacas: imò teipsum doces, vt alios instituas, tuam domum opibus amplificas, vt habeas, vnde aliis salutis documenta cōmunices. Ne assensum præbeas his, qui beatum te dicunt, & re vera te seducunt, qui tibi suadent, vt nec dū grandis factus, onera grandiū supportes. Responde illis, quod Bernardus sapientissimus, quibusdā sibi otium exprobrantibus respondebat. Nonnūquam ego (inquit) cùm sederē mihi ad pedes Iesu mœrens, & offerens sacrificiū, spiritus contribulati, in recordatione peccatorum meorum: aut certè ad caput, si quādo, vel rarò starem, & exultarem in recordatione beneficiorum eius, audiui, dicentes: Vt quid perditio hæc? causantes videlicet, quod soli viuerē mihi, qui (vt putabant) multis prodesse possem, & dicebant: Potuit enim venundari multò, & dari pauperibus. Sed non bonum mercatum mihi est, etiamsi vniuersum mundum lucrer, meipsum perdere, & detrimentū mei facere. Vnde intelligens verba hęc inter illas esse, quas Scriptura loquitur, muscas morituras, quæ perdunt suauitatē vnguenti,] recordatus sum illius diuinę sententiæ; Populi meus, qui te beatificant, in errorem inducūt. Verùm audiant excusantē Dominū, & respondentem pro me qui me quasi de otio incusāt. Quid (inquit) molesti estis huic mulieri?] Quod est, vos videtis in facie, & ideo secundùm faciem iudicatis. Nō est vir (vt putatis) qui possit mittere manum ad fortia, sed mulier. Quid tētatis ei imponere iugum, ad quod ego eum minùs sufficientem intueor: bonū opus operatur in me. Stet in bono, quamdiu non conualescit ad melius. Si quādo de muliere in virum, & virum perfectum profecerit, poterit & in opus perfectionis assumi.] Hæc verba viri sanctissimi tibi assume, eorúmque sensu & veritate te protege, cùm ante aptum tempus, ad curandarum animarum laborem incitatis. Sede in ciuitate iuxta præceptum Domini, hoc est, intra cellæ secreta te contine, quoad vsque induaris virtute ex alto,] quia nequaquā res prosperè tibi succedēt, si nudus, & inermis, si etiam prauis affectibus, & vitiis morbidus ad pugnam exeas, manus cum hostibus conferas, & aduersariorum cuneis, te solum & auxilio destitutum committas.

Bern. ser. 12. in cāt.

Eccles. 10. 1. Isai. 3. 12.

Matt. 26. 10.

Luc. 24. 49.

Postquam verò actiuæ vitæ cursum exegeris, contemplatiua vita in suam domum te orationis donū sitientem, & suauem sapientiæ gustum esurientem excipiat. Apponat tibi sanctarū scientiarum studiis vacanti, dulcissimas piarum meditationum escas, quarum suauitatem expertus, terrenas voluptates, & dignitates conculces, & hominū laudationes, & plausus rideas, atque despicias. Vina pretiosa diuinarum consolationū tibi propinet, quibus inebriatus, nec persecutiones sētias, nec detractiones aduertas nec tribulationes, quæ in sacris ministeriis passim occurrunt, aut fugias, aut timeas. In hac officina contēplationis prudentium virginum responsum expen-

A dēs, eme tantùm olei charitatis, quod nō solùm tibi, verùm etiam aliis abundè sufficiat. Quæ nāq; prudentia erit ex eo, quòd tibi non satis est, proximis erogare, & aliis comedentibus, te fame perire? Audi consilium Pauli, audi, & magna diligentia custodi. Nox, vt aliis sit remissio, vobis autem tribulatio, sed ex æqualitate. In præsenti tempore vestra abundantia illorum inopiam suppleat.] Si ergo non abundas, si ferè nihil charitatis habes, quanam ratione audes, ac si esses ditissimus, in alios tuum oleum profundere? Richardus sanè Victorinus rerum spiritualiū peritissimus, oppositū laudat, & magna asseueratione suadet. Meritò (inquit) imperfectus, quamdiu non habet, nisi parum olei charitatis, quo ipse tan-B tùm vngatur, & nondum per intima dona gratiæ solidari meruit, non vult exteriùs implicari, ne curarū sæculariū æstuet humanæ conuersationis, & mutabilitatis vento cōtingat eum ab eo exiguo, quod accepit, exsiccari. Exterior enim occupatio imperfectos citò immutat, & deiicit, quia muscæ moriētes, id est, cogitationes mundanæ, perdunt suaue vnguentum gratiæ minùs in anima fundatæ. Cupit ergo abundare prius sibi, vt sic possit aliis infundere: Hoc oleo vult potiùs inungi, quàm vngere, de pleno fundere, quàm effundere, fluere, quàm effluere. Qui enim indiscretè aliis prodesse cupit, & ante tēpus effundit, semper inops, & à gratia vacuus manet. & profectū suū impedit, & aliis minus proficit.] Si itaque teipsū C & alios saluare velis, quære priùs per orationis studium, per gemitum, & lacrymarum ministerium charitatis oleum, quo aliis prosis, & teipsum in timore Domini. & in omni puritate conserues.

2. Cor. 8. 13. & 14.

Richar. in Cant. c. 8.

Sic autem per actiuam vitā ab omni terrena fæce purgatus, & per contemplatiuā, diuina sapientia illuminatus, atque Deo amoris nexu coniunctus, homo terrestris esse desiisti, & in hominem cœlestē, aut potius in quoddam spirituale cælum commutatus es. Et nūc adhuc ne te ingeras, expecta obedientiæ ductum, prælati iussum, Dei per superiores tuos præcipientis imperium; quia signum est, quòd parū profecisti, si ad animas conuertendas exire non times: & quia hoc munus tibi adhuc nō committitur aut contristaris, aut murmuras, aut importunis precibus occupationē, aut munus à prælatis extorques. Sed si ipsi præcipiāt, iam tamquam cælum quoddā, D non vt teipsum commendes, sed vt Dei gloriam, & magnificētiam laudes, mortales splendore doctrinæ illumina, auctoritate, quam doctrina comparasti pusillos protege, & pluuia verbi salutaris ad fructificandum terrā humani cordis irrigare ne cesses. Tales enim sunt cæli, quibus Ecclesia circundatur. Hæc namque, quæ adhuc peregrinatur (vt inquit Bernardus) habet cælos suos, homines spirituales, vita & opinione conspicuos, fide puros, spe firmos, latos charitate, contemplatione suspensos. Et hi pluentes pluuiam verbi salutarem, tonant increpationibus, coruscant miraculis; hi enarrant gloriam Dei; hi extenti sicut pelles super omnem terram, legem vitæ, E & disciplinæ digito quidem Dei scriptam in semetipsis ostendunt ad dandam sciētiā salutis plebi eius; Ostendunt, & Euangelium pacis, quoniam Salomonis sunt pelles. Prius igitur cælum sis, & tale cælū, quale sanctus hic descripsit, vita, & opinione lucidum, virtutibus purum, & firmum contemplationis dono à terrenis diffitum; & tunc securè poteris officium cæli vsurpare, & proximos verbo & exemplo in officio continere. Si verò nec dum (vt tibi videtur) virtutibus, & orationis dono sufficienter instructus à prælatis ad prædicandum, vel aliud ministerium exire cōpelleris, ne nimis onus detrectes,

Bern. ser. 27. in cāt.

nec iussioni maiorum contradicas, sciens, quia Dominus potens in misericordia, paupertatem tuã ditabit, defectus supplebit, & vires, tum internas tum externas, ad laborãdum suppeditabit. Ipse enim, qui obedientiæ est amator, humilitatisq; protector, tua obedientia placatus, & humilitate contentus, quæ vltro se offerenti nocerent, faciet, vt humiliter obedienti, non noceant, neque altissimarum functionũ A exercitationem impediant. Quod adhuc mortificationis deest, tribuet, quod vitiorum, & paucorum affectuum manet, extinguet, quod virtutis desideratur, inseret, quod orationis abest, abundè erogabit: & manifestè videbimus, quia vna humilis obedientia, ea bona congregat, quæ superba arrogantia, & ambitio temeraria dispergit.

ORATIO AD POSTVLANdam vitam spiritualem.

DOMINE Deus omnipotens, & Sancte, qui purus & illibatus spiritus cùm sis, carnis fœditates & spurcitias exhorres, atque à creaturis tuis in spiritu & veritate vis adorari; respice nos pauperculos & imbecillos oculis immensæ benignitatis tuæ, & quos per religiosam vocationem à cæcitate sæculi eripuisti, à morte operum carnalium exoluisti, & ad vitam spiritualem inuitasti, fac, opere vitam spiritualem tenere, & ardentissimè ad expugnationem vitiorum, assecutionem virtutum omnium, & ad orationis studium aspirare. Lacrymæ, ô Domine Deus meus, nos à peccatis emundent: gemitus & mortificationis labores à vitiis ac prauis affectibus liberent, actiones studiosæ sanctarum virtutum indumentis exornent, & orationis dona, mentem nostram, & omnes affectus cordis nostri tibi copulent, vt viri sancti & spirituales effecti, & tibi gratissimi, & proximis nostris vtiles inueniamur.
Amen.

DE

DE NATVRA PERFECTIONIS VITAE SPIRITVALIS LIBER TERTIVS.

Proœmium.

HACTENVS huius operis fundamenta iecimus, dum religiosa corda ad vitæ spiritualis amorem allieximus, & ipsius vitæ naturam, & partes exposuimus: æquũ est iam, vt perfectionem docendo, & præsidia ad eam cõsequendam aperiendo, ædificationis molem extruamus. Huius ædificij culmẽ, quod reliqua omnia complet, ornat, atque consummat, sãcta perfectio est, sine qua, templum Dei sanctum, quod
1. Cor. 3. (affirmante Paulo) sumus nos] cœptum tantùm, ac semifactum, non absolutum, neq; elaboratum manet. Ab hoc autem culmine (post fundamenta iacta) sumendum est nunc nostræ disputationis exordium, quoniam ex illo, qualis structura spiritualiũ operũ futura sit, clarè manifestéque cognoscitur. Est enim perfectio, non solùm velut tectum totius vitæ spiritualis, quam, vt pulcherrimam domum regi sæculorum construimus; sed etiam scopus, & finis omniũ religiosarum actionũ, in quem omnes cogitationes nostras, omnia desideria, & omnes mentis conatus ordinamus. Quare, licèt, vt tectum, siue culmen totius fabricæ est, post factos circumspectionis parietes, post columnas stabilitatis erectas, post distincta mortificationis atria, & virtutum cubicula, post superposita internæ quietis cænacula, sit in opus producenda: tamen, vt scopus & finis est, ante omnia virtutis studia, peruidenda est & consideranda. Finis
Arist. 3. ethic. 3. námque (vt summus philosophus, non minùs breuiter quàm veraciter ait) in consultationem nõ cadit,] sed eo in principio cuiusque operis cognito, & intẽto, de his, quæ ad finem consequendum conferũt, deliberamus, & consultationem efficimus. Atque adeò finis, qui assecutione posterior est cognitione, & intentione mentis semper est prior, primo scilicet loco perspiciendus, & ante omnia, quæ ad eum assequendũ vtilia sunt, profunda mentis attentione considerandus. Quemadmodũ ergo, qui itineri, aut nauigationi, seipsos dare constituunt, priùs sciãt necesse est, quò tendant, & in quem locum, aut vrbem proficiscantur; ne si absq; cognito fine iter carpãt, aut cursum maris arripiant, vnde requiẽ, & securitatem accipere debuissent; inde maiora pericula, & labores accipiãt: Ita iusti, qui spiritualem vitam, atque æternitatis itinera ambulare decernũt, oportet in principio horum itinerũ finem, & scopum, scilicet perfectionem agnoscãt; ne post multas preces, post multas vigilias, atq; ieiunia, post multos annos in religiosa vita cõsumptos, se sanctitatis pauperes videãt, & minimè pretiosam puritatis gemmã (quã

A quæritabant) inueniant: Idcirco Ioannes Cassianus sapientissimus rerum spiritualium magister, à monachi destinatione, & fine, spiritualia patrũ colloquia exorsus est, quia videlicet, ignorato totius vitæ spiritualis fine, aut mentis oculis nõ semper obiecto, necesse est religiosum, tamquam in multa dispersum, huc atque illuc diuagari. Verissimè enim ait egregius omnium religiosorũ præceptor. Hac nobis destinatione proposita (& loquitur de monachi scopo) semper actus nostri & cogitationes ad eam obtinẽdam rectissimè dirigentur. Quæ, si præ oculis nostris iugiter statuta non fuerit, nõ solùm cunctos labores
B nostros, varios pariter, atque instabiles reddens, incassum eos, atque sine vllo emolumento compellet effũdi, sed etiam cogitationes omnes diuersas, sibiq; contrarias suscitabit. Necesse est enim mentem, quò recurrat, cuive principaliter inhæreat, non habentẽ, per singulas horas atque momenta pro incursuum varietate mutari, atque ex his, quæ extrinsecùs accidunt in illum statũ continuò transformari, qui sibi primus occurrit.] Sic ille scripsit, animaduertens quanti referat vitæ spiritualis Doctores in principio huius doctrinæ cælestis perfectionem docere, & discipulos eandem cogitatione apprehẽdere, ne in incertum currant, & scopum suorum laborum ignorantes seipsos sine fructu, aut cum paruo emolumẽto
C discrucieẽt. Eandem viam sanctissimi & illustrissimi patres Basilius, Augustinus, & Benedictus sũt ingressi: Nam illi in suis ad monachos præceptionib⁹ & hic in sua regula, post prælati eruditionẽ, à charitate, id est, à perfectione auspicati sunt, hanc sæculo renunciantibus præfigentes, ad quam assequendam vniuersas actiones dirigãt, quicquid ad eius adeptionem iuuat, amplectãtur, & quidquid ab ea retrahit, licèt primo aspectu, aut vtile, aut pulchrũ videatur, vt perniciosum noxiúmque deuitent. Quin & ipse Basilius, an ordo sit in mandatis Domini interrogatus, intrepidè ait, non sine ordine Dominum virtutum actus functionésque mandasse. Nam cũ inter-
D rogationi de primo legis præcepto respondisset, primum præceptum esse, Diliges Dominũ Deũ tuum ex toto corde tuo,] apertè monstrauit se, qui ordinis amator est, & confusionis osor, non cõfusè, nec perturbatè in promulgatione legis processisse. Ex quib⁹ verbis (inquit) sine dubio illud apparet, statuisse Dominum ordinem in mandatis suis, quippe qui primum illud, ac maximum esse mãdatum pronunciauerit, quod est de charitate aduersùs Deũ. (Hoc autem præceptũ, vt postea dicemus perfectionis præceptũ est,) quare, & auctoritate Domini, cui docẽda

Cassian. col. 1. c. 4.

Matt. 22.

Basil reg. fus. disp. ad interrog 1.

alios,

alios, volumus obsequia rationabilia mactare, & sanctorum exemplo, qui ex instituto religiosos instituerunt, & ratione valida permouemur, ab ipsa vitæ spiritualis perfectione, huius mystici ædificij structuram exordiri.

Quanti autem momenti sit perfectionis doctrinam cognoscere, in ipso vitæ spiritualis initio, ille solus intelliget, qui & in vnaquaq; doctrina ordinis necessitatem calluerit, & miserabiles errores illorū qui sine perfectionis notitia itinera virtutū arripiūt, attenta meditatione perspexerit. Omnes quidē disciplinæ, omnes artes ordine gaudēt, & ex certis quibusdam principiis ad pronūciata, siue conclusiones procedunt, & suis finibus, ac limitibus terminantur, extra quos progredi, aut exire non datur. Animalia diuersis partibus, ac membris, mirabili ordine, ac collocatione dispositis inueniuntur composita, neque vllus acerbior est dolor, quam cum os locum suum deserens, alienum occupat, & terminum transilit sibi a natura concessum. Mundus ipse non tam creatarum rerum est congeries, quàm ipsarum exquisitus ordo, ornatáque descriptio,] quæ tū a Deo, tum per Deum gubernatur, in quo rudiora, & imperfectiora deorsum, subtiliora ac perfectiora sursum collocantur, inferiora superiorum nutu regūtur, & vniuersa nexu ordinis copulata, non solum eximia pulchritudine decorantur, sed etiam quadā perpetuitate cōsistunt. Siquidem (vt scite dixit Athanasius) omnia etiam nunc consistunt, quia non mortinatio, sed ordo est in omnibus, neque immodestia, sed modus; neque rudis indigestio, sed mundus, qui nihil aliud est, nisi congruens vndecumque dispositio.] Tandem non est respublica, non regnum, non ciuitas, non domus, quæ ab ordine non pendeat, & quæ sine ordinis adiumento subsistat. Sic ergo spiritualis vita, cælestísque doctrina, qua seruimus Deo, & vere sapientes sumus, ordinem partiúmque suarum dispositionem habeat, necesse est; ita scilicet, vt ab aliquo principio incipiat, & ex illo, non ad nudam, & sterilem cognitionem, sed ad vtilem, & fœcundam actionem procedat, & aliquem finem, atq; terminum sui laboris agnoscat, quem tunc profectò adepta erit, quando videbimus Deum Deorum in Sion. Principium autem in rebus, quæ sub operationem cadunt (vniuersa Philosophia attestāte) est ipse finis, ac scopus, in quem diriguntur. Nā iste scopus cogitatione præuisus, & mente comprehensus est, qui ad agendum mouet, ad operandum instigat, & ex eo, tamquam ex generali quodā principio venamur, quid facto opus sit, quid verò fugere, ac declinare oporteat. Corporis enim incolumitas, quam omnis ars medica scopum sibi præfixit, est principium mouens Medicinæ peritū, vt ea corpori adhibeat, quæ parandæ valetudini, & incolumitati optima iudicat, & ea procul amoueat, quæ morbum augent, aut incolumitati quoquo modo possunt officere. Et eadem ratio est de victoria in rebus bellicis, de dignitate in prensationibus, de diuitiarum possessione in mercimoniis: Hæc quippe, quæ harum artiū aut occupationum sunt fines, post multas curas, & labores assequendi, sunt etiam principia earundem occupationum, aut artium ante omnia peruidēda, & meditāda, vt eisdem adipiscendis omnia agenda, & quærenda respondeant. Spiritualis igitur doctrinæ, quam toto hoc opere tradere instituimus, perfectio, & sanctitas, quæ est finis, eadem & principium est. Eam ergo primo loco religiosorum oculis obiiciamus, vt sciant, quò suas cogitationes debeāt dirigere: quò sua desideria, suósq; vniuersos labores intorquere. Hæc enim est sanitas, quam rerum temporalium inedia, & affectuum purgatione, & virtutum medicamentis recuperare contendimus. Hæc victoria, cuius gratia spiritualibus armis induti cū fastuoso mūdo, cū astuto dæmone, & cum improba carne pugnamus. Hæc incomparabilis dignitas, ob quam obtinendam regis regum amplissimam curiam sequimur, & magnatum, hoc est, Sanctorum, & angelorum fauorem ambimus. Hæc tandem maximarum diuitiarum possessio, quam, vt mercatores industrij vēditione rerum terrenarum, & cælestium donorū emptione paramus. Ab ea quidem incipiendum est, vt ordinem in spiritus doctrina tenētes, vltimum finem nostrum (qui Deus est) non vtcumque, sed ingenti profectu, & magnis meritis, assequamur. Huic enim ordini optimè cōgruit, quod Augustinus quodam loco ait. Ordo est, quem si tenuerimus in vita, perducet ad Deum, & quem nisi tenuerimus in vita, non perueniemus ad Deum. Nam omnes iusti hunc ordinem in vita tenent, vt saltem quasi occulte, & in virtute (vt Theologis loqui mos est) aliquem perfectionis haustum concupiscant. Sed interest maximè eam clare, & quasi ex facie cognoscant, vt desideriū vehemens ex tantæ pulchritudinis notione conceptum acriùs ad laborandum moueat, & efficaciùs ad eius assecutionem impellat. Quæ perspicue conspecta, attentéque considerata, ita mentes inspicientiū capit, ita voluntates inescat, vt quisque eorum cum ingenti asseueratione dicat: Præposui illā regnis, & sedibus, & diuitias nihil esse duxi in comparatione illius, nec cōparaui illi lapidem pretiosum, quoniā omne aurum in cōparatione illius arena est exigua, & tamquam lutum æstimabitur argentum in conspectu illius. Super salutem, & speciem dilexi illam, & proposui pro luce habere illam, quoniā inextinguibile est lumē illius.] Proposui, inquam, pro luce habere illam, vt scilicet ipsa me dirigat, ipsa me de rebus agendis, aut cauendis edoceat, ipsam, hoc mare magnum, & spatiosum vitæ spiritualis enauigans, tamquam splendidissimum pharum aspiciam.

Qui vero in hanc perfectionis lucem interiores oculos non intendunt, quantis scopulis, & syrtibus pateāt, non est facile breui sermone complecti. Nam sine proposito vitæ termino in spiritualibus itineribus oberrantes, necesse est in cassum laborare; & sicut Ionam, qui fugit in Tharsis, id est, in mare, vt interpretatur Hieronymus, non portum tenere, sed procellosam ac sęuam tempestatem incurrere. Quorumdam videas continuis ieiuniis, ac immoderatis vigiliis ora pallescere; aliorum corpora ex assiduitate cilicij, & asperitate flagrorū vulnera tolerare: Ille iugi rerum cælestiū meditatione caput infregit; ille externarum rerum, licèt bonarum, cura mentis vires exhausit; alius sola vtilitatis alienæ specie deceptus, in proximorum vsum ætatem vitamque cōsumpsit; qui tamen quod ad mentis puritatem attinet, cohibitionem passionum, adeptionem humilitatis, mansuetudinis, aliarúmque virtutum modicùm profecerunt; quia hæc licèt bona & prudenter suscipiēda, propter seipsa perfecerunt, & non tamquam instrumenta virtutis ad perfectionem captādam, & absolutissimam Dei ac proximi charitatem assequēdam ordinauerūt. Quam si ieiuniis, si vigiliis, si ciliciis, & flagris, si meditatione, si operibus misericordię, si animarum ministeriis quæsiuissent, non tantam solidæ virtutis mendicitatem paterentur, non tanta passionum suarum molestia affligerentur, non tantam puritatis & charitatis paupertatem sustinerent. Liceat nobis dicere similes eos esse fabro ferrario, qui fornacē, incudes, malleos, limas, & reliqua instrumenta huius artis, magna diligentia cōquisiuit, & nullum

Arist. lib. de mundo c. 2.

Anathas. orat. contra idola post medium.

Aug. lib. 1. de ordine c. 9.

Sapient. 7.

Ionæ 1.

ferrariæ artis opus exercuit, numquam ignem follibus iussit accendi, numquam ferrum in fornacem iniecit, numquam assiduis percussionibus emolliuit. Sic prorsus isti silentium, paupertatem, ieiunia, vigilias, humicubationes, precationes, psalmodias, meditationes, & alia perfectionis instrumenta compararunt, quibus tamen duritiem proprij cordis non curantes emollire, & ad igneam charitatem, & amabilem puritatem reuocare, semper tamquam ferè nihil efficientes imperfecti persistunt, nec periti huius (qua Deo seruiendum est) sanctissimæ artis euadunt. In cassum enim (vt Cassianus egregiè ait) hæc exercitia molietur, quisquis his, velut summo bono contentus, intentionem sui cordis hucusque defixerit, & non ad capiendum finem, propter quem hæc B appetenda sunt, omni conatu, semel extenderit, habens quidem disciplinæ illius instrumenta, finem verò, in quo omnis fructus consistit, ignorans.] Hoc igitur detrimentum magnum quidem, ac tremendum, & viros spirituales sollicitos reddit, vt in suæ côuersationis initio disciplinam perfectionis, quam continuis laboribus, assiduis precibus, & lacrymosis gemitibus post longa temporis spacia adepturi sunt, non oscitanter inquirant, & nos huius diuinæ artis imperitos discipulos, qui ea, quæ in viris perfectis vidimus, & in libris sanctorum Patrum legimus, & propriæ infirmitatis experientia didicimus, in vnum volumen congerimus, manifestè compellit, vt non ab alio quàm à fine, qui notione debet C esse prior, licèt operis executione posterior, id est, ab ipsa perfectione, ac mentis puritate scribere incipiamus.

Doctrinam autem perfectionis tradituri non possumus non timere, & ingenti horrore contremiscere, quippe qui viam aliis monstramus, quam numquam ambulauimus, scientiam edocemus, quam necdum acquisiuimus, & sanctitatem ipsam, non vt decebat, exponimus, sed impolitis sermonibus obscuramus. Timeo ego peccator miserrimus, ne dicat mihi Dominus: Quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum? Tu verò odisti disciplinam, & proiecisti sermones meos retrorsum,] qui disciplinam religiosam sæpissimè prædicando, & numquam exactè D custodiendo, procul abieci, & sermones Domini non admittendo, quibus quotidie reprehendor, & ad nouam vitam inuitor, procaciter, & inuerecundè conculcaui. Timeo ne ab Angelis & Sanctis irridear, quorum patrocinium sæpissimè ad libros edendos imploraui, si videant me, quæ scripsi, quæ docui, quæ prædicaui, numquam fecisse, neque ex perfectionis thesauro, quem aliis ostendi, mihi ipsi saltem aliquid modicum reseruasse. Sicut enim ridendus esset, imò & maximè deflendus, qui ditissimum thesaurum inueniens, nihil in suæ indigentiæ leuamen acciperet, sed omnia aliis accipienda, & possidenda monstraret, ita & ego, qui pretiosissimum perfectionis thesaurum, assidua meditatione cognoui, aliis manifestans, & mihiipsi operationis manu non recondens, risu, & sannis legentium, &

Cassian. lib. 7. *Psal. 49.*

audientium exponor. Timeo denique, ne pulcherrimam sanctitatis margaritam cœno impolitorũ verborum, & stultarum sententiarum inficiam. Nam verba diserta copiosásque sententias, quę perfectionem explicent, humana eloquentia non parit, (qua etiam me prorsus carere profiteor) sed verę virtutis, ipsiúsque perfectionis experientia progignit. Cuius expertem facile erit in tam dignissimæ materiæ tractatione errare, & labi; difficile verò disertè loqui, & punctum veritatis attingere. At scribendum est, & metus omnis seponendus, quia amor huius pulcherrimæ margaritæ, quæ iustos exornat, terram sustentat, & cęlos ciuibus replet, timorem abigit, & ad perseuerandum in cæpto labore compellit. Amor iste, qui omne quod amat, mille rationibus honestat, mille prætextibus excusat, mentis auribus inculcare non cessat, me, in hoc opere, non magistrum perfectionis agere, sed munus excerpentis assumere; nam quæ sancti Doctores literis tradiderunt, & viri perfecti, quibuscum à teneris annis sum conuersatus, & verbo, & exemplo docuerunt, in hos libellos ad meam consolationem congero, & ad aliorum vtilitatem humili & incompta oratione coaceruo. Nec puto me ob laborem istum à Sanctis, & Angelis irridendum, sed magis cõpassione, & misericordia dignandum, quem vident scribẽtem, & lugentem, disponentem, & cupientem, explicãtem perfectionis diuitias, & eas assiduis precibus, & importunis gemitibus flagitãtem. Quod si ad dignè loquendum de spiritualibus rebus (ait amor iste) experientia est necessaria, ad eam (qua sine dubio cares) sanctorum Patrum sententiæ supplebunt, aliorum virtutes sæpissimè conspectæ, docebunt, & continua desideria iuuabunt. Cæptum igitur opus persequar, & Prælatis iubentibus obtemperans, & desiderio laudandi perfectionem satisfaciẽs, & Dei miserationem implorans. Lectores autem obnixè rogo, vt si quid in tam sublimis materiæ tractatione peccatum fuerit, & meæ ignorationi attribuãt, & benignè parcant: Si quid verò aptè, & congruenter dictum fuerit diuinæ sapiẽtiæ, & bonitati, ora insipiẽtium aperienti, totum ascribant. Et (vt verbis sancti Patris Ephrem vos beneuolos lectores alloquar, qui præ vestra modestia inscij scriptoris sentẽtias euoluitis.) Respuite hominem, qui verbo imperfecto, virtutis perfectum exprimat simulacrum: studium ac bonã voluntatem agnoscite, & ignorãtiæ parcite, imperitiam agnoscite, & studiũ ne reiicite Et quia ex paupertate mea, vobis, quod potui, libenter dedi, vos ex diuitiis vestris, precationis, & paternę charitatis munera, nobis abundanter rependite.] Ego, quamuis inops diuitibus mutuum dedi, non sortem volo, sed fænus repeto, non laudes, sed preces deposco, non mercedem, see mutuam beneuolentiam exigo.

Ephrem de diuina gratia.

Hoc, quod humillimus Ephrem de seipso
conscripsit, ego miserrimus, & à
vera virtute alienissimus,
iure optimo mihi
assumo.

***

PARS PRIMA

Huius libri, quòd perfectio consistat in charitate Dei & Proximi.

SI statuamus aliquid esse in rerum natura, & doceamus, quid non sit, trita satis aperitur via ad ostendendum quid sit. Reiectis enim omnibus, quæ in eius substantiam non quadrant, facile erit vnum attingere, quod essentiam, ac naturam rei inquisitæ contineat, quo cognito res illa non ignoretur, sed clarè (prout fieri potest) dilucidéque cognoscitur. Hanc inuestigandi viam non solùm Philosophia sequuta est, sed eam (quod est amplius) Spiritus ipse sanctus aperuit. Nam in Ecclesiastico, cùm omnem rem creatam à cognitione perfectæ diuinæ sapientiæ reiecisset, eandem cognitionem, quæ comprehensiua est, creatori omnium attribuit. Arenam maris, inquit, & pluuiæ guttas, & dies sæculi quis dinumerauit? Altitudinem cæli, & latitudinem terræ, & profundum abyssi, quis dimensus est? Sapientiam Dei præcedentem omnia, quis inuestigauit?]ac si diceret, nullus istam, sicut nec omnia illa perfectè cognouit. Ex quo facile est subinferre, Deus creauit eam in Spiritu sancto, & vidit, & dinumerauit, & dimensus est. Hanc viam nos in perfectionis inuestigatione seruamus, vt exclusis multis, quæ oculis ignorantium perfectionem ac sanctitatem continere videntur, tandem aliquid, & illud non admodum difficile, nec vltra nos positum, sed facile & intra nos constitutum esse confirmemus. Ab ipso verò perfectionis nomine incipiendum est, quod latissimè patet, vt quisque, in qua significatione hic vsurpetur, agnoscat.

De perfectionis nomine, & notione.

CAPVT I.

PERFECTIO magna res est, quam vniuersi suspiciunt, cuius possessionem omnia, tam cælestia quàm terrestria diligunt, cuius titulis, tum boni tum mali nobilitari appetunt. Quis enim est, qui perfectionem non veneretur, in qua, & sui, & aliorum summam dignitatem perspicit & satietatem quorumlibet desideriorum sitam esse cognoscit? Quæ res, siue suprema, siue infima perfectionis nô teneatur amore? cuius absentia, cuiusque naturam inquietam reddit, & figere pedem cupiditatis non finit; cuius præsentia, omnia pacat, & vniuersa rerũ desideria tranquillat? Quis, aut bonus, aut malus, aut iustus, aut iniquus, aliquam veræ aut falsæ perfectionis vmbram non quærat? Cùm bonos videamus summæ ac perfectæ bonitatis nomine delectari, & malos ad procacem audaciam, & inuerecundiam prouectos, summæ malitiæ, & iniquitatis opinione gaudere? Qui lætãtur cũ malefecerint, & exultant in rebus pessimis]Equidẽ ita video, omnes quamcumque artem profiteãtur, quamcumque occupationem amplectãtur, quodcumque officium, aut munus sectentur, nisi excordes sint, ad eius artis, aut muneris perfectionẽ anhelare, & cupere verticem inter alios eiusdem artis, aut officiej tenere: Iusti & spirituales viri si cupiditatem naturæ, & nô gratię ductum sequerentur, maioris iustitiæ, & sublimioris virtutis nomen sibi præ aliis acciperent. Nobiles, & literati & diuites eximia lætitia afficiũtur, si nobilissimi, si sapientissimi, si pecuniosissimi existimẽtur. Iudices, & gubernatores reipublicæ ad incredibilis prudẽtię, & æquitatis opinionẽ aspirãt. Artifices etiã illiberales, supremos se esse, & quasi singulares inter peritos eiusdem artis affectãt. Quid omnes enumerem? Impij nonnunquam in tantam impietatis immoderantiam procedunt, vt cupiant nomini iniqui- *Prou. 21.*

A tatis palmã relinquere, sed omnes alios audacia peccandi, & delinquendi impudentia superare. Tam ardens est, aut veræ, aut simulatæ perfectionis amor, vt vniuersos impugnet, & ferè omnes expugnet, & huius (quod maximum bonum putatur) desiderio subiiciat. Quanta autem sit perfectionis dignitas, ex omnium hominum cõsensione perspicue cognoscitur, qui eos admirãtur, & non vulgaribus honoribus dignos existimant, quos putãt in aliqua disciplina, aut arte perfectos. Hac enim de causa Demosthenem, & Tullium oratoriæ fontes: Apellem, & Zeuxim, picturæ principes: Scipionem, & Cæsarem bellicæ disciplinæ duces: Catonem, & Appium Claudium prudentiæ, ac rerum optimè gerendarum lumina, Milonem, & Herculẽ corporei roboris antesignanos honorauit antiquitas, quia videlicet in illis quãdã supra alios homines imaginem excellẽtiæ animaduertit, quamdam inesse perfectionis vmbrã cogitauit. Quid ergo significat hoc nomẽ perfectio, cuius appellationem omnes amant, omnes exoptãt, & velis, ac remis (vt aiunt) atque omni conatu persequũtur? B

Huius nominis vim, atque naturã, ex nomine perfecti, quod nobis apertius est & notius venandũ est. Perfectum autem sic maximus Philosophus Aristoteles definiuit. Perfectum est, cui nihil deest Cuius sententiæ Clemẽs Alexãdrinus, Ambrosius, & Thomas eiusdẽ verbis subscripserũt. Tribus verò modis potest cõtingere, vt alicui nihil desit, aut quia omnino nihil esse, aut excogitari potest, quod in illo nõ sit (quid enim deerit illi, qui omnia habet, & nullo caret?) aut quia in aliqua disciplina, aut virtute nihil ei deficit eorum, quæ ad eã optimè præstandam possẽt desiderari: aut denique quia secundùm naturam, qua pollet, & omnia ad eam in meliori statu constituẽdam necessaria, nullo indiget, quod non sibi præsto sit. Ex quibus manifestũ est triplex esse perfectũ; alterum, cui nihil omnino desit, alterum, cui nihil in aliqua arte, aut virtute desit: tertium, cui secũdùm naturam, aut statum, quem habet, nihil omnino defi- C *Arist. Clem. l. pedag. c.6. Amb. l. c.1. de I... Eccles. D. Tho. 1. p. q. 4 ar. 1.*

ciat

ciat. Primum illud perfectum, vnum tantùm est, scilicet, Deus noster, cui soli cópetit, quòd omnia bona habeat, & vniuersas perfectiones, aut secundùm naturá, aut secúdùm virtuté contineat. Quare seipsum promisit Mosi sub hac verborum serie. Ego ostédam tibi omne bonum.] Ad cuius non æqualitatem, sed similitudiné aspirare debemus, dicéte filio eius: Estote perfecti, sicut Pater vester cælestis perfectus est.] De quo solùm perfectio locutus est Lactátius, dicés: Id solidú existimandú est, cui nihil decedere, id perfectum, cui nihil possit accedere.] Nullus autem erit adeò rudioris ingenij, vt putet aliquid Deo posse superuenire, eo quòd corpus non habeat, vt homo: aut crines, vt equus: aut pénas, vt auiculæ: & alia similia, quæ in rebus creatis decori sunt, & secúdùm necessitatem naturæ conceduntur. Nam hæc naturaliter inesse Deo, impossibile est, quia creata sút, & imperfectionem ac limitationem continét, & purissimo actui repugnát, at meliori modo, optimáque ratione sunt in Deo, nimirum tamquam in generali omniú rerum idea, ex qua tantillùm perfectionis ista participant, & tamquam in causa dante perfectioné, quá optimo modo habet, à qua tamquá effectus, & artificia procedunt. Quod insinuauit Ioannes (secundùm lectionem Augustini, & Ambrosij, Origenis, & Tertulliani) cùm in principio euangelij, ait, Quod factú est in ipso, vita erat.] Nam, quæ ante generalé mundi creationem, nec esse, nec vitam habebant, & post múdi ortum, aut esse, aut etiam vitam finitam, & imperfectam, in ipso táquam in generali principio, & tamquam in totius pulchritudinis perfectionisque prototypo, vitam habuerunt increatam, atque diuinam. Si enim domus materialis, ex lapidibus lignisque compacta, in méte artificis immaterialis est, atque adeò sine vlla comparatione sublimior, atque præstantior; quidni imperfectæ atque finitæ rerum creatarum perfectiones in Deo totius perfectionis archetypo, multò melius, præstantiúsque subsistát? Sicut ergo (vt similibus Dionysij vtar) omnis numerus in monade est, qui vnitatis complicatione cógitur, & omnes lineæ circuli in centro, ita & omnes rerú perfectiones in Deo, tamquá in generali principio, atque in fonte omnis bonitatis præextiterút.] Et sicut rex, qui profectò non est præfecti officialis, nec prætor, nec præfectus, nec senator, nec senatorú præses, nó ob id, aliqua iurisdictionis perfectione caret, quia in regia potestate vniuersas suorú subditorum facultates obtinet, per quá potest, & malefactores in carceré trudere, & lites dirimere, & ciuitates regere, & omnia regna sibi subiecta moderari, ita vt vniuersa, tum magna, tum parua, si ipse voluerit suo gubernentur imperio: ita Deus, qui neque homo est, neque cælum, neque Angelus, neque aliqua creata perfectio, nulla sanè perfectione caret, quippe qui in sua Deitate, quæ est ipsum esse, siue omne esse, omnem creatam, & finitá perfectioné, increato modo, & infinita quadam ratione cóplectitur. Ipse ergo solus est ita perfectus, vt omnem prorsus perfectioné habeat, & neque modicú quid perfectionis illi deficiat. Quamobrem sapiéter dixit Areopagita Dionysius: De auctore omnium Scriptura diuina, & omnia, & simul omnia prædicat, & vt perfectú ipsum, & vnum celebrat. Perfectus quidem est, nó solùm, vt in seipso, & per se perfectum, & seorsum vniformiter per seipsum separatum, totúmque per totum perfectissimum, verùm & vt perfectionem superás, ex eo quòd supereminet omnibus, omnemq; terminat infirmitatem, & supra omnem expáditur finé, atque à nullo capitur, seu comprehenditur, sed pertingit ad omnia simul, & super omnia indeficientibus largitionibus, & numquá desinentibus operationibus. Perfectum item dicitur, & vt incrementa non capiés, semperque perfectú, & vt imminui nesciens, quippe vt in seipso omnia anteà excellentes habés, & cætera.] His magnus Theologus docet solum Deum esse primo ac principali modo perfectum.

Exod. 33. *Matth. 5.* *Lactant. diuinar. instit. c. 3.* *Ioan. 1.* *Dionys. c. 5. de diuin. nomin.* *Dionys. li. de diuin. nomin. c. 13.*

Alterum autem perfectum, non est tantum vnú, imò multa sunt in rebus creatis, quæ secundùm aliquam disciplinam, aut virtutem, aut proprietatem, possunt optimo iure vocari perfecta; quibus nimirum, vel in pulchritudine, vel in fortitudine, vel in eloquentia, aut in aliis similibus nihil eorum desit, quia cógrua sunt capacitati creatæ naturæ. Et in his quidem rebus, licèt multa desiderentur, ex quorum defectu reputantur mutila, atque imperfecta; tamé in illa signata qualitate, qua alias res similes superát, & cuius munus absolutissimè præstát, communi sapientum consensu, perfecta iudicantur. Quis enim dubitet solé splendore (quicquid sit de aliis proprietatibus) ignem calore, niuem candore, argétum pulchritudine, aurum puritate, æs robore esse perfecta? Quod in ipsis iustis, & sanctis viris inuenimus; nam (suppressa nunc absoluta sanctitate, qua possent) in aliquo speciali dono, aut particulari virtute eminuerunt, cuius perfectionem adepti sunt. Prophetæ quidem (vt Clemens Alexandrinus ait) perfecti sunt in prophetia; iusti autem in iustitia; & martyres in confessione. Alij autem in prædicatione, non expertes quidem virtutum communium, sed rectè se gerétes in iis, in quibus sunt ordinati. Quis enim sanæ métis dixerit prophetam non esse iustum? Quid enim? non iusti quoque sicut Abraham prophetarunt?] Imò in eadem virtute secúdùm diuersos gradus eius potest quis perfectus esse, & imperfectus ita videlicet, vt primi gradus perfectionem acquisierit, ad secundi verò minimè perfectionem deuenerit. Vnde præclarè Augustinus: Potest fieri, vt iam sit aliquis sapientiæ perfectus auditor, cuius non sit perfectus & doctor; potest perfectus esse iustitiæ cognitor, nondum perfectus effector, potest perfectus esse, vt diligat inimicos, qui nondum est perfectus vt sufferat. Et qui perfectus est in eo, quòd omnes homines diligit, quippe qui etiam ad inimicorum dilectionem peruenerit, quæritur, vtrum iam sit in ipsa quoque dilectione perfectus, id est, vtrum quos diligit, tantùm diligat, quantùm illa incommutabilis regula veritatis diligendos esse præscribit.] Sunt ergo plurima, quæ secundùm aliquam spiritualem proprietatem, aut virtutem, aut gradum eius, perfecta existút, quæ non absolutè perfecta, sed perfecta secúdùm aliquid à sapientibus vocantur, nimirum secundùm aliquid ius fastigium assecuta sunt.

Clem. 4. stromatú ad mediú. *Aug. lib. 2. de peccat. meritis & remiss. c. 15.*

Tertium quoque perfectum, quod scilicet secundùm naturá, & omnes sibi debitas proprietates nullo indiget, multiplex est. Cuius rei fidem facit illa Mosis illustris, celebrisque sententia. Vidit Deus cúcta, quæ fecerat, & erant valde bona.] Et rursus illa Ecclesiastici. Opera Domini vniuersa, bona valde.] Atque illa Deuteronomij. Dei perfecta sút opera, & omnes viæ eius iudicia.] Si enim ad bonú (vt docuit Dionysius Areopagita) integra causa requiritur, malú verò parit quicumque defectus;] certè ea, quæ bona sút, & valde bona, nullá, aut debitæ naturæ, aut proprietatum defectionem patiuntur, ac consequéter sunt vsquequaque perfecta. Si autem perfecta absolutè (vt in Deuteronomio appellantur) non quidem hanc dignitatem habent, quia quadam speciali proprietate emineant, sed quia omné naturæ, & perfectionum sibi debitarum integritaté cótineát. Perfectum sanè, & totú, siue omne (teste Aristotele) idem

Genes. 1. Eccles. 39. Deut. 32.

Arist. 1. cæli c. 1. sunt; ea ergo, quæ integra sunt, non incepta tantùm, aut mutila (qualia sunt omnia, quæ Deus facit, neque aut creatæ causæ imbecillitas, ipso Deo permittente, aut materiæ defectus infecit) rebus absolutis adiũgi, ac perfectis debent annumerari. *Chrys. ho. 1. in Genes.* Quod si Deus, qui (vt inquit Chrysostomus) res, vt ex nihilo essẽt, produxit, eas bonas, & valdè bonas dicit, ac de bonitate à se donata, atque perfectione collaudat; superuacaneum erit rationes inquirere, quæ res perfectas esse astruant, atque confirment. Consideremus illas, & earum natura, potẽtia, & operatio, decor, siue pulchritudo, ordo, ac dispositio, finisque proprij assecutio, propter quem conditæ sunt, manifestè docebunt nos, tum sapientiam, bonitatem, & potentiam auctoris, qui eas fabrefecit, tum perfectionem, qua ipsæ constant, & in suo ordine locóque consistunt.

Vidimus, quid sit perfectum, ex quo iam ad indagandam perfectionis naturam, atque substantiã ascendamus. Perfectio est illa, aut natura, aut proprietas, qua alicui rei secundùm illam naturam, vel proprietatem optimè constitutæ, nihil deest. Dicitur natura propter perfectionem, quæ est secundùm substantiã, nam & natura hominis est eius perfectio, quatenus tribuit illi debitam corporis molem; debitam membrorum pulchritudinem, & dispositionem, & potentias, aut facultates, tum animales, tum rationales, ita dispositas, vt sine vllo defectu valeãt suas actiones elicere. Dicitur autẽ proprietas propter perfectionem, quæ est secundùm accidens; num & sapiẽtia, & mansuetudo sunt perfectiones hominis, etiam secundùm naturam, aut substantiam imperfecti; quatenus in optimo statu collocãt, ad sciẽdum, vel sustinendum requisito. Hinc autem liquet triplicem quoque esse perfectionem; primam omnimodam, & infinitam, cui non solùm nihil desit, sed nihil etiam possit superuenire, & hæc est sola diuina natura, quam semper totis viribus adoramus, & nũc silentio præterimus. Secũdam specialem ratione alicui' proprietatis, aut virtutis, qualis est cãdor in cygno, & sapiẽtia in homine; nam tã iste quàm ille solent in his proprietatibus esse perfecti. Tertiã, quam substantiuam, vel substantialem possumus nuncupare, non quia semper substantia sit, etenim accidentia propriam habent, & natiuam perfectionem, sed quia conuenit rei, non secundùm aliquid, quod illi accidat, sed secundùm speciem, & naturam. Et sic perfectio hominis est, quòd sit animal rationis capax & perfectio Angeli, quòd sit spiritus intellectu & libero arbitrio pollens, & perfectio virtutis, quod sit affectio manens, eum in quo est ad optimum actum disponens, & perfectio spiritualis vitæ, quæ ipsi naturam, & substãtiam vitæ spiritualis attribuit. Hanc duplicem perfectionem creatam in suas species distribuere pergam', quousque sermo noster ad eam, quæ nostri instituti est, explicandam accedat. Est enim etiã duplex; altera naturalis; altera supernaturalis: Naturalis est, quæ secundum naturã rei competit, & ad finem naturalem dirigitur; supernaturalis, quæ non est à natura, sed à Deo beatitudinis largitore concessa, & hominem, aut Angelum ad finem supernaturalem (qui æterna fælicitas est) propinquè disponit, vel eidem fini supernaturali cõiungit. Rursus, quæuis istarum in duas alias diuiditur; nam quædam est naturalis, alia verò moralis. Cum enim supernaturalis perfectio, ens quoddam sit, & propriam naturam habeat, licet homini, aut Angelo non debitam, sed ex gratuita Dei auctoris beatitudinis voluntate tributam; consequẽs est, vt secundum hunc intellectum possit, etiam in naturalem, atque moralem distribui. Perfectio naturalis est, quæ rem aliquam in bono, & sibi debito statu constituit, & talis est perfectio cæli, qua natura incorruptibili, splendore, pulchritudine, & aliis similibus expolitur, & perfectio gratiæ, qua infãs recens baptizatus Dei amicus efficitur, & donis cælestibus decoratur. Hæc námque perfectio, licèt secundùm naturam supernaturalis sit, vt id, quod supra naturam est, à naturali distinguitur, vocamus tamen eam naturalem, quatenùs à perfectione morali discernitur, quia gratia sola, & in paruulo considerata, nulla meritorum producit actiones. Perfectio moralis est, quæ mentem honestans, nos bonis moribus imbuit, & virtutis impedimenta potenter excludit. Hæc non solam virtutis, aut bonitatis naturam continet, sed operationem liberam, & secundùm virtutem comprehẽdit Quæ in hoc præcipuè à perfectione naturali secernitur, quod hæc non est sita in nostra potestate, quis enim potest vnum capillum album facere, aut nigrum, aut adiicere ad staturam suam cubitũ vnũ?] *Matth. 5. Matth. 6.* Illa verò in nostra est potestate constituta, quam, gratia Dei adiuti propriis valemus meritis adipisci. Perfectionem naturalem, aut per modum naturæ, vel naturaliter habemus, vel Deo sine nostris meritis donante possidemus, at perfectionem moralem propriis actibus à Dei gratia, & libero arbitrio factis conquirimus. Illa donamur, ad istam inuitamur Vnde Paulus: Gaudete, perfecti estote.] *1. Cor. 13.* Et Dominus cuidam vitam æternam cupienti dixit: Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus.] *Matt. 19.* Perfectionem naturalem Philosophi tractant, supernaturalem Theologi exponunt, moralem verò tam ad honestatem morum, quàm ad supernaturales actiones à Theologis expositã, iusti quærunt, diligunt, concupiscunt. Hæc ergo sola, quæ vitæ spiritualis perfectio vocatur, est huius operis argumentum, quam pro nostra tenuitate explicare curabimus, si forte loquendo, & scribendo nostram, & aliorum imbecillitatem, ad tantæ dignitatis amorem alliciamus.

De tribus perfectionibus vitæ spiritualis, & quæ vestiganda.

CAPVT II.

HÆc autem perfectio vitæ spiritualis, non vna tantùm est, sed in multas ipsa diuiditur, quas debemus principio numerare, vt in eam oculos coniiciamus, quæ dumtaxat est nostræ disputationis argumentum. Sicut enim, qui vellet ex hortulo amœnissimo, vnũ tantùm florem capere, aut omnium pulcherrimum, aut sibi gratissimum, omnes inter quos ille eligẽdus est, deberet inspicere, ita & nobis, qui ex vitæ spiritualis perfectionibus vnã solùm ex professo tractare intendimus, è re erit omnes considerare. Duplex igitur est status hominis iusti, alter, quem habet in hac vita mortali, in qua cõtemplatur Deum per speculum, & in ænigmate, alter, quo fruetur in vita immortali, cùm Deũ facie ad faciẽ videbit, & sine vllo timore amittẽdi, possidebit. In illo statu, licèt primitias spiritus habeat, & ipse intra seipsũ gemit, adoptionẽ filiorũ Dei expectans, redẽptionem corporis sui.] *Rom. 8.* In hoc verò gemitu semoto, gaudebit, cùm corruptibile hoc induerit incorruptionẽ, & mortale hoc induerit immortalitatẽ.] *1. Cor. 15.* In illo, licet purissimus sit,

c. 30. aliqua saltem leuiorum peccatorũ macula inficitur, nam generatio, quæ sibi munda videtur & tamen
c. 21. non est lota à sordibus suis:] at in isto, licèt omnium minimus sit, nulla, aut peccati, aut defectus leuissimi sorde fœdatur, cùm scriptum sit: Quia non intrabit in eam ciuitatem aliquod coinquinatum, aut abominationem faciens, & mendacium.] In illo tamquam in procinctu belli positus, semper habet, quod timeat, quod fugiat, quod præliando, & laborando prosternat, in isto tamquam victoriæ corona redimitus, timorem, ac metum procul abiicit, laborem seponit, & operum suorum fructibus gaudet. His duobus statibus duæ perfectiones spiritualis vitæ respõdẽt, quarum altera propria est viatorum, qui sanctis desideriis, & bonis operibus supernas mãsiones petunt, altera propria comprehensorum, qui prosperè cõsũmato itinere æternis gaudiis remunerati quiescunt. Harum duarum perfectionum non semel Ec-
de. 3. clesiæ patres meminerũt, Ambrosius ait. Duplex est
c. 3. forma perfectionis, alia medios, alia plenos numeros habẽs, alia hic, alia ibi, alia secundùm hominis possibilitatem, alia secundùm perfectionem futurã. Au-
g. l. 3. gustinus inquit: Iustitia secundùm quam iustus ex fi-
c. duas de viuit, quoniam per spiritum gratiæ homini ex
Pel. Pe- Deo est, vera iustitia est. Quæ, licèt non immeritò in
c. 7. aliquibus iustis, pro huius vitæ capacitate, perfecta dicitur, parua tamen est ad illam magnam, quam ca-
c. lib. pit æqualitas Angelorum. Hieronymus dicit Ex quo
psf. 2. perspicuum est, duas in Scripturis sanctis esse perfe-
c. 5. ctiones, duasque iustitias, & duos timores, primam perfectionem, & incomparabilem veritatem, perfectámque iustitiam, Dei virtutibus coaptandam, secundam autem, quæ competit nostræ fragilitati iux-
s. 142. ta illud, quod in Psalmis dicitur: Non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens,] ad eam iustitiam quæ non comparatione, sed Dei scientia dicitur esse perfecta.] Hæc, & multa alia, quæ silentio prætereo, de his duabus perfectionibus sancti Doctores scripta reliquerunt, sed earundem manifestè meminit Paulus seipsum iam imperfectum, iam verò perfe-
dip. 3 ctum appellans. Non (inquit) quòd iam acceperim, aut iam perfectus sim, sequor autem si quomodo comprehendam.] Et paulò pòst: Quicumque perfecti sumus, hoc sentiamus. Si imperfectus es Paule, quo pacto te perfectis annumeras? Et si perfectus es, quare te imperfectum vocas, & perfectum esse negas? Certè Paulus imperfectus erat, aut non omninò perfectus, quia adhuc poterat ampliùs proficere, & nec dum ad perfectionem beatorum peruenerat, & simul erat perfectus, quia huius vitæ sublimissimam perfectionem, & perfectissimam sanctitatem acceperat. Quare hunc Pauli locum Anselmus interpre-
psal. ibi. tans, & ex Hieronymo, & Augustino decerpens sensum, ita ait Sed de duabus loquitur perfectionibus, ostendens, omnem hominem, & vniuersam creaturam, quamuis ad perfectionem venerit, & tamen indigere misericordia Dei, & plenam perfectionẽ ex gratia, nõ ex merito possidere. Et ideò perfectus erat Apostolus, iuxta modum humanæ possibilitatis, sed adhuc perfectionem expectabat ex dono supernæ largitatis, vt æqualis fieret Angelis. Erat perfectus viator, sed nondum perfectus patriæ possessor.] Sicut ergo sunt duæ vitæ spirituales; altera huius mortalitatis, qua militamus; altera illius æternitatis, qua in pace sumus: Ita duæ sunt perfectiones, vna, quam post multas de hoste victorias adhuc bellum comitatur; alia quæ post omnem de hoste victoriam pacem & coronam insequitur.

Sed duas istas perfectiones, si rem hanc exquisitiùs consideremus, non tam natura, aut magnitudo, A quàm earum qualitas, statúsque discernit. Non quidem natura differunt, quoniam vtraque (vt postea dicemus) in vnione ad Deum sita est, atque in purissima charitate consistit. Charitas autem, tam illa, qua Deum in hac vita diligimus, quàm illa, qua in patria ipsum amore complectimur, eiusdem naturæ sunt, vt Theologis Scholasticis placuit. Isti námque duo amores eandem rem diligunt, scilicet Deum rerum supernaturalium auctorem, beatitudinisque datorem, & propter eandem rationem, scilicet propter seipsum, & nullius lucri, aut commoditatis obtẽtu: quare eandem naturam habeant necesse est. Si enim amicum præsentem & absentem aliquando à nobis B visum, aut numquam oculis corporeis conspectum, eàdem charitate diligimus, quidni Deum non visum in hoc auxilio, & visum in patria, eàdem charitate diligamus? Certè si gemmam, quam in scrinio esse quadam credulitate apprehendis, auidissimè diligas, cùm eam oculis cernis, & fidem humanam in visionem mutas, amorem, quoad substantiam non mutas: Quare ergo charitatem quoad naturam mutabis, qua aut diuinam naturam fide cognitam diligis, aut facie ad faciem visam amore prosequeris? Charitas numquam excidit (ait Paulus) siue prophetiæ euacuabuntur, siue linguæ cessabunt, siue scientia destruetur.] Prophetiæ quidem cessabunt, 1 Cor. 13.
vbi nihil futurum expectatur, quod respiciamus, nihil obscurè proponitur, quod per ęnigma cognoscamus, nihil longè positum offertur, quod ignoremus, C sed omnia nobis necessaria, aut statui nostro congruentia in Deo repræsentante, vel reuelante videbimus. Linguæ cessabunt, quia iniquitate amãdata, & perfectissima innocentia recuperata, erit terra viuentium labij vnius, & sermonum eorũdem] qui- Genes. 11.
bus nõ ad necessitatem, sed ad voluptatem vtemur, quibúsque Deum sine vlla cessatione, & sine vlla inanium verborum admixtione, laudabimus. Scientia destruetur, quia necessitate organorum corporalium eiecta, aut perfectionem modum habebit, aut omninò in aliam digniorem præstantiorémque mutabitur. Abscedet fides veniente visione, fugiet spes intrante possessione, charitas verò numquam excidet, numquam fugiet, numquam abscedet, imò D puriùs, teneriùs, & efficacius, præsentem Dominum Patrem, & sponsum diliget, quem antea obscurè cognitum, & absentem amauerat. Hæc (in- 1 Cor. 13. Aug. ser.
quit Augustinus) maior fide, & spe ab Apostolo esse narratur, quia cæteris recedentibus, ipsa sola permanebit. Fidei enim succedit spes, & spei beatitudo, 1. quinquag.
charitati autem non transmutatio, sed sola restat perfectio.] Dicit autem fidei succedere spem, & spei beatitudinem, quia fides, quæ cognitio Dei efficax est, spem generat rerum æternarũ: spes verò, ad bona opera mouens, & ad mãdatorum obseruationem instigans, nos ad fælicitatem perducit. Est igitur perfectionis huius vitæ, & alterius vna substantia, vnaque natura, quas, non res amata, aut amãdi ratio, sed E sola status diuersitas, qualitatúmque discernit.

Neque etiam duæ istæ perfectiones semper magnitudine differunt, quasi huius vitæ perfectio sit parua, illius verò sit magna. Potest enim accidere, vt homo mortalis, adhuc in hac vita consistens, perfectionis gradibus cælestem Angelum superet, aut alium hominem beatũ magnitudine charitatis excellat. Quis enim neget Beatam Virginem, in mortali carne viuentem, sanctos Angelos, iam Dei visione, & possessione fruentes, gratia, & charitate, & perfectione superasse? Cuius fundamenta (vt ait Sanctus Dauid) id est, sanctitatis exordia, in montibus sanctis.] Cuius ingressum in Psal. 86.

Laur. Iust. ser. de Natiuit.

mundum (vt Laurentius Iustinianus ait) dilexit Dominus super omnia tabernacula Iacob:] Cuius dignitas omnibus Sāctorum dignitatibus excellētior, & coniunctio ad Deum gratiæ creatorem mater.] Præclarè sanè dixit de illius sāctitate Petrus Damiani: Attēde Seraphim, & videbis quicquid maius est, minus virgine; solúmque opificem opus illud supergredi.] Quis etiā dubitet Apostolos, & Apostolicos viros, vt Dominicum, Franciscum, Augustinum, Bernardum, & alios similes, antequàm mortalē carnem exuerēt, multis Beatorum, siue Angelorum, siue hominum charitatis dono præcelluisse, & perfectionis magnitudine superasse, quorum gratia ante palmā fuit minor, vita imperfectior, & operatio tepidior? Homines quidem iusti, cùm cælestem patriā ingrediuntur, suorū meritorum præmia recepturi, ad Angelorum ordines assumuntur. Erunt enim sicut Angeli Dei in cælo;] & æquales angelis erunt, & filij Dei, cùm sint filij resurrectionis] Tam fœlix autē, & honorabilis erit ipsorum in cælum ingressus, vt non omnes in primo Angelorū ordine sistant, sed quidā eorum ad potestatum, dominationum, & virtutū sedes procedant, imò & ad Thronorum, Cherubim, & Seraphim ordines progrediantur. In hac ergo vita æquales illis fuerunt in merito charitatis, & gratiæ, quos nō superiores agnoscūt in præmio fœlicitatis, & gloriæ. Atque adeò sicut Seraphim, exēpli gratia, sanctiores sunt inferioribus Angelis; ita & homines illi, qui cum Seraphim æqualem sedem accipiūt, eisdē minoribus Angelis fuerunt in hac vita perfectiores. Nam sublimiorem sedem, & ampliorem gloriæ dignitatem in cælis, nō ambitio, non fraus, non vanus magnatum fauor attribuit (quæ ingens gaudij materia est) sed maior humilitas, maior charitas, & maior decus perfectionis cōcedit. At Dominus Ioannem Baptistam collaudans, & prophetis omnibus præferens, minimo eorum, qui sunt in regno cælorum, manifestè postponit, dicens: Qui autem minor est in regno cælorum, maior est illo.] Si verò minimus regni cælorum, Ioāni prodigio sanctitatis, præstat, quomodo non alios viatores post se relinquat? Sed Domini sententia intelligenda est; se enim ipsū minimum, hoc est, humillimum, & opinione hominum minorē vocat, vt Augustinus, Hilarius, & Chrysostomus interpretātur. Qui minimus in regno cælorum, hoc est, in Ecclesia, sine vlla controuersia maior est Ioanne. Aut si de Angelis sanctis loquebatur, vt Hieronymus, & Beda sentiunt, minimum eorum Ioanni prætulit, non sanctitatis merito, sed gloriæ qualitate. Aliud est enim (vt Hieronymus ait) coronam victoriæ possidere, aliud adhuc in acie pugnare] Non ergo semper perfectio quorumlibet beatorum est maior, quos aliqui sancti viatores, postquàm in cælos admittuntur, immensis gradibus sāctitatis vincunt, & ingenti gloriæ maiestate præcellunt.

Petrus Damian. serm. de Natiuit.

Matt. 22. Luc. 20.

Luc. 7.

Aug. tra. 13. in Ioannem. Hilar. Chrys. Ibidem. Hierony. Beda. Matt. 11.

Quod igitur est huius duplicis perfectionis discrimen? Profectò magnum. Nam perfectio huius vitæ, via est, perfectio verò vitæ immortalis est ciuitas, illa nauigatio est, ista portus: illa negotiatio, hæc thesaurus: illa semen, hæc fructus: illa partus, ista lætitia; illa pugna, ista victoria: illa labor, ista quies: illa periculum, ista corona: illa denique mentis puritas, aut multis obnoxia periculis, aut mille huius mortalitatis oppugnata miseriis, ista verò sanctitate, meritis, securitate gaudens, & innumeris liberalissimi regis misericordiis contecta. Perfectio huius vitæ, quantumuis magna, semper ad vlteriora progreditur. perfectio alterius vitæ, quamuis parua, æternæ mercedis possessione satiatur: illa Spiritus sancti ventis impulsa terram viuentium, in qua quiescat, inquirit, hæc ad terram illam optatam appulsa, nec desideriis, nec meritis vltrà procedit: illa sine vlla intermissione spiritualis lucri auida, meritorum suorum pecuniis, pretiosas gemmas virtutū mercatur. Ista omne lucrum in sinu propriæ mentis recōdens, eoque perfruens, nulla noui lucri auiditate distenditur: illa bonorum operum, non sine dolore, & lacrymis semina iactat, hæc cum gaudio, & exultatione præmiorum manipulos colligit, illa præ timore, & expectatione ingemiscit, & parturit vsque adhuc; ista filium Beniamim, filium vtique dexteræ Dei Patris editum videns, lacrymas tergit, & tam amabilis fœtus amplexibus, & osculis gaudet. Illa, cum peccatis, cum imperfectionibus, cum dæmonibus, aut cum aliis hostibus dimicat, hæc victoriæ palmam in manibus, & in capite serta reportat: Illa nouis meritorum augmentis ascendendo laborat: hæc supremo scalæ gradu transcenso, in sede regni requiescit. Illa demùm, etsi magna sit, numquam, aut peccati pericula, aut tentationis miseriam nō timet, quia (vt sapienter scripsit Augustinus) sunt in terra iusti, sunt magni, fortes, prudentes, continentes, patientes, pij, misericordes, temporalia mala omnia propter iustitiam æquo animo tolerantes. Sed si verum est, imò & quia verum est, si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus,] & non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens,] non sunt sine peccato nec quisquam eorum tam arroganter insanit, vt non sibi pro suis quibuscumque peccatis dominica oratione opus esse arbitretur.] Ista, licèt pusilla, vnius paruuli, qui cum sola baptismi gratia decessit, peccata ridet, & nullam tētationis molestiam admittit. In illa enim vita beata (vt idem Pater Augustinus ait) amaritudo, & omnis fellis asperitas locum non habent. Non est ibi malus, neque malitia, non est aduersarius, & inpugnans, nec est vlla peccati illecebra, nulla est ibi indigentia, dedecus nullum, rixa nulla, nullum improperium, causatio nulla, nullus timor, nulla inquietudo, nulla pœna, nulla dubietas, nulla violētia, nulla discordia, sed est ibi pax sūma, charitas plena, iubilatio, & laus Dei æterna sine fine, secura requies, & gaudiū semper in Spiritu sancto.] Perfectio illa, quam omnia prædicta mala fugiunt, & bona sectantur, omnis erit peccati nescia, & ab omni pugna & perturbatione secura. Quemadmodum ergo metalli argenti gleba terra, ac fæcibus mista, vase argenteo purissimo, & politissimo pretiosior esse potest, at purior, & pulchrior esse nō potest. Et quemadmodum opes vnius mercatoris in naui recōditæ, & periculis nauigationis expositæ, fortè maiores sint diuitiis mercatoris alterius, quas nō in nauigio fragili, sed in munitissima vrbe seruauit, at nō sint æquè tutæ neque adeò suo possessori iocundæ: ita huius vitæ perfectio maior quidem esse potest perfectione vitæ futuræ, & opulentior; sed ista semper est purior, & pulchrior, semper fœlicior, semper iocundior, atque securior. Quam neque fæces imperfectionum, & pusillarum culparum fœdant, nec curæ rerum terrenarum fuscant: quam nec timores faciendi naufragium contristant, nec casus aduersi huius mortalitatis perturbāt. O fœlix, atque beata perfectio, ab omni imperfectione libera, ab omni labe seiuncta, ab huius sæculi tristitiis, & miseriis aliena, quæ ita Deum vides, vt numquam à tanta pulchritudine oculos contemplationis auertas! ita summum bonum diligis, vt nec ad momentum amorem abrumpas! ita thesauros fœlicitatis possides, vt ablegare non timeas! ita in omnibus Dei voluntatem exequeris, vt nec latum

Aug. li. 21 de ci. Dei c. 15.

1 Ioan. 1 Psal. 142.

Aug. in medit. c. 6.

vnguem

vnguem ab illa discedas. Beati, qui nostrarum imbecillitatum, & timorum expertes, huius perfectionis purissimæ & illibatæ sunt compotes, quia numquã ad malum regredientur, numquã ex fastigio magni feruoris ad pristinas tepiditates decident; sed iuxta illud, Homo sanctus in sapientia manet, sicut sol] semper in eodem fælicissimo statu permanebunt.

Eccles. 27.

Nos ergo hanc cælestem perfectionem, quã solus hortulus ille æternæ patriæ fert, votis ardentissimis speramus, & eam quidem Domine, te datore, obtinebimus, cũ conuertes planctũ nostrum in gaudium nobis, cùm conscindes saccum hoc mortalis corporis nostri, & circundabis nos lætitia; interim tamen illam, quæ in hac misera vita conceditur, & via ad aliam est. & assequi volumus. & tractare his libris aggredimur. Hæc autẽ in duas alias distribuitur. Est enim in hac vita altera perfectio, paruula, infantilis, & imperfecta; altera magna, virilis, & pro modulo huius exilij perfecta; quas naturalium perfectionũ alicuius rei creatæ similitodo declarat. Duplex quippe est naturalis perfectio hominis, vna quidẽ, qua nihil ei deest, vt verus homo sit, & naturã humanã participet, & hæc nihil aliud est, quàm animus rationis particeps, corpori iunctus, quẽ qui habet verè & propriè integer homo vocatur. Ratione autem huius perfectionis, & paruulus recens natus, & homo cæcus aut claudus aut ignorans, potest vocari perfectus homo. Alia verò, quia scilicet nihil homini deficit, neque in corpore, neq; in animo, vt vniuersa humana munera præstet, aut est natura hominis in tali statu cõstituta, vt omnia officia sua sine aliquo impedimento exercere possit. Quam perfectionẽ si consideremus; ille homo tantũ dicetur perfectus, qui corpus habet integritate membrorũ, incolumitate, robore, & pulchritudine affectum: & animum scientia entium naturalium, prudentia rerũ gerendarum, & virtutibus moralibus exornatũ. Cuius comparatione alij homines, qui ista non habent, vocãtur ignorãtes, miseri, & imperfecti. Eodem modo duas vitæ spiritualis perfectiones agnoscimus. Prima est, qua iustus spiritualiter viuit, & peccatis mortuus, se iustitiæ & Deo viuentẽ exhibet; & hac pollẽt omnes, qui ablegatis talibus criminibus, gratiæ sũt, & charitatis participes. Quare vas electionis Paulus, omnes fideles (quos piè hunc saltem perfectionis gradũ habere credebat aut ad illum vocatos esse sciebat,) Sãctos appellat Vnde scribit omnibus, qui sunt Romæ, dilectis Dei, vocatis Sanctis; & Ecclesiæ Dei, quæ est Corinthi, sanctificatis in Christo Iesu, vocatis Sanctis; & omnibus Sanctis, qui sunt Ephesi, & fidelibus in Christo Iesu, & sic in aliis epistolis, incipit. Sanctos vocat ad hanc saltem primam perfectionem vocatos, quos iuxta vocationem suã viuentes, Dei gratia fouet, & Christi Saluatoris nostri charitas ornat. Secunda est, quia iustus nõ vtcũque spiritualiter viuit, sed omnia iustitiæ aduersa efficaciter arcet, & vniuersa iustitiæ opera feruentissime exequitur, ita vt perfectionem illam cœlestẽ, qua beati toto corde, tota anima & tota mente Deo copulantur, secundùm huius vitę possibilitatem, æmuletur. Ad quã exhortatur Paulus, dicens: De cætero fratres gaudete, perfecti estote, exhortamini, idẽ sapite, pacem habete.] Perfectum enim gaudium, omnem materiam bonorũ operum quibus gaudeamus adhibet, & omne peccatũ, materiam scilicet doloris, abscindit. Et mutua per bonum exemplũ exhortatio, & sensuum voluntatũmque cõcordia non erit nisi inter homines vndequaque perfectos; Dicente Augustino: Pugnant inter se mali, & mali; item pugnãt inter se boni, & mali, boni verò, & boni, si perfecti sunt, inter se pugnare non possunt. Proficientes autem, nondumque perfecti, ita possunt, vt bonus quisque ex ea parte pugnet contra aliquem, qua etiam contra semetipsum.] Vsus autem obtinuit, vt hæc absolutissima virtus, quæ mentem Deo iungit, & omnia mala pellit, & bona complectitur, sola vocetur perfectio, quam etiam sanctitatis nomine explicamus Est enim sanctitas, vt Dionysius ait, omni scelere libera, perfectaque, & penitus incoinquinata munditia.] Quæ munditia, non est profectò nisi illa regina virtutum, quæ nos auctori munditiæ, tum similitudine, tum amicitia sociat, & vniuersas virtutes secum affert, & omnem immunditiam peccatorum (prout in hac vita fieri potest) in cordibus nostris expurgat. Quòd si sanctitas non solam puritatem, sed etiam firmitudinem, & stabilitatem signat eorum quæ diuino cultui applicantur, quam ob causam à Thoma Aquinate religioni tribuitur, quænam virtus hanc puritatem & firmitatem mentibus infert, nisi charitas, ita radicata, atque fundata, vt leuiores etiam maculas abluat, & mentem, quam impleuerit (quod ad ipsam attinet) nullo pacto à Deo separari permittat?

Psal. 29. *Rom. 1. 1. Cor. 1. Ephes. 1.* *2. Cor. 13.* *Aug. lib. 15. de ciuit. Dei c. 5.* *Diony. de diu. nom. c. 12.* *D. Thom. 22. q. 81. art. 8.*

Hæc perfectio, quæ media est inter perfectionem infantem, quam omnes iusti habent, & perfectionem cœlestem, qua beati perfruuntur, in viris cuiusdam insignis & extraordinariæ virtutis, quos communi sapientiũ sententia, viros spirituales, perfectos & sanctos vocamus, domicilium, & sedem inuenit, à qua ipsi nominantur, non iam incipientes, aut proficientes, sed planè viri sancti, atq; perfecti. Hęc, inquam, est, quæ Apostolos magnos fecit, Martyres sublimauit, Pontifices, & Doctores mirabiles reddidit, Confessores, & Virgines in magnam dignitatem extulit, & perfectos viros, & fœminas, qui semper fuerunt, & nunc sunt, & posteà erunt in Ecclesia Dei, in arctissimã Christi amicitiam euehit, & ab vilitate hominum peccatorum, aut à paupertate eorum, qui suis affectibus seruiunt, extrahit, & educit. Hanc perfectionem status Episcoporum præsupponit qui (teste Apostolo) debent irreprehensibiles esse, & status religiosorum inquirit. Ideo enim omnia terrena deserunt, seipsos deiiciunt, & sacris studiis semper intendunt, non vt quãcumque charitatem adipiscantur, quam etiam coniugati, & milites, & mercatores; & alij temporalium rerum cura distenti, habere debent, sed vt à Deo accipiant (quam posteà delineabimus) charitatem perfectam. Hic est mons propter cuius ascensum, vxoris abiecerunt consortium, diuitias, & res temporales, Sodomis reliquerũt: & dilectis filiabus, hoc est, virtutibus cincti, ad alta atque sublimia desideria properarunt. Hoc sanè putat Cyrillus in fuga sancti Loth spiritualiter præsignari. Huius enim viri historia enarrata, ista verba subiungit. Nam mens quasi per gradus & ascensus procedit ad perfectionem & pergit paulatim ad id cuius principiò non erat capax, & ad meliora, ad quæ accedere nõ erat idonea. Prudentiæ verò, & fortitudini spirituali, quasi duabus filiabus se committens, & infra relicta mollitie, & deliciarum amore, quarum typus erat mulier, habitat deinde, quasi in monte & specu. Insinuatur autem nobis per montem quidem sublimitas & fastigium spiritualis perfectionis, per speluncam verò, firmitas & soliditas perseuerãtiæ in virtutibus.] Huius ergo perfectionis naturam, & dignitatem (aliis prætermissis) volumus religiosis aperire, & subsidia ad eam assequendam proponere, vt in eis aliquẽ nostrarum lucubrationum fructum habeamus? Tu domine, qui neminem spernis; ne-

1. Tim. 3. 2. *Cyril. lib. de adorat. in sp. post medium.*

minė tibi soli fidentem cadere à spe concepta permittis; emitte lucem tuam,& veritatem tuam, quæ mentis meæ cœcitatem dispellat; dona spiritum charitatis tuæ, qui glaciem meorum peccatorum disiiciat: concede robur homini mille doloribus impedito,mille infirmitatibus circundato,& multis curarum obstaculis prægrauato,vt huius perfectionis altissimæ delicias exponam, & quod cœpi, ipse tua gratia perficiam.

Perfectionem vitæ spiritualis omnibus, sed præcipuè religiosis esse possibilem.

CAPVT III.

IAM perfectionem ratiocinãdo deprehendimus; Cuius naturam inuestigare molimur, eam scilicet, quæ media est inter virtutẽ communium iustorũ, & sanctitatem beatorũ, quam possident homines vita spirituali conspicui, purissimis moribus egregij,arctissima Dei amicitia venerabiles, & cõmuni bonorũ consensu, non tantùm boni, sed verè sancti,atq; perfecti. Ad inueniendã autẽ huius perfectionis naturã,hominis quidem consideratione dignissimam,illud supponere, ac stabilire opus est, eam non tantùm omnibus religiosis, verùm etiam omnibus hominibus esse, cum Dei gratia ac fauore possibilem,vt hoc iacto fundamento, quædam dona, aut quædam virtutum opera, vulgo admirabilia, à natura, & substantia veræ perfectionis excludamus. Et verò homines vniuersos posse cum Dei auxilio ad fastigium perfectionis ascendere, nullo negotio persuadet. Christi Saluatoris nostri ad perfectionem exhortantis auctoritas. Ille enim qui Apostolos suos instruens palàm asseruit. Quod vobis
Marc. 13. Matth. 5. dico,omnibus dico.] Rursus alio loco ait: Estote vos perfecti, sicut & Pater vester cælestis perfectus est.] Quam sententiam omnes prorsus homines,siue nobiles, siue ignobiles, diuites, & pauperes, sa
Rom. 10. pientes,& idiotæ,senes,& iuuenes,viri, atque mulieres sibi dictã,& inculcatam,accipiant. Non enim in vocatione ad gratiam, ac sanctitatem, est distinctio Iudæi,& Græci, nam idem Dominus omnium, diues in omnes, qui inuocant illum] Non quidem diues,vt Reges sæculi, quorum opes distributione in subditos minuũtur,quare non possunt nisi modicum dare;& multos eorum, qui accipiũt, pauperes, & paruulos derelinquere, sed ita diues, vt numquam dando opes suas, aut exhauriat, aut minuat, etiam si omnes homines immensis sanctitatis facultatibus ditet, & ad honorem magnatum, aulæ suæ, imò & ad charissimorum filiorũ dignitatem extollat. Si autem omnes,(quod ad se attinet) ad eximiã virtutem vocat,ad sanctitatem allicit, ad perfectionem inuitat, non denegabit assequendi gratiam,neque ascendendi facultatem. Quod námque inuitamentum esset, verbo vocare, impulsibus, & afflatibus ad epulas prouocare,& volentibus,ac venientibus ianuam occludere? Minimè claudit Deus. minimè claudit, sed ipsi homines vanis se prætextibus excusantes,viam sibi perfectionis occludunt. Illi ad cœnam magni regis inuitati quidem, & rogati, emptione dominatus, rerum temporaliũ sollicitudine,
Luca 14. & deliciarum amore deliniti, cœnam illam opiparam, & inuitantis beneuolentiam repudiarũt. Vnus

A dixit: Villam emi,& necesse habeo exire : & videre illam, rogo te habe me excusatum. Et alter dixit: iuga boum emi quinque, & eo probare illa, rogo te habe me excusatum : Et alius dixit : vxorem duxi,& ideo non possum venire. Et ita, sæculares ambitionis appetitu inebriati, diuitiarum cupiditate distenti,& carnis illecebris inescati,seipsos ab amore perfectionis abducunt,& sanctitatis vias ambulare detrectant. Cùm tamen benignus Dominus,eos per seipsum vocet, per Euangelij administros ad perfectionem inuitet,ac non minùs liberaliter, quàm sapienter,potentissima auxilia,ad eam consequendam subministret.

Vis audire,quomodo Dei administri sine vlla exceptione, vniuersos ad perfectionem vocent, moueant,impellant? Apostolorum ergo verba excipe,
B quibus non religiosos tantùm monent, sed milites, sed agricolas, sed mercatores, sed coniugatos, sed omnes alios ad hanc viam gradiendam alliciunt. Paulus quidem ait : Obsecro autem vos fratres,per nomen Domini nostri Iesu Christi,vt id ipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata, sitis autem perfecti in eodem sensu & in eadem sententia.] 1. Cor. 1.
Et alio loco : Omni homini datas esse sacras literas astruit,vt perfectus sit homo,Dei ad omne opus bonũ instructus.] Iacobus verò patientiæ occasiones, 2. Timot. 3.
ait, hominibus dari,vt patientia virtutis structuram perficiat, & vt sint perfecti,& integri in nullo deficientes.] Petrus quoque secundùm eum(inquit) qui Iacob. 1.
vocauit vos sanctum, in omni conuersatione sancti 1. Petr. 1.
C sitis, quoniam scriptum est : Sancti eritis, quoniam ego sanctus sum.] Hæc,& alia similia, an solis religiosis dicũtur? an solitariis tantùm, & his, qui onera rerum mundanarũ,abiecerunt? An sæcularibus in Scripturis dicitur, vt sensuum,& voluntatum dissidia foueãt? Vt sacram doctrinam contemnant? Vt in Leuit. 11
aduersis successibus patientiam, & sustinentiam deserant? Vt in rebus ad salutem animæ habendam necessariis, deficiant? Nullo modo; imò eadem præcepta & consilia his,atque religiosis proponũtur,quæ viæ quædam sunt ad capessendã perfectionem. Eadem obligatio imitandi Christum, & eius imaginẽ afferendi,sæculares arctat, quæ religiosos cõstringit. Illis igitur possibilis est perfectio, ad quã citra omne dubium,nec vocarentur,nec monerentur,nec si non ad eius adeptionem contenderent, corriperen
D tur,si ad eam ipsis aditus negaretur. Quamobrem sapienter Chrysostomus,hoc argumentum luculentissimè tractans,ex hac communi præceptorum,& cõsiliorum promulgatione,deducit,omnes, tam sæculares,quàm religiosos, & quocumque nomine, aut munere censeãtur,ad vitam perfectam fuisse vocatos. Multis námque recensitis præceptis saluberrimis,quæ Christus ore Pauli omnibus fidelibus proposuit,ad quæ perfectè cõplenda vix religiosi sufficimus,hæc verba subinfert. Nõnumquã verò ad ipsius Christi imitationem summa vi exhortationis inducit. Cùm enim nos admonet, vt proximum diligamus,à Christo potissimum sumit exempla. Itémque Chrysost. lib. 3. vitup. monastice.
cùm ad patientiam, cùm ad humilitatem hortatur. Cùm itaque non monachos tantùm, vel Apostolos,
E sed ipsum etiam Christum imitari nos iubeat, eisque,qui non imitentur maxima intentet supplicia, qua tu tandem ratione monachorum perfectionem maiorem esse dicis, cùm eadem perfectio omnibus proponatur,& omnibus imperetur?] Si eadem perfectio omnibus proposita est, omnibus imperata, liquet eam omnibus etiam esse possibilem ; neque enim impossibile aliquid voluit imperare,qui iustus est(vt Hieronymus ait) nec damnaturus hominem Hieronym. epist. 1 ad Demetriad. tom. 9.

fuit, pro eo quòd vitare non potuit. Sicut ergo in aula regia varia sunt aulicorum officia, ac seruorum ministeria, & quidam magis, alij verò minùs personæ regis adhærent, omnium tamē idem est scopus, & eadem cura vniuersis incumbit, scilicet, vt principi fideliter seruiant, & obedientissima ei præstent obsequia: Ita in hoc mundo, quæ domus magna est, ac regia summi Dei, variæ sunt hominū occupationes, officia varia, statúsque diuersi; & hi quidem in monasteriis sedentes, tamquam amici familiarissimi vultui æterni regis assistunt; illi verò, quasi strenui milites, in validissimis Ecclesiæ præsidiis constituti, quósque fideles ab hostium, hoc est, Dæmonum tuentur incursibus: alij denique, nempe sæculares, veluti serui minoribus officiis deputati, infirma tractant, & temporalia disponunt, at omnium idem finis est, nimirum regem diligere, & venerari, regis voluntates fideliter exequi, ab eius nutu, nec transuersum vnguem discedere, in quo (vt dicemus) posita est vniuersa nostræ mentis virtus, atque perfectio.

Vt autem diuina prouidentia rem hanc, non tam verbis quàm factis confirmaret, & eam hominibus tepidis, & æternæ salutis oblitis credibilem faceret, mortalium negotia, ita in omni ætate, ac lege disposuit: vt aliquos cuiusque status perfectos, ac sanctos efficeret, & veluti in mediū produceret, in quibus, & diuitias bonitatis suæ, & dignitatem, ad quam ascendere potest humana conditio, euidenter ostenderet. In lege naturæ Abel virgo, Seth coniugatus, Enos sacerdos, qui cæpit inuocare nomen Domini.] Noe agricola, qui cæpit exercere terram, & plantauit vineam; Iob princeps, Abraham, Isaac, & Iacob diuites patres familias, & curæ diuitiarum, ac filiorum vacantes, & alij non pauci tamquam splendidissima lumina sanctitatis fulserunt. In lege scripta Moses belli dux, inter armorum strepitus inuictam fortitudinem cum immensa mititate coniungens, & quietem mentis ad sublimem, & facilem Dei contemplationem asseruans. Iosue innumerabilium militum antesignanus, in ipso prælij conflictu, cælis leges condens, & soli, & lunæ efficaciter quietem imperans. Samson iudex populi, dum alienigenam ducit vxorem, & viuens Philistæos persequitur, moriénsque prosternit, Christi incarnationem, vitam, mortem, & fructum mortis præfigurans. Dauid rex, vir secundùm cor Dei in mediis sollicitudinibus regni, deliciis solitariorum perfruens, hymnos, Psalmósque decantans; & alij reges, atque prophetæ innumerabiles, seipsos perfectionis exēplaria præstiterunt. Et in lege gratiæ Apostolorum chorus, Martyrum acies, Pontificum concio, Doctorum exercitus, Confessorum ordines, Virginum turmæ, & alia sanctorum turba magna, & nullo à nobis numero comprehensa ex omnibus gentibus, & tribubus, & populis, & linguis, imò & ex vniuersis officiis, dignitatibus, ministeriis, & statibus, ad sanctitatem pedibus ac manibus repando ascenderunt, de mundo spolia, de diabolo triumphum, ac de carne victoriam reportarūt. Ex quo manifestè cognoscimus, omnes, qui in Christo baptizati sunt, posse Christum induere, id est, perfectionem acquirere, apud quē non est Iudæus, neque Græcus, non est seruus, neque liber, non est masculus, neque fœmina, sed omnes vnum sunt in Christo Iesu. Nam sunt Christi membra, qui possunt aliquam sui capitis sanctitatem consequi, & ad participationem eius gloriæ peruenire.

Genes. 4. *Genes. 5.* *Galat. 3.*

Si autē omnibus fidelibus perfectio possibilis est, quantò magis religiosis peruia erit, ac facilis, qui mundum; peccandi materiam abundè subministrantem, effugerunt, parentes, fratres, & consanguineos, hostes domesticos repulerunt, opes, delicias, & proprias voluntates, vincula hominum mentes astringentia, ruperunt, virtutum actiones, & cōtemplationis officia, pennas scilicet ad volādum in perfectionis montem, quæsierunt, & breuiter, omnia instrumenta ad eam facillimè adipiscendam, compararūt? Si sæculares, mille obstaculis impediti, currere ad hoc brauiū supernæ vocationis possunt, quanā ratione religiosi liberi, & expediti non possunt? Si struthiones in cælum volare valent, quid ni aquilæ valeant? Si hæc via tam recta est, vt stulti, modò velint, non errent per eam, quomodo sapientes finem viæ tenere volentes, errabūt? Equidem si tanta est perfectionis lux, vt cœci eam videant, si tanta propinquitas, vt claudi eam teneant, si tāta suauitas, vt ægroti gustent, & eius dulcedine capiantur, non puto, videntes, agiles, sanos, ac vegetos, impediri, quominus hanc stellam splendidissimā aspiciant, gemma pretiosam possideāt, & huius cibi dulcedine recreētur. Ad vos ergo, ô reges (qui sæculi vilitates conculcastis, & vestris affectibus imperastis) sunt hi sermones mei, vt discatis sapientiam, & ab eo fine, quem cupiuistis, non excidatis. Cōcupiscite perfectionis sermones, & diligite illos, & habebitis in moribus disciplinā. Clara est, & quæ numquā marcescit, sapientia (ipsa est sanctitas, atque perfectio) & facile videtur ab iis qui diligunt eam, & inuenitur ab iis qui quærunt illam.] Præoccupat, qui se concupiscunt, vt illis se prior ostendat. Qui de luce vigilauerit ad illam, non laborabit; assidentem enim illam foribus suis inueniet. Quis ita putet eam esse inuentu difficilē, cuius decor, & pulchritudo tanto splendore refulget; vt paruulorum, & egenorum conspectū non fugiat, cuius in homines tam ardens est amor, vt se ipsam non quæsitam inuitet; cuius tanta benignitas, & affabilitas, vt nullius, quantūuis despecti consortium erubescat? Status quidem religiosorū (vt Dionysius Areopagita, & Thomas Aquinas docent) status perfectionis est, & hominum ad perfectionem tendētium; quare sicut Dominus Israelitis ex Ægypto in terram promissam pergentibus, omnia ad iter necessaria, cibos è cœlo delapsos, vestes nulla vetustate consumptas, vires ad ambulandum, duces qui eos ducerent, imperatorem qui numerosissimum populū gubernaret, & alia quæ desiderare possent, abundè suppeditauit, ita vt, quod ad Deum spectabat, efficax esset eorum in terram sibi datam ingressus: Ita & religiosis omnia affatim præbet tēporalia, & spiritualia adiumenta, quorum præsidio, ex vitæ sæcularis abiectione ad terram excelsam, lacte, & melle manantem, hoc est, ad perfectionem conscēdant. Dei autem omnipotētis afflatibus euocati, subsidiis adiuti, impulsibus incitati, exercitibus Angelorum protecti, quomodo non poterunt, aut iter capere, aut hostes propellere, aut ad destinatum finem perfectionis venire?

Sapien. 6. *Dionys. de eccles. Hier. c. 5. & D. Tho. 2.2.q. 184.ar.5.*

Sed vanum ac superuacaneum videbitur in re tam clara, atque perspicua comprobanda, moras facere: Quis enim dubitat vniuersos religiosos cum Dei gratia esse posse perfectos? Non esse hoc argumentum inutile illi planè cognoscent, ac fatebuntur, qui religiosorum mētes, & cogitationes, non summis labiis (vt aiunt) sed intimè, & ex professo tractauerint. Sunt enim aliqui inter illos, & fortassis nō pauci, qui si non verbo, at abscondita cogitatione, aut pusillanimitate, sibi existimant, ianuam perfectionis esse præclusam. Quidam enim ingenita rusticitate, ab ignorantia, alij corporis imbecillitate, & aduersa valetudine, alij negotiis, ac curis obediētię imperio

demandatis,

demandatis, alij demùm perpetua quadam mentis ariditate, affectuum vehementia, & multarum tentationum incursibus, putant se ab assequutione perfectionis impediri. Idcirco despondent animum, in media via fatigati sedent, à virtutum desiderio, ad alia vana, & inutilia mentem auocant, & satis bene secum actum esse existimant, si vtcumque boni sint, nec iam curant sancti esse, atque perfecti. Sed facessat à mentibus religiosorum tam falsa, & perniciosa cogitatio; sciant se posse vias perfectionis ingredi, sanctitatem assequi, & his, quæ sibi impedimenta videntur, iuuari potiùs, nō præpediri. Nam si inscius es, ô religiose, & literarum peritia destitutus, quidnam tibi deesse existimas ad magnam sanctitatem captandam, quam non scientiæ ambitiosæ pariunt, sed gemitus, sed affectuum mortificatio, sed humilitatis, mansuetudinis, & omnium virtutum exercitatio; sed mandatorum, & regulæ tuæ obseruationes efficiunt. An sine literis non poteris cælum pulsare precibus, implere gemitibus; an non poteris teipsum cohibere; non poteris esse humilis, mansuetus, & obediens; non poteris mandata seruare, & Deum toto corde, tota anima, & tota mente diligere? Si hæc sine scientiarum cognitione, non tamen sine adiutorio gratiæ Dei in tua sunt potestate, quātumuis sis rudis, atque imperitus, vales perfectionis vias ambulare, & tandem illam amplecti, & possidere. Vnde Cassianus vim illius Dauidici carminis quo Dei auxilium imploramus, multis exaggerans, eius efficaciam, his notandis verbis concludit. Constat neminem prosus ob imperitiam literarum, à perfectione cordis excludi, neç rusticitatem obesse ad capessendam animæ puritatem, quæ compendiosissimè adiacet cunctis, si modò sanam, & integram intentionem mentis iugi ad Deum versiculi huius meditatione seruauerint.] Ecce sanctus hic pater instrumento tam facili, vno scilicet versu cum ingenti affectu sæpiùs repetito, iudicat perfectionem obtineri posse; & tu tot præsidiis cinctus, tot instrumentis adiutus (quia scientiæ desunt) ad eam appropinquare desperas? Cùm tamen scientiæ (quod non semel vidimus) intellectū fascinantes, affectum voluntatis arefaciant, quo, tāquam manu cordis apprehendimus puritatem, & occupationes magni momenti, quæ literas subsequi solent, velut vmbra corpus, mentem in rebus terrenis hærere faciant, & vinculis curarum detineant.

Cass. col. 10. c. vlt.

Quid autem de aduersa valetudine, & de corporis imbecillitate, aut de dolorib⁹ capitis, aut stomachi queritaris, quasi hæc a cœpto sanctitatis cursu te detineant? Cùm apud Iacobum Apostolum legas: Quoniā probatio fidei patientiā operatur: patientia autem opus perfectū habet.] Et apud Paulum: Cùm infirmor, tunc potens sum, & virtus in infirmitate perficitur.] At inquies, morbo, aut dolore cruciatus, nec ieiunare, nec vigilare, nec corpus ciliciis, & flagris domare possum. Fateor: sed tamen patientiā habere potes; indigentiam rerum necessariarum sine murmure, & alacriter ferre potes, diuinæ voluntati te & tua omnia submittere potes; Deum, quantumuis ægrotus, aut imbecillus, amare potes. Si autē hæc potes, absq; dubio potes esse perfectus; quoniam hæc sine vlla comparatione efficaciora sunt, quàm ieiunia, aut vigiliæ, aut cilicia, aut alia huius generis ad perfectionem obediendam adiumēta. Si enim corpus atteras, & animā prauis affectibus robustam relinquas, ferè nihil facis; at si animam patiētia, paupertate, & amore purifices, licet corpus, aut delicatè, aut nō nimis seuerè tractes, multū vtiq; profecisti. Seruulus ille à Gregorio nō semel cele-

Iac. 1.

2. Cor. 12.

A bratus, paralysi resolutus, indigentia pressus, per patientiam, est sanctitatem assequutus, & qui viuens aspicientibus horrorem incusserat, moriens aslantes suauissimi odoris fragrantia recreauit, & Angelis constipatus, in cœlum ascendit, suæ tolerantiæ præmia cumulatissima recepturus. Quid tu ob modicam ægritudinem, mentis puritatem te assequi non posse causaris, quæ non vinculum est, sed ad iter perfectionis agendum, commodum aptumque vehiculum? Disce potiùs ex illa, quia aduersæ corporis valetudinis in secundam mutatio (vt inquit Basilius) quædam esse veluti confirmatio debet, ne de animæ sanctitate penitus desperemus, quasi verò ea ex peccatis ad pristinam integritatem per pœnitentiam se recipiendi facultatem omnem amiserit] Et B sicut corporis, ita & animæ incolumitatem procura, certus quòd ea, quæ ad te pertinent faciens si non corporis salubrem valetudinem, at sine vlla dubitatione animæ perfectionem assequeris.

Greg. in Dialog. & hom. 15. in Euang.

Basil. in pref. Hist. vlt.

At occupationes (ais) sunt mihi multæ, quæ innumerabilibus maculis meipsum inficiunt, & animum in diuersa, ac varia dispertiunt, & propriæ virtutis augmento vacare non sinunt. Quomodo enim mihi ipsi vacabo, quem obedientiæ onus ita premit, vt nec legere, nec orare, nec quiescere, nec dormire permittat, sed semper rebus exterioribus inhærere cōpellat? Hæc quoq; inanis excusatio est, quia perfectio, non sola prolixa oratione, aut lectione, nō sola C quiete, verū etiā occupatione, & labore cōquiritur Si autē Deus te nō melle, sed felle, nō lætitia, sed afflictione, nō otio suaui, sed amaro negotio mundare vult, atq; perficere, cur obmurmuras? Cur impossibilitatē prætendis, & te duci, ac gubernari non sinis? An occupationibus sanctos Ecclesiæ Pontifices vincis, qui totam Ecclesiam, veluti humeris sustinent? An Doctores superas; qui orando, docendo, & disputando, hostes fidei, & virtutis euertunt? An Prælatos excellis, qui regiminis habenas moderantes, non sui sunt, sed subditorum, & sub honoris nomine, omnium minimi efficiuntur, & serui? Nō puto curas, & labores tuos posse istorum sollicitudinibus coæquari. At inter istos, non vnum, aut duos, nō D decem, aut viginti, non deniq; paucos, sed innumerabiles sāctissimos, ac perfectissimos inuenies. Inter labores ergo, & occupationes assiduas perfectio haberi, & habita cōseruari, & cōseruata augeri, ac promoueri potest, si quidē ab obedientia, virtutum omniū cultrice iniunguntur, aut à charitate, totius boni matre imperentur. Quamobrem ab occupationibus tuis, quod superfluum est, amputa, quod sæculare, & prophanum est, reseca; quod distortum, dirige, quod inquietum remoue, quod distractum, collige, quod tepidū, ac triste, luce alacritatis, & igne amoris, succēde; & erūt tibi nō imperfectionis seminaria, sed virtutis, & perfectionis instrumenta. Abiice, inquā, labores irreligiosos, & negotia sæcularia, quę religiosis, nec obedientia imponit, nec charitas præcipit. In E sāctis autē laborib⁹, & religiosa vacatione dignis, rectā intentionem habeas, mentis tranquillitatem diligas, cogitationes tuas ad Christum colligas, tepiditatē feruore, & tristitiā spirituali alacritate cohibeas, nec verearis eorū causa à celeri cursu perfectionis impediri. Qui enim operari non vult, & potest (inquit Hugo) viuit, sed languet, viuit potestate, sed languet voluntate.] Si ergo otium est languor; sanctus, & fructuosus labor, iam est aliqua sanitas, qua ad absolutam animæ incolumitatē scilicet, ad perfectionem, properamus. Nec credas opportunitatem tibi ad orandum, & legendum deesse, modò velis labores superfluos, & tibi non iniunctos

Hug. 2. de claust. animæ c. 13.

suceidere

succidere: siquidem illi non deerat, cuius instantia quotidiana, sollicitudo omnium Ecclesiarum.] Homines in rebus terrenis admodum occupati, & perpetuo obsequio principũ, aut regum addicti, vt illi, qui à secretis sunt, qui nec ad momentum possunt à præsentia dominorum abesse, si ament, opportunum tempus quærunt, vt amatam videant, & alloquãtur, & cupitis potiantur amplexibus: quærunt, nec suo desiderio frustrãtur, quia efficaciter inueniũt. Ama igitur, & tu Dominum Deũ tuũ, rerúmque cælestiũ desideria concipe, & ipse amor te occupatissimum, & curis exterioribus onustissimum edocebit, quomodo opportunitatem orationis captes, & ei quem vnicè diligis, sanctis amplexibus dilectionis, iũgaris. (2. Corint. 11.)

B Nec tandem te mentis ariditate, affectuum naturalium impetu, aut tentationum molestia, defendas; quia hæc, si incidant, nec veram virtutẽ tollunt, nec viam perfectionis decurrendam impediunt. Si enim dulces lacrymarũ fontes exsiccati sunt, si cælestes cõsolationes abierunt, si cælitus demissa intelligentiæ lux, & cordis tranquillitas, lætitiáque fugerunt; at perseuerantia non fugiat, cognitio propriæ indignitatis non abeat, mentis cõpunctio, exterior culparum confessio, & solidarum virtutum feruor, non intepescat, quæ sine consolationũ abundantia, imò & cum desolationũ copia poterunt nos ad saluatorem nostrum deducere, atq; ad culmen perfectionis prouehere. Non te oportet, ô homo, vt perfectionẽ assequaris (verbis Bernardi vtor) maria transfretare, non penetrare nubes, non transalpinare necesse est. (Ber. ser. 1. de aduentu.)

C Non grandis, inquam, tibi ostenditur via, vsque ad temetipsum occurre Deo tuo: Prope est enim verbũ in ore tuo, & in corde tuo, vsque ad cordis compunctionem, & oris cõfessionẽ, occurre, vt saltem exeas de sterquilinio miseræ conscientiæ, quoniam indignum est, illuc auctorẽ puritatis intrare.] Breuis sanè vita est, quæ duobus passibus, compunctione, & humilitate conficitur, quã sine multis consolationibus peragens, aliquando cupitam perfectionem apprehendes. Si autem affectus indomiti animum turbant, & ab officio charitatis auocant, moderetur eos bona voluntas, mortificationis exercitatio comprimat, & Domini sanctus timor coerceat; ita fiet, vt sint nõ fomenta iniquitatis, sed adiumenta virtutis.

D Dauid gladio Goliath sibi in mortem præparato, infestissimum hostem occidit; ita & tu mucrone affectus indomiti, in communem aduersariũ conuersi, caput eius amputa, & teipsum ab imminenti discrimine libera. Tunc verò gladium in aduersarium cõuertis, cum effrænem passionem, aut cupiditatis, aut iræ cohibes, & illam cohibendo Dæmonem te volentẽ ferire, eodem gladio mortificatæ passionis percutis. (1. Reg. 17.) At rex Asa tibi etiam offert, ex immoderatis affectibus proficiendi documentũ, qui vniuerso Iuda congregato, tulit lapides, & ligna Rama ciuitatis aduersæ, & ex eis ædificauit Gabaa, & Maspha vrbes ditionis suæ, quæ sibi obtẽperarent, atque vectigalia persoluerent. (2. Paral. 15.)

E Quid námq; est, lapides, & ligna Baasa tollere, quibus Rama vrbs exaltata & rebellis extruitur, nisi affectus nostros vitiis, ac peccatis seruiẽtes & ad gehennã ædificantes, in nostrã potestatẽ mortificatione, ac in nostrum dominiũ redigere? Et quid est, his affectibus Gabaa & Maspha, id est, collem, & speluncã ædificare, nisi quòd hi affectus coerciti, & ad moderationem redacti, altitudinem perfectionis faciunt, & veræ virtutis exstructioni deseruiunt? Nemo igitur de suis affectibus conqueratur, quos si coerceat, magni meriti, & insignis cuiusdam virtutis subsidia atque adiumenta experietur. Idem quoque de tentationibus esto iudiciũ, quibus Dominus

A nos molestari permittit, non vt abiiciat, sed vt spiritualem Israelem erudiat, & adepta præliãdi consuetudine ad charitatis perfectionem promoueat. (Iudic. 3.) Præclarè enim, & sapienter scriptum est à Laurentio Iustiniano. Vehementer excitat ad profectum charitatis tentatio. (Iust. in ligno vitæ tract. de charit. c. 14.) Electorum namque desideria deprimũtur aduersitate, vt proficiant, sicut ignis flatu premitur, vt crescat, & vnde, quasi extingui creditur, inde roboratur, sic nimirum, cùm per tentationem humilitas in anima proficit, prospera est ipsa aduersitas, quæ mentem, & charitatem accendit, & ab elatione custodit.] Si itaque tentationes humilitatem custodiunt, virtutes adaugent, & charitatem, hoc est, perfectionem ipsam multiplicant, non est cur tentationibus, ô frater, tuas imperfectiones excuses, sed potiùs tuæ ignauiæ in pugnando, & inertiæ in præliando, cum hostibus tribuas. Liquet ergo perfectionem omnibus hominibus, tã sæcularibus, quàm religiosis esse possibilem, nullumque esse impedimentũ, quod nos volẽtes ad veram virtutẽ currere, à cœpto cursu detineat. Nam mandatum hoc, ô homo, dicit Dominus, quod ego præcipio tibi hodie (& quidem mandatum dilectionis, id est, perfectionis est) non supra te est, neque procul positum nec in cælo situm, vt possis dicere, Quis nostrum valet ad cœlum ascendere, vt deferat illud ad nos, & audiamus, atq; opere compleamus? (Deut. 30.) Neque trans mare positum, vt causeris & dicas. Quis ex nobis poterit transfretare mare, & illud ad nos vsque deferre, vt possimus audire, & facere, quod præceptum est? Sed iuxta te est sermo valde in ore tuo, & in corde tuo, vt facias illud.] Quid nobis facilius illo opere, quod in corde nostro (si volumus) habemus reconditum, hoc est, in nostra voluntate collocatum? Iam ergo, quid sit illud in quo perfectio consistat, tam vniuersis facile, tam in potestate omnium constitutum, non tamen sine Dei gratia, quæ nulli non præsto est, dilucidè ac sigillatim exquiramus.

Perfectionem non esse sitam in gratis datis gratiis.

CAPVT IIII.

Sapientibus, & insipientibus debitor sũ] (inquit vas electionis Paulus) hac breui, sed vtilissima sẽtẽtia, denotãs, veritatis magistros, ita debere sermones rerum spiritualiũ interpretes attemperare, vt non solis sapientibus, & peritis seruiant, sed etiam insipientibus, & imperitis proficiãt. (Rom. 1.) Hi enim instructione indigent, quæ intellectum illustret; illi autem, non tam instructione, quàm persuasione opus habent, quæ voluntatem inflammet. Quare ita Doctoris oratio paranda est, vt & insipientes illuminet, & sapientes doctrina illuminatos, ad virtutis amorem alliciat. Quod (secundùm Gregorium) Sapiens prædicatores admonuit, dicẽs. Deriuentur fontes tui foras, & in plateis aquas tuas diuide. (Prou. 5.)] Fontes enim foras prædicator deriuat, cùm exteriùs aliis virtutem prædicationis infundit; & aquas in plateis diuidit, cùm in auditorum frequentia pro vniuscuiusque qualitate, diuina eloquia dispensat. (Greg. 3. p. past. ad monit. 25.) Nos ergo, qui magistri perfectionis officiũ, licèt indignè, suscepim', ita opus istud elaborare conamur, vt pro tenuitate nostra omnibus legentibus, siue illi ignorantes sint, siue scientia mysteriorum cœlestium instructi, vtile, ac fructuosum existat.

Quamobrem intẽtionis nostræ est, aliqua verè magna sed oculis vulgarium hominum, plusquàm expedit, illustria & splẽdida, à nomine perfectionis reiicere, vt ipsi sciant dona Dei iuxta cuiusque naturam ac præstantiam æstimare, & maiorem præstantiori, minorem verò minori locum in suo corde tribuere. Et sicut Philosophi atque Theologi naturam beatitudinis indagantes, diligenter inquirunt, an in diuitiis, vel honoribus, an in fama, vel gloria, siue clara cum laude notitia, an in potestate, vel dignitate, an in voluptate, vel aliquo bono corporis, & tandem, an in aliquo bono creato, aut solùm in boni increati possessione cõsistat: ita & nos perfectionis naturam (quæ inchoata beatitudo est) inquirentes, accuratè inuestigabimus, an in quibusdam mẽtis præclaris donis, nimirum, an in gratiis gratis datis, an in consiliis Euãgelicis, an in præceptis decalogi, an verò in aliquo alio sit ipsa cõstituta. Cuius tractationis hæc erit vtilitas, vt cognoscentes perfectionis substantiam, & aliorum donorum (quæ, aut instrumenta perfectionis sunt, aut effectus, aut indicia) naturam vestigantes, illam vt finem, & scopũ consectemur, hæc verò in suo ordine solùm, vt præsidia ad illum finem assequendum conferentia, quæramus. Et quidem à gratiis gratis datis sumimus tractationis initium, quæ sicut ignorantium oculis magis lucent, & clariùs emicant; ita etiam magis à perfectionis natura atque substantia distant.

1. Cor. 12. Has autem gratias Paulus his verbis enumerat. Vnicuique datur manifestatio spiritus ad vtilitatẽ: Alij quidem per spiritum datur sermo sapientiæ; alij autem sermo scientiæ secundùm eundem spiritum; alteri fides in eodem spiritu; alij gratia sanitatum in vno spiritu: alij operatio virtutum: alij prophetia: alij discretio spirituum; alij genera linguarum; alij interpretatio sermonum. Hæc autem omnia operatur vnus, atque idem spiritus diuidens singulis prout vult.] Magna sunt, & præclara ista dona Dei, quibus sancta Mater Ecclesia prædita, Spiritũ sanctum habitatorem, & gubernatorem agnoscit. Nã talia dona supra naturam, & supra vires humani generis solus ille huic congregationi fidelium dare potuit, qui supra omnem naturam est, & omnium rerum, tam naturalium quàm supernaturalium habet potestatem. Magna, inquam, & præclara sunt hæc, & super aurum & argentum fidelium oculis pretiosa. Est enim sermo sapiẽtiæ, quo aliqui Doctores Ecclesiæ, non ex literis, quas didicerũt (vt inquit Ambrosius) sed cotusco spiritus sancti res diuinas, & sempiternas, quæ sunt supra captum humanum, ad aliorum vtilitatem explanant. Sermo scientiæ est, quo alij Ecclesiæ sapientes, mores instruũt, & quid in quouis statu, aut modo viuendi liceat, quid non liceat, quid bonum, quid malũ sit, & inter mala, quid leue peccatum, quidue graue crimẽ, studio & labore discernunt. Fides est, non quidem illa manens affectio, omnium virtutum fundamentum, qua Deo per Ecclesiam mysteria reuelanti credimus; sed aut sermo clarus & perspicuus, res fidei imbecillioribus proponens, & pusillis aperiens, vt Thomas Aquinas vult, aut quemadmodum Ambrosius, & Anselmus interpretantur, constantia ad profitendam fidem, & coram principibus sæculi, & in medio tormentorum confitendam. Quam gratiã sanctus Dauid illo carmine expressit. Loquebar de testimoniis tuis in conspectu regum, & non confundebar. Gratia sanitatũ est, qua Dominus, vel ad cõfirmandam fidem, vel ad declarandam alicuius sanctitatẽ, ægris, non medicamẽtis adhibitis, sed modo plane miraculoso, & supra naturã, curationem affert. Operatio virtutũ est, quæ prodigia, & opera mirabilia patrat, vt cùm Moses ictu virgæ, mare diuisit, vel Iosue imperio vocis suæ solem & lunam in cælo detinuit. Prophetia est, quæ ex diuina reuelatione præterita, occulta pandit, præsentia abscondita aperit, & futura nobis ignota prædicit. Ad quam Thomas Aquinas raptum reuocat, quo nomine omnes extases, & alienationes a sẽsibus, siue ex lucis excessu, siue ex magnitudine deuotionis exortas, & vniuersas diuinas reuelationes, & dulcedines spiritus, ac cõsolationes cœlestes intelligo. Discretio spirituum est, qua homo qualitatem secretorum cordis intelligit, & quid sub specie boni sit, vel à proprio spiritu inuẽtum, vel à maligno spiritu immissum, vel simpliciter bonũ à Deo iussum, aut consultum discernit. Donum linguarum est, cuius adiumento doctores linguis ignotis loquuntur, & aliena idiomata, vt eis ad ministeriũ prædicationis vtantur, non labore, & studio, sed beneficio Dei omnipotentis intelligunt. Quod Apostoli omnium nationum Patres, atque magistri, in ipso Spiritus sancti super illos aduentu, perceperunt. Neque enim sine magno incommodo illos docere possent, à quibus non intelligerentur, aut quorum linguas ignorarent. Interpretatio sermonum est, qua diuinas Scripturas ad confirmationẽ veritatis interpretamur, & abditos earum sensus, siue historicos, siue allegoricos, siue morales, siue anagogicos in mediũ eruimus. Cuius doni duplex est fructus. Alter, vt ignorantes doceat; alter, vt duros, & proteruos flectat, & ad bonũ emolliat: propter quos fructus huic dono adiunctũ est, vt auditores lectorésve delectet. Sicut enim natura cibis, saporis suauitatẽ; ita gratia doctrinæ, dulcedinem vocis, & verborum decorem indidit, ne homines veritatem, sicut cibum insulsum, & nullo sale conditum horreant, quo mens ad vitam gratiæ, aut obtinendam, aut conseruandam reficitur. Hæ igitur sunt gratiæ gratis datæ, quæ fideles, præsertim Euangelij ministros, exornant, & apud populos illis honorem, & auctoritatem conciliant, & sensim quamdam ingerunt opinionem sanctitatis.

Exod. 14. Iosue. 10. D. Tho. 2. 2. q. 175. Amb. in 1. Corint. 12. Thom. Amb. Ansel. Ibid. Psal. 118.

Sed non in his perfectionis ratio, naturáque consistit, neque continuò sequitur; Iste est Doctor egregius, & scriba in lege doctissimus: iste est, aut propheta, aut miraculorum effector: iste est eximius rerum cœlestium contemplator, & magnarum consolationum spiritualium susceptor, ergo est vir sanctus, atque perfectus. Nam si perfectus est (vt superiùs diximus) cui nihil deest; istis, qui præfatis donis præditi sunt, si ea tantum habeant, non solùm aliqua ad perfectionem obtinendam desunt, verùm etiam spiritualis vita deest, & alia dona illustriora, nimirum virtutes solidæ, atque perfectæ deficiunt. Etenim posse ista dona sine vita spirituali, nimirum sine gratia, & charitate subsistere, Dominus ipse, non obscuris verbis, sed palàm apertéque protestatus est, dicens: Multi dicent mihi in illa die: Domine, Domine nonne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo Dæmonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus: Et tunc confitebor illis, quia numquam noui vos. Discedite à me, qui operamini iniquitatem.] Quomodo perfectio vitæ spiritualis, in his donis erit constituta, quæ nec vitam spiritualem præexigunt, & in Deo mortuis, & gratiæ hostibus possunt inueniri? Iure profectò Dominus gaudium ex harum gratiarum possessione natum comprimit, & ex alia potiori causa, nẽpe ex vera virtute, atque ex æterna prędestinatione lætãdũ nobis esse pronunciat. Ecce (inquit) dedi vobis potestatẽ calcandi supra serpẽtes, &

Matt. 7. Luca 10.

scorpiones,& super omnem virtutem inimici,& nihil vobis nocebit. Verumtamen in hoc nolite gaudere,quia spiritus vobis subiiciuntur; gaudete autē, quòd nomina vestra scripta sunt in cælis. O magna sapientia, à sapientibus, atque prudentibus sæculi abscondita,& simplicibus ac paruulis reuelata! Quia nec diuites sunt prophetæ,nec doctores, nec miraculorum patratores, nec diuinarum illustrationum aut consolationum possessores, si non vltrà progrediantur,& in his tantùm donis, gratiisque consistāt, sed diues est,qui sine his miserabilibus Deo placet, & veram virtutem, ac sanctitatem inquirit. Timeamus(ait Chrysostomus)maximámque curam sanctæ conuersationis adamemus, nec putemus minùs aliquid nos habere,quia nos modò signa non facimus. Nihil namque tunc nobis propter illa ampliùs reddetur,sicut nec minùs dabitur, quia signa non facimus, si vtique omnibus studuerimus abundare virtutibus. De mirabilibus siquidem non absque dubio debitores efficiemur Dei, pro bene autem acta vita Deum habebimus debitorem.] Equidem optimè. Nam si sanctitatis operibus præmium mercesque decernitur;propter hæc autem opera, licèt mirabilia,si sola, & merito sint charitatis vacua, nihil sumus recepturi, liquet, quia non in illis, sed in sancta, & secundùm legem Dei Christiana conuersatione, sanctitas atque perfectio consistit. Hæc profectò prona ac facilis est nobis cælesti præsidio munitis, neque quisquam est (vt iam ostendimus) adeò vilis, aut imbecillus, adeò impolitus, aut rudis, qui non possit ad perfectionem aspirare, & ad virtutis fastigium peruenire. At illa dona, non cuique facilia sunt,non in cuiusque potestate constituta,sed multis Ecclesiæ fidelibus, sine vlla hæsitatione impossibilia. Rudis enim quomodo mysteria cælestia pandet, & verba sapientiæ, ac scientiæ profundet? Idiota quanam ratione arcana fidei, & absconditi rerum supernaturalium exponet? Vocatus ad vitam communem, quo pacto, aut ægris subitò sanitatem, aut aliis miraculosas functiones impertiet? Electus, vt sibi soli vacet, qua via per prophetiam occultorum notionem aperiet, aut per discretionem spirituum cordis secreta rimabitur, aut per linguam omnibus nationibus in magistrum, & præceptorem dabitur,aut per sermonum interpretationem ad sacras Scripturas interpretandas euehetur? Ad ista quærenda nullus incitatur, licet quibusdam ob vtilitatem aliorum gratis Deus, ac liberaliter tribuat, ad perfectionem verò consequendam nullus non à Domino permouetur. Quare Paulus his gratiis enumeratis non iubet,vt eas, aut cupiamus, aut æmulemur: sed æmulamini(inquit) charismata meliora, & adhuc excellentiorem viā vobis demōstro.]Non est hæc alia nisi charitatis via, quam cupere non est ambitiosum, quam æmulari non est periculosum,quam postulare non est inane, quia id cupimus,id æmulamur,id postulamus quo Deo videlicet iungimur,securè copulamur,& sine vlla superbia,aut ambitione cohæremus.

Hoc ergo quærendū,hoc tota mentis contētione postulandum est,quod ad volūtatem pertinet, quod ad opus procedit,quod nos bonos, & sanctos facit; illæ verò gratiæ,quæ sine vllis meritis in vsū Ecclesiæ conceduntur,intellectus perfectiones sunt, quare possunt intellectum illustrare, nō autē nos ipsos, aut à vitiis alienos,aut virtutibus imbutos, aut Sanctos,atque perfectos efficere. Voco autē eas intellectus perfectiones,quoniā (vt Thomas Aquinas ait) ad docendum alios, & persuadendum, data sunt. Sermo enim sapientiæ,& scientiæ,& fidei principia salutis nostræ,& conclusiones inde deductas,siue ad res diuinas,siue ad humanas spectātes proponit Donum linguarum,& interpretatio sermonum proponenda aptè concinnéque declarat. Dona sanitatum, & miraculorum,& prophetia,& discretio spirituū, proposita, & declarata signis, quę solus Deus cognoscere potest,efficaciter ac verè cōfirmant. At sanctitas,atque perfecta virtus,non in cognoscendo,& subtiliter disputādo,sed in amando, & rectè operādo posita est. Quid enim refert vitiorum malitiam, & virtutum decorem agnoscere, si nec illa fugias, nec istas amplectaris? Quid refert,Dei perfectiones, & legis suæ puritatē callere,si nec istam custodias, nec illas in propriam mentē,precibus,desideriis,& imitatione transfundas? Seruus,qui cognouit voluntatem Domini sui,& nō præparauit,& non fecit secundùm voluntatem eius,vapulabit multis.]Nō igitur boni cognitio,sed bona operatio nos ęternis plagis eximit,& æternis præmiis dignos reddit. Et,si nō auditores legis iusti sunt apud Deum] quo nomine Paulus omnes legem cognoscētes intelligit,sed factores legis iustificabuntur] manifestum est, quia non in his, quæ intellectum condecorant,sed in his quæ voluntatem emundant, & opus exornant, nostra est virtus, atque iustitia. In quam sententiā grauiter Augustinus ait: Neque enim perfectio in legum est notitia constituta, cùm sit scriptum, Non enim auditores legis iusti sunt apud Deū,sed factores legis iustificabuntur: Neque enim,inquā, is religiosus,& sanctus est,qui nouit legem cessātibus factis, cùm expedit facere magis,quàm docere. Quia molestum est docere,& non facere.] Sanè valdè molestū iis, qui ardua,& difficilia perdiscūt: qui exēplo magis volūt moueri,quā verbo,& impossibilia putant,quæ opus nō ostenderit,& solus ieiunus sermo docuerit. Hæc ergo dona,quæ aut intellectū honestāt,aut hominibus nos mirabiles faciūt, cum volūtatem ipsam vtiq; sanctitatis domiciliū nō attingāt, haudquaquam possunt sibi perfectionis nomē vsurpare,aut sanctitatis appellationē assumere,quę sola honorabilis est: doctrina verò,aut potestas edēdi miracula, sine vera virtute,contēptibilis. Est namque verissima doctrina Gregorij, illā exponentis quorūdam prophetarum laudationem, quam suprà retulimus. Nonne in nomine tuo prophetauimus,] quod in hominibus charitatis humilitas,nō autem debeāt virtutū signa venerari. Atque statim subdit: Probatio quidē sanctitatis non est signa facere,sed vnumquemque,vt se diligere, de Deo autem vera cognoscere, de proximo verò meliora quàm de semetipso sentire. Nam quia vera virtus in amore est,non autē in ostensione miraculi, veritas demonstrat, quæ ait, In hoc cognoscent omnes,quia mei Discipuli estis, si dilectionem habueritis adinuicem.] Qui enim non ait: in hoc cognoscetur, quia mei discipuli estis, si signa feceritis,sed ait, si dilectionē habueritis adinuicem, apertè indicat,quia viros Dei famulos, nō miracula, sed sola charitas probat.] Ex his verbis hoc clarissimè elicimus, aut doctrinam, aut signa ex vera virtute, ac impolluta charitate,honorem,& venerationem accipere,& sine illa nō tā honorem quàm dedecus, & confusionem habere, quia dedecorum valde ac ignominiosum est,his præclaris donis à benignissimo Domino imbui, & turpi vita,ac prauis morib' tā eximio beneficio respōdere. His ergo euidenter ostenditur,perfectionē spiritualis vitæ, nō à gratiis gratis cōcessis,sed ab alio,quod eas vtiles & venerabiles fecit,omninò pēdere. Cùm enim istæ gratiæ non semper Spiritum sanctū in homine illas habente,sed solùm in Ecclesia commorantem

X ostendant,

Marginalia: Chrys. hom. ... — Cor. 12. — Tho. in Cor. 12. — Lucæ. 12. — Rom. 2. — Aug. ser. 3. de verbis Domini. — Greg. lib. 20. mor. cap. 9. — Ioann. 13.

ostendant, & non ad vtilitatem signa facientis, aut docentis, aut prophetantis, sed ad vtilitatem Ecclesiæ principaliter tribuantur (& quidem Augustinus, & Thomas Aquinas vtrumque aiunt) consequés est, vt nequaquam in illis perfectio collocata sit, quę Spiritum sanctum, per charitatem hominis perfecti habitatorem facit, & primò, ac præcipuè habentis emolumentum, ac vtilitatem intendit. *Aug. tract. 32. in Ioã. & D. Th. 1. cor. 12.* A

Sed si in his gratiis, non est perfectio constituta, quonam modo ipsæ ad perfectionem pertinent? Ita sanè, vt in quibusdam sint sanctitatis, & perfectionis indicia, in quibusdam sint sanctitatis instruméta, in aliis verò nuda, atque sola ministeria. In sanctis, atque perfectis viris sũt sanctitatis indicia, quos Deus his mirabilibus operibus mũdo manifestat, vt eos in magno pretio habeat, & regis regum amicos, & familiares agnoscat. Quod apertè testatur Gregorius, dicens: signa, atque miracula, sanctitaté quidem ostendere, non tamen facere.] Sic Deus sanctitatem Apostolorum, Martyrum, & confessorum, & virginum, aut Sanctarum mulierum miraculis, & signis confirmauit, & perfectionem Doctorum, & Pontificum, sermone sapientiæ, & scientiæ, & fidei, atque discretione spirituũ, & interpretatione sermonum aperuit, & breuiter, nunc isto nunc illo donorum genere amicorum suorum puritatem manifestauit. Et sicut reges terræ, amicos suos honoribus, & diuitiis amplificãt, & reliquis subditis suis, licèt fidelibus, non tamen æquè dilectis, dignitate præponunt, ita Deus in donis multò profusior, Sãctos & perfectos viros interdum his donis nobilitat, & coram aliis non tam extraordinariæ virtutis illustres facit, atque conspicuos. Sed ideò nõ omnibus Sanctis ista tribuuntur (ait Augustinus) ne perniciosissimo errore decipiantur infirmi, existimantes in talibus factis maiora dona esse, quàm in operibus iustitiæ, quibus æterna vita comparatur.] O admirabilis sapientia, & bonitas Dei! quæ dilectissimos amicos suos, scilicet Sanctos, & perfectos viros semper maioribus bonis, nempe virtutibus implet, non tamen semper minoribus bonis, nimirum his gratiis, & donis honorat, vt & ipsis sui amoris verissima signa offerat, & toti mundo notionem veræ virtutis, atque perfectionis relinquat. *Gre. hom. 29. in Euang.* B C *Aug. libr. 83. qq. q. 29. tr. 4.*

In viris, necdum perfectis, & ad perpetuam fœlicitatem destinatis sunt hæc dona, sanctitatis instrumenta. Nam in hunc finem Deus nonnullos incipientes, nec dum mundo mortuos, dono altissimæ contemplationis illustrat, & cælestibus reuelationibus stupefacit, vt eos, aut illius dulcedine ad se trahat, aut admiratione secretorum ad virtutem alliciat. Sic Saulum adhuc spirantem minarum, & cædis in discipulos Domini, Dominus ipse splendore, è cælo delapso, & voce sua, qua eum corripuit, ab infidelitate remouit, & ad notitiam veritatis adduxit. Sic discipulos adhuc minùs in virtute perfectos dono signorum faciendorum animauit. Nam & Dæmonia (inquiunt) subijciuntur nobis.] Hæc quidem non fuerunt in istis præsentis sanctitatis indicia. Quam enim tunc sanctitatem habebat Paulus blasphemus, & contumeliosus, & persequens Ecclesiam Dei? Quam insignem sanctitatem tũc habebãt discipuli, qui (vt inquit Beda) a Domino amabiliter arguuntur, eo quòd in virtutibus à se factis, in firma fide gauderent, & vt Cyprianus insinuat, de patratis miraculis se minùs modestè iactarent. Fuerunt autem sanctitatis adiumenta. Nam Paulus, illa insigni reuelatione conuersus, infidelitatem deseruit, fidei, collum mentis submisit, & ex rapacissimo lupo in mansuetissimum a- *Actor. 9.* *Lucæ 10.* D E *Bed. l. 3. in Lucã ad c. 10.* *Cypr. ser. de ieiunio & tentat. ante fin.*

gnum est repente mutatus. Et discipuli infirmi signis mirabilibus à se editis roborati Christo constantiùs adhæserunt, & eius cælestem doctrinam stabiliùs adamarunt.

At in reprobis, gratiæ istæ gratis datæ, nuda sunt ministeria, non in beneficium glorificationis corũ, sed in vtilitatem Ecclesiæ, & profectum fideliũ ordinata. Sicut enim Dominus Senacheribo vsus est ad punitionem, & eruditionem populi Israelis, ad quam castigationem faciendam, & robur affatim, viresque concessit; & ideò audit. Væ Assur, virga furoris mei, & baculus ipse est, in manu eorum indignatio mea:] Postquã verò illum in hoc munere occupauit, a se cũ indignatione repulit, & æternis cruciatibus puniendum tradidit. Nam cùm impleuerit Dominus omnia opera sua in mõte Sion, & in Hierusalem, visitauit super fructum magnifici cordis regis Assur, & super gloriam altitudinis oculorũ eius:] Ita prorsus, quibusdam reprobis potestate, aut doctrina, aut virtute faciendi miracula dignatis vtitur, vt lapsos corrigat, ignorantes erudiat, fugitiuos trahat, infirmos, atque imbecillos confirmet, expleto verò sapientissimæ prouidentiæ ministerio, eos ob grauia peccata, ob superbiam, ob intentionem solius lucri, aut inanis honoris præposteram, à se abiicit, & aduersario humani generis puniendos concedit. Solers, & industrius agricola vitibus fulcimenta coniungit, ne plus nimio ad terram depressæ, aut putrescant, aut insuauiorem fructum ferant, at vindemia facta, racemisque collectis falcimenta euellit, eáque vel in ignem mittit, vel tamquam ligna contemptibilia derelinquit: Ita Dominus diligens vineæ suæ, hoc est, prædestinatorum agricola, eos donis quorumdam reproborum, id est, sapientia, efficacia verbi, signis, facultatibus, & aliis huiusmodi sustentat, peracta verò vindemia, & suis in debitam perfectionis maturitatem adductis, reprobos, licèt sapientes, licèt loquaces, tamquam putrida ligna proiiciet, & quasi nullis vsibus apta, contemnet. Horum opera non sunt perfectionis propriæ signa, sed, aut Christi Saluatoris præconia, aut Ecclesiæ sãctæ subsidia. Vnde egregiè Hieronymus: Prophetare, & virtutes facere & dæmonia eiicere, interdũ non eius meriti est, qui operatur, sed vel inuocatione nominis Christi hoc agit, vel ob condemnationẽ eorum, qui inuocant, & vtilitatem eorum, qui vidẽt, & audiunt, conceditur, vt, licet homines despiciant signa facientes, tamen Deum honorent, ad cuius inuocationem fiũt tanta miracula. Nam & Saul, & Balaam, & Caiphas prophetauerunt, nescientes quid dicerent, & Pharao, & Nabuchodonosor somniis futura cognoscunt. Et in actibus Apostolorũ filij Sceuæ videbantur eiicere dæmonia: sed & Iudas Apostolus cũ animo proditoris, multa signa inter cæteros Apostolos fecisse narratur.] Sũt hi similes Gabaonitis, quos Iosue Israelitarum Imperator secum reseruat, vt in vsum vniuersæ multitudinis ligna cædãt, aquasque comportent. Sic enim Dominus verus vtique Ecclesiæ Imperator, & dux, aliquos reprobos sustinet, & inter electos suos manere permittit, vt acceptis donis atque talentis, fidelium multitudinẽ iuuent, & suis verbis occasionem amoris offerãt, & sapientiæ aquam effundant. Quibus tamen hæc obsequia nihil proderunt, si vitam non mutent, & Dei iussa & imperata non seruent. Ne ergo putemus nos perfectionem cõsequutos, si aliqua in nobis, aut sermonis sapientiæ, aut scientiæ, aut aliorum, dona viderimus, quia sicut ignis solet ardere, & lucere in spinis: ita hæc beneficia diuina solent in malis ac reprobis miranda operari. Non est itaque *Isaiæ 10.* *Ibidem.* *Hier. in Matt. 7.* *1. reg. 19. Num. 22. Ioan. 11. Gen. 41. Dan. 2. Act. 19.* *Iosue 9.*

in his

in his gratiis ac donis constituta perfectio, quam illi soli possident, qui Dei amicitiam adepti, ad insignem quamdam mentis puritatem seipsos vincendo, & diuina mandata custodiendo perueniunt.

Perfectionem non esse positam in consiliis Euangelicis.

CAPVT V.

SAPIENTIA vbi inuenitur (scribit sanctus Iob, perfectionis sedem, ac domicilium inquirens) & quis est locus intelligentiæ?] *Iob.28.* Vera námque sapiētia, est perfectæ virtutis cognitio efficax, quæ bonorum operum actionem pariat, & vera intelligentia, sanctitatis notitia, quæ vsque ad eius amorē, & conatum assequendi procedat: huius locum in gratiis gratis datis, necdum inuenimus, pergamus igitur locum huius pretiosæ margaritæ inuestigare, & an fortè in consiliis Euangelicis sit, diligenter inquirere. *Aug. ser. 61. de tempore.* Consilia autem sunt, (vt ex Augustino colligitur) quæ ad salutem æternam consequendam, licet necessaria non sint, tamen & vtilia, & proficua, ad hanc salutem faciliùs, & meliùs parandā hominibus consuluntur. Quæ in hoc à præceptis inueniuntur distincta, quòd illa in nostra libera voluntate sunt posita; hæc astringunt nos aliquid agere, vel ab aliquo cauere, si nolumus à Dei amicitia, & à cælestis præmij iure decidere. De illis dicitur: Qui potest capiat:] *Mat. 19.* Et, De virginibus præceptum Domini non habeo, consilium autem do: *1.Cor.7.* Et, si vis esse perfectus, vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus] Et, qui vult venire post me, abneget semetipsum.] *Mat.19.* De istis verò non dicitur, qui potest facere, faciat; *Luc. 9.* sed nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis.] Et, omnis arbor, quæ non facit fructū bonum, excidetur, & in ignem mittetur.] *Luc.13. Mat.3.* Et nolite errare; neque fornicarij, neque idolis seruientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, *1.Cor.6.* neque fures, neque auari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces, regnū Dei possidebunt.] Præceptum est via arcta, & angusta, quā peragentes tandem peruenimus ad patriam: Consilium est compendium viæ arctius & angustius, quod breuiùs & securiùs ducit ad vitam. Præceptum est vita. Nam considera (inquit) quod proposuerim tibi vitam, & bonum, & è cōtrario mortem, & malum] *Deut.30.* per vitam & bonum, præceptorū custodiā, & per mortem & malum, eorum transgressionem intelligens. At consilium, est medicamentum quo conseruamus vitam, in illa promissione signatum (vt Augustinus ait) *Aug.lib.1. de adult. coniug. c.14.* qua misericors Samarita se postea rediturum, & quod ad curationem vulnerat ab stabulario supererogatum esset, magna asseueratione redditurū promisit. Denique præceptum vniuersis seruādum sub pœnæ interminatione proponitur; consilium omnibus liberè amplectendum sub spe amplioris mercedis ostenditur, ad quod multi se voto, & promissione obligantes, iam sibi ad maius meritum mandatum faciunt, quod ante votum, & promissionem mandatum non erat, sed famulatus indebitus, dicente Domino, Vouete, & reddite] *Psal.75.* Et rursus alio loco: Multò meliùs est non vouere, quam post votum promissa non reddere.] *Eccles.5.*

Consilia autem Euangelica multa sunt, quæ hoc loco enumerare non attinet: sed eorum tria sunt præcipua, & ad substantiam status religiosi pertinētia. Alterum est paupertatis, & abdicationis omniū rerum temporalium, quo nudi, & expediti Christum sequimur. Cuius obseruationē Apostoli Christi complexi de præmio tanti laboris interrogat, dicentes? Ecce, nos reliquimus omnia, & sequuti sumus te, quid ergo erit nobis? *Matt.19.* Alterum est castitatis, quo omnia illa carnem domātia, vt ieiunia, vigilias, flagra, saccum, & alia similia complectimur. Hæc enim necessaria sunt, vt carnis & cordis puritatem seruemus, & simus ex illis, qui semetipsos castrauerunt propter regnum cœlorum.] *Matt.19.* Tertium est obedientiæ, quo propriam voluntatem abnegamus, & nos, & omnia nostra Prælati voluntati subiicimus, vt imitemur illum, qui non venit facere voluntatem suam, sed voluntatem patris sui, qui in cælis est.] *Ioan.6.* In his consiliis, & generaliter in omnibus aliis, quæ consilij tantùm, & non præcepti nomen habent, non est secundùm substantiam constituta perfectio. Nam perfectio finis est spiritualis vitæ, quam omnibus huius vitæ muneribus comparare cōtendimus, quare à Saluatore nostro tamquam finis, & scopus adolescenti proponitur. Si vis (inquit) esse perfectus, vade, & vende, quæ habes.] *Matt. 19.* Ac si dixisset, si non modicitate communis vitæ contentus, ad finem totius legis, scilicet, ad perfectionē aspiras, perfectionis impedimenta remoue, diuitias & opes derelinque, quibus solutus scopum tibi præfixum perfectæ virtutis comparabis. Consilia verò non sunt finis, sed instrumenta virtutis, quorum adiumento ad finem peruenimus. Neque enim diuitias spernimus, delicias fugimus, voluntatem propriam abnegamus, vt sciamus tantùm horum bonorum à natura cōcessorū expettes capere, sed ne eorū possessio nos remoretur à melioris boni assequutione. Hoc igitur bonum, cuius gratia minora bona deserimus, & non consilia deserendi illa bona, erit nostræ mētis perfectio. Augustinus certè sine vlla hæsitatione fatetur, consiliorum custodiam, nō esse finem spiritualis vitæ, sed medium, aut instrumētum, quo assequimur finem. Quæcumque (inquit) mandat Deus, ex quibus vnum est: Non mæchaberis] & quæcūque nō iubētur, sed speciali consilio monētur, ex quibus vnum est: Bonum est homini mulierem non tangere, *Aug. in enchirid. c.121.* tunc rectè fiunt, cùm referūtur ad Deum, & ad diligendum proximum propter Deum.] Et Ioānes Cassianus eidem sententiæ subscribens, consilia cū instrumentis alicuius artis confert, quæ non suiipsorū gratia, sed finis artis causa parantur, Eius verba sūt. *Cassia. col. 1. c.7.* Ob hoc quis vtensilia cuiuslibet artis instruere sibimet, ac præparare festinat, nō vt ea possideat otiosa, nec vt emolumēti illius fructū, qui speratur ex ipsis in nuda instrumentorum possessione constituat? sed vt eorum ministerio peritiam, finémque illius disciplinæ, cuius hæc adiumenta sunt, efficaciter apprehendat. Igitur ieiunia, vigiliæ, meditatio scripturarum, nuditas, ac priuatio omnium facultatū, nō perfectio, sed perfectionis instrumenta sunt, quia nō in ipsis cōsistit disciplinæ illius finis, sed per illa peruenitur ad finem.] Cùm ergo nullius disciplinæ perfectio in ipsius artis, aut disciplinæ instrumentis consistat, liquet, quia perfectio spiritualis vitæ, non in consiliis Euangelicis, quæ instrumēta sunt sed in aliquo alio, cuius gratia instrumenta quæruntur, debet esse constituta.

Perfectio enim (vt optimè Thomas Aquinas annotauit) *D. Tho. 2. 2. q.184. ar.1. & 3.* illa est, quæ secundùm naturam suam mētem nostram Deo, optimo fini coniungit, cōsilia verò non sunt talis naturæ vt nos Deo iungant, sed vt à vinculis creaturarū, quò ad istam coniunctionem assequendam curramus, expediant. Cur námque res temporales abiicimus? Ne gressus nostros ad Deum suis implicationibus teneant. Cur illecebras carnis

minè tibi soli fidentem cadere à spe concepta permittis; emitte lucem tuam, & veritatem tuam, quæ mentis meæ cæcitatem dispellat; dona spiritum charitatis tuæ, qui glaciem meorum peccatorum disiiciat: concede robur homini mille doloribus impedito, mille infirmitatibus circundato, & multis curatum obstaculis prægrauato, vt huius perfectionis altisimæ delicias exponam, & quod cæpi, ipse tua gratia perficiam.

Perfectionem vitæ spiritualis omnibus, sed præcipuè religiosis esse possibilem.

CAPVT III.

IAM perfectionem ratiocinādo deprehendimus; Cuius naturam inuestigare molimur, eam scilicet, quæ media est inter virtutē communium iustorū, & sanctitatem beatorū, quam posident homines vita spirituali conspicui, purisimis moribus egregij, arctisima Dei amicitia venerabiles, & cōmuni bonorū consensu, non tantùm boni, sed verè sancti, atq; perfecti. Ad inueniendā autē huius perfectionis naturā, hominis quidem consideratione dignisimam, illud supponere, ac stabilire opus est, eam non tantùm omnibus religiosis, verùm etiam omnibus hominibus esse, cum Dei gratia ac fauore posibilem, vt hoc iacto fundamento, quædam dona, aut quædam virtutum opera, vulgo admirabilia, à natura, & substantia veræ perfectionis excludamus. Et verò homines vniuersos posse cum Dei auxilio ad fastigium perfectionis ascendere, nullo negotio persuadet. Christi Saluatoris nostri ad perfectionem exhortantis auctoritas. Ille enim qui Apostolos suos instruens palàm asserit. Quod vobis dico, omnibus dico.] Rursus alio loco ait: Estote vos perfecti, sicut & Pater vester cælestis perfectus est.] Quam sententiam omnes protsus homines, siue nobiles, siue ignobiles, diuites, & pauperes, sapientes, & idiotæ, senes, & iuuenes, viri, atque mulieres sibi dictā, & inculcatam, accipiant. Non enim in vocatione ad gratiam, ac sanctitatem, est distinctio Iudæi, & Græci, nam idem Dominus omnium, diues in omnes, qui inuocant illum] Non quidem diues, vt Reges sæculi, quorum opes distributione in subditos minuūtur, quare non possunt nisi modicum dare; & multos eorum, qui accipiūt, pauperes, & paruulos derelinquere, sed ita diues, vt numquam dando opes suas, aut exhauriat, aut minuat, etiam si omnes homines immensis sanctitatis facultatibus ditet, & ad honorem magnatum, aulæ suæ, imò & ad charissimorum filiorū dignitatem extollat. Si autem omnes, (quod ad se attinet) ad eximiā virtutem vocat, ad sanctitatem allicit, ad perfectionem inuitat, non denegabit assequendi gratiam, neque ascendendi facultatem. Quod námque inuitamentum esset, verbo vocare, impulsibus, & afflatibus ad epulas prouocare, & volentibus, ac venientibus ianuam occludere? Minimè claudit Deus. minimè claudit, sed ipsi homines vanis se prætextibus excusantes, viam sibi perfectionis occludunt. Illi ad cœnam magni regis inuitati quidem, & rogati, emptione dominatus, rerum temporaliū sollicitudine, & deliciarum amore deliniti, cœnam illam opiparam, & inuitantis beneuolentiam repudiarūt. Vnus

Marc. 13. Matth. 5.

Rom. 10.

Luca 14.

A dixit: Villam emi, & necesse habeo exire: & videre illam, rogo te habe me excusatum. Et alter dixit: iuga boum emi quinque, & eo probare illa, rogo te habe me excusatum: Et alius dixit: vxorem duxi, & ideo non possum venire. Et ita, sæculares ambitionis appetitu inebriati, diuitiarum cupiditate distenti, & carnis illecebris inescati, seipsos ab amore perfectionis abducunt, & sanctitatis vias ambulare detrectant. Cùm tamen benignus Dominus, eos per seipsum vocet, per Euangelij administros ad perfectionem inuitet, ac non minùs liberaliter, quàm sapienter, potentissima auxilia, ad eam consequendam subministret.

Vis audire, quomodo Dei administri sine vlla exceptione, vniuersos ad perfectionem vocent, moueant, impellant? Apostolorum ergo verba excipe,
B quibus non religiosos tantùm monent, sed milites, sed agricolas, sed mercatores, sed coniugatos, sed omnes alios ad hanc viam gradiendam alliciunt. Paulus quidem ait: Obsecro autem vos fratres, per nomen Domini nostri Iesu Christi, vt id ipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata, sitis autem perfecti in eodem sensu & in eadem sententia.] Et alio loco: Omni homini datas esse sacras literas astruit, vt perfectus sit homo, Dei ad omne opus bonū instructus.] Iacobus verò patientiæ occasiones, ait, hominibus dari, vt patientia virtutis structuram perficiat, & vt sint perfecti, & integri in nullo deficientes.] Petrus quoque secundùm eum (inquit) qui vocauit vos sanctum, in omni conuersatione sancti sitis, quoniam scriptum est: Sancti eritis, quoniam
C ego sanctus sum.] Hæc, & alia similia, an solis religiosis dicūtur? an solitariis tantùm, & his, qui onera rerum mundanarū, abiecerunt? An sæcularibus in Scripturis dicitur, vt sensuum, & voluntatum dissidia foueāt? Vt sacram doctrinam contemnant? Vt in aduersis successibus patientiam, & sustinentiam deserant? Vt in rebus ad salutem animæ habendam necessariis deficiant? Nullo modo; imò eadem præcepta & consilia his, atque religiosis proponūtur, quæ viæ quædam sunt ad capessendā perfectionem. Eadem obligatio imitandi Christum, & eius imaginē afferendi, sæculares arctat, quæ religiosos cōstringit. Illis igitur possibilis est perfectio, ad quā citra omne dubium, nec vocarentur, nec monerentur, nec, si non ad eius adeptionem contenderent, corriperen-
D tur, si ad eam ipsis aditus negaretur. Quamobrem sapienter Chrysostomus, hoc argumentum luculentissimè tractans, ex hac communi præceptorum, & cōsiliorum promulgatione, deducit, omnes, tam sæculares, quàm religiosos, & quocumque nomine, aut munere censeātur, ad vitam perfectam fuisse vocatos. Multis námque recensitis præceptis saluberrimis, quæ Christus ore Pauli omnibus fidelibus proposuit, ad quæ perfectè cōplenda vix religiosi sufficimus, hæc verba subinfert. Nōnumquā verò ad ipsi Christi imitationem summa vi exhortationis inducit. Cùm enim nos admonet, vt proximum diligamus, à Christo potissimum sumit exempla. Itémque cùm ad patientiam, cùm ad humilitatem hortatur.
E Cùm itaque non monachos tantùm, vel Apostolos, sed ipsum etiam Christum imitari nos iubeat, eisque, qui non imitentur maxima intentet supplicia, qua tu tandem ratione monachorum perfectionem maiorem esse dicis, cùm eadem perfectio omnibus proponatur, & omnibus imperetur?] Si eadem perfectio omnibus proposita est, omnibus imperata, liquet eam omnibus etiam esse possibilem; neque enim impossibile aliquid voluit imperare, qui iustus est (vt Hieronymus ait) nec damnaturus hominem

1. Cor. 1.

2. Timot. 3.

Iacob. 1.

1. Petr. 1.

Leuit. 11

Chrys. lib. 3. vitu-per. monastica.

Hierony. epist. 1 ad Demetriad. tom. 9.

fuit

fuit, pro eo quòd vitare non potuit. Sicut ergo in aula regia varia sunt aulicorum officia, ac seruorum ministeria, & quidam magis, alij verò minùs personæ regis adhærent, omnium tamẽ idem est scopus, & eadem cura vniuersis incumbit, scilicet, vt principi fideliter seruiant, & obedientissima ei præstent obsequia: Ita in hoc mundo, quæ domus magna est, ac regia summi Dei, variæ sunt hominũ occupationes, officia varia, statúsque diuersi; & hi quidem in monasteria sedentes, tamquam amici familiarissimi vultui æterni regis assistunt; illi verò, quasi strenui milites, in validissimis Ecclesiæ præsidiis constituti, quósque fideles ab hostium, hoc est, Dęmonum tuentur incursibus: alij denique, nempe sæculares, veluti serui minoribus officiis deputati, infirma tractant, & temporalia disponunt, at omnium idem finis est, nimirum regem diligere, & venerari, regis voluntates fideliter exequi, ab eius nutu, nec transuersum vnguem discedere, in quo (vt dicemus) posita est vniuersa nostræ mentis virtus, atque perfectio.

Vt autem diuina prouidentia, rem hanc, non tam verbis quàm factis confirmaret, & eam hominibus tepidis, & æternæ salutis oblitis credibilem faceret, mortalium negotia, ita in omni ætate, ac lege disposuit: vt aliquos cuiusque status perfectos, ac sanctos efficeret, & veluti in mediũ produceret, in quibus, & diuitias bonitatis suæ, & dignitatem, ad quam ascendere potest humana conditio, euidenter ostenderet. In lege naturæ Abel virgo, Seth coniugatus, (*Gen. 4.*) Enos sacerdos, qui cœpit inuocare nomen Domini.] (*Gen. 5.*) Noe agricola, qui cœpit exercere terram, & plantauit vineam; Iob princeps, Abraham, Isaac, & Iacob diuites patres familias, & curæ diuitiarum, ac filiorum vacantes, & alij non pauci tamquam splendidissima lumina sanctitatis fulserunt. In lege scripta Moses belli dux, inter armorum strepitus inuictam fortitudinem cum immensa mititate coniungens, & quietem mentis ad sublimem, & facilem Dei contemplationem asseruans. Iosue innumerabilium militum antesignanus, in ipso prælij conflictu, cælis leges condens, & soli, & lunæ efficaciter quietem imperans. Samson iudex populi, dum alienigenam ducit vxorem, & viuens Philistæos persequitur, moriénsque prosternit, Christi incarnationem, vitam, mortem, & fructum mortis præfigurans. Dauid rex, vir secundùm cor Dei in mediis sollicitudinibus regni, deliciis solitariorum perfruens, hymnos, Psalmósque decantans; & alij reges, atque prophetæ innumerabiles, seipsos perfectionis exẽplaria præstiterunt. Et in lege gratiæ Apostolorum chorus, Martyrum acies, Pontificum concio, Doctorum exercitus, Confessorum ordines, Virginum turmæ, & alia sanctorum turba magna, & nullo à nobis numero comprehensa ex omnibus gentibus, & tribubus, & populis, & linguis, imò & ex vniuersis officiis, dignitatibus, ministeriis, & statibus, ad sanctitatem pedibus ac manibus reptando ascenderunt, de mundo spolia, de diabolo triumphum, ac de carne victoriam reportarũt: Ex quo manifestè cognoscimus, omnes, qui in Christo baptizati sunt, posse Christum induere, id est, perfectionem acquirere, apud quẽ non est (*Gal. 3.*) Iudæus, neque Græcus, non est seruus, neque liber, non est masculus, neque fœmina, sed omnes vnum sunt in Christo Iesu. Nam sunt Christi membra, qui possunt aliquam sui capitis sanctitatem consequi, & ad participationem eius gloriæ peruenire.

Si autẽ omnibus fidelibus perfectio possibilis est, quantò magis religiosis peruia erit, ac facilis, qui mundum, peccandi materiam abundè subministrantem, effugerunt, parentes, fratres, & consanguineos, hostes domesticos repulerunt, opes, delicias, & proprias voluntates, vincula hominum mentes astringentia, ruperunt, virtutum actiones, & cõtemplationis officia, pennas scilicet ad volãdum in perfectionis montem, quæsierunt, & breuiter, omnia instrumenta ad eam facillimè adipiscendam, compararũt? Si sæculares, mille obstaculis impediti, currere ad hoc brauiũ supernæ vocationis possunt, quanã ratione religiosi liberi, & expediti non possunt? Si struthiones in cælum volare valent, quid ni aquilæ valeant? Si hæc via tam recta est, vt stulti, modò velint, non errent per eam, quomodo sapientes finem viæ tenere volentes, errabũt? Equidem si tanta est perfectionis lux, vt cœci eam videant, si tanta propinquitas, vt claudi eam teneant, si tãta suauitas, vt ægroti gustent, & eius dulcedine capiantur, non puto, videntes, agiles, sanos, ac vegetos, impediri, quominus hanc stellam splendidissimã aspiciant, gemmã pretiosam possideãt, & huius cibi dulcedine recreẽtur. (*Sapien. 6.*) Ad vos ergo, ô reges (qui sæculi vilitates conculcastis, & vestris affectibus imperastis) sunt hi sermones mei, vt discatis sapientiam, & ab eo fine, quem cupiuistis, non excidatis. Cõcupiscite perfectionis sermones, & diligite illos, & habebitis in moribus disciplinã. Clara est, & quæ numquã marcescit, sapientia (ipsa est sanctitas, atque perfectio) & facile videtur ab iis qui diligunt eam, & inuenitur ab iis qui quærunt illam.] Præoccupat, qui se concupiscunt, vt illis se prior ostendat. Qui de luce vigilauerit ad illam, non laborabit; assidentem enim illam foribus suis inueniet. Quis ita putet eam esse inuentu difficilẽ, cuius decor, & pulchritudo tanto splendore refulget; vt paruulorum, & egenorum conspectũ non fugiat, cuius in homines tam ardens est amor, vt seipsam non quæsitam inuitet; cuius tanta benignitas, & affabilitas, vt nullius, quantũuis despecti consortium erubescat? Status quidem religiosorũ (vt Dionysius Areopagita, & Thomas Aquinas docent) status perfectionis est, & hominum ad perfectionem tendẽtium; (*Dionys. de eccles. Hier. c. 5. & D. Th. 2.2.q. 184.ar.5.*) quare sicut Dominus Israelitis ex Ægypto in terram promissam pergentibus, omnia ad iter necessaria, cibos è cœlo delapsos, vestes nulla vetustate consumptas, vires ad ambulandum, duces qui eos ducerent, imperatorem qui numerosissimum populũ gubernaret, & alia quæ desiderare possent, abundè suppeditauit, ita vt, quod ad Deum spectabat, efficax esset eorum in terram sibi datam ingressus: Ita & religiosis omnia affatim præbet tẽporalia, & spiritualia adiumenta, quorum præsidio, ex vitæ sæcularis abiectione ad terram excelsam, lacte, & melle manantem, hoc est, ad perfectionem conscẽdant. Dei autem omnipotẽtis afflatibus euocati, subsidiis adiuti, impulsibus incitati, exercitibus Angelorum protecti, quomodo non poterunt, aut iter capere, aut hostes propellere, aut ad destinatum finem perfectionis venire?

Sed vanum ac superuacaneum videbitur in re tam clara, atque perspicua comprobanda, moras facere: Quis enim dubitat vniuersos religiosos cum Dei gratia esse posse perfectos? Non esse hoc argumentum inutile illi planè cognoscent, ac fatebuntur, qui religiosorum mẽtes, & cogitationes, non summis labiis (vt aiunt) sed intimè, & ex professo tractauerint. Sunt enim aliqui inter illos, & fortassis nõ pauci, qui si non verbo, at abscondita cogitatione, aut pusillanimitate, sibi existimant, ianuam perfectionis esse præclusam. Quidam enim ingenita rusticitate, ab ignorantia, alij corporis imbecillitate, & aduersa valetudine, alij negotiis ac curis obediẽtię imperio

demandatis,

A demandatis, alij demùm perpetua quadam mentis ariditate, affectuum vehementia, & multarum tentationum incursibus, putant se ab assequutione perfectionis impediri. Idcirco despondent animum, in media via fatigati sedent, à virtutum desiderio, ad alia vana, & inutilia mentem auocant, & satis bene secum actum esse existimant; si vtcumque boni sint, nec iam curant sancti esse, atque perfecti. Sed facessat a mentibus religiosorum tam falsa, & perniciosa cogitatio; sciant se posse vias perfectionis ingredi, sanctitatem assequi, & his, quæ sibi impedimenta videntur, iuuari potiùs, nō præpediri. Nam si inscius es, ô religiose, & literarum peritia destitutus, quidnam tibi deesse existimas ad magnam sanctitatem B captandam, quam non scientiæ ambitiosæ pariunt, sed gemitus, sed affectuum mortificatio, sed humilitatis, mansuetudinis, & omnium virtutum exercitatio; sed mandatorum, & regulæ tuæ obseruationes efficiunt. An sine literis non poteris cælum pulsare precibus, implere gemitibus; an non poteris teipsum cohibere; non poteris esse humilis, mansuetus, & obediens; non poteris mandata seruare, & Deum toto corde, tota anima, & tota mente diligere? Si hæc sine scientiarum cognitione, non tamen sine adiutorio gratiæ Dei in tua sunt potestate, quātumuis sis rudis, atque imperitus, vales perfectionis vias ambulare, & tandem illam amplecti, & possidere. Vnde Cassianus vim illius Dauidici car- C minis quo Dei auxilium imploramus, multis exaggerans, eius efficaciam, his notandis verbis concludit. Constat neminem prosus ob imperitiam literarum, à perfectione cordis excludi, neç rusticitatem obesse ad capessendam animæ puritatem, quæ compendiosissimè adiacet cunctis, si modò sanam, & integram intentionem mentis iugi ad Deum versiculi huius meditatione seruauerint.] Ecce sanctus hic pater instrumento tam facili, vno scilicet versu cum ingenti affectu sæpiùs repetito, iudicat perfectionem obtineri posse; & tu tot præsidiis cinctus, tot instrumentis adiutus (quia scientiæ desunt) ad eam appropinquare desperas? Cùm tamen scientiæ (quod non semel vidimus) intellectū D fascinantes, affectum voluntatis arefaciant, quo, tāquam manu cordis apprehendimus puritatem, & occupationes magni momenti, quæ literas subsequi solent, velut vmbra corpus, mentem in rebus terrenis hærere faciant, & vinculis curarum detineant.

Cassia. col. 10. c. vlt.

Quid autem de aduersa valetudine, & de corporis imbecillitate, aut de doloribus capitis, aut stomachi queritaris, quasi hæc à cœpto sanctitatis cursu te detineant? Cùm apud Iacobum Apostolum legas: Quoniā probatio fidei patientiā operatur: patientia autem opus perfectū habet.] Et apud Paulum: Cùm infirmor, tunc potens sum, & virtus in infirmitate perficitur.] At inquies, morbo, aut dolore cruciatus, nec ieiunare, nec vigilare, nec corpus ciliciis, & flagris domare possum. Fateor: sed tamen patientiā ha- E bere potes; indigentiam rerum necessariarum sine murmure, & alacriter ferre potes, diuinæ voluntati te & tua omnia submittere potes; Deum, quantumuis ægrotus, aut imbecillus, amare potes. Si autē hæc potes, absq; dubio potes esse perfectus; quoniam hæc sine vlla comparatione efficaciora sunt, quàm ieiunia, aut vigiliæ, aut cilicia, aut alia huius generis ad perfectionem obediendam adiumēta. Si enim corpus atteras, & animā prauis affectibus robustam relinquas, ferè nihil facis; at si animam patiētia, paupertate, & amore purifices, licet corpus, aut delicatè, aut nō nimis seuerè tractes, multū vtiq; profecisti. Seruulus ille à Gregorio nō semel celebratus, paralysi resolutus, indigentia pressus, per patientiam, est sanctitatem assequutus, & qui viuens aspicientibus horrorem incusserat, moriens astantes suauissimi odoris fragrantia recreauit, & Angelis constipatus, in cœlum ascendit, suæ tolerantiæ præmia cumulatissima recepturus. Quid tu ob modicam ægritudinem, mentis puritatem te assequi non posse causaris, quæ non vinculum est, sed ad iter perfectionis agendum, commodum aptumque vehiculum? Disce potiùs ex illa, quia aduersæ corporis valetudinis in secundam mutatio (vt inquit Basilius) quædam esse veluti confirmatio debet, ne de animæ sanctitate penitus desperemus, quasi verò ea ex peccatis ad pristinam integritatem per pœnitentiam se recipiendi facultatem omnem amiserit.] Et sicut corporis, ita & animæ incolumitatem procura, certus quòd ea, quæ ad te pertinent faciens, si non corporis salubrem valetudinem, at sine vlla dubitatione animæ perfectionem assequeris.

Iacob. 1.

2. Cor. 12.

Gregor. in Dialog. & hom. 15. in Euang

Basil. re gres. Hisp. vlt.

At occupationes (ais) sunt mihi multæ, quæ innumerabilibus maculis meipsum inficiunt, & animum in diuersa, ac varia dispertiunt, & propriæ virtutis augmento vacare non sinunt. Quomodo enim mihi ipsi vacabo, quem obedientiæ onus ita premit, vt nec legere, nec orare, nec quiescere, nec dormire permittat, sed semper rebus exterioribus inhærere cōpellat? Hæc quoq; inanis excusatio est, quia perfectio, non solū prolixa oratione, aut lectione, nō sola quiete, verū etiā occupatione, & labore cōquiritur Si autē Deus te nō melle, sed felle, nō lætitia, sed afflictione, nō otio suaui, sed amaro negotio mundare vult, atq; perficere, cur obmurmuras? Cur impossibilitatē prætendis, & te duci, ac gubernari non sinis? An occupationibus sanctos Ecclesiæ Pontifices vincis, qui totam Ecclesiam, veluti humeris sustinent? An Doctores superas; qui orando, docendo, & disputando, hostes fidei, & virtutis euertunt? An Prælatos excellis, qui regiminis habenas moderantes, non sui sunt, sed subditorum, & sub honoris nomine, omnium minimi efficiuntur, & serui? Nō puto curas, & labores tuos posse istorum sollicitudinibus coæquari. At inter istos, non vnum, aut duos, nō decem, aut viginti, non deniq; paucos, sed innumerabiles sāctissimos, ac perfectissimos inuenies. Inter labores ergo, & occupationes assiduas perfectio haberi, & habita cōseruari, & cōseruata augeri, ac promoueri potest, si quidē ab obedientia, virtutum omniū cultrice iniungantur, aut à charitate, totius boni matre imperentur. Quamobrem ab occupationibus tuis, quod superfluum est, amputa, quod sæculare, & prophanum est, reseca; quod distortum, dirige, quod inquietum remoue, quod distractum, collige, quod tepidū, ac triste, luce alacritatis, & igne amoris, succēde; & erūt tibi nō imperfectionis seminaria, sed virtutis, & perfectionis instrumenta. Abiice, inquā, labores irreligiosos, & negotia sæcularia, quę religiosis, nec obedientia imponit, nec charitas præcipit. In sāctis autē laboribus, & religiosa vacatione dignis, rectā intentionem habeas, mentis tranquillitatem diligas, cogitationes tuas ad Christum colligas, tepiditatē feruore, & tristitiā spirituali alacritate cohibeas, nec verearis eorū causa à celeri cursu perfectionis impediri. Qui enim operari non vult, & potest (inquit Hugo) viuit, sed languet, viuit potestate, sed languet voluntate.] Si ergo otium est languor; sanctus, & fructuosus labor, iam est aliqua sanitas, qua ad absolutam animæ incolumitatē scilicet, ad perfectionem, properamus. Nec credas opportunitatem tibi ad orandum, & legendum deesse, modò velis labores superfluos, & tibi non iniunctos

Hug. 2. de claust. animæ 13.

succidere

succidere: siquidem illi non deerat, cuius instantia quotidiana, sollicitudo omnium Ecclesiarum.] Homines in rebus terrenis admodum occupati, & perpetuo obsequio principũ, aut regum addicti, vt illi, qui à secretis sunt, qui nec ad momentum possunt à præsentia dominorum abesse, si ament, opportunum tempus quærunt, vt amatam videant, & alloquãtur, & cupitis potiantur amplexibus: quærunt, nec suo desiderio frustrãtur, quia efficaciter inueniũt. Ama igitur, & tu Dominum Deũ tuũ, rerúmque cælestiũ desideria concipe, & ipse amor te occupatissimum, & curis exterioribus onustissimum edocebit, quomodo opportunitatem orationis captes, & ei quem vnicè diligis, sanctis amplexibus dilectionis, iũgaris. (*1. Corint. 11.*)

Nec tandem te mentis ariditate, affectuum naturalium impetu, aut tentationum molestia, defendas; quia hæc, si incidant, nec veram virtutẽ tollunt, nec viam perfectionis decurrendam impediunt. Si enim dulces lacrymarũ fontes exsiccati sunt, si cælestes cõsolationes abierunt, si cælitus demissa intelligentiæ lux, & cordis tranquillitas, lætitiáque fugerunt; at perseuerantia non fugiat, cognitio propriæ indignitatis non abeat, mentis cõpunctio, exterior culparum confessio, & solidarum virtutum feruor, non intepescat, quæ sine consolationũ abundantia, imò & cum desolationũ copia poterunt nos ad saluatorem nostrum deducere, atq; ad culmen perfectionis prouehere. Non te oportet, ô homo, vt perfectionẽ assequaris (verbis Bernardi vtor) maria transfretare, non penetrare nubes, non transalpinare necesse est. Non grandis, inquam, tibi ostenditur via, vsque ad temetipsum occurre Deo tuo: Prope est enim verbũ in ore tuo, & in corde tuo, vsque ad cordis compunctionem, & oris cõfessionẽ, occurre, vt saltem exeas de sterquilinio miseræ conscientiæ, quoniam indignum est, illuc auctorẽ puritatis intrare.] Breuis sanè vita est, quę duobus passibus, compunctione, & humilitate conficitur, quã sine multis consolationibus peragens, aliquando cupitam perfectionem apprehendes. Si autem affectus indomiti animum turbant, & ab officio charitatis auocant, moderetur eos bona voluntas, mortificationis exercitatio comprimat, & Domini sanctus timor coerceat; ita fiet, vt sint nõ fomenta iniquitatis, sed adiumenta virtutis. Dauid gladio Goliath sibi in mortem præparato, infestissimum hostem occidit; ita & tu mucrone affectus indomiti, in communem aduersariũ conuersi, caput eius amputa, & teipsum ab imminenti discrimine libera. Tunc verò gladium in aduersarium cõuertis, cum effrænem passionem, aut cupiditatis, aut iræ cohibes, & illam cohibendo Dæmonem te volentẽ ferire, eodem gladio mortificatæ passionis percutis. At rex Asa tibi etiam offert, ex immoderatis affectibus proficiendi documentũ, qui vniuerso Iuda congregato, tulit lapides, & ligna Rama ciuitatis aduersæ, & ex eis ædificauit Gabaa, & Maspha vrbes ditionis suæ, quæ sibi obtẽperarent, atque vectigalia persoluerent. Quid nãmq; est, lapides, & ligna Baasi tollere, quibus Rama vrbs exaltata & rebellis extruitur, nisi affectus nostros vitiis, ac peccatis seruiẽtes & ad gehennã ædificantes, in nostrã potestatẽ mortificatione, ac in nostrum dominiũ redigere? Et quid est, his affectibus Gabaa & Maspha, id est, collem, & speluncã ædificare, nisi quòd hi affectus coerciti, & ad moderationem redacti, altitudinem perfectionis faciunt, & veræ virtutis exstructioni deseruiunt? Nemo igitur de suis affectibus conqueratur, quos si coerceat, magni meriti, & insignis cuiusdam virtutis subsidia atque adiumenta experietur. Idem quoque de tentationibus esto iudiciũ, quibus Dominus nos molestari permittit, non vt abiiciat, sed vt spiritualem Israelem erudiat, & adepta præliãdi consuetudine ad charitatis perfectionem promoueat. Præclarè enim, & sapienter scriptum est à Laurentio Iustiniano. Vehementer excitat ad profectum charitatis tentatio. Electorum namque desideria deprimũtur aduersitate, vt proficiant, sicut ignis flatu premitur, vt crescat, & vnde, quasi extingui creditur, inde roboratur, sic nimirum, cùm per tentationem humilitas in anima proficit, prospera est ipsa aduersitas, quæ mentem, & charitatem accendit, & ab elatione custodit.] Si itaque tentationes humilitatem custodiunt, virtutes adaugent, & charitatem, hoc est, perfectionem ipsam multiplicant, non est cur tentationibus, ô frater, tuas imperfectiones excuses, sed potiùs tuæ ignauiæ in pugnando, & inertiæ in prœliando, cum hostibus tribuas. Liquet ergo perfectionem omnibus hominibus, tã sæcularibus, quàm religiosis esse possibilem, nullumque esse impedimentũ, quod nos volẽtes ad veram virtutẽ currere, à cœpto cursu detineat. Nam mandatum hoc, ô homo, dicit Dominus, quod ego præcipio tibi hodie (& quidem mandatum dilectionis, id est, perfectionis est) non supra te est, neque procul positum nec in cælo situm, vt possis dicere, Quis nostrum valet ad cœlum ascendere, vt deferat illud ad nos, & audiamus, atq; opere compleamus? Neque trans mare positum, vt causeris & dicas: Quis ex nobis poterit transfretare mare, & illud ad nos vsque deferre, vt possimus audire, & facere, quod præceptum est? Sed iuxta te est sermo valde in ore tuo, & in corde tuo, vt facias illud.] Quid nobis facilius illo opere, quod in corde nostro (si volumus) habemus reconditum, hoc est, in nostra voluntate collocatum? Iam ergo, quid sit illud in quo perfectio consistat, tam vniuersis facile, tam in potestate omnium constitutum, non tamen sine Dei gratia, quæ nulli non præsto est, dilucidè ac sigillatim exquiramus.

Margin notes: *Bern. ser. 1. de aduentu.* — *1. Reg. 17.* — *2. Paral. 15.* — *Iudic. 3.* — *Iust. in ligno vitæ tract. de charit. c. 14.* — *Deut. 30.*

Perfectionem non esse sitam in gratis datis gratiis.

CAPVT IIII.

SApientibus, & insipientibus debitor sũ] (inquit vas electionis Paulus) hac breui, sed vtilissima sẽtẽtia, denotãs, veritatis magistros, ita debere sermones rerum spiritualiũ interpretes attemperare, vt non solis sapientibus, & peritis seruiant, sed etiam insipientibus, & imperitis proficiãt. Hi enim instructione indigent, quæ intellectum illustret; illi autem, non tam instructione, quàm persuasione opus habent, quæ voluntatem inflammet. Quare ita Doctoris oratio paranda est, vt & insipientes illuminet, & sapientes doctrina illuminatos, ad virtutis amorem alliciat. Quod (secundùm Gregorium) Sapiens prædicatores admonuit, dicẽs. Deriuentur fontes tui foras, & in plateis aquas tuas diuide.] Fontes enim foras prædicator deriuat, cùm exteriùs aliis virtutem prædicationis infundit; & aquas in plateis diuidit, cùm in auditorum frequentia pro vniuscuiusque qualitate, diuina eloquia dispensat. Nos ergo, qui magistri perfectionis officiũ, licèt indignè, suscepim⁹, ita opus istud elaborare conamur, vt pro tenuitate nostra omnibus legentibus, siue illi ignorantes sint, siue scientia mysteriorum cœlestium instructi, vtile, ac fructuosum existat.

Margin notes: *Rom. 1.* — *Prou. 5.* — *Greg. 3. p. past. ad monit. 25.*

Qua

Quamobrem intẽtionis nostræ est, aliqua verè magna sed oculis vulgarium hominum, plusquàm expedit, illustria & splẽdida, à nomine perfectionis reiicere, vt ipsi sciant dona Dei iuxta cuiusque naturam ac præstantiam æstimare, & maiorem præstantiori, minorem verò minori locum in suo corde tribuere. Et sicut Philosophi atque Theologi naturam beatitudinis indagantes, diligenter inquirunt, an in diuitiis, vel honoribus, an in fama, vel gloria, siue clara cum laude notitia, an in potestate, vel dignitate, an in voluptate, vel aliquo bono corporis, & tandem, an in aliquo bono creato, aut solùm in boni increati possessione cõsistat: ita & nos perfectionis naturam (quæ inchoata beatitudo est) inquirentes, accuratè inuestigabimus, an in quibusdam mẽtis præclaris donis, nimirum, an in gratiis gratis datis, an in consiliis Euãgelicis, an in præceptis decalogi, an verò in aliquo alio sit ipsa cõstituta. Cuius tractationis hæc erit vtilitas, vt cognoscentes perfectionis substantiam, & aliorum donorum (quæ, aut instrumenta perfectionis sunt, aut effectus, aut indicia) naturam vestigantes, illam vt finem, & scopũ consectemur, hæc verò in suo ordine solùm, vt præsidia ad illum finem assequendum conferentia, quæramus. Et quidem à gratiis gratis datis sumimus tractationis initium, quæ sicut ignorantium oculis magis lucent, & clariùs emicant; ita etiam magis à perfectionis natura atque substantia distant.

1. Cor. 12. Has autem gratias Paulus his verbis enumerat. Vnicuique datur manifestatio spiritus ad vtilitatẽ: Alij quidem per spiritum datur sermo sapientiæ; alij autem sermo scientiæ secundùm eundem spiritum; alteri fides in eodem spiritu; alij gratia sanitatum in vno spiritu: alij operatio virtutum: alij prophetia: alij discretio spirituum; alij genera linguarum; alij interpretatio sermonum. Hæc autem omnia operatur vnus, atque idem spiritus diuidens singulis prout vult.] Magna sunt, & præclara ista dona Dei, quibus sancta Mater Ecclesia prædita, Spiritũ sanctum habitatorem, & gubernatorem agnoscit. Nã talia dona supra naturam, & supra vires humani generis solus ille huic congregationi fidelium dare potuit, qui supra omnem naturam est, & omnium rerum, tam naturalium quàm supernaturalium habet potestatem. Magna, inquam, & præclara sunt hæc, & super aurum & argentum fidelium oculis pretiosa. Est enim sermo sapiẽtiæ, quo aliqui Doctores Ecclesiæ, non ex literis, quas didicerũt (vt inquit Ambrosius) sed cotusco spiritus sancti res diuinas, & sempiternas, quæ sunt supra captum humanum, ad aliorum vtilitatem explanant. Sermo scientiæ est, quo alij Ecclesiæ sapientes, mores instruũt, & quid in quouis statu, aut modo viuendi liceat, quid non liceat, quid bonum, quid malũ sit, & inter mala, quid leue peccatum, quidue graue crimẽ, studio & labore discernunt. Fides est, non quidem illa manens affectio, omnium virtutum fundamentum, qua Deo per Ecclesiam mysteria reuelanti credimus; sed aut sermo clarus & perspicuus, res fidei imbecillioribus proponens, & pusillis aperiens, vt Thomas Aquinas vult, aut quemadmodum Ambrosius, & Anselmus interpretantur, constantia ad profitendam fidem, & coram principibus sæculi, & in medio tormentorum confitendam. Quam gratiã sanctus Dauid illo carmine expressit. Loquebar de testimoniis tuis in conspectu regum, & non confundebar. Gratia sanitatũ est, qua Dominus, vel ad cõfirmandam fidem, vel ad declarandam alicuius sanctitatẽ, ægris, non medicamẽtis adhibitis, sed modo plane miraculoso, & supra naturã, curationem affert. Operatio virtutũ est, quæ prodigia, & opera mirabilia patrat, vt cùm Moses ictu virgæ, mare diuisit, vel Iosue imperio vocis suæ solem & lunam in cælo detinuit. Prophetia est, quæ ex diuina reuelatione præterita, occulta pandit, præsentia abscondita aperit, & futura nobis ignota prædicit. Ad quam Thomas Aquinas raptum reuocat, quo nomine omnes extases, & alienationes a sẽsibus, siue ex lucis excessu, siue ex magnitudine deuotionis exortas, & vniuersas diuinas reuelationes, & dulcedines spiritus, ac cõsolationes cœlestes intelligo. Discretio spirituum est, qua homo qualitatem secretorum cordis intelligit, & quid sub specie boni sit, vel à proprio spiritu inuẽtum, vel à maligno spiritu immissum, vel simpliciter bonũ à Deo iussum, aut consultum discernit. Donum linguarum est, cuius adiumento doctores linguis ignotis loquuntur, & aliena idiomata, vt eis ad ministeriũ prædicationis vtantur, non labore, & studio, sed beneficio Dei omnipotentis intelligunt. Quod Apostoli omnium nationum Patres, atque magistri, in ipso Spiritus sancti super illos aduentu, perceperunt. Neque enim sine magno incommodo illos docere possent, à quibus non intelligerentur, aut quorum linguas ignorarent. Interpretatio sermonum est, qua diuinas Scripturas ad confirmationẽ veritatis interpretamur, & abditos earum sensus, siue historicos, siue allegoricos, siue morales, siue anagogicos in mediũ eruimus. Cuius doni duplex est fructus. Alter, vt ignorantes doceat; alter, vt duros, & proteruos flectat, & ad bonũ emolliat: propter quos fructus huic dono adiunctũ est, vt auditores lectorésve delectet Sicut enim natura cibis, saporis suauitatẽ; ita gratia doctrinæ, dulcedinem vocis, & verborum decorem indidit, ne homines veritatem, sicut cibum insulsum, & nullo sale conditum horreant, quo mens ad vitam gratiæ, aut obtinendam, aut conseruandam reficitur. Hæ igitur sunt gratiæ gratis datæ, quæ fideles, præsertim Euangelij ministros, exornant, & apud populos illis honorem, & authoritatem conciliant, & sensim quamdam ingerunt opinionem sanctitatis.

Ambr. in 1 Corint. 12. *Thom. Amb. Ansel. Ibid.* *Psal. 118.* *Exod. 14. Iosue. 10.* *D. Tho. 2. 2. q. 175.*

Sed non in his perfectionis ratio, naturáque consistit, neque continuò sequitur; Iste est Doctor egregius, & scriba in lege doctissimus: iste est, aut propheta, aut miraculorum effector: iste est eximius rerum cœlestium contemplator, & magnarum consolationum spiritualium susceptor, ergo est vir sanctus, atque perfectus. Nam si perfectus est (vt superiùs diximus) cui nihil deest; istis, qui præfatis donis præditi sunt, si ea tantum habeant, non solùm aliqua ad perfectionem obtinendam desunt, verùm etiam spiritualis vita deest, & alia dona illustriora, nimirum virtutes solidæ, atque perfectæ deficiunt. Etenim posse ista dona sine vita spirituali, nimirum sine gratia, & charitate subsistere, Dominus ipse, non obscuris verbis, sed palàm apertéque protestatus est, dicens: Multi dicent mihi in illa die: Domine, Domine nonne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo Dæmonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis, quia numquam noui vos. Discedite à me, qui operamini iniquitatem.] Quomodo perfectio vitæ spiritualis, in his donis erit constituta, quæ nec vitam spiritualem præexigunt, & in Deo mortuis, & gratiæ hostibus possũt inueniri? Iure profectò Dominus gaudium ex harum gratiarum possessione natum comprimit, & ex alia potiori causa, nẽpe ex vera virtute, atque ex æterna prędestinatione lætãdũ nobis esse pronunciat. Ecce (inquit) dedi vobis potestatẽ calcandi supra serpẽtes, &

Matt. 7. *Luce 10.*

A scorpiones,& super omnem virtutem inimici,& nihil vobis nocebit. Verumtamen in hoc nolite gaudere,quia spiritus vobis subiiciuntur; gaudete autẽ, quòd nomina vestra scripta sunt in cælis. O magna sapientia, à sapientibus, atque prudentibus sæculi abscondita,& simplicibus ac paruulis reuelata! Quia nec diuites sunt prophetæ,nec doctores , nec miraculorum patratores , nec diuinarum illustrationum aut consolationum possessores , si non vltrà progrediantur,& in his tantùm donis, gratiisque consistãt, sed diues est,qui sine his miserabilibus Deo placet, & veram virtutem, ac sanctitatem inquirit. Timeamus (ait Chrysostomus) maximámque curam sanctæ conuersationis adamemus , nec putemus minùs aliquid nos habere,quia nos modò signa non facimus. Nihil námque tunc nobis propter illa ampliùs reddetur,sicut nec minùs dabitur , quia signa non facimus , si vtique omnibus studuerimus abundare virtutibus. De mirabilibus siquidem non absque dubio debitores efficiemur Dei , pro bene autem acta vita Deum habebimus debitorem.] Equidem optimè. Nam si sanctitatis operibus præmium mercesque decernitur;propter hæc autem opera , licèt mirabilia,si sola , & merito sint charitatis vacua , nihil sumus recepturi , liquet , quia non in illis , sed in sancta, & secundùm legem Dei Christiana conuersatione , sanctitas atque perfectio consistit. Hæc profectò prona ac facilis est nobis cælesti præsidio munitis , neque quisquam est (vt iam ostendimus) adeò vilis , aut imbecillus , adeò impolitus , aut rudis , qui non possit ad perfectionem aspirare , & ad virtutis fastigium peruenire. At illa dona , non cuique facilia sunt,non in cuiusque potestate constituta,sed multis Ecclesiæ fidelibus, sine vlla hæsitatione impossibilia. Rudis enim,quomodo mysteria cælestia pandet , & verba sapientiæ , ac scientiæ profundet ? Idiota quanam ratione arcana fidei , & absconditi rerum supernaturalium exponet? Vocatus ad vitam communem , quo pacto , aut ægris subitò sanitatem , aut aliis miraculosas functiones impertiet? Electus, vt sibi soli vacet , qua via per prophetiam occultorum notionem aperiet , aut per discretionem spirituum cordis secreta rimabitur , aut per linguam omnibus nationibus in magistrum, & præceptorem dabitur,aut per sermonum interpretationem ad sacras Scripturas interpretandas euehetur? Ad ista quærenda nullus incitatur , licèt quibusdam ob vtilitatem aliorum gratis Deus , ac liberaliter tribuat , ad perfectionem verò consequendam nullus non à Domino permouetur. Quare Paulus his gratiis enumeratis non iubet,vt eas , aut cupiamus, aut æmulemur : sed æmulamini (inquit) charismata meliora. & adhuc excellentiorem viã vobis demõstro.] Non est hæc alia nisi charitatis via , quam cupere non est ambitiosum , quam æmulari non est periculosum,quam postulare non est inane, quia id cupimus,id æmulamur,id postulamus quo Deo vtiliter iungimur,securè copulamur,& sine vlla superbia,aut ambitione cohæremus.

Chrys. hom. ... in Mat.

1. Cor. 12.

Hoc ergo quærendũ,hoc tota mentis contẽtione postulandum est,quod ad volũtatem pertinet, quod ad opus procedit,quod nos bonos , & sanctos facit; illæ verò gratiæ,quæ sine vllis meritis in vsũ Ecclesiæ conceduntur,intellectus perfectiones sunt, quare possunt intellectum illustrare , nõ autẽ nos ipsos, aut à vitiis alienos,aut virtutibus imbutos, aut Sanctos,atque perfectos efficere. Voco autẽ eas intellectus perfectiones,quoniã (vt Thomas Aquinas ait) ad docendum alios , & persuadendum , data sunt. Sermo enim sapientiæ,& scientiæ,& fidei principia salutis nostræ,& conclusiones inde deductas,siue ad res diuinas,siue ad humanas spectãtes proponit. Donum linguarum,& interpretatio sermonum proponenda aptè concinnéque declarat. Dona sanitatum, & miraculorum,& prophetia,& discretio spirituũ, proposita , & declarata signis, quę solus Deus cognoscere potest,efficaciter ac verè cõfirmant. At sanctitas,atque perfecta virtus,non in cognoscendo,& subtiliter disputãdo,sed in amando, & rectè operãdo posita est. Quid enim refert vitiorum malitiam, & virtutum decorem agnoscere , si nec illa fugias, nec istas amplectaris? Quid refert,Dei perfectiones, & legis suæ puritatẽ callere,si nec istam custodias, nec illas in propriam mentẽ,precibus,desideriis,& imitatione transfundas? Seruus,qui cognouit voluntatem Domini sui,& nõ præparauit,& non fecit secundùm voluntatem eius,vapulabit multis.] Nõ igitur boni cognitio,sed bona operatio nos ęternis plagis eximit,& æternis præmiis dignos reddit. Et,si nõ auditores legis iusti sunt apud Deum] quo nomine Paulus omnes legem cognoscẽtes intelligit,sed factores legis iustificabuntur] manifestum est , quia non in his, quæ intellectum condecorant,sed in his quæ voluntatem emundant , & opus exornant, nostra est virtus, atque iustitia. In quam sententiã grauiter Augustinus ait : Neque enim perfectio in legum est notitia constituta , cùm sit scriptum, Non enim auditores legis iusti sunt apud Deũ,sed factores legis iustificabuntur: Neque enim,inquã , is religiosus,& sanctus est,qui nouit legem cessãtibus factis, cùm expedit facere magis,quàm docere. Quia molestum est docere,& non facere.] Sanè valdè molestũ iis, qui ardua,& difficilia perdiscũt: qui exẽplo magis volũt moueri,quã verbo,& impossibilia putant,quæ opus nõ ostenderit,& solus ieiunus sermo docuerit. Hæc ergo dona,quæ aut intellectũ honestãt,aut hominibus nos mirabiles faciũt, cum volũtatem ipsam vtiq; sanctitatis domiciliũ nõ attingãt, haudquaquam possunt sibi perfectionis nomẽ vsurpare,aut sanctitatis appellationẽ assumere,quę sola honorabilis est: doctrina verò,aut potestas edẽdi miracula , sine vera virtute,contẽptibilis. Est namque verissima doctrina Gregorij,illã exponentis quorũdam prophetarum laudationem, quam suprà retulimus. Nonne in nomine tuo prophetauimus,] quod in hominibus charitatis humilitas,nõ autem debeat virtutũ signa venerari. Atque statim subdit: Probatio quidẽ sanctitatis non est signa facere,sed vnumquemque,vt se diligere, de Deo autem vera cognoscere , de proximo verò meliora quàm de semetipso sentire. Nam quia vera virtus in amore est,non autẽ in ostensione miraculi, veritas demonstrat, quæ ait, In hoc cognoscent omnes,quia mei Discipuli estis, dilectionem habueritis adinuicem.] Qui enim non ait : in hoc cognoscetur , quia mei discipuli estis, si signa feceritis,sed ait , si dilectionẽ habueritis adinuicem, apertè indicat,quia viros Dei famulos, nõ miracula, sed sola charitas probat.] Ex his verbis hoc clarissimè elicimus , aut doctrinam , aut signa ex vera virtute, ac impolluta charitate,honorem,& venerationem accipere,& sine illa nõ tã honorem quàm dedecus , & confusionem habere, quia dedecorum valde ac ignominiosum est,his præclaris donis à benignissimo Domino imbui , & turpi vita,ac prauis moribus tã eximio beneficio respõdere. His ergo euidenter ostenditur,perfectionẽ spiritualis vitæ, nõ à gratiis gratis cõcessis,sed ab alio,quod eas vtiles & venerabiles fecit,omninò pẽdere. Cùm enim istæ gratiæ non semper Spiritum sanctũ in homine illas habente,sed solùm in Ecclesia commorantem

S. Thom. in 1. Cor. 12. lect. 2.

Lucæ 12.

Rom. 2.

Aug. ser. 3. de verbis Domini.

Greg. lib. 20. mor. cap. 9.

Ioann. 13.

ostendant, & non ad vtilitatem signa facientis, aut doccutis, aut prophetantis, sed ad vtilitatem Ecclesiæ principaliter tribuantur (& quidem Augustinus, & Thomas Aquinas vtrumque aiunt) consequēs est, vt nequaquam in illis perfectio collocata sit, quę Spiritum sanctum, per charitatem hominis perfecti habitatorem facit, & primò, ac præcipuè habentis emolumentum, ac vtilitatem intendit.

Aug. trac. 32. in Ioā. & D. Th. 1. cor. 12.

Sed si in his gratiis, non est perfectio constituta, quonam modo ipsæ ad perfectionem pertinent? Ita sanè, vt in quibusdam sint sanctitatis, & perfectionis indicia, in quibusdam sint sanctitatis instrumēta, in aliis verò nuda, atque sola ministeria. In sanctis, atque perfectis viris sūt sanctitatis indicia, quos Deus his mirabilibus operibus mūdo manifestat, vt eos in magno pretio habeat, & regis regum amicos, & familiares agnoscat. Quod apertè testatur Gregorius, dicens: signa, atque miracula, sanctitatē quidem ostendere, non tamen facere.] Sic Deus sanctitatem Apostolorum, Martyrum, & confessorum, & virginum, aut Sanctarum mulierum miraculis, & signis confirmauit, & perfectionem Doctorum, & Pontificum, sermone sapientiæ, & scientiæ, & fidei, atque discretione spirituū, & interpretatione sermonum aperuit, & breuiter, nunc isto nunc illo donorum genere amicorum suorum puritatem manifestauit. Et sicut reges terræ, amicos suos honoribus, & diuitiis amplificāt, & reliquis subditis suis, licèt fidelibus, non tamen æquè dilectis, dignitate præponunt, ita Deus in donis multò profusior, Sāctos & perfectos viros interdum his donis nobilitat, & coram aliis non tam extraordinariæ virtutis illustres facit, atque conspicuos. Sed ideò nō omnibus Sanctis ista tribuuntur (ait Augustinus) ne perniciosissimo errore decipiantur infirmi, existimantes in talibus factis maiora dona esse, quàm in operibus iustitiæ, quibus æterna vita comparatur.] O admirabilis sapientia, & bonitas Dei! quæ dilectissimos amicos suos, scilicet Sanctos, & perfectos viros semper maioribus bonis, nempe virtutibus implet, non tamen semper minoribus bonis, nimirum his gratiis, & donis honorat, vt & ipsis sui amoris verissima signa offerat, & toti mundo notionem veræ virtutis, atque perfectionis relinquat.

Gre. hom. 29. in Euang.

Aug. libr. 83. qq. q. 29. It. 4.

In viris, necdum perfectis, & ad perpetuam fęlicitatem destinatis sunt hæc dona, sanctitatis instrumenta. Nam in hunc finem Deus nonnullos incipientes, nec dum mundo mortuos, dono altissimæ contemplationis illustrat, & cælestibus reuelationibus stupefacit, vt eos, aut illius dulcedine ad se trahat, aut admiratione secretorum ad virtutem alliciat. Sic Saulum adhuc spirantem minarum, & cædis in discipulos Domini, Dominus ipse splendore, è cælo delapso, & voce sua, qua eum corripuit, ab infidelitate remouit, & ad notitiam veritatis adduxit. Sic discipulos adhuc minùs in virtute perfectos dono signorum faciendorum animauit. Nam & Dæmonia (inquiunt) subijciuntur nobis.] Hæc quidem non fuerunt in istis præsentis sanctitatis indicia. Quam enim tunc sanctitatem habebat Paulus blasphemus, & contumeliosus, & persequens Ecclesiam Dei? Quam insignem sanctitatem tūc habebāt discipuli, qui (vt inquit Beda) a Domino amabiliter arguuntur, eo quòd in virtutibus à se factis, in firma fide gauderent, & vt Cyprianus insinuat, de patratis miraculis se minùs modestè iactarent. Fuerunt autem sanctitatis adiumenta. Nam Paulus, illa insigni reuelatione conuersus, infidelitatem deseruit, fidei, collum mentis submisit, & ex rapacissimo lupo in mansuetissimum agnum est repente mutatus. Et discipuli infirmi signis mirabilibus à se editis roborati Christo constantiùs adhæserunt, & eius cælestem doctrinam stabiliùs adamarunt.

Actor. 9.

Luca 10.

Bed. l. 3. in Lucā ad c. 10.

Cypr. ser. de ieiunio & tentat. ante fin.

At in reprobis, gratiæ istæ gratis datæ, nuda sunt ministeria, non in beneficium glorificationis eorū, sed in vtilitatem Ecclesiæ, & profectum fideliū ordinata. Sicut enim Dominus Senacheribo vsus est ad punitionem, & eruditionem populi Israelis, ad quam castigationem faciendam, & robur affatim, viresque concessit; & ideò audit. Væ Assur, virga furoris mei, & baculus ipse est, in manu eorum indignatio mea.] Postquā verò illum in hoc munere occupauit, à se cū indignatione repulit, & æternis cruciatibus puniendum tradidit. Nam cùm impleuerit Dominus omnia opera sua in mōte Sion, & in Hierusalem, visitauit super fructum magnifici cordis regis Assur, & super gloriam altitudinis oculorū eius:] Ita prorsus, quibusdam reprobis potestate, aut doctrina, aut virtute faciendi miracula dignatis vtitur, vt lapsos corrigat, ignorantes erudiat, fugitiuos trahat, infirmos, atque imbecillos confirmet, expleto verò sapientissimæ prouidentiæ ministerio, eos ob grauia peccata, ob superbiam, ob intentionem solius lucri, aut inanis honoris præposteram, à se abiicit, & aduersario humani generis puniendos concedit. Solers, & industrius agricola vitibus fulcimenta coniungit, ne plus nimio ad terram depressæ, aut putrescant, aut insuauiorem fructum ferant, at vindemia facta, racemisque collectis fulcimenta euellit, eáque vel in ignem mittit, vel tamquam ligna contemptibilia derelinquit: Ita Dominus diligens vineæ suæ, hoc est, prædestinatorum agricola, eos donis quorundam reproborum, id est, sapientia, efficacia verbi, signis, facultatibus, & aliis huiusmodi sustentat, peracta verò vindemia, & suis in debitam perfectionis maturitatem adductis, reprobos, licèt sapientes licèt loquaces, tamquam putrida ligna proiiciet, & quasi nullis vsibus apta, contemnet. Horum opera non sunt perfectionis propriæ signa, sed, aut Christi Saluatoris præconia, aut Ecclesiæ sāctæ subsidia. Vnde egregiè Hieronymus: Prophetare, & virtutes facere & dæmonia eiicere, interdū non eius meriti est, qui operatur, sed vel inuocatione nominis Christi hoc agit, vel ob condemnationē eorum, qui inuocant, & vtilitatem eorum, qui vidēt, & audiunt, conceditur, vt, licèt homines despiciant signa facientes, tamen Deum honorent, ad cuius inuocationem fiūt tanta miracula. Nam & Saul, & Balaam, & Caiphas prophetauerunt, nescientes quid dicerent, & Pharao, & Nabuchodonosor somniis futura cognoscunt. Et in actibus Apostolorū filij Sceuæ videbantur eiicere dæmonia: sed & Iudas Apostolus cū animo proditoris, multa signa inter cæteros Apostolos fecisse narratur.] Sūt hi similes Gabaonitis, quos Iosue Israelitarum Imperator secum reseruat, vt in vsum vniuersæ multitudinis ligna cædāt, aquasque comportent. Sic enim Dominus verus vtique Ecclesiæ Imperator, & dux, aliquos reprobos sustinet, & inter electos suos manere permittit, vt acceptis donis atque talentis, fidelium multitudinē iuuent, & suis verbis occasionem amoris offerāt, & sapientiæ aquam effundant. Quibus tamen hæc obsequia nihil proderunt, si vitam non mutent, & Dei iussa & imperata non seruent. Ne ergo putemus nos perfectionem cōsequutos, si aliqua in nobis, aut sermonis sapientiæ, aut scientiæ, aut aliorum, dona viderimus, quia sicut ignis solet ardere, & lucere in spinis: ita hæc beneficia diuina solent in malis ac reprobis miranda operari. Non est itaque

Isaia 10.

Ibidem.

Hie. l. 1 Mat. ad 7.

I. reg. 1 Num. 1 Ioan. 1 Gen. 4 Dan. 1 Actor. 1

Iosue 9.

in his gratiis ac donis constituta perfectio, quam illi soli possident, qui Dei amicitiam adepti, ad insignem quamdam mentis puritatem seipsos vincendo, & diuina mandata custodiendo perueniunt.

Perfectionem non esse positam in consiliis Euangelicis.

CAPVT V.

SAPIENTIA vbi inuenitur (scribit sanctus Iob, perfectionis sedem, ac domicilium inquirens) & quis est locus intelligentiæ?] Vera námque sapiẽtia, est perfectæ virtutis cognitio efficax, quæ bonorum operum actionem pariat, & vera intelligentia, sanctitatis notitia, quæ vsque ad eius amorẽ, & conatum assequendi procedat: huius locum in gratiis gratis datis, necdum inuenimus, pergamus igitur locum huius pretiosæ margaritæ inuestigare, & an fortè in consiliis Euangelicis sit, diligenter inquirere. Consilia autem sunt, (vt ex Augustino colligitur) quæ ad salutem æternam consequendam, licèt necessaria non sint, tamen & vtilia, & proficua, ad hanc salutem faciliùs, & meliùs parandã hominibus consuluntur. Quæ in hoc à præceptis inueniuntur distincta, quòd illa in nostra libera voluntate sunt posita; hæc astringunt nos aliquid agere, vel ab aliquo cauere, si nolumus à Dei amicitia, & à cælestis præmij iure decidere. De illis dicitur: Qui potest capiat:] Et, De virginibus præceptum Domini non habeo, consilium autem do: Et, si vis esse perfectus, vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus] Et, qui vult venire post me, abneget semetipsũm.] De istis verò non dicitur, qui potest facere, faciat; sed nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis.] Et, omnis arbor, quæ non facit fructũ bonum, excidetur, & in ignem mittetur.] Et nolite errare; neque fornicarij, neque idolis seruientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum cõcubitores, neque fures, neque auari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces, regnũ Dei possidebunt.] Præceptum est via arcta, & angusta, quã peragentes tandem peruenimus ad patriam: Consilium est compendium viæ arctius & angustius, quod breuiùs & securiùs ducit ad vitam. Præceptum est vita. Nam considera (inquit) quod proposuerim tibi vitam, & bonum, & è cõtrario mortem, & malum] per vitam & bonum, præceptorũ custodiã, & per mortem & malum, eorum transgressionem intelligens. At consilium, est medicamentum quo conseruamus vitam, in illa promissione signatum (vt Augustinus ait) qua misericors Samarita se postea rediturum, & quod ad curationem vulnerati ab stabulario supererogatum esset, magna asseueratione redditurũ promisit. Denique præceptum vniuersis seruãdum sub pœnæ interminatione proponitur; consilium omnibus liberè amplectendum sub spe amplioris mercedis ostenditur, ad quod multi se voto, & promissione obligantes, iam sibi ad maius meritum mandatum faciunt, quod ante votum, & promissionem mandatum non erat, sed famulatus indebitus, dicente Domino, Vouete, & reddite] Et rursus alio loco: Multò meliùs est non vouere, quàm post votum promissa non reddere.]

Iob. 28. — August. ser. 61. de tempore. — Mat. 19. — 1. Cor. 7. — Matt. 19. — Luca 9. — Luc. 13. — Matt. 3. — 1. Cor. 6. — Deut. 29. — Aug. lib. 2. de adulterinis coniug. c. 14. — Psal. 75. — Eccles. 5.

Consilia autem Euangelica multa sunt, quæ hoc loco enumerare non attinet: sed eorum tria sunt præcipua, & ad substantiam status religiosi pertinẽtia. Alterum est paupertatis, & abdicationis omniũ rerum temporalium, quo nudi, & expediti Christum sequimur. Cuius obseruationẽ Apostoli Christi complexi de præmio tanti laboris interrogat, dicentes? Ecce, nos reliquimus omnia, & sequuti sumus te, quid ergo erit nobis? Alterum est castitatis, quo omnia illa carnem domãtia, vt ieiunia, vigilias, flagra, saccum, & alia similia complectimur. Hæc enim necessaria sunt, vt carnis & cordis puritatem seruemus, & simus ex illis, qui semetipsos castrauerunt propter regnum cælorum.] Tertium est obedientiæ, quo propriam voluntatem abnegamus, & nos, & omnia nostra Prælati voluntati subiicimus, vt imitemur illum, qui non venit facere voluntatem suam, sed voluntatem patris sui, qui in cælis est.] In his consiliis, & generaliter in omnibus aliis, quæ consilij tantùm, & non præcepti nomen habent, non est secundùm substantiam constituta perfectio. Nam perfectio finis est spiritualis vitæ, quam omnibus huius vitæ muneribus comparare cõtendimus, quare à Saluatore nostro tamquam finis, & scopus adolescenti proponitur. Si vis (inquit) esse perfectus, vade, & vende, quæ habes.] Ac si dixisset, si non modicitate communis vitæ contentus, ad finem totius legis, scilicet, ad perfectionẽ aspiras, perfectionis impedimenta remoue, diuitias & opes derelinque, quibus solutus scopum tibi præfixum perfectæ virtutis comparabis. Consilia verò non sunt finis, sed instrumenta virtutis; quorum adiumento ad finem peruenimus. Neque enim diuitias spernimus, delicias fugimus, voluntatem propriam abnegamus, vt scimus tantùm horum bonorum à natura cõcessorũ expertes capere, sed ne eorũ possessio nos remoretur à melioris boni assequutione. Hoc igitur bonum, cuius gratia minora bona deserimus, & non consilia deserendi illa bona, erit nostræ mẽtis perfectio. Augustinus certè sine vlla hæsitatione fatetur, consiliorum custodiam, nõ esse finem spiritualis vitæ, sed medium, aut instrumẽtum, quo assequimur finem. Quæcumque (inquit) mandat Deus, ex quibus vnum est: Non mœchaberis] & quæcũque nõ iubẽtur, sed speciali consilio monẽtur, ex quibus vnum est: Bonum est homini mulierem non tangere, tunc rectè fiunt, cùm referũtur ad Deum, & ad diligendum proximum propter Deum.] Et Ioãnes Cassianus eidem sententiæ subscribens, consilia cũ instrumentis alicuius artis confert, quæ non suiipsorũ gratia, sed finis artis causa parantur, Eius verba sũt. Ob hoc quis vtensilia cuiuslibet artis instruere sibimet, ac præparare festinat, nõ vt ea possideat otiosa, nec vt emolumẽti illius fructũ, qui speratur ex ipsis in nuda instrumentorum possessione constituat? sed vt eorum ministerio peritiam, finémque illius disciplinæ, cuius hæc adiumenta sunt, efficaciter apprehendat. Igitur ieiunia, vigiliæ, meditatio scripturarum, nuditas, ac priuatio omnium facultatũ, nõ perfectio, sed perfectionis instrumenta sunt, quia nõ in ipsis cõsistit disciplinæ illius finis, sed per illa peruenitur ad finem.] Cùm ergo nullius disciplinæ perfectio in ipsius artis, aut disciplinæ instrumentis consistat, liquet, quia perfectio spiritualis vitæ, non in consiliis Euangelicis, quæ instrumẽta sunt sed in aliquo alio, cuius gratia instrumenta quæruntur, debet esse constituta.

Perfectio enim (vt optimè Thomas Aquinas annotauit) illa est, quæ secundùm naturam suam mẽtem nostram Deo, optimo fini coniungit, cõsilia verò non sunt talis naturæ vt nos Deo iungant, sed vt à vinculis creaturarũ, quò ad istam coniunctionem assequendam curramus, expediant. Cur námque res temporales abiicimus? Ne gressus nostros ad Deum suis implicationibus teneant. Cur illecebras carnis

Matt. 19. — Matt. 19. — Ioan. 6. — Matt. 19. — Aug. in enchirid. c. 121. — Cassia. col. 1. c. 7. — D. Tho. 2. 2. q. 184. ar. 1. & 3.

respuimus? Ne mentis aciem Deum contuenté obnubilent. Cur voluntates nostras proterimus. Ne diuinæ voluntatis in nobis impletionem impediãt. Cur à vino, & cibis delicatis abstinemus? Vt spirituale dulcediné domita carne, séntiamus. Cur iniurias non solùm corde (quod debitum est) sed etiam quoad externam satisfactioné remittimus? Vt Christum pro inimicis orantem imitemur. Cur eleemosynas de rebus nobis necessariis indigẽtibus damus? Vt supra legem, & obligationem agentes maius sit nostrum præmium, & cumulatior merces in cælis. Hi gressus nostri sunt, hi conatus, hi cursus, quibus in Dei imitationem currimus, quibus in Dei vnionem properamus, non ipsa vnio, quæ nos perficit, & in vera virtute consũmat. Quare, si his præstitis; necdum ad diuinam vnionem admittimur, incipientes erimus, aut fortè proficientes, nó tamen annumerabimur sanctis atque perfectis. Perfectionis quippe natura non ab his pendet, quæ ab omnibus præstari nequeãt, cùm vniuersi (vt iam diximus) ad perfectionem inuitentur. At consilia, non omnes seruare possunt, imò si nonnulli ea seruare attentarent, in rem ineptam, & Deo displicentem, impingerent. Nã regibus, quibus, ita exigente communi, aut totius Ecclesiæ aut reipublicæ bono, dignitati renunciare nó licet, cautum est opes abijcere, & pauperem, ac rerũ temporalium indigam vitã ducere. Cóiugatis prohibita est continentiæ custodia, cùm non possint sibi mutuò debitum denegare, quod auctor naturæ concessit, & actibus debeant vacare coniugij. Iudicibus, ac Dominis, præcipuè supremis, fas non est alieno se iudicio gubernare, cùm eorũ munus sit subditos regere, & minoribus imperare. Pauperes nó possũt facultates, quibus carent, pauperibus erogare, & infirmi atque imbecilles non valét corpus ieiuniis, vigiliis, & manuum labore conficere. Aliquo magno dignitatis splendore fulgentes, haud quaquam debent occupare postremos in cõuentu multorum accubitus, & sunt sic alia cõsilia, quæ alij, aut semper, vel sanè certis temporibus custodire nó valent; nullus autem est, quemcumque statum habeat, quacumque indigentia, aut labore prematur, quacũque obligatione ligetur, qui sanctus, & perfectus esse non possit, igitur non est in consiliis collocata perfectio.

Sed quod generaliter de omnibus consiliis astruximus, nunc sigillatim de tribus illis præcipuis cõsiliis, paupertate, castitate, & obedientia complectenda ad maiorem lucem pusillis conferendam astruamus. Perfectio non est in voluntaria paupertate; quoniam hæc vincula abijcit, quibus cõpediti tenebamur, nó tamé eo ipso quòd soluti sumus, vel è carcere exiuimus, in finé, cuius gratia vincula rupimus, iam opere, & affectu peruenimus. Sicut enim aliud est, captiuum, compedes & catenas fregisse? aliud verò, in patriam ac domum repedasse: ita aliud est nos rebus abrenuntiasse terrenis; & aliud Christi imitationem induisse, & ad finem vsque spiritualis vitæ processisse. Sine quo nemo iure vocatur perfectus. Certè Abrahæ dictũ fuit à Domino: Ambula coram me, & esto perfectus, qui perfectionem, ad quam inuitabatur, est assequutus, coram Deo ambulando, hoc est, eum perfectè amando, vt Thomas interpretatur, & diuinæ voluntati se subiiciendo, licèt numquam diuitias abiecerit, nec opulentissimã familiã deseruerit. Et similiter alij scripturæ legis patres sanctissimi, operibus, & rebus terrenis onusti, ita potuerunt currere (ô magna fortitudo) vt ad cliuũ perfectionis ascenderint. Quod non repugnare Euãgelicæ puritati, exempla sanctissimorum Episcoporum, atque Pontificum, Leonis, Gregorij, Ambrosij, Hilarij, Paulini, Hidelfonsi, & aliorum innumerabilium satis ostendunt, qui reditus amplissimos Ecclesiæ possidentes potuerunt, nó solùm (vt Prosper ait) statum perfectionis tenere, sed etiam vitam perfectissimam, & sanctissimam conseruare. Et profectò si perfectio in voluntaria paupertate consisteret, nó esset cur Dominus à suis ampliùs requireret. Quid enim aliud ab homine pusillo, & imbecillo peti potest, nisi vt ad fastigiũ sanctitatis ascendat? At Christus Saluator noster nequaquam in postulatione paupertatis ac nuditatis rerum substitit, sed aliquid ampliùs, & illud omninò maius, & difficilius postulauit. Si vis (inquit) perfectus esse, vende quæ habes, & sequere me.] Hoc verbo ostendens non in dimissione temporalium, sed in sequela Christi perfectionis substantiam inueniri. Quem locum vberrimè tractans Augustinus, ita hanc verissimam doctrinam confirmat. Iam venditis omnibus, & distributis pauperibus, nónne perfectus sum? Quid opus est, vt te sequar? Sequere me, vt discas, quoniam mitis sum, & humilis corde.] Potest enim quisque vendere omnia sua, & dare pauperibus, nondum mitis, nondum humilis corde? Certè potest. Si enim omnia mea distribuero pauperibus, & adhuc audi. Nam quidam relictis omnibus, quæ habuerunt, iam sequuti sunt Dominum, sed nó ad perfectum sequuti, ad perfectum enim sequi, est imitari.] Et idem confirmat Sanctus Hieronymus, in hunc ferè modum scribens. Quicumque perfectus esse voluerit, debet vendere, quæ habet, & non ex parte vendere, sicut Ananias fecit, & Sapphira, sed totum vendere, & cùm vendiderit dare omnia pauperibus, & sic sibi præparare thesaurum in regno cælorum. Et hoc ad perfectionem non sufficit, nisi post cõtemptas diuitias, Saluatorem sequatur, id est, relictis malis faciat bona. Faciliùs enim sacculus cõtemnitur, quàm voluptas. Multi diuitias relinquentes, Dominum non sequuntur. Sequitur autem Dominum, qui imitator est eius, & per vestigia illius graditur. alio loco ait: Centuplum, & vitam æternam non esse Apostolis promissa, quia omnia reliquerunt. Hoc enim, & Crates fecit philosophus, & multi alij diuitias contempserunt, sed quia Christum sequuti sunt, quod opus Apostolicum est, opus re vera absolutum, atque perfectum.] Paupertas ergo & dimissio temporalium ad perfectionem non sufficit, quæ sola à corde nostro, licèt cupiditatem euellat, multa alia mala non abiicit, & ideo secundùm Pauli sententiam, sine charitate à nihilo nequaquam nos extrahit, hoc est, nequaquam à vilitate peccatorum educit. Si distribuero (inquit) omnes facultates meas in cibos pauperum, charitatem autem non habuero, nihil sum, & nihil mihi prodest.] Quid est, nihil sum, nisi, quòd sola renunciatio diuitiarum me Deo non reddit amabilem, neque pretiosum, quippe quæ secum grauis peccati maculam potest admittere? Quid est, nihil mihi prodest, nisi quòd sola facultatum vacuitas, me vitiis, & prauis affectibus vacuum non reddet, atque adeò perfectum, & sanctum non efficiet? Vnde egregiè Cassianus, hanc Pauli sententiam in hunc modum interpretatur, ac si aliis verbis dixisset. Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, secundùm Euangelicum illud mandatum, quo dicitur. Si vis perfectus esse, vade, vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo, & veni, sequere me] Ita scilicet abrenuncians, vt ex his nihil penitus mihi reseruem, & huic erogationi martyrium exustione meæ carnis adiũxero,

Genes. 17.
D. Tho opus. 18. c. 7.
Prosp. 2. de vinct. tom. 9.
Matt. 19
Aug. l. 50. homiliar. hom. 34. c. 8.
Hier. l. 3 in Matt ad c. 19
Hier. l. 3 in Matt. c. 19.
1. Cor.
Cassia. col. 3.
Matt

ita vt

ita vt corpus meum tradam pro Christo, & tamen vel impatiẽs, vel iracũdus, vel inuidus, vel superbus sim, vel aliorum inflammer iniuriis, vel quærã, quæ mea sunt, vel ea, quæ mala sunt cogitẽ, vel vniuersa quæ mihi possunt inferri, non patienter libentérque sustineam, nihil mihi proderit exterioris hominis abrenũciatio, atque combustio, interiore adhuc vitiis pristinis inuoluto, eo quòd simplicem substantiã mundi huius primæ conuersionis feruore contemnẽs, quæ nec bona esset, nec mala, sed media definitur, vitiosi cordis noxias facultatès similiter abiicere non curarim.] Cõstat ergo, paupertatis amplectẽdæ consilium, perfectionem non esse, quæ via est, nõ finis, & terminus, quæ licet in quibusdã desit, qui ratione status valedicere rebus mundi non valent, non tamen ideò perfectio illis deest, quæ non propter se ipsam à Christo, sed propter sui sequelam expetitur, quæ nihil est, & nihil prodest, si cum abiectione diuitiarum, non etiam cordis impuritas abiiciatur.

D. Tho. 2. 2. q. 152. art. 2. — Nec etiã in castitate, aut in virginitate purissima, est posita perfectionis substantia. Nam ista (vt Sanctus Thomas ait) ideo consulitur, & laudabilis existimatur, quia propter contemplationem veritatis, & vnionem cum Deo, à iustis suscipitur, secundùm illud Pauli: Mulier innupta, & virgo, cogitat, quæ Domini sunt, vt sit sancta, & corpore, & spiritu.] (1. Cor. 7.) Magis igitur coniunctio, & imitatio Dei, quæ finis est quàm castitas, aut virginitas, quæ est medium, erit nostræ mẽtis perfectio. Ad hoc enim carnis voluptates, licèt moderatas, respuimus, nõ vt voluptatis tantùm expertes simus, sed vt amore cõiugis vacui, Deum puriùs, & ardẽtiùs diligamus. Ad hoc carnis integritatem colimus, ne mens nostra illecebris obtusior facta, aut fœditate corporis illigata, à Dei splendida cognitione, & castissimo amore, se sentiat impeditam. Vnde istum amorem potiùs, vt perfectionem inquirimus, & corporis ac mẽtis integritatem, non vt finem, quo perfecti sumus, sed vt instrumentum, ac viam ad culmen perfectionis tendentẽ, votis omnibus exoptamus. Et sanè si castitas esset mentis nostræ tota perfectio, ipsa sola ad placendũ Deo, & eius benignum aspectum promerendũ abũdè sufficeret. Non tamen ita est. Nam sola, aliisque virtutibus destituta, nihili à Domino reputatur. Quare Bernardus audet, & dicit: Nec Mariæ virginitatẽ sine humilitate esse cõmẽdabilẽ. (Bern. ser. 1. sup. Missus est.) Potest (inquit) placere humilitas, quæ virginitatem deplorat amissam: sine humilitate (audeo dicere) nec virginitas Mariæ placuisset. Super quẽ (inquit) requiescet Spiritus meus, nisi super humilem, & quietum?] (Esai. 66.) Super humilem dixit, non super virginem.] Si igitur Maria humilis non esset, super eam Spiritus Sanctus non requieuisset.] Et statim. Paret itaque quia vt de Spiritu sancto conciperet, sicut ipsa perhibet: Respexit humilitatem ancillæ suæ Deus, potiùs quàm virginitatem. (Luca 1.) Et si placuit ex virginitate, tamen ex humilitate concepit. Vnde cõstat, quia etiam, vt placeret virginitas, humilitas proculdubio fecit. Quid dicis virgo superbe? Maria se virginẽ oblita, gloriatur de humilitate, & tu negligendo humilitatem blãdiris tibi de virginitate?] Et iterum alio loco ait. (Bern. ser. de beata Virgine.) Nam virginitas sine humilitate fortasse habet gloriam, sed nõ apud Deum. Humilia semper excelsus respicit, qui alta à longè cognoscit, & humilibus dat gratiam, qui superbis resistit.] Et alio loco. (Ber. epist. 42.) Castitatem, vt alicuius pretij sit, cum charitate coniungit. Verùm quantalibet (inquit) venustate sui castitas eminere appareat, sine charitate tamen, nec pretium habet, nec meritum. Nec mirum. Quod enim absque illa bonum suscipitur? Fides? sed nec si montes transferat. Scientia? (1. Cor. 13.) Sed ne illa quidem quæ lingua loquitur Angelorum. Martyriũ? Nec si tradidero (inquit) corpus meũ ita vt ardeã.] (ibidem.) Nec absque illa quodlibet bonum suscipitur, nec cum illa quamlibet exiguum respuitur. Castitas sine charitate, lampas est sine oleo, subtrahe oleum, lampas non lucet. Tolle charitatem, castitas non placet.] Sed ô quàm pulchra est (vt sapiens clamat) casta generatio cum charitate!] (Sapien. 4.) Cum illa, inquam, charitate, quam describit Apostolus, de corde puro; conscientia bona, & fide non ficta.] (1. Tim. 1) Si ergo aliquis potest esse virgo, & superbus, aut charitatem non habens: & nullus potest esse perfectus, qui sit superbus, aut charitatem non habens, qui arrogãtia tumeat, aut proximum odio habeat, aut alio graui vitio tabescat, manifestum est, quia virginitas non est secundùm naturam ipsa perfectio.

Quòd si in hac non consistit perfectionis substãtia, quæ virtus est perfectissima, & planè Angelica & Deo gratissima, multò minùs profectò in corporis afflictione consistet, quæ castitatis gratia suscipitur. Afflictio enim corporis, quę ieiuniis, vigiliis, ciliciis, & flagellis, & aliis piis exercitationibus fit, eatenus vtilis est, quatenus castitati seruit, & ad satisfactionem pro peccatis, ad Christi imitationem, & vno nomine, ad veram charitatem dirigitur. Vnde cuidam interroganti, quid prodest tanta in nostro victu parcitas, in habitu vilitas, in vigiliis, & disciplinis iugis austeritas, Optimè Richardus Victorinus respõdet. (Richar. li. de gradib. char. c. 3.) Paucis accipe, quædam sunt charitatis obsequia placentia, & placantia, si in charitate fiant, at sine charitate nihil prosunt. Hæc est enim virtus, in qua, nec minimum opus respuitur, sine qua nec maximum acceptatur. Non prædicatio, etiam si fiat linguis Angelorum, non fides, etiam si monte transferat, non eleemosyna, etiam si omnes facultates in cibos pauperum distribuat, non corporis afflictio, etiamsi tradatur corpus ita vt ardeat, non missarum solemnia, quia ante fratris reconciliationem, munus prohibetur offerri.] Ista itaque corporis afflictio, quæ charitati seruit, non est vltima nostra perfectio, sed magis erit ipsa charitas, cui & corporalis castigatio, & ipsa castitas, & omnia alia, quæ diximus, fideliter obsecundant. Ex quo illorum intolerabilis error cognoscitur, qui ieiuniis confecti, vigiliis afflicti, flagris lucidi, ciliciis puncti, & summa rerum omnium indigentia pressi, in hoc suam perfectionem sitam esse putant, & superbi, atque elati alios mitiorem vitam agentes iudicant, & tamquam carnales, & imperfectos contemnunt. Audiant isti Bernardum, eos huius erroris increpantem. (Bern. in Apolo. ad Gullel. ante fin.) Tu ergo (inquit) cùm de horum obseruatione elatus, aliis eadem non obseruantibus derogas, nónne te magis transgressorem regulæ indicas, cuius licèt minima quædam tenens, meliora deuitas? De quibus Paulus: Æmulamini (ait) charismata meliora.] (1. Cor. 12.) Detrahendo quippe fratribus, in quo temetipsum extollis, perdis humilitatem, in quo alios deprimis, charitatem, quæ sunt proculdubio charismata meliora. Tu, si tuum corpus multis, & nimiis laboribus atteris, ac regularibus asperitatibus mortificas membra tua, quæ sunt super terram, bene facis, sed quid si ille, quem similiter non laborantem diiudicas, modicum quidem habeat de hac, quæ ad modicum est vtilis, corporali videlicet exercitatione, amplius autem, quàm tu de illa, quæ ad omnia valet, id est, pietate? Quis quæso vestrum regulam meliùs tenet? An non meliùs, qui melior? Quis verò melior, humilior, an fatigatior? An non is, qui à Domino didicit mitis esse, & humilis corde, qui & cũ Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab eo?]

Satis igitur patet corporales asperitates ad modicũ vtiles, & non suiipsarum, sed alterius gratia susceptas, vias tantùm ad perfectam virtutem esse, quas debemus ad satisfactionem peccatorum, & ad alios honestos fines, magno mentis feruore complecti, non tamen propter illas imprudenter inflari, aut arroganter superbire. Certè(vt Prosper ait) quòd satis miserũ sit, aliquos de cibi, vel potus perceptione damnare, aut nobis arrogare per abstinentiam, sanctitatem. *Prosp. lib. de vita contemp. c. 19.*

Nec tandem perfectio est, quantùm ad naturam suam, in promptissima obediẽtia, licèt hanc, vt perfectam, & decoram diligat filiam, & numquam è suo latere separari permittat. Non, inquam, perfectio in obedientia consistit, quoniam hæc filia est humilitatis, & pedissequa charitatis: perfectio verò non filia est, sed mater, non pedissequa, sed domina obedientiæ ipsius, vniuersarúmque virtutũ. Propter hanc, tamquam popter finem omnes alias virtutes amplectimur: propter hanc, earum actibus, siue in præcepto sint, siue in consilio, diligenter insistimus: hanc obediẽdo quærimus, & propriam voluntatem Prælato subiiciendo, consectamur. Hanc Christus saluator noster, nõ vt perfectionem ipsam, sed vt præstantissimam perfectionis viam à nobis exigit, dicens: si quis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, & vxorem, & filios, & fratres, & sorores, adhuc autem, & animam suam, nõ potest meus esse discipulus.] In hac videlicet sanctissima disciplina mentis perfectionem ponens, in dimissione autem omnium, & in odio sancto animæ, id est, propriæ voluntatis, media, siue itinera perfectionis constituens. Obedientiæ ergo suum principatum relinquamus, & eã altissimam viam perfectionis vocemus (& verè altissima via est, siquidem, & tẽporalia deserendo, & voluptates carnis fugiendo, & quodlibet aliud bonũ præstando, semper obedientiã exercemus, obedientiam custodimus) non tamen eã perfectionem putemus. Sicut enim præcursor Ioannes suum locum dilexit, & veritatẽ amans Messiæ titulum prudenter detrectauit, & confessus est, & nõ negauit: & cõfessus est, quia non sum ego Christus.] Ita sãcta obediẽtia, quæ humilis, & modesta est, nequaquam sibi nomen perfectionis vsurpat, sed se vocem perfectionis esse libentissimè confitetur, quæ vehemẽter clamat, & aures Domini importune pulsat, vt in nos sanctitatem emittat. *Lucæ 14.* *Ioann. 1.*

Quid igitur sunt ista consilia, si eum perfectione confertantur? Sunt quidem in nondum perfectis validissima perfectionis instrumenta, in perfectis verò inseparabiles perfectionis effectus. In illis sunt instrumenta validissima, quibus structuram sanctitatis extruant, quoniam omnia sanctitatis impedimẽta concupiscentiam carnis, concupiscentiam oculorũ, & superbiam vitæ] à cordibus nostris abscindũt. Numquam religiosus ista prætermittat, ista contemnat, sine quorum auxilio non solùm ad perfectionem non veniet, verùm etiam, neque animæ salutem consequetur. Nam hæc, quæ in sæculo libera erant, per professionem religiosam necessaria facta, eum non sui iuris, sed vinctum, obligatúmque relinquunt. Qui autem in re graui obligationem frangit, & promissionem Deo factam non implet, tamquam seruus infidelis, & Domini mandata transgrediẽs, reus Gehennę constituitur. In istis verò, scilicet in perfectis, sunt ista consilia perfectionis effectus. Nam perfectio religiosa ea magna diligentia seruat, sine quibus stare non poterit, at non poterit seipsam ab interitu eripere, si illa frangat, quæ Deo sponte in odorem holocausti promisit. Et, cùm ipsa sit vni-

A uersarum virtutum effectrix, non dubium, quin illas etiam efficiet, quæ aliarũ sunt origines, atque principia. Paupertas verò, castitas, & obedientia, velut semina sunt aliarum moralium virtutum, quæ cor humanum à vinculis expedientes, & à fæcibus terræ mundantes, feracem bonorum operum faciunt, & virtutibus (quæ bonis operibus generantur) non lõgis itineribus, sed breui compendio circundant. Perfectio est, quæ Deo impensè placere cupiens, has tres virtutes immenso amore complectitur, quibus homo, & Deo maximè placet, & Sanctos sequitur, & Christum imitatur, & in dies maiorem gratiam, & ampliora dona promeretur. Quicunque ergo putat se beneficio Dei, in religioso statu, aliquid perfectæ virtutis assequutum, his gemmis pretiosis, quibus perfectionem parauit, eisdem & seruare, & promouere contendat: certus, quia quò pauperior, quò castior, & quò obedientior fuerit, eò erit sanctior, atque perfectior, & quò paupertatem abiecerit, castitatem fœdauerit, & obedientiam spreuerit, eò statum religiosum inficiet, veram virtutem ablegabit, & sanctitatem ac perfectionem amittet. Si perfectus est, perfectum cor habeat, quod sanè immunditias sæculi, harum trium virtutum ministerio abstergit, & se totum ad superna consideranda, & desideranda sustollit. Sancti enim, (vt Gregorius ait) qui ad æterna cor eleuant, quàm breue sit, quod fine clauditur, pensant, & eò eorum sensibus vilescit, quod prætérit, quò intellectu radiante interlucet, quod acceptum, numquam recedit. Cúmque infinitatem perennitatis aspiciunt, nequaquam iam pro magno desiderant, quod finis angustat, sed subleuata mens extra temporum terminos ducitur, etiam eum carne in tempore tenetur, & tantò altiùs finienda despicit, quantò veriùs infinita cognoscit.] Ista sunt perfecti cordis desideria, isti sunt Sanctorum virorum affectus, bona temporalia in seipsis putrescentia contemnere, delicias carnis fœtentes pessundare, propriam voluntatem conculcare, & in ea superna se totis votis extendere, quorum substantia numquam perit, quorum flos numquam excidit, & quorum executio, non est Domini voluntati contraria. Qui ergo perfectus est, hæc faciat, & velut signa certissima suæ perfectionis ostendat. *Greg. 8. moral. c. 8.*

Perfectionem non esse constitutam in præceptis decalogi.

CAPVT VI.

PERFECTIONIS sapientiam, & sanctitatis intelligentiam in consiliis sancti Euangelij quæsiuimus: quæsiuimus, nec dum inuenimus: Iam in præceptis decalogi margaritam pretiosam & super omnes thesauros amabilem, inquiramus. Mulier illa sollicita, quæ decem drachmarum, quas possidebat vnam perdiderat, lucernam accendit, noctis tenebras depellentem, & vniuersam domum, ac omnes eius recessus euerrit, & diligenter quæsiuit donec amissam drachmam inueniret. Qua recuperata, conuocatis amicis, & vicinis gaudens, & exultans ab eis congratulationem postulauit, dicens: Congratulamini mihi, quia inueni drachmam, quam perdideram] ita & anima, cuius hæc mulier imago est, margaritam perfectionis quærens, & nec dum inueniens, fidei, ac diuini luminis lucernam prece, & oratione accendat, totam domum magni patris familias euer- *Lucæ 15*

rat, nullum locum inexploratum relinquat, si fortè tanto bono reperto, & in suam possessionem translato, ab amicis, & vicinis, nimirum ab Angelis, & Sanctis congratulationem exquirat. Locus autem non explorandus, sublimis valde est, & pretiosus, scilicet præceptorum decalogi obseruatio; & non esset mirabile in tã ditissima domus spiritualis parte hanc margaritam reperire. Nam (vt egregiè scripsit Leo Papa) Artifex misericordia Dei, splendidissimũ in mandatis suis condidit speculum, in quo homo faciem suæ mentis inspiceret, & quàm conformis imagini Dei, aut quàm dissimilis esset, agnosceret.] Quid verò præclarius quidve perfectioni coniunctius illa re, in cuius assequutione Dei perfectissima imago, ac similitudo resplendet: Si enim perfectio in quadam Dei expressione consistit, non longè à perfectione abest, qui mandata seruat, quorum custodia similis Deo, & propinquus efficitur.

Leo. ser. 11. quadrages.

Ita est: sed vt locum istum diligenter euoluamus, & rem scitu necessariam, ad amussim explicemus, nosse oportet, decalogum, nihil aliud esse quam decem præceptorum diuinæ legis summã, atque compendium, quo præcepta virtutum Theologicarum fidei, spei, & charitatis, tanquam priora, & maiora supponuntur, non tamen in rigore continentur. Decem ista præcepta Gregorius Nazianzenus elegantissimis his versibus explicauit.

Greg. Nazian. in carm.

Has patris æterni bis quinas dextera leges
Insculpsit saxis: tu verò inscribito cordi.
Nullum aliud tibi numen erit, nec quem mihi debes
Cultum, diuinúmque aliĳ præstabis honorem.
Ne statuas vmquam, simulachráque mortua fingas:
Néve tui Domini lingua tere nomen inani.
Sabbata legitima tibi sunt seruanda quiete:
Tam quæ tecta vmbris, quàm quæ sublimia sensu.
Fœlix si merito cultu venerare parentes.
Ne quenquam occidas. Alieni fœdera lecti
Ne violes. Nec te constringas crimine furti.
Néve aliquem testis mendacibus opprime verbis.
Nec cupidis oculis aliorum commoda lima:
Hinc etenim obscura quæruntur pabula morti.

In quibus, nihil credendum, nihil sperandum, nihil diligẽdum, aut exprimitur, aut nobis proponitur. Quod si studioribus, tamquã primum decalogi mandatum illud offerimus: Diliges Deum super omnia creata,] ideo factum est, quia Dominus hoc appellauit omnium mandatorum, quæ lege diuina continentur, maximum, primumque mandatum: & quia hominibus in fide educatis, ac enutritis, & nihil aliud impensius curantibus, quam auitam fidem retinere, & sectas superstitiosas vitare, nihil attinebat idololatriam, & falsorum numinum cultum prohibere, quem ipsi, & infamem habent, & summo conatu detestantur; & quia in dilectione Dei satis ipsius Dei cultus præcipitur, (quis enim Deum non colat, quem vnicè diligit) & idolorum cultus, omnisque hæresis, atque superstitio prohibetur. At primum Domini mandatum in decalogo hominibus promulgatum, non charitatis, sed religionis fuit. Sic enim habet Non habebis Deos alienos coram me. Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem quæ est in cœlo desuper, & in terra deorsum, neque eorum, quę sunt in aquis sub terra. Non adorabis ea, neque coles.] Et statim sequuntur alia præcepta; Quæ omnia Thomas Aquinas vocat præcepta iustitię, & meritò, quia nihil in decem præceptis iussum est, quod non ad iustitiæ virtutem, ad aliquámve eius partem, vt ad religionem, & ad pietatem pertineat. Fides autem, spes, & charitas iustitiæ virtutem superant, ab ea tamquam aliquid excellentius, & supra hominis naturam positum secernuntur, neque sub iustitia continentur. Magna verò prouidentia Dominus, virtutum Theologicarum leges, atque præcepta à decem decalogi præceptis seiunxit, & tamquam prima legis principia primò supposuit, & deinde in posterũ promulganda seruauit, vt homines horum trium præceptorum, tum vim, tum præstantiam intelligerent. Supposuit primò ea, non tam præcipiendo, quàm denunciando patefaciens; præceptum quidem fidei illis verbis. Ego sum dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti, de domo seruitutis,] præceptum verò spei, & maximum charitatis mandatum, illis, quæ post pauca sequuntur. Ego sum dominus Deus tuus fortis, zelotes, visitãs iniquitatem patrum in filios, in tertiam & quartam generationem eorum, qui oderunt me, & faciens misericordiam in millia, his, qui diligunt me, & custodiunt præcepta mea.] Hac simplici denunciatione ostendens magnam esse horum mandatorum vim, quam omnes creaturæ clamant, omnis natura promulgat. Quis enim ipsa natura ductus primis principiis non assentiatur: Quis non videat summæ veritati credẽdum esse; in summa prouidentia, ac largitate sperandum; summamque bonitatem diligendam esse, & omni conatu mentis amandam? Postea verò manifestè, & iubendo promulgauit in veteri sanè scriptura, dicens. Crede Deo, & recuperabit te, & dirige viam tuam, & spera in illum.] Et statim. Qui timetis Dominum, credite illi, & non euacuabitur merces vestra. Qui timetis Dominum sperate in illum, & in oblectationem veniet vobis misericordia. Qui timetis Dominum diligite illum, & illuminabuntur corda vestra.] Et multò anteà in Deuteronomio. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo. In noua verò Scriptura sæpissimè. Nam de fide, hæc habemus. Creditis in Deum, & in me credite.] Et, Ite, docete omnes gentes, qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit.] At de spe admonet nos Paulus, vt expectemus beatam spem, & aduentum magni Dei, & Saluatoris nostri Iesu Christi.] Et Dominus, vt petamus, & accipiemus, & quæramus primum regnum Dei, & iustitiam eius.] De charitate verò, quoniam interrogatus Dominus de maximo, & primo mandato, respondit, mandatum hoc esse. Diliges Dominum Deum tum, cui simile est; diliges proximum tuum, sicut teipsum.] Hoc ideo, vt intelligamus, mãdata ista à cæteris præceptis seposita, finem esse, & scopum in cuius perfectionem alia mandata seruando cõscendimus, & laborem obseruationis reliquorum præceptorum dirigimus.

Exod. 10. *D. Thō. 2. 2. q. 122. art. 1.* *Exod. 20.* *Exod. 20.* *Eccles. 2.* *Deut. 6.* *Ioan. 14.* *Mar. vlt.* *Ad Titũ 2.* *Matth. 6. & 7.* *Matt. 22.*

Nunc dicimus, & sine vlla trepidatione dicimus, perfectionem in obseruatione præceptorũ decalogi, aut quorumlibet aliorum præceptorum moralium, nequaquam esse constitutam, imò neque in fide, etiam si tã firma sit, vt montes transferat, neque in spe, licèt tam sit stabilis, vt sine vlla hæsitatione, magna illa præmia nobis promissa, suo tẽpore, à remuneratore Deo, & speranti, & aliis iustis danda confidat. Solùm mandatum charitatis excipimus, de quo nihil in præsentiarũ affirmamus. Dominus certè Iesus Christus, huius, quod astruimus testis est locuples, qui adolescenti viam æternæ vitæ interroganti, respondit: Viam esse, mãdata seruare, ea scilicet, quæ eidem iterum percontanti proposuit. Non homicidiũ facies, Non adulterabis, Non facies furtum, Non falsum testimonium dices: Honora patrem tuum, & matrem tuam, & diliges proximum tuum sicut teipsum.] Adolescenti autem intrepidè affirmanti, se omnia hæc à iuuentute seruasse, & iterum interroganti, quid sibi ad præmium cęleste asse-

Matt. 19.

quendam deesset, Dominus ipse, ait: Si vis perfectus esse, vade, vende, quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo, & veni sequere me.] Quasi diceret, perfectionem in sequela, aut imitatione sui, cuius gratia omnia vendenda sunt, non verò in custodia præceptorum moralium collocatam esse. Nam si in mandatis consisteret, cùm adolescēs dixit: Omnia hæc custodiui à iuuentute mea, quid adhuc mihi deest?] responderet Dominus: Nihil tibi deest, hæc faciens habebis, non denarium, id est, communem gloriam, sed thesaurum, id est, immensas gloriæ diuitias in cœlo. Aliquid autem, quod illi deesset adiiciens, & eius impletioni, non vitam æternam tantùm, sed immensum gloriæ pondus, aut thesaurum fælicitatis promittens, ; euidenter ostendit, in eo quod deerat, non in eo quod iam adolescēs impleuerat, perfectionem Christianæ vitæ, & veram sanctitatem mentis stare. Quare optimè, & subtiliter Thomas Aquinas, tam consilia, quàm præcepta moralia instrumentis perfectionis annumerat. Præcepta (inquit) ordinantur ad remouenda ea, quæ sunt charitati contraria, cum quibus scilicet charitas esse non potest: consilia autem ordinantur ad remouenda impedimenta actus charitatis, quæ tamē charitati, non contrariantur, sicut est matrimonium, occupatio negotiationum sæcularium, & alia huiusmodi.] Confirmatque ex Augustino, & Cassiano, qui aiunt. : Omnia hæc charitatis gratia suscipi, nō ergo in illis, sed in eo, ad quod tendunt, & cuius causa suscipiuntur, debemus perfectionis naturam, & substantiam constituere. Si enim aliud est medium, aliud verò finis, & scopus, quem medij subsidio, ac ministerio habere contendimus, Alia etiā sunt præcepta decalogi, quæ perfectionis impedimenta remouent, & alia est perfectio spiritualis vitæ, cuius gratia præceptorum custodia, peccata vitamus, & bonis virtutum moralium operibus inhæremus.

D. Thom. 2.2.q.184 art. 3.

August. in enchiri. c. 121. Cassia. co. 1.c.7.

De hac itaque scientia cælesti, quia Deo famulamur, perinde ac de aliis humanis disciplinis existimandum est. Hæ námque disciplinæ tribus cōstāt, principiis cuique notissimis, quæ statim in ipso scientiæ vestibulo addiscentibus proponuntur; pronunciatis, (quæ Philosophi cōclusiones vocāt) quæ ex principiis, tamquam riui ex fonte deriuantur; arcanis, quæ non omnes scientiæ vacantes assequuntur, sed illi dumtaxat, qui magno conatu, & attentissima consideratione in scientiæ acquisitionem incumbunt. Ita planè in scientia diuina (quo nomine hoc loco spiritualem vitam intelligimus) hæc eadē tria est inuenire. Principia sunt ea mandata quæ ad virtutes Theologicas pertinent. Deo esse credendū; in Deo spem esse collocandam, Deum, & proximum esse diligendum. Et optimè principiis comparantur, quia instar principiorū notissima sunt, & per seipsa ab intellectu assensum extorquent, sine eo quòd aliqua ratione, aut discursu comprobentur. Pronunciata sunt præcepta decalogi, quæ discursu quodam, licèt modico, & facili ex principiis deducuntur. Si enim Deus amandus est, vtique & colendus, & nomen sanctum eius reuerenter tractandum: Et si proximus est diligendus, vtique & non occidendus, & nulla iniuria, aut maledictione afficiendus. Arcanum, est ipsa perfectio, quæ in sanctissima Dei lege, præsertim in mandato dilectionis abscōdita est, tamquam thesaurus abditus in agro, quem non omnes ingredientes, sed agrum diligenter effodientes, laboribus, gemitibus, & suspiriis, inueniunt. Vide quā apertè hæc doceat Origenes. Propositis enim mandatis decalogi, hæc subiicit. Et forsiran ista sufficiūt. vt in principium (vt ita dicam) ingrediatur quis, non autem sufficiūt hæc, vel alia similia istis ad interiora vitæ introducere quemquam. Qui autem prætererit vnum mandatorum istorum, neque in principiū vitæ intrauit.] Vocat autē præcepta spiritualis vitæ principia, quia licèt ad priora mandata fidei, spei, & dilectionis comparata, media sint, tamen initium præbent, vt homo ingrediatur ad interiora velaminis, & perfectionē assequatur. Quin & Basilius pietatis exercitationem, siue spiritualem vitam, scalæ à Iacob visæ comparat, cuius ima pars terram attingebat, suprema verò in cœlū vsque protendebatur. Vt sicut in illa scala gradus erat infimus, & gradus medius, gradúsque supremus, cœlo vtique proximus, ita in spirituali vita gradus infimus est; declina à malo, & non occides, non mœchaberis, non furaberis.] Gradus medius; fac bonum, & diliges proximum tuū sicut teipsum, & si quis te adegerit ad vnū milliare, vade cum illo & alia duo:] Gradus postremus est ipsa perfectio, quam, postquàm vitauerimus mala per bona opera (vt ipse beatus pater ait) ac per virtutum actiones consequimur. Quamobrem custodia mandatorum, velut certamē est, in quo hostium exuuias accipimus, & mala omnia, id est peccata prosternimus. Perfectio autem est, quasi brauium (sic enim eam appellat Chrysostomus) quod pugnādo, & vincendo conquirimus. Quod ergo addiscentibus dicimus, qui optimum sui ingenij specimen præbent, vt scilicet vigilent, legant, interrogent, disputēt, laborent, quoadusque ad culmen scientiæ perueniant, subtilissima quæque cognoscant, & fiāt in sapientia famosi, id ipsum mandata seruantibus inculcandum est, vt scilicet leuia quoque peccata fugiant, seipsos vincant, affectus componant, virtutes exerceant, profundæ orationi se tradant, humana contemnant, cœlestia cupiant, diuinæ charitatis se seruos captiuos, & amatores ostendant, vt his quasi scalaribus ad altiorem statum puritatis promoti, tandem euadant sancti, Christo simillimi, ac planè perfecti.

Orig. tra. 8. in Mat.

Basil. ad Psal. 1. in illud: sed in lege Domini.

Chrisost. hō. 65. in Matth.

In custodia enim præceptorum decalogi, perfectionem suam iusti, & Deo consecrati homines constituere non debent, quam custodiam (vt communis est Theologorum sensus) non solùm sine perfectione, verùm etiam sine vita spirituali, hoc est, sine gratia, & charitate, quoad præceptorum substantiam, atque naturam tenere possunt. Nam, & homo aliquo graui crimine infectus, potest, iuuante Deo, debitum ei cultum interdum, impendere, non nisi cum tribus comitibus, iustitia, veritate, & iudicio nomen diuinum assumere, & in diebus Deo cōsecratis à seruilibus, & prohibitis operibus abstinere potest, & charos honorare parentes, nō occidere, non mœchari, non alienum surripere, nō falsum in aliquem testimonium dicere, potest, & cor suum ab illicito, aut vxoris, aut rei alienæ desiderio cohibere. In his etenim præceptis opes religionis, aut iustitiæ præcipitur, & iniuria proximi interdicitur, non autem quòd hæc in gratia, & Dei amicitia fiāt, aut quòd ex charitate, aut in finem charitatis seruentur, nobis virtute eorum præceptorum iubetur. Quæ ergo perfectio esset, quæ sanctitas, aut mentis puritas, ea solùm seruare quæ omnibus in communi seruanda proponuntur, & quæ sine mentis puritate possēmus non trāsgredi, & sine nouo peccato, vtcumque seruare? Eadem autem ratio est fidei, & spei, & aliorum præceptorum, prærerquàm præcepti charitatis, quo supernaturali, & efficaci amore Deum propter se ipsum amamus, & propter Deum fratrem diligimus. Hoc namque mandatum sine vita spirituali custodire non possumus, reliqua verò moralia, quæ actum alicuius virtutis præcipiunt à charitate distinctæ,

D. Tho. 1. 2. q. 100. art. 10.

sine

sine gratia, & charitate custodimus. Si verò Dominus adolescenti dixit: Si vis ad vitam ingredi, serua mandata; non de præceptis tantùm decalogi, sed de omnibus generaliter præceptis edixit. Quorum vnum est charitatis Dei, & proximi mandatum. Quod qui cum omnibus aliis custodierit, absque dubio vitam æternam accipiet. Habemus ergo quorũcumque præceptorum custodiam, si solùm intra præcepti metas se contineat, nos quidem pœnis æternis eripere, & bonos, ac Dei amicos facere, non tamen perfectos efficere. Perfectio quippe altior res est, quàm vt à solis præceptis, aut à solis consiliis pendeat, cùm sit finis omnium præceptorum, & vniuersorum consiliorum scopus, propter quam consequendam, tam præceptis, quàm consiliis seruandis insistimus. In id enim obseruatione diuinæ legis, & sacrificiorum indebitorũ oblatione tendimus, vt præmium æternum adipiscamur, quod omnes prædestinati adipiscentes, perfectioné etiam, ac sanctitatem assequentur. Itaque eorum quidam adhuc in vita mortali, quemdam haustum vitæ æternæ, id est perfectionem inchoatam gustant. Alij autem, qui negligentiùs viuunt, & tardiùs currunt, saltem in fine vitæ, & ingressu regni, post purgatorij pœnas sustẽtatas, & omnimodam leuium defectuum purgationem acceptam; perfectionem consummatam, & absolutam accipient. Fælices, profectò, qui sanctitatem præceptorum, & consiliorum custodia quærunt, licet numquam ad eam in hac vita perueniant, quia saltem in alia vita, quæ vere vita est, non fraudabuntur à desiderio suo: sed longe fæliciores, qui in hac mortalitate adhuc positi, perfectionem promerentur, quorum maior est erga Deum fidelitas, erga proximos vtilitas, & erga seipsos ascendendi facultas. Intrabunt sanè non in quodcumque gaudium, sed cum sanctis, ac magnis viris, qui seipsos, & omnia terrena vicerunt, in maximum, atque incomprehensibile gaudium Domini sui.

Matth. 19.

Perfectionem consistere in charitate Dei, & proximi.

CAPVT VII.

VBi iam inueniemus pulcherrimã perfectionis margaritam, quam in tam pretiosis Christi sponsi thecis inuenire, necdum valuimus? Vbi sponsam charissimam reperiemus, in cuius amplexu inseparabili, posita est vera & tota spiritualis vitæ fœlicitas? Quis ostendet nobis locum sapienti? Quis monstrabit sedem intelligentiæ? Quis aperiet, vbi pascat, vbi cubet in meridie, ne vagari incipiamus, aut prosequamur post greges tantùm sodalium eius, hoc est, post aliis virtutũ actiones, quæ reficere aliquantulum possunt; ducere nos ad reginam, & sponsam tantis laboribus quæsitam possunt, sed omnino satiare, & inebrietate non possunt. Certè in eo quærenda, & inuenienda est, quòd & gratia sit, & consilium sit, & præceptum sit & finis sit, ac scopus omnis gratiæ, cunctorum consiliorum, ac vniuersorum præceptorum. Hæc est charitas (ô magna res, ô pretiosa gemma, ô eximia, atque incredibilis pulchritudo) qua Deum propter semetipsum amamus, & propter ipsum Deum omnes fratres, sine vlla exceptione, diligimus. Charitas, inquam, quæ à gratia nos faciente Deo gratos, numquam potest separari. Ideo autem sancti doctores in perfectionis definitione, potiùs charitatis, quã gratiæ meminerunt, quoniam gratia solùm habet ani-

A mæ essentiam perficere, & Dei participem facere, charitas verò potentiam voluntatis exornat, ad operandum benè, ac studiosè, & ita, vt opus meritorium sit, opera autem præcipuè perfectio requirit, & non ad nudam vitam animæ, sicut gratiæ donũ ordinatur. Charitati competit, quòd gratia sit, quoniam eam non sterilis vulua naturæ peperit, sed fœcundissimus Spiritus sancti vterus procreauit, dicẽte Apostolo. Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.] Rom. 5.
Charitati competit, quod præceptum sit: Quæ omnes obligat, vniuersos astringit, & in nullius, qui saluari velit, libera voluntate relinquitur. Nam hoc
B est maximum, primũmque mandatum: Diliges Dominum Deũ tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua. Secundum autẽ, simile est huic: Diliges proximum tuum sicut teipsum.] Matt. 22
Charitati competit, quod consilium sit: Nam ineffabilis bonitas Dei, quæ optimè nouit figmentum nostrum, ad communem tantùm amorem nos adegit, vt scilicet nihil Deo præponamus, & eius mandata seruemus, eximium autem Sanctorum amorẽ, quo sæculo renunciant, seipsos omni creaturæ subiiciunt, & abiectis curis temporalibus, solum Deum cogitant, cum illo iugiter conuersantur, & illum solum concupiscunt, vt finem, quò perueniendum est, nobis proposuit, & sub consilio reliquit. Charitati denique conuenit, quod finis sit, quoniam peccata
C vitanda sunt, ne charitatem perdamus, sensus, & affectus cohibendi, vt charitatem tutam, & à tentationibus liberam habeamus; virtutes sectandæ, vt charitatem augeamus; oratio, & contemplatio frequentanda, vt charitatem expleamus; & omnia consilia, & præcepta seruanda, vt ad perfectionem charitatis tãdem veniamus. Quod apertè docet Paulus, dicens: Finis præcepti est charitas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta.] Charitas ergo, quæ cor ab omni criminis contagione purgat, & conscientiam omnium mandatorum obseruatione purificat, & fidem puram illibatámque conseruat, est omnium bonorum operum, omnium sanctorum laborum scopus, atque adeo ipsa est animæ nostræ 1. Tim. 1.
D sanctitas, atque perfectio.

Sed quo pacto persuadebimus, charitatem, animæ perfectionem & sanctitatem esse? Certè nullo negotio, si eandem esse naturam & qualitatem charitatis, & perfectionis astruamus. Perfectio enim alicuius partis ea est profectò, qua pars suo fini copulatur. qua cum reliquis partibus aptè cohæret, qua rei nihil deest, & omnia sibi necessaria habet; & quam eunctis suis actionibus, tamquam quibusdam motibus, assequi concupiscit. Hæc omnia habet charitas adeò perfectè, vt illi soli in hac vita competant, & nulli alij, aut dono, aut virtuti conueniant. Nam cùm quilibet nostrum pars quædã Ecclesiæ sit, charitas est, quæ iungit nos Deo, tamquam omnium rerum fini, charitas est, quæ nos proximis. tamquam
E partibus copulat, si eam habeamus, omnia possidemus, illamque veluti fructum, & finem omnium operum, & laborum respicimus. In ea igitur omnis nostra perfectio consistit.

Finis noster in quem tendimus. Deus est, qui dicit de se ipso: Ego sum ἄλφα & ὠμέγα principium, & finis.] Charitas autem vnit nos Deo, Nam qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo,) iungit ergo nos vltimo fini, cui iuncti, & vniti totius sanctitatis fonti, & totius iniquitatis consumptori, quid ni simus sancti, atque perfecti? Audi Bernardũ apertè proclamantem, iustorum animas Deo, non alio quàm charitate coniungi. Iam verò (inquit) Apoc. 1. 1. Ioan. 1. Bernard. ser. 83. in Cant.

animæ

animæ reditus, conuersio eius ad Verbū reformandæ per ipsum, conformandæ ipsi, In quo? In charitate. Ait enim: Estote imitatores Dei, sicut filij charissimi, & ambulate in dilectione, sicut & Christus dilexit vos.] Talis conformitas maritat animam Verbo, cum cui videlicet similis est per naturam, similem nihilominus ipsi se exhibet per volūtatem diligens sicut dilecta est. Ergo si perfectè diligit, nupsit, quid hac conformitate iucundius? quid optabilius charitate? qua fit, vt humano magisterio non contenta per temet, ô anima, fiducialiter accedens ad Verbum, Verbo constanter inhæreas, Verbum familiariter percuncteris, consultésque de omni re, quantùm intellectu capax, tantùm audax desiderio. Vere spiritualis sanctique connubij contractus iste; Parum dixi contractus, complexus est, complexus planè, vbi idem velle, & nolle idem, vnum faciat spiritum de duobus.] Si charitate anima Deo nubit; si charitate, non iam per alios, sed per seipsam ad Deūm accedit; si charitate Deo adhæret, si affectuum brachiis ipsum astringit, & Deum (quod in ipso est) numquam separanda complectitur, quid illi deerit, vt ad fastigium virtutis, id est, ad perfectionem ascéderit? De ea quidem secundùm tropologiam intelligitur illud Isaiæ: Glutino bonum est.] Nam optimum est hoc charitatis glutino animam se Deo vnire, quod (si eius naturam, aut vires inspiciamus & à militia prauæ voluntatis disiungamus) numquam animam à suo vltimo fine separari permittet. Quid námque hoc tenacius glutino (inquit Bernardus) quod nec aquis eluitur, nec ventis dissoluitur, nec scinditur gladiis? Denique aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem. Tenui eum, nec dimittam.] Et sanctus Patriarcha: Non te dimittam, nisi benedixeris mihi.] Ita ista non vult eum dimittere, & fortè magis quàm Patriarcha id non vult, quia nec pro benedictione quidem. Siquidem ille benedictione accepta, dimisit eum; hæc autem non sic. Nolo, inquit, benedictionē tuam, sed te. Quid enim mihi est in cœlo, & à te quid volui super terram?] Cum ergo charitas secundùm naturam suam, amicitia quædam sit hominis ad Deum, & vinculum quoddam Dei, & hominis super aliquam cōmunicationem fundatum: & cùm Deus sit vltimus finis hominis, manifestū est, quia primam perfectionis qualitatem habet, quæ est, rem perfectam suo fini copulare, & vltimo humanæ vitæ scopo coniungere.

Ephes. 5. *Isa. 41.* *Bernard. ser. 79. in Cant.* *Gen. 32.* *Psal. 72.*

Membra autem capitis nostri Christi, & corporis Ecclesiæ, proximi nostri sunt. Omnes enim vnum corpus sumus in Christo: omnes audimus: Vos estis corpus Christi, & membra de membro.] Qui nos persequebatur, voce Christi percutitur: Saule, Saule quid me persequeris?] At charitas est, quæ nos vnit etiam cum his Ecclesiæ membris, & causa est, vt nostrum locum teneamus, nec alienam sedem occupemus. Vt enim Dionysius Areopagita ex amatoriis hymnis Hierothei, ait: Amor, siue diuinus, siue angelicus, siue spiritualis, siue animalis, siue naturalis, virtus vnitiua est, superiora ad inferiorū mouens prouidentiā, & æqualia ad socialem cōmunionem adigens; Sicut ergo nos vnit Deo, ita etiam proximis copulat, & ad seruandum locum nobis congruum in Ecclesiæ corpore, siue inferiorem, siue superiorem, pro exigentia nostri status, aut dignitatis, suauiter, & potenter impellit.] A charitate profectò dimanat, vt multitudinis credētium sit cor vnum, & anima vna.] Ipsa facit, vt cum infirmo, infirmemur; cum scandalizato, vramur: de bonis fratris gaudeamus, & de malis, ac miseriis tristemur: & alios, quamtumuis, aut loco, aut sanguine, aut conditione à nobis dissitos, non alienos, aut separatos, sed vnitos, & ad nos

1. Cor. 12. *Actor. 9* *Dion. lib. 6. de diu. nom. c. 4. p. 2.* *Act. 4.*

A pertinentes existimemus. Quare, sicut charitas animæ Deo comparata, gluten est, quod eam ipsi Deo mirabiliter agglutinat; ita quoque proximis comparata glutinum est, & præcipuum, quod animam charitate illinitam fratribus copulat, & quasi inseparabiliter iungit. Verissimè Richardus Victorinus, ait. Hoc glutino virum virtutis, non tantùm Deo vniri; sed sibiipsi etiam & proximo. In se (inquit) per amorem vnus efficitur, dum se intra se recolligens, & reductis affectibus cunctis, à locis, quibus captiui tenentur, solum vnum incommutabiliter amat, nec amplius in diuersa mutatur. Paratus enim per amorem in plura, numquam inuenitur vnus, vel idem, sed semper sibiipsi dissimilis, quia toties variari co-
B gitur, quoties quod amat, variatur. Proximo etiam per charitatem vnitur homo, dum non solùm sine querela, quantum in ipso est, idem omnibus studet effici, sed & omnium successibus coaptari; Gaudere cum gaudentibus, & flere cum flentibus, infirmari cum infirmantibus, & cum scandalizatis vri, iuxta quod scriptum est: Socius in tribulatione, & regno.] Anima itaque charitate vacua, est veluti corporis pars ab aliis partibus præcisa, & separata: Quā licèt fides sola, vtcumque vniat, & membrum Ecclesiæ mortuum faciat, tamen (quod attinet ad participationem vitæ) odium, & mala voluntas separat, & ab aliorum membrorum consortio disiungit Anima verò charitatis, & sanctæ dilectionis plena, est quasi
C pars in suo loco collocata, aliis partibus iuncta, optimè reliquis membris Ecclesiæ cohærens, & cum eis vnum viuum Christi corpus, & quod amplius est; vnum cor, & vnum spiritum efficiens. Hanc pretiosam vnitatem Christus à Patre postulauit, cum pro suis discipulis oratione completa, hæc verba subiūgit. Non pro eis rogo tantùm, sed pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me, vt omnes vnū sint, sicut tu Pater in me, & ego in te, vt & ipsi in nobis vnum sint.] Vnitatem petit Dominus, nō quidem naturalem, qua omnes adinuicem, & cum Deo vna persona efficiamur, quod tamquam repugnans fieri nō potest, sed vnitatem spiritualem charitatis, qua vniuersi, idem sentiamus, idem sapiamus, idem intelligamus, & simus in sensu, & voluntate cō-
D cordes. Qua etiam Patri, & Christo, ac Spiritui sancto, sicut viua membra vniamur, & in eo vno Deo nostro maneamus Qui enim manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. Bene; atque perfectè igitur est animæ ornari charitate quæ eam viuificat, & principio ac fini suo, scilicet Deo, & reliquis membris, scilicet proximis, congruenter, aptéque coniungit.

Richar. de grad. charit. c. 30. *Ioan. 17.* *1. Ioan. 4.*

Si verò perfectio est, cuius causa rei perfectæ nihil deest, quia omnia bona necessaria secum affert, id ipsum habet charitas, vt scilicet mentem, quam possederit, omnibus bonis amplificet, atque in eam cuncta dona cælestia, & vniuersas virtutes inuehat. Sicut enim reginam nobilissimā ancillæ, & pedissequæ comitantur, & aulicorum, ac nobilium turba
E circundat, & numquam incomitatam, solamque relinquunt: Ita charitatem, quæ potentissima regina virtutum est, & verè regina, quæ mentem regit, affectus gubernat, desideria moderatur, actiones dirigit; aliæ virtutes infusæ assectantur, Spiritus sancti dona cingunt, & spiritualia charismata sepiūt. Nulla mens charitatem habitatricē habet, quę non prudentia fulgeat, iustitia resplendeat, fortitudine gaudeat, & temperantia voluptatibus terrenis emineat. Si enim, qui diligit, legem impleuit,] & lex sine omnium virtutum exercitatione impleri nō potest, manifestum est, quia dilectionis possessor, omnes etiam

Rom. 13.

virtutes,

virtutes possidet, vt præceptis omnibus satisfaciat, & omnem legem, vniuersarum virtutum actus imperantem, adimpleat. Certè ita natura comparatū est, vt principium aliquarum actionum organa habeat, quibus illas actiones perficiat. Quare animæ, quæ fons est operum vitalium, instrumenta cōcessa sunt; visus ad videndum, auditus ad audiendum; olfactus ad olfaciendum, gustus ad gustandū; tactus ad contrectandum; imaginatio ad cogitandum; intellectus ad cognoscendum, voluntas ad amandū, & reliquæ vires huiusmodi, quibus opera vitæ propria facilè eliciat. Charitas autem principium est omnium bonorum operū, quorum virtute in Deum finem nostrum dirigimur, illam verò virtutes reliquæ sequi debent, vt ipsarum ministerio, singula virtutū opera suauiter præstet. In quam sententiam rectè dixit Augustinus. Sicut radix omnium malorum est cupiditas; ita & radix omnium bonorum est charitas. Totam magnitudinem, & latitudinem diuinorū eloquiorum possidet charitas, qua Deum, proximumq; diligimus.] Et quibusdā interpositis apertiùs. Quapropter, fratres, sectamini charitatem, dulce, ac salubre vinculum mentium, sine qua diues pauper est, & cum qua pauper diues est. Hæc in aduersitatibus tolerat, in prosperitatibus tēperat, in duris passionibus fortis, in bonis operibus hilaris, in tentatione tutissima, in hospitalitate lautissima, inter veros fratres lætissima, inter falsos patientissima. In Abel per sacrificium grata: In Noë per diluuiū secura, in Abrahæ peregrinationibus fidelissima; in Moyse inter iniurias lenissima; in Dauid tribulationibus mansuetissima; in tribus pueris blandos ignes innocenter expectat; in Machabæis sæuos ignes fortiter tolerat: Casta in Susanna erga virum: in Anna post virum, in Maria præter virum.] Et alio loco perspicuè docet, charitatem quatuor virtutes continere, quas sine aliarum lætissimo choro, nullus inueniet.

Aug. ser. 39. de tempore. — *Aug. ser. 46. de tempore Per tinum.*

At charitas nō solas virtutes omnes habet comites, sed dona quoque Spiritus sancti menti inseparabiliter tribuit. Quicumque enim veræ charitatis est particeps, in rebus saltem necessariis, & sine quibus æterna salus stare non potest, omnium istorum septem donorum in se sentit actiones. Sapientia quidem, diuina collustrat; intellectu, fidei arcana penetrat; cōsilio, creatoris ductui se subiicit; scietia, agenda, & omittenda perspicit, fortitudine, difficultates aggreditur, pietate, Dominū suum colit; & timore, ineffabilem maiestatē filiali quodam, ac trepido honore prosequitur. Et cùm Spiritus sanctus in nobis per charitatem habitet. (Nam charitas diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum. qui datus est nobis,) dona sua quæ numquam deserit, nec à se auelli permittit, in mentem, quam sui domiciliū fecit, largiter infuit, quibus eam mouet, & ab amore rerum labentium, & periturarum abducit. Hoc secundùm Gregorium filij Iob se inuicē inuitantes in domo charitatis designabāt, & simul cunctis diebus comedentes portendebant, dona videlicet ista sibi inuicem, & charitati virtutum præcipuè esse connexa. Nam si (vt ipse ait) minor est sapientia, si intellectu careat, & inutilis intellectus, si ex sapientia nō subsistat, vile consilium, cui robur fortitudinis deest, & valde fortitudo destituitur, nisi per consilium fulciatur; nulla scientia, si vtilitatem pietatis non habeat, & inutilis pietas, si scientiæ discretione careat; & timor quoque nisi has virtutes habuerit, ad nullum opus bonæ actionis surgit:] Si hæc, inquam, ita sunt, liquet; quoniam hæc dona, quæ à Deo profecta, perfecta sunt, nunquam à se inuicem, aut à charitate separantur, sine cuius motu nullus eorum, aut sine aliorum adiumento debitam sibi perfectionem tenet, & debitum splendorem actionis emittit.

Rom. 5. — *Gregor. 1. mor. c. 25.*

Sed quid mirum, si habenti charitatem omnes virtutes, & omnia dona nō desunt, cui vel ipse Deus (ô res admirabilis, & omni stupore digna!) incola, & habitator non deficit? Si quis diligit me (ait) sermonem meum seruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & māsionem apud eum faciemus.] Quid est, Pater meus diliget eum, nisi ei hoc bonum præstantissimum volet, & misericorditer tribuet, vt adoptione sit filius Dei? Nā quotquot fide viua, & charitate informata receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri.] Et quid est, Ad eum veniemus, Nisi Pater, & ego, & Spiritus sanctus hūc à nobis dilectum gratia donabimus, donis ornabimus, virtutibus cohonestabimus, & semper in eo tamquam in filio mirabilia operabimur? Qui enim spiritu Dei aguntur, hi sunt filij Dei?] Vnde Augustinus pulchrè. Veniunt Pater, Filius, & Spiritus sanctus subueniendo, venimus obediendo, veniunt illuminando, venimus intuendo, veniunt implendo, venimus capiendo.] Et quid est, Mansionē apud eum faciemus?] nisi in eo intimè, & (si ita loqui liceret) præsentialiter habitabimus, non iam per essentiā tantùm, & conspectum, & potentiam, sicut in cæteris rebus, sed speciali quadā ratione, sicut est Deus in tēplo sancto suo, vbi iugiter adoratur, & colitur; sicut hospes in hospitio suo, quod magno desiderio, & longo itineris ductu quæsiuit: sicut olitor in horto suo, à quo tribulos vitiorū, & spinas peccatorum euulsit, & arbores fructiferas donorum, ac virtutum seuit; sicut magister in schola sua, in qua docet hominem scientiam, non quæ inflat, sed quæ mentem ædificat, sicut sponsus in lecto suo, vbi cum sponsa sibi dilecta, quietissimè dormit, & purissimè requiescit, & tandem sicut pretiosa gemma in annulo suo, à quo non pulchritudinem accepit, sed decorem & splendorē impertit. Dilectio (inquit sanctus Pater Augustinus) sanctos discernit à mundo, quæ facit vnanimes habitare in domo. In qua domo facit Pater & Filius mansionē, qui donant & ipsam dilectionem, quibus donent in fine suam manifestationem.] Et multis interpositis, addit: Ne quis porro existimet, Patrem tantummodò, & Filium, sine Spiritu sancto apud dilectores suos facere mansionem, recolat, quod superiùs de Spiritu sancto dictum est. Quem mundus non potest accipere, quia nō videt eum, nec scit eum, vos autem cognoscetis eum, quia apud vos manebit, & in vobis erit.] Ecce facit in sāctis cum Patre, & Filio, Sanctus etiam Spiritus māsionem.] Beatus, apud quem Pater habitat, in quo Filius commoratur, & Spiritus sanctus mansionem facit. Beatus planè, quem Patris potentia sustinet, Filij sapientia docet, Spiritus sancti bonitas ab omni malo, & aduersitate custodit. Beatus, quem Deus sibi in domicilium, ac sedem elegit, quoniam non iam terrenus, sed verè cælestis est, cùm scriptum sit, Quia cœlum mihi sedes est, terra autem scabellum pedū meorum. Qui ad hanc dignitatem inhiat, diligat iustitiæ opera, & signa suę dilectionis exhibeat, quibus seipsum, quietā sedem Christo offert: in qua ipse libentissimè sedet, & hilariter requiescit. Quare scitè admonet Bernardus: Quis ex vobis est, fratres, qui desiderat in anima sua sedē parare Christo? Ecce quæ nam illi serica, quæ tapetia, quod puluinar oporteat præparari. Iustitia, inquit, & iudicium præparatio sedis tuæ.] Iustitia virtus est, quod suum est, vnicuique tribuēs. Tribue ergo tribus, quæ sua sunt. Redde superiori, redde inferiori, redde æquali, cuique quod

Ioan. 1. — *Rom. 8.* — *August. tr. 78. in Ioā.* — *Aug. tra. 76. in Ioā.* — *Isa. 66.* — *Bern. ser. 5. de aduentu.* — *Psal. 88.*

debes,

debes,& dignè celebras aduentū Christi parans ei in iustitia sedem suam.] Ista iustitiæ opera, sunt certissima charitatis indicia, quæ Domino sedem parant, & domum ornant,& mundant, vt per charitatem in nos veniat, & tamquam in proprio conclaui commoretur.

Iam nihil possumus dicere,quod huius comparatione aliquid sit.Quid enim amplius?Quid maius? Quid nobilius mēs humana excogitare potest, quā ipsum Deum in suum ius ac possessionem vendicare? Quid honorabilius, aut ditius, quàm toto ore dicere, & toto corde experiri, quod in Exodo cecinit Moyses,sequente, & respondente vniuerso cætu filiorum Israël.Iste Deus meus, & glorificabo eū; Deus patris mei, & exaltabo eum?] Sed tamen si non maius,saltem aliud,& quidem magnum, & excellens dicamus. Charitatem scilicet,non solas virtutes,non sola Spiritus sancti dona, non solum Deū nobis tribuere,vt verè dicamus nihil nobis deesse; sed etiam in nostrum dominium transferre vniuersa bona proximorum (parum est hoc) etiam vniuersa bona Dei. O ingentes opes, ô magnæ diuitiæ, ô thesauri incomparabiles, quæ si non Dei possessionem magnitudine vincant, aut æquent, at saltem quæ mirum in modum fulgeant, atque resplendeāt! Hoc autem gentes clamant, sacræ paginæ affirmāt. Patres prædicant, ratio persuadet. Gentes clamant; quoniā si gentium prouerbium est, amicorum omnia communia; qui per charitatem amicus est Dei, amicus est & omnium tam Angelorum, quàm hominum,huius amicitiæ causa in omnium bonorum, tam Dei,quàm creaturarum(& hæc bona Dei sunt) possessionem,ac participationem admittitur. Sacræ paginæ affirmāt; nā, si non affirmarēt, non diceret Paulus:Omnia vestra sunt,siue Paulus,siue Apollo, siue Cephas, siue mundus,siue vita, siue mors, siue præsentia, siue futura; omnia enim vestra sunt, vos autem Christi.] Quia, inquam, vos per charitatem Christi estis, tum amici, tum serui, ideo omnia vestra sunt, vestro nimirum iuri,ac possessioni subiecta, vt cum eis omnibus Christo subiiciamini.Patres prædicant: sed prolixum esset satis omnes recēsere; vnum, aut alterum in medium adducamus. Vnus sit Gregorius, qui de inuidis loquens, sic ait. Quid istis infælicius, quos dum conspecta fælicitas afficit, pœna nequiores reddit? Aliorum verò bona,quæ habere non possunt, si diligerent, sua facerent. Sic quippe sunt vniuersi consistentes in fide, sicut multa membra vno continentur in corpore, quæ per officium quidem diuersa sunt, sed eo quòd sibi vicissim congruunt, vnum fiunt. Vnde fit, vt pes per oculum videat, & per pedes oculi gradiantur; ori auditus aurium seruiat,& ad vsum suum auribus oris lingua concurrat; suffragetur venter manibus, ventri operentur manus. In ipsa igitur corporis positione accipimus, quod in actione seruemus. Nimis itaque turpe est, non imitari, quod sumus Nostra sunt nimirum, quia etsi imitari non possumus, amamus in aliis, & amantium fiunt, quæ amantur in nobis.Hinc ergo pensent inuidi,charitas quantæ virtutis est,quæ alieni quoque laboris opera nostra facit sine labore.] Alter sit Leo Papa in hunc modum scribens. Cùm igitur, & omnes simul, & singuli quique fidelium,vnum idémque Dei templum sint, sicut perfectum hoc in vniuersis; ita perfectum debet esse in singulis; quia etsi non eadem est membrorum omnium pulchritudo, nec in tanta varietate partium, meritorum potest esse parilitas; communionem tamen obtinet decoris,connexio charitatis. In sancto enim amore consortes, etiamsi non eisdem vtuntur gratiæ beneficiis, gaudent tamen inuicem bonis suis, & nōn potest ab eis extraneum esse, quod diligunt,quia incremento ditescunt proprio,qui profectu lætantur alieno.] Tertius sit Rupertus de his agens, qui parum profecerunt, vt in ore duorum & trium testium, stet omne verbum. Non sunt (inquit) carne virgines, sed bonum virginitatis in te, ô Beata Maria, diligendo suum faciunt. Non alia præter te genuit regem Salomonem,regem tam magnum, tam magnificum, sed illæ diligendo in te, hoc tam grande priuilegiū, regis eiusdem matres fiunt.Item non sunt martyres, neque sufficiunt inter fortes præliari, & pro amore regis Salomonis fundere sanguinem suum,sed martyres diligunt, & diligendo illos, gloriam eorum suam faciunt. Amplius dicam. Non sunt dij, sed diligendo Deum, dij, vel filij Dei sunt, sicut scriptum est: Ego dixi Dij estis, & filij excelsi omnes.] Ratio tandem persuadet: Quoniam si ea nostra sunt, quæ nobis tamquam propria famulantur; profectò, si amamus Deum,si diligimus proximos, omnia bona eorum nostra sunt, quæ amantis vtilitati subseruiunt. Quod autem vsui nostro seruiant, audi Paulum dicentem:Diligentibus Deum omnia cooperātur in bonum.]Certè, si voluntas non ficta, sed vera, & efficax pro opere reputatur; amor cuiusque virtutis,& cuiusque meriti aliorum, quo videlicet amore illam virtutem,ac meritum in alio diligimus, & nos (si facultas daretur) idem præstare vellemus, quid ni pro ipso facto, aut saltem pro magna eius parte reputetur? Et,si ista est omnis dominij,& possessionis vtilitas,rebus nostris vti, prout nobis fuerit congruentiùs; quis ambiget omnia amicorum bona esse diligentis, qui ex eis non iam temporale commodum (quod valde exiguum est) sed spirituale emolumentum, & semper mansurum reportat? Si ergo charitas, & Deum, & omnia bona creata in amantis ius,ac possessionem transfert, quid quæso amanti deficiet,quò minùs omnino perfectus existat? Quo indigebit, qui Deum habet? Quo carebit,qui omnes virtutes, & omnia bona in sinu sui cordis recondit? Quanam re priuabitur, cuius sunt vniuersæ proximorum opes, atque diuitiæ? Quid deerit illi, qui omnia ita possidet vt modò velit, numquam eorum omnium possessionem amittat?R vera,si nihil vero Dei,& proximorum amatori deest ille reputandus est in virtute perfectus.

Nec postrema perfectionis qualitas à charitate abest,vt scilicet sit tamquam finis,quem omnibus bonis actionibus assequi cupimus: Nā reliqua charitati militant, & ea ratione præstanda sunt, quatenus charitati seruiunt, si verò ei officiant, quamuis magna,quamuis pretiosa, quamuis nobilia, penitus relinquenda. Nam quis non relinquat, quæ vitam tollunt, & mortem afferunt, licèt vtilia, & optima appareant? At charitas gratiæ subnixa,animæ vita est,qua viuimus, qua vegetamus, qua ad meritum operamur. Abijciantur igitur omnia, quæ vitam hanc destruunt,& quæ illam conseruant, & promouent,teneātur. Dicat nobis Augustinus quo pacto in vita Christiana, sed præcipuè in professione religiosa,quæ vitæ Christianę purissima est pars, omnia charitati seruire debēt.Charitas(inquit)præcipuè custoditur, charitati victus, charitati sermo, charitati habitus,charitati vultus aptatur: coitur in vnam conspiratúrque charitatem, hanc violare tāquam Deum nefas ducitur,huic si quis resistit, expurgatur, atque vitatur, hanc si quis offendit, vno die durare non sinitur. Sciunt hanc ita commendatam esse à Christo,& Apostolis,vt si hæc vna absit,

inania

Marginal notes: Exod. 15. — 1. Cor. 3. — Greg. 3. p. past. admonit. 11. — Leo ser. 10. quadrages. — Rup. Cāt. 3. in illud Media charitate constrauit. — Psal. 81. — Rom. 8. — Aug. lib. de moribus Eccles. c. 33. circa fin.

inania, si hæc adsit, plena sint omnia.] Testimonium hoc verissimum est. Quoniam nihil religio Christiana, aut professio religiosa non respuit, quod charitati aduersetur, quod amori diuino, aut fraterno repugnet, quæ verò charitatem augent, dilectionem aduersùs Deum, & fratres conseruant, ea studiosa iudicat, vtilia existimat, & tamquam sancta, & pura complectitur. Regula itaque omnium bonarum actionum charitas est, quæ mortificationem dirigit, corporis afflictionem, cùm opus est, vrget, cùm discretio requirit, moderatur, quæ virtutum moralium medium præscribit, quæ inter occupationem, & orationem tempus distribuit, quæ quodcumque aliud opus dimetitur, & si congruum sibi, non reperit, non arroganter, sed sapienter, vt inutile, noxium, que contemnit. Nónne cuncta, quæ ad agriculturam pertinent, ad fructus colligendos tamquam ad finem, & scopum reuocanda sunt? Vnde fructus sunt veluti regula, & norma eorum, quæ ad terræ culturam, aut facienda sunt, aut vitanda. At charitas Dei, & proximi fructus est omnis spiritualis laboris, quo terram nostri cordis excolimus. Fructus autem spiritus (inquit Paulus) charitas, gaudium, Pax,] Et Augustinus. Charitas est fructus noster, quam definit Apostolus, de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta.] Hac diligimus inuicem, hac diligimus Deum, neque enim vera dilectione diligeremus inuicem, nisi diligentes Deum.] Si charitas fructus est, profectò spiritualis vita eam tamquam regulam respicit, eam finem, & scopum aliarum bonarum actionum agnoscit. Corporis maceratio, silentium, solitudo, proximorum conuersio, prædicationis munus, oratio, & meditatio, folia sunt, vel certè charitatis instrumenta, necessaria quidem, vt fructus charitatis nō pereat, & natiuum decorem retineat: Charitas verò aliis omnibus comparata, est suauissimus fructus. Ne fructum perdamus, vt folia, aut instrumenta agricolationis seruemus sine quo, nec ipsa folia, aut instrumenta permanebunt. Quia amisso charitatis robore, omnia ruūt, & suam vim, & splendorem abiiciunt. Si ergo charitatis, & perfectionis eadem est natura, & sicut ista, ita & illa, suum finem consequitur animus, suum locum occupat, omnibus bonis ditatur, & ad eam tamquam ad finem in omni actione spiritualis vitæ dirigitur, manifestum est, quia non in alio quàm in charitate, tota perfectionis natura essentiáque consistit. Sed, quia in gemina charitate perfectionem esse diximus, altera aduersùs Deum, altera aduersùs proximum, & quia non omnem charitatem perfectionis, & sanctitatis nomine dignam censemus, ideo inquiramus oportet primùm, quæ charitas Dei, deinde, quæ charitas proximis, ita absoluta, & nobilis sit, & hanc dignitatem sibi vendicet, vt suos possessores perfectos, & sanctos faciat, nomenque perfectionis obtineat.

Galat. 5. Aug. tr. 83. in Ioan.

Perfectionem non in amore concupiscentiæ erga Deum, sed in vera charitate amicitiæ consistere.

CAPVT VIII.

CHARITATIS nomē, qua Deū diligimus, latum admodū est, variasq; notiones habens, quæ in mediū proferēdæ sunt, & sigillatim explicandæ, ne eam, quæ pertinet ad perfectionis naturam ignoremus, & vnam dilectionē pro alia substituētes, in vera perfectionis adeptione fallamur. Ac primò charitas naturalis, quæ Deum auctorē naturæ diligit, in quocumq; statu fuerit possibilis, ab hac tractatione reiicienda est, quæ perfectionem animæ supernaturalem, gratia & specialibus auxiliis paratam, & nos in magnæ gloriæ cumulum inferentem, inquirit. Charitas verò supernaturalis, siquidem amor Dei esse definitur, duplex est, (nunc autem aliquantulùm latè nomine charitatis vtimur) altera concupiscentiæ; altera amicitiæ. Charitas cōcupiscentiæ, aut amor concupiscentiæ (vt propriè loquamur) est, quo Deum summum bonū nobisipsis diligimus, aut propter nosipsos diligimus. Nō quidem propter nos tamquam propter finem, ne in illam magnam peruersitatem ab Augustino commemoratam incurramus, qua homo malè agens fruitur vtendis, & vtitur fruendis, id est, creaturam finem sui facit, & Deum finem, propter quem omnia amanda sunt, refert in creaturam. Sed propter nos tamquam propter subiectū (sic enim in scholis loqui mos est) cui volumus, & amamus finē. Sicut enim volumus, aut amamus nobis cibum, ne fame pereamus, & vestem nobis, ne frigore algeamus, & ne turpes videamur, sic diligimus Deum nobis, vt cibū animæ, quo reficimur: vt vestem, qua tegimur, & vt omne bonum nostrum, quo diuites, & honorabiles sumus. Hunc amorem parit consideratio nostræ necessitatis, & diuinæ liberalitatis. Nam dum nos aspicimus, deformes, pauperes, imbecillos, & omnium bonorum indigos, Deum autem nostræ deformitatis destructorem, nostræ paupertatis prouisorem, nostræ imbecillitatis sustentatorem, & omnium bonorum datorem agnoscimus, fit, vt eum, sicut vnicum refugium nostrum, & vt fontem aquæ viuæ nos satiantis, diligamus. Amorem istum, eiusque causas Bernardus explicat in his verbis, Facit se diligi Deus, qui & bona facit, facit autem sic. Qui naturam condidit, ipse & protegit. Nam & ista condita fuit, vt habeat iugiter necessarium protectorem, quem habuit, & conditorem, vt quæ nisi per ipsum non valuit esse, nec sine ipso valeat omnino subsistere. Quod nec sanè de se creatura ignoret, ac proinde sibi (quod absit) superbè arroget beneficia creatoris, vult hominem idem conditor alto quodam salubriq; consilio tribulationibus exerceri, vt cùm defecerit homo, & subuenerit Deus, dum homo liberatur à Deo, Deus ab homine, vt dignum est, honoretur. Hoc enim dicit: Inuoca me in die tribulationis, eruam te, & honorificabis me.] Fit itaque hoc tali modo, vt homo animalis, & carnalis, qui præter se neminem diligere nouerat, etiā Deum, vel propter se amare incipiat quod in ipso nimirum (vt sæpe expertus est) omnia possit, quæ posse tamen prosit, & sine ipso possit nihil.] Hic ergo amor, licèt bonus & sanctus, mercenarius tamen est, quem proprij commodi cognitio generat, & merces ac lucrum ad bonum amatum amplectendum inclinat.

Bern. de diligendo Deo.

Psal. 49.

Charitas amicitiæ, cui soli vera & propria charitatis virtutis Theologicæ natura cōperit, ea est, qua Deum, nō iā nobis, aut propter nos, sed propter seipsum, & propter suam bonitatem diligimus. Scitè namque dixit Bernardus: Non sine præmio diligitur Deus, & si absq; præmij intuitu diligēdus sit. Vacua namq; vera charitas esse nō potest, nec tamē mercenaria est. Quippe non quærit, quæ sua sunt. Affectus est, non contractus, nec acquiritur pacto, nec acquirit. Sponte afficit, & spontaneum facit. Verus amor seipso contentus est. Habet præmium, sed id quod amatur. Nam quidquid propter aliud amare videaris, id planè amas, quò amoris finis pertendit, nō per quod tendit. Paulus, non euangelizat, vt comedat,

Bern. de diligendo Deo.

ſed comedit,vt euangelizet, eo quòd amet,non cibum,ſed euangelium. Verus amor præmium non requirit,ſed meretur Præmium ſanè,necdum amãti proponitur, amanti debetur, perſeueranti redditur.]Vocatur,auté charitas amicitiæ,quia vera amicitia eſt, qua homo non alterius cuiuſuis hominis, non regis,aut Pontificis alicuius, non Angeli, aut Archangeli,non cuiuſdam ſuperioris cæleſtis ſpiritus, ſed ipſius Dei amicus efficitur. Omnia enim, quæ ſapientes huius mũdi,propria eſſe amicitiæ voluerunt, ea Chriſtiana, & ſupernaturalis charitas Dei ad hominem,& hominis ad Deum non ſolùm habet, verùm etiam multò præſtantius quàm humana amicitia, & excellentiùs aſſequitur. Nam ſi amicitia alicui bono ſubnititur, quod mutuò amici communicant; charitatis amor, præſtantiſſimum gratiæ donum præſupponit,eique inſidet,cuius beneficio (vt Petrus Apoſtolus ait) diuinæ efficimur
2.Pet.1. conſortes naturæ.] Si amicitia eſt amor, nõ ſtatim diſſolubilis, ſed continuus,ac perſeuerans, Charitas, (quod ad ſuam naturam attinet) amor permanens eſt, quia habitus voluntatis, quia Deo infundente, & donante productus, quia diuinis auxiliis conſeruatus, aſſiduis beneficiis auctus, nulla Dei nos iniuria afficientis offenſus, quem ſponſa huius amoris bene conſcia fortem inſtar mortis nuncupa-
Cant.8. uit. Quod ſi homines facilè hunc erga Deum amorem diſſoluunt,non fragilitas,aut imbecillitas charitatis id facit,quæ, (vt Paulus ait) nec tribulationibus,nec anguſtiis, nec mortibus cedit; ſed efficit malitia humanæ voluntatis. Amicitia eſt amor mutuus, quo duo amici ſe inuicem diligunt, & mutua eſt dilectio charitatis.Impoſſibile eſt enim ab homine Deũ diligi,quin à Deo ipſe homo diligatur.Cùm vox ſummæ veritatis ſit: Qui diligit me,diligetur à
Ioan. 14. Patre meo, & ego diligam eum, & manifeſtabo ei meipſum.]Amicitia lucrum non quærit, mercedem non reſpicit, voluptatem non cogitat, ſed amicum gratis diligit, & propter ſeipſum. Et ſanè iniuriam charitati irrogaret maximam, qui ei hanc perfectionem auferret.Amat captiuus charitatis Deum propter ſeipſum, & omnia creata ad amandum illis
Pſal.117. Bernard. verbis inuitat. Confitemini Domino, quoniam bonus.Qui Domino confitetur(inquit Bernardus) non quia ſibi bonus eſt, ſed quoniam bonus eſt, hic diligit Deum propter Deum, & non propter ſeipsũ.] Parum eſt hoc,ſeipſum homo, & omnia creata diligit propter Deum. Quia vino amoris inebriatus
Pſal.72. canit.Quid mihi eſt cælo, & à te quid volui ſuper terram?defecit caro mea, & cor meum, Deus cordis mei,& pars mea,Deus in æternum.] Amat & Deus hominem propter ipſum hominem,quia non lucri,aut honoris cauſa,non voluptatis obtẽtu eum diligit,ſed vt in eum ſua bona conferat, ſuæ miſericordiæ diuitias effundat. Si verò tandem amor Dei erga nos,nequaquam in nobis ſiſtit, ſeu in Deum ipſum refunditur,qui ſicut omnia propter ſeipſum operatus eſt;ita vniuerſa propter ſemetipſum amore proſequitur;id nullo pacto cũ vera amicitia pugnat,quæ amicum amat,nec eius minuendo perfectionem, nec deſtruendo naturam. Hæc eſt autem hominis natura,vt totus in Deum auctorem ſuum referendus ſit,hæc eius ſumma perfectio, vt in finem,euius gratia conditus eſt,ſit Dei amore reuocandus.

Amicitia quoque amor eſt, vtrique amico notus, & tum verbis, tum mutuis officiis patefactus, qua notitia profectò,non eſt priuata charitas,cùm Deus ſe à iuſto diligi, & iuſtus ſe à Deo amari cognoſcat. Deus quidem, qui ſummè ſapiens eſt,& ad interio-

A ra cordis penetrat ſe amari ab anima iuſta nequaquam ignorat. Quare interrogatus Petrus à Chriſto Ioan. 21. Saluatore noſtro,an ipſum diligeret, modeſtè ſapiẽtérque reſpondit,Tu ſcis Domine, quia amo te,]Amicum videlicet vnicè dilectum ſui amoris teſtem, & cognitorem oſtendens. Anima etiam ſe à Deo amari manifeſtis coniecturis agnoſcit, quo largitore, peccati odio,virtutis deſiderio præmij ſpe, & alicuius puritatis decore ſe dignatam eſſe non ambigit. Nam ſi Spiritus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro, quòd ſumus filij Dei,]etiam teſtimonium reddit nos Rom.8. à Deo diligi, cuius dilectionis opus eſt, quòd adoptemur in filios. Notus itaque eſt amor iſte verbis & factis, tam Deo quàm nobis Verbis quidem, quibus & anima in lectulo orationis quieſcens amoris vacat amplexibus, & ſoli amatori ſuo pandit ſui a-
B moris affectum, quibus, & Deus animæ ſe etiam amore ligatum eſſe, & charitate victum, ineffabili quadam ratione, & abditiſſimo ſermone manifeſtat.Factis autem, quia Deus beneficiis, anima obſequiis,Deus immenſis donorum monilibus, anima cuſtodia mandatorum conceptum amorem oſtendit. Amicitia bona amico vult,quia ſemper inuenitur cum beneuolentia coniuncta, & charitatis hoc proprium eſt, vt Deus nobis,& nos Deo,non ſolùm vera,ſed ingentia bona velimus. Ille,cuius amor efficax & operatorius eſt, maxima bona nobis amicis ſuis vult, gratiam,virtutes, dona, & ea volendo operatur in nobis Et nos, quorum amor comparatione Dei vſque ad effectum extendi non poteſt,ſaltem volumus, vt Deus ſuum eſſe habeat, ſuas infi-
C nitas perfectiones poſſideat, & de hoc ſæpiſſimè cum ingenti cordis exultatione gaudemus Hoc gaudium à nobis poſtulat Paulus, cùm ait: Gaudete in Philip.4 Domino ſemper, iterum dico,gaudete.]Hoc anima apud Iſaiam ſe habituram non ſine magna aſſeueratione promittit, dicens Gaudens gaudebo in Do- Iſa.61. mino,& exultabit anima mea in Deo meo.] Ne autem de inefficacia,aut impotentia amoris noſtri triſtemur, etiam bona quædam æterna Deo volumus, ſuæ bonitatis notitiam, ſuæ maieſtatis reuerentiam, ſui nominis exaltationem, ſuæ legis impletionem, & hæc prædicando, & peccatores conuertendo facimus, & ei, vt poſſumus, bona largimur.His certè bonis non eget Dominus, neque eorum oblatione eius,aut maieſtas,aut bonitas creſcit, quippe qui in-
D finitus eſt, nihil in ſeipſo à creaturis accipiens, & planè Deus, qui bonorum noſtrorum non indiget. Sed tamen pauperum amicorum obſequia, & hominum tenuitati poſſibilia,neque reiicit, neque cõtemnit.Ideo ſacræ paginæ honorem,& gloriam Deo offerre nos admonent. Afferte (inquiunt) Domino Pſal.28 gloriam, & honorem, afferte Domino gloriam no- Eccl. minini eius.]Et alio loco: Honora Dominum ex tota anima tua, & ipſe Dominus per Malachiam, de filiis, & ſeruis ſuis palàm, apertéque conqueritur, Malach. quòd ſibi honorem debitum non exhibeant Filius 1. honorat patrem,& ſeruus Dominum ſuum, Si ergo Pater ego ſum, vbi eſt honor meus, & ſi Dominus ego ſum,vbi eſt timor meus?

Quid plura?ſi amicitia inter æquales, inter duos
E tantùm,& inter eos,quos vnum efficit,eſſe deſcribitur.iſta veræ charitati nõ deſunt, quæ nos ad quam- Pſal. 8 dam Dei participationem effert,ob quam dij nuncupamur,& filij excelſi omnes,]& Deũ ad noſtram naturam inducẽdam demiſit.Auguſta ſanè amicitia eſt, quæ,aut naturæ, aut ſtatus æqualitatem exigit, illa verò ſine vlla cõparatione arctior, atque perfectior, quæ in naturæ, aut ſtatus diuerſitate æqualitatem affectus,id eſt,animos verè amicos, & eodem mo-

do ac

do ac sua, amicorum bona curantes inducit. Talis autem est charitas, qua anima erga Deum, tamquā erga Patrem, aut sponsum afficiūt, & eius beneplacitum omni propriæ voluntati anteponit, & qua Deus animam, vt charissimam filiam, aut sponsam pulcherrimam diligit, & eius bonum ita zelat, vt dicat: Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei.] *Zach. 2.* Hæc inter duos tantùm est. Nam Deus ita quemque nostrum diligit, ac si solum, & sine socio diligeret, cuius amor extensus ad plures, in nullo, aut tepidus, aut obliuiosus inuenitur. Et homo, si verè Deum diligit, nullum alium nisi Dei causa, & secundùm eius imperium in amoris consortium admittit. Charitas denique inter Deum, & hominem, vnum facit de duobus; non vnum natura, sed vnum affectione. Nā qui adhæret Domino, vnus spiritus est.] *1. Cor. 6.* Facit vnum affectione, quoniā his amicis vnum est velle, vnum nolle, vnum gaudium, vnum desiderium, vna per similitudinem quamdam actionum morúmque concordia. O fœlix amicitia charitatis, qua homo amicum summè sapientem, infinitè bonum, & incomprehensibiliter potentem habet, & Deus hominē ad suam amicitiam admittendo, ineffabilem sui diuini cordis pietatem, & suauitatem ostendit. O beata amicitia inter Deum, & hominē, hoc est, inter thesaurum omnium bonorum, & cumulum vniuersarum miseriarum, quæ Deum non fœdat, & hominem mundat, quæ Deum non deiicit, & hominem effert, quæ Deum non turbat, & hominem tranquillat, quæ Deum non spoliat, & hominem ditat, quæ Deum tædio non afficit, & hominem cælestibus consolationibus replet: & quæ Deū, & hominem connectendo, istius miserias leuat, & illius miserationes amplificat.

Hanc præstantissimam, & desiderabilem amicitiam, non natura procreat in nobis, non facultas liberi arbitrij progignit, sed Deus ipse in paruulis per lauacrum regenerationis, in adultis verò, qui post baptismum grauiter deliquerunt, per pœnitentiæ sacramentum, aut re, aut voto ritè susceptum, meritis Iesu Christi exigentibus, simul cum gratia, & vita spirituali animæ, in voluntate nostra clementer infūdit. Quod Paulus perspicuis verbis testatus est, *Rom. 5.* charitatis causam non aliam quàm Spiritum sanctum liberaliter dantem, & misericorditer eam in nos effundentem, agnoscens. Quam charitatem, licet homo adultus, qui semel, aut sæpe aliquod crimen commisit, non ex merito habeat, (nunc enim paruulos mittimus sola virtute sacramenti, & præuia matris Ecclesiæ fide iustificatos,) non tamen sine dispositione, aut præparatione aliqua, particeps tam eximiæ virtutis efficitur. Nam primò clementissimus Dominus, & verissimus miserationum Pater, peccatorem in peccatis dormientem, excitat, fugientem vocat, & nullis eius poscentibus meritis, imò multis diuinam indignationem prouocantibus demeritis, ad supernaturalem amicitiam suam & familiaritatem inuitat. Huius vocationis Ecclesia meminit, cùm pro suis membris fores diuinæ misericordiæ pulsat, dicens: Conuerte nos Domine ad *Thren. 5.* te, & conuertemur, innoua dies nostros sicut à principio.] Quin & singula Ecclesiæ membra eandem vocationem postulant, cùm eorum quisque verba Iob innumeris calamitatibus afflicti, sibiipsi accommodat, & non pro dolore corporis, sed pro cruciatu animæ à peccato proueniente, sibi conuenire pronunciant. Quis mihi tribuat, vt sim iuxta *Iob 29.* menses pristinos secundùm dies, quibus Deus custodiebat me.] Dies quippe nostri sicut à principio, & menses pristini, tempus gratiæ designant, ad quos

A redire cupimus, cùm Dei vocationem nos à vetustate peccatorum, ad nouitatem vitæ reuocantem affectamus. Cui vocationi licèt à Deo incipiēti, quia non sine gratiæ auxilio (quod præsto nobis est) nos respondere oportet, ideo per Ioelem prophetā ad conuersionem excitamur, cùm tubam prædicationis insonantem audimus. Conuertimini ad me in *Ioel. 2.* toto corde vestro, in ieiunio, & in fletu, & in planctu.] Et rursus per Zachariam ait Dominus exercituum, Conuertimini ad me, & ego conuertar ad *Zachar. 1.* vos.] Ac si diceret: Prius quidem ego conuerti me ad vos, à somno peccatorum excitando, & vestram molliendo duritiem: conuertimini igitur vos ad me, vocationi meæ respondendo, & meam inspirationem accipiendo, vt tandem ego conuertar ad vos

B iustificando, & gratiam ac amicitiam meam vobis dando.

Post diuinam vocationem antequam Dominus per gratiam & charitatem in nos veniat, nonnulla dona præcedunt, quæ simul sunt actiones, ac præparationes nostræ, & dona Dei: actiones nostræ, quatenus liberè à nobis elicitæ, & dona Dei, quatenus ab eius auxilio procedentes, & nō viribus solius liberi arbitrij productæ. Sicut enim Domino veniente ad Eliam, spiritus grandis & fortis subuertens *3. Reg. 19.* montes, & conterens petras, tremendam Dei maiestatem antecessit, & non in spiritu Dominus, & post spiritum commotio, & non in commotione Dominus, & post commotionem ignis, & non in igne Dominus: & post ignem sibilus auræ tenuis, &

C in eo tenuissimo & tranquillissimo sibilo se ostendit Dominus. Ita Domino veniente ad nos, vt in nobis habitet, & pelagus erga vilissimos homines suæ benignitatis ostendat, præcedit eum spiritus fidei grandis, & fortis, qui Gehennæ supplicia semper duratura proponens, superbiæ montes euertit & petras cordium nostrorum emollit. Post fidei spiritum, timoris commotio, quo maiestatem violatam timemus, & metu æternæ pœnæ incurrendæ concutimur. Post commotionem, spei & fiduciæ ignis, splendore suo mentem erigens, rerum labētium exilitatem aperiens, & in opum cælestium desiderium attollens. Post ignem verò sibilus auræ tenuis, qui profectò non est alius quàm spiritus chari-

D tatis Deum super omnia diligens, peccata detestās, nouam vitam diuinæ legi conformem strenuè proponens, in quo sibilo Dominus ipse cum anima, tamquam cum sponsa dilecta loquitur, & non iratus, aut inimicus, sed placatus & amicus ostēditur. In hoc sibilo aut in hoc lenissimo charitatis spiritu, vera nostra ad Deum amicitia consistit, qua eum nō mercedis intuitu, non voluptatis obtentu; sed propter ipsum, & propter suam bonitatem diligim⁹, & omnib⁹ rebus creatis præferimus. Cui amori ac sin- *Ioan. 15.* cerissimæ charitati, ipse gratus existens, nos amicos vocat, tamquam filios diligit, & in fidelissimos sodales admittit.

Perfectio ergo animæ, non est charitas concu-

E piscentiæ erga Deum, qua ipsum & bona sua nobis volumus; sed charitas amicitiæ, qua Dei amici constituimur, & ipsum eius solius gratia diligimus. Nec mirum esse debet, si charitatis nomen ad amorem concupiscentiæ extendamus, quod Scriptura diuina ad profanum amorem extendit. Vnde Iudith pro Assyriorum & Holofernis victoria de- *Iudith. 9.* precans, ita loquuta est. Capiatur laqueo oculorum suorum in me, & percuties eum ex labiis charitatis meæ.] Vera tamen charitas sola est amicitia Dei, quam perfectionem putamus, & sanctitatem, ac puritatem mentis asserimus. Hæc enim

charitas amicitiæ est, quæ mentem nostram vltimo A bono copulat, dum nihil inter Deum, & illam dissidij, & inimicitiæ relinquit: hæc, quæ membris Ecclesiæ coniungit, dum omnem discordiam de medio tollit: hæc. quæ omnia bona secum inuehit, dum virtutes, & dona, animæ viribus, & facultatibus inserit: hæc, quæ bonorum operum præsidio quærenda est, quia nisi bonum opus ab illa procedat, & in illam redeat, cælestem (quam inquirit) mercedem amittit. Sapienter itaque Cassianus, cùm docuisset tria esse, quę faciunt homines à vitiis abstinere, pœnæ metum & præmij spem; & boni affectum) qui ad charitatem pertinet) amoremque virtutum, ista subiecit. Quæ tria, licèt ad vnum finem tendere videantur (prouocant enim nos à rebus illicitis abstinere) magnis tamen excellentiæ suæ gradibus adinuicem disparantur. Duo namque superiora propriè sunt hominum eorum qui ad profectum tendentes, nec dum affectum concepêre virtutum. Tertiũ specialiter Dei est, & eorum, qui in sese imaginẽ Dei, ac similitudinem receperunt.] Quæ verba, ita possumus explicare, vt affectus timoris incipiẽtium sit; desiderium præmij eorum, qui in virtute proficiũt; & amoris impulsus illorum qui ad perfectionem peruenerunt. Quare, amor concupiscentiæ ad summum, proficientium est, charitas verò faciẽs, nos, virtutem, eius tantùm amore complecti, & ob Dei gloriam bonis operibus inhærere, Sanctorum propria est, ac perfectorum. Nam sicut, qui in curia regis solùm pœnarum metu ab iniquitatibus tẽperant, cor mancipiorum, & seruorum induunt; qui verò dignitatem aliquam, aut honorabile munus consequi cupiunt, in aulicorum numerum computantur. at, qui ad nihil aliud, nisi ad regiam amicitiam, & familiaritatem anhelant, non serui sunt non aulici tantùm, sed sodales, & amici charissimi: Ita in Ecclesia Dei, quæ curia est Christi regis cælestis, aut in religiosa vita, quæ eiusdem Domini est aula regalis. serui sunt. qui timore pœnarum peccata fugiunt, & diuina præcepta custodiunt; mercenarij sunt, qui præmij desiderio malos mores exuunt, & virtutes consectantur: amici verò sunt, & filij dilecti, qui excitati solo charitatis, siue amoris affectu, non sola grauiora peccata, sed leuissima quoque metuunt, & omne bonorum operum genus, vt dilecto suo placeant, incredibili auiditate, & conatu suscipiunt. Si autem in aula regis terreni non est status, aut munus aliquod amicorum, & filiorum dignitate præstantius. neque in palatio regis cælestis erit status filiorum, & amicorum Dei gradu, & splẽdore nobilior. In hoc igitur gradu. quo bonum, ob eius decorum amplectimur, & Deo, eius ipsius gratia, & non mercedis obtentu famulemur, tamquã in gradu sublimissimo collocanda est mentis humanæ perfectio.

Cassi. col. 11. c. 6.

B

C

D

Hæc sunt dona meliora, hoc est, optima, & excellentissima, ad quæ Paulus aliorum donorum desiderio feruentes, nos prouocat, dicens: Æmulamini charismata meliora, & adhuc excellentiorem viam vobis demonstro.] Interpretemur nos sic, Bonæ sũt gratiæ, bonæ sunt virtutes, bona sunt omnia dona Dei: sed vos æmulamini donorum optimum. quod re vera non est aliud, nisi charitas, qua Dei amici reddimur, qua diuinum amorem, & erga nos beneuolentiam properemur, à qua tamquam à perenni fonte alia dona, aliæ virtutes, aliæ gratiæ manare noscuntur: Bona etiam via est humilitas, bona via mansuetudo, bona via obedientia, sed præstãtissima est charitatis, & amicitiæ Dei via, quam veluti aliarum finem, & scopum vobis demonstro. Hãc

1. Cor. 12.

E

viam (vt inquit Augustinus) ambulauit Christus Saluator noster, qui crucifixus, & amore Patris æterni ardens, pro inimicis, & persequutoribus exorauit, vt & nos eandem ambulemus, si in Christo manere volumus, & de perfectione Christi imitatrice glotiamur.] Hoc donum præstat cæteris donis, quod instar olei (asserente eodem Augustino, atque Anselmo) omnibus donis, ac virtutibus supereminet. Vbi igitur perfectionem reperiemus, nisi in amicitia Dei? Quam viam proximam cœlo, & præstantissimum Dei donum, ac plane finem, propter quam alia dona sunt expetenda, & didicimus, & agnouimus Bernardus certè istum putat, quartum, ac postremum charitatis gradum, dum quis scilicet cò vsque in Dei amicitia processit, vt non solùm Deum propter semetipsum, verùm etiam vniuersa creata, & seipsum quoque, qui vna ex rebus creatis est, non propter aliud diligat, nisi propter ipsum Deum. Amor iste (inquit) mons est, & mons Dei excelsus. Re vera mons coagulatus, mons pinguis. Quis ascendet in montem Domini? Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo, & requiescam? Factus est in pace locus eius, & habitatio eius in Sion.] Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est.] Caro, & sanguis vas luteum, & terrena inhabitatio quando capit hoc? Quando huiuscemodi experitur affectum, vt diuino inebriatus amore animus, oblitus sui, factúsque sibiipsi tamquam vas perditum, totus pergit in Deum, & adhærens Deo, vnus cum eo spiritus fiat, & dicat: Defecit caro mea, & cor meũ, Deus in cordis mei, & pars mea, Deus in æternum?] Beatum dixerim, & sanctum cui tale aliquid in hac mortali vita raro interdum, aut semel, & hoc ipsum raptim, atque vnius vix momenti spacio experiri donatum est.] Quæ omnia sanè apertè indicant hanc ardentissimam charitatem perfectionem esse, quæ sola nomen montis excelsi habet, cui aliæ virtutes comparatæ, aut colles, aut certè montes minores putandi sunt, quæ affectuum pennis, & desideriorum volatibus expetenda est, quæ locus est quem laboribus multis, & bellis periculosis comparauimus, locus vtique pacis, atque quietis Et istum locum sine dubio omnes perfecti, quod attinet ad effectum, possident, quia Deum verissimè omnibus & sibiipsis præferunt, licèt affectum non sentiant. Hic enim ardens affectus illis interdum in contemplatione datur, sed ne suos thesauros agnoscendo superbiant, sæpe subtrahitur, nec sæpe tanti boni experientia conceditur. Liquet ergo, amorem concupiscentiæ, quo Deum nobisipsis volumus, optimum bonum animæ non esse, atque adeò longè à perfectione distare, amorem verò amicitiæ, qui optima gemma est animæ, ac thesaurus pretiosissimus, perfectionis & sanctitatis naturam continere.

August. de verb. Apost.

Aug. tra. Ioan. Ansel. 1. Cor. 12.

Bern. de diligendo Deo. Psal. 5 Psal. 67. Psal. 23. Psal. 75. Psal. 119

1 Cor 6. Psal. 72.

Perfectionem non esse charitatem afficientem, sed efficientem.

CAPVT IX.

FOEMINA illustris, quæ in sui ornatum pretiosam gemmam, non vili pretio comparare gestit, si illam institoris inter merces inueniat, exquisita diligentia considerat, & non sola opinione sua, sed iudicio quoque aliorum examinat, omnique ex parte circumspicit, ne fal-

sam

sam gemmam pro vera coëmat,& vilem, ac nullius valoris pro splendida, & pulchra margarita magno pretio expenso recipiat. Sic anima ad coniugium regis Christi vocata, cupiens margaritam perfectionis, qua seipsam ad nuptias cælestes exornet, pretio suiipsius, & omnium, quæ possidebat, mercari, debet (inuenta charitate, quam esse perfectionis gemmam audiuit) magna illam diligentia collustrare, & in omnem ipsius partem oculos contemplationis vertere, ne temerario errore decepta adulterinam perfectionem pro vera, & vmbram tantùm sanctitatis pro ipsa veritate, conquirat. Non ergo debet illi prolixum,& molestum videri, si adhuc in vera amicitiæ charitate aliquid, quod auxilium tantùm est assequendæ perfectionis, ab eo quod est ipsa perfectionis substātia, atque natura dilucidè ac manifestè distinguamus. Ne autem statim in huius tractationis vestibulo, id est, in significatione nominũ hæreamus, quid intelligendum sit nomine charitatis afficientis, & efficientis operæ pretium est declarare. Charitas certè geminos habet actus, siue affectus, ad quos quilibet amor, etiã humanus, aut prophanus, amantem inclinat. Sicut enim iste erga rẽ amatam flagrat amoris affectu, quo ei bona cupit, & in eius bonis iam adeptis gaudet, atque ipsius præsentia, & alloquio delectatur, habet & amoris actum, quo vult, nec latum vnguem ab amati imperio discedere, & in omnibus, si ardens sit amor, amici exequitur voluntatem: Ita iustus vtique amicus Dei, erga Deum dilectum suum easdem veræ amicitiæ actiones, siue effectus experitur. Vnde charitas afficiens est virtus ipsa charitatis, iusti animam affectibus amoris inflammans, & ad volendum Deo bona sua, ad gaudendum de perfectionibus Dei, ad desiderandum, vt omnes ei seruiant, & diuino subiiciantur imperio, & ad ipsius præsentiam suspirandam, & ad alios similes affectus impellens. Charitas autem efficiens est, ipsa etiam charitatis virtus, prout mouet ad custodienda mandata, ad amplectenda consilia, & ad diuinum beneplacitum exequendum, ita vt supra dulcedinem, & teneritatem amoris, operum efficacitatem habeat, & Dei in omnibus (prout in hac vita possibile est) perficiat voluntatem. Charitatis afficientis vox est: Sicut desiderat ceruus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus. Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum, quando veniam, & apparebo ante faciem Dei?] Illud etiam: Diligam te Domine fortitudo mea. Dominus firmamentum meum, refugium meum, & liberator meus.] Insuper & illud: Nomen tuum, & memoriale tuum in desiderio animæ. Anima mea desiderauit te in nocte, sed & spiritu meo in præcordiis meis de manè vigilabo ad te.] Charitatis efficiẽtis opus est: Iuraui, & statui custodire iudicia iustitiæ tuæ.] Illud deinde: Propter verba labiorum tuorum ego custodiui vias duras.] Et illud quoque: In mandatis tuis exercebor, & considerabo vias tuas. In iustificationibus tuis meditabor, nõ obliuiscar sermones tuos.] Illa magis ad tempus orationis pertinet, hæc magis ad tempus actionis: Illa in desiderio est, hæc in opere: illa in verbo, ista in vita: illa se amatricem profitetur, ista se amatricem ostendit, quia (vt Gregorius ait) Probatio dilectionis exhibitio est operis.]

Psal. 41.
Psal. 17.
Isa. 26.
Psal. 118.
Psal. 16.
Psa. 118.
Gregor.

Perfectionis ergo natura, non in charitate afficiente, sed in efficiente consistit. Nec aliquis perfectus est, quia dulcius ad Deum, & tenerius afficitur, nec quia in feruore orationis maiorem suauitatem, aut consolationem percipit, sed quia maiori fidelitate, & conatu, ex charitate mandata vniuersa custodit, puriùs viuit, & accuratiùs in omnibus diuinæ se accommodat voluntati. Dominus enim qui rerũ naturas optimè nouit, & perfectionis substantiam explicatiùs, verbo & exemplo monstrauit, non eam in affectis, sed in effectis constituit, dicens: Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & qui nõ diligit me sermones meos nõ seruat.] Quasi dicat, Parum ad veram dilectionem, atque adeò ad veram perfectionẽ proderit, quòd quis affectibus abundet, si seipsum non vincat, si noxia non vitet, si suæ saluti proficua, id est; mandata, & consilia non impleat; multùm verò dilectionis, & perfectionis habet, qui affectibus, & dulcedine carens, præcepta complectitur, diuina iussa custodit, & iuxta præscriptum professionis suæ, ab eo, quod Deo placitum est, nulla ratione discedit. Doctrina hæc summæ ac primæ veritatis verissima est: quoniam affectus illi dulces & suaues amoris, possunt sine gratia sanante mentem, & sine charitate produci, nec tantùm ab incipiente verùm ab imperfectissimo quoque, imò & à magno peccatore possideri, qui speciali quodã auxilio fultus, Deum, quem suum auctorẽ agnouit, suum benefactorem animaduertit, diligit propter suam bonitatem, tenero quodam & minùs efficaci dilectionis affectu. Quæ autem, rogo, sanctitas, aut perfectio erit, quàm iniqui habent, quàm imperfecti interdũ suas imperfectiones non exuentes assequũtur, quam sine gratia, sine animæ vita, & sine vera amicitia Dei (vt istam quærant, & sæculi amicitiæ valedicant) aliquando peccatores recipiunt? Si verò isti affectus erga Deum in iustis, & amicis Dei ab habitu charitatis procedant (quod certissimum iudico) non tamen ideo charitas est animæ nostræ perfectio, quia dulces, & teneras affectiones elicit, sed quia fortiter tentationes vincit, strenuè aduersùs vitia & prauos affectus dimicat, & mandatorum, ac consiliorum actiones producit. Nec enim verbis, sed factis, amoris veritas cõprobatur, dicente Apostolo Ioanne, Filioli, non diligamus verbo, neque lingua, sed opere, & veritate.] Egregiè profectò eximius contemplator Richardus, huius rei quam asseruimus, rationem exposuit. Affectuosa dilectio (inquit) qua superiùs dilectionem animæ significari diximus, interdum plus afficit minùs diligentem, & minùs perfectiorem. Non enim tantum diligit quisque, quantum hanc sentit, & quantùm in illo statu sibi diligere videtur, sed quantum in virtutibus, & charitate fundatus fuit, & in seruandis mandatis fidelis habetur. Dulcis in Deum affectus, quodammodo carnalis est, & fallax, & humanitatis interdum potius, quàm gratiæ, cordis, quàm spiritus, sensualitatis, quàm rationis: Ita, vt magis accedat aliquãdo ad minus bonum, & minus ad maius, & aliquid, quod sapit ampliùs, quàm quod expedit. Hoc affectu errabant discipuli, & carnaliter Deum diligebant, cuius præsentia carere nolebãt. Vnde etiam non diligere arguebãtur, qui quod delectaret magis, quàm quod expediret, amplectebantur. Sic affectuosè interdum carnalis aliquis, & imperfectus ad Deũ afficitur, non quod valde diligat, sed quia dulcedinem gratiæ degustat, quò quantùm durat, tãtùm iuuat, quãdiu durat dulcedo, durat & dilectio. Sed nõ agnoscetur in bonis amicus. In die nãque ista Dominus quidem misericordiam suã mandat, sed in nocte tentationum, & laborum, in præceptis declarat, quantùm quisque diligat.] Isti itaque amoris affectus à vera charitate in iustis prodeunt, non tamen charitatis perfectionem indicant, quia licèt incipiens sit, & imperfecta, potest ob qualitatem naturæ blãdæ, & teneræ, aut ob alias

Ioan. 14.
1. Ioan. 3.
Richar. in Cant. c. 6.

causas, suo loco tractandas, in hos amoris affectus, vehementissimè prosilire, sed hãc amoris perfectionem, vitæ puritas, & mandatorum exquisita custodia;&(vt vno verbo dicam)diuinæ volũtatis in omnibus exequutio declarat.

O quantos ista dilectio affectuosa seduxit; qui suam perfectionem affectibus,& non operibus æstimantes, suauitate, & non labore metientes, post multos annos in vita spirituali consumptos,inuenti sunt infirmi,atque imperfecti! Planè sodales mensæ,qui confitentur Domino, quandiu benefecerit eis;cùm autem desolatione percusserit, tentatione exercuerit,tribulatione vexauerit, à primo feruore decidunt, & se non factores legis, non perfectos diuinæ voluntatis amatores, sed suorum sensuum, &suarum voluntatum sectatores inueniunt. Audiãt hi à dilecto Christi discipulo, & ipsa Spiritus sancti doctrina ditato, & eximia sanctitate honestato, an in affectibus,aut in affectibus summæ perfectionis, ac veræ virtutis consistat.Qui dicit se nosse Deum, & mandata eius non custodit, mendax est,& in hoc veritas non est. Qui autem seruat verbum eius, in hoc charitas Dei perfecta est]Si præcepta transgredientibus notitia Dei efficax, & quæ ad actionem moueat,denegatur, an credemus, quia sanctitas,& perfectio conceditur? Nullo modo,sed quãtũuis,vt sibi videtur,diligant(& re vera non diligunt)quamtumuis magnificè de Deo sentiant. imò, & raptus, atque extases patiantur, longè non solùm à perfectione, verùm à perfectionis itinere dissiti sunt.Meritò sanè Bernardus amorem istum dulcem,& seductibilem vocat; dulcem,quia mirabili suauitate inebriat, & à rerum mundanarum desiderio, imò & à cura necessaria proprij corporis mentem abducit, & seductibilem, quia solet nonnumquam in corde virorum spiritualium,non eius culpa,quia bonus,& pretiosus est, sed ipsorum ignorantia, & negligentia, primas sedes occupare, & infimum,aut nullum locum amori essentiali(sic enim vocatur)aut veræ charitati relinquere. Amor iste afficiens,Christum ore animæ atque affectibus Dominum vocat; at charitas efficax opere ipso Dominum appellat, & mãdatorum obedientia,Dominum,& Patrem agnoscit.Scriptum est autem, Non omnis,qui dicit mihi Domine, Domine,intrabit in regnum cælorum, sed qui fecerit voluntatem Patris mei, qui in cælis est, ipse intrabit in regnum cælorũ.]Huic ergo charitati, quæ opera habet, Patrisque voluntatem implet, & non illi amori, qui sæpe sola verba profundit, & desideriis sibiipsi satisfacit, perfectionis palma tribuenda est, & veræ virtutis appellatio condonãda.

1.Ioan.2.

Bernard. ser.20.in Cant.

Matth.7

Ecclesia quidem,quæ columna est veritatis, & in rebus, aut ad fidem, aut ad morum instructionem pertinentibus, falli non potest, ita sentit, & perfectionem, sicut non ex miraculis, ita non ex affectibus, aut ex interna dulcedine,sed ex mentis puritate, tribulationum sustinentia, & bonorum operum continuata serie coniectat, neque illum perfectum, & sanctum prædicat, quem vacua desideria, & suaues tantùm affectus occupãt,sed quem sancta opera,& vtiles labores exornant Describat nobis virum perfectum magnus doctor Ambrosius, qui absque dubio matris Ecclesiæ spiritum hausit, exponátque in quibus eius perfectio consistat. Perfecti est viri (inquit)communitatem naturæ sustẽtare,animi virtute, & ad meliora adducere, nec succumbere iis, quæ plerisque terribilia, & formidolosa videntur, sed quasi fortem militem grauissimorum casuum sustinere incursus, conflictus subire, & quasi prouidum gubernatorem, nauim in tempestate regere, atque occurrẽdo insurgentibus fluctibus, magis vitare naufragium,sulcando vndas,quàm declinando. Non iste in persecutione pauidus, non in tormentis mollior,ne torquentem exasperet, sed quasi athleta fortis,qui repercutiat verberantem,si nõ cædis, certè sermonis flagello,qui metuenda mulris tormenta despiciat,dicens:sagittæ infantium, factæ sunt plagæ eorũ,] qui cùm grauissimo licet dolore luctetur, nec se miserabilem præbeat,sed ostendat,tamquam in laterna lumen, etiam inter asperas procellas, & grauissimos flatus,suam lucere,neque extingui posse animi virtutem.]Addit idem Ambrosius eius viri perfecti naturam describens,eum in iniuriis seipsum sustentare,abiecta & vilia non curare, in misera captiuorum sorte,viles animos non inducere, sed verbo,& exemplo,aliorum flagitia instar iudicis reprehendere.Eum etiam omnes à malo abducere,ad bonum impellere,incolumitatem corporis, & vniuersas res terrenas aspernari,virtutes diligere, proprias voluntates rescindere. & ipsam mortem nõ timere. Hæc sunt iustorum vota, hæc virorum perfectorum insignia,hæc perfectæ charitatis opera, non dulces tantùm,& suaues affectus, quos nõ propter seipsos sed propter diuinæ legis custodiam, & propter bonorum operum studia cupimus, atque diligimus. Profectò Augustinus perfectam charitatem, quam perfectionem animi statim astruemus, non ex dulcedine affectus, sed ex cupiditatis extinctione cognouit. Charitatis (inquit) venenum est, spes adipiscendorum, aut retinendorum temporalium.Nutrimentum eius est,imminutio cupiditatis. Perfectio nulla cupiditas. Signum profectus eius, imminutio timoris, signum perfectionis eius, nullus timor, quia & radix est omnium malorum cupiditas, & cõsummata dilectio foras mittit timorem.] Origenes quoque illud canticorum explicans, secundùm versionem septuaginta virorum: Rectitudo dilexit te,] eam charitatem nomine perfectionis nobilitat,quæ in nos omnem puritatem inferat, omnem æquitatem afferat, & nullam iniquitatem admittat. Quin & Clemens Alexandrinus, vir quidem sapientissimus,& præceptor Origenis, perfectum virum aptè depingens, ab eo non nuda desideria, neque affectiones ieiunas, sed malorum tolerantiam, virtutum exercitationem,rerum terrenarum contemptũ in cura aliorum mentem à Deo indiuulsam exquirit. Hanc ergo & nos charitatem, nomine perfectionis dignam existimemus, quæ Deo omnia placita efficiat,quæ peccata destruat,passiones cohibeat, vana desideria arceat, honores, voluptates, & diuitias spernat, altitudinem mundi conculcet, virtutum actiones exerceat,fratribus,data occasione, prosit, & Angelicam puritatem inducat.

Amb. lib. 1.de Iacob.c.vlt.

August. lib. 83. qq. q. 36.

Orig. hõ. in Cant. Cãt.1.

Clem. Alexand. 7. Stromat.

Afficiens autem charitas,vel (vt apertiùs loquamur) charitatis affectus iugiter repetitus, validissimum perfectionis instrumentum est.Sicut enim humilitatem propria deiectione, obedientiam subiectione,mansuetudinem iniuriarum perpessione. & quamlibet aliam virtutẽ propriis actibus promeremur,Ita charitatis augmentum & perfectionem potissimùm actibus amoris cõparamus. Isti actus sunt, qui creaturarum amorem minuunt, mẽtem à terrenis abstrahũt,voluntatem ad cælestia sustollunt, cor ad omne virtutis opus amplectendum emolliunt,& nosipsos Deo immobiliter vniunt. Isti actus sunt, qui virum iustum semper reficiunt, incipientem ad modum lactis enutriunt,proficientem tamquam cibi solidiores sustentant, & perfectum instar nectaris, & ambrosiæ, id est, instar alimenti cælestis ad vitam purissimam, & planè cælestem impellunt. Isti

actus

actus in vitæ spiritualis exordio fragiles, in medio robusti, in fine, & perfectione inseparabiles se exhibent, & cum anima ipsa crescente, & proficiente proficiunt. Istos anima (actibus iam, & operibus ad perfectionem prouecta) solet tamquam portionem præmij recipere, vt inter molestias vitæ huius, aliquam veluti stillam gustet exultationis cælestis. Nam (vt Bernardus ait) charitas in opere mādatur ad meritum, & charitas in affectu datur in præmium. Affectus itaque charitatis, valdè nos in adeptione perfectionis promouent; sed opera charitatis, cùm ad eam mensuram peruenerint, quam statim exponemus, sunt ipsa sanctitas, atque perfectio. Nam si in affectione perfectionis summa consisteret, certè opera propter dulces affectiones accipienda essent; & cùm eas impedirent, aut minuenda essent, aut penitus omittenda. Nō tamen ita est, sed potiùs affectus propter charitatis opera amplectimur, & nonnumquam, (vt in istam incumbamus) illos derelinquimus. Quare idem sanctus Pater Bernardus scitè ait, in hoc negotio illud Domini impleri. Erunt primi nouissimi, & nouissimi primi:] Quoniam Dei cultum, & internum amoris affectum, sine dubio magis amabilem propter necessaria humanitatis opera sæpè deserimus, & illum, his non sine mercede magna postponimus. Etenim in bene affecta mente (inquit) non dubium, quin dilectioni hominis, Dei dilectio præponatur, & in hominib⁹ ipsis perfectiores infirmioribus, cælum terræ, æternitas tempori, anima carni. Attamen in benè ordinata actione, sæpè, aut etiam semper, ordo oppositus inuenitur. Nā, & circa proximi curam, & plus vrgemur, & pluries occupamur, & infirmioribus fratribus diligentiori sedulitate assistimus, & paci terræ magis quàm cæli gloriæ iure humanitatis, & ipsa necessitate intendimus, & temporalium inquietudine curarum, vix aliquid sentire de æternis permittitur, & languoribus nostri corporis, postposita animæ cura pene continuè inseruimus, & ipsis deniq; infirmioribus mēbris nostris, abundantiorem honorem, iuxta sententiam Apostoli, circūdamus,] per hoc, quodammodò faciētes verbum Domini, de quo habes. Erūt nouissimi primi, & primi nouissimi.] Orantem denique hominem, cum Deo loqui quis dubitet? Quoties tamen inde, charitate iubente, abducimur, & auellimur propter eos, qui nostra indigent opera, vel loquela? Quoties piè cedit negotiorum tumultibus pia quies? Quoties bona conscientia ponitur codex, vt operi manuum insudetur? Quoties pro administrandis terrenis iustissimè ipsis supersedemus celebrandis missarum solemniis?] Ex quibus manifestè constat charitatis opera, & sanctæ dilectionis effectus potiùs esse quærendos & præ affectibus æstimādos, quos lex diuina præcipit, Deus ipse primo loco suscipiēdos iubet, & ordo charitatis exposcit.

Bern. ser. 50. in cant. — *Matt. 19* — *Ber. ibid.* — *2. Cor. 12* — *Matt. 19*

Hinc certè illud colligimus solas charitatis affectiones, & dulcia colloquia, ac purissimas mentis suauitates, neminem, nisi ad modum instrumenti perfectum facere, sed opera ex charitate profecta, quibus omnia mala detestamur, vniuersa bona exercemus, mandata custodimus, consilia seruamus, animæ puritatem zelamus, & Dei in omnibus voluntatem amplectimur, nos, & ad perfectionē perducere, & sanctos ac perfectos efficere. Hæc sunt, quæ Deus à iustis, & sanctis exquirit, ad hæc præstanda omnibus abundantissima auxilia suppeditat, horum rationem in nouissimo die, non à communibus, hominibus tātùm, sed à sanctissimis, & perfectissimis viris postulabit. Quæ si præstiterint, iusti reputabuntur, & si perfectè compleuerint habebūtur sancti atque perfecti, licèt dulcedine affectuum caruerint, & numquam receperint animæ internam suauitatem. Hanc experiri non omnibus datum est, hāc habere, non est in nostra potestate: eius intendere affectibus, non à cunctis postulat Deus, quos vult rebus exterioribus occupari, laboribus & pressuris affligi, & non solùm externis corporis malis, sed etiam internis desolationibus, & magnis animi tristitiis exerceri. Ab omnibus autem perfectam vitam postulat, odium mali, & amorem boni, & suæ voluntatis expletionem efflagitat, quam perfecta charitas implet, non desiderando tantùm, sed efficiendo, & cùm talis fuerit, vt Dei voluntatem perfectè compleuerit, tunc sanctitatis appellationem obtinet, & sine iniuria alicuius virtutis, nomē perfectionis vsurpat.

Non quamcunque charitatem efficientem esse perfectionem.

CAPVT X.

SI charitas efficiens, & nos efficaciter ad mandatorum custodiam instigans perfectio est: cùm omnes iusti, & gratiæ diuinę participes eam habeant, sequitur omnes esse perfectos. Quare perfectio, non tanta res est quātam hucusque mente concepimus; siquidem minima detestatione peccati, quæ vera contritio sit, cum voto sacramenti, aut ipso pænitentiæ sacramēto ritè suscepto, statim, sine vlla cunctatione, suscipitur. Transit etiam homo denuò iustitiam & gratiam adeptus, sine aliquo medio, de extremo ad extremum, dum à summa miseria iniquitatis extractus ad summā vitæ spiritualis gloriam, scilicet ad perfectionem euehitur. Petit quoque illa communis sanctorum Patrum, receptaque sententia, qua iustorum quosdā incipientes vocant, quosdam proficientes censent, alios verò sanctos, & perfectos appellāt. Nullus enim iustorū erit incipiens, nullus proficiēs, si vniuersi, quotquot Dei gratiam, & charitatē adepti sunt vitæ spiritualis infantiam, & iuuentam excedentes, ad virorum perfectorum mensurā peruenerunt, & sanctitatis amplitudinem compararunt. Non est tandem, cur iustos ad perfectionem hortemur, ad currendū incitemus, ad accipiendum suæ vocationis brauiū, scilicet sanctitatem, impellamus: cuius possessione gaudent, eo ipso quòd iusti sunt, nec possunt iustitiam, gratiamque tenere, & à perfectione, aut sanctitate separari. sicut enim ineptè diuitem ad quærendas diuitias, quas habet, aut literatum ad addiscendam scientiā, qua pollet, exacuis; Nā persuasio acquirēdi aliquid, non in id, quod præsens est, respicit, sed in id, quod absens, & necdum in nostra potestate constitutum est, tendit; ita imprudenter perfectum & sanctum ad acquirendam perfectionem, quam habet, impellis. Iustos igitur deinceps ad maiorem perfectionem assequendam incendemus, quia possunt perfectionem augere, & nouos sanctitatis gradus, laboris & industriæ pretio, simul cum præsidio gratiæ coëmere: sed ad deponendas imperfectiones, & ad quærendam perfectionis substantiam non excitabimus. Hoc nāque esset actum agere, & oleum, & operam sine vlla vtilitate consumere.

Hoc loco in memoriam reuocanda est illa perfectionis diuisio, qua eam imperfectionem primam, mediam, & vltimam, absolutámque distinximus, Quarum illam primam omnibus iustis diximus esse communem, illam postremam solis beatis, & in

æterna sede manentibus, experimento cognitã esse probauimus: mediam verò eximiis iustis,& sanctis viris esse da tam,ac concessam astruximus Hãc quidẽ nos oratione solùm inuestigaturos promisimus, ad quam pertingere, omnem charitatem efficientem,aut efficacem, nequaquam possumus existimare. Licèt enim quæcumque charitas, quantumuis minima & infantilis,sit perfectio prima, quam omnes iusti,& amici Dei, peccatorum detestatione,& vera in Deum conuersione, conquirunt; non tamen est perfectio media, aut sanctitas absoluta, quæ se possidentes, non iam incipientes, aut proficientes, sed sanctos,perfectósque constituat. Nam in charitate tres Augustinus gradus agnoscit, primus est, in quo incipiens; secundus, in quo proficiens; tertius,in quo perfecta,& pro modulo huius vitæ consummata reperitur. Eius verba sunt. Sed numquid charitas mox vt nascitur, iam prorsus perfecta est? Vt perficiatur nascitur;cùm fuerit nata, nutritur; cũ fuerit nutrita, roboratur: cùm fuerit roborata, perficitur: Cùm ad perfectionem venerit, quid dicit? Mihi viuere Christus est,& mori lucrum.] Ecce charitas iam nata, quo pacto per tres gradus ad perfectionis substantiam ascendat. Primo nutritur, cùm (vt Thomas ait) homo à peccato recedit, & prauis concupiscentiis resistit,quod incipientium est. Hæc peccatorum fuga,& concupiscentiarum abnegatio, est quasi cibus charitatem sustentans, ne deficiat in via, & instar olei,quod bonæ vitæ lucernam fouet. Deinde roboratur, cùm ad bona procedit opera, & actionibus virtutum intendit. Istæ actiones sunt,quę ad modum corporalis augmenti charitatem augent, & in proficientibus grandem,fortem, & plane robustam efficiunt. Tandem perficitur,cum vitiis consopitis,& virtutibus ad opus adductis, mens omninò defæcata, & Deo similis effecta, ei inhæret cognitione purissima, & feruidissimo voluntatis affectu. Quod meritò perfectio charitatis dicitur, quia iam non est in hac vita,quò humana mens ampliùs, aut sublimiùs ascendat, nisi vt mundo mortua, soli Deo viuat,& ab eo,quod mortalitatis est,cupiat dissolui,& esse cum Christo. Illa ergo charitas,quæ incipiens est, non est perfectio, sed quasi paruula, & recenter nata,fuga mali nutritur; vt aliquando tandem ad statum perfectum ascendat. Similiter illa, quæ proficit,non est perfectio, sed bonis operibus crescit, & roboratur,vt post debitam mensuram acquisitam ad perfectionem perueniat. At charitas perfecta, quæ sanè (vt idem Thomas ait) non est omnium iustorum, & perfectè mala abiecit, atque perfecte bonum sectata est, Deoque vinculis puritatis adhæret, est hominis in hac vita suprema perfectio.

Aug. tra. 5. in Ioã. ante me dium.

Philip. 1.

D. Tho. 2.2. q. 24. ar. 9.

Nam si cuiuis charitati perfectionis nomen, dignitásque competeret,omnes iusti,tamquam verã charitatem habentes essent vocandi,& censendi perfecti, iniuriámque illis irrogaret,qui dignissimum eis nomen perfectorum adimens,vocaret aut incipientes, aut tepidos, aut imperfectos. Hoc autem incipientium, aut imperfectorum nomen passim apud Patres sine vlla offensione legimus, & nobisipsis piè charitatem habere credentibus,sine aliqua nota difficultatis ascribimus. Patrum vnus est Beda, qui illũ Dauidis versum explicans: Noli æmulari in malignãtibus,] in hũc modum scribit. Sunt in corpore Christi duo genera, scilicet, perfectiores boni,& minùs perfecti: Verè enim minus perfecti sũt adhuc illi,qui videntes malos fæliciter viuentes, & in omni terra prosperitate florentes,indignantur de flore illorũ, & ipsum affectant. Contra hos tales verò perfectiores, alij agunt instruentes eos, ne murmurent, de flore malorum,néve ipsum appetãt, ne fortè eis cõsimiles fiant.] Alter est Bernardus, qui iustarum animarum quasdam adolescentulas existimat, quasdam sponsæ nomine dignas agnoscit. Istæ animæ perfectæ sunt, illæ verò imperfectæ, quæ quoniam minùs sapiunt (inquit) minùs & capiunt, nec omninò sufficiunt ad sublimia. Paruulæ quippe in Christo sunt lacte, & oleo nutriendæ, & ex vberibus sponsæ opus sumere habent, vnde diligant.] His addamus alium, nempe Rupertum, qui illud canticorum de Beata Virgine exponens, cuius fuit ipse apprimè deuotus. Sexaginta sunt reginæ, octoginta concubinæ,vna est columba mea,] hæc ait. Quid est hoc dicere, nisi quòd, etsi multæ sunt fideles animæ, & propter fidem, quæ per dilectionem in eis operatur,laudabiles,nulla tamen earum, ô Maria, tibi similis est, sicut veraciter prædicamus; quia Nec primam similem, visa es, nec habere sequentem. Nam reginæ rectè dicuntur illæ animæ, quæ perfectæ charitatis sunt,in eo videlicet, quòd eundem dilectum tuum sequentes, nihil terrenum,sed ipsum solum quærunt, nec propter metum gehennæ,sed propter amorem vitæ æternæ peccatum fugiunt, virtutémque amando, iniquitatem oderunt. Concubinæ verò sunt illæ,quę sub timore seruiunt, nec eius perfectionis, vt super præceptum velint addere consilium, scilicet hoc, vt relictis omnibus, solùm sequantur hunc dilectum: habentes quidem in fundamento Christum, sed nihilominùs amantes aliqua, quæ huius mundi sunt.] Et profectò hoc adeò notum est, vt superuacaneum sit, & molestũ legentibus,aut pluribus rationibus, aut Patrum dictis confirmare. Quis enim non audiuit Dominum dicentem; quia semina,quæ ceciderint in terrã bonam, dabant fructum,aliud centesimum, aliud sexagesimum,aliud trigesimum? Terra bona corda illorum sunt, vt Saluator ipse interpretatur. Quod autem in terram bonam(inquit) hi sunt, qui in corde bono, & optimo,audientes verbum retinent, & fructum afferunt in patientia.] Cuius terræ tres possumus sortes assignare. Altera enim est bona, altera melior; tertia verò optima. Terram bonam vocamus incipientes; qui fructum trigesimum, id est, mandatorum custodiam ferunt; terram meliorem vocamus proficientes, qui fructum sexagesimum, hoc est,mandatis consiliorum obseruationem adijciunt: terram optimam appellamus perfectos, qui fructum centesimum,perfectam scilicet animæ puritatem,& intimam cum Deo vnionem emittunt Si ergo iustorum,qui charitate aduersùs Deum iusti fiunt,quidam sunt incipientes, alij proficientes, alij perfecti: manifestum est, quoniam, & ipsa charitas,quæ illos amicos Dei facit, in tres gradus siue partes est distribuenda;ita scilicet,vt quædam sit vitæ spiritualis inceptio,quædã eiusdem vitæ profectus, alia verò consummatio, atque perfectio. Nõ igitur omnis charitas efficax,sed supremus charitatis gradus,nomine perfectionis gaudet, & substãtiam mediæ perfectionis inter infimam terræ, & supremam cæli habere dignoscitur.

Psal. 36.

Beda in Psal. 46.

Bern. ser 19. in cant.

Cant. 6.

Rupert. lib. 6. in cant.

Matt. 13.

Luca 8.

Nec mirum esse debet,quòd inter charitatis gradus,qui omnes eiusdem substantiæ sunt, atque naturæ,quemdam nomine perfectionis dignum censeamus,& alium ab huius nominis & dignitatis participatione reijciamus: quia multa sunt etiam in rebus humanis, quæ eandem naturam habentia, & aut quantitatem,aut qualitatem mutantia, nomen etiam,& dignitatem mutãt. Possessio agelli est paupertas,possessio verò amplissimi,& fertilissimi agri,

qui etiam homini ad lucrum sufficiat, diuitiæ nominatur; cùm tamen inter agellum, & agrum sola sit, non naturæ, sed quantitatis magnitudinisque diuersitas. Modicum auri reconditum non est thesaurus, magna autem auri copia recondita, cuius iam non inueniatur dominus, est, & vocatur thesaurus. Magna rerum diuinarum & humanarum cognitio, sapientem, & magna corporis firmitudo, robustum, & magna rerum gerendarum dexteritas, prudentem facit; parua verò cognitio ignorantem, parua firmitas corporis imbecillem, & parua in rebus agendis aptitudo imprudentem derelinquit. Sic parua charitas, quæ vniuersa mentis mala non tollat, non affectuum prauitatem cohibeat, adhuc hominem imperfectum deserit; magna verò charitas, quæ hanc interiorem affectuum nostrorum rempublicã optimè moderatur, & nos, & omnia nostra, tum per seipsam, tum aliarum virtutum beneficio perfectè Deo subiicit, & hominem non solùm criminibus, verùm etiam imperfectionibus liberat, efficit in virtute perfectum. Nec obscurè Bernardus hoc docuit, imò apertissimè affirmauit, astruens paruã charitatẽ, nos paruos, hoc est, imperfectos relinquere; sed magnam magnos, scilicet sanctos, & perfectos constituere. Eius verba sunt. Ergo quantitas cuiusque animæ æstimetur de mensura charitatis, quam habet, vt verbi gratia, quæ multùm habet charitatis, magna sit, quæ parùm, parua, quæ verò nihil, nihil. Dicente Paulo: Si charitatem non habuero, nihil sum.] Deinde statim latè explicat, quam charitatẽ modicam, & quam magnam ac perfectam censeat. Nam modica est, quæ diligentes se diligit, & sibi benefacientibus, & ipsa benefacit, salutantésque se salutat. Et verè modica quæ pusillitatem publicanorum, & Ethnicorum non transilit. Quare Domini correptio est, qua pusillos, id est, parũ diligentes reprehendit: Si diligitis eos qui vos diligunt, quam mercedẽ habebitis? Nónne & publicani hoc faciunt? Et si salutaueritis fratres vestros tãtũ, quid amplius facitis? Nónne & Ethnici hoc faciunt?] Maiuscula est, quæ iam gratis & non alicuius commodi obtentu diligit vniuersos, & seipsam non ad notos angustat, sed ad ignotos, ad extraneos, ad nulla carnis cognatione coniunctos sinum dilectionis extendit. Quis enim ambigat eam maiorem esse, quæ omnes sine vlla exceptione capit, quàm illam quæ paucos tantùm, aut notos, aut amicos, aut sodales, aut consanguineos comprehendit; At illa grandis est, & planè perfecta, quę inimicos amore complectitur, odiẽtes diligit, iniuriam irrogantes salutat, contemnentes laudat, persequentes, oratione, & beneficiis iuuat. Ad quam Dominus nos exhortans, ait: Diligite inimicos vestros, vt sitis filij patris vestri, qui in cælis est.] Et estote perfecti, sicut & pater vester cælestis perfectus est.] Sicut ergo quælibet naturalis substantia, vt verbi gratia hominis, in tres veluti gradus distribuitur, quorum primus tenellus, & infantilis, & debita firmitate destitutus infantibus, ac pueris nomenclaturam attribuit; secundus robustior, & firmior, adolescentes iuuenésque cognominat, & maiorem perfectionem impertit: tertius verò naturam hominis, omnibus numeris absolutã obtinens, viros constituit, & is solus est naturæ humanæ columen, hominisque in naturalibus summa perfectio: Ita charitas, quam vitam spiritualem vocauimus tribus suprà dictis gradibus constat, quorum primus infantiam spiritualis vitæ, secundus iuuentam; tertius perfectionem continet, cui soli perfectionis nomen debetur, & sanctitatis appellatio conceditur.

Bern. ser. 27. in cant.

1. Cor. 13.

Mat. 5.

Mat. 5.

A Sed quis est iste charitatis gradus qui ad rationem vsque perfectionis accessit, & nomine perfectionis dignus censetur? Hoc opus, hic labor est. In quo multa subtiliter disputari possent, quæ scholis relinquenda sunt, & ab hac tractatione consultò reiiciẽda, in qua non tam intellectum instruere, quàm voluntatem excitare, & ad perfectionis amorem mouere curamus. Illud à nostro instituto non est alienum, non posse nos aliquem charitatis gradum signare, ac verbis exprimere citra quam iustus imperfectus sit, & in quo, aut vltra quem iam sit vocandus sanctus, atque perfectus. Licèt enim fortassis sit aliqua charitatis mensura, magna quidem in se, sed minima inter amoris gradus, qui sufficiãt cor humanum omninò componere prout hæc vita fert, & affectus comprimere, & hominem in virtutum exercitatione perficere, citra quam homo, neque cõstanter malum fugiat, nec affectus moderatos habeat, nec virtutes exerceat, nec mentem iugiter Deo adhærentem possideat: (quod ad habendam perfectionem necessarium est) tamen hanc mensurã intellectus humanus nõ callet, neque in se ipsa, sed, vt statim dicemus, tantùm per effectus agnoscit. In opibus quidem temporalibus benè possumus pro regnorũ aut prouinciarum qualitate signare certam, aut pecuniam, aut auri, & argenti, aut aliarum rerum summam, quàm quis saltẽ possidere debeat, vt diues appelletur, vt verbi gratia, in hoc regno Peruensi (in quod, iussu Prælatorum concessimus, & ex Hispania demigrauimus) quia opibus beneficio creatoris satis abundat, diues est homo honestis parentibus natus, cuius substantia triginta mille aureis æstimatur, & qui minùs habet, vt viginti, aut decem, aut quinque mille aureos, nõ dicitur diues; qui tamen in alio regno, vt inter Astures, aut Cantabros, diues, & pecuniosus diceretur. At in opibus animæ nemini mortalium datum est, ita status, & qualitates iustorum metiri, vt quisque verè dicat: qui habuerit hãc charitatis mensuram erit perfectus, & qui ad eam non peruenerit, non erit perfectus; sed hoc Deus, qui numerat multitudinẽm stellarũ, & omnibus eis nomina vocat,] sibiipsi cognoscẽdum reseruauit. Ille solus est, qui sicut charitatem facit, & mentibus iustorum infundit; ita optimè nouit, quæ charitatis mẽsura, quemlibet hominem optimè moderabitur, & ad perfectionem adducet. Nos ergo hanc charitatẽ, quæ prima perfectio, aut donum minimi viri perfecti sit, nequaquam inquiramus, quam proculdubiò inuenire non possumus. Quinimò meminerimus illius sententiæ, qua Ecclesiasticus nimiã sciendi, & inquirendi curiositatem cohibet. Altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris; sed quæ præcepit tibi Deus, illa cogita sẽper & in pluribus operibus eius ne fueris otiosus.] Cuius causas reddit. Quia non est nobis necessarium ea imprudẽter inuestigare, quæ Deus abscõdita mortalibus esse voluit. Et quia plurima super sensum hominum mõstrata sunt nobis, in quibus satis est ingeniũ nostrũ occupari, & eorum consideratione detineri.]

B C D E

Ps. 146.

Eccles. 3.

Nec etiam sciemus, aliquam maximam charitatis mensuram cognoscere, quam viri iusti in hac vita possint assequi, & maiorem aliam non possint adipisci. Omnes enim, quoad viuunt, quantamcumque perfectionem habeant, valent maiorem, & sublimiorem habere, & copiosiores sanctitatis diuitias comparare. Omnibus dicit Salomon. Manè semina semen tuum, & vespere ne cesset manus tua, quia nescis, quid magis oriatur, hoc, aut illud, & si vtrumque simul, melius est.] Manè quippe seminare, est, in tempore iuuentutis opera virtutis proferre; &

Eccles. 11.

vespere

vespere non cessare, in senectute virtutum actiones præstare; quas si perfectissimi, & sanctissimi viri, quamdiu viuunt, exercere debent, constat, quia numquam ad eam perfectionis mensuram perueniunt, quin ad aliam maiorem, & præstantiorem peruenire queant. Vnde sapienter dixit Damascenus. Morte sanctos omninò perfici, sanctosque ostendi; quæ id ipsis affert, vt in eorum virtutem nulla iam mutatio cadat.] Vsque ad mortem ergo possunt in melius mutari, & maiorem virtutem, puriorem vitam, & sublimiorem charitatis perfectionem conquirere. Quod & nomen ipsis ab Spiritu sancto in diuinis literis datum, id perspicue indicat, in quibus passim vocantur viatores. Paulus ait. Non habemus hic manentem ciuitatem, sed futuram inquirimus.] Et sanctus Iacob, hominis vitam nomine peregrinationis vocat. Dies (inquit) peregrinationis meæ centum triginta annorum sunt, pauci, & mali. Nec non patiens Iob. Interrogate quemlibet de viatoribus, & hæc eadem illum intelligere cognoscetis, quia in diem perditionis seruatur malus.] Viatores hoc loco iusti dicuntur. Nam (vt Gregorius ait) Viator est, qui præsentem vitam viam esse sibi, & non patriam attendit; qui in dilectione prætereuntis sæculi cor figere despicit, qui non remanere in transeuntibus, sed ad æterna peruenire concupiscit. Atque in eandem sententiam Ambrosius, omnes homines, tam peccatores, quàm iustos, viam aliquã ambulare existimat. Qui facit (inquit) voluntates carnis, & viuit secundũ concupiscentiã mundi huius, vias suas ambulat, quibus delectatur, & gaudet. Qui autem venit voluntatem facere Patris sui, qui in cælis est, cui cibus est, vt mandatum Dei compleat, qui non quærit, quod voluptatis sit, sed quod placeat Deo; ille viam Domini pergit.] His concinit Augustinus, dicens: Videtis, quia viatores sumus. Dicitis, quid est ambulare? Breuiter dico; proficere, ne forte non intelligatis, & pigriùs ambuletis.] Quare, rogo, omnes iusti quantamlibet sanctitatem acquisierint, viatores vocãtur, nisi quia dum viuunt, possunt magis proficere, altiùs ascendere, propriùs Deo per vitæ puritatẽ appropinquare?

Dam. serm. orat. de dormit. Virgin.

Heb. 13.

Genes. 47.

Iob. 21.

Greg. 15 moral. c. 31.

Amb. in psal. 118 ser. 4. ver. 2.

Aug. ser. 5. de verbis Apost. c. 15.

Semper ergo quamcumque perfectionem habeant possunt eam nouis augmentis cumulare, & ditiorem, ac pulchriorem efficere.

Verum est secundum dispositionem diuinam, esse aliquam maximam perfectionem, ad quam natura humana, vel Angelica potuit ascendere: & quam numquam poterit superare: Hæc autẽ est, quã Deipara Virgo omnibus sanctissimæ vitæ suæ operibus est assequuta. Quæ enim mater est Dei, & hominũ, atque Angelorum Domina, & præ cæteris, nõ tamquam ancilla, aut amica, sed tamquam sponsa, & tãquam mater a Deo dilecta, & cuius opera penè infinitis partibus omnium sanctorum Angelorũ & hominum opera præcelluerũt, & cuius gloria tamquã matris, & sponsæ omnium seruorum gloriam, quasi infinitè, superat, certissimum est, quia quẽlibet sanctum, etiam supremum Seraphim, mirum in modum perfectione antecedit, & valde credibile, quòd omnibus sanctis, simul acceptis, maior sanctitatis gloria, & perfectior existit. Quare sapienter, & sine vlla exaggeratione Chrysostomus ait. Magnum re vera miraculum fuit semper Beata Virgo Maria. Quid námque illa maius, aut illustrius, vllo vnquam tempore inuentum est, seu aliquando inueniri poterit? Hæc sola cælum, ac terram amplitudine superauit. Quidnam illa sanctius? Non Prophetæ, non Apostoli, non Martyres, non Patriarchæ, non Angeli, nõ Throni, nõ Dominationes, non Seraphim, non Cherubim, non denique aliud quidpiam inter creatas res visibiles, aut inuisibiles maius, aut excellentius inueniri potest.] At istam maximam perfectionem nos mente non capimus, imò nec cælestes spiritus, licet eam videant, plenè cognoscunt. Ad quam certi sumus, quia nullus sanctus, quantumuis curratur, accedet, nec a longe salutabit: quoniã Beata Virgo est omnibus prædestinatis gratiæ viribus fortior, bonorum operum cursu velocior, & animositate ad expugnandam cælestem sedem, audacior. Si ergo nec minimam, nec maximam charitatem, quæ perfectio sit nouimus, an aliquo modo charitatis perfectionem explicare possimus, in sequẽtibus videamus.

Chrys.

PARS SECVNDA

DE ALTERA PERFECTIONIS PARTE, SCILICET DE CHARITATE DEI.

VERAM Dei, & proximi charitatem affirmatiuis perfectionem esse, nunc, quæ charitas erga Deum, & quæ charitas erga proximum sit perfectio à prima illa incipiendo, videamus. Quoniam charitas erga Deum, (vt posteà dicetur) amoris erga proximum origo est, & eam nobilitate superat, quare necesse est, vt in serie tractationis huius, primum locum obtineat. Hanc verò primùm in seipsa, deinde ex quibusdam similitudinibus, postea ex affectibus quos in sanctis animabus ostendit, ac tandem ex verbis, & præcepto Dei, quo istam perfectionis partem mandauit, explicare tentabimus. Magni enim momenti est perfectionem agnoscere, ne quis eam magnis laboribus quærens, & in notitia errans, pro vera perfectione non veram, aut pro fine medium, & instrumentum exquirat.

Quæ charitas nomen & naturam perfectionis obtineat.

CAPVT XI.

INTER minimam charitatem minimi viri perfecti, qui in numero omnium perfectorum reperitur, & maximam charitatem purissimæ creaturæ nimirum Beatæ Mariæ Virginis (nam de Christo Saluatore nostro nihil attinet dicere, cuius sanctitas est infinita, quique non purus homo, sed Deus, & homo est) immensa quædam latitudo charitatis interiacet, quæ nũc à nobis vocatur spiritualis vitæ perfectio. Huius munus, atque officium est, quemlibet iustum, & Dei amicum, quem sibi subiecerit, ad diuinum amorē impellere, & efficaciter gubernare, atque monere, vt diligentissimè peccata, & imperfectiones vitet; virtutum actiones gnauiter præstet; Deo intellectu, & affectu cohæreat; & iuxta statum, & locum, quem in Ecclesia occupat, perfectè viuat; & ei diuino auxilio suffultus, tum desiderio, tum opere coram Deo, & hominibus satisfaciat. Hoc inquam officium præstat perfecta charitas, aut spiritualis perfectio, nõ sola, sed actualibus gratiæ Dei auxiliis suffulta, quæ nobis non negantur, si ea velimus accipere, & iis ad actiones optimas adiuuari. Ambrosius profectò virũ perfectum ita describit, vt aperte indicet in hoc modo charitatis, quē diximus, sitam esse huius vitæ perfectionē. Hæc enim vita iusti (inquit) qui etiã, quas habeat facultates, cõmunes, æstimare debeat, imò etiam inopibus diuidere, dispensare pauperibus, recidere volũtates proprias, tenuare sumptum, adhibere parsimoniã temperantiæ, sobrietatem tenere in prosperis, patientiã in aduersis, in dolore tolerantiam, magnanimitatem in periculis, sanitatis perpetuæ vota nescire, mortis imminentis terrore non concuti, neq; eũm præstãtiorem putare, cui secundùm naturam liberi, propinqui, salubritas, lætitia, affluentia redũdauerint, quam cùm illa defuerint: neque externis sæculi, sed virtutis domesticæ merito pensare. Illam quoque formã iusti esse, quis abnuat, vt nihil metuat, nihil reformidet, nisi virtutis dispendia, aliorúmque vanas formidines comprimat, quas habeant, aut de periculorum sollicitudine, mortis timore, corporis infirmitate, vt doceat dissolui corpore, & esse cum Christo multò melius, vt ostendat, quia operationes nõ impediuntur debilitatibus corporis, sed augentur, neque splendore generis, aut propinquorum subsidiis, aut opibus, sed bono commendantur affectu.] Ex quibus illud certè colligimus, charitatem illã, quæ hominem omninò rectificet, sensus moderetur, affectus componat, potentias ordinet, vires dirigat, & in prosperis, & aduersis sui, & omnium rerum mundanarum contemptorē faciat, & Dei solius, aut eorum quæ ad Deum referuntur, desideria succendat, beatum eum in hac vita, id est, perfectum efficere.

Ambros. lib. 1. de Iacob. & vita beata. c. 8.

Philipp. 1.

Hanc charitatem, qui in aliquo gradu possederit, perfectus est, & qui in minori gradu, minùs, qui verò in maiori gradu, erit magis perfectus Nec erit difficile istam rem aliquo exemplo manifestare. Sicut enim in cælis est aliqua minima lux, ea scilicet, quia minima stella resplēdet, quæ licèt minima aliis astris comparata, est tamen longè maior omnibus luminibus corruptioni subiectis, quæ noster ignis accēdit, & est etiã aliqua maxima lux, nempe lux solis, quæ omnium stellarum lucem, splendore, & pulchritudine mirum in modum antecellit; inter has autē duas luces, minimam, & maximam, est penè infinita quæ-

A dam lucis latitudo, quæ tantùm ad nobilissima illa corpora pertineat, & tota illa vocatur, & est lux superior, atque cælestis, cuius stella particeps lucida est, & minùs particeps, minùs lucida, magis verò particeps, magis pulchra est, ac splendida: Ita in omni numero sanctorum, & perfectorum, quos Deus ad perfectionem euehit, & nos tamquã quosdam cælos suspicimus, est aliqua minima charitas, illa scilicet quam habet, aut habebit minima stella, minimus videlicet omnium perfectorum, quæ quidem charitas maior, & præstantior est omni charitate communium iustorum; qui numquã seipsos plenè vincunt, nec ad perfectionem ascendunt, & est aliqua maxima charitas, nempe Deiparæ Virginis, quam Bernardus cum sole meritò cõfert. His autem duabus charitatibus, minimæ, & maximæ, quasi immēsitas quædam, aut mare quoddam interminabile charitatis interiacet, quod ad perfectos tantùm spectat, & nomē, ac naturam perfectionis habet. O bonum mare ô quietum pelagus, ô secura, nõ aquæ, sed amoris profũditas! quam qui ingreditur, & perseueranter enauigat, in æternæ vitæ portũ appulsus, non iam communem iustorũ sortem, sed immēsas felicitatis diuitias possidebit securus: In hoc mari, ô Domine, via tua, & semitæ tuæ in aquis multis,] quia in multis, & variis charitatis affectibus ad nos venis, & vestigia tua, id est, mirabilia tua, quæ in secreto mētium operaris, ab his, qui in hoc mare non descendunt, nequaquam experimento cognoscentur. Tu confirmasti, & consolidasti in virtute tua hoc mare, vt habens maris immensitatem, & magnitudinem, procellarum & tempestatum pericula non timeret: & contribulasti capita draconum, id est, peccatorum in aquis, quorum istæ aquæ tam profundæ, nõ solũ vitam, & reatum subruunt, sed etiam nec vestigia derelinquunt. Descendamus, ô Deus creator meus, aliquando in hoc mare, faciamus operationem in aquis multis, vt videamus opera tua, & mirabilia tua in profundo cordis nostri, non sine stupore, & admiratione cognoscamus. Quæ mirabilia illi profectò non experiuntur qui fluuiorum, idest, communis amoris possessione contenti, numquam huic mari magno seipsos committunt.

Bernar.

Psal. 76.

D Hanc latitudinem charitatis, quam perfectionem nuncupamus, omnes perfecti, non vno modo participant, & hinc oritur perfectionum sanctitatũque diuersitas. Quidam enim minus charitatis accipiũt, intra illam tamen mensuram contētæ; alij verò plus charitatis assequũtur. vnde illi in minori gradu sancti sunt, & hi in maiori gradu, ac dignitate perfecti. Et sicut accedētium ad mare, gratia hauriēdæ, aquæ isti minùs hauriunt, quia minorem amphoram deferũt: illi magis accipiunt, quia maius vas, & capacius aduehunt, ita perfectorum quidam ex perfectionis mari minorem gradum, alij maiorem charitatis assequũtur, pro diuersitate acceptę gratię, & pro maiori aut minori mēsura feruoris. Quod his verbis docuit Cassianus. Nec enim poterat vniformis omnib. perfectionis corona proponi; quia nec omnibus vna virtus, aut volũtas, aut feruor est, & idcirco ipsorũ quodammodo perfectionum diuersos ordines, diuersásque mēsuras, sermo diuinus instituit.] Quod & latè, & sapiēter sacrarum scripturarum auctoritate confirmat. Nec erit valde laboriosum hoc intelligere. Nam si ad gloriam & splendorem temporalis reipublicæ necessarium est, vt eius ciues nõ sint æquales, sed eos, aut maior nobilitas, aut copiosiores diuitiæ aut celsior status, dignitásque distinguat; & inter ipsos nobiles, atque magnates esse debet ad optimũ reipublicæ statum non omnimoda æqualitas, sed

Cassi. col. 11. c. 12.

opum

opum splendorisque diuersitas: Quare non erit necessarium cælesti reipublicæ, & regno Christi, vt ad maiorem sui ornatum, & amplitudinem prædestinatorum inæqualitatẽ habeat amoris, & pacis vinculo colligatam, & in ipsis sanctis, atque perfectis diuersitatem maioris, & minoris puritatis agnoscat: In domo Patris mei (dicit Dominus) mansiones multæ sunt. Non tantùm plures numero, sed etiam variæ, & inæquales pro merito, & dignitate virtutis. Mansiones plures sunt in regno Patris, vt pusillus, & minus perfectus ob defectum mansionum, repulsam nõ timeat, & variæ sunt, vt perfectus, & sanctus de promissione Dei, & acceptione condigni præmij non diffidat. Multas mansiones, ait, in domo Patris esse (inquit Cyrillus) capacitatem cæli ostendens: Quæ tanta est, vt nulla egeat ad suscipiendos electos præparatione. Hæc multitudo mansionum, differentiam quoque gloriæ significat: omnes enim vitæ suæ congruentem honorem suscipient.] Atque in eandem sententiam Augustinus. A perturbatione (Apostoli) recreantur certi ac fidentes etiam post pericula tentationum, se apud Deum cum Christo esse mansuros. Quia, & si alius est alio fortior, alius alio sapientior, alius alio iustior, alius alio sanctior; in domo Patris mei mãsiones multæ sunt. Nullus eorum alienabitur ab illa domo, vbi mansionẽ pro suo quisque accepturus est merito.] Sedium ergo cælestium varietas, meritorum & graduum charitatis varietatẽ arguit, cùm certum sit Deum electos suos non immoderatis affectibus ductum, quibus non subest, sed puriori amore, & melioribus electorum operibus incitatum, eos ad maiorem, vel minorem gloriam sublimasse. Vnusquisque nãque referet propria corporis prout gessit, siue bonum, siue malum.] Et Dominus reddet vnicuiq; secundùm opera sua.] Consequens itaque est, vt qui diuersa recipiunt meritorum præmia, diuersa quoque merita habeant, & diuersam mensuram charitatis, cuius præcipuè est meritis valorem tribuere, & cumulatiorem mercedem exigere.

[Ioann. 14.] [Cyril. lib. 9. in Ioã. c. 31.] [August. tract. 67. in Ioan.] [2. Cor. 5.] [Rom. 2.]

Alia claritas solis (inquit Paulus) & alia claritas lunæ, & alia charitas stellarum. Stella enim à stella differt in claritate. Sic erit resurrectio mortuorum.] Quòd si iusti resurgentes claritate, & gloria differunt, & tamquam stellæ inæquali pollẽt decore, ac pulchritudine: certè ante resurrectionem dum corpora mortalia gestabãt, inæquali etiam charitate pollebãt. Gratia quippe & charitas gloriæ semina fuit, vt iuxta virtutem seminis, aut minima gloriæ arbor, aut maior, aut procera consurgat. An non, cùm semen oleris terræ committis, paruũ olus gignitur, & cùm taleam cedri feris, cedrus magna producitur? Ita si parum habueris charitatis, modicam gloriam colliges; & si multùm acquisieris charitatis magnã gloriam, & fælicitatem consequeris. Præclarè enim dixit Bernardus, sanctissimũ Patriarcham Benedictum laudans: Omninò valdè potens est in cælis, qui tam magnus, & potens extitit in terris, secundum magnitudinem gratiæ, magnitudine gloriæ exaltatus. Nam & iuxta radicum quantitatem rami prodire noscuntur, & quot radicibus arbor innititur, tot ramis (sicut aiũt) decoratur.] Bene igitur ex præmiorum diuersitate, quæ perfectis dantur, colligimus, diuersas, & inæquales esse perfectorum sanctitates, atque iustitias, nec omnes eandem charitatem habere; sed quosdam eorum minorẽ, & humaniorem (vt ita dicam) alios verò maiorem, & Angelicæ charitati propinquiorem participare. De hac perfectionis inæqualitate Hieronymus sic loquitur. Ego enim hoc sentio, nullam creaturam, secundùm veram consummatamque iustitiam (cui scilicet nihil possit accedere) posse esse perfectam; Cæterùm alium differre ab alio, & diuersas esse in hominibus iustitias, nulli dubium est, & vel maiorem esse aliũ, vel minorem, & tamen secundùm statum, & mensuram suam posse iustos nominari, qui aliorũ comparatione iusti non sunt. Verbi gratia, Paulus Apostolus vas electionis, qui plùs omnibus Apostolis laborauit, vtique iustus erat scribens ad Timotheũ: Certamen bonum certaui, cursum consummaui, fidem seruaui.] Iustus erat, & Timotheus discipulus eius, & imitatur, quem docet, quid agere debeat, & quem modũ tenere virtutum. Putamus vnam, & eandem in vtroque fuisse iustitiam, & non plus habere meritorum eum, qui plùs omnibus laborauit.] Hæc ille, & multa alia pulchrè, & eruditè. Et Theodoretus: Multos ac varios esse piorum ordines non ignoramus. Quod Dominus etiam docens, multæ (inquit) mansiones sunt apud Patrem meum.] Et in distributione talentorum, non quina singuli talenta acceperunt, sed vnus quinque, alter duo, tertius vnum pro sua quisque virtute.] Addit idem, terram bonam non esse æquali mensura fructiferam, sed hanc fructum centesimum, hanc sexagesimum, & hanc trigesimum ex semine sibi commendato, proferre. Sic perfecti, & sancti tamquam vasa inæqualia, omnia tamen facta in honorem, minus, aut magis capiunt charitatis.

[1. Cor. 15] [Bern. in ser. de sancto Benedicto.] [Hier. lib. 1. contra Pelagia. c. 6.] [2. ad Tim. 4.] [Theodor. in cãt. 16]

Ex his autem duo habemus: Alterum quod intellectum erudiat; alterum verò, quod voluntatem instiget. Illud est, charitatem perfectam, aut quæ ad naturam perfectionis accesserit, latam admodum esse, eàmque sanctos, atque perfectos viros non in æquali mensura, sed variis, ac diuersis gradibus obtinere. Hoc verò est debere nos magna contentione niti, ne pusilli simus, sed ad magnam perfectionem veniamus. Nobis enim volentibus magna gratia ad currendum, imò & ad volandum non deficiet, qua roborati, & imperfectiones fugiemus, & nosipsos ac veterem hominem vincemus, & nõ communem sanctitatem impetrabimus. Omnes quidem res non solùm rationis expertes, sed etiam inanimæ, suam perfectionem amant, eam præcipuè appetunt, & in eam omnibus viribus, ab auctore naturæ datis, impressisq; nituntur. Lapis tãta velocitate ad ima descendens, quid nisi perfectionem quærit, quam in centro communis omnium auctor collocauit? Ignis supernam regionem petens, & se à materia terrestri, veluti quibusdam conatibus liberãs, quid nisi perfectionem inquirit, quam Deus in concauo lunæ, siue in ignis sphæra constituit? Ventus, & exhalatio intra viscera terræ cõclusa, & quasi in carcere compedita, terram tremefacientia, & vrbes, atque oppida vastantia, quid appetunt nisi proprium locum, in quo suam perfectionem positam habent? Animalia omnia, quæ sibi nociua sunt fugiunt, quæ ad alimẽtum, aut ad medicinã vtilia sunt, cupiũt; filios, natura duce, ac si pietatis essẽt compotes, maxima quadam diligentia nutriunt; & adhuc imbecillos in periculis protegunt, ab hostibusque custodiunt, non ob aliud, nisi vel vt suam perfectionem assequantur, vel consequutam in seipsis, aut in sibi similibus filiis conseruent. Quid ergo faciet homo, vniuersis rebus corporis prælatus, rationis compos, non ad res temporales factus, sed ad æternam beatitudinem, & ad Dei visionem, & possessionem productus, nisi suam perfectionem quærere? & in illum finem, propter quem creatus est, tota mentis industria contẽdere? Si enim animantia rationis experta in suam perfectionem tendant, homo verò ratione, & libero arbi-

trio

A trio pollens,& gratia Dei fultus post res terrenas,& perituras habeat:iam,quia natura animantibus cæteris est superior,actibus,& curis,& conatibus,longè inuenitur inferior. Dicetúrque de illo, non tantùm comparatus est iumẽtis (quod magna illi ignominia est) sed minor factus est iumentis insipientibus,& abiectior,ac vilior factus est illis.]Ne ergo, ô religiose,in tantam miseriam,ac calamitatem delabaris,homini quidem sæculari nimis fugiendam,sed tibi,qui ad Dei amplexus vocatus es,sine vlla comparatione magis infælicem,ac deplorandam, accinge, vt vir lumbos tuos, & omni conatu mentis & corporis pretiosam margaritam (perfectionem intelligo)cuius gratia ad religionem venisti,non in infimo quodam gradu, sed in sublimissima mansura B conquire.Prophanas & sæculares curas procul abiice, & religiosis operibus, quæ media ad perfectionem sunt, te ipsum committe,& in hoc, ingenium occupa,talentum exerce, curam ac diligentiam cõstitue.Et vt verbis cuiusdam sapientissimi senis,quibus Climacum exhortatus est,teipsum moneam, & à somno tepiditatis exsuscitem:si reuera sapientissimus cùm sis, effectum, virtutẽmque verborum eius intelligis,qui dixit,Omnia possum in eo,qui me cõfortat]Si Christum tota animi intentione complexus es, si Spiritus sanctus castitatis rore, vt olim in virgine,ita superuenit in te, si virtus patientiæ obumbrauit tibi: accinge sicut vir lumbos tuos obedientiæ linteo, & à quietis cœna consurgens in spiritu C contrito fratrum pedes laua,imo verò abiecta mente fratrum pedibus aduoluere. Statue in cordis tui ianua seruos ianitores,& vigiles. Tene insuperabilem,atque immobilem mentem in corpore huc, illucque distracto. Exerce in membris agilibus, ac mobilibus intellectualem quietem. Atque id, quod miracula excedit omnia, esto in medio tumultuum impauidus animo.Restringe insanam linguam,ne ad contradicendum facilè desiliat. Pugna aduersùs hãc rabidam dominam dies septuagies septies.Affige in animæ ligno(quam crucem dicimus)incudem, videlicet mentem, vt per alternos malleorum ictus, & crepitus percussa ludibriis, & maledictis, irrisionibúsque lacessita,iniuriis affecta,infracta, & in nullo læsa,seu dissoluta perseuerans, tota lenis, & plana, D immobilisque persistat.Exue te voluntatibus tuis,vt confusionis amictu,atque his nudus stadium pietatis ingredere.Indue, quod rarum, & difficile inueniri potest,ad certaminis magistrũ immobilem, vel immobilem fidei loricam, quam nulla iam infidelitas dissoluere, & violare possit. Contine fræno prudentiæ tactum impudenter prosilientem.Reprime perpetua meditatione mortis oculum, ne horis singulis magnitudines, ac pulchritudines corporum curiosius intueri velit. Refræna iugi tuiipsius cura curiosum animum,qui dum negligẽs est sui,fratrem semper condemnare vult, omnẽmque dilectionem & misericordiæ affectum ad proximum sincerè semper ostende. In hoc enim, amantissime pater, verè cognoscẽt homines,quòd Christi discipuli simus, si in E vnum congregati,dilectionem habuerimus ad inuicem.]His nõ segniter,neque oscitanter expletis, sed strenuè diligentérque conclusis, in illam, Deo donante,ingredieris latitudinem charitatis, cuius possessio hominem non iam pusillum, aut incipientem facit,non iam mediocrem, aut proficientem efficit, sed planè magnum perfectúmque constituit. Intrabis planè illud immensum amoris mare, & nullis terminis clausum charitatis pelagus, cuius aquis fæliciter obrutus, fortunatéque submersus, non tibi viuas, sed illi, de quo dictum est: Deus charitas est. A quo in cœtu sanctorum & perfectiorum collocatus, eorum præmium, & mercedem recipies.

Psal. 48.

Climac. grad. 4. de obed.

Philip. 4.

Ioan. 13.

1. Ioan. 4.

Tribus similitudinibus exponitur,quæ charitas sit perfectio.

CAPVT XII.

SED conemur hanc latitudinem charitatis,quam vitæ spiritualis perfectionem esse diximus, aliqua ratione explicare. Hactenus enim illud tantùm manet perfectionem nõ esse aliquam charitatem indiuiduam, & veluti in puncto consistentem, quam omnes perfecti accipiant, sed magnam, & immensam latitudinem continere: nondum tamen exposuimus,quæ,aut quãta sit hæc charitatis latitudo, quæ nomen perfectionis obtineat. Hãc more philosophorum metiri,& ac si demetiremur domum aliquam,vel palatiũ terminis claudere,putamus impossibile;sed non erit admodum difficile eam,aut similitudinibus ex natura petitis, aut effectibus declarare.Et quidem prima illa ratio exponendi perfectionem per similitudines obscurior, secunda verò per effectus patentior & clarior;illam breuius,istã,quæ vtilissima est, latiùs persequemur. Hanc ergo charitatem perfectam, seu vitæ nostræ perfectionem,libet Ecclesiæ nobilitatem appellare, & primo loco cum alicuius reipublicæ temporalis nobilitate conferre.Sicut enim in republica præter communem, & promiscuam hominum multitudinem,est aliqua gẽs nobilitatis appellatione dignata, quam omnes alij, tamquam potiorem veneramur, atque suspiciunt;ita in Ecclesia(relictis nunc peccatoribus,qui tamquam membra mortua parum valere noscuntur)præter communes iustos,quos vera in Deum charitas, & mandatorum custodia Ecclesiæ viua & pretiosa membra constituit; est aliud veluti hominum genus sanctitatis, & perfectionis nobilitatum nomine, quod aliis hominibus supereminet, tum mentis puritate,tum præstãtia,atque excellentia virtutis. Temporalis ergo nobilitas nos in aliquã notitiam sanctitatis ac perfectionis introducat. Est autẽ nobilitas,generis claritudo,quam magna opera in vsum reipublicæ facta pepererunt, & insignia facinora mortalibus vtilia compararunt. Cùm enim omnes homines vnus Adam pater genuerit, & vna Eua mater effuderit,non potest illorum obscuritas, & istorum claritas, nisi in propria opera, aut in parẽtum,& auorum facinora reuocari,quæ in suos auctores dignitatem,& splendorem apud alios,& magnas opes,ac diuitias,nec non exemptiones ac priuilegia contulerunt.Atque in hac nobilitate reipublicæ,maxima est dignitatis,ac splendoris latitudo, quam nomina illi indita,manifestè significant. Sunt enim nobilium alij Equites,alij Comites, alij Marchiones, alij Duces, alij Magnates, alij Principes, alij Reges,alij Imperatores, qui tamquam Ecclesiæ antesignani, in quibusdam euentibus etiam regibus imperãt,& leges ac iura magis generalia decernũt. Et in statibus his, est etiam non minima nobilitatis varietas; nã inter Equites sunt alij aliis nobiliores; & inter Comites, aut Duces sunt alij aliis illustriores, & inter Principes, ac reges alij aliis potentiores,prout insignium operũ series à parentibus

in filios,& nepotes propagata tulit,aut maior diuitiarum,& subditorum copia concessit. Itaque omnibus istis hoc côuenit,vt nobiles sint,vt generis claritatem habeant, magnis operibus partam, & diuitiis,ac opibus cumulatam;sed differunt,quòd quidã eorum minùs illustres,quidam magis clari, & nobiles sunt,hi minorem,illi maiorem splendorem suis, aut progenitorum laboribus acceperunt,& consentiente republica sunt consequuti.

Hæc omnia ad sanctitatem,& perfectionẽ transferamus.Ecclesia enim florentissima Christi respublica,habet viles,& abiectos homines, quales sunt omnes peccatores,grauibus criminib° infecti,quos Deus patienter sustinet, vel vt corrigantur,vel vt iustis famulentur,vel vt suis peccatis bonos exerceãt. Vnde Augustinus optimè.Ne putetis gratis malos esse in hoc mundo.& nihil boni de illis agere Deũ. (*Aug. in Psal. 54.*) Omnis malus,aut ideo viuit vt corrigatur, aut ideò viuit vt per illum bonus exerceatur.] Habet etiam communes ciues,bonos quidem & honoratos, cuiusmodi sunt communes iusti, qui Dei gratiam, & charitatem adepti,vtcumque eius legibus parent,& (*Ephes. 2.*) mandatis obediunt.Isti sunt ciues sanctorum,& domestici Dei, quibus Deus tanquam seruis fidelibus magna dona tribuit,&,si in bona vita perstiterint, æterna præmia.& ingẽtia bona in cælesti curia promittit.Habet tãdem viros nobiles,& illustres quorum splendor,& decor non est à parentibus hæreditate transmissus,sed proprio labore,& industria Dei gratiæ subnixa,& magnis operibus conquisitus. Isti sunt sãcti,& perfecti viri,quos Petrus præcipuè vocat genus electum,regale sacerdotium gens sancta (*1. Petr. 2.*) populus acquisitionis.]Et Ioannes in sua reuelatione,ait:Quia fecit eos Deus regnũ & sacerdotes, & (*Apoc. 5.*) regnabunt super terram.]Horum nobilitas non alia profectò, quàm charitas perfecta est. Illa scilicet, (*Matt. 23.*) qua dedignantur patrem sibi appellare super terrã, quia vnus est Pater eorum qui est in cælis.] Illa beneficio creatoris infusa,sed magnis operibus à gratia profectis, & improbis laboribus aucta, quæ eos non tantùm Dei seruos,sed amicos,& familiares,& simillimos faciat.Illa,quæ in ipsorum perfectorum animos.altas cogitationes,& ingẽtia desideria producat,& ad sublimia opera omnis virtutis impellat. Illa, quæ honores rideat,dignitates & delicias abiiciat,& omnia mundana & terrena contemnat.Illa, quæ omnem immunditiam procul arceat,inordinatis affectibus eximat,& curis temporalibus tributa non soluat.Illa denique tam potens, quæ faciat nos mundo penitus commori,& Deo soli viuere, ac rebus cælestibus,cogitationibus,desideriis,verbis, & operibus inhærere.Huius autem spiritualis nobilitatis,ingens ac penè immensa est latitudo;ita vt nobilitatem temporalem,quasi in infinitum excellat: Nã si hanc à communibus nobilibus, vsque ad imperatoriam dignitatẽ certi gradus locique distinguũt, spiritualem nobilitatem multò plures digniorésque secernunt. Sunt enim in ea(vt à minoribus incipiamus,)Eremitæ, Virgines, Confessores, Doctores, Pontifices,Martyres,Apostoli, Prophetæ præter illorum graduum numerum qui Angelorum hierarchias,& veterem Ecclesiam distinxit. In quo à primo gradu vsque ad vltimum innumerabilis est infinitáque distantia.Si enim(vt Thomæ Aquinati, & (*D. Tho. 1. p. q. 50. ar.*) multis Theologis placuit)omnes spiritus cælestes, specie & natura differunt, & iuxta gradum naturæ mensuram perfectionis habent; quis poterit huius nobilitatis amplitudinem eumerare?De qua Daniel (*Daniel. 7. 11.*) Millia millium ministrabant ei,& decies millies cẽtena millia assistebant ei. Ad hanc nobilitatem ve-

A rissimam atque clarissimam vocauit nos Deus, cùm mentibus nostris desiderium perfectionis inieeit,atque adeò magna,atque deflenda est socordia nostra, qui ad tantũ splendorem inuitati, ad tantam dignitatẽ impulsi,adhuc in cæno sumus, & vitiorum nostrorum sordibus adhærescimus.Si optioni tuæ datũ esset,ô religiose,quãdo sæcularẽ vitam agebas,statũ aliquem nobilissimum occupare, & ad illustrissimã familiã pertinere,in hũc sanè splẽdorẽ toto mentis conatu,& industria contenderes, sed tuæ voluntati Dei gratia suffultæ, relictum est nobilem esse regni cœlorum,illustrissimũ illius sanctæ reipublicæ locũ tenere,splendidissima dignitate delectari.Quare ergo in luto iaces,vanis desideriis occuparis,ambitioni seruis,& inutilibus actibus distineris?Cur tibi ipsi B nõ imperas,sæculũ,quod fugisti,nõ deseris, virtutis studiũ nõ cupis,orationis donũ non quæris, ad charitatem perfectam nõ aspiras? An nobilitate sæculi inferior est ista nobilitas? An splẽdore fictitio minor est iste verus splendor?An dignitate mundana, amicissimorum Dei dignitas vilior est,aut abiectior?Sed illã appetere, istam autem fastidire, cæcitas est deploranda, quam tu Domine à corde meo nimis obcæcato repelle,vt hanc verissimam nobilitatem,scilicet perfectionẽ,agnoscam, cognitam diligã, amatàm cupiam,concupitam assequar,& assequutam in dies feruentissima diligentia promouere curem.

Hæc similitudo nobilitatis aliqua ratione perfectionis naturã aperit,sed multò meliùs,atq; apertiùs eã corporis nostri bona valetudo declarat: Quæ cũ omnibus aliquo vitæ tempore communis sit,& non C tam consideratione,quàm ipso experimento cognoscatur,mirificè sanitatis, ac valetudinis animæ substãtiam aperiet.Et quidẽ, licèt corporalem sanitatẽ philosophi,& medici temperiem qualitatũ.aut ipsas qualitates temperatas esse definiant,nos autem paulò latiùs eam explicãtes dicimus esse statũ vitæ corporalis,fũctiones suas benè obeũtis, & strenuè præstãtis.Itaque status est, quoniam nõ celerem casum, & facilem sine vlla occasione,mutationem, sed cõstantiã,& stabilitatẽ habet. Qui enim nũc bene habet,& statim sine vlla causa malè habet, & nũc imbecillitate,nunc doloribus affligitur, non sanus corpore,sed infirmus reputatur.Est quoque status vitæ, quoniam bona valetudo sine vita non subsistit:Quis enim sibi persuadeat,cadauer vita priuatum,tabidũ, D fœtens,& in sepulchro iacens,aut aliquam sanitatẽ, aut incolumitatem possidere?Sed vita ad salubritatẽ nõ sufficit.Naamã enim Syrus viuus erat,qui loquebatur,gradiebatur,& medicũ lepræ suæ magna diligẽtia quæritabat,non tamen sanus, de quo Scriptura inquit:Erat vir fortis,& diues,sed leprosus.]Et socrus Petri vitã quidẽ habebat, sed incolumitate (*4. Reg. 5.*) carebat,quã molesta febris vexabat.Et paralyticũ,non vita,sed salus deseruit,cui Dominus non dixit. Ecce (*Matth.*) iam viuus factus es,sed,ecce sanus factus es, iã noli peccare.] Est ergo ad sanitatem necessarium,vt ea,à (*Ioan. 5.*) quibus vita corporis pendet, optimã constitutionẽ habeant,quibus homo probè suas actiones obeat,& expeditè vitæ fũctiones exerceat. Vnde ista ad sanitatẽ requirũtur,vt scilicet quis membra integra habeat,humores tẽperatos,vires tã corporis, quã ani- E mæ ad agendũ solutas.cibi, & potus debitis tẽporibus appetentiã,somnum quietũ,& placidum,colorẽ viuidum,roboris indicẽ, & corporeæ temperationis nunciũ fidelissimum.Tribus ergo constat corporalis sanitas,vita, humanarũ actionũ exercitatione optima, & nonnulla stabilitate, quæ modicis impedimentis non cedat, & homo ista habens sanitatem corporis habet,& verè dicitur sanus,& vegetus.

Quæ

Quæ de sanitate diximus, eadem suo modo de A perfectione dicamus, oportet. Charitas enim illa ita potens, ita efficax, vt hominem ad animæ sanitatem transferat, & non solam vitam spiritualem tribuat, ac etiam iuxta cuiusque statũ imperfectiones amoueat, & optimas actiones conferat, nec non & stabilitatem, ac perseuerantiam in bono concedat, perfectio animæ dicenda est, & sanctitas reputanda. Est ergo perfectio charitas sanans mentem nostram, vel (vt accommodatiùs ad propositam similitudinẽ dicamus) est sanitas animæ, ad quam si ægrotat (vt inquit Hieronymus) non manus valet peruenire medicorum, non herbarum succis, si deficit, reparatur. Nihil ad eam corporeum intrare potest, substantiæ tantùm suæ illi similitudo descendit, verbo curatur, obedientia conualescit.] Et hæc sanitas in tribus, in B vita, in spiritualium actionum optima exercitatione, & in stabilitate consistit. Primò illa charitas perfectio est, quæ tribuit animæ vitã, id est, quæ à morte peccati letalis liberat, & hominem Dei amicum facit. Nam homo peccatis mortuus, & vita gratiæ carẽs, vitiis ac effectibus inordinatis corruptus, prauis exemplis coram omnibus fœtens, & in malæ cõsuetudinis tumulo collocatus, quonã pacto poterit esse perfectus? Huiusmodi homines non sani, neque infirmi, sed planè mortui a Paulo nuncupantur: Et vos (inquit) conuiuificauit, cùm essetis mortui delictis, & peccatis vestris, in quibus aliquando ambulastis.] Et alio loco: surge, qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus.] Et rursus alibi: Quæ in deliciis est, viuens mortua est. Dominus C quoque peccatores mortuos vocat in illa Scriptura: Sine mortuos sepelire mortuos suos.] Quem locum Augustinus explanans, ait: Habent & animæ mortem suam in impietate, atque peccatis, secundùm quam mortem mortui sunt, de quibus idem Dominus ait Sine mortuos sepelire mortuos suos, vt scilicet in anima mortui, in corpore mortuos sepelirẽt.] Ergo qui in peccato sunt, cùm vita spirituali careant, nihil cum perfectione aut sanctitate commune habent.

Hierony. epist. 7. de vera perfect. tom. 9. — *Ephes. 2.* — *1. Tim. 5.* — *Mat. 8.* — *Aug. 20. de ciuit. c. 6.*

Non tamen satis est, quòd charitas animæ vitam tribuat, vt sanctitas ac perfectio iudicetur. Multi nàmque Deo viuunt, & gratiam ac charitatem habent, quos morbi animi cruciant, & spirituales do- D lores exagitant. Si lepra inuidiæ tabescis, si febri ambitionis ardes, si paralypsi inobedientiæ dissolueris, si freneſi iræ, & indignationis ligaris, si hydrope cupiditatis inflaris, si furore superbiæ teneris, viuus fortassis eris, sed non sanus, tepidus eris, & vitiosus, non vir sanctus, atque perfectus. Licet enim hæc aliquando non vsque adeò procedant, vt letalia peccata sint, & animam mortis gladio confodiant, semper tamen sunt animi morbi, quibus qui subiacet, non sanus est, sed morbidus, & dolore cruciatibusque detentus. Illa igitur charitas perfectio iudicanda est, quæ supra vitam, sanitatem etiam animæ & incolumitatem impertit, illa scilicet quæ sensus ani- E mæ vegetos & rectè dispositos secum afferat, visum qui attentè res spirituales aspiciat, auditum qui vocem Domini audiat, odoratum, cui aliorum feruor, & virtutis cura bene oleat, gustum cui propter Deũ amara dulcescant & tactum, qui crucem amplectatur, & labores patienter teneat. De qua salutis parte inquit Paulus: Malitia paruuli estote, sensibus autem perfecti estote. Illa charitas perfectio est, quæ membra spiritualia, hoc est, potentias mentis nostræ ad bene agendum, & opera virtutis præstanda consolidet, quæ humores, id est, affectus amoris, & odij, & cæteros temperet, quæ vires, nimirum virtutes, humilitatem, castitatem, mansuetudinem & reliquas ad operandam corroboret, & omnibus impedimentis, siue internis, siue externis absoluat; quæ cibum, vel potũ mortificationis appetat, dicẽs cum propheta: Et cinerem tamquam panem mãducabã, & potum meum cũ fletu miscebam.] & somnum orationis, & contemplationis concupiscat, eúmque placidè & quietè, & sine insomniorum phantasiis, id est, sine distractione cogitationum accipiat, quæ tandem decorum, ac iocundum oculis colorem habeat, nempe bonum ab omnibus testimonium, quia religiosam disciplinam probè seruauit, & ea quæ ad se pertinebãt, optimè custodiuit Audiamus Bernardum de hoc colore, salutis indice, siue de hoc bono testimonio loquentem, Triplex nobis quærendum est (inquit) salutis nostræ testimonium, ab Angelo Maria, & Ioseph. Oportet, inquam, vt ante omnia nobis magni consilij Angelus salutis nomen imponat. Dehinc & ipsius quoque congregationis necessaria est attestatio, quæ tamquam mater est singulorum, sed neque ipsius ministri contemnendum est testimonium ei qui imitari quærit saluatoris exẽplum. Sed dico ea manifestius. Et ab his, qui foris sunt, fratres mei, & ab eo, qui intus est habere oportet testimonium bonum: cuius enim omnibus grata, nemini onerosa est cõuersatio, huic sine dubio propria de salute vniuersa fratrum congregatio attestatur: Habet & à prælatis testimoniũ, quisquis & peccata sæcularis vitę, & huius quoque temporis negligentias humili eis, & pura confessione iudicanda semper exponit, & eorum satisfacere studet arbitrio Necesse est etiam, vt opituletur nobis testis, internus, qui magis cor, quàm faciem intuetur: A quo sanè incipiendum est, vt non priùs quicquam concipiatur animo, quàm ab eo salutis nomen acceperit.]

1. Cor. 14. — *Psal. 101.* — *Bern. ser. 1. de circumcis.*

Sed nunquid charitas ad hoc vsque progressa, iam est omnino perfecta? nequaquam, nisi etiam tertiam proprietatem sanitatis habeat, vt scilicet in his omnibus cõstans, atque stabilis perseueret. Non quia perfecta charitas in hac vita nõ possit deficere, quod verum non est, nam & perfecti possunt cadere (vt cecidit Dauid, & cecidit Petrus) & charitatem perdere, & perfectionem amittere, quibus etiam dicit Paulus. Qui stat videat ne cadat;] sed quia vt sanctitas, sit, debet stabilitatem virtutis propriam comparare. Sunt enim nonnulli ad breue tempus sensibili quadam deuotione perfusi, & cœlestibus consolationibus inebriati, qui quamdiu sobria, & sancta ebrietas consolationis durat, facilè mundana contemnunt, seipsos & sua vitia, & passiones prosternunt, & disciplinæ religiosæ se ac legibus diuinis accommodant; sed si vinum deficiat, si consolatio euanescat, statim turbantur, humanas consolationes repetunt, & ad pristina vitia, & vana desideria reuertuntur. An istos perfectos vocabimus? An istos sanctos iudicabimus, quos non charitatis magnitudo, sed deuotionis admiratio continebat? Nullo modo, quia eorum rectitudo, non ex habitu, sed ex quodam extrinseco auxilio tantùm, ac fauore processit. Quemadmodum enim homo gibbosus potest ad breue tempus seipsum erigere & rectus apparere, nõ tamẽ ideo rectus est, quia gibbũ habet, quem diligẽtia & conatu abscõdit: ita homo prauis affectionibus ac vitiis corruptus, magnitudine alicuius deuotionis sopitus, potest sanctus ac perfectus videri, qui tamen perfectus non est, quoniam mille vitiis ac imperfectionibus scatet, quas deuotio ligat, & nouitas rerum spiritualium occultat. Sunt ergo perfecti, qui magnam charitatem habent, proprios affectus domantem, vitia destruentem, & ad

1. Cor. 10

puram, atque illibatam vitam secundùm cuiusque statum impellentem. Qui siue læti sint siue tristes, siue consolati, siue desolati, siue oleo deuotionis inúcti, aut laboribus, desolationibúsque afflicti; mũdana horrent, seipsos deserunt, strenuè mandata & consilia custodiunt, mentis puritatem auidissimè cõsectantur, & Deum super omnia concupiscunt. Hæc charitas est sanitas & perfectio animæ, quæ vitam spiritualem communicat, actiones huius vitæ proprias optimè præstat, & in sinistris euentibus robur & stabilitatem impertit.

Perfectionem tandem arbori pulcherrimæ, & fructibus oneratæ comparamus, quæ similitudo ad explicandos perfectionis fructus nobis aditum patefaciet. Meditemur igitur proceram, & fructuosam arborem, non iam in hyeme omnium suorum bonorum indigam existentem, & quasi mortuam apparentem; sed æstiuo tempore pulchram, & diuitem, & quasi suas opes, ac diuitias propalantem. Iucundum est videre in ea radicem terræ affixam, aquarũ decursibus irrigatam, trũcum, siue stipitem non solùm corticibus armatum, sed & salutifero gummi circundatum, ramos vestitos foliis, & odoriferis floribus adornatos, pendentes suaues pomorum fructus, & gustum aspicientium inuitantes: quos si vel leuiter manu tangas, statim in tuum vsum cadũt, & benignissimã matrẽ, à qua educati, & ad maturitatẽ adducti sunt, sine vlla tristitia, aut difficultate relinquunt, ac si scirent se non soli arbori fuisse creatos sed in hominũ cibum, & voluptatem productos. O perfectio sancta, ô sanctitas illibata, ô puritas animę splẽdida, atque decora! tu es ista arbor, quam Dominus in iustorum cordibus seuit, non vt tuorũ dulcissimorum fructuũ emolumẽto priuata maneres, verũ, vt eos ex te emittens, & aliis immensas diuitias recondere. Charitas ergo est quasi arbor fructifera, quod eò libentiùs assero, quò video Dominũ omnẽ virtutẽ, ac vitium arbori cõparasse. Omnis arbor bona (inquit) fructus bonos facit; mala autem arbor, malos fructus facit. Et Gregorius vitam iusti (quæ præcipuè in charitate consistit) palmæ libenter assimilat. Nec immeritò (ait) iustorum vita palmæ comparatur, quia scilicet palma inferiùs tactu aspera est, & quasi aridis corticibus obuoluta, superiùs verò, & visu, & fructibus pulchra; inferiùs corticum suarum inuolutionibus angustatur, sed superiùs amplitudine pulchræ viriditatis expanditur. Sic quippe est electorũ vita, despecta inferiùs, superiùs pulchra; in imo ista quasi multis corticibus obuoluitur, dum innumeris tribulationibus angustatur; in summo verò illa quasi pulchræ viriditatis foliis amplitudine retributionis expanditur.]

Matt. 7.

Greg. 19. mor. c. 16

Ista spiritualis arbor, ante quam ad perfectionis naturam veniat, in incipientibus, & proficientibus, quasi in hyeme est, & frigoris, pluuiarum, niuium, & tempestatum iniurias patitur. Non eam foliorum pulchritudo condecorat, non florum decor exornat, non fructuum maturorum copia multiplicat; sed tepiditatis horror inquietat, affectuum, & passionum stridor exagitat, & tentationum procella conturbat. Quod si aliquid iam pulchritudinis assequatur, illa est tamquam pulchritudo veris, in qua charitas veluti quemdam trãquillitatis nitorem acquirit, & feruoris viriditatem effundit, iam incipit paulatim frondescere, & floribus se, quasi vestimentis induere, & fructus bonarum actionum emittere, sed isti fructus nec dum maturuerunt, nec omnem imperfectionem & acerbitatẽ abiecerunt, nec ad debitam dulcedinem, ac suauitatem properarunt. De quibus in canticis dicitur: Manè

A surgamus ad vineas, videamus si floruit vinea, si flores fructus parturiunt, si floruerunt mala punica: ibi dabo tibi vbera mea.] Sponsa námque per agros, ac villas, iustos nondum perfectos intelligit, in quibus non fructus maturos requirit, sed flores, id est, sancta desideria, & fructuum initia, aut fructus acerbos, hoc est, opera bona nonnullis imperfectionibus mista, & infecta cernit. Cùm autem isti adoleuerint, & ad aliquam charitatis perfectionem aduenerint, tunc fructus maturos, & suaues habebunt, ad quos sponsa Christum inuitauit, dicens: Veniat dilectus meus in hortum suum, & comedat fructus pomorum suorum. Non quia illa imperfectorum opera, licèt distractione, & tepiditate, & aliis imperfectionibus fœdata, grata non sint, ex eo quòd bonum habent, & à charitate procedunt, sed quia Ecclesia ob defectus modicos, quibus scatent, quasi cum verecundia, illa Deo offert, nec digna conuiuio, & mensa superni regis existimat. Non tamen erit ingratum istam sententiam Theodoreti verbis audire. Sponsum (inquit) vt animarum vilium adhuc, & abiectarum, quas metaphoricè agros, & villas nominat, curam gerat, sponsa cohortatur. Neque enim dicit, egrediamur in ciuitatem, sed egrediamur in agrum, commoremur in villis, manè surgamus ad vineas, videamus an vitis floruerit,] aspicimus (inquit) eos qui modò prædicationem acceperunt, an floruerit germen. Intueamur, & meliores istos, qui non solùm folia, sed etiam flores tulerunt, quos hic germen intelligit, an floruerint mala punica, an charitatis initium in aliquibus apparuerit.] Incipientium ergo, & proficientium charitas quasi arbor in hyeme, aut in vere est, quæ primo tentationibus, & molestiis exercetur, & deinde virescit, & florescit, & bonorum operum fructus parturit, nondum tamen optatam pulchritudinem & fructuum suauitatem, & perfectionem acquisiuit.

Cant. 7.

B

Cant. 5.

Theod. in Cant. c. 7.

C

Charitas autem, quæ eò vsque processit, vt perfectio animæ sit, arbori pulcherrimæ, & magnæ comparanda est, quæ in tempore æstatis, omnẽ decorem foliorum & florum & omnem fructuum suauitatem est assequuta. Verè arbor ætatis, nam feruore ardet, & miris amoris affectibus incalescit. Ea terræ cordis humani affixa est, ita vt nec tentationibus euellatur, nec tribulationibus extirpetur, nec portæ inferi præualeant aduersùs eã. Charitatem hanc riui cœlestium auxiliorum rigant, & instar corticis diligentiùs tuetur diuina protectio, quæ ad alios etiam ob respectum viri perfecti seipsam extendit. Foliis prætereà sanctorum verborum induitur. Nam folia ligni huius (vt est in Apocalypsi) non ad fastum, non ad iactantiam, sed ad sanitatem gentium. Floribus sanctorum desideriorum & miris rerum cœlestium affectibus decoratur, Nam emissiones eius paradisus septem arborum] id est, omnium supernorum charismatum, cùm omnia vana desideria honoris, aut voluptatum, aut temporalium rerum contempserit, & sola desideria rerum cœlestium adamauerit. Fructus bonorum operum pendentes habet, non acerbos, & crudos, non stuporem gustanti afferentes, sed maturos, & coctos, atque ineffabilem suauitatem asseruantes. Hi multitudine innumerabiles, salubritate præcipui, aspectu pulchri, virum perfectum cumulatissimis præmiis amplificant, & proximos iuuant, atque sustentant, qui visis, aut auditis sanctorum operibus mirum in modum compunguntur, ad imitandum eorum exemplum animantur, & glorificant æternum Patrem, qui est in cælis. Nam (vt inquit Richardus Victorinus) ex agnitione bonorum, & virtutum eorum non parum accensum est in ani-

D

Apoc. 22.

Cant. 4.

E

Richar. in lib. Cãt. c. 3.

ma desiderium iustitiæ. Accessit enim ad ardentes hoc igne, quem Dominus Iesus misit in terram, & voluit vehementer accendi. Ad quos dum accedit tedidus, incalescit: & feruens amplius ignescit.] Istam speciosam arborem charitatis, tu Domine Deus meus in tuorum mentibus iustorum plantasti, vt in ea tuam erga eos bonitatem, & amorem ostenderes, & diuitias largitatis tuæ in sanctos & perfectos viros declarares. Vis, vt adolescat, optas, vt crescat, rigas & fodis circa eam, & miiis cognitionis humanorum defectuum, & culparum stercora, vt poma vetera, & noua ferat (dum antiquos, & nouos sanctos imitatur) & in debitam mensuram assurgat. Sed heu me miserũ, ô creator, & custos animæ meæ, quia in paucis adoleuit, & iustam proceritatem assumpsit. In multis arbuscula tantùm est, recens sata, quam Diaboli astus euellit, quæuis exorta tẽtatio interimit, & vẽtus persecutionis adurit. In aliis altas radices iecit, sed tamquam in hyeme omni pulchritudine caret, & curis huius mundi tamquam pluuiis, & procellis impetitur. In aliis verno tempore gaudet, & nonnullo Spiritus sancti calore frondescit, cœlestibus desideriis viret, & sanctis cogitationibus hilarescit. Iam fructus gemmant, vel etiam aperte se ostendunt, aut istam quantitatem acquirunt, sed adhuc duri sunt, adhuc acerbi, & multis imperfectionibus irretiti. Quid enim est in meditatione tepiditas, in oratione distractio, in bona actione, & in labore molestia, nisi quædam fructus austeritas, quæ indicat eum necdum esse maturum? At in admodum paucis in æstiuum tempus progressa est, ita scilicet, vt in totam Ecclesiam, aut certe in totam congregationem bonum odorem spargat, alios oratione velut vmbraculo protegat, atque cooperiat, & fructus bonarum actionum emittat, ita mortuos ac temperatos, vt & Deo accepti, & hominibus dulces & suaues existant. Quos vnusquisque gustans dicat: Et fructus eius dulcis
Cant. 2. gutturi meo.] Hanc charitatem tu Domine Deus concede nobis, ne semper infantes simus, & post tot annos vitæ religiosæ, pueri inueniamur, & ne modicum, quod te donante, recepimus, amittentes, illam terribilem incurramus sententiam: Puer
Isaia 65. centum annorum morietur, & peccator centum annorum maledictus erit.] Sed magis procedentes de virtute in virtutem, & vitam viuorum, id est, perfectorum agentes, occurramus omnes in vnitatem fidei, & agnitionis filij Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi.]
Ephes. 4. Cui sit gloria, & imperium in sæcula sæculorum. Amen.

De quatuor primis fructibus perfectionis.

CAPVT XIII.

PRAEDICTVM arboris simile, quo perfectionis naturam exposuimus, nos ad quærendos tam salutiferæ arboris dulcissimos fructus impellit, quorum numerus priùs inuestigandus, est, vt postea eorundem fructuum naturam, & qualitates inquiramus. Numero enim ignorato, in eo periculo sumus, vt aliquis charitatis fructus nos ipsos prætereat. Puto autem perfectionem esse arborem illam speciosam atque mirabilem, quã Ioannes in extrema suæ reuelationis parte descripsit. Et
Apoc. 22. ostendit mihi (inquit) fluuium aquæ viuæ, splendi-

A dum tamquam crystallum procedentem de sede Dei, & agni, in medio plateæ eius, & ex vtraque parte fluminis lignum vitæ, afferens fructus duodecim, per menses singulos reddens fructum suum, & folia ligni ad salutem gẽtium.] Fluuius iste auxilium est diuinæ gratiæ, cuius aqua viua est, nimirum semper manans, & splendida tamquam crystallus, id est, mentem illuminans & ab omni sorde, ac fœditate purificans. Quam Dominus Ecclesiæ suæ promittit. dicẽs: Ego sitiẽti dabo de fonte aquæ viuæ gratis,] Apoc. 21. eáque omnes suos potat ac recreat, & deducit eos ad vitæ fõtes aquarum. Et rursus: Qui credit in me, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ.] Audi, quid Ierem. 7. de hoc fluuio sentiat Richardus Victorinus. Fluuius Richar. (ait) est gratia Spiritus sancti, cuius impetus lætificat ciuitatem Dei. Quæ rectè fluuio comparatur, quia
B singulas generationes rigando, post vnam in alterã fluit, & si aliquando aliquibus subtracta angustetur, aliis tamen participando, per aliquos fluere numquam desinit. Quæ etiam bene assimilatur aquæ viuæ; aquæ, quia reficit, viuæ, quia numquam deficit, aquæ, quia abluit; viuæ quia semper fluit. Procedit hic fluuius à sede Dei, & agni, quoniam à Deo gratis, & sine vllis nostris meritis datur, & ob merita Christi Saluatoris nostri confertur. Quare apud Ezechielem è templo exire conspicitur, nempe ex Ezechiel. 47. Christo Iesu, qui templum Dei appellatur. Nam in eo (vt Paulus ait) habitat plenitudo diuinitatis corporaliter.] Omnes vicos, & plateas ciuitatis Ecclesię rigat, quia omnibus iustis tam incipientibus, quàm Coloss. 2. perfectis, viuificum humorem aspergit. Eius verò
C vtrámque ripam lignum vitæ, id est, perfectio, siue arbor vitæ nobilitat, quia perfectio secus decursus huius fluuij plantata, in vtraque lege, tam antiqua, quã noua, his salutaribus aquis irrigata perseuerat. Et iure optimo in ligno vitæ perfectionem signatam esse intelligim⁹, quę & ab Spiritu sãcto auctore vitę procedit, & vitã habẽtibus eã elargitur, & operibus vitæ, scilicet operibus spiritualibus generatur, cõseruatur, & crescit, & omnes quotquot spiritualiter viuunt, eius beneficio viuunt; quia, aut consummationem, aut profectum, aut saltem eius initium participant. A qua intelligentia Sanctus Bonauentura non multùm discedit, qui per lignum vitæ fructum cha- Bona. in ritatis intelligit. Lignum vitæ sancta perfectio est, genes. ser. in cordibus iustorum plãtata, qui hinc, & inde, tam- 18. ad finem.
D quã terra bona, & tamquã ripæ amœnissimæ diuinę gratiæ fluuio alluuntur: cuius ligni radix est timor Dei, Nam initium sapientiæ timor Domini] eius Psal. 110. truncus est amor Dei. qui si aliquando consenuerit, & præ tepiditate mentis penè cessauerit, ad odorem aquæ germinabit, vt scriptum est in Iob: & faciet coman, quasi cùm primum plantatus est.] Cuius rami Iob. 14. sũt omnes virtutes, quæ ab amore tãquam ab initio Eccles. 1. procedũt, de quibus Ecclesiasticus: Rami eius lõgæui, & sub ramis eius iustus morabitur:] Cuius folia Eccles. 14. sũt præcepta diuina, quia lignum istud protegũt, & ornant, & ad sanitatem gentium sunt instituta, nam præceptorum custodia, gentes morbis peccatorum liberantur, & salutem iustitiæ adipiscuntur. Quare apud Ezechielem folia hæc dicuntur ad medici- Ezech. 47.
E nam. Cuius fructus duodecim sunt, quos inuestigare contendimus, vt ex bonis fructibus bonam arborẽ agnoscamus. ni fructus, duodecim effectus sunt charitatis perfectæ, quos in viris perfectis animaduertimus, & eos legere, & alta consideratione meditari debemus, non solùm vt eorum notitiam, sed multò magis, vt ipsorum gustum, & experimentum capiamus Non enim auditores legis iusti sunt apud Deũ, sed factores legis iustificabuntur.] Vndẽ & Salomõ; Rom. 2.

Rom. 2. Non sapientiæ, id est, perfectionis cognitores, sed A possessores beatos existimat. Beatus homo (inquit) qui inuenit sapientiam, & qui affluit prudentia: melior est acquisitio eius negotiatione argenti & auri, Prou. 3. primi & purissimi fructus eius, pretiosior est cunctis opibus; & omnia quæ desiderantur huic non valent comparari.] Tu Domine, dum suauissimi ligni vitæ fructus enarro, & ipsorum qualitates exaro, menti meæ fletum magnum, & compunctionem infunde, qui solam ieiunam quemdam istorum fructuum cognitionem hausi, & numquam eos gustaui, & præ tepore & ignauia numquam tãtorum bonorum experientiam acquisiui.

Primus fructus perfectionis est puritas mentium. Est enim perfectio, siue perfecta charitas veluti quędam purissima ac splendidissima lux, quæ peccatorum letalium tenebras horret, & leuium peccatorum vmbram pertimescit. Ideo mentes perfectorum suæ ditioni subiectas, prouocat, non solùm vt crimina vitent, quibus nihil est obscurius, nihil miserius, verùm etiam vt leuissimas quasque maculas perhorrescant. Non quia viri perfecti, dum vitam mortalem agunt, ab omni leui macula sint immunes. Nam certè nullus eorum, cùm thesaurum istum habeat in vase fictili, potest leuissimos defectus cauere: Si Christum Dominum perfectorum principem, & Beatã Virginem perfectorum decus, & reginam excipias. Quare Hieronymus illud, quod de Iob dicitur: erat vir ille simplex, & rectus, ac timens Iob. 1. Deum, & recedens à malo;] ita intelligit, vt nõ omnimodam puritatem, qualem in Beatis est inuenire, C sed morum emendationem significet. Eius verba sunt. Nisi forte hoc dicamus, quòd recedens ab omni malo, emendationem significet, & de erroribus Hier. epist. 151 ad Algasiam q. 8. pueritiæ, & de vitiis lasciuientis ætatis transitum ad correctionem, atque virtutes: Iustitiam quoque quæ in Zacharia & Elizabeth prædicatur foris esse: concupiscentiam verò, quæ nunc habitare in mentibus nostris dicitur, versari intrinsecùs.] Et statim subdit. Sed & apostolis non pueris præcipitur, verùm iam ætatis robustæ, vt assumant perfectionem, quam, & nos confitemur in ætate esse perfecta. Nec hæc dicentes adulamur vitiis, sed auctoritatem sequimur Scripturarum, quòd nullus homo sit absque pecca- D to; sed conclusit Deus omnes sub peccato, vt omnium misereatur,] absque eo solo, qui peccatum nõ Rom. 11 Galat. 1 1. Petr. 2 Prou. 40. fecit, nec inuentus est dolus in ore eius. Vnde & per Salomonem dicitur; quod serpentis vestigia non inueniantur in petra.] Sed ideò dictum est, perfectam charitatem leuissima quæque peccata non admittere, quia diligentissima cura ea cauet, &, si inciderint, lachrymis & gemitibus diluit. Perfectionis ergo huius vitæ puritas in hoc sita reperitur, vt omnia grauia peccata penitus fugiat, & corporalem mortem, imò & ipsos Gehennæ cruciatus potiùs, quàm aliquod graue crimen admittat, & vt leuia peccata numquam de industria perpetret, & quæ humana fragilitas secum affert, quotidie numero minuat, imminuta, qualitate extenuet, extenuata, sæpissimè E odio ipsorum, & Dei feruentissimo amore consumat. Sicut enim industrius, & egregius eques, qui equum, cui insidet, sciat optimè moderari, ita illum fræno, & loris coercet, vt rectam viam carpat, & si quid modicum deuiauerit, mox ad eam redeat, & semper vltra procedat, & nouum iter conficiat, Ita perfecta charitas viros sanctos gubernat, & regit fræno & loris auxilij Dei, vt ferè semper virtutis, & sanctitatis viam teneant, & si aliquando modicum quid per leue peccatum ab ea declinauerint, statim eo dimisso, imò aqua contritionis suffocato, & igne amoris consumpto, ad cæptam virtutis viam, cum magna celeritate reuertantur. Et in hoc sita est similitudo Dei viros perfectos exornans, & eos suo splendore nobilitans, si ipsi leues etiam abiiciant maculas, & munditiam, ac puritatem mentis maximo desiderio sectentur. Quod ex Ambrosio didicimus in hunc modum scribente. Hoc est similem esse Ambr. de fuga saeculi c. 4. Dei, habere iustitiam, habere sapientiam, & in virtute esse perfectum. Deus enim est sine peccato, & ideo qui peccatum fugit, ad imaginem Dei est. Perfectio igitur hunc primum fructum, ac suauissimum edit, vt doceat crimina penitus abolere, & leuia peccata toto mentis conatu fugere, & si nos aliquando fœdauerint, faciat lacrymarum vndis, & feruore amoris maiori deinceps circumspectione B lauare, vt sic imaginem, & similitudinem Dei incoinquinatam gestemus, & singulis momentis, si fieri posset, ad maiorem virtutem, & puritatem procedamus.

Secundus fructus perfectionis est, abiectio temporalium. Nam perfecta charitas est, vt ditissimus & àmplissimus thesaurus, qui omnes sinus, & recessus mentis occupat, ne terrena capiat, aut vilia & abiecta huius mundi bona concupiscat. De Eccles. 30. quo illud in Ecclesiastico inuenimus. Iucunditas cordis hæc est vita hominis, & thesaurus sine defectione sanctitatis, & exultatio viri est longæuitas] Quibus verbis hominis vitam, & diuturnitatem in vera lætitia, ab studio virtutum exorta, & in sanctitatis, ac perfectionis thesauro constituit. Hic ergo thesaurus nos implens, & exacians, duobus modis facit vt terrena contemnamus. quia viros perfectos vitam sæcularem agentes, mouet, vt licet opere temporalia retineant, quæ pro ratione status non possunt abiicere, tamen corde nihili faciant, nec confidant in incerto diuitiarum: Viros verò perfectos in religione viuentes, excitat, vt non solo corde, sed etiam opere terrena contemnant. Illi quidem temporalia corde solo reiiciunt, quia opere non possunt relinquere, quæ in vsum filiorum, atque familiæ debent iustitia exigente, custodire. Ideoque nullo pacto ab illa benedictione repelluntur, qua pauperes spiritu hæredes vocantur regni cælorum.] Nam licèt opere diuitiàs possideant, corde tamen ab illis auulso, & Matt. 5. ab amore earum separato paupertatem amant Tales erant Abraham, Isaac, & Iacob, & multi alij olim legi veteri seruientes, aut posteà sub vexillo crucis, ac nouæ legis militantes, qui ita opes & diuitias possidebant, vt eis corde non adhærescerent. Talis & Iob, qui omnium rerum à se posses- Iob. 1. sarum priuatione mulctatus, non sine magna interioris hominis æquanimitate dicebat: Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit ita factum est, sit nomen Domini benedictum. Religiosi verò perfecti ad maiora aspirantes, non tantùm res temporales corde, sed & operatione contemnunt, ita vt nihil proprium possideant, ad quod votum paupertatis astringit, verùm etiam ita earum vsum extenuant, vt nihil ex eis, nisi valde necessaria ad vitam, & corporis incolumitatem conseruandam admittant. Quamobrem ipsi nihil Psal. 2. possidentes, in peculium, ac possessionem transeunt Dei, quam Pater promittit filio, cùm dicit se daturum illi in possessionem terminos terræ.] Terminos enim terræ accipere possumus (inquit Beda) Beda in Psal. 2. tom. 8. solos perfectos, qui vera possessio Dei dicũtur, quia adeò se à terrenis elongauerũt, quòd nihil in eis retinuerunt, nisi quantùm ad supplendam necessitatẽ vix sufficit.] Hunc autem tam verum, atque exactũ

rerum temporalium contemptum esse perfectionis fructum Hieronymus non obscurè testatur, qui Heliodoro promissionem in memoriam reuocans, qua, cùm vitam religiosam arripuit, pollicitus est se perfectionem quæsiturum, ita subdit: Perfectus autem seruus Christi, nihil præter Christum habet; aut si quid præter Christum habet, perfectus non est; &, si perfectus non est, cùm se perfectum fore Deo pollicitus sit, ante Deum mentitus est: Os autem, quod mentitur, occidit animam.] Igitur, vt concludam: Si perfectus es, cur bona paterna desideras? Dominum fefellisti, si perfectus non es. *[Hier. epist. 1. ad Heliod. c. 6.]* Diuinis Euangeliũ vocibus intonat: non potestis duobus dominis seruire;] & audet quisquam mendacem Christum facere, mammonæ, & Domino seruiendo? Vociferatur ille sępè: *[Eccles. 1.]* Siquis vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucẽ suã, & sequatur me.] Et ego onustus auro, arbitror me Christum sequi? Qui dicit se in Christũ credere, debet, quomodo & ille ambulauit, *[Matt. 6.]* & ipse ambulare.] Is ergo optimè ac sapienter dicit, religiosum, terrena habentẽ, Deo & mammonæ, *[Luc. 9.]* duobus dominis contrariis, seruire: Nã licèt bonus sæcularis, facultates conquirens, cõseruans, aut augens, in hoc, Domino seruiat, siquidẽ illi interdictus non vsus diuitiarum; tamen religiosus contra pollicitationem factam, & contra voluntatem Domini, *[1. Ioan. 2.]* rebus terrenis inhærens, in hoc nõ Domino famulatur, sed Diabolo ipsum decipienti obsecundat. Perfectio ergo in nobis, qui mundum reliquimus, hunc fructum præstantissimum affert, vt omnia terrena, siue ad copiam, siue ad dignitatẽ, siue ad splendorem pertinentia, cõstantissima voluntate conculcet, & tamquam stercora pro nihilo ducat.

Tertius fructus perfectionis est, quies appetituũ. Perfecta námque charitas est, sicut prudentissimus, ac solertissimus gubernator, cuius propriũ est rempublicam nostrorum appetituum regere, passiones, ad quamdam pacem, & tranquillitatem redigere, & affectus nostros, ne in vana mundi oblectamenta prolabantur, in officio continere. Appetitus regit, quia illos à rebus terenis abducit, & in instrumenta virtutis, sua potentissima suauitate cõuertit. Ita scilicet, vt perfectus vir amores, & desideria in rebus diuinis collocet, odiũ, atq; tristitiã in peccata, & vitia, & impedimenta virtutis intorqueat: Spem in solo Deo, & desperationem in seipso constituat: difficilia propter perfectionẽ audeat, & aduersus quotidianos defectus iram, indignationemq; concipiat. *[2. Reg. 8.]* Cuius exemplũ licet in Dauide conspicere, de quo hæc narrat regum historia. Tulit Dauid frænũ de manu Philisthim & percussit Moab, & mensus est eos funiculo coæquãs terræ: mensus est autem duos funiculos, vnum ad occidendum, & vnum ad viuificandũ.] Aufert enim perfectus vir frænũ de manu Philisthim, si dominium appetituũ suorum è potestate dæmonum tollat, & de manu inimicorũ eripiat. Percutit Moab, si desideria mundana à primo parente hæreditate transfusa castiget: coæquat terrę, si metiatur funiculo, & humiliet seueritati iustitiæ: Et metitur duos funiculos; vnum ad occidendũ, & vnum ad viuificandũ, si appetitus immoderantiam reprimat, & quod in eo bonũ est, & vtile, virtuti retineat. Charitas etiam perfecta, passiones trãquillat, quia ea, si insurgãt, baculo mortificationis percutit, voce orationis pacificat, & materiã inquietudinis, id est, occasionem amandans, neque aduersùs rationem rebellare, imò nec mutire permittit. Et ideò ei *[Richar. lib. de gradibus charitatis, c. 2.]* Richardus Victorinus non incongruè totius nostræ vitæ ordinem, morum compositionem, & excessuũ correctionem attribuit. Hæc (inquit) est, quæ vitam ordinat, affectus inflammat, actus informat, excessus corrigit, mores componit, valens ad omnia, & omnibus præualens.] Tandem affectus in officio cõtinet, nam eos, non solùm ab illicitis abstrahit, sed etiam à multis licitis, & cõcessis auellit. Quo pacto verò affectus nostri, aut voluptatem vetitã, aut opes superfluas, aut honorem, & dignitatem sæcularem cupiẽt, qui docti sũt gaudia licita, & res ad vsus necessarias spernere, & modicis etiam laudationibus, & quodã- *[1. Esdr. 2.]* modo debitis repugnare? Qui charitatem hãc licita etiam respuentem habent, sunt de Principibus Patrum, qui cùm ingrederẽtur templum Domini, quod est in Hierusalem, sponte obtulerunt in domũ Domini ad cõstruendã eam in loco suo. Verè ad principes pertinent, hoc est, ad viros perfectos, & in Patribus numerandi sunt, qui more principum magna audent. Res enim magna est non tantùm oblationes debitas Domino offerre, sed etiam obsequia non debita diuinæ maiestatis obtutibus præsentare. Hi ergo cùm domum Domini, id est, tabernaculum proprij cordis ingrediuntur, ei sponte donaria offerunt, quibus extruatur in loco suo, quia quò ampliùs quique (vt meditatus est Beda) cum continentia interdictorum, etiam à licitis abstinent, eò efficacius Ecclesiã Dei ædificant: Cùm omnes qui exempla perfectionis eorum cognouerint, tantò magis in illicitis *[Beda lib. 1. in Esdram c. 2.]* defluere ipsi formidant, quantò eos, nec licitis per omnia vti considerant, sed potiùs dicere: Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt.] Hæc ille scripsit tamquam expertus: *[1. Cor. 6.]* Nihil enim ampliùs congregationem ædificat, quàm in licitis, atque in rebus cõcessis parcitas; quàm qui seruauerit, & testimonium bonum apud alios; & magna apud Deũ merita congregabit. Ecce ergo tertium perfectionis fructũ, & illum præstantissimum, cuius si aliquem gustum acceperis, vel retinueris, vti iam ad aliam vitam pertinens, ineffabilẽ pacẽ, & mentis requiem experieris.

Quartus fructus perfectionis est, circumspectio verborũ. Quia charitas perfecta, est instar carbonis igniti omnes oris nostri sordes cõsumentis, & labia nostra purgantis. Quo carbone vnus de Seraphim in cõspectu Dei astantibus, Isaiæ labia purgauit, & ad manifestãda verba Dei, & prædicanda disposuit. Et volauit (inquit) ad me vnus de Seraphim, & in manu eius calculus, quem forcipe tulerat de altari.] *[Isaiæ 6.]* Nã calculus iste, id est, carbo ignitus, ab altari tollitur, quia à Christo Saluatore nostro, qui ara, & sacerdos, & hostia est, manare dignoscitur. Et tetigit os meum, & dixit: Ecce tetigit hoc labia tua, & auferetur iniquitas tua, & peccatum tuum mundabitur.] Hoc, id est, mysterium hoc mirabile in carbone signatum, scilicet, quòd homo Deum perfectè diligat, labia iusti tãgit, & omnes maculas verborum abstergit. Qui enim perfectè Deum diligit, qua ratione diligit, nulli obloquitur, nulli conuitium, aut cõtumeliã infert, nullius peccata, aut defectus sine iusta necessitate, aut sine spe correctionis, & sine emolumẽto congregationis detegit, nullius honorem, & bonã existimationem eleuat, nullúmque verbis, & dictis offendit. Nam omnes proximos, vt Christi summè dilecti membra respiciens, nescit eis malum afferre, quos amato suo fide, & amore inhærere præsumit. Qui perfectè Deum diligit, eo ipso quòd diligit non sæcularibus colloquiis distrahitur, non verbis rerum ad vitam spiritualem minimè pertinentium gaudet, non vanis rumoribus occupatur, quia cor cælestium rerum amore suspensum, quo nam modo aut vana audiet, aut terrena loquetur, aut ad res inutiles, & inanes attendet? Stultus (inquit sapiens) *[Eccles. 10.]* non verò perfectus, verba multiplicat;] & alio loco

Prou. 30. rogat, dicens. Vanitatem,& verba mendacia longè fac à me.] Nam verba mendacia sunt (cùm eis desit veritas,& adest vanitas veritati,& soliditati contraria) quæ sine iusta necessitate, aut pia vtilitate funduntur. Qui tãdem perfectè Deum diligit,ea loquitur quæ Deo placeant, quæ sibi prosint, & vtilitati proximorum inseruiant: dicente Prospero Episcopo Regiensi. Hoc loquuntur quique, quod diligunt, & delectabiliter audiunt,quod assiduis cogitationibus voluunt.] *Prosp. lib. 3. de vita contemp. c. 6.* Si ergo perfectè rerum diuinarum amore ardent, & puerilitates rerum humanarum auersantur,liquet, quia amor iste faciet eos semper, & res spirituales tractare, & negotiorum profanorum obliuisci. Videas eos in colloquiis suis peccatorum infælicitatem damnare,mundi transeuntis miserias exponere, Sãctorum,quos imitantur, aut imitari gestiũt acta referre, Dei beneficia laudare,æternam vitam suspirare, & verborum serie verè Dei amatores,& cælestis patriæ negotiatores se exhibere. Longè ab ore illorum sunt detractiones, scurrilitates, vaniloquia;quia os illud sacrum semper clauditur,& nisi ad attrahendũ compunctionis, & amoris spiritum non aperitur. Denique (vt Gregorius ait) sicut clausa vascula,quid intus habeant,ignoramus;aperto verò ore vasculorum, quid intrinsecùs contineatur agnoscimus,ita Sanctorum corda, quæ clauso ore occulta sunt,aperto ore detegũtur.] *Greg. 4. mor. c. 5.* Quid igitur in cordibus nostris lateat,eloquia,quæ fundimus patenter ostendunt: & inane est cor,quod inania loquitur,& indicium plenitudinis,si sancta semper,& proficua loquatur. Ecce quatuor primos fructus ligni vitæ, non minùs quidem suauitate, quàm salubritate præstantes,quos si iugiter comederis, & non perfunctorie tantùm, sed quasi ex professo gustaueris,& veluti quotidianum cibum habueris, indicia iam habes, te tantæ perfectionis esse consortem.

De quatuor medijs fructibus perfectionis.

CAPVT XIV.

SICVT aliquod pomarium ingressi, qui poma in vestibulo horti inuenta gustantes, eorum mirabilem suauitatem admirati sunt, aliarum arborum in interiori parte consitarum fructus gustare cupiunt, vt experimento comperiant, an suauitate, & dulcedine priores excellant: ita & nos, qui primæuos fructus arboris vitæ, id est,perfectionis, non sine admiratione,& stupore libauimus ; æquum est, vt alios ex altioribus,& nobilioribus ramis pendentes,non solùm leuiter tangere , sed affatim quoque manducare cupiamus. Quia non parua horum sanctissimorum fructuum iniuria esset, si quod fructus terreni in hominibus corpori seruientibus faciunt, isti spirituales in nobis non facerent, & priorum dulcedo palato puri cordis ingesta non dulciorum fructuum desiderium accenderet. Agedum igitur , & qui primorum quatuor fructuum perfectionis meram suauitatem audiuimus , aliorum qui sequuntur , & qui primos præsupponunt, dulcedinem , & suauitatem audiamus.

Quintus ergo fructus perfectionis , est munditia cogitationum ; cuius vim , & naturam,vt intelligamus : libet charitatem perfectam mũdissimæ Virgi-

A ni comparare,quæ nõ solùm exterioris ornatus lautitiam , & elegantiam curat , sed multò maiori diligentia , suiipsius munditiam,& puritatem asseruat: Ita prorsus charitas , cùm ad fastigium perfectionis ascenderit exteriorum quidem operum bonitatem quærit , & minimas quoque ab eis imperfectiones remouet , sed diligentiori conatu , cordis cogitationes mundat,& puras , incontaminatásque custodit. Quare sponsa , quæ typus est animæ perfectæ , magis de interna pulchritudine , quàm de externa , & hominum oculis comperta,laudatur. Oculi tui columbarum (inquit sponsus) absque eo quod intrinsecùs latet :] Et sicut fragmen mali punici ita genæ tuæ , absque eo quod intrinsecùs latet.] *Cant. 4.*
B Quia valde honestum est (vt interpretatur Gregorius) quid quid in exterioribus operatur , quòd simpliciter inter homines conuersatur, quòd ea , quæ videt temporaliter , concupiscere dedignatur , & si quid tamen in hoc mundo placet , post concupiscentias suas ira detestatur. *Gregor. in Cant. c. 4.* Sed vehemẽter pulchrius & honestius est , quòd cordis desiderium illibatum retinere conatur , quòd æternæ beatitudinis claritatem in mente retinet , erecta contemplatur : quod in his quæ interiùs videt , suauiter requiescit , & mundatur.] Longè itaque sunt ab ista anima perfectionis amatrice , turpes & inhonestæ phantasiæ , inanes & amaræ cogitationes , vanæ & periculosæ aliorum suspiciones , ridicula & inepta deliria : nihil cogitat,nihil desiderat,nisi quod mundum est, quod
C proficuum est,quod beneuolum est , quod cæleste & sublime est ; quia charitas munditiæ confectatrix, hæc munda & illibata fouet,atque complectitur; illa verò impura, & noxia , manu discretionis amandat. Et ita internæ puritatis est auida, vt solas illas cogitationes admittat,quæ purissimis Dei oculis sint gratæ , & omnibus hominibus sine rubore & verecundia possint esse conspicuæ , quas si Deus ab occulto cordis extraheret , & in fronte conscriberet,aut vniuersis aperiet , homo nec eas indignas sua nobilitate, & statu putaret, nec tamquam ineptas, aut insipientes erubesceret. Quia verò difficillimum est tantam cogitationum puritatem,& tranquillitatem conseruare, simus sicut solertissimi piscatores , suauissimos cibos regibus , & principibus quæritantes , qui ex piscibus , aut hamo , aut reti
D collectis bonos & salubres custodiunt,& malos insalubrésque proijciunt. Neque hoc simile ad maiorem legentium voluptatem elegantissimis verbis Ioannis Cassiani enucleare prætermittimus. *Cassi. col. 14. c. 3.* Sit nãque vir iustus (inquit) velut piscator egregius , victum sibi Apostolica arte prospiciens , qui in tranquillissimo cordis sui profundo , agmina cogitationum natantia,intentus atque immobilis captet , & tamquam de prominenti scopulo curiosè profunda prospectans,quas ad se hamo trahere debeat salutari , quas verò tamquam malos, ac noxios pisces , negligat , ac refutet sagaci discretione diiudicet. Cuius laboris , atque conatus , non amarus aut contemnẽdus colligitur fructus: nam benignus,
E Dominus, qui perfectorum animas zelat , & nimio quodam amore prosequitur , huius sollicitudinis præsidio ita purificat,ita pacificat,vt plusquam credi potest liberet ab infestatione vanitatis, & in puris cogitationibus , ac sanctis desideriis confirmet Vt enim inquit per Prophetam Micheam : Congregatione congregabo Iacob totum te, in vnum conducam reliquias Israël,pariter ponã illum quasi gregem in ouili,quasi pecus in medio caularum] *Michea. 2.* O Iacob (dicit Dominus, virum perfectum consolãs) ô Israël,ô fortis bellator,ô strenue luctator,qui me vi-

cisti,

cisti, non viribus, sed gemitibus, sed desideriis, sed precibus,& amplam benedictionem,hoc est,perfectam charitatem, abundantia suspiriorum, & lacrymarum impetrasti; Ecce ego in vnũ colligam cogitationes tuas, & desideria tua,iuxta quod propheta tum est, quoniam ædificans Hierusalem Dominus, dispersiones Israëlis congregabit.] Ecce ego in vnũ conferam reliquias tuas,id est.discursus mentis tuę, quasi greges ouium , quæ à me bono pastore monẽtur,vt diem festum agant tibi,& in eorum possessione læteris.Non erunt paucæ istæ bonæ cogitationes tuæ,nec earũ penuria contristatus, ad vanas, & inutiles cogitationes declinabis,sed ita copiosæ,vt quasi pecora in medio caularum præ multitudine tumultuentur, & non confusam,aut perturbatam,sed placidam & iocundam harmoniam efficiant. His verbis magnificis Dominus cogitationum munditiam perfectis promittit,quam & beneficio charitatis perfectæ tempore opportuno præstat. Nam charitas hæc,cùm plenum mentis dominatum acceperit, ita eam absorbet, vt Deũ, & quæ ad ipsum pertinent tantummodò cogitare faciat,& nihil vanum, nihil otiosum , nihil ab æterna salute alienum cogitare permittat. (Psal. 146.)

Sextus fructus perfectionis est impatientia desideriorũ.Cui enim charitatem perfectam assimilabimus, nisi maximo igni,& voracibus flammis, numquam materia combustibili sibi cõcessa saciatis, sed eò illarũ æstus impatientior est, quò plura, & maiora cõburit.: sic prorsus sunt perfectæ charitatis desideria, quæ semper noua virtutum opera inueniunt, noua Dei obsequia perscrutãtur, nouos labores aggrediũtur,& cùm oculis humanis fatigata videntur, tunc diligentiori conatu, & maiori robore, quasi nihil egissent.incipiũt.Salomõ certè sapientissimus, qui sub rerum naturalium inuolucris affectuùm humanorum naturam expressit,quatuor inuenit planè insatiabiles,& noui pabuli semper percupidos.Tria (ait)sunt insaturabilia,& quartum quod numquam dicit sufficit. Infernus & os vuluæ, & terra quæ nõ saciatur aqua , ignis verò numquam dicit, sufficit.] Infernus est affectus inuidiæ; nã instar inferni horridum est, ac tenebrosum, & alterius perniciẽ,excidium, & mortem concupiscit.Os vuluæ est affectus luxuriæ,nam & ipso vsu nõ extinguitur. sed immoderatiùs,ac vehementiùs accenditur. Terra est affectus auaritiæ , quia semper terrenis inhiat, & numquã auro, & argẽto saciatur; sed crescit amor nummi,quãtũ ipsa pecunia crescit.] Ignis est superbiæ, & ambitionis affectus , qui omnibus vult eminere, vniuersos sibi subiicere, & numquã status altitudo eum faciat, sed desideriũ altioris dignitatis inquietat. Hæc insaturabilia sunt in malum, sed perfecta charitas in bonum sine vlla comparatione insaturabilior.Ita vt oculis nostris videamus, quòd vbi abũdauit delictum,superabundauit & gratia,per Iesum Christum Dominum nostrum.] Inuidus enim , aut fratris osor,tam ingentem calamitatis miseriam in hoste videre posset,vt eius odium iam cõquiesceret, & penè ad commiserationem moueretur, vel saltẽ nihil ampliùs mali,& calamitatis, ei desideraret Et perfectus vir, & maximæ charitatis amore ardens, numquam tanta Deo obsequia offerr, nec tãtas eius laudes in mundo videt,aut animo meditatur,& fingit,quin multo maiores, & in infinitum cumulatiores desideret. Verè fortis tamquam mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio.] Nam sicut illa immitis vitæ hominũ semper est auida,& iste implacabilis animatũ semper est cupidus: Ita charitas perfecta & zelus perfectus honoris Dei,quantũuis amet,

Prou. 30.

Rom. 5.

Cant. 8.

quantumuis diuinum honorem in mundo promoueat,numquam dicit, sufficit, sed ardentiori desiderio ad maiora,& difficiliora procedit.

Luxuriosus etiam,& carnis deliciis intẽperanter indulgens,ipsa saltem naturæ imbecillitate,compellitur ab infami vitio cessare,& seipsum continere:at quis perfectam charitatem continebit? quis eã frænabit?cuius opera,cuius desideria non naturæ imbecillitas parturit,sed Dei gratia omnium rerum creatarum potentissima fundit?Quænam infirmitas eam cohibebit,quæ quò plus laborat , quò maiora & altiora patrat,eò fortior,robustior,& (si ita loqui liceret)intemperantior efficit?Hæc est vulua illa,de qua Dominus apud Isaiam : Audite me domus Iacob, & omne residuũ domus Israël,qui portamini à meo vtero,qui gestamini à mea vulua.]A qua námque nos Dei vulua portamur , nisi ab immẽsa eius charitate, misericordia,& clementia , quæ nos cùm non essemus,non sine purissima voluptate.ab æterno concepit,conceptos,suo tempore parturiuit,in lucem editos,educauit,educatos,erudiuit,eruditos, ad virilem ætatẽ vsque prouexit,& prouectos, in cælis semper mansura hæreditate donauit. Perfecti verò, tamquã veri filij Dei,adoptionis beneficio, quo adoptantur in filios, & tamquã Deo patri amantissimo similes hãc charitatis vuluam nõ minùs puram,& sanctam, quàm auidam filiorum participant, cuius possessione tantùm abest,quòd sint steriles,quòd potius vsq; ad senectam & senium,imò & vsque ad ipsum momentum naturalis mortis solent interdum esse fæcundi/Et quasi viri desideriorum semper noua appetunt,maiora Dei obsequia concupiscunt, & cùm penè innumeros filios pepererint,id est, innumerabilia bona opera fecerint,& innumerabiles labores sustinuerint, maiori quàm antea auiditate de nouo concinere, ac impleri desiderant: Quæ retro sunt obliuiscentes,cum Paulo,& ad anteriora extendentes seipsos.] vt in terris plures filios habeant, & in cælis ampliores coronas recipiant. Isaia 46. Philip. 3.

Auarus quoque,ac pecuniæ cupidus interdũ tantis curis, ac sollicitudinibus premitur,tantis litibus, & contentionibus angustatur, tantis eorum , quos spoliauit,cõminationibus, & maledictis proscinditur,vt iã securiùs & melius iudicet parta tueri, quã cura maiorum opum aggregandarum onerari. Sed perfecta charitas omnibus cupidis multò cupidior, nec tribulationibus , nec molestiis , persecutionibus,nec maledictis compescitur , quominus laborũ præteritorum oblita,maiora sitiat opera , & ad ampliores meritorum diuitias aspiret.Audiamus vnum perfectorum,an ipso mortis discrimine teneatur,ne sublimiora audeat,& ad alia Dei obsequia vltra procedat.Sed ipsi in nobismetipsis,ait,responsum mortis habuimus,vt non simus fidentes in nobis.]Et an responso,id est,certitudine mortis,ô Paule concidisti? An tantis pressuris,ô auare,non diuitiarum , sed animarum,non auri , sed honoris diuini à desiderio acquirendi cessasti?Nequaquam;Nam qui de tantis periculis nos eripuit,& eruit,(speramus,quoniam & adhuc eripiet;adiuuãtibus & vobis in oratione pro nobis] Ostendit ergo Paulus sua desideria ne timore quidem mortis esse sopita,sed poti⁹ ad maiora facinora aggredienda excitata;quia perfecta charitas, quò magis bibit,ampliùs sitit , & quò voraciùs edit, eò intolerabiliori fame mordetur. Qui enim edũt me(inquit ipsa) adhuc esurient,& qui bibũt me,adhuc sitient:]quoniam amatores mei, ita meritorum dulcedine replebuntur,vt numquam ampliora horreant,nec de nouo indigesta fastidiant.Sum namque voracior terra, quæ (Iob attestante) sicut aquarum 2.Cor.1. Ecc.24. Iob.12.

penuria

penuria ficcatur, ita nimia abundãtia fubuertitur.] at ego fingulis momentis, cæleftis fauoris aquis irrigata, imò omnino fubmerfa, non deftruor. fed abundantiùs, & gloriofiùs fæcundor.

Superbus tandem, & ambitiofus aliquãdo materiæ fubtractione continetur. Nam fi Deus aliquãdo permitteret propter hominum peccata, vt fuperbus regnaret fuper terrã, hic ad Regiam, aut imperatoriam dignitatem euectus, aut rex omnium regũ factus, vel totius Ecclefiæ paftor conftitutus, quidnã ampliùs cócupifceret, aut ad quam maiorem dignitatem anhelaret? Perfectus autẽ vir, & magnæ charitatis igne fuccenfus, nec ipfius defiderij pufillanimitate, nec materiæ fubtractione à maioris fanctitatis ambitu cohibetur. Quomodo enim defiderium ipfum per fe ceffabit, quod fit maiorum rerum affecutione potentius? Aut qua ratione materia fanctorum defideriorum deficiet is, qui quantumuis magnam puritatem affequantur, aut præftãtiffima opera faciant, femper infinitum reftat affequendũ, aut aliquid maius, excellent úfq; patrandum. Equidem puto Laurentium flammis adduftum, & incredibili vi tormentorum cruciatũ fi interrogaretur, an effet vfq; ad facietatẽ paffus, fine vlla cunctatione dictu-tum, fe patiendi propter Chriftum defiderio, carnificum crudelitatẽ vincere, & ignem fuas carnes affantem, & confumentem fuperare? Cui fidem facetet martyr Ignatius, ignẽ, crucem, beftiarum cõftantiam, abfciffionem, feparationẽ, confractionem, diffipationẽmque membrorum, & interitũ totius corporis, ac vniuerfa flagella Diaboli exoptans, vt Iefũ Chriftũ mereretur adipifci. Equidem exiftimo Dei. patam Virginẽ, in ipfo fui obitus fanctiffimi pũcto conftitutam, & ad immenfam puritatem exaltatam. quæ effet digna matre & fponfa Dei, adhuc maiorẽ aliquam puritatem efuriiffe, & fi aliud vitæ momentum fibi conceffum effet, eam nouo, & illo præftantiffimo merito fuiffe cumulandam. Ignis ergo ifte perfectæ charitatis, quem Chriftus venit mittere in terram, & voluit vehemẽter accẽdi, corporeo igne, mò, & prauæ cupiditatis igne voracior eft quẽ nulla acquifita puritas fatiat, cui nulla merita fatisfaciũt, quẽ nulla dignitas, id eft, nulla ad Deũ propinquitas comprimit, quin amplius conatibus, & defideriis excrefcat. Vnde liquet, quia perfecti defideriis veluti impatiẽtes funt, qui dicũt; Satiabimur cũ apparuerit gloria tua.] Quamdiu verò gloria nõ apparet, fed carne mortali cinguntur, non faciantur, fed maiorem fãctitatem, & copiofiora virtutis opera efuriunt, & fitiunt. At vere beata efuries (inquit magnus contemplator Richardus) quæ efurit folũ quod habet, & folùm habet, quod efurit.] Si autem non efuris, ô religiofe, mentis puritatem, fi labores, fi meritorum augmenta non fitis, fi iam tamquam emeritus miles imbecillitatem allegas, fenium prætendis, & à labore defiftis, modicæ & imperfectæ oftendis charitatis indicium, quæ ad perfectionem vfque progreffa laffitudinem nefcit, otiofitatem ignorat, & quia quotidie magis amat, intolerantiùs fitit, & feruentiùs elaborat.

Septimus fructus perfectionis eft, follicitudo virtutum. Perfectam quippe charitatem matri prudẽtifsimæ fimilem facimus dilectis filiabus fuis penfũ operis afsignãti, ne otio, & vitiorum labe ex eo procreata, contabefcant. Sic prorfus perfecta charitas omnium virtutũ prudentifsima, ac folertifsima mater, omnes virtutes à fe progenitas ad opus excitat, & ad fanctos labores affumẽdos exfufcitat. Optimè enim dixit antiquis Origenes quamlibet virtutem fuam propriam ac peculiarem perfectionẽ habere;

Ignat. in epist. 11 ad Rom.

Psal. 16

Richard. gradu charit. c. 2.

Orig. hõ 4. in Iosua.

A fed perfectionem generalem, quæ fcilicet nos abfolutè & fine addito perfectos faciat omniũ in fe virtutum fummam, ac perfectionem cõtinere.] Et Auguftinus, perfectos exiftimat, qui legem implent, ad cuius perfectam cõfummatãmque cuftodiã vniuerfæ virtutes in vnam curam, opúfque cõfpirant.] Atque in eandem fententiam Bafilius. Etenim (inquit) fi hominem Dei oportet perfectum effe, ficut fcriptũ eft, prorfus neceffe eft, vt præceptis is omnibus defungendis efficiatur perfectus in menfuram ætatis plenitudinis Chrifti, quando etiam ex diuina lege animal, quod aliqua fui parte accifum & imminutum fit, etiam fi fit mundum, Deo ad facrificium acB ceptum non eft.] Nec non & Richardus de Sancto Victore perfectionem in plenitudine annorũ, & in virili ætate, expreffam, ac delineatam exiftimat, quia videlicet ficut virilis ætas maiores labores fuftinet; ita perfectio, nõ fola mediocria virtutum opera, fed fupremas, & planè heroicas cuiufque virtutis actiones aggreditur, atque fuftentat.] Perfectio ergo non eft otiofa, nõ negligens, fed attentis confiderationis oculis omnia occurrentia perluftrat, & occafiones virtutum exercendarum cum ingenti exultatione complectitur, ne ipfam aliquod lucrum fpirituale prætereat. Pofita inter maiores, & perfectiores difcit, inter æquales fulget, inter minores feipfã humiliat, in laboribus eft patiens, in aduerfitatibus manfueta, in profperitate modefta, in affluentia tẽperata, in fæculariũ frequentia cafta, in conuerfatione circ C cumfpecta. Vnicuiq; vt iuftitiæ mater, ius fuum hilariter tribuit, Deo honorem & amorem, Prælatis reuerentiã & obedientiam, fratribus bonum exemplum & ædificationem, fubditis pietatem, & fuauitatẽ exhibet, vt ex omnibus emolumentũ fpirituale reportet, ex nullo autem damnum aut detrimentum recipiat. Quòd fi aliquando occafiones benefaciẽdi & noua lucra congerendi deficere fibi videãtur, non eft incuriofa, nõ fegnis, fed mille inuentiones reperit, mille fãctas nouitates excogitat, quibus feipfam exerceat, fodales adiuuet, & Deo noua obfequia, quafi victimas nouas facrificet. Nã illi cordi eft cõfilium Ecclefiaftici. Da altifsimo fecundum datũ eius & in bono oculo, id eft, liberaliter & libẽter, adin D uentionem facito manuum tuarum: quoniã Dominus retribuens eft, & fepties tantum reddet tibi.] Et libentifsimè præmij repetitionem audit apud Ifaiã: Dicite iufto, quoniam bene, quoniã fructum adinuentionum fuarum comedet.] Non quia folum præmium mercenaria refpiciat, fed quia ex præmij magnitudine adinuentionibus iuftorum promiffã, quãtùm Deo gratiæ fint, fapiens animaduertit. Et voluntati, ac beneplácito Domini fe accommodans nouis laboribus continenter inhæret.

Octauus fructus perfectionis eft, pulchritudo operum. Cui enim perfectam charitatẽ comparabimus nifi aurifici fapientiffimo, ac peritiffimo, qui ex auro dextrocheria, inaures, & monilia, & cætera huiufmo E di, ita pulchra & decora componit, vt non folùm pauperibus, & plebeiis, fed etiam principibus, ac regibus pretiofa & magni valoris appareãt. Sic perfecta charitas ex auro, nimirum ex materia virtutum. bona opera perficit, ita feruida, ita debitis circumftantiis circundata, & omnibus numeris abfoluta, vt non tantùm hominibus, qui parum bonorum operum defectus confiderãt, verùm Angelis, & Deo ipfi planè grata fint, & omni ex parte bona, pulchra & honefta videantur. Hoc fane eft inter perfectos, imperfectófque difcrimen, quod ifti multoties opera fua bona, aut minus pura intentione fœdant, aut tepiditate, & triftitia inficiũt, aut inani gloria, aut aliis

Aug. Psal. 1

Basil. proem in fus. disp. fine.

Richa Cant. Abac.

Eccles. 35.

Isaia

defectibus

Isaiae 64. defectibus maculant, quibus optimè illud Isaiæ cõuenit. Et facti sumus. vt immundus omnes nos, & quasi pannus menstruatæ vniuersæ iustitiæ nostræ.] Nam illorum bona opera iustitiæ sunt, ex eo quòd amicorũ Dei sunt, & a vera charitate procedunt, & quodammodò immundæ sunt, quia nonnullis paruulis maculis, & imperfectionibus inquinantur. Illi scilicet sancti homines & perfecti, bona opera multo puriora, & diuinis oculis gratiora faciunt, quia perfecta charitas eorum vires, & appetitus omnino subijciens, opera in solum Deum purissima intẽtione dirigit, omnem socordiam, repugnantiam, & distractionem remouet, & reliquas imperfectiones, quæ actionibus nostris sese immiscere solent, exquisitissima cura ac diligentia reiicit. Quare Salomõ in Prouerbiis dicit, quia lux iustorum, id est, eorũ vita, & conuersatio lætificat.] Quosnam lætificat? Certè Deum, Angelos, & homines Deum, cui illi purissimum honorem exhibent; Angelos, quorum se discipulos, & imitatores ostendunt; & homines, quos vitæ sanctitatem & bonorum operum perfectionem docent. Si viri perfecti orent; tanto spiritus feruore, tanta reuerentia, & timore, tanta fiducia, & amore orant, vt non tam homines fragiles quàm terrestres quidam Angeli videantur. Si cogente necessitate, aut charitate loquantur; tanta circumspectione, & modestia loquũtur, vt nihil otiosum, nihil molestum, nihil durum audientibus ex ore suo prodire permittant. Si corpus cibo, & potu sustentent; tantam abstinentiam & sobrietatem retinent, tanta districtione appetitum cohibent, vt scientes, ne in modico quidem excedant temperantiæ mensuram. Si quid aliud agant, sic agunt, vt bonæ ac perfectæ actionis circumstantias nõ desetant. Sunt enim veluti artifices virtutis peritissimi, & pictores sapientissimi, qui ex suis manibus nullum opus impolitũ, aut minus decorum abire concedunt. Thomas enim Aquinas explicans, qua ratione Deus omnia bene faciat, his pene verbis nos ad eius imitationem exhortatur. Similiter & nos diligentiam apponere debemus, vt singula opera nostra, quantùm vnquam melius possumus, faciamus ex omni virtute Domini Iesu Christi, & cum omni desiderio triumphantis, & militantis Ecclesiæ, & sub nomine creatoris, quasi tota salus nostra, & omnis laus Dei, & vniuersitatis vtilitas, ex vno opere dependeat, quasi numquam ad id opus reuersuri, neque opus aliud postmodum incepturi.] O quotiens concupiuimus, & nisi sumus hanc regulam in bonis operibus seruare, & numquam, peccatis nostris impedientibus, & socordia nostra se opponente, potuimus, quam tamen non sine admiratione, & lætitia vidimus sæpè à vitis perfectis seruari, & non verbo tantùm, sed opere & veritate custodiri. Hi sunt alij quatuor perfectionis fructus, quibus ipsa laborum ipsius gratia acceptorum, non oblita, hospites suos, & amatores nobilitat.

Prou. 13.

D.Thom. opusc. de moribus diuinis, ad finem.

De quatuor postremis fructibus perfectionis.

CAPVT XV.

QVATVOR adhuc fructus ligni vitæ nobis explicandi supersunt, qui sicut loco superiores sunt, ita dulcedine, & suauitate præstantiores esse noscuntur. Nam sicut in mundo visibili, quo corpora sunt superiora, & magis à centro distantia, eo sunt nobiliora, atque illustriora; adeò vt inter cænum, & cælum, inter lapides & astra, inter corruptibilia, & incorruptibilia incomparabilis minimi & maximi inueniatur diuersitas, ita in mundo inuisibili, quem tum res à materia secretæ, & liberæ, quàm eorum actus, virtutésque componunt, tanta est nobilitatis & præstantiæ differentia, quantam nec mens humana assequi, nec obtusum hominis ingenium valet apprehendere. Postrema ergo series fructuum perfectionis, quia superior est, & occultior, fructus, atque effectus meliores & excellentiores continet: faxit Deus, vt eos non solùm scribere, aut legere, sed multo magis opere implere, & interiori mentis palato gustare sciamus.

Nonus igitur fructus perfectionis est, sustinentia aduersitatum. Nam perfecta charitas est, sicut gigas robustissimus, qui onera aliis hominibus importabilia expeditè vehit, & sine vlla difficultate supportat. Sic perfecta charitas cuius sunt vires giganteæ, oneribus magnarum aduersitatum, quæ communes iustos premunt, nec tristatur, nec premitur, nec immoderatè fatigatur. Hæc est enim magnæ dilectionis natura, vt aduersa nõ sentiat; aut etiã cũ ingẽti hilaritate sustineat. Quare Patriarchę Iacob, magnos & multos labores Rachelis gratia sustentanti, pauci videbãtur præ amoris magnitudine. Et Paulus Christum in vita, & in ore, & in visceribus scriptum habens calamo charitatis, repletur consolatione, & superabũdat gaudio in omni tribulatione sua.] Quid ergo mirum, si perfecta charitas, quæ semper magna est, & infantiam imperfectorum excessit, in tribulationibus lætetur, in aduersitatibus glorietur, in laboribus exultet, & in mediis tentationũ ignibus constituta, secura, cõstans, immobilisque persistat. Vox quidem minùs perfectorũ est: Mendicitatem, & diuitias ne dederis mihi, tribue tantùm victui meo necessaria,] mendicitatis & diuitiarum nomine, magnam tribulationem, aut magnam prosperitatẽ metuentes, & vitã quietam, & rebus necessariis suffultam postulantes. At perfecti sæpiùs aliter postulant; qui licet prosperitates timeant, & superbię, ac vanitatis occasiones fugiant; tamen tribulationum propter Christum, amore capti, eas non fugiunt, sed potiùs ad amoris probationem desiderant, elamántque cum Psalmographo: Proba me Domine, & tenta me, vre renes meos & cor meum.] Probari appetunt, viri, & exerceri volũt, vt & charitatis intus latentis capiãt experimẽtum, & magni, atque excellentis amoris præbeant indicium. Est enim aduersitas, quæ charitatem commouet, & alias virtute incendit, vt bonum odorem spargant, & quàm odoriferæ sint, quantúmque perfectionis habeant, omnibus innotescat. Ideóque pulchrè dixit Gregorius: Sicut vnguenta, nisi commota, redolere latiùs nesciũt; & sicut aromata fragrãtiam suam, non nisi cum incenduntur, expandũt; ita sancti viri, omne, quod virtutibus redolent, in tribulationibus innotescunt.] Et statim ad hoc applicãs illud Domini: Si habueritis fidem tamquam granum sinapis, subdit. Granum quippe sinapis, nisi conteratur, nequaquam vis virtutis eius agnoscitur, nam non contritum, lene est, si verò conteratur, inardescit, & quod in se acerrimum latebat, ostendit. Sic vnusquisque vir sanctus, cùm nõ pulsatur, despicabilis, ac leuis aspicitur: si qua verò illum tritura persecutionis opprimat, mox omne quod calidum sapit, ostendit, atque in feruorem virtutis vertitur, quicquid in illo ante despicabile, infirmúmque videbatur, quódque in se per tranquillitatis tempora libẽs operuerat, exagitatus tribulationibus, coactus innotescit.] Quid ergo mirum si perfecta charitas aduersitatum tolerantiam diligat, imò

Gen. 29.

2. Cor. 7.

Prou. 30.

Psal. 25.

Greg. prim. fat. mor. c. 2.

Matt. 17.

& in

& in tribulationibus lætitiam & exultationem habeat, vt ea tamquam signo quodam intra naturam signi certissimo, se iam ad perfectionem venisse cognoscat? Diligit profectò aduersitates, & afflictiones amplectitur, & viros sanctos atque perfectos monet, vt maximorum meritorum materiam, & perfectę virtutis indicium nō reijciant. Quamobrem hi in congregatione positi Prælatorum duritiā, æqualium detractiones, minorum irrisiones, libenter sustinent, iniurias, & contumelias grato animo excipiunt, & (vt veriùs dicam) nec iniurias, nec contumelias putant. Nam ita sunt in humilitate radicati, & fundati, vt nullū bonum, neque verbum, neque opus sibi debitum cogitent; & omnia pœnæ & afflictionis mala, à se commerita existiment. Viliora obsequia sine vlla contradictione obeunt, modestiores functiones iussi suscipiunt, monasteria, aut collegia, omnibus ad vitam iocundam transigendam vacua tacentes habitant, & propter amorem, ac desideriū perfectionis aliorum imperfectiones, & defectus æquanimiter portant. In hoc autem se viros perfectos & sanctos ostendunt, & fructum suauissimum perfectionis edunt, Quia (vt inquit Gregorius) ille verè perfectus est, qui erga imperfectionē proximi impatiens non est. Nam qui alienam imperfectionem ferre non valens, patientiam deserit, ipse sibi testis est, quòd perfectè necdum profecit. Hinc in Euangelio veritas dicit: In patiētia vestra possidebitis animas vestras.] Quid est enim, animas possidere, nisi perfectè in omnibus viuere, cunctis mentis motibus ex virtutis arce dominari:] Perfectio ergo, quæ patiens est, in aduersitatibus, & laboribus tolerantiam habet, & tribulationibus exagitata fratribus se mitem, & blandam ostendit, quia non putat se plenè naturam nostram vicisse, & affectus humanos superasse, nisi & omnia bona agat, & omnia mala ab aliis illata sustineat.

Greg. 5. mor. c. 13.

Luc. 21.

Decimus fructus perfectionis est, collectio internarum virium. Est namque perfecta charitas vel vt magnes, quæ memoriam, intelligentiam, voluntatem, & cogitationem, ad se potenter trahit, & ab eo in quo ipsa occupatur, scilicet à Deo summè dilecto, minimè auelli separarique permittit. Si enim humanus, aut profanus amor, cùm magnus est; ita mundanorum hominum mentes absumit, vt eas extra se ducat, & sui compotes esse non sinat, quid diuinus amor, quid charitas sine vlla mensura potentior & robustior efficiet, nisi perfectorum mentes à rerū labentium miseriis extrahere, & in Deum, atq; in res diuinas, ac cælestes immittere? Horū memoria Dei recordationibus capta, creata omnia nō necessaria detrectat; intelligentia, splendidissima luce perfusa, iugiter mysteria supernaturalia perlustrat; volūtas igne amoris absumpta, res perituras exhorret, & soli Deo, scilicet amato suo affectibus sāctis adhæret; mundanis rebus frigida, & rebus diuinis accensa. Hi sunt, qui frequenter pacis oscula, & amplexus charitatis excipiunt, iubila experiuntur, excessus mentis patiuntur; quibus non raro dicitur: Bibite amici, & inebriamini charissimi:] quoniā torrente voluptatis potantur, & melle deliciarum reficiuntur. Ipsi dicant, Venite & audite omnes, qui timetis Deum, quanta fecit Dominus animabus nostris,] ipsi explicent dona, quæ receperunt; voluptates, quas gustarunt; eloquia, quæ audierunt; nobis enim qui tantùm optauimus, & numquā gustauimus, datum non est hoc temerariè dicere, aut verbis imperitis explicare. Aut certè si nō audent dicere, ne sanctū dent canibus, & margaritas ante porcos mittant, id est, ne nobis imperfectis, & rerum

Cant. 5.

Psal. 65.

A spiritualium ignaris, arcana, quorum cognitione indigni sumus, apertiant, saltem splēdorem lucis, nempe puritatem in facie, sicut Moyses, & legis tabulas, nimirum sanctas actiones in manibus, indicia suæ fælicitatis ostendant. Hoc ergo præstat mentibus sancta perfectio, eas cogitationibus, & desideriis, & affectibus à rebus mundanis eximit, & in vnum Deum ita colligit, vt ipsum solum cernant, ipsum sitiant, & in ipsum toto virium suarum nisu contendant. Egregiè hunc perfectionis effectum Magnus Albertus & verè magnus, qui scientiarum profunditatem tanta sanctitate condiuit, in hunc modum exposuit. Qua ex re est hominis in hac vita sublimior perfectio, ita Deo vniri, vt tota anima cū omnibus potentiis suis, & viribus in Dominum Deum

Albert. lib. de adhærendo Deo. c. 3.

B suum sit collecta, vt vnus fiat spiritus cum eo, & nihil meminerit nisi Deum, nihil sentiat, aut intelligat nisi Deum, & omnes affectiones, in amoris gaudio vnitæ, in sola Conditoris fruitione suauiter requiescant.] Et paulò pòst, explicato, quomodo anima Deo similis efficiatur, subdit. Hoc autē numquam plenè fit: nisi cùm ratio perfectè iuxta capacitatem suam, illuminatur ad cognitionem Dei, qui est summa veritas; & voluntas perfectè afficitur ad amandā summam bonitatem; & memoria plenè absorbetur, ad intuendum & fruendū æterna fælicitate, & ad suauiter & delectabiliter in ea quiescendum. Et quia in horum consummata adeptione cōsistit gloria beatitudinis, quæ perficitur in patria, liquet quòd istorum perfecta inchoatio est perfectio in hac vita.]

C Qui doctè & subtiliter perfectionem in hac potentiarum collectione, seu in hac vnione constituit, quoniam si perfectio (vt suprà ex Thoma Aquinate didicimus) posita est in vnione cuiusq; rei cum suo vltimo fine: manifestum est, perfectionem nostram esse illam charitatem, ita ardentem & absolutam, quæ vires nostras à caducis rebus dimoueat, & Deo fini nostro adhærere, suauissima quadam dominatione compellat. Sic enim homo cum sponsa, iam non solum quærit Deum, quod proficientium est, sed inuenit, quem diligit anima sua; & inuentum tenet, nec dimittit, donec æterna benedictione benedicat sibi.] Imò (vt quod verissimum est, dicamus)

D. Thom. 2. 2. q. 184. ar. 1

Cant.

D nunc non dimittit, sed perfectiùs tenet, & secum indissolubili vinculo fælicitatis astringit. Ioannes etiam Cassianus non præteriuit hunc suauissimum arboris vitæ fructum, ac perfectionis effectum. Explicās quippe, quo pacto illud Saluatoris impleatur (in quo nostra perfectio collocata est) vt omnes vnum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te, vt & ipsi in nobis vnum sint;] ita scribit. Quod ita fiet, cùm omnis amor, omne desiderium, omne studium, omnis conatus, omnis cogitatio nostra, omne quod videmus, quod loquimur, quod speramus, Deus erit: illáque vnitas, quæ nunc est, Patris cū Filio, & Filij cum Patre, in nostrum fuerit sensum, mentémque transfusa, id est, vt quemadmodum nos ille sincera, & pura, atque indissolubili diligit charitate,

Ioan. 7.

E nosquoque ei perpetua, & inseparabili dilectione iungamur, ita eidem scilicet copulati, vt quicquid speramus, quidquid intelligimus, quidquid loquimur, Deus sit; in illum, inquam, peruenientes, quem prædiximus finem, quem idem Dominus orans in nobis optat impleri.] Sic ergo perfecta charitas animas perfectorum, non solùm solitariorum, sed omnium sibi subiecit, & in Deum colligit, vt earum vires, atque potētias ab omnibus creaturis abstrahat, & solum Deum cogitare, intueri, desiderare, & amare concedat. Et quod mirabilius est, ita hanc virium collectionē efficit, & omnia vana, & inania abiicit,

Cassia. col. 10. c. 6.

vt

vt tamen curas necessarias, & piam rerum sibi demandatarum sollicitudinem non abijciat. Quæ profectò sollicitudo, cùm mentis collectione, & diuina præsentia non pugnat. Neque enim viri perfecti sunt ad res gerendas inepti, aut ad Ecclesiam iuuandam minùs idonei, quod certè cogitare magna ignorantia est, sed eò magis apti & expediti, quò veriùs & perfectiùs omnipotenti Deo, & omnium bonorum fonti iunguntur. Nam quemadmodũ Deus seipso beatus, & sua semper cõtemplatione fælix, in seipso vniuersa creata, sine vlla perturbatione videt, & sine vlla distractione disponit: ita isti ad magnã (supra quam dici potest) Dei imitationem admissi, in conspectu eius res vtiles, ad se pertinentes faciunt, negotia tractant, & cum ingenti tranquillitate spiritus, aut spiritualem animarum salutem, aut res alias necessarias procurant.

B Vndecimus fructus perfectionis est, concordia voluntatum. Quis enim nos reprehendet, si perfectam charitatem, vinculo animæ & corporis similem esse dicamus? Vt quemadmodum ratione huius nexus, corpus nihil aliud, aut beatius, aut iucundius habet, quàm animam complecti, ei arctissima vnione coniungi, & ab illa regi, ac gubernari; ita voluntas nostra perfectæ charitatis causa, nihil aut amabilius, aut fælicius experitur, quàm diuinæ voluntati subijci, eiúsque regula omnia cogitata, & acta metiri. Ego sic cogito, voluntatem Dei esse velut animam, quæ corpori vitam, sensum, motum, & pulchritudinem tribuit: voluntatem hominis esse sicut corpus, quod à beneplacito Dei omne bonum, ac perfectionem C expectat: perfectam verò charitatem esse nexum, has duas vinciens voluntates, & ad summam pacem, & concordiam redigens; ita scilicet, vt illa iubeat, & regat, hæc verò sine vlla contradictione pareat, atque regatur. Hoc ergo vinculo perfectorum voluntas diuinæ voluntati colligata, illud vult, quod Deum velle existimat, & illud non vult, quod Deum nolle cognoscit: amat, quod ipse amat, odio habet, quod ipse odit, & quantùm potest, nec latum vnguem à Dei imperio & iussione discedit. Nam si Deus illos amat, qui iustitiam, & innocentiam sequuntur, perfecta voluntas eosdem amore prosequitur, dicẽs cum Dauide: Oculi mei ad fideles terræ, vt sedeant mecum: ambulans in via immaculata, hic mihi ministrabat.] Si Deus illos detestatur, qui virtutem & sanctitatem deserunt, ipsa eos quoque abiicit, & abominabiles reputat. Non habitabit (inquit) in medio domus meæ, qui facit superbiam, qui loquitur iniqua non direxit in conspectu oculorum meorũ.] Si Deus suarum legum obseruantiam iubet, & earum transgressionẽ vetat, dicit ipsa verbo, & facit opere, quod in Psalmo scriptum est. Iniquitatem odio habui, & abominatus sum, legem autem tuam dilexi.] Prorsus hæc humanæ voluntatis cum diuina voluntate concordia, fructus perfectionis est, quæ Dei similitudinem quærens, non tam eam in natura, quàm in hoc consensu, & vnanimitate constituit. Vnde Prosper Regiensis Episcopus sapienter ait: Possunt in hac vita illi esse perfecti, qui perfectè diligunt Deum. Et illi perfectè Deũ diligunt, qui volendo, quod vult Deus E & nolendo, quod non vult, nec vllis peccatis, quibus offenditur, acquiescunt: & semper se ad virtutes, quas ipse dignatur donare, diligendas, & habendas extendunt. Hi sunt, qui omnia bona, quæ implere potuerint; ab illo se adiutos, vt possint, veraciter credunt, quicquid mali commiserint, vitio suæ voluntatis ascribunt; quicquid boni non potuerint implere, ab illo vt possint, iugiter petunt; cùm potuerint, illi gratias agunt. Bona eius, quæ fuerint consecuti, etiam aliis conferri, socialiter volunt, & vsque in suos ini-

Psa.100. *Ibidem.* *Psa.118.* *Prosp. lib. 3. de vita contempl. cap.15.*

A micos dilectionis suæ latitudinem porrigentes, hoc omnes cupiunt esse, quod ipsi sunt.] Hãc itaque omnimodam, sanctámque concordiam, illi plenè assequuntur, qui perfectionis compotes facti, Deum secum commorantem habent, à quo in omnibus, siue per internos afflatus, siue per prælatorum iussa, siue per sanctæ Ecclesiæ statuta reguntur. Et tamquam membra Christi viua, & pulchra, & charitatis perfectæ calore fota, capitis vocem modestè quidem & nõ arroganter vsurpant. Et non reliquit me solum, quia ego quæ placita sunt ei, facio semper.] Profectò non relinquũtur soli, qui Christo capiti, & aliis proximis per charitatem perfectam Dei & proximi, adhærent. Inde autẽ habent, vt quæ ei placita sunt, faciant semper. Nam sine ipso, humana imbecillitas non potest innocentiam seruare, & vitæ rectitudinem ac sanctitatem retinere. Non est sanè contemnendus hic fructus, imò cum magna auiditate, & desiderio suscipiendus, quo perfectè Deum secum habeñt, & eius fortissimum præsidium accipiunt, vt licèt pro ingenita fragilitate nonnumquam leuiter cadant, tamen pro benignitate diuina, ei fideliter seruiant, & eius beneplacitum opere & intentione perficiant.

Ioan.8.

Duodecimus fructus perfectionis, isque postremus est, transformatio in Deum. Nam perfecta charitas est quasi transfiguratio, aut transformatio quædam, qua vir iustus, atque perfectus, non tam externam effigiem, quam interna mentis lineamenta mutat; & veteris Adæ miserias exuens, noui hominis Christi virtutem, sanctitatémque consectuat. Hæc transformatio non est in hoc constituta, vt homo naturam hominis deserat, & in Deum transformatus, atque conuersus, Dei naturam, & substantiam acquirat (quis insanus hoc diceret?) Sed in hoc quod Dei proprietas, & virtutes imitetur, & ingenita vitia, ac affectuum immoderantiam derelinquat. Sicut enim fluuius mare immensum ingressus, fluuius esse non desinens, maris nonnullam amplitudinem, & capacitatem accipit, eóque absorptus, vnde suas angustias perdidit, maris admirabilem maiestatem acquisiuit; ita animus viri perfecti Dei maiestate, ac puritate beneficio charitatis immersus, diuinas proprietates redolet, & omnem veteris hominis malitiam & vitiositatem extinguit. Quem statum Paulus in seipso describit, dicens, Christo confixus sum cruci. Viuo ego, iam non ego, viuit verò in me Christus.] Configitur cruci Christi (inquit Ambrosius) qui æmulus vestigiorum eius, nulla mundi concupiscentia capitur, vt Deo viuens, mundo mortuus videatur.] Qui enim non agit, quæ mundi sunt, vel erroris, mortuus est mundo. Et viuit in eo Christus (vt interpretationẽ prosequatur Chrysostomus) quoniam seipsum Christo Domino, ac cruci præbuerat, cunctáque reiecerat temporalia, & ad illius voluntatem faciebat omnia, ideò non dicit: Viuo Christo, sed quod longè maius est, viuit in me Christus.] Viuit ergo in perfectis Deus, & illi trãsformantur in ipsum non quia naturam humanam perdant, sed quia similitudinem quamdã diuinæ sanctitatis induunt, & immunditiam peccatorum abijciunt. O quàm aptè, & appositè Bernardus hanc perfectorũ transformationẽ declarat. Quomodo stilla aquæ modica (ait) multò infusa vino, deficere à se tota videtur, dũ & saporẽ vini induit & colorẽ, & quomodo ferrum ignitũ & candens igni simillimũ fit, pristina propriáq; forma exutum; & quomodo solis luce perfusus aer, in eandem transformatur luminis claritatem, adeò vt non tam illuminatus, quàm ipsum lumen esse videatur; sic omnem tunc in sanctis humanam affectionem, mirabili quodã, & ineffabili modo necesse erit à semetipsa

Galat. 2. *Amb. ibi.* *Chrysost. Ibid.* *Bern. lib. de dilige-do Deo.*

liquescere, atque in Dei penitus transfundi voluntatem. Alioquin quomodo omnia in omnibus erit Deus; si in homine de homine quicquam supererit? Manebit quidem substantia, sed in alia forma, alia gloria, aliaque potentia.] Sic ille de Sanctis vitam beatam agentibus non minus verè, quàm eleganter scripsit, sed quod illi in cælesti patria vsque ad sacietatem edunt, in hac mortali vita, aliqua ratione degustant, quatenus diuinis perfectionibus vestiuntur. Illa námque cogitationum puritas, affectionum sanctitas, conscientiæ pax, atque serenitas; illa erga proximos charitas, erga inimicos mititas, erga miseros, & afflictos benignitas; illa in prosperis lenitas, in aduersis tolerantia, in rebus agendis tranquillitas; illa nobilis occupatio, qua semper Deum cogitãt, Deum in omnibus quærunt, Deum cupiunt, Deum amoris stringunt amplexibus; hæc, inquam, omnia, quid sunt, nisi quædam scintillæ illius ignis increati, qui perfectos accendit? Quid sunt nisi vestimenta quædam illius æterni regis, qui regalibus iudumentis dilectissimos filios circundat? Quid sunt, nisi proprietates, & perfectiones Dei, qui sãctos & electos suos, ad perfectionem euectos in suæ deitatis imaginem, similitudinémque transformat. Et sicut sol in nube, splendore suo, domum & habitationem constituens, eam pulchram, atque splendidam facit, & hæc pulchritudo, manifestum est splendoris solis in ea habitantis indicium; ita Deus in sanctis atque perfectis filio suo, qui splendor est gloriæ, domicilium & mansionem fabricans, eos reddit Christo conformes, & efficit sanctitatis & virtutum Christi participes. Quibus signis, atque indiciis, an Christus in viris sanctis atque perfectis sit, non obscurè cognoscitur, à quo tamquam ab efficacissimo igne in ipsum transformati; & veluti ignei facti, Dei splendorem, & calorem, & pulchritudinem, & efficacitatem possident, & antiquas tenebras, & pristinum frigus, & deformitatem, & pusillanimitatem ignorant. Et huius fructus causa omnium suauissimi ac perfectissimè omnes alios præcedentes affatim, abundéque participant. Nam si in Deum transfusi sunt, quidni mentis puritatem; rerum temporalium contemptum; appetituum tranquillitatem; sermonis circumspectionem habeant? Quidni cogitationum mũditiam; desideriorum intolerantiam; virtutum sollicitudinem; & operum decorem teneant? Quidni aduersitatum sustentationem; virium internarum collectionem, ac voluntatum concordiam in intimis recessibus sui cordis recondant? Re vera has vniuersas perfectiones adepta est anima, quæ in Christum transfigurata, primi parentis affectibus ac vitiis valedixit, & secundi Adami ornamenta pretiosa conquisiuit.

Charitas ergo ad hanc eximiam nobilitatem prouecta, & tamquam arbor pulcherrima his præstantissimis fructibus onusta, quæ nihil terrenum sapiat, nihil vile quærat, nihil virtuti & mentis puritati contrarium admittat, quæ virtutes omnes in animam inuehat, ad omne bonum opus seipsam extendat, amicos & inimicos (vt posteà dicemus) diligat, & solum Deum sitiat, ac eius intimam vnionem precibus postulet, gemitibus efflagitet, & ineffabilibus desideriis concupiscat, ipsa est perfectio spiritualis vitæ, quam omnes religiosi veluti pretiosum thesaurum in agro religionis absconditũ, & quasi inæstimabilem margaritam à Christo Saluatore nobis à longè monstratam, voluimus relicto sæculo, venditisque, ac dilapidatis omnibus coëmere, & pretio omnium, quæ aut possidebamus, aut habere poteramus, in nostrum vsum vindicare. Hanc qui in vita religiosa positi non quærunt, sed honoribus, & propriis commoditatibus aucupandis intendunt, vilissimi sunt, & tamquam planè insipientes & stulti, omnimodè contemnendi, vel (vt leniùs loquar) magna commiseratione deplorandi, qui bona mundi, qualia qualia sunt, perdiderunt, & bona cæli, quæ sola sunt bona, quorum gratiâ mundanis bonis se abdicarunt, præ inertia & stultitia sua non receperunt. Qui verò quærunt, & votis, ac operibus bonis habere contendunt, velut sapientes, & suo muneri satisfacientes ab omnibus honorandi; licèt numquam margaritam istam omninò pulchram, & perfectam obtineant, & ad puritatem, ac sanctitatem optatam perueniant, quia certè eximia dignitas est, contemptis rebus sæcularibus spem & desiderium in perfectione figere, & pro ea consequenda, aut magis, aut minùs fortiter laborare. At qui non solùm perfectionem quæsierunt, sed etiam tandem sunt assecuti, quicumque illi sint, etiam si idiotæ, etiam si plebeij, etiam si nullis naturalibus talentis ornati, sapientissimi, & fælicissimi habendi sunt, qui in vitæ spiritualis stadio brauium acceperunt, velocissimè cucurrerunt, & aliis etiam sapientibus, & literatis, & à mundo honoratis post se relictis, summi regis intimam amicitiam, & familiaritatem, & verè statum principum, & magnatum compararunt. Hi tamen semper de seipsis modestè sentiant, aliis se libentes submittant, & numquam se putent ad perfectionem peruenisse, & summam, ac culmen obtinuisse virtutis. Quam in sententiam Leo Papa inquit. Hæc est perfectorum vera iustitia, vt nunquam præsumant se esse perfectos; ne ab itineris nondum finiti intentione cessantes, ibi incidant in deficiendi periculum, vt proficiendi deposuerint appetitum. Quia ergo nemo nostrũ tam perfectus, & sanctus est, vt perfectior, sanctiórq; esse non possit, omnes simul sine differentia graduum, sine discretione meritorum, ab iis; in quæ peruenimus, in ea quæ nondum apprehendimus, pia auiditate curramus, & ad mensuram consuetudinis nostræ necessarij aliquid addamus augmenti.] Et Augustinus. Hæc est nostra in ipsa peregrinatione iustitia, vt ad illam perfectionem, plenitudinémque iustitiæ, vbi in specie decoris eius, iam plena, & perfecta charitas erit nunc ipsius cursus rectitudine, & perfectione tendamus, castigando corpus nostrum, & seruituti subiiciendo, & eleemosynas in dandis beneficiis, & dimittendis, quæ in nos sunt commissa peccatis, hilariter, & ex corde faciendo, & orationibus indesinenter insistendo, & hæc faciendo in doctrina sana, quæ ædificatur, fides tecta, spes firma, charitas pura. Hæc est nunc nostra iustitia, qua currimus esurientes, & sitientes ad perfectionem, plenitudinémque iustitiæ, vt ea posteà saturemur.] Atque alio loco breuius. Ac per hæc, quantùm mihi videtur in ea, quæ perficienda est iustitia multum in hac vita ille profecit; qui quàm longè sit, à perfectione iustitiæ, proficiendo cognouit.] Hæc illi, & optimè. Nam pia humilitas est, quæ incipientes ad augmenta virtutis effert; proficientes in perfectionem inuehit, & perfectos, & sanctos in adepta perfectione, ac mentis puritate custodit.

***

Leo ser. quad. 1

Aug. lib. de perf. iustitia, cap. 8.

Aug. lib. de spirit. & lit. ca 36.

Perfectionem vitæ spiritualis, ad Deum relatam illo præcepto contineri: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & in tota mente tua, &c.

CAP. XVI.

MVLTA de vitæ spiritualis perfectione diximus, qua iustus, vt respicit Deum, perfectus nuncupatur; & multò plura & secretiora diceremus, si tanta esset nostra solertia, vt Christi Saluatoris nostri verbum inueniret, quo perfectionem, aut consilio suasit, aut præcepto, & iussione mandauit: Quapropter istud verbum diligenter inquiramus. Nec credendum est magistrum sapientissimum, imò & ipsam sapientiam increatam, quæ opere, & doctrina tot vias perfectionis assequendæ monstrauit, ipsiusmet perfectionis oblitam, aut eam silentio prætermisisse, aut nullo suæ doctrinæ verbo declarasse. Nam si in hunc hominum & Angelorum magistrum, quin & solum magistrum, quoniam scriptum est: Vos autem nolite vocari Rabbi, vnus est enim magister vester,] nullum vitium, nulla culpa, nulla ignoratio cadit; quo pacto de eo cogitandum est, quod doctori alicuius viæ magno vitio verteremus, viam scilicet ipsam ostendisse, finem verò, quò eundum esset, minimè propalasse. Inuestigemus ergo verbum quo Dominus perfectionem vitæ spiritualis, scopum & finem, aut præcepit, aut consuluit, certi, quod illud sumus inter sermones tanti doctoris reperturi. Puto sanè perfectionem illis Domini verbis esse contentã, quæ habentur apud Matthæum, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & in tota mente tua.] Quibus Lucas addidit. Et ex omnibus viribus tuis.] Marcus autem, Et ex tota virtute tua.] Et in Deuteronomio adhuc adiectum est: Ex omni fortitudine tua:] vt sex modis Dominum à nobis diligendum sciamus, in quorum obseruatione tota vitæ Christianæ perfectio sita est, ac constituta. Videamus igitur quo pacto perfectio nostra his verbis Saluatoris nostri contineatur: Deinde cum ipsa verba præceptum sonent, qua ratione perfectio in præcepto posita sit: postremò, quæ pars ipsius tantùm sit in consilio, quam profectò nos præcipuè in hac tractatione quærimus, vt sic timoratas conscientias scrupulorum molestiis eximamus.

Matt. 23.

Matt. 22. Luc. 10. Mar. 1. 21 Deut. 6.

Principiò, Dominum hoc mandato perfectionem ipsam, & totius vitæ spiritualis finem exposuisse, docent apertè verba, quæ post eius lationem ac promulgationem subduntur: Hoc est maximum, & primum mandatum.] Qua sententia docemur (vt annotauit Origenes) mandatorum sacræ Scripturæ, quoddã esse magnitudine, & ordine primum, quoddam esse magnitudine & ordine secundum; aliud verò magnitudine & ordine tertium; & sic deinceps, quousque ad mandatum minimum perueniamus.] Esse námque aliqua mandata minima, aut aliis minora ipse legislator testatus est, dicens: Qui soluerit vnum de mandatis istis minimis, & docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cælorum.] Mandatum ergo charitatis Dei, primum & maximum est.

Matt. 22. Orig. hõ. 13. in Matt. Matt. 5.

A Primum, non quidem ordine Scripturæ, quia alia priùs in sacris paginis feruntur mandata; sed primum dignitate virtutis; quoniam rem dignissimam præcipit, nimirum vitæ nostræ perfectionem, quam in nostri cursus initio præ oculis habemus, vt ad eam tota mentis auiditate curramus. Maximum etiam est, quia virtutem maximam præcipit, & omnium præstantissimam, ad quam reliquæ omnes virtutes referuntur, & ad eam, aut assequendam, aut promouendam, aut in sua pulchritudine conseruandam ordinantur. In quam sententiam Thomas Aquinas ait: Dei charitatem magnum esse mandatum, nam lege naturali iussum est, in visceribus nostris impressum, quæ nullo docente proclamant eum esse diligendum quem auctorem vitæ, & omnium bonorum veneramur, & finem omnium esse cognoscimus. Et maius esse mandatum, quia lege scripta repetitum, à Deo data, ac per Angelos ordinata, cuius in Deuteronomio vox est: Audi Israël, Dominus Deus noster, Deus vnus est. Diliges Dominum Deum tuum.] Et maximum quoque esse mandatum, quia nouissimè in lege perfectissima, scilicet Euangelica, promulgatum, in qua ei nomen maximi, ac præstantissimi datum, ac tributum est. Est etiam primum mandatum, primò quidem in intentione Dei iubentis, qui sui amorem præcipit tamquam finem, ad quem omnia alia præcepta, & vniuersæ virtutum actiones diriguntur. Quod significat Paulus, dicens: Finis præcepti est charitas, de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta.] Et regius vates cùm ait. Omnis consummationis vidi finem, latum mandatum tuum nimis.] Quod mandatum latissimum charitatis præceptum esse docet Augustinus in hæc verba. Latum mandatum non intelligo, nisi charitatem.] Et infrà. Latum est mandatum charitatis nimis, mandatum illud geminum, quo iubetur Deus & proximus diligi. Quid autem latius, quàm vt ibi pendeat tota lex, & omnes Prophetæ?] Deinde primum est in necessitate obseruationis, quia sine Dei dilectione, nec homo Dei similitudinem habet, nec ita vt proximè ad vitam æternam sibi prosit, alias leges & mandata custodit. Tandem est hoc primum mandatum in ordine dignitatis, quia dignissimam virtutem continet, & dignissimam eius actionem iubet, à qua supremus ordo supremę Hierarchiæ Seraphinorum vocatur, ab amoris nempe ardore, quo Deum diligunt, & dilectionis igne, quo spiritualiter succenduntur. Quare ergo hoc primum ac maximum mandatum vocatum est, nisi quia vitæ spiritualis perfectionem comprehendit, quæ prima est, & maxima omnium virtutum, prima, quia finis reliquarum, in quam tendunt; & maxima, quia per se vniuersis nobilior, Angelis & iustis charior, & Deo ipsi sine vlla nota dubitationis acceptior.

D. Thom. opusc. de dilectio. Dei c. 1.

B

Deut. 6.

1. Tim. 1.

C

Psal. 118.

Aug. ser. 1. ad Psa. 118.

D

Nec minùs perspicuè hanc veritatem insinuant verba, quæ post editionem secundi mandati de proximi dilectione subduntur. In his duobus mandatis vniuersa lex pendet, & prophetæ. Quid námque est vniuersam legem, & omnia mandata ex his duobus præceptis pendere, nisi ab illis tamquam ex principiis & fontibus exoriri, & ad illa optima ratione complenda tamquam ad scopum & finem ordinari? Quod si charitas Dei, & proximi his duobus mandata præceptis, principium, & finis vniuersæ legis est, relinquitur, eam (quæ scilicet hîc præcipitur) ab ipsa spiritualis vitæ perfectione non secerni; quæ vt principium, & primus motor ad legis obseruationem instigat, & vt scopus, & finis ipsam legis custodiam perficit, atque consummat. Sed quo pacto charitas perfecta his

Matt. 22.

E

Cyprian. li. de operibus car. Christ. tr. de baptis.

duobus mandatis comprehensa principium & finis legis,& prophetarum sit, ex verbis Cypriani discamus. Verè (inquit) hoc mandatum legem complectitur,& Prophetas,& in hoc verbo, omnium Scripturarum volumina coarctantur. Hoc natura, hoc ratio, hoc, Domine, verbi tui clamat auctoritas, hoc ex ore tuo audiuimus, hinc inuenit cosummationem omnis religio, primum est hoc mandatum, & vltimum, hoc in libro vitæ conscriptum, indeficientem in hominibus & Angelis exhibet lectionem. Legat hic vnum verbum, & in hoc mandato meditetur Christiana religio & inuenit ex hac Scriptura omnium doctrinarum regulas emanasse, & hinc nasci,& huc reuerti, quidquid Ecclesiastica continet disciplina, & in omnibus irritum esse, & friuolum: quidquid dilectio non confirmat. Nôn pertinet Domine ad te, nec de tuis est, qui te non diligit, nec diligit te, qui te scienter offendit. Dilectioni tuæ detrahit, qui terminos à te positos transit, & Euangelij tui decreta transgreditur, & contemnit. Non amat te, qui pecuniam diligit, tibi & mammonæ nemo simul deseruit. Non pertinent ad te speciem pietatis habentes, & negantes virtutem; nec militant tibi negotiorum huius sæculi traiectores. Non audiunt te, sed sicut aspis, aures suas obturant, ne eorum corda verbum tuum penetret, quotquot peccato seruiunt, & voluptatum carnalium amatores.] In eandem sententiam Augustinus ait. Sed Dominus, qui verbum consummans & breuians fecit super terram, in duobus præceptis dixit legem, prophetasque pendere, vt intelligeremus quicquid aliud diuinitus præceptum est, in his duobus habere finem, & ad hæc duo esse referendum. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo; & diliges proximum tuum tamquam teipsum.] Quicquid ergo Dei lege prohibemur, & quicquid iubemur facere ad hoc prohibemur,& iubemur, vt duo ista compleamus.] Nulla profectò alia ratione potest omnis lex ab hoc duplici præcepto manare & in ipsum dirigi, nisi quia geminum præceptum hoc nostram perfectionem complectitur, quam legum, & mandatorum omnium obseruatione conquirimus, & à qua ad eorundem mandatorum obseruationem, ac custodiam permouemur.

Aug. lib. de perfectio. iusti. tia cap. 5. tom. 9.

Mat. 22.

Ab ista charitatis perfectione sublimiori quodammodo omnis lex, & omnes Prophetæ dependent, quia eam assequentes non solùm ad legis custodiam incitantur: verùm etiam interdum illuminantur, vt sapida quadam cognitione omnes leges diuinas, & vniuersos Prophetas intelligant. Quis enim sanctos Patres & Doctores edocuit, vt diuinam Scripturam verè intelligerent, & aptè, ac dilucidè interpretarentur? An labor improbus? An vigiliæ? An assidua lectio? An intenta meditatio? Non quidem hæc sola, sed præcipuè modesta charitas definitionibus Ecclesiæ subiecta; quæ tamquam sponsa legislatoris Dei, & magistri prophetarum, eius arcana lege præscripta & sermonibus prophetarum inuoluta, callet, & tamquam experta decorem & pulchritudinem sponsi sui, eam verbis, licèt obscuris delineatam facilè intelligit. Hæc est quæ multos viros sanctissimos literarum prorsus imperitos,& mulieres, vt Catharinam Senensem, Brigittam, Hildegardem,& alias similes erudiuit, vt verba Dei mente perciperent,& multò melius, quàm Doctores, charitatis ieiuni, & spiritu superbiæ inflati callerent; quia Scripturæ sacræ clauem non habet arrogantia superba, sed intima erga Deum & proximum charitas sanctæ matris Ecclesiæ doctrinis & monitionibus affecta. Quamobrem nôn prorsus extra rem locutus est Origenes, cùm scripsit

Orig. hō. 23. in Matth.

A etiam, quoad cognitionem, legem, & prophetas à charitate pendere. Qui omnia adimpleuit (ait) quæ scripta sunt de Dei dilectione, & proximi, dignus est maximas gratias à Deo percipere, quibus præpositus est sapientiæ sermo per Spiritum sanctum, per quem sermo scientiæ, qui secundùm spiritum est. Dignus autem constitutus his omnibus donis exultat in sapientia Dei, plenum habens cor Dei dilectione, & totam animam lumine scientiæ illustratam, & totam mentem verbo Dei. Consecutus autem eiusmodi dona ex Deo, profectò intelliget omnē legem, & prophetas partem aliquam esse ex omni sapientia & scientia Dei, & intelligit omnem legem & prophetas pendere, & adhærere à principio dilectionis Domini Dei, & proximi. Si ergo diuinæ legis cognitio, quæ in opus procedat,& Ecclesiam fulciat, atque sustentet, nonnumquam perfectioni in arrham cælestis præmij datur. Nam filij sapientiæ Ecclesia iustorum, & natio illorum obedientia,& dilectio.] Et è contrario excelsa, hoc est, inaccessa stulto sapientia,] quis dubitet, præceptum illud, cuius perfectæ custodiæ sapientia, & legis diuinæ cognitio tribuitur; ipsam vitæ nostræ perfectionem continere?

B

Eccles. 3.

Prou. 24.

Sed re vera, licèt Dominus hoc charitatis præceptum maximum non vocasset, neque ab eo omnem legem pendere dixisset, adhuc ipse modus promulgandi, ac præcipiendi, quem tenuit, eo omnem perfectionem Christianæ vitæ contineri, satis abundè declarasset. Nam, vt Thomas Aquinas sapienter annotauit, Christus Saluator noster non iussit nobis aliquam charitatis mensuram, verbi gratia, minimam, aut mediocrem, sed omnem charitatem, & omnem modum, ac vniuersam perfectionē, ac sublimitatem eius præcepit, dicēs: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo,& in tota anima tua,& in tota mēte tua, & ex omnibus viribus tuis,& ex omni virtute tua.] Quæ enim maior perfectio amoris à nobis, aut exigi, aut excogitari potest, quàm vt totum cor, tota anima: totus spiritus noster Deum diligat, & omnes vires, ac vniuersa virtus nostra in Deum suum tātùm intendat? Meritò autem charitas erga Deum sine vlla mensura præcepta est, quia & finis est omniū aliorum præceptorum, vt palam testatus est Paulus: Finis præcepti est charitas:] & quia ipsa, vt habet respectum ad Deum, vinculum est, ac veluti extremū medium, aut præsidium, quo fini nostro coniungimur: Nam, qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.] Ex ea parte, qua est præceptorum finis nullam mensuram debuit admittere. Quoniam sicut omnes artifices mediis quidem limitem ponunt, sed finem suæ artis sine vllo limite concupiscunt, quod in Medico videre est, qui sanguinem moderatè diminuit,& potionis certam quantitatem sumēdam esse præscribit, at sanitatem, finem scilicet medicæ artis non cum aliquo termino, aut limite, sed omnem possibilē concupiscit: ita spiritualis animarum medicus à nobis certam ieiuniorū, orationis, eleemosynæ,& aliarum virtutum mēsuram exigit, quæ (vniuersa philosophia attestante) in medio consistunt, sed perfectionis, ad quam omnes virtutes tamquam ad finem tendunt, nullam certam mensuram. Sed omnem perfectionem, omnem charitatem, & omnem modum charitatis requirit. Ex ea verò parte, qua est vinculum nos Deo coniungens, atque deuinciens, nullum etiam modum, nullum terminū habet, quia quantumcumque Deum diligamus, numquam satis est, numquam desiderium nostrum rationi consonum dicit, sufficit, numquam ipsa charitas impellens, & vrgens nos, dicit, sufficit; numquam Deus ipse à nobis dilectus dicit, sufficit, sed semper quamdiu hæc vita durat, vult am-

C

D. Thom. 2. 2. q. 194. ar. 3.

Mat. 22. Luc. 10. Marc. 12.

1. ad Ti. 1.

D

1. Ioan. 4.

E

plìus

plùs diligi, & feruentiùs amari. In quam sententiam Bernardus verissimè ait, modum charitatis esse, sine modo diligere.] Et Augustinus cum Deo miscens dulcia colloquia, ita ait. Dic mihi etiam, quæso te Domine, quis sit diligendi modus: Vereor enim, ne plùs minusve, quàm oportet, inflammer desiderio, & amore Domini mei. Ex toto (inquit) corde tuo.] Non est satis. Ex tota anima tua;] ne id quidem satis est. Ex tota mente tua.] Quid vis amplius? Vellem fortasse, si viderem, quid posset esse amplius.] Et statim. Dicat etiam Paulus ipse dilectionis modum. Quis ergo (inquit) nos separabit à charitate Christi? Tribulatio, an angustia, an persecutio, an fames, an nuditas, an periculum, an gladius?] Audiuimus quid diligere, & quantùm diligere debeamus: eò est enim omnino tendendum, ad id omnia consilia nostra referenda. Bonorum summa Deus nobis est, Deus est nobis summum bonum. Neque infrà remanendum nobis est, neque vltra quærendum: alterum enim periculosum; alterum nullum est.] Si ergo mandatum hoc nullam præcipit charitatis mensuram, sed omnem possibilem charitatem iubet, clarum euidénsque relinquitur, ipsúm nō charitatem, incipientem tantùm, aut proficientem præcipere, sed charitatem perfectam, absolutámque mādare. Illam profectò mandat, quæ possessores non solùm cōmunes ciues, sed in curia Christi nobiles, etiam, & illustres constituit; illam, quæ velut perfecta salus; omnes affectus, & vires nostras sanat: illam quæ instar arboris vitæ duodecim pulcherrimos fructus, suprà commemoratos, emittit. Quæ animam perfectè mundat, temporalia contemnit, appetitus moderatur, sermones regit, cogitationes purificat, desideria succendit, virtutes sollicitat, opera venustat, aduersitates sustinet, vires colligit, voluntates colligat, & sanctos in Deum mirifico modo trāsformat. Hæc autem charitas summa, hoc primo, & maximo mandato contenta, est (vt diximus) tota spiritualis vitæ perfectio.

Bern. de diligendo Deo. *Aug. lib. de moribus Eccl. c. 8. 16. 1.* *Rom. 8.*

Sed si Deus perfectionem ipsam tanta asseueratione præcepit, quid erit nobis miseris, qui perfectionem non assequimur, nec Deum nostrum omni mentis conatu diligimus? Quomodo æternam salutem consequemur, qui aliquod Dei præceptum, imò & maximum præceptum non custodimus? Cuius trāsgressione omnium mandatorum, & vniuersæ legis transgressores efficimur, dicente Scripturâ. Quicumque totam legem seruauerit, offendat autem in vno, factus est omnium reus.] Re vera Dominus in hoc præcepto perfectionem charitatis iussit, vt sufficienter ostendimus, cum quo tamen fixum, ac immobile stat, quod hac perfecta charitate, atque omnimoda dilectione carens, si aliquam veram charitatem, licet minimam habeat, non sit huius præcepti transgressor. In hoc enim maximo, ac primo mandato; duo sunt consideranda; alterum, quod mandatum est; alterum quod primum, & maximum est. Ex eo quod est mandatum quoddam affirmans, (vt scholæ more loquamur) aliquod opus faciendum nobis proponit; ex eo verò quod est primum & maximum, ad aliquem finem nobis aliquando perueniendum esse præscribit. Opus à nobis faicendum est, dilectio Dei, ea scilicet, qua nihil ei creatum præponamus, & ipsius voluntatem præceptis ostensam seruemus: finis à nobis tandem consequendus, est perfecta & consummata dilectio Dei, qua perfecti, & sancti constituimur; ea nimirum, quæ Deum omni mentis conatu diligit, vniuersa terrena impedientia feruorē charitatis abiicit, omnia consilia custodit. Qui ergo opus præceptum exequitur, licet in hac vita numquam ad finem præcepti, nempe ad perfectam charitatem perueniat; nequaquam hoc mandatum transgreditur, quia quantulamcumque charitatem conseruet, saltem in futura vita ad perfectum amorē, atque adeò ad perfectionem perueniet. Qui autem vires exerens, & magna industria, ac diligentissimo conatu laborans, in hac vita perfectionem assequitur, & finem, ac terminum vitæ spiritualis tenet, hic vltra præceptum facit, & fidelis Domino maximum consilium custodit, non quia vltra illud, quod sibi præceptum erat; fecit (omnis enim amor, & omnis motus amoris præceptus est) sed quia citiùs & celeriùs quàm sibi præceptum erat, fecit, ex qua industria, ac celeritate ingentem laudationem apud Angelos Dei, & apud ipsum Deum magnum præmium, ac mercedem reportabit. Sed vnde constat perfectionem charitatis non præcipi, vt opus modò faciendum, sed vt finem tantùm aut in præsenti, aut in futura vita consequendum? Certè id perspicuis verbis docuit Augustinus. Cur (inquit) non præciperetur homini ista perfectio, quamuis eam in hac vita nemo habeat? Non enim rectè curritur, si quò currendum est nesciatur. Quomodo autem sciretur, si nullis præceptis ostēderetur? Sic ergo curramus, vt cōprehendamus.] Omnes enim, qui rectè currunt, comprehendent. Non sicut in agone theatrico; Omnes quidem currunt, sed vnus accipit palmam. Curramus credendò, sperando, desiderando: Curramus corpus castigando, & eleemosynas in dandis bonis, malisque dignoscendis, hilariter, & ex corde faciendo, & currentium vires: vt adiuuentur, orando, & sic audiamus præcepta perfectionis, ne currere negligamus ab plenitudinem charitatis.] Sic Augustinus docet, & ipsa summa misericordia Dei, quæ omnes homines, non ad summam iustitiam (sic enim paucissimi saluarentur) sed ad aliqualem iustitiam adegit, & non solis perfectis, & sanctis, sed etiam peccatoribus conuersis, & sua peccata deflentibus domus suæ fælicitatē præparauit. Docet & ininuestigabilis miseria hominis, qui profectò desperaret, & curam salutis æternæ deponeret, si citra summam iustitiam & perfectionem inuentus nō esset suorum laborum, & bonorum operum præmium recepturus, sed ob defectū perfectionis æternas pœnas incursurus. Docet & optima cælestis reipublicæ constitutio, ad cuius pulchritudinem pertinet, vt in ea sit diuersitas meritorum, & non tantùm magnis iustis, sed etiam mediocribus, & paruulis portæ æternales recludantur. Vnde Ioannes ait: Aduenit ira tua, & tempus mortuorū iudicari, & reddere mercedem seruis tuis Prophetis, & Sanctis, timentibus nomen tuum, pusillis & magnis. Docent denique & merita Christi Iesu, cuius amori, ac passionibus tribuendum erat, vt non solùm eius maiores fratres, id est, viri sancti & perfecti, sed etiā minores, & minimi, hoc est, pusilli iusti sanguine eius rubricati, in æternas sedes admitterentur. Illud igitur in hoc mandato omnibus in communi præcipitur, quod omnes facilè præstare possunt, illud verò summum atque perfectum, tamquam finis ostenditur, quem finem vniuersi prædestinati sine dubio in cælo consequentur, & in quem (eo modo quo statim explicabimus) si voluerint, & seipsos Dei gratia incitauerint, hanc etiam vitam agentes, poterunt peruenire. Et hæc Domine Deus meus est consolatio mea, lachrymas meas abstergens, & tristitiam meam leniens, cùm me iam ætate virum, & spiritu, plusquam excogitari potest, pusillum inuenio, quod non solis Sanctis, atque perfectis cælestis patriæ aditus apertus est, sed etiam imperfectis, imbecillibus, & corde compunctis, ingressus æternæ vitæ patescit.

Iacob. 2. *Aug. lib. contra Celestiū c. 8 fine.* *1. Cor. 9* *Apoc. 11.*

Ne tamen, quod dictum est (in hoc præcepto aliquid vt opus, & aliquid vt finem esse mandatum) alicui difficile, aut obscurum appareat, manifesto simili explicemus. Cogitandum enim est regem, viro nobili in his extremis regionibus orto, in eisque commoranti præcepisse, vt statim patrium solum relinquat, & in Hispaniam, à qua oriundus est, veniet, & oculis regis se præsentet. Duo quidem non parum diuersa hoc præceptũ inuoluit. Alterum est ipsum iter longum, ac permolestum, & multis periculis terræ, & maris expositum: alterum ipsa peruentio, qua nobilis hic iam in Hispaniam appulsus, curiam regiam ingreditur, & regem, ac magnates alloquitur. Illud opus à rege mandatum est, ad quod nobilis statim debet accingi, ita vt si è vestigio necessaria ad iter faciendum non præparet, & vxorem, filios, cognatos, familiam, amicos, & patriam non relinquat, & se non tradat itineri, & postea nauigationi difficili, culpæ obnoxius habeatur: Istud verò, scilicet, peruentus in Hispaniam finis est, quem longo itinere, & nauigatione difficili post vnum annum, aut duos obtinebit. Quod si antequam in Hispaniam veniat iter agens, in hospitio, aut vrbe aliqua, aut in mari Oceano extremum diem claudat, certè non inobediens, non præcepti transgressor, sed obediens, & fidelis regi, licet minus fœlix reputabitur. At si vir hic nobilis, simul atque præceptum regis audit, sciens alas Dædaleas conficere, eas in suum vsum ad celeriùs parendum fabrefaceret, & paucis horis sine vllo periculo, sine vlla molestia, in curiam regis euolaret, & se Principi offerret, certè hæc inaudita, atque inusitata celeritas, vltra præceptum sibi impositum esset, qua tum magnam suæ obedientiæ, & amoris erga regem significationem daret, tum ingens præmium ab ipso, & à magnatibus, magnam gloriam, & laudationem obtineret. Facile est hoc simile proposito nostro accommodare. Nam iubens Deus, vt in eum charitate tendamus, & ex toto corde, ex tota anima, & ex tota mente diligamus,] duo videtur diuersa præcipere; vnum eorum est amor, habens se ad modum itineris quo in finem nostrum, scilicet in Deum ipsum proficiscimur, alterũ est omnis amor, aut perfectus amor, qui est totius nostræ vitæ perfectio, habens se ad modum finis, ad quem sumus per actus amoris, & per effectus charitatis, qui non sunt aliud quàm bona opera, aliquando peruenturi. Qui ergo mandatum istud aure mentis excipiens Deum amat, & ex amore eius leges, præceptáque custodit, & ab omni peccato se subtrahit, implens illud: Spiritu ambulate, & desideria carnis non perficietis;] hic obediens est & fidelis seruus, & non præcepti transgressor, quamuis ineuitabili morte impeditus, numquam ad supremam charitatẽ, & ad perfectionem accedat. Quinimo erit viro illo nobili sine vlla comparatione fœlicior, quia ille in itinere mortem obiens, numquam in curiam regis appellet, nec eius conspectum & alloquium excipiet; hic verò post mortem, perfectionem charitatis, & Dei aspectum consequetur, ad quem bona vita, licèt minus perfecta, tendebat. At si iste, nequaquam communi ratione iter agendi contentus, assumat consiliorum pennas vt aquilæ, & vilia mundi posthabeat, & omnia humana transcendat, & in curiam regis summi, scilicet in sanctam amoris perfectionem, breui temporis spatio contendat, hic sane vltra præceptum facit, & in hoc, consilium custodit, non quia plusquàm præceptum est, faciat, sed quia solertiùs, diligentiùs, & velociùs ad destinatum finem, & ad brauium supernæ vocationis, quàm sibi præceptum est, veniat; cuius diligentiæ, atque feruoris, non commune præmium; sed cumulatissimam mercedem accipiet. At Augustinus suprà dixit, neminem in hac vita posse perfectionem istam amoris habere; quomodo nos audemus dicere, aliquos iustos consiliorum pennis ad eam vsque peruenire posse: Et consentit Bernardus. Ego puto (inquit) non ante sanè perfectè impletum iri. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota virtute tua,] quousque ipsum cor cogitare iam non cogatur de corpore, & anima, eidem in hoc statu viuificando, & sensificando intendere desinat, & virtus eiusdem releuata molestiis, in Dei potentia roberetur. Impossibile namque est tota hæc ex toto ad Deum colligere, & diuino infigere vultui, quamdiu ea huic fragili, & ærumnoso corpori intenta, & distenta, necesse est subseruire. Itaque in corpore spirituali & immortali, in corpore integro, placido, placitóque, & per omnia subiecto spiritui, speret se anima quartum apprehendere amoris gradum, vel potiùs in ipso apprehendi, quippe quod Dei potentiæ est dare cui vult, non humanæ industriæ assequi. Tunc, inquam, summum obtinebit facilè gradum cum in gaudium Domini sui promptissimè, & auidissimè festinantem, nulla iam retardabit carnis illecebra, nulla molestia conturbabit.] Sed hoc verum est, & quod diximus etiam verum est, si diuersos perfectionis gradus distinguamus. Est enim quædam perfectio, & quidam amor Dei ex toto corde, quem soli beati possident; & est quædam perfectio, & quidam amor Dei ex toto corde, huius vitæ miseriis interruptus, ad quem iusti nondum sacco mortalitatis exuti, post multos labores admittuntur: Quod Thomas Aquinas explicuit, dicens. Hoc præceptum in patria quidem impleri perfectè, cùm homo perfectam Dei visionem assequetur; in hac vita verò impleri imperfectè, cùm carnis pondere prægrauatus, non potest non à purissima contemplatione distrahi, & ab actuali amore cessare. Quæ tamẽ præcepti charitatis impletio adeò solet in hac vita promoueri, & omne malum abijcere, bonúmque sectari, vt licèt cùm amore cœlestis patriæ collata imperfecta sit, tamen in hoc mortali corpore, non tantùm initium, aut profectus charitatis, sed etiam perfectio reputetur.]

Sed nemo erit, qui non aueat scire quid hoc præceptum tamquam opus iubeat, sine quo non est aditus ad æternam salutem, quid etiam vt finem, ac perfectionem nostram præcipiat, quam si in fine vitæ nondum fuerimus assecuti, non propterea à supernis sedibus excludemur? Ad quam interrogationẽ breuiter respondere non piget. Hoc namque præceptũ, quoad internum quidem erga Deum amoris affectum, quo scilicet volumus sua bona Deo, & ei per omnia placere statuimus, iubet, vt Deum diligamus, quoties tenetur grauia peccata relinquere, & ad Dei amicitiam redire. Cùm etiam grauissimis tentationibus impugnamur, quas non possumus aliter vincere, & nisi per actum charitatis superare. Cùm etiam iudicamus nos sine actuali Dei amore esse casuros, & aliquod graue crimen incursuros. Ac tandem aliquando, intra quemlibet annum, & cùm graue periculum imminet, aut ipse instat mortis articulus. Quæ omnia Scholasticis Theologis exquisitiùs tractanda relinquimus. Quoad externas autem actiones præcipit mandatum hoc, vt nihil Deo præponamus, vt mandata eius, siue per seipsum, siue per Ecclesiam, siue per Prælatos lata, custodiamus, & diuinum honorem, & reuerentiam tueamur. Quod Chrysostomus his verbis expressit. Quid est diligere Deum ex toto corde, id est vt cor tuum non sit inclinatum ad vllius rei dilectionem, ampliùs

quàm

Marginal notes: Matt. 22. — Galat. 5. — Berna. de diligendo Deo. — Luc. 10. — D. Thom. 2. 2. qu. 44. ar. 6. — Chrys. in imperfecto super Matt. ho. 42.

quàm ad Dei, nec delecteris in aliqua specie mundi, ampliùs quàm in Deo: Non in honoribus, non in auro, non in argento, non in possessionibus, aut vineis, non in animalibus, aut mancipiis, non in ornamentis, aut vestibus, non in filiis, aut parentibus, aut amicis; sed hæc omnia existimes tibi esse in Deo, vt præ his omnibus Deum ames.] Qui & exemplo castæ mulieris manifestat, virum suum præ omnibus diligentis, & sapientiorem, fortiorem, ac pulchriorem omnibus hominibus reputantis. Istud huius præcepti opus est, quod implens, amicus est Dei, & toto corde, & tota anima quodammodo diligit quatenus nihil amori Dei, & diuinis iussis anteponit. At finis est ipsa perfectio, vt scilicet prout humana imbecillitas fert, Deum semper cogitemus, iugiter sitiamus, & frequentissimis amoris affectibus ei adhæreamus; vt ex hoc amore omnia terrena contemnamus, nosipsos, & omnia vitia vincamus, vniuersas virtutes habere curemus, & non solùm propter Deum, quidquid debemus, sed quidquid superna gratia adiuti possumus, faciamus, & ad omnem sanctitatis gradũ, quo caremus, nos magnis conatibus extendamus. Quam perfectionem Deus à nobis, vt finem, & scopum vitæ spiritualis exigit, dicens: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua, & ex omnibus viribus tuis & ex omni virtute tua, & ex omni fortitudine tua.] Propter hanc assequendam mundum reliquimus, parentes, fratres, cognatos, & amicos abnegauimus, honores, diuitias, & voluptates contempsimus, & in vita religiosa positi gemimus, affligimur, & laboramus. Videndum est ergo quo pacto Dominus his sex dulcissimis verbis, & super omnes thesauros amplectendis, naturam nobis perfectionis apertiùs, & cumulatiùs exposuerit, vt eam magis cognitam, auidiùs inquiramus, feruentiùs postulemus, & libentiùs amplectamur.

Matt. 22. Luc. 10. Mar. 12. Deut. 6.

Quomodo perfectio exponatur illis verbis, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.

CAPVT XVII.

HANC non semel contemplati sumus inter sapientem insipientémque distantiã, quod hic multis verbis, & longis sermonum ambagibus, nihil consideratione dignum proponit, ille verò contracta verborum serie magnas sententias comprehendit. Cuius discriminis causam assignare, non erit difficile. Quia enim insipiens rem explicandam non intelligit, opus habet longo verborum circuitu, cùm vt suam insipientiam contegat, tum vt varias (quas fecit) de proposita re, & minus proprias conceptiones aperiat. At sapiens, qui rei naturam, & proprietates probè cognouit, prolixo sermones reiicit, ne seipsum iactare videatur, & vnico, aut certè paucis verbis ad rem explicandam inuentis, & quasi ex ipsa natis, quod mẽte concepit, aptè distinctéque declarat. Neque istud sapientum & insipientum discrimen Salomon silentio præteriuit, imò manifestissima sententia propalauit, dicens: In multiloquio non deerit peccatum; qui autem moderatur labia sua prudentissimus est.] Nam si prudentia sapientibus, & peccatum sæpissimè stultis adscribitur; quid erit verborũ moderationi prudentiam & multiloquio peccatum tribuere; nisi illam cordi sapientis, & hoc garrulis insipientibus assignare. Quòd si sapiens paucis verbis multa dicit, & quò sapientior est, eò breui sermone plura complectitur, quid se ipsa sapientia à Patre genita, qui est Christus Redemptor noster, sentiendum est, nisi quòd vnico verbo tanta perstringat, vt ea neque lingua carnis valeat exprimere, neque mens creata, aut Angelica, aut humana cogitare? Ita sanè est: Nam his verbis breuissimis, ex toto corde, ex tota anima ex tota mẽte, ex omnibus viribus, ex omni virtute, ex omni fortitudine,] amplissimã, & penè infinitã perfectionis artem significat, imo (quod ampliùs est, & præstantiùs) in qualibet istarum voce, omnẽ sanctitatem, ac perfectionem comprehendit. Quamobrem vnicuique istarum vocum illud optimè competit: Verbũ consummans & abbreuians in æquitate quia verbum breuiatum faciet Dominus super terram.] Quid enim breuius hac voce: Diliges ex toto corde; Diliges ex tota anima?] Sed hæc vox executioni mandata, ô bone Deus, quanta, & quàm stupenda patrat, quanta, & quàm mirabilia complectitur! Ipsa est, quæ consummat, hoc est, perficit humanam mentem, & in fastigium sanctitatis extollit. Ipsa est, quæ abbreuiat, in vno charitatis præcepto, quæcumque scripta lex innumeris præceptis instituerat. Ipsa est, quæ abbreuiat in æquitate: quoniam æquum erat & iustum, imò bonum erat indebitum, ac misericordiæ plenum, vt qui antea plurima esse mandata causabamur, quorum iugum nec nos, nec patres nostri portare potuimus,] omnibus in vnum mutatis, nullam excusationem haberemus. Ipsa denique est verbum breuiatum, quod fecit Dominus super terram; omnia quæ perfectio docet, aut exigit, amando complet & perficit, & Dei, & proximi dilectione cõsummat. Meritò ergo hoc verbum doctoris, imò & saluatoris nostri Iesu, Augustinus thesauro simul, & margaritæ comparauit: Quod instar thesauri continet omnia perfectionis præcepta, & consilia, tamquam multas gemmas, & pretiosa monilia, & vasa ingentia, & magni metalli: & instar margaritæ in agro sancti Euangelij reconditæ, omnia alia mandata & vniuersa consilia, vnica charitatis lege concludit. Hanc nos margaritam inquiramus, tam pulchram, tam splendidam, tam pretiosam, quæ in altera libræ lance posita, omnia alia mandata, aut æquat; aut deprimit. Si pigri sumus ad perscrutandum omnium mandatorum thesaurum, saltem diuini amoris margaritam perscrutemur, in qua citra vllam dubitationem omnia alia contenta reperiemus. Si multa verba, aut legere, aut considerare non possumus, at breue Christi verbum meditemur, quo dicit: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, aut ex tota anima tua] & in eo omnem perfectionẽ spiritualis vitæ, omnẽ nostræ mentis puritatem delineatam, & comphrensam admirabimur.

Prou. 10. *Rom. 9.* *Actor. 15.* *Aug. lib. de discip. christia. c. 2. to. 9.*

Ac primo, quoniã omnibus his vocibus, vel omne, vel totum adiicitur: nã à nobis postulat Deus, vt ex toto corde, & non ex parte cordis, ex omni virtute, & non ex aliqua parte virtutis ipsum amemus; quid sit ex toto diligere, attentè videamus. Profectò ex omni, aut ex toto diligere est omnem amorem nostrum in Deo summo bono collocare; nihil amare præter eum, à quo esse, vitam, & omne bonum accipimus, aut si aliquid aliud amamus, solũ ea ratione, & ea mensura, & eo fine diligere, quo Deus ipse vult vt rem creatã amemus. Nam qui alicuius solius gratia alium diligit, non censetur extra illum quempiam amare, cui non propter se, sed propter primum ac præcipuum dilectum, amorem impertit. Ille itaque ex toto amat, qui non solùm Deo contraria, sed etiam dissona prudenter abiicit, qui omnia sancti

amoris impedimenta remouet, qui nihil amoris, aut suis rebus, aut sibi reseruat, qui quantùm potest ad amandum, & Deo placendum seipsum extendit. In quam sententiam ita scribit magnus Basilius. Non cuiusuis est ad charitatis vsque progredi posse, ac prouehi perfectionem, & eum quiuisse agnoscere, qui verè est dilectus, sed eius qui veterem hominem contaminatum concupiscentiis fallacibus, & subdolis exutus, nouum fuerit indutus, renouatum ad agnitionem secundùm Creatoris imaginem. Quoniam qui pecuniam amat, & circa corruptiuam, ac deciduam corporis pulchritudinem stupore corripitur, & præsentem gloriam tanti adeò æstimat, simul & potentia dilecti ad ea, quæ nihil minùs conueniebat, insumpta est, is planè cæcutit ad istius verissimi dilecti contemplationem: Ideò dicitur. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omni mente tua. Hoc autem, quod ex omni dicit, diuisionem in alia nullam admittit. Quãtùm enim dilectionis in hæc inferiora insumpseris, tantùm necesse est, vt ei adimas, quod totum est; ideóque pauci ex omnibus, amici Dei appellati sunt, quemadmodum scriptum est Mosen fuisse amicum.] Pauci, inquam, sunt, qui Dei amici perfecti appellantur, quoniam non ex toto diligunt, sed amorem suum diuidunt, & in multa vana, atque inutilia dispertiunt. Similes ex parte illis miseris Samaritis, qui (vt in libro Regũ legitur) cùm Dominũ colerẽt, Diis quoque suis seruiebant, iuxta consuetudinem gentium, de quibus translati fuerant Samariam. Ita isti, & Deo, & rebus mundanis obsequi student, & re vera, neque caducis rebus se totos tradunt, nec Deo, qui totum quærit, & partẽ non admittit, fideliter seruiunt, & sic pigrorũ; & infidelium seruorũ pœnas incurrunt. Nã scriptum est per Oseam: Diuisum est cor eorum, tunc interibũt.] Hoc ergo est Deum ex toto diligere, vniuersa affectu (si quis potest) sin minus affectu relinquere, & omnes cogitationes, omnes affectiones, ad æterna sustollere, & omnibus laboribus, ac obsequiis nostris, non aliud, quàm Domini beneplacitũ quæritare, secundũ illud Pauli. Nolite conformari huic sæculo, sed reformamini in nouitate sẽsus vestri, vt probetis, quæ sit voluntas Dei bona, & beneplacens & perfecta.] Ille nãque non cõformatur huic sæculo, qui sæculi inquinamenta non quærit; ille reformatur in nouitate sensus sui, qui igne charitatis accensus, natiuam vetustatẽ absumit; quo igne innouatus scit Dei voluntatem inuenire; & ea non desideriis tantùm, sed etiam actione præstare. Vnde sicut Apostoli dicuntur omnia reliquisse, quia nihil sæculi sibi retinuerunt, nec diuitias, nec honores, nec voluptates, nec sæculares affectiones, nec curas, nec cogitationes, sed omnia hæc constanti animo repudiarunt, vt cælestia; & æterna possiderent; sic illi dicuntur omnia creata relinquere, & ex toto Deum amore complecti, qui nihil amoris terreni reseruantes, diuino amore incitantur, diuino amore pascuntur, & omnia, siue quæ faciunt, siue quæ cupiunt, siue quæ cogitant, in augmentum charitatis intendunt. In hac igitur voce sola, ex toto, & ex omni, miro modo explicata perfectio est, quia totum, & omne, & perfectũ idem sunt, & non est ab homine perfectius obsequiũ requirendum quàm illud, quod omnia homini possibilia continet, & nihil excludit. Sed verba sequentia, cor, anima, & mens, & cætera quæ sequuntur, manifestiùs perfectionis naturam explicarunt.

Basil. in Psal. 44. in inscrip. — *4. Reg. 17.* — *Osea 10.* — *Rom. 12.*

Diliges (inquit perfectionis magister) Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo.] Amorem volũtatis, aut cordis, hoc est internum charitatis affectum, primo loco præcipit, & præcipiendo, suadet: quoniam in hoc natura & substantia charitatis, & perfectionis sita est, & ab eo (vt Thomas Aquinas ait) alia omnia perfectionis opera, quæ posteà dicemus, tamquam riui à fonte purissimo, tamquam splendor à luce; & verè tamquam effectus à causa promanant. Nam & bonus homo de bono thesauro suo profert bona] & inania sunt opera (quòd attinet ad gratiam & vitam beatam promerendam) si à voluntate charitatis vacua exoriantur; dicente Apostolo: si tradidero corpus meum ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.] Hunc autem interiorem amoris affectum in hac voce, ex corde, à Domino postulari, Bernardus docet his verbis. Mihi videtur (si alius competentior sensus in hac doctrina distinctione non occurrit) amor quidẽ cordis ad zelum quemdam pertinere affectionis, animæ verò amor ad industriam, seu iudicium, rationis, virtutis autem dilectio ad animi posse referri constantiam, vel vigorem. Dilige ergo Dominũ Deum tuum toto, & pleno cordis affectu; dilige tota rationis vigilantia, & circunspectione; Dilige & tota virtute, vt nec mori pro eius amore pertimescas. Et Thomas Aquinas. Considerandum est (inquit) quòd dilectio est actus voluntatis, quæ hîc significatur per cor, atque adeò præcipitur nobis, vt tota nostra intentio feratur in Deum, quod est, ex toto corde diligere. Consentit & sapiens Idiota in hunc ferè modum scribens. Toto corde te diligere, clementissime Domine Iesu Christe, immensitudo amoris est, non abduci blanditiis, non seduci fallaciis, non frangi iniuriis, sed integrè sic te diligere toto corde, vt ad nullius rei dilectionem cor magis inclinetur, quàm ad te, nec delectetur in aliqua re magis, quàm in te: minus enim te amat, qui aliquid tecum amat, quod non propter te amat; totum namque exigis, qui totum hominem fecisti; In hac igitur sententia, ac maximi mandati parte, affectio voluntatis erga Deum præcipitur; sed qualis affectio? Certè talis; vt perfectio sit (nam tota petitur) & non nisi à perfectis viris habeatur. Amoris enim affectio voluntatis actio est, non solius, sed à gratia & diuino auxilio roboratæ. Effectus autem similes sunt causis suis & tamquam partus quidam, earum vim, & naturam imbibunt, quare amoris affectio similis admodum est ipsi, à qua procedit voluntati. Appetitus verò sensibilis, quo visibilia concupiscimus, in corde residens, si inordinatis affectibus exuatur, quædam est voluntatis imago: & cor appetitus domicilium, ipsius etiam figura perfecta, & repræsentatio viua est; quare & ipsum cor, tum voluntatis, tum affectionis, siue amoris est imago perfectissima, ita vt ex eius notitia, qualis amor erga Deũ habendus sit, ad hoc mandatum implendum: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, sine vlla difficultate cognoscamus. Cõtemplemur ergo, quod & quale sit nostrum cor, vt ipsum iam à nobis cognitum, moneat nos, & doceat, quid sit Deum ex toto corde diligere.

D. Tho. lib. de dilect. Dei. c. 19. — *Matt. 12.* — *1. Cor. 13.* — *Bern. ser. 20. in Cant.* — *D. Thom. 2. 2. q. 44. art. 5.* — *Idiota li. 1. cõtem. cap. 12.*

Mirabilia sunt, quæ de corde à Medicis dicuntur, imò & à nobis ipsis sentiuntur, & assiduis noscuntur experimentis, quæ omnia hîc inserere prolixum, aliqua verò prælibare necessarium, vt ex amoris domicilio, & ex charitatis imagine, ipsius charitatis proprietates cognoscamus. Est enim humanum cor substantia solidum, & multiformibus villis mirabili firmitate compositum. Est complexione calidissimum, & aliquantulùm siccum, atque adeò leue, & sursum mobile, quod igneam naturam imitetur. Est figura pyramidale, cuius basis sursum, cuspis deorum respicit, nisi cum vno ex propriis motibus dilatatur, quia tunc quasi in circuli modum distenditur. Est interiùs

tertius concauum, vt in duobus finibus sanguinem purificet, & vitales spiritus elaboret, & tam illum, quàm istos in omnia membra dispertiat. Est situ præcipuum, cùm in medio pectore sit, quin & in medio corpore, vt inde tamquam rex vniuersam membrorum rempublicam gubernet, & tamquam perennis fons in omnia membra, prout oportet sanguinem, & spiritus vitæ distribuat. Est operatione inquietũ, quod semper non à seipso (si Aristoteli in hac re fides habenda est) sed à natura generante mouetur, & vt aliquid sibi, & aliis proficuum accipiat, dilatatur, vt autem nocua, aut sibi non necessaria expellat, statim sine vlla mora constringitur. Habet in basi os, vel aliquid instar ossis, quod ei firmitatem attribuit, & immobile manens motibus dilatationis, constrictionisque subseruit. Habet auriculas, dexteram quidem repositorium sanguinis, sinistrã verò aëris, ex quibus cor, cùm constrictionis motu sanguine, & aëre fuerit vacuatum, eadem sibi admodum necessaria dilatatione recipiat. Habet & tamquam magnus princeps propriam domum, id est, quamdam tunicam, velut cordis operculum; in qua totum alleruatur, & inclusum tenetur, eaque plena est cuiusdam humoris aquei, qui cordis calorem nimium, & siccitatem attemperet. Ac tandem cor ex philosophi sententia, omnium est membrorum præstantissimum, quod & eius locus, nam est in medio, & tamquam in centro animalis, & eius complexio calidissima, in qua ignem imitatur, & eius figura penè rotunda, & tandem ipsius ad vitam necessitas non obscurè designant. Atque hæc pauca ex multis de cordis nostri natura dicta sufficiant.

Philosophemur nunc, & ex hac descriptione cordis qualitates charitas erga Deum, & perfectionis substantiam eliciamus. Etenim credendum est auctorem naturæ Deum, ita cor humanum effinxisse, non solum, vt vitæ naturali prodesset, sed etiam, vt nos sua mirabili natura ad amorem diuinum excitaret, & perfectionis vim, ac substantiam aperiret: Dicamus ergo eum charitatis præcepto cumulatè satisfacere, & Deum ex toto corde diligere, qui dilectione sua propria cordis expresserit, & eius excellentiam, ac præstantiam obtinuerit. Nam si hæc omnia, quæ diximus, velut partes sunt cordis, non quæ corpoream ipsius substantiam componant, sed quæ perfectionem omnimodam debitam cordi constituant; liquet, quoniam ille non ex toto corde diligit, qui aliquam harum partium in amore non collocat, & eam non in sua charitate delineat. Totum nihil nõ continet, nihil extra relinquit, quare non diligere ex toto corde conuincitur, qui aliquid sui cordis, cùm possit, sibi retinet, & omnem cordis conatum, omnẽ cordis curam, & sollicitudinem in charitatem non impendit, & Deo Creatori non tribuit. Vt igitur Deum nostrum ex toto corde diligamus, cor soliditatem substantiæ suæ amori communicet; ita scilicet, vt amor, & charitas nostra erga Deum solida sit, quæ nulli tentationi cedat, nulli tribulationi se subdat, nullis deliciis, ac voluptatibus dissoluatur, numquam in vana & terrena perefluat, sed semper integra, semper constans, semper firma perseueret. Nam vt Gregorius ait) qui per illicita desideria diffluus, profectò Deum non amat, quia ei in sua voluntate contradicit.] Hanc soliditatem charitatis ille habebat, qui dicebat: Scrutabor legem tuam, & custodiam illam in toto corde meo.] Adhoc enim legem sui factoris seruabatur non tantùm vt sciret, sed vt ad eius se custodiam afficeret, & ex affectu ad opus transiret, & vitæ eam actione compleret. Hic profectò internus amoris affectus solidus est, qui minimè dulcedine &

Greg. ho. 30 in Euang.

Psal. 118.

A suauitate contentus, magna facienda in Dei obsequiũ statuit, difficilia quærit, ardua, & sublimia opera virtutis aggreditur, & mentem ad faciendũ & patiendum mirabili ratione consolidat, & in puritatis amore confirmat. Charitas etiam nostra sit calida, siue ignea, qua Dominus, ô anima (vt est apud Isaiam) excoquit ad purum scoriam tuam, & auferet omne stannum tuum, vt deinceps voceris ciuitas iusti, vrbs fidelis.] Sit inquã calida, id est, ardens & feruida, quę semper spirituali quodam feruore huc, illucque moueatur, & numquam præteritis laboribus, aut obsequiis satietur. Nam quæ primos labores iuuentutis respiciens, aut elapsos famulatus aduertens in arrepti propositi vigore lassescit, & curam augendi merita, & currendi derelinquit, & tamquam aqua stagni noxia quadam tepiditate quiescit, non ardet calidi-
B tate feruoris, sed friget socordiæ, atque ignauiæ qualitate. Talis erat illius Episcopi charitas amaro verbo comminationis increpiti, cui dictum est: Sed habeo aduersum te, quòd charitatem tuam primam reliquisti.] Neque enim satis est viro perfecto primam adolescentiæ, aut iuuentutis charitatem seruare, sed opus est iugiter noui eam laboris incremẽtis augere. Nam si semper filius & seruus est, semper amet patrem suũ, & seruiat Domino suò necesse est. At Pauli charitas erat instar cordis feruens, cuius post innumeros pro Christo exanthlatos labores, hoc est suæ perfectionis elogium: Vnum autẽ quæ quidem retro sunt obliuiscens, ad ea verò, quæ sunt priora extendens meipsum, ad destinatum persequor, ad
C brauium supernæ vocationis in Christo Iesu.] Ille præteritorum meritorum oblitus, noua semper & maiora quærebat, donec sanctitatis gradum sibi destinatum acciperet, & ad præmium suis laboribus, ex æternitate præparatum perueniret. Id quod sanè sanctorum viatorum proprium est, qui sapientes cùm sint, probè sciunt turpissimum esse in media via sedere, more puerorum, & non ad viæ terminum properare. Vnde egregiè Chrysostomus. Obliuiscenda (inquit rectè facta, & à tergo relinquenda sunt. Etenim & qui currit, non reputat, quantùm spatij confecerit, sed quantùm adhuc desit. Et nos non quantùm virtutis impleuerimus, reputemus, sed quantùm adhuc supersit. Quid enim nos iuuerit, quod confectum est, si quod deest adiectum non fuerit.]
D Tunc ergo charitas nostra ardens est, cùm in curua senectute, imò & in ipso migrationis momento non quiescit, sed ad maiora desideria procedit.

Sit quoque charitatis figura quasi pinea, quæ latitudinem sursum habeat, cuspidẽ deorsum retineat. Quod tunc profectò habet, cum ad cælestia capienda omnibus suis conatibus se dilatat, & ad terrena admittenda, se quantùm potest, angustat. Sicut enim amatores sæculi, quantùm possunt, honoribus, & diuitiis crescunt, & se ad capienda mundana distendunt; & etiam quantùm possunt, se tributis, & aliis oneribus eximunt, & seruitute liberant: ita amatores Dei, qui sola cælestia honorabilia, & concupiscibilia reputant; & terrena, vt onera importabilia respiciũt; illa magnis sollicitudinibus promouere, & ista, aut fu-
E gere, aut saltem circumcidere, & moderari curant, Dei conspectui, & Angelorum, ac Sanctorum choris frequenter imò iugiter se præsentant, & ab hominum oculis se libenter abscondunt: cognitionem veritatis, & affectus charitatis, cibos scilicet mentis, sine vlla mensura capiunt, & corporis alimenta, vix vt necessitati sufficiant, non sine molestia, & dolorẽ suscipiunt: Virtutum opera, & sanctitatis actiones, diuitias numquam perituras, maximo nisu sectantur, & possessiones terrenas, aut omnino renuunt,

Isaiæ 1.

Apoc. 2.

Philip. 3.

Chrysho. 12. ad Philip.

aut velut stercora vilia contemnunt. Isti iuxta Saluatoris præceptum, perfectè renunciant omnibus, quæ possident, vt ipsius efficiantur discipuli; seipsos abnegant, id est, omnium creaturarum amorem deponunt, vt Christum sequantur, & imitentur. Ab omnibus rebus terrenis resiliunt, vt in hac valle lachrymarum positi beatitudinem illi non repugnantem assequantur. Nam vt inquit Leo Papa) beata mens, quæ peregrinationis suæ, tempora, casta sobrietate transcurrit, & in iis, per quæ necesse est eam ambulare, non remanet, vt hospita magis, quàm domina terrenorum nec affectibus sit innixa humanis, nec promissionibus desit diuinis.] Sunt perfecti vasa pretiosa superiùs lata, & inferiùs angusta, vt superna facilè capiant, & inferna paulatim, circumspectè & difficulter accipiant. Quæ sanè aliquando ita desiderus liquoris cælestis dilatantur, vt penè cuspidem amittentia, se in circulum vertant, & (quod proprium perfecti circuli esse Mathematici constanter docent) solo puncto, hoc est, præcepti naturalis necessitate, terræ planitiem, ac rerum terrenarum vilitatem attingant. Quod Magnus Antonius est frequenter expertus, cuius gesta Beatus Athanasius attexens, in hunc modum scribit. Cúmque eum, siue cibū, siue somnum indulgere corpusculo, aut alias naturæ necessitates cogeret humana cōditio, miro afficiebatur pudore, quod tantam animæ libertatē, modici carnis termini coercerent.] Hic non erat lapis in quadrum delatus, terræque defixus, sed circulus igneus, ad tempus vix terram attingens, vt naturales necessitates pro Deo patienter sustinens, destinatam sibi mensuram meritorum acquireret, quibus instructus ad sedes cœlestes conuolaret. Sit deinde charitas instar cordis sinuosa, quam nulla dona expleant, nullus gradus virtutis saturet, nulla puritas adepta repleat; sed semper quantumuis acquisierit, ac si esset vacua, ad maiorem sanctitatem aspiret. In his amoris sinibus, numquam laborum & bonorum operum desiderio repletis, alimenta, & instrumenta vitæ generantur, quæ membra spiritualis hominis viuificent, atque sustentent. Nam si membra hominis carnalis sunt vitia, secundum illud Pauli: Mortificate membra vestra, quæ sunt super terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam, & auaritiam:] spiritualis hominis membra virtutes sunt, quæ sibi inuicem connexa ac colligata spiritualem virum faciunt, eiúsque viuendi rationem constituunt. Hæc autem membra, quonam alio, nisi ardentibus desideriis reficiuntur, quorum est ipsa membra ad opus virtutis impellere, ad difficultates superandas roborare, & efficacia auxilia ad bene agendum ex Domini largitate percipere ? Denique desiderium pauperum exaudiuit Dominus, præparationem, hoc est, affectum, ac postulationem eorum audiuit auris tua.] Et egregiè Bernardus dixit; sponsum, aut absentem, aut abeuntem, desideriorum vocibus reuocari: Ita (inquit) reuocatur Verbum, & reuocatur desiderio animæ, sed eius animæ, cui semel indulserit suauitatem sui. Numquid non desiderium vox? Et valida. Denique desiderium pauperum exaudiuit Dominus. Verbo igitur abeunte, vna interim, & continua animæ vox, continuum desiderium eius tamquam vnum, continuumque reuertere, donec veniat.] Auida ergo desideria virtutis sunt quasi elaboratus sanguis, & quasi vitales spiritus in receptaculis cordis generati, id est, in finibus charitatis, quibus virtutum membris & vita ad operandum, & refectio ad perseuerandum tribuitur.

Leo ser. 1. quadrag. c. 2.

Athanas. in vita Antonij.

Colos. 3.

Psal. 9.

Bern. ser. 74. in Cant.

Sit præterea charitas loco & situ præcipua, & in

A medio vniuersarum virtutum residens, omnes tamquam pedissequas ad sua ministeria mittat, omnibus imperet, omnes in suis actionibus dirigat. Ipsi tamquam cordi, aut tamquam fini, & principio omnis boni nostræ cogitationes obtemperent, affectus famulentur, operationes seruiant, & quod vel latū vnguem à Dei amore discedit, noxium, ac iniquum reputetur. Quam charitatis affectionem sub ipso cordis nomine Salomon his verbis expressit: Omni custodia serua cor tuum, quoniam ex ipso vita procedit.] Considera namque duas tibi vitas inesse corporalem alteram, alterā spiritualē: & sicut illa omnino à corde carnali, ita hæc à corde spirituali, hoc est, à Dei amore & charitate dependet. Quare sicut omni custodia, scilicet summa cura, & diligentia protegis & defendis cor carnis, vt vitam naturalē conserues eiúsq; B incolumitatem reliquis membris anteponis: ita maxima sollicitudine saluti spiritualis cordis, hoc est, charitatis inuigila quā bonis omnibus præferas, quia ex ipsa tamquā ex fonte vita mentis promanat. Quoniam, qui non diligit, manet in morte] inquit Ioannes Apostolus, ac si dixisset, qui caret vita, morti subiaceat, necesse est. Charitas enim est vita, quæ non tantùm animæ nostræ vitales actus impertit, verùm etiam aliis virtutibus, tanquam hominis spiritualis membris, vitæ fructum, hoc est meritum æternitatis suppeditat. In quam sententiam Leo Papa: Quanuis magnum sit (inquit) habere rectam fidem, sanámque doctrinam, & multa laude digna sit circumcisio C gulæ, lenitas mansuetudinis, puritas castitatis; nudæ sunt tamen omnes sine charitate virtutes, nec potest dici in qualibet excellentia fructuosum, quod non dilectionis partus ediderit.] Si ergo vita semper apud nos præcipuum locum obtinet, & pellem pro pelle, & cuncta quæ habet homo dabit pro anima sua] charitati vitæ scilicet non corporis, quod in cineres aliquando vertetur, sed animæ; quæ in æternum perdurabit: præcipuum locum concedamus, & velut cor animæ custodiamus, à qua tamquam à regina prudentissima, ac benignissima omnium virtutum splendor, meritúmque procedit. Ad hæc; sit charitas leniter inquieta, ita vt numquam perniciosa otiositate quiescat, sed continuò à suo generante, id est, ab auctore gratiæ nouis gratiæ auxiliis moneatur, & D ad vniuersa impedimenta perfectionis abiicienda & ad complectenda omnia præsidia sanctitatis incitetur. Egregiè námque dixit Idiota, Labor non fatigat amorem, tormentum amorem non superat, amor quiete fit inquietior. Quiescit afflictio, quiescit tentatio, sed dilectio quiescere nescit, requies enim est eius inquietudo.] Si ergo charitas est velut cor, vt omnia peccata vitet; & morbos prauarum affectionum pellat, & cūcta creata à se procul abiiciat, seipsam sine illa cessatione constringat, & vt feruorem spiritus attrahat, & diuitias bonorum operum, ac thesauros puritatis accipiat, vsquequaque se dilatet: sic enim nequaquā motu cordis carebit, sine quo motu cor subsistere, aut in vita perseuerare non potest. E Re vera Laurentius Iustinianus ita naturam charitatis explanat, vt numquam eam, vel à Deo ipsius charitatis auctore, vel ab hoc duplici motu compressionis, quo expellit mala, & dilatationis, quo inquirit bona, secernat. Eius verba sunt. De ipsa charitate hoc sentiendum est, quòd sit recta voluntas ab omnibus terrenis, ac præsentibus prorsus auersa, iuncta Deo inseparabiliter, & vnita, igne quodam sancti spiritus, à quo est, & ad quem refertur incensa, inquinamenti omnis extranea, corruptionis nescia, nullo vitio mutabilitatis obnoxia, super omnia, quæ carnaliter diliguntur excelsa; affectionū omnium potis-

Prou. 4.

1. Ioan. 3.

Leo ser. 10. quadrag.

Iob. 2.

Idiota.

Laur. Iustin. in ligno vitæ tractatu de charit. c. 13.

sima

sima, diuinæ contemplationis auida: in omnibus semper inuicta. Summa actionum bonarum, salus morum, finis cælestium præceptorum, mors criminum, virtus pugnantium, palma victorum, sanctarum mentium arma, causa meritorum bonorum, præmium perfectorum, sine qua nullus Deo placuit, cum qua (si inquam, illa perseueret) nullus vmquam grauiter peccare potuit, fructuosa in pœnitentibus, læta in proficientibus, gloriosa in perseuerantibus, victoriosa in martyribus, operosa omninò in omnibus fidelibus, ex qua quidquid est boni operis viuit.] Quàm igitur suo generatori proxima est, quæ inseparabiliter Spiritui sancto coniungitur. Quàm minimè otiosa, quæ tanta ministeria prudenter aggreditur? Quàm timida mali, quæ omnibus criminibus, imò & defectibus, quantùm potest bellum indicit? Quàm denique boni auida, quæ omnium virtutum summam, omnium bonorum operum merita comprehendit. Verè animæ cor, quod semper inquietum erit, donec ad finem suum (qui complexus Dei est) lætè, faustéque perueniat.

Postremò reliqua quæ diximus cordis propria etiam perfectæ charitati inesse debent, vt scilicet os aliquod, id est fortitudinem habeat, qua tentationinibus resistat, & haud quaquam tribulationibus & afflictionibus cedat; auribus decoretur, nempe prudentia duplici, cuius adiumento tũ Ecclesiæ & Prælatis se subiiciat, tum bona desideria ab his quæ bona nõ sunt & sub prætextu boni occurrunt, sollicita discussione discernat: nec dono suauitatis careat, qua nihil nisi Deus illi dulcescat. Si enim fortis non est, occurrente quauis contradictione à cæpta fidelitate deficiet: si prudens non est, in suo sensu nimis abũdans, aduersarij tendiculis facilè decipietur: & si saltem aliquando non fuerit nonnulla dulcedine, ac suauitate munita, fortè deliciis creaturarum, & carnis illecebris inescabitur. Nec ineptè pelliculæ cordis, qua in modũ vasis, aut tegumenti circumdatur, hanc amoris suauitatem comparauimus; tum ex eo, quia non ad substantiam amoris pertinet, sed extrinsecus adiacet, sine qua sæpissimè magnus & perfectus Dei amor inuenitur: tum etiam quia ista amori adiecta suauitas, velut domus quædam, aut secretum conclaue firmis seris occlusum nos continet, ne in res creatas effluamus, aut earum illecebris capiamur. Hæc tria perfecti amoris insignia, licet ordine commutato, non erit molestum Bernardi dulcissimis verbis audire. Disce ô Christiane, (inquit) à Christo, quemadmodum diligas Christum. Disce amare dulciter, amare prudenter, amare fortiter. Dulciter, ne illecti: prudenter, ne decepti: fortiter, ne oppressi ab amore Domini auertamur. Ne mundi gloria, seu carnis voluptatibus abducaris, dulcescat tibi præ his sapientia Christus. Ne seducaris spiritu mendacij, & erroris, lucescat tibi veritas Christus. Ne aduersitatibus fatigeris, confortet te virtus Dei Christus. Zelum tuum inflammet charitas, informet scientia, firmet constantia, sit feruidus, sit circumspectus, sit inuictus. Nec teporem habeat; nec careat discretione, nec timidus sit.] Charitas ergo affectus verè his proprietatibus exornata, non in solo affectu se continebit, sed ad effectum, & opus procedit, quæ humani cordis gerens imaginem, nomine amoris ex toto corde digna censebitur. Et hæc proculdubio est ipsissima vitæ spiritualis perfectio. Perfectus enim est, qui numquam cor suum in vana, & terrena diffundit; qui semper, quantumcumque spiritu creuerit, maiora, & altiora desiderat; qui vix terrena, & pro sola necessitudine carnis admittit; qui numquam donis, & meritis satiatur, qui ad nihil amplius quàm ad Dei amorem, & charitatem afficitur; qui omnia mala respuit, & quæcumque bona, & iusta, & sancta complectitur; & quem amoris suauitas mulcet, [illegible]ocet, & robur sine vlla intermissione in officio [illegible] Atque adeò Dominus dicens: Diliges Domi[illegible] Deum tuum ex toto corde tuo, hac oratione breuissima ingentes diuitias sanctitatis nobis proposuit, & latissimam perfectionis doctrinã explicauit.

Bern. ser. 20. in Cant.

Domine Deus meus, & Deus cordis mei, qui in corde meo hæc verba intonare non cessas: Præbe fili mi cor tuum mihi] quibus amorem cordis efflagitas, & ad dilectionem ex toto corde meam voluntatem inflammas; da obsecro cordi meo perfectum cordis amorem, quem præceptis, consiliis, beneficiis, suasionibus, promissis, & comminationibus postulare dignatus es; quia nemo tibi reddere aliquid poterit, nisi tu priùs idem illi benignè concesseris, & longa manu donaueris. Amorem totius cordis à me postulas, dicens, Dilige me ex toto corde tuo; & ego quidem amorem totius mei cordis, si tu prius dederis, tibi restituo. Da igitur Domine per infinitam bonitatem tuam, vt te toto corde diligam, vt scilicet beneplacitum tuum, & amorem tuum omnibus donis ac charismatibus præferam, & numquã ad diligenda creata, aut contra te, aut supra te, aut præter te, noxia præsumptione perefluam. Da Domine Creator meus, vt amor meus solidus, erga te sit, qui nullis tentationibus, aut perturbationibus cedat; ardens sit, qui semper altiora, & sublimiora petat; Lætus suprà, & infrà acutus sit, qui cælestia capiat, & terrena, non sine sensu doloris admittat, sinuosus sit, qui nullatenus se acceptis bonis, aut charismatibus expleat; inquietus sit, qui nouos semper profectus antiquis adiiciat. Fortis sit, qui contradictionibus minimè superetur: prudens sit, qui nequaquam dolis inimici fallatur: Dulcis, & suauis sit, qui numquam creaturarum deliciis inescetur. Da inquã, ô pater amantissime, hunc totius cordis amorem, quo te toto corde diligam, toto corde complectar, toto corde suscipiam, vt totum cor meum suam puritatem (qui tu es) & suam perfectionem, ad quam est vocatus, acquirat.

Prou. 23.

Quomodo perfectio exponatur illis verbis Diliges Dominum Deum tuum ex tota anima tua.

CAPVT XVIII.

Si perfectionis natura congruenter charitate totius cordis exprimitur, non minùs aptè, atque distinctè charitate totius animæ declaratur. Quare Dominus, qui multis, ac variis modis; voluit rem tam necessariam, id est, perfectionem, ac sanctitatem explicare, protinus addit: Diliges Dominum Deum tuum ex tota anima tua] quæ dilectio manifestè totius vitæ spiritualis perfectionem continet, & scopum in quem tendimus, ac totius virtutis finem comprehendat. De qua re, nemo sanè dubitabit, qui vim & notionem huius vocis, anima, quæ sæpissimè in sacris literis vsurpatur, attentè perspexerit. Anima enim, aut vitam significat, aut corporis formam ea solùm ratione, qua corpus ipsum fouet, & vegetat, vnde Ruben studens castissimum Ioseph à nece liberare, ad alios fratres ita

Matt. 22.

loquebatur:

loquebatur: Non interficiatis animam eius, nec effundatis sanguinem. Hoc est (vt Augustinus interpretatur) nec tam crudeliter vltionem sumatis ex eo, vt fratris vestri vitam auferatis, & pro leui ve[...]rum iniuria temporali morte mulctetis. Et Do[...] ad Satan: Ecce Iob in manu tua est, verumtamen animam illius serua. Ne scilicet naturali vita ipsum spolies, qua decreui inuictissimum athletum aduersum te importuno Marte pugnare, & gloriosissimas reportare victorias. Ac rursus ipse Saluator noster, discipulis suis mandatum vtilis fiduciæ proponens: Ideò dico vobis, ne solliciti sitis animæ vestræ, quid manducetis, neque corpori vestro, quid induamini: nonne anima plus est, quàm esca, & corpus plusquam vestimentum.] Ac si dixisset, licèt anima & corpus, ex quibus homo componitur sint ipsi supra modum charissima, nolite tamen eorum nimiam sollicitudinem habere, nec pro alimento animæ, id est, vitæ, aut pro tegumento corpori necessario immoderatè discruciari, quoniam qui maiora, & potiora dedit vobis, scilicet corpus & animam, non est minora, & viliora, nimirum cibum, & vestem negaturus. Atque hoc loco animam pro vita sumi, non solùm ipsa verborum series, verùm & communis patrum interpretatio manifestè testatur, quorum vnum (& hic sit Augustinus) non grauabor citare. Vt tu intelligas (inquit) eum, qui dedit animam, multò faciliùs escam esse daturum: & corpus, quàm vestimentum, id est, plus est: vt similiter intelligas, eum qui corpus dedit, multò faciliùs daturum esse vestimentum. Quo loco quæri solet, vtrum, & ad animam cibus iste pertineat, cum anima incorporea sit, iste autem cibus corporeus? Sed animam hoc loco pro ista vita positam nouerimus, cuius retinaculum est alimentum istud corporeum. Secundùm hanc significationem dictum est etiam illud. Qui amat animam suam perdet illam.] Quod nisi de hac vita acceperimus, quam oportet pro regno Dei perdere, quod potuisse martyres claruit, contrarium hoc præceptum erit illi sententiæ, qua dictum est. Quid prodest homini, si vniuersum mundum lucretur, animæ autem suæ detrimentum faciat. In hac ergo notissima, ac vsitatissima significatione existimo animã acceptã esse à Domino, cùm ipse præcepit: Diliges Dominum Deum tuum ex tota anima tua.] Ex quo facile erit intelligere; quid sit amare Deum ex tota anima, & quo pacto hæc dilectio ex tota anima nec transuersum vnguem (vt aiunt) ab ipsa spiritualis vitæ perfectione discedat.

Gen. 37. Aug. lib. 1. locutionum in Gen. post medium. Iob. 2. Matt. 6. Aug. lib. 2. de Ser. Domini in monte c. 1. serm. 4. Ioan. 12. Matt. 16. Mat. 22.

Dilectio igitur ex tota anima est, qua ex vera charitate nobis infusa, Deo totam nostram vitam consecramus, & in holocaustum suauitatis offerimus: Cùm scilicet charitas ita vitam nostram moderatur, & omnes vitæ actiones gubernat, vt Deo sint gratæ, & augmento nostræ virtutis, ac proximorum vtilitati proficuæ. Quamobrẽ ille ex tota anima Deum diligit; qui animam, id est, vitam suam non tamquam propriam, sed vt alienam respiciens, Deo, cuius reuera est, eam restituit, & furtum, ac rapinam cauens, nec Dæmoni nec mundo, nec carni, nec sibiipsi, quantùm potest, aliquod opus, aliquod verbum, aliquod desiderium; aut aliquam cogitationem relinquit: Ille inquam, ex tota anima Deũ diligit, qui omnia vitæ suæ opera, quæ Deo displicent, timet, & siue illa grauia peccata sint, siue leuia cõstanter fugit: qui affectus, & cupiditates suas cohibet, & diuinæ volũtati subdit; qui vniuersas actiones conseruationi vitæ necessarias non tam propter vitam ipsam (quod malũ non est) quàm propter Dei honorẽ & gloriã (quod melius est) præstare contendit, memor illius salutaris documenti: siue manducatis, siue bibitis, siue aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite,] qui reliqua gratiæ acta ad quorum esse naturalis vitæ concurrit, nõ ob aliud exercet, nisi vt Deo placeat, & sine respectu mercedis, & præmij, eius sanctam volũtatem adimpleat. Licèt enim bonum sit Deo famulari, alicuius præsertim æternæ mercedis obtentu, tamẽ ille verissimè totam animam, ac vitam suam Creatori dedicat, qui nec præmij recordatur, nec mercedem respicit, nec propriã aliquã commoditatẽ inquirit, sed hac cura in diuinam misericordiã iactata, solũ placere, seruire, obedire, & amare concupiscit. Ille tandem ex tota anima diligit Deum, qui vitam ea sola ratione seruare vult, quatenus diuini amoris est, ac famulatus instrumentum, & eam statim vellet amittere, si non esset Deo grata, & iustissimis eius præceptis addicta: & similiter vitam pro Dei amore vellet profundere, & pro veritatis, aut iustitiæ defensione conculcare. Quod Origenes his verbis apertè confirmat. Hi soli magnitudinem eius mãdati, in se suscipiunt & primatum, qui non solùm diligunt Dominũ Deum suum, sed etiam tria illa susceperint, id est, vt ex toto corde suo apud se illam totam recordant, & operationes eius, & cogitationes eius, & ex tota anima sua, id est, vt parati sint ponere eã pro pietate Dei, qui vniuersa creauit, quando vtilitas exegerit verbi: ex eo quod ex tota anima diligit Deum, ita vt nulla pars animæ euellatur ad aliquam rem, quæ à fide est aliena.] Qui ita Deum diligit, profectò ex tota anima diligit, & non de seipso, sed de diuina bonitate præsumẽs, poterit se illis annumerare, qui dicunt: Nemo nostrũ sibi viuit, & nemo sibi moritur: siue enim viuimus, Domino viuimus, siue morimur, Domino morimur; siue ergo viuimus, siue morimur Domini sumus.] Hic quidẽ ita diliges, non sibi viuit bona præstando, sed Deo, cui bonis actionibus placere studet; & non sibi moritur, affectus & vitia mortificãdo, sed Deo pro cuius amore mortem istam veteris hominis sustinet. Sed cùm viuit, velut fidelis seruus, Domino viuit, ei in omnibus seruiendo; & cũ moritur mundo; & actibus eius, Domino moritur, solùm ipsius beneplacitum & gloriam quærendo; vt siue viuus sanctitati, siue mortuus iniquitati, Domini semper amicus imò & filius existat.

1. Cor. 10. Origen. tract. 23. in Matt. Rom. 14.

Hanc dilectionem ex tota anima, antiqua veteris legis holocausta præsignarunt quibus non pars animalis, sed totum animal in Dei honorem cremabatur. Ad hoc namque Dominus totum animal postulabat, & igni comburi præcipiebat, vt offerentes, atque in illis omnes posteros admoneret, quo pacto deberent totã vitã suã igne charitatis absumere, & per amorem perfectum virtuti consecrare. Quod in primo holocausto, quod boum erat, possumus apertè monstrare. Ad illud enim non vacca, sed bos, masculus scilicet, & ille immaculatus petebatur, quẽ offerens ad ostium tabernaculi adducebat, & impositis manibus super caput eius, tamquam abdicans se dominio hostiæ, in signum diuini amoris, ac in reuerentiam infinitæ maiestatis, iuri, quod super oblatum bouem habebat, sponte, & liberaliter renuntiabat. Deinde sacerdos immolabat victimam, cuius sanguinem filij Aaron accipientes, per altaris circuitum effundebant, & hac ipsa effusione libabant. Tandem, detracta pelle hostiæ & artibus eius in frusta concissis, aqua lotis, & super struem lignorum, non sine ordine collocatis, ignis subiiciebatur, qui hostiam adoleret, & holocaustum Domino gratissimum constitueret. Ignis iste, cui tota hostia consumenda traditur, charitas est non incipiens, non proficiens tantùm, sed ita perfecta,

Leuit. 1.

vt charitas ex tota anima dici mereatur. Ignis profectò, quem filij Israël è durissima Chaldæorum seruitute liberati, magno sollicitudine & diligentia perscrutantur, & cura ciborum & vestium & aliarum rerum sibi necessariarum abiecta, primo loco tamquam ditissimum thesaurum exquirunt: sapienter existimantes, inuento igne se omnium diuitiarum venam reperisse, & cibos, vestes, & opes, eo habito, abundè comparasse. Charitas ignis est, qui potenter frigus inordinati amoris pellit, & nos, & omnia nostra pura facit, & splendida, & holocaustum Domino gratum in odorem suauitatis accendit. Hæc ego charitas (vt ab eo quod primum esse debet incipiamus) non rectam solùm intentionem exigit, quæ in timore pœnæ, aut in spe præmij subsistit: sed intentionem omninò perfectam requirit, qua victimam, id est, nosipsos ad ostium tabernaculi offeramus, & Christo saluatori nostro, qui ostium æternitatis est placere, & aliquid gratū atque acceptum offerre in reuerentiam suæ maiestatis, & ob amorem suæ bonitatis concupiscimus. Masculum etiam absumendum hæc charitas postulat, cum scilicet, qui fœmineam imbecillitatem exuens, idoneus sit labores subire, & pro amore Dei seipsum, & omnia bona creata relinquere, & si opus fuerit, cuncta mala tolerare. Non autem quemcumque masculum, sed immaculatum efflagitat, illum videlicet, qui nulla sui parte careat, hoc est, nulla morali virtute priuetur (nam virtutes, vt diximus, sunt velut partes viri spiritualis) & quantùm fragilitas humana permittit, nullam peccati maculam, nullum imperfectionis næuum admittat. An verò his charitas, vt suum opus expleat, est vsquequaque contenta? Nullo modo, sed præterea vult, vt super caput hostiæ (quæ tu ipse es) manus imponas, nimirum, vt te, tuipsius dominio abdices, teipsum vincendo, & tuam voluntatem abnegando, te iam non tantùm offerens, sed sacerdos effectus vnus illorum, qui dicunt: Et fecisti nos Deo regnum & sacerdotes, & regnabimus super terram] teipsum quotidie immoles, & gladio crucis mortifices, & humilitate prosternas. Est ne amplius necessarium? Certè vt tuarum cupiditatum sanguinem fundas, facultatum temporalium pelle te spolies actus, & opera vitæ tuæ subtili examinatione in frusta concidas: quæ fœda sunt, contritionis lachrymis laues; quæ minùs ordinata sunt, ordines; quæ arida sunt & frigida ligna sanctarum cogitationum & purorum affectuum superimponas, tunc ignis charitatis totum holocaustum adolebit, & omnem vitam nostram in odorem suauitatis cremabit. Hunc esse holocausti spiritum optimè hac oratione docet Basilius. Non enim animal ipsum nempe arietem (ait) quoquomodo expetiit, sed mentem nimirum præcipuam facultatem animæ indistractam, nec vlla terrenarum rerum sollicitudine dispertitam, ac veluti igne candenti perpurgatam, & quæ se declararit probam esse. Hanc ego totam ad me deposco remitti. Neque efflagito, vt adeps agnorum in segmenta, ac minutim concisa torreatur igni, inque fumum ac nidorem redigatur: sed vt mihi consecretur candor, simplicitásque motuum ab innocente anima proficiscens. Non etiam, postulo, vt ad basin altaris sanguis effundatur taurorum & hircorum, sed vt facultates animæ ad concupiscentiam & indignationem propensiores per operosam, ac strenuè effusam deprecationem, pérque iugem perseuerantiam in sanctis locis consummantur.] Qui priùs non fuerit his laboribus probatus, his dispositionibus præparatus, his operibus vitæ actiuæ vniuersis desideriis carnis exutus, non poterit totus ardere, aut ex tota anima, aut tota vita Deum amore complecti. Nam si quis distortam intentionem habuerit, aliqua vitæ suæ opera, aut proprium commodum, aut inanis gloria surripiet; si fœmineam fragilitatem induerit, alia noxius tepor inficiet: si maculatus fuerit, sui cordis fœditates per opera ab ipso corde exeuntia dispertiet; si denique aliquid vitæ suæ non immolatum Deo, id est, non mortificatum, nec Dei voluntati subiectum retinuerit, illud Christi dominio subtrahet, atque adeò animæ partem aut sibi, aut rebus creatis reseruabit. Vt ergo holocaustum Deo acceptum simus, & (quod idem est) ex tota anima diligamus, necesse est nihil nostri retinere, nihil nō Creatori largissimè restituere, & sanctissimo eius cōspectui præsentare, quod amor possideat, dilectio sibi vendicet, & ignis charitatis absumat.

Marginalia (left column): Mach. 2. Mat. 2. — Leu. 10. — Apoc. 1. — Basil. ad c. 1. Isaiæ.

Non erit autem nobis difficile, hæc omnia sustinere charitatis obtentu, si meditemur seriò, quod Thomas Aquinas annotauit, Deum esse velut animam, & vitam nostræ animæ, ac ideò æquum esse, vt quod corpus præstat animæ, idipsum nos Deo nostro præstemus, & ob eius amorem faciamus. Deus quidem animæ humanæ anima & vita est. Nam & hæc in Deuteronomio legimus. Elige vitam, vt & tu viuas, & semen tuum, & diligas Dominum Deum tuum, atque obedias voci eius, & illi adhæreas, ipse est enim vita tua, & longitudo dierum tuorum.] ô dulcis, ac fœlix vita, quam si volumus, nec humanarum rerum euentus contristabunt, nec ægritudo soluet, nec mors amara surripiet. O vera, & summa vita (inquit Augustinus) à quo, per quem, & in quo viuunt omnia, quæcunque verè, & beatè viuunt. Anima igitur nostra à corpore suo discat, quanam ratione debeat Deum vitam suam amare & ei summis conatibus adhærere. Corpus certè antequam anima decoretur, eam ardenter appetit, & vt illam, suum decus & ornamentum suscipiat, necessariis, ac debitis præparationibus se disponit: postquam verò illam recepit omnes vires, & neruos in eius obsequium & conseruationem occupat, à qua se vitam, & sensum, & motum habere non ambigit: & nihil aliud timet, nisi ab anima separari, aut ab amplexibus eius auelli. Vade, ô anima, non ad alium magistrum quàm ad corpus tuum, & considera vias eius, & disce perfectæ charitatis sapientiam. Si nondum spiritus Dei tui spirat, si nondum vocem eius audis, voca illum assiduis orationibus, & gemitibus, voca inquam illum, & dic: A quatuor ventis veni spiritus, & insuffla super interfectum istum & reuiuiscat: & ingredietur in te spiritus, & vires, & tanti hospitis aduentu lætaberis.] Appete illum vehementissimis desideriis, quoniam præoccupat, qui se concupiscunt, vt illis se prior ostendat; & si in desiderio perstiteris, foribus tuis assidentem inuenies. Præpara te obseruantia disciplinæ ad suscipiendum illum, quia hæc secum incorruptionem affert, hoc est, internam munditiam & puritatem, incorruptio autem facit esse proximum Deo] ad quem si debitè præparatus accesseris, nequaquam eius dulcissima præsentia carebis. At si aliquando Deum tuū, vitam scilicet tuam, intùs habitantem, & viuificantem ex indiciis & coniecturis persenseris, omne studiū tuum, omnis cura & diligentia tua, omnis actio tua sit Deo subiici, Deo inhærere, Deum brachiis purissimi amoris amplecti: Abiice peccata tua, & vitia, & imperfectiones tuas, vt ab ipso viuificeris, remoue curas tuas & distractiones tuas, ac dispersiones cordis tui, vt ab illo sēsu veritatis illumineris: fuge tepiditatē tuam, & desidiam tuā, & duritiam tuam, vt ab eo mouearis & ad omne bonū exciteris, & omnes actiones habeas spirituali vitæ conformes. Enitere

Marginalia (right column): D. Tho. opusc. 61. de dilect. Dei. c. 20 — Deut. 30. — Aug. lib. meditat. c. 32. — Eze. 37. — Sapien. 6. — Sapien. 6.

hanc veram vitam semper possidere; & quidquid feceris; quidquid concupiueris, quidquid cogitaueris, in hoc vnum tēdat, vt huic tuæ vitæ placeas, huic tuæ vitæ inhæreas, hanc tuam vitam (quæ in seipsa summè perfecta est) in re ipsa totos dies, ac noctes augeas, atque perficias, & sic ô religiose, Deum ex tota anima diligis & perfectionem, quam quæris, sine dubio reperisti. Idem namque est perfectū esse, & totam vitam Deo consecrare, & in holocaustum offerre, quod profecto assequutus est verus Dei amator, qui eo modo, quem explicuimus, Deum vt vitam animæ suæ, respicit, ipsúmque ex tota anima diligit.

Domine Deus meus, amator meus, vita mea, & anima animæ meæ, qui ex tota anima vis diligi, & ex tota vita à nobis amari: concede, quæso, margaritam perfectæ charitatis animæ meæ, vt ipsa tota tui amore ardeat, & omnes actiones, & desideria sua in tui amorem & obsequium impendat. Anima mea, amantissime Domine, tamdiu in corpore solùm maneat, & ei vitam, & sensum impertiat, quamdiu tibi est placitura, & tibi charitatis affectibus adhæsura, & tuis negotiis, ac obsequiis vacatura: his autem, quæ ad te pertinent fideliter, seduléque persuncta, statim à corpore læta discedat. Tibi omni tempore cogitationes suas dedicet, affectus offerat, actiones consecret, & propter te afflictiones toleret, dolores, tribulationes, & occurrentia mundi mala sustineat. Si orat, vt tibi placeat, oret; si psallit, vt te collaudet, psallat; si incruentū sacrificiū offert, vt te veneretur, offerat; si legit ad hoc legat, non vt curiositatem pascat, sed vt tuam voluntatem calleat, & vt te dulcissimum patrem agnoscat. Ingrediatur intra se, vt te in occulto conclaui suauissimum sponsum inueniens purissimis astringat amplexibus; egrediatur extra se, non vt aliquo tempore distracta, & sui oblita maneat, sed vt more fidelis sponsæ ob amorem tui famulos tuos diligat, torpentes excitet, sollicitos laudet, inquietos corripiat, quietos moneat, & omnia, quæ domui tuę sunt necessaria, disponat. Nullam rem mente reuoluat, nullam curam affectu suscipiat, nulli negotio manum admoueat, in quo sui puritatem non quærat, tui obsequium, ac beneplacitum non cupiat, & non tuum amorem, & dilectionem inueniat. Hoc sit, ô Creator meus, animæ meæ desiderium, tibi (si possibile esset) omnibus Angelorum affectibus famulari, & vniuersis sanctorū operibus, ac laboribus deseruire. Vellet ipsa (si datum esset) in gloriam tuam, fidem promulgasse cum Apostolis, sanguinem effudisse cū martyribus, Ecclesiam gubernasse cum Pontificibus, illuminasse cū doctoribus, ædificasse cum confessoribus, & virginibus; & omnes omniū tentationes subiicere, & plus omnibus laborasse. Vellet ipsa seruire cum Angelis, famulari cum Archangelis, cum spiritibus assistentibus assistere, cum ministratibus ministrare, & omnium cælestium ciuium ob tui honorem functiones induere. Ista Domine desideria suscipe, affectus respice, voluntatem magna faciendi benignissimè admitte, & exilitatem obsequij non respuas, & minima ancillæ seruitia, ne contemnas, sed potius hæc minima opera, quæ sola meæ imbecillitati sunt possibilia, ita magnis desideriis attempera, vt pro amore ex tota anima recipiantur, & pro perfectione charitatis admittantur.

Quo pacto perfectio explicetur illis verbis: Diliges Dominum Deum tuum ex tota mente tua.

CAP. XIX.

A INter animam & mentem, siue spiritum, aliquod interesse discrimen Apostoli ad Hebræos, scribentis probat auctoritas. Viuus (inquit) est sermo Dei & efficax & penetrabilior omni gladio ancipiti: & pertingens vsque ad diuisionem animæ, ac spiritus.] Si enim verbum Dei, quod viuū est, hoc est, vera vita omnia viuificans, & efficax, ac potens, & faciens quidquid vult, & penetrabilius omni gladio, quod vsque ad intima conscientiæ peruadit, perfectè tangit cognitione verissima diuisionem animæ, & spiritus, manifestum est animæ, & spiritus siue mentis (quod idem est) aliquod esse discrimen; quia ea solùm vera cognitione secernuntur (à cognoscente res, sicut sunt) quæ aut natura, aut qualitate, aut alia simili ratione separantur. Et rursus ipse Paulus alio loco eandem differentiam designat, ita scribens, ipse Deus pacis, sanctificet vos per omnia, vt integer spiritus vester, & anima, & corpus sine querela in aduentu Domini nostri Iesu Christi seruetur.] Hanc ergo Patres inter animam & spiritum, siue mentem distinctionem constituunt, non quòd sint duæ substantiæ natura, & essentia diuisæ; sed quòd sint duo officia, aut duæ functiones eiusdem formæ humanæ, distinctis effectibus separatæ. Anima namque dicitur forma hominis immaterialis, & immortalis, quatenus vegetat corpus, & sensum, ac motum homini, communem etiam brutis attribuit: spiritus verò, siue mens dicitur eadem anima, quatenus intelligit, & amat, & est liberi arbitrij capax, in quo cum cælestibus spiritibus conuenit. Vnde Ambrosius. Anima viuimus, spiritu intelligimus, vita nobis carnalis cum bestiis communis est, rationalis & spiritualis cum Angelis.] Et Anselmus. Spiritus noster non est vniuersa anima, sed aliquid eius, id est illud, quo ratiocinamur, intelligimus, sapimus: per quod & præponimur pecoribus, quia illa sunt rationis expertia. Non habent enim spiritum, id est, intellectum, & rationis, ac sapientiæ sensum, sed animum tantùm. Nam & de illis dictum est: Producant aquæ reptentia animarum viuentium.] Et producat terra animam viuentem.] Itaque spiritu intelligimus cum angelis, anima viuimus cum bestiis.] Atque ad idem Basilius. Omnis in eo adhibenda cura est, vt animi agitatio in officio retineatur; quod assequemur, si eam mentis imperio subiiciamus, quæ ipsa diligentissimè obseruans prouideat, ne ab recto animus futiliter aberret, néve à trahentibus ipsum in diuersam partem, corporis affectionibus prauis prægrauetur: quemadmodum enim per oculum corpus videt, sic animus cernit per mentem ipsi agnatam: at neque vt vnum in altero, sed vnum & idem prorsus animus est, & mens. Hæc autem naturalis est vis quædam, neque aduentitia eius animi partis, in qua posita ratio est.] Hoc sensu accipit Dominus mentem, cùm ait; Diliges dominum Deum tuum ex tota mente tua,] id est, ex omni spiritu tuo; quæ dilectio mirificè totam naturam perfectionis continet, & substantiam veræ, & solidæ puritatis explanat.

Charitatem enim ex tota mente in duobus positam esse existimamus. Alterum est, vt mentem, id est, spiritum nostrum, qui Dei capax est, & nullo bono, nisi infinito, atque immenso impletur, Deo possidendum, & inhabitandum tradamus, atque in templum sanctum, ac illibatum eidem Domino consecremus. Alterum verò, vt partes spiritus nostri, memoria, intelligentia, atque voluntas, iugiter quantum in hoc exilij loco fieri potest, Deo adhæreant, & ipsi in hoc templo spiritus nostri purissimum, ac sanctissimum

Hebræ. 4.

B 1. Thess.

C Ambr. ad Hebræ. 4.

Anse. ibi.

Basil. in const. monast. c. 3.

D

E

ctissimum

ctissimum cultum exhibeant. Qui hoc assequutus fuerit, Deum ex tota mente diligit, & in hac vita statum incipientium, & proficientium prætergressus, iam incipit esse perfectus. Hæc duo, quæ proposuimus, sigillatim explicemus.

Deus quidem, qui immensus dicitur, & (vt est apud Ieremiam) cælum & terram implet] in omnibus locis, & in omnibus rebus est, si secundùm vsum Theologorum loquamur, per essentiam, præsentiam, & potentiam. Per essentiam certè, quia eius diuina substantia nullis clausa terminis, nullis circumscripta limitibus, nullis locis definita, omnibus rebus, ac locis intimiùs adest, quàm ipsæmet res, vel ipsamet loca adsunt sibi. Et sicut cùm sol est in feruore diei, eius lux secundùm suam naturam est in toto aëre, & in omnes eius partes peruadit, ita vt nulla sit pars, quantumuis minima, quæ luce vacua, aut inanis existat: ita profectò natura diuina, quæ lux substatialis, immaterialis, & infinita est, quam nulla nebula impedit, nulla nubes obscurat, omnibus intimè adest, & vniuersa penetrat, & velut causa coniuncta dat suis effectis, vt in esse subsistant. Licèt per omnia similitudo nō quadret, nam tota lux in toto aëre est, & pars lucis in parte; at Deus vbique est totus, qui nec locorum spatiis distenditur, aut rerum varietate distrahitur, aut partium diuersitate diuiditur. Cuius rei ipse spiritus Dei testis est omni exceptione maior, hæc cordi Dauidis instillans. Quò ibo à spiritu tuo, aut quò à facie tua fugiam: Si ascendero in cælum illic es; si descendero in infernum, ades: Si sumpsero pennas meas diluculo, & habitauero in extremis maris, etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua.] Per præsentiam verò, quia nihil Deum latet, & vt Paulus ait: non est vlla creatura inuincibilis in conspectu eius, omnia autem nuda & aperta sunt oculis eius.] Sed quemadmodum quis est in tota cella, vel conclaui per præsentiam, quia omnia, quæ sunt in eo loco oculis cernit, & sine vlla ambiguitate cognoscit: Sic Deus, cui totus orbis, quoad visibilia, & inuisibilia est locus exiguus, omnia intuetur, vniuersa discernit, præterita, præsentia, & futura, nec non & possibilia, & quicquid est, aut esse potest, manifestè cognoscit. Quod regius vates non siluit, diuinam adhuc immensitatem edicens. Et dixi, forsitan tenebræ conculcabunt me, & nox illuminatio mea in deliciis meis. Quia tenebræ non obscurabuntur à te, & nox sicut dies illuminabitur, sicut tenebræ eius, ita & lumen eius.] Nam si dixerit (inquit) nobis cogitatio nostra, vt in tenebris ab oculis tuis, Domine occultemur, & ad perfruendum deliciis, & impuris voluptatibus abscondamur, respondeamus ea, quòd vana, & insipientissima sit, nam & tenebræ tibi apertæ sunt, caligo sicut claritas manifesta, & obscura nox, non minùs clara, quàm si esset meridies. Per potentiam denique est Deus in omnibus, quia eius regia potestas omnibus rebus imperat, eius vis, sicut omnia fecit, ita omnia conseruat, mouet, dirigit, & gubernat, & vniuersa potest destruere, & in baratrum nihili præcipitare. Quam potentiæ immensitatem sanctus Iob graphicè depingit. Sapiens corde est, & fortis robore, quis restitit ei, & pacem habuit? Qui transtulit montes, & nescierunt hi, quos subuertit in furore suo. Qui commouet terram de loco suo, & columnæ eius concutiuntur. Qui præcipit soli, & non oritur, & stellas claudit quasi sub signaculo. Qui extendit cælos solus, & graditur super fluctus maris. Qui facit Arcturum, & Oriona, & Hyadas, & interiora austri. Qui facit magna & incomprehensibilia, & mirabilia quorum non est numerus.] Et ad idem pergit Psalmographus: Quia tu possedisti renes meos, suscepisti me de vtero matris meæ. Confitebor tibi, quia terribiliter magnificatus es, mirabilia opera tua.] De hac Dei immensitate Gregorius ita loquitur. In solo creatoris sui lumine fidei oculos figat, quòd vnus viuificet omnia, qui creauit Deus, quòd vbique est, & vbique totus est, quòd incircumscriptus, & incomprehensibilis sentiri potest, & videri non potest, quod nusquam deest, & tamen ab iniquorum cogitationibus longè est: quod neque ibi deest vbi longè est, quia vbi non est per gratiam, adest per vindictam, quod omnia tangit, nec tamen æqualiter omnia tangit. Quædam enim tangit vt sint, nec tamen vt viuant, & sentiant, sicut sunt cuncta insensibilia. Quædam tangit, vt sint, viuant, & sentiant, non tamen vt discernant, sicut sunt bruta animalia. Quædam tangit vt sint, viuant, sentiant, & discernant, sicut est humana & Angelica natura. Et cùm ipse nunquam sibimetipsi sit dissimilis, dissimiliter tangit dissimilia. Quòd vbique præsens est, & inueniri vix potest; quòd stantem sequimur, & apprehendere non valemus. Ponamus ergo ante oculos mentis, quæ illa natura sit, quæ tenet omnia, implet omnia, circumplectitur omnia, superexcedit omnia, sustinet omnia.] Et vt alium ex patribus adducamus, sic de eadem immensitate loquitur Augustinus. Sed sic est Deus per cuncta diffusus, vt non sit qualitas mundi, sed substantia creatrix mundi, sine labore regens, & sine onere continens mundum. Non tamen per spacia locorum quasi mole diffusa, ita vt in dimidio mundi corpore, sit dimidius, & in alio dimidio, dimidius, atque ita per totum totus, sed in solo cælo totus, & in sola terra totus, & in cælo, & in terra totus, & nullo contentus loco, sed in seipso vbique totus.] Sic isti beatissimi patres Dei immensitatem, & in omnibus rebus existentiam, verè & piè confitentur.

Sed præter hunc communem modum quo Deus est in omnibus, speciali quadam, ac nobiliori ratione in iustorum mentibus esse dicitur, in quibus (vt est apud Salomonem) suas habet delicias, suam sanctitatem benigniùs ostendit, & prouidentiæ munus dulciùs, & specialiùs exercet. Hic autem modus in hoc situs est, quòd Deus manet in iustis, & habitat in illis, non iam per essentiam, & præsentiam, & potentiam tantùm, sicut in cæteris, sed tamquam in templo magnifico, in quo à puris mentibus adoratur, & colitur. Quare Paulus: Nescitis, quia templum Dei estis, & spiritus Dei habitat in vobis?] Et statim: Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos. Ac rursus: Vos estis templum Dei viui, sicut dicit Deus: quoniam inhabitabo in illis & inambulabo inter eos, & ero illorum Deus, & ipsi erunt mihi populus.] Quem existendi modū distinctum ab aliis exponit nobis regis alicuius in aula regia, vera, ac realis præsentia. Nam sicut rex potentissimus, est quidem præsens in quocumque loco, vbi se ipsum motu detulerit, at speciali quadam ratione est in palatio, atq; in throno potestatis suæ, in quo à subditis princeps agnoscitur, & tamquam rex, & dominus colitur; ibi famuli ei seruiunt, amici diligunt, satellites circumsistunt, extranei venerantur, & in eo tandem loco vniuersa ad se pertinentia gubernat, & iura decernit: Ita Deus, omnium regum, ac principum rex, infinitè potens, qui (vt est in Iob) balthеum regum dissoluit, & præcingit fune renes eorum: ducit sacerdotes inglorios, & optimates supplantat,] & in omnibus rebus, & locis est, à quibus infinita, ac illimitata eius substantia abesse non potest; at in iustorum mentibus est tamquam in cælo,

Marginalia: Ierе.23. Psal.138. Hebr.4. Psal.138. Iob.9. Psal.138. Greg.li.8.sup.Ezech. Aug.epistola 57. Prou.8. 1.Cor.3. 2.Cor.6. Iob.12.

tamquam in templo sancto suo, tamquam in throno gloriæ suæ, in quo à iustis Deus, & princeps cognoscitur, pater; & sponsus diligitur, & dominus ac herus puris obsequiis, ac cultibus adoratur. Ibi arcanam illam humanæ mentis rempublicam sapientissimè gubernat, affectus factionum amatores in officio continet vires spirituales dirigit, & omnibus sensibus & actibus nostris tamquam iudex sedens in throno iura decernit. Vnde thronus, aut sedes Dei dicitur anima iusti, in qua ipse Deus requiescit, & in iustorum cordibus tanquam in propria domo commoratur, & tanquam in templo colendus, & adorandus assistit. Optimè namque dixit Augustinus: Fatendum est vbique esse Deum, per diuinitatis præsentiam, sed non vbique per habitationis gratiam. Propter hanc enim habitationem, vbi proculdubio gratia dilectionis eius agnoscitur, non dicimus: Pater noster, qui es vbique, cùm & hoc verum sit; sed Pater noster, qui es in cælis, vt templum eius potiùs in oratione commemoremus, quod & nosipsi esse debemus, & in quantum sumus, in tantum ad eius societatem, & familiam pertinemus. Et infra, vt ostendat in hac Dei habitatione apud nos, esse varios perfectionis gradus: hæc addit. Cumque vbique est, non in omnibus habitet, etiam in quibus habitat, non æqualiter habitat. Nam vnde est illud quod Elisæus poposcit, vt dupliciter in eo fieret spiritus Dei, qui erat in Helia?] Et vnde in omnibus sanctis sunt alij aliis sanctiores, nisi abundantiùs habendo habitatorem Deum.] Deus igitur in mentibus iustis est tamquam in templo, & in minùs iustis quidem remissius, in magis autem iustis intimiùs: non quia in qualibet mente iusta totus non sit, qui vbique totus est, & impartibilis, atque immutabilis est, sed quia quibusdam remissiorem gratiam, & minora dona, aliis verò gratiam ampliorem, & dona potiora communicant. Omnibus autem iustis hoc commune est, vt Deum in se per gratiam possidentes, voluntatem habeant diuinæ voluntati concordem, quam ob causam (vt Bernardus annotauit) non tantum dicitur Deus esse in illis, sicut in aliis creaturis etiam rationabilibus, sed (quod amplius est & perfectius) esse quoque cum illis. Huius sanctissimi Doctoris verba sunt. Deus, qui vbique æqualiter totus est, per suam simplicem substantiam, aliter tamen in rationabilibus creaturis: quam in cæteris, & ipsarum aliter in bonis, quàm in malis est per efficaciam. Ita sanè est in irrationabilibus creaturis, vt tamen non capiatur, ab ipsis rationabilibus autem omnibus quidem capi potest per cognitionem, sed à bonis tantùm, capitur etiam per amorem. In solis ergo bonis ita est, vt etiam sit cum ipsis propter concordiam voluptatis. Nam dum suas voluntates ita iustitiæ subdunt, vt Deum non dedeceat velle, quod ipsi volunt, per hoc quod ab eius voluntate non dissentiunt, Deum sibi specialiter iungunt.] Est itaque iusti mens domus Dei, quam Deus habitat; est templum Dei, quod implet; est thronus Dei, quod occupat, & in quo sicut in cælo suo; & in habitaculo sancto suo libentissimè requiescit.

Aug. epistola 57. *Matt. 6.* *4. Reg. 2.* *Ber. hom. 3 super Miss. est.*

Redeamus ergo nunc ad id, vnde digressi sumus, & dicamus, quid sit Deum ex tota mente diligere: Est profectò, ei ex amore, mentem nostram, templum, & thronum exhibere, ita scilicet, vt omnis nostra vita, & omnis nostra actio, & cogitatio in hoc tendat, vt spiritum nostrum in templum Deo paremus, & in gloriosam sedem offeramus. Hoc autem ita fiet si spiritus nostri maculas, non solùm ex criminibus, sed etiam ex leuissimis culpis contractas, fletu magno, & lugubri compunctione tergamus. Scriptum est enim: Quoniam domum tuam, Domine, decet sanctitudo in longitudine dierum.] Si Deinde gratiam qua amici Dei sumus, menti nostræ infusam, quotidie bonorum operum ministerio cumulemus. Nam si templum illud terrenum, à Salomone constructum, aurum purissimum contegebat, æquius est hoc templum immortale, quod nulla vis humana dissoluet, auro gratiæ vndique contegi, ac cooperiri. Si præterea turbam desideriorum, & affectuum rerum terrenarum perstrepentem, ac nos perturbantem mortificationis flagello eiecerimus, & nosipsos quietos, ac imperturbatos custodierimus, vt diuino amori vacemus. Cùm enim ipsa spiritualis domûs ædificatio adeò quieta esse debeat, vt nec malleus, nec securis, nec aliquod ferramentum audiantur in ea, quantò magis iam ædificata, atque perfecta, debet omni strepitu passionum, ac affectuum perturbatione carere. Si denique intimum, ac abditissimum spiritus nostri velut sedes Dei sit; ibi ipse rex sedeat, ibi sponsus requiescat, inde multitudinem virium nostrarum regat, & actiones, ac desideria moderetur, vt nihil (quantùm ista mortalitas patitur) in nobis diuinus obtutus, aut prauum, aut distortum inueniat. Tunc parauit ipse Dominus in iudicio thronum suum, & iudicabit orbem terræ in æquitate, iudicabit populos in iustitia.] Dei enim thronus (vt Basilius ait) non è ligno, sed è iustitia est, quare tunc mens eius est sedes, cùm iustitiam, ac veram puritatem induerit. Ex hac sede Dominus orbem terræ, & populos iudicat, cùm non tantùm affectiones nostras dirigit, sed etiam terram corporis nostri, ne ab honesto deflectat, mirabiliter regit. Tunc ergo, ô homo, Deum ex tota mente diligis, cùm amor charitatis in te habitans, ita ardens est, vt tuum spiritum pacatum Dei templum efficiat: Cùm teipsum ab omni macula peccatorum, & imperfectionum emundas: cùm in dies gratiam, & puritatem promoues; cùm vana desideria, & inutiles affectus cohibes; cùm teipsum in omnibus à Deo regi, ac gubernari finis: & cùm virtutum operibus vacas, & omnibus vitiis tamquam infensissimis hostibus bellum indicis. Hæc est dilectio Dei ex tota mente, quæ nos in templum sanctum Deo dedicat, & ipsum Deũ nostri habitatorem constituit. Cuius rei assertor est Leo Papa in hunc modum scribens. Qui autem experiri cupit an in ipso Deus habitet, de quo dicitur: Mirabilis Deus in sanctis suis, sincero examine cordis sui interiora discutiat, & sagaciter quærat, qua humilitate resistat superbiæ, qua beneuolentia obluctetur inuidiæ, quam non capiatur adulantiũ linguis, quámque bonis delectetur alienis, an pro malo non cupiat malum reddere, malitque inultas obliuisci iniurias, quàm imaginem & similitudinem sui conditoris amittere, qui omnes ad cognitionem sui generalibus incitans donis, pluit super iustos, & iniustos, & solem suum oriri facit super bonos & malos.] Ac ne in multis labores sollicitæ discretionis inspectio, ipsam matrem virtutum omnium charitatem, in secretis suæ mentis inquirat: & si in ea dilectionem Dei & proximi toto corde intentè reperierit, ita vt etiam inimicis suis eadem velit tribui, quæ sibi optat impendi, quisquis huiusmodi est, Deum & rectorem, & habitatorem sui esse non dubitet.] Hęc itaque charitas, quæ omnibus se malis opponit, & omnia bona, & iusta libenter amplectitur, quæ Deum sanctissimis astringit affectibus, & maleuolentiam ac inimicitiam erga proximos è sinu mentis exturbat, est charitas ex tota mẽte, quam qui habet, perfectè mandatum dilectionis adimplet.

Psal. 92. *3. Reg. 6.* *3. Reg. 6.* *Psalm. 9.* *Basil. in eundem Psalm.* *Leo. ser. 8. de ieiunio, Psal. 67.* *Matt. 5.*

Quod diximus, est primum duorum, quæ proposuimus, in quibus dilectio ex tota mente consistit. Secundũ verò (quod iam ex parte est explicatum) illud

profectò

profectò est, vt homo assuescat Deum intra seipsum tamquam intra templum cogitare, & ei memoria, intellectu & voluntate, purissimum iugiter cultum exhibere. Quid maius quàm quòd Deus habitet in nobis: Quid excellentius, quàm quòd Creator omnium spiritui nostro inspector assistat. Quid mirabilius, quàm quòd immensa maiestas, quā cæli & terra non capiunt, tamquam hospes apud latebras mētis nostræ non ad horam, sed semper maneat? Hæc igitur admiratio nos perpetuò occupet, nos à rebus terrenis abducat, & tamquam nihil mundi sentientes, in mundo constituat. Hoc arcanum tam stupendum, quod Deus intra nos sit, memoriam excitet, vt sine vlla intermissione (quantùm fragilitas humana fert) eius recordemur; intellectum exacuat, vt in eum intueamur, & tantam pulchritudinem contemplemur; voluntatem inflammet, vt illū mille desideriis amplexemur, mille affectibus adamemus, mille, imò infinitis amoribus diligamus. Hoc studium amoris nos faciat in vitandis defectibus cautos, in bonis operibus sectandis sollicitos, in occupationibus exterioribus patientes, in functionibus internis libentes, in tentationibus sustinendis fortes, in laboribus tolerandis strenuos, in cura cordis nostri Sanctos & puros: & omnia vitæ nostræ opera, siue interna, siue externa, in hunc scopum referantur, vt Deum intra nosipsos semper veneremur, semper laudemus, & sine vlla interruptione, vero amore, & charitate complectamur. Hæc si præstiterimus, & Deum intra nosmetipsos cogitare didicerimus, & cum eo in secreto mentis cubiculo morari nouerimus, tamquam omnia mundana excedentes, & nosipsos superantes, & ab omnibus creaturis exoluti, sciemus ad Deū alis charitatis volare, & non iam ex parte mentis (siquidem nullam eius partem visibilia tenent) sed ex tota mente diligere. Pulcherrimè namque dixit Hugo in spiritualibus & inuisibilibus, cùm aliquid supremum dicitur, non quasi localiter supra culmen, aut verticem cæli constitutum, sed intimum omnium significatur. Ascendere ergo ad Deum, hoc est, intrare ad semetipsum; & non solùm ad se intrare, sed ineffabili quodam modo in intimis etiam seipsum transire. Qui ergo seipsum (vt ita dicam) interiùs intrans, & intrinsecus penetrans transcendit, ille veraciter ad Deum ascendit.] Ingrediamur igitur nosipsos intellectu, & affectu, & iam creata superauimus, & ad Deum ascendimus. Demus ei omnem mentem nostram in templum, supremum spiritus nostri, in thronum, & potētias nostras in ancillas semper ei adhærentes, offeramus: nihil externum perstrepat, quod internæ quieti se opponat, aut (quantum fieri possit) assiduam Dei memoriam, & amorem interpellet: & tunc amorem ex tota mente possidemus, & ipsam perfectionem, quam venamur, & assequuti sumus. Cassianus enim ab hac tranquillissima, & amorosa Dei memoria, quæ scilicet iugulū sit omnis peccati, & fons vniuersæ virtutis, perfectionem ac vitæ spiritualis finem nescit distinguere. Omnis monachi finis (inquit) cordísque perfectio, ad iugem, atque indiruptam orationis perseuerantiam tendit, & quantùm humanæ fragilitati conceditur ad immobilem tranquillitatem mentis, ac perpetuam nititur puritatem. Ob quam omnem iam laborem corporis, quàm contritionem spiritus indefessè quærimus, & iugiter exercemus, & est inter alterutrum reciproca quædam, inseparabilisque coniunctio. Nam sicut ad orationis perfectionem, omnium tendit structura virtutum; ita nisi huius culmine hæc omnia fuerint colligata, atque compacta, nullo modo firma poterunt, vel stabilia perdurare.] Hæc igitur assidua Dei memoria dilectionis affectibus constipata nexum virtutum, & planè finem, ac perfectionem facit: ex quo aliud etiam habemus valde necessarium; & non semel repetendum, hāc internam mentis cum Deo occupationem, humiliter, & prudenter acceptatam, nos stupidos, aut ad bona opera ineptos non reddere, sed agiles, sed expeditos, sed aptissimos ad omne opus virtutis efficere. Expertis in vita spirituali credamus, eorum insistamus vestigiis, & tunc, an hoc ita sit apertè videbimus: quia absurdum profectò est cęcum velle de coloribus iudicare, & nos in vita spirituali needum infantes, velle spiritualium, & expertorum virorum sententiam, aut corrigere, aut reprehendere.

Hugo lib. 1. de van. mundi.

Cassia. col. 9. c. 3.

Domine Deus meus, dulcis hospes mentis meæ, & amabilis habitator spiritus mei, qui licèt cælū, & cæli cælorū te capere nō possint, tamen à mente rationali vis capi, ab spiritu humano teneri, & sinus cordium nostrorum occupare; tuam pulchritudinē intra meipsum contēplari gestio, tuam bonitatem laudē, tuam incomprehensibilem maiestatem adoro. En Deus meus tibi libērissimè offero vile tuguriolū mentis à te ex nihilo creatæ, imagine tua insignitæ, & ad te vidēdum & fruendum (vt de meritis filij tui spero) ex omni æternitate prædestinatæ. Hāc oblationem, ô Deus mansuetissime, ne respuas, ne contemnas, sed in animo contrito & in Spiritu humiliatis eam suscipias, & sicut in holocausto arietum, & taurorum, & sicut in millibus agnorum pinguium hoc sacrificium admittas, quoniam non est confusio confidentibus in te. Tu rex magnus es, & princeps excelsus, mitte ergo necessaria habitationi tuæ, & præpara hospitiū tuum, inclina ad me cęlos tuos, id est, virtutes sanctas & dona tua; quæ meam mentem exornent, quia rusticus, & pauperrimus villanus, non potest regi regum dignum hospitium præparare. Misericordia tua procul ab spiritu meo pellat rudera peccatorum meorum, potentia tua menti meæ abundantissimam gratiam infundat, affectus meos comprimat, strepitum rerum mundanarum eiiciat, virtutes afferat, memoriam sopiat, intellectum liget, & voluntatem nexibus sanctæ charitatis captiuet: vt quidquid ad mētem meam pertinet, tibi seruiat, & tibi, qui beatitudo mea es, toto conatu meæ mentis adhæreat. Sede super thronum tuum (qui spiritus meus est) ô tu Domine sancte, qui iudicas æquitatem, & inde omnia mea rege, quidquid in me est, ad tuam gloriam, & honorem guberna, vt totus tibi addictus, & tuo amori consecratus possim dicere, quia te tota mente diligo, & perfectionem summis quærendam votis habere, & possidere concupisco.

Quo pacto perfectio explicetur illis verbis, Diliges Dominum Deum tuum ex omnibus viribus tuis.

CAP. XX.

HOMO, sicut & quæuis alia creatura; tribus constat; natura, potentia, & operatione. Natura est, qua homo, non lapis, non brutum, non aliquid aliud, sed homo est; Potentia est, qua aliquid potest, puta, intelligere, sentire, in locum aliquem proficisci: Operatio est, qua aliquid efficit, nimirum, cùm aliquam rem diligit, sensu percipit, aut intellectu cognoscit. Hæc quidem omnia homo non à se habet, sed omnipotens Deus illi immensa largitate ac bonitate concessit. Ipse enim est, qui creauit hominem ad imaginem suam, & ideò vox hominis, & omnium creaturarum est, quoniam ipse fecit nos,

Genes. 1.

& nō ipsæ nos.] Ipse est qui potentias attribuit: nam omnis bonitas (vt ait Dionysius) à prima bonitate] & Paulus. Non est potestas nisi à Deo]& Ecclesiasticus. Omnis sapiētia à Domino Deo est.] Ipse denique Deus est, qui opera & actiones impertit, qui dat velle, & perficere pro bona voluntate. Vnde Isaias orat in hunc modum: Domine dabis pacem nobis; omnia enim opera nostra operatus es nobis.] Si ergo vniuersa quæ habemus, Deo largiente, & donante recipimus, æquum profectò est, vt & omnia reddamus, & ita ad locum, vnde exeunt flumina reuertātur, vt iterum fluant. Quod si copiæ aquarum (inquit Bernardus) secretis subterraneisque recursibus incessanter æquora repetunt, vt inde rursus ad visus, vsúsque nostros, iugi & infatigabili erumpant obsequio, cur non etiam spirituales riui, vt atua mentium irrigare non desinant, proprio fonti sine fraude & sine intermissione reddantur? Ad locum vnde exeunt, reuertantur flumina gratiarum, vt iterum fluant. Remittatur ad suum principium cæleste profluuium, quo vberius terræ refundatur. Qualiter inquis; Qualiter dicit Apostolus: In omnibus gratias agentes] Quidquid sapientiæ, quicquid te virtutis habere confidis, Dei virtuti, & Dei sapientiæ deputat Christo.] Dominus igitur qui naturam, potentiam, & actionem nobis dedit, eadem per mandatum charitatis, vt ei restituamus efflagitat. Actionem petit, cùm præcipit se ex toto corde diligi. Nam amor ex toto corde ipsam charitatis affectionem significat, quæ vires nostras ad omnes alias virtutis actiones impellit. Naturam postulat, cùm iubet se ex tota anima, & ex tota mente amari. Anima namque & mens est natura nostra, qua secundùm inferiorem partem, cum brutis sentimus, & appetimus: & secundùm superiorē, cum Angelis intelligimus, & rerum supernarum capaces sumus. Potentiam verò sibi restitui possit, cùm dicit: Diliges Dominum Deum tuum ex omnibus viribus tuis.] Sic Thomas Aquinas nomen virium intelligit, & meritò: Nam vires alicuius dicuntur, quæ ei robur, & habilitatem ad operandum tribuunt, potentiæ autem sunt, quæ nos roborant, & aptos ad agendum faciunt, & aptitudinem ad operandum suppeditāt, quare ipsæ sunt nostræ vires, ex quibus omnibus debemus Dominum Deum, ac Patrem nostrum diligere. Nunc quo pacto Deus sit ex omnibus viribus diligendus videamus, & inde compertum erit hūc amorem, nequaquam ab ipsa vitæ spiritualis perfectione distare.

Psal. 99. Dionys. Rom. 13. Ecclesi. 1. Isaia 26. Eccles. 1. Ber. ser. 13. in cāt. 1. Thess. 5. D. Thom. opusc. 61. de dilect. Dei c. 21.

Deum diligere ex omnibus viribus nihil aliud est, quàm omnes vires; & potentias nostras (siue quæ ad partem superiorem, seu rationalem pertinēt, siue quæ ad portionem infimam, aut vegetabilem reuocantur) in diuinum famulatum impendere, & ex vera charitate in amoris obsequio, & augmento collocare. Homo enim à sapientibus huius sæculi microcosmus, id est, paruus mundus vocatus est, quod omnia quæ in rebus creatis à summo Creatore dispersa sunt, collecta & in eandem naturam vnita, contineat. Nā si Angeli (vt à superioribus incipiamus) sunt intellectus & liberi arbitrij participes; homo est rationis, & liberi arbitrij particeps: Si bruta animantia sunt sensus, motúsque capacia: homo est sensus, & motus capax: Si arbores & plantæ sunt vitæ, & accretionis compotes; homo quoque vitæ est, & accretionis compos: si denique res inanimæ, vt elementa, & alia mixta ex elementis composita, habent esse, materiale, & corporeum: & homo similiter non caret esse, ac natura materiali & corporea. Vnde Hugo ait: Homo microcosmus, id est, minor mundus appellari ab antiquis solet, quia per similitudinem maioris mundi figuram tenet.] Qui & statim caput hominis cælo, pectus aëri, ventrem mari, & extrema corporis terræ assimilare pergit. In cælo Deus Trinitas residet; & in capite humano mens, in memoriam, intelligentiam, & volūtatem distincta, suas functiones exercet. In aëre nubes volant, & venti interdum omnia conturbant, & in pectore cogitationes discurrunt, & passiones effrenatæ vniuersa confundunt. In mari aquæ congregantur; nam & Deus collectionem aquarum appellauit maria; & in ventre humores colliguntur. Terra omnia corruptibilia sustinet, & pedes frigidæ naturæ totius corporis molem sustentant. Magnus autem Gregorius idem astruit dicens: Hominē à Domino, omnē creaturam fuisse vocatum, eo loco: Prædicate Euāgelium omni creaturæ:] quod omnem in se creaturam comprehendat. Nec enim (vt Beda ait) Euangelium vel insensatis rebus, vel brutis animalibus fuerat prædicandum: quare omnis creatura vocatur homo, quia quodammodo ex omnium rerum creatarum naturis compingitur.] Et quis prohibere poterit, vt sequentes accommodationem sanctæ matris Ecclesiæ, id ipsum à sapiente dictum intelligamus. Nam Spiritus Domini (inquit) repleuit orbē terrarum, & hoc, quod continet omnia, hoc scilicet magnum opus Dei, qui non est aliud quàm homo (vt Richelius quodam loco interpretatur) qui omnem rerū naturam in se cōtinet, scietiam habet vocis.] Si ergo homo suo modo, omnium rerum naturas continet, omnes etiam vires omniū rerum habeat, necesse est, ita videlicet, vt Angelorum, & brutorū, & plantarum, & rerum inanimatarum potentias participet. Ornantur etiam istæ potentiæ quibusdam donis Dei, quæ Christiani Doctores sancti Euangelij locutionem imitantes, solent talenta nuncupare. Intellectus quippe ornatur scientia & prudentia; imaginatio, circumspectione, & requie; voluntas & appetitus virtute multiplici; corpus sanitate, pulchritudine, & robore. Et sicut homo velut cētrum circuli est, in quod omnes naturæ rerum & omnes vires earum, tamquam lineæ concurrunt ita donis multiplicibus decoratur, quibus suo liberalissimo creatori placita obsequia reddat, & non beneficiorum oblitus, sed memor & gratus existat. Tunc verò ex omnibus viribus suis Deum diliget, cùm omnes creaturarum vires sibi concessas, & cuncta dona, atque talenta ex vero, & puro Dei amore in eius obsequium & famulatum impendit. Quod qua ratione facturus sit, breuiter disseramus.

Hugo. opusc. de anima med. cina cap. 3. Genes. 1. Greg. hō. 17. in Euang. & 7. mor. c. 3. Beda in Marc. vl. Sapien. 1. Richel. ibid.

Habes, ô homo, beneficio Dei vires intellectiuas cōmunes cū Angelis: tūc itaque ex his viribus Deum tuum diligis; cùm earum ministerio Deo semper adhæres. Si nimirum voluntas (quæ velut regina omnibus aliis viribus imperare debet) Deum sibi cupiat, quod est sanctæ concupiscentiæ: Deo propter Deū sua bona velit, quod est amicitiæ: De Deo, & bonis Dei, quæ in seipsa, aut in rebus creatis habet, vehementer exultet: iniurias Deo, aut à seipsa, aut ab aliis illatas, cōstanter exhorreat; Dei voluntatē, ac iussa in omnibus implere satagat, & in cūctis successibus, siue prosperis siue aduersis seipsam beneplacito diuino conformet: Hæc est bona voluntas, cui Angeli pacē promittunt: Nam in terra (inquiūt) pax hominibus bonæ voluntatis.] Hæc recta voluntas, quæ nos Christi fratres, sorores, & matres constituit. Qui enim fecerit voluntatem patris mei, qui in cęlis est, ipse dicit Dominus, meus frater, & soror, & mater est.

Hęc tandem perfecta voluntas, qua renouamur in nouitate sensus, & probamus, quæ sit volūtas Dei bona, & bene placens, & perfecta.] Quam, etiam si opus non adsit, quia potestas operādi deest, misericors Dominus cumulatè remunerat. Numquam enim merito

Luca 2. Marc. 3. Rom. 12.

caret

Leo ser. 2. quadrag. c. 4. caret (vt ait Leo Papa) etiam tenui facultate, bonæ voluntatis opulentia.] Maiora quidem impēdia sunt diuitum, & minora mediocrium, sed non discrepat fructus operum, vbi idem est affectus operantium. Deum etiam ex omnibus viribus diligis, cum voluntas, quæ est, prima & suprema vis, cæteras mouet, & dirigit, vt Deo placeant, Deum quærant, & eius in omnibus subdantur imperio. Moueat igitur intellectum, vt dilectum suum inquirat; quis sit, quia suprema, & infinita substantia: qualis sit, quia sine vlla qualitate pulcherrimus, optimus, sapientissimus, potentissimus; nam quidquid in Deo est, non aliquid discretum à Deo, sed ipse Deus est: Quomodo habendus sit, nempe diuinam voluntatem implendo, & nostram semper voluntatem abnegando: Quibus auxiliis facilius possidendus; illis videlicet, qui nos Deo per cognitionem, & amorem copulant, quam aliis, quæ nos hominibus amabiles reddunt, aut ad eos iuuandos disponunt. Quare præponenda est oratio lectioni; obedientia prædicationi, fraterna charitas vtili etiam occupationi, quia illa meliora sunt, & Deo acceptiora, hæc verò inferiora, secundo loco sectanda. Qua ratione in corde nostro seruandus, nempe peccata fugiendo, imperfectiones abiiciendo, virtutes exercendo, & omne bonum operando. Postquam verò intellectus Deum inquisiuit, quæsitum intelligat, & hanc si non solam, at præcipuam occupationem habeat, vt eum contempletur, quoad amoris studium voluntatem alliciat. Contemplatio non in speculatione sistat, sed ad agnoscendam, & faciendam Dei voluntatem moueat. Ex quo fiet, vt intellectus quantumuis illuminatus, aut scientiæ luce aut sapientiæ & contemplationis dono, nequaquam nimis in suo sensu abundet, sed Ecclesiæ definitionibus se subdat, Prælatorum mandatis, ac consiliis acquiescat, & planè falsum, & peruersum habeat, quicquid ab Ecclesia desciuerit, & noxium, quidquid à Prælatorum iussis deuiauerit. Hic est intellectus, de quo sanctus Dauid: Intellectus bonus omnibus facientibus eum, laudatio eius manet in sæculum sæculi.] (Psal. 110.) Intellectus vtique non solùm illuminatus, sed bonus, qui iuxta præscriptum timoris Domini vitam nostram instituit; qui ad veram sapientiam (quæ ars amoris est) nos mirabiliter præparat, & laudationem non fictam, sed veram, non temporalem, sed perpetuam habentibus, hunc amorem & timorem importat. Qui hunc bonum intellectum fuerit beneficio charitatis assequutus, laudet Dominum & dicat: Benedicam Dominum qui tribuit mihi intellectum, insuper & vsque ad noctem increpuerunt me renes mei.] (Psal. 15.) Affectus enim, & sancta desideria, per renes designata, huius intellectus possessores increpant, cùm eos quantumuis purè viuentes, & pro Deo laborantes, ad meliora opera, & maiorem gratitudinis significationem instigant. Moueat denique voluntas memoriam, vt Dei semper recordationem conseruet, eorum, quæ ad placendum Deo pertinent, reminiscentiam teneat, & dilectum suum apud seipsam indelebili cogitatione reponat: Scriptum est enim: Non obliuiscaris amici tui in animo tuo, & non immemor sis illius in opibus tuis.] (Eccles. 37.) Quis namque amicus noster, nisi ille qui creaturas suas amicos vocat, & vilissimos seruos in amicos, & sodales admittit? (Ioann. 15.) Huius amici nos non obliuiscamur & in opibus nostris illius recordemur, quod profectò fit, cùm bona, siue ad corpus, siue ad animam pertinentia, haud nobis ascribimus, sed ab eo donata esse cognoscimus. Discamus primo, huius amici in quiete, & sancto otio recordari, vt postea etiam sciamus in bonis operibus eius non obliuisci, & ita paulatim ad iugem Dei memoriam veniamus, & eius perpetuo recordemur. Qui enim quando otiosus est, non cogitat Deum (inquit Augustinus) in actionibus suis cogitare Deum non potest. (Aug. in Psal. 61.) Qui autem memor eius est, quando quietus est, in ipso meditatur, eùm agit ne in actionibus suis deficiat.] Vires igitur rationales in hunc modum Deo dedicatæ, iam aliquid iuuant, vt Deum ex omnibus viribus amare dicamur.

His comitibus voluntatis per imperantem charitatem ita compositis, charitas adhuc vltra procedat, & sensus, ac appetitus moderetur, atque componat. Primo quidem sensus externos, vt scilicet verus Dei amor visum, auditum, odoratum, gustum, & tactum ab omni malo, & superfluo cohibeat, & ad omne bonum, & ad affectum charitatis promouendum instiget. Si enim sensus propter intellectum, & intellectus propter affectum nobis dati sunt, liquet, quoniam sensus ea sola debent admittere, quæ affectui diuini amoris seruiant, & reliqua omnia, quæ aut obsunt, aut inutilia sunt, constanter refutare. Sensus ita compositi, & ad debitam puritatem redacti, vocantur à Paulo sensus perfecti. Fratres (inquit) nolite pueri effici sensibus, sed malitia paruuli estote, sensibus autem perfecti estote.] (1. Cor. 14.) Nolite, inquam, dona, quæ nimis splendent sensibus amplecti, & animo cupere, sed ea, quæ vtiliora sunt, magni reputare, & tamquam potiora concupiscite. Deinde charitas dirigat sensus internos, vt ea sola cogitent, quæ cogitare liceat & deceat, quæ cogitata mentem à bono, & honesto non distrahant, quæ considerata meditationi, orationíque subseruiant; reliqua verò stulta & inutilia reiiciant. Quàm autem proprium sit perfectæ charitatis has vires internas cohibere, & imaginationem præcipuè ab inutilibus reuocare, docet optimè Basilius intrepidè affirmans; nec charitatis mandatum, neque aliud quodcumque præceptum, sine huius potentiæ mortificatione posse perfectè à nobis impleri. Cæterùm (inquit) illud nosse conuenit, nos cùm nullius alterius mandati cuiusdam, tum ne charitatis quidem ipsius aduersùs Deum, ac proximum obseruationem posse præstare, si huc, illucque mentem temerè passi fuerimus aberrare. (Basil. reg. 5. fusius disp.) Neque enim, artem vllam, scientiámve quisquam exactè discere poterit, qui ea relicta identidem modò ad hanc, modò ad illam transeat: quin ne vel vnam quidem modò quis consequi potest, qui, quæ ad illius finem accommodata officia sint, ea perspecta non habeat. Siquidem consentanea fini officia, & actiones sint, oportet: neque enim res est vlla earum modò, quæ via ac ratione tractentur, quæ si officia adhibueris, quæ ab ea sint aliena, rectè vnquam confici possit. Siquidem natura non fert, vt quod effecturam se fabrilis ferrariæ ars pollicetur, id figulinæ artis opificium consequamur. Nec item ad coronam decertanti athletæ propositam aliquando pertigeris, qualicumque tandem te addixeris studio tibiam canendi, eum ad singulos singularum artium fines obtinendos, accommodata peculiaris etiam illarum vnicuique industria quædam requiratur. Quocirca ipsa etiam, quæ ex Euangelio est pietatis cultura, studiúmque ineundæ apud Deū gratiæ, in eo tota posita sunt, si quis animum suum ab omnibus prorsus mūdi huius sollicitudinibus auocarit, seséque funditus ab quauis re vnde animo, mētéve distrahi possit, abduxerit.] præterea, charitas appetitus concupiscibilem & irascibilem temperet, ne aut ad malum prolabantur, aut à bono resiliant. Concupiscibilem sanè, ita vt quæ bona sunt appetat, quæ ad diuinum amorem alliciunt, quærat & cupiat;

quæ verò mala sunt, aut si bona in se, proposito tamen amantis minus vtilia, ea nulla ratione concupiscat. Irascibilem verò, si mansuetudine temperet, ne plus quàm oportet, irascatur, si humilitate premat, ne immodicè efferatur, si magnanimitate roboret, ne imprudenter infirmetur. Ille bene cupiebat qui Domino decantabat: Concupiuit anima mea desiderare iustificationes tuas in omni tempore.] Et idē sanctè irascebatur, qui doctus suam iram frænare discebat: Irascimini, & nolite peccare,] & nos ad sanctam iram, quæ aduersùs vitia concipitur, & non ad iniquam cōcipiendam admonebat. Postremo Dei amor motricem potentiam regat, vt vniuersa corporis membra, præcipuè pedes, manus, & lingua Deo militent, & se iustitiæ instrumenta perseueranter exhibeant. Quod monet Paulus, dicens: Sed neque exhibeatis membra vestra, arma iniquitatis peccato; sed exhibete vos Deo, tamquam ex mortuis viuentes; & membra vestra arma iustitiæ Deo.] Ille namque mēbra sua peccato subtrahit, qui ea contra, aut præter diuina præcepta non mouet, & Deo tamquam arma iustitiæ concedit, qui eorum actionibus iustitiam expugnat, & Dei erga se amorem ac perfectam puritatem comparare contendit.

Psal. 118.

Psal. 4.

Rom. 6.

Adhæc, charitas potentias, aut vires vegetabiles moderetur; eam, quæ nutritioni deseruit per sobrietatem, & abstinentiam; & eam, quæ generationi famulatur, per castitatem, & continentiam, vt corpus nostrum ad veram parsimoniam, & munditiam redactum, nec ciborum nimietate, ipsorumque coctione prolixa menti tempus orandi & amandi præripiat, nec importunitate naturalis aculei, orationis, & amoris puritatem & serenitatem impediat. Quod adiuuante Dei numine assequemur, si illud Ecclesiastici documentum fuerimus amplexi: Cibaria, & virga, & onus asino; panis, & disciplina, & opus seruo.] Nam sicut iumentis, vt seruiant, pabula fœni, ne deficiant; & ictum virgæ, ne quiescant; & onera, ne lasciuiant, attribuimus: ita corpori nostro, seruo quidem, ac mancipio vilissimo cibarium panem non delicatum ad sustentationem; disciplinam ad correctionem; & opus ad otiositatis remedium conferamus. Licèt autem generatiua vis ita sit amore diuino frænanda, & continentia, ac castitate moderanda, vt quantùm possibile fuerit, nullus in ea pestilentis ignis odor appareat; tamen vis, quæ nutritioni & sustentationi corpusculi seruit, non sine discretione tractāda est, ne si ei necessaria subtraxerimus, instrumentum totius spiritualis vitæ deficiat. Sæpe enim (vt Laurentius Iustinianus ait) dum in carne hostem insequimur, etiam ciuem, quem diligimus trucidamus, & plerumque dum quasi conciui compatimur, ad prælium hostem nutrimus. Si ergo nobis nimius, ac immoderatus feruor persuadeat, vt carni necessaria alimenta subtrahamus, dicendum est illi, quod quidam dixit ad Ioab: Si appenderes in manibus meis mille argēteos, nequaquam mitterem manum meam in filium regis.] Corpusculum námque nostrum filius regis est, cui filiorum hæreditas, id est, gloria, cuius est capax, in cælis est reseruata, & ideò non debemus ipsum contra iussionem communis Patris immoderatis abstinentiis occidere, sed cohibitum, & mortificatum seruare. Tandem dona & talenta in his viribus à Domino collocata magisterio charitatis erudita, in eiusdem Domini obsequium impendamus, & nequaquam vanitati, aut propriæ commoditati donemus; vt sic, vel quinque talenta, hoc est, veram vitæ perfectionem, vel saltem duo talenta, scilicet initium perfectionis, & nonnullum spiritualis vitæ profectum, lucremur, possimúsq;

Eccles. 33.

Instit. in ligno vitæ tr. de sobriet. c. 3.

2. Reg. 18.

A dicere Domino: quæ de manu tua accepimus, reddimus tibi.] Qui ita vniuersas vires suas mancipat diuinis obsequiis, Deum diligit ex omnibus viribus suis, & ipse non potest non esse perfectus. Nam si perfectus est, qui perfectam charitatem habet, & in rebus ad vitam perfectam necessariis non deficit, qui eo modo, quem diximus vires suas moderatur; & regit, non potest à consortio perfectorum excludi, cuius charitas omnia recta facientem, & defectus omnes auersantem debitam mensuram, & absolutum decorem acquisiuit.

1. Paral. 29.

Domine Deus meus, virium nostrarum dator, & omnium donorum largus infusor, qui vires nobis

B seruis tuis tribuis, vt laboremus, & dona concedis, vt seruiamus, & sic laborantes, ac seruientes tibi, mercedem incorruptam & præmium semper mansurum assequamur. Tribue quoque rogamus supplices, bonum virium, & donorum vsum ne quod te donante factum est ad præmium, nobis malè vtentibus, vertatur ad supplicium. Omnes vires meæ te Dominum, & herum agnoscant, te semper quærant, tibi semper operibus sanctis inhæreant, & sint tamquam ancillæ, expectantes Dominum suum, quando reuertatur à nuptiis. Memoria mea ô Deus meus vanis & inutilibus rebus assueta, hæc omnia vana abiiciat, & iugi, ac assidua tui recordatione præfulgeat. Intellectus meus, ó lux mea, nebula quæ ex prauis af-

C fectibus ascendit, occæcatus, lucem sapientiæ ad bona sine intermissione euoluenda, & te contemplandum accipiat. Voluntas mea, ô Deus, & pulchritudo mea sensibilibus rebus fœdeta, & infructuosis desideriis compedita maculas dolore tergat, compedes melioribus desideriis abrumpat, & te solum, omne bonum diligat. Cogitatio mea, inquietum malum, vitula Ephraim docta diligere trituram,] quæ tamquā pullum onagri, se liberam natam putat,] ad domum cordis redeat, & sanctis rebus illigata quiescat. Appetitus meus ea constanter respuat, quæ itineribus æternitatis officiunt, & terrenis commoditatibus cōculcatis, ad æterna, & cælestia suos affectus, & desideria erigat. Sensus mei, sæculo, & suis deliciis oc-

Osee 10. Iob. 11.

D cludantur, seris & vectibus timoris tui, & his, quæ compunctionem generare possunt, & tui amorem allicere, aditum circumspectionis aperiant. Membra mea mortificētur super terram, vt iniquitati substracta, & tuis obsequiis, ac laudationibus consecrata, in perpetuum viuant in cælis. Si qua tamdem mihi talenta, si qua dona, si qua beneficia, siue naturalia, siue supernaturalia cōcedis, ea Domine ad te redeāt, te auctorem respiciant, & tuæ gloriæ solùm ac saluti proximorum inseruiant. Tu, ô Deus meus, amator meus hanc rempublicam animæ meæ tua prouidentia rege, tua bonitate sanctifica, tua potentia contine, & in omnibus non solùm magnis, & alicuius momenti rebus, sed etiam minimis insigni pietate guberna, quo verus amator tui factus, & seruus non iners, sed sedulus, & ex omnibus viribus reputatus, aliquando tandem (si tibi placet) perfectus existam, &

E ad præmium perfectorum ascendam.

Qua ratione perfectio exprimatur illis verbis: Diliges Dominum Deum tuum ex tota virtute tua.

CAP. XXI.

QVi rem aliquā impensè amant, non solum in ea assequenda omnes vires suas, & omnem industriam collocant, sed etiam omni

nisu,atque conatu in eius assequutionem incumbunt. Quod ita esse iniquorum peruersitas apertè demonstrat. Hi enim,vt sordidas voluptates, aut vanos honores,aut inquietas diuitias, quas immoderatè amāt, aucupentur, non iam faciunt, omne quod possunt (quod ad nisum & conatum, pertinet) sed à diabolo decepti, & inescati, faciunt etiam,aut facere tentāt, amplius quàm possunt. O quàm multos vidimus ob cupiditatem diuitiarum, vel appetitum dignitatum, vel desiderium voluptatum, propriam substantiam, bonum nomen, & existimationem amisisse, imò & salutem corporis,& animæ, & vires, & vitam temporalem, & æternam dilapidasse. Quibus optimè illud Hieremiæ conuenit: Cor meum ad viros muri fictilis dabit sonitum tibiarum, quia plus fecit,quàm potuit,ideò perierunt. [Plus faciunt, quàm possunt qui supra vires,supra facultatem, ad mala nituntur, & propterea pereunt, quia necesse est imbecillum à fortiori ad ortum, tandem frangi & debilitari. Si ergo viri iusti in assequutione virtutis, quod peccatores in assequutione iniquitatis non faciunt,vt scilicet supra naturæ,& gratiæ facultatem, bona assequi conentur;saltem id faciant, vt secundùm omnem conatum virium naturæ & gratiæ sibi concessarum, perfectionem, & diuinam vnionem assequi curent; & hoc Dominus iubet cùm dicit: Diliges Dominum Deum tuum ex omni virtute tua.] Iustè quidem. Nā si mundus, & Diabolus à seruis suis obsequia supra vires postulant, quid ni Deus omnium Conditor, cui soli seruiendum est,à creaturis suis obsequia secundùm vniuscuiusque conatum, efflagitet? Certè si ei toto mentis conatu non famulamur, sed tepidè, & oscitanter obsequimur, ansam aduersatio nostro damus,vt nos rideat,& nostram cæcitatem & infidelitatem reprehendat. Vt enim (inquit magnus Basilius) Dæmon capitalis nostri hostis solet nostram Domino exprobare negligentiam, & super inobedientia nostra superbè gloriari,qui cùm neque finxerit nos, nec mortem pro nobis oppetierit, habet nos tamen (proh dolor) & inobedientiæ suæ & negligentiæ, qua in præceptis Dei tenendis sumus imitatores sedulos. Hoc equidem opprobrium est contra maiestatem Domini, & hæc iactantia pœnis gehennæ longè mihi grauior esse videtur, quod nimirum inimicis Christi materiem, & ansam præbemus iactantiæ & elationis contra eum ipsum, qui pro nobis morti se,obiecit, atque etiam ab inferis sese reuocauit.] Vt ergo nosipsos ab hac infamia & contemptu liberemus, sollicitè studeamus Deo omni conatu famulari, & omni diligentia amore complecti; quod est ex tota virtute diligere. Sed quomodo hic sit sensus huius sententiæ priusquam vltrà procedimus,breuiter aperiamus.

Hier. 48.

Basilius oratione 1. de amore Dei.

Virtus,si philosophorum principem consulamus, illud summum ac præstantissimū est,ad quod vis, aut potentia alicuius valet pertingere. Nam si quis posset centum talenta portare,vis eius est ad portandum quinquaginta, aut octoginta, virtus verò ad portandum centum: & si possit ambulare, & perniciter currere, vis est ad ambulandnm, & virtus ad velocissimè currendum. Hanc autem esse huius nominis notionem confirmat nomen,vir, à quo (teste Cicerone) dicta est. Vir enim(vt ait Lactancius) nominatus est, quod in eo maior vis est,quàm in fæmina,& hinc virtus nomen accepit. A qua etiam significatione sacræ paginæ non abhorrent. Hoc nomen pro robore, potestate, & fortitudine nō semel vsurpantes. Domine, Domine virtus salutis meæ (inquit sanctus Dauid) obumbrasti caput meum in die belli. Et alio loco: Deus, qui præcinxit me virtute, & posuit immaculatam viam meam. Et rursus: Præcinxisti me virtute ad bellum, & supplantasti insurgentes in me subtùs me.] Hinc astra virtutes appellantur, quod eorum motu, & influxu, Deus inferiora gubernet, & magna, ac mirabilia perficiat. Verbo quippe Domini cæli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum. Hinc etiam virtutes, tum morales, tum intellectuales, tum Theologicæ hoc nomen acceperunt, quòd potentias aut vires nostras operibus bonis,& malis expositas,ad opus optimum inclinent, & ad præstantissimas functiones disponat. Est ergo virtus, si eius primæuam notionem attendamus, nisus,& conatus,& impetus rei, totum quod potest facientis, & ad summum, ac sibi præstantissimum anhelantis. Quare tunc Deum ex omni virtute diligimus, cùm voluntatem excitamus, vt omni conatu Deum diligat, & vires alias seu potentias erigimus,vt non segnitet, non oscitanter, sed strenuè ac diligenter in Dei obsequium, ac voluntatem intendant. Vnde Thomas hūc sensum exprimēs,sic ait. Diliges Dominum, non tantùm ex vi, sed etiam ex virtute,cùm diligendo & laborādo experiris summum potentiæ;quod si in hoc summo,& vltimo termino actum dilectionis semper cōtinuares,tunc nō tantùm ex virtute, sed etiam ex tota virtute diliges.]Sed quia in vita mortali non est possibile,vt quis in omnibus bonis actibus suis summum conarū adhibeat, considerandum est, quomodo hæc sententia vitæ iustorum peregrinantium accommodetur, vt possint eam,vtcumque seruare,& Deum ex tota virtute diligere.

Arist. 1. cali text. 1. c. 16.

Cicer. 2. Tusc.

Lact. li. de opificio Dei c. 12.

Psal. 139.

Psal. 17.

Psal. 32.

D. Thom. opusc. 61. c. 23.

Illi sanè dicuntur ex virtute diligere qui Dei sunt diligentes amatores,qui Deum feruidè amant,& qui gnauiter,& strenuè omnē(quātùm possunt) defectū, & imperfectionem cauent,& virtutis opera ad suum statum, & munus pertinentia sedulè, sollicitè,& diligenter exercent.Quidam enim (vt Bernardus optime annotauit) accipiunt Spiritum sanctum,spiritum charitatis ad salutem; quidam verò accipiunt ad feruorem. Illi accipiunt ad salutem, qui in toto corde suo reuertuntur ad Dominum Deum suum, qui omni crimini valedicunt, & spiritu contritionis emundati,gratiam & charitatem accipiunt. Illi accipiunt ad feruorem, cùm in cordibus perfectorum (vt verbis sanctissimi Patris vtar)vehementiùs spirans validum ignē charitatis accendit, vt non solùm in spe filiorum Dei, sed etiam in tribulationibus glorientur, contumeliā gloriam reputātes,opprobrium, gaudiū, despectionem, exaltationem.] Qui itaque spiritum ad salutem accipiunt, diligunt Deum ex omnibus viribus suis, saltem ex eo quòd nihil viribus, & potentiis suis, Deo auersum & contrarium admittunt: At qui accipiunt ad feruorem, diligunt ex omni virtute sua, quoniam iam in vita sua non solùm opus amoris tenent,sed etiam modum amoris adiiciunt, vt scilicet feruidè & sollicitè ament,& pro amore prouchēdo magna faciant,& terribilia sustineant. Quo loco libet cum ipso Bernardo lugere, quia omnibus nobis (ni fallor) si nimirum ex animo vitam mutauimus, datus est spiritus ad salutem; ad feruorem non ita. Pauci enim sunt, qui hoc spiritu repleantur, pauci, qui studeant æmulari; Contenti sumus angustiis nostris, nec respirare in libertatem illam,non saltem ad eam spirare conamur.] Hunc ergo charitatis feruorem & impigram amoris deuotionem sectari debemus, vt Deum ex tota virtute diligamus. Amat ille constantes,amat feruidos, amat naturæ imbecillitatem prudenter vincentes,& seipsos acuentes, & ad sollicitudinem excitantes. His perfectionem tribuit, & salutem animæ perfectam, & veram puritatem impertit.

Bern. ser. 3. Pentecost.

Luc. 19. impertit. Quis non audiuit. Salus domui huic facta est, eo quòd & ipse, non solùm genere, sed multò magis imitatione filius sit Abrahæ?] Ille re vera, qui præcurrēs ascendit, & sollicitus, festinúsque descendit, & excipit Dominum gaudens. Si igitur salutem animæ quærimus, non quamlibet, sed eam, quæ perfecta salus, & planè perfectio est, præcurramus tepidorum turbam, nunc dormientium, nunc oscitantium, nunc pedetentim ambulantium: descendamus festinanter, superbiam & ambitionē & omnem mūdi factum animosè calcantes; excipiamus gaudenter Christum, non in domum corporis, sed in domum cordis, & in nobisipsis habitaculum construentes: resarciamus iniurias & onera iniquitatis relinquamus, vt salus domui nostræ fiat, vt puritas mentis adueniat.

Sed ad particularia descendamus, & hæc quæ generaliter diximus, sigillatim explicemus. Ille Deum ex tota virtute diligit, qui eximia quadam diligentia suæ mentis puritatem retinet, & omnem minimam etiam maculam vehementer timet, omnem defectum leuem fugit, omnem imperfectionem, (quantùm in hac vita fieri potest) sollicitè reiicit: & qui omnem suam diligentiam ad vitanda peccata leuia, insufficientem cernens, ea quæ contrahit, celeriter (quantùm potest) & magna animæ compunctione tergit. Sicut enim virgo, quæ pulchram, & pretiosam vestem induit, summa quadam circumspectione perlustrat, quo loco sedeat, cui innitatur, quid manibus tractet, quis ad eam accedat, ne aut in sede, aut in fulcimento, aut in occupatione, aut in famulo propius accedente, aliquid sit, quod eius vestem fœdet, aut quoquo modo inficiat: Ita anima veste gratiæ, & charitatis induta, debet omnes cogitationes, omnia desideria, omnia verba; & opera sua, diligentissima circumspectione notare, ne quid in eis lateat, quod gratiam fuscet, charitatem tepefaciat, & suam pulchritudinem aliqua macula, aut næuo contaminet. Si quid tamen, aut malum aut imperfectum inciderit (& sine dubio multa incident) statim compunctio tergat, fletus mundet, humilitas deleat, charitas vrat. Sine ista sollicitudine non poterit mens mundam se, & illibatam seruare; nam (vt Greg. 11. mor. c. 26 inquit Gregorius.] Mens mutabilitatis suæ pondere, ad aliud semper impellitur, quàm est, nisi in statu suo arctæ custodiæ disciplina teneatur, semper in deteriora dilabitur. Quæ enim semper stantem deseruit, statum, quem habere potuit, amisit. Vnde nunc cùm ad meliora nititur, quasi contra ictum fulminis conatur; cùm verò ab intentione ascendendi resoluitur.] Sic ille scribit, optimè, ac verè scribit. Nam natura nostra lubrica, ad malum procliuis, & ex sua ingenita infirmitate in vetitum præceps, non poterit se continere, in bono, atque honesto stabilire, nisi seipsam semper cohibeat, seipsam à casu diligenter custodiat, & gratiæ Dei cooperās, ne à malitia coinquinetur, se vndique circumspiciat. Si vis ergo, ô religiose, esse perfectus & veram virtutem consequi, & ad mentis puritatem festinare, prudenti quadam, & sollicita circumspectione, non tamen scrupulosa, aut molesta, te & omnia ad te pertinentia considera. Hoc te doceat amor Dei (qui non cæcus est, sicut amor sæculi, sed omnia videns, vniuersa prospiciens, tamquam magister sapientissimus) te inter laqueos viuere, inter tendiculas, & præcipitia transire, cum hostibus, & inimicis sanctitatis conuersari; ex quo cognosces magna diligentia opus esse, ne cadas, ne Bernard. ser. 48. in Cant. decipiaris, ne rerum mandanarum affectibus illigeris. O candens lilium (inquit Bernardus sponsam Christi alloquens) ô tener, & delicate flos; increduli, & subuersores sunt tecum: Vide quomodo cautè ambules inter spinas. Plenus est mundus spinis; in terra sunt, in aëre sunt in carne tua sunt, versari in his & minimè lædi, diuinæ potentiæ est, non virtutis tuæ; sed confidite, inquit, quia ego vici mundum.] Si ve- Ioan. 16. rò hanc necessariam sollicitudinem, diligentiámque contemnis, non tantùm Deum ex virtute non diliges, verùm nec teipsum casu & præcipitio defendes. Incuriæ enim, & socordiæ concessum est, vt omnia bona antè congregata vastet, & quæ feruor acquisie- Amos. 6. rat, miserabili crudelitate consumat. Denique esse Dominus mandauit, id est, iustissima ratione permisit, & percutiet ista socordia, domum maiorem ruinis; scilicet interiorem, verámque virtutem, & domum minorem scissionibus,] nempe externam disciplinam, quæ dissipata, non solùm Angeli, verùm & homines teipsum spernent, quia per disciplinæ dissipatæ rimulas, interiorem casum, & calamitatem prospicient.

Non tamen satis est amanti, ex tota virtute, si diligenter mala caueat, nisi etiam eadem sollicitudine, atque feruore mandata seruet, consilia ad se spectantia custodiat, regulas, & institutiones amplectatur, & omne bonum non tepidè & perfunctoriè, sed grauiter & constanter operetur. Imò non est possibile mala vitare, nisi quis bona strenuè sectetur; nam malum quoddam est, ipsum bonum oscitanter exequi, & negligenter in opus producere. In hoc ergo nos veros Dei amatores exhibeamus, vt propter Deum, & eius amorem, quicquid virtutis, quidquid perfectionis est, tamquam rem magni momenti sedulò & diligenter tractemus. Si enim mundani homines sæculum tanta virtute amant, & ipsam vanissimam vanitatem tanto impetu, & conatu exercent, vt pereāt; quanta virtute nos, qui virorum spiritualium nomen obtinemus, Deum deberemus diligere, quanto nisu atque conatu ipsam verissimam veritatem sectari, nō vt pereamus, sed vt in perpetuum saluemur? An sola Hier. to 9. epist. ad Demetr. ista vita est (vt Hieronymi sermonem vsurpem) quæ certamen non habeat de profectu, & in qua vnusquisque hoc tantùm habeat, permanere quod cæpit, nec vllo augmenti desiderio ad maiora contēdat? Et cùm in omnibus mundi studiis profectu non satientur homines, hic tantùm cæpisse sufficiat? Feruentissimi in terrenis, frigidissimi in cælestibus sumus: & summam in rebus paruis exhibentes alacritatem ad maiora torpescimus. Considerare pudet, quantus sit feruor in sæculo, qua cura singula quæque studia hominum, imo (vt sæcularis auctoris vtar sententia) ipsa magis ætate inflammatur. Diuitiarum amor insatiabilis est, expleri nescit honorum cupido. Celerem habituræ res finem sine fine quæruntur. Nos diuinam sapientiam, cælestes diuitias, immortales honores, pigra quadam dissimulatione negligimus: & spirituales diuitias, aut ne attingimus quidem, aut si leuiter degustauerimus, continuò nos putamus esse satiatos.] Amplectamur ergo mentis puritatem: Amplectamur iustitiam, non quasi saciati, & virtutis cibo distenti, sed quasi esurientes, & hoc vitæ alimento prorsus vacui, atque ieiuni. Dominus enim non Matt. 5. dixit: Beati qui nauseam habent iustitiæ, sed: Beati, qui esuriunt & sitiunt iustitiam.] Beati inquam, non pleni, sed vacui; non saturi, sed esurientes, quia licèt pleni sint operis effectu, vacui tamen sunt amplius comedendi, & bene viuendi desiderio. Hoc enim proprium est huius spiritualis alimenti, vt susceptus non repleat; ingestus non faciet, sed maiorem famem exsuscitet, & vehementiorem famē accendat. Quod vox ipsius iustitiæ & veræ sapientiæ confirmat, dicens: Qui edunt me, adhuc esurient; & qui bibunt

me,

me adhuc sitiant.] Esuriamus itaque appetituũ nostrorum repressionem, virtutum exercitationem; bonorum operum studium: sitiamus diuinam familiaritatem,& cælestem in terris conuersationem, & non tamquam repleti, & præ nausea eructantes; sed tamquam esurientes,& sitientes hunc cibum comedamus,hunc potum bibamus, his bonis nos impleamus,& particula bonæ diei,id est,tempus proficiendi, haud quaquam nosipsos prætereat.Imitemur illum, qui nostram salutem tanta sollicitudine & diligentia quæsiuit; & eius discipuli,atque imitatores effecti eandem salutem (scilicet non suam, sed nostram)eximio quodam conatu non tamen imprudenti, sed circumspecto, requiramus. Quid enim à nobis quærit Christus qui tanta sollicitudine nos quæsiuit, nisi vt diligentes simus, & feruidi, & solliciti ambulemus cum eo? In hoc igitur feruore amoris, & bonorum operum, charitas ex tota virtute consistit.Quam qui habent sunt esurientes,& sitientes iustitiæ, & Domini assertione Beati; quod si beati, & perfecti: Quia beatitudo huius vitæ, vt in sequenti tractatu sumus dicturi, non est quælibet imbecilla virtus,sed ipsa sanctitas,atque perfectio.Quare charitas ex tota virtute, à perfectione non distat,quæ nihil aliud esse potest, quàm diligens charitas strenuè se Deo iungens grauiter mala cauens, & sollicitè atque perfectè actibus bonis intendens.

Domine Deus meus, virtus mea,& robur virium meatum,ac firmamentum animæ meæ, qui nos validissimo amore prosequeris, & immensa spiritus tui copia, ac beneficiorum multitudine, nec non occulta quadam ostentione pulchritudinis tuæ,ad te præ omnibus diligendum,& validè ac feruidè amãdum impellis: fac vt impetus huius diuini spiritus, vela cordis mei perflet, & nauiculam mentis meæ citissimè moueat, quo prospera nauigatione cursum huius vitæ cõficiam,& celeribus dilectionis affectibus ad te portum salutis, locum stabilem, ac securum ex tota virtute amando, & te quærẽdo perueniam.Tu,ô Deus meus benignè, atque misericors, qui vires,& dona ad te amandum, & diligendum tribuisti, omnem ab eis ignauiam, & torporem amoue, & impetum, conatum, atque feruorem, ad tui amorem, ac obsequium larga manu concede, ne seruus hic tuus, licet omnium minimus à Diaboli mancipiis diligentia vincatur,& à mundanis hominibus strenuitate superetur. Si pedes eorum tanta celeritate ad malum currunt,& festinant,vt effundant sanguinem, & animas suas perdant, & in barathrum infælicitatis proiiciant;cur ego post te non curram Domine, cur non festinabo post odorem vnguentorum tuorum,sponse dulcissime, siquidem cursus hic non in perditionem tendit, non in barathrum gehennæ properat, sed in salutem,in sanctitatem, in fælicitatem accelerat? Ab his ergo discam, ô pater amantissime, quomodo te sum amaturus, quo pacto tibi obsequuturus. Vt quemadmodum illi toto mentis conatu, vanitatem amant, mendacium cupiunt, & res nihili habere, & possidere conantur; ita saltem & ego (quod vere parum est,& dignum vt ex eo erubescam) toto virium mearum impetu, te solum diligam, veritatem quæram,& veram virtutem omni auro pretiosiorem habere concupiscam.In hoc meas vires, & neruos intẽdam, vt leues etiam maculas fugiam, passiones vincam,mandata custodiam,consilia amplectar, & omnia ad meam vocationem,& institutum attinentia perficiam.Sic enim fiet, vt pro modulo meo, te donante,charitatem ex tota virtute habeam, & iter perfectionis & sanctitatis arripiam.

Prou.1.

A

Qua ratione perfectio exprimatur illis verbis : Diliges Dominum Deum tuum ex omni fortitudine tua.

CAPVT XXII.

MVLTI quidem sunt charitatis actus, multi dilectionis effectus, multa veri, & perfecti amoris indicia; sed nullum aut maius, aut præstabilius, quàm si quis pro dilecto non tantùm bona peragat, verùm etiam mala & aduersa sustineat. Agere enim bonum bono naturale est,malum verò sustinere præposterum, quare non tam elucet natura boni, si quod sibi congruum est, faciat,quàm si malis exagitatum, immobile perseueret, & nec tantillum ab

B

ingenita bonitate desciscat.Quamobrem, sicut lucerna, & si parua sit,illuminare certè potest, at nisi magna sit, ventis flantibus resistere non potest: ita amor paruus atque remissus poterit aliquod bonum facere, at nisi magnus sit, & fortis, non poterit pro amato aduersa, & terribilia tolerare. Hinc Dominus maximum amorem erga hominem donorum & beneficiorum communicatione monstrauit, sed multò maiorem & ardentiorem ostendit,ex eo,quòd cum ipse impassibilis sit, filium tamen vnigenitum passibilem in carne fecit,& pro hominibus morti ac passioni subiecit. Vnde Ioannes, vt hunc amorem exaggeraret non dixit:Sic Deus dilexit mundum, id est,homines mundi,vt pro eis cælos crearet, terram conderet,aut tot tanta bona produceret; sed vt pro eis filium suum vnigenitum daret,] & pro hominibus doloribus ac tormentis exponeret. Meritò sanè: nam bona nobis dare, congruum Deo est, mala verò pro nobis pati, videtur indignum; quare magnus amor est Dei, qui pro nobis magna fecit, sed sine vlla comparatione maior, & ardentior apparet, quia pro iniquis & peccatoribus filium hominem factum ad mala perferenda demisit.Hinc & ipse filius Dei,qui tot,ac tam mirabilibus signis, eximium erga æternum Patrem amorem declarauit, & tanta vitæ sanctimonia se illi filium obedientem exhibuit, fini suæ vitæ sanctissimæ tormenta passionũ, & mortis sustinentiam reseruauit, & tamquam præcipuum infinitæ suæ dilectionis indicium extremo tempore patefecit. Et aliis suis operibus prætermissis, & quasi obliuioni traditis, hoc solum obtulit mundo tamquam efficacissimum opus ad suam cognoscendam charitatem,dicens; Sed vt cognoscat mundus, quia diligo Patrem, & sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio, surgite eamus hinc.]Mundus,ô Domine,in hoc non obscurè, sed clarè, & manifestè tuum erga Patrem,& erga nos infinitum amorem agnouit,quòd mandatum patiendi sine vlla contradictione accepisti,quòd secundùm illud mandatum mortem acerbam sustinuisti, quod è loco vbi sedebas,vt hostibus occurreres, & teipsum morti, & tormentis offerres, libentissimè surrexisti. Hoc etiam fuisse maximum suæ dilectionis indicium,Apostolos ad mutuũ amorem exhortans, iterum manifestauit dicens: Maiorem hac dilectionem nemo habet, vt animam suam ponat quis pro amicis suis.] Nam & si amorem erga homines, erga inimicos scilicet, quos passione & morte fecit amicos, abundè doctrina,exemplo,exhibitis sanitatibus,& aliis modis innumeris declarauit; sed multò abundantiùs, atque perfectiùs vitæ depositione, & perpessione mortis expressit, quia magnũ est magna amicis dare, sed multò maius vitam charissimam,& omnium rerum pretiosissimam pro amicis

Ioann.13.

C

Ioann.14.

E

Ioann.15.

Ioann. 1. Chrys hō. 11 in Ioā.

eis profundere. Re vera in passione ostensus est filius Dei, & tunc (vt exponit Chrysostomus) vidimus gloriã eius, gloriã quasi vnigeniti à Patre:] quoniã tanta, & tã acerba, & indigna pati, nõ serui licèt fidelis, sed filij naturalis est, qui honorẽ Patris ab hominibus iniustè ablatum, suis iniuriis, & opprobriis resarciebat, & pretio tantorum malorũ reparabat. Ibi etiã ostẽsus est Pater noster, qui sicut gallina pro tuendis filiis suis, vitam suam periculo mortis exposuit; imò sicut pellicanus fuso super filios proprio sanguine morti eripuit, & vitæ æternitatis acquisiuit. Ibi denique ostensus est præcipuè omnimodæ perfectionis magister, qui docuit nos amare in tormentis, diligere in mediis tribulationibus, & pro charitatis possessione inimicis ignoscere, & vsque ad effusionem sanguinis decertare. Proposito enim sibi gaudio à turpis, dum eum voluerunt facere regem (vt Anselmus interpretatus est) respuit huiusmodi gaudium & vltro oblatum honorem, contempsit, sustinuit autem crucem confusione contempta.] Quare hoc? Nisi quia non susceptione gaudiorum & honorum amor declaratur, sed admissione tormentorum, & mortis ostenditur? Ab hoc magistro, qui semper vera docuit, & qui numquam errauit omnes sancti & perfecti viri amare didicerunt, ab eo dicti sunt, non in consolationibus tantùm, sed in tribulationibus, & in tristitiis præcipuè excellentiam amoris demonstrare. Nam in his omnibus superamus (inquiunt) propter eum qui dilexit nos.] Et rursus: Nõ solùm gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei; sed & gloriamur in tribulationibus, scientes quod tribulatio patientiam operatur, dum nos patientes, & mites facit: patientia autem probationem, qua Deus cognoscit, id est, cognoscere facit, quòd Deum timeamus, & perfecti sumus, probatio verò spem futuræ gloriæ nobis tribuit, quæ sanè non confundit,] neque est inanis & vana, quoniam iam habemus arrham futuræ fælicitatis nimirum veram charitatem, quæ diffusa est in cordibus nostris. Vnde scitis, ô viri iusti, vos charitatem habere, vnde vos verum Dei amorem possidere cognoscitis? Certè id cõiectamur, ex eo quòd tribulamur, & ex eo quòd pro Deo pressuras & tribulationes patimur. Si enim flamma indicat ignem, & splendor lucernam detegit; tribulatio pro Deo patienter sustentata, ignem charitatis absconditum, & latentem ostendit. Aduersis enim probatur amor (inquit Chrysostomus) affectio pensatur periculis; pœnis examinatur dilectio, morte perfecta charitas innuitur.] Iure itaque Bernard. supremum amoris gradũ, quẽ cælesti patriæ reseruat, cùm videlicet homo se purè diligit propter Deum, & seipsum quodammodo perdit, tamquam non sit, & omnino semetipsum non sentit, & à semetipso exinanitur, & annullatur, solis martyribus in hac vita auder certa ratione concedere. Putamúsne (inquit) hanc gratiam; vel ex parte sanctos martyres assequutos, in illis adhuc victoriosis corporibus constitutos? Magna vis prorsus amoris illas animas intrórsus rapuerat, quæ ita sua corpora feris exponere, & tormẽta cõtemnere valuerunt.] Quia videlicet ita hominẽ propter amorem Dei seipsum deserere, vt omnia pœnæ mala sustineat, vitam proterat, & semetipsum conculcet, & perdat, nihil aliud est, quàm supra humana conscendere, & vitæ cælesti appropinquare.

Hebr. 12. Ans. ibid. — *Rom. 8.* — *Rom. 5.* — *Chry. ser. 6. de pass. Dom. to. 3* — *Bern. de diligendo Deo.*

Hunc ergo amorem perfectissimum, Deus extrema huius sententiæ parte à viris iustis, & perfectis exposcit, cùm ait: Diliges Dominum Deum tuum ex omni fortitudine tua.] Hoc quippe distat inter virtutem & fortitudinem (vt placet Thomæ Aquinati) quod virtus est, summus conatus vitium nostrorum ad agendum; fortitudo verò summus co-

D. Thom. opusc. 61. de dilect. Dei c. 23.

A natus ad sustinendum. Cui consentit Augustinus: Amor (inquit) quem tota sanctitate inflammatum esse oportet in Deum in non appetendis istis temperans, in amittendis fortis vocatur.] Et infrà: Nihil est tam durum, atque ferreum; quod non amoris igne vincatur. Quò cùm se anima rapit in Deum super omnem carnificinam libera, & admiranda volitabit pennis pulcherrimis, & integerrimis, quibus ad Dei complexum amor castus innititur.] Et alio loco dicit: Fortitudinem esse amorem omnia propter Deum facile perferentem.] Quare diligere ex omni fortitudine est, ita Deum amare, vt quis nec tentationibus cedat, nec in tribulationibus, & minis, siue à dæmone, siue ab hominibus intẽtatis succumbat. Si-
B cut accidit Dauidi vxorem alienam contra ius & fas accipienti: Petro neganti; discipulis fugientibus, & accidit multis aliis, qui ad tempus fide viua credunt, & in tempore tentationis recedunt.] Huius amoris ex omni fortitudine meminit Paulus, quando sui amoris robur, & firmitatem edixit. Quis (ait) nos separabit à charitate Christi? Tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius?] Et statim; certus sum, quia neque mors, neque vita, neque Angelus, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro.] Quis, inquit vas iste
C electionis, mihi charitatẽ surripiet? Quis me à Deo diuellet, quẽ nõ tantùm suauiter, sed & fortiter diligo? Tribulatio? Certè non, quoniam in malis pœnæ pro Christo sustentatis, & in tribulationibus glorior. An angustia? Non, quia licèt foris instent pugnæ, intus timores, in omnibus supero propter eum qui dilexit me. An fames? Non, quia meus cibus, cibus est Christi, vt faciam voluntatem eius, qui misit me: & nuncium euangelij constituit, quem cibum cùm semper intra me habeam, & in mea sit potestate, non possum fame perire. An nuditas? Non, quia mea vestis est gratia, quam Deus ita suis auxiliis firmauit, vt nec temporis decursu atteratur, nec deserti huius spinis, & tribulis conuellatur, nec aliquo grani malo fulcetur. An periculum? Non, sum etenim miles vetera-
D nus, qui aduersùs aëreas potestates, aduersùs principes, & potestates tenebrarũ harũ millies bella suscepi, pugnaui, & vici, quare victoriis assuetus nõ possum hostium occursum timere, neq; in periculis trepidare. An persecutio? Non, nam & omnia me persequuntur, cœlum inclemẽtiis suis, terra venenatis animalibus, mare aquarum vorticibus, homines extranei, & conciues, qui me sæpius voluerunt occidere, lapidibus obruere, tormentis trucidare, & ecce viuo, & in dies spiritu vegetior effectus, Christo intimiùs amore coniungor. An gladius? Non profectò, quoniam ille caput resecuit, vitam mortalem abstulit, animam à corpore separauit, sed Dei charitatem perfecit, non ademit, ô fortis charitas, ô robustus & insuperabilis amor, qui nouit bona agere, nouit & mala sustinere, & tot imminentibus malis non minui, sed
E perfici, non separari, sed Deo præstabiliùs copulari. Reliqua non nos obscuremus, sed sancti patris Augustini verbis exponamus. Nemo (inquit) nos inde separat minando mortem. Id ipsum enim, quod diligimus Deũ, mori non potest, nisi dum non diliget Deũ, cùm mors ipsa sit non diligere Deum, quod nihil est aliud, quàm ei quicquam in diligendo, atque sequendo præponere. Nemo inde separat pollicẽdo vitam; nemo enim ab ipso fonte separat pollicendo aquam. Non separat Angelus; non enim est Angelus, cùm inhæremus Deo, nostra mente potentior. Nõ se-

Aug. li. 1. de morib. Eccl. c. 22. — *Aug. lib. de morib. Manic. c. 15. tom. 1.* — *1. Reg. 11 Mat. 26.* — *Luca 8.* — *Rom. 8.* — *Aug. l. 1. de morib. Eccl. c. 11. tom. 1.*

parat virtus: nam si virtus hîc illa nominata est, quæ aliquã potestatem in hoc mundo habet, toto mundo est omnino sublimior mẽs inhærens Deo. Sin virtus illa dicta est, quæ ipsius animi nostri rectissima affectio est: Si in alio est, fauet vt coniungamur Deo; si in nobis est, ipsa cõiungit. Non separant instantes molestiæ, hoc enim leuiores eas sentimus, quò ei vnde nos separare moliuntur, artiùs inhæremus. Non separat promissio futurorum; nã & quicquid boni futurũ est, certiùs promittit Deus, & nihil est ipso Deo melius, qui iam profectò bene sibi inhærentibus pręsens est. Non separat altitudo, neq; profundum: etenim si hęc verba scientiæ fortè altitudinẽ, vel profunditatem significant, nõ ero curiosus ne seiungar à Deo, nec cuiusquam doctrina me ab eo separat; vt quasi depellat errorẽ, à quo nemo prorsus, nisi separatus, erraret. Si verò altitudine & profundo superna & inferna huius mundi significãtur, quid mihi cælum polliceatur, vt à cæli fabricatore seiũgat? Aut quid terreat infernus, vt Deum deserã, quem si numquam deseruissem, inferna nescirem? Postremò, quis me locus ab eius charitate diuelleret, qui non vbique totus esset, si vllo contineretur loco?] Hic quidem est amor ex tota fortitudine, quẽ Paulus tam magnificis & admirãdis verbis exposuit, quẽ nullæ aduersitates vincũt, nullæ tribulationes deiiciunt, nullæ calamitates prosternũt. Aquæ enim multæ nõ potuerunt extinguere charitatẽ, nec flumina obruẽt illã.] Aquæ multæ vt (meditatur Gregorius) moderatæ tribulationes sunt; flumina verò maximas tribulationes significant. Vel (vt placuit Ruperto) aquæ tribulationes à popularibus, & flumina calamitates à principibus illatas siue profectas designant:] Sed neque maximæ neque minimæ, neque si populus ardeat, aut si principes aduersùs charitatem feruore, & indignatione ferueant, eam extinguunt, aut obruunt, quia ipsa cùm ignis sit, nouit aquas tribulationum accendere, & in sui augmentum conuertere, & cùm altior cælo sit, aquarum inundationes superare.

Cant. 8.

Greg. in Cant. c. 8. Ruper. in Cant. l. 7.

Iam igitur dicamus illũ ad supremum amoris gradum peruenisse, & Deum ex tota fortitudine diligere, qui ex amore & vera charitate Dei, omnia pœnæ mala sibi inflicta patienter tolerat & paratus est, ea quæ nõ inferuntur, quando occurrerint æquanimiter & gratanter sustinere: Ille sanè diligit Deũ ex tota fortitudine sua qui inopiam & mẽdicitatẽ pro Deo sustinet, seipsum (quoad potest) tẽporalibus diuitiis spoliat, & omnia arbitratur vt stercora, vt Christum lucrifaciat.] Erga ipsum enim charitas est illa pretiosa margarita, in agro vitæ spiritualis abscondita, cuius amore illectus sapiẽs negotiator vendidit omniaquæ habuit, & emit eam. Nec magno putat sibi constitisse, quoniam si dederit homo omnem substantiã domus suæ, pro dilectione, quasi nihil despiciet eam. Ille ex tota fortitudine diligit, qui pro Deo carnis illecebras, & sæculi voluptates aspernatur, & vitam asperam, ac laboriosam aggreditur. Qui castigat cũ Paulo corpus suum, & in seruitutẽ redigit, ne carnis nimia cura, aut corporis insolentia studio amoris purissimi contradicat. Qui non sedit cum consilio vanitatis,] vt veritatis amorem non respuat. Consilium autem vanitatis est (vt ait Richardus Victorinus) curam corporis nimiam habere, carnem in desideriis carnis fouere, cibo vel somno nimis indulgere, ornatum in vestitu quærere; totum hoc vanitas est, quia totum hoc vanum est.] Quod si hoc vanitas est, veritas quidem erit, carnem affligere, voluptates ac delicias mũdi contemnere, & solum Deum veras & solidas delicias putare. Ille ex tota fortitudine diligit, qui honores, dignitates, & bonam opinionem

Philip. 3.

Cant. 8.

Psal. 25.

Richard. ibid.

contemnit: & præ amore charitatis, & desiderio virtutis infamiam, sinistram opinionem, & infimum locum libens, & voluntarius admittit. Huius vox est. Mihi autem pro minimo est, vt à vobis iudicer, aut ab humano die.] Et rursus illud: Exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros per gloriam & ignobilitatem, per infamiam & bonam famam, vt seductores, & veraces, sicut qui ignoti & cogniti, quasi morientes & ecce viuimus.] Hic summum honorem & amplissimam dignitatẽ reputat, adhærere Deo, amare Deum, famulari Deo, & in abdito orationis & contemplationis conclaui Deum alloqui, & eum, licet per speculũ & in ænigmate sincerissimo oculo mentis aspicere. Quam dignitatem adeptus, aut ad eam obtinendam aspirans, dignitates, quas homines admirantur, & tantis laboribus, imò & tantis peccatis sæpè ambiunt, tamquam vilissimas & abiectissimas derelinquit. Ille ex tota fortitudine diligit, qui vt amoris vacet affectibus, nimias amicitias & ineptas familiaritates fugit, & tamquam passer solitarius in tecto, hoc est, in secreto suæ cellæ viuit, & solum vnum amicum, & hunc valdè intimum & familiarem, nempe Christum habere contendit. Primus námque parens Adam, ne cõtristaret Euam comparem suam, à Dei amore, & obedientia discessit, & sic multi religiosi (proh dolor) ineptissimis amicitiis decepti, pro vanissimo amore eorum, quos amant, regulã calcant, patrum instituta proterunt, & (quod iniquius est) Dei præcepta transgrediũtur, & à debita obedientia & fidelitate desciscunt. Ille ex tota fortitudine diligit, qui dolores corporis, ægritudines, & suæ carnis molestias patienter, & alacriter tolerat, non tantùm si crucient, & affligant, sed etiam si (vt sibi videtur) animę profectũ & pios pro Christo labores susceptos impediant. Ita aliquãdo sentit homo inferior, sed homo, superior melius sapiẽs, & magis illuminatus, illud animæ profectui iudicat vtilius, quod Deus ardẽtissimus amator noster, & nostram perfectionem in infinitũ plusquàm nos sitiens, sapienter & amãter immittit. Quare sicut vrsus mel diligẽs (vt egregiè dixit Thomas Aquinas) nec verberibus, si immineãt, nec spinis, si interponãtur, ab alueario potest auelli; ita ardẽs amator Dei, nec ægritudinis verbere, nec spinis dolorũ, & molestiarũ debet à dulcedine diuinæ volũtatis, & à vera resignatione separari.] Et sic ostẽdit exẽplo (vt inquit Ambrosius) quia operationes virtutis, non impediuntur debilitatibus corporis, sed augentur, neque splẽdore generis, aut propinquorum subsidiis, aut opibus, sed bono cõmendantur affectu.] Sic ille & verè. Quoniã licet ægritudo quibusdam virtutis actionibus obstet, quę per corpus exercẽtur, amori tamẽ, & charitati, & resignationi nõ obstant, quæ pro omni virtute est, & cunctarum virtutũ mirabili modo supplet actiones.

1. Cor. 4.

2. Cor. 6.

Genes. 3.

D. Thom. opusc. de amore Dei c. 24.

Amb. lib. 6. de Iacob. c. 8.

Tãdem ille diligit ex omni fortitudine, qui paratus est mortẽ violẽtã & immaturam pro Christo, & pro amore innocẽtiæ subire, & mortẽ naturalẽ instãtem, quoquomodo adueniat tolerare. Nam licèt animus trepidet, & corpus vitæ discessionem exhorreat, voluntas tamen diuinæ voluntati subiecta, & desiderio æternitatis animata, æquanimiter hominis cõditioni subiicitur, & viam omni carni assignatam ingreditur. Christus Saluator noster huius dilectionis ex tota fortitudine, iamiã iturus ad mortem dedit exẽplum: qui tormentorum secundum portionem inferiorem acerbitatẽ timens, & cõtumeliarũ indignitatem metuens, & terribilissimæ mortis præsentiam molestè ferẽs, sãguine in horto sudauit, & Patrẽ pro sua liberatione exorauit, dicẽs: Abba pater, omnia tibi possibilia sunt, transfer calicem hunc à me.] Hæc quidem oratio susceptæ fragilis naturæ fuit, sed quod statim

Marc. 14.

sequitur, fortis & robustæ charitatis: sed non quod ego volo, sed quod tu.] Ab hoc fortis amoris præceptore, martyres acceperunt, quomodo deberent tormenta perferre, & amabilem hãc vitam pro alia meliori, & amabiliori deserere. Et ab eodẽ charitatis magistro perfecti didicerũt, timores nimios mortis cohibere, tristissimã mortis faciem hilari, aut saltẽ animosa facie respicere, & eius immedicabile vulnus, potẽti dilectione superare. Merito proinde de ea in canticis dictum est: Fortis est vt mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio.] Fortis vt mors, quia mortem pro Deo alacriter suscipiendo, ipsam mortem vincit, & morientes à morte naturali, in vitam immortalem, & semper duraturam adducit. Fortis vt mors (inquit Augustinus) nam quomodo mors violentissima est ad auferendum, sic charitas violentissima est ad saluandum; imò & fortior morte, quia & verã mortẽ scilicet graue peccatum, in nobis occidit, & ipsi peccati morti verba vitæ auctoris vsurpans, minitatur, dũ dicit: O mors, ero mors tua.] Sed si fortior morte charitas, quare solũ dicitur fortis vt mors? Certè (respõdet Bernardus) quia ipsa mors est, & seipsa fortior esse nõ potest. Bona mors, nõ vitę, sed mortis. Bona mors, & nequaquã abhorrenda, quæ vitam, etsi adimit, non perimit. Adimit quidẽ sed ad tempus, restituẽdam in tempore, duraturam sine tẽpore.] Illa igitur charitas, quę ita fortis est, vt omnia bona potenter sectetur, & omnia mala, & aduersa pro Deo summè dilecto sustineat, non potest aliud esse quàm ipsa vitæ nostrę perfectio. Quid námq; deesse poterit talem charitatem habenti? Sanè nihil; cùm ita sit in omnibus virtutis bonis radicatus, atque fundatus, vt nec turbinibus tentationum perturbetur, nec imminentibus aduersitatum procellis frangatur, nec ipsa morte omnium terribilissima à bono & honesto separetur.

Cant. 8. *Aug. ad Psal. 47.* *Osea 13* *Ber. epist. 42.*

Domine Deus meus, fortitudo mea, firmamentum meum, refugium meum, & liberator meus, qui vt te fortitudinis auctorẽ ostẽdas, soles imbecillissimis & fragilissimis creaturis tuis (quales sumus omnes homines) robur, & firmitatem ad magna sustinenda tribuere, & incomparabilem fortitudinem ad importabilia aduersitatum onera ferenda donare: Conuerte oculos benignitatis tuæ ad hunc peccatorem, corpore & mẽte omnium fragilissimum, & conforta me, vt te summum bonũ meum, non solùm dulciter & prudenter amem, sed etiam fortiter diligam, & pro amore tuo humeros laboribus, ac pressuris subijciã. Filius tuus, & Deus meus, ô Pater amantissime, pro me terribilia sustinuit & mortẽ acerbissimam tolerauit: hic igitur mihi concedatur honor, hæc mihi detur cõsolatio, vt pro eo aliquid aduersi sustineam, ipsum flagellatus sequar, & post ducem meum sanguine rubricatus, & laboribus laureatus incedam. Da mihi Domine virtutũ dator largissime, vt paupertatẽ amem, & omnes sęculi diuitias cõtemnam, quia tu solus mea abundantia es. Da vt vitæ asperitatem diligã, & voluptates, ac delicias auerser; quia tu mea purissima delectatio es. Da vt infimũ semper locum consecter, & obedire magis, quàm imperare cupiã, & omnes mundi honores detrectẽ, quia tu meus honor verissimus, & dignitas es. Da (vt quod ad me attinet) solus esse velim, & nullius rei amorem ineptum admittam; à nullo nimis amari, aut æstimari appetam; quoniã tu mihi sufficis, qui verissimus amicus, & fidelissimus Dominus, & Pater es. Da vt flagella tua, quæ iamdiu in corpore meo porto, pro te libenter amplectar, & fœtidæ carnis sanitatẽ aspernẹr; quia tu mea iucundissima salus es, Et concede tãdem, vt paratus sim pro te mori, & vitam hanc mortalem, quã mihi tribuisti tibi, cùm iusseris, restituere; quia tu mea immortalis, & æterna vita es. Creaturæ Domine Deus meus me deserant, me derelinquant, à corde meo, & ab affectibus meis fugiant, vt tu solus me habeas, me possideas, vt me in amore, & charitate perfecta dulcissimo filio tuo similem facias (qui vsque ad mortem dilexit me, & verum ac fortem tui amatorem constituas. Amen.

PARS TERTIA.

De Altera perfectionis parte, scilicet de charitate proximi.

A CHARITATE erga Deum ad charitatem erga proximos descendamus, quæ nos faciat vndequaque perfectos. In cuius tractatione eadem erit procedendi ratio, vt quid ipsa in se sit, quos effectus pariat, & quomodo sit in literis diuinis præcepta, inuestigemus. Post hæc verò, nonnulla documenta subnotabimus, quæ interim dum reliquas partes huius operis cudimus, ad assequendam vtramque Dei & proximi dilationem diuina adiuuante gratia proficiant.

Perfectionis substantiam, etiam in fratrum charitate consistere: Et primò quid sit fraterna charitas.

CAPVT XXIII.

HVCVSQVE de perfectione egimus, qua ratione nos iungit Deo, vltimo fini nostro; nunc de eadem, quatenus nos iũgit vtrisq; Ecclesiæ membris tam triumphantis, quàm militantis ac omnibus hominibus, differamus. Licèt enim vna eadémq; perfectio, siue vna eadémq; virtus perfectæ charitatis sit, qua cõplectimur Deũ propter seipsum, & proximos propter Deũ; quia vna, eadémq; bonitas diuina, licèt non eodem modo participata, in Deo, in proximóq; cõspicitur; tamen duo actus ab hac virtute profecti; alter quo Deũ, alter quo proximũ diligimus, sunt, si non natura saltem modo, & qualitate distincti. Quare separatim exponendi sunt, & maioris distinctionis gratia, vt maioribus, & minoribus cõsulamus, seorsum sigillatimque tractandi. Ne autem in ambiguo laboret orario, principiò quid fraternę charitatis nomine intelligamus, aperiendum est; inde autem facilè eliciemus, quæ fraterna charitas initium, aut profectus perfectionis sit, & quæ ad ipsam substantiã perfectionis pertineat. Quam cùm pro ratione instituti nostri solùm inquiramus, non sunt ab hoc loco vniuersa petenda, quæ ad huius

præstan

præſtātiſſimę virtutis cognitionē ſpectant: ſicut nec omnia quæ dici poſſent ad cognitionē charitatis Dei explicata ſunt; ſed ea duntaxat, quæ ad perfectionis naturam exponendam videntur neceſſaria, ſunt à nobis poſtulāda. Cùm autem fraterna charitas duas notiones ſortiatur; alteram qua voluntatis habitum, aut manētem affectionem; alterā qua motū ſiue actionem à voluntate, & ab habitu profectā ſignificat, hic nihil de habitu charitatis fraternæ dicendum eſt, qui idē prorſus eſt (vt iā diximus) cum habitu, ſiue virtute charitatis Dei, ſed tātùm actio ipſa ſiue dilectio fraterna eſt à nobis propalanda. Ex actionibus nāq; quibus Deū propter ſeipsū, & proximos diligimus propter Deū, ſatis ſuperq; nobis ipſa charitatis virtus cognita eſt, qui hoc opere nō naturas rerū inquirimus, ſed mores noſtros cōponere, & informare curamus.

Dilectio igitur fraterna eſt, motus voluntatis charitate formatæ, quo proximis nobiſcū diuinę bonitatis, & cæleſtis gloriæ cōſortibus, volumus bonū propter Deū. Qua breui definitione omnia ad cognitionē fraternæ dilectionis neceſſaria præſtāda ſunt, quibus explicatis elucebit quanta ſit dilectionis pręſtātia, digna ſanè, quę naturę perfectionis adiūgatur, & actibus ab ipſa perfectione immediatè profectis annumeretur. Dilectio enim iſta eſt motus, id eſt, actio, ſiue affectio volūtatis, non alia profectò, quàm amor; ex quo tū eius dignitas, tum eius ſuauitas repetitur. Quid enim dignius amore, quē (vt philoſophorū nūcupationes relinquamus) Dionyſius diuinum vocat. Auguſtinus, virtutū omniū originē: Gregorius pigrarū mentiū excitatorem: Hieronymus buccinā, ſeu lituū in auribus iuſtorū inſonātem: Chryſoſtomus affectū omnia ſuperātem: Baſilius noſtræ naturę maximè propriā affectionem: Bernardus nexū perfectiſſimum: Et tandē Leo Papa, virtutem & ſapiētiam fidei Chriſtianæ nuncuparunt? Quid dignius amore, cuius pennis omnia creata ſiue viſibilia, ſiue inuiſibilia ſupergredimur, & ad Dei conſpectū, imò, & cōplexum volamus; cuius præſidio, nō hos, aut illos tantùm, ſed homines vniuerſos cōplectimur; cuius iuuamine ad omne virtutis genus roboramur, & ab omni fœditate peccatorū auellimur? Amor quippe ille, qui terrenis inhæret, & vetita, ac prophana ſectatur, ſi rerū naturas inſpicias, amor quidem eſt, quia pondus mētis in vilitatē amatam; ac ſi rationem, ac virtutis opinionem aduertas, & Dionyſij Areopagitæ ſententiā cum debita veneratione ſuſcipias, non eſt verus amor, ſed fucata quędā amoris imago, aut potiùs à vero amore defectio, atq; prolapſio. Quid etiā amore ſuauius; qui ipſamet ſuauitas, & dulcedo eſt, rigida inflectēs, dura illiniens, & inſipida in ſapida, & dulcia commutans? Ipſe eſt qui difficilia, facilia facit, intractabilia, blāda, & mollia reddit, & inacceſſa, atque pręrupta, in plana, & ſecura cōuertit. Seruit Iacob pro Rachele ſeptem annis, & pauci illi videbantur præ amoris magnitudine.] Quando enim quis ſaucietur charitatis deſiderio (inquit Chryſoſtomus) nihil difficile ſpectat, ſed id quod fuerit plenum periculis, & multa miſeria, leuiter fert, ad hoc vnum videns quomodo ſuo potiatur voto, & deſiderio.] Et Gregorius. Quid leuius, aut vmquam gratius, quam amor fertur? Quid præterea graue non leuiter tolerat, qui amat? Quidquid enim diligitur, cum magna deuotione portatur.] Eſt itaque dilectio fraterna voluntatis motus, voluntatis pōdus, & inclinatio, voluntatis amor, & vel eo ſolo nomine, eſſet à nobis, qui amore conſiſtimus ſummis votis, ac deſideriis amplexanda.

Sed non à ſola, & nuda voluntate (quod alia huius dilectionis perfectio præſtātiſſima eſt,) ſed à virtute charitatis informata, atq; veſtita, in opus fraterna dilectio producitur. Hic nāmq; nomine dilectionis fraternæ nō intelligimus amorē naturalē, quo homines mutuò ſe diligunt propter ſolam ſimilitudinem, aut cōmunionem in natura fundatā (nec enim iſte amor tātus eſt, vt ad ſanctitatem, & perfectionē pertineat) ſed amorem ſupernaturalē, ſupernaturalium bonorū cōmunicationi ſubnixū, quo hominem, vt Dei imaginem gratiæ, & gloriæ participem, in Deo, & ſolius Dei gratia diligimus. Hunc autem amorem, nō à ſola voluntate, ſed à virtute charitatis, & à ſupernaturalibus auxiliis manare apud omnes in confeſſo eſſe debet. Nam, cùm ſit ſupra naturā humanam ad ſeipſam & ad propria commoda diſtortè conuerſam, diligere proximum ſine vlla vtilitatis, aut voluptatis ſpe, propter ſolum Deum, & ipſi proximo bona ſupernaturalia velle, & ad ea cōſequenda efficaciter (data opportunitate) iuuare, & nullū malum, nullámq; iniuriam inferre (quæ omnia dilectio fraterna continet) ſit, vt neceſſaria ſit naturæ noſtræ ſupernaturalis virtus, cuius ſubſidio roborata, & à propriis commodis quib. inhiat, educta, valeat ſuauiter, & (vt Theologi aiunt) connaturaliter, actionem tam inſignem, & hominis infirmas vires, ſuperantem præſtare. Hæc verò virtus non poteſt alia eſſe, quàm charitas, quæ ſicut diligit Deum propter ſe, ita diligit proximū propter Deum. Nam ſi eodē amore amicum, & res omnes amici proſequimur, eodē etiā Deum, & eius ſeruos, & filios, & imagines propter Deum amemus, neceſſe eſt. Mādatū certè dilectionis proximi ſimile vocatur à Domino, maximo ac primo mādato dilectionis Dei. Secūdum (inquit) ſimile eſt huic: Diliges proximum tuū ſicut teipſum.) Quare ſimile? Niſi quia ſimilē dilectionem, nempe ſupernaturalem, & à charitate profectā, & verè actionem charitatis iubet. Nō ergo à ſola voluntate, ſed ab ipſa, charitatis dono informata procedit. Quia ſicut ſplēdor à luce, & calor ab igne, & opus rationis ab homine; ita opus charitatis, non ab alio, quā à charitate dimanat. Et ideò ab his duobus mādatis dilectionis Dei & proximi, vniuerſa lex pendet & prophetæ,] quia vtriuſque impletio à charitate, & gratia pendet, quæ potēs eſt omnē legem implere, & omnia pręcepta in prophetis cōtenta ſeruare. In quā ſententiam Gregorius: Quid debemus intelligere per nuptialē veſtē, niſi charitatem? Intrat etiā ad nuptias, ſed cum nuptiali veſte nō intrat qui in ſancta Eccleſia aſſiſtens, fidem habet, ſed charitatem nō habet.] Et poſt pauca: Sciendū verò eſt, quia ſicut in duobus lignis, ſuperiore videlicet & inferiore, veſtis texitur; ita in duobus præceptis charitas habetur, in dilectione ſcilicet Dei & proximi.] Et ad idem Auguſtinus charitatē definiēs, ait: charitatem voco; motum animi ad fruēdum Deo propter ſeipſum, & ſe, atq; proximum propter Deum.] Et alio loco multis in hanc ſententiam vberrimè explicatis, ita manifeſtè concludit: Nec illa iam quæſtio moueat, quantùm fratri charitatis debeamus impendere, quantum Deo; incomparabiliter pluſquàm nobis, Deo; fratri autem quantùm nobiſipſis. Nos autem ipſos tantò magis diligimus, quantò magis diligimus Deum. Ex vna igitur eadémque charitate, Deum proximúmque diligimus; ſed Deum propter Deum, nos autem & proximum propter Deum.] Quanta itaque, & quàm pretioſa eſt fraterna dilectio, quæ ſoror indiuidua dilectionis Dei eſt, ab eodem fonte procedit, & eandem charitatem ſupernaturalem virtutem, & omnium præcipuam matrem, ac principium agnoſcit?

Quos autē reſpicit fraterna dilectio? In quoſnā tēdit? In proximos, Et qui ſunt proximi? Nō parētes tātùm, non vxor, non fratres; nō cōſanguinei, nō amici non conciues, non alij, aut inſtituto, aut ſtudiis, aut

Dion. lib. de cæleſt. Hier. c. 2. Aug. lib. de moribus Eccl. c. 15. 16. Greg. lib. 6. mor. c. 17. Hier. epiſtola 26. Ad Pammach. c. 4. Chryſ. hō. 64. ad populū Antioch. Baſil. ora. 1. de amore erga Deum. Bern. ſer. 83 in cāt. Leo ſer. 7 quadrag. Dion lib. de diuinis nom c. 4. ad medium. Geneſ. 31. Chryſ. hō. 55. in Geneſ. Gregor. Mat. 22 Ibidem. Greg. hō. 38. in euang. Aug. lib. 3. de doctr. Chriſt. c. 10. Aug. 8. de Trin. c. 8.

societate coniuncti;sed omnes prorsus homines præteriti, & præsentes, & futuri,amici, & inimici, qui æternæ fælicitatis capaces sunt.O magna virtus dilectionis,cuius sinus in tantùm dilatatur, vt vniuersos homines capiat,& nulli quantũuis à se lege,aut moribus, aut conditione dissitum, aut tamquam extraneum, aut alienum respiciat? Huius autem rei ipsum auctorem veritatis audiuimus attestatorem,qui validissima argumẽtatione ab effectu desumpta,quẽdam legis peritum ad id afferendum,& confitendum adegit.

Luc. 10. Quis horũ trium(inquit)scilicet sacerdotis,Leuitæ,& Samaritani,videtur tibi proximus fuisse illi,qui incidit in latrones?Et ille. Qui fecit misericordiã in illum.]Iste verò,qui misericordiã fecerat,erat Samaritanus. Si igitur Samaritanus Iudæo,id est,inimicus inimico, & hostis hosti proximus est,quid sentiẽdum erit de aliis, qui hostes non sunt,quantumuis aut genere, aut gente, aut alio quouis modo dissideant,nisi quod omnes sunt,sine vlla exceptione adinuicẽ proximi?Et quidẽ ipsum nomẽ proximi hoc idem apertissima ratione demõstrat. Quod tamquam duorum, aut plurium vicinitatem,vel propinquitatẽ significat. Sunt verò inter omnes homines tot,ac tantę propinquitates,vt manifestissimum sit eos iure optimo fratres,ac proximos nuncupare. Nã(vt à naturalibus incipiamus) est in omnibus hominibus naturæ propinquitas; quia omnes sunt homines, sensus,rationis,& liberi arbitrij participes. Est propinquitas perfectionis;quia omnes referunt Deum,& sunt ad imaginem eius effecti. Est propinquitas generis,quia omnes ab vno primo patẽ:e sunt procreati.Et tandem propinquitas cõditionis, quia omnes eodẽ modo nati,eisdẽ alimentis enutriti,similibus curis fatigati, eidẽ morti obnoxij,ac eisdem calamitatibus & miseriis subiecti. Quod Salomon omnium regum sui tẽporis potentissimus, confiteri non erubuit.

Sap. 7. Sum quidem & ego inquit) mortalis homo,similis omnibus,& ex genere terreni illius, qui prior factus est,& in ventre matris figuratus,sum caro,decẽ mensiũ tempore coagulatus sum in sanguine,&ex semine hominis,& delectamẽto somni conueniente. Et ego natus accepi cõmunẽ aërem,& in similiter factã decidi terram, & primam vocem similem omnib.emisi plorans. In inuolumentis nutritus sum,&curis magnis.Nemo enim ex regibus aliud habuit natiuitatis initiũ. Vnus ergo introitus est omnibus ad vitam,& similis exitus.]Hæc naturalis proximatis bene cõsiderata, atq; perpẽsa,efficax satis est, vt omnes homines fratres & proximos reputemus,eorúmq;miseriis, si possumus, subueniamus; si nõ possumus,illis ex animo compatiamur. At aliã habent homines propinquitatẽ maiorem, quæ à dono diuinæ gratiæ promanat. Omnes námq; actu, vel potestate filij sunt Dei,qui genuit quosdã & paratus est alios generare,verbo veritatis. Omnes namq; actu vel potestate membra sunt Christi. Quibusdam enim, scilicet fidelibus dicit Paulus:

1. Cor. 12. Vos estis corpus Christi, & membra de membro:] & rursus alio loco.

Ad Phil. 3. Quia mẽbra sumus corporis eius,de carne eius,& de ossibus eius.Alios autem,scilicet infideles,Isaias gentium vocationem prædicens,non solùm fideliũ proximos,sed manifestè fratres appellat, illis verbis:

Isa. 66. Et annunciabunt gloriam meam gentibus,& adducent omnes fratres vestros de cunctis gentibus donũ Domino in equis,& in quadrigis, & in lecticis & in mulis,& in carrucis ad montem sanctum meum Hierusalem,dicit Dominus;quomodo si inferant filij Israël munus in vase mundo in domum Domini.] Omnes deniq;aut in Ecclesia sunt,aut ad Ecclesiã vocantur: Omnes aut spiritu fidei,& charitatis reguntur;aut ad hunc spiritum accipiendum inuitantur:omnes à Deo

A diriguntur, quod ad ipsum attinet, cùm velit omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire,] & omnes sunt gratiæ & vitæ æternæ capaces. 1. Tim. 2.

Nullus ergo homo est, qui possit à cõsortio & societate nostra segregari, aut ab appellatione proximi,& fratris excludi.Quare non minus verè, quàm pulchrè dixit Leo Papa:Charitatis pietas perfecta esse nõ potest, nisi diligatur & proximus. Leo. ser. 2. de ieiun. 10. mensis. Quo nomine non ij tantùm intelligendi sunt,qui nobis amicitia,aut propinquitate iungũtur,sed omnes prorsus homines, cũ quibus nobis natura cõmunis est, siue illi hostes sint, siue socij,siue liberi,siue serui;Vnus enim nos conditor finxit;vnus nos creator animauit, eodẽ cuncti cœlo & aëre iisdẽ vtimur diebus &noctibus.]Et Augustinus:Proximus est autẽ omnis homo. Aug. ser. 50. de tempore. Omnes proximi sumus conditione terrenæ natiuitatis;& mortalitatis,& etiam spe cælestis hæreditatis; quia nescimus

B quis quid futurus sit,quãuis sit aut Iudęus,aut hęreticus,aut paganus.Fortè enim per misericordiã Dei cõuertetur ad Deũ, & inter sanctos primũ locũ habere merebitur.] Et Prosper Regiensis Episcopus. Prosp. lib. 3. vita cõtempl. c. 15. Neque enim ideò proximũ tamquam seipsum diligit quisq;, quia sibi frater, aut soror,pater, aut filius, mater,aut filia, nepos, aut neptis est. Carnaliter quippe amat, qui taliter amat: Quoniã nõ illi tantùm proximi nostri credendi sunt,quos nobis gradus sanguinis iũgit; sed proximi nostri credendi sunt omnes homines naturæ nostræ participes.] Et multa alia similia sunt apud Patres. Ex his autem constat, non solùm quàm magna,& pulchra sit dilectio fraterna;sed etiã,quàm

C sapiens, ac prudens sit.Quid enim sapientius quàm fratrem amare? Quid prudentius, quàm alterum amore,ac dilectione complecti? Nam si ridiculus esset (vt Chrysostomus annotauit) Chrys. hom. 14 in Ioã. qui percontaretur vnde secum esset familiaritas, vnde propinquitas,& quare seipsum deberet diligere: Ita ridendus esset, qui interrogaret,vnde sibi propinquitas esset cum proximo, aut quare deberet diligere proximum. Eadem námque hic intercedit causa,nimirum quia frater meus est, quia non alienus à me, nec extraneus, sed verè alter ego est.]

Sed quæ bona, fraterna dilectio proximis ac fratribus vult? Certè primo loco vera,& non fucata bona, bona spiritualia, bona cælestia, bona diuina. Huius enim sanctissimæ & castissimæ dilectionis est,amare,

D ac velle fratribus illud summum bonũ scilicet beatitudinem, cuius adipiscendæ causa creati sunt, & ea subsidia,nempe gratiam,charitatem, virtutes omnes, & dona, quæ fratres in hanc beatitudinem prouehũt, & fælicitatis ianuas aperiunt. Ego(inquit quidã huius dilectionis amator) libentissimè impendam,& superimpendar ipse pro animabus vestris.] 2. Cor. 12. Moriar inquã,& vitam meam intrepidè & alacriter profundam vt vos iusti, & sancti,& Deo fideles effecti salutem æternam consequamini.Huius dilectionis est,in veris proximorũ bonis gaudere, nec non de malis ac peccatis vehementer angi,atque tristari. Exultat planè si videat in eis iniquitatis odium,virtutis amorem, simplicitatis affectum,desiderũ puritatis. Dolet verò,& cruciatur, si eos veris malis subiacere, vitijs ac pecca-

E tis sordere, & dæmonis fraudibus decipi, ac fascinari consideret. Vox namq; dilectionis est illa, quã protulit Paulus: 1. Thes. 3. Consolati sumus fratres in vobis,in omni necessitate & tribulatione nostra per fidem vestram,quoniam nunc viuimus, si vos statis in Domino.] Hæc dilectio est, quæ laborat, atque vexatur,vt quos diligit (diligit autem omnes) exemplis alliciat,doctrina instruat,à minimis etiã defectibus arceat,omnibúsq; modis iu culmen sanctitatis efferat. Fit infirmis infirma,vt omnes lucrifaciat; omnibus

omnia facta est, vt omnes saluos faciat. Proprias rescecat volũtates, & eligit omnibus obedire, vt cũ omnibus concordiã, pacémq; custodiat. Ac tandem hoc summopere curat vt animas à peccatis abducat, & ad vniuersorũ Creatorẽ conuertat. Deinde vult fraterna dilectio, & donat fratribus, quãtùm potest, bona tẽporalia. Nec enim putandum est virtutem hanc esse tam auaram, & parcam, aut potius tam acerbã & durã, vt spiritualia tantùm bona fratribus velit, & tẽporalia, aut subtrahat, aut deneget. Quinimò hęc quoq; proximis amat, & ni facultas desit, affatim tribuit, quatenus ad alia maiora, & vera bona, aut necessaria, aut vtilia iudicat. Ideóq; Scriptura sacra charitatis fraternæ magistra, homines, non semel, sed sæpe ad bonorũ temporalium largitionẽ inuitat. *Isa. 58.* Isaias ait: Frange esurienti panem tuum, & egenos, vagósq; induc in domũ tuam: Cùm videris nudum, operi eũ & carnẽ tuam ne despexeris.] *Tob. 4.* Tobias autẽ ita filiũ monet: Noli auertere faciẽ tuam ab vllo paupere, quomodo poteris, ita esto misericors.] *1. Thes. 5.* Et Paulus: Corripite inquietos; Cõsolamini pusillanimes, suscipite infirmos; Patientes estote ad omnes.] *Coloss. 3* Ac rursus alio loco: Induite vos sicut electi Dei sancti; & dilecti viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatẽ, modestiam, patientiam, supportantes inuicẽ, & donãtes vobismetipsis, si quis aduersùs aliquem habet querelam.] Quid hæc omnia, nisi corporalem beneficentiam, & temporalia subsidia designãt? Quamobrem, qui non fictè diligit, vult fratri corporis incolumitatem, castã lætitiam, & mentis voluptatem: optat ei bonũ nomen, honorem, & splendorem apud homines, si hæc, aut ad virtutem cõferant, aut bonis moribus non repugnent. Laudat bona opera, dissimulat, & sustinet mala, quorum remedium à Deo enixè postulat, & his ad quos attinet, adhibẽdum reliqui. Satis enim euidens est simulatæ dilectionis indiciũ, si fratris corporalem salutẽ spernas; si eius quietem, & tranquillitatem nihil pendas, si defectus ab eo occultè cõmissos, in medium proferas; si liberè, & procaciter detrahas; si irrideas, si exaggeres; si nec leuẽ iniuriam, nec minimũ verbum in te prolatũ, patiẽter sustineas. Video matrẽ filij molestias dissimulantem, iniurias sustinẽtem (sustinentẽ dicam, an amantem.) Iam infantem manibus gestat, iam eius sordes lauat, proprio cibat lacte, induit pannis, cantilenis sopit, consopitũ inspicit, amplectitur, deosculatur: Deinde cùm expergiscitur, infantuli vagitus tolerat, ictus dissimulat, si faciem matris vngulis aret, si oculos feriat, si genas percutiat, si capitis tegmen discerpat; omnia perpetitur, quia amoris funibus vincta tenetur. Quędã amoris naturalis scintilla in præcordiis matrũ accensa, hęc omnia sufferre incõmoda, quid itaque faciet amor ille diuinitus infusus, quo iusti se mutuò amant, vt Christi amorem imitentur? Quas hic amor molestias nõ sustinebit? Quod si non patienter ferr, sed vanis persuasionibus intepescit, defectulis proximorũ frangitur, aura verbuli extinguitur, proculdubiò, aut nõ est amor, aut satis tepidus, & delicatus amor. *Gregor. ho. 15. in Ezech.* Sapiẽter námque dixit Gregorius: Quantũ lata mẽs fuerit per amorẽ, tantùm erit patiẽs per longanimitatẽ: Nã tantùm quisq; portat proximũ, quantùm amat; si enim amas, portas; si desistis amare, desistis tolerare: Quẽ enim minùs diligimus, minùs etiam toleramus, quia irruente fastidio, citiùs facta proximi adducũtur in grauedinẽ põderis; quæ nobis nõ leuiat penna charitatis.] Dilectio igitur fraterna, quę virtus quædã generalis est, omnia bona tã spiritualia, quàm tẽporalia complectitur, eorũmque possessione, si vtile ad salutem videatur, fratres dilatare, & amplificare conatur; quia sicut nullum quantumuis inimicum reiicit, ita nullum bonorum genus, dummodũ adiumento sit fratri, à gremio suæ operationis excludit.

Tandem frater diligendus est, & bona ei opranda, & præstãda sunt, non propter aliũ finem, nisi propter Deum. Charitas enim, cùm virtus Theologica sit, nõ solùm versatur circa Deũ, ipsumq; vt propriũ obiectum respicit, verũ nec habet aliũ finem proximũ, & sibi quasi naturaliter debitũ, nisi Deum. Virtutes aliæ habent proximos fines creatos, quorũ gratia in opus procedũt. Paupertas contẽnit vniuersam mundi substantiã, vt diuitias perfectionis, & charitatis inquirat: Castitas à carnis voluptatibus tẽperat, vt purissimas spiritus delicias assequatur: Obedientia propriã resecat voluntatem, vt opere exequatur diuinam. At charitas amat, non vt perfectionẽ quærat, non vt cõtemplationis dono delectetur, non vt aliquid aliud, licèt bonũ, faciat; sed vt Deo ipsi inhæreat, & eũ scopũ, ac finem suæ actionis respiciat. Si ergo dilectio fraterna opus est charitatis, nõ aliũ finem, quàm ipsum Deum habeat, necesse est; & sicut in proximo diligit Deũ, ita non diligit eũ propter Deum. *Hugo.* Quod quomodo fiat, Hugo Victorinus, pulcherrima similitudine ostendit. Si mel dulce est (inquit) dulcis est fauus: si mel diligis, & fauũ receptaculũ mellis: sed mel propter seipsum diligitur; fauus verò propter mel. Et si fortè videris fauũ melle carẽtem, doleas vacua esse receptacula, & cupis ibi mel esse, quod diligis. Ita & Deũ dilige, quia dulcedo est ipse, & bonitas; & veritas. Proximũ autẽ dilige, quia receptaculum est dulcedinis, bonitatis, & veritatis, & hoc in ipso dilige, & propter hoc ipsum.] Itaq; fraterna charitas in proximo diligit Deum, quia diligit eũ, vt Dei imaginem, vt bonorũ cælestium, & supernaturaliũ capacem, & diligit non proper alium quam propter ipsum Deũ. Nã sicut imaginẽ honore prosequimur, non quia aurea est, vel argẽtea, sed quia repræsentat regem, aut exprimit aliũ virum dignitate, aut virtute conspicuum; ita debemus amare fratrem, non quia est nobilis, non quia diues, non quia doctus, aut literatus; sed quia Deus est in illo, quia est Dei imago, quia bonis cœlestibus insignitus; quia Deus iubet, vt eũ tamquã proximũ diligamus, & velut fratrẽ amemus. *Gregor. hõ. 38. in euang.* Nã si quis (ait Gregorius) quẽlibet amat, sed propter Deũ nõ amat, charitatẽ nõ habet, sed habere se putat.] Quod si & nosipsos ex charitate diligamus, debemus non propter nos, sed propter Deũ ipsũ diligere, vbi dilectionis nostrę rectissimus finis est; & vt fratrẽ ex virtute charitatis amemus, propter eundẽ finẽ, scilicet propter Deũ ipsum, & non propter aliam causam, aut scopum diligamus oportet, quia operibus ab eadem charitate profectis, idem, si sapimus, præfigendus est finis.

Atque hoc prę́stãtissimo ac sublimissimo fine, siue scopo nostræ dilectioni præstituto, Dei charitatem imitamur. *Prou. 16.* Nã sicut omnia propter semetipsũ operatus est Dominus,] ita omnia diligit propter semetipsũ; quare in Deũ tamquã in finẽ fraternã dilectionẽ dirigentes, ipsius Dei sectatores, & imitatores efficimur. *Ephes. 5.* Implemúsque illud Apostoli: Estote imitarores Dei, sicut filij charissimi, & ambulate in dilectione, sicut & Christus dilexit nos.] Hoc deinde fine dilectionis perfectionem assequimur. Vt enim nihil est Deo, aut præstantius, aut sublimius; ita dilectio nullũ finẽ, aut prę́stãtiorẽ, aut sublimiorẽ habere potest, ex quo huius operis, sicut & omniũ aliorũ, gradus perfectionis attenditur. *Basil. lib. de virgin. ad mediũ.* Vnde Basilius egregiè. Quando charitatis ad sponsum gratia diligere deprehenderis fratres; & ad eum, & ad illos integra seruasti charitatis iura, vbi verò eos non sponsi gratia, sed propter seipsos diligere, ex consuetudine cœperis, dilectio tua erga illum, & corrupta prorsus efficitur; falsámque, non veram habes, germanã itque charitatem.]

Hoc præterea fine dilectioné veram ab inani,& noxia discernimus. Quia si diligas fratrem, vt ab eo diligaris, & laudibus,& honoribus extollaris, hoc vanitas est. Vt quid enim vis ab homine aut amari, aut honorari, à quo oblatus honor est sicut fumus, qui statim fugit, & euanescit? Si autem diligas, vt aliquid consequaris, hoc turpe lucrum est; nam inæstimabili pretio amoris tui quæstum facis rei periture,& præmij à remuneratore Deo in veros fratrum amatores decreti, iacturam pateris; si verò diligas vt voluptatem capias, hoc peruersitas est: Castum namque mentis affectũ ad obscænas delicias, & suauitates detorques, & amorem, omnis boni originem, in principiũ iniquitatis,& fœditatis conuertis. Hoc etiã fine dilectioné sanctam à profana seiungimus. Profanus quippe amor est ille, qui Dei oblitus, rebus creatis totus inhæret, sanctus verò est, qui res creatas omnes trãscendés,& in illis Creatoré inquirés diuino nomini consecratur, sanctus profectò amor, qui nos efficit sanctos,& puritatis desiderio voluntates nostras accendit. Sicut enim amor immundus (ait Augustinus) inflammat animã,& ad terena concupiscéda,& peritura sectanda vocat, & in ima præcipitat, atq; in profunda demergit: Sic amor sanctus ad superna eleuat, & ad æterna inflammat,& ad ea, quæ non transeunt, neq; moriuntur, excitat animã,& de profundo inferni leuat ad cælum.] Hoc tandé fine dilectio iusta ab iniusta distinguitur. Quæ enim in Deum non dirigitur, nequaquam ei displicere tinet, vt homini placeat;& facilè domini mandata postponit, vt humana iussa perficiat. At quę in suũ tendit auctorem, vt in malum consentiamus fratri, nullo modo permittit. Nam si frater Dei gratia diligitur, non est in his rebus obediendũ ei, quibus ira Domini prouocatur. Sicut enim fidelis seruus, qui vnicam Domini sui filiã, ob solum Domini amorem impensè diligit, nulla ratione illi in his obtemperandum putat, quæ suus est herus molestissimè laturus, sic & sanctus fratrum amator, qui solum Deum dilectionis suæ finem intuetur, non est fratribus adiumento in his, quæ Deo non placent, suáque lege prohibuit. Talis ergo, qualem descripsimus est proximorum dilectio; quam deinde fraternam charitatem appellabimus, charitatis nomẽ more Patrũ, à virtute ipsa ad virtutis opus, siue actionem deriuantes. Quæ quidem, cùm se in supremũ sui gradum extulerit; pars perfectionis est, & simul cum dilectione Dei totam vitæ spiritualis perfectionem complet. Istum autem supremum charitatis fraternæ gradum, nunc inuestigare, & explicare conabimur.

Non omnem fraternam charitatem perfectionem esse.

CAPVT XXIV.

SICVT charitatis Dei diuersas partes, gradúsque distinximus, & in supremo illorum perfectionem constituimus, ita charitatis fraternæ distincti gradus assignandi sunt, vt in postremo, ac sublimissimo hanc (quæ proximos respicit) perfectionis partem collocemus. Neque enim credendum est, quemuis fraternam charitatem habentem esse perfectum, sed illum, qui cumulatè, & perfectè eandem obtinuerit, & supremum diligendi proximum Dei causa; gradum attigerit. Nam si in aliis disciplinis hunc disciplinam tantùm gustare cæpisse, illum verò mediocriter profecisse, alium verò ad culmen scientiæ peruenisse putamus, cur in charitatis fraternę disciplina, quæ ordinem, non tam sciendi, quàm faciendi habet, easdem profectus differentias non assignabimus; ita scilicet, vt in hac præstantissima virtute quemdam incipientem esse, quemdam verò proficientem, alium autem perfectũ existimemus? Sed hos charitatis fraternæ gradus, quibus ad hanc perfectionis partẽ conscenditur, nõ est facile assignare. Enimverò sanctissimus Bernardus, & in rebus spiritualibus supra quàm credi potest, exercitatus, vniuersam charitaté in quinque gradus distribuit, quorum primos quatuor fratrũ amori, quintũ verò Dei dilectioni cócedit. Est (inquit) amor pius, quo paréţes diligimus. Est amor iocũdus, quo socios diligimus. Est & erga omnes homines amor iustus; erga inimicos amor violentus; erga Deum sanctus, siue deuotus.] Qui statim hos charitatis gradus, pulcherrimè quinq; sẽsibus adaptat;& primũ tactui, postremum visui, tres medios gustui, olfactui, audituíque accommodat vt secundum perfectionem sensuũ, minoré, aut maioré his amoribus perfectioné attribuat. Gregorius verò distinctione quadã magis generali fraternã charitatem in duos tantũ gradus distinguit; quorũ primus amicos diligit; secundus verò se etiã ad inimicos extẽdit. Qualiter (ait) ista dilectio sit tenenda, ipse Dominus insinuat, qui in plerisque Scripturæ suæ sententiis,& amicos iubet diligi in se, & inimicos diligi propter se. Ille enim veraciter charitatem habet, qui amicum diligit in Deo & inimicum diligit propter Deum.] Et hæc sanè charitatis partitio, eò maiori reuerentia suscipienda est, quod in Domini sententia fundatur. Audistis (inquit) quia dictum est; diliges proximũ tuũ,& odio habebis inimicum tuum. Ego autẽ dico vobis; diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos.] Quibus verbis manifestè inter dilectioné amici, & inimici discrimẽ ponit,& quasi duos gradus charitatis fraternæ cõstituit. At vt perfectionis natura pãdatur, hos duos charitatis fraternæ gradus, quibus amicos, & inimicos diligimus, simul acceptos in tres gradus distribuamus,& primũ incipientibus; secundũ proficientibus, tertiũ perfectis assignemus. Et hic tertius gradus erit perfectionis pars, aut simul cum charitate Dei, quam suprà exposuimus, totius vitæ christianæ perfectio.

Primus igitur fraternæ charitatis gradus,& ad incipientes pertinens, ille est, quo amicos,& inimicos ita diligimus, vt nec desiderio, nec opere, nec verbo vllum eis malum, vllãve iniuriã inferamus. Qui enim tam in lege Dei pusillus est, vt inimicis,& sibi calumniantibus, aut persequentibus, graues iniurias inferat, ipsósque odio habeat, & amicos verbis amarulentis afficiat, & prauis exéplis percutiat, necdũ legé Christi custodire cœpit, nec vitam spiritualem acquisiuit. Hunc gradum charitatis primum fecit Beatus Dorotheus, eiúsque meminit in hæc verba. Requirit à te Deus, ne iniuria proximũ afficias, ne percutias, ne obloquaris, ne cõuitieris, ne despicias: & sic sensim benefacere incipis, dũ fratrẽ tuũ curas dulci sermone, dum compateris illi,& cùm re vlla ei opus fuerit, tradideris. Et sic per gradus conscendens, tandem auxiliante Domino ad scalarum summitatem peruenies. Ex hoc enim modico auxilio proximi ad id cõscẽdis, vt optes commodum & vtilitaté eius, sicut tuã:& hoc est diligere proximũ sicut teipsum.] Id ipsum (quod magis est) non obscurè Paulus affirmat. Dilectio proximi (ait) malum non operatur.] Vnde illud profectò sequitur,& illud intelligitur, quæ malum operatur & quæ proximis contumeliam, aut iniuriã irrogat directioné omnino non esse, nec ad initiũ veræ charitatis ascendisse. Sicut enim membrum corporis, quod alia mẽbra inficit,& tabe corrũpit,& prętetea, nec aliorũ mẽbrorũ doloré sentit, nec malũ à se illatũ aduertit, aut ab aliis præcisum, aut stupidũ, aut vita priuatum existimamus; ita hominem aliis proximis, aut opere,

Marginal notes: Aug. in Psal. 121. — Bern. ser. de vna & quinque sensibus animæ. — Gregor. hõ. 27. in euang. — Matth. 5. — Doroth. doctr. 14. — Rom. 13.

aut verbo nocentem, nec id sentientem, nec curantē, planè mortuum, & charitatis vita carentem appellare non extimescimus. Effectus quippe vitæ vitam; & fructus mortis mortem indicant. Quod si in illo homine mortis spiritualis signa conspicimus, quis nobis iure succenseat, si eum non cum viuentibus, & charitatem habētibus, sed cum mortuis computemus? Expende itaque, ó religiose, & seriò tecum cogita, quia omnes alij fratres tui, mēbra tua coniunctissima sunt, & vnū tibi esse eligendū, aut eis nec verbo, nec exēplo nocere, aut à primo gradu, & ab ipso initio fraternæ charitatis excidere. Si verò alicui nocumentū, aut iniuriā intulisti, huiusce mali à te commissi dolorem concipe, vulneri à te facto remediū adhibe, & de cætero à similib. dānis inferēdis abstinere statue, vt primū charitatis fraternæ gradū habeas, & ex illo ad secundū proficientium, & tertium perfectorū gradum ascendas. Esne tu huius corporis oculus, qui scientia Deum inquiris, cōsilio pares, intellectu perlustras, sapientia contēplaris? intermitte igitur paulisper visionem istā tuam, fortassis magis curiosam, quā vtilem, & inspice vulnus pedis, hoc est, infimi fratris à te illatū, quære membro ægroto medicinam. Esne auris audire auens, quid loquatur in te Dominus Deus?] scito itaq; quoniam loquetur pacem in plebē suam, & super sanctos suos; & in eos qui conuersi sunt ad cor.] Præcipiet, inquā, vt audias querelas fratris, quas de te habet sanè iustissimas, & illi satisfacias, quē læsisti. Esne os, cui Deus munus prædicationis cōmisit, sciens quando debeas proferre sermonem verba Dei eructās, vt conuertas corda patrum in filios, & incredulos ad prudentiam iustorū, parare. Domino plebē perfectam:] Ne sis mutus ad medicinam, qui fuisti ad plagam inuerecūdus, & procax: procide ad pedes fratris, prome oleum verborū suauium, quæ plagam leniant, & tumorem depellant. Esne manus, qui charitate permotus, corpori inseruis & ministras mēsis, vt alij vacent orationi, & non relinquant verbū Dei? Aduerte tui esse muneris vulnus curare, & medicamina adhibere, ne membrum à te læsum, id est frater, à te iniuria affectus, vulnere turgeat, & non curatus computrescat. Esne caput alios gubernans ac regens, sensum, ac motū, primùm exemplis, deinde doctrina tribuēs? Ne igitur pedes cōtemnas, nimirum eos, qui tibi subiecti sunt, quia sine pedibus ambulare nō poteris, nec tuas partes agere, nec proteruos in officio cōtinere. Ei quidem, qui aliorum gubernacula non admisit, non fuit probro proclamare & dicere: Nō sum medicus, & in domo mea non est panis, neq; vestimentū:] At tibi qui curā aliorū suscepisti, & homines imposuisti super caput tuum, valde probrosum erit, si tuis præsertim à te læsis, nō medeatis, neq; panem doctrinæ, tum vita tum sermone subministres. Si igitur malum fratris non sentis, siue oculus sis, siue caput, aut quoduis aliud membrum; si dolorem, cùm illius sis causa, nō percipis; signum est, quòd vita perfectæ charitatis non viuis, neq; fratri illigatus es vinculo dilectionis. Est ergo primus charitatis fraternę gradus, ad vitæ spiritualis tirones spectans, quo quis fratres, & proximos membra sui corporis existimans, illis nullum malum, nullámve incuriam infert; & si quam vel leuem intulit, statim sensu charitatis aduertit, & ei curat debita satisfactione mederi: & cum fratre iterum in gratiam redire.

Psal. 84.

Luc. 01.

Isa. 3.

Sequitur hunc charitatis gradū, secundus, qui proprius est proficientium, & ad perfectionem anhelantium, quo tam amicos, quàm inimicos, tam in nos beneficos, quàm maleficos, eo propter Deū amore cōplectimur, vt omne bonū eis desideremus, & cōcessa nobis facultate, bona spiritualia, & temporalia impertiamur. Ad quē gradum sacræ paginę nos non semel inuitant. Alter alterius (inquit Paulus) onera portate, & sic adimplebitis legē Christi.] Quam legem, nisi legem charitatis, quam saluator noster Iesus Christus, suum pręceptum, ac legē propter rationes inferiùs explicādas, appellauit? Et alio loco: Debemus nos firmiores, imbecillitates infirmorum sustinere, & nō nobis placere:] hoc est, non ad nos solos respicere, nec nostrā dumtaxat vtilitatē curare: Et Ecclesiasticus: Nō te pigeat visitare infirmum, ex his enim in dilectione firmaberis.] Et tandem caput Ecclesiæ Petrus: Vnusquisq; sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes, sicut boni dispensatores multiformis gratiæ Dei.] Innumera sunt alia, quibus sacra Scriptura hunc gradum fraternæ charitatis commēdat. Quem Deus ipse nobis nō solo verbo, sed multò magis actione commōstrat. Ille enim verus dilectionis præceptor, atque magister, ita se ad creaturas suas cōparat vt & animę bona, & etiā subsidia corpori necessaria tribuat. Bonorū spiritualiū pręcipuā quidem rationem habet, & ea hominibus à se dilectis maiori diligentia procurat. Nam & eos à vinculis peccatorū dissoluit, affectus inordinatos temperat, sæculi amorē & rerum terrenarum desideria pellit, aduersariorum tentationes vincit, virtutes inserit, natiuā imbecillitatem fulcit, atque aptissima instrumēta proponit, quibus animi assequantur puritatem. Sed bona temporalia non denegat, imò eximia liberalitate, & incredibili cordis dulcedine inter mortales distribuit. Quid enim fuit in sui populi gratiam Ægyptiorum in mari rubro submersio? Quid è silice aquarum largissimatum effusio? Quid illius manuè cælo descendentis & Angelorum manibus præparati benigna administratio? Quid serpentis ænei, vt eius aspectu à serpentibus venenatis liberarentur, erectio? Quid vestium, ne quadraginta annis atterentur, custodia? Quid ducatus columnæ nubis per diem, & lucernæ splendentis per noctem? Quid terræ promissæ largitio, incolarum profligatio, de hostibus insignes victoriæ, regni robur, atque stabilitas? Quid inquam hæc sunt, nisi bona corporalia in corporis vsum, in huius sæculi gloriā, in vitæ temporalis beneficium attributa? Quid etiam sunt cælorū motus, syderum cursus, solis calores aspectúsque benigni? Quid frigora & pluuiæ tēporaneæ atq; serotinæ, vt fruges exoriantur, & maturescant? Quid elementa & ex illis coagmētata corpora mista inter quæ sunt metalla, alia valde necessaria, vt ferrū & æs: alia & necessaria & pretiosa, vt argentum, & aurum, quibus, tū ad artes exercēdas, & multa opera humanę infirmitati proficua, tum ad splēdorem & cultum, diuitiásq; iuuamur? Quid vegetabilia vt olera, & plantæ, & arbores fructiferæ ad cibū, syluestres ad focū, & aliæ robustæ & statura proceræ ad construēdas domos, quibus à temporis iniuria defendimur? Quid animalia mansueta & agrestia, quorum carnibus vescimur, lanis vestimur, & robore ad vectură, ad subigendā terram, ad comportandas merces & ad alias vitæ necessitates vtimur? Quid tandem sunt alia, quę non tā vtilitati, quàm voluptati & iocūditati deseruiunt, vt cantus auiū, flores & lilia camporum, ciborū suauitates, & alia huius generis, quę vt moderatę delectationi seruiāt, creata reperiuntur? Rectè enim dixit Bernardus: Benignū Dominū multa ad sustentationē, alia ad consolationem, alia ad correctionē; & alia denique ad delectationē fecisse.] Quid etiā sunt hæc nisi tēporalia beneficia, corporalia dona, diuinę dilectionis opera, & immensi amoris insignia; illa priora spiritualia bona sanctus Dauid suæ animæ prærogata, magna spiritus exultatione prædicat, & omnibus viribus in gratiarum actionē tripudiat. Be-

Galat. 6.

Rom. 15.

Eccl. 7.

1. Petri 4.

Bern. ser. 14. in psal. Qui habitat.

Psal. 102.

A nedic anima mea Domino (ait) & omnia quæ intra me sunt nomini sancto eius: Benedic anima mea Domino, & noli obliuisci omnes retributiones eius.] Quæ sint autem Domini retributiones & beneficia, subiungit, dicens: Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas,] id est omnia vitia tua, vniuersos affectus inordinatos tuos: Qui redimit de interitu vitam tuam,] dū te à Diaboli captiuitate eripit? Qui coronat te misericordia & miserationibus,] dū virtutibus ac donis exornat: Qui replet in bonis desiderium tuum,] illo nimirū bono, quod Deus est, in quo continentur omnia bona, extra quē nihil est, quod sit bonum. Nunc ex parte repletur desiderium tuū, cum quasi furtiuè gustas quàm suauis sit Dominus; sed tunc omnino replebitur, quando corruptibile hoc induet incorruptionē, & renouabitur vt aquilæ iuuētus tua. Ista verò bona temporalia *Psal. 146.* corpori exhibita, nō prætermittit, sed propter ea alio loco ad laudandum Dominū mortales inuitat. Præcinite (inquit) Domino in confessione, psallite Deo nostro in cithara: Qui operit cælū nubibus, & parat terræ pluuiam: Qui producit in montibus fænū, & herbam seruituti hominum. Qui dat iumentis escā ipsorum, & pullis coruorum inuocantibus eum.] *Chrys. hō. 33. ad populum.* Vtraque autē bonā Chrysostomus breuiter, sed elegāter commemorat. Quæ à Deo accepisti (inquit) sunt ista; Corpus tibi formauit, animā ipse cōtulit: honorauit te ratione solùm ex animalibus terrenis, omniū tibi visibilium vsum contulit: sui præstitit scientiam, pro te tradidit filium; baptisma tot plenum bonis donauit: sacram tibi dedit mensam; regnum promisit & arcana bona.] Bonis igitur spiritualibus, ac etiā corporalibus nobis exhibitis, Deus noster suum amorem declarat.

Quin & Christus filius Dei, nobis in veræ dilectionis datus exemplar, & spiritualia bona, & temporalia quoq; ex charitate donabat. Nam ille, qui venit peccatores saluos facere, & à Dæmonis eripere potestate, ille, qui iam conuersos in virtutibus, & sanctitatis itineribus erudiebat: ille qui iter in cælum doctrina, & exemplo pandebat: idem ipse alia charitatis officia *Matt. 14. Mar. 6. Ioan. 6.* minùs præcipua, & corporali imbecillitati necessaria, minimè repudiabat. Vnde subleuatis oculis, quos præ modestia continenter humi defixos tenebat, vidēsq; multorum hominum turbā sua vestigia sequentē, fame, sitiq; confectā, tactus misericordia cordis intrinsecùs, edito miraculo in vasta illa solitudine pascit, panibúsq; & piscib. recreatos benignissimè ad propria remittit. Quod non semel eadem indigentia perurgente ab ipso factū esse cognouimus. Nec solùm famem, verùm etiā alia corporalia incōmoda repellebat. Nam & cæcis visum, surdis auditum, claudis gressum, febricitātibus temperiem, lepra infectis munditiā, & breuiter alia quapiā ægritudine laborantibus, sanitatē dabat; & desolatos tristitia, imò & ipse morte detentos, mortis faucibus eripiebat: suæ nimirum charitatis incendium, & spiritualibus beneficiis, & temporalibus adiumētis commonstrans. Omnes sancti eandem viam ingressi sunt, & non minùs corporalibus bonis in alios erogatis, quàm spiritualibus subsidiis adiectis, proximorum dilectionem ardentiùs ostenderunt. Sciebāt enim hanc esse à Paulo præscriptā *Hebr. 13.* regulā charitatis, vt opera misericordiæ corporalia etiā exhibeant. Charitas fraternitatis (inquit) maneat in vobis & hospitalitatē nolite obliuisci: per hanc enim latuerunt quidam Angelis hospitio receptis. Memētote vinctorum, tāquam simul vincti, & laborantium tanquam & ipsi in corpore cōmorantes.] Hoc est, tā*Ibidem.*quam ij, qui corporis laboribus estis obnoxij, & cum molestia aliqua corporali afficiemini, vicē vobis rependi concupiscetis. Et rursus: Beneficentiæ & communionis, nolite obliuisci, talibus enim hostiis promeretur Deus.] O quàm ingens fęlicitas est, ab his artē amandi perdiscere, qui non amorem cæcum & insipientē, quo malis, ac peccatis impingamus, sed charitatem sapientem, & omnia lustrantem, qua postquā ceciderimus, ad virtutis culmen assurgamus, edocebūt! O quā magnum lucrum hos habere amoris præceptores, & dilectionis magistros, qui vtiq; eū amorem ingerent, à charitate prodeuntem, cuius auxilio minima etiam opera, mirum in modū, pretio & valore crescunt, & magni meriti reputantur. Si vis ergo, ô virtutis & puritatis amator, infantiam amoris excedere, & in fraterna charitate proficere, non solùm à malis in proximos inferendis abstine, sed omnia bona, tum spiritualia, tum temporalia, eis cupere atque B præstare stude: Ama proximos tuos, ama fratres tuos. Sic ama propter Deum, vt omnes tuis talentis adiuues, omnes verbis, & externis signis honores, omnes sermone, & opere consoleris, omnium molestias, imbecillitates & iniurias sustineas; omnibus dulcis, benignus, & suauis appareas, & omnes tuo exēplo charitatem doceas, & ad amandum fratres & beneficiēdum allicias. Sic ama, vt nemo te vani, & nimij erga aliquam amoris, aut singularitatis arguat. Sic ama, vt hostis beneficum, & inimicus amicū sentiat. Sic ama vt vniuersi te verum Dei amatorem agnoscat, qui in licitis, & honestis omnib. præsto sis; in his verò, quæ voluntati diuinæ, aut eius legibus aduersantur, omnibus constanter resistas, & sapienter contradicas. Dum hæc omnia feceris, iam in charitate fraterna non pa- C rum profecisti, & magnas amoris, & meritorum opes comparasti.

Postremus fraternæ charitatis gradus solis perfectis congruens, ille est, quo ita amicos, & inimicos amamus, vt tanta sollicitudine, & diligentia ipsis infligere mala caueamus, & bona præstare curemus, ac si nobisipsis hæc bona, in alios collata, prodessent; aut in nosipsos aliorum mala reciderent. Hic gradus charitatis est, quo quisque non vtcumque diligit proximum, sed manifestè diligit eum, sicut seipsum. Quem perfectissimum esse, atque adeò ipsam spiritualis vitę perfectionē (si charitatē erga Deum supra descriptā comitem habeat) sacrarum literarum confirmat auctoritas. Scriba namque ille in lege peritus, Christi D saluatoris nostri de dilectione doctrinam admirans, *Marc. 12.* ita eam non sine stupore confirmat. Bene magister, in veritate dixisti, quia vnus est Deus, & non est alius præter eum. Et vt diligatur ex toto corde, & ex toto intellectu, & ex tota anima, & ex tota fortitudine, & diligere proximum tanquam seipsum maius est omnibus holocaustomatibus & sacrificiis.] Cuius sententiam verissimam fuisse, autor ipse veritatis astruxit. Videns enim quod sapienter respondisset, dixit illi: Non es lōgè à regno Dei.] Quare ergo dilectio proximi, qua quis diligit eum, sicut seipsum omnib. holocaustis, & sacrificiis anteferretur; *Ibidem.* nisi quia hęc media sunt, illa finis: hæc instrumenta sunt, illa ars: hæc perfectionis subsidia, illa mētis sanitas, atque perfectio? Apertiùs verò Dominus id ipsum docet, dum mādatum fraternæ dilectionis primo & maximo mandato E charitatis coæquat: secundum (ait) simile est huic, Diliges proximum tuum sicut teipsum.] Quam ob causam *Matt. 22.* hoc mandatum simile primo est, nisi quia etiam datum est de fine legis, nimirum de perfectione ipsa, ad quam omnia alia mandata ordinantur, & tāquam ad scopum diriguntur, & à qua omnis lex, & omnes prophetæ velut à fine dependent. Nam qui voluerit perfectionem assequi, omnia à prophetis commendata, & omnia debet à lege mandata seruare? Vt autem hanc rem Dominus sine vlla ambiguitate nobis

testatam faceret, iam mandatum dilectionis erga Deum separatim, iam mandatū dilectionis erga proximū seorsum, tamquam per se sufficiēs ad omnem perfectionem, & sanctitatem exposuit. Nam & Paulus huius magistri spiritu edoctus, ait: scimus quoniā diligentibus Deum, omnia cooperantur in bonū.] Et iterum: Non adulterabis, non occides, non furaberis, non falsum testimonium dices, non concupisces; & si quod est aliud mādatum, in hoc verbo instauratur: Diliges proximum tuū sicut teipsum.] Hoc ideò (inquit Augustinus) quia qui proximum diligit, consequens est, vt Deū diligat. Quod si in dilectione proximi, qua diligimus eum, sicut nosipsos, Dei dilectio comprehenditur, & omnium mandatorum summa concluditur, iā in ipsa simul cum dilectione Dei; omnis vitæ nostræ perfectio consistit. Hoc itaq; præceptū: Diliges proximum tuum sicut teipsum,] non solùm præceptum dilectionis, sed etiam verbū, & suasio perfectionis est: In quo cùm non dicat Dominus: Diliges proximum tuum tamquam teipsum; sed sicut teipsum, non æqualitatem amoris iubet (quæ etiam à viris perfectis aliena est, cùm eo ipso, quòd maiora bona proximis tribuunt, & tenuiori affectu complectuntur eo seipsos maiori, & perfectiori amore diligunt) sed similitudinem amoris, & charitatis requirit. Introducit enim Dominus sanctam animam in cellā vinariam hoc est, in spiritualem vitam, & ordinat in ea charitatem, dum ordinē & modum diligendi præscribit. Primò quidem diligendus est Deus: Deinde Christus secundùm eam naturam, quam nostri gratia induit; posteà nosipsi: tandem proximi, & fratres. Et hi, licèt non æqualiter, quia præferendi sunt sanguine coniunctiores, aut vitæ puritate meliores, aut donis & muneribus beneficentiores; omnes tamen ad eum modum & his conditionibus diligendi sunt sicut nosmetipsos diligimus. In hunc modum Prosper Episcopus, præceptū istud, & intellexit, & exposuit. Iste nobis ordo dilectionis seruādus est, iuxta illud quod dicit Spiritus sanctus: Ordinauit in me charitatem;] vt sicut ordinata charitas poscit, vt Deum principaliter diligamus, & propter ipsum, & in ipso, ea quæ diligenda sunt tantùm quantùm ipse præcepit, diligamus. Ipse enim præcipit, vt corpora nostra propter nos, & ipsum plus diligere, quàm nos debeamus: ita sanè vt eis, quos nobis coniūctiores familiaritas facit, si eos fama non reprobat, & vita commendat, nos ampliùs impēdamus, omnium profectus nostros esse credamus, & de aliorum peccatis, tamquam de nostris, misericorditer lugeamus.]

Rom. 8. Rom. 13. Aug. 7. de Trinitat. Mat. 22. Cant. 2. Prosper. Cant. 2.

Sed quia hic perfectionis naturam inquirimus, & supremum fraternæ charitatis gradum, qui ad ipsam pertinet perfectionis substantiam, indagamus; considerandum est, in fraterna charitate, sicut & in dilectione erga Deum, & aliquid, quod est præcepti, & aliquid, quod est finis, & consilij, posse signari. Præceptum quidē est ita fratres diligere, vt nullum eis malum, & nullam contumeliam, aut iniuriam inferas, & vt auxilium, & iuuamē extrema, aut graui necessitate laborantibus, conferas; si tu consimili necessitate, aut penuria non labores; & vt eorum, aut vitam, aut famā, aut substantiam tuearis, cùm sine æquali, aut graui damno poteris ab imminenti malo seruare; ad quæ omnes particulares successus, quos Theologi latiùs enumerant, non difficile reuocantur. Finis autem præcepti est, si fratrem eādem cura, & sollicitudine ac teipsum diligas; si non solùm præcepta, sed etiam pietatis, & beneficentiæ consilia complectaris, si in proximis, nō iam hominem, sed Dei imaginem & Christum ipsum intuearis: si eos verbis, & exēplis ad omnem virtutem, & sanctitatem allicias: si inimicis, & hostibus vultum pacatum, iniuriæ condonationem, verba lenia, specialia beneficia, & pacem (quod in te est) & amicitiam non deneges; Si denique beneficiis in fratres collatis, & bonis in ipsos largè profusis, Deum ipsum imiteris. Ad quam dilectionis fraternæ perfectionem exhortatur nos Nazianzenus, dicens: Cura, vt proximo tuo idcirco præstantior sis, quia benignior, fac, vt calamitosus sis Deo, Dei misericordiā imitando. Nihil enim tā diuinum homo habet, quàm de aliis bene mereri: tametsi ille maiora, hic minora beneficia conferat, vterque nimirū pro suis viribus. Egenti parum aliquid dato, neque enim parum est ei, qui omnibus rebus caret, imò nec ipsi quidem Deo, si viribus tuis par sit. Summi muneris loco alacritatem dona; si nihil habes, collachryma. Magnum est infortunato remedium miseratio, ex animo collata, ac sincerè condolescere calamitatem magnopere lauat.] Cuius verba, si attentè expendamus, dilectionem, qua nosipsos prosequimur, delineatam, & ad proximos translatam videbimus. Quisque enim nititur sibi ipsi esse instar Dei: Nam Creatoris prouidentiam imitās, in omnibus sibi prouidet: si multùm potest, multum sibi tribuit; si parum, illud quidquid sit, sibiipsi non denegat: In rebus prosperis alacritatem, in aduersis commiserationem sibi libēter impendit. Hæc eadem simili cura fratribus impendenda sunt, vt ad charitatis fraternæ perfectionem properemus. Quam perfectionem summis labiis delibatam, volumus sub alio principio pleniùs gustare, & vt tanta res postulat, copiosiùs & vberiùs exponere.

Greg. Nazian. orat. de pauperū amore.

Quæ fraterna charitas sit vitæ spiritualis perfectio.

CAPVT XXV.

FRATERNAE charitatis, quæ perfectionis nomen obtineat, præstantiam; ac nobilitatem exponere, non est ruditatis humanæ; sed lucis, & sapientiæ diuinæ. Sicut enim Deus est, qui sanctos, & perfectos viros opus huius absolutissimæ charitatis docet; ita ipse est, qui verba ad eam explicandam, & manifestādam impertit. Sed dicamus nos eius auxilio freti, eiúsque immēsæ benignitati subnixi, si non id quo tam sublimis materia digna est: at id, quod mente concepimus, & ex sanctorum, ac perfectorum vita, & conuersatione didicimus. Perfecta charitas fratrum, est vnitas membrorum Christi, qua inter se indissolubiliter copulantur, & capiti suo Redemptori iunguntur. Est fons omnium bonorum, fluuius pacis, clypeus animæ, dulcedo cordis, indicium humanæ naturæ, & mater honorabilis patris familias domum gubernans. Est fames iustorum bonis plena, numquā saciata, sitis perfectorum semper bibens, numquam extincta, thesaurus infinitus, debitum inexhaustum, & imago pulcherrima perfecti, & sancti amoris, quo nosipsos diligimus. Hanc vnitatem Dominus ipse iamiam iturus ad Patrem, suis membris hac oratione postulabat. Non pro eis rogo tantùm, sed & pro eis, qui crediruri sunt per verbum eorum in me, vt omnes vnum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te, vt & ipsi in nobis vnum sint.] Vnum quidem, non substātia, sed pace, sed charitate, sed imitatione, sed concordia voluntatum. Vt hæc voluntaria vnio (ait Cyrillus) naturalis in Filio, & Patre vnitatis imago quædam esse videatur: Vt nullo videlicet modo, nulla vi voluptatis, aut periculi frāgi, debilitaríve possit, sed cōseruetur in pietatis, atq; sanctificationis vnione charita-

Ioan. 17. Cyril lib. 11. in Ioā. c. 10.

ris virtus intemerata.] Hunc fontem largissimũ omnes quæramus,à quo profluit mæstorum consolatio, ignorantium instructio,vinctorum liberatio,pauperum,& egenorum auxilium, & laborantium aliqua necessitate remedium. Hunc fluuium ad bibendum, sitiamus, cuius aqua pacem,& concordiam aduehit: Nam pax multa diligentibus Domine legẽ tuam]illam scilicet legem,quæ principium,&finis est omniũ legum, & omnes leges comprehendit,qualis est lex pacis,& charitatis.Hoc clypeo nos protegamus,quo minuti,nec curabimus maleuolorum opprobria,nec audiemus conuitia nec sentiemus iniurias. Hãc dulcedinem appetamus, cuius suauitate omnes labores nobis dulcescent,& nihil erit tam amarum atque insipidum,quod sancti amoris sapore nõ dulceat.Hoc signo nos homines esse ostẽdamus. Nã si (vt inquit Basilius)nihil naturæ nostræ tã est propriũ,quàm societatis adinuicẽ commercium, mutuúmque in cõmunicando auxilium,& fraterni amoris studiũ: quis se hominem existimabit,si humanitatem exuit, & in fratres benignitatem amisit:] Hanc matrem agnoscamus, quæ nos paruulos lecte minorum operũ nutrit,adultos solidiori cibo reficiat, & viros laborum pro fratribus admissorum alimẽtis sustentet.Hęc fames,& hæc sitis interiora sanctorum semper cruciat, qui licèt multùm pro fratribus laborauerint, & magnos in eis fructus salutis fecerint, numquam tamen satis se illorum gratia laborasse putant.Hic thesaurus illos amplificat,qui dilectionis operibus semper crescunt,& nouis meritis diuitias animæ numquam périturas,augmentant. Hoc debitum numquam omninò persoluunt,memores sententiæ Apostolicę: Nemini quicquam debeatis, nisi vt inuicem diligatis.] Illudque Augustini ad memoriam reuocantes:Charitas nos debitores semper tenet, illa enim vna est, quę & si quotidie semper redditur,semper debetur.] Hæc tandẽ charitas facit, vt fratres tãmquã nosipsos respiciamus,eisque amorem,tanquã nobisipsis impẽdamus, & cùm ad hanc fuerit altitudinem,dignitatémque subuecta, non nomen tantùm perfectæ virtutis,ad supplicationem,& naturam ipsius perfectionis acquirit.

Psal. 118. *Basil. orat. 1. de amore Dei.* *Rom. 13.* *Aug. in psal. 36.*

Sed quænam dilectio ita sese effert,vt pręstet homini diligere proximum, & extraneum, & inimicũ, sicut diligit seipsum? Huic quæstioni respondere non possumus,nisi priùs explicemus &examinemus quisnam diligat seipsum. Nã si quis seipsum diligere nescit,& in sui amore fallitur, in sui dilectione decipitur,& putans seipsum amare,seipsum odit & perdit, curans amare proximum,sicut seipsum, re vera non illum amabit, sed odio habebit, & perdet tamquam seipsum.Vt ergo quis diligat seipsum,primò odio habeat omne peccatum &omnem iniquitatem,necesse est.Si enim amat iniquitatem,& vult eam inesse sibi, proculdubio nimis odit se,& si amat,non iã crimina, sed peccata leuiora, defectus,& imperfectiones plurimas. & vult, ac patitur eas inesse sibi,licèt,non tam vehementer,& desperanter,tamen etiam aliquantulùm odit se.Odisse námque aliquẽ (vt omnis schola proclamat)est velle malum illi,vt malum illius est;si ergo quis vult sibi magnum malum;scilicet iniquitatem,& graue crimẽ vt falsum bonum,atque adeò vt verum malum,nõ dubium,quin seipsum nimis odit, & si vult sibi minus malum; scilicet vitam tepidam, & imperfectam, & in sterquilinio innumerabilium imperfectionum lætus iacet,certum est,quia seipsum odio habet. Vnde in psalmo scriptum est. Qui amat iniquitatem,odit animam suam.]Isti enim duo amores iniquitatis amor,& suiipsius amor,contrarij sunt, simul esse non possunt,quia iniquitatem amans, sibi malum amat,& seipsum amans,sibi bonum amat;relinquitur itaque,iniquitatis amatorem esse osorẽ suiipsius, seipsum odio habere & in perditionem detrudere. Ergo si diligis iniquitatem(inquit Augustinus) audi veritatem,veritatẽ nõ te palpantem, sed apertè tibi dicentem:Odis te.Quãtò magis dicis,quia amas te,odis te.Qui enim diligit iniquitatem, odit animã suam.]Quid dicam de carne, quæ pars est vilior hominis? Si animã odit, quomodo carnem diligit? Denique, qui amant iniquitatem, & oderunt, animam suam,omnem turpitudinem exercent de carne sua.] Sed non sufficit, vt quis diligat seipsum,iniquitatem odisse, nisi etiam omne verum bonum sibi velit, & virtutem amet. Quare ille dicendus est,seipsum diligere,qui peccatis abiectis,& inordinatis affectibus à se, ac vanis desideriis ad peccata incitãtibus propulsatis,omnem virtutem colit,omne bonorum operum genus exercet, omnem puritatem,ac sanctitatẽ quærit, diuitias veras,& solidos honores, scilicet vitæ æternæ materia,& filiorumDei dignitatem cõgregat, & temporalia bona, ea solùm ratione,qua bonis spiritualibus,& saluti, ac perfectioni animæ vtilia sunt, circumspectè,ac moderatim admittit.Qui ita didicit seipsum diligere, vt vera mala,id est,peccata, & vitia à se arceat,& vera bona nimitũ virtutis opera,& sanctitatis desideria sectetur,& ea,quę media sunt,vt tẽporalia & visibilia, quatenus perfectioni subseruiũt, & non alia ratione suscipiat, odio habens animam suam,id est,vitam ad mala procliuem,vt in vitam æternam custodiat eam: hic securè poterit amare proximum, sicut seipsum, vt dignitatem perfectionis compleat, & ex toto viri perfecti nuncupationem obtineat.

Psal. 10. *Aug. lib de discip Christ. c. 4. t. m. 9*

Amat igitur fratrem sicut seipsum,dilectione scilicet sancta, amore puro,charitate perfecta qui bona dumtaxat, & rationi consona, fratri consentit, & nullum vitium, nullúmque peccatum,quantùm potest, illi permittit. Qui vellet,& ardenter cupit omnes infideles à misera cæcitate abducere,omnes peccatores à sorde peccatorum extrahere, & bonos, & iustos, pro gloria Dei,ab omni (si esset possibile imperfectione, & imbecillitate separare.Id orat, id postulat,id gemitibus & suspiriis efflagitat,id iuxta exigentiam sui status,& conditionis procurat,vt omnes homines, peccatis abiectis, & vitiis profligatis,suo Creatori seruiãt;& viam salutis,& puritatis arripiãt. Qui autem peccatum fratri permittit:qui potens remedium adhibere, dissimulat; qui,vt latiùs serpat & vehementiùs conualescat, imprudenter celat; manifestè cõuincitur fratrem odio habere,non verò sicut seipsum deligere. Nutrix quippe non diligit lactantem filium, cùm permittit illi gladium, quo inscius seipsum percutiat, aut cùm sinit in manu eius noxiũ cibum,quo aduersam valetudinem incurret;sed cùm omnino tollit ea, quæ sunt nocumentum allatura, licèt paruulus contristetur,& ploret,licèt manibus seipsum feriat,atque discerpat.Sic profectò non diligit fratrem,qui consentit peccatis illius,qui vitia palpat, qui defectus excusat,qui imperfectiones contegit,ne ab spirituali medico videantur, &censura disciplinæ curẽtur,sed ille diligit, qui mala hæc,aut maiora,aut minora detestatur,& constantissimè auertit, qui fratrem conatur à fouea educere,à laqueo extrahere, & à peccato liberare. Errant ergo,errant,qui putant se in vetam amicitiam atque in charitatẽ fraternã peccare,si Prælato fratris defectus manifestent, nõ tamquã iudici,vt puniat,sed tamquã patri,vt emẽdet,& corrigat.Nam certũ est eos non manifestãdo,sed celando,& contegendo peccatũ fratris,ne medicamẽtũ Prælatus apponat,in verã charitatem delinquere. Si

enim

enim charitas est aperire medico morbum, aut plagā corpus fratris depascentem, vt ei medicinam adhibeat; cur erit aduersum charitati aperire Prælato animæ vulnus, aut plagam multò periculosiorem, quæ non soli fratri æternam mortem, sed toti congregationi dedecus est allatura. Doceat nos Basilius, an hęc alieni peccati manifestatio ad emendationem facta, odium sit fratris, an potius charitas vera, atque perfecta. Quemadmodum (ait) nullo modo bene meritum illum de nobis diceremus, qui quæ pestifera essent, ea in corpore nobis includeret; sed eum potiùs, qui cùm dolorifero cruciatu, & cruoris etiam missione, per lancinationem ea in apertum extraheret, quo videlicet, aut quod noxium esset, per vomitum repelleret, atque extunderet à corpore, aut in vniuersum per morbi cognitionem, eius quoque curandi ratio faciliùs cognosceretur: Ita nimirum peccatum occultare nihil est aliud, quàm ægrum sua sponte ad mortem ruentē impellere, & procliuiorem reddere. Hoc igitur aduersùs proximū sit primū opus charitatis perfectę, eū per nosipsos, si possumus, à peccato liberare, sin minus per alios prudentes viros, & præcipuè per Prælatū à morbo animæ exitium afferente, vindicare.

Basil. reg. 46 fusius disput.

Non tamen satis est hoc, vt quis perfectè diligat proximum aut fratrem suum, nisi amorem quoq; sui ipsius in fratris amore delineet. Quare vidēdum est, quonam pacto homo seipsum amat, cùm se perfectè amat, vt inde discat amorem suipsius quasi ad fratrē trāsferre, & illum tamquam seipsum oculis dilectionis respicere. Qui seipsum amat, non tantùm sibimpsi coniungitur voluntatis affectu, sed & bono necessaria sibi amanter subministrat. Si esurit, apponit sibi eibum; si sitit, ministrat sibi potum: si nudus est, tegit se vestimento: si inglorius, procurat sibi honorem aut bonum nomen: si infirmus, optat incolumitatem: si lapsus, gratiam. Eodem modo diligatur & proximus internis affectibus: sed hi non sufficiunt, nisi externis donis, & beneficiis confirmetur. Nam si dicatis fratribus: Ite in pace, calefacimini, & saturamini non dederitis autem eis, quæ necessaria sunt corpori, quid proderit?] Opera misericordiæ, & benignitatis externa, tum spiritualia, tū corporalia fratribus exhibenda sunt, vt charitas interna credatur. Si enim fides sine operibus mortua est, charitas sine operibus, inanis & phantastica apparet. Quare iubet Augustinus, & meritò, vt in bonis operibus gratuita sit dilectio Dei, & benefica sit dilectio proximi. Deo enim quod pręstemus, non habemus; sed quia proximo habemus quod præstemus, præstādo indigenti promerebimur abūdanter.] Rerum quidem naturæ ex operibus cognoscuntur. Ignis ex calore; Leo ex rugitu; Homo ex ratione: Natura autem fraternæ charitatis, ex bonorum communicatione, & ex beneficiorum exhibitione dignoscitur. Vbi igitur nullum erogatur bonum: vbi nullum intercedit beneficium; vbi neque sonat verbum suaue: nec conspicitur vultus pacatus, & tranquillus; quis credat veram, ac perfectam dilectionem latere? Fratres (inquit Ioānes Apostolus) nō diligamus verbo, neque lingua, sed opere, & veritate.] Opera enim quæ fructus dilectionis sunt, dilectionis qualitatem, & perfectionem ostendunt.

Iacobi 2.

Aug. ser. 234. de tempore.

Ioan 3.

Amator etiam suiipsius vult, ne quis sibi malum inferat, & vt omnes sibi, quod vtile, & bonū est, præstent. Vnde, vt diligat proximum, sicut seipsum, duo verba legis exequatur: Alterū ore Tobiæ. Alterū ore Saluatoris prolata, illud est. Quod ab alio tibi oderis fieri, vide ne tu alteri facias.] Illud verò. Quæ vultis, vt faciant vobis homines, & vos facite illis.] Non vult quis (verbi gratia) vt suum peccatū manifestetur, & oculis omnium ridēdus exponatur? Ne ipse fratris

Tobia. 4. Matt. 7.

A casū alius (nisi soli Prælato, aut ei, qui prodesse queat) reueleт, aut sine causa & vtilitate manifestet. Nō vult, vt alius de suis defectib. detrahat? ne ipse de alterius culpis obmurmuret. Locuta est Maria soror Moysi aduersùs fratrem suum, quod vxorē Æthiopissam, & ingrati coloris accepe rit, nec ductæ nobilitatem considerans, nec coniugij mysticam causam aduertēs: sed quæ ingrato colori obloquitur, lepra percutitur. Sic multi, qui modicis fratrum culpis insolenter detrahunt, in magnas iusto Dei iudicio permittēte, labuntur: quia non timent, quod sibi odio habēt fieri, alteri facere, nec verentur fraterni amoris regulā violare. Quos meritò Bernardus charitatis interfectores appellat. Non veniat (inquit) anima mea in concilio detrahētium, quoniam Deus odit eos, dicente Apostolo: Detractores, Deo odibiles.] Quam sententiā Deus ipse loquens in psalmo, audi quomodo affirmet: Detrahentem (inquit) secretò proximo suo, hunc persequebar.] Nec mirū, cùm id præcipuè vitiū charitatē, quæ Deus est, & quidē cæteris acriùs impugnare, & persequi cognoscatur. Omnis, qui detrahit, primùm quidē seipsum prodit vacuum charitate: deinde quid aliud detrahendo intendit, nisi vt is, cui detrahit, veniat in odium, vel cōtemptum ipsis, apud quos detrahit? Ferit ergo charitatem in omnibus, qui se audiunt, lingua maledica & quantùm in se est necat funditus & extinguit.] Similiter quod vult quis vt sibi faciat alter, & ipse alteri faciat. Vult cùm æger est, ab alio consolari, & visitari, & ipse fratrem morbo affectum consoletur, & inuisat: Vult in ministerio iuuari? & alium adiuuet: Vult à suis votis non impediri? neque alium à suis votis impediat: Vult cùm irascitur ab alio tolerari? & ipse fratrem iratum toleret, atque sustineat. Caueátque ne à Domino seruus nequā vocetur; qui cùm decem milla talenta, id est, tot tamq; ingētia debita sibi dimissa sciat, non seipsum cogit, vt conseruo suo debitum nullius fere momenti dimittat.

Num. 12.

B

Ber. ser. 24 in cāt.

Rom. 1.

Psal. 100.

C

Amor deinde suiipsius hominē ad hoc inclinat, vt velit ab omnibus adiuuari, & sibi sua errata ab aliis dimitti. Aliorū igitur onera portet, aliorū errata dimittat, vt illud Pauli præceptū actione custodiat: Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi.] Nā si lex Christi, & tota vitæ Christianę perfectio in hoc posita est, vt Deū, tamquam vltimum finē, & fratres nostros, sicut nosipsos diligamus; illi se huic regulæ accōmodāt, qui adinuicē sua onera portant, & non aliena, sed propria esse putāt. Tūc istam legē custodimus, cùm ego alterius fratris durū, & intractabile ingeniū fero, & ille meam austeritatem, & animi duritiā sustinet? Cùm ego illius defectus, & miserias suffero, & ille meas infirmitates supportat: cum ego illum in suo ministerio adiuuo, & ille in meo vicissim me adiuuat. Quod beati Augustini verbis audire delectat. Hāc (inquit) Christi legē dicere intelligitur, qua ipse Dominus præcipit, vt nos inuicem diligamus: tantū in ea sententia præcepti pōdus constituens, vt diceret: In hoc cognoscitur, quoniā discipuli mei estis si vos inuicē diligatis.] Huius autē dilectionis officium est, inuicē onera nostra portare; sed hoc officiū, quod sempiternum non est, perducet sanè ad beatitudinem æternam, in qua nulla erūt nostra onera, quæ inuicē portare iubeamur. Nunc verò, cùm in hac vita, id est, in hac via sumus, onera inuicē nostra portamus, vt ad eam vitam, quæ caret omni onere peruenire possimus.] Sic doctor sanctissimus, qui & simili ceruorū confirmat ex Plinio mutuato, quod non pręteṙmittimus Sicut enim cerui, cùm fretū trāseunt, se mutuo iuuant, & capitū onera vno super aliū caput collocante, inuicē portant, donec ad terræ stabilitatem perueniant: ita debemus mutuò nostras cu-

D

Galat. 6.

Ioann. 13.

E

Aug. lib. 83 qq. q. 71.

Plinius lib. 8. c. 32.

rasalij alus committere, & vnius onera & labores in alterius fratris sinu collocare, donec ab hoc miseriarũ mari liberemur, & in terram viuentium, scilicet in cælestem patriam appellamus. Ibi non erit onus aliquod, quod inuicem portemus, sed erit æternum dilectionis præmium quo sine fine perfruemur.

A Amor etiam suipsius hominem mouet vt verba & opera sua excuset, verbo scilicet sanè interpretetur, actiones tueatur, & iusto pondere ac mensura metiatur. Quare tunc diligit proximum sicut seipsum, cùm proximi sermones, & actiones eodem modo respicit, eadem mensura metitur, & eodẽ pondere expendit, quo expendit sua. Dictũ est enim in Deuteronomio: Non habebis in sacculo diuersa pondera, maius & minus, nec erit in domo tua modius maior & minor. Pondus habebis iustum, & verum, & modius æqualis & verus erit tibi, vt longo viuas tempore.] Et rursus apud Salomonem. Pondus magnum & pusillum, & mensuræ duplices immundæ sunt apud Deũ.] Ille habet in sacculo diuersa põdera, & in domo modios distinctos, & in corde mẽsuras duplices, qui nõ eisdem oculis sui & proximi opera respicit, qui diuerso modo suos, & fratris defectus examinat: Qui suos labores laudat, & extollit, alienos autem contemnit! Qui proprios defectus extenuat, proximi verò defectus exaggerat. Abominatur Dominus eum qui facit hæc: & auersatur omnem iniustitiam.]

Deut. 25.

Prou. 11.

Deut. 25.

Ille denique amat fratrem sicut seipsum qui proprium amorẽ, illum scilicet, quo ordinatè, & secundũ rationem seipsum amat, tamquam exemplar sibi proponit dilectionis fratris; & dilectionem fratris ita temperat, vt sit imago ordinati amoris sui. Vt enim pictor excellentissimus, qui alicuius faciẽ in tabula cupit exprimere attentissimis oculis eam inspicit, penicillo autem imitatur, quod videt, & eo modo lineamenta ducit, vultus particulas pingit, colores superponit, & hominis ætatem, aut iuuentute viuidam, aut canitie venerabilem effingit, vt non mortua tabula, sed altera viua facies esse videatur: ita proprius amor ratione moderatus attentè inspiciendus est, vt fratrum amorem omninò ei similem, tum voluntatis affectu, tum externis operibus exhibeamus. Vide igitur, quomodo teipsum amas, & sic enitere fratrem diligere. Considera vultum amoris tui, & sic cura, vt sit facies amoris illius. Considera, inquam, cùm teipsum vis ab aliquo defectu corrigere, quanta suauitate te corrigas, quanta dulcedine reprehendas, quanta lenitate castiges: quia eadem suauitate, & dulcedine debes corripere fratrem tuum (si id tibi incumbit) reprehendere, & castigare. Vide cùm teipsum ad aliquod virtutis opus inclinas, quàm tenerè cor tuum rationibus moues, quàm humaniter consiliis instigas; quàm amabiliter exemplis aliorum suades, & eadem humanitate fratri virtutem, & opera perfectionis suade. Aduerte, cùm in teipso defectum non potuisti emendare, aut virtutem acquirere, quo pacto non statim teipsum contemnis, nec tibi incutiam, & pusillanimitatem exprobras, sed tecum ipse dissimulas patienter te sustines, & in aliã occasionem commodiorem, aut defectus emendationem, aut virtutis acquisitionem differs. Eodẽ itaque modo cum fratre te gere, & si non statim exuit sæculi mores, & religionis virtutes induit, & silentio, obedientia, mansuetudine, atque aliis huiusmodi seipsum ornauit, ne illum despicias, ne verbis acrioribus vrgeas, ne ira excandescas: sed longanimitate vtens illius imbecillitatem sustine, & ex teipso alterius infirmitatem agnosce. Tu conseruus, sustine illum, quem Dominus sustinet; imitare Deum benignissimum, qui te, & illum tanta benignitate tolerauit. Ne sis tamquam illi duri & intractabiles Pharisæi, qui alligant onera grauia, & importabilia, & imponunt ea in humeros hominum, digito autem suo nolunt ea mouere.] Si ita te cum amicis & inimicis, seruata proportione, geras; si illos honore prosequaris; si culpas excuses; si molestias, & infirmitates patienter feras; si misericordiæ operibus adiuues: si omnium conuersionem enixè peras, omnium salutem cupias, omnibus, Dei amicitiam, propter Deum, verbo & exemplo procures; si paratus sis pro charitatis amore graues iniurias patienter sustinere, & mala ab aliis illata tolerare, & pro malis, non mala, sed bona referre; non dubites te charitatis fraternæ sublimitatem acquisiuisse, & huic perfectionis parti, quæ in fratrum amore consistit, curam debitam nequaquam denegasse.

B

De primo fructu perfectionis ad proximos relatæ, qui est, neminem temerariè iudicare.

CAPVT XXVI.

SICVT vitæ spiritualis perfectio, vt respicit Deum, & nos illi affectibus & vitæ puritate coniungit, suos fructus habet, quos superiùs exposuimus; ita vt respicit proximos, & nos illis, tamquam Christi membris copulat, fructibus suauissimis non caret; quos nunc breuitatis gratia ad tria genera redactos, vt bona arbor ex omnibus suis fructibus perfectè cognoscatur, volumus oculis & gustui legentium offerre; in quia scitu dignissimi sunt (in medium productis aliquibus Diaboli technis, quæ perfectionem impediunt) aliquantò latiùs explicare. Hi autem fructus sunt, cogitationes, & opiniones, quas quidam de aliis concipiunt; verba, quæ de factis, siue rebus ad alios pertinentibus proferunt; & opera in eorum vsum, atque vtilitatem effecta. Qui tres fructus, in Christo quidẽ quem fraternæ charitatis, aut perfectionis ad proximos relatæ, deinceps magistrũ proponemus, sunt purissimi & ardentissimi sui amoris insignia, in nobis verò aut sunt effectus seu fructus perfectionis iam habitæ, aut certè sunt auxilia quædam, quibus amorem nondum acquisitum paramus, & gradus, per quos ad fraternæ charitatis perfectionem ascendimus. Nam bene (vt decet) de fratribus sentientes, & honorificè loquentes, & beneficiis, ac bonis operibus adiuuantes, sensim amatores efficimur. Quomodo enim non diligemus eum; cuius bonam existimationem habemus, cuius dicta & facta laudamus, & quem nostris donis & obsequiis dignari sumus? Videamus itaque quo pacto Dominus noster Iesus Christus de hominibus sentiebat, quo pacto de illis loquebatur, quæ opera in eorum vsum patrabat, vt ex magistro dilectionis discamus amare, & eum imitantes, & amore sancto imbuamur, & ad perfectionem charitatis fraternæ, quam cupimus, tandem ascendamus.

C

D

Vt autem à primo, scilicet à cogitationibus, sumamus exordium: Christus amator noster ardẽtissimus, in primo aduentu suo non egit personam iudicis, sed suscepit munus defensoris. Licèt enim à Patre constitutus sit iudex viuorum & mortuorum, nõ tamen misit eum in mundum (inquit Ioannes) vt iudicaret mundum. Sed vt saluaretur mundus per ipsum.] Ideò in diebus carnis mortalis suæ, non iudicandi munus tractauit, sed pro vt iustitia permittebat, & misericordia postulabat, prouinciam admittendi, &

E

Ioann.

excusandi peccatores exercuit. Mulierem in adulterio deprehensam ab iniquorum accusatione eripuit, & quod magis est, à lapidibus, & morte acerbissima liberauit; pepercit rubori, curauit animam, & suauissimis verbis in spem consequendi veniam erexit, dices illi: Mulier, vbi sunt qui te accusabant? Nemo
Ioann. 8. te condemnauit. Et cùm illa respondisset: Nemo Domine; ipse subiunxit: Neque ego te condemnabo, vade & iam amplius noli peccare.] Discipulos in horto dormientes, & sopore graui detentos, mansuetissimè
Matt. 26. correxit, & ad vigilandum, & orandum hortatus est; & statim benignissimè excusauit, spiritus (inquit) vester promptus est, caro autem infirma.] Post paululum verò, cùm iam nullus relictus esset in tanta oscitantia excusationi locus, amanter dissimulauit, & primò quidem relictis illis ad orationem redit, & ab oratione reuertens, demissa voce, ne illos excitaret;
Ibidem. Dormite (inquit) iam & requiescite.] Non negligentiæ acerbus reprehensor, sed somni discipulorum custos effectus. Audeo cogitare, benignissimum Dominum, quo tempore hostes immanissimos expecta-
Cant. 2. bat, ita cantasse: Adiuro vos filiæ Ierusalem, per capreas, ceruósque camporum, ne suscitetis, neque euigilare faciatis dilectos quousq; ipsi velint. Sed (quod omnem nostram exaggerationem superat) è cruce pendens iniquissimos interfectores excusat, & peccatum eorum sine cōtrouersia omnium peccatorum maximum, apud Patrem quodammodo extenuat, dū ait: Pater dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt.]
Luc. 23. O admirabilis benignitas Saluatoris! ô stupenda dulcedo cordis illius! qui tantis, ac tam enormibus flagitiis offensus, non irritatur, sed quod in se est crucifixoribus suis tam immania delicta condonat; & enixè à Patre veniam exposcit. Sed quis, aut verbis explicare, aut mente cogitare sufficiet, quanta māsuetudine Dominus discipulorum defectus tolerabat, ignorantias patiebatur, ineptias & pueritiæs ferebat? Non iudicabat eos, quia de primatu contendebant; non indignabatur, quia primas sedes affectabant, non irascebatur, quia aliquando stultè, nonnunquam verò intempestiuè interrogabant; sed supportabat illos, sapienter erudiebat, & amanter ac leniter corri-
Psal. 102. gebat. Planè, quo modo miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se, quoniam ipse cognouit figmentum nostrum, hoc est, infirmitatem no-
Aug. ibid. strā. Nouit ipse, quid fecerit (inquit Augustinus) quomodo lapsum sit, quomodo reficiendum sit, quomodo adoptandū sit, quomodo ditandum sit. Nouit Dominus hominum imbecillitatem, & illos tamquam infirmos, suauiter curauit, & tamquam imbecillos, misericorditer portauit. Non solùm autem discipulorum, sed etiam omniū aliorum infirmitates patientissimè sustinebat. Nam quantumcumque infirma sint membra (vt ait Laurentius Iustinianus) non re-
Lau. Iust. pelluntur à Christo, non deseruntur ab ipso, sed fouentur, pascuntur, curantur, & viuificantur.

Nos igitur, qui pro amore Christi omnia reliquimus, & eū pauperes & nudi sequuti sumus, duo hæc munera capitis nostri cōsequimur, scilicet munus iudicum, & munus consolatorum. Dignitas iudicum in
Mat. 19. vita futura nos manet: Nam & sedebimus super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel.] In hac autem vita mortali non sumus iudices, sed fratrum defensores, ac consolatores, ne nunc præsumamus iudicium, sed suo tempori reseruemus. Hic itaque sit primus nostræ dilectionis effectus, aut primum auxiliū, quo dilectionis perfectioné parare contendamus, si neminem iudicemus. Sunt enim aliqui in cœtibus religiosis similes Pharisæis, qui omnia fratrum opera iudicant, atq; condēnant. Illi quidē Chri-

A sti discipulos accusabant, quia maiorum scita nō custodiebāt. Quare (inquiunt) discipuli tui transgrediū- *Matt. 15.*
tur traditiones seniorum, non enim lauāt manus suas cùm panem manducāt?] Quia sabbati religionē vio- *Matt. 12.*
labant. Ecce (aiunt) discipuli tui faciunt, quod non licet facere sabbatis.] Quia ieiunia, & externas cære- *Matt. 9.*
monias prætermittebant. Quare (dicunt) nos, & Pharisæi ieiunamus frequenter, discipuli autem tui non ieiunāt? Ita isti iudices, & cēsores effecti, suorū fratrū opera, & verba, imò & soli Deo notas cogitationes, diiudicant. Quibus è contrario dicit Dominus: Quare vos transgredimini mandatū Dei propter magnā superbiā, & inuidiā vestrā? scriptum enim est: Nolite iudicare, & non iudicabimini, quòd si alios iudicatis, *Matt. 7.*
B & eorū facta & dicta discutitis, videte, ne in seuerum iudiciū, & in duram Domini sententiam incurratis. Quemadmodū qui mala sunt corporis constitutione, cibum stomacho ingestum, licèt suauissimū, & facillimū ad concoquendum, statim in malum humorē conuertūt; qui verò sani sunt, & bona dispositione membrorū pollent, cibos minùs aptos in bonum sanguinem mutant: ita inuidi, & maleuoli, quicquid vident, aut audiunt, tamquā malū, & virtuti contrarium, detestātur, & verbis, ac murmurationibus proscindūt, sed fratrum amatores, & charitate perfecti, etiā, quæ aliquam habent speciem mali prudenter excusant. Placet tamen hoc sancti Dorothei verbis audire. Vt *Doroth. doctr. 16.*
enim corpora melancholici (inquit) & mali humoris, quicquid absumpserint, illud in choleram conuertūt,
C & quodāmodò perimunt, licèt fuerit cibus optimus; nec à cibo causa est, sed à corpore, quod distemperatū, contraria ad digestionem operatur, & ciborū naturā immutat: sic animæ malè dispositæ, vnaquæque res, quāuis bona, & vtilis, suo vitio nocet. Finge mellis vasculū ante nos positū esse, si quis in illud modicum quid absynthij iaciat, nōne vas totum corrūpit, & mel amarū facit? Idem nos facere videmur, cùm pugillo amaritudinis nostræ totū proximi bonū corrumpimus, iudicantes illū pro statu mentis nostræ, & trāsformātes quodāmodo ipsū ex mala dispositione, quæ in nobis est. Nā qui benè animo dispositi fuerint, tales sunt erga omnes, quales qui corpus temperatissimū habent; qui quicquid nocens comederint, omne cōuertūt in nutrimentū, & optimā concoctionē, ita vt nihil eis noceat, etiā quod nocens est.] Hoc munus
D iudicādi fratres vsurpare, est certo quodā modo diuinitatē appetere, & aduersùs Deū, sicut quidā Luciferi, superbire. Est inquā, ac si iudicans, & damnans alios, *Isaia 14.*
corde diceret: In cælū cōscendā, super astra Dei exaltabo soliū meū, sedebo in monte testamēti, in lateribus Aquilonis: Ascendā super altitudinē nubiū, similis ero altissimo.] Nā Deus cū sit prima & sūma veritas, regula recti est; quæ suæ volūtati cōsonant, bona sunt; quę verò dissonant, mala sūt, & noxia; & quantū ad eius præcepta, vel consilia, hominū opera accedūt, tantùm habent bonitatis; quātùm verò ab illis discedunt, tantū nequitia, & iniquitate fœdātur. Qui autē alios iudicat, & in illorū dicta, aut facta sententiam fert, qui dicit: Hoc malū est, illud verò non perfectū; Ego id non facerem, Numquam in tale quid consen-
E tirem; seipsum facit regulā bonitatis, normā rectitudinis, trutinā sanctitatis, stateram perfectionis, cuius lāce bona & mala librātur, cuius volūtate mēsurātur, cuius iudicio examinātur: vnde supremā potestatē vsurpat, Deitatē occupat, in throno Dei sedet, quē dubio procul Deus à sua sede deturbabit, dicēs: Verun- *Isaia 14.*
tamen ad infernum detraheris, in profundum laci.

Iudices enim isti alienæ vitæ, Christi iudiciariam potestatem ambire videntur: Pater enim omne *Ioann. 5.*
iudicium dedit filio] non filiis adoptatis, sed filio na-

turali; non illis, qui sunt serui & creaturæ, sed illi, qui verus est Deus Patri æqualis, cui dictum est: Surge Deus iudica terram, quoniam tu hæreditabis in omnibus gentibus.] Et rursus: quoniam Deus iudex est.] Quæ autem dementia est, seruum malum & peccatorem Domini potestatem inuadere, & in supremam dignitatem propriam Deo, irreuerenter irrumpere? Fuge itaque ab inuasione alienæ, & numquam tibi concessæ potestatis. Caue (inquit Bernardus) alienæ conuersationis esse, aut curiosus explorator, aut temerarius iudex, etiam si perperam actum quid deprehendas, nec sic iudices proximum, magis autē excusa. Excusa intentionē, si opus non potes, puta ignorantiam, puta surreptionem, puta casum. Quòd si omnem omninò dissimulationem rei certitudo recusat, suade nihilominùs ipse tibi & dicito apud temetipsū: Vehemens fuit nimis tentatio; Quid de me illa fecisset, si accepisset in me similiter potestatem? Qui sic fratrum, aut casus, aut imbecillitates excusant, & erga alios charitatem nutriunt, & humilitatem, suíque contemptum augmentāt; & casum similem, aut fortè maiorem, quàm sit peccatum fratris, euadūt; similem quidem, quoniam manifestè compertum est (ait Cassianus) iisdem causis, ac vitiis monachum obligari, in quibus de aliis iudicare præsumpserit. Oportet ergo vnumquemque semetipsum iudicare tantummodo, & circumspectè, cautéque custodire in omnibus, non aliorum cōuersationem, vitámque discutere.] Et certè si aliquid experientia meæ paruitatis valeret, ingenuè faterer me, cùm alicuius fratris defectum iudicaui, post non multùm temporis, eodem illigatum reperisse; & quod in alio vitium, & defectum censui, in me, aut virtutem, aut certè ineuitabilem necessitatem iudicasse; quasi hominum eorum, qui subiacent vitiis diuersitate, qualitates vitiorū mutentur: Tantùm potest defectus perfectæ charitatis, & inordinata cuiusque in seipsum affectio. Illud autem magis timendum est, quòd qui alios iudicant, in grauiorē defectum, quàm sit fratris, incurrūt. Hos enim proximorum censores apud Lucam perstringit Dominus, dum eos fictos, & hypocritas nominat. Hypocrita (inquit) eiice primùm trabē de oculo tuo, & tunc perspicies, vt educas festucam de oculo fratris tui.] Quæ (rogo) est ista trabs, quam à propriis oculis extrahere præcipimur, priusquam paruulam festucam ab oculo fratris eiicere pergamus; nisi iudicium audax, & temerarium? Et quare cum trabe confertur, cùm proximorum peccata festucis comparentur; nisi quia, aut omninò, aut saltem ratione quadam temerarium iudicium aliorum defectus excedit. Vtrūque à Beato Dorotheo accepi, peritissimo quidem magistro vitæ spiritualis. Comparauit Dominus (inquit) festucam peccato, iudicium autem trabi. Excedit enim omne peccatum temerarium iudicium. Superat certè quatenus temerarius iudex superbiens, alienum munus diuinæ maiestatis vsurpat, & quatenus imprudenter periculo eiusdem peccati seipsum exponit. Grauius namque est in foueam, quam vides, & detestaris, teipsum coniicere, quàm si nesciens quēadmodū alius ceciderit, in eam incidisses & tu.]

Psal. 81. Psal. 74. Ber. ser. 40. in Cāt. Cassia. l. 5. de spiritu. Gast. c. 30. Luca 6. Doroth. doctr. 6.

Hæc tinea contemnendi fratres, & eos iudicandi est, quæ virorum spiritualium opera inficit & iustitias corrodit; sicut illius tumidi Pharisæi obseruantias infecit, qui humilem publicanum aspernatus, irā diuinam commeruit, & à supremo iudice repulsus est. Non quia gratias agebat, sed quia fratrem iudicabat, & proximum contemnebat. Ita iustitiæ, & labores tui, ô iudex aliorum, à superbia & maleuolentia tua fœdati sunt. Non sunt Deo placiti, quia dum alios, aut oscitantiæ, aut otiositatis condemnas, tuis viribus eos labores arrogas, quos non vires tuæ, sed auxilia diuina pepererunt. Quare infælicissimo superbiæ genere laboras: Nam bona naturalia Deo attribuens, tuæ virtuti supernaturalia ascribis. Vade nunc (inquit Augustinus) & ventila iustitias tuas; iacta te, & dic: Diues sū, Quàm diues? Si volo, iustus sum; si nolo, iustus non sum. In potestate habeo iustum esse, & iustum non esse. Non audis in Psalmo: Qui confidunt in virtute sua?] Ergo & Deus tibi carnem, & Deus tibi sensum; & Deus tibi animam, & Deus tibi mentē, Deus tibi intelligentiam dedit; tu das tibiipsi iustitiam? Quid est caro, quid sunt sensus, quid est anima, quid est mens, quid est intelligentia, sine iustitia? Nonne omnia ista, si iustitia careant, ad pœnam valebunt? Ergo tam diues es, vt cùm Deus tibi dederit inferiora, des tibi potiora? Malè diues, exinaniende diues, si tamen habes, quod te dixisti habere. Quid habes quod non accepisti? Vide quantum malum sit bona gratiæ, & iustitiæ sibi quemquam ascribere; quia in illud certè miserabiliter impingis, cùm alios, aut desidiæ, aut oscitantiæ, aut alterius vitij apud te diiudicas, & tuas virtutes, aut iustitias arroganter exaltas.

Luca 18. Aug. l. 50. hom. hom. 3. Psal. 48. 1. Cor. 4.

Ista generaliter dicta sint, sed attingenda sunt aliqua particularia iudicia temerariè vsurpata (vt ex his paucis alia colligamus) quæ in seruis Dei charitatem eneruant, eósque sensu & voluntate disiungunt, & mala certè grauissima & ipsis, & toti congregationi afferunt. Loquimur autem cum subditis, non cū amico sponsi, id est cum Prælato: cui (vt ait Bernardus) alia ratio est diligentiùs obseruandi, ne quis peccet; & explorandi, an peccet, & emendandi, si peccatum fuerit. A qua sanè necessitate sponsa (id est anima subiecta, & prælationem non habens) libera est, soli viuens sibi, & ipsi, quem diligit Sponso pariter, & Domino suo. Cum subditis ergo loquimur, & eos hanc pestē fugere & hoc impedimētum perfectionis cauere monemus. Ex quibus quidam sunt adeò superbi, & inuerecundi, vt Prælatos suos iudicare non trepidēt. Isti autem in duas sunt veluti factiones diuisi. Nam aliqui Prælatos suos nimiæ seueritatis; alij nimiæ lenitatis arguunt. Illi has cogitationes nutriunt, & fouent in corde. Ad quid tanta cura rerum minimarum? ad quid tanta diligentia, vt hæc regula nullius certè, aut parui momenti seruetur? ad quid tam rigida disciplinę censura? Quid refert, si ora verbis otiosis laxem? Quid si vestem magis curiosam induam? Quid, si à sæcularibus hoc aut illud munusculum, renuentibus Prælatis, accipiam? Hęc tamen acriter prohibere, tam seuerè damnare, non prudentia, non peritia regiminis, sed scrupuli sunt inanes Prælati. Hi verò è contrario cogitant. Quare præpositus istū fratris defectum dissimulat? Quare illi istam commoditatem permittit? Quare non arctat eum, vt istud munus obeat, illud onus suscipiat, illam autem occupationem minùs necessariam relinquat? Quare prælationem admisit, si nescit virtute irrumpere iniquitatē? Nimis blādus est, qui nec suam auctoritatem tuetur, nec obedientiam zelat, nec subditorū voluntates frangit, nec scit illos rectitudini, & regulæ obseruationi subiicere. Ecce iudices iudicum; ecce Prælatos Prælatorū; ecce reges regū, de quibus tamē dicit Dominus per Oseam. Ipsi regnauerunt, & non ex me, principes extiterūt & non cognoui,] quia non à Domino, sed à superbia, & stultitia sunt principes & iudices cōstituti. Et illi primi ferè sēper sunt amatores libertatis, defensores vitiorum, inimici crucis Christi, qui non mundū reliquerunt, sed in religionem secum detulerunt. Cæci sunt, & duces cęcorum, qui non aduertūt nihil esse minimum existimandum, quod Deo

Bern. ser. 40. in Cant. Osea 8.

displiceat

displiceat & puritati religionis officiat. Non considerāt quòd qui spernunt modica, paulatim decidēt.] non expendunt, quod hæc modica, & (vt sibi videntur) parui momenti, ruinæ miserabili ianuam aperiūt. Nam lapsus quispiam (inquit Cassianus) nequaquam subitanea ruina corruisse credendum est, sed aut prauę institutionis deceptus exordio, aut per longam mentis incuriam paulatim virtute animi decidente, & per hoc sensim vitiis increscentibus casu miserabili concidisse. Ante contritionem enim præcedit iniuria, & ante ruinam mala cogitatio.] Secundi verò ex parte periculosiùs delinquunt, quia sub specie perfectionis errant, quorum insaniam, ac tremendi supplicij periculum, non ego, sed Beatus Gregorius grauissimis verbis exponat. Sæpè (inquit) quia intelligi non valēt, deterioribus displicent vel facta, vel dicta meliorum; sed eò ab eis non temerè reprehendenda sunt, quò apprehendi veraciter nequaquā possunt. Sæpè aliquid à maioribus dispensatoriè agitur, vel præcipitur, quod à minoribus error putatur. Sæpè multa à fortibus dicuntur, quæ infirmi idcirco diiudicant quia ignorant. Quod bene bobus calcitrantibus inclinata illa testamenti arca signauit, quam quia casuram credens Leuites erigere voluit, mox sētentiam mortis accepit. Quid est namque mens iusti, nisi arca testamenti? quæ gestata à bobus calcitrantibus inclinatur; quia nonnūquam etiam, qui bene præest, dum subditorum populorum confusione concutitur, ad dispensationis condescensionem ex sola dilectione permouetur; sed in hoc quod dispensatoriè agitur, inclinatio ipsa fortitudinis, casus putatur imperitis. Vnde & nonnulli subditi contra hāc, manum reprehensionis mittunt, sed à vita protinus ipsa, sua temeritate deficiunt. Leuites ergo quasi adiuuans manum extendit, sed delinquens vitam perdidit; quia dum infirmi quique fortium facta corripiunt, ipsa viuentium sorte reprobantur.] Non igitur est securum prælatorum facta iudicare, & sanctitatis prætextu contemnere, quia sic præbemus superbiæ magnum indicium, & in diuinum lumen, quo illi præ cæteris illustrantur, iniuriosi sumus. Quis enim dubitet Deum ad regiminis bonum magis lucere iis, qui præsunt, quàm aliis, quorū curæ gubernatio non est cōmissa? Eo autem lumine superiores perfusi vires spirituales subditorum agnoscūt; ex hac autem notione prouenit, vt quosdam maiori labore salubriter onerent, aliis verò paterno affectu condescēdant.

Eccles. 19.

Cassia. col. 6. c. vlt.

Prou. 19. serm. 70.

Greg. 5. mor. c. 10.

2. Reg. 9.

Sed relinquamus iustos, & ad illos veniamus, qui non iam prælatos suos, sed alios fratres, & socios dānant, & iudicant, & in his duos solos Diaboli dolos, quibus eos illudit, ostendam. Sunt enim aliqui orationi & rebus spiritualibus addicti, qui vitam quietā diligunt: & moderata occupatione contenti, tēpus, quo Deo vacare, & quo lectioni insistere debent; ordinatè disponunt, & tamquam æquabilissimum horologium eâdem hora, & in eadem mensura, orationē, precationes suas, sacræ Scripturæ studium, & externas occupationes assumunt. In hoc nequaquam damnandi, sed omnibus modis iuuandi, si tamē obedientiæ, & diuinæ voluntati per superiores expositæ, hanc suam vitam tam quietam postmittant, & animi modestiam, & sui contemptum non relinquant. Isti solent iudicare, & damnare eos, qui animarum lucra sectantur, & integros dies in earum vtilitatem insumunt, nullū ferè tempus, aut suæ quieti, aut rebus spiritualibus reseruantes. Quare (inquiunt) iste frater non orat, & silentij disciplinam non seruat? Cur cellæ secreta non amat, & sancta lectione non occupatur? Cur in potu, & in cibo non tenet debitam abstinentiæ mensuram? Quare à sæcularium conuictu non rēperat, & tam sine timore in rebus exterioribus se diffundit? Qui ita sibi nequā est, cui bonus erit? Si de sua salute spirituali nō curat, quomodo alienam sibi minus charam procurabit? Hi disciplinæ zelatores, vt cordis sui amaritudini medeantur, dicant illud Pauli sibimetipsis; Tu quis es, qui indicas alienum seruum, Domino suo stat aut cadit.] Serui Christi sunt, & cooperatores eius, qui animarum profectibus occupantur; non iis, qui se spirituales, & perfectos existimant, sed suo Domino obsequuntur; quid horum refert si stent, aut cadant, si suo Domino placeant, aut displiceant: stabunt autem quia potēs est dominus statuere illos. Stabunt profectò, & stant quia illius vitæ tam occupatæ, & exterioris dispendia, supplent compēdia charitatis, & mira conuersio, & emendatio peccatorum. Nō in solo pane viuit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei:] Et licèt isti fortassis pane orationis, & lectionis non viuant, & cultu interiori (quo carent) non proficiant; viuunt tamē ex verbo doctrinæ, bono zelo & simplici intentione aliis administrato, quod sicut proximos alit, ita & ipsos verbi administratores nutrit, atq; sustentat. Et certè præsumptuosum est, infirmos & delicatos, qui paruo labore contristantur, & minima occupatione distrahūtur, iudicare, & dānare illos viros fortes, & industrios, qui Ecclesiā fulciunt, paruulos defendunt, peccatores cōuertūt, & homines (vt est in Psalmis) impositos habēt super caput suū. Illos igitur venerētur, illos suspiciāt, qui sæpè (licèt id nobis absconditū sit) externis laboribus sine vlla intermissione susceptis, magnū spiritū orationis & non communem mentis puritatē & sanctitatē adiungunt, aut saltem intētissimo contemplationis desiderio succenduntur; cui tamen non satisfaciunt, vt obedientiæ iussa perficiant, & charitatis iura custodiant. Sustinēt cū Paulo anathema esse à Christo pro fratribus suis, dū spiritus delicias relinquūt, vt animas à peccatis liberēt, & liberatas Christo lucrifaciāt.

Rom. 14

Matt. 4.

Psal. 65.

Rom. 9.

Hæc in gratiam laborantiū dicta sunt, sed eos etiā (quod multò magis necessarium est) admoneamus, ne pacē confundant, & concordiā turbent, & dicatur illis. Quia turbastis nos, exturbet vos Dominus in die hac.] Isti ergo viros spirituales, & orationi deditos, aut viros quietos, & à nimiis occupationibus auersos, acriter dānant, & tamquā otiosos, inutilésque aspernātur, mordent illos, quia non sēper laborāt, quia negotiis & rebus exterioribus non implicantur. Quā ob causā (aiunt) frater hic, cùm possit, se idoneū non reddit, vt omnibus prosit? Quare id non præstat, quod necessariū est, vt paruulis, & auxilio destitutis proficiat: In tanta animarum necessitate cur infructuosa requie hebescit. Cur otio languet? cur non assurgit? cur nō discurrit? cur nō clamat? cur nos solos relinquit, & non adiuuat nos? Vbi sunt officia charitatis? vbi est nostri cætus ius, & æqualitas, si nos labore perpetuo grauamur, & alij ex nostris feriati, & curis laxati vitā agunt? ô Domine Deus meus; quānta sub his verbis ad laborē exhortātibus, & otiositatem, aut minorem laborem quorundam damnātibus, pestis latet! Video zelum indiscretum, & fatuum; video discordiam pallio charitatis opertam: video intestinū bellum tegumento dilectionis absconditum, video ignorantiā diuinæ vocationis tuæ; Video Diabolū superseminanē zizania in medio tritici; video hostē nos decipientē; video inimicum sub animas lucrandi prætextu nobis illudentem. Et, quod ego certissimè corām te video, da vt illi videant, & animaduertant, qui hoc malum quod iam serpit, radicitus extirpare possunt. Isti profectò valde suis inanibus iudiciis, & amaris quærimoniis decipiuntur; id cupiunt, quod impossibile est, id petunt, quod fieri non potest. Deus quidem

Iosue 7.

A nos omnes ad vnam religionem, sed non ad vnum munus vocabit. Nam si religiosa vita variis constat officiis,& ministeriis, ad sapientissimam Dei prouidentiam spectabat, vt non omnes ad idem ministerium, sed quosdam ad istud, alios verò ad illud vocaret, sicut enim in domo regia, iste ad officium œconomi, ille verò ad munus structoris admittitur; vnus est à secretis, alter à consiliis; quidam à manu, alius verò à pedibus; neque est voluntas principis, vt minores serui ad maiora ministeria conscendant, nec maiores ad minora se demittant, sed vnusquisque munus sibi cōmissum exerceat, vt sic aula regia bene gubernetur, nec sit in ea vlla cōfusio seruulorum: Ita quidē Deus ad hanc regiā suam omnes nos euocauit religiosæ vitæ cultores, sed non ad idem munus adduxit. Quosdam vocat, vt paruulos erudiant; alios, vt disciplinas

B maiores publicè profiteantur; istos, vt confessiones peccatorū excipiant; illos, vt verbū Dei populo subministrent; quosdam, vt antiquam mellem veterānorum colligant; alios, vt nouam infidelium excolant; alios, vt onus gubernationis sustineant. Si autē omnes promiscuè vniuersa munera obirent, & omnium ministeria quisque susciperet, quid inde, nisi tria mala ineuitabilia sequerentur, & quod religio careret ordine, & magnam haberet perturbationem, & quod religiosæ vitæ amatores tot rebus distenti, & occupati, vitam minùs quietam agerent, & sibi, & Deo ad tempus vacare non possent; & tandem, quod nullum ministerium cum ea grauitate, & perfectione, quæ necessaria est, exerceretur? Hoc autem aduersarius noster zelis huiusmodi indiscretis intendit, vt omnes turbentur, & vitam negotiis externis distractam, & à

C rebus spiritualibus alienam agant, & nihil bene fiat, sed grauissima munia, certè apostolorum propria, inconsideratè, festinanter, & sine spiritu tractentur. Si itaque non sunt omnes ad idem munus euocati, stulti sunt, & iniuriosi in fratres suos, qui omnes ad suum ministerium, quamuis perfectissimum, & nimis necessarium volunt pertrahere. Isti autem violenter attracti, nihil prorsus in bello, ad quod non vocantur, efficient. Quare Iosephus, & Azarias à Gorgia victi, & fugati sunt? Quare aduersùs gentes non præualuerunt? An quia Israëlitæ non erant? Nequaquam: Constat enim ortos fuisse ex semine Iacob. Sed quare? Quia non erant (inquit Scriptura) de semine eorum, per quos salus facta est in Israël.] Inter Israëlitas igitur quidam vocabantur, vt contra gentes di-

1. Mat. 5. D micarent; quidam autem, vt vrbes custodirent. Ita inter eos qui ad eamdem familiam, & statum pertinent, quidam vocantur, vt gentes conuertant, vel iam conuersas in fide conseruent; quidam autem non vt gentes inuadant, sed vt suorum ciuitates, verbo, & exemplo custodiant. Si ergo tu hoc magnum donum à Deo suscepisti, vt sis de semine eorū, per quos salus fit in Israël, qui tamquam bellator fortis hostes prosternis, & inimicorum exuuias in Ecclesiam adducis, quare contemnis aliū, qui & si Israëlita sit, non tamen est de semine vocatorum ad bellum? Ad quid prouocas eum ad præliandum cum gentibus, nisi vt miserè præ tristitia cadat, & inter magnas labendi occasiones intereat?

E Hanc múnerum distinctionem, quæ debet esse in

1. Cor. 12. Ecclesia, & in quolibet cœtu fidelium, Paulus aptissima corporis similitudine explicuit. Si totum corpus oculus (inquit) vbi auditus? Si totum auditus, vbi odoratus? Nunc autem posuit Deus membra, vnumquodque eorum in corpore sicut voluit. Quod si essent omnia vnum membrum, vbi corpus? Nunc autē multa quidem membra, vnum autem corpus.] Est ac si diceret: si omnes omnia ministeria exercent, vbi erit, qui bene aliquod ministerium tractet? Si omnes per seipsos animarum salutem curant, quis gubernabit domum? Quis docebit scientias? Quis in aliorum ministeriorum occupationem incumbet? Vires hominis non solùm moderatæ sunt, sed etiā exiguæ; quare satiùs est, vt quisque seipsum metiens, & suam imbecillitatem agnoscēs, non immoderatas occupationes, quæ obruunt, sed discretas & moderatas accipiat: Intelligamus ergo ineptas querimonias, quibus nimis occupati aliis detrahunt, tēdiculas esse aduersarij, vt à nobis charitatem, & concordiam surripiat, & spiritum orationis, veráſq; animi virtutes expellat. Vnde melius erit, vt à membris corporis animus, quod expedit addiscat. Oculus videt, & non audit (inquit Augustinus) auris audit, & non videt; manus operatur, nec audit, nec videt; pes ambulat, nec audit, nec videt, nec facit, quod facit manus: sed in vno corpore, si sit sanitas, & nō aduersū se litigent mēbra, & auris videt in oculo, & oculus audit in aure; Nec obiici potest auri, quod nō videt, vt dicatur ei, Nihil es, minor es: Nūquid videre, & discernere colores potes, quod facit oculus? Respōdet enim auris de pace corporis, & dicit: Ibi sū, vbi est oculus, in eo corpore sum; in me non video, in illo, cum quo sum, video. Ita, cum auris dicit, oculus mihi videt, oculus dicit, auris mihi audit, oculi, & aures dicūt, manus nobis operantur, manus dicūt, oculi & aures nobis vident, & audiūt; oculi, & aures, & manus dicūt pedes nobis ambulāt. Omnia in vno corpore, cū operantur, si sit ibi sanitas, & cōcordent mēbra, gaudēt, & cōgaudēt sibi.] Ista igitur cōcordię vox inter nos sit. Omnes sumus vnius corporis mēbra; ille pro nō docētibus, docet; ille pro non cōcionantibus, cōcionatur; ille pro non laborantibus laborat: Vnusquisque munus sibi demādatum obeat, & pro aliis. & in aliorum vtilitatē exerceat, & munerum confusionē non petat. Neque putandum est hanc ministeriorū diuisionem æqualitati repugnare. Nam sicut æqualitas membrorum non est, quod omnia eadem magnitudine constent (Nihil enim esset hac æqualitate, aut inæqualius, aut deformius) sed quod vnūquodq; eorum eam habeat magnitudinis molem, & illum laborem suscipiat, & illam proportionem seruet ad alia membra, sicut toti corpori est necessariū: Ita religiosorum æqualitas non est, quòd omnes idem munus obeant, æqualiter laborent, idem genus occupationis admittāt; sed quod quisque iuxta vires, & vocationem suā, & iuxta superioris præscriptum toti corpori prosit, ita vt in vniuersa pietatis officia bene peragantur. Optima res est concordia (ait Nazianzenus) optimū, animorū consensu inter se, ciuitates, & populos, & familias, & singulos homines iūgi; legem videlicet, ordinémque naturæ sequentes, quæ omnia distinxit, simul atque constrinxit, ac totam hanc rerum molem, mundum vnum ex pluribus rebus effecit. Concordia itaq; distinctorū coniunctionē amat, non distinctionē, & diuersa numera partium excludit. Æqualitatem affectus, & amoris quærit, non æqualitatem laborū, & occupationū requirit. Istæ sanè cogitationes, quibus vnius, aut diuersæ congregationis fratres se mutuò damnāt, atq; diiudicāt manifesta sūt imperfectæ vitæ, & tepidæ charitatis indicia. Nā perfecta charitas non cogitat malum, nō solùm aliorum bona gesta interiùs non damnat, sed mala quoq; & minùs licita, aut prudenter, tamquam ad se non pertinentia præterit, aut amanter excusat. Quamobrē manifestū est hunc esse perfectionis fructū, aliorum gesta minimè iudicare, sed omnium iudici Deo iudicāda relinquere. Si ergo ad huius perfectionis culmē volumus peruenire, habeamus erga fratres Christi vestigiis inhærentes, cor blandum & dulce, non contristemus pusillos, sed illis

Aug. in psal. 130.

Greg. Naziānz. orat. 1. in Iulianum.

compatia

compatiamur, sinamus festucas aliorum, & nostras trabes extrahamus; Nam qui optant saluari (inquit Dorothæus) numquã curiosi sunt circa minima proximorum delicta, sed circa sua semper occupãtur, atque ea præcidunt.

Doroth. doct. 6.

De secundo fructu huius perfectionis, qui est nemini obloqui.

CAP. XXVII.

SECVNDVS fructus perfectionis, vt respicit proximos, est, nemini verbo, aut sermone contumeliam aut iniuriam irrogare, sed fratrum absentium semper honorem tueri, & præsentiũ corda dulci, & prudenti sermone lenire. Quem fructum ex Saluatore nostro, ac perfectionis magistro debemus accipere, & ab eo disciplinã de alijs loquẽdi comparare. Quàm enim cautè, quàm honorificè ipse, non quidẽ de æqualibus, sed de minoribus, & de creaturis suis loquutus sit, regius vates breuissimo, sed dulcissimo versu cantauit. Ex vsuris (inquit) & iniquitate redimet animas eorum, & honorabile nomẽ eorum coram illo.] Homines quidem à vitiis & peccatis liberasse (quæ interprete Augustino, vsurarum nomine intelliguntur, quia plus mali inuenitur in suppliciis, quàm commissum est in peccatis. Nam si quis proximi corpus occidendo læsit, seipsum corpore, & animo in infernum detrusit,) causa esse potuit, vt eos tamquam seruos emptitios, aut tamquam mancipia vilissima bello capta tractaret, & verbis contumeliosis offenderet, ignominiámque maledictis inureret. Sed non ita fuit, imò honorabile nomen eorum coram illo. Imò dignissimis nominibus cõpellauit, honorificis titulis exornauit, laudationibus est prosequutus. Iam nomen eorum deleuit in æternum & in sæculum sæculi,] illud scilicet nomen, quo vocabantur apud Hoseam: Absque misericordia, & non populus meus.] Iam nec memor erit nominum eorum per labia sua,] illorum scilicet nominum, quibus hostes, inimici, infideles, idololatræ vocabantur: Sed eos oues, amicos, fratres, filios appellat. Ego (inquit) sum pastor bonus, & cognosco oues meas, homines nimirum, quos à Diaboli laqueis eripui, & in meũ gregem adduxi. Et rursus. Iã non dicam vos seruos, quia seruus nescit, quid faciat dominus eius; vos autem dixi amicos, quia omnia quæ audiui à patre meo nota feci vobis, & tamquam amicissimis meis secreta cælestia manifestaui. Et iterum; Non confunditur vocare fratres suos, dicens: Nunciabo nomen tuum fratribus meis, in medio Ecclesię laudabo te.] Vnde Mariæ dixit: Vade, dic fratribus meis, ascendo ad patrem meum, & patrem vestrum, Deum meum & Deum vestrum.] Vt enim nos suos fratres vocaret, & efficeret paulominus ab Angelis minoratus, Patre, cui secundùm naturam diuinã erat æqualis, secundùm humanam minorẽ se fecit. Denique per prophetam ait: Ego ero illis in Deum, & ipsi erunt mihi in filios, & filias.] Honorabile quidem nomen eorum coram illo. Non potest autem humana infirmitas eam dulcedinẽ cogitare, qua suauis, ac dulcis Dominus cum hominibus loquebatur. Nihil erat in eius verbis horridum, nihil incultũ. Non clamabit (vaticinatus est Isaias) neque accipiet personam, neq; audietur vox eius foris. Calamum quassatum non cõteret, & linum fumigans non extinguet: In veritate educet iudicium: Non erit tristis, neque turbulentus, donec ponat in terra iudicium, & legẽ eius insulæ expectabunt.] Quid est, obsecro, non clamabit; nisi quod mitissimus Dominus non erat clamosus, neque importunus altercator; non clamabat, sed summa modestia, ac animi benignitate homines admonebat, & ad rectitudinẽ hortabatur? Non audiebatur vox eius foris, non in vicis, & plateis coram externis, aut in domo inter suos perstrepebat; imò inter persequutores non aperuit os suum, sed tãquam ouis ad occisionem ductus est, & quasi agnus coram tondente se, non præ metu, sed præ mansuetudine, obmutuit.] Calamum quassatum non conterebat, & linum fumigans non extinguebat; quia neminẽ quantumuis fragilem, & contemptibilẽ aspernabatur: peccatis fractum, gratia & misericordia redintegrabat, & iamiam tẽtationibus penè extinctum, pace & trãquillitate, & victoria ab hostibus parta igne charitatis accendebat. Sanè nõ erat tristis, neq; turbulentus, ille, qui perfidi venditoris immane facinus siluit, & impurissimi traditoris osculum non exhorruit, & teterrimũ hostẽ, verè & ex animo amicũ cõpellauit.

Psal. 71. Aug. ibid. Psal. 9. Hosea. 2. Psal. 15. Ioan. 10. Ioan. 15. Hebræ. 2. Psal. 21. Ioan. 20. Psa. 8. Cesar. 2. 2. Cor. 6. Isaia 42. Isaia 53.

Hæc lenitas Saluatoris, quæ in verbis eius sanctissimis elucebat, suæ est erga nos dilectionis insigne: & idẽ, qui charitate proximorum feruẽt, & perfecti sunt signũ veræ dilectionis, & fructũ suæ perfectionis exhibeant. Primò, fratrum infirmitates & defectus debent silẽtio cooperire, neque illis leuiter, atque inaniter obmurmurare, illud adimplẽtes Ecclesiastici: Audisti verbum aduersùs proximum tuum, cõmoriatur in te fidens, quia non te dirumpet. Sunt enim aliqui animi ita angusti, & minuti, vt modicum proximi defectũ non capiãt, sed simul atq; eum viderint, aut cognouerint, aut (quod detestabilius est) temerè iudicauerint, incõsideratè effutiant, & intra se continere nõ possint. In istos illud eiusdem Ecclesiastici quadrat: Væ duplici corde, & labiis scelestis, & manibus malefaciẽtibus, & peccatori terrã ingrediẽti duabus viis.] Duplex namq; habẽt cor: vnũ, amplum, & vitio proprij amoris distentũ, in quo propria peccata celant, & quasi cadauera putrida sepeliunt; alterum arctũ, & inuidiæ labe satis angustũ, in quo nec leue alterius peccatum possunt abscõdere: Labia habẽt scelestia, quia nihil sonant, nisi peccata, & scelera proximorum & bona illorũ pro ingenita malitia, aut penitus fœdant, aut si id non possunt, extenuant. Manus sunt illis malefacientes; nam & si fratrem manu non feriant, lingua tamen & verbis vice manus percutiũt: & ingrediuntur duabus viis; vna, qua sua peccata excusant & cõtegunt; alia, qua fratrum defectus accusant & aperiunt. Neque illi profectò nimis taxantur, quos Bernardus multò maiori acrimonia perstrinxit. Proditores sunt (inquit) quicumque in hoc Domini castrum inimicos eius introducere moliuntur, quales sunt vitique detractores, Deo odibiles, qui discordias seminant, nutriunt scandala inter fratres. Sicut enim in pace factus est locus Domini, sic in discordia locum Diaboli fieri manifestum est. Non intremini fratres, si duriùs loqui videor, quia veritas neminem palpat. Omninò proditorem se nouerit, si quis fortè (quod absit) vitia qualibet in hanc domũ conatur inducere, & templũ Dei speluncam facere dæmoniorũ. Gratias Deo, nõ multos hic inuenimus huiusmodi, sed tamen deprehendimus interdum fortè nõnullos, qui colloquantur hostibus, & paciscantur fœdus cũ morte, hoc est moliantur, quod in eis est, imminuere ordinis disciplinam, intepescere feruorem, turbare pacem, lædere charitatem.] Longè absunt hi ab exẽplo Christi sectando; ille enim nulli malum intulit; isti verò omnibus mala suis verbis important. Per illum nemo quicquam boni perdidit: per istos verò vniuersi & ipsi quoque bonitatem amittunt. Nam qui murmurat (inquit Laurentius Iustinianus) fratris æstimationem in corde perimit audientis, audientis quoque

Eccle. 19. Eccles. 21. Bern. ser. 3. de ded. Eccles. Laur. Iust. de. disc. per. mon. c. 4

animum in odium concitat delinquentis, & propriã animam mucrone percutit detractionis.] Hi sunt, qui cætus sanctorum turbant, & mille peccatis contaminant: Nam alij detractionibus maleuolorum læsi irritantur, indignantur, iniuriæ vindictam appetunt, & interdum vni obmurmurationi multis obmurmurationibus respondent. Contemplemur itaque, ne quis desit gratiæ Dei, illi inquã gratiæ, qua nos ad magnam pacem & ad fidelissimam vocationem vocauit; ne qua radix amaritudinis sursum germinans, & in verba prorumpens, impediat profectum nostrum, & per illam inquinentur multi.] Radix amaritudinis est detractio: Nam sicut ex vna radice multi rami procedũt; ita ex vna detractione multiplex emergit amaritudo in cordibus aliorum. Vnus lupus si in caulas ouium ingrediatur, vnus cùm sit, omnes oues perturbat & miscet; & vnus inuidus, aut maleuolus, & bono dilectionis carens, sufficit vniuersos, qui in domo sunt, vna obmurmuratione turbare. Neque dicat aliquis, leuissimum est, quod dico, nullius momenti est, quod effutio; quid enim refert leuia tantum dicere, si leuia ista grauissimum malum perturbationis toti congregationi afferunt? Si leuia ista reos diuini iudicij, pacis turbatores efficiunt? Nec cauendũ à grauioribus tantùm offensis (inquit Bernardus) verbi gratia, ab aperto conuitio, seu maledicto, sed à clandestino quoque, & venenato susurrio. Non, inquam, sufficit os custodire ab his, & similibus, cauenda sunt leuia, si tamen leue debeat dici, quodcumque in fratrem præsumpseris voluntate lædendi, cùm hoc solo si irasceris illi diuini reus iudicij teneatis.]

Hebr. 12.

Bern. ser. 19. in Cant.

Defectus autem fratrũ aperire Prælato (aut fraterna correctione præmissa, si illi renunciatum non sit, aut sine illa vbi omnes huic suo iuri renunciarunt) neque est detractio, neque fraudulentum susurrium, & multò minus aduersatur charitati, si tamen tria documenta seruentur. Alterũ, ne irati, & indignatione possessi, sed animo iam pacato, & tranquillo fratris casum Præposito manifestemus. Eiusdem enim detrimenti est, si irati puniamus, ac si patri, qui remedium allaturus est, delinquentis peccatũ irati pandamus. Ita namq; modum in punitione non seruat, & mẽsuram veritatis in alieno peccato detegẽdo semper excedit. Alterũ, ne vulnus fratris ostendamus spirituali medico, animo & voluntate lædendi, sed eo solo desiderio permoti, vt qui nocet, non noceat adhuc, & qui in sordibus est, non sordescat adhuc.] Sed à casu vel defectu liberatus in cordis sanctitate perduret. Nã si lędendi animo, aut nocendi desiderio, casus fratrum Prælato detegantur manifestatio hæc, non iam ad dilectionẽ pertinet; sed ad detractionẽ, & maleuolentiã spectat. Quid enim ad obloquentis excusationem refert, si Prælatus ex eo, quod sibi dicitur, corrigendi eũ, qui deliquit, occasionẽ accipiat; dũ ipse, qui obloquitur, nõ emendationẽ fratris, sed eius infamiam, & dedecus aucupatur. Oculus sanè istius non recta intentione loquentis, nequã est, licèt Præpositus, eius malitia in medelam peccatoris vtens, bonus sit. Tertium denique vt defectum fratris sincerè & sine vlla exaggeratione, vt gestum est, reueletur. Sunt enim aliqui, aut iracundia permoti, aut zelo nimio religionis incitati, qui ita modicam incuriã coram Prælato sui fratris amplificant & verbis exaggerant, ac si infirmus ille, qui defecit, totam communitatem perturbasset, aut religionem funditus euertisset. Hoc malum ex prima genitrice Eua humana natura contraxit; sicut enim illa Dei præceptum amplificauit, vt creatorem suum nimij rigoris argueret: Præcepit (inquit) nobis Deus, ne comederemus, & ne tangeremus illud (absque dubio lignum vitæ) ne fortè moriamur] cùm tamen piissimus Dominus, non ligni contactum, sed fructus dumtaxat esum prohibuisset: ita & huius matris filij valdè proni sunt ad aliorum facta exaggerãda, ea præsertim, quæ aliquam mali speciem præse ferunt. Ista autem veritas, & manifestationis sinceritas, in hoc consistit, vt si defectus tui fratris modicus fuit, nõ eum tuis verbis magnũ, & intolerabilem facias: si magna occasione sibi oblata ex infirmitate peccauit, ne dicas, illum ex malitia, & sine vlla occasione deliquisse: si semel, aut bis cecidit, ne numero aliquid addas, affirmésque sæpius cecidisse: si peccati reus est, ne vitio, & prauo habitu laborantem efficias. Aliud enim est dicere (auctore Dorotheo) quod iratus sit frater, atque aliud quod iracundus; quia scilicet hoc non vnã actionem tantùm, sed totam eius vitã aperit, atq; commaculat.] His igitur obseruatis, aliorum errata Prælatis aperire magni profectò meriti est, & eximium charitatis indicium; nam qui ita se gerit, non solùm illum amat, quem detegit, sed totam religiosam vitam diligit, cuius dispendium etiã minimum hac ratione propulsat, & splendorem perfectionis, & sanctitatis, miro modo conseruat.

Apoc. 22.

Genes. 3.

Doroth. doct. 6.

Aliud etiam in verbis necessarium est, ad perfectã dilectionem tenendam, ne scilicet detrahamus, nec detractores audiamus, illud Salomonis implẽtes. Remoue à te os prauum, & detrahentia labia sint procul à te.] Et rursus illud Psalmistæ obseruantes: Detrahentem secretò proximo suo, hunc persequebar.] Nihil enim magis mutuam inter fratres charitatem exhaurit, quàm obloquutores, & susurrones admittere, quorum verba, non amici; aut fratris virtutes, sed vitia, & defectus narrantia sensim ad molestiam, & odium inuitant. Hoc profectò Ecclesiastes significat, dicẽs: si mordeat serpens in silentio, nihil eo minus habet qui occultè detrahit.] Sicut enim serpens absconditè venenum infundit; & cùm aduertis, inuenis te ab illo percussum, & veneni pestiferi violentia sauciatũ: sic detractorẽ admittens, & fratris peccata, aut defectus audiens, subitò amorẽ, quem erga illum habebas, aut vulneratum, aut penitus exhaustum inuenies. Sed forsitan hæsitabit quispiam, an omninò auditio defectus alieni sit respuenda, an potius aliquando admittenda? Admitti quidẽ potest, quãdo ille qui defectũ alterius aperit, iustè se gerit. Nã duo sũt tẽpora (auctore Basilio) in quibus liceat secùs aliquid de aliquo dicere, videlicet, vt quãdo necesse habet aliquis cõsultare vnà etiã cum aliis, qui ad hoc idonei iudicati sunt, quo pacto corrigendus sit, qui peccatum cõmisit: Et item, quando necessitas poscit, vt periculo consulatur aliquorum, qui sæpenumero ex ignorantia cõmisceri possent cum malo, tamquã cum bono. Cùm Apostoli præceptũ sit; vt ne quis se cũ his cõmisceat, qui istiusmodi sunt, ne quando capiat laqueos animæ suæ.] Extra huiusmodi verò necessitatem, qui aliquid secus de aliquo loquitur, illius insimulandi, vel vituperandi causa, detractor est; esto verũ sit, quod loquatur.] Istis ergo, qui nocẽdi animo obloquũtur, & aliorũ crimina, siue grauia, siue leuia in ore versant, haud quaquã aures præbeat verus amator, si vult charitate fraternã integram, & illibatã custodire Sed si ille, qui detrahit vir est magnæ auctoritatis, cui os aperta reprehensione obturare non audet, saltẽ tristitia, & grauitate vultus obturet. Dices (inquit Hieronymus) ipse non detraho aliis loquentibus, quid facere possum? Ab excusandas excusationes in peccatis ista prætendimus. Christus arte non illuditur, nequaquam mea, sed Apostoli sententia est: Nolite errare, Deus non irridetur.] Ille in corde, nos videmus in facie, Salomõ loquitur in prouerbiis: Ventus Aquilo dissipat nubes, & vultus tristis linguas detrahentium.] Sicut

Prou. 4.

Psal. 100.

Eccl. 10.

Basil. in reg. breu. ad inter. 25.

1. Cor. 5.

Hyeron. ep. 4. ad Rustiũ. c. 9.

Galat. 6. Prou. 25.

enim

enim sagitta si mittatur contra duram materiam non numquam in mittentem reuertitur, & vulnerat vulnerantem, illúdque completur: (*Osea.7. Eccl. 27.*) Facti sunt mihi in arcum prauum.] Et alibi : Qui mittit in altum lapidem, recidet in caput eius;] Ita detractor cum tristem faciem viderit audientis, imò ne audientis quidem, sed obturantis aures suas, ne audiat, iudicium sanguinis, illicò conticescit, pallet vultus, hærent labia, saliua siccatur. Vnde idem vir sapiens (*Prou.24.*): Cum detractoribus (inquit) ne commiscearis, quoniam repente veniet perditio eorum, & ruinam vtriusque quis nouit?] Tam scilicet eius, qui loquitur, quàm illius qui audit loquentem?] Si autem detractor æqualis est, aut etiam minor, non sunt necessarij circuitus, sed palàm dicendum est ei : Dum aliquod bonum fratris mei affers, libenter audio: sin autem mala effutire vis; non audio. Zelemus nosipsos, ploremus peccata nostra, curemus infirmitates nostras; aliorum verò dicta, aut facta, quæ quidem minimè ad nos attinent, relinquamus.

His modis, cùm fratres absentes sunt, in charitatem simul, & iustitiam peccamus; sed si præsentes adsint, duo alia vitia fugienda sunt : Alterum ne verba contumeliosa, aut iracunda in illos proferantur: Alterum ne qua iniuria lacessiti, & prouocati penitus irascamur. Rixæ quidem, contentionésque verborum sunt velut aquæ impetu defluentes, quæ ignem amoris in cordibus sanctorum accensum, extingunt, & mutuam auersionem nutriunt, ac fouent. Verbum vnum impatienter; & inconsideratè prolatum est, sicut acutissimum tellum, quod primum quidem proferentem percutit, deinde verò miserabiliter audientem confodit. Vnum est, sed non vnum solum affert dispendium; nam & loquentem crimine iracundiæ ferit, & audientem animi tristitia cómouet, & charitatem pellit, amicitiámque disiungit. Vnde apud Ecclesiasticum legimus (*Eccl. 22.*): Mittens lapidem in volatilia, deiiciet illa: sic & qui conuitiatur amico, dissoluit amicitiam.] Violat sine dubio amicitiam & mutuam soluit dilectionem, qui conuitiis, & improperiis fratrem contristat: Nam dilectionis proprium est dilectum honore prosequi, & eius vitia, si quæ habet, contegere. Hanc autem legem trásgreditur, qui hostis ingenium induens dedecore fratrem afficit suum, eiúsque imbecillitates in publicum prodit. Violat in semetipso dilectionem, qui percutiens fratrem mucrone conuitij, in tam præstantissimam virtutem verba pronuntiat, & violat in alio quem impedit, quoniam in eo dilectio, verbi iniuria perimitur, & ira, & furor, & odium excitatur. Mirum autem est, quàm difficulter per conuitium, vel contumeliam amicitia dirupta reparetur. (*Eccl. 22.*) Ad amicum (subiungit Ecclesiasticus) & si produxeris gladium; non desperes; est enim regressus ad amicùm, si aperueris os triste, non timeas, est enim concordatio; excepto conuitio & improperio, & superbia, & mysterij reuelatione, & plaga dolosa: in his omnibus effugiet amicus.] Itaque sicut superbire, & fratré velle pedibus proterere; & cóculcare, amicitiam omninò destruit; sicut eius magni momenti secreta reuelare charitatem funditus diruit, sicut illi vulnus insidiosè & fraudulenter infligere, penitus dilectionem euertit: ita & non minus verbum improperij, siue conuitij necessitudinis iura dissoluit. Si verò hæc charitatis violatio, & amicitiæ dissolutio in tanta obligatione eam conseruandi non timetur, timeatur saltem terribilis illa comminatio Saluatoris qua inquit. (*Matt. 5.*) Amen dico vobis, quia qui irascitur fratri suo reus erit iudicio, qui autem dixerit fratri suo, raca, reus erit concilio : Qui autem dixerit fatue, reus erit

A gehennæ ignis.] Timeatur fratris interdum Deo dilectissimi iusta querimonia, qui iniuria læsus, & cótumeliosis verbis afflictus, Dominum suum, à quo vtique tenerrimè amatur, aduersùs eos qui se contristauerunt, interpellabit cum sponsa, dicens: (*Cant.1.*) Domine, filij matris meæ pugnauerunt contra me, læserunt me verbis, afflixerunt iniuriis, dilacerarunt detractionibus.] Citra dubium autem misericors & benignus Dominus sponsæ suæ querelas exaudiet, & in eós, qui eam sine causa contristant, grauiter animaduertet. Timeatur denique eiusdem fratris, aut miser casus, aut certè nimia tristitia, qua occupatus, & absorptus, nec merita cumulare, vt solebat, nec mala vitare sciet, cuius peccata in caput illius recidẽt, qui occasionem obtulit tanti doloris. Vritur ille, & moritur (inquit Bernardus) (*Be. n. ser. 19. in Cant.*) clauso lætali vulnere intra

B semetipsum gemens, dũ totus in ira & disceptatione positus, nihil aliud silens versare in mente possit, nisi iniuriam, quam accepit. Non potest orare, non potest legere, non sanctum, aut spirituale aliquid meditari: & ita intercepto vitali spiritu, dum suis destituta alimentis vadit ad mortem anima, pro qua Christus mortuus est, quid tu interim, quæso, animi habes? Quid oratio tua, aut opus quodcumque interim feceris, sapit tibi, cótra quem nimirum Christus anxiè clamat de pectore fratris tui, quem contristasti, filius (inquiens) matris meæ pugnat contra me; (*Cant. 1.*) &, qui simul mecum dulces capiebat cibos, repleuit me amaritudine? Quod si dixeris illum, non tam grauiter pro tam leui causa debuisse turbari; respondeo : Quantò leuior est, tantò à te leuiùs potuit non committi;

C quamquam nescio quomodo leue dicas, quicquid amplius est, quàm irasci, cùm vel hoc ipsum obnoxium esse iudicio, ex ore ipsius acceperis iudicis. Quid enim? Tu ne leue dixeris, in quo offenditur (*Hebr.10.*) Christus, vnde ad Dei iudicium pertrahi habes, cùm horrendum sit incidere in manus Dei viuentis?]

Qui his monitionibus eruditus fratrum iniurias fuerit auersatus, & os suum obturare didicerit, vt (*Psal.33.*) prohibeat linguam suam à malo, & labia eius non loquantur dolum,] ne in hoc gradu mansuetudinis, & remedio dilectionis sistat, sed alium etiam superiorem altiorémque conscendat, vt scilicet à fratre contumelia & conuitio aliquo læsus, penitus iræ ianuam sui cordis occludat, & indignationem irruentem non admittat, Christi mansuetudinem opere

D amplectatur, qui Samaritanus, & dæmoniacus vocatus, hilari vultu, serena facie, corde tranquillo, ac mitibus verbis respondit: (*Ioann. 8.*) Ego dæmonium non habeo, sed honorifico Patrem meum, & vos inhonorastis me:] Mansuetè improperia audiat, sicut dux noster amantissimus cruci affixus, tot improperia, & conuitia in se prolata mitissimè audiebat, ac cum æterno Patre suo loquens, cum hominibus omnino silebat, Conuitij vindicta sit, aut culpæ modesta confessio, aut si culpæ non est sibi conscius, humilis & mansueta responsio: Nam (vt est apud Salomonem) (*Prou. 15.*) responsio mollis frangit iram. Non multum ab amatore Christi postulatur; si ab eo petitur, vt verbum fratris, solum profectò aërem verberans, patienter sustineat, qui crucifixi pedibus oscula figens,

E constanter promisit se verbera, colaphos, lanceas, gladios, & sagittas, & ipsam mortem acerbissimam pro eo libentissimè perpessurum. Non est difficile conuitium sustinere, quo appetitus nihil mali accepit, & conuitiator seipsum percussit, & Christum ipsum suæ maledicentiæ vltorem expectat. Si quando insurrexerit contrarius tibi (inquit Thomas à Cãpis, author simul spiritualis & pius) (*Thom. à Camp. epist. 1.*) & dixerit, quod non libenter audis esto patiens, & tace, illatis malis

A Dominus respondebit. Iustus enim Dominus inultum non patietur abire, quodcumque nociuum verbum. Quid tibi nocere potest alterius malitia, si cōtra te insaniat, si detrahit, si obiurgat? Seipsum magis prodit, quia bonus non est. Nam si tu bonus fueris, & in patientia manseris, nihil mali tibi intulit, sed potius meritum tuū auxit. Tu clarior ex opprobrio coram sapientibus, tu probatior ex virtute patientiæ. Nemini nocet prauitas alterius, neminē lædit verbū contumeliosum quamdiu ipse pius & immotus fuerit. Omnis homo qualis interiùs est, talis ei exterior aduersitas erit; quia si tu bonus, simplex, ac rectus, ac Deū timēs probaris, nemo tibi bonitatem, iustitiam, & pacem tuam potest auferre, nisi eam voluntariè reliqueris. Non est magna patiētia, quam parua res perturbat. Disce saltem tacere ad iniuriā, quia prudētis B est tacere in tempore malo.] Ista in aduersis mansuetudo est verissima iniuriarū victoria, certissima imitatio Christi, decorū indumentum Euangelicę legis, & inconcussa tutela charitatis. Hanc qui habet, fratrem in amicitia, & dilęctione cōseruat; insipientibus victus, sed Deo, & Angelis, & hominibus sapientibus victor apparet; nomen longanimis, & mitis ac æternæ patriæ ingressum conquirit. Nā per multas tribulationes & labores oportet nos introire in regnum Dei.] Quādo verborū contumelia tentaris (ait Basilius) illud existima periculū de te fieri, an Deo per patientiā adhæreas, seu per iram in aduersarij partes inclines. Da tempus cogitationibus, ad optimā eligendi partem, opportunum. Nā è duobus, alterū procul dubio consequeris, aut inimicum tuæ māsuetudinis exemplo munitiorem reddes, vel certè si despexeris, acrius illū vindicabis. Quid enim aduersario rudius esse potest, quàm te animum gerere cōtumeliis omnibus altiorem? Noli tuam pessundare mentem; nec ab eo qui te conuitiis, & omni iniuria petit, cōprehendi patiare? Sine illum frustra te allatrare, in seipso disrumpi. Sicut enim ille, qui minimè sentientem, aut curantem verberat, seipsum lædit, & incommoda afficit, quòd nec inimicum plectere, nec animā itàque exsaciare se videat: Sic & is, qui contumelia in eum, qui nequaquam doleat, vtitur, perturbati animi consolationem inuenire nullo modo poterit. Quin potiùs (quemadmodum diximus) ardebit magis, & animo æstuabit. Ex hac igitur conditione, quale vterque vestrū nomen assequamur, videamus; Hic contumeliosus, tu magnanimus vocaberis; hic iracundus & durus, tu longanimis, & mitis; hunc quandoq; pœnitebit horum, quæ loquitur, te numquam benefacti, aut virtutis pœnitebit. Quid plura? Huic contumelia regnum cælorum clausit. Quod contumeliosi regnum Dei nō cōsequentur; tibi taciturnitas idem aperuit. Nā qui sustinebit vsque in finem, hic saluus erit.] Ne ergo tota bona simul cum charitate, vnica commotione perdantur, enitendum est, vt iniuriam, vel contumeliam pacatus animus, lene verbum, & mansuetum signum excipiat.

Act. 4.

Basil.

Matt. 24.

Meritò autem signorum etiam mentio facta est; quoniam sunt nonnulli, qui cum iniuria afficiuntur, verba quidem improperij comprimunt, vultus tamen tristitiam, & gestus indignationis indices cohibere non valent. Cùm tamen huiuscemodi signa minùs acceptam iniuriam reddant, & talionem referant, quàm si quis verbis contumeliosum læsisset. Sunt enim signa quædā (inquit Beatus Dorothæus) quibus proximum lædimus; sunt aspectus, quibus eundem affligamus & molestia non parua afficiamus: signa itaque commotionis, & iræ etiam abiicienda sunt, quia cor blandum, & mite, & charitatis dulcedine imbutū, nec verba dura, nec signa tristia,

Doroth. doctr. 3.

& insuauia permittit.] Hæc autem lenitas & mansuetudo non tantùm sæcularibus, & externis exhibēda est, sed pari cura fratribus, & domesticis ostenda. Nam sicut mansuetudinem cùm verbis impetimur apud externos, ipsorum ædificatio postulat; ita cùm à domesticis irritamur, eandem, bonum charitatis odor exposcit. Et non mansuetudini, sed inani gloriæ imputabitur, si quis cum sæcularibus agens, patiens, & mitis sit, cum fratribus verò conuersans, impatiens & iracundus videatur. Præceptum enim Domini, ne fratribus irascamur, obligat quidem nos, ne aduersùs aliquem hominem (qui, vt iam diximus, nomine fratris intelligitur) iram concipiamus; sed multò magis constringit, ne fratrem nostræ conuersationis participem indignatione lædamus. Ex quo aliquorū deploranda fatuitas deprehenditur, qui cū fuerint conuitio alicuius fratris offensi, si ad lenitatem, & mansuetudinem inuitentur, illud solent respondere, quod legimus apud Ioannem Cassianum. Si paganus aliquis, si hoc sæcularis fecisset, aut ista dixisset, rectè debuit sustinere; quis autem ferat fratrem tam grauis conscium culpæ, aut tam insolens de ore conuitium proferentem?] Huic autem querelæ, ipse Cassianus certè eximius vitæ spiritualis pręceptor satisfaciat. Quasi verò (inquit) patientia infidelibus tantùm, atque sacrilegis, & non omnibus sit generaliter exhibenda, aut iracundia contra gen-C tilem noxia, contra fratrem vtilis æstimanda sit, cùm vtique perturbatæ mentis obstinata commotio, non dissimile, contra quemuis fuerit excitata, sibi inferat detrimentum. Tandem si quando contigerit, aut fratrem verbo aliquo offendere, aut offensos ab illo, & irritatos irasci, meminerimus sententiæ Abbatis Ioānis, qui cùm à magno sene Pesio audiret: Numquam me sol reficientem vidit; ipse subiunxit: Nec me vidit iratum. Non obliuiscamur monitionem Pauli; sol non occidat super iracundiam vestram;] sed ante solis occasum, ante nocturnam quietem fratri offenso reconciliati cum eo, in gratiam, & amicitiam redeamus, semper nos somnus tranquillos & pacatos excipiat, vt quietam dormitionem, qua corpus quiescat, cor autem desiderio orationis inuigilet, feruida D oratio, & pacifica cum Deo colloqutio subsequatur. Qui hac ratione suā linguam frænauerit, suam iram cohibuerit, & signa tristitiæ compresserit; si id iam ex habitu fecerit, & facilè hilariterque præstiterit, fructum profectò suauissimum perfectæ charitatis fraternæ habet, & optimo iure potest ab omnibus reputari perfectus.

Cassian. col. 16. c. 17.

Cassia. de spiritu Gastrim. c. 17.

Ephes 4.

De tertio fructu huius perfectionis, qui est omnes opere & exemplo iuuare.

CAPVT XXVIII.

POstremus perfectæ charitatis fructus in hoc situs est, vt omnes proximos bonis operibus adiuuemus, & sancti-E tatis exemplis fulciamus. Quem quidē fructum multò clariùs, ac euidentiùs quàm alios duos ex arbore vitæ, nimirum ex Christo Saluatore nostro valemus accipere. Primùm enim, ac præcipuum; quo Christus Redemptor noster suam dilectionem ostendit, sunt opera stupenda & mirabilia, quæ in hominum salutem & vtilitatem patrauit. Cœpit enim facere & docere.] Principiò fecit; deinde verò, quæ anteà fecerat, docuit, & doctrina factis stabilita, & operibus confirmata, homines erudiuit. Optimus modus docendi,

Actor. 1.

si priùs

si priùs difficultatem operis facto experiaris; deinde quæ expertus es, & opere didicisti, alios edoceas. Sicut è contra inepta est ratio docendi, alios ad illa efficienda adigere, quæ tu nec digitis attigisti, & (vt est apud Chrysostomum) [*Chrys. hō. 1. in Act. Apost.*] nihil doctore frigidius, qui verbis dumtaxat philosophatur, Neque enim hoc doctoris est, sed histrionis & hypocritæ.] Saluator ergo, qui longissimè ab ingenio fictorum distabat, nihil verbo præcepit, quod non priùs actione perfecerit. Triginta annis docuit, & docendo operatus est, & tribus, aut ad summum quatuor annis, nondum expletis, verbo docuit, quod antea fecerat, docendóque operum laborem non prætermisit, vt homines intelligerent, veram charitatem, non tam sermone, quàm operatione monstrari. [*Ad Tit. c. 2.*] Apparuit profectò gratia Dei Saluatoris nostri omnibus hominibus erudiens nos.] Priùs apparuit ipse Christus, qui (vt interpretatur Anselmus) [*Ansel.*] est gratia æterni Patris, misericorditer in nos effusa; posteà verò nos erudiuit. Apparuit operibus, apparuit beneficiis, apparuit innumerabilibus virtutis, & sanctitatis exemplis. Postquàm autem sic apparuit & factis suum incomprehensibilem amorem expressit, iam verbis nos in eodem amore, & in aliis virtutibus sapienter instruxit.

Hæc opera, quibus Saluator noster, suam infinitam erga homines dilectionem ostendit, tot sunt, vt si scribantur per singula (inquit Ioannes) [*Ioan. vlt.*] neque ipsum arbitror mundum capere posse eos qui scribendi sunt, libros,] sed sub nominum aliquorum compendio exprimuntur sacrarum auctoritate literarum. Vocat enim Christum prophetam, & magistrum iustitiæ. [*Deut. 18.*] Prophetam de gente tua (ait Moyses) & de fratribus tuis, sicut me, suscitabit tibi Dominus,] quoniam secreta cælestia mortalibus ad æternam fælicitatem consequendam necessaria, reuelauit, & virtutis, ac perfectionis viam manifestauit. Vocant legislatorem, qui (vt est apud Ieremiam) [*Ier. 31.*] dedit legem suam in visceribus eorum, & in cordibus eorum scripsit eam.] Quoniam legibus suis eos vallauit, & cinxit, ne in vitia & peccata defluerent. In cordibus hominum, non autem in libris, atque mēbranis leges scripsit, nam spōtaneè & libenter leges istas suscipiunt, atque custodiunt. Vocant regem qui (vt apud eundem legimus) [*Ier. 23.*] regnabit & sapiens erit, & faciet iudicium, & iustitiam in terra.] Nam tamquam rex homines gubernat, donis, & beneficiis prosequitur, & ab hostibus, & inimicis defendit. Vocant salutem, quæ vniuersas animi ægritudines, & morbos depellit; quam sanctus Iacob; vltimum spiritum agens expectabat, cùm dixit: [*Gen. 49.*] Salutare tuum expectabo Domine,] vocant Saluatorem: [*Isaia. 62.*] Dicite filiæ Sion (inquit Isaias) Ecce Saluator tuus venit; ecce merces eius cum eo, & opus eius coram illo.] Totus enim in eo positus fuit, vt opus verè suum, opus scilicet nostræ redemptionis perficeret, & se in mercedem nobis, & præmium tribueret. Vocant redēptorem; est enim Christus agnus immaculatus tollens peccata mundi, de cuius sanguine ponentes super vtrumque postem cordis, & corporis, & in superliminaribus domorum, id est, (vt interpretatur Gregorius) [*Greg. hō. 22. in Euang.*] in intentionibus mentium nostrarum, veros nos esse Israëlitas dignoscimur, & à percutiente Angelo liberamur.] Vocant pastorem, oues suas, scilicet nos, defendentem & pascentem. Vnde apud Ezechielem dicit Dominus: [*Ez. 34.*] Et suscitabo super eas pastorem vnum, qui pascat eas, seruum meū Dauid, ipse pascet eas, & ipse erit eis in pastorem, ego autem Dominus ero eis in Deū.] Hoc enim Dauide Christum Dei filium significari, nemo dubitare poterit (vt notat Augustinus) [*Aug. l. de ciuibus.*] qui aduertit, Dauidem illum Israëliticum regem, multis annis ante Ezechielem, mortem obiisse, neque vnquam ad pascendas rationales oues surrexisse. Vocant aduocatum & mediatorem inter Deum & homines, qui inimicitias sustulit, & subiectos, minimè Deo suo obsequentes subdidit, & gratiam, ac misericordiam illis impetrauit. [*Sapient. 18.*] Properās enim homo, sine querela deprecari pro populis, proferens seruitutis suæ scutum orationem, per incensum deprecationem allegans, restitit iræ, & finem imposuit necessitati.] Quis est iste homo sine querela? Nunquid Aaron? Nequaquam; sed Pontifex noster Christus, qui (vt ait Augustinus) [*Aug. ser. 98. de tēpore.*] assumpto thuribulo carnis humanæ, & superposito igne altaris, anima sine dubio illa magnifica, cum qua natus est in carne, adiecto etiam incenso, qui est spiritus immaculatus, medius inter viuos & mortuos stetit, & mortem non permisit vltrà grassari.] Aliis tandem innumeris nominibus Christus in sacris paginis compellatus est, quæ eius opera, nostri gratia facta; manifestant, & incredibilem erga nos amorem declarant, quæ si recenserentur sigillatim, tempus deficeret, & vires omnino succumberent.

Vnum tantùm adiicio, quod appositissimum est ad id quod intendimus explicandum. Vocatur enim Christus iustitiæ sol, sub quo nomine promittit eum Deus in vaticinio Malachiæ: [*Malach. 4.*] Et orietur (inquit) vobis timentibus nomen meum sol iustitiæ, & sanitas in pennis eius.] Quis sit iste sol iustitiæ, dicat nobis Cassianus: [*Cassia. li. 8. de spiritu iræ c. 8. & 9.*] irascimini (inquit) vitiis, & furori vestro, ne conniuentibus vobis sol iustitiæ Christus, incipiat propterea iracundiam vestram, mentibus obscuratis occidere, & discedente illo, locum Diabolo in vestris cordibus præbeatis. De quo sole per prophetam Deus euidenter commemorat, ita dicens. Timentibus autem nomen meum orietur sol iustitiæ.] Dicat & Beatus Cyrillus: [*Cyrill. li. 4. in Ioā. c. 29.*] Sol autem nobis fulgētior Christus ipse apparuit, de quo Deus Pater dicit: Et orietur vobis sol iustitiæ, delictorum frigiditate corruptos, spiritus ardore ad iustitiam reficiens.] Dicat & Eusebius Cæsariensis: [*Euseb. li. 5. de Euāgel. c. 29.*] Qui sæpè nominatus est, & Dominus, & Deus, & Angelus, & Princeps Imperatorum, & Christus, & Sacerdos, & Verbum, & Sapientia Dei, & imago; nunc quidem sol iustitiæ dicitur. Hunc ipsum igitur, is, qui genuit Pater, non omnibus oriturum promittit, sed solis nomen suum timentibus, vt sic illis timorem erga se præmium solis iustitiæ det lumen.] Dicat & Sanctus Hieronymus: [*Hierony.*] Sol iustitiæ est, qui vera omnia iudicabit, & nec bona, nec mala, nec virtutes; nec vitia latere patietur. Et sanitas erit in pennis eius, vt sanatos per pœnitētiam portet in humeris suis, iuxta id quod in Deuteronomio scriptum est: [*Deut. 32.*] Expandens alas suas suscepit eos, & in humeris suis portauit illos: Quare ergo Saluator noster Iesus Christus soli comparatus est, nisi quia sicut sol se habet in mundo, ita ille se habet inter suos? Quid est sol, nisi tamquam quidam rerum corporearum Deus, fons & origo omnium bonorum, quæ in corporibus inueniuntur, quem Deus fecit, vt in eo tamquam in perfectissima omnium corporalium creatura seipsum prout possibile erat, exprimeret. Est certè tamquam quidam corporum Deus: nam si iudices appellantur Dij, propter quamdam auctoritatem, qua super alios pollent, vnde audiunt à Deo ipso, qui nomen suū illis impertit: [*Psal. 81.*] Ego dixi Dij estis, & filij excelsi omnes] quidni solem vocemus quasi Deum, cùm omnibus corporibus emineat, & cumulum omnium bonorum impertiat? Iure optimo vocatur (quia re vera est) fons omnis corporalis boni; quia nihil est in corporibus sibi subiectis, quod ab

illo

illo tamquam à fonte non effluat. An bonum est vita? Sed sol, omnia corpora vitæ capacia, viuificat. An bonum est salus? Sed suo motu mortalibus salutem affert? An bonum est diuturnitas? sed omnia conseruat. An bonum est augmentum? sed omnia auget, & nutrit. An bonum est ordo? sed omnia disponit, atque gubernat. An bonum est pulchritudo? sed omnia suo splendore condecorat. An bonum est voluptas? sed sua venustate oculos mirificè recreat. Dulce
Eccles. 11. enim lumen, vt est apud Ecclesiasticum, & delectabile est oculis videre solem.] Ipse est lustrans vniuersa qui in circuitu pergit spiritus, & in circulos suos reuertitur, vt omnia tamquam benignissimus princeps inuisens eis in necessitate constitutis opem
Genes. 1. afferat. Ipse terram feracem, & vberem reddit, vt germinet herbam virentem, & facientem semen, & lignum pomiferum faciēs fructū iuxta genus suū.] Aquam fœcundat, vt producat reptile animæ viuentis, & volatile super terram sub firmamento cæli.]
Ibidem. Aërem quotidie tamquam famulum valde dilectum & familiarem nouo indumento luminis vestit, & amictu non minus recenti, quàm splendenti decoratum prodire facit. Ignem ad sui operis efficaciam iuuat, & ad mundi calorem secum in circulum vertit. Lunam & stellas natura sua obscuras, & horridas illustrat, orbes cælestes illuminat, hominum habitationem à bestiis ferocibus purgat nocumentum allaturis; Nam ipso super medium orbem exorto con-
Psal. 103. Ibidem. gregatæ sunt, & in cubilibus suis collocabuntur, vt exeat homo ad opus suum, & ad operationem suam vsque ad vesperam.] Denique à supremo cælorum vsque ad infima terrarum viscera, omnia suo influxu replet, fouet, atque tuetur. O pulcherrima imago Christi mei! O formosissimum vestigium ducis mei!
Psal. 18. Laudo eum, qui in te posuit tabernaculum suum,] glorifico eum, qui te tam decorum, tam agilem, tam fortem, tam admirabilem creauit, vt in te, atque in tuis effectis, suam mihi eximiam charitatem ostenderet.

Ita ergo Christus est verus Ecclesiæ sol, in quo ea reperiuntur multò perfectiùs & illustriùs, quæ in corporeo sole descripsimus. Est enim Deus, non quidem nuncupatiuus, sed verus, & Patri æqualis. Nam
Ioann. 1. Ibidem. Deus erat Verbum,] illud inquam verbum, quod caro factum est, & habitauit in nobis.] Non est quasi Deus corporum, sicut sol, sed Deus verus omnium corporum, & animarum omnis viuentis, & spiritus
Iob. 12. vniuersæ carnis, vt est apud Iob, & omnis tam visibilis, quàm inuisibilis creaturæ. Ipse est fons perennis
Psal. 18. omnium bonorum: Nam vt exaltauit gigas ad currendam viam, à summo cælo fuit egressio eius, & cursus eius vsque ad summum eius, neque est qui se abscondat à calore eius.] Ab eo vitā recepimus, quòd regius propheta libentissimè confitetur, dum ita
In eundē Psalmū. æternum Patrem alloquitur; Quoniam apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen.] Fontem enim vitæ (inquit Basilius) vnigenitum Dei verbum nominauit: Nam ita illud seipsum per Iere-
Ierem. 2. miam Prophetam vocat, dicens. Me dereliquerunt fontem aquæ vitæ, & foderunt sibiipsis cisternas, quæ aquam retinere non poterunt.] Dixit itaque fontem istum esse apud Patrem secundùm Euangelicam doctrinam, quæ dicit: Ego in Patre, & Pater
Actor. 4. in me est.] Ab ipso salutem donatam habemus, & non est in aliquo alio salus,] Ab ipso diuturnitatem, diuitias & gloriam comparamus; quoniam longitu-
Prouer. 3. do dierum in dextera eius, & in sinistra eius diuitiæ & gloria.] Hic splendidissimus sol, cæcos & ignorantes illuminat, nam magister est; duros, & intractabiles emollit, quoniam fortis est; proficientes;

A & puritatem suspirantes perficit, quoniam diues est, perfectos & sanctos extra seipsos educit, & mirabiliter seipsum afficit, quia incomparabilis pulchritudo est. In regia illa cælesti, quam totis medullis suspiramus, tres diuinas personas gloriosissimè recreat, & Angelos ac sanctos lætificat; in exilio isto, quod horremus, omnibus viuentibus lucet; Nam est Ioann. 1.
lux vera illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum;] in visceribus & finibus terræ, quos timemus, animas quæ simul purgantur & puniuntur, refrigerat, & à laqueis ignium ereptas in cælum infert. Hic est sol nouus (inquit Ambrosius) qui claustra penetrat, inferna reserat, corda rimatur. Hic no- Amb. ser. 16. de Natal. Domini.
uus est sol, qui spiritu suo viuificat mortua, corrupta
B reparat, suscitat iam defuncta, vel qui calore suo purgat sordida, exurit fluida, decoquit vitiosa. Ipse inquam est, qui in cunctis actibus nostris perspicit omnia opera nostra, & non tam condemnat crimina, quàm emendat. Hic planè est sol iustus, & sapiens, qui non sine discretione, sicut istius sol mundi, bonis ac malis similiter circumfertur, sed quodam iudicio veritatis, sancto lucet, occidit peccatori. Hoc autem inter vtrumque interest solem, quòd ille iudicium metuit; hic iudicium comminatur; quòd ille corruptionis minister est; hic æternitatis est Dominus: quòd ille creatura est, hic creator. Sic ille.

O quis vidisset hunc solem Deum! O quis aspexisset hunc solem filium Dei! O quis intuitus esset hoc
C luminare maius, quod præest non solùm diei prosperitatis ad lætificandum, sed etiam nocti aduersitatis ad adiuuandum! Beati oculi qui viderunt eum, beatę aures; quæ audierunt eum: quoniam multi reges & prophetæ summis votis concupierunt videre, & audire solem istum, nec tamen id assequuti sunt. O bone Iesu! ô sol iustitiæ! ô lux indeficiens! ô lumen occasum nesciens! quis te vidisset, cum mortali carne tamquam nube tectus officium solis agebas, & per mundū discurrebas! omnes, qui te videbant, verū solē videbant, & beneficio aliquo solis gaudebāt. In præsepio, & infantia fuisti sol virginem alliciēs, nutritium admirans, pastores attrahens. In pueritia & silentio sol, mundum perlustrans, omnium indi-
D gentias aduertens, remedia precibus & gemitibus prouidens. In conuersatione sol, tenebras impietatis dispellens, vitiorum hypocrisim detegēs, virtutis veritatem ostendens. In prædicatione sol enarrans gloriam Dei, & opera manuum eius annuncians, gelida corda dissoluens, animorum affectus tamquam vapores quosdam in cęlum attollens. In morte sol quasi omnium rerum fortissimus, solem istum obscurās, animalia venenata, id est monstra peccatorū fugans, mortem, & infernum prosternens. In resurrectione sol hostes spolians, mortuos viuificans, viuos recreans. In ascensione sol, iter ad vitam pandens, spē ad superna erigens, cælos aperiens. O sol lucidissime, claudantur iam oculi isti carnei, quibus solem corporalem aspicio, vt oculi spiritus aperiantur, quibus te vnicam spem meam videam, quia tu dixisti: Non Exod 33.
E videbit me homo, & viuet.] Aut saltem dum hoccōceditur, sensus omnes mei, dono mortificationis, cōsopiantur, vt mens inuigilet, lucis diuinæ efficiatur capax, & te summum bonum contemplet. O sol splēdidissime, tu es verus iustitiæ sol, qui lucens nobis, nō corporale lumen, quod muscæ & culices vident, sed lumen spirituale, quo mentes Angelicæ perfunduntur, non corporalem calorem corpora tepefaciētem, sed calorem iustitiæ & sanctitatis infundis: O sol lucidissime sanitatem affers in pennis tuis; quoniam manus tuæ lateribus crucis affixæ, & pedes tui clauo durissimo perforati, morbos animi pellunt, ægritu-

dines figant, vulnera sanant, & omnium virtutum sanitatem mentibus inferunt. O sol amantissime, hæc opera & beneficia tua multo præstantius quàm verba, ardentissimam, tuam manifestant charitatem. Quis enim, vel cæcus non videat à te nos incredibili amore diligi, qui tanta, & tam mirabilia opera pro redemptione nostra benignissimè perficis? Inuitas nos Domine, & ad te venientes dulcissimè amplexaris, libentissimè recipis; renuentes tamen venire patienter expectas. En stas post parietem nostrum;] post impedimenta scilicet peccatorum nostrorum, respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos,] rimulas quærens sicut verus sol, vt sedentibus in vmbra mortis, tuam lucem communices. Hæc Deus meus sit nostra lux, hæc nostra lætitia, vt nos paruuli, te gigantem sequamur, vt nos discipuli, te magistrum imitemur; vt nos fratrum amatores, operibus amorem & charitatem ostendamus, vt nos socij tui, sicut & tu in mundo, dum viuimus, soles simus. *Cant. 2.*

Hæc igitur sit formula perfectionis, quam quisque indefessè respiciens, eique iugiter se accommodans, perfectionem fraternæ charitatis intus latentem in corde, exteriùs bonis operibus demonstrabit. Hic sit scopus, in quem infatigabiliter inruens, diligit alios, non verbo tantùm & lingua, sed sicut Christus iustitiæ magister opere & veritate. Hæc sit regula, qua propriam vitam dirigat, quotidianáque opera metiatur, vt verus amator proximorũ, Christi Domini discipulus, & beneficus in fratres omnes, & planè perfectus euadat. Consideret se tamquam si esset in mundo quidã sol, illius primi, & veri solis imago, quem debet in seipso viribus totis exprimere, & decore, luce, puritate, ac operibus imitari. In vita beata, quam sperat, splendebit instar solis clarissimi. Nam vt ex ore summæ veritatis accepimus: Fulgebunt iusti sicut sol in regno Patris eorum.] Qui ergo postea in alio sæculo gloria, & claritate futurus est sol, sit etiam in sæculo isto non corporeo splẽdore, sed sanctitate, sed vita, sed actionũ suarum vtilitate. Vt autem istam dilectionis formulam sigillatim explicemus, & ad vitam religiosam, & spirituales eius functiones applicemus, ex qua facilè erit ad alias dilatare; considera teipsum, quisquis hæc legis, in cella tua, tamquam in orbe tuo residens ac si factus esses à Deo mundi sol; ibi pẽnas lucis, & radios splendoris, id est, purissima desideria, ignitos affectus, feruentissimas, & frequentissimas orationes extende, quibus ea, quę supra te sunt, scilicet Deum, & beatos spiritus, lætitia perfundas; ea quæ infra te sunt, nimirum animas, quæ in purgatorio mundantur, suffragiis recrees, & dæmones, qui in inferno puniuntur, virtute tui feruoris exterreas; ea, quæ iuxta te sunt, scilicet iustos viuentes promoueas, & peccatores suæ salutis oblitos ad omnium Creatorem conuertas. Sis sol in contemplatione positus, qui sapientia diuinitus immissa luceas, & amoris ardore, non tibi tantùm, sed etiam cæteris, caleas. Sis sol actione occupatus, qui incredibili celeritate mentisque lætitia proximis prosis, & munus tibi commissum exequaris. Sis sol in conuictu fratrum constitutus, qui omnes consiliis adiuues, exemplis subleues, & opere, si disciplina religiosa permittit, sin minus votis, & desideriis opituleris. Qui te diurnas, aut nocturnas horas psallentem viderint, videant solem, qui & spiritu & mente Deum adorat, & laudat. Qui te incruentum sacrificium offerentem aspexerint, aspiciant solem, qui omnes circumsistẽtes, modestiæ decore reficiat, deuotione ædificet, profundissima reuerẽtia in admirationẽ rapiat. Qui te obediẽtiæ iussa perficientem animaduerterint, animaduertant solem suo factori infatigabiliter obediẽtem, & numquam ab opere sibi iniuncto cessantẽ. In quocumque loco sis, quacumque occupatione tenearis, siue solus, siue aliis associatus, aut quiescas, aut labores, tecum ipse perpende, esse te solem, quẽ omnes aspiciunt, in cuius opera vniuersi oculos habent defixos, & sic virtutis, & ædificationis terminos minimè transgredieris. In vigilia otiositatem vita, sanctam occupationem diligenter amplectere; in somno circumspectè te gere, & omnem incuriam, & immodestiam caue. In refectione abstinens, in potu sobrius, in recreatione parcus, in conuersatione circumspectus ab aspicientibus inueniare, quia nihil esse debet in sole, quod alios offendat, sed omnia ad virtutem, ad sanctitatem, ad Dei laudem alliciant. Si confessiones peccatorũ exceperis, dic intra teipsum. Ego sum sol, qui debeo istorum ignorantias illuminare, peccata dissoluere, & ad meum creatorem conuertere. Si verbum Dei populo proposueris, dic; Ego sum sol, qui debeo istorum corda durissima emollire; fluxas voluntates confirmare, gelida pectora ad calorem amoris, ad lachrymas, ad compunctionem adducere. Si pro aliquo negotio domum egrederis, & inter sæculares conuersaris, dic; Ego sum sol, decora facie, & pulcher aspectu, qui silentij grauitate conuersationis modestia, verborum, & actionum meatum rectitudine nullum lædere, omnes autem ædificare teneor.

Hæc itaque solis recordatio nos fratribus valde vtiles, & non verbo, sed opere amatores efficiet; & fælix ille, quem exitus vitæ ita se gerentem, ita mundum illuminantem, ita omnibus proficientem inuenerit: Nam virtus eius numquam deficiet, sed quasi lux splendens procedet & crescet vsque ad perfectam æternitatis diem.] Iste est ille mysticus Gad (quod interpretatur felix) de quo in Deuteronomio scriptũ inuenimus. Benedict⁹ in latitudine Gad; quasi leo requieuit, cepitque brachium & verticem, & vidit principatum suum, quod in parte sua doctor esset repositus, qui fuit cum principibus populi, & fecit iustitias Domini, & iudiciũ suum cum Israel.] Quis rogo est iste Gad, id est, accinctus, nisi ille, qui amore promptus & expeditus est, vt omnibus benefaciat, etiã si ab eisdem mala patiatur? Hic profectò in latitudine benedicitur, quia vniuersi eũ amant, venerantur, eiusq; aspectũ concupiscunt, dum per charitatem dilatatur. Quasi leo securè requiescit, quia ab iis, à quibus amari se nouit, & quos beneficiis auxit, malũ aliquod sibi inferri nõ timet. Quomodo enim pertimescet viros tabernaculi sui, quos præ amore dicẽtes audit illud, quod familiaribus Iob amor ipse dictabat. Quis det de carnibus eius, vt saturemur?] Accipit brachium & verticem, nam & Principum potentia vero amatori subditur, & Doctorum sapientia subiicitur. Charitas enim potestatem inclinat, sapiẽtiæ imperat, & nihil est tam asperum, ac durũ, quod non amorem superiorem agnoscat. Quid autẽ est in principatu amatoris Doctorẽ reponi, nisi illud quod in Psalmo legimus: Gustate & videte, quoniã suauis est Dominus? Nam sicut gustus, hoc est, amor Domini nos ad eius visionem introducit, ita proximi amor Doctor est, aperiens oculos nostros, vt fratrum indigentias videamus, & viam ostendẽs, vt eis liberaliter subueniamus. Hic tandem est adiutor principum populi, factor iustificationum Domini, dum vniuersa complet mãdata, & effector iudicij cum Israel, id est, cum his qui vident, & contemplantur Deum. Amor enim tamquam sincerissimus iudex discernit, quænam diuinorum contemplatio pura sit, quæ verò ab hac puritate decidens propriæ voluntati misceatur.

Matt. 13. *Prou. 4.* *Deut. 33.* *Iob. 31.* *Psal. 33.*

Illud autem memoria retineri oportet, quòd sol,

& si omnia illustret, omnia decoret, tamen in loca sibi propinquiora efficacius beneficia suæ operationis inducit. Idem ergo soles spirituales faciant, barbaros illuminent, infideles trahant, peccatores conuertant, externis subueniant; sed amoris opera in fratres magis sibi, tum meritis, tum statu coniunctos præcipuè conferant. Vt enim calor, qui manum cominùs admotam non calefacit, eminùs positam multò minus calefaciet; sic ille, qui fratres magis vtique sibi copulatos non fouet obsequiis, nec mulcet alloquiis, minimè sciet extraneos, & quasi longe positos operibus fouere, atque iuuare. Illis itaque, quos propiores inuenimus, primùm vtiles & proficui simus. Hos præcipuè exemplo ædificemus, laboribus adiuuemus, sedulitate obsequamur. Si fortiores fuerimus, illud Pauli non excitat: Debemus nos firmiores, imbecillitates infirmiorum sustinere, & non nobis placere.] Tunc autem sustinemus, cùm infirmiores nosipsos submittimus, eiúsque iram, aut iniuriam, aut animum ingratum perferimus. Sciendum enim est (inquit Cassianus) illum partes agere fortiores, qui voluntati fratris suam subiicit voluntatem, quàm eum qui in defendendis suis definitionibus, ac tenendis pertinacior inuenitur. Ille enim sustentans, ac tolerans proximum sani ac validi, hic autem infirmi & ægrotantis quodammodo obtinet locum, quem ita palpari necesse est, ac foueri, vt interdum etiam à rebus necessariis pro eius quiete ac pace salubre sit aliquid relaxari.] Si autem nos sumus infirmiores, meminerimus, quod iuuando (pro posse) alios, Dei potentissimi ac fortissimi auxiliis dignos nos reddimus. Magnũ opus est, quod molimur nosipsos & alios perficere, firmior occurrat infirmiori, infirmus verò faciat modicum, quod potest in auxilium fortioris, vt Deum adiutorem experiatur. Hac enim ratione Nehemias cæleste sibi auxilium promittit. Opus (inquit) grande est, & latum, & nos separati sumus in muro procul, alter ab altero, in loco quocumque audieritis clangorem tubæ, illuc concurrite ad nos.] Ex hoc autem quid fiet? Deus noster (ait) pugnabit pro nobis.] Et nostrum opus quoque est magnum, & latum; magnum quia nihil maius, & altius quàm veram sanctitatem adipisci, cælestem patriam intrare, consortes Sanctorum & Beatorum spirituum fieri: & latum, quoniam nihil latius & diffusius, quàm vniuersorum animas quærere, & omnes homines amore & spiritualibus obsequiis complecti. Nos autem separati sumus in hoc Ecclesiæ muro, si non animo, saltem locis & terrarum spatiis. Vbicumque ergo audierimus aliquos ex nostris, opem poscentes, & auxilium flagitantes, illuc accurramus omnes ad præsidium ferendum; accurramus oratione pro eis fusa, accurramus labore, & auxilio, opere illis præstito; Sic enim Deũ nostrum habebimus defensorem, & experiemur propugnatorem. Iste est præstantissimus perfectionis proximos respicientis effectus, omnibus prodesse, omnibus vtiles effici, ac vniuersis nos soles splendidissimos exhibere. Quem hoc perfectæ charitatis fructu potitum nouerimus, non dubitemus infantiam & iuuẽtutem charitatis excessisse, & ad eius peruenisse virilem ætatem, quæ in vera huius vitæ perfectione cõsistit.

Rom. 15.

Cassian. co.16.ca. 23.

2. Esdra 4.

Perfectionem, qua ratione iungit nos proximis, eo loco contineri: Hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos: Et præceptum Christi vocari, propterea quòd contineat in se charitatẽ Dei.

CAP. XXIX.

Perfectionis fructibus explicatis, quos in proximorum vtilitatem profert, æquũ est, vt quo loco fuerit à Christo Saluatore nostro mãdata, sigillatim inquiramus. Neque enim credendũ est, doctorem perfectionis, atque iustitiæ hanc perfectionis partem, quam tot operibus docuit, verbo & doctrina præteriisse. Neque inutilis erit ista inquisitio, quæ Christi doctrinam de hac perfectione prædicatam inueniens, mirificè eiusdem perfectionis vim & naturam aperiet. Nam sicut vnum verbum, & satis abbreuiatum huius sacri Doctoris & veri Dei, expressiùs nobis perfectionem amoris erga Deum, quàm verba omnium sapientium huius sæculi, exposuit; ita vnum verbum eiusdem, absolutiùs perfectionem amoris fraterni, quàm omnia verba doctorum, explicabit. Verbum ergo Christi, quo perfectionem proximos respicientem iussit, atque præcepit, illud est, quod in concione habita in postrema cæna digessit. Hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos.] Id quidem modus ferendi, ac promulgandi istud mandatum, apertissimè manifestat. In aliis námque mandatis, numquam Dominus hac formula loquendi vsus est. Hoc est præceptum meũ, vt omnino non iuretis, vt Sabbata sanctificetis, vt parentes honoretis. Numquam dixit: Hoc est præceptum meum, vt non furemini, vt non mœchemini, vt non falsum testimonium loquamini. Imò (quod mirabilius est, & magis stuporem auget) numquam dixit: Hoc est præceptum meum, vt diligatis Deum ex toto corde vestro, & ex tota anima vestra, & ex tota mente vestra, sicut ipse dilexit vos; sed dixit: Hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem, sicut ego dilexi vos.] Quam ob causam hoc dilectionis præceptum, suum præceptum nuncupauit, nisi quia in eo, sicut in præcepto amoris erga Deum, quod manifestissimum erat, perfectionem mandabat, & totius legis, ac mandatorum finem, summam, & compendium exprimebat? Dicit aliquando pater, ex multis filiis, quos genuit, vnum digito ostendens: Hic est filius meus, non quidem negans alios suos esse filios, sed eum, quem suum appellauit, dilectissimum, & charissimum astruens, & declarans se erga illum maiorem habere charitatis, seu amoris affectum. Sic Christus, qui multa præceperat, multa mandata tulerat, hoc fraternæ dilectionis præceptũ vocat suum non quia alia non sint præcepta sua, cùm ipse sit supremus legislator, omnem legem gratiæ condens, & omnia eius mandata in medium producens, de quo scriptum est: Constitue Domine legislatorem super eos vt sciant gentes, quoniam homines sunt.] Sed quia hoc præceptum, primum, ac præcipuum locum obtinet, dilectissimúmque illi est. Et sicut Ioseph inter fratres suos, & sicut sol inter stellas splendidissimè fulget. Quare autem hoc præceptum reliquis præstantia, & amabilitate præstat, nisi quia præceptũ perfectionis est, quæ tamquam vitæ Christianæ finis omnibus aliis præceptis, quæ ad finem ordinantur, & præstantior iudicatur, & amabilior inuenitur?

Ioan. 15.

Ioan. 15.

Psal. 9.

Nec verò Dominus hoc solo mũdo loquendi fraternæ dilectionis præceptũ, tamquam de perfectione datum, aliis omnibus prætulit, sed etiam alio satis arcano, quo ipsum nouum mandatum appellauit. Mandatum (inquit) nouum do vobis, vt diligatis inuicem sicut dilexi vos.] Quare nouum, quod antiquissimum erat, & in lege veteri promulgatum? Certè quia nouo modo latum est, quia non quamcumque fratris dilectionem, sed perfectam, & consummatam dilectionẽ petiuit, & omnimodã dilectionis Christi

Ioan. 13.

erga nos, imitationem postulauit. Quod insinuat Cyrillus his verbis, Non solummodò dixit; mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicē, sed nouitatem rei ostendens adiecit; sicut dilexi vos,] ita & vos diligatis inuicem.] Prorsus mandatum nouum, quoniam in lege veteri, licèt supra externa dilectionis signa, internam beneuolentiam præceperit, numquam tamen dilectionis perfectionem palam edocuit, nec illustrissimo redemptoris exemplo declarauit. Quare non incongruè huic loco illud Pauli adaptare possumus: Reprobatio fit præcedentis mandati, id est, antiquatio, & obliteratio quædam, propter infirmitatem eius, & inutilitatem, nihil enim ad perfectū adduxit lex.] At gratia Christi hoc præceptum ad perfectionem vsque prouexit, & modum, ac rationem diligendi præscribens, & ad Christi imitationem impellēs, ipsam vitæ spiritualis perfectionem hoc mandato contentam, sectandam, & amplectendam nobis proposuit. Vocat ergo Christus dilectionem fraternam, suæ erga nos dilectionis imitatricem, mandatum nouum, & præceptum suum, quia in eo gradu mandat, quem veteris legis cultores numquam somniarunt, vt scilicet quis pro fratribus animam ponat, & si opus fuerit, vitam corporalem profundat. Vocat mandatum nouum, & præceptum suum, quia perfectionem præcipit. Iudæis quidem ex virtute legis veteris inaccessam; nobis autem qui in Christum credimus, & Christū sequimur, virtute gratiæ satis perujam, & accessibilem. Vocat præceptum suum, quia sicut ipse Dominus vnus est, in quo omnia nostra bona reposita agnoscimus, & omnium malorum remedium possidemus: ita dilectionis fraternæ præceptum, tamquam suo auctori simile, & tamquā quoddam mirabile perfectionis compendium, omnia vitia pellit, & omnes virtutes comprehendit. Vocat tandem præceptum suum, quia proximorum dilectio ad gradum perfectionis vsque prouecta, cuncta habet, quæ dignissimo, ac sublimissimo præcepto, & planè ipsi vitæ Christianæ perfectioni conuenire debent. Hæc sunt, vt perfectio hoc præcepto mandata, nos Deo vltimo fini coniungat, omnem legem compleat, imperfectionibus nostris medeatur, proximis Christi mēbris copulet, idoneos ad aliorū salutem faciat, & virtutis nobilissimæ possessores efficiat. Propter has ergo causas Christus Saluator noster, sanctam dilectionem, suum præceptū, & nouum mandatum vocauit, quas, cùm ad ipsam perfectionis substantiā pertineāt, non grauabimur sigillatim pertractare, ex quibus manifestè cognoscemus fraternam dilectionem partem perfectionis esse, & simul cum dilectione Dei totam perfectionem, ac vitæ puritatem continere.

Cyril. lib. 9. in Ioã. c. 33.

Hebr. 7.

Vt autem ab eo quod primum & nobilissimum est, incipiamus, dilectio fratrum ipsam continet priorem & præstantiorem perfectionis partem, nempe charitatem erga Deum, atque adeò ipsa per se nos Deo summo bono nostro, ac vltimo fini coniungit. Continet quidem charitatem erga Deum, non vna tantùm ratione, sed multis, ac variis modis. Primò scilicet, eo modo quo materies formam, & corpus continet animam. Quemadmodum enim hominis caro ab anima habet substantiam, & naturam humani corporis, eá que recedente iam nō est corpus humanum, sed cadauer inanime, sensu, motu, pulchritudine, voce, & aliis hominis proprietatibus destitutum: ita fraterna charitas ab amore Dei, cuius participatio in fratre diligitur, habet tamquam ab specie, & forma veræ charitatis naturā: atque substantiam. Quo amore sublato non est vera proximi dilectio, sed fictū simulachrū, statua insensibilis, cadauer inanime charitatis. Inquirentibus enim Dominus, quod esset mandatum

A magnum in lege, respondit: Diliges Dominū Deum tuum ex toto corde tuo.] Et statim subiunxit: Secundum autem simile est huic: Diliges proximū tuum sicut teipsum.] Non essent autē hæc duo præcepta similia, si amor Dei, & proximi in principio & fine minimè conuenirent, & si eandē non participarent substantiam, atque naturā. Vt ergo, qui aureum annulū gestare vellet in digito, figurā etiā annuli gestet, necesse est, sine qua annulus non subsistet, neque ab ea auelli, separarique potest, ita qui cupit mentem suam fratrum dilectione exornare, non putet se posse prætermittere huius dilectionis veluti figuram, & splendorem, charitatē scilicet Dei, quem solùm in creaturis diligimus. Hoc autem est quod ait Beatus Augustinus. Nolite itaque fratres mei putare, in hoc quod

Matt. 22.

B ait Dominus; Mandatum nouum do vobis, vt adinuicem diligatis,] illud maius prætermissum esse mādatum, quo præcipitur, vt diligamus Dominum Deum nostrum ex toto corde, ex tota anima, ex tota mēte.] Tamquam enim hoc prætermisso videtur dictū, vt diligatis inuicem, velut hoc ad illud alterum non pertineat, quo dictum est: Diliges proximū tuum tamquā teipsum.] In his enim duobus præceptis (inquit) tota lex pendet & prophetæ.] Sed bene intelligentibus vtrumque inuenitur in singulis. Nam & qui diligit Deum, non potest eum contēnere præcipientem, vt diligat proximū; & qui sanctè, ac spiritualiter diligit proximum, quid in eo diligit nisi Deū;] O magna amoris fraterni præstantia! ô incredibilis excellentia fraternæ charitatis! ô vera nostræ vitæ perfectio, quæ

Aug. tra. 65. in Ioã.

C nec latum vnguem à Deo patitur separari! Iure optimo magnanimā eam appellabo, quæ creaturas transcendens, & post se relinquens, diuinum in illis numen solùm inquirit. Sapientissimam quoque dicam, siquidem sub humanæ naturæ infirmitate Deum absconditum intuetur, & castissimo quærit affectu.

Deinde charitas Dei est in fraterna dilectione, sicut causa est in effectu, qui ab ipsa promanat. Per amorē enim Dei (ait Gregorius) amor proximi gignitur, & per amorem proximi, amor Dei nutritur. Nam qui amare Deū negligit, profectò diligere proximum nescit. Et tūc plenius in dilectione Dei proficimus, si in eiusdem dilectionis gremio priùs proximi charitate ligamur. Aspicis in riuo fontis claritatem, inspicis in opere peritiā artificis, consideras in verbis sapiētiam

Gregor. 7. mor. c. 10.

D oratoris, & in filio expressam sui Patris imaginem; sic in amore proximi, Dei charitatem attentè considera. Charitas nāque Dei vrget nos, vt quem Deus amat, & nos diligamus, quē Deus sustinet, & nos sustineamus, cui Deus decē millia talenta dimittit, & nos vilissimū dimittamus obolum; paruum scilicet verbum aut factū, quod aut minus consideratè in nos, aut etiā petulāter commisit. Fraterna itaque charitas, tāquam à causa, aut tāquam à parte perfectionis præcipua, pēdet à charitate Dei. Sunt enim duo isti amores, duæ quidem partes, sed vnum totum ex vtrisque compositum; duo annuli, sed catena; duæ actiones, sed vna virtus; duo opera, sed vna charitas; duo apud Deum merita, sed vnū sine alio inueniri impossibile est. Sūt duæ pretiosissimæ gēmæ, vno tenuissimo filo ita illi-

E gatæ, vt si vnā tollas, aliam etiā attrahere necesse sit. Intuere (inquit Chrysostomus) Dei dilectionem, tamquam catena quadā nostræ dilectioni connexā, idcirco nunc duo, nūc vnū mādatū dicit, nemo enim primum sine altero assequi potest.] Nemo profectò Dei amorē sine amore proximi vmquā assequetur, dicente Apostolo Ioāne. Qui habuerit substātiā huius mūdi, & viderit fratrē suū necessitatē habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in illo? Ac si diceret: nullo modo charitas Dei manet in

Chry. ho. 66. in Ioã.

1. Ioã. 3

illo. Substantiam autem huius mundi habet, non solùm qui huius sæculi fortunas possidet, & facultates, verùm ille quoque, qui cum mundo renunciauerit, habet tamen scientiam, qua ignorantem instruat: verbum eruditum, vt mœstum recreet; orationem, qua tribulato subueniat: auctoritatē apud alios, vt elisum erigat; animi magnitudinem, vt iratum sustineat. Si quis his opulentus diuitiis fratrem suum videt in necessitate positum, & ei viscera charitatis occludit, de amore in Deum satis imprudēter se iactat. Hūc enim beatus Iob, non solùm dicit charitatem, sed etiam Domini timorem amisisse. Qui tollit (inquit) ab amico suo misericordiam, timorē Domini derelinquit.] Ita sanè est, timorem deserit, qui amicum non diligit, qui fratri opem postulanti præsto non est. Neque enim acerbam illam extimescit sententiam: Quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.] O verbum terribile! Qui detrahit fratri, Christo detrahit Saluatori; qui proximo iniuriam infert, Christo infert Redēptori: nam iniurias minimis suis factas, in seipsum illatas arbitratur. An non Saulo discipulis minitanti iniurias, & cædes, dixit Dominus: Saule Saule quid me persequeris?] Christum persequebatur in membris, qui eius discipulos, membra scilicet sibi charissima ad mortem, & tormenta quærebat.

Iob. 6. *Mat. 25.* *Actor. 9.*

His quidem modis fratrum sancta dilectio, diuini amoris præceptum amplectitur. Sed alia etiam nobilissima ratione ei annexa est, quia mirabili modo amoris diuini assecuta est proprietates. Amor quidem Dei riuus est illius clarissimi fontis, nēpe matris virtutum charitatis, quæ nos amicos Dei reddit, & sanctos. Pariter amor proximi, eiusdem fontis est riuulus, à primo tamquam à fluuio magno deductus, sine quo tamen præcipuus ille amor imperfectus erit & mancus, dilecto Christi discipulo attestante. Hoc mandatum habemus à Deo, vt qui diligit Deum, diligat & fratrem suum.] Ille nos amicos Dei, & filios facit; iste etiam Dei amicos, & filios constituit. Vt enim optimè dixit Augustinus: Dilectio sola discernit inter filios Dei, & filios diaboli. Signent se omnes signo crucis Christi; respondeant omnes, Amen; cantent omnes Alleluia; baptizentur omnes; intrent omnes Ecclesias; faciant parietes basilicarum: non discernuntur filij Dei, à filiis Diaboli, nisi charitate. Qui enim diligit alterum, legem impleuit: (inquit Apostolus) & plenitudo legis charitas.] Amor Dei opus est nostræ voluntatis, gratiæ præsidiis adiutæ, quo volumus bona sua principio omnium bonorum, scilicet Deo; Amor fratris etiā est voluntatis motus, quo fratri volumus, vt sit consors diuinorum bonorum. Ille, Deum amat sui ipsius gratia, nullúmque alium finem requirit: Hic autem (vt diximus) eundem sibi finem proponit. Neque enim diligit fratrem, quia diues est, aut sapiens, aut beneficus, sed scopo præstantiori, quia Deo charus est, & quia ipse Deus suo præcepto fratris amorē sanciuit. Non est diuini amoris præceptum speciale, instar quorundam mandatorum, quæ non omnia, sed certa personarum genera astringunt; sed generale, quod omnes, tam Angelos, quàm homines comprehendit. Quædam enim præcepta obligant Prælatos; vt: Qui præest in sollicitudine,] alia subditos, vt: Obedite præpositis vestris, & subiacete eis.] Hæc diuites; vt; De reliquo date eleemosynā.] Illa pauperes vt: Quærite primùm regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adiicientur vobis.] Ista obligant viros; vt: Viri diligite vxores vestras, & nolite amari esse ad illas.] Illa fœminas; vt: Mulieres subditæ estote viris, sicut opus est in Domino.] At diuini præceptū amoris, nullum, siue hominem, siue Angelum liberum derelinquit. Ille, Domine, à præcepto tui amoris eximi-

1. Ioan. 4. *Aug. in 1. Ioā. tra. 5.* *Rom. 12.* *Hebr. 13.* *Luc. 11.* *Matt. 6.* *Coloss. 3.* *Coloss. 3.*

tur, qui te nō credit suum esse principium; qui te non agnoscit, vt vltimum finē: qui te, vt supremum Dominum & patrem non veneratur; qui te fontem omnium bonorum non confitetur. Quod si fieri nō potest, vt aliquis neget has tibi inesse virtutes, pariter est impossibile, vt hanc amandi obligationem non subeat. Similiter fraterni amoris præceptū generale est, omnésq; religat, ac deuincit. Si pauper es, stipem mendicantibus nō teneberis erogare. Si infirmus es, & inualidus ieiunij obseruatione non astringeris. Si senex, nec vigilare nec laborare tibi incumbit. Si inscius, & idiota, non tibi curæ sit alios docere, & instruere. At, siue diues sis, aut pauper, siue corpore valeas, siue non valeas, siue senex sis, aut iuuenis, sapiens, aut insipiens, fraternæ dilectionis vinculo non es exolutus. Is fortassis ab amore fratris liber est, qui fratrem putat non eiusdem esse naturæ, qui existimat ad eiusdem finis adeptionem non esse factum, neque eodem Christi sanguine redemptum, neque à Deo tenerrimè amatum. Quod si nefas est hæc de fratre aliquo existimare, nemo ab amore proximi liber existit.

An non diuinus amor est amplissimus, qui in diuinam naturam tendit, naturam vtique incomprehensibilem, nullísque finibus conclusam, aut terminis coarctatam? Sic & amor proximorum sinus habet incomparabilis latitudinis, qui Angelos & homines, fideles, & infideles, dulcissimos amicos, & infestissimos inimicos capiunt. Os nostrum (inquit Paulus) patet ad vos, ô Corinthij, cor nostrum dilatatum est,] vtique charitate dilatatum, adeò vt certum sit, quod non angustiamini in nobis, angustiamini autem in visceribus vestris.] Quare hac etiam ratione, præter eam, quam suprà attigimus, Christus vocat nouum hoc amoris præceptum. Mandatum (inquit) nouum do vobis, vt diligatis inuicem.] Nouum vocatum est (ait lumen Ecclesiæ Beatus Thomas) non quia de nouo mandatum, sed quia nouis discipulis, noua interpretatione expositum, & nouis exemplis noui hominis euidentiùs declaratum est, ac si diceret: Non appellat Dominus nouum præceptum suum, eo quòd sit aliis mandatis recentius; nā sicut à creaturæ rationalis exordio viguit obligatio amoris Dei, ita vires habuit, & amoris proximi. Sed vocat nouum, quia recentissima quadam interpretatione promulgatum est. Non illa quidem antiqua Scribarum, quæ ita dicebat: Diliges amicum tuum, & odio habebis inimicum tuum.] Sed hac noua, & omnibus animi votis suscipienda. Diligite inimicos vestros; benefacite iis, qui oderunt vos; orate pro persequentibus, & calumniantibus vos, vt sitis filij Patris vestri, qui in cælis est. Vocatur nouum, quia tamquam vinum nouum, non in vtres veteres, sed in vtres nouos missum est; nimirum in sanctos Apostolos, ac viros Apostolicos sancti Spiritus gratia indutos, ac informatos. Vocatur nouum, quia nouus homo Christus non solùm noua doctrina docuit, sed nouis ac mirabilibus exemplis disseruit, dū patibulo affixus, nimicos dilexit, & cum clamore valido, & lachrymis pro persecutoribus exorauit. Et quidem si charitatis primum præceptum est sapientissimum, illud scilicet, quo erga Deū amore afficimur; vnde inquit Regius vates: Præceptum Domini lucidum illuminans oculos.] Nam qui Deum diligit prudentissimè introspicit, quæ mala sunt, vt ea vitet; & quæ bona, vt ipsa perficiat: Similiter est sapientissimum secundum mandatum, quo proximum amore prosequimur. Nec immeritò sanè verbis sancti Dauid tantisper immutatis, possemus dicere: Præceptum Christi lucidum illuminans oculos:] hoc nimirum, quod nostra ruditate disserimus, de quo sic effatus est. Hoc est præceptum meum, vt diligatis

2. Cor. 6. *Ioān. 13.* *D. Thom. tract. de dilect. proximi. c. 21.* *Matt. 5.* *Ibidem.* *Hebr.* *Psal. 18.* *Ioān.*

inuicem,

inuicem, sicut dilexi vos.] Nam qui proximi dilectione tenetur, mirum est, quàm sit sapiés ad cauendum, quæ fratribus noxia sunt, & præstandum quæ vtilia: Pulchrum est videre, quàm sit pronus ad miserationem, quàm sit tardus ad iram, quàm sit sollicitus, fratris casus, & infirmitates cógere, nisi ab oculis spiritualis medici, qui curationem, & medelá est allaturus. Sanè (inquit famulia religiosa, quam Dominus hac pretiosissima gemma ditauit) de excelso misit ignem in ossibus meis, & erudiuit me.] De excelso planè sanctus amor emittitur, quia nó est res humana, sed supra naturá, supráque vires proximú diligere non vtilitatis, aut voluptatis obtentu. De excelso in ossibus mittitur, hoc est, in illis, qui à sæculo liberati, fortitudine & constantia obdurescunt, & instar ossium Ecclesiam fulciunt, atque sustentant. Et quod mittitur, non est nisi ignis, mala quidem ossium consumens, & oculos internos illuminans, vt sapienter sciant fratribus bona, & vtilia præstare. — *Hieren. 5.*

B

Tandem, alia præcepta temporalia sunt, quæ, aut post annos mutantur, aut post ætatem, aut legem antiquantur, aut certè cum ipso tempore intereunt. Præceptum obseruandi Sabbatum, in obseruationem diei dominicæ mutatum est: Præcepta ceremonialia cum lege veteri abolita: Moralia multa cum tempore finem habitura. Neque enim in illa cælesti, quam inquirimus, ciuitate mandata fortitudinis, aut temperantiæ vigebunt, vbi nullum est, quod subeamus periculum; nulla carnis illecebra, quam vincamus: Ibi non obligabit fides, quia dabitur clara visio, neque spes, quando erit secura possessio. Præceptum verò amoris Dei, nó est téporale, sed perpetuum. Vt enim sapienter dixit Cassianus: Omnia dona pro vsu ac necessitate tribuuntur ad tempus, consummata dispensatione, mox proculdubiò transitura; Charitas verò nullo intercipietur tempore. Non solùm enim in præsenti vtiliter operatur in nobis, sed etiam in futuro sarcina corporeæ necessitatis abiecta efficacior multò, atque excellentior permanebit; nullo vmquam corrumpenda defectu, sed per incorruptionem perpetuam flagrantiùs Deo atque intentiùs adhæsura.] In hac enim vita mortali Deum amare incipimus, in futura verò, atque immortali amare prosequemur, & numquam amare finiemus. Hic diligimus minus perfectè; ibi diligemus omnino perfectè. Núc amor Dei est tamquam ignis extra propriam sphæram, vbi extingui potest; tunc erit intra propriam sphæram, vbi extingui, & minui non potest. Ignis enim Dei est in Sion, & caminus ignis in Hierusalem.] Amor quippe quem in mentibus nostris accendit, est à camino extractus in Sion, hoc est in Ecclesia, quæ nunc militat, erit verò tamquam in camino, in Ecclesia quæ triumphat. Hanc etiam amor proximi continet perfectionem. Etenim perpetuus est, numquámque finem habiturus. Charitas (inquit Paulus) numquam excidit: siue prophetiæ euacuabuntur, siue linguæ cessabunt, siue scientia destruetur.] Vnde Augustinus; Perfectissimè in cælesti regno lex æterna seruabitur, & illa duo præcepta de diligendo Deo, & proximo non in lectione, sed in ipsa perfecta, & sempiterna dilectione tenebimus.] In hac vita proximum amamus, & in futura perfectiùs & ardentiùs amabimus. Hic amor habet aliquid temporis, & imperfectionis; ibi & feruidus valde & omninò perfectus existet. Amabimus ibi magis meliores, & sanctiores, summóq; regi magis coniunctos: minores verò non tabescent inuidia. O fælix charitatis regnum (inquit Richardus de sancto Victore) quod manet in æternum; ò fælix regnum quod numquam dissipabitur, quod populo alteri in æternum non dabitur! Si igitur fratrum sancta dile-

Cassia. col. 1. ca. 11. — C — *Isaias 31.* — D — *1. Cor. 13.* — *Aug 1. tract. 116.* — E — *Richard. lib. de sto. Victore. Na. lec. 24.*

A

ctio tam magna, & perfecta est, vt Dei dilectioni, id est, omnium bonorum fontem annexam habeat; quis dubitet eam nos Deo ipsi copulare, atq; adeò ipsam perfectionis naturam continere? Et quis non videat, quàm aptè Christi præceptum appellata est, quæ nos fratribus amore iungens, ad Dei amorem allicit, & perfectè seruata, in fastigium perfectionis extollit.

Perfectionem fraternæ charitatis præceptum Christi esse vocatam, quia continet aliam perfectionis proprietatem, quod ad omnem legem custodiendam inclinat.

CAP. XXX.

Sì hæc perfectionis pars, quæ nos ad proximos, ac fratres ordinat, continet in seipsa charitaté erga Deú, quia facit nos diligere fratres propter Deum, non sentiret arduú, aut difficile, alia omnia præcepta continere, & ad eorum custodiam fidelium mentes inuitare. Et verè id ita est: Nam sicut diuinus amor est abundantissimus fons, à quo emanat fraterna dilectio; ita hæc est instar fluminis, ex quo riuuli deriuantur aliorum omnium præceptorum. Nam qui perfectè diligit fratrem, nihil in absolutissima aliorum obseruatione mandatorum, aut difficile, aut molestum inueniet. Hoc auté significat illa Apostoli diuina sententia. Qui enim proximum diligit, legem impleuit. Nam non adulterabis, non occides, non furaberis, non falsum testimonium dices, non concupisces: & si quod est aliud mandatum, in hoc verbo instauratur: Diliges proximum tuum, sicut teipsum. Dilectio proximi malum non operatur, plenitudo ergo legis est dilectio.] Hoc sanè præcepto omnia alia instaurantur, hoc est, perficiuntur, & cumulatissimè implentur. Quoniam si adulter es, non diligis illum cuius vxorem seduxisti: si homicida, satis manifestè odisti eum, cuius vitam sustulisti: si fur, alienus es à fratre, cuius diuitias surripuisti: si falsus testis, abominaris eum, cui honorem detraxisti: si alienæ rei cupidus appetitor, iniuriosus es in eos, quorum res appetiuisti: Nam motus internus animi operi externo æqualis reputatur, dicente Domino. Amen dico vobis, quòd omnis qui viderit mulieré ad concupiscendum eam, iam mœchatus est eam in corde suo.] Si odium proximi, omnis iniuriæ in illum commissæ principium est: dilectio proximi erit omnis innocentiæ, atque integritatis origo. Vbi autem integritas vitæ ac morum est, ibi necessariò inuenitur perfecta legis obseruatio, & omnium mandatorum custodia: Quemadmodum verò hæc lætalia crimina fraternam dilectionem omninò destruunt: ita minora, & leuiora peccata illam eneruant, ac minuunt. Si quis enim plus æquo fratrem diligit (nam & est in amore nimietas) vel saltem externa familiaritatis signa exhibet immoderatiùs, non minùs profectò amorem fraternum in religione lædit, quàm si rixas, & contentiones suscitasset. Quod quidem ego dicere non auderem, nisi Beatus Basilius priùs, ita verbis grauissimis docuisset. At qui in congressu vnum præ aliis charum habet, is seipsum reum facit, cùm perfecta charitate non sit præditus. Quapropter ab omni societate & congressu procul arceatur singularis ista affectio, perinde ac pugna quædam indecens; nam vt hæc manifestas perducit inimicitias, sic illa inuidiá, & simultates generat.] Quod si amoris nonnulla immoderatio dilectionem offendit, quid non lædet

Rom. 13. — *Matt. 5.* — *Basi. ora. 1. de amore Dei & proximi.*

animi auersio? Quid vultus insuauis? Quid sermo asper, & durus? quid aperta contumelia? quid manifesta detractio? An cum his dilectio fraterna integra & inuiolata perstabit? Nullo modo. Est namque suauissima hæc virtus, aut perfectionis pars, non minùs delicata quàm pretiosa, quæ vel minima transgressione cuiusque præcepti obscuratur, ac tenebris offunditur. Quare iure optimo eius possessio est totius legi obseruatio, & perfecta impletio omnium præceptorum.

Gregor. hō. 27. in Euang. Quamobrem meritò audet Gregorius, & dicit: Omne mandatum de sola dilectione est, & omnia vnum præceptum sunt, quia quidquid præcipitur, in sola charitate solidatur.] Vt enim multi arboris rami ex vna radice prodeunt; sic multæ virtutes, ex vna charitate generantur, neque habet aliquid viriditatis ramus boni operis si nō manet in radice dilectionis.] Quibus verbis nos docet Pater sanctissimus (vt nonnulli minus considerate putarunt) dilectionis præceptum generale esse, & nihil aliud quàm omniū mandatorum obseruationem continere; sed docet præceptum hoc speciale ab omnibus distinctū, omnibúsq; prælatum, ad omnium aliorum custodiam, & obseruationem inuitare. Considerate ergo mihi arborem quamdam pulcherrimam, in vna radice, vno eodémque trunco innumeros diuersitatum arborum ramos habentem, ita scilicet, vt vnus amygdalis, alius oleis, alius ficubus, alius dulcissimis botris, & sic alij omnibus fructibus inter se natura distantibus onerentur. Nónne & ista arbor vniuersarum arborum erit pretiosissima? Nónne vna simul erit, & plures? Vna quidem cùm vna natura constet, vnúmque sit corpus continens, & indiruptum; plures verò, quoniam omnium arborum partus edit; omnium fructus emittit; & qui eam possidet vitis, & ficus, & oleæ, omniúmq; aliarum arborum fælix erit possessor. Talis re vera est fraterna charitas, cuius radix amor Dei est, non terræ, sed diuino pectori affixa: à quo vitalem succum trahit, & arborem nutrit, atque sustentat. Truncus est amor proximorum, affectio scilicet amoris interior, specialiter hoc præcepto mandata, quæ ab hac radice speciosè satis erigitur: Rami autem sancta desideria inseruiendi fratribus, & eos iuuandi benigna consilia: fructus verò sunt vniuersarum virtutum actiones.

1. Cor. 13. Hoc est quod perspicuis verbis docet Paulus, cùm ita scribit. Charitas patiens est, benigna est, charitas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, nō gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati: Omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet.] Quod perinde est ac si diceret; Charitas est arbor speciosa, atque procera, quæ fructus patientię fert, & benignitatis, & omnium aliarum virtutum partus emittit.

Num charitas pericula, labores, & iniurias patienter, æquanimitérque sustentat? Vtique quoniam patiens est. Videamus Moysem dilectionis perfectissimum sectatorem, quàm patientiæ sit studiosus, & quāta mala, & pericula pro charitate sustineat. Nunc populus ille duræ ceruicis obmurmurat, nunc ei minas intentat, modò lapidibus terret, modò eius imperium subire detrectat. Pro his omnibus vir mitissimus non pœnas exaggerat, sed beneficia, & miserationem impertit. Cùm enim semel posset impunè, securè & graui Domini manu suis obmurmurationibus iniuriā referre, à vindicta abstinet, & sequester populi in se *Exod. 32.* irruētis effectus, pedibus Domini prouoluitur, & ita cum enixe precatur: Aut dimitte eis hanc noxam, aut dele me de libro tuo, quem scripsisti.] Num charitas bona sua lætissimo erogat animo, & munera liberaliter distribuit? Vtique, quia benigna est. Ostendat hoc ille sanctissimus Patriarcha, ad principatus Ægypti *Gene. 45* fastigium sublimatus, qui fratres, hoc est, venditores, hostes, & homicidas suos, lautissimè inuitat, & à mendicitate erutos, dignitate, & fortunis amplificat. Tollite patrem vestrum (inquit ex ore Pharaonis) & properate quātocyus venietes, nec dimittatis quicquam de supellectili vestra, quia omnes opes Ægypti vestræ erunt.] Num charitas, fratrū prosperitate gaudet, & rebus secundis exultat? Vtique, quoniam non æmulatur. Ita Paulus fælicitatem sui populi cupiebat, *Rom. 9.* vt cum obtestatione magna dicat: Optabam ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis.] Quantū abest ab alienæ fælicitatis inuidia, qui anathema à Christo vult esse, vt alij fælicitatem consequantur! Vult autem pro fratribus abalienari à Christo, deuotione vtique (inquit Origenes) non præuaricatione, hoc est, vult ad aliquod tempus eius dulcissima *Orig. li. 7. in epis. ad Rom.* præsentia carere. Nam à Christi gratia excidere, aut animi puritatem fratrum causa minuere, hoc nō vult Paulus, quia id haudquaquam charitas vera requirit. Non enim est charitas, sed fatuitas aliorum salutem cum tua perditione lucrari, & vt aliis prosis, teipsum in teporem, in tenebras, atq; in imperfectiones proijcere. Numquid charitas ligat suorum manus amatorum, ne proximis malum aliquod inferant? Omninò, quoniam non agit perperam. Est námque amor ad mala inferenda ignauus, & iners, ad facienda bona fortis, & animosus. Meliora enim (inquit Salo- *Prou. 27.* mon) sunt vulnera diligentis, quàm fraudulenta oscula odientis. Meliora, hoc est, mitiora, & suauiora, non solùm quia charitas vulnerat vt medeatur ægrotis, sed quia sua dulcedine impedita, leniter, & suauiter ferit. An charitas, propriam excellentiam cōtemnit, libenter subijcitur, & se viliorem, & minorē existimat? Ita sanè, quoniam non inflatur. Apostoli, dum charitate, aut vacui, aut imperfecti erant, proprio verò amore pleni & distēti, ad primas sedes, & aliorum *Luc. 22.* principatum aspirant. Hinc facta est contentio inter eos, quis eorum videretur esse maior.] Hinc aliqui *Matt. 20.* eorum matrem ingerunt postulantem: Dic vt sedeāt hi duo filij mei, vnus ad dexteram tuam, & vnus ad sinistram in regno tuo.] Sed Domino suscitato, amoris incremento, non tantùm sanctiores, sed modestiores effecti, neque primatum appetunt, neque Mariæ peccatrici primò apparuisse Christum, & postea sibiipsis, conqueruntur. Quid hoc? Nisi quòd dilectio nescit inflari, nescit distendi, nouit autem facilè amato submitti; An ne charitas irridet primos accubitus in cœnis, & primas cathedras in synagogis, & vocari ab hominibus Rabbi?] Ita certè, nam non est ambitiosa. Vt enim nulla est commoditatis, aut honoris ergò, inter corporis mēbra discordia; sed gaudet caput, quod pedes calceis fulciantur, & si ipsum nudum, & sine pileo relinquatur; & gaudent pedes, quod pileatum sit caput, licèt ipsis calceamenta non suppetant, eodē modo inter eos, qui verè se diligunt, nulla est gratia munerū, vel dignitatū seditio. Exultat verè in dilectione perfectus, si frater aliis præficiatur, quamuis ipse subiectus relinquatur; si ille laudetur, quamuis ipse contēnatur; si illi omnes applaudant, tanquam copiosè & eloquenter dicenti, licèt ipsum vniuersi tamquā infantem, & imperitum irrideant: quoniam dilectio veritatem amat; iactantiam autē, & inanem gloriā detestatur. Charitas ad Christi imitationem, non sibi placet, neque propria scrutatur commoda; quia non quærit, quæ sua sunt. Non vlciscitur, non punit irata, non iniuriæ memoriam seruat in pectore; quoniam non irritatur. Non temerè iudicat, neque mala euenientia fratribus

imputat; quoniam non cogitat malum. Non est flagitiosorum socia, neque vitiorum, aut perniciosæ libertatis fautrix: quia non gaudet super iniquitate. Est autem bonorum magistra, & omnium bonorum fidelissima adiutrix; quia congaudet veritati. Laboribus, ac persecutionibus non frangitur, quia omnia suffert; omnia credit, quæ sunt credenda: Omnia sperat, quæ sunt speranda, & longanimitatis plena, omnia sibi promissa sustinet.

Vides ergo charitatē fraternam omnes virtutes producentem, & (ex sententia Pauli) ad vniuersa sanctitatis opera instigantē. Sed alio loco idem Paulus, non minùs perspicuè idipsum confirmat, dum eam fructuum spiritus fontem appellat. Fructus (inquit) spiritus charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas. Quem locum interpretans Augustinus, sic ait: Fructus spiritus ex Paulo, charitas est, ac deinde cætera, tamquam ex isto capite exorta, & religata cōtexuit. Quis enim bene gaudet, qui bonum non diligit, vnde gaudeat? Quis pacem veram nisi cum illo potest habere, quem veraciter diligit? Quis est longanimis in bono opere perseueranter manendo, nisi ferueat diligendo? Quis est benignus, nisi diligat, cui opitulatur? Quis bonus, nisi diligendo efficiatur? Quis salubriter fidelis, nisi ea fide, quæ per charitatem operatur? Quis vtiliter mansuetus, cui non dilectio moderetur? Quis ab eo continet, vnde turpatur, nisi diligat, vnde honestatur? Meritò igitur magister bonus dilectionem sic sæpe commendat, tamquam sola præcipienda sit, sine qua non possunt prodesse cætera bona, & quæ non potest haberi sine cæteris bonis, quibus homo efficitur bonus.] O charitas sancta, ô arbor speciosa! ô super omnes alias spirituales arbores admirabilis! ô virtutum omnium pretiosissima! cùm hæc omnia præstes: verè es præceptorum custodia, origo sanctitatis, omnísque diuinæ legis cumulata perfectio. Verè tu es illud lignum vitæ in medio cælestis ciuitatis plantatum, afferens fructus duodecim per menses singulos, reddens fructum suum, & folia ligni ad sanitatē gentium. Duodecim fructus emittis, qui numerus (teste Augustino) vniuersitatem significat, quia instar vniuersarum virtutum fructificas. Per singulos menses fœlices partus edis, cùm per omnē æternitatem beati ex te gaudium & iustitiæ coronam decerpant. Folia tua sunt salus, & incolumitas gētium, quoniā desideria & precationes, quas in beatorū mentibus generas, nobis erratorum veniam, & donorum multitudinem impetrant. Verè tu es fons, qui ascendit de terra, irrigans vniuersam superficiem terræ.] Nā vt tibi epithalamium Domini decātemus: Charitas facit iudicium iniuriam patientibus, dat escam esurientibus; charitas soluit compeditos; charitas illuminat cæcos: charitas erigit elisos; charitas diligit iustos; charitas custodit aduenas, pupillū & viduam suscipiet, & vias peccatorū disperdet.] Verè tu es fluuius, qui egrederis de loco voluptatis, de cordibus scilicet sanctorum, ad irrigandam spiritualem paradisum, scilicet sanctā Ecclesiam; qui diuideris in quatuor capita. Nam & prudētiā instillas, vt patienter fratres sustineamus; iustitiam, ne illis iniuriam inferamus; fortitudinem, vt eos adiuuemus; temperantiam, vt exēplo nostro ædificemus.

Valet igitur ad omnia præcepta amplitudo charitatis, quæ explicata est ab vno ex amicis Iob, cùm eam multiplicem legem nominauit. Atque vtinam (inquit) Deus loqueretur tecum, & aperiret labia sua tibi, vt ostenderet tibi secreta sapiētiæ, & quod multiplex sit lex eius.] Necesse quidem est, quòd interiùs loquatur Deus, & labia suæ lucis nobis aperiat, vt arcanum istud occultissimum, simul & vtilissimum cognoscamus. Arcanum autem est legem eius, legem scilicet charitatis, esse multiplicem, & ad omnia præcepta valere. Lex enim Christi (inquit Gregorius) quid congruentius intelligi, quam charitas potest? quam tunc verè perficimus, cùm fraterna onera ex amore toleramus. Sed hæc eadem lex multiplex dicitur, quia studiosa sollicitudine charitas ad cuncta virtutum facta dilatatur.] Ad omnia sanè protenditur facta virtutum, quia velut magistra sapientissima, in nostris cordibus clamitat: Quod ab alio tibi oderis fieri, vide ne tu alteri facias.] Et rursus verbis summæ veritatis exhortatur; quæ vultis, vt faciant vobis homines, & vos facite illis.] Primò consilio charitas à malis nos auocat; secundò verò ad bona nos prouocat: In his autem duobus tota lex pēdet & Prophetæ.] Hæc enim tantùm postulat Isaias. Quiescite agere peruersè, discite benefacere, vt si peccata nostra fuerint sicut coccinum, quasi nix dealbentur; & si fuerint rubra, quasi vermiculus, instar lanæ mundæ alba reddantur.] Si ergo dilectio declinat à malo, & facit bonum, ad quæ duo omnia legis diuinæ & humanæ præcepta referuntur; iure optimo multiplex dicitur, quæ mirabiliter præceptorum multitudinem ipsa custodit.

Sed hoc singulatim explicent verba Beati Gregorij, quæ licèt prolixiora, non grauabor scribere, vt tanti doctoris sententiis pleniùs doceamur. Nam cùm charitas (inquit) cauet alteri facere, quod nequaquam vult ab altero ipsa tolerare, sollicita se intentione circumspicit, ne superbia eleuet, & vsque ad despectum proximi animum deiiciens, exaltet: Ne ambitio cogitationem dilaniet, cúmque hanc ad appetenda aliena dilatat, angustet: ne cor luxuria polluat, & subiectum desideriis per illicita corrumpat: ne ira exasperet, & vsque ad proferendam contumeliam inflammet: ne inuidia mordeat, & alienis fælicitatibus æmula, sua se face consumat: ne immoderatè linguam loquacitas pertrahat, eámque vsque ad lasciuiam obtrectationis extendat: ne odium malitia excitet, & os vsque ad iaculum maledictionis irritet. Rursum, cùm cogitat, vt ea alteri faciat, quæ sibi ipsa fieri ab altero expectat, pensat nimirū, vt malis bona, & bonis meliora respondeat: vt erga procaces mansuetudinem longanimitatis exhibeat: vt malitiæ peste languentibus gratiam benignitatis impendat: vt discordes pace vniat, & concordes ad concupiscentiam veræ pacis accingat: Vt indigentibus necessaria tribuat: Vt errantibus viam rectitudinis ostendat: vt afflictos verbo, & compassione mulceat: vt accensos in huius mundi desideriis increpatione restinguat: vt minas potentium ratiocinatione mitiget: vt oppressorum angustias quanta præualet ope, leuet: vt foris resistentibus opponat patientiam: vt intus superbientibus, exhibeat cum patientia disciplinam: vt erga errata subditorum sic māsuetudo zelum temperet, quatenus à iustitiæ studio non eneruet: Sic ad vltionem zelus ferueat, ne tamen pietatis limitem feruēdo transcendat: vt ingratos beneficiis ad amorē prouocet: vt gratos quosque ministeriis in amore seruet: vt proximorum mala, cùm corrigere non valet, taceat, vtque cum corrigi loquendo possunt, silentium consensum esse pertimescat: vt sic ea, quæ tacet, toleret, nec tamen in animo virus doloris occultet: vt sic maleuolis munus benignitatis exhibeat, ne tamen per gratiā à iure rectitudinis excedat: vt cuncta proximis, quæ præualet impēdat: sed hęc impēdendo non tumeat; vt sic in bonis, quę exhibet, timoris pręcipitium paueat, ne tamen ab omni exercitio torpescat; vt sic quę possidet, tribuat, quatenus quanta sit largitas remune-

rantis,attendat : Ne cùm terrena largitur, suam plusquam necesse est,inopiam pertimescat ; & in oblatione muneris hilaritatis lumen tristitia obscuret.Si hæc omnia præstat fratrum dilectio, rationi consonum est, vt vniuersis virtutibus tamquam finis omnium præferatur, & in eius perfectione maior nostra cura consistat.

Omnes quidem virtutes necessariæ sunt, & proficuæ sitientibus Deum,& ad eum cupientibus peruenire ; sed cùm charitas aliarum conatum,& laborem suppleat,maiorem in sui obseruationem diligentiam requirit. Alij castigando corpori insistant, illósque aspernentur qui aut imbecillitate compulsi, aut occupationibus laboriosis impediti,flagellis, cilicij vsu, assiduísque ieiuniis, ac vigiliis, corpusculum semper macerare non possunt ; nos insistamus dilectioni, & neminem spernamus. Alij silentium, & eremi secreta sectentur, hominúmque consortium fugiant, & eos irrideant, qui Domini exemplis incitati, bonam noctis partem in sanctis meditationibus, ac diuinis colloquiis consumunt, die verò in proximorum salutem incumbunt ; nos amorem sanctum consectemur,& solitudini deditos non irrideamus,sed magna reuerentia suspiciamus. Alij assiduis distentionibus occupentur,& propriæ perfectionis obliti,indiscretè totos dies in hominum (vt ipsi putant) salutem impendant,vnitatem religionis continuis obmurmurationibus lacerent, suísque fratribus detrahant, qui proprias vires metientes, non seipsos effundunt,sed prudenter,iam proximis, iam propriæ mentis profectui insistunt;nos verò amore occupemur,& murmuratores oratione iuuemus,& neque illis,neque alicui detrahamus.Cùm ergo fraterna dilectio sit omnium mandatorum custodia, bonarum actionum compendium, & vniuersarum virtutum finis, ac planè simul cum dilectione Dei spiritualis vitæ perfectio; meritò Christus eam suum vocat mandatum, dicens:Hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos.] Iure optimo hanc legem in manu sua tenere gloriatur,vt scriptum est in Deuteronomio:Et in dextera eius ignea lux.] Non tantùm habet Christus hanc legem in corde,fratres suos,hoc est,nos omnes tenerrimè diligens,non tantùm in ore, verbis & doctrina dilectionem edocens : sed etiam in dextera operibus exhibens. Vt non decipiamus nosipsos,existimantes corda esse igne charitatis accensa, si verba sunt detractionis plena, & opera felle indignationis referta Et vt diligamus non verbo,neque lingua,sed opere,& veritate.

Ioann.15. *Deut.33.* *1.Ioan. 3.*

Perfectionem fraternæ charitatis præceptum Christi vocari ob aliam perfectionis proprietatem,quòd omnibus animæ morbis medeatur.

CAP. XXXI.

Adhuc alias causas, ob quas Christus Saluator noster hanc perfectionis partem suum mandatum appellauit, diligenter inquiramus, quæ non parum huius charitatis, quam tractamus, excellentiam patefaciunt, eámque ad ipsam perfectionis naturam pertinere, euidenter ostendunt. Si enim perfectio non solùm maximas, sed minimas etiam mentis ægrotationes curat, præceptum eam continens vocetur præ omnibus Christi præceptum, quod solùm sufficiens est, quatenus ad omnia opera virtutis instigat, vniuersis nostris morbis mederi, ac vulnera nostra curare. Quodnam peritus medicus suum mandatum præcipuum diceret ? Certè illud, quod inter omnia à se proposita, ad ægrotum morbo liberandum efficacissimum iudicaret. Nam si ægrotum cruditate laborantem inuisat,cognita ægritudinis, tum qualitate, tum causa, & variis remediis, multísque medicamentis in vsum infirmi recensitis,tandem sermonem suum ita concludit. Hoc mando tibi,vt à cibis temperes, & abstinentiam, ac sobrietatem arctè custodias,sine qua,aliis etiã medicamentis adhibitis, haud quaquam salutem concupitam, assequeris.Sic omninò Christus cælestis medicus fecit, qui hominem è cælis curaturus aduenerat. Vidit hominem cruditate laborantem (nam in conuiuio paradisi, quod veternosus serpens illi parauerat, propriæ excellentiæ desiderio fuerat saciatus, & proprij amoris concupiscentia repletus)& multa adhibuit medicamenta,quæ huic ægritudini mederentur,& eã paulatim,& quasi per partes curarent. Ad eius quippe curationem tot lata sunt,& tam salubria mandata.Non mœchaberis, non furtum facies, non concupisces res proximi tui, nec desiderabis vxorẽ eius,& reliqua huiusmodi.Sed istis mandatis tamquam medicaminibus saluberrimis adhibitis; tandẽ sapiens medicus & vera sapientia Patris,postremum,ac omnium efficacissimũ, & finem aliorum intulit,dicens : Hoc maximè inter alia mandata sit præceptum meum, ô homines amoris inordinati morbo impediti, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos.] Dilectio enim tamquam perfecta animæ salus,& quæ virtute omniũ aliorum medicamentorum efficacitatem continet, velut à principio curationẽ orditur,& radices euellit vestrorũ peccatorum.

Genes. 3. *Deut.5.*

Hæc fraternæ dilectionis medicina efficax est, vt singuli homines generis humani membra curentur, & eam, vnde exciderant, spiritualem vitam, ac salutem recuperent. Membri námque alicuius mala ferè omnia, ad hæc quæ subiicimus, possunt facile reuocari. Aut enim mortuũ est, aut noxio aliquo humore infirmum,ac imbecillum est,aut plaga & vulnere aliquo affectum est, aut ab aliis membris discissum,& separatum est ; aut tandem ab actione sibi & corpori necessaria, aut vtili impeditum est. His omnibus malis fraterna charitas optimè medetur, & nos ad vitam, ac salutem mirabiliter transfert. Nam cordi nostro tamquam salubre medicamentum applicita, nos mouet, vt noxios humores peccatorum, quæ nosipsos, primos vtique & propinquissimos fratres infecerant (nullus enim tam proximus, ac frater, quàm quisque sibiipsi) per veram ac luctuosam compunctionem expellamus, & ad spiritualem vitam redeamus.Quare Ioannes Apostolus ex dilectione fraterna sapienter vitam spiritus infert. Nos scimus(inquit) quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres.] Ac si diceret : Manifestè cognoscimus diuina virtute, nos fraternæ charitatis beneficio à morte peccati ad vitã gratiæ fuisse translatos, quæ charitas nexus est nos Deo vitæ nostiæ coniungens,& proximis tamquam eiusdem corporis membris deuinciens.Nemo interroget hominem(ait Augustinus) redeat vnusquisque ad cor suum, si ibi inuenerit charitatem fraternã, securus sit, quia transiuit de morte ad vitam.] An non mors animæ separatio est à Deo ? & vita animæ vnio est cum Deo? Sed hæc vnio ex vnione ad fratres dignoscitur, & quantò hæc verior est,& (vt ita dicam)intimior,tantò maior est vnitas inter Deum & nos, & tantò maior est,& inseparabilior vita spiritualis, qua viuimus. Circulum fingite mundum esse, (ait Beatus Dorotheus) centrum autem circuli Deum, lineas autem

1.Ioan. 3. *Aug.tra. 5.in 1.Ioã.* *Doroth. doctr. 6.*

à circulo

à circulo in centrum diductas vias credire varias, negotiationésque mortalium.] Et post pauca. Hæc est enim charitatis vis, & natura: Quò enim magis à Dei dilectione recedimus eò & a proximi amore distamus; Quantò Dei charitati adhæremus, tantò & proximi; quantóque proximo, tantò & Deo.] Hinc autem manifestè intelligitur quorundam deplotanda fatuitas, qui charitatem & mutuam pacem periculo exponunt, vt alia minora bona promoueant: similes illis, qui cor offerrent vulnerandum, vt digitulum pedis illæsum custodirent. Vt enim ignorantia est vilissimos cineres recondere, & purissimā similam in ventum spargere; fæces continere, & oleū effundere, pro aqua contendere, quæ vbique inuenitur, & vinum pretiosum amittere: ita profectò inscitia est, vt tuam voluntatem expleas, quam abnegare debuisses, vel, vt aliis, siue in anima siue in corpore prosis, teipsum perdere, pacem congregationis violare, & sanctissimam fratrum dilectionem dilapidare, & consumere. Perinde quippe est, ac si, vt lapidem muti possideas, portam amittas, per quam in cæleste regnū es ingressurus. Virtutes enim aliæ sunt lapides, pulchri illi quidem, & politi, quibus murus cœlestis extruitur; sed charitas est porta, per quam ad ciuitatem supernam manet introitus. Angelus enim apud Ezechielem mensus est vestibulum portæ octo cubitorum, & frontem eius duobus cubitis. Iste introitus templi duobus cubitis cōstans, secundū Gregorium, meritum vitæ præsentis significat, quod ex duobus operibus, ex amore videlicet Dei, & ex amore proximi constat. Nisi enim in istas ianuas incurramus, & per illas ingrediamur, non est nobis locus in templo Dei, per quod patria cælestis exprimitur, sicut scriptum est: Dominus in templo sancto suo, Dominus in cælo sedes eius.]

Ezech. 40. Greg. hō. 16. in Ezech.

Psal. 10.

Charitas fraterna est, quæ morbis, & noxio humore animam liberat, quoniam sine illa innumeris vitiis subdimur, vitali calore, & sensu, ac motu caremus, & inquietudinem, & turbationem, quæ morbum sequi solet, incurrimus. Quis explicare poterit, quàm multis vitiis, ô religiose, sine charitate fraterna subiicieris? Si enim Prælatum non diligis, non obedies ei saltē volūtate, & iudicio; sed erubescentia, aut cōmoditatis intuitu, aut timore coactus. Si tui spiritus magistrum non amas, non credes ei, neq; eius cōsilia suscipies, neque documenta, ac si essent diuinitus data, reputabis. Si erga fratres amore non afficeris, ô bone Deus, quantis suspicionibus cruciaberis, quanta impatientia torqueberis, quot modis humani generis aduersarius tibi illudet! Inter has verò cordis procellas, ob dilectionis absentiam excitatas, quibus singulis momentis succumbes, quomodo sanus eris, quo pacto proficies in exercitatione virtutum? Quis etiam edicet, quàm frigidus es, si hunc fratrum amorem contemnas? Nā sicut palmiti nihil magis necessariū est quam vt viti, & aliis palmitibus copuletur; à vite enim vitam, & à palmitibus aliis iuuamen, & fomentū accipit, vt fructus ferat: ita viro spirituali summè necessaria est charitas, qua & Christo capiti ad vitam, & aliis congregationis membris ad fomentū annectitur. Neque verò cogitare potes; satis est mihi si Christo dilectione vniar, hominibus autem charitate necessarium vniri non reputo. Huic enim vanæ obstat cogitationi Apostolus Ioannes, dicens: Qui non diligit fratrem suum, quem videt, Deum quem non videt, quomodo potest diligere?] Si eum non diligis, quem luminibus cernis, intelligentia cognoscis, beneficiis experiris, quomodo credemus te Deū diligere, quem neque oculis vidisti, neque intellectu comprehendisti; & licèt ab eo omnia bona euenisse credas, id tamen obscurè, & non manifestè cognouisti? & quis tandem intelliget, quàm sine motu, & sensu miserabiliter iaces, dū nō inseris fraternam charitatem acquirere? Qui enim non amat, multa dicit, & facit molesta, & iniuriosa fratribus; nec sentit: Valde difficile est ei ad obsequia infirmi, vel senis, vel alterius indigentis moueri; caret enim potentia motrice charitate, quæ excitat nos, & vires suppeditat, vt libenter fratribus inseruiamus. Bene profectò Dominus fraternam charitatem, non solùm in animæ medicamentum applicat, sed etiam in prouerbiis cor vitæ spiritualis appellat, dicens: Fili præbe mihi cor tuum,] quoniam veluti in medio virtutum sita, non solùm nos sanat, sed etiam eis calorem, sensum, & motum subministrat. Quis enim sine charitate, bene, vt necessarium est, obedientiam tenuit, mansuetudinem seruauit, humilitatem custodiuit? Horremus valde cuiusuis membri corporis vulnus, tum ob dolorem, tum quia tam magnum esse potest, & immedicabile, vt ita nos priuet; sed multò magis timemus vulnus cordis, nam licèt minimū, irremediabile est, & in certissimum nos vitæ discrimen adducit. Sic prorsus omnia peccata timenda sunt, nam & sunt animæ vulnera, ac vitæ spiritualis plagæ. Somnolentia, dum oras, est vulnus oculorum incuria in opere, vulnus manuum; accidia in rebus tibi iniunctis, plaga pedum: At peccatum in fraternā charitatem commissum, multò magis est detestandum, tamquam vitæ spirituali maximè aduersarium, quia vulnus cordis est, & veluti à corpore separat, & ab aliis membris, quibuscum eramus colligati, nos abscindit. Quare omni sollicitudine seruanda est, ab ipsa enim tamquam à corde, vitæ spiritualis functiones emanant, charitatéque deficiente, vniuersæ fugient virtutum actiones. Si fratrem non amas, facilè ei te anteponis, & modestiam, atque humilitatem amittis, temerè iudicas, & iustitiam perdis, sine causa irasceris illi, & mansuetudinem deseris; efflagitanti opem, non succurris, & misericordiam derelinquis. Serua cor, tene charitatem, quam regula petit, aliorum exempla docent, mandatum Christi præcipit, & vitam spiritualem conseruabis.

1. Ioan. 4.

Prou. 23.

At quàm efficaciter fraterna charitas plagas nostras, ac vulnera curat? Id solus verus amator nouit, solus vim charitatis expertus poterit explicare. Si intellectus cæcitate, & ignorantia vulneratus est, & fratrum verba, & opera præposterè interpretatur; charitas est, quæ ipsum illuminat, vt sincerè valeat aliorum dicta, & facta respicere, & nihil mali, vbi malum non est, temerariè iudicare. Quamobrem Angelo, aut Episcopo Laodiceæ à Domino dictum est, vt collyrio amoris fraterni inungat oculos suos, quia videlicet sine illo homo vilitate proprij amoris affectus, cæcus est, & nec acta sua prudenter examinat, nec aliorum opera candidè & simpliciter iudicat. Collyrium re vera est amoris fraterni præceptum, de quo in Psalmo inquit Dauid, Præceptū Domini lucidum, illuminans oculos.] Nihil enim sancto amore clarius nihil lucidius, qui non sicut profanus amor oculos mentis excæcat, sed eos perspicacissimos reddit, vt proximorum mala misericorditer & bona iocundè, atque hilariter videamus. Si appetitus inordinatis affectibus plagatus est charitas illum sanat, affectus moderatur, & ineptos animi motus sedat atque componit. Hæc enim genus humanum ad quandam similitudinem status innocentiæ quodammodò reuocat. Nam sicut in illo esset inter homines summa pax, consensio grata, vita iucunda: ita charitas eos pace, & concordia ligat, & sensuum vnione deuincit. Vbi autem idem est sensus, eadem voluntas, non

Apoc. 3.

Psal. 18.

potest esse, aut contrariorum desideriorum intestinũ bellum, aut affectuum mutua discordia. Charitas fratres efficit, non carnales, sed spirituales, quare omnem affectum inordinatum curat, vt rixandi materiã de medio tollat. Fratres carnales communione sanguinis colligati (vt ait Hugo Victorinus) quod cõmune est eis diuidunt: spirituales, amoris vinculo deuincti, quod diuisum erat, in communi ponunt. Ibi quisque quod suum est, quærit, isti non quæ sua sunt, quærunt, sed quæ Iesu Christi. Plus ergo valet ista propinquitas quàm illa, quia illa deficit, ista crescit; illa habet diuisionem, ista vnitatem; illa transit cum sæculo; ista permanet in futuro. Ad hoc enim simul in vna domo viuimus, vt postmodum in cælesti regno maneamus.] Hæc ille paucis immutatis. Ista ergo spiritualis fraternitas, quæ non est alia quàm charitas, vt omnem discordiæ materiam abscindat, affectus sanat, & propriæ commoditatis amorem tollit. Si tandem vis, qua bonum exequimur, infirma, & imbecilla est, charitas illam roborat, & in fratrum vtilitatem fortem, & inuictam reddit. Quod sanè ipsa experientia quotidie clamat. Quis enim amans statim ad id, quod amat amplectendum non animatur, non vires concipit, non neruos acquirit? Verè fortis vt mors dilectio quæ amatores ad mala pro fratribus toleranda penè insensibiles reddit, & vt bonum, quod cupiunt in illis assequantur, nihil arduum, aut difficile esse cognoscit. Ipsa est, quæ Sanctos in periculis positos dicere cogit cum Paulo: Sed in his omnibus superamus propter eum, qui dilexit nos.] Prorsus virtus omnipotens (vt inquit Richardus) quæ ipsas miserias facit potentes dum conuertit in adiutorium, quæ parata sũt ad nocendũ: qua suffulti milites Christi impauidi certant, certi de victoria in mediis periculis incedũt tutissimi, nec dæmonẽ, nec hominẽ metuentes.] Charitas ergo efficax medicina est, quæ omnibus plagis nostris remedium adhibet, & quod proprium perfectionis est, mentem ad perditam sanitatem reducit.

Hugo ad regulam Aug. c. 1.

Cant. 8.

Rom. 8.

Rich. de gradibus charit. c. 1.

Qua profectò salute spirituali dignatos inquietudine, & turbatione liberat, quæ semper ab inepto, & inordinato amore promanat, à plagis nostris proficiscitur, & ad quietem & tranquillitatem sanctæ orationis iuuat. Hic enim dulcis somnus salutem ipsam spiritualem, susceptos fratrum gratia labores & charitatis perfectionem subsequitur. Interdum sanè nobis contingit, vt cor nostrum ingredi nesciamus, ad adorandum Deum in spiritu, & veritate: euenit, vt ianuam occlusam inueniamus, cælum quasi ferreum experiamur, & ariditate animi, ac vanis cogitationibus turbemur. Quid mirum si hanc spiritualem salutem non habemus? Fratrem minus quietum nostris detractionibus reddidimus; famam & bonam eorũ aliis opinionem abstulimus; vanas opiniones sine fundamento de illo conceptas disseminauimus; tepidæ vitæ exemplis læsimus; ira & indignatione nostra turbauimus: quidni ad altare Dei, hoc est ad interiora mentis, accedere prohibeamur? Si offers munus tuum ad altare (dicit Dominus) si inquam intendis munus Deo gratum, donum ei immaculatum offerendum præparas, recordatus fueris, quod frater tuus habet aliquid aduersum te, dimitte ibi munus tuum ante altare, supersede paulisper ab hac orationis oblatione, & vade priùs reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum] ita vt in odorem suauitatis accipiatur. Hoc ita docet Augustinus. Quicumque habetis discordiam cum fratribus vestris, & reuocatis vos ad vos, & consideratis vos & iustũ iudicium fertis in vos, intus in cordibus vestris, & inuenitis vos non debuisse facere, quod fecistis, non debuisse dicere quod dixistis: Petite veniã fratres à fratribus vestris, facite fratribus quod ait Apostolus: Donãtes vobis ipsis, sicut & De⁹ in Christo donauit vobis.] Facite, nolite erubescere veniam petere. Cui his verbis concinit Gregorius: debemus itaq; ad proximũ quãuis longè positum, longéque disiunctũ, mẽte ire; císque animum subdere, humiliate illum ac beneuolentia placare; vt scilicet conditor noster, dum tale placitum mentis aspexerit, à peccato nos saluet, qui munus pro culpa sumit.] Hæc sanè fuit consuetudo religionis antiqua, Domini præcepto confirmata, vt se inuicem licèt in minimis rebus offendimus, inuicem veniam peteremus. Iam verò mos iste obsoleuit, & cum vera simplicitate ablegatus est. Qui alium lęsimus, non petimus veniam sed quærimus indignationis prætextus, declinamus cor nostrum in verba malitiæ ad excusandas excusationes in peccatis.] Quod autem Dominus tam dilucidè in noua lege mandauit sub quodam velamine, vt pleraque omnia, in antiqua lege præceperat, dum ad vestem sacerdotalem coccum, illúdque bis tinctum iussit adhiberi. Quid enim innuit coccus, aut purpura bis tincta, sine qua sacerdos ad altare accedere prohibetur, nisi Dei & proximi charitatem, quæ viros sanctos exornat, & idoneos reddit sacrificiis Deo, atque holocaustis offerendis? Celebrat Deus conuiuium in nobis, conuiuium pinguium, conuiuium vindemiæ, pinguium medullatorum, vindemiæ defæcatæ.] Conuiuium enim est contemplatio diuinorum, qua mens sanctis affectibus satiatur, & vino pretioso inebriatur diuinarum illustrationum. Sed huic conuiuio illis solis patet ingressus, qui stola nuptiali, indumento bis tincto charitatis sunt exornati: non tamen illis, qui sordẽt inordinato suiipsorum amore, veste scilicet sordida, atque profana. Hæc est sola prima, qua prodigus ille filius induitur, priusquàm in domum religionis recipiatur, & ad Christi conuiuium admittatur. Prima quidem necessitate, sine qua homo non filius Dei, sed filius Diaboli apparet, & prima dignitate, quæ Dei paterna viscera emollit, vt nos non extraneos, sed filios esse cognoscat. Hac induimur, antequam vitulo saginato vescamur. Nam qui oculos claudit, ne fratrum indigentiam videat, & viscera obdurat, ne alienam penuriam sentiat, illíque subueniat; & iniuriam à se fratri illatam resarcire non curat; indignus est oculos apertos, & cor blandum, atque suaue experiri, quo erga vitulum, hoc est, Christum passum amore & sanctis desideriis afficiatur. Meritò igitur hæc perfectionis pars Christi præceptum, ac sapientissimi animarum medici mandatum appellata est, quæ sola sufficit ægrotationes veteris Adæ curare, & nos noui Adæ, Iesu Christi filios efficere.

Matth. 5.

Aug. lib. 50. hõ. hõ. 40. c. 5.

Ephes. 4.

Gregor. dial. c. 6

Psal. 40.

Exod. 28.

Isaia 25.

Luc. 15.

Perfectionem fraternæ charitatis præceptum Christi vocari ob aliam perfectionis proprietatem, quòd membra status religiosi coniungat.

CAPVT XXXII.

NOn solùm fraterna charitas pars perfectionis est, ex eo quòd iustos sanat, sed etiam quia quatenus sunt membra vnius corporis nexu suauissimo ligat, imò & ipsa est præcipua causa, vt vnũ mysticum corpus efficiant. Quod in solo religioso statu, quem ad perfectionem capessendam allicimus,

nunc conabimur demonstrare, & ex eo facillimum erit ad totam Ecclesiam, cuius ipse est pars, pennis considerationis ascendere, & eandem proprietatem à fraterna charitate profectam, in quibusuis congregationibus, pacem, & concordiam habentibus, inuenire. Status religiosus est spiritualis quidam mundus, non in vsum veteris Adam, sed in noui Adæ gloriam fabricatus. Non quidem ille, de quo scriptum est: Et mundus eum non cognouit:] Sed ille de quo paulò superius mysticè scribitur: In mundo erat & mundus per ipsum factus est.] Hic etenim mundus re vera à munditia, & puritate nomen accepit, quia est schola perfectionis omnem sanctitatem edocēs, nullamque culpam, aut imperfectionem admittens. Hūc filius ipse Patris effinxit, vt in eo tamquā in aula sua regia habitaret, & à viris iustis debitum cultū, & honorem acciperet. In hoc spirituali mundo, cælos & elementa, & mista, arbores, & animalia, homines & Angelos spirituales inuenimus. Cæli sunt Prælati: Nā sicut cęli continent omnia; ita illi (vt habetur in libro sapientiæ) continent multitudines. Cælum mihi sedes est (inquit Dominus per Isaiam) & præpositi sedes sūt Dei, in eis quippe diuinam maiestatem agnoscimus, & quasi in throno sedentem honoramus. Hi sicut cæli doctrina aliis lucem, & exemplo vitæ influxum vitalem subministrant, & in vno, eodémque loco consistentes, scilicet in cella, non otio torpent, sed continenter se mouent, tum curis regiminis, tum orationibus, & sanctis desideriis, quibus totam huius fabricæ machinam ordinatè gubernant. Ignes, sunt feruidi; qui, cùm ea virtute, & conatu Deo seruiant, vt par est, meritò vocantur præ cæteris ministri Dei, qui, vt est in Psalmo: facit ministros suos ignem vrētem.] Hi autem Spiritus sancti calore concepto, alios vita sua calefaciunt, & ad feruorem, ac diligentiam cōuertunt. Aër, sunt mites: Nam sicut venti suauitate quadam non tam ingenita, quàm accepta diuinitus, ad omnia ingenia se accommodant, & alij eorum lenitate respirant. Aqua, sunt peccatorum memoria cōpuncti: hi enim agrum cordis fontibus lachymarum irrigant, & dicentes. Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum] culpas in sæculo commissas lauāt. Terra, humiles, & despecti; etenim dum ab hominibus proteruntur, & conculcantur, stante Christi decreto: Quod qui se humiliauerit exaltabitur,] gloriam & exaltationē expectāt. Mista sunt, qui pluribus splendent virtutibus, nec facile est iudicare, quam magis ament, & quam perfectius possideant. Vt enim petra illa deserti, bis à Moyse virga percussa, largissimas effudit aquas, si verò ferro excuteretur, daret ignem, & in puluerem comminuta transiret in terram, vapores autem ab ea excitati transirent in aërem, ita hi ignis videntur, quia deuotione feruent; & aër, quia suauitatem refrigerāt; & aqua, quia in compunctionis lachrymas resoluūtur; & terra, quia prę humilitate omnibus se submittunt. Arbores sunt perfecti, arbores bonæ, quas ex fructibus bonis cognoscimus: Nam ad culmen sanctitatis euecti, non iam foliis, & floribus desideriorum, sed operibus bonis fructificant. Animalia autem (quis diceret, nisi Dominus ipse dixisset?) Sunt obedientes, qui aliorum onera sustinentes, & pondus diei, & æstus portantes, confidenter, canunt: Vt iumentum factus sum apud te, & ego semper tecum.] Et adhuc minimè hac laude contenti subiungunt: Tenuisti manum dexteram meam, & in voluntate tua deduxisti me, & cum gloria suscepisti me.] Isti, nec cælos, id est, prælatorum gratiam ambiunt, nec terræ, id est, aliorum subditorum laudes exquirunt, & ira prædictis addūt: Quid enim mihi est in cælo, & à te quid volui super terram? Deus cordis mei, & pars mea, Deus in æternum.] Homines sunt, qui dono pollent discretionis, Angeli, qui puritate & castitatis decore eminent, & non tam humana prudentia, quàm simplici quodam Dei nutu reguntur. O mundus mundus & purus, non quidem ille, qui in maligno positus est;] Sed ille, quē Christus inhabitat, non vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum.]

Ioann. 1. — *Ibidem.* — *Sapien. 6.* — *Isa. 66.* — *Psal. 103.* — *Ierem. 9.* — *Matt. 18.* — *Psal. 72.* — *Psal. 72.* — *1. Ioan. 5* — *Ioann. 3*

Hic ergo spiritualis mundus, quomodo in suo decore persistet? Eodem prorsus modo, quo mundus sensibilis conseruatur, vt omnia, quæ oculis videmus, auribus audiuimus, & manibus contrectamus, nos ad charitatem, ad amorem, ad pacem inuitent. Et iste mundus quomodo conseruatur? Pace scilicet partium, concordia, charitate. Istud autē non nostris, sed sancti Gregorij Nazianzeni verbis audire libet. In cęlum sursum (inquit) & deorsum in terram aspicimus, legésque creatarum rerum animaduertimus: quemadmodum videlicet cælum & terra, & mare, ac denique vniuersus hic mundus; magnum, inquam, hoc Dei elementum, & illustre, quo Deus declaratur, tacitáque voce prædicatur, quamdiu secum pacatus, & tranquillus est, séque naturæ suæ finibus continet, nec quicquam aduersùs alterum insingit, beneuolentiæque vincula, quibus ab artifice Verbo rerum vniuersitas constricta, & conglutinata est, perrumpit: mundus verè est, vt appellatur, atque incomparabilis pulchritudo, neque vllum opus, quod quidem materia constet, aut præstantius, aut magnificentius excogitari potest. At simul atque pacatus & quietus esse desinit. Quid enim, cùm cælum rato ordine aëri lucem; terræ pluuias impertit, nónne tibi beneuolentiæ legibus teneri videtur? Nónne aër, & terra cum animantibus cunctis partim ducendi spiritus facultatem, partim alimenta præbent, parentum erga filios amorem imitari.] Pulcherrimè autem depicta charitate, & pace, quæ est inter anni partes, inter noctes, & dies, inter solem, lunam, & stellas, inter terram & mare, & amnes per campos defluentes, inter elementa, bona temperatione permixta, tandem subiungit. At cùm materia secum ipsa dissidet, nec cohiberi potest, dissolutionem scilicet per seditionem meditans, aut Deus ad perterrendos, puniendósque improbos connexionis aliquid huiusmodi emouerit, nimirum vel exundante mari, vel terra dehiscente, nouis & insuetis imbribus cadentibus, vel sole deliquium patiente, vel quadam anni parte modum excedente, vel effundentibus se ignibus: tum verò in hac rerum perturbatione, & confusione orbi vniuerso terror incutitur, quantúmque in pace boni insit, ipsa seditione perspicitur.] Atque hæc Nazianzenus. Vt itaque corporeus mundus charitate perstat, discordia verò interit atque dissoluitur; ita mundus spiritualis, religio scilicet, eisdē causis & persistit, & dissipatur. Si enim Prælati tamquam quidam cæli subditos ament, placidis verbis sanctè mulceant, largis beneficiis foueant, & honore prosequantur: Si subditi, tamquam inferiora corpora, præfectis reuerentiam, & obedientiā præstent, & mutuum amorem, tum animo teneant, tum signis externis exhibeant: si subditi seipsos diligant, sustineant, ac tenerrimo dilectionis complexu defendant, ac tueantur, tunc mundus iste, aut potiùs aula cælestis, tranquilla, atque pacata supremæ beatitudinis gestat imaginem. Si autem hic ordo confundatur, & subiectio perturbetur; si prælati à subditis superbia & contemptu dissocientur, si subditi à Prælatis, tum sensu, tum voluntate discordent; si subditi inter sese assiduis querimoniis diffidant, & suis tantùm commodis inhærentes nexum mutuæ dilectionis abrumpant: Iam religio non cælestis Ierosolymæ,

Nazian orat. 1. de pace.

lymæ, sed terrestris Babylonis typus est existimanda, in qua nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat. Non est iam domus sanctitatis, nec templum Dei, Christi societas, sed habitaculum discordiæ, in quo multi conuenisse videntur, vt suis dissentionibus congregationem in qua habitant, & seipsos funditus perdant. Charitas ergo est ipsa vitæ nostræ perfectio, quæ inuitans & alliciens nos à sæculo nequam liberauit, liberatos in hunc spiritualem & fælicem mundum adduxit, & adductos conseruat, & quotidie nouis incrementis auget.

Ob hanc causam Dominus, cùm alias virtutes & dona tamquam legata quædam nobis dedisset, charitatem tamquam hæreditatem ditissimam perpetuo vinculo illigatam testamento reliquit, dicens: Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis.] Hac hæreditate diuites sumus, & nobiles, quia venerunt nobis omnia bona pariter cum illa, & inæstimabilis honestas per manus illius.] Vt ergo equites, siue patricij viri, qui iure hæreditario patrimonium minimè venditioni obnoxium acceperunt (quod nos hæreditarium vinculum, aut primogenium vocamus) summa cura, ac diligentia illud conseruant, & augent omniáque alia bona dilapidant, vt primogenij bona integra, illæsáque retineant, ne suæ nobilitatis videantur dispersores: Ita nos vniuersa postponamus ad charitatis vinculum conseruandum, quod non est vinculum primogenij, aut vinculum terrenæ substantiæ, sed, vt vocatur à Paulo, est vinculum perfectionis.] Pereat propria voluntas, abeat cuiusque commoditas, minuatur honor, detrimentum patiantur literæ & scientiæ, damnum sentiant quæuis etiam pietatis gratiæ suscepta negotia; sed perfectionis vinculum, omnium virtutum nexus, dilectio scilicet mutua, integra, & incorrupta persistat. Alia etenim omnia sicut paruæ substantiæ primogenium dilectionis resarcire minimè poterunt; diuitiæ autem opulentissimæ charitatis cuncta alia, licèt penitus amissa videantur, facillimè instaurabunt.

Ioan. 14.

Sapien. 7.

Coloss. 3.

Hæc mundi similitudo valde dilectionis necessitatem illustrat; sed habemus in nobismetipsis aliud exemplar, quod fortius, & efficacius vim fraternæ charitatis ad nos spiritu iungendos ostendat. Nam religio vnum mysticum est corpus, ex variis membris, partibúsque compositum, cuius bonum in istarum partium vnione, & connexione consistit. Connexio autem non est alia quàm charitas quæ diuersorum hominum sensus, ac definitiones nectit, voluntates copulat, & omnium labores in vnum eundémque finem sapientissimè dirigit. Quemadmodū enim humani corporis bonum in partium coniunctione, ac membrorum perpetua quadam cohærentia situm est; quare si minimum os à suo loco dimoueas, incomparabili dolore cruciaberis; quòd si non solùm os suum deserat locum, sed sint ipsa membra disiuncta iam corpus suam naturam derelinquit, & non est vnum corpus, sed plura corpora; Si verò non tantum disiuncta sint membra, sed etiam contraria, & procurantia mutuum exitium, non solùm sunt plura corpora, sed plures hostes, & tunc ea membra se inuicem perderent, quæ tueri se & custodire debuissent: ita prorsus religio vna est, quando Prælati cùm subditis & subditi cum Prælatis & inter seipsos dulcissima dilectione coniunguntur; quando maiores à minoribus suspiciuntur, & minores à maioribus honorantur; quando æquales mutuò se iuuant, & secundùm consilium Pauli, honore præueniunt, nec videri, aut esse alios superiores ambiunt. At si dilectione seposita suspiciones foueant, & inanes opi-

Rom. 12.

A niones admittant, iam membra sunt à suo loco dimota, necessariò toti corpori dolorem, & tristitiam afferent. Ideò dulcis Bernardus vitæ religiosæ professores dentibus comparat, quia sicut dentes nihil motari intra se patiuntur, sic illi, ne modicum quidem offendiculum tolerabile putant, aut intra se, aut in conscientiis singulorum: non est dolor sicut dolor eorum, cui nihil tam horrendum, & horribile est sicut murmur, & dissensio in congregatione. Si verò se auersione mutua, & dissensionibus separent, iam non erunt vna religio, sed tot detestanda conuenticula, quot fuerint in domo factiones. Si verò (quod Deus auertat) se mordeant, detractionibus, & contumeliis lacerent, & mala voluntate consumant, tantùm abest vt sint vnum corpus, quod potius sunt innumeri hostes, qui in vno loco se infectissimo bello conficiunt. Hinc religionum pernicies, hinc sanctitatis exitium, & calamitas prouenire potest, & aliquando fortassis orta est, quo vnusquisque sibipsi; non bene, sed malè consulens, & propriam commoditatem inquirens, aliorum verò, aut honorem, aut solatium, aut commodum contemnendum suum bonum quærit, commune totius religionis bonum pessundat, & proterit: est enim verissima sententia Seruatoris. Omne regnum in seipsum diuisum desolabitur, & domus supra domum cadet.] Et vt aqua in vase contenta, & tota secundùm suas partes vnita multùm temporis conseruatur; effusa autem in terram, atque in paruas guttas diuisa, statim arescit, à terra imbibitur, & absorbetur & prorsus interit, adeò vt ne vllum quidem illius vestigium appareat: ita religiosa communitas dilectionis vinculo copulata facilè suum vigorem, & splendorem conseruat, imò (vt verius dicam) in dies magis illustratur, & naturalibus donis, supernaturalibúsque virtutum ornamentis augetur; at sensuum diuersitate disiuncta, & voluntatum discordia, quasi in varias partes separata, paulatim minuetur, & tandem funditus peribit. Est autem hoc simile ad nostrum propositum explicandum, aptissimum: Nam sicut cum aqua effunditur, & tota illa perit, & singulæ quoque guttulæ pereunt; sic prorsus iis accidit, qui suis discordiis atque dissidiis vinculum religionis abrumpunt; nam & totam religionem destruunt, & seipsos proprium honorem, & propria commoda quærentes disperdunt. Id quod apertissimè Patriarchæ Loth, cùm sancti Abrahæ societatem deseruit, nos docet historia. Ecce enim (inquit Chrysostomus) vt diuisus est à iusto, & putabat se in maiori esse vbertate, ac copia, & potiora se assequutum & abundare, repentè factus est seruus carens domo, carens & foco, vt discas quantum malum sit diuisio, & quantum bonum concordia, & quod conuenit non maiora temerè capescere, sed potius humilitas diligenda est.] Ita sanè accidit Loth, & ita omnibus illis eueniet, qui vt apud homines crescant, & splendeant, alios fratres in opinione minuunt, & verbis tamquam nube quadam obnubilant. Quid miseri, vt se honore vestiant, honore fratres spoliant? Quid insani, vt seipsos promoueant, aliorum bonam opinionem conuellunt? Quid amentes, vt soli luceant, alios obscurant? Soli lucere volunt, at non soli lucebunt, sed soli sine luce permanebunt. Væ autē soli, quia si ceciderit non habet subleuantē se.] Seuerū est, sed iustū Domini decretū, cuius iudicia abyssus multa, vt qui se non habitatione, nō veste, sed corde, & amore à fratribus separant, tempore necessitatis soli relinquantur, & tentationibus absorbeãtur; permittit enim Dominus, vt neque exemplis, neque cōsiliis, neq; doctrina eorū

Bern. de paruis serm. 63.

B

Lucæ 11.

C

D

Chry. hi. 33 in Genes.

E

Eccles. 4.

proficiant,

proficiant, quos a se per odium & malam voluntatem abiecerant.

Est ergo charitas mutua, quæ vitam religiosam conseruat, eius decorem custodit, splendorem amplificat, & sine qua proculdubio omninò peribit. Sublatis à nauigio clauis, quibus tabulæ & ligna affiguntur, iam non est nauis: sublatis à domo calce, & luto, & aliis ligamentis, quæ lapides & lateres iungũt, iã nõ est domus: sublato funiculo, qui ligna coniungit, statim sparguntur, & ab vno portari non possunt. Ita, neque nauis religiosæ vitæ in cælum enauigans, neque domus hæc spiritualis ab iniuriis nos, & sæculi molestiis defendens, neque virtutum fasciculus persistit submoto vinculo dilectionis. Facti sumus (inquit Basilius) vnusquisque apud seipsum velut arena, non coniuncti inter nos, sed singuli per se diuisi, neque enim ædificationem consistere possibile est ligamentis detractis; neque Ecclesiam in altum crescere vinculis non colligatam pacis, ac charitatis.] Hæc mutua charitas facit, vt cælestis vitæ possessores mutuò se æstiment; ex hac autem æstimatione prouenit, vt isti virtutes aliorum in magno pretio habeant; virtutes verò magni habitæ, nullo negotio ad sui imitationem alliciunt. Iste imitatur mansuetudinem illius, quem amat, ille orationem & deuotionem istius: Alter sectatur mortificationem, quæ lucet in fratre; alter silentium; alter obedientiam prõptissimam: Fiũt religiosi charitate copulati sicut prunæ, quæ in vno prunario positæ, ignem augmentant, & mutuò magis se succendunt: Odiis verò disiuncti, sunt sicut prunæ in terram proiectæ, quæ à ventis & frigore paulatim extinguuntur. Nam nescimus imitari, scimus verò iudicare, & contemnere, quẽ nõ amamus. Quare detracta à religiosis viris charitate, virtutes aliorum spernuntur, & vitia videntur. Mansuetudo apparet insensibilitas, silentium singularitas, feruor iudicatur imprudentia, deuotio sancta mulierculatum, vel puerorum lachrymæ. Et ecce tuorum vitiorum theriacã, id est, fratrum exempla, in venenum conuertisti; & vnde proficere debueras, inde causas deficiendi conquiris. Væ cætibus religiosis, qui hoc à se medicamentum abiecerunt, & habenas discordiæ, & dissidiis laxarunt; quia ad horum ingressum egreditur sanctitas, fugit mentis puritas, & studium virtutum procul abigitur. Hos cætus meritò Richardus de sancto Victore, non sine lamentis, & mœrore deplorat. Heu in quos fines (inquit) imò fæces sæculorum homines deuenerunt: Cùm (vt de sæculi hominibus taceamus, quos excæcauit ambitio) ipsa religionis electio, nostro miserabili tempore tanta diuisione spargatur, vt vix vnus alteri conueniat in vnum, nisi fortè aduersùs Dominum, & aduersùs Christum eius. Vbique apparent scissuræ ciuitatis Dauid, & in tantùm iam hiant, vt vicinam ruinam omnino minentur: seruatur sub tunica vna, & veste simili cor varium, & omnino dissimile, ita vt de religione antiqua vix signa seruentur, & venientibus ad sepulchrũ Domini, quod clausum est, & Christum quærentibus, sola linteamina pateant, id est, habitus forma.] Et si suo tempore verè fortè nostro verissimè. Quæ ergo religiosa familia stat, videat ne cadat: Quæ necdum vestem charitatis fraternæ discidit, curet diligentissimè, ne sub prætextu zeli aut alicuius boni eam laceret atque discindat. Ea námque sublata, nihil est quo tam sanctus, ac purus status perfectè subsistat. Quid enim charitate à nobis relegata nos veros religiosos faciet? An locus? sed hostes immanissimi in vnum locum conueniunt, vt inuicem se perdant, & interficiant. An mensa? Sed ad eamdem mensam solent interdum sedere inimici, qui dum fuerint inebriati, surgunt inde, & ad mutuas cædes aspirant? An vestis? sed prædones indumentis ciuium se operiunt, vt tutiùs alienas opes ac fortunas diripiant. An opus? Sed inter eos, qui eandem tractant artem inuenitur sæpè summa discordia. Charitas ergo est, quæ omnes eiusdem propositi sectatores vnum corpus efficit, adeò vt, tametsi per totum orbem terrarum sint ipsi dispersi, dissimilibúsque muneribus occupati, vnum tamen esse non desinant. Hanc omni conatu seruemus, ne nosipsos, & statum nobis tamquam seruis fidelibus à Domino commissum, perdamus.

Basil. orat. aduersus eos, qui calumniantur nos, quod tres Deos colamus.

Richard. lib. de gradibus charitatis.

Alia præterea est vtilitas charitatis, efficit enim, vt nulla sit in cordibus nostris duplicitas, sed quod animus sentit, facies ostendat, & lingua eloquatur. Tunc confidenter fratrem accersimus, vel ad eius cellulam properamus, eíque suos manifestamus errores, ea sinceritate, ea dulcedine, ea suauitate, & prudentia, vt veritas odium non pariat, correctióque prosit, & non offendat. Ille autem amore inflammatus, ita fratris admonitiones audit, & consilia admittit, & pro eis gratias agit, ac si cælitus demissa recepisset. Habet hic homo tot suarũ ægritudinum medicos, quot habet socios; tot consiliarios, quot fratres; tot adiutores, quot sodales; tot magistros, quot in domo sunt religiosi. Inter tanta verò adiumenta virtutum, & subsidia perfectionis, quis non hilariter viuet? Quis non in perfectione proficiet? Pone tamen dilectionem deesse tunc more sæcularium, more aulicorum viuemus, qui cùm in platea, aut in aula regia sibi inuicem occurrunt, caput aperiunt, signa familiaritatis exhibent, de corporis salute interrogant, ac si multùm sibi curæ esset; & tamquam amicissimi deambulant, colloquuntur, iocantur, rident, intus tamen pleni sunt simultatis, & inimicitiæ, habent viscera odiis putrida, adinuicem se infamant, impellunt, elidunt, & vnusquisque alium vellet interficere: Amplexantur se mutuò, sicut Ioab amplexatus est Amasam; & occidens eum, effudit sãguinem belli in pace, & posuit cruorem belli in balteo suo, qui erat circa lumbos eius & in calceamento suo, quod erat in pedibus eius.] Sic omnino nobis eueniet, si castissimam dilectionem deseruerimus. Religio sancta, quæ domus est veritatis, & pacis, fiet habitaculum discordiæ, & mendacij; aula Christi conuertetur in curiam regis profani; regnabit fauor, maiores erunt ij, quibus prosper arriserit fortunæ flatus; virtus, & veritas odiosæ erunt. Omnes cùm in vnum conuenimus amicè colloquemur, & tamquam socij de rebus tractabimus; intus verò auersiones animorum latebunt absconditæ. Nec prælatus audebit subditum corrigere, & sincerè eius defectus reprehendere, quia ex animo sibi auerso, non correctionem, sed iram; sed querimonias, sed maiora incommoda operitur. Subditi verebuntur adhuc Prælatum modestè admonere, quia ab iis, quos non amat, admonitionem minimè admittit. Ipsi subditi inter seipsos simulatè se gerent, veritatem seponent, & ad modum Sirenarum sub amabili facie, tamquam sub dulci cantilena, innocentis perditionem abscondent. Si quid ergo est in nobis, quod fraternam charitatem extenuet, ablegetur: Si quid est, quod eam minuat, abscindatur: modica enim principia, finium infæliciũ præsagia sunt; & sicut vna scintillula totam syluam incendit, ita modica auersio corde concepta, nec tempestiuè curata magnum discordiæ fomitem ministrabit, & ingemiscens religiosa familia, se vinculo charitatis repentè priuatam inueniet. Optimè ergo Christus Saluator noster, illam perfectionis partem nomine sui præcepti extulit, quæ ia-

2. Reg. 20.

3. Reg. 2.

nuam

nuam aperit charitati erga Deum, & Ecclesiã ipsam, ac eius partes tuetur, & tamquam membra eiusdem corporis colligata & vnita firmiter, conseruat.

Perfectionem fraternæ charitatis præceptum Christi esse vocatam, ob aliam perfectionis proprietatem, quòd iustos fortes ad laborandum efficiat.

CAPVT XXXIII.

Iam videamus quo pacto fraterna charitas postremũ incommodũ membrorum spiritualium pellat, & religiosos sectatores ad laborandum roboret, & aptos ad salutẽ animarũ procurandam efficiat. Quod ex ipsa natura ministeriorum, quibus proximorum saluti vacamus, manifestè perspicitur. Nã animarum cura, si ad aduersarios, qui eam impediunt, conferatur, prælij quãdam imaginem; si verò ad homines, quorũ salus spiritualis procuratur, cuiusdã procreationis similitudinem præfert. Primò quidẽ salutis animarum procuratio bellum est, illúdque acerbũ & periculosũ, quod non aduersùs carnẽ, & sanguinem geritur, sed contra principes, & potestates tenebrarũ, contra mundum vniuersum, contra concupiscentiam nostrã, domesticum hostem, suscipitur. Quis enim aduersatur nobis, cùm homines à peccatis abducimus, nisi Diabolus, qui dæmonum cuneos, & cohortes educit, ne amittat eos, qui seipsos sponte in iniquitatis potestatem dediderunt? Quis obsistit nobis, nisi mundus vniuersus, timens ne suæ factionis mundanos homines eo derelicto ad militandum sub Christi vexillum conuolent? Quis repugnat, & obluctatur nisi caro, asseclas suos illecebris deliniens, ac deliciis alliciens, ne eam solam, & ingloriam derelinquant? Noua bella elegit Dominus (cecinit Debora prophetissa) & portas hostium ipse subuertit.] Nã (Iudic.5.) veteribus præliis, quæ pro temporali Israëlitarum salute gesserat prætermissis, noua bella istis nouis hostibus indicit: cùm non pro salute corporum, sed pro animarum liberatione dimicat; & nouum præliandi modum, non hasta, & ferro: sed suorum militum persecutionibus, laboribus, cædibus cõsectatur. Dux fortissimus huius belli Christus est, quem Pater non solùm testem dedit populis (vt est apud Isaiam) sed etiã (Isaia 51.) ducem, & præceptorem gentibus.] Et Ieremias ait: Et erit dux eius ex eo, & princeps de medio eius, producetur, & applicabo eum, & accedet ad me. Quis (Iere.30.) enim iste est, qui applicet cor suum, vt appropinquet mihi, ait Dominus.] Quibus verbis Ducis Christi amorem eximium erga Patrem significat. Nos autem milites huius Ducis sumus, si eius vexillum sequentes in hanc tam celebrem expeditionem egredimur. Omnes inquam religiosi sunt Christi milites, siue solo exemplo, siue etiam verbo, & doctrina, aduersùs Dæmones bella conficiant. Hos Christus instruxit luce ex alto demissa, armauit virtutibus, roborauit donis, & vestiuit religionis insignibus, vt spiritualium hostium phalanges prosternant, & alios fideles tanquam infirmiores à Dæmonum incursu defendant. Ideò lectum Salomonis, id est, Ecclesiam (Cant.3.) sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel, omnes tenentes gladios, & ad bella doctissimi.] Qui sũt isti fortes sanctam Ecclesiam ambientes, nisi Euan-

A gelij ministri; qui ab ipsis dæmonum faucibus animas extrahunt; à laqueis inextricabilibus mundi illas eripiunt; & à carnis insultibus, & impetu feroci defendunt? Quem gladium tenent in manibus, nisi (Ephes.6.) illum de quo Paulus: Galeam salutis assumite, & gladium spiritus, quod est verbum Dei?] Illum inquam, de quo alibi dictum est: Viuus est sermo Dei & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, pertin- (Hebr.4.) gens vsque ad diuisionem animæ; & spiritus, compagum quoque & medullarum, & discretor cogitationum & intentionum cordis.] Hoc gladio tentationes iugulant, mundi fallacias trucidãt, iram, superbiã, luxum, & alia vitiorum monstra proscindũt. Et quare sunt ex fortissimis Israel; nisi quia (vt ait Beda venerabilis) qui vel prædicando præsentẽ Ecclesiæ pa- B (Beda lib. 3. in Cãt. c. 3.) cẽ tueri; vel contemplando eam, quæ in cælis est, cupiunt intueri, necesse est vigilare, stare in fide, viriliter agere, confortari, ac diuina se dignos visione reddere curent?] His est Dominus fortitudo reuertentibus de bello ad portam, qui post partam victoriam, (Isaia 28.) dum ad secreta cordis reuertuntur, ibi Deum, solum præteritorum laborum remuneratorem, sed nouæ fortitudinis datorem inueniunt, vt denuò inuisibilibus hostibus bellum indicant, & verbis aduersùs eos, exemplisque fortiter dimicent.

Si ergo cura salutis proximorum bellum est, duabus rebus inter alias maximè indiget, quæ in terrenis etiam bellis sunt admodum necessariæ, nempe militum fortitudine, & agminum ordine, ac recta dispo- C sitione: hæc autem duo sine mutua charitate haberi non possunt. Ad hoc bellum spirituale necessaria est militum fortitudo; quoniam si pueri ad præliandum proficiscantur, id est, homines carnales, & imperfecti, illos dæmones aduersarij nostri procaciter irridebunt, illorum conatus, & pugnas contemnent, insultabúntque eis, dicentes: sagittæ paruulorum factę sũt plagæ eorum.] Quicumque autem charitate sunt vacui, & contentionibus, atque rixis deseruiunt, pueri (Psal. 63.) sunt imbecilles, atq; adeò minus idonei ad onus huius belli suscipiendum. Videamus an hoc ex Paulo eliciatur. Tanquam paruulis in Christo (inquit) lac vo- (1.Cor.3.) bis potum dedi, non escam, nondum enim poteratis, sed nec nunc quidem potestis, adhuc enim carnales estis.] Quare, ô Apostole, Corinthij sunt paruuli? quare D carnales? quare adhuc sunt ad panem edẽdum inualidi? quantũ magis ad pugnas, & bella. Quare? Cũ enim (ait) sit inter vos zelus & contẽtio, nónne carnales estis, & secundùm hominem ambulatis? Itaque qui tales sunt, & inuidiolis, atq; æmulatiunculis colla submittunt necesse est, vt has pueriles contentiones deponant, adolescant charitate, augeantur dilectionis viribus, si cum tam acribus inimicis volunt inire certamen, & ab eorum manibus animas peccatorum eripere. In vnum agmen amore cogantur, & quisque arma aliorum, id est, ministeria linquens, proprio telo armatus incedat, & locum sibi in agmine designatum non deserat.

Deinde necessaria est militum mutua consensio, & hæc non in alio, quàm in charitate consistit: nã sic E vniuersi consentientes, & se mutuò iuuantes, inuicti, & insuperabiles euadent. Vt enim res à Deo conditæ singulæ per se sũpta, bonæ quidem sunt; quare, vidit (Gen.1.) Deus lucẽ quòd esset bona, & firmamẽtum, quòd esset bonũ: at omnes simul copulatæ sũnt, non tantùm (Gen.11.) bonæ, sed optimæ; Vnde vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona.] Sic in huius militię sectatoribus, fieri quidem potest, vt quisq; sit fortis, & robustus, nõ tamen ita, vt solus possit agminibus aduersariis resistere, vel saltem ea valeat superare, sed aliis comitus, & adiutus militibus, fortissimus efficitur; &

robu

robustissimus, adeò, vt hostium cuneos vincat, & in fugam conuertat. An non vna manus auxilio alterius indiget, vt aliquid operis faciat, & quoduis aliud membrum aliorum virtute sustentatur, atque fulcitur, vt in actionem sibi propriam incumbat? Ita Christi miles aliorum auxiliis roboratur, vt suas partes agat, & onus sibi demandatum sustineat. Audiamus Basilium pulcherrimè, vt solet, hunc locum explicantem. Magis vnusquisque nostrum (inquit) ope, & beneficio proximi opus habet; quàm manus manu altera. Cùm enim videam nullum ex membris nostris per se ad actionem aliquam peragendam satis sibipsi esse, quomodo in animum inducere potero, atque mihi persuadere, meipsum mihi ad omnia huius vitæ munia suffecturum? Neque enim pes tutò vmquam gressum fecerit, nisi ab altero, simul ac se mouerit, fulciatur; nec etiam oculus probè rem aliquam intuendo cognoscet, si participem officij alterum non habuerit, vel pari studio rei videndæ intentum. Sed & auditus acutior ille esse solet, qui per vtrasque aures vocem excipit: apprehensio etiam illa fortior existit, quæ ope digitorum, & ambarum manuum vtitur. In summa, nullam rem, neque ex iis quæ natura ipsa profert, neque quæ à nostra suscipiuntur voluntate, sine conspiratione, & mutuo consensu eorum, quæ generis sunt eiusdem, perfici posse video.] Si hæc ita se habent, & tam necessaria est non solùm in bello, sed etiam in alia quauis actione militum, aut agentium mutua concordia, quæ dementia erit, si nos milites in ipso conflictu prælij minimè consentiamus, si fiat quasi miraculũ, & non à Deo & versus fuerit gladius vniuscuiusque nostrum ad proximum suum, & inde sequatur cædes magna nimis?] Quis erit euentus belli, in quo omnes hostes licèt inter se contrarij conspiratunt, vt se à nobis defendant, nos autem diuisi, & militari disciplina destituti, non in illos, sed in nosipsos tela torqueamus, & sicut contra inimicos præliemur? Quæ victoria, vbi vnus non iuuat alium, sed irrisione, detractione, & aliis modis impedit, ne hostem proterat, atque prosternat? Videns ergo Dominus quantum malum ministris suis, & quantum damnum Ecclesiæ accidere posset ex ista discordia, cùm septuaginta duos discipulos ad munus prædicationis, hoc est, ad spiritualem pugnam delegisset, misit eos binos ante faciem suam in omnem ciuitatem; & locum, quo erat ipse venturus, vt vel ipse binarius numerus magister esset charitatis, eosque sui muneris admoneret. Non solíuagi incedant, sed bini, & non tam corpore, quàm amore sociati; nam ad hunc spiritualem conflictum peragendum, melius est duos esse quàm vnum, vt Salomon ait; habent enim emolumentum societatis suæ: si vnus ceciderit, ab altero fulcietur; & si dormierint duo, fouebuntur mutuò, vnus quomodo calefiet? & si quispiam præualuerit contra vnũ, duo resistunt ei.] Quemadmodum astra cæli, quæ in diuinis literis militia cæli vocantur, inter se ordinatè disposita, & quadam pace & tranquillitate super nostrum medium orbem prodeuntia, mundũ istum inferiorem conseruat, & intemperies, morbos, & mortes propellunt; si autem ab hac pace deciderent, & inter se disceptarent, & seipsa disperderent, & tempestatum, & morborum, & interitus causa esset illa discordia: ita religiosi & Ecclesiastici, qui sunt militia Dei, quam in Ecclesia conuocauit, vt ab hominibus mentis cæcitatem, & vitiorum obscœnitatem auetteret, lumen autem diuinum, & virtutum salutem afferret, pace bene dispositi & dilectione ligati, mirabiles in sæcularibus tamquam in corporibus infirmis effectus præstabunt, & influxu quodam doctrinæ salutaris virtutes illis, & bonorum operum cumulum afferent: disiuncti verò & dislociati prauis discordiæ exemplis, animoque turbato, & minimè quieto, quid illis, nisi scandala, æmulationum fructus, & quid sibiipsis, nisi perniciem & exitium reportabunt?

Basilius orat. 1. de amore.

1. Reg. 14.

Luca 10.

Eccles. 4.

Deinde hominum conuertendorum munus, quædam est spiritualis generatio. Ita enim illud Paulus Apostolus vocat, suis Corinthiis in hunc modum scribens. Nam si decem millia pædagogorum habeatis in Christo, sed non multos patres; nam in Christo Iesu per Euangelium ego vos genui.] Cui concinit eodẽ sanctus Spiritu plenus Iacobus Apostolus. Voluntariè (inquit) genuit nos verbo veritatis, vt simus initium aliquod creaturæ eius.] Meritò autem animarum conuersio hoc nomen sortita est, quia ad formam procreationis naturalis quidam est à priuatione vitæ, ad vitã ipsam progressus, quo homo desinit esse, quod erat, & incipit esse, quod non erat. Erat enim filius Diaboli, incipit esse filius Dei: erat vas tenebrarum, & dãnationis, incipit esse vas lucis, & electionis: erat substantia peccato obscœna, Deo non viuens, incipit esse substantia pura & immaculata, Deo viuẽs. Vt autem naturalis procreatio à principio perfecto emanat; neque enim pueri generare valent, & speciem humanam aliis communicare, sed viri, in quibus natura viget, & ad debitam perfectionem peruenit: ita & hæc generatio spiritualis, quæ esse diuinum impertit; in ministro, qui spiritualiter generat, perfectionem charitatis & virtutum requirit. Ideo enim (ait Gregorius) binos ad prædicandum discipulos Dominus mittit, quatenus hoc nobis tacitus innuat, quia qui charitatem erga alterum non habet, prædicationis officium suscipere nullatenus debet.] Qui ergo non est perfectus charitate, non est idoneus minister Euangelij, sed inanis administrator vanitatis: non est pater virtutum, sed genitor vitiorum: nam ad generandas animas procedens, verbo quidem Christum annunciabit: sed signis, & gestu, & modo annunciandi hoc verbum, seipsum, & suam vanitatem, & ambitionem prædicabit, & auditores contagione tantæ pestis inficiet.

1. Cor. 4.

Iacob. 1.

Greg. hō. 17 in Euang.

Et mihi sanè attentè hanc rem consideranti, visum est, sanctam dilectionem Euangelij ministris vniuersã tribuere, quæ spiritualis generatio, vt rectè succedat, requirit. An in parentibus necessarius est vitalis calor, ne spiritualis actio suo fine frustretur? Sed hũc ea charitas tribuit, qua minister Euangelij aliis fratribus, & ministris adiungitur, eorum enim orationibus fultus, exemplis prouocatus, doctrinis instructus, calorem istum vitalem concipit, prædicationis fidelem comitem. Hoc enim est, quod suprà ex Ecclesiaste adduximus: Si dormierint duo, fouebũtur mutuò, vnus quomodo calefiet?] Simul dormiunt, qui in lecto religionis decumbentes, & charitate cooperti, orationi & sanctis occupationibus instant; isti enim mutuis desideriis, & actionibus intepescũt: solus autem dormit, qui animo ab aliis segregatus orat, aut occupatur: non habet enim iuxta se aliquem amore coniũctum, à quo calefiat. An requiritur vigor & robur ad difficultates sustinendas, quæ in hac procreatione se offerunt? Etsi enim purissima suauitate non caret, homines à fæce peccatorum eripere, & in viam sanctitatis reuocare, neque etiam caret difficultate: Nam & profusis lacrymis assiduè orandum est, vt Deus hanc fœlicem metamorphosim efficiat, qua homo ex bestia, in Angelum commutatur; & infatigabiliter studiis, itineribus, & contentione maxima elaborandum. Vt enim leæna gemitibus

Eccl. 4.

catulos suos exsuscitat, & lambendo informat; sic Christi minister spirituales filios, tum gemitibus & lacrymis ad Deum directis, tum suauitate, & dulcedine filiis ostensa eos gratia suscitat, & virtutibus decorat. Filioli (inquit Paulus) quos iterum parturio donec formetur Christus in vobis.] Sed hunc vigorē charitas præstat ministrorum corda dilatans, vt in his difficultatibus non hęreant, ad finemque sibi propositum conuersionis animarum alacriter currant. Viam (inquit Regius vates) mandatorum tuorum cucurri, cùm dilatasti cor meum.] Tunc profectò currimus viam diuinorum mandatorum, quæ omnia in Dei cultum & proximorum vtilitatem tendunt; tunc ad nostra instituta obseruanda festinamus, quorum scopus est vitiorum euulsio, virtutumque plantatio, cùm Deus liberaliter nobiscum se gerens corda nostra charitate dilatat, & ab angustiis proprij amoris & anxietate liberat. Iste quippe angustus est valde, qui ad propria commoda solùm anhelat, & in sui gloriam inanem, & honorem suspirat; illa verò latissima, quæ proprias commoditates posthabet, vt aliis se vtilem & opportunam exhibeat. An necessarius est spiritus in verbo, & quòd Deus det voci suæ vocem virtutis, & vox Domini confringat cedros Libani, & comminat eos tamquam vitulos Libani?] Sed in hunc spiritum an efficacitatem, hâc vocis virtutem, non subministrant literæ, non humana sapientia, non splendor orationis, non voces, & gestus, sed charitas. Hæc enim est virtus, & potēria viri Apostolici, quæ peccatores mouet, exterret, atque conuertit, qua exaltatus super gentes & regna, euellit, & destruit, & disperdit, & dissipat, & ædificat, & plantat:] Sine illa autē sonus est inanis, efficacia priuatus, qui fortè delectare potest, sed mouere omnino non potest. Manifestè quidem Paulus hoc docet. Si linguis (inquit) hominum loquar & angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens: Etsi habuero prophetiam, & omnem scientiam; etsi habuero omnem fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum.] Vtinam non hoc experientia docuisset; nam qui non animas iuuare, sed seipsum, & non Christum prædicare cupit, ea quærit plebi proponenda, quæ aures mulceant, auditores delectent, & admirentur, non verò quæ peccatorum fœditatem, virtutúmq; decorem ostendant. Annuunt miseris auditoribus, si non verbo, saltem plausu & concursu dicentibus: Nolite aspirare nobis, quæ recta sunt, loquimini nobis placentia, videte nobis errores.] Hinc hodie tam multi ministri Christi & tam pauci. Multi etenim sunt, qui ambitione distenti; gloriam prædicationis ambiant, & videri magistri cupiant, quique sua quærant, non quæ Iesu Christi: Pauci verò, qui proximorum charitate permoti, non honorem, sed onus, non gloriam inanem, sed labores prœliandi cum vitiis, doctrina exēplóque suscipiant.

Galat. 4. Psal. 118. Psal. 67. Psal. 28. Ierem. 1. 1. Cor. 13. Isaia. 30.

Tandem, cùm vir spiritualis se inuenit annis oneratum, senectute confectum, viribus spoliatum, charitas est, quæ labores, animarúmque lucra supplet; hæc est, in cuius complexibus intepescit. Non potest præ lassitudine laborare, amat proximum, & optat, quantùm in se est, eius occupari profectibus, & ita laborat: Non potest verbum Dei seminare, amat, & ita prædicat: Non potest confessiones excipere, amat, & ita excipit: Nō potest corpus macerare ieiuniis, vigiliis insistere, & his operibus antea consuetis tamquā quibusdam vestimentis calefieri; amat, & desiderat, & laborū præteritorum recordationibus calorē concipit, amoreq; & charitate ad ferculū pertinet pacifici Salomonis. Hoc námque est, quod in amoris cātico sponsa significat. Ferculum (ait) fecit Rex Salomō de lignis Libani, columnas eius fecit argenteas, reclinatoriū aureū, ascēsum purpureum, media charitate constrauit.] Quid ferculum istud pacifici nostri Christi designat, nisi sanctorum numerum, in quibus suauissimè requiescit? Ad hoc ferculum ligna Libani imputribilia pertinent, illi scilicet, qui omnia peccata, & crimina detestantes, veram animi puritatem sectantur, & columnæ argenteæ, scilicet Episcopi, & Doctores, qui sanctissimè viuentes in Ecclesia verbo prædicationis resonant, & in peccatis dormientes ad bellum contra inuisibiles aduersarios vocant; nec non & reclinatorium aureum nimirum mentes sancto otio vacantes, quæ contemplationi diuinorum insistunt, & auro diuini amoris splendent. Spectat etiam ad hoc ferculum pacifici Salomonis ascensus purpureus, illi nempe, qui populo cruore respersi pro fide vitam effuderunt; illi etiam, qui mortificationem Iesu Christi in corpore suo circumferentes, non breue, sed longum genus martyrij pertulerunt. Sed quid nos miseri (inquit Gregorius) atque omni fortitudine destituti, quid acturi sumus? Ecce in hoc ferculo columna esse non possumus, quia in nobis, nec fortitudo operis, nec lumen emicat prædicationis. Reclinatorium aureum non habemus, quia nec dum sicut oportet, per intellectum spiritualem requiem internæ claritatis aspicimus. Ascensus purpureus non sumus, quia pro Redemptore nostro fundere sanguinem non valemus. Quid ergo de nobis agēdum est? Quæ spes erit, si nullus ad regnum peruenit, nisi qui summis virtutibus præditus fuerit? sed adest quoque nostra consolatio: Amemus in quantùm possumus Deum, diligamus & proximum, & simul quoq; nos ad Dei ferculum pertinemus: Quia sicut illic scriptū est: Media charitate cōstrauit. Habe quippe charitatem; & ibi sine dubio pertines, vbi & columna argentea erigitur, & ascensus purpureus tenetur.] Charitas ergo est, quæ pro omnibus laboribus supponitur, & eorum vicem gerit, sine qua quantumuis magni, nullius reputantur valoris. Est enim principium, à quo procedunt; & si ab alio principio exeant, inanes sunt, & infructuosi: Est medium, quo decorantur, sine quo sunt insulsi, & deformes? Est finis ad quem referuntur, etsi ad alium referantur, non aurei sunt, & pretiosi, sed viles & plumbei: Est denique omnium compendium meritorum, quoniam desiderando, & amando præmia virtutum acquirimus, quas imbecillitate impediti exercere non possumus. Hanc perfectionis partem; tam necessariam ad vitæ spiritualis perfectionem, ad religionis conseruationem, & animarum conuersionem, meritò Christus mandatis omnibus ante posuit, & tamquam vniuersorum mandatorum summam singulari præcepto sanciuit dicens, Hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos.]

Cant. 3. Greg. hi. 14. in Ezech. Ioan. 15.

Perfectionem fraternæ charitatis Christi præceptum appellari, propterea quòd excellentias perfectionis contineat.

CAPVT XXXIV.

TANDEM Saluator noster præceptum de hac perfectionis parte, à se latum, suum præceptum nuncupauit, vt dignitatem, & præstantiam fraternæ charitatis ostenderet. Quæ tanta est

ta est, vt non nisi perfectioni, & fini totius spiritualis vitæ, aut saltem substantiali perfectionis patri valeat connenire. Vt enim rex potentissimus, cuius imperio multa regna subduntur, regnum suum peculiari consilio vocat, quod præcipuum est, & illustrius, quod fortius est, & potentius, & à quo apud exteras nationes maiorem gloriam, & inter suos maiores diuitias comparauit: ita legifer noster Christus, cuius immaculata lex multa, diuersaq; mandata cōplectitur, præceptum suum speciali ratione vocat, quod post mandatum amoris erga Deum cæteris est nobilius, quod finem legis continet, & quod magis suam immensam misericordiam erga homines, & bonitatem declarat.

Sed iam aliquas huius perfectionis partes breuiter percurramus. Neque enim charitas fraterna longa laudatione indiget, quæ tam præstans est, & excellens, vt ipsi Deo nomen imponat, & Deum nostri cordis habitatorem faciat, nosque Dei accolas, & habitatores constituat. Quod Ioannes Apostolus palam his testatur verbis: Deus charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.] Quid amplius potuit præstare incōprehensibilis maiestas Dei, vt charitatem commendaret, quàm seipsum charitatem vocare? Et quæ maior charitatis nobilitas esse queat, quàm vt diuinum nomen vsurpet? Quid excellentius, quàm quòd Deus & fraterna dilectio vocentur charitas? Nemo igitur dicat (vt monet Augustinus] in hominem pecco, quando non diligo fratrem meum. Intendite: Et facile est peccatum in hominem, in Deum solùm non peccem. Quomodo non peccas in Deum, quando in dilectionem peccas, si Deus dilectio est? Non solùm autem Dominus hāc fraternæ charitati dignitatem attribuit, verùm etiam seipsum eius magistrum, præceptoremque constituit. Nam de charitate fraternitas (inquit Paulus) non necesse habemus scribere vobis, ipsi enim vos à Deo didicistis vt diligatis inuicem. Quis hunc magistrum hominum, & Angelorum non audiet, quis dilectionis verba à tā præstantissimo præceptore profecta nō auscultet? Quis artem amandi à tali amatore, atque amoris artifice expositam, non accipiet? Marito sanè hæc vocatur regia lex, quam Deus ipse in iustorum cordibus suo se digito scripturū promisit, cùm dixit: Dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam.] Vocatur inquam regia lex; nam scriptum inuenimus: Si legem perficitis regalem secundùm scripturas: Diliges proximum tuum sicut teipsum, benefacitis.] Lex quippe charitatis fraternæ est regalis lex, quam Deus rex regum, tamquam omnium nobilissimam tulit, quam regibus, id est, iustis seruandam & implendam promulgauit, quam ianuam regni cælestis efficit, & vitam tutissimam æternitatis ostendit.

1. Ioan. *Aug. trac. 7. in Ioan.* *1. Thess.* *Ierem. 31.* *Iacob. 2.*

Video quidem eos, qui virtutis decorem sectantur, diuersarum virtutum amore teneri: hi silentium, linguæque parcitatem laudant; illi paupertatem quærunt, ac rerum temporalium nuditatem: alij corporis contemnentes illecebras, commendant purissimam castimoniam; alij obedientiam omnibus præferunt, iugulatricem propriæ voluntatis: quidam mansuetudinem: alij modestiam; alij rerum generēdarum prudentiam, aut aliam quampiam virtutem desiderant: sed cum Paulo excellentiorem viam illis demōstro, viam scilicet dilectionis. Via hæc sanè præstantior est, quam Dominus ipse est ingressus, propriam vitam in hominum salutem impendens. Breuior est, nam veluti quodam compendio nos ad vitam supernam extollit. Planior est, neque enim habet scopulos, in quos pes noster offendat. Iucundior est; nam

1. Cor. 12.

A dilectio plena est deliciarum, quas illi soli experti sunt qui sanctè amare nouerunt. Silentium laboriosum est; humilitas ardua; paupertas insuauis; continentia difficilis, adeò vt non præcipiatur, sed sub cōsilio relinquatur. De virginibus enim (inquit Paulus) præceptum Domini non habeo, consilium autem do. Sed charitas facilis est, & suauis, plenáque iucunditatis. Est via recta, quæ sine circuitu nos ducit in cælum; & licèt sit compendium cælestis itineris, non tamen est laboriosius, sed itinere longiori iucundius. Est denique via eminens, & excelsa: nam sicut aurū omnia metalla pretio sui valoris exuperat; ita dilectio virtutes cæteras dignitate præcellit. Amatores igitur virtutum præ aliis necesse est, inhæreant charitati; reliquæ enim virtutes sunt quasi subsidia ad consequendum finem, charitas verò est ipse finis. Finis

1. Cor.

B enim præcepti charitas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta.] Charitatem omnia præcepta quærunt, ad eam vniuersa diriguntur mandata; ad illam omnia referuntur Christianæ disciplinæ documenta; ad illam, inquam, charitatem omnia tendunt, cuius principium est cor purum, spiritus sancti calore tepefactum; amor enim ille, quo quidam se ad malum diligunt, quo mouentur, vt vana misceant colloquia, vt mutua præsentia gaudeant, discessu verò mœreant, non est finis, sed pernicies mandatorum. Ad illam charitatem ordinantur, quæ gaudet conscientia bona, spe supernæ fœlicitatis erecta, & fide, nulla simulationis labe corrupta, sed veritatis luce perfecta.

1. Ad Tim. 1.

C Charitas est expultrix omnium vitiorum, & omnium bonorum genitrix, quam benignè Dominus in animos nostros inducens, cuncta noxia potenter expellit, Ecce alius (inquit Ambrosius) pro terrenis rebus, terrenisque honoribus; alius pro virtutum successibus cuilibet inuidet, quemlibet odit; contra quēlibet susurrat, de quolibet detrahit, de cuiuslibet aduersis exultat, de prosperis animum mœstificat. Sed vt in cunctis hoc multiplex malum superetur, occurrat Domine quæso illud multiforme bonum, quod potenti virtuti resistens non det inuidiæ locum, charitas scilicet, quæ fundamentum est omnium virtutum, & bonorum; quæ non inuidet, sed congaudet; non odit, sed diligit: nō susurrat, sed obiurgat, nō de-

Amb. pra[e]catione 1. præparat. ad Missā.

D trahit, sed arguit; nō de aduersis proximi gaudet, sed mœret: nō de prosperis afflictionē, sed consolationē recipit. Meritò autē tale nomē accepit, quod illa charius inueniri nō potest, quā qui habet te, vtiq; habet.]

Hæc etiam bona, quæ ab omnium bonorum origine dilectione procedunt, Laurentius Iustinianus, hoc ferè pacto commemorat. Misit Dominus hunc sanctum ignem in terram (charitatem intelligo) vt arderet, vt corda sursum attēderet, vt cælum reseraret, vt rubiginem peccatorum cōsumeret, vt reformaret mores, vt pessimas consuetudines aboleret, vt fugaret vitia, vt virtutes insereret, vt congregaret errantes, vt pacificaret discordes, vt reconciliaret auersos, vt roboraret debiles, vt reciperet pœnitentes, vt Deū homini, & hominem Deo indissolubili amoris vinculo copularet.] Et ex Ambrosio, & ex Iustiniano di-

Laur. Iust.

E dicisti fraternā charitatē aliud Dei nomen vsurpare, aut ad illud propius accedere. Deus enim vocatur omne bonum; Vnde Moysi dixit. Ego ostendam tibi omne bonum.] At charitas fratrum, si non vocatur omne bonum, saltem vocatur multiplex bonū, quòd multiplicibus malis nostris medeatur, & multiplici nos virtute condecoret. Charitas est mater omnium virtutū, cuius tenerior est & efficacior affectus; à cuius gremio virtutes omnes tamquam dulcissimę filiæ procedunt. Est domus illa magnifica, in qua diuersi

Exod. 33.

generis animalia, id est, homines moribus dissiti summa pace habitare noscuntur. In mutua enim dilectione Isaiæ illud impletur: Habitabit lupus cum agno, & pardus cum hœdo accubabit; vitulus, & leo, & ouis simul morabuntur, & puer paruulus minabit eos.] Nam per sanctæ charitatis viscera (ait Beatus Gregorius) lupus cum agno habitat; quia ij qui in sæculo raptores fuerunt, cum mansuetis, ac mitibus in pace conquiescunt. Et pardus cum hœdo accubabit; quia is, qui peccatorum suorum maculis varius fuit, cum eo qui se despicit, & peccatorem fatetur, humiliter consentit. Vitulus & leo, & ouis simul morabuntur; quia & is qui per contritum cor ad quotidianum se Deo sacrificium præparat, & alius, qui tamquam ex crudelitate sæuiebat, & alter, qui velut ouis in innocentiæ suæ simplicitate perdurat, in caulis sanctæ Ecclesiæ conuenerunt. Ecce qualis est charitas, quæ per diuersitates mentium accendiditur, concremat, conflat, & quasi in vnam auri speciem reformat.] Sed postremum dulcius sapit: Et puer paruulus minabit eos.] Quos enim status aut nobilitas, aut scientia dispares fecit, charitas ita æquat, & in vnum, eundemque ordinem redigit, vt paruulus quisque, atque despectus, sine labore gubernet, & in officio contineat. Indoctus sanè literatos amore connexos sine dispendio regit, quia literæ illos non ad fraudes, non ad malitias, & dolos: sed ad pacem, ad concordiam, ad tranquillitatem inclinat. Ignobilis, illustres, & nobiles dilectione vinctos sine periculo moderatur, quia nobilitas generis illos non ad superbiam, sed ad modestiam, & concordiam inuitat. Pauperculus, diuites amore copulatos facilè gubernat; quia diuitiæ non sunt illis ad lites, & controuersias, sed ad beneficentiam, & mutua subsidia.

Isai. 11.

Greg. lib. 6. in Ezech.

Hæc præstantissima virtus est, indiciũ signumque certissimum, quòd sumus filij Dei. Nobiles, & primarij viri, magni æstimant exornari à terreno rege nobilitatis insignibus, vt intelligant vniuersi eos esse illustres, videantque sui generis claritatem: quanti igitur virtus mutuæ dilectionis esset æstimanda, quæ non est terrenæ dignitatis, sed cælestis nobilitatis insigne? In hoc enim (inquit Dominus) cognoscent, omnes quòd discipuli mei estis, si dilectionem habueritis adinuicem.] Hac rubrica oues Christi notantur, & ad gregem electorum pertinere noscuntur, per quam veluti speciali signaculo (ait Cassianus) gregem ouium suarum in hoc mundo voluit Christus agnosci, atque hoc (vt ita dixerim) charactere discerni.] Quamuis miracula facias, te esse Christi ouem nõ agnosco; licèt prophetiæ dono futura præuideas, te esse agnum Christi non video; & si Dæmonia à corporibus obsessorũ expellas, variis linguis loquaris, & alia perficias mirabilia, te ad gregem Christi pertinere non credo; audio enim pastorem huius gregis dicentem: Amẽ dico vobis, quoniam multi dicent, nonne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo Dæmonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis, quia numquam noui vos: discedite à me, qui operamini iniquitatem.] Meritò quidem sic dicetur illis, qui de sola diuini nominis inuocatione gloriantur, & opera huic inuocationi congrua non habent. Quoniam (vt inquit Hilarius) Numquid Dominus non erit, nisi fuerit dictus à nobis? Et quæ officij sanctitas est nominis nuncupatio, cùm cælestis regni iter obedientia potiùs voluntatis Dei, non nuncupatio repertura sit?] Sed si fratrem diligas, si proximorum amore ferueas, si hoc sancto igne accendaris, quem Dominus venit mittere in terram, iam

Ioann. 13.

Cassia. col. 16. c. 6.

Matt. 7.

Hilar. comm. in Mat. c. 6.

A profectò iudico te esse ouem mansuetam & simplicem nostri pastoris. Audi hoc ex ore Basilij. Ad cuius mandati conseruationem, cùm animum ille nostrum vellet excitare, non certissimum ille argumentum, quòd quis ipsius esset discipulus, illud voluit haberi: si prodigia, ac stupenda miracula fecisset (esto, horum quoque efficiendorum facultatem per Spiritum sanctum gratuitò dedisset) sed quid dicit? In hoc cognoscent omnes, quòd discipuli mei estis, si dilectionem habueritis adinuicem.] Si filius potentissimi regis, qui tamen suum genus & sortem fœlicem ignorat (nam in domo pauperculi agricolæ educatus, nullum habet sui splendoris indicium) super omnes mundi diuitias reputaret aliquod sui corporis signum, quo filius esse regis illius, & hæres

Basil. reg. 3. fus. disput.

B regni agnosceretur; quanti nos reputare debemus hoc signaculum charitas, quo Dei filij esse, & cælestis regni hæredes agnoscimur? Filij sumus æterni Dei, si tamen infami sacco peccatorum deposito diuinæ gratiæ vestem induimus: id tamen occultum est, & absconditum, quoniam, vt est in prouerbiis: Nemo scit an odio, an amore dignus sit.] Sed hoc arcanum tanti momenti dilectionis signo fit manifestum: quod non corpori, sed animo impressum, nos Dei amicos & filios ostendit. Eo confidenter postulamus ad æternam hæreditatem admitti, quæ solis dilectis filiis, & hæredibus reseruatur.

C Sed parum diximus dilectionem esse diuinæ hæreditatis insigne: Est profectò perfectissima cælestis ciuitatis imago. Nam quid aliud est fœlicissima, quã speramus, beatitudo, nisi admirabilis, & dulcissima vnitas, qua sancti indissolubiliter colligati mutuò & ineffabiliter gaudent de bonis suis? Nulla ibi regnat inuidia, nulla omnino est de alterius fœlicitate tristitia; sed minimus beatorum (si minimus vocari potest, qui filius est Dei, qui princeps est regni cælestis, cuius gloriæ omni terræ regum & principum potentia comparata, misera est & vilis paupertas) magis de bonis & maiori gloria alterius, quàm de propriis bonis exultat. Minimus inquam beatorum, non inuidet beatitudini Petri, fœlicitati Pauli, magnitudini Francisci, aut Augustini; sed his principibus primis, his columnis Ecclesiæ magna illa bona impensè vult, ipse minori gloria contentus.

Eccles. 9.

D Hoc idem in religiosa vita, fraterna charitas operatur: Nam ab eis, qui se mutuò amant, longè abest inuidia honoris, aut dignitatis, vel cuiusuis alterius boni, ab aliquo eorum habiti; adest tamen causa eiusdem boni magna lætitia. Concedamus (quod non rarò contingit) omnes religiosæ vitæ sectatores, esse amore colligatos, demus nullam esse in aliqua communitate discordiam: statim hoc commune gaudium manifestè conspicitur. Si iste contemplatiuæ vitæ amore detentus, cum Maria secus pedes Domini sedet ad audiendum verbum illius: alter actiuæ vitæ distentionibus occupatus, non queritur, nec à contemplationis dulcedine nititur fratrem auocare.

E Si vnus naturam placidam, & quietam sortitus, minimè se ad multos labores applicat, sed moderata occupatione contentus, vitã quietam & tranquillam sectatur, alius, qui contrariũ ingeniũ accepit, à quo nec ad momentũ acquiescere finitur, non murmurat, nec fratrẽ curat ad suas occupationes pertrahere. Si quidã huic muneri addictus, aut consolationem animi, aut spiritus profectum, aut certè magnam illius ministerij vtilitatem experitur; non è vestigio damnat alios, qui idem munus non suscipiunt, aut in aliis rebus, etsi minoris vtilitatis, occupantur. Scit enim charitas, varia & multiplicia esse dona Dei; vnum donum non sortè, sed diuina disponente prouidentia

obtigit

Aug. tra. in Ioan. obtigit vni, alterum alteri, & sic non nititur vniuersos ad eiusdem muneris exercitiũ impellere, scit charitas, quòd (vt inquit Augustinus) sicut aliud accipit manus, vt operetur, aliud oculus, vt videat, aliud auris, vt audiat, aliud pes, vt ambulet: anima tamen vna est, quæ agit omnia, in manu vt operetur, in pede vt ambulet, in aure vt audiat, in oculo vt videat: Sic sunt etiam diuersa dona fidelium, tamquam membra ad mensuram propriam cuique distributa.] Quid aliud est cælestis, quam inquirimus, patria, nisi locus amœnissimæ pacis? *Isai. 66.* Vnde scriptum est in Isaia: Ecce ego declinabo super eam quasi fluuium pacis, & quasi torrentem inundantem gloriam gentium.] *Aug. 20. de ciuit. c. 21.* Abundantiam illius pacis significat (inquit Beatus Augustinus) qua maior esse non potest. Hac vtique in fine rigabimur.] Idem prorsus est religiosa domus, vbi viget amor: est locus pacis: declinat super eam suauis ac mitis Dominus quasi fluuium pacis. Hac pace abundantissimè irrigatur, rigata virescit, & floret; frondescens & florés omnis sanctitatis partus emittit. Quę pax erit; vbi multitudinis Deo famulantium erit cor vnum, & anima vna? *Act. 4.*] Quæ pax erit, vbi nullus, non eorum quæ possidet (quia in isto fælici statu nemo aliquid proprium possidet) sed eorum quib. ad nutum superioris vtitur, aliquid suum esse dicit, sed sunt illis omnia communia? Quæ pax erit, vbi nemo sua quærit propria commoda, sed bonum, & commodum totius communitatis inquirit? Quæ pax erit, vbi nullus sibiipsi laborat. Sed omnibus laborat, & omnes alij in vsum istius suos labores impendũt? Quæ pax erit, vbi præpositus impensè curat pacatam; & quietam vitam subditi, & subditus tuetur auctoritatem præpositi: maior libentissimè se submittit minori, & minor fugit se æquare maiori: robustus adiumento est imbecillo, & imbecillus fructum percipit ex viribus robusti: sanus, & valens cõpatitur, & inseruit infirmo; infirmus verò dulcia obsequia experitur sani? Quæ pax erit in domo, ex qua aufugit inuidia, abijt odiũ, discessit detractio; in qua nec auditur rixa, nec sonat contentio, nec obstrepit murmuratio, nec admittitur opinionum dissensio; quia idem sapiunt, idem dicunt omnes? *Psal. 132.* O quàm bonum & quàm iocundum habitare fratres in vnum. Habitare scilicet in domo charitatis & pacis! O quã bonum; siquidem ex hoc bono deriuantur tanta, & tam eximia bona! *Galat.* O quàm iocundum, quandoquidem ex hoc iocundo deducitur ipsum gaudium, & iocunditas! Fructus enim spiritus (inquit Paulus) charitas gaudium, pax;] Ex charitate gaudium, & ex gaudio elicitur pax.

Charitas est, quæ nos ab angustiis humanæ imbecillitatis extractos, quodammodo omnipotentes efficit. Eius enim præsidio muniti, omnia fratrum bona consequimur, & alienas diuitias, tum temporales, tum spirituales, proprias efficimus, & in nostrum dominium vendicamus. Non omnes vniuersa dona recipiunt, sed vnusquisq; proprium donum habet ex Deo. Nã ille sapientissimus distributor, vt nos ad mutuam charitatẽ, nõ tam incitaret, quàm impelleret, & Ecclesiam suam auro puritatis circumdatam, ad decoris augmentum varietate vestiret, vnicuique dedit gratiam secundùm mẽsuram donationis Christi: Et quosdam quidem dedit Apostolos, alios verò Euangelistas, *Ephes. 4.* alios autem doctores, & pastores ad consummationem sanctorum; in opus ministerij, in ędificationem corporis Christi.] Sed hæc omnia in varios homines dispersa, ac distributa, in vnum congerit potentia charitatis; nam amãtem omnium bonorum, quæ amici possident, facit participem. Est quis robustus, & valens, qui totam domum suis humeris sustinet, & omnium fratrũ obsequiis mancipatus, numquam corpore deficiscitur; sed imperitus est, nec scientiã aliquando comparauit, vnde alios docere nõ potest, amet literatum & doctum, diligat docẽtem, foueat obsequiis suis, adiuuet orationibus, fulciat desideriis; & ore illius docet, vigiliarumque & laborũ, & meritorũ illius comes efficitur. Alius idoneus est, vt cõfessiones excipiat, nescit tamẽ verbum Dei populo ministrare, & paruulis postulantibus doctrinæ panem infringere; amat prędicantem; & amore verbũ Dei administrat, & sine labore! & cura meritum prædicationis accipiet. Quidam dono orationis priuatus, amando virum spiritualem orat, & diuinas consolationes proprias facit, quibus ille perfruitur: Mansuetudine destitutus, amando virum mansuetum, mansuetudinis meritis decoratur. Obedientiam appetens, nec adhuc habens, amando obedientem, obedientię præmia cõsequitur. Nonne sententia est Domini Saluatoris: *Mat. 10* Qui recipit vos, me recipit; & qui me recipit, recipit eum qui me misit: qui recipit prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet, & qui recipit iustũ in nomine iusti, mercedem iusti accipiet?] Quid est hoc nisi vim dilectionis ostendere, & quæ alij laborãt & faciunt, nobis adiudicare beneficio charitatis? Explicet Chrysostomus quid significet, Mercedẽ iusti excipiet. *Chrysost. hõ. 26. in Matth.* Hoc est (inquit) qualem mercedem habet, qui peregrinatur talem mercedem habet & ille, qui suscipit propter Deum, peregrinantem, & fiunt ambo æquales, & ille qui propter Deum laborat, & iste, qui propter Deum laborantem refrigerat. Vt puta, suscepisti sacerdotem, sacerdotis habes mercedem: suscepisti laicum iustum, iusti laici habes mercedem.] Charitas ergo omnes labores iustorũ sine labore tribuit, omnia aliorum merita sine fatigatione conquirit: potentissima est, quæ ad tanta sufficit, & tantorum bonorum fecit augmentum. Audi etiam Bernardum in eandem sententiam, ita scribentem. *Bernard. Apolog. ad Guillermum.* Denique requiratur etiam à me, cur cùm omnes ordines laudem, omnes nõ teneo? Laudo enim omnes, & diligo, vbicumque piè & iustè viuitur in Ecclesia. Vnum opere teneo, cæteros charitate. Faciet autem charitas (fidenter loquor) vt ne illorum quidem fructu frauder, quorum instituta non sequor. Plus aliquid dicam: Tu tibi cautè age. Potest námque fieri, quia frustra tu laboraueris, vt autem ego frustra diligam bonum, quod operatis, fieri omnino non potest. O quanta fiducia charitatis! Alius operatur non amans, & alius amat nihil operans. Ille quidem suum opus perdit, illius verò charitas numquam excidit.] Cui etiam concinit Richardus Victorinus. *Richard.* O magna virtus charitas, quæ vocas ea quæ non sunt, tamquam ea quæ sunt! O fortis virtus, quæ neminem spolians, omnia rapis, omnia facis tua, & nemini aufers sua, dum bonum quod in alio diligis, diligendo acquiris! Et quidem fieri potest, vt frustra agas bonum, quod operaris. Vt autem ego frustra diligam, fieri omnino non potest. En ad manum est amoris fortitudo, quam quætis, cui resistere nemo est, qui possit! Omnia sibi subijcit, omnia suis profectibus seruire cogit; inimicos amando superat; & sibi amicos facit vel inuitos. Nam etsi habeat æmulos, inimicos omnino non habet.] Rex Iosaphat quadam vmbra amicitiæ regi Ioram illigatus, nuncium remittit illi dicens: *4. Reg. 3.* Qui meus est, tuus est, populus meus, populus tuus, & equi mei, equi tui.] Si hoc efficit falsus amor, quid faciet vera dilectio? Quomodo non faciet omnino vt nostra sint proximorum bona? Quomodo non verè dicemus virtutes aliorũ à nobis, & labores, & dona vniuersa possideri?

Fœlicissimus sanè videretur homo ille, qui simul

A & eodem tempore posset Deo seruire, omnibus Ecclesiæ sanctæ mancipatus obsequiis, qui eadem hora hominem peccata per confessionem ablueret, & peccatorum agmina concionando fugaret; qui rursus vno loco diuinam naturam contemplaretur cū Antonio; in alio, flagellis corpus, & sacco, ex palmarum foliis cōtexto, domaret cum Paulo: qui simul cū Frācisco Christi passionem, & mortē tenerrimè deploraret; cum Dominico hæreticos à falsis dogmatibus auocaret; cum Augustino & doctoribus scriberet, & Ecclesiam doctrinæ splendore illuminaret; cum Xauerio nostro Iaponios & Sinas ad fidē conuerteret. Hanc autem fœlicitatem charitas fraterna consequitur. Qui amat enim confessarium, cum eo confessiones audit; qui amat concionatorem, cum eo concionatur; qui amat solitarios, & diuinæ contemplationi vacantes, & corporis afflictionib. insistentes, laborū ipsorum fit particeps: qui amat doctores, & hæreticorum impugnatores, & infidelium illuminatores, omnium istorum merita meritis propriis adiungit. Vnus (inquit Chrysostomus de illo qui amat) multiplex est. Si enim concordes sint duo, vel decem, non ampliùs erit vnus, sed eorum vnusquisque fit decuplum, & inuenies in decem vnum, & in vno decem. Et si inimicum habeant, qui vnum aggreditur ferè decem aggreditur, & ita superatur. Non enim ab vno tantùm sed à decem impetitur. Indiget vnus, sed non est in egestate; maiore enim ex parte, hoc est, nouem abundat, & pars, quæ indiget, vt puta minor, maiore exuberante obtegitur. Singuli eorum viginti manus habent, & oculos viginti, & totidem pedes. Non enim suis tantùm oculis videt, non suis pedibus sustētatur, non suis operatur manibus, sed amicorum. Decē animis spirat, non enim ipse sibi tantùm curæ est, sed & illis; quòd si centum essent, idem contingeret, & virtus augeretur. Ecce dilectionis excellentia, quo pacto vnum insuperabilem, & multiplicem reddat, & vnus in multis simul locis, & in Perside, & Romę esse possit: & quod natura non potest, dilectio potest: & pars eius hîc, pars illic est, vel potiùs totus vtrobique. Et si quis mille, vel duo millia amicorum haberet, considera in quantam ille potestatem ascēderet.] Si ergo ex sententia Chrysostomi tantam habet potestatem, qui duo millia amicorum habet, in quantam potentiam extollitur, qui innumerabiles amicos, homines, & Angelos habet: & tanta potentia, tantis virtutibus, tantis donis cumulatus, in quantam sanctitatem proficiet? Hoc est illud Sophoniæ labium electum, vt inuocent omnes in nomine Domini, & seruiant ei humero vno.] Labium electum est idioma charitatis, quia proprium est curię cælestis, in qua nihil aliud auditur nisi charitas, diuina laus, & dulcia amoris colloquia. Quòd si in hoc rusticorum pago, in mundo videlicet, labium electum charitatis auditur, non natiuum, & proprium est, sed è cęlo mutuatum. Quemadmodum enim decet, vt qui in pago vitam curię tenent, ornamenta & delicias curiæ sectentur, & oratione polita curiæ loquantur: ita decens est, eos, qui in mundo vitam cælestem agunt, & cælestibus vestimentis indui, nempe virtutibus, delicias sibi spirituales comparare, & linguam mundi rusticanam dediscere, illustrem verò aulæ Dei, linguam videlicet dilectionis, sectari. Cùm Dominus inter suos labium hoc electum inducit, tunc inuocant omnes in nomine Domini: quia precatione & laude oris, & operis, non quisq; finem suū peculiarem, non propriū commodum, sed vniuersi finem omnibus communē, nempe gloriam æterni Dei, summis conatibus exquirunt. Tūc etiam seruiunt Domino humero vno; quia quisq; non suis humeris solùm, sed humeris omnium

Chrys. hō. 17. in Ioan.

Sophonia 3.

fratrum onus laboris sibi iniunctum supportat: & ita quamuis magnū sit, & importabile, nec fatigatur, nec sentit, quia non solus, sed tot fratribus comitatus, tot viribus aliorum adiutus, illud fert. Hunc autem humerum charitatem esse docet perspicuè Gregorius, illud sancti Iob interpretans. Humerus meus à iunctura sua cadat.] A iunctura etenim (inquit) humerus cadit, cùm aduersitatis aliquid ferre animus non valens, fraternam concordiam relinquit: & quasi membrum separatur à corpore, cùm is, qui operari bona poterat, à bonorum omnium abscinditur vniuersitate. Nec enim vmquam seruari concordia, nisi per solam patientiam valet. Crebrò námque in humana actione nascitur, vnde mētes hominum vicissim à sua vnitate ac dilectione separentur: & nisi ad aduersa toleranda se animus præparet, proculdubio humerus corpori non inhæret.]

Iob. 32. Greg. 22. mor. c. 16.

B Quid ampliùs de fraterna charitate dicemus? Certè omnes labores leuissimos & suauissimos efficit. Quod Augustini priùs doctrina confirmet. Sed in his omnibus molestiis (inquit) qui hæc non amāt, eadem grauia patiuntur: Qui verò amant, eadem quidem, sed non grauia pati videntur. Omnia enim sæua, & immania prorsus, facilia & propè nulla efficit amor. Quanto ergo certius ac facilius ad veram beatitudinem charitas facit, quod ad miseriam, quantùm potuit, cupiditas fecit?] Rursus alio loco, Omnia quippe fiunt facilia charitati, cui vni, Christi sarcina leuis est, aut ea vna est. C Sarcina ipsa, quæ leuis est. Secundum hoc dictum est; & præcepta eius grauia non sunt, vt cui grauia sunt, consideret non potuisse diuinitus dici grauia non sunt, nisi quia potest esse cordis affectus, cui grauia non sunt; & petat, quod destituitur, & impleat, quod iubetur. Et breuiùs Bernardus. Vbi amor est, labor non est, sed sapor. Hoc autem prouenit duabus ex causis: Altera est, quia sicut diuitiæ, ita & labores inter multos diuisi, minores & leuiores fiunt. Si quis enim centum librarum pondus velit suis cruribus sustinere: vix poterit: si autem centum homines hoc pondus deferant, ridiculum illis erit, nullum laborem sentient. Sic omnino si soli munus aliquod obimus, eiusque curas, & labores sustinemus, ita in dies ingrauescet, vt non portari possit: D si autem aliorum orationibus auxiliis, monitionibus adiuti portamus, quotidie leuius erit, & suauius, adeò vt modicum sentiatur, aut nequidem sentiatur. Altera verò, quia voluntas, & desiderium placendi ei, quem amamus, multum de labore & difficultate detrahit. O incarnata sapientia, magister amoris (inquit Laurentius Iustinianus) qua arte reparas lapsos, quibus vinculis trahis post te filios Adam, quáve virtute totum legibus tuis subdis orbem? Grauia suades, contraria corpori consulis, & tamen inumeros tibi quotidie vendicas amatores; difficiliora iubes, quàm olim in lege, & nihilominùs innumerosiores tibi aggregas sectatores non metu mortis, non terrore iudicij, non horrore gehēnæ æternis sub iugo tuo colla mortalium, sed E solo id amore. Iugum etenim amoris tui suauiter prementis, ô quàm fortiter trahit, quàm dulciter capit! Vis namque tua amor est tui.] Sicut ergo amor Christi facit, vt labores suauiores fiāt, eius causa suscepti: ita proximorum amor facit, vt labores & molestiæ pro illis assumptæ leuiores appareant.

Aug. lib. de natura & gratia c. 69.

Aug. ser. 9. de verbis Domini. c. 3.

Ber. ser. 85. in cant.

Laur. Iust. lib. de discip. & perfectione monast. conuers. c. 1.

Hoc est, quod scribitur apud Isaiam; quia Dominus computrescere faciet iugū à facie olei.] Hoc oleū est charitas: Nam sicut illud cunctis liquoribus, ita hæc vniuersis virtutibus superfertur, & sine sonitu effunditur, non strepitum inanis gloriæ in bonis operibus, sed Christi imitationem, & fratrum vtili-

Isaia. 10.

tatem

tatem procurans. Istud oleum purissimum, quod lucernas templi Dei, scilicet iustos & sanctos, pascit, atque sustentat, computrescere faciet iugum ceruices laborantium premens; nam à muneribus, & sanctis occupationibus molestiam, & laborem depellet. Quę enim iam computrescunt debilissima sunt, & nulla opera soluuntur, & ab humero proijciuntur. Sicut miles (vt simili Ambrosij vtar) qui Imperatorem diligit, bella pro Imperatore suscepta non metuit; vt seruus amans Dominum, quamuis per dubia & prærupta mittatur, tamen omnia pericula Domini amore contemnit; ac si quis in Dominum peccat, seipsum offerre non trepidat; vt qui trans mare positos filios videre desiderat, non metuit naufragia liberorum charitate, ingreditur maris fluctus, subit incerta nauigij, sed metum discriminis leuāt desideria filiorum: Ita quidem casto amore captus suæ dulcissimæ matris familiæ, scilicet religiosæ & suorum fratrum, eandem religiosam vitam sectantium; nec sentit labores, nec aduertit difficultates, nec metuit pericula, vt matrem iuuet, & fratrum sanctos labores promoueat, nihil non suaue, & facile experitur, modò aliis fructuosus inueniatur. Huiusmodi oleum, aut potiùs pretiosum vnguentum, non in aliquam partem corporis Christi mittendum est, sed toti corpori reseruandum. Contritio, & peccatorum gratia effusæ lacrymæ, pedes Christi lauent; gratitudo, & beneficiorum commemoratio manus Christi detergat; contemplatio diuinorum Christi venerabile caput inungat: sed fraterna charitas omnia eius membra leniat, & foueat, quia omnibus tam amicis quàm inimicis est impendenda. Tu quoque (inquit Bernardus) si induas viscera misericordiæ, liberalem, benignúmque te exhibeas, non tantùm parentibus, siue cognatis tuis, aut quos tibi, vel benefactores tenes, vel benefacturos speras, nam & Ethnici hoc faciunt; sed iuxta Pauli consilium studeas operari bonum ad omnes, ita vt, propter Deum, nec inimico officium humanitatis corporale, seu spirituale negandum, subtrahendúmque existimes. Constat te quoque abundare vnguentis optimis, nec caput, aut pedes Domini tantùm, sed passim quantùm in te est vngere suscepisse totum corpus, quod est Ecclesia. Et fortè proinde ob hoc Dominus Iesus paratam sibi confectionem expedi noluit in suo corpore mortuo, vt seruaret viuo.] Constat ergo dilectionem fraternam partem perfectionis esse, quæ vniuersam legem continet, nos dulcissimo nexu, vt eiusdem corporis membra, deuincit, viles, & robustos ad laborandum efficit, & eas dignitates continet, quæ in solam perfectionem quadrare possunt. Constat etiam, quas ob causas Saluator noster Christus de ea tam præcipuum mandatum tulerit, vt diceret: Hoc est præceptum meum vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos.] Dicamus nos vicissim illi: Fauus distillans labia tua Domine, mel & lac sub lingua tua.] Mel, quia charitas dulciùs sapit; & lac, quia omnis puritatis & sanctitatis est comes. Da bone Iesu, vt quod mandas, corde intelligamus; quod præcipis, opere faciamus; quod exemplo doces, imitemur, quatenus charitatis sanctæ sectatores effecti, & digni imitatores tui efficiamur, & ipsam vitæ perfectionem, quam quærimus, tandem consectemur.

Amb. in Psal. 118. ser. 9. — *Ber. ser. in ca. dñ.* — *Ioan. 15. Cant. 4.*

Christum hanc perfectionem fraternæ charitatis exemplo docuisse.

CAP. XXXV.

HVCVSQVE causas exposuimus, & fortassis latius & prolixiùs, quàm par erat, ob quas Dominus preceptum charitatis fraternæ suum præceptum appellauit, vt videlicet eam, aut perfectionem, aut perfectionis partem vocaret, ac vt compendium esse totius legis ostenderet. Nunc meditemur id, quod sine vlla hæsitatione vtilissimum iudicamus, quo nimirum pacto ipse Dominus hanc perfectionis partem opere & exemplo monstrauerit. Neque enim seipsum præceptorem tantummodo ac legislatorem obtulit, dicens: Hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem.] Sed etiam exemplar perfectionis exhibuit, dum adiecit; sicut ego dilexi vos.] Sed quis, aut mente concipere, aut verbis explicare sufficiet amorem Christi, & rationem ac viam, qua ipse dilexit nos? Cælestes spiritus, dum hunc sanctissimum amorem inspiciunt, vehementer stupent, & admirantur, silent, tremunt, elingues sunt, & si quid loqui audent, in eius expressione balbutiunt. Quid faciemus nos homunciones vilissimi, non solùm ignorantes, & cæci: verùm etiam vitiis, ac peccatis imbuti? Quanam ratione audebimus ad hunc amorem purissimum oculos leuare, carneam linguam mouere, calamum spiritu vitæ carentem versare, & latentem in corde Saluatoris ignem, verbis imperitis exprimere? Si nondum (vt dicitur in libro Iob) ingressi sumus thesauros niuis,] quo pacto ingrediemur thesauros amoris? Si cor nostrum, quod est, vt thesaurus niuis, plenum frigoris & gelu, est nobis prauum, & inscrutabile; quomodo sanctissimum Christi cor, vtique thesaurus inextinguibilis ignis, plenum ardoris, suauitatis, atque dulcedinis, erit nobis apertum, ac penetrabile? Quomodo de amore loquetur (inquit magnus contemplator Richardus) homo, qui non amat, qui vim non sentit amoris? De aliis nempe copiosa in libris occurrit materia; huius verò, aut tota intus est, aut nusquam est; quia non ab exterioribus ad interiora suauitatis suæ secreta transponit, sed ab interioribus ad exteriora transmittit. Solus perinde de ea dignè loquitur, qui, secundùm quod cor dicta, verba componit.] Erubescamus igitur de amore loqui, qui amatores non sumus, amoris verba profundere, qui amare numquam bene didicimus. Pudeat nos in sanctissimum Christi amorem insolenter irrumpere, & caput ipsum Angelis tremendum osculari, qui numquam secus pedes eius procubuimus, vt pro innumeris peccatis, & flagitiis nostris, vt operæpretium fuisset, lacrymas funderemus. At pudor, & erubescentia ista non faciat nos omnino silere, sed cum timore & circumspectione loqui, vt sic cœptum opus persequamur; attentè perscrutemur, quomodo Christus dilexit nos, & ex ipso discamus, quanam ratione debeamus cunctos homines, tam amicos, quàm inimicos diligere, nam amoris eius imitatores effecti, & proximos, sicut nosipsos diligimus, & hanc perfectionis partem, quæ in fratrum amore consistit, absque dubio cōsequemur.

Ioan. 15. — *Iob. 38.* — *Richar. de gradibus char. c. 1.*

Christus igitur, summa & prima veritas, dilexit nos verè, quia non dilexit nostra, sed nos, & si dilexit nostra, non nos propter illa, sed illa propter nos. Deus noster est quoniam bonorum nostrorum non eget.] Quare amore, quo nos amabat, non quærebat fortunas nostras, quia sic pauperes non admisisset, non scientias nostras, quia sic stultos & ignorantes non respexisset, nec decorem nostrum, quia sic turpes & deformes non statuisset, nec famam, aut opinionem nostram, quia sic viles & despectos non dilexisset: sed dilexit nosipsos, & tamquam pijssima mater in sinum nos suæ dilectionis collegit.

Psal. 15.

Quia verò nos pauperes sumus, & egeni, stulti, & ignorantes, deformes, & insuaues, viles, atque despecti, ipse tales amauit, vt cælestibus diuitiis ditaret, diuino lumine cumularet, & perpetua gloria, ac decore compleret. Quæsiuit bonus pastor non lanam, & lac, & pelles ouium suarum, sicut pastores Israëlis, de quibus dictum est: Lac comedebatis; & lanis operiebamini, & quod crassum erat occidebatis,] sed nos ipsos oues perditas, & despectas quæsiuit, & nimia quadam charitate dilexit. Inuentam ouem perditam lætissimus imposuit super humeros suos, tulit eam exultans, & gaudens, vt ad caulas reduceret, & in gregem ouium quæ numquam perierunt, hoc est, in cœtum Angelorum inferret. Ita & nos debemus amare fratres nostros, non fictè, sed, verè eos ipsos amantes, non verò sua quærentes, nec propter aliquod cômodum ineptè diligentes. Non simus ex illis re vera imperfectis hominibus, qui non fratrem, sed res fratris amant. Amant nobilitatem, fortunas, literas, ingenij fœlicitatem, & (quod valdè pudet dicere) vocis suauitatem, iuuentutis florem, & vultus decorem, non tamen sciunt animam diligere, nec Dei imaginem, ac similitudinem illi impressam amare. Hinc in domo Dei, in familia scilicet religiosa, nimiæ familiaritates, vanę necessitudines, perniciosę amicitię ortũ habuerũt: Hinc distractiones, detractiones, & inutilia colloquia, promanarunt, quibus pretiosissimum tẽpus sanctæ meditationi, vtili lectioni, & profectibus proximorum surripitur, & in rebus inutilibus, & vanis consumitur. Hinc laudationes ineptæ eorum, quos amamus, proficiscuntur, & illos multis donis præditos fingimus, ad munera & dignitates idoneos iactamus, & viros prudentes, graues, & spirituales comminiscimur, quibus amplificationibus, vel (vt verius dicam) fictionibus, ac mendaciis, Prælatos ac Superiores decipimus. Hinc prensationes dignitatum, ac prælationum, quas interdum non nobis, sed amicis nostris ambimus; & quia eos mundano amore diligimus, nihil aliud eis quàm carnem, & sanguinem, id est, sæcularem splendorem, & mundanam fœlicitatem optamus. Hinc simultates, & inimicitiæ cum aliis, qui eos non amant, aut honoribus non prosequuntur, quos nos amamus, atque suspicimus. Hinc denique (quod est valdè ridiculum) animi mutabilitas, ac inconstantia procedit; nam quos heri dileximus, & laudibus in cælum extulimus, hodie auersamur, & vituperamus; quia ab illis res illæ defluxerunt, quæ nos ad amorem acuebant, & ad diligendum fratrem incitabant. Nam si amabas diuitias, si ingenij fœlicitatem, si decorem vultus, aut ætatem occasione iuuentutis amabilem diligebas, statim atque aliqua euenerit istarum rerum mutatio, amorem deseres, & amicum contemnes. Sicut enim combustis lignis, quæ ignem alebant, & alia materia non superadiecta, ignis licèt magnus, extinguitur; ita sublatis his vilissimis amoris causis, quibus ipse innitebatur, amor simul cum illis inconstanter dilabitur. Christi ergo amor cùm verus fuerit, non fictum, & simulatum, sed verum, ac solidum amorem nos docuit, quo non res fratris, sed fratrem diligimus; quem non rebus abiectis ac instabilibus; sed Dei imagini mentibus proximorum impressę subnixum retinemus. Hunc, qui habuerit, eadem facilitate ad vocem illiterati, atque ad clamorem literati, & sapientis, eadem lætitia ad subleuandam necessitatem miseri Æthiopis, aut barbari Peruani, atque ad iussum regis accurret; quoniam inter insipientem & sapientem, inter Æthiopem & regem aspicit quidem, aut donorum, aut statuum differentiam, nullam tamen inueniet imaginis diuinæ distantiam.

Ezech. 34. Luc. 15.

Sed amor verus etiam efficax est, quare Christus nos verè amans efficaciter quoque dilexit. Habuit erga nos internum voluntatis affectum, quem externis operibus amoris ostendit. Ipse est, qui pertransijt inter nos benefaciendo, & sanando omnes oppressos à diabolo, quoniam virtus Dei erat in illo.] Ipse est qui cęcos illuminauit, surdos excitauit, ægrotos curauit, mortuos ad vitam reuocauit, & (quod amplius est) animas, peccati, & dæmonis potestati subiectas, in libertatem asseruit, & à laqueis, quibus tenebantur, eripuit. Quare interrogatus à Ioannis discipulis, an ipse esset mundi Saluator, non tam verbis, quàm factis respondit, non tam rationibus, quàm operibus, se esse hominum liberatorem, & amatorem comprobauit. Euntes (inquit) renunciate Ioanni, quæ audistis, & vidistis. Cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes euangelizantur.] Hæc autem Christi opera, licèt magna essent, ac mirabilia, tamen non potuerunt ad eam dignitatem pertingere, vt omnino vim præstantissimi eius amoris ostenderent. Amor enim Verbi diuini Deus est; quia nihil est in Deo, quod Deus non sit; & amor creatæ voluntatis Christi infinitus est: quomodo ergo opera, etsi eximia, & præstantissima, tamen finita, omnino diuinam Christi charitatem patefacerent, aut infinitam suæ creatæ voluntatis dilectionem declararent? Modica scintilla ignem quidem detegit, non tamen penitus manifestat, & detegit, quoniam ipsa exigua est, ignis verò magnus esse potest; Ita opera Saluatoris, ac in nos beneficia collata, admirabis amoris eius scintillæ sunt, quæ ipsum quodammodo patefaciunt, non tamen omnino virtutem, ac potestatem tanti amoris ostendunt. Quòd si hic amor operibus ac beneficiis ostensus tam eximius apparet, quantus putas, ô anima mea, erit in sphæra sua, in corde scilicet Domini, in quo non per effectus elucet, sed per seipsum requiescit? Certè mirabilis factus est ex me, exaltatus est, & non potero ad eum.] Sic ergo & nos diligamus fratres nostros, si ad perfectionem aspiramus, vt nempe amor noster sit efficax, & è latebris cordis erumpens, se operibus, & beneficiis ostentet. Vidi quosdam delicatos fratrum amatores; ita sui amoris auaros, ita beneficentiæ parcos, ita suorum bonorum tenaces, vt nec sciant os ad instructionem ignorantium aperire, nec manus ad auxilium laborantis exerere, nec pedes ad ægroti solatium mouere, nec seipsos ad aliquod opus laboriosum comparare. Hi esse solẽt in religiosa domo tamquam simulachra muta, & otiosa, quippe qui ad omnia pietatis opera torpent, & solùm in inutilibus occupationibus & propriis commoditatibus feruent. Qui profectò parum absunt ab amore simulato, qui in ore, non in corde, nec in opere est, & longè distãt ab amore Christi, non verbo, nec lingua tantùm, sed factis, sed signis, sed miraculis, sed laboribus demonstrato. Imò (vt verum fatear, & Augustini sententiam teneam) non solùm procul absunt ab amore efficaci Christi, sed quàm longissimè distant à corde Christiano. Nam si fratri necessitatem patienti non subuenis, (inquit ille) quomodo te gloriaris esse Christianum? Nomen habes, & facta non habes: si autem nomen sequutum fuerit opus, dicat te quisquam paganum, tu factis ostende te Christianum. Nam si factis non ostendis te Christianum, omnes te Christianum vocent, quid tibi prodest nomen, vbi res nõ inuenitur?] Vt ergo simus Christi sectatores, & charitatis perfectionem assequamur, amoris veritas operum efficacia nobis declaranda est, quæ semper proficiens, & à minoribus ad maiora & vtiliora conscendens,

Act. 10. Matt. 11 Psal. 138. Aug. tra. 5. in 1. Ioan.

scendens, nos in spiritu promouebit, & in dies puriores ac perfectiores efficiet.

Amoris autem efficacia circumspectionem requirit, ne indiscreto feruore raptati, minora, quia splendidiora sunt, maioribus & potioribus præponamus. Quam Christus sapientia Patris, qui attingit à fine, vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter,] diligenter, & exquisitè seruauit. Quomodo ille dilexit nos? Certè non solùm verè & efficaciter, sed etiam circumspectè dilexit: dum maiora minoribus, & vtiliora minùs vtilibus antepofuit; Animam corpori; bona spiritualia, bonis temporalibus, salutem semper duraturam saluti perituræ, præferre non destitit. Vera bona, gratiam, virtutum decorem, & opera rationi consona nobis impertit: Vera mala, vitia & peccata, & Dei inimicitiam, à nobis arcet; & media eatenus confert, aut tollit; quatenus vero bono proficiunt, aut veri boni possessionem impediũt. Ideo, quem diligit Dominus corripit, castigat autem omnem filium, quem recipit.] Ideo quem amat, arguit & castigat.] Ideo magnis donis prædítum, interdum doloribus, & ægritudinibus onerat, & increpat per dolorem in lectulo, & omnia ossa eius marcescere facit, vt auertat eum ab iis, quæ facit, & liberet eum à superbia.] Ideò adolescentem rapit, ne malitia mutet intellectum eius, aut ne fictio decipiat animam illius. Insipientes verò & non intelligentes, nec ponentes in præcordiis talia, putant eum aut suorum oblitum, aut certè nõ tam impensè amare illos, quos tantis malis afficit, & tantis doloribus & angustiis affligit. Sed miseri non aduertunt quòd Christus circumspectè iustos amat, & minora bona, aut quæ bona non sunt magnis iustorum bonis, scilicet æternæ salutis meritis cautè postponit. Enitamur etiam hanc sancti amoris proprietatem assequi, & fratres circumspectè diligere. Quam re vera circumspectionem illi non habent, qui ita diligunt fratres suos, aut amicos (vt ipsi vocant) vt eorum bonorum, quæ non tam bonas, quàm media sunt, magnam rationem habeant, & illa cum viri boni, scilicet virtutis iactura, aut cum viri mali, nimirum peccati, vel imperfectionis admissione coëmant. Tales sunt, qui nihil aliud curant, nisi vt amicus corpore valeat, bonam opinionem apud alios acquirat, & ad honorẽ aliquem, aut dignitatem ascendat, licèt aut salutem spiritualẽ, aut perfectionem derelinquat. Ex hoc amore, ô bone Deus, quanta mala procedunt! Ex eo prodeunt inepta consilia, perfectioni, & spirituali prudentiæ contraria, quibus nonnulli religiosi aliis sibi charis suadent, vt onera obedientiæ detrectent, si vel tantillum propriæ commodati aut vanæ existimationi apud sæculares officiant: vt defectus, aut crimina admissa Prælatis abscondant, & ab aliis, qui spiritualem artem medendi non habent, remedium postulent, ne bonam opinionem (vt ipsi dicunt) apud Prælatos amittant, vt talentum, exempli gratia, scribendi, aut laborandi, aut aliquod munus gerendi celent, ne cura & labore grauentur. Hi non amatores, sed osores; non amici, sed hostes, suorum amicorum appellandi sunt. Similia enim consilia aliis fratribus præbent, iis quæ Ionadab filius Semmaa Amnon offerre non timuit, vt scilicet ægritudinem simularet, & Thamar sororem suam turpiter, & violenter opprimeret, aut iis quibus Achitophel Absalonem ad parricidium animauit, & ad paterni regni inuasionem allexit. Ita hi putant se bona, & vtilia amicis suadere, & nihil aliud, quàm illis mortem, & statui religioso perniciem, & Prælatis tristitiam suadent. In consilium eorum non veniat anima mea, & in cœtu illorum non sit gloria mea,] quoniam ex eo non spiritualem profectum, nõ perfectionis desiderium, sed innumerabiles defectus, & miserabiles casus eliciet. Imitetur igitur circumspectionem, & prouidum Saluatoris amorem, cuius magisterio docta, & doctrina perfectionis imbuta, sciet in fratribus vera bona amare, & virtutes solidas, atque perfectas illis cupere, & ad ipsarum adeptionem iuuare; & tandem discet minimam veræ virtutis particulam, omnibus fallacibus huius sæculi bonis anteferre.

At amor tunc perfectè circumspectus est, cùm & spiritualis est; quia tunc scit carnem transcurrere, & quæ fœdare nos solent, transuolare. Quare Dominus, qui non tantùm perfectè amauit, sed & perfectissimum magistrum se sancti amoris exhibuit, amauit homines circumspectè, amauit & spiritualiter. De ipso quippe scriptum est: Spiritus oris nostri Christus Dominus, captus est in peccatis nostris, cui diximus in vmbra tua viuemus in gentibus. Qui cùm spiritus oris nostri, id est. vita vitæ nostræ sit, exemplo suo docuit nos spiritum, & vitam in omnibus quærere, spiritualiter amare, & in amore nostro ingenium carnis, & sanguinis fugere. O quàm longè fuit ab illo amor, subiectus carni, & sanguini! Ideo dicenti sibi: Ecce mater tua, & fratres tui foris stant quærentes te, respondit: Quæ est mater mea, & qui sunt fratres mei?] Ac discipulos suos digito ostendens. adiecit, Quicumque fecerit voluntatem Patris mei, qui in cælis est, ipse meus frater, & soror, & mater est.] Ac Ioanni dilecto discipulo, & secundùm naturam magis amabili Petrum anteponit, & principatum Ecclesiæ concessit, quia ita Ecclesiæ vtilitas exigebat, & verus, ac spiritualis amor postulabat: Et magis dilectos acriùs corripuit, & vehementiùs obiurgauit. Vnde dilectissimum sibi Petrum Ecclesiæ caput, ipsúmque feruentissimè diligentem, ita data occasione compescuit: Vade post me Satana, scandalum es mihi, non enim sapis, quæ Dei sunt.] Ac tandem quos magis diligit, maioribus laboribus subdit, & terribilioribus pœnis patiendis exponit. Quamobrem animam matris Mariæ in immensum super omnes creaturas magis dilectæ, perpetuus passionis gladius pertransiuit, ac iugis afflictionis memoria penetrauit, qua ita vulnerata fuit, vt dicat: Venite, & videte, si est dolor similis, sicut dolor meus.] Omnes etiam iustos, non consolationibus, sed persecutionibus iustitiæ causa perpessis beatos, & fælices reddit. Quod non alia ratione facit, nisi quia homines spiritualiter amat, bona nostri spiritus quærit, & ea cùm opus est etiam corporis labore & afflictione coëmit. Sic & nos fuimus fratres amaturi. Nam si cum Paulo dicere nitimur: Et si nouimus Christum, secundùm carnem, sed nunc iam non nouimus;] idem de fratribus nostris dicamus. Licèt enim aliquando nouimus, & diliximus eos secundum carnem; at iam non secundùm carnem, sed secundùm spiritum, eos & agnoscimus & amamus. Spiritualiter autem diligimus, si transcursis corporibus, animas Dei imagines inspexerimus, eas purissimo amore diligere assueuerimus, bona sempiterna, & spiritualia eis cupiuerimus, & quicquid ad hũc mundum pertinet ea dumtaxat ratione illis voluerimus, quatenus spiritualia bona prouehit, & ad ea, aut assequenda, aut promouenda conducit. Hic amor, non præsentiæ corporali subnititur, non munusculis fulcitur, non à vanis & ineptis colloquiis pendet, sed in Dei amore, & in spirituali profectu fundatur. Est in eo mens pura, conscientia munda, intentio recta, conuersatio sancta, lingua moderata; in quo nec voluptas quæritur, nec lucrum, aut commodum proprium amatur, nec aliquid, aut indecens, aut imper-

fectum,

fectum, aut scrupulosum inuenitur. Qui ita proximum diligit dilectione spirituali, dilectione puta, & illibata, illud profectò consequitur, vt in charitate fraterna perfectus sit, vt diligat fratrē sicut seipsum, & imitetur illum, qui dixit: Diligite inuicem, sicut ego dilexi vos.]

De eodem exemplo Christi, quo hanc perfectionem docuit.

CAP. XXXVI.

CONSIDERATIO amoris Christi Saluatoris erga nos, vtilis admodum est, nec potest, licèt summatim, & cursim pertractata, aut paucis verbis exprimi, aut breui, & cōciso sermone declarari. Quare Paulus flectit genua sua ad Patrem Domini nostri Iesu Christi, ex quo omnis paternitas in cælis, & in terra nominatur, vt det nobis scire supereminentem scientiæ charitatem Christi.] Quæ ita supereminet scientiæ nostræ, ac omni humanæ, atque Angelicæ cognitioni, vt eam omnino comprehendere sit impossibile; cum gratia verò Dei apprehendere, & aliquatenus cognoscere vtilissimum & præstantissimum videatur. Quis enim potest colligere (vt Ambrosij verba subiiciamus) mysterij huius charitatis rationem, vt & Deus hominis causa homo nasceretur, deinde moreretur pro hominibus, pro seruis Dominus, pro creatura Creator, pro impiis pius? Propter quid ita dilexit nos? Aut, vt quid nostrum haberet, qui nullius indiget? Numquid non charitas hæc super scientiam hominum est?] Si hæc ita sunt, non timeamus hoc immensum amoris pelagus ampliùs ingredi, certi quòd considerationis nostræ nauicula numquam præ defectu aquæ, Syrtibus, aut scopulis illidetur; sed potiùs tamquam in amplissimo & profundissimo mari, cuius nec inuenitur initium, nec finis, huc illuc, aura fidei & humilitatis impulsa, secura iactabitur.

Ephes. 3.

Ambr. ibi.

Inquiramus ergo adhuc, quomodo Christus dilexit nos, vt & nos, qui charitatis perfectionem quærimus, ex eo amicos, & inimicos amare discamus. Dilexit nos ipse, qui sponsus animarum sanctarum est, sponte, & gratuitò. Neque enim merita nostra, aut obsequia nostra præuenerunt eum, vt nos amaret, sed ante omne meritum, ante omne obsequium nos ipse dilexit. Quare Paulus: Quis prior dedit illi, & retribuetur ei?] Clamemus in auribus omnium creaturarum; efferamus vocem in auribus omnium hominum, & Angelorum, & Christi præcones effecti, dicamus; Quis prior dedit illi? Exeat in publicum, loquatur, conqueratur, petat debitum suum, vt à Domino retribuatur ei. Et manifestum erit, quia nullus assurget, nullus exibit, nullus os suum ad aliquid postulandum aperiet: nemo quippe tā cęcus, aut ignorans est, qui non audiuerit nos non elegisse eum, sed potiùs ipsum elegisse nos, vt eamus & fructum afferamus, & fructus noster maneat. Amor Domini non inuenit, quod amaret in nobis, sed ipse misericorditer fecit, quod in nobis amaret; & diligendo, nos suo amore dignos effecit. Non inuenit quidem, quod in nobis amaret, imò multa reperit, quæ in nobis detestaretur, abominaretur, & odiret. Omnes originali peccato (vna Virgine excepta, quam ab omni labe seruasse excellentius beneficium fuit,) sordidos inuenit: Omnes enim peccauerunt, & egent gloria Dei,] & conclusit Deus omnia in incredulitate, vt omnium misereatur. Vniuersos etiam multis flagitiis aut peccatis propria voluntate commissis infectos reperit. Homines inimicos, hostes, & persequutores deprehendit, qui in propria venientem non receperunt. At nos non contempsit, non odio habuit, sed vsque ad acerbissimam mortem dilexit. Et ideo commendat charitatem suam Deus in nobis, quoniam cùm adhuc peccatores essemus, secundùm tēpus Christus pro nobis mortuus est.] Inimicos inuenit nos, & ingratissimos futuros esse cognouit; & tamen neque peccatis læsus, neque vitiis offensus, neque ingratitudine violatus, nos ipse contempsit, sed amauit, sed fouit, sed amplexatus est, vt sciamus, quia non vtilitatis alicuius gratia, sed gratis sponteque dilexit. Et hic ostentat se nobis fortissimus Nazaræus, qui fœminam alienigenam adamauit, naturam scilicet humanam, peccatis vitiisque fœdatam, & eam à patre in vxorem poposcit, dicens: Hanc mihi accipe.] Non ob aliam causam profectò, nisi quia placuit oculis meis.] Meretrix (inquit Augustinus) quam Samson in coniugium sumit, Ecclesia est, quæ ante agnitionē vnius Dei, cum idolis fornicata fuit, quam postea sibi Christus adiunxit. Postquam ab eo illuminata, fidem suscepit, etiam hoc meruit, vt per eum salutis sacramenta cognosceret, & ab eodem reuelarentur ei mysteria cælestium secretorum.] Amor ergo Christi erga nos, non ex meritis nostris, sed ex sua bonitate manauit; non ex humana pulchritudine, sed ex diuina misericordia prodiuit. Vbi sunt, qui se Christi imitatores vocant, qui de perfectionis saltem desiderio, & de vita religiosa se iactant, si necdum gratis amare nouerunt? O quam multi sunt, non dico ex sæcularibus, sed etiam ex his, qui nuncium mundo remiserunt, qui eos tantùm amare sciunt, à quibus, aut donum aliquod perceperunt, aut beneficium nouum sperant! Amant Prælatos, adulantur eis, & sæpè non ad veritatem, sed ad voluntatem loquuntur, vt commoditatem, aut dignitatem accipiant. Amant maiores, vt apud Prælatos eos laudent, & pro eis intercedant. Amant æquales, vel minores, aut amare se simulant, ne illos vituperent, ne verbo, vel facto damnum aliquod inferant, ne assequutionem quoquomodo desideratorum impediant. Hoc modo Christus in suis membris amatus, amantibus non sine indignatione dicit: Amen dico vobis, quæritis me, non quia vidistis signa, sed quia manducastis ex panibus, & saturati estis.] Non enim signis amoris eius illecti, & imitationis Christi, aut desiderio perfectionis inuitati, sed propriis commodis, ac lucris commoti, membra Christi amant; & ideo non ex charitate amant, sed sibiipsis, & sæculi desideriis inseruiunt. Quo in illud pessimum vitium incurrunt ab Augustino grauiter reprehensum, quo, purissimam fratrum dilectionem, non in suum finem dirigunt, qui Deus est, sed ad noxia, & vana detorquent. Nam si vel ipsum hominem (inquit) homo dilexerit, non tamquam seipsum, sed tamquam iumentum, aut balneas, aut auiculam pictam, aut garrulam, id est, vt ex eo aliquid temporalis voluptatis, aut commodi capiat; seruiat necesse est, non homini, sed, quod est turpius, tam fœdo & detestabili vitio, quo non amat hominem, sicut homo amandus est.] Amemus ergo gratis, nihil à proximis nostris ex amore requirentes, sed perfectionis adeptionem, ac æternum præmium expectantes.

Rom. 11.

Ioan. 15.

Rom. 3.
Rom. 11.

Rom. 5.

Iudic. 14.
Aug. ser. 107. de tempore.

Ioan. 6.

Aug. lib. de vera religione. c. 46.

Amor autem gratis exhibitus ab aliquo fortassis, non magni reputaretur, si non sibi vtilis esset, atque proficuus. Quare Dominus, vt suum amorem magni penderemus, & summum bonum nostrum, sicut re vera est, ac omnium bonorum fontem reputaremus, dilexit nos non solùm gratuitò, sed etiam vtiliter,

Philip. 2. liter, & fructuosè. Cùm enim in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo; sed semetipsum exinaniuit formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt 2. Cor. 8. homo. Humiliauit semetipsum factus obediens vsq; ad mortem, mortem autem crucis.] Pauper pro nobis factus est cùm esset diues, vt eius inopia nos diuites essemus.] Non itaque diuitias, non sæculi voluptates non res exigui pretij, sed omnem suam vitam sanctissimam, in nostrum vsum, atque vtilitatem impendit. Natus est Dominus, vt spiritu nasceremur; infantulus factus est ille, qui æternus est, vt nos viri, non annis, sed viribus, sed animo, sed sapientia efficeremur: per triginta annos siluit, vt tacere, & superbiam ac fastum deijcere, & non nos iactare disceremus: laborauit, ne fatigaremur: passus est, ne pœnas æternas sustineremus: mortuus est, ne perpetuæ morti subiiceremur: & resurrexit, vt semper & fœliciter viueremus. Mortuus est propter delicta nostra & resurrexit propter iustificationem Rom. 4. nostram.] Quamobrem certa quadam ratione plusquàm seipsum, dilexit nos; quia omnia sua, & etiam seipsum nobis, non minùs mirabiliter quàm amabiliter, contulit. Vides (inquit Cyrillus) nouum atque Cyril. lib. 9. in Ioa. c. 23. inauditum dilectionis modum. Lex enim fratrem diligendum esse ait, sicut seipsum, Christus autem magis nos quàm seipsum, amauit.] O perfectionis amatores, sic fratres vestros amare debetis, eo scilicet amore, ex quo aliquem ipsi fructum, aliquod emolumentum percipiant. Valde enim formido, quod in laboribus, proximorum gratia susceptis, non tam diligitis illos, quàm amatis vos. Laboratis inter eos, apud quos laborare, ac verbum Dei seminare, non magnus labor, & magnus honor est; non tamen auderis laborare, & ad eos ad Christum trahendos properare, apud quos modicus honor, & magnus labor, licèt cumulatissimo præmio comitatus inuenitur. Quid ni formidem vos, non laborem, sed honorem quærere, non perfectum fratrum amorem, sed apud homines splendorem & gloriam aucupari? Laboratis apud eos, qui plurimos secum operarios habēt, adeò vt liceat Christi verba commutare & dicere: Messis quidem pauca, operarij autem multi;] quoniam in quocumque ciuitatis angulo messis amplum cænobium, & plurimos operarios inuenit, qui eam colligat, & in horrea Christi reducat. Et non venitis, imò inspirationibus vocati, recusatis venire ad gentes hac nostra ætate conuersas, & à Domino ad fidem vocatas: contemnitis paruulos enixè postulantes panem, quia non est, qui frangat eis. Dissimulatis, & clauditis oculos, ne videatis regiones amplissimas iam albas ad messem, in quibus nunc verissimè impletur: Quia messis quidem multa, operarij autem pauci. Quid ni suspicio cor meum tangat, vos non fructum in proximis cupere, sed vestrū honorem, aut saltem vestram quietem & vocationem quæritare? Estis literati? Sed barbari literatis indigent. Estis concionatores insignes? Sed gentes verbo Dei vacuæ concionatores magnos expectāt. Estis non communibus talentis prædití? Sed ista talenta vestra inter vestros otiosa, & rubigine sordida, & fetè in cœno negligentiæ sepulta, inter Indos fructum centuplicatum accipient. At dicetis: periculosum est exiguo ligno nosipsos credere; difficile est Oceani vortices superare, molestum est, patrium solum deserere, laboriosum est, cum barbaris & ignotis hominibus conuersari, terribile est, preciosam vitam periculis multis exponere? Ego quidem homines perfectos alloquor, vel saltem ad perfectionem sitientes verba facio, quòd si vos propter pericula, atq; molestias fratres vestros negligitis, necdum ad perfectionem aspirare videmini. Perfectus enim seipsū negligit, vitam corporalem contemnit, & animam suam perdit, vt animas lubrifaciat, & Christi vocantis & inuitantis iussa perficiat. Audite hoc à Bernardo Doctore sanctissimo. Perfectus (inquit) omnis erit, qui aliàs dicere poterit: Vineam meam non custodiui;] illo videlicet sensu, quo Saluator loquitur in Euangelio: Qui perdiderit animam suam propter me, inueniet eam.] Idoneus planè, & dignus, qui ponatur custos in vineis, quem propriæ cura vineæ à commissarum diligentia & sollicitudine non impedit, aut retardat; dum non quærit, quæ sua sunt, neque quod sibi vtile est, sed quod multis. Propterea sanè Petro cura ista credita est in tam multis vineis, quæ erant de circumcisione, quia homo paratus erat, & in carcerem & in mortem ire: Vsque adeò suę vineæ, id est, suæ animę non detinebatur amore, quominus curæ intenderet creditarum. Meritò & Paulo inter gentes, tam ingens sylua credita est vinearum, quòd & ipse in sua custodia vineæ minimè curiosus inuentus sit, ita vt non solùm alligari; sed & mori in Ierusalem paratus fuerit propter nomen Domini Iesu Christi.] Denique nihil horum vereor (inquit) nec facio animam meam pretiosiorem, quàm me.] Optimus æstimator rerum, qui nihil suorum sibi præferendum existimet.] Vos quoque si propriam deseratis voluntatem; si carnem crucifigatis cum vitiis, & concupiscentiis, si membra vestra, quæ sunt super terram, mortificetis; si labores, & pericula pro indigentibus sustineatis; si molestias animarum gratia susceptas, toleretis; si splendorem, & hominum plausum spernatis; si Christi gloriam, & fidem propagare contendatis; probabitis vos animæ puritatem cupere perfectionem sitire; & ad sanitatem, anhelare. Tunc Christum imitabimini, qui non vsque ad requiem, non vsque ad gloriam, non vsque ad honorem & splendorem; sed vsque ad ignominiam, & vsque ad crucem & mortem dilexit nos.

Non solùm verò dilexit nos Christus fructuosè, sed dilexit etiam perseueranter. Nā secundùm quod Deus est, ex æternitate nos diligit, neq; aliquod momentum cogitare possumus in quo Deus sit, in quo etiam non sit amor eius, quo creaturam suam dulciter aspiciebat, atque imaginem suam à se factam amabat. Secundùm autem quod homo est, ab ipso suæ conceptionis initio nos amat, nec vnquam amare desistit. Amat, cum castigat flagellis, vrit tentationibus, affligit morbis, & variis tribulationibus punit. Quis enim neget patrem amore affici erga filium, cùm illum corrigit, & pro excessibus admissis castigat? Præsertim cùm scriptum sit: Quem enim diligit Dominus castigat; flagellat autem omnem filium, quem recipit.] Amat etiam, cùm nobis indulget, beneficiis allicit, conscientiæ securitate fouet, & consolationibus, ac dulcedine blanditur. Amauit nos in Virginis vtero, amauit in præsepio, amauit in exilio, amauit in carcere, in vinculis, in flagellis, in spinis, in cruce, & in finem scilicet vsque ad mortem dilexit nos.] Post mortem quoque nos amat, sedens ad dexteram patris. Ibi namque aduocatum habemus apud patrem Iesum Christum iustum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris.] Non mutauit Dominus ingenium cum dignitate & gloria, sicut ille ingratus pincerna Pharaonis, qui liberatus è carcere, castissimum Patriarcham obliuioni tradidit, à quo lætissimum suæ liberationis nuntium acceperat. Sed gloria corporis affectus, & omnium bonorum cumulo amplificatus, recordatur nostri, & sanctissima stigmata æterno Patri ostendit, vt

Marginalia: A, B, C, D, E; Bern. ser. 30. in cāt. Cant. 2; Matt. 10.; Luc. 22.; Act. 21.; Act. 26.; Hebr. 12.; Ioann. 13.; 1. Ioan. 2.; Gen. 40.

eum

A cum reddat nobis propitium atque placatum. Iam quodammodo naturæ ſcilicet conditione, non eſt idem qui antea: antea mortalis, nunc immortalis: antea paſſibilis, nunc impaſſibilis: Iam corruptibile ſuum induit incorruptionem; & mortale ſuum induit immortalitatem: Iam impletus eſt ſermo, qui

1. Cor. 15. ſcriptus eſt: Abſorpta eſt mors in victoria.] Sed amore & dilectione idem eſt, qui antea; nimirum amator fideliſſimus ac feruentiſſimus, qui degens in cælo, & ſedens ad dexteram Patris, nos tenerrimè amat, nos benigniſsimè reſpicit, nos fideliſsimè gubernat, &

Mat. vlt. nobiſcum etiam mirabiliter commoratur: Nam ecce ego vobiſcum ſum (inquit) vſque ad conſummationem ſæculi?] Tunc hanc Chriſti in amando perſeuerantiam imitabimur, cum qualibet oborta difficultate, aut fratrum ingratitudine, aut moleſtia aut iniuria nobis irrogata, minimè ab operibus dilectionis

B & beneficētiæ ceſſamus. Qui enim ab operibus charitatis, & à profectu proximorum abſtinent, ob difficultatem exortam, aut contra ſpem, quam mente conceperunt, inuentam, ſimiles ſunt filiis Iſrael, qui cognita fortitudine habitatorum terræ ſibi promiſſæ, timuerunt eos aggredi, & poſſeſſionem ſibi à Domino conceſſam expugnare: Sic iſti puſillanimitate victi, & inſperata difficultate proſtrati, cæptum charitatis opus deſerunt, & cum illo charitatis perfectionem, & præmium ſibi deſtinatum relinquunt. Qui verò ob moleſtiam, aut iniuriam ſibi illatam amoris iura prætereunt, & in ſe maleficos, & hoſtes & inimicos deſpiciunt, non longè diſtant ab Ethnicis, & publicanis; qui etiam ſciunt, ſe diligentes diligere, & benefacientibus benefacere. Vnde Domi-

Matt. 5. nus ait: Si enim diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? nónne & publicani hoc fa-

C ciunt? Et ſi ſalutaueritis fratres veſtros tantùm, quid amplius facitis? Nónne & Ethnici hoc faciunt?] Vt ergo ſimus perfecti, vniuerſos homines ad Chriſti imitationem perſeueranter diligamus; ita vt nec nos recèns nata difficultas exterreat, nec iniuria aut ingratitudo eorum, quos diligimus, & quibus benefecimus, nos à dilectione diuellat. Licèt enim ipſi, aut ingrati, aut iniurioſi exiſtant in nos, ſemper cauſa amandi perſeuerat, nempe Chriſtus Ieſus, propter quem amorem noſtrum tam amicis quàm inimicis impendimus.

Dilectionis perſeuerantiam, vt omnino perfecta ſit debet conſequi, aut comitari manſuetudo, & lenitas. Qui enim mitis & patiens non eſt, ad ſuſtinendas proximorum moleſtias, eis contriſtatus, ab a-

D more deſiſtet, & nequaquam perſeuerabit. Quare Chriſtus perſeuerantiæ in amando, manſuetudinem & lenitatem adiunxit, & nos leniter & manſuetè dilexit. Neque enim innumeris peccatis noſtris irritatur, nec iniquitatibus prouocatur, nec iniuriis laceſſitur, nec mentium noſtrarum incuriis, aut obli-

1. Petr. 3. uionibus intepeſcit. Non reddit ardentiſſimus amator, malum pro malo; nec maledictum pro maledicto; ſed potiùs è contrario ſemper benefacit.] Cùm eius obliti ſumus, ipſe recordatur noſtri: Cùm præcepta tranſgredimur, ſæpè non negat quod petimus, ſi noſtræ emendationi non officiat.] Cùm delinquimus, noſtri miſeretur, expectat, diſſimulat, quærit, inuitat, & ad pœnitentiam vocat. Si verò inſpirationi-

E bus & gratiæ præſidio ad eum reuertamur, miſericordia motus accurrit, cadit amanter ſuper collū noſtrum, & tenerrimè, oſculatur nos. Quòd ſi verè, &

Luc. 15. ex animo dicimus cum filio prodigo: Pater peccaui in cælum & coram te, iam non ſum dignus vocari filius tuus, fac me ſicut vnum de mercenariis tuis;] tunc nobiſcum, non tamquam cum mercenariis &

A mancipiis ingratis, ſed tamquam cum amantiſſimis filiis ſe gerit. Iubet ille citò proferre ſtolam primam certiſſimæ ſpei vitæ immortalis habendæ, & induit nos veſtimentis ſalutis & indumento iuſtitiæ circun-

Iſa. 61. dat nos, reddit quaſi ſponſos decoratos corona, & quaſi ſponſas ornatas monilibus ſuis.] Dat ille annulum in manibus noſtris, ſcilicet imitationem ſui, vt videntes alij opera noſtra bona glorificent patrem

Matt. 5. noſtrum, qui in cælis eſt. Tribuit etiam calceamenta in pedes noſtros, vt fortitudine calceati & ſanctorum exemplis protecti ad tentationis lapidem non offendāt. Hæc omnia Saluatoris beneficia in ſeruos infideles, & homines ingratos & peccatores collata, manifeſtè eius amorem manſuetum oſtēdunt. Hæc etiam ipſius manſuetudo homines inuitat, vt leniter & mā-ſuetè proximos diligant, & vt reſpicientes ſeipſos, tamquam infirmos & imbecillos, aliis, tamquam in-

B firmis & imbecillibus compatiātur, & quod ſibi volunt tribui, proximis quoque patienter impendant.

Ephræm de abſtinendo à cupiditatibus. Optimè enim dixit ſanctus Ephræm, Eccleſię Ediſſenæ decus: Qui in medicorum curantur officinis, nō lætantur malis alienis, neque ſpernit quiſque proximum cauſa morbi; ſed potiùs ſtudet vnuſquiſque, morbo ac paſſione conceptóque à ſe dolore liberari; proximo autem manuū pro poſſibilitate præbere ad faciliùs laborū dolores tolerandos. Oportet igitur & nos, alterutrum conſolari ac admonere, potiſſimum verò tentationis tempore, vt ſic verè ab amara ſeruitute peccati, ac tyrannidè Diaboli, liberari queamus, & ignea eius tela extinguere, antequā nos ignis ille pręoccupet inextinguibilis; tuncque plorātes ploremus in dolore cordis noſtri, & non ſit qui conſoletur.] Ita ergo nos inuicem reſpiciamus, & iniurias ſine amoris detrimēto cōdonemus. Nā qui ſtatim, atq;

C læduntur, nō ſolùm ignē de cælo petūt, ſed indignationem animo & verbis ſpirant, audiunt à Domino:

Luc. 12. Neſcitis cuius ſpiritus eſtis; filius hominis non venit animas perdere, ſed ſaluare.] Mēbra igitur eius non vindictā, ſed patientiā, & manſuetudinē ſibi, & emēdationem, ac conſolationē fratribus debēt inquirere.

Adhuc de eodem exemplo Chriſti quo perfectionem fraternæ charitatis docuit.

CAPVT XXXVII.

D DVlcis eſt amoris memoria, quæ non ſolùm hominum corda potenter emollit, ſed etiam beſtiarum immanium pectora mitigat, & erga filios quos amant, ad quandam benignitatem & indulgentiam inclinat: at recordatio amoris Chriſti erga nos, eſt ſine vlla comparatione ſuauior, quæ iuſtorum animos in ſpem bonorum ſupernorum erigit, & in intimo quodam calore puriſſimi ac plenè diuini amoris accendit. Quis enim videns ſeipſum à filio Dei & ab ipſo principio, & fonte ſalutis amatum, deſpondeat animū, & aliquam ſalutis ſtillam ſibi dandā eſſe non credat? Quæ licèt puſilla admodum eſſet, ſi cum aliorum gloria conferatur, ipſa tamen beare nos ſufficit, & omnes capacitatis noſtræ receſ-

E ſus implere. Et quis à Chriſto ſummo rege ſe dilectū eſſe conſiderans & ſuam vilitatem & indignitatē expendens, non amet illū benignum Patrem, & largiſſimum Dominum, à quo in arrham æterni præmij, lumen fidei, robur ſpei, charitatis ardorem, & aliorum innumerabilium bonorum copiam acce-

Dan. 7. pit? Chriſti poteſtas (vt eſt in Daniele) æterna

eſt,

A est, quæ non auferetur, & regnum eius, quod nō corrumpetur,] & hac potestate defendit & tuetur suos, ne malum sentiant, aut à diabolo decepti, & victi procumbant. Sapientia eius immensa est; Nam in ipso sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei abscōditi,] *Coloss. 2.* & hac sapientia suos instruit, omne bonū, ac omnem virtutem docet, & ab omni itinere iniquitatis abducit. Diuitiæ eius sunt incomprehensibiles, de quibus scriptum inuenio: Gloria & diuitiæ in domo eius,] *Psal. 111.* quibus suos reficit, atq; sustentat, & ad ipsarum eos participationem admittit. Quid igitur iucundius, quid suauius, quàm ab eo amari, qui potens est, ab eo diligi, qui sapiens est, ab eo honorari, & refici, qui diues est? Adhuc ergo pergamus huius perfectissimi amoris Christi erga nos proprietates inquirere, quæ & mentem nostram oblectent, & ad perfectæ charitatis assequutionem inflamment.

B *Ioan. 15.* Diligite inuicem, inquit, sicut dilexi vos.] Et quomodò ipse dilexit nos? Certè fortissimus animarum zelator dilexit nos violenter. Nam amor ille suus fecit, vt exananiret semetipsum, & formā serui acciperet, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo.] *Philip. 2.* Hic amor Christi super nos plenitudinem effudit, altitudinem adæquauit, & singularitatē associauit. Plenitudinem effudit, quia de plenitudine eius omnes antiqui Patres, & vniuersi qui futuri sunt & nos omnes accepimus gratiam pro gratia.] *Ioan. 1.* De ipso, qui est petra sanctissima, & lapis angularis iactus in fundamentis Sion, biberunt omnes illi Patres, quos ipse secūdùm carmen est consequutus, C bibimus & nos, qui ipsum sequimur, & sitim extinguimus ex fluminibus gratiæ, quæ ex ventre eius fluunt; bibent & omnes, qui vsque ad sæculi consummationem futuri sunt, & qui non biberint, ex eo, aridi & sine aqua gratiæ permanebunt. Altitudinem etiam amor adæquauit, quoniam amore ille, qui Deus noster est, factus est frater noster, factus est cibus noster, exinanitus est, quodammodò infra nos adeò, vt diceret: Ego autem sum vermis & non homo, opprobrium hominum, & abiectio plebis.] *Psal. 21.* Ipse est ille mysticus Dauid, sedens in cathedra sapientissimus, princeps inter tres;] *2. Reg. 23.* quia homines & angelos in infinitum sapientia superauit. Ipse octingentos, imò infernum vniuersum interfecit impetu vno.] Quid impetu vno? Imò & lacryma vna, & D gemitu vno, vniuersa nostra peccata prostrauit. Et tamen hanc fortitudinem abscondit, & in hominum oculis exhausit, cùm in cruce factus est tamquam tenerrimus ligni vermiculus. Et tandem amor singularitatem associauit. *Hebr. 2.* Quia enim pueri communicauerunt carni & sanguini, & ipse similiter participauit eisdem, vt per mortem destrueret eum qui habebat mortis imperium, id est, Diabolum, & liberaret eos, qui timore mortis per totam vitam obnoxij erāt seruituti.] Habemus etiam in hoc, quod imitemur. Nam & perfectus amor proximorū ad amoris Christi similitudinem efformatus, tam ardens, & violentus esse solet, vt iustos quodammodò exhauriat, & à cura suæ dignitatis, & auctoritatis dimoueat. Qui nec corporis salutem curant, nec commoditatem reE spiciunt, nec auctoritatem, & status dignitatem aduertunt, modò à dæmonis potestate animas extrahant, & Christo suo factori restituant. An nō Beatus Pater noster Ignatius, perfectissimus amoris Christi imitator, ob animarum amorem seipsum exhauriebat, & quodammodò exinaniebat, cùm venerabilis senex, & Societatis Generalis Præpositus mulierculas à turpi quæstu abductas, per seipsum in domum alicuius honestæ fœminæ deducebat, aut in cænobium ad id muneris destinatum, ouans & exultans

A occultabat? Hoc opus in tali viro, & alia similia à sanctis, & viris perfectis non semel profecta, sapientes huius sæculi irridebunt, & prudentes mundi subsannabunt, & frigidi, ac tepidi stulta, & insipientia iudicabunt, quia numquam vim perfectæ charitatis experti sunt. Sed non est hoc mirum, quia sicut Christus crucifixus, Iudæis fuit scandalum, & (gentibus stultitia,) vocatis verò ad vitam, Dei virtus, & Dei sapientia;] *1. Cor. 1.* Ita membra Christi perfecta, ab his qui spiritum Christi non habent, insipientia & stulta iudicantur; ab iis tamen, qui è vicino Christum sequuntur, sapientiæ & sanctitatis plena existimantur. *1. Cor. 15.* Vidéntque manifestè, quia quod stultum est Dei, sapientius est hominibus; & quod infirmum est Dei, fortius est hominibus.] Quid miraB mur, si perfecti viri pro fratrum amore seipsos exhauriant, si patriam, & amicos, deserant, si mille incommoditatibus, si innumeris se laboribus subdant? Certè Paulum imitantur, qui pro fratribus periclitabatur omni hora, & pro eorum salute vsque ad mortem patiebatur. *1. Cor. 15.* Quotidie morior (inquit) propter vestram gloriam, fratres, quam habeo in Christo Iesu Domino nostro.] Certè (quod multò maius & fœlicius est) Christum sequuntur pro nobis vsque ad præsepe deiectum, vsqua ad signum peccatoris, & vsque ad flagella, & vsque ad mortem humiliatum.

Sed in hoc apparet admirabilis charitas Saluatoris erga nos, quod proprietates in ea primo aspectu contrarias; in vnam naturam perfectæ dilectionis coniunxit. Nam violentia dulcedinem nescit, suauitaC tem ignorat, & sæpissimè modum præterit, & sapientiam excludit. Amor Christi violentus hæc violentiæ aduersa (vt videtur) admisit, & simul cum illa mirabiliter copulauit. Dilexit nos ille dulciter, sapiēter, fortiter. Dilexit nos dulciter, quia vilissimum saccum carnis nostrę gestare nō erubuit; & inter nos factus magister, & medicus, & pædagogus toto vitæ mortalis suę tempore habitare non horruit. *Ioan. 1.* Verbum enim caro factum est, & habitauit in nobis.] Ipse magister noster est, qui ait: *Matt. 23.* Ne vocemini magistri, quia magister vester vnus est Christus.] Ipse medicus noster est. *Marc. 2.* Nam & alio loco de se dicit: Non necesse habent sani medico, sed qui malè habent: Non enim veni vocare iustos, sed peccatores.] Ipse pædagogus noster est. Hoc enim nomine vocat eū Clemēs AlexanD drinus, & grauissimè huius muneris à Christo obiti partes describit. *Clem. li. 1. Pædag. c. 2.* Inter alia autem, sic ait. Pædagogus autē noster, est Patri suo similis, cuius est filius, in quē nullum omninò cadit peccatum, estque nulli reprehensioni affinis, & animo inpatibilis: Deus in figura hominis, impatibilis, paternæ volūtati seruiēs, Deus Verbū, qui est in Patre, qui est à dextris Patris, & cū figura Deus est.] Quid autem eo amore dulcius, atq; suauius, qui Deum ipsum ad humanam naturā assumendam demisit, & ad hominem magisterium impulit, & ad munus medici, & pędagogi suscipiendum adegit? Dulcedo autem non decepit Dominum, non inescauit cor eius sanctissimum, quia si amauit nos dulciter, etiam sapienter dilexit. In hoc verò sapiētia huius amoris elucet, quod naturam nostrā assumens, E defectus eius tantę maiestati nō congruos, haud quaquam suscepit. Ideò peccatum cauit; qui peccatū non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius,] *1. Pet. 2.* & audet, & dicit; Quis ex vobis arguet me de peccato?] *Ioan. 8.* Peccati fomitē non habuit, quia Spiritus sancti virtute conceptus, & sine vlla carnis corruptione, aut immunditia generatus, inclinationē ad opera carnis habere nō potuit. Ignorantiā non admisit; qui est lumē datū ad reuelationē gētium:] *Luc. 2.* Nam populus, qui habitabat in tenebris, vidit lucem magnā, habitantibus in regione *Isa. 9.*

Apoc. 6. vmbræ mortis, lux orta est eis.] Diligit tandem fortiter, quia exiuit vincens, vt vinceret,] & peccata nostra dilueret, & mortem, ac infernum prostraret. De hac amoris Christi mirabili conditione, ita loquitur *Ber. ser. 20. in cãt.* Bernardus: Dilexit dulciter, sapienter, fortiter, Dulce nempe dixerim, quòd carnem induit: cautum, quòd culpam cauit: forte, quòd mortem sustinuit. Nã quos sanè in carne visitauit, carnaliter tamen nequaquam amauit, sed in prudentia spiritus. Spiritus quippe an- *Thren. 4.* te faciem nostram Christus Dominus,] æmulans nos Dei æmulatione, non hominis, & certè saniori, quàm primus Adã Euam suã. Itaq; quos in carne quæsiuit, dilexit in spiritu, & redemit in virtute. Plenũ prorsus omni suauitatis dulcedine, videre hominem hominis Conditorem. At dum naturam prudenter selegit à culpa, etiam potenter mortem protulit à natura. In carnis assumptione condescendit mihi, in culpę vitatione consuluit sibi, in mortis susceptione satisfecit Patri, amicus dulcis, consiliarius prudẽs, auditor fortis.] Sic à iustis ac perfectis viris fratres sunt diligendi. Diligunt dulciter, cùm fratrum induuntur affectibus. Quando cum tristibus plorant, cum lætis collætantur, cum miseris patiuntur, cum laborantibus fatigantur, cum paruulis paruuli, & cum maioribus maiores, & fortiores videntur. Hanc amoris dulcedinẽ *1. Cor. 11.* præferebat Paulus, dicẽs: Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis scandalizatur, & ego non vror?] Et rursus. Filioli mei, quos iterũ parturio, donec formetur Christus in vobis.] Vellem autẽ esse apud vos modò, & mutare vocem meam, quoniam confundor *Galat. 4.* in vobis.] Diligunt sapienter, cùm ita se vniuersis accommodant, vt tamen omnẽ culpam vitent, omnem quantùm possunt, imperfectionem abijciant. Nã sub prætextu charitatis Prælatorũ defectus, aut veros aut fictos audire, otiosis & ineptis verbis ora laxare, risui immoderato, & cachinnis insistere, & religiosam disciplinam abrumpere, magna insipientia est, quam vera charitas, virtutum mater sanctissima, & spiritualis vitæ perfectio damnat, & tamquã vitiorum multorum originem, & imperfectionum fontem condemnat. Diligunt tandem fortiter. Nam pro ædificatione eorum, quos amant, & pro bono exemplo in congregatione præstando, rebus etiam valde neces- *1. Cor. 8.* sariis carebunt, & multa incommoda sustinebũt. Memores erunt Pauli dicentis: Si esca scãdalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum scandalizem.] Qua sentẽtia docti, & animati, si opus fuerit penuriam, & indigentiam admittent, & laboribus non immoderatis se subdẽt, ne paruulis offensionem aliquam præbeant, & illi occasionem querimoniæ, aut detractionis accipiant.

Sapientia verò amoris Christi, vt eius maiorem adhuc rationem habeamus, in ordine maximè, & præcipuè resplendet. Nam ipse ordinatè dilexit nos. Omnes quidẽ, & Angelos & homines ipse diligit, & nullum quantumuis barbarum, & inimicum à bene- *Ioan. 15.* ficio suæ dilectionis excludit. Quapropter suam dilectionem commendans, ita loquitur: Maiorem charitatem nemo habet, quàm vt animã suam ponat quis pro amicis suis.] Nomine amicorũ omnes homines comprehendens, quos ipse, quòd ad se pertinet, amicos habet, & pro amicis reputat, & paratus est in amicos admittere, licèt ipsi erga illum sint infestissimi inimici. At licèt omnes diligat, & naturam à se creatam non abhorreat, tamen non æqualiter omnes diligit, neque in æquali gradu sibi vniuersos adiungit. Peccata quidem omnium hominum odio habet, & secundùm maiorem, aut minorem eorum malitiam, ac fœditatem, aut patientiùs, aut vehementiùs detestatur: peccatores verò, & iniquos, non quà pecca-

A tores, sed quà homines, diligit, & à peccatis abducere, ab iniquitatibus auocare, & à dæmonis captiuitate liberare contendit. Et quemadmodum magister discipuli ignorantiam odit, & naturam ignorantiæ subiectam diligit, quam à tenebris, & cæcitate liberare conatur: Ita Dominus odio habet prauos & *Luc. 19.* distortos mores facturæ suæ, at naturam ipsam prauis moribus ac iniquitate fœdatam, & diligit & ab omni iniquitate gestit eripere. Venit enim filius hominis, non homines perdere, sed quærere, & saluum facere quod perierat.] Iustos autem magis, aut minùs diligit, prout eorum maior aut minor sanctitas, ac iustitia requirit. Nam sicut prudens paterfamilias, omnes suæ domus, ac familiæ diligit: magis tamen eos,

B quos diligentissimos ac fidelissimos esse cognouit; & adhuc vehementiùs filios, quàm vernas, & inter filios eos maiori, ac dulciori amore prosequitur, quos sibi simillimos, & obsequentissimos respicit: ita Saluator noster Ecclesię spõsus, & omnium fidelium prouidus Pater, & Dominus, licèt omnes diligat, non tamen omnes æquali amore dignatur. Habet ille in domo sua seruos, & mercenarios; habet discipulos & filios; habet & animas, quæ sponsæ nomine dignæ *Ber. ser. 7. in cãt.* censeantur. Vnde Bernardus: Si seruus est, timet à facie Domini; si mercenarius sperat de manu Domini; si discipulus, aurem parat magistro; si filius, honorat patrem: Quæ verò osculum postulat, amat.] Seruos igitur vt seruos diligit, qui timore ad seruiendum in-

C citantur; mercenarios, magis, id est, vt mercenarios, amat, qui spe præmij ad obsequendum mouentur; discipulos teneriùs, nimirum vt discipulos, amore complectitur, quos ad parandas sapientiæ aures, & ad disciplinam sapientiæ percipiendam perfectionis desiderium allicit; filios vehementiùs, nempe vt filios, quos ad quærendam similitudinem Patris, concupiscentia puritatis instigat: sponsam autem adhuc impensiùs amat, quasi pupillam oculi sui, quam non vt vnam carnem, sed vt vnum spiritum per concordiam voluntatis sibi adhærere cognoscit. Ita & iusti deberent fratres deligere, vt ad perfectionem amoris ascendant. Diligant peccatores, non eorum peccatis consentiendo, sed eos ab omni labe, & ab omni *Doroth. doctr. 7.* iniquitate liberare nitendo. Quod qua ratione præstare debeant, Dorotheus hac optima similitudine

D declarat. Vulneratus quis pedem, vel manum vel quoduis aliud membrum, vt illud non abominatur, aut abscissum proijcit, etsi pus fœtidissimum emiserit, sed potiùs abluit, purgat, medicinam adhibet, obsignat, consolidat, benedicit, supplicat, adhibet preces, & orationes sanctorum, & quæcumque tandem facit, quæ ad valetudinem consequendam pertinẽt: ita & nos compatiamur fratribus nostris, & mutuò complexantes foueamus.] Sed multò magis diligendi sunt iusti, tamquam Christi amici, & commensales, horum autem illos maiori reuerentia prosequamur, & maiori amore complectamur, quos excellentior sanctitatis virtus amplificat, & purior vita commendat. Æquum est enim, vt quos Deus ipse sine vlla

E dubitatione magis amat, eius serui à Domini imitatione minimè recedẽtes, etiam magis diligant, & maiori amore, ac reuerentia dignos existiment; sed exteriora amoris, & beneficẽtiæ signa, non tã interior affectus, quàm exterior necessitas, & aliæ circũstantiæ, quæ à Theologis exquisitè tractantur, metiri debent.

Tandem dilexit nos Christus Verbum Patris sicut ipse à Patre dilectus est: Sicut dilexit me Pater (inquit) ita & ego dilexi vos. O hominis dignitas *Ioan. 15.* ineffabilis, ô creaturæ rationalis decus admirabile! Sicut Pater amat Filium vnigenitum, & sibi consubstantialem, ita à Filio, vilissima creatura

A amata est, ita vt audiat: Sicut dilexit me Pater, ita & ego diligo te.] Sed quomodo Pater hominem Christum dilexit? Certè ita amauit eum, vt nullis præcedentibus meritis eius humanam naturā Verbo copularit, & ad incomprehensibilia bona prælegerit, & dederit illi nomen, quod est super omne nomen, vt *Philip. 4.* in nomine Iesu, omne genu flectatur.] Amauit eū ita vt virtutibus & gratia super omnem gratiam exornarit, vt donis, & potentia super omnem potentiam cumularit, vt ad infinitam gloriam super omnem gloriam euexerit. Tandem dilexit eum, vt filiū naturalem, & ex se genitum, cui omnia creata, tā visibilia, quàm inuisibilia subiecit. Sic & Christus dilexit nos; nam sine vllis meritis nostris nos sibi per gratiam copulauit, vt ipse esset caput, nos autem membra; ipse vitis, B nos palmites; ipse radix, nos rami; & ad suę gloriæ cōsortium elegit. Ille sine meritis nostris gratiam animabus nostris donat, & ornamenta virtutum infundit. *Mar. vlt.* Dat quidem ipse nobis, vt calcemus super serpentes & scorpiones,] dū vitia nostra proterimus, vt dæmonia eiiciamus, dum eorum importabile iugum abiicimus; vt linguis nouis loquamur, dum veterē vitam peccatis deditā, in nouam, virtutibus feruētem commutamus; vt serpentes tollamus, dū vitiorū monstra à cordibus aliorū propellimus; vt manibus super ægros impositis salutem illis afferamus;] dum verbis & do- *Ioan. 14.* ctrina eius per nos prædicatæ pelago vitiorū emergunt, & in luce diuinæ gratiæ respirant. Demum, si fide viua credamus in eum, dat nobis, vt opera, quę ipse fecit, & nos faciamus,] & disposuit nobis, sicut dispo- C suit illi pater suus, regnum, vt edamus, & bibamus su- *Luc. 22.* per mēsam suā in regno suo.] Hæc igitur sit postrema sancti amoris regula, ac purissimæ dilectionis summa perfectio, vt fratres diligamus, sicut à Christo saluatore diligimur. Enitamur ad eum gradum charitatis prouehi, vt verè quisque possit suis fratribus dicere: Sicut dilexit me Christus, ita & ego dilexi vos. Vide, ô religiose, quemadmodum amatis à Christo, quanta mala tibi condonauit, quantas imperfectiones dissimulauit, quanta & quàm incomprehensibilia bona tibi præparauit: quàm misericorditer errantem quæsiuit, fugientem vocauit, insistentem adduxit, venientem suscepit, susceptum mundauit, mūdatum ditauit, ditatum illuminauit, illuminatum accendit, accensum in se transformauit, & ad incomparabilem dignitatem extulit. Ita & tu, si aliqua perfectionis desi- D deria sentis, si aliquos haustus puritatis accipis, si aliquem vitę cælestis desiderium experiris, dilige fratres tuos, vt Christum perfectionis exemplar non solis desideriis teneas, sed perfectionis operibus imiteris. Indue viscera misericordiæ, circunda tibi benignitatis spiritum, & tuam imbecillitatem aduertens, fac aliis, quod tibi lapso, aut tentato, aut tristitia affecto, fieri concupisceres. Fratrum iniurias tibi illatas, obliuiscere; contumelias dissimula, & non dico inimicitiam (domum enim religiosam profanat, qui in ea inimicitiam & discordiam nominat) sed animi auersiones depone. Corrige exemplis errantes, inuita beneficiis fugientes, anima lætitia vultus nutantes, venientes suscipe, verbis mone, exemplis allice, doctrina illumina, E & operibus beneficētiæ te omnium amicum declara, te in visceribus Christi omnes amare ostende. Hæc est perfectio fraternæ charitatis Christum imitari, Christū sequi, & proximos amare, sicut nosipsos, quod tūc omninò, & vt decet perfectissimè implemus, cùm diligimus ipsos, sicut Christus dilexit nos.

Duodecim documenta ad consequendam perfectionem charitatis erga Deum.

CAPVT XXXVIII.

OMnia, quæ deinceps in his libris dicemus, ad consequendam charitatem Dei, & proximi referenda sunt, & ad obtinēdum vitę Christianę finem, qui profectò (vt diximus) ab hac gemina charitate nequaquam secernitur, sunt penitus reuocāda. Sed ne tam longa, & prolixa tractatio legentium animos suspensos teneat, & expectatio molesta tædio dilationis afficiat, operæpretium duximus sub breui cōpendio aliquas regulas prælibare, quæ ad assequendam perfectionem in gemina charitate constitutam magnam legentibus vtilitatē afferant. Licèt enim perfectio, aut perfecta Dei, & proximi charitas, non humana solùm industria, sed diuina gratia conquiratur, quæ diffusa est in cordibus nostris, non per humanas vires, sed per *Rom. 5.* Spiritum sanctum, qui datus est nobis,] tamen corda otiosa, & torpentia non sustinet, nec humani cordis humilem conatum excludit. Quinimò isto conatu diuini auxilij viribus nixo, homo Dei gratiæ cooperatur; & eius efficaciæ non resistit, ad altiora, & supernaturalia dona recipienda se præparat. Subiiciam ergo nonnulla documenta atque efficacia subsidia obtinendæ perfectionis, & perueniēdi ad perfectam Dei, & proximi charitatem, quibus mens hominis idonea constituitur, vt eam à patre luminum, ac omnium factore Deo, liberaliter & dono datam accipiat. Ab his autem documentis, quæ ad perfectam charitatem erga Deum consequendam non parum conferunt, incipiamus.

Tu igitur, ô religiose, qui sæculum reliquisti, & omnia mundana conculcasti, vt tuæ animæ saluti consuleres, & vitæ spiritualis perfectionem obtineres, 1. primùm omnium insipientium opiniones, & tepidorum murmurationes contemne. Ne contemnas illos, sed eorum dicta, eorū sensus, & definitiones pro nihilo habe. Quoniā de similibus dixit Dominus: Cæ- *Matth.* ci sunt, & duces cæcorum,] & sicut ipsi in vita sua nihil perfectum, nihil sublime sapiunt; ita sæpè in fratrum suorum conuersatione, feruorem damnant, disciplinæ rigorem obnubilant, & quidquid limites ordinariæ vitæ, & terminos socordiæ, & tepiditatis excedit, singularitatem vocāt, & indiscretionis, atq; imprudentiæ condemnant. Tu ne sequaris doctrinā eorum, ne vitam ignauam, & vilem imiteris, neque illarum, quas fundunt, detractionum, vllā rationem habeas, sed regulā exquisitè custodis; quidquid ipsa præcipit, aut consulit, vt iacet, ad literam intellectum, non singularitatem, sed sanctitatem iudica; viros sanctos, atq; perfectos imitare, & vitæ ipsorum arctæ quidem, & puræ quoad poteris, tuam vitam accommoda. Si enim tepidorum, & imperfectorum, qui vbique sunt, detractiones timueris, irrisiones reputaueris, & eorum conuersationem sectatus fueris, numquam poteris, aut sanctorum vitam imitari, aut ad perfectionem peruenire. In hunc nāmque locum optimè illud Ioannis Cassiani quadrat: *Cassia. li. 7. de spiritu Phil. c. 18.* Quamobrem si Euangelico præcepto volumus obedire, & Apostoli, ac totius illius Ecclesiæ primitiuæ, seu Patrum, qui virtutibus, ac perfectioni eorum nostris temporibus successerunt, imitatores existere, nō nostris definitionibus acquiescamus, de hoc tepido, ac miserabili statu, perfectionem nobis Euangelicam pollicentes, sed illorum sectantes vestigia, circumuenire nosmetipsos minimè studeamus.] Aduersum itaque te obmurmurent imperfecti, tuæ diligentiæ in Dei obsequiū impensę detrahant; dicant, quod primùm in buccam venerit; affirment, quod sibi libuerit, te aut singularem, aut superbum, aut à dæmone illusum appellent; tu verò regulam tene, disciplinam quàm diligentissimè

A serua, Patrum scita custodi, & vanas opiniones patienter sustine, sciens, quoniam, si cæcus cæco ducatum præstet ambo in foueā cadunt.] Vade ad Dominum tuum, cùm has tepidorum, & imperfectorum querelas, & detractiones audieris, & dic ei cum sancto Dauide: Ego autem tamquam surdus non audiebam, & sicut mutus non aperiens os suum: Et factus sum, sicut homo non audiens, & non habens in ore suo redargutiones: Quoniam in te Domine speraui, tu exaudies me Domine Deus meus.] Ipse te liberabit à labiis iniquis & à lingua dolosa,] & opportuno tempore veritatem aperiet.

Matt. 15. *Psal. 37.* *Psal. 116.*

2\. Fuge, nō dico magna peccata (quis enim putet te in religiosa vita positū criminibus, & lethalibus peccatis sordere?) sed peccata leuia, & minimos quosq; defectus deuita, ne vmquā omninò scienter facias, aut dicas, quod imperfectionē esse cognoueris. Sicut enim B ars quælibet exercitatione actuū, & operum eiusdem artis addiscitur: ita perfectio, aut imperfectio mentis humanæ actibus bonis, atq; perfectis ex gratia profectis; aut actibus malis, & imperfectis ex solo libero arbitrio promanantibus comparatur. Quare si peccata non vitas & imperfectiones nō fugis, sed amas, sed consultò sectaris, sed inuerecundè defendis, non ad perfectionem ascendes, sed in barathrum tepidę vitę, atq; imperfectæ descēdes. Meritò igitur monet te Salomon. Aufer rubiginem de argēto, & egredietur vas purissimum. Vas nāmque purissimū nō est aliud, quā animus vitam perfectam ingressus, & duo puritatis ornatus; quem sanè habemus, cum omnem ab eo rubiginem peccatorum auferimus, & imperfectionum nostrarū immunditiam abstergimus. Dicat tibi Laurentius Iustinianus, quāta diligētia, perfectionis amator omne peccatū debeat euitare. Grauia delicta (inquit) nedum ei perpetrare non libet, verùm etiam le-C uia, & minuta, sine quibus mortalis vita non ducitur, solerter declinare conatur, agnoscens pro certò, quòd nemo criminibus prægrauatus, ad perfectionis valet euolare vestigia. Intelligit prætereà, quòd viri sancti venialia paruipendendo cōsummare peccata, paulatim prolabuntur in grauiora, & à virtutum tepescunt vsu, quotidiéq; procliuiores efficiūtur ad casum [Time frater omne peccatum, & nihil leue putes, quod diuinam maiestatē offendit, virtutem cōtristat, rationem oblatrantem contemnit, & mentem tuam ligat, & quasi compedibus vinctā tenet, ne ad destinatum supernæ vocationis brauium currat, ne ad finem, scilicet ad perfectionem peruenıat. Cinge teipsum timore peccati, & circumspectione te indue, ne aut falsa securitate deceptus, aut incuria dissolutus, aliquid, quod non putabas, aut Deo displicens, aut sanctissimis eius oculis minùs gratum incurras.

Prou. 25. *Iustin. lib. de gradibus perfect. c. 6.*

3\. Quotidie bis teipsum discute, & tuā cōscientiam examina; mala quæ in cogitatione, aut loquutione, aut opere inueneris, luge; bona circūspice, & quod in eis, aut ineptum, aut minùs feruidū fuerit, reprehēde. Dominus ipse huius assiduæ examinationis doctor est, atque magister, quā non post multas ætates, sed in totius orbis exordio, & ante hominis conditionē demonstrauit. Quid enim est illud in primis sex dierum operibus: Vidit Deus lucem, quod esset bona: & vidit Deus, quod hoc, aut illud esset bonum; & vidit cūcta quæ fecerat, & erant valde bona,] nisi hominē exemplo docere, vt ad sua opera redeat, & ea, an bona sint, an mala, intentissima cōsideratione respiciat? Neque enim Deus, qui vtique aut falli, aut decipi, aut errare non potuit, hac suorum operum inspectione indigebat, & tamen singula inspexit, & eorum bonitatem, & pulchritudinem inquisiuit, vt hominē ad suarū actionum, cogitationum, & operum examinationem impelleret, & tamquā benignus Pater, & prouidus Dominus imbecillitati humanæ naturæ, ante eius exitū, medicinam præpararet. Hanc autem artem discutiendi seipsum, à Domino esse hoc loco per mysteriū delineatam, Hugo de sancto Victore clarissimis verbis affirmat, quæ hæc ferè sunt. Non negligenter transeundum est, quod dicitur: Vidit Deus lucem, quòd esset bona; & diuisit lucem à tenebris.] Fecit, & vidit, deinde diuisit, & vocauit. Quare vidit? Noluit prius diuidere, quàm vidisset: priùs vidit, si essent bona, & tunc demùm diuisit lucem à tenebris. Adducet enim omne opus suum in iudicium. Non solùm opera alia, quæ in luce fecit, vidit Deus, quòd essent bona, sed ipsam quoque lucē vidit Deus, quod esset bona, & diuisit lucē à tenebris.] Nam ipse Angelus malus transfigurat se aliquando in Angelum lucis, & ingerit se ad decipiendam mentem, quasi lux vera.] Et infrà, ostendens quomodo etiam ipsa bona debeamus expendere, hæc subiicit: Parum est ad perfectum, inter lucem & lucem diuidere, hoc est, virtutes à vitiis sequestrare, nisi sciamus inter diem & diem iudicare, & sciamus omnem diem iudicare; vt sapiamus, qui sunt illi motus, qui sub virtutū specie, quasi luce aliena ad nos veniunt, & qui rursus illi sunt, qui veram virtutis claritatem prætendunt, & in ipsis quoque virtutibus, non solùm quæ bona sint, sed quæ sint etiam potiora probemus.] Disce igitur à magistro iustitiæ, tuorum actuum semper iustitiam facere; quoniā beati qui custodiūt iudicium & faciūt iustitiam in omni tempore.] Tua bona promoue, tua mala seuerè ac rigidè reprehende, & sine mulcta, & debita satisfactione abire nō fine. Nā hac ratione tuos defectus agnosces, cognitos deplorabis, deploratos dilues, & diuinā misericordiam obtinebis. Sic etiā à bonis operibus innumeras imperfectiones amouebis, ea in dies perficies, quousque perfecta opera facias, & eorū ministerio tāquam dispositione quadam in fastigiū perfectionis ascēdas.

Genes. 1. *Hugo.* *Psal. 105.*

4\. Mortificationē sensuum tam exteriorum quàm interiorum, & corporis discretam afflictionem assume, nec non & passionum tuarū cohibitionem diligētissima cura sectare. Huius sanè documēti Dominus ipse doctor est atq; præceptor, qui in Deuteronomio, ad Dei dilectionē, id est, perfectionē obtinendam cordis circūcisionem sua lege sanciuit. Circumcidet (inquit) Dominus Deus tuus cor tuū, & cor seminis tui, vt diligas Dominū Deum tuū in toto corde tuo, & in tota anima tua.] Hanc verò cordis circumcisionē, ita præstabis, si quæ videre cupis, dū sunt inutilia nō videas; D quę audire velles, si vana & curiosa, nō audias, quę olfactui suauia, aut gustui dulcia, aut tactui mollia, percipere cōcupiscis, si necessaria non sunt, nequaquā percipias, sed ab eis te constāter abstineas. Similiter imaginationem cohibe, ne per vana discurrat; affectibus amoris, odij, desiderij, auersionis, dilectionis, atq; tristitiæ, nec non audaciæ, & timoris, spei, & desperationis, iræ, ac indignationis acriter impera; non solùm ne te in peccata grauia præcipitēt, verùm etiam ne domū cordis, in qua habitat Deus clamoribus importunis perturbent, aut mētis tranquillitatē impediant. Mens etenim tua, si diuinā gratiā est adepta, & ad perfectionē aspirat, spiritualis est Ierosolyma, quā Christus nō omninò depellat, & in suā trāsfert potestatē, quousq; sensus mortificētur, & affectus ad pacem, & ad debitum ordinē redigantur. Audi quid dictū fuit Dauidi, E cùm Ierosolymā expugnaturus & possessurus aduenerat: Non ingredieris huc, nisi abstuleris cæcos & claudos dicēres; Non ingredietur Dauid huc.] Quisnam est iste Dauid, qui vrbē Iebusæorū expugnauit, nisi Saluator noster Iesus Christus, qui humanā mentem à Iebusæis (qui interpretantur conculcati) id est, à

Deut. 30. *2. Reg. 5.*

Dæmonibus ac peccatis liberauit, & in suum dominium transferre dispoſuit? Et qui ſunt isti cæci, & claudi, qui Christo aditum claudunt, & eius in mentem pacatum ingreſſum impediunt, niſi ſenſus & affectus inordinati, quorum illos vana curioſitas cæcat, iſtos verò ne bene gradiantur, deſiderium cōmoditatis eneruat? Iſti ergo cæci & claudi tollendi ſunt, id eſt, per ſtudium mortificationis cohibendi, & ad medium virtutis reuocandi, vt Chriſtus mentē ſuum habitaculum faciat, & nō ex parte tantùm, ſed omninò, atque perfectè poſſideat. Cohibe igitur ſenſus, & affectus tuos, mortifica illos, vt habitaculum Dei efficiaris, vt perfectionē & puritatem hoc habitaculum erigētem, & exornantem acquiras. Nec putes te perfectam virtutē aſſequi poſſe, niſi ianuas ſenſuū claudas, per quas nō ſolùm imperfectiones multæ, ſed ipſa etiam animæ mors interdū ingreditur; & beſtias paſſionum domes, quarum morſibus & vnguibus miſerabiliter dilaceratur. Ille diuinus eſt Philoſophus (inquit beatus Ephræm, id eſt, vir ſanctus, atq; perfectus, qui omni tēpore prauis ſuis cōcupiſcētiis reſiſtit. Nā qui in ſolo nomine ſapientiæ ſibi blanditur, & gloriatur, propriaſq; ſibi concupiſcentias nō ſubijcit, inſipiens hic prorſus, ac ſtultus reputabitur, quod de tā modicis paſſionibus ipſe inquietari, ac torqueri velit.] Quomodò itaq; perfectus eris, quo pacto nō inſipiens reputaberis, ſi perfectionē cupiens, perfectionis hoſtes non vincis, & ſanctitatis impedimenta non excludis?

Ephræm ſermone ... ad monachos exort. (margin)

5\. Nimium autem amorem erga aliquam rem creatam ſtrenuè deuita, & tot tuū à deſiderio rerum viſibilium purum illibatumque cuſtodi. Si enim aliquid concupiueris, quod vel ad tuum honorem, vel ad tuam commoditatem pertineat, illud quidquid ſit, cogitationem vinciet, affectūmq; ligabit, ne ad Chriſti imitationem, & Dei vnionem perniciter conuoles. Si autem, qui omninò ſe à rebus creatis expediūt, & ſummis conatibus volant, vix ad ſanctitatem perueniunt, quomodo tu miſer eam aſſequeris, tot amoribus detentus, tot deſideriis vinctus, tot curis, & diſtentionibus oneratus? Arcta eſt via, quæ ducit ad vitam,] impeditus eſt aſcenſus in regnum cælorum, difficilis eſt curſus, quo non ad quamcumque virtutem, non ad quamlibet gloriam, ſed ad perfectā virtutem, & ad gloriam illi correſpōdentem properamus. Neceſſe eſt ergo curas rerum mundanarum ſeponere, amorem viſibilium relinquere, deſideria commoditatum periturarum deſerere, & in hanc curam veræ ſanctitatis, in hunc amorem, & in hoc deſiderium ſolùm incumbere. Regnum cælorum (vt ait Caſſianus) non deſides, non remiſſi, non delicati, non teneri, ſed violenti deripiunt. Qui ergo hi violenti ſunt? Nempe illi, qui non aliis, ſed voluntatibus ſuis præclaram inferunt violentiam, qui direptione laudabili omni ſe præſentium rerum voluptate fraudantes, voce dominica egregij direptores pronunciantur, & per huiuſcemodi rapinam regnum cælorum violenter inuadunt. Regnum enim cælorum, ſecundùm ſententiam Domini, vim patitur, & violēti diripiunt illud.] Iſti profectò ſunt laudabiles violenti, qui vim faciunt perditioni ſuæ. Homo enim (vt ſcriptum eſt) in laboribus laborat ſibi & vim facit perditioni ſuæ.] Perditio noſtra eſt oblectatio vitæ præſentis, & (vt expreſſiùs dicam) executio deſideriorū, voluptatúmq; noſtrarū, quas ſi quis ab anima ſua ſubtraxerit, & mortificauerit, glorioſam profectò & vtilē perditioni ſuæ vim facit, abnegās dūtaxat ei iucundiſſimas voluntates, quas per prophetam ſermo diuinus frequēter incuſat, &c.] Eia ergo frater, inanes curas depone, honores abiice, Prælationes contemne, tuorū commodorum, ſiue quæ ad cibum, ſiue quæ ad indumētum,

Matt. 7. *Caſſian. coll. 24. c. vlt.* *Matt. 11.* *Prou. 16.* (margin)

ſiue quæ ad habitationem, ſiue quæ ad miniſterium, nimiam ſollicitudinem linque, & ipſi rerum cognitioni, & ſtudio literarū modum adhibe, & omnia diuinę prouidentiæ committe: Vnus autem ſolus amor in te regnet, vnum deſiderium imperet, vna cura dominetur, adhærere Deo, eius voluntatem etiam in minimis exequi, & quicquid ad mentis puritatem adipiſcendam neceſſarium eſt, exquiſitè cuſtodire.

Humilitatem, & obedientiā ſemper tuarū actionū fideliſſimas comites adhibe; nec exiſtimes aliquod opus, quantumuis magnū, tibi ad perfectionē aſſequēdā eſſe proficuū, quod nō humilitas ſancta condiuerit, & prōptiſſima obedientia dictauerit. Harū quippe duarum virtutū, humilitatis, & obediētiæ, illa nos roborat, iſta nos animat; illa prouidos, iſta conſtantes efficit; illa peruentionem ad operis finē; iſta præmiū, & mercedē operis exigit. Humilitas, inquam, nos roborat; quoniā robur gratiæ à Domino impetrat; qui ſicut ſuperbis reſiſtit, ita humilibus dat gratiam,] & obedientia nos animet; quoniam illi promiſſa eſt in cæpto prælio victoria, cùm ſcriptum ſit: Vir obediens loquetur victorias.] Humilitas prouida eſt, quia ea, quæ ad finem aſſequendū neceſſaria ſunt, prudenter ſollicitéq; diſponit, eùm nequaquam ſibiipſi cōfidat: & obedientia conſtans, quia & voluntatem Dei ſequitur, quæ immobilis eſt, cùm ipſe Dominus dicat per Malachiam: Ego Dominus & non mutor:] & non propria voluntate omni vento leuiore raptatur. Humilitas aſſequitur finem, iuxta illud quod ait Salomō: Antequam conteratur, exaltatur cor hominis; & antequam glorificetur, humiliatur,] & obedientia mercedem perſeueranti debitam poſcit, quæ nō propriæ voluntati, ſed prudenti ſubiectioni conceditur. Humilitas, & obedientia (vt ſimilitudine Dorothei vtar) ſunt veluti duo agiles equi, vitæ noſtræ currum trahentes, & in cæleſtes manſiones ſine vllo labore portantes. Nam ſicut currus vno equo non ſatis cōmodè trahitur, ſed duobus commodiſſimè vehitur; ita vehiculum ſpiritualis conuerſationis duobus virtutibus humilitate, & obedientia ſine vlla difficultate portatur. Eſto ergo ſemper humilis, ita vt teipſum ex corde contemnas, & tibiipſi omninò diffidas: eſto & obediens, ita vt ductum Prælati ſequaris, & tuam non expleas voluntatem, & tutiſſima via, ac celeri greſſu ad perfectionem feſtinabis. 6.

Iacob. 4. *Prou. 21.* *Malac. 3.* *Prou. 18.* *Doroth. doctr. 1.* (margin)

Ne ſis in tuis operibus, aut exercitiis ſingularis, ſed ea efficaciora tibi, ad capeſcendam perfectionem iudica, quæ communis vſus cōgregationis approbat, & Patrum inſtituta præſcribunt. Hæc enim exercitia ſtrenuè, & ſollicitè præſtita Patres tuos, & tuæ religionis fundatores ſanctos fecerunt, & ad perfectionem prouexerunt; te igitur etiam ad candē aſſequendam iuuabunt. Neque enim temporis mutatione, hæc ſanctitatis inſtrumēta mutata ſunt, nec ſicut antiqua medicamina, ſuam efficaciam amiſerunt, ſed hodie etiam efficaciſſima ſunt morbis animæ noſtræ pellendis, & veræ mentis puritati prærogandæ. Et quidem Caſſianus in rebus monaſticis præceptor ſatis expertus, illum feruentiorem iudicat, qui ad communes occupationes promptior fuerit, & ſe regulari modo viuendi magis accommodauerit. His (inquit) veſtimentis Chriſti miles indutus, nouerit priùs ſe ob id cinguli conſtrictione munitum, vt ad cunctos vſus, & opera monaſterij, non ſolùm mente promptus, ſed etiam ipſo habitu ſemper expeditus incedat. Tantò námque feruentior circa ſpiritualem profectum, ac diuinarum rerum ſcientiam, & cordis puritatem probabitur, quantò fuerit erga obedientiæ ſtudium, operiſque deuotior.] Quo ſanè documento quorumdam ſeruorum Dei ingens 7.

Caſſian. libr. 1. de inſt. c. 11. (margin)

guinem, sed vt imaginem Dei, ab eo impensè amatam atque dilectam: Fecit quippe Deus hominem ad imaginem, & similitudinem suam,] dum illum intellectu, & libero arbitrio insigniuit, & donis ac virtutibus cohonestauit. Hanc imaginem Deus ipse valde charam habet, & sic dilexit eam, vt pro illa reformanda filium suum vnigenitum daret; vt scilicet omnis qui credit in illum, non pereat, sed habeat vitam æternam.] Pro eius corporali obsequio, & spirituali auxilio, vniuersum orbem tam decorum creauit, & Angelos ipsos creaturas nobilissimas hominis vtilitati subiecit: Nam omnes sunt administratorij spiritus propter eos qui hereditatem capiunt salutis.] Hanc eandem imaginem Christus filius Dei tam impensè amat; vt pro ea vitā propriam dederit, & pretiosum sanguinem fuderit. Nam dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo.] Vide igitur an æquum sit hanc Dei tui imaginem vilipendere, quæ in templo cælorum suo tempore collocabitur, & ab Angelis & sanctis honorabitur, & suspicietur. Vide, an cum ratione conueniat, eum odio habere, quem Deus infinitè amat, eum auersari, quem Christus amore complectitur. Noli, ô homo (inquit Laurētius Iustinianus) tātum vilipendere amorem, tuumq́; contemnere fratrem. Propterea Dominus Iesus dominationi mortis se tradidit, vt ipsum à iugo diabolicæ dominationis erueret: suscepit mortis seruitutem vt illi tribueret vitæ æternæ libertatem. Non ergo despiciendus est, quem tam charum Dominus habuit.] Non solùm autem fratrem, sed etiam & teipsum Dei imaginem esse cognosce: Et videbis oportere (auctore Bernardo) id quod ad imaginē est, cum imagine conuenire, & non in vacuum nomen imaginis participare, & repræsentare in seipso imaginem Dei, in appetitu pacis, in intuitu veritatis, & in amore charitatis.

Genes.1. Ioann.3. Hebr.1. Apocal.1. Lau. Iust. in ligno vitæ de charitate, c.15. Bern. lib. meditat. cap.1.

2. Assuefac animum tuum cogitare fratrem, non vt extraneum, sed vt fratrem, vt personam scilicet tibi coniunctissimā, cuius prosperitas, vel aduersitas non est aliena, sed ad te valde spectat. Nā si quisque naturaliter diligit fratrem carnalem, ab eodem secum patre, & ab eadē matre in fæcibus peccatorum progenitū; cur tu non diliges supernaturaliter fratrē spiritualem, ab eadem matre sancta Ecclesia, & sancta religione, & ab eodem Patre Christo, tecum in sanctitatis splendoribus generatum? Si amorem excitat, habere vnum communem patrem, qui vilissimam, nec nominandam materiam ad nostri corporis coagmentationem administrauit; cur non amorē excitabit, habere eundem communem patrē, qui nos secundùm corpus, & animam fecit, à quo omnis paternitas in cœlo, & in terra nominatur: Huic carnales parentes comparati, censebuntur plusquàm extranei. Vnde ait Dominus: Et patrem nolite vobis vocare super terram, vnus est enim Pater vester, qui in cœlis est. Non itaque vera fraternitas cēseatur, qua ex vtero matris ad miserias, ad peccata, & ad mortē sumus exorti; sed illa, qua ex Ecclesiæ, & religionis gremio, ad lætitiam, ad merita, & ad vitam sumus progeniti. Hæc enim est fraternitas vera atque indirupta, quæ nec carne gignitur, nec morte dissoluitur, sed gemina amicorum perfectione (vt ait Cassianus) ac virtute concrescit; cuius semel initum fœdus, nec desideriorum varietas, nec contentiosa dirumpet contrarietas voluntatum.]

Matt. 23. Cassian. col. 16. c. 3.

3. Non aspicias fratrem, quantumuis molestum & auersum tibi, tamquam malum aliquod, aut iniuriā tibi afferentem, sed tamquam magna bona, & eximiā gloriam adducentem. Si enim te amat, te laudat, tuā commoditatem, & lætitiam, & honorem quærit, te adiuuat, & in omnibus obsequitur; iam bonū vides, iam fructū capis, iā vtilitatem experiris. Sin autem te odit, atque vituperat, & in omnibus cōtradicit, ne habeas oculos equorum, siue muscarum, qui sola externa, & visibilia conspiciunt, sed oculos Angelorum aut salutem hominum (homo enim es tu, & non brutum animal) qui sub molestia visibili, sub corporali aduersitate, cumulum meritorum à fratre illo auerso allatorum considerent. Hoc documentum à Magno Basilio accepimus. Interrogatus enim, qua ratione aliquis charitatem aduersus proximū poterit obtinere, ita inter alia respondit. Si cum animo suo hoc modo cogitare instituerit, quod videlicet, si frater ille bene de nobis meritus est, etiam humano more illi charitatem debemus: quam etiam gentiles seruāt, vt in Euangelio Dominus declarat, cùm dicit: Etsi diligitis eos, qui vos diligunt, quæ vobis est gratia? Nam & peccatores diligentes se diligunt.] Sin contra malè meritus, & sic nihilominus, nō solùm propter mandatum, sed etiam vt maiorem in modum de nobis bene meritum debemus diligere, si modò credimus Domini vera esse verba illa: Beati estis cū maledixerint vobis homines, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum verbum aduersùm vos, mentientes propter me: Gaudete, & exultate, quoniā merces vestra copiosa est in cælis.]

Basil. in reg. breu. interrog. 163. Luca 6. Matt.5.

Quotiescumque aduersùs fratrem maleuolentiā, aut animi auersionem in animo tuo senseris, ne sinas zizania callidi hostis arte seminata crescere, ne permittas vulnus illatum ab inimico callum obducere, sed statim medelam afferre cura. Hæc autē ita adhibetur, si pro fratre tibi molesto preces, orationésque iugiter Deo offeras. Vnde ait Dorotheus: Debes ita concertare, vt etiam cicatricem omnem facias euanescere, atque ita locum vulneris expolire, vt nulla ibi deformitas relinquatur, nec aliquando reminiscaris, vulnus (intellige maleuolentiæ, aut iræ) illūc extitisse. Quod si quæras, quo pacto id facias, scito per orationē hoc maximè fieri, cùm videlicet toto corde pro fratre supplicas, & dicis: Domine auxiliare mihi, & fratri meo per mutuas preces. Et sic supplicans pro fratre, augmentum præstas charitatis, compassionis, & humilitatis, dū scilicet fraternis precibus tibi quoque imploras auxilium.] Medicinam itaque adhibes, si sagittā offensionis tuo corde infixā, à diuina potentia extrahi enixè postules: Item si, aut oblata vltrò occasione, aut à te quæsita fratrem illū laudes, eiúsque dicta, & facta tibi placere ostendas; si oculos lætos, vultum amabilem, frontē serenam, & tranquillam illi offeras; si eius conuictum non detrectes, nec cōuersationem diffugias, sed (cùm silentij iura inuiolabilia non obstant) vel illum benignè accersas si qualitas personæ id ferat, vel dissimulanter adeas, vt cum illo de iis, quæ incidunt, colloquaris. Hæc sunt vnguenta, pretiosa quidē illa, & salutaria, quæ auersionis plagam recenter inflictam salubriter leniunt, & ex plaga conceptum dolorem mitigant. Hac ratione paruulus efficieris, & illam comminationem euades Domini Saluatoris: Amen dico vobis, nisi conuersi fueritis & efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum cælorum.] Nam paruulus effectus es, si iniurias dissimulas, si ingratitudinē sustines, si tamquā nihil mali perpessus fratrem ad antiquum colloquiū, & ad pristina officia charitatis admittis. Paruulus inquam effectus es, non sensibus, sed malitia; infans factus es, nō imbecillitate, sed sinceritate: Hanc autem infantiam Christus amat, quam primùm (vt ait Leo Papa) & animo suscepit & corpore: Amat Christus infantiam humilitatis magistram, innocentiæ regulā, mansuetudinis formam. Amat Christus infantiam,

4. Doroth. Matt.18. Leo Papa serm. 1. Epiph.

quæ

quæ maiorum dirigit mores, ad quam senum reducit ætates, & eos ad suum inclinat exemplum, quos ad regnum sublimat æternum.] Et paulo infrà. Non ergo ad lubrica infantiæ, & imperfectæ nobis primordia redeundum est, sed aliquid, quod etiam graues annos deceat, inde sumendum est, velox commotionum transitus, citus ad pacem recursus. Nulla sit memoria offensionis, nulla cupiditas dignitatis. Amor sociæ dilectionis; æqualitas naturalis. Magnum enim bonum est nocere non nosse, & ad maligna nō sapere; quia inferre, ac referre iniuriã, mūdi huius prudētia est; nemini autē malum pro malo reddere Christianæ est æquanimitatis infantia.] Hanc nos infantiam amplectamur, qua super senes intelligimus: hāc pusillanimitatem sectemur, qua sine dubio erimus magnis, & robustis hominibus fortiores.

5\. Ne cum aliquo, quantæcumque virtutis & sanctitatis fratre, nimiam familiaritatem habeas, & immoderatam amicitiam cōtrahas; hæc enim, quæ videtur esse charitas, non est re vera nisi tinea charitatis, exitium pacis, & pernicies totius virtutis; ac perfectionis. Si quem enim immoderatè diligis, eique imprudenter, & cum aliorū fratrū offensione adhęres, illum certè non propter Deum, sed propter vilissimam aliquam earum, quas supra recensuimus causarū, amare cōuinceris; & ita non veram charitatem, sed amoris passionem inordinatam, eamq; profanã, & ab statu religionis alienã habes. Ex hac autem radice, qui rami germinent, attentus audi. Primùm quidem illius, quem amamus iugis memoria, & assidua recordatio: magna autem obliuio Dei, quem cùm non cogitamus, & oculis mentis inspicimus, non homines, sed bestiæ sumus. Deinde anxia cura, ne quid illi mali corporalis accidat, ne morbum, aut tristitiam, aut dedecus incurrat, etiamsi spiritum obedientiæ, profectū mortificationis, & bonum perfectionis amittat. Rursus inutilia colloquia, consumptio temporis, non ad scurrilitates, non ad vanitates, nō ad detractiones, sed ad fletum, ad orationē, ad bona opera nobis concessi. Præterea scandalum aliorum fratrum, qui affectum tam immoderatum, & à vita religiosa alienum in fratre mirum in modum detestantur. Postremò aliæ dęmonis tendiculæ, aliæ cogitationes fortè minùs pudicæ, alia desideria minùs casta, de quibus, nec dilectionis sanctitas, quam scribimus, nec religiosus pudor patitur, vt magis clarè dicamus. Quę autē hęc sint ex verbis B. Thomæ magni quidem Ecclesiæ luminis possumus non obscurè colligere. O quantorum capita (inquit) insensibiliter facta sunt, & in quamdã periculosam insaniã inciderunt, quia sine sale discretionis etiam bonos homines dilexerunt; qui spiritu cæperunt, & carne consummauerūt.] Fuge ergo huiusmodi pestem; declina à tam periculoso laqueo, abijce tam perniciosum amorem, qui mille suspiciones generat, offensiones aliorum nutrit, & omninò veræ charitati contradicit. Hæc enim, quæ suapte natura omnes diligit, vniuersos amicos, & inimicos amore cōplectitur, quomodo vno amico satiata omnes alios aspernabitur, atque excludet? Quæ piis omnium colloquiis gaudet, quo pacto non aliorum, sed istius tantùm ineptis colloquiis delectatur? sanè hæc cui desunt propria charitatis, nō est vera charitas, sed inanis, & perniciosus amor. Omnes itaque generali quodam amore complectere, omnes æqualiter iuua, ad colloquium admitte, eadem signa familiaritatis ostende; & si quem nimis amare decernis, iste non sit alius, quàm Christus sponsus tuus, in cuius amore quantumcumque crescas numquam tamen supra debitum amabis, immò neque amandi obligationi satisfacies. Sed ne fortè celē immoderati amoris periculа, & tamquã seruus piger, & desidiosus, damner, qui talentum cognitionis apud me depositum negligenter abscondi; Laurentij Iustiniani de hac diaboli illusione sententiam, in fine huius remedij subijcio. O quot (inquit) sub specie charitatis seducuntur, & seducunt! O quanti simulata pereunt dilectione! Heu quàm multi in principio purè & sine deceptione cōuersantes ex nimia familiaritate paulatim infecti in immane præcipitium dilapsi sunt, eo miserabiliùs, quò fœdiùs! Sub veræ charitatis námque prætextu in tales subintrat amor sensualitatis; aliter enim nequaquam decipi possent. Hic amor cùm in corde imprudentis exortus, radices mittere, ac pullulare cæperit, corporalem quærit dilecti præsentiam, cum eodem cohabitare, cum eodem loqui desiderat. Sicut autem ex ipsius gaudet aspectu, ita absentia contristatur; solus vult cum eo, quem sensualiter diligit, loqui, solus cum eo conuersari, quia in illius mente habitare iam cæpit. Liuore quippe inuidiæ accenditur, si quempiam ab eodem diligi, & cum eodem conuersari perspexerit; absentiam etiam ipsius, magnam sibi delectationis iacturã existimat. Sicut enim amat singulariter, ita & amari vult, atque cæco seductus errore, ignorat se vesano amore percussum. Passione námque victus, ducitur inuitus; & à tyranno superatus ad opera carnis, quadam (vt sic dicam) necessitate abstractus, & illectus, ac intentione quadam latenter palliata, & polita seductus, vt suum valeat assequi appetitum Patrum ordinationes frangit, monasterij instituiones non obseruat, silentia paruipendit, orationem postponit, cellulæ secretam quietem negligit, & intus nihilominus stimulante & vrente conscientia, velut amens post suam totus trahitur concupiscentiam. De verbis, de actibus mutuis de cogitationibus obscœnis tacendum est, quæ sub colore charitatis omnia ex inordinata paulatim familiaritate generantur. De talibus dicit Apostolus: Videte, ne cùm spiritu cæperitis, carne consummemini.] Si autem adeò detestabilis est cum fratre aliquo nimia familiaritas; cum fœmina, quam erit fugienda, & detestanda? Certè qui in hoc circumspectionem non habent, valdè insani sunt, & superbi, qui nec aliorum miserabiles casus considerant, neque periculo propriæ perditionis terrentur; & ibi securi incedunt, vbi Dauid, vir secundùm cor Dei cecidit; & Salomon omnium sapientissimus lapsus est. Habe te igitur cum omni fœmina (inquit sanctus Bonauentura) ac si maritus eius, vel Prælatus inter vos sederet, considerans, vel audiens omnia, quæ facitis, vel dicitis.] Hoc itaque documentum firmissimè custodi, vt amorem erga fœminas, quantumuis sub prætextu sanctitatis exoriatur, omninò respuas, & cum illis nihil amplius loquaris, quàm sacramentalis confessio, & status suarum animarum requirit. Erga homines verò non immoderatè afficiaris, sed omnes communi quodam amore diligas; sic enim & internam pacem, & animi tranquillitatem conseruabis.

6\. Si immoderato fratris amore sauciatum te senseris, ne de eius donis naturalibus, aut supernaturalibus credas magis tuæ cæcitati, quàm aliorum veritati. Tu enim passionis amore excæcatus es; alij autē ab hac passione liberi vident in eo, quem impensè amas, defectus virtutis, & humilitatis, quos non vides: Crede ergo magis aliis videntibus, quàm tibi crederes non videnti. Secundùm autem aliorum consilium, iudica rebus illius fratris, quem diligis; ex eorum præscripto illum lauda; ex eorum sententia illi occupationem, aut munus præscribe; ne extollas illum, vt sibi ruinam paret, aliis verò risui, & ludibrio habea-

tur. Si

Marginal notes: D. Thom. opusc. 6. de dilectione proximi. c. 1. — Lau. Iust. lib. de disc. & perfect. monast. ca. 22. — Galat. 3. — Bonauen. in informatione nouitiorũ p. 1. c. 39.

fectum, aut scrupulosum inuenitur. Qui ita proximum diligit dilectione spirituali, dilectione pura, & illibata, illud profectò consequitur, vt in charitate fraterna perfectus sit, vt diligat fratrẽ sicut seipsum, & imitetur illum, qui dixit: Diligite inuicem, sicut ego dilexi vos.]

De eodem exemplo Christi, quo hanc perfectionem docuit.

CAP. XXXVI.

CONSIDERATIO amoris Christi Saluatoris erga nos, vtilis admodum est, nec potest, licèt summatim, & cursim pertractata, aut paucis verbis exprimi, aut breui, & cõciso sermone declarari. Quare Paulus flectit genua sua ad Patrem Domini nostri Iesu Christi, ex quo omnis paternitas in cælis, & in terra nominatur, vt det nobis scire supereminentem scientiæ charitatem Christi.] Quæ ita supereminet scientiæ nostræ, ac omni humanæ, atque Angelicæ cognitioni, vt eam omnino comprehendere sit impossibile; cum gratia verò Dei apprehendere, & aliquatenus cognoscere vtilissimum & præstantissimum videatur. Quis enim potest colligere (vt Ambrosij verba subiiciamus) mysterij huius charitatis rationem, vt & Deus hominis causa homo nasceretur, deinde moreretur pro hominibus, pro seruis Dominus, pro creatura Creator, pro impiis pius? Propter quid ita dilexit nos? Aut, vt quid nostrum haberet, qui nullius indiget? Numquid non charitas hæc super scientiam hominum est?] Si hæc ita sunt, non timeamus hoc immensum amoris pelagus ampliùs ingredi, certi quòd considerationis nostræ nauicula numquam præ defectu aquæ, Syrtibus, aut scopulis illidetur; sed potiùs tamquam in amplissimo & profundissimo mari, cuius nec inuenitur initium, nec finis, huc illuc, aura fidei & humilitatis impulsa, secura iactabitur.

Ephes. 3. *Amb. ibi.*

Inquiramus ergo adhuc, quomodo Christus dilexit nos, vt & nos, qui charitatis perfectionem quærimus, ex eo amicos, & inimicos amare discamus. Dilexit nos ipse, qui sponsus animarum sanctarum est, sponte, & gratuitò. Neque enim merita nostra, aut obsequia nostra præuenerunt eum, vt nos amaret, sed ante omne meritum, ante omne obsequium nos ipse dilexit. Quare Paulus: Quis prior dedit illi, & retribuetur ei?] Clamemus in auribus omnium creaturarum; efferamus vocem in auribus omnium hominum, & Angelorum, & Christi præcones effecti, dicamus; Quis prior dedit illi? Exeat in publicum, loquatur, conqueratur, petat debitum suum, vt à Domino retribuatur ei. Et manifestum erit, quia nullus assurget, nullus exibit, nullus os suum ad aliquid postulandum aperiet: nemo quippe tã cęcus, aut ignorans est, qui non audiuerit nos non elegisse eum, sed potiùs ipsum elegisse nos, vt eamus & fructum afferamus, & fructus noster maneat. Amor Domini non inuenit, quod amaret in nobis, sed ipse misericorditer fecit, quod in nobis amaret; & diligendo, nos suo amore dignos effecit. Non inuenit quidem, quod in nobis amaret, imò multa reperit, quæ in nobis detestaretur, abominaretur, & odiret. Omnes originali peccato (vna Virgine excepta, quam ab omni labe seruasse excellentius beneficium fuit,) sordidos inuenit: Omnes enim peccauerunt, & egent gloria Dei,] & conclusit Deus omnia in incredulitate, vt omnium misereatur. Vniuersos etiam multis

Rom. 11. *Ioan. 15.* *Rom. 3.* *Rom. 11.*

A flagitiis aut peccatis propria voluntate commissis infectos reperit. Homines inimicos, hostes, & persequutores deprehendit, qui in propria venientem non receperunt. At nos non contempsit, non odio habuit, sed vsque ad acerbissimam mortem dilexit. Et ideo commendat charitatem suam Deus in nobis, quoniam cùm adhuc peccatores essemus, secundùm tẽpus Christus pro nobis mortuus est.] Inimicos inuenit nos, & ingratissimos futuros esse cognouit; & tamen neque peccatis læsus, neque vitiis offensus, neque ingratitudine violatus, nos ipse contempsit, sed amauit, sed fouit, sed amplexatus est, vt sciamus, quia non vtilitatis alicuius gratia, sed gratis sponteque dilexit. Et hic ostentat se nobis fortissimus Nazaræus, qui fœminam alienigenam adamauit, naturam B scilicet humanam, peccatis vitiisque fœdatam, & eam à patre in vxorem poposcit, dicens: Hanc mihi accipe.] Non ob aliam causam profectò, nisi quia placuit oculis meis.] Meretrix (inquit Augustinus) quam Samson in coniugium sumit, Ecclesia est, quæ ante agnitionẽ vnius Dei, cum idolis fornicata fuit, quam postea sibi Christus adiunxit. Postquam ab eo illuminata, fidem suscepit, etiam hoc meruit, vt per eum salutis sacramenta cognosceret, & ab eodem reuelarentur ei mysteria cælestium secretorum.] Amor ergo Christi erga nos, non ex meritis nostris, sed ex sua bonitate manauit; non ex humana pulchritudine, C sed ex diuina misericordia prodiuit. Vbi sunt, qui se Christi imitatores vocant, qui de perfectionis salrem desiderio, & de vita religiosa se iactant, si necdum gratis amare nouerunt? O quam multi sunt, non dico ex sæcularibus, sed etiam ex his, qui nuncium mundo remiserunt, qui eos tantùm amare sciunt, à quibus, aut donum aliquod perceperunt, aut beneficium nouum sperant! Amant Prælatos, adulantur eis, & sæpè non ad veritatem, sed ad voluntatem loquuntur, vt commoditatem, aut dignitatem accipiant. Amant maiores, vt apud Prælatos eos laudent, & pro eis intercedant. Amant æquales, vel minores, aut amare se simulant, ne illos vituperent, ne verbo, vel facto damnum aliquod inferant, ne assequutionem quoquomodo desideratorum impediant. Hoc modo Christus in suis membris amatus, amantibus non sine indignatione dicit: Amen dico vobis, quæ-D ritis me, non quia vidistis signa, sed quia manducastis ex panibus, & saturati estis.] Non enim signis amoris eius illecti, & imitationis Christi, aut desiderio perfectionis inuitati, sed propriis commodis, ac lucris commoti, membra Christi amant; & ideo non ex charitate amant, sed sibiipsis, & sæculi desideriis inseruiunt. Quo in illud pessimum vitium incurrunt ab Augustino grauiter reprehensum, quo, purissimam fratrum dilectionem, non in suum finem dirigunt, qui Deus est, sed ad noxia, & vana detorquent. Nam si vel ipsum hominem (inquit) homo dilexerit, non tamquam seipsum, sed tamquam iumentum, aut balneas, aut auiculam pictam, aut garrulam, id est, vt ex eo aliquid temporalis voluptatis, aut commodi capiat; seruiat necesse est, non homini, sed, quod est E turpius, tam fœdo & detestabili vitio, quo non amat hominem, sicut homo amandus est.] Amemus ergo gratis, nihil à proximis nostris ex amore requirentes, sed perfectionis adeptionem, ac æternum præmium expectantes.

Rom. 5. *Iudic. 14* *Aug. ser. 107. de tempore.* *Ioan. 6.* *Aug. lib. de vera religione. c. 46.*

Amor autem gratis exhibitus ab aliquo fortassis, non magni reputaretur, si non sibi vtilis esset, atque proficus. Quare Dominus, vt suum amorem magni penderemus, & summum bonum nostrum, sicut re vera est, ac omnium bonorum fontem reputaremus, dilexit nos non solùm gratuitò, sed etiam vti-

Philip. 2. liter,& fructuosè. Cùm enim in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo; sed semetipsum exinanuit formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo. Humiliauit semetipsum factus obediens vsq; ad mortem, mortem autem crucis.] Pauper pro nobis factus est cùm esset diues, vt eius inopia nos diuites essemus.] *1. Cor. 8.* Non itaque diuitias, non sæculi voluptates non res exigui pretij, sed omnem suam vitam sanctissimam, in nostrum vsum, atque vtilitatem impendit. Natus est Dominus, vt spiritu nasceremur; infantulus factus est ille, qui æternus est, vt nos viri, non annis, sed viribus, sed animo, sed sapientia efficeremur: per triginta annos siluit, vt tacere, & superbiam ac fastum deijcere, & non nos iactare disceremus: laborauit, ne fatigaremur: passus est, ne pœnas æternas sustineremus: mortuus est, ne perpetuæ morti subijceremur: & resurrexit, vt semper & fœliciter viueremus. Mortuus est propter delicta nostra & resurrexit propter iustificationem nostram.] *Rom. 4.* Quamobrem certa quadam ratione plusquàm seipsum, dilexit nos; quia omnia sua, & etiam seipsum nobis, non minùs mirabiliter quàm amabiliter, contulit. Vides (inquit Cyrillus) nouum atque inauditum dilectionis modum. *Cyril. lib. 9. in Ioa. c. 13.* Lex enim fratrem diligendum esse ait, sicut seipsum, Christus autem magis nos quàm seipsum, amauit.] O perfectionis amatores, sic fratres vestros amare debetis, eo scilicet amore, ex quo aliquem ipsi fructum, aliquod emolumentum percipiant. Valde enim formido, quod in laboribus, proximorum gratia susceptis, non tam diligitis illos, quàm amatis vos. Laboratis inter eos, apud quos laborare, ac verbum Dei seminare, non magnus labor, & magnus honor est; non tamen audetis laborare, & ad eos ad Christum trahendos properare, apud quos modicus honor, & magnus labor, licèt cumulatissimo præmio comitatus inuenitur. Quid ni formidem vos, non laborem, sed honorem quærere, non perfectum fratrum amorem, sed apud homines splendorem & gloriam aucupari? Laboratis apud eos, qui plurimos secum operarios habèt, adeò vt liceat Christi verba commutare & dicere: Messis quidem pauca, operarij autem multi;] quoniam in quocumque ciuitatis angulo messis amplum cænobium, & plurimos operarios inuenit, qui eam colligat, & in horrea Christi reducat. Et non venitis, imò inspirationibus vocati, recusatis venire ad gentes hac nostra ætate conuersas, & à Domino ad fidem vocatas: contemnitis paruulos enixè postulantes panem, quia non est, qui frangat eis. Dissimulatis, & clauditis oculos, ne videatis regiones amplissimas iam albas ad messem, in quibus nunc verissimè impletur: Quia messis quidem multa, operarij autem pauci. Quid ni suspicio cor meum tangat, vos non fructum in proximis cupere, sed vestrũ honorem, aut saltem vestram quietem & vocationem quæritare? Estis literati? Sed barbari literatis indigent. Estis concionatores insignes? Sed gentes verbo Dei vacuæ concionatores magnos expectãt. Estis non communibus talentis prædit? Sed ista talenta vestra inter vestros otiosa, & rubigine sordida, & ferè in cœno negligentiæ sepulta, inter Indos fructum centuplicatum accipient. At dicetis: periculosum est exiguo ligno nosipsos credere; difficile est Oceani vortices superare, molestum est, patrium solum deserere, laboriosum est, cum barbaris & ignotis hominibus conuersari, terribile est, pretiosam vitam periculis multis exponere? Ego quidem homines perfectos alloquor, vel saltem ad perfectionem sitientes verba facio, quòd si vos propter pericula, atq;

A molestias fratres vestros negligitis, necdum ad perfectionem aspirare videmini. Perfectus enim seipsũ negligit, vitam corporalem contemnit, & animam suam perdit, vt animas lubrifaciat, & Christi vocantis & imitantis iussa perficiat. Audite hoc à Bernardo Doctore sanctissimo. Perfectus (inquit) omnis erit, qui aliàs dicere poterit: Vineam meam non custodiui;] *Bern. ser. 30. in Cant.* illo videlicet sensu, quo Saluator loquitur in Euangelio: Qui perdiderit animam suam propter me, inueniet eam.] *Matt. 10* Idoneus planè, & dignus, qui ponatur custos in vineis, quem propriæ cura vineæ à commissarum diligentia & sollicitudine non impedit, aut retardat; dum non quærit, quæ sua sunt, neque quod sibi vtile est, sed quod multis. Propterea sanè Petro cura ista credita est in tam multis vineis, B quæ erant de circumcisione, quia homo paratus erat, & in carcerem & in mortem ire: *Luc 22.* Vsque adeò suę vineæ, id est, suæ animę non detinebatur amore, quominus curæ intenderet creditarum. Meritò & Paulo inter gentes, tam ingens sylua credita est vinearum, quòd & ipse in sua custodia vineæ minimè curiosus inuentus sit, ita vt non solùm alligari; sed & mori in Ierusalem paratus fuerit propter nomen Domini Iesu Christi.] *Act. 21. Act. 26.* Denique nihil horum vereor (inquit) nec facio animam meam pretiosiorem, quàm me.] Optimus æstimator rerum, qui nihil suorum sibi præferendum existimet.] Vos quoque si propriam deseratis voluntatem; si carnem crucifigatis cum vitiis, & concupiscentiis, si membra vestra, quæ sunt super terram, mortificetis; si labores, & pericula pro C indigentibus sustineatis; si molestias animarum gratia susceptas, toleretis; si splendorem, & hominum plausum spernatis; si Christi gloriam, & fidem propagare contendatis; probabitis vos animæ puritatem cupere perfectionem sitire; & ad sanitatem, anhelare. Tunc Christum imitabimini, qui non vsque ad requiem, non vsque ad gloriam, non vsque ad honorem & splendorem; sed vsque ad ignominiam, & vsque ad crucem & mortem dilexit nos.

Non solùm verò dilexit nos Christus fructuosè, sed dilexit etiam perseueranter. Nã secundùm quod Deus est, ex æternitate nos diligit, neq; aliquod momentum cogitare possumus in quo Deus sit, in quo etiam non sit amor eius, quo creaturam suam dulciter aspiciebat, atque imaginem suam à se factam ama- D bar. Secundùm autem quod homo est, ab ipso suæ conceptionis initio nos amat, nec vnquam amare desistit. Amat, cum castigat flagellis, vrit tentationibus, affligit morbis, & variis tribulationibus punit. Quis enim neget patrem amore affici erga filium, cùm illum corrigit, & pro excessibus admissis castigat? *Hebr. 12.* Præsertim cùm scriptum sit: Quem enim diligit Dominus castigat; flagellat autem omnem filium, quem recipit.] Amat etiam, cùm nobis indulget, beneficiis allicit, conscientiæ securitate fouet, & consolationibus, ac dulcedine blanditur. Amauit nos in Virginis vtero, amauit in præsepio, amauit in exilio, amauit in carcere, in vinculis, in flagellis, in spinis, in cruce, & in finem scilicet vsque ad mortem dilexit nos.] *Ioann. 13.* Post mortem quoque nos E amat, sedens ad dexteram patris. Ibi namque aduocatum habemus apud patrem Iesum Christum iustum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris.] *1. Ioan. 2.* Non mutauit Dominus ingenium cum dignitate & gloria, sicut ille ingratus pincerna Pharaonis, qui liberatus è carcere, castissimum Patriarcham obliuioni tradidit, à quo lætissimum suæ liberationis nuntium acceperat. *Gen. 40* Sed gloria corporis affectus, & omnium bonorum cumulo amplificatus, recordatur nostri, & sanctissima stigmata æterno Patri ostendit, vt

cum

cum reddat nobis propitium atque placatum. Iam quodammodo naturæ scilicet conditione, non est idem qui antea: antea mortalis; nunc immortalis: antea passibilis, nunc impassibilis: Iam corruptibile suum induit incorruptionem; & mortale suum induit immortalitatem: Iam impletus est sermo, qui scriptus est: Absorpta est mors in victoria.] Sed amore & dilectione idem est, qui antea; nimirum amator fidelissimus ac feruentissimus, qui degens in cœlo, & sedens ad dexteram Patris, nos tenerrimè amat, nos benignissimè respicit, nos fidelissimè gubernat, & nobiscum etiam mirabiliter commoratur: Nam ecce ego vobiscum sum (inquit) vsque ad consummationem sæculi?] Tunc hanc Christi in amando perseuerantiam imitabimur, cum qualibet oborta difficultate, aut fratrum ingratitudine, aut molestia aut iniuria nobis irrogata, minimè ab operibus dilectionis & beneficētiæ cessamus. Qui enim ab operibus charitatis, & à profectu proximorum abstinent, ob difficultatem exortam, aut contra spem, quam mente conceperunt, inueniam, similes sunt filiis Israel, qui cognita fortitudine habitatorum terræ sibi promissæ, timuerunt eos aggredi, & possessionem sibi à Domino concessam expugnare: Sic isti pusillanimitate victi, & insperata difficultate prostrati, cæptum charitatis opus deserunt, & cum illo charitatis perfectionem, & præmium sibi destinatum relinquunt. Qui verò ob molestiam, aut iniuriam sibi illatam amoris iura prætereunt, & in se maleficos, & hostes & inimicos despiciunt, non longè distant ab Ethnicis, & publicanis; qui etiam sciunt, se diligentes diligere, & benefacientibus benefacere. Vnde Dominus ait: Si enim diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? nónne & publicani hoc faciunt? Et si salutaueritis fratres vestros tantùm, quid amplius facitis? Nónne & Ethnici hoc faciunt?] Vt ergo simus perfecti, vniuersos homines ad Christi imitationem perseueranter diligamus; ita vt nec nos recèns nata difficultas exterreat, nec iniuria aut ingratitudo eorum, quos diliximus, & quibus benefecimus, nos à dilectione diuellat. Licèt enim ipsi, aut ingrati, aut iniuriosi existant in nos, semper causa amandi perseuerat, nempe Christus Iesus, propter quem amorem nostrum tam amicis quàm inimicis impendimus.

1. Cor. 15. · Mat. vlt. · Matt. 5.

Dilectionis perseuerantiam, vt omnino perfecta sit debet consequi, aut comitari mansuetudo, & lenitas. Qui enim mitis & patiens non est, ad sustinendas proximorum molestias, eis contristatus, ab amore desistet, & nequaquam perseuerabit. Quare Christus perseuerantiæ in amando, mansuetudinem & lenitatem adiunxit, & nos leniter & mansuetè dilexit. Neque enim innumeris peccatis nostris irritatur, nec iniquitatibus prouocatur, nec iniuriis lacessitur, nec mentium nostrarum incuriis, aut obliuionibus intepescit. Non reddit ardentissimus amator, malum pro malo; nec maledictum pro maledicto; sed potiùs è contrario semper benefacit.] Cùm eius obliti sumus, ipse recordatur nostri: Cùm præcepta transgredimur, sæpè non negat quod petimus, si nostræ emendationi non officiat.] Cùm delinquimus, nostri miseretur, expectat, dissimulat, quærit, inuitat, & ad pœnitentiam vocat. Si verò inspirationibus & gratiæ præsidio ad eum reuertamur, misericordia motus accurrit, cadit amanter super collū nostrum, & tenerrimè, osculatur nos. Quòd si verè, & ex animo dicimus cum filio prodigo: Pater peccaui in cælum & coram te, iam non sum dignus vocari filius tuus, fac me sicut vnum de mercenariis tuis;] tunc nobiscum, non tamquam cum mercenariis & mancipiis ingratis, sed tamquam cum amantissimis filiis se gerit. Iubet ille citò proferre stolam primam certissimæ spei vitæ immortalis habendæ, & induit nos vestimentis salutis & indumento iustitiæ circundat nos, reddit quasi sponsos decoratos corona, & quasi sponsas ornatas monilibus suis.] Dat ille annulum in manibus nostris, scilicet imitationem sui, vt videntes alij opera nostra bona glorificent patrem nostrum, qui in cælis est. Tribuit etiam calceamenta in pedes nostros, vt fortitudine calceati & sanctorum exemplis protecti ad tentationis lapidem non offendāt. Hæc omnia Saluatoris beneficia in seruos infideles, & homines ingratos & peccatores collata, manifestè eius amorem mansuetum ostēdunt. Hæc etiam ipsius mansuetudo homines inuitat, vt leniter & mãsuetè proximos diligant, & vt respicientes seipsos, tamquam infirmos & imbecillos, aliis, tamquam infirmis & imbecillibus compatiātur, & quod sibi volunt tribui, proximis quoque patienter impendant. Optimè enim dixit sanctus Ephræm, Ecclesiæ Edissenæ decus: Qui in medicorum curantur officinis, nō lætantur malis alienis, neque spernit quisque proximum causa morbi; sed potiùs studet vnusquisque, morbo ac passione conceptóque à se dolore liberari; proximo autem manuū pro possibilitate præbere ad faciliùs laborū dolores tolerandos. Oportet igitur & nos, alterutrum consolari ac admonere, potissimum verò tentationis tempore, vt sic verè ab amara seruitute peccati, ac tyrannidē Diaboli, liberari queamus, & ignea eius tela extinguere, antequā nos ignis ille præoccupet inextinguibilis; tuncque plorātes ploremus in dolore cordis nostri, & non sit qui consoletur.] Ita ergo nos inuicem respiciamus, & iniurias sine amoris detrimēto cōdonemus. Nā qui statim, atq; læduntur, nō solùm ignē de cælo petūt, sed indignationem animo & verbis spirant, audiunt à Domino: Nescitis cuius spiritus estis; filius hominis non venit animas perdere, sed saluare.] Mēbra igitur eius non vindictā, sed patientiā, & mansuetudinē sibi, & emēdationem, ac consolationē fratribus debēt inquirere.

1. Petr. 3. · Luc. 15. · Isa. 61. · Matt. 5. · Ephræm de abstinendo à cupiditatibus. · Luc. 12.

Adhuc de eodem exemplo Christi quo perfectionem fraternæ charitatis docuit.

CAPVT XXXVII.

DVlcis est amoris memoria, quæ non solùm hominum corda potenter emollit, sed etiam bestiarum immanium pectora mitigat, & erga filios quos amant, ad quandam benignitatem & indulgentiam inclinat: at recordatio amoris Christi erga nos, est sine vlla comparatione suauior, quæ iustorum animos in spem bonorum supernorum erigit, & in intimo quodam calore purissimi ac plenè diuini amoris accendit. Quis enim videns seipsum à filio Dei & ab ipso principio, & fonte salutis amatum, despondeat animū, & aliquam salutis stillam sibi dandā esse non credat? Quæ licèt pusilla admodum esset, si cum aliorum gloria conferatur, ipsa tamen beatos nos sufficit, & omnes capacitatis nostræ recessus implere. Et quis à Christo summo rege se dilectū esse considerans & suam vilitatem & indignitatē expendens, non amet illū benignum Patrem, & largissimum Dominum, à quo in artham æterni præmij, lumen fidei, robur spei, charitatis ardorem, & aliorum innumerabilium bonorum copiam accepit? Christi potestas (vt est in Daniele) æterna

Dan. 7.

est, quæ non auferetur, & regnum eius, quod nō corrumpetur,] & hac potestate defendit & tuetur suos, ne malum sentiant, aut à diabolo decepti, & victi procumbant. Sapientia eius immensa est; Nam in ipso sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei absconditi,] *Coloss. 2.* & hæc sapientia suos instruit, omne bonū, ac omnem virtutem docet, & ab omni itinere iniquitatis abducit. Diuitiæ eius sunt incomprehensibiles, de quibus scriptum inuenio: Gloria & diuitiæ in domo eius,] *Psal. 111.* quibus suos reficit, atq; sustentat, & ad ipsarum eos participationem admittit. Quid igitur iucundius, quid suauius, quàm ab eo amari, qui potens est, ab eo diligi, qui sapiens est, ab eo honorari, & refici, qui diues est? Adhuc ergo pergamus huius perfectissimi amoris Christi erga nos proprietates inquirere, quæ & mentem nostram oblectent, & ad perfectæ charitatis assequutionem inflamment.

Ioan. 15. Diligite inuicem, inquit, sicut dilexi vos.] Et quomodò ipse dilexit nos? Certè fortissimus animarum zelator dilexit nos violenter. Nam amor ille suus fecit, vt exananiret semetipsum, & formā serui acciperet, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo.] *Philip. 2.* Hic amor Christi super nos plenitudinem effudit, altitudinem adæquauit, & singularitatē associauit. Plenitudinem effudit, quia de plenitudine eius omnes antiqui Patres, & vniuersi qui futuri sunt & nos omnes accepimus gratiam pro gratia.] *Ioan. 1.* De ipso, qui est petra sanctissima, & lapis angularis iactus in fundamentis Sion, biberunt omnes illi Patres, quos ipse secūdùm carmen est consequutus, bibimus & nos, qui ipsum sequimur, & sitim extinguimus ex fluminibus gratiæ, quæ ex ventre eius fluunt; bibent & omnes, qui vsque ad sæculi consummationem futuri sunt, & qui non biberint, ex eo, aridi & sine aqua gratiæ permanebunt. Altitudinem etiam amor adæquauit, quoniam amore ille, qui Deus noster est, factus est frater noster, factus est cibus noster, exinanitus est, quodammodò infra nos adeò, vt diceret: Ego autem sum vermis & non homo, opprobrium hominum, & abiectio plebis.] *Psal. 21.* Ipse est ille mysticus Dauid, sedens in cathedra sapientissimus, princeps inter tres;] *2. Reg. 23.* quia homines & angelos in infinitum sapientia superauit. Ipse octingentos, imò infernum vniuersum interfecit impetu vno.] Quid impetu vno? Imò & lacryma vna, & gemitu vno, vniuersa nostra peccata prostrauit. Et tamen hanc fortitudinem abscondit, & in hominum oculis exhausit, cùm in cruce factus est tamquam tenerrimus ligni vermiculus. Et tandem amor singularitatem associauit. *Hebr. 2.* Quia enim pueri communicauerunt carni & sanguini, & ipse similiter participauit eisdem, vt per mortem destrueret eum qui habebat mortis imperium, id est, Diabolum, & liberaret eos, qui timore mortis per totam vitam obnoxij erāt seruituti.] Habemus etiam in hoc, quod imitemur. Nam & perfectus amor proximorū ad amoris Christi similitudinem efformatus, tam ardens, & violentus esse solet, vt iustos quodammodò exhauriat, & à cura suæ dignitatis, & auctoritatis dimoueat. Qui nec corporis salutem curant, nec commoditatem respiciunt, nec auctoritatem, & status dignitatem aduertunt, modò à dæmonis potestate animas extrahant, & Christo suo factori restituant. An nō Beatus Pater noster Ignatius, perfectissimus amoris Christi imitator, ob animarum amorem seipsum exhauriebat, & quodammodò exinaniebat, cùm venerabilis senex, & Societatis Generalis Præpositus mulierculas à turpi quæstu abductas, per seipsum in domum alicuius honestæ fœminæ deducebat, aut in cænobium ad id muneris destinatum, ouans & exultans

A occultabat? Hoc opus in tali viro, & alia similia à sanctis, & viris perfectis non semel profecta, sapientes huius sæculi irridebunt, & prudentes mundi subsannabunt, & frigidi, ac tepidi stulta, & insipientia iudicabunt, quia numquam vim perfectæ charitatis experti sunt. Sed non est hoc mirum, quia sicut Christus crucifixus, Iudæis fuit scandalum, & (gentibus stultitia,) vocatis verò ad vitam, Dei virtus, & Dei sapientia;] *1. Cor. 1.* Ita membra Christi perfecta, ab his qui spiritum Christi non habent, insipientia & stulta iudicantur; ab iis tamen, qui è vicino Christum sequuntur, sapientiæ & sanctitatis plena existimantur. *1. Cor. 15.* Vidéntque manifestè, quia quod stultum est Dei, sapientius est hominibus; & quod infirmum est Dei, fortius est hominibus.] Quid miramur, si perfecti viri pro fratrum amore seipsos exhauriant, si patriam, & amicos, deserant, si mille incommoditatibus, si innumeris se laboribus subdant? B Certè Paulum imitantur, qui pro fratribus periclitabatur omni hora, & pro eorum salute vsque ad mortem patiebatur. Quotidie morior (inquit) propter vestram gloriam, fratres, quam habeo in Christo Iesu Domino nostro.] *1. Cor. 15.* Certè (quod multò maius & fœlicius est) Christum sequuntur pro nobis vsque ad præsepe deiectum, vsqua ad signum peccatoris, & vsque ad flagella, & vsque ad mortem humiliatum.

Sed in hoc apparet admirabilis charitas Saluatoris erga nos, quod proprietates in ea primo aspectu contrarias; in vnam naturam perfectæ dilectionis coniunxit. Nam violentia dulcedinem nescit, suauitatem ignorat, & sæpissimè modum præterit, & sapientiam excludit. C Amor Christi violentus hæc violentiæ aduersa (vt videtur) admisit, & simul cum illa mirabiliter copulauit. Dilexit nos ille dulciter, sapiēter, fortiter. Dilexit nos dulciter, quia vilissimum saccum carnis nostræ gestare nō erubuit; & inter nos factus magister, & medicus, & pædagogus toto vitæ mortalis suę tempore habitare non horruit. Verbum enim caro factum est, & habitauit in nobis.] *Ioan. 1.* Ipse magister noster est, qui ait: Ne vocemini magistri, quia magister vester vnus est Christus.] *Matt. 23.* Ipse medicus noster est. Nam & alio loco de se dicit: Non necesse habent sani medico, sed qui malè habent: Non enim veni vocare iustos, sed peccatores.] *Marc. 2.* Ipse pædagogus noster est. Hoc enim nomine vocat eū Clemēs Alexandrinus, & grauissimè huius muneris à Christo obiti D partes describit. *Clem. li. 1. Pædag. c. 2.* Inter alia autem sic ait. Pædagogus autē noster, est Patri suo similis, cuius est filius, in quē nullum omninò cadit peccatum, estque nulli reprehensioni affinis, & animo inpatibilis: Deus in figura hominis, impatibilis, paternæ volūtati seruiēs; Deus Verbū, qui est in Patre, qui est à dextris Patris, & cū figura Deus est.] Quid autem eo amore dulcius, atq; suauius, qui Deum ipsum ad humanam naturā assumendam demisit, & ad hominem magisterium impulit, & ad munus medici, & pędagogi suscipiendum adegit? Dulcedo autem non decepit Dominum, non inescauit cor eius sanctissimum, quia si amauit nos dulciter, etiam sapienter dilexit. In hoc verò sapiētia huius amoris elucet, quod naturam nostrā assumens, E defectus eius tamę maiestati nō congruos, haud quaquam suscepit. Ideò peccatum cauit; qui peccatū non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius,] *1. Pet. 2.* & audet, & dicit; Quis ex vobis arguet me de peccato?] *Ioan. 8.* Peccati fomitē non habuit, quia Spiritus sancti virtute conceptus, & sine vlla carnis corruptione, aut immunditia generatus, inclinationē ad opera carnis habere nō potuit. Ignorantiā non admisit; qui est lumē datū ad reuelationē gētium:] *Luc. 2.* Nam populus, qui habitabat in tenebris, vidit lucem magnā, habitantibus in regione *Isa. 9.*

Apoc. 6. vmbræ mortis,lux orta est eis.] Diligit tandem fortiter,quia exiuit vincens, vt vinceret,] & peccata nostra dilueret,& mortem,ac infernum prostraret. De hac amoris Christi mirabili conditione, ita loquitur *Ber. ser. 20. in cant.* Bernardus:Dilexit dulciter, sapienter, fortiter, Dulce nempe dixerim, quòd carnem induit: cautum, quòd culpam cauit: forte,quòd mortem sustinuit.Nā quos sanè in carne visitauit,carnaliter tamen nequaquam amauit,sed in prudentia spiritus.Spiritus quippe ante faciem nostram Christus Dominus,] *Thren. 4.* æmulans nos Dei æmulatione, non hominis,& certè saniori,quàm primus Adā Euam suā.Itaq; quos in carne quæsiuit, dilexit in spiritu, & redemit in virtute.Plenū prorsus omni suauitatis dulcedine,videre hominem hominis Conditorem. At dum naturam prudenter selegit à culpa, etiam potenter mortem protulit à natura. In carnis assumptione condescendit mihi;in culpę vitatione consuluit sibi, in mortis susceptione satisfecit Patri, amicus dulcis, consiliarius prudēs,auditor fortis.]Sic à iustis ac perfectis viris fratres sunt diligendi.Diligunt dulciter,cùm fratrum induuntur affectibus.Quando cum tristibus plorant, cum lætis collætantur,cum miseris patiuntur,cum laborantibus fatigantur,cum paruulis paruuli, & cum maioribus maiores,& fortiores videntur. Hanc amoris dulcedinē præferebat Paulus,dicēs: *2. Cor. 11.* Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis scandalizatur,& ego non vror?] Et rursus.Filioli mei, quos iterū parturio, donec formetur Christus in vobis.] Vellem autē esse apud vos modò, & mutare vocem meam, quoniam confundor *Galat. 4.* in vobis.] Diligunt sapienter,cùm ita se vniuersis accommodant, vt tamen omnē culpam vitent,omnem quantùm possunt,imperfectionem abijciant. Nā sub prætextu charitatis Prælatorū defectus, aut veros aut fictos audire,otiosis & ineptis verbis ora laxare,risui immoderato, & cachinnis insistere, & religiosam disciplinam abrumpere,magna insipientia est, quam vera charitas,virtutum mater sanctissima,& spiritualis vitæ perfectio damnat, & tamquā vitiorum multorum originem, & imperfectionum fontem condemnat.Diligunt tandem fortiter.Nam pro ædificatione eorum, quos amant, & pro bono exemplo in congregatione præstando, rebus etiam valde necessariis carebunt,& multa incommoda sustinebūt.Me- *1. Cor. 8.* mores erunt Pauli dicentis:Si esca scādalizat fratrem meum,non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum scandalizem.] Qua sentētia docti,& animati, si opus fuerit penuriam,& indigentiam admittent,& laboribus non immoderatis se subdēt,ne paruulis offensionem aliquam præbeant, & illi occasionem querimoniæ,aut detractionis accipiant.

Sapientia verò amoris Christi, vt eius maiorem adhuc rationem habeamus, in ordine maximè,& præcipuè resplendet. Nam ipse ordinatè dilexit nos. Omnes quidē,& Angelos & homines ipse diligit, & nullum quantumuis barbarum, & inimicum à beneficio suæ dilectionis excludit.Quapropter suam dile- *Ioan. 15.* ctionem commendans,ita loquitur: Maiorem charitatem nemo habet, quàm vt animā suam ponat quis pro amicis suis.] Nomine amicorū omnes homines comprehendens,quos ipse, quòd ad se pertinet,amicos habet,& pro amicis reputat,& paratus est in amicos admittere, licèt ipsi erga illum sint infestissimi inimici.At licèt omnes diligat, & naturam à se creatam non abhorreat,tamen non æqualiter omnes diligit, neque in æquali gradu sibi vniuersos adiungit. Peccata quidem omnium hominum odio habet, & secundùm maiorem, aut minorem eorum malitiam, ac fœditatem, aut patientiùs,aut vehementiùs detestatur: peccatores verò,& iniquos, non quà peccatores,sed quà homines,diligit, & à peccatis abducere, ab iniquitatibus auocare, & à dæmonis captiuitate liberare contendit. Et quemadmodum magister discipuli ignorantiam odit, & naturam ignorantiæ subiectam diligit, quam à tenebris, & cæcitate liberare conatur: Ita Dominus odio habet prauos & *Luc. 19.* distortos mores facturæ suæ,at naturam ipsam prauis moribus ac iniquitate fœdatam, & diligit & ab omni iniquitate gestit eripere. Venit enim filius hominis,non homines perdere,sed quærere,& saluum facere quod perierat.] Iustos autem magis, aut minùs diligit,prout eorum maior aut minor sanctitas, ac iustitia requirit. Nam sicut prudens paterfamilias,omnes suæ domus, ac familiæ diligit: magis tamen eos, quos diligentissimos ac fidelissimos esse cognouit; & adhuc vehementiùs filios, quàm vernas, & inter filios eos maiori, ac dulciori amore prosequitur, quos sibi simillimos,& obsequentissimos respicit:ita Saluator noster Ecclesię spōsus,& omnium fidelium prouidus Pater,& Dominus,licèt omnes diligat, non tamen omnes æquali amore dignatur. Habet ille in domo sua seruos,& mercenarios;habet discipulos & filios; habet & animas, quæ sponsæ nomine dignæ censeantur. Vnde Bernardus:Si seruus est,timet à fa- *Ber. ser. 7. in cant.* cie Domini;si mercenarius sperat de manu Domini; si discipulus,aurem parat magistro; si filius, honorat patrem: Quæ verò osculum postulat,amat.] Seruos igitur vt seruos diligit,qui timore ad seruiendum incitantur; mercenarios,magis, id est, vt mercenarios, amat,qui spe præmij ad obsequendum mouentur; discipulos teneriùs, nimirum vt discipulos, amore complectitur, quos ad parandas sapientiæ aures, & ad disciplinam sapientiæ percipiendam perfectionis desiderium allicit; filios vehementiùs,nempe vt filios,quos ad quærendam similitudinem Patris, concupiscentia puritatis instigat: sponsam autem adhuc impensiùs amat, quasi pupillam oculi sui,quam non vt vnam carnem, sed vt vnum spiritum per concordiam voluntatis sibi adhærere cognoscit. Ita & iusti deberent fratres deligere, vt ad perfectionem amoris ascendant. Diligant peccatores, non eorùm peccatis consentiendo,sed eos ab omni labe, & ab omni *Doroth. doctr. 7.* iniquitate liberare nitendo. Quod qua ratione præstare debeant, Dorotheus hac optima similitudine declarat. Vulneratus quis pedem, vel manum vel quoduis aliud membrum, vt illud non abominatur, aut abscissum proijcit, etsi pus fœtidissimum emiserit,sed potiùs abluit,purgat, medicinam adhibet,obsignat,consolidat,benedicit, supplicat, adhibet preces,& orationes sanctorum, & quæcumque tandem facit, quæ ad valetudinem consequendam pertinēt: ita & nos compatiamur fratribus nostris, & mutuò complexantes foueamus.] Sed multò magis diligendi sunt iusti, tamquam Christi amici, & commensales, horum autem illos maiori reuerentia prosequamur,& maiori amore complectamur, quos excellentior sanctitatis virtus amplificat, & purior vita commendat.Æquum est enim,vt quos Deus ipse sine vlla dubitatione magis amat, eius serui à Domini imitatione minimè recedētes,etiam magis diligant,& maiori amore,ac reuerentia dignos existiment;sed exteriora amoris,& beneficētiæ signa, non tā interior affectus,quàm exterior necessitas,& aliæ circūstantiæ, quæ à Theologis exquisitè tractantur, metiri debent.

Tandem dilexit nos Christus Verbum Patris sicut ipse à Patre dilectus est : Sicut dilexit me Pater (inquit) ita & ego dilexi vos. O hominis dignitas *Ioan. 15.* ineffabilis, ô creaturæ rationalis decus admirabile ! Sicut Pater amat Filium vnigenitum , & sibi consubstantialem , ita à Filio , vilissima creatura

amata

amata est, ita vt audiat: Sicut dilexit me Pater, ita & ego diligo te.] Sed quomodo Pater hominem Christum dilexit? Certè ita amauit eum, vt nullis præcedentibus meritis eius humanam naturā Verbo copularit, & ad incomprehensibilia bona prælegerit, & dederit illi nomen, quod est super omne nomen, vt in nomine Iesu, omne genu flectatur.] Amauit eū ita vt virtutibus & gratia super omnem gratiam exornarit, vt donis, & potentia super omnem potentiam cumularit, vt ad infinitam gloriam super omnem gloriam euexerit. Tandem dilexit eum, vt filiū naturalem, & ex se genitum, cui omnia creata, tā visibilia, quàm inuisibilia subiecit. Sic & Christus dilexit nos; nam sine vllis meritis nostris nos sibi per gratiam copulauit, vt ipse esset caput, nos autem membra; ipse vitis, nos palmites; ipse radix, nos rami; & ad suę gloriæ consortium elegit. Ille sine meritis nostris gratiam animabus nostris donat, & ornamenta virtutum infundit. Dat quidem ipse nobis, vt calcemus super serpentes & scorpiones,] dū vitia nostra proterimus, vt dæmonia eiiciamus, dum eorum importabile iugum abiicimus; vt linguis nouis loquamur, dum veterē vitam peccatis deditā, in nouam, virtutibus feruētem commutamus; vt serpentes tollamus, dū vitiorū monstra à cordibus aliorū propellimus; vt manibus super ægros impositis salutem illis afferamus:] dum verbis & doctrina eius per nos prædicata è pelago vitiorū emergunt, & in luce diuinæ gratiæ respirant. Demum, si fide viua credamus in eum, dat nobis, vt opera, quę ipse fecit, & nos faciamus,] & disposuit nobis, sicut disposuit illi pater suus, regnum, vt edamus, & bibamus super mēsam suā in regno suo.] Hæc igitur sit postrema sancti amoris regula, ac purissimæ dilectionis summa perfectio, vt fratres diligamus, sicut à Christo saluatore diligimur. Enitamur ad eum gradum charitatis prouehi, vt verè quisque possit suis fratribus dicere: Sicut dilexit me Christus, ita & ego dilexi vos. Vide, ô religiose, quemadmodum amatus à Christo, quanta mala tibi condonauit, quantas imperfectiones dissimulauit, quanta & quàm incomprehensibilia bona tibi præparauit: quàm misericorditer errantem quæsiuit, fugientem vocauit, insistentem adduxit, venientem suscepit, susceptum mundauit, mūdatum ditauit, ditatum illuminauit, illuminatum accendit, accensum in se transformauit, & ad incomparabilem dignitatem extulit. Ita & tu, si aliqua perfectionis desideria sentis, si aliquos haustus puritatis accipis, si aliquem vitę cælestis desiderium experiris, dilige fratres tuos, vt Christum perfectionis exemplar non solis desideriis teneas, sed perfectionis operibus imiteris. Indue viscera misericordiæ, circunda tibi benignitatis spiritum, & tuam imbecillitatem aduertens, fac aliis, quod tibi lapso, aut tentato, aut tristitia affecto, fieri concupisceres. Fratrum iniurias tibi illatas, obliuiscere; contumelias dissimula, & non dico inimicitiam (domum enim religiosam profanat, qui in ea inimicitiam & discordiam nominat) sed animi auersiones depone. Corrige exemplis errantes, inuita beneficiis fugientes, anima lætitia vultus nutantes, venientes suscipe, verbis mone, exemplis allice, doctrina illumina, & operibus beneficētiæ te omnium amicum declara, te in visceribus Christi omnes amare ostende. Hæc est perfectio fraternæ charitatis Christum imitari, Christū sequi, & proximos amare, sicut nosipsos, quod tūc omninò, & vt decet perfectissimè implemus, cùm diligimus ipsos, sicut Christus dilexit nos.

Philip. 4. | Mar. vlt. | Ioan. 14. | Luc. 22.

Duodecim documenta ad consequendam perfectionem charitatis erga Deum.

CAPVT XXXVIII.

Omnia, quæ deinceps in his libris dicemus, ad consequendam charitatem Dei, & proximi referenda sunt, & ad obtinēdum vitę Christianę finem, qui profectò (vt diximus) ab hac gemina charitate nequaquam secernitur, sunt penitus reuocāda. Sed ne tam longa, & prolixa tractatio legentium animos suspensos teneat, & expectatio molesta tædio dilationis afficiat, operæpretium duximus sub breui cōpendio aliquas regulas prælibare, quæ ad assequendam perfectionem in gemina charitate constitutam magnam legentibus vtilitatē afferant. Licèt enim perfectio, aut perfecta Dei, & proximi charitas, non humana solùm industria, sed diuina gratia conquiratur, quæ diffusa est in cordibus nostris, non per humanas vires, sed per Spiritum sanctum, qui datus est nobis,] tamen corda otiosa, & torpentia non sustinet, nec humani cordis humilem conatum excludit. Quinimò isto conatu diuini auxilij viribus nixo, homo Dei gratiæ cooperatur; & eius efficaciæ non resistit, ad altiora, & supernaturalia dona recipienda se præparat. Subiiciam ergo nonnulla documenta atque efficacia subsidia obtinendæ perfectionis, & perueniēdi ad perfectam Dei, & proximi charitatem, quibus mens hominis idonea constituitur, vt eam à patre luminum, ac omnium satore Deo, liberaliter & dono datam accipiat. Ab his autem documentis, quæ ad perfectam charitatem erga Deum consequendam non parum conferunt, incipiamus.

1\. Tu igitur, ô religiose, qui sæculum reliquisti, & omnia mundana conculcasti, vt tuæ animæ saluti consuleres, & vitæ spiritualis perfectionem obtineres, primùm omnium insipientium opiniones, & tepidorum murmurationes contemne. Ne contemnas illos, sed eorum dicta, eorū sensus, & definitiones pro nihilo habe. Quoniā de similibus dixit Dominus: Cæci sunt, & duces cæcorum,] & sicut ipsi in vita sua nihil perfectum, nihil sublime sapiunt; ita sæpè in fratrum suorum conuersatione, feruorem damnant, disciplinæ rigorem obnubilant, & quidquid limites ordinariæ vitæ, & terminos socordiæ, & tepiditatis excedit, singularitatem vocāt, & indiscretionis, atq; imprudentiæ condemnant. Tu ne sequaris doctrinā eorum, ne vitam ignauam, & vilem imiteris, neque illarum, quas fundunt, detractionum, vllā rationem habeas, sed regulā exquisitè custodis; quidquid ipsa præcipit, aut consulit, vt iacet, ad literam intellectum, non singularitatem, sed sanctitatem iudica; viros sanctos, atq; perfectos imitare, & vitæ ipsorum arctæ quidem, & puræ quoad poteris, tuam vitam accommoda. Si enim tepidorum, & imperfectorum, qui vbique sunt, detractiones timueris, irrisiones reputaueris, & eorum conuersationem sectatus fueris, numquam poteris, aut sanctorum vitam imitari, aut ad perfectionem peruenire. In hunc námque locum optimè illud Ioannis Cassiani quadrat: Quamobrem si Euangelico præcepto volumus obedire, & Apostoli, ac totius illius Ecclesiæ primitiuæ, seu Patrum, qui virtutibus, ac perfectioni eorum nostris temporibus successerunt, imitatores existere, nō nostris definitionibus acquiescamus, de hoc tepido, ac miserabili statu, perfectionem nobis Euangelicam pollicentes, sed illorum sectantes vestigia, circumuenire nosmetipsos minimè studeamus.] Aduersum itaque te obmurmurent imperfecti, tuæ diligentiæ in Dei obsequiū impensę detrahant, dicant, quod primùm in buccam venerit; affirment, quod sibi libuerit, te aut singularem, aut superbum, aut à dæmone illusum appellent; tu verò regulam tene, disciplinam quàm diligentissimè

Rom. 5. | Matth. | Cassia. li. 7. de spiritu Phil. c. 18.

A serua, Patrum scita custodi, & vanas opiniones patienter sustine, sciens, quoniam, si cæcus cæco ducatum præstet ambo in foueā cadunt.] Vade ad Dominum tuum, cùm has tepidorum, & imperfectorum querelas, & detractiones audieris, & dic ei cum sancto Dauide: Ego autem tamquam surdus non audiebam, & sicut mutus non aperiens os suum: Et factus sum, sicut homo non audiens, & non habens in ore suo redargutiones: Quoniam in te Domine speraui, tu exaudies me Domine Deus meus.] Ipse te liberabit à labiis iniquis & à lingua dolosa,] & opportuno tempore veritatem aperiet.

Matt. 15. *Psal. 37.* *Psal. 116.*

2. Fuge, nō dico magna peccata (quis enim putet te in religiosa vita positū criminibus, & lethalibus peccatis sordere?) sed peccata leuia, & minimos quoq; defectus deuita, ne vnquā omninò scienter facias, aut dicas, quod imperfectionē esse cognoueris. Sicut enim B ars quælibet exercitatione actuū, & operum eiusdem artis addiscitur: ita perfectio, aut imperfectio mentis humanæ actibus bonis, atq; perfectis ex gratia profectis; aut actibus malis, & imperfectis ex solo libero arbitrio promanantibus comparatur. Quare si peccata non vitas, & imperfectiones nō fugis, sed amas, sed consultò sectaris, sed inuerecundè defendis, non ad perfectionem ascendes, sed in barathrum tepidę vitę, atq; imperfectæ descēdes. Meritò igitur monet te Salomon. Aufer rubiginem de argēto, & egredietur vas purissimum. Vas namque purissimū nō est aliud, quā animus vitam perfectam ingressus, & dono puritatis ornatus; quem sanè habemus, cum omnem ab eo rubiginem peccatorum auferimus, & imperfectionum nostrarū immunditiam abstergimus. Dicat tibi Laurentius Iustinianus, quāta diligētia, perfectionis amator omne peccatū debeat euitare. Grauia delicta (inquit) nedum ei perpetrare non libet, verùm etiam le- C uia, & minuta, sine quibus mortalis vita non ducitur, solerter declinare conatur, agnoscens pro certò, quòd nemo criminibus prægrauatus, ad perfectionis valet euolare vestigia. Intelligit prætereà, quòd viri sancti venialia paruipendendo cōsummare peccata, paulatim prolabuntur in grauiora, & à virtutum repescunt vsu, quotidieq; procliuiores efficiūtur ad casum [Time frater omne peccatum, & nihil leue putes, quod diuinam maiestatē offendit, virtutem cōtristat, rationem oblatrantem contemnit, & mentem tuam ligat, & quasi compedibus vinctā tenet, ne ad destinatum supernæ vocationis brauium currat, ne ad finem, scilicet ad perfectionem perueniat. Cinge teipsum timore peccati, & circumspectione te indue, ne aut fal- D sa securitate deceptus, aut incuria dissolutus, aliquid, quod non putabas, aut Deo displicens, aut sanctissimis eius oculis minùs gratum incurras.

Prou. 25. *Iustin. lib. de gradibus perfect. c. 6.*

3. Quotidie bis teipsum discute, & tuā cōscientiam examina; mala quæ in cogitatione, aut loquutione, aut opere inueneris, luge; bona circūspice, & quod in eis, aut ineptum, aut minùs feruidū fuerit, reprehēde. Dominus ipse huius assiduæ examinationis doctor est, atque magister, quā non post multas ætates, sed in totius orbis exordio, & ante hominis conditionē demonstrauit. Quid enim est illud in primis sex dierum operibus: Vidit Deus lucem, quod esset bona: & vidit Deus, quod hoc, aut illud esset bonum; & vidit cūcta quæ fecerat, & erant valde bona,] nisi hominē exem- E plo docere, vt ad sua opera redeat, & ea, an bona sint, an mala, intentissima cōsideratione respiciat? Neque enim Deus, qui vtique aut falli, aut decipi, aut errare non potuit, hac suorum operum inspectione indigebat, & tamen singula inspexit, & eorum bonitatem, & pulchritudinem inquisiuit, vt hominē ad suarū actionum, cogitationum, & operum examinationem impelleret, & tamquā benignus Pater, & prouidus Dominus imbecillitati humanæ naturæ, ante eius exitū, medicinam præpararet. Hanc autem artem discutiendi seipsum, à Domino esse hoc loco per mysteriū delineatam, Hugo de sancto Victore clarissimis verbis affirmat, quæ hæc ferè sunt. Non negligenter transeundum est, quod dicitur: Vidit Deus lucem, quòd esset bona; & diuisit lucem à tenebris.] Fecit, & vidit, deinde diuisit, & vocauit. Quare vidit? Noluit priùs diuidere, quàm vidisset: priùs vidit, si essent bona, & tunc demùm diuisit lucem à tenebris. Adducet enim omne opus suum in iudicium. Non solùm opera alia, quæ in luce fecit, vidit Deus, quòd essent bona, sed ipsam quoque lucē vidit Deus, quod esset bona, & diuisit lucē à tenebris.] Nam ipse Angelus malus transfigurat se aliquando in Angelum lucis, & ingerit se ad decipiendam mentem, quasi lux vera.] Et infrà, ostendens quomodo etiam ipsa bona debeamus expendere, hæc subiicit: Parum est ad perfectum, inter lucem & lucem diuidere, hoc est, virtutes à vitiis sequestrare, nisi sciamus inter diem & diem iudicare, & sciamus omnem diem iudicare; vt sapiamus, qui sunt illi motus, qui sub virtutū specie, quasi luce aliena ad nos veniunt, & qui rursus illi sunt, qui veram virtutis claritatem prætendunt, & in ipsis quoque virtutibus, non solùm quæ bona sint, sed quæ sint etiam potiora probemus.] Disce igitur à magistro iustitiæ, tuorum actuum semper iustitiam facere; quoniā beati qui custodiūt iudicium & faciūt iustitiam in omni tempore.] Tua bona promoue, tua mala seuerè ac rigidè reprehende, & sine mulcta, & debita satisfactione abire nō sine. Nā hac ratione tuos defectus agnosces, cognitos deplorabis, deploratos dilues, & diuinā misericordiam obtinebis. Sic etiā à bonis operibus innumeras imperfectiones amouebis, ea in dies perficies, quousque perfecta opera facias, & eorū ministerio tāquam dispositione quadam in fastigiū perfectionis ascēdas.

Genes. 1. *Hugo.* *Psal. 105.*

4. Mortificationē sensuum tam exteriorum quàm interiorum, & corporis discretam afflictionem assume, nec non & passionum tuarū cohibitionem diligētissima cura sectare. Huius sanè documēti Dominus ipse doctor est atq; præceptor, qui in Deuteronomio, ad Dei dilectionē, id est, perfectionē obtinendam cordis circūcisionem sua lege sanciuit. Circumcidet (inquit) Dominus Deus tuus cor tuū, & cor seminis tui, vt diligas Dominū Deum tuū in toto corde tuo, & in tota anima tua.] Hanc verò cordis circumcisionē, ita præstabis, si quæ videre cupis, dū sunt inutilia nō videas; quę audire velles, si vana & curiosa, nō audias, quę olfactui suauia, aut gustui dulcia, aut tactui mollia, percipere cōcupiscis, si necessaria non sunt, nequaquā percipias, sed ab eis te constāter abstineas. Similiter imaginationem cohibe, ne per vana discurrat; affectibus amoris, odij, desiderij, auersionis, dilectionis, atq; tristitiæ, nec non audaciæ, & timoris, spei, & desperationis, iræ, ac indignationis acriter impera; non solùm ne te in peccata grauia præcipitēt, verùm etiam ne domū cordis, in qua habitat Deus clamoribus importunis perturbent, aut mētis tranquillitatē impediant. Mens etenim tua, si diuinā gratiā est adepta, & ad perfectionē aspirat, spiritualis est Ierosolyma, quā Christus nō omninò depellat, & in suā trāsfert potestatē, quousq; sensus mortificētur, & affectus ad pacem, & ad debitum ordinē redigantur. Audi quid dictū fuit Dauidi, cùm Ierosolymā expugnaturus & possessurus aduenerat: Non ingredieris huc, nisi abstuleris cæcos & claudos dicētes; Non ingredietur Dauid huc.] Quisnam est iste Dauid, qui vrbē Iebusæorū expugnauit, nisi Saluator noster Iesus Christus, qui humanā mentem à Iebusæis (qui interpretantur conculcati) id est, à

Deut. 30. *2. Reg. 5.*

Dæmonibus ac peccatis liberauit, & in suum dominium transferre dispoſuit? Et qui ſunt iſti cæci, & claudi, qui Chriſto aditum claudunt, & eius in mentem pacatum ingreſſum impediunt, niſi ſenſus & affectus inordinati, quorum illos vana curioſitas cæcat, iſtos verò ne bene gradiantur, deſiderium cōmoditatis eneruat? Iſti ergo cæci & claudi tollendi ſunt, id eſt, per ſtudium mortificationis cohibendi, & ad medium virtutis reuocandi, vt Chriſtus mentē ſuum habitaculum faciat, & nō ex parte tantùm, ſed omninò, atque perfectè poſſideat. Cohibe igitur ſenſus, & affectus tuos, mortifica illos, vt habitaculum Dei efficiaris, vt perfectionē & puritatem hoc habitaculum exigētem, & exornantem acquiras. Nec putes te perfectam virtutē aſſequi poſſe, niſi ianuas ſenſuū claudas, per quas nō ſolùm imperfectiones multæ, ſed ipſa etiam animæ mors interdū ingreditur; & beſtias paſſionum domes, quarum morſibus & vnguibus miſerabiliter dilaceratur. Ille diuinus eſt Philoſophus (inquit beatus Ephræm, id eſt, vir ſanctus, atq; perfectus, qui omni tēpore prauis ſuis cōcupiſcētijs reſiſtit. Nā qui in ſolo nomine ſapientiæ ſibi blanditur, & gloriatur, propriaſq; ſibi concupiſcentias nō ſubijcit, inſipiens hic prorſus, ac ſtultus reputabitur, quod de tā modicis paſſionibus ipſe inquietari, ac torqueri velit.] Quomodò itaq; perfectus eris, quo pacto nō inſipiens reputaberis, ſi perfectionē cupiens, perfectionis hoſtes non vincis, & ſanctitatis impedimenta non excludis?

Ephræm ſer. de pte vt bo- ... ſpe- ... exort.

5. Nimium autem amorem erga aliquam rem creatam ſtrenuè deuita, & tot tuū à deſiderio rerum viſibilium purum illibatumque cuſtodi. Si enim aliquid concupiueris, quod vel ad tuum honorem, vel ad tuam commoditatem pertineat, illud quidquid ſit, cogitationem vinciet, affectūmq; ligabit, ne ad Chriſti imitationem, & Dei vnionem perniciter conuoles. Si autem, qui omninò ſe à rebus creatis expediūt, & ſummis conatibus volant, vix ad ſanctitatem perueniunt, quomodo tu miſer eam aſſequeris, tot amoribus detentus, tot deſiderijs vinctus, tot curis, & diſtentionibus oneratus? Arcta eſt via, quæ ducit ad vitam,] impeditus eſt aſcenſus in regnum cælorum, difficilis eſt curſus, quo non ad quamcumque virtutem, non ad quamlibet gloriam, ſed ad perfectā virtutem, & ad gloriam illi correſpōdentem properamus. Neceſſe eſt ergo curas rerum mundanarum ſeponere, amorem viſibilium relinquere, deſideria commoditatum periturarum deſerere, & in hanc curam veræ ſanctitatis, in hunc amorem, & in hoc deſiderium ſolùm incumbere. Regnum cælorum (vt ait Caſſianus) non deſides, non remiſſi, non delicati, non teneri, ſed violenti deripiunt. Qui ergo hi violenti ſunt? Nempe illi, qui non alijs, ſed voluntatibus ſuis præclaram inferunt violentiam, qui direptione laudabili omni ſe præſentium rerum voluptate fraudantes, voce dominica egregij direptores pronunciantur, & per huiuſcemodi rapinam regnum cælorum violenter inuadunt. Regnum enim cælorum, ſecundùm ſententiam Domini, vim patitur, & violēti diripiunt illud.] Iſti profectò ſunt laudabiles violenti, qui vim faciunt perditioni ſuæ. Homo enim (vt ſcriptum eſt) in laboribus laborat ſibi & vim facit perditioni ſuæ.] Perditio noſtra eſt oblectatio vitæ præſentis, & (vt expreſſiùs dicam) executio deſideriorū, voluptatúmq; noſtrarū, quas ſi quis ab anima ſua ſubtraxerit, & mortificauerit, glorioſam profectò & vtilē perditioni ſuæ vim facit, abnegās dūtaxat ei iucundiſſimas voluntates, quas per prophetam ſermo diuinus frequēter incuſat, &c.] Eia ergo frater, inanes curas depone, honores abiice, Prælationes contemne, tuorū commodorum, ſiue quæ ad cibum, ſiue quæ ad indumētum,

Matt. 7. *Caſſian. col. 24. c. vlt.* *Matt. 11.* *Prou. 16.*

ſiue quæ ad habitationem, ſiue quæ ad miniſterium, nimiam ſollicitudinem linque, & ipſi rerum cognitioni, & ſtudio literarū modum adhibe, & omnia diuinæ prouidentiæ committe: Vnus autem ſolus amor in te regnet, vnum deſiderium imperet, vna cura dominetur, adhærere Deo, eius voluntatem etiam in minimis exequi, & quicquid ad mentis puritatem adipiſcendam neceſſarium eſt, exquiſitè cuſtodire.

Humilitatem, & obedientiā ſemper tuarū actionū fideliſſimas comites adhibe; nec exiſtimes aliquod opus, quantumuis magnū, tibi ad perfectionē aſſequēdā eſſe proficuū, quod nō humilitas ſancta condiuerit, & prōptiſſima obedientia dictauerit. Harū quippe duarum virtutū, humilitatis, & obediētiæ, illa nos roborat, iſta nos animat; illa prouidos, iſta conſtantes efficit: illa peruentionem ad operis finē; iſta præmiū, & mercedē operis exigit. Humilitas, inquam, nos roborat; quoniā robur gratiæ à Domino impetrat; qui ſicut ſuperbis reſiſtit, ita humilibus dat gratiam.] & obedientia nos animet; quoniam illi promiſſa eſt in cæpto prælio victoria, cùm ſcriptum ſit: Vir obediens loquetur victorias.] Humilitas prouida eſt, quia ea, quæ ad finem aſſequendū neceſſaria ſunt, prudenter ſollicitéq; diſponit, cùm nequaquam ſibiipſi cōfidat: & obedientia conſtans, quia & voluntatem Dei ſequitur, quæ immobilis eſt, cùm ipſe Dominus dicat per Malachiam: Ego Dominus & non mutor:] & non propria voluntate omni vento leuiore raptatur. Humilitas aſſequitur finem, iuxta illud quod ait Salomō: Antequam conteratur, exaltatur cor hominis; & antequam glorificetur, humiliatur,] & obedientia mercedem perſeueranti debitam poſcit, quæ nō propriæ voluntati, ſed prudenti ſubiectioni conceditur. Humilitas, & obedientia (vt ſimilitudine Dorothei vtar) ſunt veluti duo agiles equi, vitæ noſtræ currum trahentes, & in cæleſtes manſiones ſine vllo labore portantes. Nam ſicut currus vno equo non ſatis cōmodè trahitur, ſed duobus commodiſſimè vehitur; ita vehiculum ſpiritualis conuerſationis duobus virtutibus humilitate, & obedientia ſine vlla difficultate portatur. Eſto ergo ſemper humilis, ita vt teipſum ex corde contemnas, & tibiipſi omninò diffidas: eſto & obediens, ita vt ductum Prælati ſequaris, & tuam non expleas voluntatem, & tutiſſima via, ac celeri greſſu ad perfectionem feſtinabis. 6.

Iacob. 4. *Prou. 21.* *Malac. 3.* *Prou. 18.* *Doroth. doctr. 1.*

Ne ſis in tuis operibus, aut exercitijs ſingularis, ſed ea efficaciora tibi, ad capeſſendam perfectionem iudica, quæ communis vſus cōgregationis approbat, & Patrum inſtituta præſcribunt. Hæc enim exercitia ſtrenuè, & ſollicitè præſtita Patres tuos, & tuæ religionis fundatores ſanctos fecerunt, & ad perfectionem prouexerunt; te igitur etiam ad eandē aſſequendam iuuabunt. Neque enim temporis mutatione, hæc ſanctitatis inſtrumēta mutata ſunt, nec ſicut antiqua medicamina, ſuam efficaciam amiſerunt, ſed hodie etiam efficaciſſima ſunt morbis animæ noſtræ pellendis, & veræ mentis puritati prærogandæ. Et quidem Caſſianus in rebus monaſticis præceptor ſatis expertus, illum feruentiorem iudicat, qui ad communes occupationes promptior fuerit, & ſe regulari modo viuendi magis accommodauerit. His (inquit) veſtimentis Chriſti miles indutus, nouerit priùs ſe ob id cinguli conſtrictione munitum, vt ad cunctos vſus, & opera monaſterij, non ſolùm mente promptus, ſed etiam ipſo habitu ſemper expeditus incedat. Tantò námque feruentior circa ſpiritualem profectum, ac diuinarum rerum ſcientiam, & cordis puritatem probabitur, quantò fuerit erga obedientiæ ſtudium, operiſque deuotior.] Quo ſanè documento quorumdam ſeruorum Dei ingens 7.

Caſſian. lib. 2. de inſt. c. 12.

deceptio aperitur, qui consueta opera sui status, aut parui pendentes, aut cum tædio, & nausea præstantes, nouas, & insuetas, & suo instituto contrarias seruiendi Domino rationes excogitant, quibus putant se breuiùs & compendiosiùs veram virtutem, ac mentis puritatem comparaturos, sed prorsus decipiuntur. Nam sicut scopus vitæ spiritualis vnus est, scilicet vitæ sanctitas, atque perfectio, qua Christum induimus, & Deo per omnia placere cupimus; ita viæ ad hunc finem assequendum debent esse diuersæ: Et ille profectò nequaquam ad finem perueniet, qui alienas vias, & sibi occlusas ingressus fuerit, viámque sibi à Domino assignatam, ac destinatam, scilicet viuendi rationem suo statui congruam, professionique, contempserit. Non tamen est singularitas, tepidorum vitam prætergredi, & imperfectis se non conformare, & istis non seruantibus regulam, eam exquisitè seruare. Isti enim contemptores, & transgressores regulæ singulares sunt, qui nouum viuendi modum in religionem inuehunt, & statuta Patrum, & scita conuellunt. Vnde tu non es singularis, vita tua illorum vitia, & peccata damnans, loquacitatem, & otiositatem obiurgans, & regulam, quam professus es, exactè, & perfectè custodiens.

8. Conuersatio tua cum hominibus admodum moderata sit, nec putes te huiusmodi conuersatione, sed potiùs Angelorum, ac sanctorum alloquio, ad perfectionem iuuari. Illa autem erit moderata, quæ à vita religiosa non deuiet, & tuo instituto, & modo viuendi conueniat. Illa erit moderata, quæ ad spiritualem tuæ animæ profectum dirigatur; cùm scilicet virum spiritualem, aut sodalem eiusdem propositi fidelem alloqueris, vt eius verbis remedium ad aliquam tentationem vincendam, aut lucem ad virtutem acquirendam, aut nouum feruorem ad perseuerandum addiscas. Illa etiam erit moderata, quam pro tui muneris ratione ad vtilitatem aliorum, vt eos erudias, & à somno vitiorum exsuscites, vel aliquid necessarium doceas, Deo, & prælatis annuentibus, admittis. Illa tandem erit moderata (vt suprà ad aliud propositum diximus) quam iusta necessitas exigit, aut prudens, & discreta charitas postulat. Extra has religiosæ conuersationis regulas, cum sæcularibus verba miscere, & res inutiles ac superuacaneas tractare, religioso periculosum est: ex quo ille non profectum spiritus reportabit, sed internis oculis nebulam, affectui teporem, virtuti detrimentũ, religioni damnum, & aliis fratribus murmurandi occasionem, & non bonum exemplum eliciet. Verissimum ergo est, quod qui custodit os suum, ne scilicet verba inania & inutilia profundat, custodit animam suam:] nam sicut per portam vrbis ingrediuntur hostes, qui eam populantur, & egrediuntur milites, qui ipsam tuebantur, ac propugnabant: ita per aures ingrediuntur verba noxia, quæ spiritum nostrum exagitant, & per os egrediuntur sermones fatui, qui mentem feruore vacuant, & robur eius eneruant. Sapienter quidem Laurentius Iustinianus cordis, & oris custodiam, paria existimat. Ista (inquit, scilicet, quæ ad temporis reddendam rationem pertinent) si interdum, qui nugis vacant, curiositati inseruiunt, otiosa sectantur, & terrenis inuigilant lucris, reuoluerent secum, non minus cordi, quàm ori suo prudentem adhiberent custodiam. Vtrumque ad seruandam innocentiam, & vitæ sanctimoniam necessarium est. Quid prodest, si omni diligentia serues cor tuum, sciens quoniam ab ipso mors, & vita procedunt, & linguæ ostium absque vllo temperantiæ obstaculo viatoribus pateat permittas? Vel quæ vtilitas est, si loquacitatem corrigas, si silentij censuram viriliter teneas, & obscœnis cor tuum sinas cogitationibus sordari? Rectissimè ergo definiendum est, quòd nec cordis munditia sine taciturnitate possidetur.] Si munditiam igitur, ac cordis puritatem concupiscis, & ad sanctitatem aspiras, omni custodia serua cor tuum, ne interiùs noxia, & vana loquatur, & omni custodia serua linguam tuam, ne exteriùs inutilia, & otiosa dicat, quoniam ab vtroque spiritualis vita dependet.

Prou. 13

Laurent. Iust. libr. de Triũp. Christi agone. ca. 25.

9. Externas occupationes, quæ tibi ab obedientia, aut à charitate demandatæ fuerint, magna libertate spiritus incipe, sine vlla spiritus anxietate perage, magna spiritus tranquillitate perfice. Nimia enim sollicitudo animum in varias cogitationes, & desideria distrahit, & à diuina præsentia, & feruentissimo perfectionis desiderio diuellit. Nec impossibile est rem aliquam, quantumuis magnam, quantumuis necessariam, aut vtilem bene facere, & cum ingẽti libertate, & tranquillitate facere. An non, cùm pauimentum verris, optimè verris; & cum catinos lauas, optimè lauas? & tamen sine imprudenti sollicitudine, sine nimia anxietate, sine vano timore, aut turbatione lauas; ita vt spiritum tuum collectum, Deo præsentem, & quietum, ac tranquillum retineas. Eodem modo seruata proportione omnia negotia tractanda sunt omnes res externæ faciendæ: ita scilicet, vt curam moderatam, & attentionẽ discretam, prout rei qualitas exigit, prudenter adhibeas, non tamen ineptè anxieris, stultè turberis, & vanè sollicíteris; sed quadam amabili spe tui Creatoris & fidelissimi adiutoris cõcepta, à quo te iuuari & sustentari senties, cuncta incipias, peragas, atque perficias. Sic pusillus magna facies, & imbecillus ingẽtia perficies, & viribus destitutus, difficilia, & ardua patrabis; non tu, sed gratia Dei tecum, quæ non derelinquit in ipsam sperantes, pręsumentes autem de se ipsis & de sua virtute gloriantes humiliat.] Illa verò nimia & imprudens anxietas, quæ in rebus agendis à nonnullis concipitur, astus Dæmonis est, vt eorum mentes ab spiritualibus desideriis distrahat, & à perfectionis amore dimoueat, & tempore sanctæ orationis inquietet. Quod quædam nescio an lepida, an miserabilis cuiusdam monachi in rebus superfluis anxiè laborantis, historia satis abundè demonstrat; quem (vt Cassianus narrat) alius probatissimus monachorum, eminùs vidit saxum durissimum conterentem, & iuxta illum Æthiopem astantem & ignitis facibus ad comminuendum saxum instigantem aspexit. Hunc ergo inepto labore fatigatum cum interrogasset alius, quid ageret, & ille respondisset; Laborauimus contra hunc durissimum saxum, vixq; aliquando potuimus illud cõterere: Subiunxit senex: Bene dixisti, potuimus; non enim solus eras, cùm illud cæderes, sed fuit alius tecum, quem nõ vidisti, qui tibi in hoc opere, non tam adiutor, quàm violentissimus impulsor adstabat.] Ex his autem nolo frater, vt excors & negligens fias, atq; in rebus tibi iniunctis ignauiam, & socordiam concipias, sed vt medium teneas, & distractionem, ac immoderatam sollicitudinem fugias, quæ sine dubio pestis est orationis, detrimentum lectionis tinea vitæ spiritualis, & mater ineptissimarum cogitationum, atque curarum, per quam, vt per ianuam solent in corda virorum spiritualium ingredi sollicitudines, quæ omninò spiritum deuotionis exhauriant, & tempus, imò & desiderium orationis surripiant.

Iudith. 11.

Cassi. col. 9. c. 5.

10. Negotiorum multitudinem, quæ tuas vires corporales, aut spirituales excedant, nequaquã admittas, sed solerti meditatione considera, quid possis, & quid sine spiritualis profectus detrimento non possis, & illud faciendum assume, hoc autem prudenti excusatione deuita. Optimè námque dixit quidã sanctus,

& sapiens

& sapiens vir nostri temporis: Nulli plus filiorum, quàm lactis; nec plus negotiorum, quam vitium esse debere. Sicut enim, quæ mulier plures filios, quàm possit, lactat, & sibi,& illis non modicum affert detrimentum; sibi, quia vires exhaurit, & corpus extenuat; & filius, quibus minùs sufficienter lac subministrans, eos imbecillos,& malè sanos educat: ita, qui negotia supra vires suscipit, & spiritum orationis euacuat,& nullum negotiũ bene exequitur,sed multa incepta,aut cursim tractata derelinquit. Qua de re, sic loquitur Laurentius Iustinianus. Sunt multi, qui spiritus lenitate permoti, & inordinato feruore sub prætextu charitatis seducti adeò in exteriorib. actionibus implicantur, vt de se nihil curare videantur. Diem quippe totum in his occupant, mentem dilaniant, corpus atterunt,& spiritualia studia negligunt, sola temporalia cogitantes. Istorum autem quale fuerit opus, exitus comprobabit. In diuinis namque legitur Scripturis, quod Moses cùm ex Ægypto egressus esset, & absque interuallo causas populi occupatus audiret, à Iethro suo cognato admonitus est, quod stulto labore, & vltra vires proprias desudaret: cùm minora maioribus anteponeret,& plus debito in exterioribus se dilataret. Et quis Mose sanctior? quísve feruentior? qui à Deo dux populi Israel electus est? qui super omnes homines qui tunc morabãtur in terra mitissimus? qui causas populi ardentissimo charitatis zelo iudicabat? vt audeat sine læsione persistere in eo, in quo sanctus propheta perseuerare nõ valuit. Audito namque gentilis viri consilio, prudenter restrinxit negotia proximorũ, vt in iis, quæ Dei erãt, suo quietiùs vacaret tempore. Non enim sanctus propheta saniori dedignatus est acquiescere cõsilio: propter quod etiam plurimum profecisse dignoscitur.] Hanc verò negotiorum moderationem nõ ita intelligas, velim, vt onera à sancta obediẽtia imposita debeas abiicere, & tibi imperata recusare. Obedientia quippe, sancta;& prudens, cùm sit, in religionibus bene institutis,& prudenter gubernatis, externos labores inter suos filios solertissimo iudicio distribuit, & neminẽ supra vires onerat. Quod verò hortamur, id est, vt quæ negotia tu, vel charitate instigante, vel alio bono fine monente, sponte, & propria voluntate suscipis, priùs diligenter circumspicias,& illa attentè perlustres. Vide inquam, an talia sint, quæ te nõ opprimant, & (quod præcipuum est) scilicet studium propriæ perfectionis, haudquaquam impediant.

Laur. Iust. lib. de discipl. & perfect. monast. cap. 11.

Exod. 18.

11\. Orationi & contemplationi diuinorum semper insiste: hanc, vt sponsam tenerrimè dilige; vt dominam strenuè venerare, vt cibum, sine quo sustentari non poteris; vt vestem, sine qua nudus, & algidus eris; vt diuitias te replentes, & protegentes concupisce. Huius desiderium te summo manè ad vigilandum exsuscitet: huius amor te quiescentem, & dormientem excipiat; huius studiũ te vigilantẽ & aliquid operis facientem accendat. Habeas temporis spatia manè,& vesperè orationi destinata, quæ ita diligenter custodias, vt nulla occupatio, nullum negotium, nulla necessitas illa surripiat. Si quando verò cõtigerit hoc tempus orationi donatum aliqua necessitate, aut obedientiæ occupationi abripi, sequens hora, aut certè alia eiusdem diei, quod huic sponsæ dilectissimę oblatum est, sollicita cura restituat: Si enim consuetudo,& necessitas corporalis exigit, vt alimenta hora solita corpori non ingesta, in alium diem minimè protrahantur, sed quàm primum fieri potest, naturali imbecillitati donẽtur: cur spiritualis necessitas, quæ maior est, eandẽ diligentiam nõ requiret, vt scilicet orationis dulcissimus cibus animæ, cõsueta hora negatus, statim hora sequenti, aut certè alia eiusdem diei, sine vlla cunctatione ingeratur, & quo tardius, eò auidius, appetentiúsque donetur? Non solùm autem destinatis temporibus debes diligenter orationi vacare, sed etiam omnibus occupationibus & negotiis tuis sollicita circũspectione miscere. Illa quoduis opus incipiat; illa progressũ operis comitetur; illa etiam operi finem imponat, adeò, vt quantũ fieri poterit, vita tua non aliud sit, quàm quædam indisrupta & perseuerans oratio. Paulus ait: Sine intermissione orate:] Nam oratio est, quæ vincit difficultates nostræ conuersioni aduersantes, & sustinet vitæ spiritualis exordia. Ipsa est, quæ profectus virtutum auget,& ad concupitam perfectionem prouehit. Ipsa deniq; præcipuum est perfectorum studium, quo (quia nunquã in hac vita ad supremum gradum perueniunt) mirabili modo crescunt, & quotidie in maioris puritatis gradum ascendunt.

1\. Thess. 5

12\. Hæc tandem sit, in omnibus, quæ egeris, tua sollicita cura, tua iugis occupatio, Deum aut extra teipsum, aut intra teipsum præsentem intueri,& purissimis desideriis, sanctissimis colloquiis, & ignitis amoris affectibus, ad diuinam,& incomprehensibilẽ eius bonitatẽ aspirare. Nihil enim efficacius est ad peccata delenda, imperfectiones extirpandas, proteruiam humanæ naturæ molliendam, virtutes acquirẽdas, & nostram mentem in Deum transformandam, quàm hoc amoris exercitium, siue cum voluptate, siue cum mentis ariditate præstitũ, quo potentissimè terrena fugimus, & in carne mortali quodammodò impassibiles,& cælestes efficimur. De hoc amoris studio Albertus magnus ita loquitur. Nõ est ergo aliud, quod nos ab exterioribus sensibilibus intra nos, & exinde in Iesu Christi intima, & diuina trahit, quàm amor Christi, quàm desiderium dulcedinis Christi ad sentiendum, percipiendum, & degustandum præsentiam diuinitatis Christi. Non itaq; aliud est, quã amoris vis, quæ etiam animã de terris ad fastigia cæli celsa perducit. Nec ad summam beatitudinem quis peruenire potest, nisi amore,& desiderio prouocãte. Ipse etiam amor est vita animæ, vestis nuptialis, & perfectio ipsius, in quo omnis lex, & Prophetæ. Vnde & Domini edictũ pẽdet. Vnde Apostolus ad Romanos plenitudo legis est dilectio. Et prima ad Timotheũ: Finis præcepti est charitas.] Sed in his duobus orationis indisruptæ, & frequẽtium aspirationum postremis documẽtis sicut magna diligentia, ita maxima prudentia necessaria est; ne quis supra vires naturæ, & gratiæ sibi à Domino prærogatas operibus mentis, & affectus insistens, breui tempore caput lædat, pectus frangat,& corpus extenuet; ita vt nõ possit vltrà progredi,& cum magno damno suo, & aliorum detrimento (qui imprudentium indiscretionibus consideratis, fiunt negligentes, & pusillanimes) aut viam spiritualium exercitationum deserat (quod Diabolus impensè cupit, & indiscreto feruore consequi intendit,) aut certè (quod frequentissimè vidimus) in studio perfectionis inepte sœat.

Alb. lib. de adhær. Deo. cap. 12.

Rom. 13. 10.
1\. Tim. 15.

Duodecim alia documenta ad consequendam perfectionem charitatis erga proximum.

CAPVT XXXIX.

Accipe nunc duodecim alia documenta, quæ mirificè tibi proderunt, vt cum Dei gratia perfectionem charitatis erga proximos assequaris, & duabus perfectionis partibus supradictis plenè & cumulatè satisfacias.

Assuesce fratrem aspicere non vt carnem, & san-

guinem, sed vt imaginem Dei, ab eo impensè amatam atque dilectam: Fecit quippe Deus hominem *Genes. 1.* ad imaginem, & similitudinem suam,] dum illum intellectu, & libero arbitrio insigniuit, & donis ac virtutibus cohonestauit. Hanc imaginem Deus ipse valde charam habet, & sic dilexit eam, vt pro illa reformanda filium suum vnigenitum daret; vt scilicet omnis qui credit in illum, non pereat, sed habeat vitam *Ioann. 3.* æternam.] Pro eius corporali obsequio, & spirituali auxilio, vniuersum orbem tam decorum creauit, & Angelos ipsos creaturas nobilissimas hominis vtilitati subiecit: Nam omnes sunt administratorij spiri- *Hebr. 1.* tus propter eos qui hereditatem capiunt salutis.] Hanc eandem imaginem Christus filius Dei tam impensè amat; vt pro ea vitã propriam dederit, & pretiosum sanguinem fuderit. Nam dilexit nos, & lauit *Apocal. 1.* nos à peccatis nostris in sanguine suo.] Vide igitur an æquum sit hanc Dei tui imaginem vilipendere, quæ in templo cælorum suo tempore collocabitur, & ab Angelis & sanctis honorabitur, & suspicietur. Vide, an cum ratione conueniat, eum odio habere, quem Deus infinitè amat, eum auersari, quem Christus amore complectitur. Noli, ô homo (inquit Laurē- *Lau. Iust. in ligno vitæ de charitate, c. 15.* tius Iustinianus) tãtum vilipendere amorem, tuumq; contemnere fratrem. Propterea Dominus Iesus dominationi mortis se tradidit, vt ipsum à iugo diabolicæ dominationis erueret: suscepit mortis seruitutem vt illi tribueret vitæ æternæ libertatem. Non ergo despiciendus est, quem tam charum Dominus habuit.] Non solùm autem fratrem, sed etiam & teipsum Dei imaginem esse cognosce: Et videbis oportere (auctore Bernardo) id quod ad imaginē est, *Bern. lib. meditat. cap. 1.* cum imagine conuenire, & non in vacuum nomen imaginis participare, & repræsentare in seipso imaginem Dei, in appetitu pacis, in intuitu veritatis, & in amore charitatis.

2\. Assuefac animum tuum cogitare fratrem, non vt extraneum, sed vt fratrem, vt personam scilicet tibi coniunctissimã, cuius prosperitas, vel aduersitas non est aliena, sed ad te valde spectat. Nã si quisque naturaliter diligit fratrem carnalem, ab eodem secum patre, & ab eadē matre in fæcibus peccatorum progenitũ; cur tu non diliges supernaturaliter fratrē spiritualem, ab eadem matre sancta Ecclesia, & sancta religione, & ab eodem Patre Christo, tecum in sanctuaris splendoribus generatum? Si amorem excitat, habere vnum communem patrem, qui vilissimam, nec nominandam materiam ad nostri corporis coagmentationem administrauit; cur non amorē excitabit, habere eundem communem patrē, qui nos secundùm corpus, & animam fecit, à quo omnis paternitas in cœlo, & in terra nominatur: Huic carnales parentes comparati, censebuntur plusquàm extranei. Vnde ait Dominus: Et patrem nolite vobis vocare *Matt. 23.* super terram, vnus est enim Pater vester, qui in cœlis est. Non itaque vera fraternitas cēseatur, qua ex vtero matris ad miserias, ad peccata, & ad mortē sumus exorti; sed illa, qua ex Ecclesiæ, & religionis gremio, ad lætitiam, ad merita, & ad vitam sumus progeniti. Hæc enim est fraternitas vera atque indirupta, quæ nec carne gignitur, nec morte dissoluitur, sed gemina amicorum perfectione (vt ait Cassianus) ac virtute concrescit; cuius semel initum fœdus, nec desideriorum varietas, nec contentiosa dirumpet contrarietas voluntatum.] *Cassian. col. 16. c. 3.*

3\. Non aspicias fratrem, quantumuis molestum & auersum tibi, tamquam malum aliquod, aut iniuriã tibi afferentem, sed tamquam magna bona, & eximiã gloriam adducentem. Si enim te amat, te laudat, tuã commoditatem, & lætitiam, & honorem quærit, te adiuuat, & in omnibus obsequitur; iam bonũ vides, iam fructũ capis, iã vtilitatem experiris. Sin autem te odit, atque vituperat, & in omnibus cōtradicit, ne habeas oculos equorum, siue muscarum, qui sola externa, & visibilia conspiciunt, sed oculos Angelorum aut salutem hominum (homo enim es tu, & non brutum animal) qui sub molestia visibili, sub corporali aduersitate, cumulum meritorum à fratre illo auerso allatorum considerent. Hoc documentum à Magno Basilio accepimus. Interrogatus enim, qua ratione aliquis charitatem aduersus proximũ poterit obtinere, ita inter alia respondit. Si cum animo suo hoc *Basil. in reg. breu. interrog. 163.* modo cogitare instituerit, quod videlicet, si frater ille bene de nobis meritus est, etiam humano more illi charitatem debemus: quam etiam gentiles seruãt, *Lucæ 6.* vt in Euangelio Dominus declarat, cùm dicit: Etsi diligitis eos, qui vos diligunt, quæ vobis est gratia? Nam & peccatores diligentes se diligunt.] Sin contra malè meritus, & sic nihilominus, nō solùm propter mandatum, sed etiam vt maiorem in modum de nobis bene meritum debemus diligere, si modò credimus Domini vera esse verba illa: Beati estis cũ *Matt. 5.* maledixerint vobis homines, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum verbum aduersùm vos, mentientes propter me: Gaudete, & exultate, quoniã merces vestra copiosa est in cælis.]

Quotiescumque aduersùs fratrem maleuolentiã, 4. aut animi auersionem in animo tuo senseris, ne sinas zizania callidi hostis arte seminata crescere, ne permittas vulnus illatum ab inimico callum obducere, sed statim medelam afferre cura. Hæc autē ita adhibetur, si pro fratre tibi molesto preces, orationésque iugiter Deo offeras. Vnde ait Dorotheus: Debes ita *Doroth.* concertare, vt etiam cicatricem omnem facias euanescere, atque ita locum vulneris expolire, vt nulla ibi deformitas relinquatur, nec aliquando reminiscaris, vulnus (intellige maleuolentiæ, aut iræ) illũc extitisse. Quod si quæras, quo pacto id facias, scito per orationē hoc maximè fieri, cùm videlicet toto corde pro fratre supplicas, & dicis: Domine auxiliare mihi, & fratri meo per mutuas preces. Et sic supplicans pro fratre, augmentum præstas charitatis, compassionis, & humilitatis, dũ scilicet fraternis precibus tibi quoque imploras auxilium.] Medicinam itaque adhibes, si sagittã offensionis tuo corde infixã, à diuina potentia extrahi enixè postules: Item si, aut oblata vltrò occasione, aut à te quæsita fratrem illũ laudes, eiúsque dicta, & facta tibi placere ostendas; si oculos lætos, vultum amabilem, frontē serenam, & tranquillam illi offeras; si eius conuictum non detrectes, nec cōuersationem diffugias, sed (cùm silentij iura inuiolabilia non obstant) vel illum benignè accersas si qualitas personæ id ferat, vel dissimulanter adeas, vt cum illo de iis, quæ incidunt, colloquaris. Hæc sunt vnguenta, pretiosa quidē illa, & salutaria, quæ auersionis plagam recenter inflictam salubriter leniunt, & ex plaga conceptum dolorem mitigant. Hac ratione paruulus efficieris, & illam comminationem euades Domini Saluatoris: Amen dico vobis, nisi conuersi *Matt. 18.* fueritis & efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum cælorum.] Nam paruulus effectus es, si iniurias dissimulas, si ingratitudinē sustines, si tamquã nihil mali perpessus fratrem ad antiquum colloquiũ, & ad pristina officia charitatis admittis. Paruulus inquam effectus es, non sensibus, sed malitia; infans factus es, nō imbecillitate, sed sinceritate: Hanc autem infantiam Christus amat, quam primùm (vt ait Leo *Leo Papa serm. 2. Epiph.* Papa) & animo suscepit & corpore: Amat Christus infantiam humilitatis magistram, innocentiæ regulã, mansuetudinis formam. Amat Christus infantiam,

quæ maiorum dirigit mores, ad quam senum reducit ætates, & eos ad suum inclinat exemplum, quos ad regnum sublimat æternum.] Et paulo infrà. Non ergo ad lubrica infantiæ, & imperfectæ nobis primordia redeundum est, sed aliquid, quod etiam graues annos deceat, inde sumendum est, velox commotionum transitus, citus ad pacem recursus. Nulla sit memoria offensionis, nulla cupiditas dignitatis. Amor sociæ dilectionis; æqualitas naturalis. Magnum enim bonum est nocere non nosse, & ad maligna nō sapere; quia inferre, ac referre iniuriā, mūdi huius prudētia est; nemini autē malum pro malo reddere Christianæ est æquanimitatis infantia.] Hanc nos infantiam amplectamur, qua super senes intelligimus: hāc pusillanimitatem sectemur, qua sine dubio erimus magnis, & robustis hominibus fortiores.

5. Ne cum aliquo, quantæcumque virtutis & sanctitatis fratre, nimiam familiaritatem habeas, & immoderatam amicitiam cōtrahas; hæc enim, quæ videtur esse charitas, non est re vera nisi tinea charitatis, exitium pacis, & pernicies totius virtutis; ac perfectionis. Si quem enim immoderatè diligis, eique imprudenter, & cum aliorū fratrū offensione adhæres, illum certè non propter Deum, sed propter vilissimam aliquam earum, quas supra recensuimus causarū, amare cōuinceris; & ita non veram charitatem, sed amoris passionem inordinatam, eamq; profanā, & ab statu religionis alienā habes. Ex hac autem radice, qui rami germinent, attentus audi. Primùm quidem illius, quem amamus iugis memoria, & assidua recordatio: magna autem obliuio Dei, quem cùm non cogitamus, & oculis mentis inspicimus, non homines, sed bestiæ sumus. Deinde anxia cura, ne quid illi mali corporalis accidat, ne morbum, aut tristitiam, aut dedecus incurrat, etiamsi spiritum obedientiæ, profectū mortificationis, & bonum perfectionis amittat. Rursus inutilia colloquia, consumptio temporis, non ad scurrilitates, non ad vanitates, nō ad detractiones, sed ad fletum, ad orationē, ad bona opera nobis concessi. Præterea scandalum aliorum fratrum, qui affectum tam immoderatum, & à vita religiosa alienum in fratre mirum in modum detestantur. Postremò aliæ dęmonis tendiculæ, aliæ cogitationes fortè minùs pudicæ, alia desideria minùs casta, de quibus, nec dilectionis sanctitas, quam scribimus, nec religiosus pudor patitur, vt magis clarè dicamus. Quę autē hęc sint ex verbis B. Thomæ magni quidem Ecclesiæ luminis possumus non obscurè colligere. O quantorum capita (inquit) insensibiliter facta sunt, & in quamdā periculosam insaniā inciderunt, quia sine sale discretionis etiam bonos homines dilexerunt; qui spiritu cæperunt, & carne consummauerūt.] Fuge ergo huiusmodi pestem; declina à tam periculoso laqueo, abijce tam perniciosum amorem, qui mille suspiciones generat, offensiones aliorum nutrit, & omninò veræ charitati contradicit. Hæc enim, quæ suapte natura omnes diligit, vniuersos amicos, & inimicos amore cōplectitur, quomodo vno amico satiata omnes alios aspernabitur, atque excludet? Quæ piis omnium colloquiis gaudet, quo pacto non aliorum, sed istius tantùm ineptis colloquiis delectatur? sanè hæc cui desunt propria charitatis, nō est vera charitas, sed inanis, & perniciosus amor. Omnes itaque generali quodam amore complectere, omnes æqualiter iuua, ad colloquium admitte, eadem signa familiaritatis ostende; & si quem nimis amare decernis, iste non sit alius, quàm Christus sponsus tuus, in cuius amore quantumcumque crescas numquam tamen supra debitum amabis, immò neque amandi obligationi satisfacies. Sed ne fortè celē immoderati amoris pericula, & tamquā seruus piger, & desidiosus, damner, qui talentum cognitionis apud me depositum negligenter abscondi; Laurentij Iustiniani de hac diaboli illusione sententiam, in fine huius remedij subijcio. O quot (inquit) sub specie charitatis seducuntur, & seducunt! O quanti simulata pereunt dilectione! Heu quàm multi in principio purè & sine deceptione cōuersantes ex nimia familiaritate paulatim infecti in immane præcipitium dilapsi sunt, eo miserabiliùs, quò fœdiùs! Sub veræ charitatis námque prætextu in tales subintrat amor sensualitatis; aliter enim nequaquam decipi possent. Hic amor cùm in corde imprudentis exortus, radices mittere, ac pullulare cæperit, corporalem quærit dilecti præsentiam, cum eodem cohabitare, cum eodem loqui desiderat. Sicut autem ex ipsius gaudet aspectu, ita absentia contristatur; solus vult cum eo, quem sensualiter diligit, loqui, solus cum eo conuersari, quia in illius mente habitare iam cæpit. Liuore quippe inuidiæ accenditur, si quempiam ab eodem diligi, & cum eodem conuersari perspexerit; absentiam etiam ipsius, magnam sibi delectationis iacturā existimat. Sicut enim amat singulariter, ita & amari vult, atque cæco seductus errore, ignorat se vesano amore percussum. Passione námque victus, ducitur inuitus; & à tyranno superatus ad opera carnis, quadam (vt sic dicam) necessitate abstractus, & illectus, ac intentione quadam latenter palliata, & polita seductus, vt suum valeat assequi appetitum Patrum ordinationes frangit, monasterij institutiones non obseruat, silentia paruipendit, orationem postponit, cellulæ secretam quietem negligit, & intus nihilominus stimulante & vrente conscientia, velut amens post suam totus trahitur concupiscentiam. De verbis, de actibus mutuis de cogitationibus obscœnis tacendum est, quæ sub colore charitatis omnia ex inordinata paulatim familiaritate generantur. De talibus dicit Apostolus: Videte, ne cùm spiritu cæperitis, carne consummemini.] Si autem adeò detestabilis est cum fratre aliquo nimia familiaritas; cum fœmina, quam erit fugienda, & detestanda? Certè qui in hoc circumspectionem non habent, valdè insani sunt, & superbi, qui nec aliorum miserabiles casus considerant, neque periculo propriæ perditionis terrentur, & ibi securi incedunt, vbi Dauid, vir secundùm cor Dei cecidit; & Salomon omnium sapientissimus lapsus est. Habe te igitur cum omni fœmina (inquit sanctus Bonauentura) ac si maritus eius, vel Prælatus inter vos sederet, considerans, vel audiens omnia, quæ facitis, vel dicitis.] Hoc itaque documentum firmissimè custodi, vt amorem erga fœminas, quantumuis sub prætextu sanctitatis exoriatur, omninò respuas, & cum illis nihil amplius loquaris, quàm sacramentalis confessio, & status suarum animarum requirit. Erga homines verò non immoderatè afficiaris, sed omnes communi quodam amore diligas; sic enim & internam pacem, & animi tranquillitatem conseruabis.

6. Si immoderato fratris amore sauciatum te senseris, ne de eius donis naturalibus, aut supernaturalibus credas magis tuæ cæcitati, quàm aliorum veritati. Tu enim passionis amore excæcatus es; alij autē ab hac passione liberi vident in eo, quem impensè amas, defectus virtutis, & humilitatis, quos non vides: Crede ergo magis aliis videntibus, quàm tibi crederes non videnti. Secundùm autem aliorum consilium, iudica rebus illius fratris, quem diligis; ex eorum præscripto illum lauda; ex eorum sententia illi occupationem, aut munus præscribe; ne extollas illum, vt sibi ruinam paret, aliis verò risui, & ludibrio habea-

tur. Si

Marginalia: D. Thom. opusc. 6. de dilectione proximi. c. 2. — Lau. Iust. lib. de discip. & perfect. monast. ca. 11. — Galat. 3. — Bonauẽt. in informatione nouitiorū p. 1. c. 39.

tur. Si hæc prætermiseris in te, & in cæteris magnam facies charitatis iacturam. Nam reliqui fratres laudationes nimias, fratris tibi charissimi ex te audientes, tantùm abest, vt illum in maiori pretio habeant; quòd potiùs & te, & eum aspernantur; te tamquam amore cæcum, & laudatorem mendacem, qui non veritate, sed passione mouearis; illum verò tamquam illis laudibus, & encomiis indignum. Ex hoc autem contemptu, quid nisi auersiones animi, quid nisi obloquutiones, & detractiones exorientur? Si verò non solùm illum tibi charum verbo laudes, sed etiam honore prosequaris, & dignitate super alios efferas, iam discordias generas, factiones suscitas inter eos, qui tuas partes agunt, & tuam voluntatem sequuntur, & eos, qui veritatem amant, meritum in Prælatis requirũt, & sæculi fauores, & familiaritates in religione introductas detestantur. O quanta mala, ô quantæ calamitates religiosis cœtibus ex istis amicitiis perniciosissimis euenerunt: dum scilicet illi, qui videntur aliquid esse suos amicos, & familiares, omnis prælationis prorsus indignos, aut certè minùs dignos ad prælationem & dignitatem euehunt? Isti enim sic euecti, cùm spiritu deuotionis, & diuinæ familiaritatis sint vacui, & prudentia in rebus gerẽdis non polleant, & humilitate, & instituti sui cognitione careant, quo pacto nisi imprudenter gubernabunt? Quid sibi nisi casum, quid subditis nisi ruinam & discordiam, quid sæcularibus nisi scandalum comparabunt? Væ tibi terra, cuius rex puer est, & cuius principes manè comedunt:] Væ tibi religio, cuius Prælatus puer est, non ætate, sed moribus, sed sensu, sed rerum spiritualium ignoratione: Væ tibi religiosa domus, cuius Præpositi manè non ad orationis studia, sed ad vanitatis colloquia & ad curas sæculares assurgunt, quia paulatim ex domo Dei domus negotiationis efficieris, imò & conuerteris in speluncam latronum. Væ tibi, sed multò magis væ illis, qui affectibus immoderatis obsequentes, & amori vano, & sæculari habenas laxantes, illos suos familiares in throno constituunt, qui nec sub aliorum pedibus esse debuerant: Veniet enim princeps pastorum, & suarum ouium stragem ab istis præfectis allatam, de manu illorum, qui eos præfecerunt, requirit. Quoties ipse ego vidi (ait Richardus de sancto Victore) vidẽnsque ingemui, impium superexaltatum, & eleuatum super cedros Libani? Quid quæso est, quod facitis, qui eiusmodi bruta, & bestialia corda in sublime attollitis, & velut in aëre suspenditis? Si verè eos diligitis, cur eis non parcitis? Quid quæso eis aliquid aliud, quam ruinam paratis, dum eos ad alta suspenditis, & quasi in ramis portatis? Quid aliud quisque suo sublimatori, vel potiùs subuersori dicturus est in fine, in ipso confinio ruinæ; nisi: Quia eleuans allisisti me? Conuertentur volucres cæli in ramis, locúmque teneant in summis; quos subleuat penna sanctitatis: Bestiæ sub ramis locum teneant in imis, & qui pronos vultus habent per appetitum carnis districtionem sentiant piæ seueritatis, & iustæ humiliationis.] Caue itaque nimias laudationes; vide ne amicis tuis præter ius & fas, quæras dignitates, quia id faciens, discordias in religione generabis, & pacem, charitatémque subuertes.

Eccl. 10.

Richa. li. de securitate conscientiæ. cap 17.

7. Despice res temporales, earúmque amorem à corde penitus abscinde; ne tu, qui pro Deo magnas diuitias, aut facto, aut desiderio, & expectatione reliquisti, pro rebus minimis, & nullius momẽti tui beris. Sæpissimè res viles & abiectæ nimio desiderio concupitæ, solẽt pacem inter fratres euertere: & charitatẽ in discrimen adducere: ne itaque te turbent & fluctibus indignationis demergant, penitus adiiciẽdæ sunt. Erubesce, tu qui dona Dei possides, & Deum in sortem & hæreditatem speras, pro cella, pro sella, pro libello, pro codice, aut pro aliis similibus cum fratre cõtendere, & dilectionis bono, vilissima quæque præferre. In illis primis Christianæ fidei cultoribus erat cor vnum & anima vna] quare? nisi quia nec quisquam eorum quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat?] Nihil tamquam proprium possideas; omnia tamquam tibi à fratribus mutuata retineas; & ita cum postulauerint, aut acceperint, non æstuabis ira, quia non rem propriam, sed mutuò ad hoc vsque tempus datam sustulerũt: Vbi meum & tuum (inquit Chrysostomus) illic omne litium genus & contentionis occasio; Vbi autem hæc non sunt, ibi secura versatur pax, & concordia. *Act. 4.* *Chry. li. 33. in Genes.*

8. Vince propriam voluntatem, eámque subiice fratrum voluntati, & scabellum pedum suorum pone. Sicut enim Christus non venit facere voluntatem suam, sed eius qui misit eum Patris; ita tu non intrasti religionem vt tuis desideriis, sed vt Domini voluntati deseruires. Tunc autem ei obsecundas, quando in bonis & honestis tuo voto & desiderio alterius præfers & exequeris voluntatem. Memento Domini esse mandatum: Esto consentiens aduersario tuo dum es in via cum illo.] Si aduersario consentire debes, timore pœnæ, ne scilicet pro iniuria sibi illata tradat te iudici, & iudex tradat te ministro, & in carcerem mittaris; quantò magis debes consentire fratri amore iustitiæ, & desiderio charitatis? Sed scire aues, quæ sit propria voluntas, quam pro bono pacis tenẽris deponere. Illa est (inquit Bernardus) quæ non est communis cum Deo & hominibus, sed tantùm nostra: quando aliquid volumus non ad honorem Dei; non ad voluntatem fratrum, sed propter nosmetipsos facimus, non intendentes Deo placere, & prodesse fratribus, sed satisfacere propriis motibus animorum: Huic contraria est recta fronte charitas, quæ Deus est, & cætera.] Et rectè inquit eam aduersari Deo; est enim murus æneus inter Deum & nos, quam si reliquerimus, audacter dicemus: Quoniam in Deo meo transgrediar murum.] *Ioann. 6.* *Matt. 5.* *Bern. ser. 3. de resurrect.*

9. Abnega proprium iudicium tuũ, & ne nimis tuo iudicio fidas, nec tuis definitionibus acquiescas. Nam sicut inter carnales & imperfectos solet contentionem suscitare immoderatus amor terrenæ substantiæ; ita inter perfectos, & spirituales viros iudiciorum, sensuumque diuersitas consueuit generare discordiam. Hanc autem iudicij, intellectúsque abnegationem vera cordis humilitate conquires, si nimirum alios magis sapientes, magis expertos, te verò insipientem, & inexpertum reputaueris. An ne tu es solus homo, & tecum morietur sapientia? Et aliis est cor, sicut & tibi, nec inferiores tui sunt: Quis enim eorum, hæc quæ nouisti, ignorat?] Quoties in tuis rebus errasti? Quoties in aliorum negotiis deceptus es? Quoties ipse Satanas transfigurans se in angelum lucis te decipit;] & quod anteà vtile, & Deo placitum iudicasti, posteà & minùs gratum, & tibi noxium cognouisti? Cogita ergo, quod nunc quoque in his definitionibus erras, & teipsum iudicio fratris submitte. Audi Paulum obnixè te, & nos omnes obsecrantem. Si qua (inquit) consolatio in Christo, si quod solatiũ charitatis, si qua viscera miserationis, implete gaudium meum, vt idem sapiatis, eandem charitatem habentes, vnanimes id ipsum sentientes, nihil per contentionem, neque per inanem gloriam, sed in humilitate superiores vobismet ipsis alterutrum arbitrantes.] *P sal. 17.* *Iob. 12.* *2. Cor. 11.* *Philip. 2.*

10. Scito nihil esse tam magnum, tam vtile, aut pretiosum,

tiosum, quod bono charitatis, & concordiæ debeat anteponi. Vnde ita res externas facias, & negotia tibi commissa disponas, vt tamen fraternam charitatem non lædas; sed cum aliorum etiam omnium iactura illam conserues. Quando contigerit vllum vestrum (inquit Beatus Dorotheus) mitti à me in aliquod ministerium, viderítque imminere vel perturbationem, vel damnum, amputet illud, abijciat, amoueat, nec vobis inuicem noceatis, sed pereat potius ministerium, nec fiat, dummodò inter vos non fiant turbæ.] Meritò quidem vir sanctus hoc suis discipulis præcipiebat; nouerat enim munera aut negotia cum charitatis detrimento administrata, Domino Deo placere non posse.

Doroth. doct. 4.

11\. Illud etiam tibi persuade, nulla causa, quantumuis iusta videatur, iram aduersùs fratrem esse admittendam. Ira enim ex qualibet causa concepta, oculos mentis excæcar, mensuram in verbis non seruat, & bonū pacis, & charitatis extinguit. Aduersùs peccata tua iram salubrem admittes, illud Dauidis adimplés: Irascimini, & nolite peccare; quæ dicitis in cordibus vestris, & in cubiculis vestris compungimini] Erga fratres verò cor placidum & quietū aut semper tene, aut saltem teipsum comprimens, exteriùs ostēde. Non solùm autem iram in corde tuo, sed etiam in corde fratris consopire procura: quod occasionum abscissione, humili satisfactione, & mansuetis verbis efficitur: æqualiter enim perniciosa est charitati, siue in vno, siue in altero duorum excitetur.

Psal. 4.

12\. Non longam vitam tibi promittas, sed reputa te quàm citissimè esse moriturum, & assuesces iniurias & molestias fratrum ea animi tranquillitate tolerare, quam sine dubio retineres in vltima hora cōstitutus. Itaque quæ dicuntur, aut geruntur, respice, ac si ad te nullatenus pertinerent: vnde neque eorum affectione, neque omissione turbaberis. Sex ista postrema remedia Ioannes Cassianus his breuissimis, sed grauissimis verbis edocuit. Prima igitur sunt in contemptu substantiæ mundialis, & omnium, quas habemus, rerum despectione fundamina. Per quàm enim iniustum, atque impium est, si post abrenunciatam mūdi, & omnium, quæ in eo sunt vanitatem, pretiosissimæ fratris dilectioni suppellex vilissima, quæ superfuit, præferatur. Secundum est, vt ita suas vnusquisque resecet voluntates, ne sapientem, atque consultum esse se iudicans, suis malit, quàm proximi definitionibus obedire. Tertium est, vt sciat omnia etiam, quæ vtilia ac necessaria æstimat postponenda bono charitati, & pacis. Quartum, vt credat nec iustis, nec iniustis de causis penitùs irascendum: Quintum vt aduersùs se iracundiam fratris, etiam sine ratione conceptam, eodem modo, quo suam curare desideret, sciens æqualiter sibi perniciosam alterius esse tristitiam, ac si aduersùs alium ipse moueatur, nisi eam quantùm in se est, etiam de fratris mente depulerit. Postremum illud est, quod generaliter vitiorum omnium peremptorium esse non dubium est, vt se de hoc mundo credat quotidie migraturum. Quæ persuasio non solùm nullam in corde tristitiam residere permittet, verùm etiam vniuersos concupiscentiarum ac peccatorum omnium comprimet motus. Hæc igitur quicumque tenuerit, amaritudinem iræ, atque discordiæ, nec pati poterit, nec inferre.] Si nos hæc documenta diligenter custodierimus, & nosipsos, & nostras voluntates vicerimus, facilè diuinæ gratiæ augmentum promerebimur, qua ex his ad charitatem perfectam, siue ad vitæ spiritualis perfectionem perueniemus.

Cass. col. 16. c. 6.

Conclusio libri, & quis possit dici perfectus.

CAPVT XL.

A Ex his quæ diximus, constat perfectionem spiritualis vitæ, in ea charitate consistere, quæ (prout possibile est in hac vita) omnes virtutes, & omnia bona in mentem inferat, quibus homo efficitur bonus: & omnia vera mala, quibus homo efficitur malus, scilicet peccata, & vitia, depellat: Atque adeò perfectionem non vnum simplex bonum esse, sed multiplex animæ bonum, vel (vt verius dicam) omne eius bonum, quo redditur absolutè bona. Licèt enim sola perfecta charitas, quę scilicet potens sit hominem omninò componere &

B efficaciter ad rectitudinem reuocare, sit substantia perfectionis, non tamen est perfectionis integritas. Sed hæc (vt diuus Thomas sapienter ait) ex omnium vitiorum depulsione, & ex omnium virtutum cætu, cumulóque conflatur. Et quemadmodum solis nomen, non primum ac nobilissimum astrum vtcumque significat, sed vestitum luce, circundatum radiis, & ornatum splendore: ita perfectionis appellatio in charitatem quadrat, non certè in quamcumque charitatem pusillam, sed in illam, à qua nebulæ imperfectionum discesserint, & quam dona cœlestia circumsteterint, auxilia gratiæ efficacia ad sanctè viuendum cinxerint; virtutes exornauerint. Perfectio fons est, cuius principiū est charitas, virtutes riuuli, qui à fonte permanant. Totum quoddam est, cuius caput est charitas; virtutes aliæ reliquas partes, &

D. Tho. 2. 2. q. 184. ar. 1. ad 1.

C membra cōstituunt. Thesaurus animæ est, cuius præcipua gemma est charitas, & virtutes reliquæ in suo gradu ad thesaurum pertinere noscuntur. Sanitas est, cuius vis nobilissima est charitas, quæ à vita mentis, nempe à gratia procedens, potentiarum dominam voluntatem rectificat. Aliæ verò virtutes tamquam huius salutis partes, vel reliquas potentias sanat, vel propter alios actus ab amore distinctos, ipsam voluntatem afficiunt. Est ergo perfectio sublimissimum, ac præstantissimum donum Dei homini prærogatum, quo nulli vitio subiacet, & omne bonum virtutis habet, & veram mentis puritatem retinens, collum in omnibus diuinæ voluntati submittit. Quod donum primò & principaliter in charitate

D positum est, secundò & minùs præcipuè in omnibus aliis virtutibus, & earum solertissima exercitatione collocatum. Et eo quidem dono, vel potiùs donorum cumulo, Franciscus, Dominicus, Benedictus, Bernardus, Augustinus, Hieronymus, Stephanus, Laurentius, Petrus, & Paulus: & omnes alij (siue ad sexum masculum, siue ad fœmineum pertineant) quos sanctos, & perfectos vocamus, fuerunt à Domino benignissima miseratione donati. Et ad idem donum consequendum anhelant, quotquot nūc in Ecclesia perfectionem sitiunt, & veram mentis puritatem, ac sanctitatem exquirunt.

Quia verò certissimum est, & fide diuinitus immissa dictatum, semper sanctos & perfectos viros in Ecclesia non solùm fuisse sed & nunc esse, & in venturis quoque temporibus esse futuros (vna enim ex causis propter quas Ecclesia sancta dicitur, est quia sanctos habet, qui totius viribus peccata fugiant, vitia damnent, affectibus prauis resistant) breuiter, quæ prolixè dicta sunt colligentes, ostendamus, quemnam sine vlla temeritatis, aut præsumptionis nota poterimus vocare perfectum. Mente igitur fingamus hominem (& certè non fingimus, quoniam non paucos hæc à nobis dicenda præstātes habet Ecclesia Dei) consideremus inquam hominem, qui vel à

pueritia sua, antequam sæculi miserias & iniquitates nouerit, vel postquam in peccata grauissima ac innumerabiles fœditates impegerit, incipiat Dei gratiam amare, & eius amicitiam, ac ius ad cæleste regnum ambire. Hic primùm rectissima fide, & subiectione ad Ecclesiam Catholicam (extra quam nulli manet salus, nec spiritualis vita, quantò minùs huius vitæ perfectio?) ac sincerissima obedientia retenta, vniuersa peccata sua præterita, siue multa, siue pauca, siue maiora, aut minora, verissimo odio propter Deum suscepto prosequitur, & sacramento confessionis expiat, & per aliquod tempus relictis peccandi occasionibus (sicut Petrus, qui egressus foras fleuit amarè) amarissimis fletibus, & gemitibus diluit.
Luc. 22.

Statim odio sancto in seipsum concepto motus, atque incitatus, corpus suum, nimirum instrumentum peccati, ieiuniis, vigiliis, precationibus, flagris, ciliciis affligit, summa paupertate, & rerum temporalium penuria, & contemptione premit, vel aliis similibus satisfactionis operibus, & eleemosynis (si potest) in pauperes erogatis, peccata & iniquitates suas, quibus diabolo famulatus est, iustitia, & pœnitentia exigente castigat. Mox in his operibus perseuerans, (quæ ad finem vsque vitæ iustos non deserunt, nisi manifesta necessitas corporalis infirmitatis id exigat, & tunc etiã non omninò discedunt) vitiis omnibus, quæ iteratione peccatorum acquisiuit, prolixum, ac immane bellum indicit: & ea omnia (Dei gratia adiuuante, quæ præcipua est totius huius operis causa, ac mirabilis transformationis effectrix) radicitùs euellit, & funditùs ex sinu sui cordis extirpat. Ita scilicet, vt gulam, luxuriam, auaritiam, indignationem immoderatam, accidiam, inanẽ gloriam, odium, & superbiam ablegat, & omnes alias pestes ab iis tamquam à capitibus emanantes profliget.

Deinde affectus, & passiones suas concupiscibilem, & irascibilem, ac motus earum, non quidem interimit, sed comprimit, nõ funditùs euellit (nec enim Spiritus sanctus, Stoicorum more, homines insensibiles facit, & passiones, quæ naturales sunt, omninò abolere contendit) sed mortificationis dono cohibet, & assidua eius exercitatione ad quamdam inexpertis minùs credibilem pacem, & tranquillitatem traducit. Quis námque mundanorum audiens patiẽtissimum Iob tot miseriis & calamitatibus impetitũ, hæc tranquillè dicere, Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit ita factum est, sit nomen Domini benedictum:] non admiretur? Quis eorũ legens sanctissimum, ac eloquentissimum Cyprianum (vt alios omittam) nuncium mortis, sicut vitæ datorem audisse, & ipsam capitalem sententiam in se iniustissimè prolatam, quieto corde, serena facie, hilari mente, & cum gratiarũ actione suscepisse, & sicut in rebus prosperis fieri solet, Deo gratias, respondisse; non obstupescat? At perfecti viri Spiritus sancti, potentiam & efficaciam in seipsis experti, non obstupescunt, quia optimè diuinorum donorum acceptione cognoscunt, quantam ille in suis mentibus contemptionem terrenorum immiserit, quàm eximiam magnitudinem cordis obtulerit, quàm magnam affectibus suorum amicissimorum tranquillitatem concesserit. Qui licèt ab aliquo saltem principio externo aliquando inquietentur, facilè tamen à gratia moderãtur, & in priorem pacem, & requiem sine vlla difficultate reducuntur.
Iob. 1.

Vt autem perfectè prædictas passiones & affectus cohibeat, ac seipsum tamquam templum Dei, & aulam summi Regis exornet, virtutibus omnibus acquirendis insistit. Videas illum propter humilitatis

A studium seipsum abscondere, & dona sibi à Domino concessa prudenter occultare; sæculum irridere, honorem, ac gloriam humanam contemnere, & omnibus tamquam maioribus & melioribus libentissimè se submittere. Iam obedientiæ amore captus nullum opus non amplectitur, nullum laborem refugit, nullum onus à Prælatis iniunctum non promptissima voluntate suscipit, proprium sensum abnegat, & voluntatem proterit, vt se definitionibus aliorum accommodet, & maiorum voluntates, ac iussa perficiat. Iam mansuetudinis, & patientiæ desiderio ardẽs contumelias silens audit, iniurias lætus admittit, honoris iacturam, facultatum damna, & corporalis salutis detrimenta gaudio repletus sustinet, & in rebus aduersis, vt Christum crucifixum imitetur, tamquam in rebus prosperis & iucundis exultat. Iam purissimæ B castitatis dilectione motus, sensus suos rerum corporalium imaginibus exuit, corpus atterit, & motus antea insurgentes disciplinæ censura, & spiritu deuotionis consopit: dulces corpori cogitationes, & ineptas phantasias, quibus Dæmon eum ludificari conatur, penitùs ablegat, & velut caro cælestis, aut spiritus terrestris in omnibus sui generis, quibuscum conuersatur, non corpus attendit, sed spiritum & Dei imaginem considerare, & oculis internis videre persistit. Breuiter, nulla est virtus cuius naturam non solerter inquirat; nulla, quam non in magno pretio habeat; nulla, quam non amet, quam non internis actibus, & operibus externis exerceat, quam non habere gestiat, & non possidere, ac sibi in sponsam adiungere concupiscat.

C Hic felix homo diuina luce perfusus, & doctrina sanctorum eruditus, istius veritatis notionem assequitur; præstantissimum scilicet vincendarum passionum remedium, & assequendarum virtutum instrumentum orationem esse, ac intimam familiaritatem cum Deo, vtpote, quæ intellectum illuminet, voluntatem inflammet; cogitationem purificet, appetitum componat, corpus ipsum emundet, & mentem penitùs cælestibus arcanis immergat. Hoc ergo validissimum armorum genus, ad veterem hominem exuendum, & nouum induendum, incredibili desiderio sibi adsciscendum inquirit. Longissima temporum spatia, quãtum sibi ab obedientia & charitate permittitur, orationis & contemplationis studio concedit. Ibi miserias labentis sæculi meditatur; D redemptoris gesta contemplatur; Beatæ virginis, & sanctorum vitam admiratur; beneficia largissima Creatoris in se collata recogitat; diuinas perfectiones purissimis mentis oculis intuetur, & mysteria sacræ Scripturæ considerat. Ibi mundanorum cæcitatem deflet, iniquorum miserias, & calamitates deplorat; sæculi stultitias, & fatuitates irridet; peccata præterita à se commissa abominatur; quotidianos defectus præsentes luget; odium sanctum aduersus seipsum conciliat; virtutes exoptat, postulat, & intercessionem communis matris, ac sanctorum efflagitat, & vt oblata bene operandi occasione, se agilem, & pronum inueniat, innumeris modis interius exercet. Ibi Deum suum omnium bonorum originem E tenerrimè amat, & præ amore deficit, & præ desiderio diuinæ bonitatis assequendæ liquescit. Iam de sui dulcissimi sponsi bonis gaudet; iam in consideratione diuinarum perfectionum exultat; iam ob iniurias Domino ab iniquis illias contristatur; Iam omnium iniquorum, & infidelium conuersionem, & diuini nominis gloriam, & exaltationem desiderat; iam de bonorum profectu spirituali, aut perfectione lætatur; iam incomprehensibilem maiestatem indicibili exultatione collaudat; iã tanti regis præcepta, atque

consilia adimplere constituit; iam diuinæ voluntati se totum, & omnia ad se pertinentia in tempore & æternitate submittit. Iam creata exhorret, visibilia relinquit, humana transcendit, seipsum deserit, & in Deum intellectu, & affectu, & imitatione verissima transire festinat.

His omnibus, tum externis, tum internis virtutis studiis, diuina gratia, & sacramentorum frequenti susceptione fulcitis, charitas adeò crescit, adeò robusta & fortis efficitur, vt fructus illos suauissimos superius commemoratos emittat. Nam & talis esse conspicitur, vt mentem puram & illibatam reddat, quæ ne leuissimas quidem maculas in se perseuerare sustineat; vt vniuersa mundana contemnat, & tamquam vilissima stercora abiiciat; vt affectus semper quietos, prout hæc vita fert; & minimè perturbatos teneat, nec motus inordinatos aliquando permittat, vt linguam moderetur, atque refrænet, non solùm ne ad noxia & perniciosa deflectat, verùm etiam, ne vana aut otiosa, aut ab studio virtutis aliena profundat. Tam circumspecta est, vt vel leuissimas cogitationes auertat, & nihil nisi purum & sanctum, cogitandum suscipiat; tam ardens, vt nullis obsequiis iam factis satietur, sed semper nouos labores aggrediatur, nouas adinuentiones excogitet, noua obsequia, ac famulatus in Dei honorem faciendos inueniat; tam sollicita, vt vniuersas virtutes exsuscitet, & ad actus sibi proprios exercendos impellat; tam sapiens, vt omnia, aut actionis aut contemplationis opera pulcherrimè præstet, & omnibus debitis circũstantiis exornet, ac omnibus numeris absoluta perficiat. Hæc profectò molestias & aduersitates patienter tolerat; vires hominis eam habentis in vnum colligit & ad arcem mentis, vbi Deus habitat, amanter inuitat; voluntatem creatam, increatæ voluntati in omnibus subiicit; & ita hominem mutat, vt iam ipse non viuat, sed Christus viuat in eo, & in Deum quodammodo conuertit, atque transformat. Tandem eousque procedit, vt Deum ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente, ex omnibus viribus, ex omni virtute, ex omni fortitudine diligat, & nihil nisi in ipso & propter ipsum diligendum, aut complectendum existimet. Hęc charitas est (vt verbis Pauli, & expositione Richardi Victorini simul vtar) quæ sola in aduersis non deficit, 1.Cor.13. Richa. de gradibus Charitatis c.1. quia patiens est; quæ iniurias non rependit, quia benigna est; quam fœlicitas aliena non cruciat, quia non æmulatur; quàm conscientia mala non pungit, quia non agit perperam; quæ honore non extollitur, quia non inflatur; quæ præesse non nititur, quia non est ambitiosa; quam cupiditas non coarctat, quia non quærit, quæ sua sunt; quam iniuria non prouocat, quia non irritatur; quam sinistræ suspiciones non fœdeant, quia non cogitat malum; quam aliena mala non lætificant, quia non gaudet super iniquitate; quam errores non cæcant, quia congaudet veritati; quam persecutiones non frangunt, quia omnia suffert; quam perfidia non indurat, quia omnia credit, etsi non omnibus; quam desperatio non absorbet, quia omnia sperat; quam intolerãtia non deiicit, quia omnia sustinet, id est, omnia de Deo promissa patienter expectat; quam mortis separatio non intercidit, quia numquam excidit.] Talis est charitas, quam Deus in misericordia largissimus suis interdum amicis concedit.

A Vir iustus hac eximia charitate ditatus, & vltra quàm dici potest cohonestatus, & Deo deuotus, sibi verò ipsi rigidus censor existens, incipit in proximos beneficẽtiæ opera deriuare, & eos sicut seipsum diligere. Diligit illos sicut seipsum, quia quod vult vt faciant sibi homines, & ipse efficit illis & quod sibi nõ vult fieri, neque ipse alteri facit. Diligit proximos sicut seipsum, quia illos siue sanguine iunctos, siue extraneos, & siue ignotos, siue cognitos, siue amicos, aut inimicos, tenerrimo amore prosequitur, & consilio, ope, & bonis (pro sua possibilitate) coadiuuat. Diligit eos sicut seipsum, quia neminem temerariè iudicat, sed aliorum dicta aut facta, si ad se ratione officij nõ pertinent, amanter excusat; quia nemini obloquitur, sed omnes in eius ore boni sunt; omnes prudenti ratione defendit, & oblata necessitate, laudationibus B extollit: quia neminem prauis exemplis lædit, sed cunctos puritate ac circumspectione vitæ suæ ad omne bonum faciendum, & omne malum fugiendum, instigat. Diligit sicut seipsum, quia imitatur Christum verissimum amatorem, sic alios amans, sicut ab ipso dilectus est. Amat proximos verè, quia non amat eorum bona pro vt sibi vtilia, sed eos ipsos, prout sunt imagines Dei. Amat efficaciter, quia dilectionis affectum, opere & veritate declarat. Amat circumspectè, quia maiora proximorum bona principaliùs quærit, & minoribus anteponit. Amat spiritualiter; quia non animam propter corpus, sed corpus propter animam, & tàmquam animæ domicilium respicit. Amat gratuitò: quia ex suo amore ab aliis nullum beneficium sperat. Amat vtiliter: quia omnibus quantùm C potest beneficus & fructuosus existit. Amat perseuueranter; quia nulla violatus iniuria à dilectione discedit. Amat mansuetè: quia iniurias sibi à proximis illatas, leniter sustinet. Amat violenter: quia propter alios sua commoda, aut suam salutem corporalem, cùm opus est, negligit. Amat dulciter; quia omnibus, vt eos lucretur, se sine vllo detrimento propriæ virtutis accommodat. Amat ordinatè: quia meliores & sanctiores, si aliqua naturalis ratio contrarium non dictet, minùs perfectis & peccatoribus præfert. Amat denique sublimiter: quia omnibus cælestia bona exoptat, & ad æternæ beatitudinis assequutionem iuuare festinat. Qui ita Deum & proximum diligit, & seipsum omnibus virtutum floribus cingit, & ab omni malo, ab omni affectu inordinato, ab omni inepta cogitatione (prout in hac vita fieri potest) purum illi- D batúmque custodit, & vitam suam hac ratione componit, vt non ad horam, sed ex habitu, & promptè ac faciliter ista omnia, quæ diximus, Dei gratia copiosissima fultus retineat; hic vir perfectus, & sanctus est, iam infantiam vitæ spiritualis nescit, profectum ignorat, aut omnino præterit, & perfectionem ipsam ac sanctitatem acquisiuit. O beatum illum religiosum, & térque quaterque beatum, qui tam efficacia auxilia recepit, & tam sollicitè laborauit, & tam ardenter suam salutem operatus est. Quia finem cuius gratia sæculum dereliquit consequutus, perfectis annumerabitur, incomprehensibilibus bonis, & diuinis illustrationibus in hac vita cumulabitur, & in futura, se- E dem inter magnos & inter nobiles curiæ cælestis accipiet.

* * *

ORATIO PRO LVCE AD cognoſcendam perfectionem.

DEVS gloria ſanctorum, & corona perfectorum, qui eius boni, quod nobis benigniſſimè dare vis, cùm oportet, primùm notitiam infundis, & lucem ad ipſum cognoſcendum immittis: Concede nobis, quæſumus, ad perfectionem vocatis, & per aſſumptionem ſtatus religioſi ad ſanctitatem inuitatis, ipſius perfectionis & ſanctitatis notionem, ne hac notitia priuati per deuia vagemur, per
Pſal. 24. dubia ambulemus, & quaſi in incertum greſſibus vitæ noſtræ curramus. Emitte Domine lucem tuam, & veritatem,] lucem, quæ tenebras auferat, & veritatem, quæ errores depellat, quibus deducamur à vilitate vitiorum noſtrorum, & adducamur per virtutum actiones in montem ſanctum tuum, qui ſancta perfectio eſt; & per eius adeptionem in tabernacula tua. Tua enim lux non impotens eſt, ſed potens; & tua veritas non infirma eſt, ſed fortis, quæ intellectum afficiens, voluntatem mouet, & affectum inflammat. Hæc ergo lux noſtram mentem illuminet, vt perfectionem cognoſcamus, & noſtram voluntatem accendat, vt ad eam adipiſcendam curramus, & pennis veræ, & non fictæ ſanctitatis ad ſupernam gloriam conuolemus.

Amen.

DE MIRABILI PERFECTIONIS DIGNITATE.

LIBER QVARTVS.

Prooemium.

PErfectionis naturam atque substantiam pro tenuitate cognitionis nostræ superior tractatus exposuit; nunc eiusdem excellentiam ac dignitatem liber iste, cui (diuino numine fauente) initium damus, si non prout oportet, at vt nobis concessum fuerit, simplici & impolita nostra oratione, declaret. Quæ dignitas, licet probè intelligentibus, ex ipsa perfectionis natura facillimè colligatur, quæ fons est & origo omnium earum, quibus fulget, proprietatum; tamen sub alio titulo fuit explicanda; tum ne lectores prolixitas tractationis deterreat, tum ne minùs suprà dicta callentes, obscurum putent, quod per seipsos nesciunt ex principio deducere, & facili quadam ratiocinatione propalare. Non omnibus datum est, ex fonte fluminis magnitudinem, & aquarum salubritatem, agnoscere, non omnes sciunt ex principio conclusiones & pronunciata colligere, non omnes possunt testam duram effringere, & dulcissimum nucleũ extrahere. Qui puerorum more cupiunt suæ imbecillitatis iuuamẽ, quo valeăt occulta intelligere, abscondita eruere, & quæ erant integra, in partes comminuta considerationis faucibus deglutire: His præcipuè tractatio ista, quam elaboramus, subseruiet, quæ in hoc tendit, Vt incomprehensibilem perfectionis dignitatem, eius natura inuolutam aperiat, & sanctitatis decus, & ornamentum hoc solo nomine perfectionis aut sanctitatis contectum, attentè legentibus patefaciat. Nec tamen doctis & literatis erit prorsus inutilis, quibus, quæ iam sciunt, & nomine perfectionis intelligunt, ordinatè disposita, & ad memoriam reuocata, intellectui iucunditatem afferent, & affectui deuotionis & amoris erga Deum incitamenta ministrabunt. Hæc autem est prima ac præcipua huius libri destinatio, perfectionis diuitias aperire, & omnibus religiosis in commune proponere; vt tanta pulchritudine exciti, & bonorum copia prouocati, eas appetant, propter quas, terrenas diuitias reliquerunt, & assequi, atque obtinere procurent. Et sicut Iosue & Caleb, qui terram promissam fuerant eminus contemplati, ingenti asseueratione dicebant, vt Israëlitas ad eius expugnationem animarent, (*Num. 14.*) Terra, quã circuiuimus, valde bona est, si propitius fuerit Dominus, inducet nos in eam, & tradet humum lacte & melle manantem;] & alia similia in possessionis sibi à Domino datæ laudem enũciabant: ita & nos, qui funiculum hæreditatis nostræ, (A) assidua meditatione cognouimus, (& vtinam, vt cognouimus, sic intentissima contentione assequi cuperemus) eius dignitatem dicimus, pulchritudinem pandimus, magnificentiam exponimus, vt obliuiosos ad eius amorem, & torpentes ad ipsius assequutionem exciremus. Terra profectò, quam mente circuiuimus, & luminib. internis lustrauimus, optima est; quia finis est laborum, quia velut semen bona cæli cõtinet: quia quicquid boni & amabilis, aut petere, aut optare possumus, comprehendit. Si Dominus voluerit, & nostri misertus fuerit (& vtique miserebitur, si nos eius gratiæ non defuerimus) inducet nos in eam, ita vt præclarissimã Ecclesiæ partem, perfectis & iustis assignatam, accipiamus, & eius pacifica possessione lætemur. Ipse tradet nobis terram lacte & melle manantem, aut cæli imaginem eximia puritate, & ineffabilibus gaudiis affluentem, qua in hac vita, (B) magni, nobiles, & diuites; & in futura, beati, & fælices existemus. Huius spiritualis terræ qualitates (quo nomine perfectionem intelligimus) sigillatim tractandę sunt, vt videamus, an æquum, & rationi consonum sit, mundanis rebus exolutos, & eius acquirendæ gratia opibus, honoribus, & deliciis exoneratos, in media via sedere, in cæno imperfectionum nostrarum iacere, & nunquam brauium supernæ vocationis assequi, nec ad requiem nobis promissam peruenire. (*Genes. 4.*) Equidem puto, nos in vanum laborasse, & superuacuè res mundanas contempsisse, si aut finem cuius causa eas contempsimus, non assequimur, aut eum obtinere non toto mentis nisu contendimus. Si enim filius primi parentis nostri Adæ, secundus natu post Cain, vocatus est Abel, hoc est, luctus, aut vanitas, quoniam immatura morte luctum & tristitiam parentibus attulit, (C) & quia mortalitati subiectus, posteritatis, bono priuatus est, & vxorem non habens, filiorum iocunditate frustratus: quidni vocemur nos vani & miserabiles, quorum calamitas & miseria tanta est, vt tepiditate, & socordia nostra, religioni quæ nos genuit & educauit, fletum & gemitum afferamus, & fine, cuius causa vitam religiosam aggressi sumus, scilicet vera virtute & perfectione frustremur? O nos fletu & commiseratione dignissimi, qui cùm ad hoc nati & vocati simus, vt vera conuersione nostra Angelos & sanctos ad gaudium & lætitiam excitemus, fictè aut tepidè conuersi, potiùs quod in nobis est, ad luctum & mœrorem prouocamus. Nam si fieri posset, ipsi lugerent, & præ angustia & dolore tabescerent, dum nostram cæcitatẽ animaduertũt, &

ingratitudinem ac mentis incuriam detestantur! O nos inanes & vani, qui non intempestiua morte prærepti, sed vsque ad virilem ætatem, & vsque ad senectam, & canos, sustentati bonorum operum fructu caremus; & filios lucis, id est, aliqua perfectionis indicia numquam edidimus: O nos infælices, qui mensæ virtutis accumbentes, fame laboramus; & prope fontẽ meritorum sedentes intolerabili siti cruciamur, & in ipsa diuitiarum domo pauperes, egeni, & nudi sumus! Quid enim aliud est religiosus status, nisi mẽsa lautissima, suauissimis virtutũ epulis onerata, quibus serui-di, & suæ salutis solliciti seipsos reficiunt? Quid est, nisi fons aquæ viuæ, quæ iustorum desideria satiat, & sitim adipiscendę puritatis extinguit? Quid est nisi locus thesauri ditissimi, quem pauperes diligenter effodientes, paupertatem excutiunt, & incomparabiles animæ diuitias acquirunt? Sed ad hanc mensam recumbentes esurire; ad hunc fontem os applicantes sitire; in hoc loco opum & diuitiarum commorantes, spiritualibus bonis indigere, magna calamitas, miseria est, quam deberemus effugere, & vita feruida, & nostro statu digna propulsare.

Iam ergo, vt hunc finem lectores assequantur, nos illis sanctæ perfectionis dignitatem & excellentiam, quam quærunt, clara & dilucida oratione pandamus. Et quemadmodum institores, merces non quæsitas, & præ vetustate putrescentes, ad tabernæ ianuam appẽdunt, vt prætereuntes inuitent, & ad emendum alliciant: ita & nos sanctitatis & perfectionis merces nũquam perituras, quas Deo donante cognouimus, & mediantes admiramur, legentibus ostentemus, & pro nostra possibilitate, amore Dei & proximi instigante, monstremus, si fortè tanta pulchritudine illecti, velint eas emere, & in suum vsum vendicare. Meritò autem perfectionis adeptionem cum alicuius mercis emptione contulimus, quoniam sicut nemo nisi oblato pretio, rem venditioni expositam obtinet, ita nullus nisi labore, & industria ope diuinę gratiæ roborata, perfectionem & sanctitatem acquiret. Omnes sitientes venite ad aquas, ait Isaias, & qui non habetis argentũ, properate; emite, & comedite: Venite, emite absque argento, & absque vlla commutatione, vinum & lac.] Sed hoc ita enunciatum est, non quia aqua viua, & animæ puritas, ac consolatio diuina sine pretio cõquiratur, sed quia pretium laboris, & sollicitudinis à nobis dãdum, admodum exiguum est, & nullius ferè momenti, si magnitudini & valori perfectionis cõparetur. Nũquid non qui rerũ naturas contemplantur, globum terræ cum cæli ambitu comparatum, punctũ vocant, & quasi nihil appellãt? Quid ergo mirum, si noster labor in perfectionis adeptione collocatus, & cum tam eximio & incomparabili bono collatus, nullum pretium, & nullus valor nominetur? Vel aliter, nos perfectionem, & mentis puritatem absque argento, & absque vlla commutatione emere dicimur, non quia sine pretio magnorum laborum, & sine dimissione omnium rerũ, & abrenũtiatione nostræ volũtatis assequamur; sed quia id, quod in ipsius adeptionẽ impendimus, nõ amittimus, sed nobisipsis retinemus. Quem intellectum sanctus Bernardus expressit, dicens: Quid est emere sine argento, & sine commutatione? Non talis est emptio apud amatores huius sæculi, sed apud auctorem sæculi alia esse non potest. Propheta enim dixit Domino: Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum nõ eges.] Quã igitur commutationem ei dabis, homo, pro gratia tua, qui nullius eget, & cuius sunt vniuersa? Gratia gratis datur, etiam cùm emitur, gratis emitur; quia quod datur pro ea, nobis melius reinetur.] Perfectio itaq; merx est, & pretium pro ea dandum est, & magni labores subeundi, sine quibus diuinæ gratiæ cooperantibus ineptum valde est, aut perfectionem velle, aut ad illam solis tepidis desideriis anhelare. Quæ quàm inutilia sint & inefficacia ad veram sanctitatem obtinendam Ioannes Cassianus his elegantissimis verbis declarauit. Inter has vtrasque concupiscentias (carnis scilicet & spiritus) animæ voluntas in meditullio quodam vituperabiliore consistens, nec vitiorum flagitiis oblectatur, nec virtutum laboribus acquiescit, sic quærens à passionibus temperari carnalibus, vt nequaquam velit dolores necessarios sustinere, sine quibus virtutes spiritus nequeunt possideri; absque castigatione carnis castimoniam cupiens corporis obtinere; sine vigiliarum labore cordis acquirere puritatem; cum requie carnis spiritualibus exuberare virtutibus, absque vllius exasperatione conuitij patientiæ gratiam possidere; humilitatem Christi sine honoris mundani exercere iactura, religionis simplicitatem cum sæculi ambitione sectari, Christo cum hominum laude ac fauore seruire; districtionis veritatem sine cuiuspiam vel tenui offensione proferre; postremò, sic vult futura consequi bona, vt præsentia non amittat. Quæ voluntas numquam nos ad perfectionem veram faceret peruenire, sed in tempore quodam teterrimo collocaret.] Merces igitur sanctæ perfectionis in publicum proferre volumus, quæ non gratis accipiendæ, sed pretio multi laboris, & magnæ sollicitudinis emendæ sunt. Brauium immensi valoris in medium producimus, quod currentibus in stadio huius vitæ, & seipsos vincentibus datur; inertibus verò & otiosis nequaquam obtinendum conceditur. Huius pretiosissimæ mercis, & huius magnificentissimi brauij dignitatem & excellẽtiam euoluamus, huius medicaminis efficacitatem exponamus, vt illud cognoscentes, sine vllo timore, & cum magna fiducia, vulneribus nostris applicemus, plagas nostras curemus, & perfectam nobis sanitatem, id est, sanctitatem paremus. Nam si medici (vt inquit sanctus Ephræm) & qui dicuntur pigmentarij, siue pharmacopolæ, studiosè inquirunt radices, ac species herbarum: neque tãtùm digito demonstrant, sed & in scriptis tradunt, & hoc in dispensationem diuinam, puta in solatium infirmorum secundùm carnem. Nonne multò magis debemus thesaurum gratiæ, ab eo donatum, promulgare? Nequaquam enim effugit pœnas seruus, qui per malitiam talentum domini sui negligens abscondit.] Certè, & vt otiosorum & pigrorum mulctam effugiamus, & vt nobisipsis medeamur, & vt aliis, qui legerint, interiorum morborum remedium præbeamus, vtile erit decorem & magnitudinem perfectionis euoluere; & efficaciam eius, ita vt ab omnibus intelligatur aperire. Nonne perfectio sub nomine sapientiæ de se ait: Qui audit me, non confundetur; & qui operantur in me, non peccabunt: Qui elucidant me, vitam æternam habebunt?] Hæc tria bona nos consequi enitamur. Audiamus illam obediendo, & parendo præceptis illius, ne tamquam proterui & inobedientes pudore afficiamur. Consiliis & monitionibus illius edocti, nostra geramus negotia, ne in his, quæ aggredimur, crimen aliquod admittamus. Et nostris scriptis & lucubrationibus illustremus, atque in lucem proferamus illam, si non vt doctores, saltem vt discipuli & amatores ipsius, ne discipulorum & auditorum mercede priuemur. Periculosum enim est, acceptum talentum abscõdere, & in sudario otiositatis occultare: quia istud faciens à Domino seruus malus & piger vocatur; & dono quod acceperat vacuus relinquitur.] Id itaque nostri muneris est, postquam (vt videtur) ad scribendum, voce Domini per superiores

exposita,

Marginalia: Isaia. 55. — Ber. ser. de resurrect. — Psal. 15. — Cassia. col. c. 11. — Ephrem. in adhortatione ad pietatem. — Eccl. 24. — Matt. 25.

exposita, vocati sumus, quod de perfectionis dignitate concepimus, & ex manu Domini prærogatum accepimus, oculis omnium legentium offerre, & verbis, ac sententiis ex Scriptura & Patribus mutuatis, aperire.

Tu verò, ô religiose, qui hæc mea imperita scripta (quatenus mea sunt) non dedignaris perlegere, ne à me flosculos, qui solum intellectum delectent, neque ingeniosa dicta, quæ curiositatem pascant, expectes (neque enim ego tantus sum, vt in hoc tam delicato tépore, in quo tam pulchra, & ornata, & auribus placentia dicuntur, & scriptis in lucem eduntur, aliquid proferre audeam, quod vt acutum & subtile recipiatur, aut scitum & argutū existimetur) sed ea vtcumq; explicata, quæ cor compungnant, quæ proficiendi desiderium accendant, & quæ voluntatem inflamment, exquire. Quia posteaquam ad hoc opus elaborandum accessi, numquam in animum meum induxi (Deus testis est) meipsum, sed Christum, prædicare, & meam proteruam & duram voluntatem, ac alias meæ similes, ad perfectæ virtutis amorem & sequelam impellere. Absurdum námque putaui, hominem imperitum, & in has extremas orbis partes inter barbaros relegatum, & innumerabilibus corporis molestiis affectum, studium gemendi & orandi remittere, & nõ paucas horas præsenti fratrum vtilitati subtrahere; vt inter tot sapientes & doctos, scriptis meis rudes edocerem, inter tot disertos & eloquentes curiositati inseruirem, & soli intellectui, vbique suauissimas epulas habenti, satisfacerem. Voluntates itaque simplices quæro; has vt me audiant, vt mea verba auscultent; vt mea scripta relegant, voco: In ipsarum vtilitatem laboro, & eas ad perfectionis fastigiū obtinendum, aliquid opis afferre desidero. Si tu similem voluntatem habes: & in librorum spiritualium lectione, tuæ animæ correctioné & emendationem inquiris, accede, lege, & quæ legeris, in pabulum hominis interioris assume. Vt verò ad hunc finem emendationis peruenias, rogo te, ne perfectionis magnalia, hoc libro contenta, legas cursim ac festinanter, sed sensim auribus interioribus, ac pedetentim instilles. Animæ medicamina, sicut & corporis, non simul atque adhibentur, tollenda sunt, quia sic, licèt per se efficacia, nihil omnino proficient, sed ad plagam agglutinanda, quæ pus principio moueant, deinde consumant, & demum vulnus obducant, & si fieri potest, ipsam etiã cicatricem deleant, atque submoueant. Hęc ergo, quę vt medicamenta ęgrotationum nostrarum offerimus, ita sensim paulatim que legantur, vt valeant mentem excitare, sanié vitiorum exhaurire, & nobis optatam

A salutem afferre. Quæ ita legeris, postea meditare, & attenta atque quieta circumspectione cõsidera: Nam si animal non ruminans, ore Domini, immundū est, quo pacto mundus erit religiosus, inter alia ad meditandum vocatus, quomodo scilicet mūditiam consequetur, si quæ legit, meditatione, & consideratione non ruminat, vt comminuta digerat, & in interioris hominis substantiam conuertat? Lectioni igitur meditatio succedat, qua quod legeris intra teipsum examines, & trutina considerationis appendas, & tuę indigentiæ prudenter accommodes. Hac ratione manifestè conspicies quàm parum Christum amas, quàm à longè ipsum sequeris, & eius virtutes imitaris, quàm veræ sanctitatis penuria vexaris, quàm ferè nihil ob tuam magnam ignauiam, priuilegiorum eius experitis, quàm vilis & abiectus permanebis: Quibus malis & spiritualibus indigentiis te obnoxium, ac subie- *Leuit. 11.*

B ctum aduertens, non dubium, quin teipsum deplorabis, & tantam miseram & vitę abiectionem detestaberis, & de cætero, vitam mutare, teipsum vincere, & perfectam virtutem obtinere decernes. Tandem meditationi ardens oratio absolutionem abijciat, cuius præsidio Dominum deprecetis, vt tibi perfectionis possessionem attribuat, perfectorū dona experiri faciat, & aliqua Sanctorum suorum (quæ nunc exponemus) priuilegia concedat. Sic nec tu fructu huius lectionis carebis, neque ego laborem meū huic tractationi impensum frustrabor, dum ambo proficimus, & Domino manipulos, siue propriæ, siue alienæ emendationis offerimus. A quo verò fructus iste, & in me & in te sperandus est? Certè non à nobis, qui tãquam terra maledicta, nõ virtutis fructus ex nobisinetipsis, sed vitiorū spinas, & tribulos germinamus: sed à Domino, qui omnium bonorum origo est, eum nobis sperare & postulare debemus. Oculi omnium in te sperant

C Domine, & tu das illis escam in tempore opportuno. Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione.] O benignissime Domine respice nos oculis misericordiæ tuæ, spectantes in te, & lucé intellectus, ac fortitudiné voluntatis impertire, vt dona sanctis & perfectis viris parata cognoscamus, & ea assequi & obtinere curemus. Aperi nobis famulis tuis nomina, quibus perfectionis decorem abscondisti, vt illis bene cognitis perfectionem admiremur; euolue sanctitatis pulchritudiné ex mirabilibus donis, quasi membris compositam, vt sanctitatis decus & ornamentum amemus. Obijce oculis nostris puritatis affectus, vt tanta dulcedine prouocati, vitiorum amaritudinem abijciamus, & puritatis dulcedinem omni conatu, ac mentis contentione sectemur. *Psa. 144.*

PARS PRIMA.

HVIVS LIBRI DE DIGNITATE PERFECTIONIS,

sumpta ex multiplici eius nomine, atque ex ipsius natura.

CHARITAS *suapte natura, Dei amicitia est, cuius gratia, vt Thomas ait, Deus homines non iam seruos, sed amicos vocat, & eo ipso est vnio animæ cum Deo, & vnio intima supra id quod mens humana cogitare potest, si ad sui perfectionem vsque procedat. Hanc verò amicitiam, ac Dei & hominis vnionem multa nomina sacris literis imposita perfectionis, significant. Quæ in hac tractatione primò explicamus, quia eximiam quandam perfectionis exellentiam patefaciunt, & ex illis ad eius dignitatem propria natura comprehensam descendimus.* *2. 2 q. 3. art. 1.*

Perfectionis dignitatem ex nominibus, in sacris literis, ei attributis, colligi: ac primò quòd vocetur sapientia.

CAPVT I.

NOMINA rebus indita, si illis optimè congruant, certissima indicia sunt earum naturæ & dignitatis. Nam si imago hominis perfectè depicta, eius, aut pulchritudinem, aut deformitatem ostendit; nomen rei alicui impositum, quod ipsius imago est, ab artifice meliori, scilicet ab intellectu, disposita, multò præstantiùs quàm corporalis imago rei, pulchritudinem ac decorem manifestabit. At nomen esse rei nominatæ, & significatæ imaginem, omnibus manifestum esse non dubito, siue illud, quod intellectu concipitur, siue illud, quod ore profertur, attentè ac pensiculatè considerent. Imago quippe nihil aliud est, quàm representatio rei, cuius præsidio ipsam rem anteà non cognitam, modò cognoscimus, & non in seipsa, sed veluti in quodam substituto ac subrogato conspicimus. Quæ descriptio cuiuis nomini mirificè conuenit, imò multò perfectiùs, quàm corporum simulachrum nominis virtutē comprehendit. Meditare nunc quid sit nomen ab intellectu conceptum, quod Philosophi verbum mētis appellant, & videbis non aliud esse, nisi imaginem referentem & aperientem naturam, & propria rei, quā oculis vidisti, vel alio externo sensu percepisti, imaginatione cogitasti, & intellectu illius nominis ministerio cognouisti. Quo videlicet nomine intellectus, rei cognitæ natura formatur, & quodammodo vnum efficitur; adeò, vt dicat summus Philosophus Aristoteles; intellectum, & rem ab eo cognitam, vnum quid esse, & secundū quod ille cognoscit, & ista cognoscitur, nequaquam distingui.] Non quia intellectus cognoscētis, & lapidis cogniti sit vna eadémque natura (quis vel insanus hoc dicat?) Sed quia qua ratione lapidem intellectus intelligit, lapidis repræsentatione formatur, & conceptione, seu nomine lapidis, quod est imago eius imbuitur, sicut enim rex, & statua aurea regis, si naturas rerū spectes, valde distincta sunt; nam ille est homo, ista aurum; ille viuit, ista minimè vitam participat: at si vim repræsentationis aduertas, pro eodem reputantur, quatenus aurum lineamenta regis acceptat, & non iam vestibus, sed figura & imagine eius induitur: ita intellectus cognoscens lapidem, & cognitus lapis naturaliter quidem differunt, quia ille spiritus est, iste corpus; ille facultas viuentis, iste omni vita carens; at cognoscibiliter nō differunt, quia quod lapis habet, intellectus intelligit, & quod ille gestat, iste nomine, aut conceptu affectus repræsentat. Quam ob rem Filius Dei (vt rem hâc altissima quadam ratione pandamus) qui Sermo, aut Verbum intellectus Patris est, eius figura & imago nominatur. Nam cùm sit splendor gloriæ (inquit Paulus) & *Hebr. 1.* figura substantiæ eius:] Et rursus: Qui est imago Dei *Coloss. 1.* inuisibilis;] Vt scilicet conceptum mentis, quod nunc vocamus nomen intellectuale, esse rei imaginem, quam repræsentat, ac similitudinem, manifestissimè cognoscamus. Nomē etiam quod in externa voce consistit, & ore profertur, rei nominatæ est imago, siquidem ad eam significandam, & vt ita dicam, illustrandam, hominum arte & industria excogitatum ac inuentum est. Vnde communis scholæ axioma processit, ab hominibus nomina loco rerum substitui, quas cùm non possint secum in scholas adducere, nomina vice earum subrogarunt.] Hic autem fuit sco-

A pus illius singularis prouidentiæ, qua Deus formatis de humo cunctis animantibus terræ, & vniuersis volatilibus cæli, adduxit ea ad Adam (Angelorum ministerio, si Augustino credimus) vt videret, quid vocaret ea,] & quæ ipsis nomina imponeret: Quæ enim extitit huius nominum impositionis vtilitas; sanè non alia, nisi vt Adæ posteri plenam ac perfectam scientiam protoparentis agnoscerent, & nominibus tamquam quibusdam signis aptè excogitatis, & quasi quibusdam imaginibus, non tam visui quàm auditui seruientibus, rerum naturas & qualitates intelligerent. Quod sacræ Scripturæ admirabilis solertia non tacuit, dictis adiungens: Omne enim quod vocauit Adam animæ viuentis ipsum est nomen eius.] B Ac si diceret, ipsum est signum eius; ipsum est imago eius, quam aurium ianuam pulsantem intellectus aduertit, & oculi interni conspiciunt, vt in ea rem nominatam agnoscant. Ac propterea eædem sacræ literæ voce nominis ipsam rem significatam, & veluti in nomine depictam intelligunt, & quod dandum est rei ipsi, nomini attribuunt. Quale est illud Ezechielis: Tu fili hominis, sume tibi lignum vnum, & scribe super illud Iudæ, & filiorum Israel sociorum eius. Et tolle lignum alterum, & scribe super illud, Ioseph, lignum Ephraim, & cunctæ domus Israel, sociorumque eius.] Hæc nomina scripta tribuum Iuda & Israel, pro ipsis tribubus accipiuntur, quæ sub rege Christo Domino, ac Saluatore nostro in vnum populum iungendæ erant: ac in vnam fidelium Ecclesiam vocandæ. C Si ergo quæuis nomina rectè ab hominibus imposita, rerum vim & dignitatem aperiunt, quanto magis nomina à Deo indita, & hominibus reuelata, rerum naturam, præstantiam & dignitatem patefacient? Certè in immensum hæc nomina aliis ab hominibus excogitatis sunt præferenda, cùm ab eo data sint, qui res, quas fecit, non vtcumque cognoscit, sed perfectissimè comprehendit. Quæ cùm ita sint, ab hoc loco perfectionis decorem & pulchritudinem vestigare incipiamus, atque exponamus nomina, quibus Deus eam in sacris paginis declarauit, quæ calcaria nobis erunt ad eam exoptandam, & summis votis ac desideriis amplectendam.

Genes. 2.

Aug. lib. 9. de Gen. ad lit. c. 13.

Genes. 2.

Ezec. 37.

Omissis ergo duobus communibus & vsitatis perfectionis & sanctitatis nominibus, quibus hactenus vsi sumus, & quorum vim & significationem D suprà tetigimus; perfectio Christianæ & spiritualis vitæ in sacris literis, sapientia vocata est, qua nihil amabilius, nihil pulchrius, nihil pretiosius hominibus, aut fingi, aut excogitari potest. Hoc nomen perfectioni indidit sanctus Iob dicens? Ecce timor Domini ipsa est sapientia, & recedere à malo intelligentia.] Quod notissimum erit, si de quo timore, & de qua recessione à malo loquatur, intelligamus. Neque enim timorem seruilem sapientiam appellat, quo spiritu seruorum concepto Deum propter horrorem pœnæ timemus, & ante illum, qui nos potest perdere, & in gehennam mittere, trepidamus; sed illū filiorum timorem, ad quem (vt notauit Cassianus) non E peccatores, sed sancti propheticis innitantur eloquiis, dicēte psalmographo: Timete dominum omnes sancti eius: quia nihil deest timentibus eum.] Qui timor à charitatis magnitudine generatur: & in quadam verissima reuerentia erga Deum, & in sanctissimo metu offensam aliquam incurrendi consistit. Ille namque timor, qui proprius seruorum & mancipiorum est, non sapientia, sed initium sapientiæ nominatur. Scriptum est enim: Initium sapiētiæ timor Domini.] Et alio loco: Timor Domini principium sapientiæ.] Quod autē initium tantùm est sapientiæ, non potest

Lib. 3. c. 1.

Iob. 28.

Cassia. col. 11. c. 13.

Psal. 33.

Psal. 110. Prou. 1.

ipsa

ipsa totalis sapientia, aut sapientiæ consummatio existimari. Est ergo alius timor à perfecta charitate generatus, illique inseparabiliter cohærens, quem perfecta charitas foras non ejicit, sed continuò secum habitare permittit, imò & manere gestit, qui non initiū sapientiæ, sed totalis & perfecta sapientia nuncupetur. A quo illa recessio à malo, statim exoritur, qua mens nostra ab omni culpa se subtrahit, non quia pœnam timet, non quia infamiam, ac dedecus exhorret, non quia præmium laboris sui & mercedem expectat; sed quia propter Dei amorem, vel minimam offensam perpetrare formidat. Auscultemus Bedam, an ita hunc locum intelligat.
Beda in Iob.c.28. Alter (inquit) timor est, ne quisquam Deum offendat: Alter verò, si offenderit. Ille prior sanctus, & laudabilis; iste alius non habens charitatem, sed pœnam. Proinde
Psal. 18. de hoc prædicabili timore dicit Psalmista: Timor Domini, sanctus permanens in sæculum sæculi.] De alio timore loquitur Euangelista Ioannes in Epistola sua
1.Ioan.4. dicens: Timor non est in charitate, sed perfecta charitas foras mittit timorem.] Qui timor vtique pœnam habet, quia dilectionis meritum non habet.] Hic autem filiorum timor, & hæc à malo recessio, quam magnitudo charitatis gignit, & omne bonum, faciendum continet, (quoniam non facere bonum quod debeas, quoddam malum est, & ab hoc etiam timor iste recedit) ab ipsa perfectione separari non potest; quare si timor Domini, & recessio à malo, sapientia est, liquet quia ipsa vitæ Christianæ perfectio vocetur sapientia. Sub eodem nomine à Sancto Dauide perfectionem in Psalmo pœnitentiæ expressam
Psal.50. intelligo, cùm ait: Ecce enim veritatem dilexisti, incerta & occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi?] Nam ille amator veritatis, qui ita vult misereri, vt iustitiæ simul veritatem tueatur, tunc occulta suæ sapientiæ nobis manifestat, cùm perfectam euersionem peccatorum, & omnium virtutum, ac perditæ innocentiæ extructionem pandit. Eadem verò duo sunt occulta, & incerta perfectionis, quæ perfecta solùm abiectione mali, & boni assecutione, constat. Hæc sanè sapientiæ, ac perfectionis incerta sunt; quoniam
Eccle.9. nescit homo vtrum amore an odio dignus sit; sed omnia in futurum seruantur incerta. Hæc sapientiæ & perfectionis occulta sunt; quia Spiritus san-
Ioan.3. ctus gratia sua, vbi vult spirat;] & licèt eius vocem audiamus, & indicia nonnulla præsentiæ eius experiamur; tamen nullus scit, vnde veniat, aut quò vadat,] & quem in nobis profectum ipse disponat. Hęc tandem occulta sapientiæ, & perfectionis, manifestata nobis sunt, cùm quid profecerimus per effectus quosdam, quasi per rimulas & cancellos prospicimus, & ex affectuum & cogitationum nostrarum mutatione coniectamur. Prodeat nunc Augustinus,
Aug. ad Psal.50. & dicat, an hæc sint occulta & incerta sapientiæ mysteria, & perfectionis sacramenta. Quæ occulta (inquit) quæ incerta? Et respondit: Quia Deus ignoscit iniustis. Nihil tam occultum, nihil tā incertum. Quod si iniustitia non aliter, quàm per iustitiam tollitur, vtrumque occultum, & incertum est, & quòd Deus omnium peccatorum perfectam indulgentiam conferat, & quòd perfectam iustitiam attribuit. Eadem ergo sunt occulta, & incerta sapientiæ & perfectionis; eadem sunt vtriusque mysteria, & arcana, atque adeò vna, scilicet perfectio, alterius, scilicet sapientiæ nomine, sine illa dubitatione intelligitur.

At Paulus quàm apertè perfectionem nomine sapientiæ nobilitat! Sapientiam, ait, loquimur inter
1.Cor.2. perfectos: Sapientiam verò non huius sæculi neque principum huius sæculi, qui destruuntur: sed loquimur Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est, quam prædestinauit Deus ante sæcula in gloriam nostram.] Ac si diceret: Imperfectis, & incipientibus ambulare vias Domini, initia sapientiæ proponimus, & perfectionis rudiměta prædicamus, quia necdum sunt sublimioris disciplinæ capaces: at perfectis & ex consuetudine, virtutis vias spiritualibus vestigiis terentibus, non iam exordia sapientiæ, sed occulta, & abscondita perfectionis, & sanctitatis loquimur, & auribus idoneis ad audiendum ingerimus. Prædicamus inquam illis sapientiam, non huius sæculi rationibus innitentem, neque principum, aut sapientum huius sæculi ratione constantem, qui doctrina spiritus obruuntur, sed potiùs Dei sapientiam, cuius Deus ipse est magister, & doctor, quam per viros spiritu suo afflatos edocet, & sanctis ac iustis mente intelligendam, & affectu ac opere amplectendam proponit. Hanc prædicamus absconditam, & velut inuolutam in mysterio Incarnationis, vitæ, & Passionis & Resurrectionis Christi, præparatam ante sæcula, ad glorificationem nostram; quia perfectio nihil aliud est quā imitatio Christi, cùm ipse sit, quem misit Pater in mundum, vt esset totius virtutis & sanctitatis exemplum. Innumera propè sunt loca in sacris literis, in quibus perfectio, aut perfecta virtus, aut perfecta iustitia, sapientia nominatur, quæ, prolixum esset in medium proferre. Solus sapientiæ liber in memoriam est reuocandus, in quo Dominus sub sapientiæ nomine perfectam virtutem tractat, ad eius amplexum inuitat, & ipsius pulchritudinem, ac præstantiam exponit. Ex hoc libro vnum tantùm locum, qui pro omnibus sit, citare non prætermittimus. Est, inquit, in illa spiritus intelligentiæ, sanctus, *Sapien.7.*
vnicus, multiplex, subtilis, disertus, mobilis, incoinquinatus, certus, suauis, amans bonum, acutus, quem nihil vetat, benefaciens, humanus, benignus, stabilis, certus, securus, omnem habens virtutem, omnia prospiciens, & qui capiat omnes spiritus, intelligibilis, mundus, subtilis. Et post multa, quæ licet valde huic argumento proficua, vitandæ molestiæ gratia prætermimus, ita concludit: Et cùm sit vna, omnia potest; & in se permanens, omnia innouat, & per nationes in animas sanctas se transfert, amicos Dei & prophetas constituit.] Nihil aut clarius, aut excellentius ad hanc rem explicandam potest desiderari. Nam si hæc ab Spiritu sancto ad aliquam rem creatam transferantur, non alij planè, quàm perfectioni congruunt. Spiritus enim charitatis perfectæ sanctus est; quia sicut calor, manum, cui adhæret, calidam; ita iste charitatis spiritus, animam, quam afficit, sanctam reddit. Est vnicus in se; quia secundùm naturam suam, vnum tantùm donum est: Et multiplex; quia profert duodecim illos fructus suprà cōmemoratos, & omnium est virtutum origo. Hic spiritus est subtilis, quia vt meliùs & perfectiùs teneat, omnia siue cogitanda, siue agenda, profundissimè intuetur ac scrutatur: Disertus, quoniam in rebus diuinis (quod non semel vidimus) linguas infantium, hoc est, hominum ignorantium, & muliercularum balbutientium, facit disertas: Mobilis, quia otiositatem & segnitiem pellit, & ad omne bonum agendum instigat: Incoinquinatus; quia omnem iniquitatem detestatur, & exquisitissima diligentia, munditiam in se possidente custodit: Spiritus iste certus est; quia Deo subiectus, & ab eo edoctus, & à prauorum affectuum obscuritatibus elongatus, sine vlla ambiguitate quid, sit agendum, quid omittendum, diiudicat: Suauis est; quia rerum in quibus multùm est negotij difficultatem vincit, & asperitatem, atq; acerbitatem exagitat: amator boni est: quia, vt ait *1.Cor.13.*
Paulus, non gaudet super iniquitate, congaudet autē

veritati:] acutus est; quia scrutatur non solùm, quæ ad actionem pertinent, sed etiam profunda Dei, vt eorum consideratione se ad amandum exsuscitet. Hunc charitatis ac veræ sapientiæ spiritum, nullus detinet, quin ad magna contendat; quia si est beneficus, & humanus, qui nostræ fragilitati compatitur, est etiam benignus, quia nos ad omne bonum inflammat; stabilis, qui robur, & constantiam præstat; certus de bono successu, qui Deo fidit: Securus, nam à summo protectore defenditur. Quòd si imbecillitas, aut insipientia, aut paupertas solent magna opera præpedire, non est, cur hic spiritus charitatis magna aggredi timeat, qui omni pollet fortitudine, omnia cognoscit, & omnium donorum secum adundantiā habet. Cuius natura, licèt nobis abscondita, non tamen omninò occulta, quia intelligibilis est; cuius decor mirabilis, quia mundus est; cuius splendor profunda peruadit, quia subtilis est. Demum perfecta charitas est, quæ cùm in se sit vna, ministerio virtutum ab ea emanantium, omnia potest; & cùm semper inconcussa permaneat, omnia innouat, & per successiones temporum animabus ad sanctitatem vocatis se benignè confert; hominines ad Dei amicos facit; & prophetiæ nonnumquā nec aliorum donorum similium, participes cōstituit. Hæc sunt perfectionis elogia nomine veræ sapientiæ ab Spiritu sancto nobis exposita, & proprietatibus eius ostensa.

Sed quare perfectio, à diuino spiritu vocatur sapientia? Certè, quia vera sapientia est, quæ sola homines perfectè sapientes facit, & ab stultitia sæculi, & insipientia mundanorum educit. Si enim nomina à Deo rebus imposita, non vacua sunt, sed plena virtutis; non falsa, sed vera, quæ rerum naturas non fingunt, sed vt in se sunt, manifestant; quis dubitet, perfectionem, sapientiæ nomine expositam, vim, ac naturam sapientiæ continere, & homines perfectos, ac sanctos ab omni cæcitate liberare? Qui irridet disciplinam patris sui, stultus est;] ergo qui eam suscipit, prudens: Qui odit increpationem, insipiens est,] Ergo qui disciplinam diligit sapiens. Cui charitas præsto non est, cæcus est, & manu tentans,] ergo qui eam comitem & adiutricem habet, oculis spiritualibus, ne in malum impingat, vniuersa perlustrat. At perfectio est ipsamet charitas, quæ Dei correptionem humiliter suscipit, & disciplinam virtutis diligit, & ne in aliquod crimen incurrat, omnes virtutes & dona Dei, quibus fulciatur, in suam familiaritatem asciscit; igitur ipsa homines videntes, prudentes, ac sapientes reddit; atque adeò est ipsamet lux, ipsa peritia rerum, & ipsa sapientia. Nónne sapientia, si principem eloquentiæ consulamus, est rerum diuinarum & humanarum scientia, cognitióque quæ causa cuiusque rei sit?] Sed hæc, si non decipiamus nosmetipsos, & nomine scientiæ, vt æquum est, vtamur, non est alia quàm perfectio, & sanctitas, quæ homines illiteratos, sine libris, sine argumentis, sine disputationibus, ad quemdam ineffabilem cognitionem effert, & rerum non aridam notitiam, sed saporem & experientiam concedit. Nam si humana philosophia eum sapientem vocat, qui Deum intelligit, & cælestia cognoscit, & res diuinas, vt psittacus, docet, nullum earum sensum habens, & magnifica verba pronuntians; quantò fœliciori ratione erit sapiens, qui Deum ita intelligit, vt ex hac intelligentia, ad Dei timorem, reuerentiam, & amorem incitetur? Qui ita cælestia cognoscit, vt ex hac cognitione in desiderium cælestium rapiatur; qui res diuinas, non vt auis ratione expers, tractat, sed vt honoratione vtens; qui has res exercitatione quæsiuit, experientia didicit, & aliquem earum haustum positus in hac vita suscepit. Si humana doctrina eum sapientem appellat, qui humana discernit, & rerum inferiorum naturas perscrutatur; quantò magis ille erit sapiens, qui hæc eadem ita callet, vt earum exilitatem videat, qui ea vt instrumenta salutis moderatè suscipiat, & vt virtutis impedimenta contemnat? Si tandem iuxta humanam scientiam ille censetur sapiens, qui ex effectis rerum, causas earum principiáque deducit, quanto æquiùs ille sapiens censendus est, qui has proximas rerum causas prætergrediens, quæ à Deo ipso tamquam instrumenta mouentur, in primam causarum causam oculos iniicit, & eam vt fontem omnium bonorum laudat, eíque vniuersarum rerum efficientiam attribuens, ob hoc illi sincerissimè famulatur; ipsámque totis præcordiis adorat? Hæc autem omnia perfectus habet, cuius veriorem notionem rerum diuinarum & humanarum ex effectis deducimus, cùm hic ita diuina intelligat, vt ea diligat, & cupiat, & ad seipsum transferre festinet; ita humana cognoscat, vt diuinis postponat, & propter amorem diuinorum habere contemnat; ita causas perscrutetur, vt non in ipsis ad bonos euentus, sed in prima rerum causa confidat. O homo, tu sapientem putas magnum Theologum, qui acutè res diuinas explicat, ingeniosè disputat, subtiliter contrariorum rationes dissoluit: licet videas eum superbum, indignabundum, vanis honoribus inhærentem, & diuitias, ac dignitates, & mundanum splendorem aucupantem: Ego verò sapientiorem fuisse existimo pauperem Franciscum, aut laicum religiosum, qui nec disputare, nec profunda exponere, nec syllabas iungere nouit, cùm videam illum humilem, mansuetum, & res diuinas, non sicut picam, loquacem, ad arrogantiam, effundentem, sed eas simplici corde intelligentem, & profundissimo affectu venerantem. Qui profectò possit alteri dicere: Tu scientiam habes, & ego opera virtutis habeo: Ostende mihi sapientiam tuam sine operibus, & ego ostendam tibi ex operibus sapientiam meam.] Si ergo magis operibus quàm verbis credendum est, hunc alteri sapientia præstare credamus, quem sapientiæ opera sapientem demonstrant, non argutiæ verba sciolum & arrogantem declarant. Sed quid ego illum sapientem, & istum sapientiorem appello, cùm, Paulus, qui Spiritu sancto plenus mentiri non potest, illum primum scientia distentum, stultum & insipientem vocet, istum verò stultitia (vt gentibus videtur) prædicationis ornatum sapientiam astruat? De illo & de eius similibus, quid ait? Quia cum cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt, sed euanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum: dicentes enim se esse sapientes stulti facti sunt.] Vide quàm inutilis est rerum diuinarum arida, & ieiuna cognitio, ad veram & perfectam sapientiam conferendam, si adsint insipientiæ, id est ingratitudinis, & superbiæ opera, quæ cognitionem compeditam, & illigatam detinent, & verbis scientiæ contradicunt. De isto verò quid dicit? Nemo se seducat: Si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc sæculo, stultus fiet, vt sit sapiens. Sapientia enim huius mundi, stultitia est apud Deum.] At hic qui virtutem colit, puritatémque sectatur, non sibiipsi blanditur, non de scientia, quæ inflat, gloriatur, non splendida mundi amat, sed ea contemnendo apud mundanos stultus efficitur. Ergo hic sapiens est apud Deū, atque adeò verè sapiens, non sapientia mundi,

Marginal notes: Prou. 15. — Prou. 12. — 2. Petr. 1. — Iac. 2. — Rom. 1. — 1. Cor. 3.

quam

quam Deus insipientiam reputat, sed sapientia Dei, quam mundus perperam stultitiam existimat. Vera igitur sapientia, perfectio est, quæ intellectui necessariam cognitionem impertit, & ad voluntatem opera virtutis aggregat, & omne, insipientiæ scilicet & iniquitatis, opus excludit.

Matt. 13. Si hæc ita sunt, optimè Dominus virum perfectum sapientem nominat, dicens: Omnis scriba doctus in regno cælorum, similis est homini patrifamilias, qui profert de thesauro suo noua & vetera.] Quis namque est scriba in regno cælorum, hoc est, ad regnum cælorum, tum prædicandum, tum consequendum idoneus, nisi perfectus vir, qui non ad gehennam, sicut iniqui, non ad seipsum, sicut ambitiosi, sed ad regnum cælorum omnibus manifestandum, & sibiipsi comparandum, ædificat. Anselm. ibi. Qui similis est B homini patrifamilias, id est, Christo (vt interpretatur Anselmus) hominum & Angelorum familias gubernanti; vel infidelium & hæreticorum gentes in suum gregé adducenti. Et meritò Christo similis dicitur, cùm ille (vt inquit Ambrosius) scriba sit velociter scribẽs nostræ reparationis elogia. Ambr. Apolog. Dauid. c. 13. Vide, ait, ne scriba sit velociter scribens, verbum Dei quod animæ viscera percutiat, & penetret, & inscribat in ea, vel naturæ dona, vel gratiæ: Lingua autem, sit sanctum illud ortũ corpus ex Virgine, quo vacuata sunt venena serpentis, & Euangelij opera toto orbe celebrãda decursa sunt.] Huic perfectus vir per omnia similis efficitur, dum de thesauro perfectæ virtutis (quam thesauri nomine postea signatam esse dicemus) noua noui hominis opera profert, vt exemplo alios ad virtutem moueat, & vetera veteris hominis opera excutit, C & actibus carnis renunciat. Amb. lib. 1. epist. c. 7. ad Simplicianũ. Magistrum ergo, ac Saluatorem nostrum, imitantes sancti Ecclesiæ Patres, solum virum perfectum ac iustum, sapientem esse docuerunt. Nam Ambrosius, paulò antè commemoratus, quodam loco ait: Sapiens non metu frangitur, non potestate mutatur, non attollitur prosperis, non tristibus mergitur. Vbi enim sapientia, ibi virtus animi, ibi constantia, & fortitudo: Sapiens ergo idem est animo, non minuitur non augetur rerum mutationibus, nec vt paruulus fluctuat, vt circumferatur omni vento doctrinæ, sed manet perfectus in Christo, fundatus charitate, radicatus fide.] Et rursus alio loco: Hi enim sapientes, & perfecti sunt, qui fidem non magis verbis habent, quàm rebus. Amb. in 1. ad Cor. 1. Nazian. orat. in plagam grandinis. Aug. in Enchiridio c. 2. Et Gregorius Nazianzenus: Is, inquit, mihi sapiens videtur, D qui pauca quidem de virtute verba facit, cæterùm actionibus ipsis permulta demonstrat, vitæque integritate orationi fidem auctoritatémque conciliat. Et Augustinus definiens sapientiam, dicit, Eam nihil aliud esse quàm pietatem; pietatem verò esse cultum Dei; cultum autem Dei, fide, spe, & charitate constare, atque adeò sapientem esse, qui hæc tria perfectè obtinuerit, & secundùm ea vitam suam instituerit.] Nec non & Chrysostomus, explicans, quos Dominus sapientes vocauerit, dicens: Matt. 23. Chrysost. 49. in imperfecto. Ecce ego mitto ad vos sapientes, & scribas.] sic ait; verè missi sunt sapientes aduersùs hæreticos, scilicet patres vestros. Sapientes autem non literati, quorum sapientia non est in sensibus carnalibus posita, & in lingua acquisita per E exercitationem carnalem; sed sapientes circa Dei timorem, sapientes circa Dei notitiam, sapientes animo, non corpore; corde, non ore; fide, non verbis; de quibus dicit Propheta: Psal. 89. Dexteram tuam sic notam fac mihi, & eruditos corde in sapientia.] Tandem Hieronymus pulchrè perfectum sapientiæ, & perfectum virtute idem omnino esse putat. Hieron. in epist. ad Galat. 5. Nam in hunc modum scribit. Sapientes bifariam nuncupantur, tam hi, qui sunt plenæ perfectæ-que virtutis, quàm illi, qui incipiunt, & in profectu positi sunt. De perfectis dicitur: Mittam ad vos sapientes.] Matt. 23. De incipientibus: argue sapientem, & diliget te.] Prou. 9. Qui enim plenæ consummatæque virtutis est, correptione non indiget: Hæc pauca ex multis similibus Sanctorum Patrum dictis in hunc locum congessimus, vt videamus, quem illi sapientem appellent. Quòd si ille, qui rerum labentium mutabilitate non quatitur, affectuum perturbationibus, non impetitur, fidem vita & operibus præstat, notitiam, quam habet, non tam sermone quàm actione demonstrat, in fide, spe, & charitate fundatus perseuerat, timore Domini regitur, & tanta vitæ puritate, vt correptione non egeat, gubernatur, perfectus est, & idem etiam est sapiens, sequitur solum perfectũ esse sapientem, ac perfectionem, esse veram consummatámque sapientiam. Vnde sicut dũ inter mũdanos loquimur, & sæculi doctrinam explicamus, nequaquam vocamus sapientem artis sartoriæ, aut sutoriæ, aut cuiuspiam similis artis peritum; neque etiam in lectica, aut Philosophia naturali versatum, sed solùm illum, qui diuina simul & humana per primas & altissimas causas cognouit, & præstantissimam scientiarum scilicet Theologiam naturalem & supernaturalem acquisiuit; Sic nunc quando ad spirituales viros verba facimus, & altiorem doctrinam, nempe spiritus scientiam, exponimus, haudquaquam nomine sapientis dignamur eum, qui intellectu tantum diuina & humana cognoscat, nisi mala à se cognita abijciat, & bona sectetur, & quod ore prædicat, vita & moribus amplectatur. Vera enim sapientia non in sola notione boni & mali, quam iniqui habere possunt, & ipsi dæmones habent, sed in ea cognitione, qua malum fugimus, & bonum amplectimur, collocanda est, dicente Bernardo, Bernard. Sobria siquidem sapientia est in pœnitudine peccatorum præteritorum: in contemptu præsentium cómodorum: in desiderio futurorum præmiorum. Inuenisti planè sapientiam, si prioris vitæ peccata defleas; Si huius sæculi desirabilia parui pendas; si æternam beatitudinem toto desiderio concupiscas. Inuenisti sapientiam si tibi horum singula sapiunt, prout sunt, vt hæc quidem amara, & omnino fugienda, ista quoque velut caduca & transitoria contemnenda; illa verò vt perfecta bona totis appetenda desideriis, intimo quodam animi sapore diiudices, & discernas.] Hæc quidem optimè. Nam si hanc sapientiam obtineatis, quam non superba scientia, sed humilis & discreta virtus impertit, eris non mundo sed Deo sapiens, eris simul sapiens, atque perfectus.

Hanc demùm doctrinam sanè verissimam, & ab omnibus verè sapientibus magna voluntate susceptam, ipsi status hominum, fortésque confirment. Illorum enim quidam iniqui sunt, quidam iusti; iustorum verò quidam sunt ad perfectionem tendentes, quidam pro huius vitæ modulo sancti, atque perfecti. Iniqui, sapientes esse, aut reputari non possunt, nisi tu stultissimos homines sapientes putes, qui alia scientes, seipsos ignorant; qui minima considerantes, magna prætereunt, & cùm Dei aliqualem notitiam habeant, quæ eos ad maiorem quærendam incitare debuerat, hanc (& est illa, quæ ad Dei reuerentiã, & timorem, ac amorem impellit) omnino aspernantur. Vide quomodo ipsi peccatores sapientia se esse vacuos fateantur. Iob. 28. Abyssus dicit, non est in me, & mare loquitur non est mecum.] Quid namque abyssus & mare significant, nisi scientiæ multitudinem vitiis coopertam, & moribus deprauatis fœdatam? Vnde Richard. in Cant. cap. 12. Richardus ait: De hac spirituali sapientia abyssus humanæ sapientiæ dicit, non est in me: & mare (id est

amaritudo

amaritudo vitiorum) dicit, non est mecum. Abiiciēda est ergo hæc carnalis sapientia, & commutanda pro hac spirituali, & sic emendum aurum mundum, & ignitum, & probatum vt locupletes fiamus, & hoc aurum possideamus.] Superba igitur, & arrogans scientia, quam vitia & peccata damnant, homines verè sapientes non facit, sed stultos & cæcos derelinquit. Hi profectò sunt, qui suauiter & lætè viuunt, sicut ille diues epulo, qui induebatur purpura & bysso, & epulabatur quotidie splendidè,] à quibus vera sapientia fugit, qui nō inuenitur in terra suauiter viuentium.] Scriptum enim est; cor sapientium vbi tristitia est; & cor stultorum vbi lætitia.] Non itaque sapientes sunt, qui rerum solùm naturas cognoscunt, cùm eorum cognitio tam exilis sit, vt nec quæ iudicat bona, suscipiat, nec quæ videt mala, repellat. Si enim secundùm sæculum stultus est, qui videns thesaurum non accipit, & videns præcipitium, pedem non refert; quare secundùm Deum stultus non erit, qui peccati malitiam cognoscens, ei se libens subdit, & virtutis pulchritudinem ore laudans, operibus vituperat, & à seipso vitæ institutione propulsare contendit? Iusti autem, qui ad perfectionem tendunt, veri quidem philosophi, & amatores sapientiæ vocari possunt; non tamen sunt vocandi omnino sapientes, quia nonnihil quidem huius veræ sapientiæ, scilicet perfectionis, didicerunt, nondū tamen eius sublimitatem compararunt. Quemadmodum quippe in literarum scholis, hi discipuli sunt, & scientiarum sectatores, qui aduersùs ignorantiam bellum gerunt, & rerum cognitionem audiendo, legendo, & disputando, & interrogando acquirunt; illi verò sunt doctores, atque magistri, qui iam ad scientiarum culmen peruenerunt, & quas veritates perfectè cognoscunt, in alios per doctrinam effundunt: Ita in academia spiritus, & in schola virtutis sunt multi, qui virtutem addiscunt, & tamquam discipuli curant ad altiora conscendere, & virtutis accipere disciplinam; & sunt pauci, qui ad perfectam virtutem vsque prouecti, sapientium nomine digni censentur, & nō tam verbo quam sanctissimo actionis exemplo in virtutis magistros aliis donantur. Est autem similitudo apprimè conueniens; nam si sapientes sæculi numquam tam sciunt, quin possint multo plura, & sublimiora cognoscere; ita sapientes Dei, id est, perfecti, numquam tam magnam virtutem ac puritatem assequuntur, quin possint maiorem assequi, & ad fœliciorem sanctitatem ascendere. Iustis ergo, necdum perfectis, dicitur, tamquā studiosis sapientiæ discipulis: Audite filij disciplinam patris, & attendite, vt sciatis prudentiam.] Iustis verò perfectis tamquam magistris, illud etiam Salomonis iniungitur: argue sapientem, & diliget te; da sapienti, id est, discipulo sapientię, occasionem, & addetur ei sapientia: Doce iustum & festinabit accipere.] Ad hos námque omnes pertinet imperfectiones arguere, occasionē proficiendi dare, & verā virtutem docere, non tam sermone quàm opere, & purissimæ sanctitatis actione.

Luc. 16. *Iob 28.* *Eccles. 7.* *Prou. 4.* *Prou. 9.*

Perfectio itaque spiritualis vitę, vera sapientia est, quæ ab vtilioribus & magis necessariis exordiens, peccata & vitia radicitùs euellit, virtutes inserit; bonis operibus diligenter intendit, & similitudinē creatoris exquirit; postea verò lucē, & rerum supernarū cognitionem infert, qua homo eruditus à Domino, nō superbit, sed modestior fit, nō sola curiositate, sed vera deuotione pascitur, nō obliuiosus verbi auditor, sed sedulus operator efficitur. Tu ergo, ô religiose, qui ob amorē sapientiæ tam multa didicisti, tam subtilia legisti; tam profunda quærendo, & disputando inuenisti, & in hac improba occupatione, quam dedit Deus filiis hominum, vt occuparentur in ea,] tempus impendisti, vitā consumpsisti, vires exhausisti; expende quæso, quàm sis à vera sapientia alienus, si notitiæ rerū humanarum; & diuinarum minimè virtutem iungis, & rationem disputandi sciens, viam humilitatis, & perfectæ charitatis ignoras: Nam si vera sapientia (vt dixit Lactantius) non potest cuiquam sine scientia & virtute contingere; quomodo te sapientem appellabo, quem scientia inflans dementatum tenet, & charitas ædificans in sui contubernium non retinet? Si sapientia (vt ait Nazianzenus) ad Dei amorē nos subuehit, & ex seruis iam amicos, ac filios efficit, quanam ratione te sapientē existimabo, quem verus Dei amor seruum non nouit, & Christus, nec amicum, nec filium agnoscit? Alia igitur via sapientiæ quærenda est, quàm, vt credo, Dei aspirante gratia facillimè inuenies, si immoderatum scientiæ amorem amputaueris, si prudentiæ tuæ, iuxta dictum Salomonis, modum posueris,] si teipsum pro desiderio humilitatis abscōderis; si vitia, & affectus tui cordis conculcaueris, si mundum spreueris, si vniuersis virtutibus conquirendis institeris, si Christi Dei, & hominis scilicet sapientiæ increatæ amorem gustaueris, & eius continuum alloquium, & conspectum, & iugem meditationem quæsieris. Hæc enim vera sapientia est, mala fugere, vilia & abiecta contemnere; magna, nempe cælestia, concupiscere, & mentis puritatem consectari.

Eccles. 1. *Lact. 3. diuin. inst. c. 9.* *Nazian. oratio in laudem Athanasii.* *Prou. 23.*

Perfectionem vocari drachmam, qua fœlicitatem coëmimus.

CAPVT II.

IAM alterum perfectionis nomen expendamus, quod eius occultam, & tectā pulchritudinem ampliùs edisserat, & apertam ac propalatam in animos nostros inferat, & tanti decoris amorē & desiderium accendat. Perfectionem quidē existimo vocari drachmam, quā mulier illa Euangelica primò quidē perdidit, deinde non sine magno labore quæsiuit, & quæsitam inuenit, & postmodum conuocatis fœminis, amicis atque vicinis, ad lætitiā, ob drachmæ inuentionem, inuitauit, & congratulationem requisiuit. Hanc verò esse mysticam, & arcanam drachmæ significationem, Augustinus me docet, dum per vnam ouem perditam, & vnam drachmam perditam, quod homini deficit, ad absolutam iustitiam, intelligit. Ideò, inquit, illas nonaginta nouem dixit, quas reliquit in deserto, quia superbos significat, tanquam solitudinem gerentes in animo, quibus ad perfectionem vnitas deest.] Et statim: Ideóque in nonaginta nouem ouibus, & in nouem drachmis ponit eorum significationem, qui de se præsumentes, peccatoribus ad salutem redeuntibus se præponunt: vnum enim deest ad nouem, vt decem sint, & ad nonaginta nouem, vt centum sint.] Et tandem concludit: ipsum verò vnum sine varietate in se manens, cùm accesserit, perficit.] Sicut ergo nouem drachmæ non perditæ, & apud mulierem permanētes superbos, imperfectos, ac peccatores designant: ita decima drachma primùm quidem perdita, & deinde reperta, perfectionem significat, qua nouem drachmæ, id est, peccatores, ad denarium accedunt, & malitiam deserentes, mentis sanctitatem acquirunt. Nec longè dissidet ab hac interpretatione Gregorius, per drachmam perditam, similitudinem crea-

Luc. 15. *Aug. lib. 2. q. 7. Euang. q. 32.*

toris

Greg. lib. 34. in Euang. toris intelligens. Et quia imago, air, exprimitur in drachma, mulier drachmam perdidit, quando homo qui conditus ad imaginem Dei fuerat, peccando, à similitudine sui conditoris recessit. Gregorio Beda eisdem omnino verbis accedit, Si verò perfectio (vt diximus) est quædam similitudo Dei, qua homo veterem parentem exuit, & nouum induit, ac Christi fratrem, & Dei filium, & hæredem se exhibet, quid est drachmam perditam creatoris similitudinem designare, nisi ipsam perfectionem & mentis sanctitatem referre? Multò tamen clariùs Gregorius Nyssenus eidē sententiæ subscribit, dicens: Redemptorem nostrum drachmæ parabola significare voluisse, nullā nos à cæteris virtutibus (quas drachmas vocat) vtilitatē percepturos, si desit drachma perdita, ea scilicet virtus, qua diuinę similitudinis nitorē sortimur. At quænam virtus est, quæ nobis diuinæ similitudinis nitorem impertit, nisi charitas, quam ad certum gradum prouectam, animæ perfectionē esse didicimus? Satis ergo compertum est ex his, drachmæ nomine perfectionem vitæ spiritualis esse depictam, & veluti proprijs coloribus adumbratam. (Gregor. Nyssen.)

Nunc verò quare perfectionem Dominus drachmam vocet, diligenter inquiramus, & sub hoc rei exiguæ, & non nimis pretiosæ, nomine incredibile sanctitatis pretium vestigemus. Vocatur sanè drachma, quoniam perfectionis qualitas hac moneta describitur, cuius non dico similitudinem, sed quodammodò naturam etiam, ac virtutem vsurpat. Nam drachma moneta est, & eo ipso figuræ rotūdæ, quam omnes nationes in numismatibus communiter tenuerunt. Erat autem moneta argentea decem in se nummos continens, imagine principis, aut regis eam cudentis insignita. Sic profectò vitæ Christianæ perfectio numisma est, quo non panem, non vinum, non vestem, nō res perituras emimus; sed cibum animæ, delicias cælestes, immortalitatis indumenta, & semper duraturam fœlicitatem comparamus. Ipsa est pecunia cui optimè illud Salomonis accommodare possumus: Et pecuniæ obediunt omnia,] quia illi obediunt cælestia atque terrestria; prospera & aduersa deseruiunt; maiora & minora famulantur, dum vniuersa perfectis ac sanctis se subdunt, & eorum vsibus (quos Dominus omnium filios & amicos agnoscit) libenter proficiunt. Pecuniæ illi, quam Reges terræ procudūt, obedient fortassis omnia terrena, quæ quia bene considerata ferè nihil sunt, potiùs nihil quàm omnia nominantur, acideò pecuniæ obedit nihil, at perfectæ virtuti absolutè & sine vlla limitatione parent vniuersa, quia eius precibus ac desiderijs, eius fletibus & lacrymis Deus ipse omnium auctor, ac Dominus condescēdit, & ob bonum sanctorum suorum ipsam naturam interdum mutat, mirabilia, & humanæ imbecillitati impossibilia parat, & in legibus à se latis benignè dispensat. Certè si pecuniæ obediunt omnia fragilia, quæ vitæ mortali videntur necessaria; at non paret illi cælum, quod spiritu pauperes rapiunt, non diuites superbi diripiunt; non paret illi terra, quam innocentia custodiuit, & saturitas, ac rerum visibilium abundantia profligauit: non paret illi mare, quod sæpissimè iustorum oratione sedatum est, & aurum, atque argentum malorum absorbuit: non paret illi vita, quam pecunia perpetuam non fecit; non paret illi mors, quam non placauit, nec depulit: non obediunt illi multa alia, quæ pecuniæ vsus numquam sibi prostrauit. At huic pecuniæ, huic monetæ, huic drachmæ aspectui oculorum paruissimæ, & cognitioni mentis eximiæ, omnia sine vlla exceptione parent, omnia sine vllo signo difficultatis obediunt. Quid enim est, quod non obe- (Eccle. 10.)

diat sanctitati? Quid quod non subdatur animæ puritati? Quid quod non se perfectæ virtuti subiciat? Vis vt obediat illi terra? Sed rex iustus erigit terram, nō opibus, sed iustitia sua; & vir auarus destruet eā.] Prou. 29.
Hanc peccata Sodomorum destruxerunt, quam inter tam copiosam iniquorū cateruā, decem iustorum Genes. 18.
virtutes obtinuissent, & ab incendio, & malorū cæde seruassent. Vis obediat illi mare? Sed iustus est, qui dominatur à mari vsque ad mare, & à flumine vsque ad terminos orbis terrarum.] Et vnus eorum virtute sua, penè iam demersus mare vincit, sæuissimam tempestatem cohibet, & præsentissimo discrimini expositis salutem & incolumitatem promittit. Amissio, inquit, nullius animæ erit ex vobis præterquam nauis.] Vis obediat illi cælum? Sed iusto tamquam Domino suo cælum apertum est. Nam si audieris, ô homo, vocem Domini Dei tui, vt facias, atque custodias omnia mandata eius, aperiet Dominus thesaurū suum optimum, cælum; vt tribuat pluuia terræ tuæ in tempore suo. Iustus cælis imperat, & tamquam rex illis leges imponit, & solem, & lunam in medio cursu sola voce & imperio tamquam habenis mirabiliter detinet; sicut fecit Iosue, dicens: Sol contra Gabaon ne mouearis; & luna contra vallem Aialon.] Vis obediat illi vita? Sed qui perfectam virtutem inuenerit, inueniet vitam, & hauriet salutem à Domino.] Ac ideò Ezechias ob vitæ sanctitudinem, vitā à Domino miraculosè impetrauit, & quam natura negabat, cōcessit, tamquam vitæ hera, atque domina (ô res stupenda) ipsius conuersationis integritas. Obsecro Domine, dixit, memento quæso, quomodo ambulauerim coram te in veritate, & in corde perfecto, & quod placitum est coram te, fecerim.] Cor perfectum, & anni in veritate transacti, cor Domini emollierunt, morbum immedicabilē depulerūt, portas mortis vectibus ac seris, ne ad feriendum exiret, munierunt, salutem & incolumitatem impetrarunt. Vis obediat illi mors? Sed iustitia (vt est in Prouerbiis) liberabit à morte, quàm iustus venientem æquo animo expectat, accedentem sustinet, & vt initium vitæ melioris admittit. Viuit ergo cùm moritur, & secundùm exteriorem speciem victus à morte, mortem ipsam vincit & proterit, eámque conculcans, ac veluti scabellum pedum suorum faciens, vitam immortalem apprehendit, quàm, nisi in hoc scabello pedes figeret, non posset accipere. Nec solùm in seipso, sed in aliis etiam iustus morti imperat. Nam & Elisæus vita functus, mortuum ad vitam reuocauit, & corpus eius examine, animam cadaueri ipsum tangenti, & vitæ calorem impertiit. Vis tandem obediat illi Deus? Sed Deus quodammodo iustis & sanctis paret, dum ad eorum voluntatem faciēdam se demittit. Oculi profectò Domini super iustos, & aures eius ad preces eorum.] Quòd si oculi seruorum in manibus dominorum suorum; & oculi ancillæ in manibus dominæ suæ;] ille qui naturaliter iustorum, & omnium est Dominus, seruos, & ancillas, certa quadam ratione imitatur, dum benignè iustos respicit, & promptè ipsorum voluntatē exequitur. Huic ergo pecuniæ obediunt omnia; huic drachmæ parent vniuersa, quia nihil est tam arduum, atque difficile, quod vera virtus non teneat; nihil tam magnum, atque pretiosum, quod perfectio non obtineat; nihil tam excelsum, atque sublime, quod sanctitatis ac puritatis animæ subterfugiat imperium. (Psal. 71. — Act. 17. — Deut. 28. — Iosue 10. — Prou. 8. — 4. Reg. 20 — Prou. 10. — 4. Reg. 13. — Psal. 33. — Psal. 122.)

Perfectio igitur drachma est, quia si drachmæ in pretium rerum venalium inuentæ sunt, ipsa perfectio, ac vitæ innocentia est, qua emimus vitam, mercamus fœlicitatem, comparamus regnum cælorum. Nónne singulæ res venales suum certum pretium

habent,

A habent,& hæc,verbi gratia, vestis decem aureis digna censetur: sed regnum cælorum sola drachma perfectionis emitur decem nummos habente, quam qui in pretium non integram & absolutam obtulerit, nequaquam cælesti regno ditabitur. Paradoxum videbitur hoc, sed est quidem verissimum; priùs verò quàm id explicemus, perfectionem esse regni cælorum pretium astruamus. Dicat nobis Ambrosius, quodnam sit pretium in commutationem vitæ immortalis dandum. *Amb. in Psal. 61.* Pretium nostrum (inquit) pudicitia est, quæ nos separat à pecoribus, Angelis iungit. Pretium nostrũ misericordia est, quæ nos dum confertur inopibus, redimit à morte. Pretium nostrum fides est, quæ omnes homines gentili errore, & seruitute depressos, Christo acquisiuit. Pretiũ nostrum bona existimatio est, quia vniuscuiusque nostrũ meritorum B series æstimatur. Pretium nostrum munditia, atque simplicitas est, quia scriptum est: Possessio pretiosa vir mundus. *Prou. 22. 1. Cor. 8.* Nihil enim pretiosius viro simplici.] Vnde Apostolus pulchrè: Abundauit, inquit, in diuitiis simplicitatis suæ.] Quid enim simplicitate ditius, quæ sicut bonus paterfamilias satis sibi abundat, & sua puritate contenta non quærit alium, neque abrodit, sed de se cæteros fingit.] Vocat ergo pretiũ nostrum virtutum, ac bonorum operum cumulum, quod nullo modo ab ipsa perfectione secernitur. Et in eandem sententiam Augustinus, cùm dixisset, beatitudinem tantùm valere, quantùm quisque est, cuidam propositæ obiectioni respondet. *Aug. ser. 64. in verbo Domini c. 3.* Sed malus sum (inquies) & fortè me non accipit? Dando te illi, bonus eris, Vt huic fidei, promissioniq; te des, hoc est, C bonum esse. Cùm autem bonus fueris, pretiũ ipsius rei eris, & habebis non quod dixi solùm, salutem, incolumitatem, vitam, & sine fine vitam, nõ hoc solùm habebis, adhuc alia tollo. Non ibi erit lassari, & dormire; non ibi erit esurire, & sitire; non ibi erit crescere, & senescere, & cætera.] Bonum ergo esse, id est, perfectum esse, pretium est vitæ, quam speramus in perpetuum duraturæ. Quod pretium aduersarij humani generis à nobis conantur surripere, dum nos ad noxium teporem, & ad ignauiam, & socordiam instigant. Vnde sanctus Dauid his dæmonum tendiculis maiorem proficiendi curam, & diligentiam opponit, dum ait: Pretium meum cogitauerunt repellere; cucurri in siti.] *Psal. 61.* Nam si vos, ô hostes mei, pretiũ D meum, & drachmam meam, id est, virtutem perfectam, qua sum præmium æternum empturus, auferre nitimini, curram alacriter, ac sitibũdè virtutis vias, & ad Deum liberatorem velociter fugiam, qui cursus perfectionis pretium à vestris vnguibus liberabit. De eo etiam illud Ecclesiastici potest intelligi: *Eccl. 20.* Est qui redimat multa modico pretio, & restituens ea in septuplum.] An non vitæ perfectio modicum pretium est, si quidem dragma est? An non modicum pretium est, siquidem in præsenti quid momentaneum, & leue tribulationis est? Sed hoc modico pretio multa redimimus, quia supra modum in sublimitate, æternum gloriæ pondus operatur in nobis.] *1. Cor. 4.* Et tunc in septuplum ea multa restituemus, cũm, eisdem quæ data sunt nobis, Domino per æter- E nitatem seruiemus; & ob ea, quæ numquam sunt finem habitura, Dominum sine fine laudabimus. Meritò sanè illa mulier Euangelica veluti aliarum nouem drachmarum oblita, quæ sibi supererant, hanc decimam, quam sibi deesse cognouerat, tanta sollicitudine & cura conquirit, quia licèt aliæ multùm valeant ad felicitatem consequendam, sed sine hac decima, numquam in eius possessionem veniet, nec actu admittetur in regno cælorum.

An hoc verum est? Certè verum. Nullus igitur A imperfectus, licèt sit iustus, in gloriam intrabit? Prorsus nullus, quousque imperfectiones exuat, & perfectionis vestimentum induat. Habent quidem iusti omnes, licèt necdum ad perfectioné charitatis peruenerint, ius ad regnum consequendum, sed quousque perficiantur, possessionem regni non accipient. Quare enim animabus, cum aliqua leui culpa decedentibus, in ipso momento separationis à corpore feruens actus cõtritionis, & charitatis datur (vt Thomas, & alij Theologi aiunt) nisi vt ab imperfectionibus, & leuibus culpis mundentur? Quare eisdem in Purgatorio igne tempus purgationis indicitur, nisi vt ab omni næuo liberæ, & (vt sponsas Christi decet) perfectè comptæ, atque politæ in sponsi thalamum admittantur? Quare scriptum est in Apocalypsi, *Apoc. 21.* B Quia non intrabit in eam ciuitatem cælestem aliquid coinquinatum, aut abominationem faciens, aut mẽdacium;] nisi quia ante ingressum non solùm grauia crimina deponenda sunt, sed etiam leuia peccata, & imperfectiones, quæ nomine mendacij designantur, relinquendæ? Quare fulgebunt iusti sicut sol in regno patris eorum] *Matt. 13.* nisi quia sicut solis integra & perfecta est pulchritudo, ita in viris iustis nulla erit in cælesti patria imperfectionis aut impuritatis obscuritas. Sicut ergo aurum, atque argentum è terræ venis eductum, dum terræ, aut scoriæ mistum est, ad regis quidem ius, & dominium pertinet; sed donec purgetur, & ab omni sorde separetur, conspectui regis nõ offertur, neque in eius thesauros & gazas admittitur: Ita iusti dum imperfecti sunt, non sunt sco- C riæ, nec æramenta sterquilinio inferni deputanda, sed metalla pretiosa auri, & argenti, in thesauro Domini recondenda: at gemmis, & aliis pretiosis, & mundis metallis non adiunguntur, quousque ab omni imperfectione depurgentur, & omnino munda ab omni labe, aut in hac aut in alia vita reddantur. Et quemadmodum aurum terræ, aut alienæ materiæ permixtum multum videtur; at cum igni probatur, à sordibúsque mundatur, quantum sit agnoscitur, & eius valor peruidetur; sic multorum iustorum virtus, quæ in hac vita magna & eximia nobis apparet, apud Dominum ab imperfectione purgata, & à naturæ inclinatione, & humana laude, & à præpostera intẽtione, & aliis similibus segregata, munda quidem, & perfecta, sed satis exigua iudicabitur. Hęc autem sola D ab omni fæce defæcata, & ad perfectionem reuocata cælorum regnũ promerebitur. Perfectio ergo drachma est, denarium substantiæ nostræ complens, atque perficiens, quo diuites & nobiles reputamur, & in terram viuentium, atque in aulam æterni regis admittimur. Quare sicut Galaaditæ Iordanis vada occupantes, *Iudic. 12.* vt suos agnoscerent, huius vocis, Schibboleth ab eis prolationem exigebãt, quæ interpretatur, spica, & non valentes aptè proferre, & sibboleth, id est, onus dicentes, iugulabant: Ita Angeli ingressum cælestis regni custodientes, quosdam quidem repellunt, scilicet iniquos & peccatores, atq; ab illis æternis sedibus non sine indignatione deijciunt; alios verò dicentes, sibboleth, & imperfectionum onera cõfitentes, mitiori pœna castigant, eósque ab ingressu E arcent, & in purgatorio detinent, donec leuiores culpas exoluant, imperfectiones exuant, oneráque deponant: Et solos eos, qui spicam bene proferunt, & fructum virtutis perfectum ostendunt, vadunt transire, & ad locum pacis venire permittunt. Optimè itaque perfectio vocari potest pretij summum, aut postrema pars priùs à iustis soluenda, quàm cæleste regnum adipiscantur. Nam si negotiatores huius sæculi, solent aliquam gemmam pretiosissimam apud seipsos detinere, & in possessioné emptoris nõ dare,

quo

quo vſque pretium eius vſque ad vltimum quadrantem ſibi ſoluatur, quid mirum ſi Deus gloriam ſuam, quam oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, emptoribus, id eſt, iuſtis poſſidendam non tribuat, donec ſibi vltimam pretij drachmam, id eſt, ſanctitatem & perfectionem, exoluant? Si primam drachmam, ſi ſecundã, ſi vſque ad nonam offerant, id eſt, ſi actus nunc huius, & ſtatim illius virtutis exerceant, illæ quidem in partem debiti pretij admittentur, & vt merita beatitudinis accipientur, at decimam drachmam ſoluant oportet, & ad ipſam vel magnam, vel minorem perfectionem perueniant, & omnes defectus ac imperfectiones relinquant, antequam felicitatis gemmam aſſequantur.

Ex his manifeſtè perſpicitur, perfectionem ſpiritualis vitæ pretiũ eſſe beatitudinis, ſed vnde conſtat eſſe drachmam? Cùm enim omnis pecunia, aut omnis moneta ad rerum venalium pretium pertineat, quare perfectio, quæ beatitudinis pretium eſt, non potiùs nummus argenteus, aut aureus, aut ſiclus, aut talentũ, aut aliud ſimile dicetur, ſed neceſſario drachma nominabitur? Certè ideò, quia drachmæ, & non cuiuſque, ſed drachmæ perditæ proprietates habet. Neque enim perfectioni drachmæ rotunditas deficit, quæ ſicut circulus quidem in eodem puncto incipiens, & deſinens, à Deo nos vocante, & trahente incipit, atque in Deum reuertitur, & in eius viſione, & poſſeſſione omnino perficitur. Et idcirco ait Dominus: Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater, qui miſit, me, traxerit eum.] Nec materia; nam perfectio non deargentata eſt, vt hypocriſis, quæ quod non eſt ſe eſſe mentitur, ſed verè argentea, idem interiùs præferens, quod exteriùs ſpecie declarat. Si enim argentum (vt Auguſtinus & Gregorius annotarunt) Domini caſtra, & pura eloquia deſignat, quidni perfectio ſit argentea, ſiquidẽ nihil aliud eſt, quàm ipſam Domini eloquium, non iam ſtylo in membranis conſcriptum, ſed opere, & vita in iuſtorum viſceribus delineatum. Nec valor drachmæ perfectioni deeſt: Si enim drachma decem nummis conſtat, perfectio decem mandatorum cuſtodiam, & omnium virtutum ſummam comprehendit, ab eáque longè abeſt, qui vel minimum Domini præceptum tranſgreditur. Nam ſi mandatum prætereuns iniquus eſt, quomodo poterit eſſe perfectus. Si offendens in vno, factus eſt omnium reus,] quomodo liber erit, amicus iudicis, aliorum iudex, & virtutis ac fidelitatis exemplar? Nec tandem perfectioni tamquam bonæ drachmæ deficit regis eam cudentis inſcriptio, quia perfectio eſt imago, & ſimilitudo Dei, quam operibus bonis depingimus, & in pura vita, ac ſancta conuerſatione geſtamus. Quare Baſilius ait: Qui in ſeipſo, quantùm in ipſo ſit, naturæ diuinæ libertimam affectuum trãquillitatem imitatus fuerit, hic defœdatam priùs in animo ſuo Dei imaginem, reſtituit priſtino nitori. Qui verò eo modo, quo diximus, Deo ſe ſimilem effecerit, is prorſus diuinæ etiam vitæ ſimilitudinem acquiſiuit.] Vide quàm verum ſit perfectionem tamquam bonam monetam imagine ſummi regis eſſe deſcriptam, quam ob eius ſolùm gloriam habere curemus, vt Cæſari, quod Cæſaris eſt, Deo autem, quod Dei eſt,] promptiſſima deuotione reddamus. Hanc drachmam vtique decimam, quia aliis nouem, id eſt, omnibus virtutibus complementum addit, & ad numeri conſummationem adducit, primus parẽs Adam perdidit, cùm ob inobedientiam, innocentiæ decus amiſit. Et propterea mulieri meritò comparatur, quia peccando, & comparis vocem audiendo, ad fœmineam infirmitatem deflexit, & virile robur ablegauit. Sancti autem, & perfecti viri drachmam quæſierunt, cùm laboribus & ærumnis, & ſui ipſorum victoria, Dei gratia, & fauore fulcita, aſſequi innocentiam perditam laborarunt.

Ioan. 6.

Aug. ad Pſalm. 8. Greg. 4. moral. 18.

Iacob. 2.

Baſil. lib. 1 de inſt. monach. ...

Matt. 22.

Tu ergo, ô religioſe, ſi necdum drachmam inueniſti, ſi necdum ad perfectionem veniſti; eam omnibus deſideriis, & votis inquire, & ad eam tamquã ad pretiũ æternæ felicitatis aſpira. Certus ſis, quoniam hoc pretium poſſidens, & iſtam drachmam in ſinu tui cordis recondens, paupertatis votum, quod emiſiſti, non franges, ſed pauperior, & Deo fidelior efficieris. Pecuniam quidem terrenam, quam diuites huius ſæculi tanta ſollicitudine quærunt, tanta auiditate recondunt, tam immoderato amore poſſident, ſtatus religioſus non ſuſtinet; at drachmam iſtam non contemnit, ſed cupit; nõ abijcit, ſed amplectitur; non refugit, ſed in hoc totus poſitus eſt, vt eam habere, & habitam augere, & vſque ad decorem cæleſtis patriæ promouere procuret. Si illi tanto labore pecunias lucrantur, vt in eis tãquam in viliſſimo cœno ſepulti, & immerſi hæreant, & ſæpè æternam mortem, & incomparabilem mendicitatem coemant; quanta cura, & ſollicitudine deberes tu hanc drachmam inquirere, & tui victoria, ac mundi contemptu, & operibus ſanctis, & exercitationibus deuotis lucrari, vt à cœno vitiorum in cælum efferaris, in vitam tranquillam, & pacatam extollaris, & veras diuitias & theſauros immenſi valoris merceris? Si illi pecuniam ſitientes, ſpinas & tribulos quibus pungantur, & curas inanes, & ſollicitudines turbulentas exquirunt: Nam ſaturitas diuitis (vt inquit Salomon) non ſinit eum dormire:] quare tu hanc drachmam non ſities, cuius præſidio, non ſpinas, quæ pungant, ſed cæleſtes conſolationes, quæ te delectent, congregabis, & vitam quietam, & bono pacatæ conſcientiæ lætam, & ineffabili tranquillitate refertam, inuenies? Illi omnibus alienis, & ſuo propoſito minùs conuenientibus negotiis ſe expediunt, vt lutum album, & pallidum coaceruent, quod eos, vt verum lutum inficiat, & vt infidele, in tẽpore neceſſitatis, atque in hora mortis deſerat; & tu vanis deſideriis, & curis ineptis, ac negotiis ab ſtatu religioſo alienis te intricabis, quando eſſes verum argentũ, & verum aurũ lucraturus, id eſt, verã animæ puritatem, & incomprehenſibilem felicitatẽ meritis & ſanctis operibus adepturus, quæ in poſtrema hora fideliſſimam comitem ſe præbebit, & nunquam te deſeret, nũquam derelinquet! Quis hoc credat? quis hanc cæcitatem non defleat? quis hanc hominis inſaniam nõn deploret? quis non obſtupeſcat, videns, quia filij huius ſæculi prudentiores filiis lucis in generatione ſua ſunt?] Diuitũ ſcopus eſt, diuitias poſſidere, & tuus ſcopus eſt perfectionis drachmã comparare: illorum officium eſt pecunias congerere, & tuum munus eſt decem drachmas, id eſt, omnes virtutes (quibus proh dolor, & non aliqua tantùm cares) in conclaui tui cordis abſcondere: Illi ad menſam ſedent, mercimonia tractant, & rationem dati, & accepti habent, ne ſua cupiditate fraudati remaneant: & tu ad cœtum religioſorum veniſti, ſolus in cella conſediſti, viam virtutis arripuiſti, ne tuo deſiderio fruſtreris, & ſanctitatem aſſequaris. Quare ergo obliuiſceris finem tuum? quare poſthabes munus tuũ? quare non inſiſtis negotio tuo, ſaltem vt illi inſiſtũt ſuo, vt diues non in hac lacrymarũ valle, ſed in cæleſti patria efficiaris, & magnus, ac honoratus, non inter infames homines, ſed inter ſanctos, & Angelos appelleris? Ne puſillanimitas te detineat, ne labor negotiãdi & quærẽdi te deterreat, quia vna ſola drachma eſt, quã debes acquirere, & ea acquiſita poteris à labore ceſſare. Quis tam excors, quis tã imbecillus, quis tam infirmus, & omni ope humana deſtitutus, qui vnam

Eccleſ. 5

Luc. 15.

solam drachmam innumeris Dei auxiliis fultus lucrari non possit? Quidnam aiunt pueri Naaman, cùm suum dominum indignātem, & remedium suæ munditiæ detrectantem aspiciunt? Profectò in hæc verba prorumpunt: Pater, si rem grandem dixisset tibi Propheta, certè facere debueras, quantò magis quia nunc dixit tibi, Lauare & mundaberis?] Ita si rem grandem tibi dixissemus, vt esses sanctus, atque perfectus, certè facere debuisses, & omnem tuam curam, omnem diligentiam, omnes vires, & neruos in hanc rem iam eximiam, ac illustrem impendisses; quantò magis cùm dicitur tibi, quòd sanctus eris, si vnam tantùm drachmam lucreris, & vnam Dei, ac proximi (quam descripsimus) charitatem assequaris. Si autem à me quæras, quo pacto potero hanc pretiosam drachmam à primo parente perditam inuenire, & innocentiam dilapidatam possidere? Certè poteris, si mulierem illam, quæ vnam ex decem drachmis perdidit, imiteris. Quomodo igitur eam imitabor? Ita sanè si lucernam accendas, hoc est (vt exponit Gregorius Nyssenus) pœnitentiam, & compunctionem tuorum peccatorum exsuscites, obliuione tui, & defectu humilitatis extinctam, qua tuas miserias agnoscas, cognitas defleas, & lacrymis ac geminibus diluas. Si domum tuam scopa mortificationis euertas (quæ sicut scopa multis arbustis constat, ita multis actibus propriæ abnegationis conficitur) & quidquid in te sordidum est mundes, quidquid immundum est purges, quidquid sæculum redolet, & mundum sapit, & abiicias. Ita fiet, vt drachma perdita incipiat apparere, & aliquem ex se in tuos oculos splendorem immittere. Qua cognita, & eius pulchritudine considerata, non dubium, quin celeriter teipsum in terram abiicias, & supra quàm dici potest, omnem fastum, & superbiam prosternas, & vniuersa mundana abomineris, vt drachmam capias (quæ pretium est regni cælorum) & tantum bonum tam exiguo nomine signatum, possideas. Tunc conuocabis amicas, & vicinas, id est animas sanctas, & tui feruoris, ac propositi socias, dicésque illis: Congratulamini mihi, quia inueni drachmam meam, quam in protoparente perdideram.] Venite, audite, & narrabo omnes qui timetis Deum, quanta fecit animæ meæ.] Qui exaltauit me de portis mortis, vt annunciem omnes laudationes suas in portis filiæ Sion.] Qui dedit mihi sponsam, diu desideratam, sollicitè amatam, sine intermissione quæsitam, & aliquando cupienti animo præparatam; qua nobilis ero ego in portis vir eius, quando sedero cum senatoribus terræ.] Quando fructus manuum mearum comedam, vel (vt veriùs dicā) filios gratiæ & partus misericordiæ Dei, quibus me dotauit, læta mente suscipiam.

4. Reg. 5. Luc. 15. Psal. 65. Psal. 9. Psal. 31.

Perfectionem vocari margaritam, propter quam emendam omnia nostra vendidimus.

CAPVT III.

TErtium perfectionis nomen illustrius est, & sublimius, licèt idem omnino, quod drachma significet; sed in hoc est manifestum discrimen, quòd ipsa vocis maiestate, rei significatæ magnitudinem apertiùs & manifestiùs ostendit. Drachma enim nomen est rei minimæ, quam etiam pauperes, & egeni possident; at margarita rē pretiosam, magniquc valoris designat, quā soli reges, & principes, aut homines, certè prædiuites, in suum dominium ac potestatem habent.

At in arcano Christi sermone, ad idem prorsus scilicet ad perfectionem referuntur, siue quia ille (cuius velle, posse est) eadem facilitate gemmam perfectionis suis amicis elargitur, ac si vilissimam drachmam tribueret, siue quia nobis gratiæ auxilio roboratis, tam facile est perfectionem assequi, ac monetam minimi pretij, & valoris lucrari. Vocatur ergo vitæ spiritualis perfectio pretiosa margarita, quam diligens negotiator, margaritis quærendis insistens, inuenit, & venditis omnibus quæ possidebat, & in pretium eius oblatis, in suum vsum vindicauit. Quod ita esse, tum negotiatoris munus, tum margaritæ natura, & pulchritudo, tum finis, cuius gratia margarita emitur, & possidetur, satis clarè & perspicuè demōstrant. Nam negotiator iste virum spirituale significat, qui velut industrius negotiator scientia pollet, & rerum acquirendarum industria; qui temporis ad negotiandum, & loci opportunitatem agnoscit; qui mercium sibi oblatarum, aut vilitatem, vt eas respuat, aut vt accipiat, valorem, & bonitatē aduertit; qui rationem conseruandi merces ad se pertinentes optimè nouit; qui ingeniorum bonorum, siue malorum, quibuscum negotiatur, conditionem expendit; qui nec amore magno erga diuitias spirituales, nec ardenti desiderio eas congregandi caret, nec lucrum, quod sperat, æternum vtique, & semper duraturum rebus vilibus & contemptibilibus huius vitæ postponit; nec cor magnificum ad expensas faciendas, & merces pretiosissimas emendas ob tentationes irruentes amittit. Scit enim dictum esse à Domino: Negotiamini dum venio.] Qua iussione perculsus, & spe præmij cælestis animatus, nequaquam labori parcit, aut cor suum negligētia, & socordia tabescere sinit. Audiamus negotiatorum huius sæculi fallacis ingenium, & inde spirituales viros esse negotiatores, manifestè comperiemus. Illos quidem Laurentius Iustinianus hac diserta oratione describit. Prudentium negotiatorum temporalium rerum hoc est proprium, infatigabili cura secum in cordis secreto priùs quàm ad exteriorem deueniant actum, sua tractare negotia. Impellente quidem cupiditate aggregandi diuitias sæpè cogitant, quanta qualiáve sint bona, quæ possident, quomodo, aut quibus argumentis valeant, quæ habent, vendere, emere quæ non habent, & semper lucri causa. Circa hoc multiplicant cogitationes, accenduntur desideriis, partem noctis insomnem ducunt, in die huc illuc discurrunt, supputant tempora, mente peragrant prouincias, obuiant periculis obiectis, atque sedula intentione inutilia secum gerunt certamina. Ordinant, quæ agenda sunt, & quæ facta sunt, vt indelebiliter recondant memoriæ, & reuisere valeant, calamo scribunt. Nemo prorsus explicare sufficit eorum cogitatus, inordinatos affectus, anxietates plurimas, occupationésque innumeras. Obliuiscuntur sui & penè salutis propriæ efficiuntur immemores, præ nimio amore terrenarum facultatum quas velint nolint relicturi sunt posteris.] Sic ille istorum ingenium, & diligentiā depingit, à qua si inutilitatem, & affectus inordinationem abstrahamus, spiritualem negotiatorem, id est, virum iustum, cognoscemus. Qui profectò nihil nisi suum negotium id est, animæ salutem, & profectum mente reuoluit; & priusquam aliquid dicat, aut faciat, an Deo placitum sit, an minùs gratum attentè considerat: desideriis offerendi Deo, quæ opere executus est, fatigatur, & acquirendi virtutes, quas non habet, prudenti sollicitudine affligitur; & in hoc suos cogitatus, desideria, & conatus constituit: vt diuitias suas, id est, merita sua accessionibus nouis augmentet. Propter hæc meritorum compendia, in die laborat, nocte

Luc. 19. Lau. Iust. li. de humilit. c. 6.

vigilat,

vigilat, nunc huius virtutis actui, nunc illi bono operi insistit, in cælum mente conscendit, & ante Angelorum, & sanctorum pedes procumbit, vt ab illis auxilium, ad negotiandum, & aliquid lucrandum accipiat. Præteritorum recordatur, vt ea si mala sunt deleat, si bona perficiat; præsentia emendat, & futura oculo discretionis prospicit: Ac tandem omnium rerum temporalium, ac penè salutis corporalis obliuiscitur, vt semper duraturos thesauros inueniat, & cælestes facultates multiplicet. O bonus, ac prudens negotiator, cuius incitamentum ad lucrandum, charitas; cuius substantia, gratia; cuius scopus cælum est. Huic & sui similibus optimè congruit illud Iob: Concident eum amici, diuident illum negotiatores,] quoniam Behemoth; id est, diabolum viri spirituales abscindunt, cùm verbo & exemplo peccatores, hoc est, diaboli membra, ab eo separant, & ad vitæ rectitudinem ac sanctitatem conuertunt. Et meritò Hieronymus vocat eos inclytos negotiatores, non terræ, sed cæli; quoniam negotiatione sua, non diuitias terrenas quærunt, sed opes cælestes, & thesauros non putrescentis carnis, sed spiritus semper viuentis, inueniunt. Quare si negotiatores terræ (vt est in Apocalypsi) flebunt, & lugebunt,] at hi cæli negotiatores gaudebunt, & exultabunt, quoniam merces eorum numquam discedent ab eis; etsi interim aliquantulum contristabuntur, sed tristitia ipsorum conuertetur in gaudium.

Iob. 40.

Hier. 18. in Isa. ca. 25.

Apoc. 18.

Vir ergo spiritualis, & iustus, qui cogitationes, & desideria sua in cælum effert, & in cælestia, & sempiterna sustollit, negotiator est, qui margaritas quærit, cùm virtutes, quibus exornetur, inquirit. Si enim margaritæ videnti sunt pulchræ, pauperi desiderabiles, possidenti pretiosæ; quid virtute pulchrius, quam impij etiam, & virtutis osores admirantur? Quid virtute desiderabilius, quam omnes siue magni, siue parui concupiscunt? Quid virtute pretiosius, quam veri sapientes omnibus rebus pretiosissimis anteponunt? Denique melior est acquisitio eius, negotiatione argenti, & auri, primi & purissimi fructus eius: Pretiosior est cunctis opibus, & omnia quæ desiderantur huic non valent comparari.] Tunc autem negotiator iste prudens, & fœlix pretiosam margaritam inuenit, cùm perfectionem ipsam, & mentis puritatem agnoscit. Hanc verò esse pretiosam margaritam Cassianus perspicuè confitetur, dum illud bonum, quod in Dei vnione consistit (& ipsa perfectio est) omnibus virtutibus iure præponit, & à Paulo, vniuersas iam virtutes habenti, in desiderio adhuc esse (quia ampliùs in hac vita crescere potuit) manifestè proclamat. Omnes (inquit) quas eum diximus habuisse virtutes, quamuis velut gemmæ splendidissimæ, atque pretiosæ sint, tamen si præclaro illi, atque præcipuo margarito, quod ille Euangelicus negotiator, inquirens, vniuersis quæ possidet venditis comparare desideret, conferantur, ita earum meritum euilescit atque contemnitur; vt eis sine cunctatione distractis, vnius tantùm boni possessio locupletet bonorum innumerabilium venditoré.] Idem videtur sentire venerabilis Beda, dum margaritæ nomine iam cælestem vitam, quæ non est alia, quàm vita perfecta, iam virtutem charitatis intelligit. Eius interpretatio sic habet. Inuenta vna margarita pretiosa, omnia quæ habuit, vendidit, quia in comparatione cælestis vitæ omnia habita vilescunt. Si verò sanctos homines scrutare vis, vnum Iesum Christum, qui absque culpa est, omnibus meliorem inuenies. Si intellectum quæris, illum solum cæteris præeminere probaueris: In principio erat Verbum, & mandatis omnibus sic charitas est

Prou. 3.

Cassia. col. 23. c. 1.

Beda in. 13 Matt.

A excellentior, in qua omnia restaurantur.] Priùs docuit hoc Augustinus, Christum Iesum, id est; imitationem eius, aut dilectionem margaritam appellans. Et alio loco apertiùs de charitate loquens: Puto, inquit, istam margaritam esse illam, pro qua homo negotiator describitur in Euangelio, qui inuenit vnam margaritam, & vendidit omnia, quæ habebat, & emebat eam. Hæc est margarita pretiosa charitas, sine qua nihil tibi prodest, quodcumque habueris; quam si solam habeas, sufficit tibi.] At Bernardus clarissimè non aliud, quàm perfectionem in margarita intellexit: dum ea vnitatem signari docuit. Ego, inquit, vnam hanc margaritam, nihil aliud, quàm vnitatem arbitror esse. Quærit autem bonas margaritas, & qui in opere salutis suæ non est contentus,

Aug. lib. 1. qq. Euãgel. 11. Aug. in 1. 1. Ioan ad c. 5. tract. 5.

Ber. ser. 16. ex paruis.

B inferioribus bonis, sed summa quæque & excellentiora perquirit. Nihil ergo pretiosius inueniet vnitate, non parcat omnibus cæteris propter eam: ieiuniis, vigiliis, orationibus audacter præferat vnitatem. Volo autem, vt in ea quoque sic maneat, non quasi vnus ex omnibus, sed quasi cum omnibus vnus. Latum expandat sinum, ex omni genere affectionum claudat intra viscera sua, omnibus omnia fiat, & congaudere paratus, & compati: gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus.] Ex his intelligimus margaritæ nomine ipsam perfectionem obuolui, cuius naturam charitas, aut vnitas tenet, & ipsa Christi sequela, atque imitatio depingit.

C Ego autem existimo, perfectionem non quamlibet dici margaritam, sed illam, quæ secum omnes alias margaritas trahat, & in viri perfecti sinum inijciat. Nam de conchyliis, in quibus margaritæ generantur, quid admirabile tradit Plinius, quem Origenes sequitur, vnum esse inter illa magnitudine præstantissimum, & pulchritudine gemmæ intra se reconditæ venustissimum, quod turmatim alia conchylia velut ducem sequantur, & ipsum tamquam Regem, aut Imperatorem comitentur. Hoc igitur conchyle vrinatores præ omnibus apprehendere cupiunt, siquidem eo capto ferè nullo negotio vniuersum agmen concharum apprehenditur, suum ducem sequens, & apprehendens omnium margaritarum possessor efficitur. Ecce detectam, & patefactam sanctæ perfectionis dignitatem atque naturam. Ipsa

Plin. lib. 9. hist. nat. c. 35. Orig. in Matt. ad c. 13.

D margarita est; nam si margaritæ terrenæ, quas scilicet terreni homines amant, magni sunt pretij, vt ex Plinio discimus, & ipsa experientia comperimus, nihil est in vna spirituali perfectione pretiosius, siquidem velut omnium virtutum genitrix earum societatem amat, pulchritudinem, & decorem possidet, & quatenus est earumdem origo, vim naturámque sortitur. Cui illud sapientis egregiè conuenit: Gemma gratissima expectatio præstolantis, quocumque se vertit, prudenter intelligit. Nam præstolans non est alius, quàm iustus, qui cùm desiderium cordis sui in terra non habeat, in cælo illud amplectendum esse prudenter expectat. Huius expectatio in hac vita perfectio est; nam si quod habet quis, non sperat, iste non virtutes quas habet, sed ipsarũ perfectionem, & absolutionem, quam nondum accepit, habere de-

Prou. 17.

E siderat. Quæ profectò gemma est gratiosissima, & omnium aliarum pretiosissima, pro cuius desiderio virtutis amator in quocũque negotio circumspectè se gerere curat, ne rei à se cõcupitæ possessione fraudetur. Margaritæ in conchis generantur, & hæc nostra pulchra margarita priùs quã annulo, quẽ speramus, æternæ felicitatis cingatur, in concha mortalitatis inclusa continetur. Vnde Paulus ait: Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus, vt sublimitas sit virtutis Dei, & nõ ex nobis.] Et Gregorius perfectos

2. Cor. 4.

Cant. 6. nucibus signari autumat eo loco: descendi in hortum nucum qui dum diuinam sapientiam intra corpora sua retinent, quasi nucleum in fragili testa portant. Vult enim Dominus ostendere mundo, in omnibus operibus suis sapientiam,& bonitatem, & potentiam suam: In hoc autem opere sanctificationis hominum, sapientiam ostendit, quia homines per peccatum stultissimos, per veram virtutem sapientissimos facit; bonitatem patefacit, quia quos iniquos & peccatores reperit, in viros sanctos, ac perfectos conuertit;& potentiam declarat, quia perfectionis margaritam, tam in hoc mundo delicatam, tam Dæmonum rapinis expositam, in concha, in vase fictili, ac testaceo conseruat, vt opus iam sublime, tam admirabile, non imbecillitati humanæ, sed diuinæ virtuti tribuatur. Facit hoc Deus noster, ô homo, vt intelligas quoniam mutatio vitæ, & acquisitio virtutis non est opus tuum, sed opus suum, & ne dicas in corde tuo: Fortitudo mea, & robur manus meæ, hæc omnia mihi præstiterunt.] Sed recorderis Domini tui quòd ipse vires tibi præbuerit, vt peccata desereres, mores mutares, & virtutem, aut minimam, aut mediocrem, aut perfectam obtineres. Margaritæ quoque à lumine cæli, ex humore roscido tamquam ex materia fiunt, in quo perfectionis margarita cum illis conuenit, quæ à Deo ex cælesti ac spirituali rore mirabiliter gignitur. An Deus lumine virtutis suæ hanc margaritam efficit? Ita sanè, quoniam ipse est, qui operatur in nobis velle, & perficere pro bona voluntate.]Quid est operatur velle, nisi quod Deus semina virtutis inserit, & initia perfectionis instillat? Et quid est operatur perficere, nisi quòd virtutis augmentum ipse concedit, & vilissimum hominem in fastigium perfectionis extollit? Hoc operatur in nobis non pro meritis nostris, sed pro bona volũtate sua, qua & nos dilexit, & sibi in socios, in amicos, in filios aggregare constituit. An ex rore cælesti eam in cordibus nostris efformat? Ita quidem, quoniam inspiratio diuina tamquam ros in animas istas descendit, & ex ea in desideria protracta, atque in opus, & actionem prouecta gratia efficax, Dei perfectionem facit, ipsamque abscondita quadam mutatione in sanctitatem, ac mentis puritatem commutat. De hac inspiratione Dei, inquit Isaias: Expergiscimini, & laudate, qui habitatis in puluere, quia ros lucis, ros tuus, & terram gigantum detrahes in ruinam.] Illi quippe habitabant in puluere, qui terram amabant, & pulueri terræ, hoc est, rebus vilissimis inhærebant, quos Dominus rore lucis suæ, id est, inspiratione sua suscitat, & à somno vitiorum excitat, cùm peccatis & vitiis extinctis, à morte ad vitam, & ab iniquitate ad sanctitatem reuocat.

Sed aliud profectò mirabilius, in hac margaritarum procreatione contingit, quód Plinius solertissimus rerum naturalium indagator, inter alia non siluit: pro qualitate scilicet roris à concha concepti margaritum mutari, & aut candidius puro, aut obscurius turbido rore suscepto, produci. Quod reuera nostræ margaritæ perfectionis non deficit, quæ pro qualitate gratię sanctis concessæ, & pro vocationum discrimine, cùm natura, vna eadémque sit, colore, aut aspectu alia atque alia esse conspicitur. Hinc oriuntur sanctorum hominum diuersa studia, actionésque distinctæ, cùm tamen omnes margaritam habeant, id est, à perfecta charitate ad agendum incitentur, & ad eandem plenius habendam moueantur. Quosdam videas silentij, & quietis studiosos; alios piæ sollicitudinis, & sancti laboris amatores; hos amor vitæ actiuæ capit; illos vitæ contemplatiuæ desiderium tenet; alios vitæ mistæ admiratio succendit: Quidam mansuetudine tamquam candore nitent; quidam zelo, & seueritate tamquam pallore fulgent; hi circumspectione, & timore pauent, illi fiducia, & amore audent, & alij feruore, & magnanimitate resplendent. Horum omnium vna charitas perfecta est, vna margarita, quam ex rore cælesti cõceperũt, quam vt sponsam charissimam adamarunt, sed distinctus est externus aspectus, quia gratia Dei sanctos & perfectos efficiens, non omnes eadem ratione gubernat; nec ad eadem opera perfectionis instigat. Ideò Ecclesia dicitur non vno colore vestita, sed circundata varietate,] & in ea non omnes Apostoli, non omnes Prophetæ, non omnes Doctores: non omnes virtutes, non omnes gratiam habent curationum, non omnes linguis loquuntur, non omnes interpretantur,] & eius membra lapidibus pretiosis signata sunt, quia videlicet sicut lapidum pretiosorum varia est virtus, ita in sanctis est actionum, studiorum, maritorumque diuersitas. Quemadmodum ergo semen, ex quo arbor generatur, natura quidem, & specie vnum est, sed qualitate varium, & multiplex, cùm ex eo tot tam diuersæque arboris partes, scilicet radix, truncus, rami, folia, flores, & fructus generentur: Ita hic gratiæ ros, vnus quidem est, quod ad naturam, siue speciem attinet, qui in iustorum mentibus perfectionem & sanctitatem inducit; at virtute est multiplex, cùm diuersos modos sanctitatis generet, & varias cæli vias in charitate cõtentas, hominibus cupidis suæ salutis demonstret.

Et quid amplius habent margaritæ? illud sanè (inquit idem Plinius) quòd solis radios fugiunt, vsu atteruntur, & incuria, atque indiligentia colore mutantur. Eadem prorsus in perfectione tamquam in vera margarita reperio, quæ nos cautos faciant, & non solùm à superbia, verum etiam à noxio tepore submoueant. Perfectio solis huius radios fugit, quia non ostentationem diligit, non mortalium laudationes aucupatur, non ab hominibus efferri concupiscit: & eo ipso solius iustitiæ solis conspectum, & laudem exquirit. Quare sancti ita rebus spiritualibus vacant, vt tamen quantùm possũt, se ab oculis humanis abscondant. Neque enim sunt ex illis, qui, vt dicit Iob, mandunt herbas, & arborum cortices,] id est, sola humana laude delectantur, & ventrem inani vento distendunt:] Sed ex illis qui in suis operibus illud Domini mandatum custodiunt: Nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua. Perfectio quoque nostra, non est in hac vita immutabilis, & incorruptibilis, sed talis, quæ nimio vsu atteratur, & immoderata exercitatione exarescat. Quid est vsu atteri? nisi imprudenti occupatione fuscari? Nam sicut vestis pretiosa, inter carbones & ollas inficitur, ita mentis puritas inter sæculares occupationes fœdatur, & multis laboribus acquisitus decor, vna distractione cordis amittitur. Preclarè dixit Ambrosius, dum soporẽ Adę mysticè interpretatur: Quis est iste sopor, nisi quia paulisper ad coniugium copulandum cùm intendimus animum, veluti intentos oculos ad Dei regnum inclinare, atque inflectere videmur, ad quemdã somnũ istius mũdi, & paulisper obdormire diuinis, dum in sæcularibus mundanisque requiescimus. Ne ergo diuinorum obliuiscamur, & puritatem à Domino nobis datam atteramus, distractio, & immoderata occupatio fugienda est, quia perfectionis margarita imprudẽtia conteritur, & inani præsumptione, veluti quadam ad ferrum confricatione dissoluitur. Incuria tandem, & otiositate perfectio colorẽ mutat, vt quæ antea erat pulchra & splendida, præ negligentia & ignauia possidẽtis, fusca & deformis existat, adeò, vt

sensim

Marginal notes: Cant. 6. — Deut. 8. — Philip. 2. — Isaia 26. — Plin. lib. 9. c. 35. — Psal. 44. — 1. Cor. 12. — Apoc. 21. — Iob. 30. — Matt. 6. — Am. lib. de paradiso c. 11.

sensim nobis priùs negligenter, & posteà iniquè agentibus, tandem in nigredinem, & fœtorem conuertamur. Quod vel cuiusdam monachi historia ab Abbate Ioanne, gratia ædificationis enarrata, manifestè conuincit. Ille enim cùm magno spiritus feruore Domino deseruiret, & præscriptam sibi orationis horam eximia deuotione compleret, pane miri candoris miræque suauitatis è cælis administrato refectus, ad solitas orationes redibat, & pro sui cordis augenda munditia sollicitissimè laborabat. Postmodum verò ad noxium teporem deflexus, & solitis hymnorum, & orationum mysteriis, non ex feruore, sed ex more perfunctus, panem quidem diuinitus præparatum, sed aliquantulum sordidiorem & insuauiorem accepit. Tandem ex tepore ad consensum iniquitatis pertractus, panem sordidissimum, & aridissimum, & quasi à muribus vel canibus corrosum, ei cęlestis vitio administrauit, & insuauitate ac ariditate panis eum admissi teporis, & cóceptæ iniquitatis admonuit.] Admonet etiam nos, vt ex diuersitate alimenti huic monacho diuersis temporibus oblati, mutationem margaritæ, id est, perfectionis, ac virtutis agnoscamus, quam diligenti exercitatione pulchram, incuria & tepore deformem, & iniquitate perditam, & in carbonem conuersam aspicimus. Itaque qui se existimat stare, videat ne cadat; quia sicut difficillimum est nobis peccato primi parentis infirmis ad perfectionem ascendere; ita facillimum est à perfectione ad imperfectiones descendere, & ea illis in manifestam iniquitatem deturbari. *1. Cor. 10.*

Est ergo perfectio pretiosa margarita, quæ margaritæ in se propria suscepit, & non quæcumque (vt iam cœpimus dicere) sed illa, quam omnes aliæ, vt ducem sequuntur, & vt imperatricem comitantur. Quare si margaritæ à Latinis appellantur vniones, quia in vna concha, nullæ duæ indiscretæ reperiantur; multò melius perfectio potest (licèt alia ratione) nomine vnionis insigniri, quod omnes alias margaritas, id est, vniuersas virtutes secum copulet, in animam perfectam trahat, & ex omnibus veluti vnam gemmam pretiosissimam, id est, vnam animæ formam, vnamque decoris speciem conficiat. Hoc enim proprium sanctitatis, & perfectioni est, vt sicut omnia vitia ab anima perfecta profligat, ita omnes virtutes inserat, & eam ex superba humilem, ex iracunda mansuetam, ex auara largam, ex lasciua castam, & vno nomine, ex vitiosa studiosam, & omnis boni amatricem faciat. Ob id autem est margarita omnium pretiosissima, quia omnium aliarum pretium, & valorem habet, ac vniuersarum affectus includit. Vnde Paulus eam patientem, & benignam appellat, quia patientiæ stabilitate, benignitatis pulchritudine; & aliarum virtutum decore refulget. Ipsa est candida, quia innocens lucida, quia sapiens; rotunda, quia in Deum tendens; suum pondus habens, quia constans; & leuis, quia mitis atque benigna, & mira suauitate tractabilis. Ipsa tandem est principium ac regum ornamentum, quia animæ, quæ in seipsas dominantur, & suis cupiditatibus imperant, hac pulcherrima margarita decorantur, & ita decorantur, vt regi regum Deo decoræ & amabiles appareant. Vnde Augustinus ait: Quomodo terreuis ornamentis caro luxuriosa paruo tempore ornatur, vt carnalibus oculis, aut ad suam, aut aliorum malè concupiscentium ruinam placere possit; sic anima diuinis sermonibus tamquam spiritualibus, & æternis bonorum operum, & margaritis componitur, vt ad illius cælestis sponsi consortium, & nuptiale conuiuium feliciter ornata perueniat, vt non ei dicatur illud, *1. Cor. 13.* *Aug. lib. 50. hom. homil. 16.*

quod scriptum est in Euangelio: Amice quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem?] Ne bonorum ornamentis expoliatus, ac nudus audire mereatur: Ligate illi manus, & pedes, & proijcite in tenebras exteriores, vbi est fletus & stridor dentium.] Sed magis pro ornamentis bonorum operum illa vox ad eum desiderabilis dirigatur. Euge serue bone & fidelis, intra in gaudium Domini tui.] Sed ô quàm admirabili ratione, & quantò pleniùs, quàm margaritæ corpus, animam perfectio condecorat. Nam vna margarita, vnam solam corporis partem, vt aurem, aut caput, aut pectus ornat; at vna perfectio omnes animæ partes, & omnes vires eius honestat, & pulcherrimas reddit. Animæ substantiam ipsam gratia vestit, intellectum immenso fidei, sapientiæ, & prudentiæ lumine irradiat, voluntatem charitate, & misericordia induit, concupiscibilem temperantia, & irascibilem fortitudine cingit, & ipsum corpus modestia, & tranquillitate componit. Tanta profectò est huius margaritæ lux, tantus decor, tanta pulchritudo, vt diuinos oculos capiat; qui sola puritate delectantur, & ipsa sola inter iniquos, & iustos, inter damnatos, & beatos discrimen constituat. Quare namque iniqui Deo displicent, nisi quia omni perfectione carent? Et quare iusti Deo placent, nisi quia aliquod saltem vestigium perfectionis habent? Quare illi reprobi facti sunt, nisi quia perfectionem, & sanctitatem, odio habuerunt? & quare isti salui facti sunt, nisi quia perfectionem & sanctitatem amarunt? Sine qua licèt in cælo essent, beati non essent, quia (vt theologi dicunt) homines, aut Angeli omni perfectione carentes, & graui crimine sordentes, Deum non possunt videre, & esto, possent, sed certè Deum non possiderent. Et quid mirum si perfectio animas decorat, quæ ipsum etiam Deum, ac omnium creatorem exornat? Ille enim qui decorem & confessionem induit & amictus est lumine sicut vestimento,] qui indutus est fortitudine, & præcinctus est virtute,] & iustitia cingulum lumborum eius, & fides sanctorum renum eius,] non corporalibus indumentis amicitur, sed infinita sanctitate, immensa perfectione & incomprehensibili cumulo suorum virtutum circumdatur (quæ vna simplicissima virtus est (qua coram Angelis & sanctis suis formosus in stola sua; gloriosúsque procedit. Quis ergo dubitet, perfectionem margaritam esse, quæ velut gemma pretiosa splendorem, pulchritudinem, & immensum valorem habet, & ornaméntum est animæ sanctæ quo decora, & Deo digna existimatur, & spiritibus cælestibus amabilis, & pulchra videtur. *Matt. 22.* *Matt. 25.* *Psal. 92.* *Psal. 103.* *Isaia. 11.*

Si ergo volumus hanc margaritam pretiosam emere, & eius nos ornare pulchritudine, necesse est, vt omnia nostra vendamus, & nos rerum omnium terrenarum cupiditate nudemus. Quid est omnia vendere? Certè non solùm facultates, delicias, & honores contemnere (quod, si non falsi religiosi sumus, iam fecimus) sed proprias voluntates, inueteratas consuetudines, pristinos mores, imò & nosipsos pro perfectionis amore despicere. Simile est enim regnum cælorum, hoc est, acquisitio regni cælorũ, homini negotiatori quærenti bonas margaritas, inuenta autem vna pretiosa margarita abiit & vendidit omnia, quæ habuit, & emit eam.] Non quiuis homo, sed negotiator, & non quilibet negotiator, sed margaritarius, nimirum gemmis pretiosis emendis, & vendendis insistens, hanc inæstimabilem margaritam inuenit; & vt inuentam possideret, primò abiit, deinde vendidit omnia sua, & tandem ea omnia in margaritæ pretium insumpsit. Vis ô religiose, *Matt. 13.*

vis,ô perfectionis amator, perfectionis ac sanctitatis esse possessor?Non igitur sis homo vagus, & otiosus, non vt eques compius,& delicatus; sed esto mercator,& animum ac curas, & sollicitudines negotiatoris indue. An negotiatorem dicimus,qui semel,aut bis,aliquid emit, & aliam viuendi rationē à mercatura alienam inijt? Non sanè, sed illam,qui ingenti studio,ac diligentia artem emendi & vendēdi exercet,& mercibus comportandis, seu conuehendis insistit: Ita tu & vt negotiator sis,non debes cursim,& quasi aliud agens viam virtutis arripere, sed ex professo virtuti,& puritati mentis adipiscēdæ vacare,& omnia alia,vt cibum,& somnum,& munus, & laborem,& quidquid cogitaueris,aut egeris,in hoc negotium tāquam in finem dirigere. Interroga Basilium, quem censeat vocari posse virtutis studiosum, id est, spiritualem negotiatorem. Non vnus, inquit actus perficit studiosum virtutis operatorem, sed per omnem vitam prorogari, & extendi conuenit virtutis actiones.]Semper itaque debes,vt bonus mercator, non rerum terrenarum,sed donorum cęlestiū, in eos actus virtutis incumbere,qui te quotidie;imò & singulis momentis ditiorem,hoc est,sanctiorem,faciāt, & ad consequendam perfectionem iuuent. Non tamen sufficit,vt sis velut negotiator,sed oportet sis sicut ille,qui lapidibus pretiosis,& margaritis pulcherrimis emendis intendit. Video enim aliquos sub veste religiosa,& habitu monachali, qui mētem negotiatorum,non margaritarū,sed luti,& stercoris conceperunt.Qui omnem curam, & sollicitudinē suam, non in adeptione veræ virtutis,sed in ambitione honoris, in acquisitione propriæ commoditatis, in expletione suæ voluntatis, aut certè in literis, quæ eos inflēt,addiscendis posuerunt. Hi primum, & præcipuum locum in corde suo, his rebus vilissimis, quarum amore dementati sunt, tribuunt, & secundum, aut tertium, aut nullum virtutis studio concedunt. Et eo ipso conuincuntur non esse amatores perfectæ virtutis, cuius tanta est auctoritas, tanta maiestas, vt non nisi in primo cordis loco sedeat, imo & omnia alia ad seipsam tamquam ad scopum dirigendo, totum cor nostrum in sedem ac domicilium sibi deposcat. Quamobrē iure optimo à Domino per prophetam irridentur, dicente cuius illorum tamquam stulto,qui suum statum & sortem ignoret:Plures fecisti negotiationes tuas, quàm stellæ sint cæli, bruchus expansus est,& auolauit.] Sicut enim stellæ cæli à nobis numerari non possunt;ita nō erit, qui negotiationes vnius istorum infelicium enumeret, & curas, ac sollicitudines cōputet, quibus seipsum discruciat,vt rem,quam in ingressu religionis contempsit,iterum repetat,& quasi rem alicuius valoris obtineat.Fortassis obtinebit, & aut prælatus,aut honoratus euadet,sed cū minùs de aliqua mutatione cogitat,auolabit prælatio,aut honos quasi bruchus,& eum inanem,& inglorium derelinquet. Tu si perfectionem cupis,nō sis ex istis,sed honoribus, & commoditatibus, & omnibus rebus temporalibus mortuum te exhibe,& solùm ad margaritas quærendas, id est,ad veras virtutes amplectendas, & perfectionem adipiscendam, viue. Et sicut illi Deo moriuntur,vt mundo,quem in seipsis anteà necauerant, viuant;ita & tu mundo,cui pro ratione religiosi status mortuus es,ampliùs & perfectiùs mori stude,& omnia huius mundi bona tanquam mortuus,ne respicias quidem,vt Deo,& perfectioni viuas,& sanctus, ac perfectus euadas. Sic eris bonus & prudens margaritarum negotiator,qui merces pretiosas compares, & res nullius valoris, quæ ad tuum statum non pertinet, constanter spernas. Postquam verò hunc honoris,& propriæ commoditatis contemptum, & perfectionis amorem, ac desiderium in te senseris, abi,& non teipsum,sed Dei gloriam & honorem inquirens,à teipso discede. Vende omnia quæ habes,] id est,omnia quæ te vinciunt,siue cogitationes sint, siue desideria rerum huius mundi,abijce, vt pretium pro illis humillimæ orationis, & feruentissimæ operationis congeras,quo desideratam margaritam coemas. Nam si virgines,quæ sponsum sunt accepturæ, nihil aliud pluris æstimant, quàm sericas vestes,mitras,vittas,redimicula,& lapides,& gemmas pretiosas,& alia similia, quibus seipsas in die nuptiarum ornēt,& comptæ,pulchræque procedant; & pro his omnia alia dilapidant, & suæ pulchritudinis instrumentis postponunt;quid tu factura es, ô anima religiosa,ad agni nuptias inuitata, ad coniugium Christi vocata,ad Dei amplexus prædestinata,nisi mundum, & omnia mūdana proterere,honorem, & propriam voluntatem abijcere,affectus & passiones conculcare,& teipsam fugere,atque relinquere, vt hanc margaritam profectionis compares,qua sponsi tui oculis pulcherrima apparebis, & coram amicis sponsi, id est, coram Angelis, & Sanctis decenter compta & ornata procedes.

Basil. hō. in Ps. 14. ad illud, Qui ambulat sine macula.

Nabū. 3.

Perfectionem vocari thesaurum, ob cuius amorem vniuersa relinquimus.

CAPVT IIII.

PROPRIVM perfectionis est, dum in vita mortali possidetur, vt semper crescat, & non in vno statu, quasi segnis & otiosa consistat. Quod Salomon manifestè confirmat,dicens:Iustorum semita quasi lux splendens, procedit, & crescit vsque ad perfectam diem.] Nam semita iustorum non gressus corporis eorum, sed gressus mentium,id est,bona opera,& virtutes designant, quæ instar lucis diei, quam continens latio solis efficit, semper augentur, donec ad perfectionem æternæ vitæ perueniant. Idem ergo, quod sancta perfectio habet,eius nomina habere comperimus, vt in diuinis Scripturis crescant, & rem numquam quiescentem, sed semper ad maiora,& altiora tendentem illustrioribus titulis patefaciant. Ecce primò perfectio vocatur sapiētia,quam solemus,drachmæ,id est,pretio magistris oblato,comparare,in quo minoris quodammodo, quàm ipsum pretium quod recipiunt, ab illis æstimatur.Deinde vocatur drachma,quam nonnulli ob sapiētiæ doctrinam accipientes,& diuitias exercitatione sapientię lucrari cupientes, sapientiæ,& cognitioni rerum anteponunt.Postea vocatur margarita,cuius maior est valor, quia multis drachmis, vna sola margarita coëmitur, & multis moneris,siue argenteis, siue aureis præfertur. Nunc verò nominatur thesaurus, qui innumeras drachmas, & multa talenta, & margaritas,& lapides pretiosos continens,in infinitum crescit,& valorem drachmæ,& margaritæ, & cuiusque alterius rei specialis excedit. Si enim thesaurus non quamcumque auri, aut argenti reconditi summam,sed immensam auri,aut argenti, aut pretiosorum lapidum,aut aliarum diuitiarum copiam continet, quæ sit velut armarium, aut promptuarium, ex quo suis & aliorum necessitatibus quis prouidere possit, dum perfectio vocatur thesaurus, non dubium est, quin supra sapientiam, & supra drachmam, & supra margaritam excrescat. Nam magis est quàm sapientia, thesaurus sapientiæ, ex quo scriba doctus in regno cælorum in aliorum vsum potest proferre noua & vetera.]

Prou. 4.

Matt. 13.

teræ.] Et magis est quàm drachma, aut margarita, thesaurus drachmarum, aut gemmarum, quo habet quis non tantùm vnde sibi prouideat, aut vnde se ornet, sed etiam vnde fratrum ornamento consulat, & necessitati succurrat. In hoc igitur nomine creuit perfectio, & mirum in modum amplificata est, quæ vt penu quoddam bonorum omnium refertissimum, oculus inspicientium, & meditantium offertur.

Perfectio quidem est thesauros, cuius possessione ditescimus, & vitam pauperem, & despectam abjicimus. Quem liber sapientiæ; non quemuis thesaurum, sed infinitum: & nos Deo gratos, & hominibus honorabiles efficiétem vocat. Infinitus enim thesaurus est hominibus, quo qui vsi sunt, participes facti sunt amicitiæ Dei, propter disciplinę dona commendari.] Quare infinitus? Ideo profectò quia perfectionis thesaurus omnium opum, quæ homini contingere possunt, summa est, atque compendium. Nam si Bernardo credendum est, tres sunt thesauri, quos nobis thesaurizare debemus, nimirū desideriū pietatis in corde, doctrina veritatis in ore, & assiduitas perseuerans in homine, pro quibus omnibus vnicus perfectionis thesaurus abundantissimè sufficit. Perfectio generat desiderium pietatis, quæ definitur esse cultus Dei, quoniam omnis eius cura in hoc sita est, vt Deū adoret, & in spiritu, & veritate colat, & vniuersa huic purissimo cultui aduersantia remoueat. Tradit quoque doctrinam veritatis; quia ipsam euangelij veritatem carnalibus inaccessibilem non tantùm ore docet (quod per se satis magnum est) verùm in corde recondit, & quo pacto complenda sit, operibus omnis virtutis ostendit. Procreat tandem (quod ad se attinet) perseuerātiæ assiduitatem, quia cùm ipsa sit perfecta virtus, iustorum mentibus non leuiter affixa, sed intimè radicata, amorem boni, & in omni iusto opere voluptatem affert, amor verò, & voluptas in aliquo negotio homines perseuerantes constituit. Non ergo inueniri poterit thesaurus perfectione copiosior, quæ voluntatem pietate vestiens, & intellectum veritate illustrans, & vtriq; in bono perseuerantiam impertiēs, quidquid boni animæ necessarium est, abundè suppeditat. Sed quod sequitur, nō leuiter huius thesauri imménsitatem pandit, & scilicet eius vsum participes nos facere amicitiæ Dei.] Nam si intima familiaritas alicuius hominis cum rege terreno, est honorum, & dignitatum, & magnarum diuitiarum origo; familiaritas cum rege celesti, cuius potentia, & largitas in amicos suos est infinita, cuius boni non erit initium? Quid deerit illi, qui Deum amicum habet? Cuiusnam rei indigebit, qui Deum ipsum, & eius gratiam, & amicitiā possidet? Quis nō magno honore illum afficiet, quem Deus in hac vita honore prosequitur, & in alia magnificat propter disciplinæ perfectæ custodiam? Hic ergo perfectionis thesaurus penè infinitus est, qui non aliquod speciale bonorum genus, sed omnia bona animæ continet. Et ideo non minus verè, quàm audenter ait: Mecū sunt diuitiæ, & gloria, opes superbæ, & iustitiæ.] Secum enim affert vera sapientia (cuius nomine supra perfectionem signari didicimus) spirituales diuitias, id est, omnium virtutū actiones, & purissimas voluptates, quæ non carnis obscœnitatem, sed pacatam consciētiam comitantur, vt verissimum honorem, qui nō ab hominibus quærendus est (vt ait Paulus) sed à Deo ipso] suos honorāte, & extollente, suscipitur. Istæ vero perfectionis diuitiæ non exiles sunt, aut moderatæ, sed opes superbæ, id est, eminentes, & cumulatæ, & tales quæ virum perfectum, & apud homines admirabilem, & apud Angelos magnum, & planè beatum efficiunt, Nec istud mirum esse debet, si quidem opes istæ non per iniustitiā & rapinam congregantur, sed per iustitiam & æquitatem conquirūtur. Quare, si diues sæculi huius, aut est iniustus (vt dicitur) aut iniusti hæres, diues Ecclesiæ, & diues cæli, nimirū perfectus vir; è contrario & iustus est, & in iustitiæ ac pietatis hæreditatem successit. Idcirco melior est perfectionis fructus auro, & lapide pretioso, & genimina eius argento electo,] quoniam eius fructus non viscera terræ pariunt, virtute cæli, & calore solis repefacta, non cauernæ, & montes huius infimi elementi proferunt, non flumina ad mare amarū festinantia edūt, sed gratia Dei in lucem emittit, quæ simul cum misericordia est in sanctos eius, & respectus in electos illius.] Hic autē respectus Dei, respectus vtique sapiētiæ, bonitatis, & potentiæ, quemnam thesaurum in nostris visceribus procreabit, nisi illum, qui omnis virtutis lucem, & pulchritudinem, & diuitias contineat? Vnde non incōgruè interrogatus Basilius, quisnam esset thesaurus bonus, ille scilicet, cui Dominus cælorum regnum comparauerat, respōdit: sanè quidem prudentia omnis, quæ est in Christo, virtutis ad gloriam Dei, thesaurus bonus est. Quibus verbis nomine thesauri perfectionem intellexit, quæ breuiter appellatur omnis virtutis prudentia siue sapientia; & hunc thesaurum non auri, aut argenti esse, quæ fures effodiunt, & furantur, sed omnium esse virtutum, & omnium bonorum spiritualium manifestissimè explicauit.

Sed oblectemus nos parumper huius consideratione thesauri, & fortè ipsa consideratio cordis nostri duritiem emolliet, & ad illum quærendum excitabit. Enimvero nos iudicamus duplicem esse thesaurum, [alterum simplicē, qui magna copia diuitiarū vnius generis constet, vt auri solius, vel argēti, vel gemmarū; alterū multiplicem, qui vniuersas omnis generis diuitias, vt aurum, & argentum, & gēmas, & vasa pretiosa & vestes, & vtensilia domus, & alias opes valoris immensi comprehendat. Huic autē similem putamus perfectionem; quare eam thesaurum multiplicem, siue omnes diuitias animæ continentem appellamus; Cui nihil omnino ad veram, & omnimodam animæ puritatem inuehendam deficiat. Sicut enim, qui inuenisset illum thesaurum, quem appellauimus multiplicem, omnia haberet, quibus, & sibiipsi sufficeret, & sociorum, siue amicorum necessitati prouideret; ita inueniens profectionis thesaurum, omnia habet, quæ spirituali viro, & Angelorum amico, & cælestis patriæ ciui, & Dei per adoptionem filio sunt necessaria, quorum possessione & sibipsi sufficiens est, & aliis, quibuscum vitam agit, vtilis, atque proficuus. Quo namque indiget iustus? Nonne vita? nōne salute? nonne cibo, potu & vestimento? nonne deliciis? nonne honoribus? nonne dignitate? nonne opibus, quibus & vsque ad sanctum luxum, sibi seruiat, & ad alios largus, imò & profusus existat? sed hæc omnia vna perfectio complectitur, vniuersa ista vnus thesaurus perfectionis habet, quare nemo inficiabitur, perfectionem, ac sanctitatem iure optimo thesaurum multiplicem appellari. Perfectio ita animæ est, imò & sola ipsa est vita perfecta, qua mens nostra mortem peccati fugit, & vitam gratiæ viuit, & spiritum sanctum omnia viuificantem, habitatorem, & hospitem habet. Quod si iusti imperfecti viuunt spiritualiter, sed nondum perfectè viuunt, quousque gratiæ vita in eis crescat, & vsque ad gradum perfectionis adueniat. De qua dictum est in prouerbiis: Custodi legem, atque consilium, & erit vita animæ tuæ, & gratia faucibus tuis.] Lex præceptum sonat, & consilium, liberum obsequium significat, illud præcipuè, quo dictum est; si vis perfectus esse, vade, & vē-

Marginalia: Sapien. 7. — Bern. lib. sentent. — Prou. 8. — 1. Thess. 2. — Prou. 8. — Sapien. 4. — Basil. in reg. breu. reg. 2. 36. — Prou. 3. — Sapien. 6. Matt. 19.

de omnia quæ habes & veni,sequere me.] Qui hæc custodierit, vitam animæ & faucibus gratiam inuenit,quia & fontem vitalium operum,id est,actionum sanctarum, etsi opus illi,aut aliis fuerit,gratiam prædicandi,&loquendi spiritum acquisiuit.Perfectio salus animæ est, quæ vitia extinguens, morbos animæ sanat,& quotidianos defectus,prout potest,auertens, leues etiam mali affectiones curat, & ea omnia quæ ad salutem pertinent in nostras vires inducit. Huius enim primum munus est, peccati,& inordinati amoris morbum,in nos à primo parente transfusum potenter deijcere,& sanitaté ab eo,&sibi,& nobis perditam recuperare. Verè dulcedo animæ(vt inquit Salomon)sanitas ossium, quia id quod animæ dulciùs sapit,nimirum perfectio propter cuius amorem ieiunia, vigiliæ,& alia corpori molesta dulcescunt,ossa nostra,id est,vires nostras sanat,& robur bonæ consuetudinis adijcit. Hanc spiritualem salutem anima perfecta Christum considerando,& imitando consequitur, qua vacui manet, qui neque in eum oculos leuant,neque ipsis vitam,& mores sequuntur. De illo námque quid dicitur? Qui enim conuersus est(inquit ipsa sapientia)nõ per hoc,quod videbat,sanabatur(hoc est per serpentem æneum, qui sublata institutione diuina, qua positus est ad repræsentandum, nullius virtutis erat) sed per te omnium saluatorem, in hoc autem ostendisti inimicis nostris, quia tu es, qui liberas ab omni malo.] De istis autem quid? Profectò quod statim subijcitur: Illos enim locustarum, & muscarum occiderunt morsus, & non est inuenta sanitas animæ illorum,quia digni erant ab huiusmodi exterminari.] Vide quàm potens remedium sit Christi conspectus ad perfectionis salutem assequẽdam, & quàm imbecilles sunt homines sui capitis consideratione destituti,siquidem qui aspiciũt Christum,vt imitentur,nec à serpentibus ignitis lędũtur: qui verò non aspiciunt,à locustis & muscis (quod est genus animalium infirmum) destruuntur,& exterminantur. O igitur magna,& facilis perfectionis salus! magna, quia omnia interiora nostra sanat;& facilis, quia non medicamentis,auro, & argento comparatis,non medicis, qui crumenas exhauriant, sed sola Christi consideratione,& imitatione conquiritur.

Prou. 16.

Sapient.

Satis magnus,atque pretiosus esset iste perfectionis thesaurus,etiamsi solam vitam & salutem animæ contineret;sed non tãtùm has duas gemmas pretiosas continet;imò aliorum omnium bonorum est refertissimus. Cibum habet,& illum suauissimum, qui nequaquam calore naturali consumitur, sed cibo semper manente;homo interior in dies eius sumptione reparatur. Perfectis enim maximè cõpetit ille cibus de quo ait Dominus: Operamini non cibum qui perit,sed qui permanet in vitã æternam;Nam vt dictum est Augustino:cibus iste,cibus est grandiũ,qué, qui manducaturus, est oportet vt crescat,& ad virilẽ ætatem,id est,ad perfectam virtutem venire festinet. Huius alimenti tanta est dulcedo, tanta suauitas, vt numquam comedentem exsatiet, & ad nauseam,& fastidium prouocet. Nã qui edunt me,adhuc esuriẽt] & quò magis editur,in sanis,&bene dispositis maiorem sui famem exsuscitat,& vehementius comedẽdi desiderium accendit. Potum habet abundantissimæ gratiæ, quæ sanctis,& iustis præsto est, & illũ dulcissimum,qui mẽtem inebriat,& ab omnibus huius sæculi desideriis alienat, cuius hæc est laus in canticis canticorum: Comedite amici,& inebriamini charissimi.] Hic enim gratiæ potus tam abundans,vt inebriet,& à rerum sæcularium sensu,& cogitatione diuellat, nõ amicis quibuscumque, sed charissimis, id est,perfectis,seruatus est,qui vt ita dicam, sibi & aliis

Ioan. 6.

Eccle. 24.

Cant. 5.

A bibunt,dum sibi,& aliis doctrina, aut exemplo proficiũt. Quibus spiritualiùs dicit Dominus: si quis sitit, veniat ad me & bibat: Qui credit in me, sicut dicit scriptura,flumina de vẽtre eius fluẽt aquæ viuæ.[Sitit; qui suam paupertatem agnoscens; perfectionem cupit: ad Christum venit,qui à sęculi amore discedit *Ioan. 7.*
bibit,qui Christo docente,& tribuẽte,perfectionem accepit: & flumina de ventre eius fluunt aquæ viuæ, cùm in alios verbo aut opere virtutis riuos effundit. *Crys. hõ. 50. in Ioã.*
Quare Chrysostomus rectè ait; Spiritus gratia cùm mẽti illapsa est,eámque irrigarit,omni fonte vberiùs scaturit,numquam deficit,numquam vacuatur,numquam stat.] Hanc aquam refrigerantem, & hoc vinũ inebrians,perfectio secum affert,quia sitim rerũ terrenarum extinguit,sensum,& cogitationes sæculi sopit,& calorem,ac desiderium rerum cælestium accẽdit.
B Vestiméta virtutum habet, & illa valde pulchra, atque pretiosa,quibus menté de se nudam, nõ solùm operit,sed mirabili varietate decoris exornat. Quas vestes monet Paulus,vt induamur,cũ dicit: Induimini Dominũ nostrũ Iesum Christum.] Quid enim est *Rom. 13.*
Christum induere,nisi eius perfectionem sequi,eius virtutes imitari. Quare hunc locum sic interpretatur Anselmus: Christus sapientia est,& iustitia,& sanctificatio,& veritas, & omnes simul virtutes, quas qui assumpserit, Christum dicitur indutus esse. Christum *Ansel. ib.*
induimini,id est,formam Christi sumite,vestẽ,& habitus,& forma illius vndique fulgeat,& repræsentetur in vobis.]
C Meritò autem perfectio vestimento comparatur, quoniam sicut talaris vestis omne corpus tegit,& ex omni parte circundat,ita vt nihil nudũ relinquat,sic perfectio(quæ ita vocatur,quia perficit) animam, & omnes vires eius virtutibus vestir, omnes sensus donis specialibus protegit, ita vt nihil in homine,aut nudum,aut deforme prætermittat.

Continétne alia iste thesaurus perfectionis? Continet quidem;quoniam qui ipsum habet deliciis, honoribus,dignitatibus, & diuitiis abundat,ita vt nihil illi desit ad vitam beatam transigendam. Non possumus hæc breui oratione comprehendere,quæ lõgum sermonem inferiùs,& separatum exposcunt. Sed interim,an non est voluptuosa perfectio,cùm scriptum sit: Quia consolabitur Dominus Sion,hoc est,animã *Isaia 51.*
virtute perfectam,& cõsolabitur omnes ruinas eius,
D &ponet desertum eius,quasi delicias,& solitudinem eius,quasi hortum Domini?] An nõ est perfectio honorabilis, propter quam habebo claritatem ad turbas,& honorem apud seniores iuuenis,& acutus inueniar in iudicio,& in conspectu potentium admirabilis ero,& facies principum mirabuntur me:] An nõ *Sap. 8.*
est dignitatis plena, cuius dono Dominus magna & pretiosa nobis promissa donauit, per quæ diuinæ efficiamur consortes naturę?] An non diues,cuius pos- *2. Petri 1.*
sessori promittitur,quòd habebit thesaurũ in cęlo,] *Matt. 19*
& possidebit paratum sibi regnum à constitutione mũdi?] Sanè diues ille est,qui à Petro appellatur cor- *Matt. 25.*
dis homo in incorruptibilitate,quieti & modesti spi- *1. Petri 3.*
ritus,qui est in cõspectu Dei locuples.] Verè diues,in quit Ambrosius,qui in cõspectu Dei potest diues vi- *Amb. lib. 3 epist. 10.*
E deri,in cuius conspectu terra exigua,mũdus ipse angustus est.] Sed solum illum Deus diuitem nouit,qui sit diues æternitati,qui nõ opum, sed virtutũ fructus recondat. Quis autem ante Deum diues,nisi quietus, &modestus spiritus,qui numquã corrumpitur? Nonne tibi videtur diues,qui habet pacẽ animi,tranquillitatem quietis,vt nihil concupiscat,nullis exagitetur cupiditatũ procellis,nec vetera fastidiat,& noua quęrat,& semper desiderãdo fiat in sũmis diuitiis inops? ea est pax verè diues,quæ superat omnium mentem] *Philip. 4.*
diues pax,diues modestia,diues fides. Fideli enim to-

A tus mundus possessio est.]Si ergo perfectio possessorem suum diuitē facit;& vitā,& salutē, & animæ necessaria,& delicias,& honorē,& amplissimam dignitatem tribuit,quis dubitet, eam esse thesaurū,& thesaurum multiplicē,qui non aliquod tantùm particulare bonum, sed omnium bonorum reconditā copiā contineat?Reuera thesaurus est,quia tam vetus depositio bonorum,vt eius nulla apud homines extet memoria,quam Deus,ex æternitate in vsum sanctorum recondidit,& oculis iniquorum occultauit. Verè thesaurus,qui nullum præter Deum, Dominum habeat, & eum,qui diligenter eum quæsierit, & tandem piis laboribus, & multitudine gemituū inuenerit,dominatorē agnoscat. Verè thesaurus indeficiens,qui semper augetur,& nouis meritis adiectis crescit,etsi perfectus eum habens voluerit, numquam consumetur, B nec eius diuitiæ imminutæ deficient. Clara enim est, *Sapient. 6.* & quæ numquā marcescit sapientia,& facilè videtur ab his,qui diligunt eam,& inuenitur ab his,qui quærūt illam.]Quare monet Dominus; *Luc. 12.* Facite vobis sacculos,qui non veterascunt, thesaurum non deficiētē in cælis.]Et alio loco sapientissimus magister hortatur,ne pro terrenis diuitiis,sed pro cœlestibus,& nūquā deficientibus laboremus. *Matt. 6.* Nolite,ait,thesaurizare vobis thesauros in terra;vbi ærugo, & tinea demolitur,& vbi fures effodiunt,& furantur: Thesaurizate autem vobis thesauros in cœlo, vbi neque ærugo,neque tinea demolitur, & vbi fures non effodiunt, nec furantur.] O Felix,& summè felix,atque beatus, qui C ita quærit,ita laborat,ita se ad pondus diei, & æstus supportandū accingit, vt hūc pretiosum thesaurū inueniat,inuentū accipiat,acceptū possideat:possessum augmētet,auctū incessabili diligentia custodiat;quoniam propter illū habebit immortalitatem,& his qui *Sapient. 8* post eum futuri sunt,memoriā æternā derelinquet.]

Hic thesaurus admirabilis in agro absconditus est, quoniam in vita religiosa tāquam in agro delitescit. Nihil enim aptius agri nomine, quàm vitam religiosam intelligemus.Nam si ager (vt inquit Gregorius) *Greg. hō. 11. in euang.* disciplina est studij cælestis,tota hæc vita nihil aliud est, quàm huius cælestis studij disciplina cuius opus in hoc consistit,vt Angelorum mores imitetur,&cęlestes virtutes addiscat.Ager est non aridus, sed irriguus, non sterilis, sed arborum pulcherrimarum ferax,quæ Ecclesiam suo decore ornēt,fortitudineque *Isaie. 14.* D sustētent.In quem illud Isaiæ apprimè quadrat:Aperiam in supinis collibus flumina,& in medio camporum fontes, ponam desertum in stagna aquarum, & terram inuiam in riuos aquarum.Dabo in solitudinē cedrū,& spinam,& myrtum, & lignū oliuæ: ponam in deserto abietem,& vlmum,& buxum simul, vt videant,& sciant,& recogitent, & intelligant pariter, quia manus Domini fecit hoc.]Colles sūt cœtus religiosi actibus Ecclesiasticis occupati; campi,cœtus pia sollicitudine operum misericordiæ distenti;deserta,cœtus exercitationi orationis & contemplationis addicti:sed in his omnibus aperta sunt flumina,& fontes,& stagna,& aquarū riui,& nascuntur arbores formosæ,atque proceræ,quoniā & diuina gratia irrigātur,& homines proferunt, qui Ecclesiam sua puri- E tate recreent, & robore,ac virtute suffulciant.In hoc igitur agro thesaurus perfectionis absconditur, quia huius sæculi sapientibus, & Domini misericordiam nescientibus,occultatur. *Matt. 11.* Cuius causa Saluator noster æternum patrē collaudat,dicens:Cōfiteor tibi pater, Domine cęli & terræ,quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus,& reuelasti ea paruulis.]Optima laus,& satis debita illi, qui thesaurū ab indignis abscōdit,qui quod nobis pręcipit,faciēs,nō dat san- *Matt. 10.* ctū canibus,nec mittit margaritas ante porcos.] Inuenit autē thesaurū iustum,qui simplicitatē,& humilitatē induit,& Deo docente,quanta sit vitæ religiosæ perfectio cognoscit. Inuenit,sed nōdum possidet, quia non satis est ad perfectionē assequendam, si eā intellectu videas, & vbi lateat intelligas,nisi enitaris eā in tuos mores,vitamque transfundere,& omnium rerum dimissione coëmere.Nam sicut aliud est videre in foro panē,& fame instigāte illū appetere;aliud autem numismate dato, panem tuum facere, & tuæ necessitati prouidere: ita aliud est perfectionem cognoscere, atque sitire:aliud verò hominem se ad illā disponere,& gratia diuina præueniente, &comitāte, & subsequente comparare.Quid autem est thesaurū inuentum abscondere,nisi desideria nostra quib.perfectionē sitimus,& labores, quibus eam operamur,à laudatione hominis occultare? Vnde Gregorius ait: *Greg. hō. 11. in euang.* studium cælestis desiderii à malignis spiritib custodire non sufficit, qui hoc & ab humanis laudibus nō abscondit.Et ad eandē sententiam inquit Ambrosius: *Amb. in psal. 118. ser. 2. ad ven. 3.* Hunc thesaurum sapientiæ,& cognitionis absconditum in agro, in quo plantata sunt verba Scripturarū cælestiū,cùm inuenerit homo, abscōdit illū in corde suo,nec diuulgat eum,sciens quia si diuulgauerit Babyloniis thesaurum Dei,magnam offensam cōtrahet, vt dicatur ei sermone prophetico:De semine tuo accipient,& faciēt spadones in domo regis.] *Isaie 39.* Per quod significatur,quia is, qui prodiderit diuina mysteria, posteritatē animæ suæ, seminariūmq; meritorū haberē non possit. Caue ergo,ne diuitias tuas perfidis prodas,&,si amicitiam simulent, non illis aperias interiora domus tuæ , non reseres thesauros regios, quos Babylonij scire non debent,ne veniāt,& capiāt posteros tuos,& seminariū virtutis abscindant.]Hęc Ambrosius. Et quod ille de eloquiis diuinis cognitis dicit,nos de eisdē desiderio susceptis,&religioso statu quæsitis dicamus;nimirū,quòd abscondamus ea, & soli Christo placere curemus,ne inanis gloria bonū thesaurū à nobis inuētū surripiat. Sed opportuno *Iudic. 7.* tēpore frāgētur vasa Gedeonis,& cogitationes cordis nostri sine periculo reuelabūtur,& tūc lux nostri desiderij & conatus effulget. Si vis autē, ô anima mea, hūc thesaurū à te cognitione inuentum, & simplicī, ac puro desiderio abscōditū,in tuum vsum accipere, vēde omnia quæ habes, & eme vitæ religiosæ agrū, qui thesaurū perfectionis occultat.Iā vēdidisti terrena,& quæ sunt extra te,cùm opes & voluptates deseruisti,sed si teipsam,& tuas volūtates nō deseras,nōdū omnia vendidisti.Non sunt condignū pretiū tam inęstimabilis agri,quæ extra te sunt,nisi qua intra te sunt,&teipsam in eius pretium libenter adijcias.Ideo necdū agrū habes,qui vēditione rerū omniū emitur; & religiosum statū professa,vita religiosa cares,(quę sui ipsius abnegatione perficitur) & minimè virtutū religiosarū possessionem acquiris. Abnegemus nosipsos,& contemnamus omnia terrena,mundiolūmq; ipsum,qui nonnumquam latitat sub religioso habitu, spernamus,vt verè dicatur de nobis,quia omnia vēdidimus. Et hoc generali pretio, quod nosipsos, & omnia creata continet,agrum religiosæ vitæ comparemus, qui tunc sanè in nostrum dominium trāslatus est,cū boni,& perfecti religiosi sumus. Quo empto, & in nostrū vsum,ac facultatem accepto, thesaurum perfectionis in eo absconditum,ac latentem reperiemus,cuius dulcissima possessione contēti,& nobiles in cælesti curia erimus,& omnia mūndana tamquam vilia & contemptibilia ridebimus. Nam si habens thesaurum pecuniæ, vilissimum obolum paruipendit? quid mirum si habens Deum,& omnium bonorū spiritualiū cumulum perfectione comprehensum, mundana aspernetur, quæ rebus spiritualibus com-

parata, à Deo, & Angelis, & viris sapientibus, minoris quàm nummus æreus vilissimus reputantur?

Perfectionem vocari mentem, in quem laborando conscendimus.

CAPVT V.

NOMEN thesauri, quo dignitas perfectionis exprimitur, magnificum est, sed nomẽ mõtis multò magnificẽtius, quia mõs thesauros solet abscondere, & immẽsas diuitias occulere. Quare si hoc nomen perfectioni adaptatur, eo perfectio, sicut & præcedenti, amplitudinem & augmentũ accipit, quo maiora indicia sui decoris, & maiestatis ostendit. Vitæ ergo spiritualis perfectio sacris Scripturis vocata est mõs, siue ille, in quẽ Dominus noster Iesus Christus legẽ Euangelicã promulgaturus ascendit, siue ille, in quo omnib. populis cõuiuium præparauit, siue ille, quẽ regius vates montẽm pinguẽ, & coagulatũ] asseruit. Mõs enim ille, in quo Christus sermonẽ illũ insignẽ prædicauit, & pauperes, ac mites, & lugẽtes beatos appellauit, & qui antea aperuerat ora prophetarum, os suũ ad nos docẽdum aperuit, perfectionẽ significat, quam ipse, vt egregius concionator vita præferebat, & verbis, atque sermone declarabat. Quod Augustinus perspicuè tradit, dicẽs: Si quæritur quid significet mons, bene intelligitur significare maiora præcepta iustitiæ, quia minora erant, quæ Iudæis data sunt.] Et clariùs postea interpretatur illud: Non potest ciuitas abscondi supra mõtem posita] his verbis: id est fundata super insignem magnamque iustitiam quã significat etiam ipse mõs in quo disputat Dominus. Nec nomen illius montis, qui (vt ait Hieronymus) erat mons Thabor, ab hac mystica significatione discedit. Thabor namque idẽ est, quod electio, vel puritas, & perfectionem, vt finẽ quidem nostrarum actionum intendimus, sed vt medium ad æternã vitam assequendam eligimus, & nequaquã ab ipsa munditia, ac mentis puritate discernimus. Meritò autẽ Dominus perfectionis documẽta daturus, priùs in mõtem, qui typum perfectionis gerebat, ascendit, vt Apostolos, & discipulos suos edoceret, ea ab ipsis sermone tradi oportere, in quẽ gressibus mẽtis ascẽderint, & quæ vitæ meritis obtinuerint. Quod scribentes non possumus non lugere, & præ verecundia confundi, qui tam sublimia aliis tradentes, nosipsos ad ea opere præstanda non cogimus, nec saltẽ ea alicuius sollicitudinis digito attingimus. At mons ab Isaia demonstratus etiam perfectionem designat, cùm dicit: Et faciet Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc conuiuium pinguiũ, conuiuium vindemiæ, pingium medullatorum vindemiæ defæcatæ.] Mons, inquam, iste perfectio est aut vita perfecta, propter quàm, siue Ecclesia; siue patria cælestis excelsa dicitur, & instar mõtis sublimis, & alta nominatur. Quis enim erat hic mõs, nisi mõs Siõ, qui interpretatur aceruus, vt & nomẽ huic mõti inditum perfectionẽ quoq; figuratam esse declaret, quæ nihil aliud est (vt ex dictis colligitur) nisi quidam omnium virtutum, & cælestium donorum aceruus, quem habẽs anima, nec famem timet, neque alicuius rei indigentiam perhorrescit? Quòd autem in hoc mõte Dominus vniuersis populis conuiuium lætitiæ faciat, illud sancti Dauid abundè confirmat. Fundatur exultatione vniuersæ terræ mons Sion:] quia ad omnium gaudium, & lætitiam, atq; emolumentum perfectio, tãquam ciuitas regis magni in terra fundatur, & vt imago quædam patriæ cælestis erigitur. Vnusquisque etiã alicuius sancti, atq; perfecti vitã cõsiderans hoc euidenter intelliget. Nam quid quæso, aliud

Matth. 5. Isa. 25. Psal. 67. — *Aug. ser. 1. de ser. Domini in mõte c. 1. & c. 6.* — *Hiero in Matt. c. 5.* — *Isaie 25.* — *Psal. 47.*

A est vita Francisci, vita Dominici, vita Ignatij, aut alterius cuiusuis sancti, nisi conuiuium magnificum omnibus populis præparatum, in quo cibis accommodatis reficiuntur, & non corporali fragilitati, sed spirituali indigentiæ, quæ multò maior est, abũdè prouideant: In eo tristis reficitur pane consolationis, infirmus fortitudine sustentatur, ignarus cognitionis luce recreatur, infidelis ad fidem, peccator ad gratiam & iustus ad sanctitatis desiderium adducitur. Ideo, ait Salomon, secura mens, id est, virtute & sanctitate prędita, quasi iuge conuiuium,] ad quam nullus accedit, qui nõ cibos sibi dulces atque suaues, id est, suæ necessitatis remedium inueniat. Tandem mons ille Dauidicus vitæ perfectionẽ indicat, de quo sanctus pro- B pheta ait: Mons Dei, mons pinguis: mons coagulatus, mons pinguis, vt quid suspicamini montes coagulatos? Est namq; perfectio mõs Dei, de qua in alio psalmo legimus: Iustitia tua, cuius ope amicos tuos honestas, & ornas, sicut montes Dei. Est inquam mõs Dei non tantùm, quia ipse vitam perfectam in sanctis efficit, & supra res humanas extollit, sed quia in ea Deus domum suam regiam extruit, & templum, in quo adoretur, ædificat. Quoniam inhabitabo in illis, ait, & inambulabo inter eos, & ero illorum Deus; & ipsi erunt mihi populus.] Est mons propter sublimitatem, qua vniuersa mundana post se relinquit, pinguis, propter charitatem, qua Deum, & proximum diligit; & coagulatus, seu multorum montium cõgerie compositus, quoniã omnium virtutum altitudinem comprehendit. Est mons Selmon, in quo pax mentis C acquiritur, & sensus rerum cælestium possidetur, & imagine fortis, id est, Christi, mons humana circumpatur, & virtutis vmbra protegitur.

Huic nostro monti cælesti non desunt ea, quæ Isidorus terrenis montibus aptat. Nam si mõtes sunt na tura sublimes, compositione solidi, terræ affixi, cælum erecti, aquarum origines, metallorum receptacula, fructuum & herbarũ sedes, & lucis, ac splendoris domicilia; hęc omnia ita propriè perfectioni inesse conspicimus, vt nequaquam eam montem Dei, aut montẽ cælestem nominare vereamur. Non deest perfectioni sublimitas, qua supra valles, hoc est, homines iniquos, atq; peruersos, & supra cãpos, id est, supra cõmunes bonos, & iustos; & supra colles, nimirum supra proficientes & ad alta tendentes, erigitur. D Impiorum enim vitã perfectio opprimit, & obscurat, aut quã atra, & obscura sit, ostẽsione ingenitæ puritatis exponit, quæ non tã verbis, quã ostensione virtutis iniquitatẽ damnat, & malorũ impietatem erga Deũ, & erga alios homines iniustitiam, & erga seipsos pręposteram dilectionem condemnat. Ob hanc autem causam mali iustos, & maximè perfectos persequuntur, quoniam vident illos iniquitatis hostes, & malitiæ contemptores. Hinc malorum vox est. Circumueniamus iustum, quoniam inutilis est nobis, & contrarius est operibus nostris, & improperat nobis peccata legis, & diffamat in nos peccata disciplinæ nostræ. Camporum verò, scilicet, communium iustorum conuersationem, perfectio supergreditur: Nam E sicut fundamenta montium in campis natura iecit, & infimum illorum in istorum facie collocauit; ita perfectionis initia, & veluti fundamenta, super communem iustorum vitam locata sunt, quam supponunt, quam sancti, & perfecti deserunt, & vsque ad ipsum cælum caput attollunt. Ascendunt montes, & descendunt campi; inquit Dauid, in locum, quem fundasti eis.] Mõtes (secundùm Hieronymum) sanctos; & campi communes populos signant; illi ascendunt in locum, quem constituit illis Dominus, quia ad perfectionis mensurã sibi à Domino præ

Prou. 15. — *Psal. 67.* — *Psal. 35.* — *2. Cor. 6.* — *Sapie. 2.* — *Psal. 10[3].* — *Hiero. A eundem psal.*

ordinatam perueniunt; & isti descendunt in locum, quem etiam constituit illis Dominus, quoniam iuxta vocationem suam, gratiam recipiunt. Sed illi ascendunt, & isti descendunt, quoniam illorum perfectio, sicut mons istorum conuersationem superat; & camporum, id est, communium iustorum institutio, sanctorum perfectionem veneratur, & maiorem ac sublimiorem agnoscit. Sed adhuc perfectio minimè hac duplici sublimitate contenta, collium, id est, proficientium vitam post se relinquit, quia quadam sancta superbia incitata, non medium tantùm virtutis tenet (qua proficientes præditi sunt) sed in omnis virtutis culmen, & fastigium contendit. Quare illi optimè per mysterium congruit, quod ad literam de perfectionis magistro scriptum est. Erit mons domus Domini præparatus in vertice montium, & eleuabitur super colles.] Habemus hic montem, & montes, habemus etiam montes, & colles. Mons singularis, & mons qui est domus Domini, perfectio est, verè regia Dei, & porta cæli, quæ & Deo pacatissimum præbet habitaculum, & nobis pandit ad cælestes sedes introitum; montes, vt diximus, sancti sunt, & perfecti, & colles, qui in virtute proficiunt, & ad perfectionem aspirant. Vnde Hieronymus ait: Nos autem mõtes & colles eos intelligamus, qui in excelsum virtutibus eleuati sunt, qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quos Dominus prouocat ad bibendum. Qui enim biberit de aquis eius, non sitiet in æternum. Et Bernardus ad idem aduersarij nostri miserias enarrans. Quã miserior, inquit, est diabolus, cùm respicit terrã, montes nihilominus quã plurimos de populo acquisitionis habẽtẽ fide solidos, spe excelsos, charitate speciosos, cultos virtutibus, bonorũ operũ fructibus refertos de rore cæli tamquam de saltu sponsi quotidianam capientes benedictionem.] Mons est in vertice montium, quia perfectio ipsos, quos affert, sanctos, & perfectos excedit, cùm illi numquam omnes diuitias perfectionis capiant, neq; eius ambitum, qui infinitus est, comprehendant. Si igitur mons iste noster montibus, id est, ipsis sanctis, atq; perfectis omnibus, est sublimior, quãtò magis sublimitate colles minores, & humiliores excedet, atq; proficiẽtes, & ad perfectionẽ anhelantes superabit. Vide quãta sit huius montis altitudo, quanta perfectionis creatæ sublimitas, quæ solum Deũ altiorem respicit, à quo creata est, omnes verò sanctos, & Angelos (eo ipso quòd nõ totã perfectionem possibilem, sed partem tantùm eius accipiunt) infra se tamquam filios & tamquam discipulos ab ea aliquid addiscentes, & esse spirituale, atque substantiam recipientes derelinquit.

Isaia 2. *Hiero. lib. 9. in Isaiã ad c. 30.* *Ber. ser. 54. in cãt.*

Mons iste perfectionis sublimis, etiam est solidus & firmus, quem non intus aër vanitatis complet, non ventus superbiæ, & ambitionis inflat, sed verissimarũ virtutũ, ac amplissimę puritatis copia distendit. Similis omnino in hoc, monti terreno, quem Augustinus terræ tumorem appellat. Nam sicut istum tumorum, non aër, non aqua, sed multitudo glebarum, & copia terræ facit; ita spiritualis vitæ perfectionem (quæ velut quidam tumor, aut quædam altitudo spiritus est] non superbia, non inanis gloria, non iactantia, sed præstantia virtutis, sed donorum multitudo, sed abũdantia puritatis efficit. Nec immeritò perfectionem Ecclesiæ ventrẽ appellauerim, de quo in canticis dictũ est: Vẽter tuus sicut aceruus tritici vallatus lilijs.] Nam sicut venter natura sua tumet, & aliis partibus corporis supereminet; ita sanctitas non ab aliquo externo inflatur, vt maior appareat, sed seipsa maior est; & tantùm ingenita dignitate communem virtutem exuperat, quantùm maiori humilitate descendit. Hic autem venter iure optimo tritici purgatissimi aceruo comparatur, quem non paleæ, sed selectissima, & cãdidissima grana componunt, vt perfectionis soliditas exprimatur: quia sicut aceruus frumenti totus frumentum est; ita perfectio est perfectarum, & selectarum virtutum congeries, quas perfecta charitas inseparabiliter secũ habet, & in supremo gradu sibi cõciliat. Tunc verò hunc Ecclesiæ ventrem lilia vallant, cùm animæ sanctæ, quæ instar liliorum candore fulgent & suauissimo odore fragrant perfectionem ex qua suũ candorem, & suauitatẽ mutuãt, operibus & desideriis circundãt. Sed quid est hũc montẽ in terra fundari, & radices suas in imo collocare, nisi perfectionem huius vitæ, à corporali necessitate numquã auelli? Quis enim sanctorum mortalitate circũdatus, quantumuis virtutibus fulgeat, & rerum cælestiũ desiderio ardeat, non sæpè curis pungatur, tẽtationibus vrgeatur, persecutionibus affligatur, aut saltem corporea molestia, & infirmitate turbetur? Nõ mirũ est: quia si perfectionis mons potest terram superare, & terrenam cõuersationem deserere, at nõ potest omnino à terra se eximere, nec terrenam necessitatem effugere. Quare in hoc exilio non est, qui se penitus ab onere alicuius laboris expediat, etiamsi innocens, & sanctus existat. Si impius fuero (inquit Iob) væ mihi est, & si iustus, nequaquam laborem aut afflictionem; effugiam, quia non leuabo caput meum saturatus afflictione, & miseria.] Impius væ habet (ait in eumdẽ locum Gregorius) & iustus miseriam, quia & ęterna damnatio reprobum sequitur, & electus quisq; doloribus transitoriæ aduersitatis expiatur. Impius caput leuat, sed elatus euadere væ quod sequitur, nõ valet. Iustus labore sui certaminis afflictus, caput leuare non sinitur, sed pressus à perpetua afflictione liberatur. Ille se in voluptatibus erigit, sed suppliciis sequẽtibus mergit. Iste se in dolore deprimit, sed tamẽ à pondere æternæ animaduersionis abscondit.] Istud itaque discrimen inter vallem, & montem constituamus, quòd vallis, id est, vita iniqua, à terrenis curis opprimitur, & ab iniquitatibus absorbetur: at mõs, id est, vita iusta, atque perfecta, ita supra terrenam conuersationem se eleuat, vt tamẽ in terra & inter homines statum suum habens, necessariò aliquas terræ perturbationes, & sollicitudines sentiat. Verùm hic labor ab ineuitandi corporis necessitate proueniens, æquo animo à sanctis & perfectis viris ferendus est; quia si eorum vita per corpoream infirmitatem, sicut mons, est terræ coniuncta, at per desideriũ, & mentis puritatem, sicut mons, est versùs cælum erecta. In quo profectò vitæ perfectio montis similitudinem habet, quòd in cælum vsque caput suum eleuet, & super eius verticem perfectus quisque constitutus, inde nõ per superbiam, sed per amorem cælum expugnat. Nonne homines voluerunt turrim excelsam ædificare, vt diluuium aquarum si iterum immineret, effugerent, & diuinam iram non timerent? Venite, dixerunt, alter ad alterum, faciamus nobis ciuitatem, & turrim cuius culmen pertingat ad cælum, & celebremus nomẽ nostrũ, antequam diuidamur in vniuersas terras.] Voluerunt quidem, sed non potuerunt: quomodo enim possent turrim ad cælũ vsq; pertingẽtem extruere, qui ab oriente recesserant, à Dei voluntate defecerant, & nõ ad cælũ, sed gehennam pertinebãt? At quod illi nõ potuerũt, potuit Deus, & ædificauit sanctitatis turrim, & perfectionis montem ipse fundauit, in cælum erectum, imò & cælũ ipsum summitate tangentẽ, in quo homo nõ propriâ industria, sed beneficio Dei diluuium, id est, punitionẽ peccatorum euadat, & ignium vortices in Sodomam præparatos aufugiat, & cui dicit Dominus: Salua animam tuam, noli respicere post tergum, nec stes in omni circa re-

Aug. in Psal. 103. *Cant. 7.* *Iob. 10.* *Greg. 9. mor. c. 52.* *Genes. 11.* *Gene. 19*

gione

gione, sed in monte saluum te fac, ne & tu simul pereas.] Tunc re vera iustus post tergum non respicit, cùm ad peccata, quæ reliquerat, & ad desideria sæcularia non redit. Et tunc sursum in montem ascendit, cùm cælestia cogitat, superna amat, & bona spiritualia obtinere procurat. Vnde Hugo ait: Quædam corda sursum sunt, quædam semetipsa deorsum demerserunt: Deorsum sunt illa corda, quæ configurantur huic sæculo: sursum verò sunt illa, quæ conuersationem suam habent in cælo. Deorsum sunt, quę terrena sapiunt; sursum sunt, quæ iugiter meditantur cælestia. Secundùm id ergo cui per amorem coniungitur cor hominis, sursum, aut deorsum esse iudicatur.] Vide quam sit perfectionis mons in cælum erectus, qui habitatores suos, nimirum sanctos, atque perfectos, in cœlum effert, & ad cælestium rerũ odorem, ad quamdam vitæ cælestis participationem extollit.

Hugo. lib. 1. de vanitate mundi ad medium.

Non desunt huic sacro monti aquarum recessus, in quibus aquæ cælestes, id est, gratiæ & Dei dona se recipiant, vt inde in colles & campos descendant, & in vsum bonorum fluant. Nam sicut Moses spiritum abundantissimum prophetiæ & gubernationis acceperat, quẽ sine detrimento suo (vt Theodoretus ait) posset in alios effundere, vnde audit: Congrega mihi septuaginta viros de senibus Israel, & auferã de spiritu tuo, tradamq; eis, vt sustentẽt tecũ onus populi: ita sancti ad perfectam virtutem admissi, gratias, & dona humilitatis, castitatis, & aliarũ virtutũ recipiunt, tam magna atque copiosa, vt possint ea cõmunicare aliis, & potentia verbi, ac actionis exemplo ad virtutũ studium, & amorẽ valeãt suos fratres permouere. Quod sanctus Dauid illo carmine decãtauit: Suscipiãt montes pacem populo, & colles iustitiam.] Tunc mõtes pacem suscipiunt populo, cùm ei gratiam iustificationis & reconciliationis impetrant; & colles iustitiam, cùm populum ad morum correctionem; & ad sanctam conuersationem inuitant. Et propterea quisque iustus mentis obtutu à sanctis, & perfectis, auxilium efflagitat, dicens, Leuaui oculos meos in mõtes, vnde veniet auxilium mihi.] Hoc ipso confitens perfectionis montem, à quo isti habent, vt montes id est, excelsi, & sublimes habeantur, è cælis aquas gratiarum accipere; vt eas possint in egenos, ac sitibundos deriuare. Nõ desunt etiam huic mõti metallorũ venę ditissimę & talentorũ sibi cõmissorũ repositoria, quibus Ecclesiã ditat, atq; sustentat. Perfectis eni tamquã seruis fidelibus dare solet Dominus aurũ, sapiẽtiæ, argentũ eloquij, & æs cõstantiæ, ac fortitudinis vt alios illuminent, doceant, & in fide, aut in virtute stabiliãt. Nã quid est Ecclesiæ sãctitas, nisi mons aureus splẽdore suo infideles à luto cęcitatis auertẽs, & ad quęrendã pulchritudinẽ veritatis alliciens? Quid est Ecclesiæ puritas, nisi mons argenteus, claritate verbi venientes edocens, & in itineribus salutis erudiens? Quid est Ecclesiæ perfectio, nisi mons æreus sua stabilitate ac fortitudine, aduersùs quem portæ inferi non præualebunt, paruulos protegens & ab omni incursu aduersarij defendens? Quid sunt sancti, & perfecti viri, nisi veluti quidã monticuli super hunc magnum montẽ collocati, à quo diuitias auri & argenti, sapientiæ nimirum & puritatis, & robur æris; & ferri, scilicet patientiæ, & longanimitatis accipiunt? Verè montes, de quorum medio quatuor quadrigæ egrediuntur, id est, omnes vitiorũ turbæ; quæ à sanctis fugiunt; & montes ærei, qui instar murorum, infirmos, & pusillanimos cingunt, & ab incursu vitiorum defendunt, & ipsa vitia fulminibus, hoc est, amarulentis reprehẽsionibus persequuntur.] Hic mõs nõ est horridus, nec sterilis, sed abũdãtia herbarum & florũ pulcher, & arborum fructiferarum copia frugifer. A quo cælestes cogitationes tãquã folia viridia & purissima amoris & maioris puritatis desideria, tamquam pulcherrimi flores pullulãt, in quo etiam virtutũ actiones, tamquã arborum suauissimi fructus nascũtur. Et implet dominus illud mirabile, quod in Isaia pollicitus est: Erit desertum in Charmel & Charmel in saltũ reputabitur:] Cùm vitæ prophanæ sterilitatem in Charmeli pulchritudinẽ, & fructus sanctitatis cõuertit, & hos fructus nõ solũ in suũ obsequiũ reseruat, sed in iniquorũ vtilitatẽ prodire facit. Si enim saltus est, vbi pastiones pecorũ sunt, quid erit Charmel in saltum reputari, nisi perfectionis montẽ in Ecclesia etiã ad pastum hominum peccatorum exponi; ne scilicet propter merita sanctorum mali pereant, & ex illorũ vita isti exemplum emendationis accipiant? Denique hic perfectionis mons tamquam locus excelsus, atque sublimis priùs solis iustitiæ radios excipit, & luminis splendorem admittit, quem in loca inferiora, id est, in eos qui vitam minùs perfectam sectantur, sensim, paulatímque diffundat. Vnde Prosper bene ait, mõtibus Ierosolymã, id est, Ecclesiam cingentibus Angelos, & Apostolos, Prophetas designari, qui lumẽ veritatis de supernis accipiunt, vt ab inferiorũ cordibus tenebras ignorantiæ dispellant, & lumen veritatis infundant.] Est igitur perfectio mons, in qua si montis celsitudinem quæras, vitæ sublimitatem inuenies, si soliditatem inquiras, non vacuum, sed donorum sui generis amplissimorum, & perfectorum refertum reperies: si locum, & radicem respicias, terrenam fragilitatem, à qua se erigit iste mons apertè videbis: si culmen perfectionis cogites cælum respicit: si interiora consideres, aquas gratiarum, & metalla donorum continet: si exteriora animaduertas, purissimis desideriis, & sanctis operibus tamquam floribus, & fructibus nitet, & veritatis lumine fulget.

Theod. q. 18. in Num. Num. 11. Psal. 71. Psal. 120. Zach. 6. Isaiæ 32. Prosp. in Psal. 124.

O mons sancte, mons excelse, mons pulcherrime, vel vt veriùs loquamur, ô mons qui es ipsa sanctitas, ipsa sublimitas, ipsa pulchritudo; mons in quo beneplacitum est Deo habitare in eo, etenim Dominus habitabit in finem.] O mõs benedicat tibi Dominus pulchritudo iustitiæ, mons sancte in quo iustitia inhabitat, & sanctitas suam sedem construit.] Quis ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto eius? Certè innocẽs manibus & mũdo corde, qui non accepit in vano animã suã, nec iurauit in dolo proximo suo.] Vis ô religiose in hũc mõtẽ ascẽdere propter eius ascensum te rebus omnibus terrenis nudasti, & onere curarum expedisti? Relinque igitur cùm ipsis sæcularibus rebus earum amorem: omniũ, quæ non sunt Deus, aut ascensus in Deum; sollicitudinẽ desere, & mentem excelsam & vilia contẽnentẽ acquire. Vt enim, inquit Ambrosius, ille non ascendit in montem, qui de sæculi diuitiis; aut de honore, sollicitus est, non ascendit in montem, qui fundi ius optat alieni. Ascendit ille, qui Deum quærit; ascendit ille, qui cursus sui Dominica adiumenta deposcit. Omnes magni, omnes sublimes montem ascendunt. Non enim cuicumque propheta dicit: Ascende montẽ excelsũ, qui Euangelizas Siõ: exalta in virtute vocẽ tuã, qui Euangelizas Ierusalem. Non vestigiis corporalibus, factis sublimioribus ad hunc montem, si ascendas, sequeris Christum vt ipse esse mons possis.] Simili ergo vita, similibus operibus, ac desideriis in hunc montem perfectionis ascendes. In cuius celsitudine, si aliquando pedes collocaueris, quid stupendum, & modis omnibus admirandum experieris. Nam sicut qui montis altissimi cacumen inhabitat, ea quæ in campis, & vallibus sunt, minima reputat

Psal. 67. Ierem. 31. Psal. 13. Ambr. in Luc. c. 6. Isaiæ 40.

adeò

adeò, vt multa, quæ si in monte essent, magna apparerēt, eminus, & in valle posita, nec obtutu respiciat: ita & tu ad sublimitatem perfectionis euectus, omnia mundana tamquam in valle mutabilitatis constituta, minima reputabis, & tamquam vilissima, & nec hominis respectu digna contemnes. Si enim ille fictus Menippus, Icari præsumptuosus imitator, alis à se compositis, vt ipse mentitur ad orbē lunæ subuectus, & inde terrena prospiciens, ridere non cessat hominum ignorantiam, qui de agrorū possessione gloriabantur, & pro regnorum imperio decertabant, & de auri, & argenti copia superbiebant, cùm tamen opimus ager non maior, quàm vnus Epicureus atomus, & regnum non latius quàm lens Ægyptia, & locus auri, & metallorū ferax, velut paruulum granum milij sibi videretur: Quidni tu non fictè ad lunæ cælum, sed verè ad perfectionis celsitudinem, & Dei similitudinem subleuatus, diuitias huius mūdi ridebis, honores despicies, & quidquid fulget in sæculo toto corde aspernaberis, quod non tantùm minus atomo minimo reputabis, sed sæpissimè molestissimum iudicabis, & nonnumquam præ eius modicitate nec oculis internis aduertes. O quàm longe à te discedet ambitio, & prælationum, ac dignitatum procuratio; quā verè fugiet à corde tuo diuitiarum amor, & voluptatum desiderium, cùm alia sine vlla comparatione maiori dignitate cohonestatus (quę in vnione ad Deum, & in perfecta charitate cōsistit) & aliis diuitiis, & delitiis in infinitū maioribus inebriatus, dignitates sæculi, aut religionis onera importabilia, & periculosa iudicabis, & opes atque delicias animæ sordes, mētis compedes, & virtutis esse impedimenta, videbis. Ex hoc monte, his oculis mundana aspiciebat Antonius, cùm apud Athanasium ita de diuitiis temporalibus loquitur. Nemo cùm adspexerit mundum, reliquisse se arbitretur ingentia; quia omnis terra ad infinitatem comparata cælorum, breuis, ac parua est. Si ergo nec vniuerso orbi renunciantes, dignum aliquid habitaculis possumus compēsare cælestibus: Se vnusquisque consideret, & statim intelliget paruis thesauris, & parietibus, vel modica auri portione contempta, nec gloriari se debere quasi magna dimiserit; nec tædere quasi parua sit recepturus. Vt enim contemnit aliquis vnam ęream drachmam, ad drachmas centum aureas conquirendas; ita etiam qui totius orbis dominium dereliquit, centuplum de melioribus præmiis in sublimi sede recipiet. Ad summum illud perspicere debemus, quod etsi nostras velimus retentare diuitias, cùm lege mortis ab ipsis diuellamur inuiti, vt in libro Ecclesiastes scriptum est: Quia nescit homo, quid sit post eum in labore suo.] Cur ergo non facimus de necessitate virtutem? cur non ad lucranda regna cælestia vltrò relinquimus, quod lucis istius fine perdendum est? Nihil eorum curæ sit Christianis, quæ secum auferre non possunt: illud potius debemus expetere, quòd nos ducat ad cælum; sapientiam scilicet, castitatem, Iustitiam, virtutem, sensum peruigilem, pauperum curam, fidem in Christo robustam, animum iræ victorem, hospitalitatem. Hæc sectantes, mansionem nobis in terra quietorum, secundùm euangelium præparabimus.] In monte erat, qui res mundi oculis mundanorum maximas, tā minimas iudicabat. Longè ab illis erat, qui tam exiguas, & nullius momenti existimabat, & solam virtutem, ac sanctitatem prope positam, suspiciebat. Accede ergo & tu, ô religiose, ad cor altū,] vt exaltetur in te Deus, & licèt in Domino confidas, transmigra tamen in montem sicut passer,] ne rerum terrenarum specie fallaris. Ecce peccatores intenderunt arcum, parauerunt sagittas suas in pharetra, vt sagittent in obscuro, nimirum in dolo, & falsitate rectos corde.] Ideò si in Iudæa es, in loco vbi confitemur, & glorificamus Deum; fugias ad perfectionis montem,] in quo hostium tuorum persecutiones euades, & ex quo tam vilia, & nullius pretij omnia terrena apparebunt, vt iniquum repures de tecto virtutis descendere, ad accipiendum aliquid de domo tua; aut ex agro vitæ religiosæ reuerti, ad tollendum tunicam tuam. In hoc monte habebis tunicā puritatis, qua vestieris, & possidebis illud aliquid, scilicet Deum cuius comparatione omnia nihil sunt, (quo diues, & fœlix efficiaris) quibus haud dubiè terrenis rebus non indigebis.

Lucianus in Icaro-menippo. Athan. in vita Anton. Eccl. 2. Psal. 63. Psal. 10. Mat. 24.

Perfectionem vocari regnum Dei, vel regnum cælorum, quod violenti diripimus.

CAP. VI.

POstremum perfectionis nomen, eorum quæ exponere decreuimus, est regnum Dei, vel regnum cælorū. Quod omnium nominum perfectioni attributorum nobilissimum est, quia non iam sub alicuius rei terrestris imagine mentis puritatem designat, sed sub typo fœlicitatis cælestis eius dignitatem delineat, atq; figurat. Dei autē vel cælorum regnum, non tantùm beatitudinem nobis in alia vita promissam, sed etiā perfectionem in hac vita sanctis concessam significare, Cassianus manifestissimè tradit, dum illud orationis dominicæ: Adueniat regnum tuum,] his penè verbis explanat. Secūda petitio mentis purissimæ aduenire iam, iamque regnum sui Patris exoptat: vel illud scilicet, quo quotidie Christus regnat in sanctis, quod ita fit, cùm diaboli imperio per extinctionem fœtentium vitiorū de nostris cordibus pulso, Deus in nobis per virtutum bonā fragrantiam cœperit dominari, & deuicta fornicatione castitas, superato furore tranquillitas, calcata superbia humilitas, in nostra mente regnauerit: Vel certè illud, quod præstituto tēpore omnibus est perfectis, ac Dei filiis generaliter repromissum.] Eadem ratione regnū Dei (quod profectò non est aliud, quàm regnū cœlorum) interpretatur Chrysostomus; vt nunc Gregoriū Nyssenum, Hieronymū, & Ambrosiū omittam. Regnum Dei (inquit ille) dicuntur & sancti, sicut scriptū est: Et colligent zizania de regno eius, hoc est, de populo Christiano. Regnū Dei dicitur, & iustitia, sicut dicit: Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius.] At nolo verba Bonauenturæ dulcissima eundem sensum amplectentia prętermittere. Tunc, inquit, regnum Dei in animam venit perpetuo solio stabilitum, quando in tantùm virtus ardentis amoris præualet in spiritu, vt nō solùm inordinationes interiorum sensuum velocissima insurrectione viriliter comprimens, domina totius regni spiritualis appareat, sed cum virtute ipsius amoris omnia acta iudicio rationis præsentantur, vt illud quod plus dilecto placere decreuerit, semper in omni actu exerceat, & cætera.] Perfectio igitur est illud regnū, de quo, alio loco affirmat constanter Dominus; quoniam regnum Dei intra nos est.] Quod namq; aliud regnum intra nosipsos esse commodius dici potest, quàm vera virtus & cumulatissimum meritum, vt inquit Eucherius, quorum illa nos Deo perfectè subdit, vt non regnet peccatū in nostro mortali corpore, sed Deus ipse dominetur in nobis; istud verò nos tāquam ab regnū Dei pertinētes, facit bonorum cælestium participes, & opum sempiternarum constituit

Matth. 6. Cassian. col. 9. c. 18. Chrys. in imperf. hom. 14. Gre. Nyssen. lib. de orat. Dominica. Hieron. in Matt. c. 5. Amb. lib. 5. de sacram. c. 4. Bonauēt. in mystic. Theolog. part. 2. post. 2. Luca 17. Eucher. qq. in Lucam.

hæredes. Hoc est illud regnum amplissimum, & omnibus sæculi imperiis præferendum, de quo Paulus
Rom. 14. ait: Non est enim regnum Dei esca, & potus, sed iustitia, & pax, & gaudium in Spiritu sancto. Regnum
D. Thom. ibid. enim Dei hoc loco (vt Thomas exponit) nihil aliud est, quàm id per quod Deus regnat in nobis, & per quod ad eius regnum æternum perueniemus. Quod sanè, nó in esca, & potu, aut aliqua re terrena positum est, sed in vera, perfecta, & consummata iustitia. Hæc autem est, qua homo sibi ipsi, quod suum est, scilicet peccatum verissima confessione tribuit; & proximis cùm opus est bona, tum temporalia, tum spiritualia concedit: & Deo pietatis cultum, mandatorum obseruantiam, beneficiorum gratitudinem, & verum, ac fidelem amoré impertit. Hæc est, quæ in tantùm crescit, vt passionibus, & affectibus consopitis pacem, & mentis tranquillitatem habeat adiunctá. Hæc est, quę ex pacis abundantia gaudium generat, non de prosperitate mundi conceptum, sed de spiritus sancti præsentia generatú. Hæc consummata iustitia, in qua vitæ spiritualis perfectio constituitur, cuius est nos cum Deo, & cum proximis, & cum nobisipsis componere, regnum Dei a Paulo nominatur, quod non in aliquo bono corporis, sed in rectitudine mentis constituitur.

Optimè autem perfectio regni Dei, aut regni cælorum nomen accipit, quoniam eius causa Deus regnat in sanctis, & in iustorum mentibus iura regis, & imperatoris exercet. Regnum enim vel est suprema potestas, quam princeps in sibi subiectos habere dici-
Basil. in Psal. 32. in illud. Nó saluatur rex per multá virtuté. tur; secundùm quam acceptionem Basilius ipsum, legitimam præfecturam; vel supra omnes principatum peccato minimè obnoxiú appellauit; aut est ipsa respublica regi subiecta, in quo sensu Paulus, sanctorum collectionem Christi regnum vocat, his verbis.
1. Cor. 15. Deinde finis, cùm tradiderit regnum Deo & patri.] Vtrâque autem ratione perfectio est regnum cælorum, aut regnum Dei. Ipsa enim est potestas quædam à diuina potestate deriuata, & mentibus sanctorum, seu perfectorum impressa, quę in omnibus (prout fragilitas humana permittit) Deo supremo regi subiicit, & iuxta præscriptum diuinarum legum ipsorum affectus, actúsque componit, ne vmquam à Dei voluntate desciscant. Ipsa est, quæ in mente perfecta tamquam in solio imperij sedés, & officio pro regis fungens, vel (vt melius dicam) ipsius Dei potestatem referens, peccata tamquam animæ reipublicæ noxia, procul relegat; Dæmonum scilicet hostium nostrorum conatus reprimit, insultus arcet, fallatiásque dissoluit: virtutibus tamquam ancillis facienda, & moderanda designat; potentias virtutibus & cælestibus auxilijs adiutas, suauissima quadam motione ad opus impellit; & quidquid ad bonam mentis gubernationem necessarium est, solertissima prouidentia præscribit. Ipsa est, quæ ad modú potestatis, quam Deus gerit in cælis, perfectos viros, non timore pœnæ non præmij spe, sed solo regit amoris affectu: non minis, & terroribus adigit, sicut in terrena republica fieri consueuit, sed more dilectissimæ matris, mellifluo sermone, & dulcissima inspiratione demulcet, & ad bonum præstandum, & malum vitandum stimulat: non flagellum, aut gladium, vt seruis, sed pomum, & gemmam, vt charissimis filiis ostendit Non erit istud mirabile considerantibus, quoniam perfectio est re-
Psal. 85. gnum Dei, qui cùm sit suauis & mitis, & multæ misericordiæ omnibus inuocantibus se,] regnum suum potiùs vult amoris & dulcedinis imperio regi, quàm timoris, & formidinis habenis gubernari. Et adhuc stuporé minuet aduertere, quia perfectio est regnum cælorum, quæ sicut Empyreum cælum non continet nisi filios Dei, filios obsequentissimos, quorum vnum

A desideriú est cælesti patri obsequi, suo genitori placere, & non solùm apertæ Dei voluntati, sed minimo quoque diuinæ voluntatis indicio in omnibus obedire. Filij autem, & tales filij non metu, non virga, & baculo cogendi sunt, sed amore, sed præmio, sed blando sermone tractandi. Omnes námque ad hoc regnum pertinentes, tales sunt, vt non in magnis tantùm criminibus, sed in minimis etiam peccatis, aut defectibus, seipsos arguant, atque diiudicent. Lex verò est ex ore Pauli promulgata, vt qui seipsos corripiunt, non seuerè corripiantur sed dulcedinis spiritu gubernétur. Quod si nosipsos diiudicaremus, 1. Cor. 11.
inquit, non vtique iudicaremur.] Vita ergo, & conuersatio perfectorum seipsos seuerissimè iudicántium exposcit, vt eos diuina potestas blandè, & suauiter,
B regat, & in illis se regnum cœlorum esse, id est, regnú amabile, & in spiritu lenitatis procedens euidenter ostendat.

Huius verò dulcissimæ, & planè cælestis gubernationis effectum, & causam, à nobis assignatam, à qua procedat, Ieremias Propheta sub nomine illius filij, Ierem. 31.
qui ius primogeniti Deo concedente promeruit, manifestè designat. Audiens audiui, inquit, Ephraim transmigrantem.] Ephraim, qui frugiferum, aut crescentem significat, quem melius indicare poterit, quàm numerum perfectorum qui in hoc quidem mundo tristitiam habent, sed in posterum ipsi gau- Ioan. 16.
debunt, & gaudium eorum nemo tollet ab eis.] Qui licèt apud iniquos omnium minimi appareár, & vita eorum reputetur insania, & finis ipsorú sine honore, tamen apud Deú re vera sunt maximi, & primogeni-
C ti, & apud homines quoq; maximi iudicabuntur, cùm Sap. 5.
illorum fœlicitate conspecta dicent: Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, & inter sanctos sors illorú est.] Dum itaque iste populus perfectorú transmigrat, & à proprio solo peccati, in quo infœliciter natus fuerat; in terram alienã, non vbi captiuus sit, vt terrenus Ephraim, verùm vbi liber, & fœlix existat, velociter transit, seipsum ob antiqua delicta, & ob quotidiana errata castigat; dicit enim: Castigasti me
Domine, & eruditus sum quasi iuuénculus indomitus; Iere. 13.
postquam enim conuertisti me, egi pœnitentiam; & postquam ostendisti mihi, percussi femur meum.] In hoc statim peccata lamentáte, & delicta lugente, Dominus suam præfecturam esse regnú Dei, & regnum cœli, quo amore & blanditiis regitur, manifestè declarat. Quomodo enim hunc lugétem, hunc, seipsum
D corripientem, hunc desolatum alloquitur? Certè ita. Ibidem.
Si filius honorabilis mihi Ephraim, si puer delicatus, quia ex quo locutus sum de eo adhuc recordabor eius. Idcirco conturbata sunt viscera mea super eum, miserans miserebor eius.] An non regnum Dei, & regnum cœlorú omnes illius supernæ patriæ ciues honoribus summis amplificat? Ná & Dominus ipse pręcinget se, & faciet illos discumbere, & tráfiens mini- Luca 12.
strabit illis.] Sed Ephraim, id est, perfectorum numerus, sicut cóciuis illorum ab ipso vtique Domino honore afficitur, & honorabilis, hoc est, honore dignissimus pronunciatur. An non regnum illud cunctos beatos delicatè, imò & delitiosè tractat, quos cibo Angelorú satiat, & induméto gloriæ circumdat, & ab
E omni labore, & miseria liberat? Sed noster Ephraim delicatus vocatus est, & (vt est in Hebræo) ad patris sui delicias educatus, quem Dominus ipse, diuinis consolationibus, non semel reficit, amictu puritatis vestit, & ab omni aduersarij incursu: quia & An- Psal. 90.
gelis suis, ait, mandauit de te, vt custodiant te in omnibus viis tuis. In manibus portabunt te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum.] An non regnum illud ita omnes beatos sub Domini cura constituit, vt

nec ad momentum, non solùm à gratia, sed nec à Dei conspectu separari permittat? Sed & perfectionis vis tam fortiter mentem astringit, vt modò homo velit, nec illam à sui creatoris gratia, nec à benignissimo oculorum eius respectu excidere patiatur. Nam & oculi Domini super iustos, & aures eius in preces eorum. Vultus autẽ Domini,] id est, facies irata, & oculi minaces, super facientes mala.] Quod autem misericors Domini respectus in iustos ac benigna recordatio multorum bonorum origo sit, quo ipsi à misericordiæ Patre proteguntur, docet Petrus hunc eũdem psalmi locum adducens, cui hæc verba subiungit. Et quis est, qui vobis noceat, si boni æmulatores fueritis?] Ac si diceret: si virtutis & sanctitatis amatores vos exhibueritis, quis nocebit vobis, oculis benignissimæ prouidẽtiæ protectis, quæ vos, vt filios respicit, & expandit alas suas, vt à diaboli defendat incursibus ac in altum vitæ perfectioris effert, & portat in humeris suis. Demùm, si regnum illud cælorum totum misericordiæ est, in quo iustitiæ punientis gladius veluti rubiginẽ contrahit, quia nihil inuenit, quod possit punire: ita perfectionis regnum miserationis, & benignitatis est, cùm semper in sanctos suos, ac feruẽtes spiritu, Dominus innumerabiles misericordias effundat; & si non omnimodam puritatem, sicut in cælo, at parum & leue, quod corrigat, & puniat, inueniat. Si ergo Dei aut cælorum regnum ipsam Domini regiam potestatem significet, satis congruè perfectioni attribuitur, quæ potestas supernaturalis est, à Domino in sanctorũ animas transfusa, qua eas amore regit, charitate gubernat, & dulcedine quadam filiis regni seruata paulatim ex creaturis terrestribus, in mentes spirituales & cælestes transformat.

Psal. 33.

1. Petr. 3.

At si regnum cælorũ non iam pro regio Dei principatu, sed pro cælesti republica Domino subiecta accipiatur, non minùs propriè sanctorum & perfectorum collectio, quatenus perfectionis iura custodit, potest vocari regnum cælorum. Ipsi perfecti sunt cæli, qui multò meliùs quàm cæli corporei enarrãt gloriam Dei, & opera manus eius annunciant:] quia si in istis Dei virtus & potentia conspicitur; in illis ipsius bonitas ineffabilis, & infinita sanctitas, simul cũ omnibus aliis Dei perfectionibus mirificè declaratur. Quis namque aliquem sanctum considerans, vt Laurentium, aut Stephanum, aut quemlibet alium, siue adhuc in terris viuentem, siue in cælestes mansiones translatum, non videat in eo tamquam in quodam splendidissimo cælo, Dei inuictam fortitudinem, immensam charitatem, infinitũ bonitatis amorem elucentem, & reliquas Dei virtutes emicantes: quas hoc cælum pulcherrimum non effectis naturalibus, vt orbes cælestes, sed meritis supernaturalibus, sed profuso cruore, sed tormentis, sed tribulationibus perpessis enarrat. Equidem puto, quia cælum hoc perfectiùs, quàm cæli opera manuum Domini annunciat, quia quicquid virtutis & sanctitatis est in eo, non iam vestigium potentiæ Dei refert, sed Christũ Patris imaginem in seipso repræsentat. Vnde quidam istorum cælorum audet, & dicit: Imitatores mei estote, sicut & ego Christi.] Existimans sicut re vera est, se Christi imaginem esse, operibus & exemplis Christi opera denunciantem, quam alij fideles sine vllo periculo sequi possunt, vt Christum imitentur. Hi sunt cæli, de quorum fabrica, vt putat Gregorius, ipse Dominus gloriatur, & quorum stabilitatem collaudat, cùm ait Iob: Tu forsitan cum eo fabricatus es cælos, qui solidissimi, quasi ære fusi sunt.] Possunt, inquit sanctus Doctor, per cælos electorũ mentes exprimi, à cunctis terrenis cõtagiis intimo amore suspensæ. Qui quamuis corpore degant in infimis, quia tamen corde iam inhærent in summis, veraciter dicunt: Nostra conuersatio in cælis est.] Qui solidissimi vt ære fusi sunt, quia ab integritate cœptæ fortitudinis, nulla mutabilitatis rubigine cõsumuntur. Quibus & fortiter contra aduersa durãtibus auctoris voce dicitur: Vos estis amici mei, qui permansistis mecum in tentationibus meis.] Hi sunt cæli, non iam in suprema orbis visibilis regione, sed in imo terræ fabricati, vt Dominus, etiam in terra habet in cælos non vndecim, sed innumerabiles, in quibus libentissimè conquiescat. De his cælis pulchrè dixit Ambrosius: sunt in terris cæli, qui narrant gloriam Dei. Qui sunt isti cæli? Audi dicentem: sicut portauimus imaginem illius terreni, portemus & imaginem huius cælestis.] Isti igitur sunt cæli, qui etiam in terris positi audent dicere: Nostra autẽ conuersatio in cælis est.] Isti sunt cæli, in quibus fides, grauitas, continentia, doctrina, vita cælestis est. Nam quemadmodũ terra dictus est, qui lapsus ex illa præuaricatione cælestis gratiæ, & in hæc vitia terrena deiectus, præuaricationis suæ se vinculis religauit: ita è contrario cælum dicitur, qui vitam Angelorum custodia integritatis exercet, & corpus suũ cõtinenti sobrietate moderatur; mẽtem quoque suã miti tranquillitate componit; pecuniã pauperibus misericordi liberalitate dispensat. Est ergo & in terris cælum, in quo possunt virtutes esse cælestes. Cælum mihi thronus, ego magis iusti affectũ, quàm elementum intelligo. Illum puto cælũ, ad cuius animã venit Christus, & pulsat ianuã, & si aperuerit, ingreditur.] Sancti igitur & perfecti viri sunt cæli claritate perspicui, quos radij iustitiæ solis illuminant, in cuius lumine dũ fallacias sæculi, & virtutis dignitatem intuentur, vident veritatis lumen. Ipsi sunt instar cælorum, capacitate maximi, quos solus Deus replet, & omnis creatura vacuos derelinquit, quorũ cõfessio est: Satiabor, cùm apparuerit gloria tua.] Ipsi sunt nõ corpore, sed mẽte rotundi, siquidem quicquid cogitant, quidquid desiderant, quicquid vt bonum faciunt, vel vt malum omittunt, id totum à Deo incipiunt, & in eodem Deo tamquam in puncto circuli finiunt: Habentes cum Paulo gloriam in Christo Iesu ad Deum, & non vanum honorem ab hominibus quæritantes.] Ipsi sunt semper mobiles, quia numquam otio torpent, nec socordia tabescunt, sed ordinatis moribus, & assiduis virtutis operibus in idem punctum, scilicet in Deum, à quo progressi sunt, incessabiliter tendunt: nam & vita ipsa annunciant hi cæli iustitiam eius populo, qui nascetur, quem fecit Dominus.] Ipsi sunt virtute influendi præcipui, qui in alios homines innumerabilia bona à Deo impetrata, efficacia orationis effundunt. Vnde Salomon ait: In bonis iustorum exaltabitur ciuitas, & in perditione impiorum erit laudatio.] Ipsi sunt à terra valde remoti, quia nec affectibus terrenis subseruiunt, nec temporalibus occupationibus detinentur, sed vna eis sollicitudo est, intellectu, & affectu diuinis inhærere, & à sæculi vanitate separati: Deum thesaurum cordium suorum, ac hæreditatem desiderabilem æstimantes. Ipsi denique sunt sedes & domicilium Dei, & ille qui dixit: Cælum sedes mea, terra autem scabellum pedum meorum;] etiam prophetam regium ad hoc scribendum incitauit: Et lætentur omnes qui sperant in te, in æternum exultabunt, & habitabis in eis.] Habitat in eis tamquam in templo sancto suo, & planè tamquam in cælo, in quo sincerissimo amore diligitur, & cultu purissimo colitur, & adoratur.

Psal. 18. *1. Co. 11.* *Iob. 37.* *Greg. 27. mor. c. 24.* *Philip. 3.* *Luc. 22.* *Ambr. in Psal. 118. serm. 12. vers. 1.* *1. Cor. 15.* *Philipp. 3.* *Psal. 35.* *Psal. 16.* *Rom. 15.* *Psal. 21.* *Prou. 11.* *Psal. 61.* *Isaia 66.* *Psal. 5.*

Sancti ergo, & perfecti viri adhuc in terra degentes, rempublicam illam felicem constituunt, & omnibus modis suspiciendam, quam propriè satis vocamus regnum cælorum, quoniam iam iam habet inchoata

A & in cœpta, quæ illud cælorum regnum, quod ſperamus, & pro quo indefeſsè, & humiliter ſupplicamus, habet abſoluta atque perfecta. Rogo te qui hæc legis, omnia quæ ſunt in illo cæleſti regno attentè cōſidera, & eadem in perfectorum congregatione veluti in ſemine incluſa, & quaſi in cœpta imagine delineata reperies. In illo regno à ſanctis & beatis glorioſo lumine videtur Deus, & viſione (quæ beatitudo noſtra eſt) poſſidetur. *Ioan. 17.* Hæc eſt enim vita æterna vt cognoſcant te ſolum Deum verum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum.] In hoc quoque perfectorum regno, lumine fidei & ſapientiæ videtur; nā & hi Deum contemplātur, & ſuperna luce perfuſi tantæ pulchritudinis (prout poſſibile eſt in hac vita) delectantur aſpectu. *Sap. 18.* Quare & ſanctis tuis Domine, adhuc dum noſtrā vitam agebant, maxima erat lux, & (impiis in tenebris permanentibus, ipſi de perceptione diuini ſplendoris exultabant.] B In illo regno amatur Deus; in iſto etiam à perfectis diligitur, quia ipſe dignus eſt diligi ſine vlla cogitatione præmij, ſine vllo accipiendæ mercedis obtentu. Non quia non ſint accepturi mercedem, quibus abundantiſſima gloria parata eſt, ſed quia non propter illā, ſed ob Dei immenſam pulchritudinem, & bonitatem in ipſum amoris feruntur affectu. Nec ſolo cordis ſui amore contenti, alios quoque ad Deum amandum propter immenſam eius bonitatem inuitant. *Pſal. 105.* Confitemini Domino, inquiunt, quoniam bonus, quoniam in ſæculum miſericordia eius.] Hanc præcipuam amoris cauſam erga Deum, quam habent cordibus propriis infixam, aſſignantes quod ipſe bonus eſt, & propterea omni amore: & laude, & obſequio noſtro digniſſimus. C *Iſa. 66.* In illo regno beati fruuntur Deo, ſuper quos declinat Deus quaſi fluuium pacis, & quaſi torrentem inundantem gloriam gentium.] In hoc ſimiliter regno ſanctitatis, ex Deo perfecti voluptatem accipiunt. Qui licèt interdum tribulentur, & propter meritorum augmentum laboribus exerceantur, tamen non ſemel in cellam vinariam introducti, vino exultationis inebriantur, & aliquid ſuauitatis ineffabilis experiūtur. *Iſa. 66.* Vnde Domini promiſſio eſt: Quomodo ſi cui mater blandiatur, ita & ego conſolabor vos, & in Ieruſalem cōſolabimini. Videbitis & gaudebit cor veſtrum, & oſſa veſtra germinabunt.] In illo regno ſanctorum corpora nuptiarum ornamenta percipient, & claritate, impaſſibilitate, ſubtilitate, & agilitate veſtientur. *1. Cor. 15.* Seminatur enim corpus in corruptione, ſurget in incorruptione; D ſeminatur in ignobilitate, ſurget in gloria; ſeminatur in infirmitate, ſurget in virtute; ſeminatur corpus animale, ſurget corpus ſpiritale.] In hoc etiam regno perfecti ſimilia ornamenta conſequuntur, & eò mirabiliora quò corporibus corruptibilibus, & in valle miſeriarum collocatis, donantur. Fulgent námque ſplendore luciſſimæ caſtitatis; vigent robore fortiſſimæ mititatis; ſubtilia ſunt propter donū exactiſſimæ temperantiæ; & agilia propter ignem efficaciſſimum diſcreti feruoris. In regno cœleſti omnes ſunt reges, & ſacerdotes. *Apoc. 5.* Nam feciſti nos, inquiunt, regnum, & ſacerdotes:] In regno perfectionis quoque omnes perfecti ſunt reges, qui ſuis affectibus imperant, & vilia, atque abiecta conculcant, & ſunt E ſacerdotes, qui nō agnos, aut vitulos, ſed ſeipſos Deo mactāt & holocauſta laudis, & amoris immolant. In illo regno omnes filij Dei, & hæredes; *Rom. 8.* hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti:] in hoc omnes filij. quibus datum eſt, vt vim illius petitionis experiantur: *Matt. 6* Pater noſter qui es in cœlis,] & vt ſpem magni Dei, & Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti gaudenter expectent.] *Ad Tit. c. 2.* In illo omnes Domini, quibus ipſe Dominus dominantium (ô pietas ineffabilis!) fideliter A ſeruiet: *Luc. 12.* Qui præcinget ſe, & faciet illos diſcumbere, & tranſiens miniſtrabit illis:] In iſto omnes Domini, quorum votis Deus annuit, quorum orationibus obſecundat; *Pſal. 33.* Nam & aures eius in preces eorum.] In cœleſti regno erit ſanitas, à quo fugiet corruptibilitas, in perfectionis etiā regno eſt ſanitas, quam præſtat ille, *Pſa. 146.* qui ſanat contritos corde, & alligat contritiones eorum.] In illo regno eſt læta iuuentus, in quo omnes erunt in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti:] *Ephes. 4.* In iſto regno flos iuuentutis erumpit, ô anima, cùm ad illud acceſſeris renouabitur vt aquilæ iuuentus tua.] *Pſal. 16.* In illo ſatietas; nam ſcriptum eſt: ſatiabor cùm apparuerit gloria tua: *Prou. 13.* In iſto ſatietas, in quo homo de fructu oris ſui ſatiabitur bonis, & quicquid petierit, obtinebit.] Ibi libertas; *Rom. 8.* cùm humana creatura liberabitur à ſeruitute corruptionis in libertatem B gloriæ filiorum Dei:] *Galat. 4.* Hîc libertas non ficta, ſed vera: non noxia, ſed proficua, qua libertate Chriſtus nos liberauit.] Ibi pulchritudo; cùm reformabit Dominus corpus humilitatis noſtræ, configuratum corpori claritatis ſuæ: *Philip. 3.* Et hîc etiam pulchritudo; Nam perfecti ſunt homines diuites in virtute, pulchritudinis ſtudium habentes, *Eccl. 44.* qua ſeipſos aliis hominibus admirabiles, & angelis gratos efficiunt. Ibi vita ſine morte, cùm ab illo deliciarum loco præcipitatutus ſit Dominus mortem in ſempiternum:] *Iſa. 25.* Hîc ſimiliter vita ſine morte, quia vitam ſanctitatis adeptus, ſi per ipſum non ſteterit, numquam peccati mortem guſtabit, neque à Deo, ſcilicet à veriſſima vita, diſcedet. In illo cœleſti regno erit omnium bonorum abundantia, de qua Pſalmus canit: *Pſa. 121.* Fiat pax in virtute tua, & abundantia in turribus tuis.] C Et in perfectionis regno perfecti omnium virtutum bonis abundant. Quibus multò melius quàm Iſraëlitis dicitur: *Deut. 8.* Abſque vlla penuria comedetis panem veſtrum, & rerum omnium abundantia perfruemini.] In illo erit ſecuritas; *Iſa. 32.* cùm ſedebit populus Domini in tabernaculis fiduciæ, & in requie opulenta:] Et in iſto, ſi non totalis ſecuritas, at fiducialis tranquillitas, qua iuſti tantis beneficiis animati confidunt; *Pſal. 67.* quoniam confirmabit hoc Deus, quod operatus eſt in eis.] Ibit erit ſcientia ſine obſcuritate, gaudium ſine dolore, gloria ſine ignominia: Hîc ſunt horum donorum ſemina atque principia. Iam enim Dominus incipit in hac vita perfectos ſuos ſupernaturali cognitione docere, magnis conſolationibus interdum afficere, & apud homines, in quibus fru- D ctificant, honorare, vt guſtum in ferè omnibus illis, cœleſtis patriæ percipiant. Hæc igitur perfectorum collectio cœleſti patriæ tam ſimilis, quam tot cæleſtia dona implent, tot glorioſa ornamenta replent, tot ſuperna bona circūdant, meritò vocatur regnum cœlorum.

Hoc autem cælorum regnū, quod ad gloriā ſummi Dei in terris agitur, non obliuioſi, non incurioſi, non otioſi, ſed ſtrenui, ſed ſolliciti, ſed violenti diripiunt. Violenti verò ſunt, qui vim ſibiipſis inferentes (nam intra nos ipſos regnū iſtud quærendū eſt) & affectus inordinatos, ac proprias voluntates abnegātes, ipſam virtutis arcem, ac faſtigium ſanctitatis expugnant. Si enim ſimiles effectus, ſimiles cauſas (vt dicitur) habe- E re ſolent, dum regnum cælorum, & regnum perfectionis ſimilia eſſe diximus, conſequens eſt, vt ſimili modo, ac ratione ea eſſe expugnāda dicamus. De illo autē quid ſcriptū eſt. Certè: *Matt. 11.* Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Pandat nobis Baſilius huius dominici dicti pretioſum arcanum. *Baſil. de abdicat. rerum ac fiacm.* Verba hæc inquit, Euangelij ſunt. Violentiā appellauit aſſiduam, & acrem corporis in laboribus fatigationem; quod nullius impulſu, ſuapte ſponte, Chriſti diſcipuli

faciunt;

faciunt;cùm & voluntatem propriã,& corporis laxamentum abnegant omne, & magistri sui præcepta omnia conseruant. Quocirca, si tibi in animo est rapere regnum Dei, violentiæ te dato, ceruices tuas Christi seruitutis iugo submittito,& eius loris collũ tuum arctè circumquaque cohibito:premat illud ceruicem tuam;labore illud virtutis atterito,ieiunando, vigilando,ipsum te omnibus subiiciendo, taciturnitatem seruando, psalmos assiduè decantando,orationibúsque, & lachrymis operã dando, & manibus laborando,cuiúsque modi difficultates omnes tolerando,siue illæ à dæmonibus, siue ab hominibus afferantur.] Si hoc pacto regnum Dei,quod est in cælis,expugnandum est, eodem modo simile perfectionis regnum,quod via, & gradus est ad regnum cæleste,expugnemus, oportet:ita scilicet, vt quis animosè in illud irruat,& veluti per violentiam de manibus Domini Saluatoris extorqueat. Quod & Hugo Victorinus non siluit, dum cor sanctum atque pacatũ vocat regnum cœlorum,in quod per vim quamdam irrũpimus,& non sine magno impetu possidemus. Vis est quædã, ait,quæ sic de corde operatur, & retinet cor fluxum,& vanum ne peteffluat in abyssum exterminij. Vis ista, seu violentia rapit regnũ cœlorum:Nam regnum cælorum vim patitur. Nobile regnum possidet, qui cor suum possider. Non regnat, qui in corde suo deditus seruitutibus vitiorum, præsidet vrbibus, & turbis populorum: solus is regnat, qui deposito cordis imperio ad leges rationis ordinat totam familiam motuum interiorum, & exteriorum.]

Ibid. cap. 12.

Audi ergo nunc quàm violenter cohors illa virorum perfectorũ, & terribilis castrorũ acies ordinata, eorum qui possunt ad bella procedere, regnum perfectionis expugnet,& munitissimam illam vrbem diripiat. Hæc acies patriam suã, id est,terrenam cõuersationẽ deserit, quia à Deo ad hoc bellum gerendum vocata est,& nullum militẽ, aut timidum, aut negligentem, aut vecordem admittit. Non est deficiens prorsus,nec laborans in ea nullus dormitabit, neque dormiet,neq; soluetur cingulum renũ eius, nec rumpetur corrigia calceamenti eius,sagittæ cohortis huius acutæ, & omnes arcus eius extenti,vngulæ equorum eius vt silex,& rotæ eius quasi impetus tempestatis.] Milites quidem illius viã veritatis eligunt, per quam in nobilissimum regnum proficiscantur, & semitam diuinorum mandatorum currentes,& per arctam viam,quæ ducit ad vitam,de virtute in virtutem festinantes, tandem tandẽ ad portas & muros desideratæ ciuitatis perueniunt.Tunc collecta per charitatem omnium istorum fortissimorum militum multitudine, & secundùm militiæ disciplinam acie diligenter ordinata,desideriis cingunt vrbem,& inchoãt obsidionem, iuramento constricti se numquã ab obsidione discessuros,donec vrbem perfectionis capiãt, & fauentibus superis,eius immẽsas diuitias, opésque possideant.Et vt iam non sine ordine ciuitatem inuadãt,assistunt hinc sagittarij,illinc fundibularij, & illi quidem iaciunt suspiriorum sagittas, ab imo cordis euulsas, & ipsas satis acutas cum carbonibus desolatoriis:hi verò in funda,& lapide dant crebros ictus, in gemitibus inenarrabilibus,vniuersis suspirantibus, & rugientibus à gemitu cordis sui. Nec dubium in tam acri certamine & in tam spisso telorum imbre, quin aduersariorum phalãges ingressum impediẽtes multa suscipiant tristitiæ, & inuidiæ vulnera, dum vident imbecillos homines tantùm audere,vt arcem expugnare velint, quam ipsi in initio suæ conditionis nullo labore retinentes, misere perdiderunt, & superbia elati, pro calamitosa seruitute commutarunt. At illi, qui vrbem adoriuntur, aduersarios irri-

A dentes,desideriis & gemitibus alia genera armorum adijciunt;nam bonorum operum ense, & gladio dimicant, & tam constanter atque assiduè his armis feriunt vt non solùm hostes à murorum tutela perculsos arceant,verùm etiam penè exanimes, victósque prosternant. At maiori labore opus est,nec etiam ciuitas munitissima, & supra verticem montis posita,& tam strenuis,& exercitatis defensoribus cincta, qui licèt eam non habitent, tamen exteriùs circumdant, & ab ipso montis principio ascensum impediunt, potest nisi incredibili violentia, & planè diuinitus immissa superari. Eriguntur ergo sanctarum meditationum, & contemplationum machinæ, è quibus nostri milites ignitarum orationum tela contorquent, & igneos amoris, & ardentissimæ charitatis globos cum magno impetu iaciunt,vt ciues, scilicet Angelos sanctos, & eos homines, qui iam ad fastigium sanctitatis peruenerunt, compassione feriant,& miseratione confodiant,adeò vt clamare cogantur; quoniam vulnerati charitate nos sumus, & quòd ad nos spectat,iam amore victi vos in consortium vrbis suscipimus, & vt amicos, & sodales admittimus. Sed interim per nostros milites admouetur ad murum perseuerantiæ aries, cuius continuis ictibus murorum firmitas tandem dissoluitur, & crebrescentibus circumquaque diuinæ misericordiæ rimis,vrbis interiora patescunt.Mœnia itaque vrbis,id est,altitudo inaccessibilis puritatis vario machinarum impulsu deiicitur,& iustis ad debitam animę munditiam admissis, non sine magno clamore penetratur, & murus ille vitæ sublimis, spissus & altus militum irruentiũ constantissimo feruore dirumpitur.Rupto verò muro & penè solo æquato, quid restat, nisi vt vndique victores irrumpant, & arcem charitatis occupent, & ipsum intimum amoris palatium alacres, & læti peruadant.Iam signa Christi fulgent in mœnibus, & crucis vexillum elatum, ac mortificationis perfectissimæ ostensio aspicientibus inimicis(qui extra vrbem ingressui se opponebant) metum & admirationem incutit,ciuibus verò ingentem lætitiam,& exultationem importat. Hoc enim est in isto violentissimo bello,& in ista acerrima impulsione mirabile,quod acies ista virorum fortium vincit, & ciuitatẽ capit: ciues verò, id est, alij sancti,qui eam habitabant,non manent victi,sed securi;non compediti,sed liberi;non tristes, sed de sociorum victoria gaudentes;non spoliati,sed diuites,non mœrent,quia alij vrbem occuparunt, quã ipsi non perdiderunt,sed quasi denuò in suis fratribus,ac in eiusdem capitis membris compararunt. Illi igitur, qui recens in arcem ingressi sunt,non minùs de arcis obtentione læti,quàm de acquirendarum opum totius ciuitatis solliciti, iterum exeunt,& per vicos & plateas diuiduntur, inquirentes omnia,lustrantes abdita, perscrutantes vniuersa, & nihil intactum prętereuntes, nihil indiscussum relinquentes vt ista sollicitudine tam læto successu fulcita infinitas virtutum opes, quæ ab ipsa charitate tamquam à fonte promanant,sibiipsis vendicent,& in proprium vsum accipiant. Rapit itaq; quisque quod potest,& licet omnes ditissimi maneant, & nullo genere diuitiarum frustrentur, tamen vnusquisque in aliquo bonorum genere plus quàm alij videtur accipere. Hic altissima humilitate eminet; iste purissima castitate fulget; vnus lenissima mansuetudine superat; alter felicissimo dono orationis excellit, & alius promptissimam obedientiam ostentat; & sic aliæ gazæ spiritualium charismatum ab aliis & aliis varia sorte diuinæ distributionis diripiuntur, vt constet quod Dei veritas attestatur, quia hoc Dei regnum, quod perfecti obtinent, vim patitur &

violenti rapiunt illud. Occupato autem hoc regno & direpto tam ingenti virtutum thesauro omnes hi strenui milites onerati præda, onusti spoliis cum alacritate redeunt, & per aliam viam reuertuntur in regionem suam. Nam qui per semitam veritatis, & feruoris ascenderant, per viam misericordiæ, & benignitatis descendunt, & vniuersæ viæ eorũ, sicut & ducis, ac imperatoris sui, sint misericordia & veritas. Descendunt, inquam, nõ vt ab illa virtutis, & sanctitatis acquisitæ sublimitate decidant, sed vt nobis paruulis, & imperfectis vtiles magistri, & re vera patres existant. Vt enim inquit Richardus de sancto Victore: Nobis infirmis condescendunt. Amor Dei rapit eos sursum, amor proximi retrahit eos deorsum. Propter Deum itaque est, quod ascendunt vsque ad cælos; & descendunt vsque ad abyssum, propter proximum ad visitandum eos, qui in tenebris & in vmbra mortis sedent educere in manu potenti, & brachio excelso vinctos in mendicitate & ferro. Venientes itaque veniunt cum exultatione, portantes prædam in humeris suis, gaudentque vehementer, sicut qui lætantur in messe; sicut exultant victores capta præda; & sicut qui inuenit spolia multa; & auditur vndiq; vox exultationis, & confessionis in tabernaculis iustorum. Ex hac (ni fallor) victoriæ præda sunt illa spolia, quæ Benjamin lupus rapax manè quidẽ rapit, sed vesperè diuidit: sic & isti violenti prædones, regni cælestis direptores, ad hoc nimirum descendunt, vt secundum exemplum Benjamin eis, qui non possunt ad bella procedere, bellorum suorum spolia diuidant; & secundùm quod Dauid noster cõstituit, æqua sit portio procedentium ad bella, & remanentium ad sarcinas,] eorum dumtaxat, qui fraterna sollicitudine, non propria cupiditate occupantur circa sæcularium rerum curas.] Est igitur perfectio regnum cælorum, quod nos sicut & sancti, qui illud hactenus adepti sunt, aggredi, & expugnare debemus. Relinquamus itaque terram miseriæ, & paupertatis nostræ, in qua egeni, & omnium virtutum vacui viuimus, & ad bellum istud humano quidem corde dignissimum, nosipsos accingamus. Diligenter curramus, non hypocrisis, sed veritatis, & feruoris vias, & ascendamus cliuum vitæ spiritualis, manibus & pedibus reptantes, quousque ciuitas Dei, & perfectionis regnum nobis appareat. Cingamus illud obsidione constantiæ, desideriis, suspiriis, gemitibus, bonis operibus, & assiduis orationis machinis inuadamus, donec regnum istud munitissimum oculis cordis pateat, & nostra importunitate victum vltrò portas æternitatis nobis aperiat. Tunc verè felices & beati erimus, qui labore primùm à diuina gratia, & deinde à nostra exiguitate manante, non diuitias perituras, non dignitatem fallacem, non regnum terrenum periculis hostium expositum, sed opes perpetuas, amplitudinem filiorum Dei, & regnum cælorum obtinebimus, quod vim patitur, & violenti rapiunt illud.

Richard. in Psalm. 28.

1. Re. 30.

Quòd perfectio est familiarissima amicitia hominis, & Dei.

CAPVT VII.

EX nominibus, quæ perfectioni tribuuntur, eius dignitas in superioribus demonstrata est, quæ cùm magna sint, & insignia, non possunt nisi rei magnæ & eximiæ competere, & quæ digna sit tam clarissimis titulis honorari: Nunc ex his, quæ perfectioni insunt, eámque circumdant, aut ex ea tamquã ex causa procedunt, eiusdem dignitas, & magnitudo pandatur. Hæc autem tot sunt, & tam eximia, & (vt dignè cognoscantur, aut declarentur) tam ex ipso animæ experimento pendentia, vt non possit rudis homo, & tam sublimium rerum ignarus ea, aut mente concipere, aut aptis verbis explicare: nisi tu Domine qui omnium es cognitor, & pusillorum dignaris esse præceptor, mihi oculos internos aperias, vt quæ occulta, & abstrusa sunt, videam; & calamum verses, vt à me dilucido sermone perscribam, & aliis legenda, & meditanda proponam. Istorum verò illud primum tractandum est, quod fons videtur esse, & origo reliquorum, perfectionem intimam esse amicitiam, ac necessitudinem hominis perfecti cum Deo, quem ille omnibus familiaritatibus creatis abiectis, sibi in fidelissimum præsidium elegit, & in dulcissimum amicum assumpsit. Et quidem, quòd perfectio sit Dei, & hominis amicitia suprà dictum & expositum est, at quàm familiaris, & arcta sit hæc amicitia nondum est à nobis declaratum; Hoc igitur nunc aperiendum est, vt qui nondum perfectus est, cupiat, & qui iam perfectus est, in Domino exultet, & gaudeat. Omnis charitas etiam minima est Dei & hominis amicitia, alicui supernaturali communioni subnixa (vt Thomas ait) qua homo vult sua bona Deo propter ipsum, & ei in omnibus ab illo mandatis placere contendit, & qua Deus ita amat hominem, vt velit ei bona diuina, & non tantùm velit, sed faciat quoque, & manu liberalissima impertiat. At perfecta charitas, quæ (vt sæpius inculcauimus) est ipsa mentis perfectio, non est quouis modo Dei, & hominis amicitia, sed est necessitudo tam arcta, tam familiaris, tam intima, vt vix id aut humana fragilitas credat, aut intellectus creatus, & rebus infimis assuetus intelligat. Quis enim nisi aut expertus, aut dictis sapientissimorum, & sanctissimorum virorum expertorum assentiens, credat Deum, ante cuius conspectum cæli columnæ contremiscunt, ita ad animã puram demitti, vt velut sponsus vino amoris inebriatus, eam deperear, illius aspectum cupiat, alloquium sitiat, amplexum ambiat, & eius purissimis deliciis quærendis intendat: & animam sanctitate vestitam, ita per sanctam fiduciam, & amorem extolli, vt Deum tamquam sponsum respiciens, eius assiduam conuersationem expetat, oscula postulet, amplexus exquirat, & eum in omnibus, quæ ipsa vult (cùm præter diuinam legem nihil vult) ad suum desiderium explendum, & opere præstandum trahat. Sed hoc ita esse, vtriusque fœderis paginæ, & sanctorum dicta (quibus fidem eleuare nefas est) & perfectarum animarum, quarum aliquæ semper sunt in Ecclesia, experimenta declarãt.

D. Thom. 2.2.q.23. art 1.

Nunc verò amorem sponsi, & sponsæ mittamus, quem statim admirabimur, & intra amicitiæ metas nos continentes perscrutemur, quàm perfectè magnæ cuiusdam amicitiæ leges, hi duo amici Deus, & perfectus homo custodiant. Licèt enim ille, qui benedictionẽ dabit legislator,] nullis subditus legibus, nullis iuribus compeditus; tamen non vult legibus veræ amicitiæ eximi, vt homines glorientur, quia Deum ipsum nõ solum Patrem & Dominũ, sed etiam amicum habent necessitudinis iura seruantem. Et ideò fortassis dicit Iob; nullum ei similem esse in legislatoribus] quia alij legum latores sunt quidem ad ferendas leges proni, sed ad eas seruandas incuriosi, quas imponunt in humeros hominum, sed digito suo nolunt eas mouere.] At Dominus ita amicitiæ leges, iuráque decernit, vt ea ipse multò meliùs atque constantiùs, quàm homines, quibus sunt imposita, seruet. Quare non sine mysterio dicitur: Principatus eius super humerum eius,] quoniã leges, quas humeris subditorum imponit, ipse etiam super humerum suum homines

Psal. 83.

Iob. 36.

Matt. 23.

Isa. 9.

ad ipsa

ad ipsarum custodiam adiuuando supportat. Quæ autem sunt amicitiæ leges? Certè si breuiter eas referamus, hæ ferè sunt. Prima, vt amici se impensè ament, & mutua, ac indissolubili beneuolentia complectantur. Secunda, vt assiduè verba faciant, & non sine voluptate secum ipsi conuersentur. Tertia, vt mutuis officiis, ac donis, quoad possint, amorem augeant, quæ sicut ignem flatus, ita mutuam beneuolentiam, nullum etiam lucrum quæritantem accendunt. Quarta, vt seipsi sustineant, & si quid ab aliquo peccatum fuerit, alter aut benignè corrigat, aut etiam dum opus est, patienter dissimulet. Quinta, vt amici idem omninò sapiant, idem dicant, idem velint, idem nolint, & in omnibus sine vlla dissensione, concordent. Sexta, vt occulta adinuicem detegant, secreta reuelent, & vnus alteri cordis sui arcana confidat. Septima, vt in tribulatione se adiuuent, & si vnus sentit dolorem, alter remedium quærat, & compassionis affectum non omittat. Octaua, vt vnus alteri se accommodet, & infirmus vtilitatem ex robore fortioris sentiat & fortis, imbecillitates infirmi sustineat. Postrema tandem, vt amicorum nihil quod deceat, vnus sibiipsi reseruet, sed sint illorum omnia communia. Hæ leges ita indiruptæ apud Deum, & animam perfectam manent, vt non dubium sit, Deum huic animæ fidelissimam amicitiam seruare, & animam ad Deum arctissimam necessitudinem habere. Quam nec anima tantæ dignitatis particeps abscondit, nec Deus amore captus erubescit. Quinimò illa palàm confitetur. Talis est dilectus meus, & ipse est amicus meus, filiæ Ierusalem.] Et ille sine vllo rubore pronunciat: Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.] Qua voce non solùm animam vocat amicam, verùm etiam tam pulchram, tam omnibus meliorem, dignam suo amore & beneuolentia proclamat.

Cant. 5.

Cant. 2.

Sed cursim harum amicitiæ legum virtutem prælibemus, & quàm constanter eas Deus & anima perfectè custodiant, percurramus. An amici se impensè amant? Sed anima perfecta ita Deum amat, vt propter illum omnia creata despiciat, seipsam odio habeat, & vniuersis rerum creatarum amoribus valedicat. Recedite polluti clamat eis; recedite, abite, nolite tangere.] Et meritò omnes amores, qui in Deum non tendunt, pollutos vocat, quia si admittantur animam polluunt, & amoris erga Deum feruorem minuunt, & charitatis puritatem auertunt. Deus verò ita animam diligit, & eius amori respondet, vt in infinitum eam, sicut & cæteris amore superans, non amore finito amicam istam, sed infinito diligat, & qui totus charitas est, veluti igne amoris ardeat, & fidelis animæ in se transformandæ desiderio liquescat. Istud significant illæ voces: Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret.] In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniam filium suum vnigenitum misit Deus in mundum, vt viuamus per eum.] Sicut aquila prouocans ad volandum pullos suos, & super eos volitans expandit alas suas, & assumpsit eum, atque portauit in humeris suis.] Si enim Deus tam ardenter dilexit mundum, & populum illum Hebræorum tam infatigabiliter amauit, quonam pacto perfectos & sanctos diliget, qui sunt selectior mundi pars, & populus omnium dilectissimus, cuius causa præcipuè in mundum venit, in quo mirabiliùs bonitatem, ac misericordiam suam exerit, & propter quem principaliùs vniuersum orbem fabricauit. Nec tamen quia isti amici se inæqualiter amant, ideò amicitia claudicat, aut non est ex vtraque parte fidelis, quoniam ad eius integritatem, & fidelitatem conseruandam satis est, si anima quæ finitè amat,

Thren. 4.

1. Ioan. 4.

Ioann. 3.

1. Ioan. 4.

Deut. 32.

quidquid potest amet, quantùm valet, alios adulterinos & extraneos amores abiiciat, & si possibile sibi esset, infinitè amare desideret. Hoc, inquam, sufficit, vt amicitia hæc inter Deum, & animam sit vsquequaque perfecta. Vnde pulchrè Bernardus ait: Non planè pari vbertate fluunt amans, & amor, anima, & Verbum, sponsa & sponsus, creator & creatura, non magis quàm sitiens & fons. Quid ergo? Peribit propter hoc, & ex toto euacuabitur nupturæ votum, desiderium suspirantis, amantis ardor, præsumentis fiducia; quia non valet ex æquo currere cum gigante, dulcedine cum melle contendere, lenitate cum agno, candore cum lilio, claritate cum sole, charitate cum eo, qui charitas est? Non; nam etsi minus diligit creatura, quoniam minor est; tamen si ex tota se diligit, nihil deest, vbi totum est.] Quantus est igitur mutuus istorum duorum amicorum amor, qui terminum nisi possibilitatis nescit, & in Deo infinitus est, in anima verò, licèt non infinitus, quia non potest, tamen quantùm potest, amat, & vt sic amet, nullius extranei amoris consortium admittit.

Bern. ser. 83. in Cã.

At amici mutuis se oblectant alloquiis, & verbis vltro, citróque habitis se abundè reficiunt? Et quid aliud faciunt Deus, & perfecta anima nisi perpetuò conuersari, & totos dies, noctésque (quantùm carnis fragilitas sustinet) in suauissimis colloquiis consumere. Nullum perfectum vidi, nec legi, qui non saltem in desiderio suo hanc primam, & præcipuam occupationem haberet, cum Deo miscere dulcia sancti amoris colloquia, & ei intellectu, & affectu iugiter inhærere. Loquitur Deus non semel, sed sæpè cum perfecta anima, quam non distractam, non ineptè occupatam, non post vana, & inutilia currentem, sed attentam, sed expectantem, sed amici vocem impensè cupientem inuenit. Scit enim quia vox eius dulcis, sicut & facies decora.] Dicit ei verba correptionis, dum eam benignè corrigit, & sermonem doctrinæ, dum de rebus agendis & cauendis docet, nec non & colloquia amoris miscet, dum fiducia erigit, promissis mulcet, desideriis extollit, & immissa suauitate à visibilibus potenter abducit. Hæc dulcia Dei verba sentiens anima clamat cum Cypriano: Suaue est mihi eloquium tuum, viuus, & efficax sermo tuus, ancipiti gladio penetrabilior, vsque ad diuisionem spiritus, & animæ meæ attingens, carnales, & spirituales intra me separat, & sequestrat affectus, & à vilibus pretiosa distinguens, quasi flagello de funiculis contexto de meo interiori templo, quod tu inhabitas, omnem nundinationem expellit, nec patitur in atriis tuis mercimonia columbarum, sed à sanctuario gratiæ tuæ omnem venalitatem excludit. Audio te cùm irasceris, audio cùm misereris; siue parcis siue flagellas iustum, & bonum te prædico: In ira supplico; in clementia gratias ago, nec sanctis sermonibus contradico.] Sic illa in suum vsum verba huius sancti doctoris assumit, eisdem verbis patenter attestans se Dei amici vocem audire ac dulcissima super mel & fauum conuersatione gaudere. An non legimus: Quia loquebatur Dominus ad Moysen facie ad faciem, sicut solet loqui homo ad amicum suum? Sed cùm huius alloquij causa esset intima Dei amicitia cum illo, credendum est Dominum eadem ratione facie ad faciem, id est, valde familiariter cum sanctis, & amicissimis suis loqui, & deposito grauitatis, & authoritatis terrentis vultu, cum eis amicè & beneuolè conuersari. Loquitur igitur Deus sæpè cum perfecta anima, & ipsa vocem amicam percipiens, & se compellari, & ad colloquia inuitari sentiens, non obmutescit, nec vt rustica, & agrestis tacet, sed magis vt virgo in aula regia educata, & moribus nobilium im-

Cant. 2.

Cyprian. ser. de baptis. Chri.

Exod. 33.

Cant.1. buta, respondet. Iam dilecti sui verba animæ libenter audientis pulchritudinem laudant. Ecce tu, inquit illi, dilecte mi pulcher es & decorus.] Iam ad hortum, & ad cibum amanter inuitat. Veniat dilectus meus, dicens, in hortum suum, & comedat fructum pomorum suorum.] Iam res amici se curare, & cordi habere significat: Nam mille tui pacifici, & ducenti his, qui custodiunt fructus eius.] Iam dona postulat, sub typo osculi designata, dum ait: Osculetur me osculo oris sui. Talia sunt animæ colloquia cum Deo, non otiosa, non inepta, non scurrilia, sed necessaria, sed proficua, sed seria, quæ & ipsimet animæ vtilia, & amico tam pleno sapientiæ, & puritatis grata esse possint. Quid enim est amicum pulchrum, & decorum vocare, nisi sanctum & puritatis fontem agnoscere? Quid est ad hortum, & ad fructus pomorum inuitare, nisi intimum animæ virtutum odorem spirare, & fructibus operum sanctorum replere? Quid est mille pacificos & ducentos custodibus assignare, nisi maiorem gratiarum actionem Deo tamquã omnium bonorum fonti, & minorem prælatis tamquã ministris attribuere? Et quid est dona petere, nisi amicum non parcum, non auarum, sed profusum, & liberalem confiteri? O dulcis Dei & animæ conuersatio! ô desiderabilis consuetudo! ô suaue colloquium, ex quo amicus Deus non modicam voluptatem percipit, & amica anima non solùm eximiam voluptatem, sed maximam quoque vtilitatem reportat. Quis hanc collocutionem non auet? Quis vocem Dei non iam terrificam, sed dulcem, & blandam audire non cupit? Quis hunc honorem verissimum cum Deo loquendi, & conuersandi aucupari non curat? Profectò valde insipiens, & negligens est, qui se puritate mentis suæ minimè ad hæc cælestia colloquia habẽda disponit.

Cant.5. Cant.8. Cant.1.

Non tamen putandum est hanc Dei, & animæ perfectæ necessitudinem, solis verbis constare, solo sermone compleri, quin potiùs manifestum est illam mutuis officiis ac donis aperire. Sed Deus, quid donat animæ? Multò meliùs interrogares, quid non donat illi? Omnia námque, quæ ipsa habet, dona Dei sunt. An cæli non sunt dona Dei animæ prærogata, vt superna sitiat, & cælestia suspiret? An terra, & reliqua elementa, & mista non sunt dona Dei, vt his tamquam adiumentis in corpore, tamquam in propria domo subsistat, & eisdem velut scalaribus in Dei cognitionem, & amorem ascendat? An membra, & sensus, & vires internæ non sunt dona Dei, quibus anima salutem semper mansuram inquirat? An tempora, an anni, & menses, & dies, & horæ & momenta non sunt dona Dei, vt semper laborando ad maiorem puritatem perueniat? An homines boni, & mali, non sunt dona Dei, vt ex illis virtutem discat, & ex istis per patientiam merita cumulata decerpat? An afflatus, lumina, desideria, tentationum victoria, mundi despectio, affectuum moderatio, virtutum exercitatio, cælestis consolatio, in bono perseuerantia, & reliqua huiusmodi, non sunt dona Dei, quæ animam sensim perficiunt; & suo tempore illi immarcessibilem coronam imponunt? An ægritudines, tribulationes, flagella, non sunt dona Dei, quorum ministerio fidelis amicus, & pius Pater quem diligit, castigat, flagellat autem omnem filium quem recipit?] Prorsus hæc omnia dona sunt Dei, bona quidem quibus animam vltra modum ditaret, & ad gratiarum actionem, & amorem alliceret; mala verò, quibus eandem instrueret, & vt oportet, erudiret, vt non dicat, quia fortitudo mea, & robur manus meæ hæc omnia mihi præstiterunt, sed recordetur Domini Dei sui, quòd ipse vires sibi & omnia præbuerit.] Et

Hebr.12. Deuter.8

A sicut solet pater filio vnico, & prædilecto, nunc omnia ad victum, & vestitum pertinentia abundè suppeditare, nunc aliquid necessarium subtrahere, vt filius malum paupertatis agnoscat, & necessaria custodire sciat, & de bonis, quasi de sibi debitis non superbiat: ita anima à Deo frequentissimè innumerabiles misericordias percipit, ex illo amantissimo, ac tenerrimo corde manantes, interdum verò flagellis, & malis affligitur, quæ non minora dona sunt, vt vnde veniant bona, nequaquam ignoret, & merita patientiæ reportet. At anima quid donat Deo? Certè si de mũdanis animabus loqueremur, difficile esset aliquod earum donum, Deo attributum assignare, quippe quæ se totas, & quidquid ad eas spectat, Diabolo donant, cum quo amicitiam ineunt, & cui, B Deo contempto se totas dedicarunt. Et similiter si de animabus iustis, sed imperfectis haberemus sermonem, aliquid inueniremus, quod ipsæ donent Deo tamquam amico, sed illud exiguum admodum, & minùs pretiosum, cùm istæ multùm sui ipsarum sibi retineant. Sed cùm hoc loco de anima perfecta instituatur tractatio, quid ipsa non donat Deo. Quæ propter Deum omnia creata aspernatur, & contemnendo ea omnia, donum Dei facit, pro cuius amore, & obsequio relinquit? Parum est hoc, quicquid sapit, quicquid valet, quicquid cogitatione, & desiderio comprehendit, & se totam Deo offert in donum, dum nihil sui sibi retinet, sed vires, sed talenta, C sed potentiarum, & membrorum opera, sed voluntatem, sed iudicium in diuinum obsequium impendit. Quæ quicquid habet, & potest, donat, & quicquid non habet, nec potest, dare desiderat, si non ex æquo saltem, quantùm sibi conceditur largissimo Dei amori respondet, & non verbis solùm (quæ sæpè fallunt) sed operibus, & officiis cum Deo initam amicitiam confirmat. Hæc profectò vim illorum verborum intelligit: Reddite, quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo. Nam cùm in se nihil Cæsaris videat, nihil pertinens ad mundum inueniat, nihil putat se illi debere, à quo prorsus nihil accepit. Et cùm omnia, quæ intra, & extra se habet, Dei esse conspiciat, & non sola fide, sed quodam certissimo experimento ad Deum pertinere comperiat, ipsi omnia D libentissimè reddit, à quo se accepisse gaudet, & in cuius solum obsequium bene impensa esse nõ dubitat. Hæc etiam illud sibi, tamquam charissimæ filiæ dictum existimat. Afferte Domino filij Dei, afferte Domino filios arietum: Afferte Domino gloriam & honorem.] Audit anima perfecta, & paret. Donat seipsam Deo filiam arietum, & Apostolorum natam, quorum mores sequitur, quorum vitam imitatur. Affert Deo gloriam, & honorem, gloriam quidem per bona opera (vt inquit Basilius) quæ cum irradiant hominum oculis, glorificẽt Patrem nostrum, qui in cælis est. Honorem verò, quoniam illud Salomonis adimplet: Honora Dominum de tua substantia, & de primitiis omnium frugum tuarum da ei:] Quod tunc facit (vt inquit Beda) cùm quicquid boni habet, nõ tantùm in Deum refert, verùm etiam E diuinæ gratiæ, ac cælesti muneri attribuit.

Matt.22. Psal.28. Prou.3. Beda ibi.

Ecce quàm bene hi duo amici mutuis officiis, ac donis suam amicitiam stabiliant, quæ sanè omninò stabilita non esset, nisi etiam seipsi sustinerent, & ad inuicem tolerarent. Habet quidem anima sancta, quantumuis sancta, & perfecta sit, multa in hac vita, in quo Deus illam sustineat. Si enim in Angelis suis reperit prauitatem, quantò magis quæ habitat domum luteam, & quæ terrenum habet fundamentum,] quæ scilicet in corpore commoratur facto de limo terræ, & fragilitati carnis innititur, consumetur, &

Iob. 4.

tur, & extenuabitur ab imperfectionum tinea. Fecisti imaginem Christi ex cedro, odorem habet cedri, fecisti ex plumbo, grauitatem habet plumbi; fecisti ex auro, colorem habet auri: Ita perfecti, qui homines sunt, & supra naturam fragilem, & infirmam, Christi imaginem induerunt, non possunt in hac vita mortali, sic humanam fragilitatem exuere, vt sæpè hominum imperfectiones non contrahant, & affectus humanos non redoleant. Insunt igitur perfectæ animæ aliqua, quæ Deo minùs grata, & iocunda appareant, quæ tamquam imperfecta, & ab itinere iusto nonnihil deuiantia displiceant. Sed hæc Deus quàm patienter suffert, quam amanter dissimulat, & cùm tempus est, quàm benignè corrigit, & leniter reprehendit. Misereris omnium Domine, inquit sapiētia, quoniam omnia potes, & dissimulas peccata hominum propter pœnitentiam?] Si Deus magna peccata iniquorum dissimulat, vt eis tempus pœnitendi concedat, quidni dissimulabit paruulos nænos perfectæ animæ, quos ipsa non malitiosè, non negligenter contraxit, sed præ ingenita fragilitate commisit. Excessit illa, vel dum aliquid minùs consideratè loquuta est, vel dum aliquid ineptum vel otiosum cogitauit, vel dum iram tantillum immoderatam concepit, vel dum orans, aut psallens mentem à Deo, ad quid terrenum, & caducum deflexit. Ista quidem in illam diuinam, & superineffabilem maiestatem admissa, & ab ea anima, quæ tam ingentia beneficia receperat digna erant, quæ seuerè corrigerentur, & statim cum indignatione punirentur. At Dominus verus amicus, ista, & alia similia, quæ ruditatem mentis humanæ prætereunt, & vix præ multitudine numerari possunt, quanta clementia sustinet; quanta pietate dissimulat? quàm amanter pusillorum imperfectiones portat. Et ipse qui optimè nouit figmentum nostrum,] animam propter hos defectus cum tremore accedentem, & vix oculos ad cœlum leuare audentem, dulcissimè suscipit, amplectitur, deosculatur, & implens illud: Ad vbera portabimini, & super genua blandientur vobis,] quasi recētium culparum oblitus, eam incredibili benignitate demulcet. Sustinet ergo ille imbecillitates, & defectus animæ. Sed tu Domine, habesne aliquid, in quo anima te sustineat? Quis hoc non dico scribere, aut verbis proferre, sed saltem cogitare auderet, nisi in sacris literis tuo spiritu dictatis reperisset? Viriliter age, cōfortetur cor tuum & sustine Dominum.] Et rursus: Anima nostra sustinet Dominum, quoniam adiutor, & protector noster est.] Et Iob expertus ait: si bona suscepimus de manu Dei, mala quare non suscipiamus.] Et iterum: Semper quasi tumentes super me fluctus, timui Deum, & pondus eius ferre non potui.] Habes itaque Domine, quod tibi sufferamus, non quia aut morosus sis nobis, aut molestus, aut quia tu, qui summè bonus es, defectibus & culpis subiaceas, sed quoniam tribulationibus nos exerces, quia ita expedit nobis, & vitam nostram, ne aut in otiositatem, aut in desperationem prolabatur, prosperitatis, & aduersitatis varietate dispensas. Quis ergo edisserat, quantis tribulationibus, & tentationibus, & anxietatibus, & corporis doloribus, & mentis timoribus soleas animam puram, & tibi nimis charam affligere? Quæ tamen ipsa non iracundè suscipit, non impatienter admittit, non mæstè tolerat, sed leniter, patienter, hilariterque sustentat. Et quemadmodum columba à compari suo aliunde veniente, & ipsam zelante, rostro, & vnguibus lacerata: silet, & suffert, & hac ipsa mititate, & sustinentia, se numquam in eum deliquisse, nec maritalem thorum violasse aperit; ita anima hæc Domini correptionem pa-

Sapid. 11. — Psal. 102. — Isa. 66. — Psal. 26. — Psal. 32. — Iob. 2. — Iob. 31.

A tienter sustinens, dolorémque complectens, palam indicat, se fidelem esse, & amare didicisse, quæ non tantùm cùm dona recipit, sed cùm flagellis luet, amore viget, charitate crescit, & ab intima fiducia & familiaritate non discedit.

Non erit autem mirum, si Deus & anima, qui se inuicem sustinent, idem sapiant, idem velint: Nam in rebus alteri amicorum aduersis, solent amici discordare, & antiquam etiam familiaritatem abrumpere. Idem profectò sentiunt Deus & anima, quia hæc in omnibus, diuinis sententiis adhæret, & quicquid per Scripturas suas, aut per doctrinam Ecclesiæ, aut per ministros ad id auctoritatem habentes, Deus credendum, aut faciendum proponit, id totum anima iusta sine vlla contradictione credit, & prout potest, facit, & ab aliis credendum, & faciendum esse
B diiudicat. Idem etiam volunt, quia perfecta anima in hoc maximè incumbit, vt proprias voluntates abneget, & in omnibus diuinam voluntatem expleat, dicens ex toto corde: Non mea Domine, sed tua voluntas fiat.] Et Deus ratione mirabili huius animæ desideriis annuit, votis fauet, & ei postulata concedit; Illud implens, quod per Isaiam ipse promisit: Tūc inuocabis, & Dominus exaudiet; clamabis, & dicet, ecce adsum.] At quanta fidelitate hi duo amici Deus, & anima sibi mutuò secreta reuelant; quorum ista omnes recessus cordis sui Deo peruios, & manifestos esse congaudet, & bona vt ea Dominus ipse promoueat, mala verò, vt ea curet & sanet, cum magna fi-
C ducia tamquam suarum rerum benignissimo prouisori, pandit; Vnde fidenter ait. Proba me Deus, & scito cor meum; interroga me, & cognosce semitas meas; & vide si via iniquitatis in me est, & deduc me in via æterna,] Non optat cum iniquis, vt non videat, Dominus, nec intelligat Deus Iacob, sed magis vult, vt videat, vt intelligat, vt vniuersa scrutetur, & si quod semen iniquitatis inuenerit, illud extirpet, & omnes suas cogitationes & opera in viā veritatis, id est, in Christum, adducat. Dicit cum Augustino: Si aliquid inueneris Domine in vita mea, quod displiceat oculis tuis, quoniam via mea mortalis est, tu deduc me in via æterna, scilicet in filio tuo, vbi nulla est iniquitas; quia si quis peccauerit, aduocatum habemus apud Patrem Iesum Christum
D iustum.] Deus quoque in amoris signum ab anima, cùm opus est, secreta sua minimè abscondit. Audi quid aliquando dixit: Num celare potero Abraham quod gesturus sum; cùm futurus sit in gentem magnam & robustissimam, & benedicendæ sint in illo omnes nationes terræ.] Et quare Domine Deus hoc mysterium Abrahæ celare non poteras, nisi quia æquum iudicasti ei, tamquam amico arcanum suæ posteritatis, in signum amicitiæ pandere, & vt magis ac magis te hominis amatorem ostenderes, ei secreta tui cordis aperire. Amos quoque ait: Non faciet Dominus verbum, nisi reuelauerit secretum suum ad seruos suos Prophetas.] Et Dominus: Vos autem dixi amicos, quia omnia quæ audiui à Patre meo, nota
E feci vobis.] Detegit ergo Dominus secreta sua hominibus perfectis amicis suis, & multis modis occulta eis suæ voluntatis manifestat, vel vt ipsi ab itinere veritatis non deuient, vel vt cognitione veritatis admirētur, & in omni virtutis genere promoueātur, vel vt alios in rebus credendis, aut agendis erudiāt: Quid plura? Deus qui omnium adiutor est in tribulatione, perfectos viros in tribulatione positos speciali prouidentia adiuuat: nam clamauerunt iusti, & Dominus exaudiuit eos, & ex omnibus tribulationibus eorū liberauit eos.] Eorum etiam infirmitati se accōmodat, etsi aliquid noxium nimis timent, benignè arcet, etsi

Luc. 22. — Isa. 58. — Psal. 138. — Ps. 93. — Aug. ibi. — 1. Ioan. 2. — Gen. 18. — Amos 3. — Ioan. 15 — Psal. 33.

aliquid

A aliquid humanum cupiüt, quod ipsorum perfectioni non officiat, benignè concedit. Non possumus omnia latè tractare. Ezechiel timet panem pollutum manducare, & audit, vt mitiori pœnæ subdatur: Ecce dedi tibi fimum bonum pro stercoribus humanis, & facies panem tuum in eo.] Iacob Angeli benedictionem concupiuit, & benedixit ei Dominus in eodem loco. Franciscus acerbitatẽ ignis metuens, quo vrendus erat, ne visum amitteret, vstionem non sensit. Thomas Aquinas morbo extremo laborans, & pisces insuetos, & in illa regione ignotos appetens, eos diuinitus oblatos recepit; & sic innumera alia possunt in Sanctorum gestis notari, quibus diuina illa maiestas istorum amicorum suorum imbecillitati condescendens, se amicum blandum, & tenerè amantem exhibet. Ac tandem Dominus nihil sibi, nisi gloriam

Ezech. 4.

Gen. 32.

B debitam diuinæ maiestati reseruat, quam, vt est in Isaia, nemini dare constituit; reliqua verò bona tam naturæ, quàm gratiæ, & gloriæ, imo & ipsum filium suum (cum quo, vt inquit Paulus omnia nobis donauit) his suis amicis, non vtcumque, sed cumulatè, & eximiè, communicat, vt sic in cœlo & in terra constet, se cum sanctis viris familiarissimam amicitiam iniuisse, & numquam ipsam aliquo dolo, aut obliuione violasse.

Isa. 42.

Rom. 8.

Si hæc ita se habent, sicut re vera se habent, nos qui à sæculo discessimus, & amicis terræ valediximus, vt regis cælestis amicitiam & familiaritatem assequeremur, si perfectionis amatores non sumus, quid amamus, quid quærimus? Hæc est intima amicitia inter Deum, & hominem intercedens, qua ho-

C mo Dei amicus non quouis modo, sed familiarissimus, & intima necessitudine coniunctus efficitur. Hac homo suum amorem, non in rebus caducis, sed in solo Deo collocat, & res suas etiam minimas cum Deo tractat, & cum eo curas suas tamquam cũ amicissimo sodali partitur. Hac quicquid habet (parum est hoc,) quicquid est, Deo donat, & nihil sibi velut proprium asseruat. Hac flagella à Domino illata lætè suffert, & si ipsum occiderit, ab spe in illo collocata non decidit.] Hac idem, quod Dominus, sapit, & vult, & diuinæ voluntatis imaginem induit, & nihil ab eius conspectu abscódere gestit. Si quid aduersum domui huius sanctissimi amici, scilicet Ecclesiæ fidelium acciderit, perfectio, quod cadebat humeris sustinet, & dum alij præ timore fugiunt, perfecti stant intrepidi, etsi opus est, profuso cruore fidem testifi-

Iob. 13.

D cantur, & virtutem tuentur. Ipsa est, quæ hominem magnum facit, magnum cogitationibus, magnum desideriis, magnum operibus, vt sicut Deus ad hanc amicitiam cum viro perfecto tenendam descendit; ita hic à vilitate sua ad Dei cósortium & participationem ascendat. Deus aliquid sibi reseruat, nimirum gloriam sponsam suam, quia ita omnino opus est; at homo perfectus nihil, sed omnia in diuinam gloriam præstando, Deo profusè communicat. Perfectionem igitur charitatis assequi curemus, quia sicut in aula regis terreni, nihil est familiaritate eius optabilius, qua priuatus homo, regnat, & imperat, & gubernat, & omnibus magnatibus maior & celsior existimatur; ita in aula regis cælestis, nihil perfectione, aut excellentius, qua homo fit Dei amicus fami-

E liarissimus, aut præstantius inuenitur.

Quòd perfectio est arctissima cognatio hominis cum Deo.

CAPVT VIII.

PRINCIPES huius sæculi subditos nobiles curiæ suæ, honoris gratia solent vocare cognatos. Vocant quidem, sed non faciunt, quoniam, si ipsi nobiles non sunt, ex stirpe regia progeniti, numquam consanguinei regis erunt, quantumuis aut consobrini, aut propinqui à rege vocentur. Dominus autem perfectos, & sanctos viros, non cognatos tantùm, sed filios appellat, & non tantùm appellat, sed filios suos facit, & non quouis modo filios, sed filios dilectissimos, & fidelissimos, & sibi quàm simillimos reddit. Ex quo alia multò maior dignitas perfectionis elucet, quod scilicet est hominis cognatio cum Deo, & cognationum omnium, quæ inter aliquos esse possunt arctissima, qua homo non tantùm propinquus, sed planè Dei filius, & Christi frater, & hæres regni cælestis constituitur. Perfectionem autem non tam seruos fideles, non amicos dilectos tantùm, sed filios Dei homines facere Saluator noster Iesus Christus, apertè monstrauit. Qui cùm perfectionem, aut perfectam charitatem commendasset, eá scilicet, quæ tanto impetu, & voluntatis conatu in Deum feratur, vt ab eo resultans non solùm ad amicos veniat, verùm etiam ad inimicos vsque transiliet, hoc tantæ charitatis emolumentum proponit. Vt sitis filij Patris vestri, qui in cælis est, qui solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos.] Hęc ergo charitas cognatio hominis cum Deo est, & si ita loqui licet, filiatio, quæ hominum filium Dei facit, & ab eo spirituali quadam procreatione generatum constituit. Et sicut ipsa est celsitudo philosophiæ Christianæ, vt Chrysostomus ait, ita sublimiorem secum hominibus dignitatem affert, non iá, vt possideant terram, sicut mites, non vt consolationem, aut misericordiam accipiant, vt lugentes ac misericordes; non vt regnum cælorum, vt pauperes spiritu, & persecutionẽ patientes, acquirant; sed (quod est multò præstantiùs & excellentiùs,) vt nimirum sint filij Dei, qui eo ipso quod tales sunt, & ad regnũ cælorum ius habent, & terræ sui cordis sunt Domini, & consolationis, ac miserationis diuinæ efficiuntur participes.] Omnes quidem iusti, & gratiam habentes sunt adoptione filij Dei; quibus dicit Paulus: Quoniam estis filij Dei, misit Deus spiritum filij sui in corda vestra clamantem Abba pater.] Et Ioannes: Quotquot autem receperunt eum, hoc est, per fidem Charitate formatam in suis cordibus admiserunt, dedit eis potestatem filios Dei fieri.] Et alio loco: Charissimi, nunc filij Dei sumus, & nondum apparuit quid erimus. Et Moses admonet, dicens: filij estote Domini Dei vestri,] quod illi assequuntur qui sanctissimam Dei legem amplectuntur, & ab omni crimine se puros & incontaminatos custodiunt. Sed sancti, & perfecti aliquid amplius habent, quàm communes filij, propter quod præcipui Dei filij, & omnium dilectissimi, & aliis maiores vocandi sunt, quod nunc inuestigare debemus, vt hæc perfectionis dignitas probè cognita ingentem in nos sui amorem & desiderium iniiciat.

Matth. 5.

Chrysost. ho. 18. in Matt.

Galat. 4.

Ioan. 1.

1. Ioan. 3.

Deut. 14.

Quo verò modo hanc perfectionem prærogatiuam intelligemus? Qua via aut ratione eam explicabimus? Estne aliquid apud nos, quod huius rei notitiam mentibus legentium inferat? Est sanè; illud scilicet, quod in hominum domibus atque familiis non semel aspeximus. Patres enim interdum solent generare filios, natura quidem sibi similes (nam si naturæ communionem non retinerent, non essent filij) sed aliis in rebus valdè dissimiles. Ex patre sapiente prodiuit filius stultus; ex robusto & forti, infirmus &

imbecillus promanauit: Est pater formosus, qui deformem filium genuit; est parcus, qui prodigo, & bonorum dilapidatori vitæ viam attribuit, & sic seruata naturæ vnitate inter patrem, & filium, in alijs maius solet esse discrimen, quàm si omninò inuicem essent extranei. At aliquando, imò & sæpè, patris & filij non tantùm vna est natura, sed vna etiam corporis dispositio, vna animi propensio, vna rerum gerendarum prudentia, vna vox, vna progressio, & breuiter vna in reliquis similitudo, adeò vt quis viso filio, statim patrem agnoscat; & sine vllo magistro, ac attestatore ab illo esse genitum deprehendat. Magna quidem est istorum filiorum differentia, qui licèt in hoc conueniant, sine quo (vt diximus) filij esse non possent, quod suorum patrum naturam acceperunt, tamen in alijs per omnia dissentiunt. Illi patrũ conditionem non assequuntur, isti assequuntur: illi patres moribus non imitantur; isti imitantur: illi habent vnde à patribus non multum amentur, isti habent, vnde impensè, & tenerrimè amentur: Illi suis moribus efferatis patres mœrore afficiunt; isti obedientia, & simplicitate sua patres lætitia prosequuntur. Nam filius sapiens lætificat patrem, filius verò stultus mœstitia est matris suæ.] Id ipsum discrimẽ in filiis Dei, in iustis scilicet, & gratiam habentibus inuenimus. Omnes enim iusti adoptione (vt vidimus) filij Dei sunt, gratiæ & diuinæ naturæ participatione ei similes, sine qua homo, licèt fidem habeat, & ad Ecclesiam, vt membrum, pertineat, & ratione fidei, & cultus diuini, quem habet, quodammodò possit dici filius, vt eum vocant Ambrosius, & Augustinus; at si propriè loquendum est, melius dicetur seruus malus & piger, aut etiam inimicus: Sed horum Dei filiorum, quidam sunt velut filij paruuli, in quibus ferè nihil aliud, quàm participatio naturæ patris elucet; alij verò sunt filij maiores, in quibus iam vltra naturam patris etiam studia, & propensiones se ostentant; quidam sunt Patri Deo in multis similes, alij in omnibus præter gratiæ participationem ferè dissimiles. Quod discrimen Gregorius insinuauit his verbis. Redemptor generis humani, quotquot fidei suæ & doctrinæ sacramentis instituit, ad immarcessibilem æternæ hæreditatis gloriam rò filios facit. Qui enim instituũtur in Ecclesia, quasi paruuli adhuc filij sunt, sed qui magnis meritis ei iã in virum perfectum occurrit, frater est Redemptoris. Tales nimirum beatus Paulus Apostolus collaudans, ait: Heredes Dei, cohæredes Christi.] Ecce filios Dei paruulos, & filios magnos non ætate, sed meritis, quorum illos filiis suo patri dissimilibus; istos verò filiis patri similibus comparamus.

Prou. 10.

Greg. lib. ... Reg. ... D. ... iuriu ... sanl.

Rom. 8.

Iustos ergo imperfectos, & tepidos, & suæ puritatis modicam curam habentes, qui peccata quidem grauia fugiunt, ne gratiam amittant, & leuia non fugiunt, & eorum fœditate maculati contemnunt, vocamus filios Deo dissimiles, qui filiorum appellatione contenti, se filios Dei operibus, & studiis exhibere non curant. Nam si Deus sapiens est, illi ignorantes sunt, & planè pueri, qui mundi vanitates sonantes, & perstrepentes admirantur, & bonis, solidis, & veris anteponunt. Si Deus fortis, illi infirmi, qui oborta modica tentatione penè succumbunt, & indigent à Prælatis molliter attrectari, & multis dispensationibus sustineri. Si Deus pulcher, ipsi deformes, qui nec leuium peccatorum fœditatẽ timent, nec imperfectionum maculas horrent, nec inordinatis affectibus, & nimio creaturarum amore se infici, & conspurcari metuunt. Si Deus liberalis, illi in Deum auari, & in creaturas immoderatè profusi, qui nec diuinis beneficiis, gratitudine, & obsequiis respondent, nec dona Dei ob terræ amorem perdere, dilapidare verentur. Denique Deus sanctus, & purus, ipsi puritatis contemptores; Deus ignis, ipsi gelu; Deus magnus, ipsi pusilli, qui animæ vitam spiritualem amant, munditiem non amant; lucere appetunt, sed ardere contemnunt; & videri se aliquid non esse concupiscunt. O filij felices, & miseri; hæredes, & rei, patri vestro qui in cœlis est, similes, & dissimiles. Felices, quia filij, quia gratiam habetis, & vitam animæ possidetis; & miseri, quia hanc vitam tam pretiosam meritis non cumulatis, & thesaurum istum augere paruipenditis. Heredes, quia si à gratia non excidistis, quæ in vobis multis periculis exposita est, regnum Dei tandem consequemini; & rei, quia indicibiles purgatorij cruciatus vos manẽt, quibus vestræ socordiæ pœnas per longum tẽpus exsoluetis. Similes Deo, quia spiritualiter viuentes, quia gratia animæ vitæ decorati, quia in rebus magni momenti legis obseruatores; & dissimiles, quia nec Deo magis appropinquare nec sanctos imitari, nec ad perfectionem aspirare contenditis. Estis sicut filij regis, in misera seruitute positi, & à regni hostibus captiui & compediti, qui non regnant, sed seruiunt; non abundant, sed esuriunt, non regalibus indumentis fulgent, sed vilissimis, & sordidissimis pannis suam nuditatem operiunt. Sic vos filij estis regis æterni, quia nonnullam gratiam & charitatem, licèt lãguidam, & remissam habetis; at filij captiui & in calamitosa affectuum, & desideriorum vestrorum seruitute constituti, qui miseris amoribus rerum caducarum seruitis, diuinarum illustrationum, & consolationum famem & sitim patimini; & infami vitiorum indumento sordescitis. Vobis, si cum alijs Dei filiis, scilicet, cum perfectis conferamini, suo modo congruit, quod Dominus per Isaiam loquutus est. Ecce serui mei comedent, & vos esurietis: Ecce serui mei bibent, & vos sitietis: Ecce serui mei lætabuntur, & vos confundemini: Ecce serui mei laudabunt præ exultatione cordis, & vos clamabitis præ dolore cordis, & præ contritione spiritus vlulabitis. Et dimittetis nomen vestrum in iuramentũ electis meis.] Quamuis sitis filij, tamen quia non mihi fideliter, sed desideriis vestris seruitis, ideò vos nec seruorum nomine (quod multò est ignobilius) dignos iudico, & vt vobis hanc fidelium seruorum nuncupationem adimam, ideò viros sanctos, nunc non filios, sed seruos appello. Perfecti ergo comedent, & bonorum operum cibo se reficient, & vos, nisi vitam mutetis, & ad perfectionem capessendam festinetis, famem huius panis suauissimi, qui cor hominis confirmat, sustinebitis. Illi vinum cœlestium consolationum bibent, & vos desolationibus, & mentis ariditate castigati, sitietis. Illi feruore suo incitante in me Domino suo lætabuntur, & vos præ tristitia ab ignauia vestra prouemente erubescetis. Illi nõ semel defectuum præteritorum obliti accipient tympanum, & chorum, & immensas mihi laudes cantabunt in chordis & organo; vos qui numquam infantiæ pannos exuistis, nec casibus, & defectibus vestris emendationem imponitis, si quando coram me ad orandum incitatis, semper habebitis, quod ploretis, semper multas nouas offensas, quarum veniam cum lachrymis postuletis (& væ vobis si non postulabitis) & quarum gratia lugeatis. Illorum memoria cum laudibus, vestrum autem nomen putrescat,] quia ad nihil aliud vestri memoria fiet, nisi vt maiores vos corripiant, æquales, quorum cordi proficere est, vos auersentur, & minores vitam tepidam, & ignauiam timeant. Hæc quidem Dominus, Ego autem dixi & iterum dico, Dij estis, & filij excelsi omnes,]

Isa. 65.

Prou. 10.

Psal. 81.

quia

quia substantiam charitatis non perditis, & à Domino per graue crimen non separamini; veruntamen si non curatis proficere, & Christi similitudinem induere, forte à minoribus ad maiora prolapsi, sicut homines peccatores moriemini, & sicut vnus de superbis principibus à modicio, quod estis assequuti, cadetis.

Imperfecti ergo, & tepidi, licèt gratiam, & charitatem participent, sunt velut filij suo patri dissimiles, quos pater tam à se moribus distitos videns, minùs amat, & non sine nausea, & indignatione tolerat. Et sicut filius Dauidis, quem ex Abigail vxore suscepit, vocatus est Daniel, id est iudicium Dei, patre signum aliquod desiderante ex quo suus filius agnosceretur, & Nabal primo Abigail viro minimè deputaretur; quod & obtinuit, nam Dominus (vt dicitur) pueri faciem mutauit, & quàm simillimam faciei Dauidis reddidit, & propterea deinceps vocatus est Cheleab, id est, similis patri. Ita quisque istorum tepidorum à Domino patre suo vocatur iudiciū Dei, quia Dominus optat, vt faciem mutet, & sæculares mores in spirituales & cælestes conuertat, vt omnes eum Dei filium ex operibus, & vita cognoscant. Curet itaque faciem mutare, mores emendare, vitam tepidam & sæcularem abiicere, & feruidā, ac spiritualem assumere, & vocetur Cheleah, hoc est quasi pater, & similis patri, cuius pulchritudinem, & sanctitatem referat, cuius virtutibus imbutus, non iam figuram Adam terreni, sed Adam secundi, scilicet Christi saluatoris nostri imaginem portet.

Hoc igitur apprimè habent viri perfecti, & ob id vocandi sunt Cheleab, quia sunt filij Dei, non habitu gratiæ, & charitatis tantùm, non operibus iustitiæ imperfectis solùm, sed moribus perfectissimis, & virtutibus solidissimis cælesti patri similes. Possunt quidem sibi cum gratiarum actione, & humiliter vsurpare, quod Dominus noster Iesus Christus filius naturalis patris, de seipso testatus est: Qui videt me, videt & patrem; non credis quia ego in patre, & pater in me est.] Ita & ipsi pro suo modulo, nō tam sermone quàm operibus dicūt: Similes sumus patri; qui videt nos, videt & patrem; nos in patre, & pater in nobis est. Qui videbant Christum, & non per seipsum, sed per humanitatem assumptam, videbāt diuinum Verbum, per eandem etiam humanitatem videbant Patrem, quia Patris & Filij vna est diuinitas, vna natura, vna substantia. At qui perfectos, & sanctos vident, Patrem vident, quia pulcherrimam eius imaginem vitæ, & moribus perfectorum impressam aspiciunt. In eis námq; sapientia Dei lucet, qua sciūt reprobare malum, & eligere bonum; & cuiq; rei suū valorem, aut maiorem, aut minorem ascribere. In eis puritas Dei lucet, nam illius sententiæ memores, Sācti estote, quoniam ego sanctus sum,] hoc in primis summis conatibus quærunt, vt mentis suæ faciem purissimam gestent, & minimas quoque maculas & vix visibiles næuos diligenter abradant. In eis charitas Dei splendet, qua amicos sine vllo respectu lucri amant, & inimicos ardenter diligunt, & omnia omnibus seipsos efficiunt. Quis in sanctis non videt Dei magnitudinem, qua parua sæculi, & abiecta non curant; iustitiam, qua nulli iniuriam irrogant, & sua cuique dare contendunt; mansuetudinem, qua iniurias immoti sustinent, & pro eis non mala; sed bona referunt, fortitudinem, qua dæmonis tentationes vincunt, & omnia impedimenta assequendæ perfectionis euentilant, occupationem, qua Deum iugiter contemplari, & ardenter amare sitiunt, & in omnibus se ei similes exhibere gestiunt. Breuiter, omne quod malum est, constanter auersantur, & omne quod bonum est, auidissimè complectuntur, vt sic filij Dei, & perfectæ imagines eius existant. Imago enim & similitudo Dei est (inquit Gregorius) inclyto odio malum odire, & amore perfecto Deū diligere, vnde malum odio habent, & Deum bonorum fontem, & omnia bona diligunt, dicentes: Iniquos odio habuimus, & legem tuam dileximus,] vt se filios Dei & viuas imagines protestentur. Qui ergo videt eos tamquam in filiis adoptatis, patri per virtutem simillimis, & tāquam in pulcherrimis imaginibus, videt & patrem, & aliquam stillam eius infinitæ puritatis ac sanctitatis intelligit. Horum vna sollicitudo est, Christū primogenitum patris filium, & maiorem fratrē induere, eiúsque virtutes, quantùm possunt, in omnibus sequi, & actus imitari, & inde habēt, vt sicut ille est perfectissima patris imago, ita & ipsi ad eius normam delineati, figuræ etiam elegantissimæ æterni patris existunt. Eo autem ipso elogia filij naturalis Dei, non quidem ex æquo, sed quadā exigua proportione participāt. De illo námque scriptū reperimus; Quoniā quis in nubibus æquabitur Domino, similis erit Deo in filiis Dei!] Ac si diceretur; nullum eorū prophetarum, qui dicuntur nubes, aut aliorum sanctorum, qui filij Dei appellantur, posse cum filio naturali, aut de prima sede contendere, aut illius æqualitatem vindicare. Sācti enim quantumuis cælestibus donis & puritate mentis excellant, sunt creaturæ, Christus verò est Deus, qui glorificatur in consilio sanctorum magnus & terribilis id est, virtute potentissimus, & reuerentia dignissimus, super omnes qui in circuitu eius sunt.] Satis ergo est illis, si quodammodò naturalis filij honores & laudationes assequātur, prout ipse dignatur eas cum illis partiri, ex quibus magnam cū patre similitudinem, & eximiā dignitatē accipiēt.

Quæ sunt autem Christi filij naturalis elogia? Illa quidem, quæ Paulus in Epistola ad Hebræos magnificentissimis verbis scribit. Nouissimè inquit; diebus istis locutus est nobis in filio, quē cōstituit hæredem vniuersorum, per quem fecit & sæcula. Qui cùm sit splendor gloriæ, & figura substantiæ eius, portásque omnia verbo virtutis suæ, purgationem peccatorum faciens, sedet ad dexterā maiestatis in excelsis. O quā magnifica verba sunt ista, & quam mirabilia & planè stupenda sunt, quæ de Christo fratre nostro maiore nobis enunciant. Ipse est Dominus, quia hæres, nō in aliquam partem substantiæ Patris succedens, sed hæres vniuersorum. Ipse omnipotens, quia per eū Pater tamquā per exemplar, & per omnium rerum ideam fecit omnia, hîc significata per sæcula. Ipse sapiēs, quia splendor gloriæ seipso manifestans gloriam ac maiestatem Patris. Ipse nobilis, quia sicut verus, & naturalis filius Dei, imago & figura substantiæ eius. Ipse fortis, quia omnia sustinet, & omnibus naturam, & potentiam, & operationem tribuit. Ipse præ omnibus dilectus, quia omnia peccata suis meritis de medio tulit, & vniuersas iniquitates deleuit. Ipse tandem tamquam naturalis filius, omnibus filiis adoptatis præpositus, atque prælatus, quia illis more seruorum stantibus, & ministrantibus, Christus vt herus eorum, & vt filius æqualis patri ad dexteram sedet, & in medio cælestis curiæ throno Patris collocato, ipse dexteram, id est, eminentissimum præ aliis & amplissimum locum obtinet. Ecce filium similem patri. Nā si Pater est Dominus, filius omnibus imperat, & tamquam Dominus omnia possidet. Si Pater est omnipotens, filius omnia potest; cui data est omnis potestas in cœlo & in terra.] Si ille est sapiens, hic est sapiētia genita, quæ patris mysteria patefacit, atque declarat. Si ille est nobilis, hic etiam est nobilis, quia quorū est vna natura, & vna substātia, necessariò vna debet esse

nobilitas.

Margin notes: 1. Par. 3. — 2. Reg. 3 — Ioan. 14. — Leuit. 11. — Greg. li. 1 in 1. Reg. ad c. 2. in illud, Vt offerat nummum argenteum. Psal. 118. — Psal. 88. — Psal. 88. — Hebr. 1. — Matt. 28.

nobilitas. Si ille fortis, hic est dextera & brachium Dei, à quo vniuersa opera virtutis & potentiæ procedunt. Si ille dilectus, quē omnia appetũt: hic dilectus & desideratus cunctis gentibus, in quem desiderant Angeli prospicere. Si ille omnibus in infinitũ maior, quia ipse creator, & reliqua ab ipso creata; hic etiam omnibus maior, & excellẽtior, quia similiter est creator, nō creator distinctus à Patre, sed idē creator, cum quo, & cum Spiritu sancto vno similiter cũ Patre & filio creatore, vniuersa fabrefecit. Hęc omnia secundùm quandā proportionem sanctis, & perfectis conueniũt, vt nō solùm filij Dei, sicut reliqui iusti, sed filij quoq; Patri valde similes inueniãtur. Illi sunt Domini, qui per verissimũ mundi contemptũ omnibus dominãtur, de quibus scriptũ est: Quia iudicabũt nationes, & dominabuntur populis, & regnabit Dominus illorũ in perpetuum.] Illi potẽtes, qui virtute orationis diuinam voluntatem flectunt, & quasi filij tenerrimi gemitibus: & lacrymis omnia impetrant, & sibiipsis diffidentes, in Deo autem fiduciā constituentes, omnia possũt in eo, qui illos cõfortat. Illi sapientes, qui nō terrena, sed ęterna sapiũt, & scientiam sanctorum probè callẽt, qua Deũ sibi placere sciũt, vt ab eo filiorũ hæreditatem accipiant. Quibus illud prouerbiorum cõuenit. Gloriam sapientes possidebunt,] Illi nobiles, quorũ Pater Deus est, quorũ fratres Angeli sunt, quorum occupatio est nobilissima atq; dignissima, Deũ Patrem suum cõtemplari, Deũ amare, non sibiipsis, non rebus terrenis, non inordinatis affectibus, sed Deo suo incũctis seruire. Illi fortes, quos non dæmonum illusiones proterunt, non tendiculæ aduersarij prosternũt; sed in bello aduersùs carnem, & sanguinem victores, & superiores existunt. Illi dilecti, quos Deus, vt charissimos filios amat, Beata Virgo, vt natos pulcherrimos diligit, sancta Ecclesia, vt pretiosissimas gemmas, quibus illustris, & splẽdida, ac decora procedit, cordi habet. Ipsi denique sunt aliis Ecclesię filiis meliores, & pulchriores, quia curiā Dei ornant, palatium æterni regis ædificant, & nobilitatē Ecclesiæ cõstituunt. Vide quo pacto perfectio est arctissima cognatio cũ Deo quæ perfectos viros, non vtcumque filios Dei facit, sed filios charissimos Dei & patris simillimos, & coniunctissimos efficit? Quę, vt filij Dei, & hæredes regni cœlestis, omnibus virtutibus tamquam regalibus indumentis vestiuntur; & cibis delicatissimis sanctorum desideriorum & piarum cogitationum reficiuntur, & Angelis velvt regis ministris cingũtur, & patris sui occupatione, scilicet diuina contemplatione, delectantur; & nihil aliud quærunt, nisi Dei similes esse, & in omnibus Dei filios, & seruos, ob diuinum honorem apparere.

Sapien. 3.

Prou. 3.

Hanc nos Dei similitudinem filiorum charissimorum propriā appetamus, in qua nullum est superbiæ periculũ, sed magnũ inuenitur meritorum augmentum. Lucifer quidem deliquit, & à dignitate, in qua creatus erat, deiectus est, quia Dei similitudinem sibi vetitam cõcupiuit, dicens: Ascendam super altitudinem nubiũ, similis ero altissimo.] Primi etiam nostri parẽtes, eandem similitudinē appetentes, & verbo illo decepti: Eritis sicut Dij, scientes bonũ & malum,] & sibi & nobis diuinæ gratiæ similitudine perdiderunt, & solam Dei imaginē animæ impressam, & illā obliteratam, aut fœdatam cõseruarunt. At nos non timeamus hanc similitudinem filiorum appetere, quæ homini, aut Angelo interdicta non est, sicut illa, qua aut Angelus, à seipso, & non à suo creatore habere illam magnam dignitatem appetiuit; aut homo scientiam sibi non conuenientem affectauit. Ad hanc similitudinem appetendam, imò & accipiēdam, nobis à Deo facultas concessa est: Nam quotquot receperũt eum,

Isa. 14.

Gen. 3.

A inquit Ioannes, dedit eis potestatem filios Dei fieri.] Hanc literæ sacræ nos monent: omnia autem facite, inquit Paulus, sine murmurationibus, & hæsitationibus, vt sitis sine querela, & simplices filij Dei. Imò, vt pulchrè annotauit Hieronymus, non est exhortatio vehementior, quàm, qua nos Scriptura filios Dei vocat. Quis enim non erubescat, & metuat, tanto Patre agere aliquid indignum, vt qui dicitur Dei filius, ipse efficiatur vitij seruus? Et idcirco adiungit: Vt simus immaculati. Neq; enim cõuenit in filiis Dei, quia ipse est fons iustitiæ peccati maculam reperiri.] Hanc Dei cognationē, & similitudinē appetere summa sapiētia est. Nam quid rogo sapientius, quàm Deum Patrem habere, qui te filium agnoscat, vt filium alat, vt filiũ à peccatis eripiat, vt filium diligat, & vt filium in consortium Christi filij sui, atq; in participationem ęternæ hæreditatis admittat? Enitamur ergo ita viuere, vt simus filij Dei: Filij non Patri dissimiles, non degeneres, sed qui perfectionis assequendæ cura, patris nostri, qui est in cœlis, virtuti respondeamus, & eius perfectionem imitemur. Filij, qui non erubescamus Deum patrem vocare; non timeamus Deum genitorem habere, quod non timebimus, si puritas mentis nostræ filios Dei nos esse cõfiteatur, & similitudo diuina in nobis virtutibus, tamquā viuis coloribus delineata, nos ab eo natos, ac progenitos esse testetur.

Ioan. 1.

Philip. 2.

Hier. epi. 1. ad Demet. ad medium Tom. 9.

B

Quòd perfectio est maxima vnio inter animam, & Deum.

C

CAP. IX.

Licet magna sit amicitiæ, & cognationis copulatio, qua homo Deo, vt familiarissimo amico, & vt optimo parenti coniungitur, alia tamen est multò maior, & (si dici potest) intimior, quæ perfectioni etiam competens, eam mirificè exaltat, & in altiorem dignitatem euehit. Ea autem est coniunctio sponsi & sponsæ: aut viri & vxoris, qua viri & vxor non iam duo manent, aut voluntatum assensione concordes, aut sanguinis vinculo colligati, sed ita quid vnum effecti, vt ex viro & vxore, non duæ carnes, sed vna tantùm caro resultet. Vnde primus nostri generis parens magna asseueratione pronuntiat: Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea; Quamobrem relinquet homo patrem suum & matrem, & adhærebit vxori suæ; & erunt duo in carne vna.] Dictum verò serui Dominus ipse confirmat: Itaque ait, iam non sunt duo, sed vna caro: Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet.] Paulus quoque magistrum sequitur, dicens: Viri debent diligere vxores suas, vt corpora sua: Qui suam vxorem diligit, seipsum diligit: Nemo enim carnem suam odio habuit.] Hanc ergo vnionem inter Deum & animam similiter perfectio facit, quæ non tantùm est necessitudo inter duos amicos intercedens, non tantùm cognatio patrem & filium sanguinis communione deuinciens, sed etiam est castum sacrumque connubium, quo Deus sponsus animæ, & anima Dei sponsa, & coniux efficitur. Non sumus autem obliti eorum, quæ suprà diximus, statum religiosum istam habere virtutem, vt connubium spiritale sit, quod Deum animæ copulet, & animam Deo tamquam sponso coniungat. Hoc profectò ita est, sed aliud est, quod status fert; aliud verò quod vita exigit, aut connersatio requirit. Sicut enim inter homines non semel accidit, vt quæ statu & obligatione est vxor, aut sponsa; vita & affectu sit adultera, &

D

Gen. 2.

Matt. 19.

Ephes. 5.

Iob. 1.

E

inimica;ita in vita religiosa potest & solet accidere, vt anima,quę statu & professione est spôsa Dei,amore & vitæ conuersatione non sit Dei sponsa,&(quod ad mores attinet,aut cordis affectum)aut hãc summã dignitatem non habeat,aut habitã non per status dimissionẽ, sed per fidelitatis ruptionẽ amittat.Perfectionis igitur proprium est,animam sponsam Dei facere,non tã statu quàm vita, quia eos mores,eas virtutes,eum amoris affectũ infert,qui sponsæ Dei consentaneus sit, qui animam vt spôsam charissimã Deo copulet,& omni virtutũ genere,vt sponsam Dei decet,ornet atq; circundet. Hinc Hugo Victorinus non omnem animam religiosam sponsam Dei vocat, sed eam dumtaxat,quæ sancta sit,atq; perfecta. Qui plus diligit, inquit,velociùs currit.Pręcurrit sponsa,id est, anima perfecta; subsequuntur adolescentulæ, id est, minùs perfectæ.] Rectè quidem hic pater animã perfectam sponsam censet, imperfectam verò nõ vocat sponsam sed adolescentulam:quoniam si istæ nuncupationes à vita ipsa,& à recta actione sumendæ sunt, æquũ est,vt inæqualis & diuersa actio diuersum nomen habeat, & imperfectior vita moderatiùs nominetur, & perfectior sublimiorẽ nũcupationem accipiat. Hinc in canticis cãticorum,tot sunt fœminarum diuersitates, & hæ quidem adolescentulæ, illæ verò reginæ, aliæ concubinæ nominantur, & vna sola, vt spôsa loquens,& amore languẽs, introducitur, quia videlicet Scriptura illa amatoria tot rerũ spiritualium mysteriis referta, debuit cuilibet vitæ spiritualis gradui, suum nomẽ accõmodatum imponere, & animæ perfectæ nobilissimã sponsæ appellationẽ assignare. De qua in quodã loco dicit:Sicut liliũ inter spinas,sic amica mea inter filias.]Non minus enim profectò solet esse aliquãdo inter perfectos imperfectósq;discrimen, quorũ isti suis imperfectionibus & inordinatis affectibus,quasi quibusdã spinis fratres pungunt; illi verò morũ sanctitate,& bonæ vitæ odore omnes exhilarant,& ad amorem rerum cœlestium accendunt.

Hugo lib. 2. de nuptiis spiritualibus. c.2.

Cant.2.

Est itaque perfectio connubium animæ, & Dei, quoniam animam Deo iungit, non tam statu quàm opere & morum similitudine,& eam tam felici coniugio dignam reddit. Deus autem;qui cuique animæ sui copiam facit,secundùm quod digna est,& secundùm quod eam,aut minùs dispositam,aut magis pręparatam reperit, absque dubio eam ducit sponsam, quam acquisita puritas, ac vitæ sanctitas talibus nuptiis dignam efficit. Inquiramus ergo, quæ sint necessaria, vt anima sit sponsa Dei, & ea omnia animæ perfectæ inesse conspiciemus, non ab aliqua speciali virtute,sed ab ipsa perfectione concessa. Quæ igitur in anima desiderari possunt,vt sit sponsa Dei? Certè (si secundùm ruditatem nostram loquamur)eadem quæ in aliqua virgine exigerentur, vt à potentissimo rege terreno in vxorẽ duceretur.Hæc verò quæ sunt? Primò,vt illa virgo sit nobilis,& illustris,& regis alicuius filia,aut ex stirpe regia progenita.Deinde, vt sit pulchra, quæ ingenita venustate oculos regis capiat, & illum ad sui amorem alliciat. Rursus,vt procedat spendidè ornata,cuius indumenta, & gemmæ mundum muliebrem ancillarum lõgè superet,& tum pretio,tum decore post se relinquat. Præterea,vt vna illam cura solliciter,regem amare,regi obsequi, regem blanditiis delinire.Adhæc,vt sit fidelis ei,& nulli homini in corde suo ingressum tribuat, nullúmq; alium nisi sponsi sui amorem admittat. Insuper, vt sit fœcunda,quæ filios hæredes regni concipere, & parere possit,& nutrire,atque ingenuè educare sciat.Demùm, vt sit prudens,& fortis, cui libenter omnes deferant, quæ nouerit domum regiam gubernare, imò & rege se absentãte,& in regionem longinquam abeunte, vniuersam rempublicam regere. O felix virgo!ô meritis imperatrix, & regina! ô supremi regis consortio dignissima! Hanc quilibet rex quantumuis potentissimus sponsam ambiet, vxorem concupiscet,& amore delinitus,non solùm nullam aliam amabit,sed nec quidem respiciet. Hæc non potestatis vi, sed amoris virtute, quæ est multò violentior, imperabit regi,& eum suæ voluntati subiiciet. Talis erat Apame, cuius potestas super regem Darium his verbis scripta legitur. Credite mihi,quia magnus est rex in potestate sua,quoniam omnes regiones verentur tangere eum.Videbam tamen Apamen filiam Bezacis,mirifici concubinam regis,sedentẽ iuxta regem ad dexteram, & auferentem diadema de capite eius, & imponentem sibi, & palmis cædebat regem de sinistra manu.Et super hæc aperto ore intuebatur eam: & si arriserit ei,ridet:nam si indignata ei fuerit, blanditur,donec reuertatur in gratiam.] Non mirabimur ista,nec fabulas reputabimus,si illorum sententiæ cõsentimus, dicentium, quoniam omnibus fortior est mulier,quæ sit virgo,& rursus virgo, quæ non mendaciis seruit, sed collum veritati omnia gubernanti submittit.

3.Esdr.4.

Nullum istorum animæ perfectæ deficit,imò cuncta sine vlla exceptione habet, quare digna censenda est,quæ sponsa Dei sit, quæ vt regina iuxta illum sedeat,& vt coniux regis,bona incomprehẽsibilia possideat. Nam si perfectio, & sanctitas(vt suprà ostendimus) est sanctæ Ecclesiæ nobilitas,non erit creditu difficile,quòd anima perfecta sit nobilis, quam non splendor generis clarificat, sed lux virtutis exornat. Neque enim nostrum est (vt Gregorius Nazianzenus ait) ac ne Philosophi quidem, eam generis claritatem admirari,quæ à fabulis,& sepulchris, supercilióque iampridem corrupto,ac putrefacto manat:nec eam, quæ in sanguine & diplomatibus comparatur, quippe quã noctes afferãt, ac regum ignobilium quoque fortasse manus,nobilitatẽ velut quiddã aliud imperrantiũ,atq; decernentiũ, sed eam demùm nobilitatẽ intelligo,quã pietas, vitæq; sanctimonia,ascensúsque ad primarium illud bonum, ex quo originem traximus, insculpsit.] Hæc verò nobilitate verissima omnes animas clarere perfectas,dubiũ non est, quippe quæ à Deo ipso, non solùm substantiæ,sed & virtutis originẽ trahant,& reges cœli, scilicet sanctos,& principes Ecclesiæ,scilicet iustos, & Dei amicos patres,& fratres habeant,& vt nobiles ac generosæ magna cogitẽt,magna concupiscãt, & abiecta mũdi cõtẽnant.Et si perfectio est ipsa animæ pulchitudo,quis dubitet animam perfectã esse pulcherrimã, quæ alias animas iustas, sed imperfectas, sicut luna minimas stellas puritate cogitationũ,sanctitate desideriorũ,& feruore bonarũ actionũ excellit?Eam Dominus quotidie aqua compunctionis lauat, & exercitio mortificationis purificat, vt in dies pulchrior & formosior existat.Ideoq; Dominus apud Zachariã,apparet insidẽs equo ruso,& stãs inter pulchra myrteta,quę hortis pulchritudinẽ & gratiam adiiciunt. Vidi,inquit,& ecce vir ascendens super equum rufum, & ipse stabat inter myrteta,quæ erant in profundo.]Nã sicut myrti expilantur, vt pulchæ fiant, & gratiam hortis addant;ita animæ perfectæ instar myrtorum decoræ & odoriferæ in hac valle lacrymarum constitutæ,assidua mortificatione expilãtur, & tribulationibus affliguntur,vt quotidie pulchriores euadãt,& sanctæ Ecclesię horto gratiã & decorem adiiciant. Multiplicatæ sunt infirmitates eorum,ait sanctus Dauid, postea accelerauerunt.] Quia istæ animæ multiplicatis afflictionibus tamquam stimulis accelerant mundum muliebrem virtutum exquirere,& se maiori pulchritudine cumulare.

Nazian. orat. in laudem Heronis Martyris.

Zachar.1

Psal.15.

cumulare. Nec etiam dubium est, quin perfecta anima pretiosissimis virtutũ indumentis, & inæstimabilibus donorum gẽmis ornata procedat, cuius ornatus aliarum animarum minùs perfectarum virtutẽ obscuret. Nã hæc est perfectionis natura, vt vna cùm sit omnes virtutes in gradu perfecto contineat, & nihil vile, nihil abiectum, nullam scilicet virtutem, aut rem aliam, aut tepidam, aut decurtatam comprehendat. Quantùm ergo hic ornatus virtutes imperfectorum superabit, quæ passionum immoderantiã, non plenè vincentes, innumeris defectibus, & perturbationibus aditum patentem relinquunt. Non sufficeret animæ perfectæ, ô frater, ista tua minima humilitas, quæ numquam bene honorem sæculi conculcauit, nec laudationes ab hominibus oblatas reiecit. Non sufficeret tua obedientia, quæ in rebus speciosis, & facillimis paret; at in abiectis & difficilibus statim excusationes prætendit. Non sufficeret tua mansuetudo, quæ modico verbulo impetita, aut minima persecutione probata, contristatur, & mentis tranquillitatem amittit. Istæ vestes, istæ gemmæ seruorum sunt & hominum imperfectorum; at vestes sponsæ, virtutes perfectæ animæ multò pretiosiores, & pulchriores existunt, tales quidem, quæ sponsam in magnis occasionibus stabilem reddant, tentationibus acerrimis resistant, & cordis affectus perfectè cohibeant. Quamobrem animabus perfectis dicitur per Hoseam: Seminate vobis in iustitia, & metite in ore misericordiæ, innouate vobis nouale, tempus autem requirendi Dominum.] Ac si dixisset, siquidem vobis datur opportunitas requirendi Dominum, & gratia abundantissima quærendi faciem eius conceditur, ita laborate, vt Dominum inueniatis, & ad solium eius, id est, ad perfectionis fastigium ascendastis. Hoc autem fiet; si ita semin‍etis, vt non quamcumque iustitiam, sed perfectam iustitiam colligatis; si ita metatis, vt non modicam gratiam, sed ad os misericordiæ, & quantum volueritis accipiatis; si ita vitia eradicetis, vt irruentibus etiam sæuissimis tentationum procellis, perfecta virtus auxiliis diuinis, & magnis laboribus comparata vincat, & non victa, & prostrata succumbat. *Hosea 10.*

Est etiam anima perfecta obsequiis; & amore sollicita, quam non fragilitas corporis hebetat, non rerum temporalium cura detinet, non inordinatus visibilium amor retardat, quominus Deum quærat, & affectibus sanctæ dilectionis insistat. Eius cura est, non opes sed virtutes: non gaudia, sed flagella: nõ domum terrenam, sed cælestem habitationem inquirere. Dicat nobis ipsa quid optet? Sanè illud quod in Psalmo scriptũ est: Vias tuas Domine demonstra mihi, & semitas tuas edoce me.] Viarum nomine mandatorum cognitionem, & semitarum voce cõsiliorum intelligentiam exposcens. Dicat adhuc quid cupiat? illud profectò quod est in Iob: Indica mihi cur me ita iudices,] flagellorum & dolorum causas inquires, vt si ea fortassis est minima aliqua mandati transgressio, aut consilij incuriosa prætermissio, eam corrigat, & Domini iudicium, & castigationem aufugiat. Pergat tandem explicare, quid desideret? Certè illud canticorum: Indica mihi quem diligit anima mea vbi pascas, vbi cubes in meridie.] Locum pastionis indicare sibi postulat, ne fame pereat, quæ simul & sponsa, & ouis est, sed ferculis spiritualibus ipsa pascatur. Locum quietis monstrari sibi petit, vt in eo sponsum sanctitate placet, oratione flectat, amore deliniat. Pulchrè, inquit Bernardus, in sponsæ prærogatiuam concurrunt pariter omnia hæc ad consummationem virtutum, vt de forma iustitiæ sit formosa; de iudiciorum notitia, cauta; de desiderio præsentiæ seu gloriæ sponsi, casta.] Talem prorsus decet esse sponsam Domini, pulchram, eruditam, & castam. Quæ igitur hæc desideria, hos conatus habet, & contemptis mundi rebus, his curis intendit, sollicita est, non sibipsi famulari, sed constanter ac diligenter sponso seruire. Hæc autem haud dubiè erit fidelis Deo, quia non solùm in eum credit, & in eo spem suam collocat, sed & integrum ac indiruptum amorem in ipso constituit. Ideóque confidenter ait: Ego dilecto meo, & ad me conuersio eius.] Quid enim est; ego dilecto meo, nisi ad hoc nata sum, vt sponsum meum sitiam, sponsum meum diligam, sponsum meum in contemplatione complectar, & pro eius amore omnia creata, & visibilia contemnam? O felix anima, quia fidelis, nam si verè dicis; ego dilecto meo, audies, & ad me cõuersio eius. Audies, & experieris, & tuæ fidelitati, hanc mercedem recipies quòd fidelis sit tibi Deus. Quòd ipse te protegat, ipse te diligat, ipse te ornet, ipse omnia quæ ad te spectant, prouehat, & tamquam ad suũ honorem pertinentia respiciat. Iam experta intelliges illud: Dilectus meus mihi, & ego illi.] Priùs dilectus intendit tibi: Nam in hoc est charitas; non quasi nos dilexerimus Deum, sed quia ipse prior dilexit nos.] Et misericordia eius præueniet me.] Inde autem habes, vt sis fidelis, vt ei solùm intendas, vt ei totam te tradas, & nullam ab eo amoris tui partem subtrahas, quia aut nihil præter eum amas, aut si quid aliud amas, non contra ipsum, nec præter ipsum, sed propter ipsum amas, vt ei scilicet placeas, & ipsius sanctissimis iussis obedias.

Psal. 24. *Iob. 10.* *Cant. 1.* *Bern. ser. 33. in cant.* *Cant. 7.* *Cant. 1.* *1. Ioan. 4.* *Psal. 58.*

Hanc animam tam sollicitam, tã fidelem, quis audeat dicere sterilẽ esse, quis neget esse fœcũdam? Verè ista licèt scientiarum nostrarum ignara, licèt talentorum naturaliũ vacua, licèt prædicationis dono destituta, ex solo sponsi complexu spirituales filios generabit, & multos solo vitæ exemplo, & orationis efficacia in virtutis desideriũ & amorẽ adducet. Huius vox inerudita docet, opus monet, & vel solus aspectus dormientes excitat, torpentes stimulat, & duros proteruósque compungit. Et sicut ille serpens æneus in deserto per Moysem exaltatus sola sui ostẽsione à serpentibus percussos se aspicientes sanabat; ita ista, quæ imago viua est eiusdem Christi, quem serpens figurabat, solo exemplo, & opere aliis ostenso, eos reprehendit, & à vitiis, ac peccatis abducit: Hanc animam existimo à propheta delineatam esse cùm ad Dominum ait: Vxor tua sicut vitis abundans in lateribus domus tuæ: filij tui sicut nouellæ oliuarum in circuitu mensæ tuæ.] Bene vxor, quę in omnibus viro suo Christo subiecta est. Bene vitis, quæ non otiositate agricolæ, sed magna adhibita diligentia, & non modici impensi fructificat. Quæ talis est, anima perfecta est, & nequaquã erit sterilis, sed domum, aut cœnobium, quod inhabitat, filiis sibi similibus id est, imitatoribus suæ virtutis, & feruoris, implebit, qui tamquã nouellæ oliuarum plantationes domũ odore ædificationis repleãt, & ex matre scilicet ex anima illa sancta pabulũ spirituale recipiant. Vt hoc autẽ aliquo exẽplo, ex innumeris quæ offerri possent, lector intelligat, seraphicam animam Francisci consideret, quam videbit sola sanctitate fœcundam, & penè infinitis filiis à se genitis, & Christo sponso suo procreatis circumdatam. Hic enim sanctus vir, vt abundantissima vitis in Ecclesia fructificans, & palmites suos, non foliis tantùm, sed botris onustos vsque ad fines orbis terrarum extendens, quonam fructificauit? quonã tot filios generauit? An diuitiis ille, cuius vxor charissima erat sancta paupertas? An generis claritate ille, qui nec patrem voluit sibi nominare in terris? An litteris, & scientiis ille, qui nec literas didicit, nec penè scholas adiit, & diuina luce inebriatus,

Num. 21. *Psal. 127.*

omnem humanam literaturam contempsit? Non, sed perfectione sola, & vitæ puritate sola fœcundus effectus ostendit, quàm apta generandis filiis sit sponsa Dei, qui habitare facit sterilem in domo, matrē filiorū lætantem.] Quòd si sponsus ab hac domo, scilicet ab *Ps.112.* Ecclesia, se quodāmodo absenter, si dormiat, & interim valida procella consurgat, si tribulationes, si hæreses, si alia mala grassari permittat, quis proteget hāc domum? Quis gubernabit eā? quis tranquillitatē impetrabit? Certè perfecta anima cuius precibus, & lacrymis flexus Dominus, prælatos animat, doctores roborat, milites ad bellū excitat, aut per seipsum imperat ventis & mari, & obmutescere facit, vt sciamus *Matth.8.* quia venti & mare obediunt ei.] Ciuitas parua, inquit Salomon, & pauci in ea viri, venit cōtra eam rex magnus, & vallauit eam, extruxitq; munitiones per gy- *Eccle. 9.* rum, & perfecta est obsidio.] Hæc est Ecclesia, parua, quia humilis, parua, quia pusillus grex, parua, quia licèt multi vocati, pauci verò electi. In ea licèt multi sint homines, at pauci in ea viri, qui scilicet instar virorum fortes sint, & robur, ac virtutē habeant, vt eam ab inimicis defendāt. Venit cōtra eā rex magnus, cùm diabolus bellis, & hæresibus Ecclesiā oppugnat. Quis *Eccles.9.* ergo liberabit vrbem? quis hostes auertet? Inuētus est in ea, inquit, vir pauper, & sapiens, & liberauit vrbem per sapientiā suam.] Nō vir diues, & potēs liberat vrbem, quia nō multi sapientes secundū carnē, nō multi potētes, nō multi nobiles hoc faciūt, sed infirma mū- *1.Cor.1.* di elegit Deus, vt confundat fortia.] Sed vir pauper & sapiēs Ecclesiā tuetur, ille, qui pauper est spiritu, ille, qui sapiens est, per sapientiā Dei, ille, qui ad sanctitatē subuectus, fiduciā petendi cōquisiuit, & gratiam accepit impetrādi, ille Dominum placat, & robur militibus, & prudentiā, ac industriā ducibus impetrat, vt *Num.16.* nauiculā penè submersam à sæuiētibus procellis eripiāt. O quàm sæpè experta est Ecclesia, quod aliquando populus ille Iudaicus, in Numeris, expertus est, qui vnius viri deprecatione irā Dei repulit, & sibi imminē- *Sap.18.* tēs malū effugit. Vnde in libro Sapiētiæ legimus: Properās homo sine querela deprecari populis, proferens seruitutis suæ scutum, orationē, & per incēsum deprecationē allegans, restitit iræ & finē imposuit necessitati, ostendēs quoniā tuus est famulus.] Quis est hic, qui manū Dei extentā tenet, iram cohibet, flagellum infringit? Homo sine querela, vir innocēs, & sanctus, qui nulli iniuriam irrogat. Vir cuius oratio est velut scutū, quod hostium sagittas excipit, ne infirmos percutiāt. Vir cuius anima nō timet, vt ancilla, sed audet, vt vxor; & resistit per humilitatē & orationē Deo, ne in peccatores sæuiat, & iniquos seuerè puniat. Vir iste opponit se iræ Domini, & finē imponit mortis neces- *Isa.37.* sitati, quo ostēdit se multùm apud Deū posse, & propter eum alios ab ira Domini liberari. Vnus Ezechias expāsis regis Assyriorū literis corā Domino orat pro ciuitate Ierusalē, & liberata est, & audiuit: Non intrabit ciuitatem hanc, & non iaciet ibi sagittam, & non occupabit eam clypeus, & non mittet in circuitu eius *Theod. in hist. san. in Iacobo 1.* aggerem.] Vnus Iacobus Nisibita monachus & Episcopus (apud Theodoretū) regi Sapori vrbē, cui præerat, expugnanti, se (Deo ita disponente) habitu imperatoris indutū, & diademate redimitū ostētat: mœnia *Surius in Aprili.* collapsa præter omniū opinionē restituit, & hostibus populatis suas oues ab excidio eripit. Vna Agatha patriæ suæ liberationem impetrat. Et ideo Angeli sarcophago eius insculpsēre, Mētem sanctā, spōtaneam, Deo honorē, & patriæ liberationem.] Ex quibus cognoscimus quātùm vtilitatis Ecclesiæ afferāt sancti, quā suis intercessionibus ab innumeris malis defendunt.

Si ergo anima perfecta hanc vitā, & hos mores habet proprios spōsæ Dei, certū est quia Dominus cum ea, non tamquā, cū ancilla se geret, sed quasi cū spōsa, quam sibi spirituali connubio copulabit, & corā Angelis, & Sāctis sibi cū gaudio in vxorē accipiet. Hinc fiducia Agnetis, & Catharinæ martyrū Christū suum sponsum vocātium. Hinc gratia mirabilis Catharinæ Senensi à Christo facta, qua eam corā Beata Virgine Maria, & aliquot sanctis, sibi despondit, & eā quā fœmineus sexus impediebat, virtus cælestis expediuit, vt animas ad suū sponsum vocaret. Hinc donū eximium aliis animabus perfectis prærogatum, quo ardentissimum zelum domus Dei in se sentiunt, & ac si essent Christi sponsæ, nō solùm illum amant, sed domū eius ad id vocatæ gubernāt, filios nutriūt, seruos corrigūt, dū infideles, aut peccatores conuertunt, supellectilē augent, & omnia sapiēter sanctēq; disponunt. Ista quę sunt, nisi spiritualis spōsationis indicia? quia, quas sibi Dominus per purissimū connubium adiunxit, ad opera sponsæ vrget, & ad curas suæ domus exsuscitat. Nō itaq; erramus, aut præsumimus, dicētes, quòd anima perfecta est spōsa Dei, quā ipse castissimo amore sibi copulat, cælestibus donis subarrat, spiritus sancti prole fœcundat. Bona spōsa, quæ nō intēdit sicut Eua virum suū decipere, sed magis curat ab eo in omnibus erudiri. Bona spōsa, quæ nō offert spōso suo pomum, vt ipsum cōtristet, sed poma noua & vetera, scilicet sanctorū, antiquorū, & recentiū imitationē, quo ipsū gaudio & exultatione afficiat. Bona & prudens spōsa, quæ sponsum gratia, & innocentia non spoliat, sed ab ipso ornamēta gratiæ, & innocētiæ cōquirit. Quę ornamenta Laurentius Iustinianus ita describit, vt ea vniuersis iustorū, & amicorum donis præferat, & alia *Iust. li. de casto connubio c. 17.* præterea nulli, nisi sponsæ cōcessa esse putet. Quorum gratia apud Oseam desponsata verbo in misericordia *Osea 2.* & miserationibus dicitur. Et credite mihi quia magnus est rex in potestate sua, cū quo tamquā cū vniuersali Domino & Creatore, nulla creatura potest cōferri. Sed hæc sponsa tam omnibus numeris absoluta, multùm apud eum potest, in cuius regnum post hāc peregrinationē deportata ad eius dexterā, id est, in loco magnę felicitatis, sedebit, & si nō diadema, at splēdorē propriū spōsæ regis vsurpabit. Hæc regē manibus, id est, operibus permulcebit, quam aperto ore, quasi amore captus aspiciet, & eius precibus flexus, faciet quicquid ipsa petierit. Hęc dignitas spōsæ tāta est, vt vilis creatura nō audeat ad illam desiderium attollere. Satis enim illi est, si ancilla Dei sit, & sicut vna de ancillis domus Domini illi fideliter seruiat, & aliis cōseruis se subiiciat. Verū est hoc: enitatur anima seruire Deo, & omnibus se per humilitatē supponere, & vt ancilla pedes Domini lauare lacrymis, & in nouissimo loco recumbere. Domini autē erit, quando illi placuerit, quā modestiæ & humilitatis amatricē viderit, ad primā sedē vocare, & ex osculo pedū, ad osculū manus, imò & ad purissima oscula oris erigere. Tria hucúsq; maxima bona perfectionis agnouimus, alterū, quod amicitia est cū Deo inita; alterum, quod cognatio est, nō vno sāguine, sed similibus virtutibus copulata: tertium, quod vnio Dei & animæ est, non à cōmixtione carnis, sed ab spiritus amore, & cōmunione profecta. Quæ tria bona, licèt omnibus viris perfectis indifferēter ascribātur, ita tamen possunt gradibus diuersis distingui, vt amicitia actiuorum perfectorum sit, quorum est in suis actionibus voluntati Dei se accommodare: cognatio contemplatiuis perfectis congruat, qui tamquam filij curant Deum tranquillitate mētis, & assidua memoria diuinorum imitari: vnio verò mixtis perfectis cōueniat, qui vt sponsæ charissimæ habent contēplationis amplexus, quibus sponsum astringant, & actionis ventrem, & vbera, quibus filios enutriant, & sponso progignant.

PARS SECVNDA.

De dignitate perfectionis ex eius adiunctis.

HÆC quæ superiùs dicta sunt, ad ipsam perfectionis naturam pertinent, at nullus rei naturam Deus nudam fecit, sed mirabilibus donis extra essentiam manentibus, quasi vestimentis ornauit, & quasi varia pulchritudine ac decore vestiuit. Quod autẽ rebus etiam vilissimis dedit, perfectioni amantissimæ suæ profectò non negauit, sed miris priuilegijs extulit, & nobilissimis proprietatibus tamquam pretiosis donis circundedit. Hæc autem dona quæ perfectionem efferunt, & sanctos ac perfectos extollunt hæc pars vtcumque delibat.

A

Perfectionem esse huius vitæ beatitudinem.

CAPVT X.

MAGNA sunt hæc, quæ de perfectione diximus, & humanis oculis, qui omnia sua exiguitate metiuntur, fortassis improbabilia, sed animis diuina sapientia plenis, & aliquo gustu puritatis affectis, licèt eximia iudicentur, non tamen dicta incredibilia, sed opera ineffabili maiestate dignissima reputantur. Magna, inquam, & eximia sunt hæc, Quid enim maius, non dico esse, sed nec excogitari quidem potest, quàm animam ex nihilo factam, & paruulam creaturam, perfectionis ac sanctitatis præsidio in Dei amicitiam prouehi, in eius, qui solus est, & rex, & Dominus, cognationem admitti, & supremi imperatoris non iam ancillam, sed sponsam, & coniugem appellari? Sed his tam magnis

B

& tam mirabilibus perfectionis elogiis, addamus & alia. Si non maiora, atq; illustriora, at ex parte non inferiora, quæ sicut ligna igni considerationis adiecta gelidum cor nostrum in tantæ dignitatis desiderium inflamment. Primum autem perfectionis bonum, quod nunc post supra dicta sumus explicaturi, à lepida promissione cuiusdam histrionis incipiat. Qui cùm in frequẽti concione promisisset, quid omnes ac singuli in animo haberent, quidque vellent se in sequentibus ludis esse dicturum, atque ob id nõ sine ingenti expectatione magna hominum multitudo cõflueret, his facetissimis verbis suam promissionem exoluit. O ciues vili vultis emere, & carò vẽdere.] Quod dictũ rudi populo, & abiectæ multitudini populare, & plausibile fuit: quippe quę huic soli vitæ perituræ consulẽs, & de animę vita nihil cogitans communiter emptioni, & vẽditioni ac mercimoniis insistit: Hominibus verò sapientibus, quorum animi ad res maiores & semper duraturas aspirant, non solùm falsum, sed ridiculum planè, ac histrionicum iudicabitur. Quid enim his, & turpi lucro, quod nõ solùm non quærunt, sed nec respiciunt quidem? Quid illis, æterna & cęlestia cupientibus, & auro atque argento, & opibus & possessionibus congregãdis? Meritò sanè Augustinus hanc sententiam pro sua modestia non tam reprehendens quàm emendans ait: At si dixisset, omnes beatis esse vultis, miseri esse nõ vultis: dixisset aliquid, quod nullus in sua non agnosceret voluntate. Quicquid enim aliud quisquam latenter velit, ab hac voluntate, quæ omnibus hominibus satis nota est, non recedit.] Hoc ergo quod omnes homines cupiunt, quod vniuersi volunt, & omnibus quæ cogitant aut faciunt aut aggrediuntur, aucupari contendunt; hoc, inquam, præstat spiritualis vitæ perfectio, quæ assequentes à vera miseria eripit, &

August. lib. 13. de Trin. c. 5. tom. 3.

felices, ac beatos efficit.

Duas enim beatitudines homini posse contingere, alteram perfectam in pręsenti vita, alterã perfectam, & cõsummatam in alia vita, omnis turba Theologorum edocet, & antiquorum sapientũ consensio existimatióque proclamat. Quorum illi sacrarum Scripturarum auctoritate subnixi, quæ aliquos mortales homines propter insignem virtutem beatos vocant, nonnullum odorem beatitudinis esse in hac lacrymarũ valle non negant: isti verò ipso naturali hominis appetitu conuicti, quo semper tranquillitatem, & felicitatem sitit, eandem beatitudinem saltem inchoatam in hac etiam vita possibilem esse autumãt. In quo autem hæc beatitudo inchoata consistat, tum apud Philosophos, tum apud nostros magna cõcertatio est. Nam illi tamquam nihil altum ac sublime sapiẽtes, in bono aliquo naturali, siue ad corpus, siue ad animã, siue ad vtramq; portionẽ hominis pertinẽte. (quod Augustinus latè prosequitur) beatitudinẽ istã posuerunt; nostri verò tamquã à Deo per Ecclesiam edocti, eam in aliquo supernaturali bono collocarũt. Non est tamen (vt videtur) nostrorum sapientum vna sententia: quidam enim illorũ huius vitæ felicitatem in contẽplatione Dei, alij verò in amore erga Deum, & vera charitate, alij denique in mandatorum obseruatione constituunt. Sed ipsorum dicta si attentè legantur, & non tam verba, quàm sensus, sub verbis latentes inspiciantur, summa cõsensione beatitudinem in hac vita possibilẽ, nõ in alio quàm in actibus perfectionis ponũt; atq; ideò ipsam perfectionem (quæ magis ad actiones ex habitu procedentes, quàm ad ipsum habitum referenda est) beatitudinem vitæ huius esse confirmant. Nam qui hanc nostram beatitudinem in contemplatione Dei, & rerum cælestium collocãt, non de illa Aristotelica contemplatione loquuntur, quæ ieiuna & arida est, & in sola speculatione consistens, nihil aliud quàm rerũ cognitionem, & ex ea prouenientem admirationem inquirit. Sed illam contemplationem intelligunt, quæ ex vera & intima charitate procedens, & ad eam tendens, hominem ad affectuũ mortificationem, ad virtutum exercitationem, & ad omnium mandatorum custodiam impellit. Qui verò illam in amore esse sitam existimãt, non cuiuis amori charitatis hanc gloriam tribuũt, vt nostra beatitudo sit, sed illi, qui ad perfectionẽ euectus in omnibus (prout in hac vita fieri potest) mentẽ nostram componat, & amorem afficiẽtem erga Deum, quo ei sua bona volumus, & efficientem diuinæ voluntatis, id est, eorum omnium quæ Deus vult, & præcipit, comprehendat. Qui tandem in mandatorum obseruantia putant constitutam, non quamcumque obseruantiã felicitatis nomine dignam iudicabunt, sed illam, quæ à perfecta charitate profecta solertissimè diuinam voluntatem expleat, &

D.Thom. 12. q.5. a. 3. & 4.

C

D

constanter mādata omnia,ac pręcepta custodiat.Hęc autem omnia(vt ex dictis perspicuū est) aut ipsa perfectio sunt,aut nō possunt à perfectione secerni;quę in perfecta charitate consistens, ad Deum contemplatione noscendum,& ad eius naturam, & voluntatem amandam, & ad mandatorum omnium custodiam inuitat. Et (vt nobis quidem videtur) hi nostri Doctores, non tam in assignanda beatitudine huius vitæ dissentiunt, quàm in explicandis diuersis eius gradibus, ac modis insistunt.Eorum enim, qui in Ecclesia vitam contemplatricē sectantur,beatitudo,est perfectio charitatis hac viuendi ratione affecta,vt ad purissimam ac tranquillissimam contemplationem anhelet. Illorum autem, qui vitam actiuam colunt, beatitudo est ipsa charitatis perfectio, quæ ad omnimodam præceptorum custodiam instiget.Denique aliorum,qui vitam mistam profitentur, beatitudo est ea perfecta charitas,quæ amorem personarum diuinarum,& diuinæ voluntatis contineat: quorum ille ad affectus contemplationis, & iste ad sanctam atque illibatam actionem pertinet. Quare siue isto,siue illo mundo loquamur,idē est sensus Doctorum nostrorum, eadémve sententia, huius vitæ beatitudinem in perfectione consistere, nullúmque in hac vita beatum esse, nisi illum, qui sit pro modulo huius mortalitatis perfectus.

Nos itaque omnium istorum vestigiis inhærentes, audacter dicimus vitæ spiritualis perfectionem esse huius vitæ beatitudinem, & omnem iniquum, infelicem esse,omnem iustum incipientē, aut proficientem,aut in beatitudinem tendere,aut beatum esse,ac felicem solum illum, qui sit in charitate perfectus. Dicat nobis sacra Scriptura, cuius dictis tamquā dictis diuinis,summa fides habenda est,quis beatus, & felix censendus sit, vt ex ea primo loco beatitudinis nostræ in hac vita possibilis cognitionem eliciamus. *Psal. 1.* Beatus vir, inquit Propheta regius, qui non abiit in consilio impiorum,& in via peccatorū non stetit, & in cathedra pestilentiæ non sedit,sed in lege Domini voluntas eius,& in lege eius meditabitur die ac nocte.] *Ambr. ad Psal. 1.* Vide vbi beatus appelleris,ô homo, inquit Ambrosius,non in diuitiis,nō in potestatibus,& honoribus,non in nobilitate generis,aut decore,& pulchritudine,nō in corporis salubritate;in quibus nihil naturæ est bonum.Denique non solùm facilem commutationem habent in contraria,verùm etiā ministeriū ad culpam exhibent ei, qui vti his nesciat.Quis enim iustus propter pecuniā? quis humilis in potestatibus? quis misericors propter nobilitatem?quis castus propter decorem?illecebrosa hęc magis sunt ad peccatū, quàm fructuosa ad virtutis profectum.] Non ergo in his est beatitudo,sed in virtute perfecta,quę sola hoc loco videtur mihi à sancto Propheta descripta.Quis enim nisi perfectus consilia impiorum omnino deserit,instituta peccatorum prorsus fugit, & à cathedra, aut magisterio doctrinę pręposteræ,se penitus immunem custodit?Profectò nullus. Nam imperfecti suis imperfectionibus,quas amant, quas mordicùs tenēt, quas à se nullatenus separari permittunt,prauis cōsiliis aliquantulùm acquiescūt, vitam iniquorū saltem à longè sequuntur,& magisterium non bonæ doctrinæ suis operibus,atque exemplis suscipiunt.Quis nisi perfectus legē Domini promptissima volūtate complectitur,& eius mandata,non tantùm vt sciat,sed vt expleat,iugiter meditatur? Certè nullus.Imperfecti námq; & minùs in charitate fundati,aut à diuina voluntate deuiāt, aut eam non sine magna cōtradictione appetitus adimplent,& rebus inanibus cogitādis, & desiderandis assueti,non semper Domini iussa,& quæ ad ea referūtur,attenta meditatione considerāt.

A Hæc ergo beati viri descriptio,si exactè intelligenda est,solis viris perfectis congruit, qui vitiosis affectibus expugnatis, diuina assiduè cogitant,& in terris positi, vitam non terrenam,sed cœlestem instituunt. Quamobrem alio loco idem sanctus Propheta, hanc vitā cœlestem perfectorū respiciens,eius causa perfectos iterū beatos ac felices pronunciat.Beati,inquit, immaculati in via,qui ambulāt in lege Domini.Beati, qui scrutātur testimonia eius:in toto corde exquirūt eum.] *Psal. 118.* Perfecti quippe sunt immaculati in via,hoc est, in vita præsenti; nō quia nullam maculā contrahāt, quam absque dubio omnino vitare non possunt,sed quia leues maculas, quibus fragilis natura non semel subest,gratia potēs diluit,& lacrymis,& dolore cordis expurgat. Hi etiam sunt,qui testimonia legis diuinæ scrutātur,vt Domino non quadam cordis portiuncula seruiāt,aliis partibus interim in sæcularium B desideriorum obsequium reseruatis,sed vt toto cordis conatu illum velut suæ vitæ finem,& scopum exquirant. Multa alia sunt in Sacris literis, quæ persequi longo sermone non vacat, quibus studiosus virtutis beatus vocatur, atque adeo perfecto sanctitatis studio beatitudinis appellatio tribuitur.Nam:Beatus vir,inquiunt, qui timet Dominum,in mandatis eius cupit nimis.] *Psal. 111.* Ille videlicet, qui non vt vile mancipium trepidat,sed qui vt filius timet,& mādata Domini non segniter,sed nimis, & perfectè custodit.Et alio loco iterum: Beati omnes qui timēt Dominum, qui ambulant in viis eius:qui scilicet ita timent,vt ex hoc timore filiorum, & charitatis perfectæ comite, ad diuinorum præceptorū exactam obseruationem *Psal. 127.* procedant.Et rursus apud Salomonem:Deum time, C &mandata eius obserua,hoc est enim omnis homo.] *Eccl. vlt.* Ac si apertiùs dixisset:hoc est vniuersa hominis beatitudo: hoc est, quod sinus mentis humanæ replet, famem sedat, sitim exatiat, vltra quod nihil manet, cui homo debeat adhærere, aut in quo deceat amorem constituere. Ac tandem conuincit hoc summæ veritatis aperta sententia, quæ volens beatos huius vitæ Ecclesiæ suæ manifestos relinquere,his illustrissimis verbis eorum opera & mores descripsit.Beati pauperes,quoniā ipsorū est regnum cœlorum. Beati mites,quoniam ipsi possidebunt terram, &c. quæ *Matth. 5.* sequuntur. Si Deus ipse iustorum insignum actum à virtutibus &donis Spiritus sancti profectorū exercitatione pollentes, beatos vocat,quis eos beatos esse negare audeat? quis in alio quàm in hac virtutis perD fectione, qui diuitias deserat, irā & affectus inordinatos cōprimat,voluptates odiat, iustitiā nōdum acceptā desideret,omnibus prosit,interiorē habitationem mētis per munditiā pacémq; componat, & persecutiones sustineat,huius vitæ felicitatē constituat? Hæc sanè perfectio virtutis beatitudo est, cui multiplex illud præmiū ore Domini proclamatum, adhuc in hac vita promittitur. Perfecti enim sunt,qui ex eo, quòd omnē fastū & ambitionē proterunt,& diuitias, opésq; cōculcant, regnū cœlorū, aut patriæ cœlestis imaginē per quamdā inexplicabilē satietatē, & conE cupiscentiarū tranquillitatē accipiunt.Perfecti sunt, qui iram, & indignationē cohibēt, & omnē cordis amaritudinē auersantes,terram cordis sui quieti possidet,nec illi furorem dominari permittūt. Perfecti sunt,qui dum sæculi consolationē despiciunt,deliciæ cælestes illos mirū in modum consolantur. Perfecti sunt,quorū iustitię esuries, & puritatis sitis virtutum solidarum alimentis satiatur, & dulcissimo vino cupitæ puritatis extinguitur.Perfecti sunt,qui dum aliis subueniunt per compassionis affectum, sibiipsis diuinas miserationes pretio in proximos beneficentiæ mercantur.Ipsi sunt qui munditiam cordis,& mentis

tranquilli

tranquillitatem præ omnibus diligêtes, filij Dei non solùm ab hominibus, sed ab ipso Deo, & Angelis appellantur, & patrem suum (prout in his terrenis fieri potest) oculo sapiêtiæ, & intellectus intuentur. Ipsi tandem onere persecutionû pressi, caput leuant, quia considerant, tribulationibus finitis, se futuros esse ciues regni cælorum. Isti igitur sunt beati, quos Christus ipse, qui errare nô potest, beatos vocat; quos præmio beatitudinum afficit, quos homines etiam, si ratione regantur, felices & beatos existimant. Quòd si ipsi beati sunt, relinquitur, ipsam perfectam virtutê, aut charitatis perfectionem, quæ tanquã radix & origo insignium actionû, eos pauperes, mites, lugentes, esurientes iustitiam, misericordes, mûdos corde, pacificos & patientes reddit, ipsam esse felicitatem, ac beatitudinem, qua ipsi felices ac beati efficiuntur.

Amb. lib. 1. ad Iac. & vita beata. c. 7. Sapienter ergo Ambrosius, vt perfectionem huius vitæ beatitudinê astruat, vitam beatã cum vita perfecta confundit, his verbis: Vita beata est in hominibus, id in his scilicet, in quibus fuerit perfecta vita. Perfecta autem vita non sensibilis ista, sed illa rationabilis, secundùm tractationê rationis, & mêtis vacuitatê, in quo non est portio hominis, sed perfectio, quæ non tã est in conditione hominis, quàm in operatione. Ea enim beatum facit. Huic igitur viro, quid est bonum, nisi ipsi sibi, quod habet? Et adest ei hoc bonum, & causa ei erit futurorum bonorum.] Addit etiam hunc hominem perfectum, seu beatum, nihil huius mundi quærere, sed illum solum bonum futurum desiderare, quod appetitum nostræ mentis exatiat: illum item non superfluis delectari, sed fragili corpusculo necessariis, si talia sint, quæ à proposito perfectionis non discrepent, & exteriorem hominem interiori, & Deo reconciliet. Ac demum huius hominis beatitudinem corporis incommodis non intercipi, qui scit in persecutionibus, & contumeliis inuictum animum custodire, & in his, quæ corpus conficiunt, seruare constantiam. Ista omnia, quæ propria hominum beatorû sunt, non possunt nisi in viris perfectis reperiri, qui omnium virtutum cumulo decorati, nouerunt terrena fastidire, cœlestia diligere, & corporis molestiis non grauari. Et quidem si horum perfectam virtutem inspiciamus, nihil est ad huius vitæ felicitatem necessarium, quod ea mirificè non contineatur. Si enim velimus, felicitatem aut beatitudinem breui oratione definire, dicemus cum Boëtio, esse statum omnium bonorum aggregatione perfectum:] *Boët. lib. 3. de cons. phil. pro. 2.* Aut esse possessionem Dei vltimi finis nostri omnia bona secum afferentem, & humanã mentem saturantem. Vnde id quod in hac vita maiorem cum hoc statu, aut cum hac Dei possessione similitudinem habet, & quo magis homo huic possessioni appropinquat, & ad eam planè accipiendam magis præparatur, atque disponitur, erit huius vitæ beatitudo. Illud autem non est aliud, quàm perfecta charitas, in qua (vt, dictum est) consistit tota nostra perfectio. Hæc namque est possessio Dei, quem omnes iusti vtcumque possident, sed perfecti ita possident, vt solum illum tamquam suum peculium habeant, & in eo solo omnes suas opes, omnes suas delicias, omnes suos honores constituant. Venter meus (inquit Ecclesiasticus) (conturbatus est quærendo illam,] *Eccl. 51.* nempe sapientiam (quo nomine non superba scientia, sed humilis rerum diuinarum cognitio, perfecta virtute septa intelligitur) propterea bonam possidebo possessionem. Quæ profectò possessio non est alia, quàm ipse Deus; nam illum perfecta charitas in mêtem infert, & in cordibus nostris habitare facit. Si igitur perfectio animæ, possessio Dei est, ergo & felicitas, & si perfectus Deum ipsum possidet, est ergo beatus, & felix. Quid enim potest eo esse felicius, inquit Prosper Regiensis Episcopus, cui efficitur suus conditor census, & hæreditas eius dignatur esse ipsa diuinitas: *Prosp. lib. 2. de vita cont. c. 16.* si modò eum sanctis operibus colat, omnes fructus ex illo percipiat, in illo & de illo iugiter viuat, & nihil terrenum cum illo possideat? Quia omnium conditor, cui nihil eorum quæ fecit, valet æquari, non dignatur cû his, quæ côdidit, possideri. Demiq; quid vltra quærit, cui omnia suus conditor fit, aut quid ei sufficit, cui ipse non sufficit?] O tu ergo, qui mundo contempto, quia minime sinus tui cordis explebat, aliud bonum quæris, quod te repleat, satiet, & te beatum, & felicem efficiat, perfectionem inquire, qua Deum ipsum, vltra quêm nihil bonum, nihil pulchrum, nihil desiderabile, & intra quem omnia bona, omnia pulchra, & omnia desiderabilia continentur, felicissimè possidebis. Tunc non sine stupore illud Dauidis intelliges: Dominus pars hæreditatis meę, & calicis mei,] *Psal. 15.* quia cùm hæreditatem tuam experieris, & præmium tuorû laborum agnosces. Tunc scies, quid est: Portio mea, Domine, dixi, custodire legem tuam:] *Psal. 118.* nam hac portione contentus, quæ portio dicitur, quia hæreditas tua est, at ipsum totum est, nihil aliud curabis, nisi legem diuinam exactè seruare, cuius custodia hanc tuam hæreditatem perfectiùs in dies absolutiúsque custodias. Tunc demùm Leuita spiritualis effectus, & vir Domino consecratus, quia ipse Dominus possessio tua est, sicut promisit tibi Dominus Deus tuus, diuitiis perituris sordidari contemnes. *Num. 10.* O beata possessio, quam nullum bonum fugit, nihil homini, aut necessariû, aut proficuum præterit, sed ea quæ vna est, omnia honesta, omnia vtilia, omnia delectabilia consequuntur.

Hanc possessionem Dei in perfecta charitate, siue in perfectione vitæ spiritualis positam, omnia alia bona sequuntur ad veram felicitatem viæ necessaria, sicut visionem claram Dei (quæ perfecta possessio Dei est) omnia bona comitantur, quæ ad beatitudinem perfectam requiruntur. Nam si beatitudo huius vitæ exigit contemplationem Dei, tamquam operationem perfectissimam, ac deliciarum plenissimam, qua homo aliquid supernæ patriæ degustat, hãc perfecta charitas affert, aut saltem eius fructum, atque effectum importat. Quid enim faciet homo curis sæcularibus exolutus, affectuum perturbationibus vacuus, & diuini amoris igne succensus, nisi Deum super omnia dilectum contemplari, & fidei ac sapientiæ oculis res æternas intueri? Aut quem Deus sua contemplatione dignabitur, nisi illum, cuius tota vita est iugis ad contemplationem præparatio, qui est vitiorum abolitio; affectuum ordinatio, virtutum inquisitio? Quem docebit scientiam, inquit Isaias, & *Isa. 28.* quem intelligere faciet auditum?] Et huic interrogationi ita respondet: Ablactatos à lacte, auulsos ab vberibus.] Quia enim perfecti à lacte consolationum terrenarum ablactati sunt, digni censentur, qui à Domino doceantur, & in schola orationis, eius verba & alloquia percipiant. Quòd si vitæ sors alicuius perfecti talis sit, quæ occupationibus externis addicta contemplationis commoditatem præripiat, at fructum contemplationis non auferet, nec effectû considerationis impediet. Quisnam est contemplationis fructus? nónne sapientia? quam qui consideratione non capiat, à Paulo seuerè carpuntur, dum ait: Semper discentes, & numquam ad scientiam veritatis peruenientes?] *2. Tim. 3.* At hoc fructu perfectus non caret, qui eo ipso quòd perfectus est, sapiens etiam esse intelligitur. Quare Bernardus sapientem definiens, *Bern. ser. 50 in cãt.* virum etiam perfectû definiuit. Da mihi hominem, inquit, qui ante omnia quidem ex toto se diligat

Deum, se verò & proximum in quantùm diligunt ipsum: inimicum autem tamquam aliquando forsitan dilecturum; porrò parentes carnis suæ germaniùs propter naturam, spirituales verò eruditores suos profusiùs propter gratiam, atque in hunc modum ad cætera quæque Dei ordinato intendat amore, despiciens terrã, suspiciens cælum, vtens hoc mundo, tamquam non vtens, & inter vtenda & fruenda intimo quodam mentis sapore discernens, vt transitoria transitoriè, & ad id dumtaxat, quod opus, & pro vt opus est, curet, æterna desiderio amplectatur æterno, talem, inquam, da mihi hominem, & ego audacter illum sapientem pronuncio, cui nimirum quæq; res reuera sapiunt, prout sunt.] Hunc Bernardus sapientem, & ego non tantùm sapientem, sed & perfectum existimo, quia ea charitate pollet, quæ totum hominem Deo consecret, quæ inter amanda perfectum ordinem teneat, quę ita æterna cupiat, vt temporalia contemnat, & non nisi ad necessarium vsum assumat. Habet ergo quisque perfectus, si non contemplationis actum, at contemplationis fructum, qui multò præstantiùs quàm ipse actus hominem beatum efficiet.

Sed si huius vitæ felicitas requirit rectitudinem voluntatis, & amorem Dei, hæc etiam ita habet perfectio, vt ab eis nulla ratione possit auelli. Imò (vt veriùs loquamur) ipsa perfectio est voluntatis rectitudo, quæ licèt minutas maculas sufferat, sine quibus hîc esse non possumus, tamen graues offensas, quæ voluntatem à Deo auertant, & ad res creatas incuruent, non ex parte, sed penitus extinguit. Est etiam amor, non quidem tepidus, sed feruens, & instar ignis accensus, qui semper ardet, & omnia ad Deum referendo, prout possibile est, in seipsum conuertit. Si exigit purissimas delicias, & sanctissimas voluptates, his quoque perfectio non caret, quæ sine dubio sponsæ, id est, animæ perfectæ, seruatæ sunt. Hæc introducitur in cellam vinariam, vt harum consolationum vinum vsq; ad satietatem bibat; hæc sponsum ad agrum & ad vineas vocat: hæc (quod suauis est) ad cubiculum, ad lectum, & ad spirituales amplexus inuitat. Inuitat sponsum, nec tamen ab eo inuitario respuitur, sed sicut Assuerus conuiuium Esther alacer & lætus admisit, ita Dominus conuiuium perfectæ animæ libenter acceptat. Quid dico, acceptat? Imò si ipsa, aut negligentior, aut auarior effecta conuiuium parare differat, ipse eam monet, & monet, ipse eam exsuscitat, ipse se non inuitatus inuitat. Ante ianuam cordis astat, &, vt sibi aperiatur, postulat, rogat, efflagitat, ne sponsa per longum tempus dulcissimo eius orbata consortio, aut terrenas consolationes quærat, aut alium amatorem admittat. At beatitudo sine perfectione corporis, sine bonis externis, & sine amicorum societate inueniri non potest? Ita sit. Verùm hæc tria non vtcumque, sed cumulatissimè à perfectione promanant. Ipsa enim est, quæ corpus infirmum & imbecillum amoris feruore ad ardua, & laboriosa facienda sustentat: corpus deforme pulchritudine modestiæ, & quadã admirabili moderatione à Dei colloquiis profecta componit: corpus affectuũ furiis exagitatum, à perturbationibus liberat, & inter mille occasiones iræ, aut tristitiæ indicibili pace tranquillat. Quod licèt molestiis naturalibus atteratur corporibus iniquorum sanis, & crassis, cibo, & potu repletis, serico & auro circundatis, perfectius & feliciusest, quia non bestiis passionum in præceps raptatur, sed gratia animæ insidente regitur, & ad omne opus bonũ, cuius est capax, instruitur. De iniquorũ corporibus non ineptè illud Salomonis accipitur: Vidi seruos in equis, & principes ambulantes super terram quasi seruos: quia illa in suę infelicitatis augmentum animam, à qua gubernari deberent, grauãt, & eã, quæ princeps, & regina est, tamquam ancillam vilissimã ad sibi seruiendum impellunt. De corpore verò viri iusti illud Ecclesiastici potest intelligi: Seruus sensatus sit tibi dilectus quasi anima tua, non defraudes illũ libertate, neq; inopem derelinquas illũ.] Hoc enim corpus sensatum est, quod rationi subest, quod virtuti paret, quod nullo modo diuino amori mouenti renititur, cui propterea libertas à vitiorum labe & studiosorũ operum opes debẽtur. Tale igitur corpus licèt aut mendicitate prematur, aut doloribus affligatur, aut imbecillitate molestetur, felicitatẽ huius vitæ non impedit, sed promouet, siquidẽ perfectæ virtutis instrumentũ existit. Perfectio quoq; diuitias comparat, nam vt modò veras diuitias, scilicet virtutes, prætereamus, virũ perfectũ iuxta sæculum diuitem facit, siquidem eius animũ ita à desiderio rerum terrenarũ abducit, vt rebus necessariis ad vsum vitæ contentus (quæ paucissimæ sunt, & moderatissimæ) reliqua nec quærat, nec concupiscat. Diues autem est, licèt nihil possideat, qui opum ac diuitiarũ cupidus, & amator nõ est. At fortassis viro iusto, atque perfecto amici deficient? Et quomodo ille amicorũ societate carebit, cuius Deus est Pater, Angeli fratres, Sancti sodales, quem diligunt, quẽ iuuant, pro quo apud cõmunem Dominum intercedunt? Discamus ex Bernardo, an Angeli, & sancti iustorum viatorum amicitiam seruẽt, & societatem expectent. O si cognosceremus & nos, inquit, quomodo expectãt & quantùm desiderant aduentũ nostrum, quàm sollicitè quærũt, quàm libenter audiunt bona de nobis! Quid tamen de his loquor, qui didicerunt ex his, quæ passi sunt, compassionem, quãdo & ipsi nos Angeli sancti desiderant? Nónne de vermiculis istis, & de puluere isto restaurandi sunt muri cælestis Ierusalẽ? Putatis quantùm desiderant ciues cælestes instaurari ciuitatis suæ ruinas? Quomodo sollicíti sunt, vt veniant lapides viui, qui coædificẽtur eis? Quomodo discurrunt medij inter nos & Deum fidelissimè portantes ad eũ gemitus nostros, & ipsius nobis gratiã deuotissimè reportantes?] Hæc Bernardus; & tu dubitabis, an iusti amicos habeãt, qui eos in amicos sibi asciscunt, quorum amor non fictus, non alicui emolumento nixus, sed purus, & verus, & sanctus est! Tandem si ad beatitudinẽ pulcherrimorum operũ functio requiritur, quare dixit Thomas, quòd Deus beatitudine actiua habet gubernationem totius vniuersi? Hæc etiam functio à perfectione non abest, nam in quocunque sit, semper Ecclesiæ proficit, quam aut doctrina, aut exemplo, & oratione suffulcit. Perfectio igitur huius vitæ fœlicitas est, & perfecti beati sunt; & illi errant, qui homines diuites, aut honorib. & dignitatum curis implicatos, aut deliciis affluẽtes beatos existimãt. Quos spiritus sanctus redarguit dicẽs: Beatum dixerunt populũ cui hæc sunt: beatus populus cuius Dominus Deus eius.] Beatus planè qui in Deũ fideliter credit, qui in Deo totã spem suã collocat, qui Deum vnicè amat, & omnia quæ illi contradicunt, spernit, omnia verò quæ in ipsum ferunt, propter ipsum amplectitur. Beatus qui amore terrenorum suã mentem non inficit, & desiderio rerum cælestium semper intendit. Beatus qui seipsum vincit, & vestes sordidas primi parentis, Deo rebellis exuit, ac noui hominis Christi insignibus, nempe virtutibus splẽdet. Beatus, qui Deo & rebus cælestibus cogitandis, & amandis semper vacat, & à corde suo omnẽ sæculi cogitationem & amorem relegat. Beatus qui inter obtrectationes est quietus, inter persecutiones est mitis, inter honores est humilis, quos non refugit, non quia na-

Marginal notes: Cant. 1. — Cant. 7. — Cant. 7. — Psal. 1. — Hester. 5. — Cant. 5. — Eccl. 10. — Eccles. 7. — Bern. ser. 2. in vigilia natalis Domini. — D. Tho. 1. p. q. 26. a. 4. — Psal. 143

turæ placent, sed ne diuinæ voluntatis omnia disponenti resistat. Beatus est homo perfectus, qui filius est Dei, & hæres cæli, & in hac vita positus aliquid cælestis vitæ degustat. Et felices omnes, illi qui curis superuacuis ablegatis, & tempore seposito ad perfectionem tendunt, & ad sanctitatem venire festināt, quia si perseuerauerint, & inchoatam fœlicitatem huius vitæ consequentur, & alterius vitę perfectam beatitudinem obtinebunt.

Perfectionem esse præstantissimum opus Dei.
CAPVT XI.

NOn est contemnenda ista felicitas, quam in perfectione, aut animæ puritate sitam esse mōstrauimus. Tum quia felicitas est, nō falsa, sed vera, quæ desideria nostra replet, & nulliū desiderium, nisi vlterioris perfectionis, ad quā nondū peruenimus, & æternæ felicitatis, cuius ipsa est ianua, in nobis dominari sinit. Tum etiā, quia felicitas magna est, cui omnis mūdi golria, & felicitas comparata modica reputatur, & exigua: ac ideo si sapiat, viros perfectos veneratur, & libens se sanctitati submittit. Tum denique, quoniam faciens homines Dei filios & amicos charissimos, præparatio est, vt ipsi consummatam beatitudinem cōsequantur in eo gradu, quem (cūm eximius sit) Deus non peccatoribus conuersis, sed sanctis, & amicis cuncta pro eo contemnentibus dare disposuit. Hoc autem manifestius fiet, si ostenderimus, perfectionem esse præstantissimum opus Dei, quod ipse, non vnico verbo, sicut mundum vniuersum, sed magnis impensis fabricauit. Vocatur verò opus Dei, non quia homo perfectus in adeptione perfectionis nihil faciat, & velut inanime, & inane vas perfectionem à Domino datam, & infusam recipiat. Non, inquam, ob istud, perfectio dicitur Dei opus, nam apertū, & euidens est, quòd homo debet laborare, & magno conatu, & diligētia niti, vt concupitam perfectionis gemmam acquirat. Vnde ille sapiēs trapezita margaritam solerter inquisiuit, & ea inuenta, vendidit omnia, quæ habuit & emit eam.] *Matt. 13.* Sed quia ad adeptionē perfectæ iustitiæ, imò & omnis iustitiæ, Deus est qui operatur in homine velle, & perficere pro bona voluntate,] vt non homini, sed Deo gloria huius molitionis accedat. *Philip. 2.* Quemadmodum enim si ludimagister manum pueri nō resistētis accipiat, & suauiter, ac ordinatè moueat, vt optimos, & pulcherrimos characteres exaret, non pueri opus, sed præceptoris dicitur esse characterum scriptio: ita quia Deus pusillum & infirmum, & incisum hominem mouet, vt sanctè & perfectè viuat, & lubrico hominis libero arbitrio manum suæ gratiæ superimponit, vt benè cogitet, & rectè desideret, & vt desiderata opere incipiat, prosequatur atque perficiat, ideo ipse Deus dicitur huius operis, nempe perfectionis factor atque molitor, qui in incipientibus fundamenta perfectionis iacit, in proficientibus ædificationem erigit, in perfectis omnis sanctitatis culmina ponit, qui misericordia sua eos præuenit,] vt in Psalmis legimus, & *Psal. 58.* misericordia subsequitur,] vt opus istud faustè prospe- *Psal. 22.* réque succedat.

Est itaque perfectio opus Dei, ad quam præstandam nullus hominum conatus, nulla fortitudo sola sufficit. De quibus Propheta canit: Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum.] *Psal. 13.* Quisnam fortior Dauide ad hoc opus aggrediendū? At ille ingenuè suam imbecillitatem fatetur dicens: Educ de custodia animam meam ad confitendum nomini tuo: me expe- *Psal. 141.*

A ctant iusti, donec retribuas mihi.] De ergastulo, atq; carcere propriæ miseriæ se extrahi rogat, vt Dominum (à quo liberandus est) sanctitate operum confiteatur, & iusti ac sancti, cùm Dominus auxilium ad currendum illi tribuerit, in eū suum cōsortiū & cœtum recipiant. Quis fortior Paulo, qui nec terrestria, nec cælestia, nec prospera, nec aduersa, nec vitam nec mortem timet? At ille ait: Infelix ego homo, *Rom. 7.* quis me liberabit de corpore mortis huius? gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum.] Vbi corpus mortis, carnem nostram reliquiis peccati originalis infectam appellat, quæ nos aut ad flagitia, aut quemadmodum Cassianus interpretatur, saltem pro *Cassian. col. 23. c. 15.* conditione sua, ad curas sæculares impellit. Gratiam autem & misericordia Dei, & non fortitudine humana,
B putat à molestiis carnis liberari, vt spiritus perfectionem & sanctitatem acquirat. Quis denique fortior sponsa, id est, perfecta anima, quæ in Prouerbiis nomen mulieris fortis meruit obtinere? *Prou. 30.* Hæc autē quid dicit? Trahe me post te, curremus in odorem vnguē- *Cant. 1.* torum tuorum. Non esset mirum, si hoc adolescentularum aliqua petiuisset, quæ à rerum mundanarum amore, necdum abstracta, se infirmam & inualidam sentis, vt post Verbum currat, quod exultauit vt gi- *Psal. 18.* gas ad currendam viam, & sponsi vitam imitatione sequatur. At non adolescentula, sed sponsa trahi petit, illa scilicet quæ iam perfecta est: illa, quæ iam ob adeptam puritatem sponsæ nomine digna censetur: illa quæ vires à Domino immissas habet, vt alios trahat, & ad bonam vitam, & ad desideria perfectio-
C nis instiget. Hæc, inquam, trahi postulat, & post sponsum illici vehementer efflagitat, vt quisque intelligat, quòd sicut huius arboris, nempe perfectionis, semina à Deo sunt, ita ab eodebent esse progressus: nec quemquam, quantauis perfectione polleat, valere, perfectionem promouere, aut, non dico cubitum, sed nec digitum, aut aliquid minus ad eius staturam adiicere, nisi à Domino robur, & gratiæ auxilium impetrauerit. Vnde Bernardus hanc sponsæ postulationem non de eius desiderio, quo dissolui cupit, & esse cum Christo, sed de imitatione perfectionis intelligens, quia non dixit, Trahe me ad te, *Bern. ser. 21. in Cāt.* sed trahe me post te, ista verba subiungit: Nunc verò, quia dicit, post te, magis illud postulare videtur, vt conuersationis eius valeat vestigia sequi, vt possit
D æmulari virtutem, & normam tenere vitæ, & morum queat apprehendere disciplinam. In his quippe maximè opus est adiutorio, quo valeat abnegare semetipsam, & tollere crucem suam, & sic sequi Christum. Hic prorsus trahi necesse habet sponsa, nec sanè trahi ab alio, quàm ab eo qui ait: Sine me nihil pote- *Ioan. 15.* stis facere.] Scio, inquit, me nequaquam posse peruenire ad te, nisi gradiēdo post te, sed neque hoc quidē nisi adiutam abs te, ideóque precor vt trahas me post te.] In sponsa ergo, & in qualibet anima opus est Dei non sola iustitiæ perfectio, sed (quod magis est) quod uis principium, quiuis gradus, & quoduis augmētum iustitiæ. Quare meritò regius Propheta canit: Beatus vir, cuius est auxilium abs te: ascensiones in corde suo *Psal. 83.* disposuit in valle lacrymarum, in loco, quem posuit.]
E Ille videlicet in loco miseriæ, vbi Deum eum ad pugnādum collocauit, virtutum gradus in suo corde disponit, qui à Domino gratiæ auxilium ad laborādum & virtutes assequendas accepit. Et alio loco. Non in *Psal. 146.* fortitudine equi voluntatem habebit, nec in tibiis viri beneplacitum erit ei. Beneplacitum est Domino super timētes eū, & in eis qui sperant super misericordia eius.] Ego puto quòd equus & vir, corpus ad animā per typum significāt, quorum robur tamquā inualidū & infirmum reiicitur, quia nec illius fortitudo

nec

nec istius feruor aliquid ad proficiendum valet, nisi gratia Domini, misericordiáque spirauerit. Et iterum quidã alius Propheta dicit: Deus Dominus fortitudo mea, & ponet pedes meos quasi ceruorum. Et super excelsa mea deducet me victor in Psalmis canẽtem.] Ipse, inquit, est virtus mea, & robur meum, qui ponet affectus meos quasi pedes ceruorum, quibus mala fugiam, bona consecter, & sæculi impedimenta transiliam. Ipse, qui in hoc sæculo mihi fortitudo fuit, erit in futuro sæculo merces & gloria: nam deducet me in excelsa cælorum, vt ipsi mortis & inferni victori carmina laudationis canam, & hymnos pro beneficiis mihi concessis edicam. Hæc omnia Deum esse perfectionis fatorem, & omnis veræ iustitiæ datorem clarè perspicuéque fatentur.

Habac. 3.

Non solùm verò perfectio est opus Dei, verùm etiam de ea Dominus tamquã de opere verè magno atque mirabili gloriatur, & quos Spiritu sancto mouente ad scribẽdum, & suam Ecclesiam sacris literis illuminandum elegit, apertè docuit, vt sibi istud opus attribuant. Et ego, inquit, quasi nutritius Ephraim, portabam eos in brachiis meis, & nescierunt, quòd curarem eos. Sicut enim nutritius puerulum suæ curæ demandatum, non aduertẽtem portat, & ne cadat manibus, & brachiis astrictum gestat: ipse infantulum cibis reficit, pannis cooperit, progredi suauiter docet, & si titubet, statim accedit, à lapsu liberat, & nequaquam cadere, aut si cadat, nullatenus iacere permittit: ita Dominus sanctorum nutritius patet, eos aut nescientes, aut non animaduertẽtes brachiis suæ misericordiæ sustentat alimentis bonorum operũ cibat, vestibus virtutum induit, gressus eorum in suis semitis dirigit, ab omni casu arcet, vel si leuiter præ ingenita imbecillitate ceciderunt, increpationibus percutit, vt deinceps cautiores euadant, & misericorditer eleuat post ruinam. Qui non cadit, huic nutritio gratias agat, qui post casum erectus est, ei gratias referat; qui in se, aut augmentum feruoris, aut ornamentum virtutis, aut donum interni luminis, aut suauitatem deuotionis sentit beneficiorum memor, & Domino gratus existat. Non sibiipsi bonum adeptæ sanitatis, aut sanctitatis erroget, sed Deo nutritio suo tantum, donum ascribat, qui ait: sanabo contritiones eorũ, diligam eos spontaneè, quia auersus est furor meus ab eis.] Ipse ab ira temperat, & ea, quæ indignationẽ eius prouocabant, ab intuitu oculorum suorũ auertit. Ipse vulnera nostra humanæ infirmitati immedicabilia sanat, & peccatorũ cicatrices medicamine proprij cruoris obducit. Ipse gratis sanctos suos diligit, dilectos ad suæ gloriæ cõsortiũ eligit, electos ineffabilibus modis prædestinat, prædestinatos vocat, vocatos iustificat, iustificatos magnificat, maximis beneficiis prosequitur, à fæcibus & luto rerum terrenarum extrahit, & in sceptrum regni in amicorum dignitatem, atque in magnam sanctitatem extollit. Ita est Domine, tuum opus est sanctitas: Hoc est enim opus tuum, vt credamus, & sequamur, & imitemur eũ, quem tu misisti. Tu iustos facis, tu sanctos efficis, tu à peccatis liberas, & in libertatem veræ virtutis deducis, nec enim in gladio suo possederunt terram, & brachium eorum non saluabit eos, sed dextera tua, & brachium tuum, & illuminatio vultus tui, quoniam complacuisti in eis.] Hæc námque terra non parentũ hæreditate transfusa, sed à te promissa, excelsa admodum est. Non potest homo manibus vitium suarum infirmus, & pedibus affectuum claudus, ad eã ascendere, aut gladio, & armis expugnare, nisi tu, qui solus es potens, eum illuminatione vultus tui, id est, gratia tua sanes potentia tua robores, sapiẽtia ducas, præmiis munies, & te hominum patrem, & peccatorum

Osee. 11.

B

C

Osee 14.

D

Ioan. 6.

Psal. 43.

E

A

amatorem ostẽdas. Tu solus es, qui potes in Æthiope mutare pellem eius, & in pardo varietates eius; qui vales scilicet peccatorum atrorem in innocẽtiam conuertere, & duplicitatem humani cordis in simplicitatem columbæ commutare. Nam quis potest facere mundum de immundo conceptũ semine? nónne tu, qui solus es?] Ita sanè: Vnde seruus tuus Gregorius nos monet: Quisquis occultæ tentationis motus, atque immũditiam cogitationis euicerit, nequaquam sibi suam immũditiam tribuat: quia de immũdo cõceptum semine, nullus facere mundum potest nisi is, qui mundus per semetipsum solus est. Qui ergo iam ad locum munditiæ mente peruenit, conceptionis suæ vitam respiciat, per quam venit, atq; inde colligat, quia ex sua virtute non habet munditiam viuendi, cui de immunditia factum est initium subsistendi.] Munditiam itaq; & puritatem animæ in nobis, tu, qui solus mundus es, facis. Qui vt est apud eũdem Iob) nosti optimè ordinẽ cœli, & ponis rationem eius in terra,] dum ad vitam & conuersationem cælestẽ effers corda terrena, & in latere Ierosolymam ciuitatem sanctam delineas, & quod ibi sanctitatis, & perfectionis status affert, hîc inter tot miserias, & tẽtationes gratia pro modulo huius vitæ contribuit. Quamobrem sanctus Amos tuã maiestatem laudans, meritò tibi hoc eximium opus ascribit, dicens: Qui ædificat in cælo ascensionem suã. & fasciculum suum super terram fundauit, qui vocat aquas maris, & effundit eas super faciem terræ, Dominus nomẽ eius.] Ipse enim es, qui in cælo, nimirum in Angelis, & animabus beatis, sedẽ tuã extruxisti & in terra fasciculũ tuum, nempe iustorum congregationem, instar fasciculi, charitatis vinculo colligatam firmiter stabiliuisti, & aquas maris, id est, corda sæcularia, ab huius sæculi mari euocasti, vt eas vitiorum amaritie purgatas, & ad dulcedinem virtutis redactas, super totius orbis faciem effundas, qui exemplis sanctorum irrigatus virescit, & bonorum operum fructus emittit.

Iob. 14.

Grego. 13. mor. cap. vlt.

Iob. 38.

Ezech. 4.

Amos. 9.

At opus istud diuinum quod perfectio est, & sanctitas animæ non solùm opus Dei est, cui illud vniuersa sacrarum literarum tribuit auctoritas, verùm etiam inter opera Dei, si vnum, aut alterum opus exceperimus, præcipuum locum sibi vendicat. Mittamus nunc opus incarnationis & mirabilem illam vnionem Creatoris, & creaturæ, Dei, & hominis, qua Deus homo factus est & habitauit in nobis, qui competit, quòd finis vniuersi, & fructus omnium operum Dei sit, propter quem à Deo omne opus naturæ processit, & omne opus gratiæ manauit. Quare Rupertus Abbas ait, Christus secundùm hominem, primum ac præcipuum Spiritus sancti opus, quo pulchrius aut pretiosius nihil vnquam fecit Deus aut Dei spiritus, nouus hic homo, noua hæc creatura est.] Et tamen hoc opus non fuit ab eo (de quo loquimur) opere perfectionis alienum, siquidem in illo homine Deo est omnimoda & supra quàm excogitari potest, consummata, & infinita perfectio. Taceamus etiam opus gloriæ, quod merces & præmium est perfectionis, ad quam omnis nostra tendit perfectio. Ideóque Dauid ait: Ego autem in iustitia apparebo conspectui tuo: satiabor cùm apparuerit gloria tua.] Vnde constat, quia hoc opus sine perfectione non est, quod vt recipiamus coram Domino cum iustitia & perfectione apparemus, & gloria esse non potest sine perfecto amore, sine absoluta virtute, ac mẽtis rectitudine. Sed his duobus Dei operibus prætermissis, quæ fructus perfectionis sunt, nullum est Dei opus, Angeli, & hominis perfectione præstantius. Non elementa, non ex elementis composita, non cœli, non astra, nõ luna, nõ sol; hæc enim omnia intra naturæ ordinem continen-

Ioan. 1.

Rupert. in 1. de sanct. c. 2.

Psal. 16.

tur,

tur, at perfectio opus supra naturam est, & ideo supra naturam, quia est omni natura superius, quia omnia naturalia præstantia, superat, & magnitudine nobilitatis excedit. Perfectio est terra stabilior, aqua limpidior, aëre subtilior, igne efficacior, argẽto & auro, & gemmis, & pretiosis lapidibus ditior, cœlis formosior, astris vtilior, luna clarior, ipso sole splẽdidior, cui omnis natura subest, omnis res naturalis seruit, & nihil est in naturalibus aut magnũ, aut pretiosum, aut pulchrũ, quod cũ gratia valeat cõparari. At in operib. gratiæ perfectio obtinet principatum, est enim gratia perfecta, charitas absoluta, virtutũ cumulus à magna cõtradictione appetitus, & difficultate bene operandi segregatus, quo homo promptè & faciliter (si auxilia Dei actualia adiicias) opera gratiæ præstat, si tamquam fontem possidens, scilicet perfectam gratiam charitatem riuos bonarum actionum sine difficultate deriuat. Ad eam quoque omnia gratiæ opera tamquam ad finem tendunt, quæ incipiunt, vt proficiant, & proficiunt, vt in nobis ad perfectionem veniant, & sanctitatem efficiant. Sicut ergo præstantissimum opus Salomonis fuit illud templum magnificum, in cultum Domini fabricatum, cui nullũ aliud huius regis opus potuit æquari; ita præcipuum opus Christi Saluatoris est perfectionis templum, quod in cordibus nostris ad suum cultum & venerationem extruit, propter quod extruendum Ecclesiam fundauit, sanguinem fudit, arcana sacramentorum instituit, & è cœlo descẽdit, & opera mirabilia patrauit. Quod corde credimus, & verbis confitemur, dicentes, quia propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cælis.] Salus enim nostra non est alia, quàm perfecta iustitia, quæ in incipientibus & proficientibus ampliorem gradum desiderat vt ad perfectam salutem perueniat. Hoc templum non ex lapidibus, & lignis componitur, quæ ignis edax absumat, non auro & argento, & gemmis ornatur, quæ rex Babyloniæ suarum concubinarũ deputet voluptati, sed ex perfecta gratia, & charitate construitur, & virtutibus tamquam auro, & gemmis decoratur, vt auctori omnium Deo, ipso operante, & nobis cooperantibus consecretur. Vis scire quis tã immensos thesauros in huius templi fabricam coacervauit? Audi Dauidem in figura Domini loquẽtem. Salomõ filius meus puer paruulus est, & delicatus, domus autem, quam ædificari volo Domino, talis esse debet, vt in cunctis regionibus nominetur; præparabo ergo ei necessaria.] Sicut enim illud templum, figura templi sanctitatis fuit, quod in Ecclesia est extructũ, ita Dauid in hoc æterni patris gestauit imaginẽ, qui Christo filio suo, & regi nostro pacifico impensas ad huius templi fabricationem præparauit, dum omnia dedit ei Pater in manus, & ipsum ad consummationem huius operis hominem fecit. Audit ergo Christus à Patre: Ego in misericordia mea præparaui impensas domus Domini, auri talenta centum millia, & argẽti mille millia talentorũ, æris verò & ferri nõ est põdus, vincitur enim numerus magnitudine, ligna, & lapides præparaui ad vniuersa impendia. O ingentes opes! ô eximiæ diuitiæ! ô immensi thesauri, quibus charitatis aurum, puritatis argentum, fortitudinis ferrum & æs, bonorum operum ligna, & stabilitatis lapides continentur! mirũ erit, si tam magnis impensis hæc ædificatio nõ in cœlum assurgat. Vis etiam scire, quis ex hac tam magna præparatione hoc templũ est architectus? Audi Zachariam dicentẽ: Manus Zorobabel fundauerunt domum istã, & manus eius perficient eam.] Et rursus: Ecce vir oriens nomen eius, & subter eum orietur, & ædificauit templum Domino. Et ipse extruet templum Domino, & ipse portabit gloriam.] Quisnam est iste Zorobabel ab omni confusione alienus, nisi Christus, qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius?] Quisnam est iste vir oriens, nisi Christus, qui in similitudinem germinis pullulauit? Ipse igitur est, qui templum hoc perfectionis fundat, & in Ecclesia domum sanctitatis ædificat. Ipse est, qui sola virtute sua, & sine externis rerum creatarum præsidiis homines in dignitatem sanctitatis effert, in quibus tamquam in regno suo, & in republica à se fundata sine vllo fine regnabit. Ex eo autem quòd Christus regnat in sanctis, & habitat in illis, vt quod cœpit ipse perficiat, prouenit vt sancti retrorsum nõ habeant, sed dona accepta cõseruẽt, & ea augeant, atq; promoueant. Hinc enim Prosper ait: Verumtamen nec corpus spiritui, nec appetitus obtemperare poterit rationi, nisi Deus qui ipsum spiritum creauit & corpus, delectatus cogitationibus nostris, requiescat in nobis: ac tamquam vetus agricola in agro suo, sic in corde nostro proficiat, vt quicquid in eo fides plantat, deuotio rigat, ipse ad incrementum cõsummatæ maturitatis adducat; atque ita nobis voluntariè sibi subiectis desideria mala subiiciat, vt ex ipsis actibus nostris, quis sit habitator noster, & cuius in nobis fiat voluntas appareat.] Et verè ita est, quòd ex ipsa sanctorum vita, atque ex iustorum actionibus constat, à quonam ipsi regãtur, & cuius sit opus iustitia, quę in sanctis elucet. Quis enim potuit homines ad malum procliues, ad bonum impellere, & à malo dimouere, nisi ille qui pedes sanctorum seruabit, & tamẽ impij culpa sua in tenebris cõticescent, quia non in fortitudine sua roborabitur vir?

Si quando ergo, ô tu, qui hæc legis, perfectionis donum apprehenderis, & arcem istã Domini ex gratia operando, & laborando expugnaueris, ne tuis viribus hoc opus attribuas, néue huius templi ædificationem tuę deputes industriæ, sed scito, quia est opus Dei. Hoc corde & mente tamquam certum, & indubitatum intellige: hoc verbis, & ore, cùm fuerit opus, confitere: vt Deum tuum, qui te vocauit, qui te à peccatis eripuit, & ad iustitiam traxit, tota mentis alacritate collaudes, & eius beneficij gratia sine vlla interruptione famuleris. Fac quod rex Amasias, de quo in libro Regum dicitur: ipse percussit Edom in valle Salinarum decem millia, & apprehẽdit petram in prælio, vocauítq; nomen eius Iecthel vsque in præsentem diem.] Si enim in statu religionis aut in valle humilitatis, & pœnitentiæ viuẽs, mundum in Edom significatum percusseris, & omnes eius conatus illecebrásq; prostraueris, si rupem excelsam & penè inaccessibilem perfectionis apprehenderis, voca eam Iecthel, id est, auxilium Dei; ipso nomine manifestè denuncians, Deum esse, qui auxiliatus est tui, qui hoc magnum & mirabile opus fecit, qui hanc gloriosam victoriam tibi cõcessit. Hoc verò nomen numquam in aliud mutes, hoc est, numquam aliud sentias, nũquam aliud dicas, nisi illud sancti Dauid: Deus est, qui accinxit me fortitudine, & complanauit perfectam viam meam, coæquans pedes meos ceruis, & super excelsa mea statuens me, docens manus meas ad prælium, & componens quasi arcum æreum brachia mea.] Si verò nondum arcem cepisti, nondum bellum vicisti, nondum templum iustitiæ perfectæ Domino & ciuitatem sanctam in loco pacis ædificasti, clama ad Dominum, cuius hoc est opus & dic ei: Benigne fac Domine in bona voluntate tua Sion; vt ædificentur muri Ierusalem.] Sentiam ô Deus meus benignitatem tuam experiar misericordiam tuam, quæ in corde meo vrbem sanctitatis construat, fundamentum humilitatis iaciat, & muros tuæ protectionis ædificet.

Margin notes: 1. Paralip. c. 22. — Isai. 13. — Ibidem. — Zach. 4. — Zach. 6. — 1. Petri 2. — Prosp. lib. 3 de vita cõt. c. 26. — 1. reg. 2. — 4. Reg. 14. — 2. Regum 22. — Psal. 50.

Perfectionem non aliis quàm Dei amicissimis esse concessam.

CAPVT XII.

QVam magnum sit hoc opus Dei, quod animæ perfectio dicitur, ex superioribus satis colligitur, dum ipsum, post opus incarnationis & glorificationis, maximum ac præcipuum astruximus. Sed eius nobilitas ex alia quoque ratione claret, ex his scilicet, quibus Dominus perfectionem cócedit, & cumulum omnium virtutum sub ea contentarum impertit. Hoc enim perfectionis donũ, non quibuscumque, sed animabus dilectissimis, & Deo amicissimis reseruatum est, à cuius participatione non solùm nō amici, verùm etiam qui non sunt intimi, & familiarissimi Dei amici, sine vlla nota iniustitiæ, aut rigoris, arceantur. Mundum hunc visibilem, mirabili ratione compositum, & incomparabili pulchritudine decoratum, Dominus cũ- (Genes. 1.) ctis hominibus in communi proposuit, quibus dixit Crescite, & multiplicamini, & replete terram, & subiicite eã, & dominamini piscibus maris, & volatilibus cœli & vniuersis animantibus quæ mouentur su- (Matth. 5.) per terram.] Quin & à rerum visibilium dominatu impios, & peccatores non remouit: Qui solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos.] Ac ideo isti opes possident, immensam auri & argenti copiam in suum vsum coaceruãt, gemmis & pretiosis lapidibus fulgent, odoramentorum suauitate potiuntur, & deliciarũ ac voluptatũ variis generibus delectantur. Quorum auratam felicitatem, & rerum temporalium abundãtiam sanctus Iob sub (Iob 21.) hac verborum serie describit: Quare ergo impij viuunt, subleuati sunt, confortatique diuitiis? semen eorum permanet coram eis, propinquorum turba, & nepotum in conspectu eorum. Domus eorum securæ sunt, & pacatæ, & non est virga Dei super illos. Bos eorum concepit, & non abortiuit, vacca peperit, & non est priuata fœtu suo: Egrediuntur quasi greges paruuli eorum, & infantes eorum exultant lusibus. Tenent Tympanum, & citharam, & gaudent ad sonitum organi. Ducunt in bonis dies suos, & in (Grego. 13. mor. c. 14.) puncto ad inferna descendunt.] Gregorius quoq; hac ratione nobis proposita ad despectum bonorum tẽporaliũ inuitat, dicens: Quam enim sunt despicienda, iustus considerat, quæ Deus omnipotens etiã peruersis præstat. Si enim principaliter magna essent, nequaquam conditor hæc aduersariis suis tribueret. Vnde & indignum sibi esse perpendit, vt illa bona appetat, quæ abundare conspicit & malis; sed ad percipienda cœlestia mentem suam dirigit, quæ sibi cum reprobis communia esse non possunt.] Bona (Iob. 21.) ista mundana valde exilia sunt, quæ talibus dantur, & malis, ac Dei hostibus, qui (vt est in eodem loco) in diem perditionis seruantur, & in diem furoris ducentur,] sine vlla mensura promittuntur. Quorũ bonorum exilitatem imperfectus quisque, & minùs in charitate fundatus nondum intelligens, in consideratione diuinorum iudiciorum titubat, & quasi suorum laborum mercedem desperans, à Dei obsequio & famulatu desciscit. In cuius persona, ait Beatus Da- (Psal. 72.) uid: Ecce ipsi peccatores, & abundantes in sæculo, quibus scilicet prosperè sæcularia vniuersa succedũt, obtinuerunt diuitias. Et dixi, Ergo sine causa iustificaui cor meũ, & laui inter innocentes manus meas.] Quod vtique non dixisset, si hanc diuitiarum copiam, & rerum visibilium abundantiam (sicut reuera est) contemptibilem ac vilem reputasset. Nec iudicasset suam iustitiam & innocentiam mercede va-

A cuam, quam bona peritura non explent, si bona in æternum duratura crucis & mortificationis sustentationem exoluent. Facit Deus cum impiis, quod aliquis Rex faceret cum subditis sibi rebellibus, & à suo regno per inobedientiam, & defectionem separatis, quos nequaquam sua amicitia dignos censeret, aut potioribus sui regni bonis afficeret, at (etiam si posset) nullo modo alimentis ad vitam conseruandam necessariis priuaret, vt opportunitatem illis resipiscentiæ daret, aut regiam clementiam ostenderet, per quam non steterit, quin ipsi sententiam mutarent, & ad debitam subiectionem redirent: ita Dominus impiis, & hostibus suis non semel hæc minima bona, aurum, & argentum, cæteras res vsui humanæ vitæ seruientes concedit, vt aliquando tandem oculos in cœlum efferant, & datorem agnoscant, &
B illi, quem omnium bonorum originem vident, se toto corde subiciant.

Habet tamen Deus alia bona his sine vlla comparatione potiora, quæ non hostibus, non mancipiis vilissimis, sed solis seruis fidelibus, & amicis sibi prędilectis concedit. Hęc autem sunt gratia, quæ homines Deiferos reddit, & cõsortes diuinitatis efficit, charitas, quæ amicos Dei facit, & sanctos: humilitas, quæ oculos aperit, vt quisq; se videat, & non super capita aliorũ, sed in loco sibi congruo & accõmodato constituat: puritas, qua carnis spurcitias fugiat: paupertas, quæ curas luti, & stercoris, id est, bonorum visibilium deserat; obedientia, qua propter Deũ homini se subiiciat, & (vt vno verbo dicam) omnium virtutum chorus, quæ animã ornant, & ad omne opus bonum
C instructam efficiunt. Hæc sunt vera bona, quæ hominem faciunt bonum. Nam diuitiæ sunt bonæ (inquit Augustinus) vnde homo faciat bene, non quæ ipsum faciant bonum. Hæc sunt bona vtilia, quibus quisq; inter bona, quæ possidet, redditur bonus. Hæc sunt bona maiora, quæ non ad corruptibile corpus pertinent, sed animam præcipuã hominis partem afficiũt. Hæc sunt amplissimæ diuitiæ, quibus homo auro & argento vacuus, & extrema mendicitate pressus, diues dicitur. Diuitibus huius sæculi præcipe: inquit Paulus, non sublime sapere, nec sperare in incerto diuitiarũ,] vt intelligas, quòd si diuites huius sæculi sunt, qui aurum, & argentum, & res temporales possidẽt, diuites alterius sæculi, quod nũquam finem habebit, sunt, qui gratiam & charitatem, & reliquas virtutes
D recondunt. Sicut autem illud sæculum æternum, pręstat caduco & perituro; ita bona sæculi illius meliora sunt iis, quæ sæculum istud custodit. Quæ multò melius ac præstabilius, quàm bona ista visibilia hominẽ diuitem, & amplissimis bonis instructum faciunt. Vnde Ambrosius rectè ait: Nescis ô homo, struere diuitias. Si vis diues esse, esto pauper sæculo, vt sis diues Deo. Diues fidei, diues est Deo. Qui diues est in misericordia, hic est diues in Deo. Diues in simplicitate, diues Deo est. Diues sapientiæ & scientiæ, diues est Deo. Sunt qui in paupertate abundent, & qui in diuitiis egeant. Abundant pauperes, quorum profunda paupertas abundauit in diuitiis simplicitatis suæ,] diuites autem eguerunt & esurierunt. Et Chrysosto-
E mus diuitem Deo, id est, diuitem verum putat, non qui facultates suas occultat, sed qui dispergit, & opera virtutum recondit. Ille verè diues est, inquit, qui in Deo diues est, qui magis misericordia opulentus, quàm diuitiis, facultates suas cum pauperibus diuidit qui locupletem se dando magis quàm habendo ostendit, qui ad hoc se meminit habere diuitias, vt fœneretur Deo, pascat Christum, vestiat Dominum, qui patrimonium suum non ingrato hæredi quærat relinquere, sed per pauperes Christo illud desideret

Margin notes (right column): Aug. ser. 236. de tempore. — 1. Tim. 6 — Amb. lib. de Nabucho. c. 14. — Chrysost. homi. de misericordia. to. 5.

commo

commodare, qui diuitias cœlo magis quàm mundo commendat, qui desiderat potior esse opere, quàm suæ substantiæ facultate, qui thesauros suos ad superna transmittit, qui ad hoc viuit, vt operetur, qui ad hoc operatur, vt in æternum viuere mereatur, qui viduarum casibus flectitur, & pupillorum miseria commouetur, qui dolentium causam suscipit, & arrogantiam superborum abijcit.] Hæ itaque virtutum diuitiæ, hæc vera bona nō omnibus hominibus, sed solis Dei amicis seruata sunt. Nō ea habēt infideles, licèt monarchæ sint orbis, licèt totius mundi dominatū sustineāt, quia fide carent, quæ est horum bonorū ianua, virtutum sustentaculū, gratiæ fundamentum. Nō ea obtinēt fideles impij, qui de sola fide mortua gloriātur, & opera fide digna exercere detrectāt, qui ambulāt in vestimentis ouiū, & intrinsecus sunt lupi rapaces, & quæ mundi sunt, auidè rapiūt, quæ verò Dei sunt, præ incuria & cæcitate despiciūt. Nō hæc bona assequitur superbus, nisi superbiam exuat, quia initium omnis peccati, quod his bonis contradicit, superbia est: non ambitiosus, nisi ambitionem deponat, quia tinea humilitatis, quæ bona spiritualia conseruat, ambitio est: non iracundus, non auarus, nō impurus, quia hostis gratiæ atq; virtutis iracundia, & cupiditas, & immūditia est. Sed ista bona dantur amicis Dei, illis videlicet, quos Deus per gratiam sui similes facit, per charitatem in suam amicitiam & familiaritatem insinuat, & per dona pretiosa virtutum in vitæ cœlestis, atque Angelicæ imitationem extollit. Et quia isti inimicis, ac peccatoribus pauciores sunt, stultorum enim infinitus est numerus,] & multi sunt vocati, pauci verò electi:] ideò inquit Gregorius, quod pauci sunt, qui dona spiritualia percipiunt, & multi qui rebus temporalibus abundant. Ex quo illud colligendum est, quòd sicut pauci meliores sunt multis, ita hæc dona paucioribus collata meliora, & pretiosiora sunt ijs, quæ multis, id est, iniquis, & peccatoribus tribuuntur. De quibus donis inquit Paulus: Bonum autem æmulamini in bono semper, vel (vt legit Ambrosius) æmulamini meliora dona, quæ (vt ipse sanctus doctor ait) sunt bona spiritualia. Vtiq; meliora, quia meliores nosipsos faciunt, & non in superbiam nos erigunt, sicut bona temporalia, sed Deo gratos, & amicos constituunt.

Eccl. 10. — *Eccle. 1.* — *Matt. 22.* — *Greg. hō. 10. in Euang.* — *Gal. 10.* — *Ambr. ibi.*

At inter amicos Dei, sunt amicissimi, & inter familiares sunt familiarissimi, & inter dilectos sunt quidam dilectissimi. Quod ipse sponsus in cantico canticorum apertè fatetur, dicens: Comedite amici & bibite, & inebriamini charissimi.] Sicut enim aliud est moderatè bibere, aliud verò inebriari, & præ satietate spiritualis vini à proprio sensu dimoueri, ita alij sunt amici Dei, quibus esca, & potus datur; alij verò charissimi, aut amicissimi, quibus tanta abundantia vini cœlestis ingeritur, vt præ satietate inebrientur. Quas duas amicorum & amicissimorum sortes Gregorius manifestè in hunc modum expressit. Sunt quidem in sancta Ecclesia, qui sic præcepta diuina audiunt, vt cœlestia; plus quàm terrena amare discant; proeorum desiderio multa pauperibus tribuant: à prauis operibus se custodiant: nulla alicui violenter rapiant: Ecclesiæ prædicationem libenter audiant: in fide se instruant: quam &, operibus sanctis exerceant: & tamen vxores habent, pignora nutriunt, res suas diligunt; quamuis his omnibus Christum præponant. Hi profecto comedunt, & amici sunt, quia sanctam Scripturam audientes, talem sibi refectionem assumunt, vt etsi ad summam perfectionem adhuc non assurgunt, tamen secundùm modum suum perfecti sine crimine viuunt. Sunt verò alij, qui tanta auiditate diuinam Scripturam audiunt, vel legunt, vt protinus cunctis terrenis operibus abdicatis, sola cœlestia ambiant, parentes, vxores, domos, filios etiam, & omnia transitoria abijciant, solummodo Christum sequi, & amplecti concupiscant. Eius desiderio se affligunt ieiunijs, afficiunt lacrymis, exercent meditationibus diuinis, sola quæ sunt æterna cogitant, contemplationibus vacant, ad hoc laborantes, vt ea, quæ retrò sunt, obliuiscentes, in anteriora magis ac magis se extendant. Quid profectò isti, quid aliud agunt, nisi bibentes inebriantur, vt dum omnium terrenorum per desiderium obliuiscuntur, iure à sponso cœlesti non tantùm amici, sed & charissimi vocari mereantur?] Et iure Dominus, quia omnia iustè disponit, iustorum hominum quosdam amicos, alios verò amicissimos habet, quia non æqua omnium hominum electio, non æqualis in Deum amor, non par fidelitas, & sollicitudo purgandæ mentis est; quare nec debuerunt ad æqualem cum Deo familiaritatem erigi, nec in parem amicitiam admitti. Etenim Dominus dilexit populos, omnes sancti in manu illius sunt, & qui appropinquant pedibus eius, accipient de doctrina illius.] Ecce populos, ecce sanctos, ecce appropinquantes pedibus Domini, & in his diuersas hominum sortes intellige. Populi sunt, qui Domino potestatis iure subduntur, quos etiam diligit, & legem, ac iura profert in dilectionis indicium. Sancti sunt amici, & iusti, qui manu Domini, id est, protectione eius specialiùs defenduntur. Appropinquantes pedibus Domini, sunt perfecti, seu amicissimi, qui è vicino vestigia Christi sequūtur, vitæ puritatem imitantur, & doctrina eius imbuūtur. Quorum cœtus dilectissimo Iacobi filio præsignatus est: nam licèt sanctus patriarcha filios omnes amauerit, minimum verò præ omnibus dilexit, & dilectissimum nominauit. De quo in Deuteronomio quoque scribitur: Beniamin amantissimus Domini, habitabit confidenter in eo: quasi in thalamo tota die morabitur, & inter humeros illius requiescet.] Quid enim per Beniamin, id est, per filium dexteræ cōuenientiùs accipitur, quàm omnium perfectorum cœtus, in quo Deus dexteram suam, hoc est, filium suum pulchriùs depinxit, & in extremo die ad dexteram filij præcipuum locum obtinebit? Iste perfectorum cœtus est Domino amantissimus, quia non amicos tantùm, sed amicissimos Dei continet, qui in eius corde iugiter, cogitatione, & desiderio, & amore habitant, & in eo quasi in thalamo requietionis commorantur, & dum vident se à Domino quasi humeris sustineri, ne cadāt, in illo quasi in loco refugij confidunt, & veluti in arce munitissima securi quiescunt.

Cant. 5. — *Greg. in cant. c. 5.* — *Deut. 33.* — *Deut. 33.*

His amicissimis Dei perfectio tamquam optimum vinum in fine conuiuij propinandum, seruata est, quia post multos labores in vita spirituali exantlatos, post multos gemitus ab imo cordis emissos, post multas lacrymas ob desiderium puritatis effusas, tandē optimum vinū bibunt, & cœlesti sicera inebriantur, cùm desiderīū cordis sui, id est, perfectā charitatem recipiunt. Nōnne amicissima Dei Virgo Beata, quæ sponsa inter adolescentulas, & columba dilectissima inter reginas appellata est? Nōnne amicissimi Apostoli (vt nunc veteris testamenti patres omittam) quos Deus Ecclesiæ patres, & principes super omnem terram constituit?] Nōnne amicissimi martyres, quibus donatum est pro Christo, non solùm, vt in ipsum crederēt, sed & vt pro illo paterentur. Nōnne amicissimi Pontifices, quos Deus ad sacrificandum hostiā laudis, sibi sacerdotes elegit? Nōnne amicissimi doctores, quorum ora in medio Ecclesiæ aperuit, & spiritu sapientiæ & intellectus repleuit? Nōnne amicissimi cōfessores, quorū manus lucernis

Cāt. 1. & 6. — *Psal. 64.*

bonorum operum decorauit, & lumbos cinctorio castitatis,& continentiæ præcinxit? Nónne amicissimæ virgines,quæ à latere agni non discedentes sequuntur eum, quocumque ierit? Nónne amicissimi, qui nunc in Ecclesia militantes illorum & istarum vitam & mores imitantur, & tamquam futuri Angelorum & Archangelorum socij ab vniuersis cœlestibus respiciuntur? Prorsus hi omnes amicissimi Dei sunt, quia illos Deus vehementiùs,quàm communes iustos, & ardentiùs diligit,& illi Deum fideliùs & accuratiùs amant,pro cuius amore non solùm omnia creata despiciunt, verùm seipsos quoque sincerissimo affectu contemnunt. Sed istis solis,gemma sanctitatis datur, margarita summæ virtutis tribuitur,& thesaurus perfectionis tamquam res immensæ dignitatis conceditur. Istis perfectio datur,nō quia amicissimi Dei erāt, sed vt amicissimi Dei sint. Quia,vt ait Bernardus,licèt Christus velit gloriosam sponsam,non habentem maculam aut rugam, aut aliquid huiusmodi,non tamen quærit talem. Vbi enim illam inueniret?sed talem potiùs ipse facit, talem sibi exhibet ipse.] Vnde illud,& quidem eximium habet perfectio, quòd non amicissimos Dei homines reperit, sed amicissimos,& Dei simillimos ipsa constituit. Hac Dominus, quos, vt sibi amicissimi essent, elegit, hæreditate multiplicat. Nam sicut Abraham cuncta, quæ possederat,dedit Isaac, & filiis minùs principalium vxorum largitus est munera;] ita vniuersalis, omnium iustorum Pater,communibus iustis tamquam filiis dilectis magna virtutum dona largitur, sed perfecto tamquam filio dilectissimo amplissimam perfectionis hæreditatem attribuit: quæ non minùs communi tepidorum virtuti præferenda est, quàm specialibus donis, amicis testamento legatis, filio primogenito data vniuersalis hæreditas. A quo mysterio sub literæ huius serie contecto non multùm Ambrosius abhorret, qui loquens de perfectis virtutum disciplinis hæc ait: Has nobis substituamus hæredes, quas sanctus Abraham in Isaac filio suo substituit sibi, omnem operum suorum deputans hæreditatem, sapienti & iusto viro, nec vllum ius hæreditarium ancillis, vel ancillam filiis derelinquens, sed tantummodo donationis munera. Perfectæ enim virtutes totum accipiunt gloriæ patrimonium, vsitatis, & mediocribus vile aliquid aspergitur.] Perspice quanti Deus faciat virtutes magnas, atque perfectas, quas hæreditatem suam reputat, & altissimo præmio complet, & quàm dignæ sunt, quæ solis ad intimam amicitiam electis tribuantur. Equidem iudico hanc perfectarum virtutum hæreditatem (quæ perfectione significatur) in illa amplissima parte esse quoque figuratam, quam Iacob filio Ioseph donauit dicens: Do tibi partem vnam extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhæi in gladio & arcu meo.] O bona pars in Sichem, quam Ioseph vltra suos fratres accepit, meritò præsignata; quoniam dum Sichem interpretatur humerus, perfectionem indicat, qua velut humero, & illo fortissimo,dominus iniquorum peccata, & tepidorum imperfectiones, & defectus supportat. Hanc tulit Dominus de manu Amorrhæi in gladio, & arcu suo, quia Angelum apostatam, qui erat perfectus in decore suo,ob superbiam,qua contra Deum elatus est, sanctitate spoliauit,& armis suæ potentiæ deuicit; eáque dedit Ioseph,id est,viro perfecto dilectissimo filio suo, illi scilicet, qui fratribus suis iniuriosis in ipsum iniurias remittit,dum non solùm amicos,sed inimicos diligit,& populo famem patienti,tamquam fidelis seruus cibum in tempore,verbo,& exemplo subministrat.

Ber. ser. in natali Iod. Bap.

Gen. 25.

Amb. lib. 1. de Cain & Abel. c. 6.

Gen. 48.

Est igitur perfectio paucorum, illorum scilicet, qui seipsos strenuè abnegantes, & omnia mundana protererentes,Deum solùm quærunt, & eius intimam amicitiam suspirant. Quam vt habeant,& suo voto satisfaciant, ipsa perfectione,quæ ipsos Deo amicissimos reddit,diuina liberalitate ditantur. Atque adeò eximium Dei opus est perfectio, & veluti pretiosissima & splendidissima gemma,quæ, solis admissis ad intimam Dei amicitiam,datur, imò & vt sint amicissimi ipsa confertur. Et si hoc ita est, quid restat, nisi vt illud Pauli seriò perpendamus: Nescitis quòd ij qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed vnus accipit brauium? sic currite, vt comprehendatis?] Stadium vita est à sæculi curis auulsa,in qua tamquam in curriculo nobis demonstrato currimus, & ad patriam festinamus. Currentes sunt religiosi,aut quicunque alij vitam spiritualem colentes, & mundi curas & sollicitudines auersantes. Brauium est perfectionis palma seipsos vincentibus deputata,& gnauiter in stadio decertātibus. Et meritò in brauio perfectio signata est,quia sicut brauium (vt dicitur) erat vestis ex palmis contexta;ita perfectio, & vestis est, quia est vniuersalis virtus,totum hominem circundās, & tegens,& ex palmis texitur, quoniam ex omnium vitiorum & prauorum affectuum victoriis coagmentatur. Brauium erat velut origo magnorum honorum & diuitiarum; & spiritualis vitæ perfectio est, quæ nos in possessionem magnarum opum cœlestiū infert, & in honorem Dei amicissimorum extollit. In sæculari curriculo, siue stadio, omnes quidem currunt, sed vnus palmam reportat, & in spirituali multi currunt, sed paucissimi sunt, qui brauium perfectionis accipiant. Sic ergo curramus, vt ex paucissimis simus: sic curramus, vt perfectionem comprehendamus;sic curramus, vt dignitatem amicissimorum assequamur. Si enim infame est in stadio mundiali vinci, & non reportare palmam, quam cæteris vacuis,& victis permanentibus,vnus tantùm reportat, quàm miserabilius & luctuosius erit, in vitæ spiritualis stadio perfectionem non consequi,quam non vnus tantùm potest accipere,sed omnes illi,qui feruidè viam mandatorum diuinorum cucurrerint,& aduersùs seipsos decertauerint?

1. Cor. 9.

Perfectionem maxima gloria Deum afficere.

CAP. XIII.

HOc Dei opus magnum & excelsum, quod ipse in suis amicissimis operatur, adeò suum auctorem glorificat, vt nihil sit in Ecclesia, quod æquè,atque illud,Dei sapientiam,potentiam, ac bonitatem ostendat. Nam si opus,quo magnificentius est,eo meliùs artificis peritiam & sapientiam declarat, quid aptiùs Dei sapientiā declarabit,quàm illud opus, in quo non tantùm vestigium Dei patet,non naturalis imago lucet, sed supernaturalis figura, eáque pulcherrima diuinæ sanctitatis & puritatis apparet? Si victoria,quo maior,& difficilior est, eo efficaciùs ducis fortitudinem & strenuitatē patefacit, quid efficaciùs Dei potentiā patefaciet,quàm illa perfecta victoria,qua mundū,Diabolū,& carnē in nobis vincit, ex terrenis cœlestes efficit,& peccatorem non in cōmunem iustū solùm,verùm in virum quoq; sanctum, & perfectum transformat? Si donum quò pretiosius est, eò præstantius datoris bonitatem, & liberalitatem cōmonstrat, quid præstantiùs diuinam bonitatē mōstrabit,quàm illud donū,quo Deus spiritum sanctum

suum infundit in nobis,& cum eo vniuersa virtutum dona communicat? Valde quidem Deum glorificat huius admirabilis mundi creatio, qua ex nihilo vniuersa fabrefecit,cœli vno seipsos tenere cieles,& sol, & luna,& astra splendore decora, & nostram regionem illuminantia, & elementa contraria,tanta concordia,& pace coniuncta,& terra,tam multa,tam varia, tam vtilia in vsum mortalium liberaliter procreans,& reliqua omnia sub gremio naturæ contenta nimis suum auctorem collaudant, eiusque infinitam perfectionem magnificant, at sine vlla comparatione meliùs, & efficaciùs vnius viri perfecti sanctitas diuinã virtutem effert, & cõditoris nostri mirabiles perfectiones attollit. Illa enim omnia naturalia Dei vestigia sunt, quæ tamquam pedis impressio in arena relicta magnitudinem Dei, non sine quodam discursu,& ratiocinatione mẽtis, ostendunt:sanctitas verò non vestigium, sed similitudo Dei est,quæ substantiæ animæ impressa, & animæ viribus insculpta, ita Dei sanctitatem,misericordiam,benignitatem, & reliquas virtutes repræsentat, vt iam homo non semen veteris Adæ, sed filius Dei, non creatura terrestris,sed res diuina,& cœlestis appareat. Ideo sancti, & perfecti viri in Scriptura sacra, & filij Dei,& Dij appellati sunt, quoniam Dei proprietates induunt, & quasi Dij quidam per sanctitatis participationem alios homines,qui solùm sunt homines,magnitudine perfectionis excellunt. Ad quos tamquam ad mẽbra Christi viuida applicare possumus quod Christus ipse (Ioan.10.) de se dixit:si illos scriptura dixit Deos,ad quos sermo Dei factus est, qui scilicet legem à Deo per Mosem latam receperunt,quantò magis dicemus Deos, quos Deus ipse sanctificauit,& misit in mundum,] vt mũdum vniuersum sua præsentia nobilitarent, & tamquam verum sal exẽplo,& doctrina saliant. Dij pro- (Exod.7.) fectò sunt;nam ideo Moses Deus Pharaonis vocatus est,non quia natura Deus esset, sed quia virtute Dei imitationẽ induerat. Etenim victor passionũ omniũ, (Ambr.lib. de Cain 11.) inquit Ambrosius, nec vllis captus sæculi illecebris, qui omnẽ istã secundùm corpus habitationẽ cœlestis puritate cõuersationis obduxerat,mentem regẽs,carnem subijciens,& regia quadã auctoritate castigans, nomine Dei vocatus est, ad cuius similitudinẽ se virtutis vbertate formauerat.] Sicut ergo Deus sumptius gloria est,& nulla res magis Deũ, quàm ipse seipsum glorificat, ita præter Deũ nihil amplius ipsũ in terris glorificat,quàm sancti,qui Dei nomen quodammodo obtinere meruerũt,&eo se sicut Deo propinquiores, ita diuinæ gloriæ præcipuos laudatores iudicarunt.

Et verò,quod Deũ(quantùm ad se attinet)ignominia afficit,peccatum est,illud præcipuè quod grauiùs & inuerecundiùs aliquod diuinum mandatum transgreditur.Quare adulterio cum Bethsabee,& homicidio Vriæ à Dauide patrato hæc nota confusionis inuritur,quòd in Deum blasphemias ignominiasque cõgesserit. Verumtamen, inquit Nathan,quoniam blas- (2.Re.12.) phemare fecisti nomẽ Domini propter verbum hoc, filius,qui natus est tibi,morte morietur.] Et Isaias ait: (Isa.1.) Væ genti peccatrici, populo graui iniquitate, semini nequã,filiis sceleratis,dereliquerunt Dominum,blasphemauerunt sanctum Israel, abalienati sunt retror- (Iere.23.) sum.] Nec non & Ieremias falsorum prophetarum mores describens ait:Dicunt his,qui blasphemãt me, id est,his,qui peccatis suis irritant me, atq; lacessunt, locutus est Dominus,pax erit vobis,& omni qui ambulat in prauitate cordis sui dixerũt:Nõ veniet super vos malũ.] Si ergo peccata in Deũ iniuriosa sunt, eique dedecus,& ignominiam irrogãt,sanctitas atque perfectio omni crimini, ac graui peccato contraria, Deo maximũ honorẽ & gloriã reportat. Quo argu-

A mẽto vsus est Augustinus,dicẽs:Si per tales(id est per (August. tract.52. in Ioan.) malos)nomen Dei blasphematur, per bonos nomen Dei laudatur. Audi Apostolũ Christi bonus odor sumus inquit,in omni loco.] Dicitur & in Canticis cã- (2.Cor.2. Cant.1.) ticorũ:Oleũ effusum nomẽ tuũ.] Ista afferi sãctus hic (Psal.88.) pater. Et ad idẽ Dauid canit:Deus, qui glorificatur in cõcilio sanctorum,magnus & terribilis super omnes qui in circuitu eius sunt. Nã ex sanctorũ cœtu magnã sibi gloriã assumit,in quibus & suæ potẽtiæ magnitudinem,& suæ Deitatis cultum, ac reuerentiã tamquã in gloriosa sede maiestatis ostentat. Et Paulus nos admonet dicens:Glorificate & portate Deũ in corpore (1.Cor.6.) vestro.] Quia nos legem diuinã custodire,& iustitiã sectari,Deo reputatur ad gloriam, & Christum imitari,est Deum in corpore nostro gestare, & in mori- B bus nostris eius imaginem circumferre.

Hanc Dei gloriam, quæ à nostra sanctitate procedit, ab ipso Domino in oratione Dominica postulamus,cùm dicimus. Pater noster, qui es in cœlis,san- (Matt.6.) ctificetur nomen tuum.] Deus námque suam gloriam exerit,cũ nos de iniquis iustos,& de peccatoribus facit sanctos,& nomẽ suũ magnũ & excelsum,quod in seipso augeri nõ potest,in nobis,cùm nos magnos facit,magnificat,& cùm nos sanctos efficit, etiam sanctificat. Quem sensum spiritualis collatoris hanc primam Dominicæ orationis petitionem interpretantis (Cassia. col.9.) confirmet auctoritas. Sanctificatio Dei,inquit, nostra perfectio est Itaque dicentes ei,sanctificetur nomen tuum: aliis verbis hoc dicimus: Tales nos facito pater, vt sanctificationem tuam, vel intellige- C re quanta sit, vel capere mereamur: vel certè, vt in nostra conuersatione spirituali sanctus appareas. Quod tunc efficaciter impletur in nobis, quando vi- (Math.5. Hugo.lib. 2. allegoriarum.) dent homines opera nostra bona, & glorificant Patrem nostrum, qui in cœlis est. Eundem sensum Hugo quoque Victorinus admittit in hęc verba. Nomen Dei, fratres, sanctum est: sed adhuc in cordibus quorundam potest ampliùs sanctificari. Potest namque sanctificari in cordibus paganorum: in quibus nondum est sanctificatum propter fidem. Potest sanctificari in cordibus Iudæorum: in quibus non est sanctificatum per fidei sanctificationem. Potest sanctificari in cordibus falsorum Christianorum: in quibus nondum est sanctificatum per dilectionem. Potest etiam ampliùs sanctificari in cordibus ele- D ctorum: per maiorem fidei consummationem & maiorem Dei & proximi dilectionem. Quantò enim perfectiùs Deum diligit, & credit electus,tantò am- (Mat.c.1.) pliùs nomen Patris in se sanctificat, & sanctificatum demonstrat.] Et meritò hæc est prima orationis à nobis fundendæ petitio, vt tamquam boni filij primo loco non commodum nostrum, sed laudem, & gloriam patris nostri quæramus, & eam gloriam potiorem,quam omnis curia cœlestis, & omnes homines, & vniuersæ creaturæ illi tota deuotione decantant, ex eo quòd filios iræ, filios misericordiæ facit, & adoptatos in filios quotidie perficit, & quàm (Luc.1.) simillimos sibi reddit. Hanc quoque gloriam Virgo Beatissima,& sapientissima, cùm aliquando in Euangelio longiorem solito sermonem protraxit, velut E maximam, primo sui cantici versu signauit, cùm dixit: Magnificat anima mea Dominum, & exultauit spiritus meus in Deo salutari meo.] Quomodo enim (Psal.94.) illa magnificauit Dominum de se magnum, cui dicit Dauid: Quoniam Deus magnus Dominus, & Rex magnus super omnes Deos?] Quomodo illa magnificauit Dominũ,qui cùm sit maximus,nec bonitate,nec pulchritudine,nec aliqua perfectione crescere potest,à quo omnis creata magnitudo,velut riuulus à fonte procedit? An solùm corde laudãdo,quia anima

suæ Dei laudationem ascribit, dicens: Magnificat anima mea Dominum? Non, quia ore protulit, quod corde concepit, & internis laudibus, externas quoque vocum laudationes adiunxit? An solo ore, nam & vocibus canticum hoc eloquuta est? Non, quia hæc Dei magnificatio omnium maxima fuit earum, quas valuit pura creatura proferre, ea verò quæ sola voce fit, exilis admodum est, & ieiuna laudatio? An solùm corde & ore, nam voce simul & mente suorum bonorum copiam non sibi, sed Domino, à quo omne datum optimum, & omne donum perfectum est, sincerissima confessione retulit? Non, quia laudi cordis, & oris non modicum deest, si opus etiam non laudet Dominum, & eius magnitudinem actio non efferat, & vita pura & immaculata non exprimat. Quomodo ergo sanctissima Virgo magnificat Dominum? certè magnificabat eum mundis cogitationibus, magnificabat sanctis desideriis, magnificabat perfectis operibus, magnificabat tota serie suæ vitæ mundissimæ. Denique hæc est maxima magnificatio Dei, quam ei creatura potest ascribere, non quod eum magnum faciat, qui naturaliter maximus est, sed quòd eum vitæ puritate, & morum honestate, & virtutis perfectione magnum in seipsa delineet, & se magnam, & pulchram sanctitate faciendo, Deum, cuius anima imago est, in seipsa magnum, & pulchrum, & summè bonum ostendat. Magnificatur enim Dominus, inquit, Ambrosius, non quòd Domino aliquid humana voce possit adiungi, sed quia magnificatur in nobis. Imago enim Dei Christus est, & ideo si quid iustum religiosumque fecerit anima, illa imaginem Dei, ad cuius est similitudinem creata, magnificat. Et ideo dum magnificat eam, magnitudinis eius, quadam participatione sublimior fit, vt illam imaginem splendido bonorum colore factorum, & quadã æmulatione virtutis in se videatur exprimere.] Magnam ergo gloriam damus Domino, cùm eum ore laudamus, cùm canticis, & cultibus, & ceremoniis ab Ecclesia institutis eum honoramus, cùm verbis eius innumeras perfectiones, & stupenda opera prædicamus, cùm eleemosynis, aut misericordiæ operibus in ipsius obsequiũ factis, illũ confitemur, sed multò maiori gloria, & cultu eũ afficimus, cùm vitæ sanctitate, & perfectione laudamus, quia tunc in nobismetipsis diuinæ magnitudinis, & pulchritudinis, & sanctitatis figuram effingimus. Voces idioma nostrum callentes agnoscent, cultum eiusdem religionis professores aduertent, benignitatis opera vtilitatem ex eis accipientes intelligent, ac laudationem à vita pura & sancta profectã omnes tam Græci quàm barbari, tã sapientes quàm insipientes exaudient. Laudatio vocum velvti characteribus paruis scribitur, & submissis sonis editur, quam oculos perspicaces, & arrectas aures habentes sentient: At laudatio Dei, quæ vitæ sanctitate fit, literis maximis scripta est, & nõ voce hominis, sed tonitruo & nubis fragore prolata, quam vel ipsi cæci legent, & surdi audient, & omni penè sensu destituti percipiẽt. Et sanctis tacentibus, nihilque loquentibus conturbati sunt omnes qui videbãt eos (vt est in psalmis) & timuit omnis homo.] Quia vita, quæ efficacior & validior vox est, annunciauerunt opera Dei, & hac voce vniuersi perculsi, facta eius intellexerunt.

Amb. lib. 2. in Luc. ad c. 1.

Psal. 63.

Profectò vir sanctus atq; perfectus imago Dei est, & ab ipso Deo quasi incredibili cura diligentiáque depicta, quæ mirum in modum alias Dei communes imagines, id est, communes iustos magnitudine pretij, & præstãtia decoris excedit. Hæc ergo imago sanctitatis diuinæ, qua anima reformatur, & decoratur, necesse est maiorem honorem & gloriam, quàm alij communes iusti suo factori apud omnes importet. Nam sicut pictor maiorem sibi gloriam parat ex vna pulcherrima effigie, quam summa industria elaborauit, quàm ex multis imaginibus imperfectis, quas velvti ludendo aut somniando depinxit: ita vniuersorum Creator Deus cumulatiorem gloriam, & laudem ex vno Francisco, aut Dominico, quàm ex multis iustis tepidis, & imperfectis decerpit. In istis enim imago Dei in vera virtute constituta, & ab ipso Deo delineata, licèt non effictoris culpa, obscura est, & mille imperfectionum lituris fœdata; quare parum sapientiam artificis prædicat: at in viro perfecto imago, aut similitudo Dei est valde pulchra, atque perfecta, & tanto splendore circundata, vt aspicientes in maximam admirationem rapiat, & ad eximias laudes artifici referendas alliciat. Omnes qui in hanc imaginem oculos mentis intendunt, stupentes fatentur de illa, quòd de Sole in Ecclesiastico scriptum est: Vas admirabile, opus excelsi.] Vas admirabile, quia angelis, & hominibus admirationi est, & opus excelsi, quia abscondita, & pannis vilibus inuoluta, vel etiam persecutionum aut ægritudinum tũsionibus impetita, Dei celsitudinem prædicat, & eius præconia, & laudes annunciat. Ideóque vita perfecta appositè Lucifero cõparatur, qui & inter astra propinquior est Soli, & ab illo maiorem claritatem & pulchritudinem mutuans, euidentiùs primi luminaris fulgorem demonstrat, sic prorsus vita hominis perfectione & sanctitate polita, propiùs Deo adhæret, & meliùs eius gloriam & maiestatem ostendit. Quod simile non prætermisit Gregorius, dicẽs: Rectè Lucifero iusti vita cõparatur. Solem quippe præcurrens Lucifer nuntiat. Et quid nobis sanctorum innocentia, nisi sequentis iudicis claritatem clamat? In eorum namq; admiratione cõspicimus, quid de maiestate veri luminis æstimemus. Necdum Redemptoris nostri potentiam videmus, sed tamen virtutem illius in electorum suorum moribus admiramur. Quia igitur bonorum vita in consideratione sua oculis nostris vim veritatis obiicit, clarus ad nos Lucifer ante solem venit.] Patet iam, quãta sit perfectionis dignitas, qua vt Lucifer Solem creatum, ita ipsa solem increatum præcurrit, & eum à quo omnia facta sunt, vniuersis non loquendo, sed operando manifestat, & ipsius decorem & gloriam non lingua balbutiente, sed gestis, & imitatione collaudat. Quòd si magnum fuit Ioanni Baptistæ, quòd filium Dei hominem factum, digito & voce monstrauit, dicens: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi,] maius fuit illi, & maius est cuique viro perfecto, si eundem Dominum innocentia vitæ peccati destructorem, & sanctitatis datorem demonstret. Quia illud ministerij fuit, istud virtutis; illud prædicare, aut prophetare, istud rectè viuere: semper autem virtus, & vita recta, fuit ministerio & prædicationi prælata.

Eccl. 43.

Greg. 10 mor. c. 11.

Ioan 1.

Hæc ergo vita cùm ad sanctitatem peruenerit, supra omnia alia Deum magnum prædicat, & mirabilem esse declarat. Quod non tacuit sanctus Dauid, fructum ascensionis Christi decantans. Mirabilis, inquit, Deus in sanctis suis, Deus Israel: ipse dabit virtutem, & fortitudinem plebi suæ.] Deus enim in creatione mundi potentiam, in eius rectione, sapientiam, in rerum conseruatione, bonitatem, at in sanctis, gloriam, & magnificentiam suam nobis facit esse conspicuam: propter quam illum admirabilem confitemur, qui plebem suam, id est, sanctorum congregationem de se infirmam præstantissimis dõnis roborat, & aduersùs dæmones, sanctitatem eneruare conantes, constantiæ virtute fortificat. Quis enim neget Deũ in sanctis ac perfectis viris apparere mirabilẽ, cùm legat apud Mosem; Quis similis tui in

Psal. 67.

Exod. 15.

fortibus Domine, quis similis tui, magnificus in sanctitate, terribilis, atque laudabilis, & faciens mirabilia.] Verè in omnibus magnificus, sed magnificus in sanctitate, quia hoc opus copiosiores sumptus, & expensas maiores postulat. Verè in omnibus terribilis, sed terribilis in sanctitate, quia sanctorum vita magnum infirmis timorem incutit, & ad diligentiorem Dei cultum, & reuerentiam instigat. Verè in omnibus laudabilis, sed laudabilis in sanctitate, quia vita perfecta non solùm Deum propter omnia opera sua sincerissimè laudat, sed & omnes eam considerãtes ad sempiternas laudes auctori sanctitatis tribuendas inuitat. Cuius rei testem luculentissimum habemus Chrysostomum, qui hac de causa diuinam glorificationem, à sanctitate prodeuntem, omnibus aliis Dei laudibus, & glorificationibus anteponit in hæc verba: Nihilominus iustum fuerit pro viribus gratiarum actionem offerre, & indesinenter glorificare Dominum nostrum, & per benedictionem crebram, & per vitam optimam. Ista enim est clarissima Dei magnificatio, quando per innumeras linguas glorificationem offerimus. Nam qui virtute præditus est, facit vt omnes qui intuentur eum, Dominum suum laudent: & glorificatio hæc ei, qui occasionem præbuit, magnam & ineffabilem Dei misericordiam conciliat. Quod igitur nobis beatius foret, si glorificaremus, non solum nostris linguis bonū Deum, sed & proximos quoque, vt nostro nomine eum glorificent, incitaremus. Tantum enim virtutis robur est, vt innumeris linguis conditorem laudare queat. Dilectæ nihil vtique vitæ virtutis studiosæ cōparari potest. Vnde & Christus dicebat, Luceat lux vestra coram hominibus, vt videant vestra bona opera, & glorificent patrē vestrum, qui est in cœlis.] Vidisti quomodo lumen, cùm apparuerit, dispellit tenebras? ita & virtus: si conspicua fuerit, & malitiam effugat, & erroris tenebras abigit, mentémque videntium excitat ad Deum glorificandum.] Deus itaq; nō solùm magnificus, & terribilis in sanctitate, sed & laudabilis in sanctitate, quia hæc est, quæ Deum ore omnium hominum laudat, & propter quam (scilicet vt illi seruiant) omnes aliæ creaturæ factæ sunt, quæ Deum tamquam pedissequæ sanctitatis glorificant.

Chry. hō. 16. in Ge.

Mat. 5.

Tu, ô religiose, qui ad hoc à Domino benignè vocatus es, & ad vitam religiosam adductus, vt ei sacrificium huius glorificationis offeras, ne tepidè & oscitanter viuendo, à Creatore tuo hanc gloriam tā sibi charam, & tam sibi debitā, subtrahas. Tu, cuius ministerium est perpetuis laudibus Deum glorificare, ne laudes decantes, ne quod pretiosius est diuinarū laudum fueris, dum Deum ore laudas, & vita non laudas, quia Dominus integrum animal in sacrificiū requirit, & (vt est in Isaia) diligit iudicium, & odio habet rapinam in holocausto.] Ne impossibilitatē causeris, quia gratia præsto est, & si eam concupiueris, & adiutricem vocaueris, assidentem illā foribus tuis inuenies. Nec dicas in corde tuo parum, & nullius momenti est quod abripio, nullius æstimationis est apud Dominū, si eum puritas meæ vitæ glorificat. Ne, inquam, hoc dicas, quia nulla illi glorificatio, nulla illi laudatio pretiosior, quā illa, quæ moribus, & vita viri perfecti cōfertur. Ad hanc omnes per os Dauidis inuitat; Nam qui timetis Dominum, ait laudate eum, vniuersum semen Iacob glorificate eum.] Hāc de cælo prospiciēs, an sibi tribuatur, attētè considerat. Dominus enim de cælo prospexit super filios hominum, vt videat si est intelligens, aut requirens Deū.] vt videat scilicet, si est aliquis, qui operibus & diuinæ legis custodia, eius gloriam & honorem requirat. Hāc delapsus ad terras ab vniuersis hominibus in sponsam

Isa. 61.

Sap. 6.

Psal. 21.

Psal. 13.

A dilectam exquirit. Vnde in eius ingressu omnes hanc vocem auribus cordis excipiant: Afferte Domino filij Dei, afferte Domino filios arietum] opera videlicet, quibus arietes & duces gregis & Apostolos imitemini. Et per hæc opera afferte Domino gloriam & honorem: afferte Domino gloriam nomini eius, adorate Dominum in atrio sancto eius.] Hanc gloriam à perfecta iustorum vita manantem, velut materiā ingentis lætitiæ complectitur. Quia si hominibus lætum est, & gloriosum, inquit Cyprianus, filios habere consimiles, & tunc magis generasse delectat, si ad patrem lineamentis paribus soboles successiua respondeat: quantò maior in Deo patre lętitia est, cùm quis spiritualiter nascitur, vt actibus eius, & laudibus diuina generositas prædicetur? Hanc denique sibi subtrahi B molestè fert, & adimētes acerrima increpatione percutit, dicens: Filius honorat patrem, & seruus dominum: si ergo pater ego sum, vbi est honor meus, & si Dominus ego sum, vbi est timor meus?] Haud quaquā frater in animum tuum inducas, vt rem tā dilectam, tam pretiosam, tam desideratam à tuo Domino, & Creatore subtrahas, ne dicat tibi, vt annotauit Cyprianus, illud quod dixit impiis Iudæis; Filiū enutrii, & exaltaui, ipse autē spreuit me.] Dominus te adoptauit in filium, te gratiæ lacte nutriuit, te in statum filio suo dignū mirabiliter exaltauit, ne illū irrideas, quia in die extremo irrideberis; ne illum contemnas, quia in hora mortis contemneris, sed magis ore lauda, corde honora, vitæ sanctitate magnifica, vt iustitię tuæ palmam, vt laborum tuorum coronam accipias, vt C sis ex felicissimis illis, qui sunt audituri: Venite benedicti patris mei, percipite regnum, quod vobis ab origine mundi paratum est.]

Psal. 28.

Cypr. ser. de zelo & liuore.

Malac. 1.

Isa. 1.

Matt. 25.

Quòd perfectio animam ab omni morbo sanat.

CAPVT XIV.

Diximus perfectionem opus esse Dei, eóque Deum glorificari, nondum tamē expressimus, quanta sit hæc gloria, quam Dominus ex nostra perfectione decerpit, vnde operæpretium est, vt hoc (prout iudicati nostræ D possibile fuerit) ad instructionem legentium exprimamus. Cogitanti verò mihi quo pacto magnitudinem huius gloriæ declararem, quatuor Dei elogia memoriæ succurrerunt, quæ meæ ignorantiæ ad hanc rem vtcumque explicandam subuenirent. Dominus enim in scripturis sanctis vocatur medicus. Nam, Benedic anima mea Dominum, inquit Dauid, qui sanat omnes infirmitates tuas.] Et filius Dei, cuius sicut vna est substantia cum Patre, ita vna est virtus, & vna potestas, sibi medici nomen arrogat, dicēs: Non egent, qui sani sunt, medico, sed qui malè habēt. Non veni vocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam.] Vocatur rex, Quia tu es ipse rex meus, inquit, & Deus, qui mandas salutes Iacob. Et, quoniam Deus magnus Dominus, & Rex magnus super omnes Deos. Quia in manu eius sunt omnes fines terræ, & E altitudines mōtium ipsius sunt.] Vocatur diues: Meæ sunt, ait ipse, omnes feræ siluarum, iumenta in montib. & boues, cognoui omnia volatilia cęli, & pulchritudo agri mecū est.] Et Paulus; Idē Dominus omniū, diues in omnes, qui inuocāt illū.] Deniq; vocatur sponsus: de Ecclesia quippe scriptum est, quia vocauit Dominum virum suum; & alio loco, quoniam ipse tamquam spōsus procedēs de thalamo suo.] Maxima autē gloria medici est, si ægrorum desperatū, & deploratum sanet, & è faucibus mortis ereptum pristinæ

Psal. 102.

Luca 5.

Psal. 43.

Psal. 94.

Psal. 49.

Rom. 10.

Osee 1.

Psal. 18.

sanitati restituat. Maxima gloria regis est, si vilissimos homunciones, non solùm nobiles, sed etiam magnates faciat, & in regiā dignitatem exaltet. Maxima gloria diuitis est, si ita in pauperculos diuitias & opes dispertiat, vt sine vllo suæ substantiæ detrimento, eos pecuniosissimos ac ditissimos efficiat. Maxima gloria spōsi est, si sponsam, & illam arrogantem, & virorum contemptricem, adeò sibi subdat, & in suum amorē, & desideriū trahat, vt in eo solo omnes suas delicias & vniuersa desideria cōstituat. Has igitur omnes glorias & laudes Dominus ex animarum perfectione cōsequitur, vt sic constet perfectionem vitæ inter omnia creata factori suo pretiosissimum vectigal gloriæ, & laudationis exoluere.

Nunc inuestigemus primùm, quàm scilicet mirabilem sanitatem Deus, animæ, perfectionis ministerio, restituat. Statim autem sese oculis mentis offeret status ille quietus, & felix, in quo Creator omnium genus humanum condiderat. Fecit enim Dominus hominem rectum,] vt est in Ecclesiastico, & eum in ipso creationis momento gratia circumdedit, & iustitia originali vestiuit. Gratia afficiebat animam, & illam Deiformem, reddebat, & omnibus creaturis sensibilibus Dominā charissimam, Angelis sororem amabilissimam, & Deo filiam acceptissimam construebat: Originalis iustitia (quam omnium donorum Spiritus Sancti, & virtutum infusarum à gratia manantium cumulum esse putamus) vires animæ tam purè spirituales, vt memoriam, intelligentiam, & voluntatem, quàm corporeas coniuncto inhærentes, vt sensus, & appetitus, optimè moderabatur, & puras, atque pacatas faciebat, & minimis quoque defectibus liberabat. Eratque tunc homo memoria tranquillissimus, intellectu perspicacissimus, voluntate rectissimus, sensibus obedientissimus, appetitu subiectissimus, in quo corpus animæ iussum sine vlla contradictione sequebatur, sensus & appetitus rationi parebant, & ratio Diuini numinis ducebatur imperio. Quam hominis perfectam sanitatem scriptura non siluit. Nam eum ad imaginem, & similitudinem Dei conditum astruit,] quorum primum, scilicet, imaginem, ad naturam integram, rationis compotem, arbitrio liberam, & omnium rerum corporalium reginam; secundum verò, nempe similitudinem, ad perfectam gratiam virtutū, & donorum fontem, & diuinæ sanctitatis imitatricem, Origenes, Basilius, Ambrosius, Gregorius Nyssenus, Rupertus, Damascenus & alij referunt. Et alio loco ait: Hæc, nimirum sapientia, illum, qui primus formatus est à Deo, pater orbis terrarum, cùm solus esset creatus, custodiuit, charismatibus intellige, & donis suis: & postquam lapsus est, eduxit eum à delicto suo, & dedit illi virtutem continendi omnia,] id est, potestatem omnibus visibilibus dominandi. Et rursus: Deus creauit de terra hominem, & secundùm imaginem suam fecit illum.] Et iterum conuertit illum in ipsam, & secundùm se, vt scilicet decebat ipsum Deum, vestiuit virtute.] Quid autem esse potest, à Deo, vt ipsum decebat, hominem vestitum esse virtute, nisi diuinam misericordiam, ac largitatem perfectissimis virtutum donis hominem decorasse? Quæ autem sunt hæc dona, nisi ea præclarissima nomine vnius originalis iustitiæ contenta? quæ Prosper Regiensis Episcopus hac elegātissima oratione describit. Nō inquietabat molesta sollicitudo quietum, non fatigabat labor anxius otiosum, non somnus opprimebat inuitum, non amittendæ vitæ timor angebat de immortalitate securum. Habebat facilem victum, corpus ex omni parte sanum, tranquillum morum, cor mundum, ignarus pœnalis mali, habitator paradisi, expers peccati capax Dei. Postremò quid eò felicius fuit, qui erat orbis subiectus, nullus infestus, liber animus, & visibilis Deus?] Et reuera æquum est credere, talem hominem, scilicet gratia pulchrum & iustitia originali protectum, fuisse formatum, quoniam in gloriam ordinatus creabatur, & nullum erat impedimentum, quominus in ipso creationis puncto dona supernaturalia reciperet, & de manu Creatoris sui perfectus, & omnino sanus, imò & sanctus prodiret.

Eccle.7. D.Tho.1. p.q.95.ar.1. Gen.10. Orige.3.c.6. Basil. hom.10. examer. Ambr.lib.6.c.7. & 8. Nyss.hō. de creatione hominis. c.4.& 5. Ruper.2. de operib. trinit.c.3. Dama.2. fidei.c.12. Sapi.10. Eccl.17. Prosp.lib.2. de vita contemp. c.18.

Sed heu, homo in honore positus suam felicitatem non intellexit, & ideo honorem perdidit, dignitatem dilapidauit, innocentiæ statum amisit. Nam à veternoso serpente deceptus, & in præuaricationem lapsus, innocentiam cōmutauit in culpam, animæ fœdissimam maculā pro decore, & puritate suscepit, & turbam omnium malorum admittens, vniuersa bona gratuita à seipso separari permisit. Ecce Adam, inquit Dominus, veluti humanam stultitiam irridens, quasi vnus ex nobis factus est, sciens bonum & malum.] Sciuit bonum, quia sicut cū aliquis perdit oculos, aut manus, earum vtilitatem & necessitatem aduertit, ita homo terrenus perdendo iustitiam, iustitiæ dignitatē agnouit. Et sciuit malum, quia per peccatū omniū calamitatum, & miseriarum experimentum cepit, & malorum ac ægritudinum animæ copiā incurrit. Ille tam memoria tranquillus innumeris illuditur vanitatibus, & per ridicula, & noxia discurrit, adeò vt mœrēs cogatur dicere, quoniam cor meū dereliquit me.] Ille tā intellectu perspicax, mille ignorātiis & cæcitatibus implicatur: qui tunc bene aliquid sapit, cùm dicit, Comparatus sum iumētis insipientibus, & similis factus sum illis.] Ille tam voluntate rectus, à Deo discessit, & ad vilissima quæq; incuruatus est: nā de illo & de suis posteris scribitur: opus manuū suarū adorauerunt, quod fecerūt digiti eorū. Et incuruauit se homo, & humiliatus est vir.] Ille sensibus obediēs de eorum rebellione cōqueritur, & de nuditate animæ suæ ab ipsis sæpè facta tristatur. Oculus meus, inquit, deprædatus est animā meā in cūctis filiabus vrbis meę.] Ille appetitu subiectus, ab illo sibi poni laqueos animaduertit, & suos affectus, infidelitatis accusat: quia in via hac, qua ambulabā, absconderūt laqueū mihi.] Ille corpore sanus, & vegetus, maximis ac plurimis ægritudinib. affligitur (nam, vt dixit quidā, morborum mille species) imò & ipse qui patitur, dissimulare nesciēs, ait, quoniā infirmus sum, sana me Domine, quoniā conturbata sunt ossa mea.] Iam corpus animæ imperiū subire detrectat, etsi illa abstinere vult, hoc mā ducare; si illa vigilare appetit, istud dormire; si animā laborare, corpus otiari, & socordia consumi, delectat. Iam sensus, & appetitus rationi non parent, sed tamquam serui rebelles aduersus illā insurgunt, & (quod miserabilius est) deceptam, & captiuam pertrahunt. Iam ratio diuinas leges præterit, sui creatoris iussa contemnit: quæ audit; Fregisti iugum meum, rupisti vincula mea, & dixisti, non seruiam.] Quid moror, & hominis morbos enarro: omne caput languidum, & omne cor mœrens. A planta pedis vsque ad verticē non est in eo sanitas. Vulnus & liuor, & plaga tumens nō est circumligata, nec curata medicamine, neque fota oleo.] Aduerte istorum morborum tum multitudinem, tum qualitatem, & videbis nihil esse in homine, quod non ægrotet, interitum metuat, & dolorem sentiat. Caput, vt interpretatur Richardus Victorinus, est liberum arbitrium, cor, est consilium, pes, carnale est desiderium. Quid potest esse sanū in eo, cuius liberū arbitriū languet, ratio mœret, & affectus ægrotat? Caput, id est, liberum arbitrium languet, quia sine me, inquit Dominus, nihil potestis

Genes.3. Psal.39. Psal.48. Isaiæ.2. Thren.3. Psa.141. Psa.6. Ierem.2. Isa.1. Richa. de statu interioris hom. c.1. & 11. Ioan.15.

facere:]

facere:] & nihil languidius excogitari potest eo, qui sine externo adiutorio nihil omnino, quod ad salutem prosit, facere valet, nec se erigere, aut ad bonum mouere. Cor, id est, consilium, mœret: nam & apposita scientia, apponitur dolor & mœror, cùm certum sit, quòd in multa sapientia multa sit indignatio, & qui addit scientiam, addit & laborem.] Et quanto quis meliùs ratione cognoscit malum pœnæ, quo dignus est, tanto vehementiùs suis prauitatibus indignatur: & quantò perfectius perspicit malum, quod patitur; tanto acriori stimulo doloris vrget. Pes, id est, affectus, cum toto corpore dolet; non enim est sanitas in carne mea, ait, non est pax ossibus meis à facie peccatorum meorum.] Totus igitur homo languet, & velut quidam Iob percussus est vlcere pessimo à planta pedis vsque ad verticem, & nullum illi remedium manet nisi vt contritionis testa saniem tantorum delictorum radat, & in sterquilinio humilitatis sedeat.] At eo desperantius languet, quò nullum omnino remedium siue contritionis, siue humilitatis admittit. Nec enim vulnus peccati apposito medicamine detestationis curat, nec liuorem scandali circumspectione, & verecundia contegit, nec plagam tumentem prauæ consuetudinis, oleo saltem compunctionis illinit. Huius morbum sub nomine tyrannidis (quia non solùm generalis infirmitas, sed etiam dira tyrannis est) Bernardus non minùs pulchrè quàm deuotè depingit. Fuit aliquando, ait, cùm hoc meum castrum tyrannidi suæ impius ille subiecerat, sibi potestatiuè membris imperans vniuersis. Quantùm eo nocuerit tempore præsens adhuc indicat desolatio & egestas. Heu nec continentiæ murum in eo, nec patientiæ antemurale reliquit. Exterminauit vineas, messuit segetes, arbores extirpauit: quippe etiam oculus iste meus deprædabatur animam meam. Denique nisi quia Dominus adiuuit me, paulò minùs habitasset in inferno anima mea. Dico autem infernum inferiorem, vbi nulla confessio, vnde nemini datur exire. Cæterùm etiam tunc nec carcer illi deerat, nec infernus. Ab ipso nempe coniurationis, & perditionis pessimæ deprehensa principio, non alibi quàm in domo propria, carcerali est mancipata custodiæ, nec aliis, quàm suæ illius familiæ data tortoribus. Erat enim illi conscientia carcer, erant tortores ratio & memoria; atque hi quidem crudeles, austeri, & immisericordes: sed longè minùs rugientibus illis præparatis ad escam, quibus erat iam iamque tradenda.] Aduerte diligenter à quanta dignitate, ad quantā calamitatem; quanta sanitate, ad quantam infirmitatem; à quanta libertate, ad quantam seruitutem est homo prolapsus, qui in anima gratiæ vita priuatus, in viribus suis miserabilibus morbis percussus, & eisdem tamquam catenis & vinculis compeditus, crudelissimo tyranno dæmoni seruiebat, & infirmus, ac impotens, vt illi obtemperaret, anxiis curis, & operibus laboriosis vacabat?

Eccle. 1. — *Psal. 37.* — *Iob 2.* — *Bern. ser. 1. de assumpt.*

Quam magna gloria erit hunc vinctum expedire, hunc incarceratum eripere, hunc captiuum liberare? Quàm eximia laus debebitur ei, qui hūc ægrotum tam deploratum sanauerit, hunc mortuum suscitauerit, & ita vitæ & sanitati restituerit, vt & eius, qui infirmabatur, sit vita perfectior, salus robustior, status constantior, & merces meritorum gloriosior? Hoc, Domine, opus tuum est, ista tibi decreta est laus, ista non alij quàm tibi debetur gloria. Non alij quàm tibi Creatori meo, dico: Sana me Domine, & sanabor; saluum me fac, & saluus ero, quoniam laus mea tu es.] Tu enim es, qui animam mortuam viuificas, viuificatam sanas, sanatam, in vita & salute cōseruas, & à malo seruatam præordinato tempore in tuæ gloriæ palatium admittis. Hanc spiritualem salutem ab anima perditam Dominus, perfectionis beneficiò restaurat, quæ cùm gratia, & charitas perfecta sit, perfectis virtutibus exornata, & Spiritus sancti donis & abundantissimis auxiliis fulcita, nihil in anima mortuum, nihil ægrotum, aut vulneratum, nihil liuidum, aut deforme relinquit. Sed ordinem huius curationis, & datæ sanitatis consideremus, quia pulchrum est oculis, & suaue spirituali palato hominis istam mirabilem transformationem videre, & cibum hunc non iræ, non vindictæ, sed miserationis, sed amoris, sed pietatis gustare. Respice itaque mortuū, id est, peccatorem, à Deo, qui vita nostra est alienum, peccatis fœtidum, iniquitatibus corruptum & deprauatis moribus contaminatum. Si hic surrecturus est, & ad vitam rediturus accedit ad eū Christus, qui & Deus noster, & medicus est. Accedit, inquam, dum huius defuncti calamitatem respicit, miseriam intuetur, timore concutit, & à tam misero statu liberare disponit. Vt autem hoc mirabile opus ordiatur primò defunctū ad vitam reuocat, eo modo, quo Eliseus (in quo ipsemet Dominus præsignatus est) filium Sunamitidis reuocauit ad vitam. Ascendit, inquit, & incubuit super puerum: posuitque os suum super os eius: & oculos suos super oculos eius, & manus suas super manus eius, & incuruauit se super eum.] Ita prorsus propheta noster potens in opere & sermone, ascendit super interfectum istum, cùm eum humilitate subiicit sibi: incumbit super eum, cùm fletibus & gemitibus emollit; & vera peccati detestatione cooperit: ponit os suum super os eius, cùm labia ad confessionem peccatorum aperit; & oculos super oculos eius, cùm cordi ad cognoscēdam peccati fœditatem, & virtutis pulchritudinem, lumen intelligentiæ tribuit: & manus super manus eius, cùm manus in opera satisfactionis extendit: & incuruat se super puerum, cùm eius imbecillitati se attemperat, & nec mortui deformitate deterritus, nec fœtore reiectus, nec ingratitudine violatus, à cœpto desistit. Iam isto suaui, ac benigno contactu anima priùs defuncta incipit viuere, & vitæ insignia, id est, virtutis actiones ostendere. Calefacta est, inquit, caro pueri, & oscitauit puer septies, aperuitque oculos.] Calefit anima, cùm spiritus feruore concepto fructus dignos pœnitentiæ facit, & errata in Deum admissa operibus pœnitentiæ castigat. Oscitat septies, iuxta Bernardum, cùm quinque sensus duplici præcepto charitatis subiicit, & membra, quæ seruiebant iniquitati, ad iniquitatem, cogit seruire iustitiæ in sanctificationem, & aperit oculos, cum gressus suos in semitis iustitiæ dirigit, & ne ad vomitum reuertatur, attentè considerat.

Iere. 17. — *4. Reg. 4.* — *4. Reg. 4.* — *Bern. ser. 16. in Cant.*

Hoc præstantissimo iustificationis beneficio, quo homo detestatione peccati, & gratiæ infusione, ad Dei amicitiam reuertitur, viuus factus est, sed nondum sanus, quia reliquiæ adhuc pristinę mortis supersunt, id est, vitia prauis actionibus, acquisita quæ ipsum iam per gratiam viuentem, morosum ad bonum faciunt, & in lecto antiquæ vanitatis iacere cogunt, & functiones sanitatis, nempe faciles & suaues virtutum actiones impediunt. Crescat itaque gratia, consuetudine benè sanctèque viuendi, augeatur charitas, perficiatur omnis virtus, vt à primæua infirmitate ad perfectionem prouecta primùm vitia vincat, & liget, deinde domo cordis eijciat, postremò extrinsecus irruentia, aut infirmitate affectuum nostrorum aduersùs nos occultè bellantia non solùm irrideat, sed virtutis augmento seruire compellat. Dominus ergo perfectionis ministerio hominem gratis viuentem sanat, & quodammodo ad statum innocentiæ

amiſſum reuocat, dum omnia eius interiora & exteriora componit. Eius cor, antea per diſtractionem, & caliginem ignorantiæ mœrẽs, omni mœſtitia & anxietate liberat, dum memoriam deſiderio cœleſtium reprimit; & per noxia aut inania antea vagantem, Dei, aut rerum neceſſariarum, quo tempore, & loco neceſſariæ ſunt, recordatione coercet. Et dum intelligentiam ſplendore rerum ſupernarum illuminat, & à rebus terrenis auocatam ad cœleſtia iugiter contemplanda ſuſtollit. Eius caput antea per imbecillitatem, & boni faſtidium languens omni infirmitate, & repugnantia eximit, dum liberum arbitrium gratiæ auxiliis abundantiſſimis roborat, gemina charitate, Dei & proximi delinit, & iuſtitia, ac miſericordia componit. Eius pedem cum reliquo corpore morbidum ſanat, dum affectum per fortitudinem & temperantiam ab bonum quærendum exſuſcitat, & à deſiderio voluptatum prohibitarum abducit. Et ſic in officina crucis Chriſti mortificationis vnguento, & gratiæ medicaminibus, omnis languor pellitur, vt illud Pauli aſpiciamus impletum; Quia vetus homo noſter ſimul crucifixus eſt, vt deſtruatur corpus peccati, & vltra non ſeruiamus peccato. Iam vultus peccati abiit, quia homo peccato non tamquam mancipium ſeruit, ſed tamquam miles iuſtitiæ, & ſanctitatis bellum indicit. Iam liuor ſcandali fugit, quia iuſtus ſe aſpicientes, non ad malum prouocat, ſed luce bonorum operum ad omne bonum inuitat. Iam plaga tumens diſceſſit, quia inueterata conſuetudo mali in boni conſuetudinem mutata eſt, & omnem virtutem, omnem ſanctitatis actionem facillimè exercet, qui omne vitium & omnem impuritatem antea quæſierat. Iam in homine perfecto non apparent, niſi cogitationes ſanctæ, deſideria cæleſtia, verba fructuoſa, labores, & ſibi, & proximis, & Eccleſiæ proficui. Iam ille qui erat ſentina vitiorum, ſterquilinium iniquitatum, locus immunditiarum, factus eſt ſchola ſanctitatis, hortus amœnitatis, doctrina virtutis. Iam denique homo languidus, & triginta & octo annos habens in infirmitate ſua,] quia ad quadragenarium numerum (vt meditatus eſt Auguſtinus) vniuerſa lege ſacratum, duorum præceptorum charitatis impletione carebat, ad imperium Saluatoris tollit grabatum ſuum, & ambulat, quia corpus ſuum, corporiſque paſſiones, & omnia externa ſua in iuſtitiam, & mẽtis puritatem ordinat. Grabatum noſtrum corpus eſt, inquit Bernardus, in quo priùs languidi iacebamus ſeruientes deſideriis, & concupiſcentiis noſtris. Nunc portamus illud, cùm ſpiritui ſeruire cogimus: & mortuum noſtrum portamus, quia corpus mortuum eſt propter peccatum. Ambulamus tamen, noncurrimus, quia corpus, quod corrumpitur, aggrauat animam, & deprimit terrena inhabitatio ſenſum multa cogitantem. Ambulemus etiam in domum noſtram. In quam domum? in matrem omnium, quia ſepulchra eorum domus illorum in æternum. Vel potiùs in domum noſtram, quàm habemus ex Deo non manufactam, æternam in cœlis.] Sanus quidem, & vegetus factus eſt homo, qui non corpore tamquam lecto decumbat, ſed illud, onus certè importabile, facilè tollat, & humeris fortitudinis, & ſtabilitatis impoſitum, in domum ſuam, id eſt, in domum ſibi à Domino præparatam, & bonorum operum pretio mercatam, ſcilicet in cœleſtes manſiones inuehat.

Rom. 6.

Ioann. 5.

Auguſt. tract. 17. in Ioann.

Bern. ſer. in feria 4. hebdomada pœnoſa.

Salus iſta, quam genus humanum in ſanctis ac perfectis ſuſcepit, non ſolùm maior eſt illa quam in ſtatu innocentiæ poſſederat, ſed etiam eſt robuſtior atque glorioſior. Maior eſt, quia cœtus ſanctorum in hoc ſtatu præſtantiores ſanctos habet, & donis gratiæ nobiliores, & Deo coniunctiores, quàm innocentiæ ſtatus haberet. In illo enim pacis & tranquillitatis ſtatu opera quædam egregia, & præclara non eſſent, quibus ſtatus hic noſter nimium in modum abundat. In quo nimirum eſt patientia, & conſtantia Martyrum; Euangelica paupertas, caſtitas, & obedientia religioſorum; aſpera, ſeuera, & dura vita Monachorum; rigida, & vltra quàm credi poſſet intoleranda conuerſatio pœnitentium. In illo ſtatu non veniret Filius Dei (quod probabilius Thomas, Athanaſium, Ambroſium, Auguſtinum, Nazianzenum, Leonem, & alios patres ſecutus exiſtimat) carne noſtra velatus, & ita mundus illo duce, illo imperatore, illo ſole iuſtitiæ, illo copioſiſſimorũ donorũ largitore careret. In illo ſtatu nulla eſſet mater Dei, atque adeò nec talis gratia & ſanctitas (quæ profectò eximia eſt) qualis matri Dei debebatur, vnde & totus orbis minùs pulcher, & diues eſſet, hac gemma pretioſa, hac regina inclyta, hac luna plena, & nullum vmquam defectum ſuſtinente, priuatus. In illo ſtatu non eſſent Apoſtoli, Eccleſiæ patres, Sanctorũ principes, & cœli lumina, qui Chriſti conuictu, & conuerſatione, eximiæ dignitatis acquiſitione, inſignium meritorum adeptione, & laborum perpeſſione, tantam ſanctitatem nacti ſunt, quã tam nullus ad hunc conuictum non admiſſus, ad hanc dignitatem non vocatus accepit. In illo ſtatu non eſſet acies martyrum, qui larga effuſione proprij cruoris incomparabilem pulchritudinem Eccleſiæ attulerunt, & ſibiipſis paſſione mortis (qua nihil eſt difficilius, nihil amarius) eximium gratiæ, & meritorum incrementum compararunt. In illo ſtatu noſtrorum confeſſorum corona non eſſet, qui ſtigmatibus Chriſti donati, id eſt, rigore vitæ & ſuſtinentia maximorum laborum, diuites non tantùm bonis operibus ſine difficultate factis lucent, ſicut ſancti in ſtatu innocentiæ lucerent, ſed ciliciis & flagris liuidi, inedia & vigiliis ſqualidi; perſecutionibus & opprobriis exercitati reſplendent. In illo denique ſtatu non eſſet flos virginitatis, tentationibus impugnatus, & ancipitibus bellis ac contradictionibus impetitus. Licet enim tunc fœminæ, vt Auguſtinus & Thomas putant abſque fractione ſigilli virginalis conciperent, tamen virorum amplexibus, & generationi, ac filiis procreandis vacarent; quare homines vtriuſque ſexus pulcherrima & abundantiſſima merita victoriæ carnis non haberent. Iſtæ igitur illuſtriſſimæ dignitates, & iſta cumulatiſſima merita, ſanctis noſtris per Chriſtum data, illi ſtatui innocentiæ deficerent. Quare huius temporis gratia, & ſanctitas maior, & cumulatior eſt, multique ſancti noſtri omnes ſanctos, qui tunc haberentur, excedunt. Et ideo culpa primi parentis felix dicenda eſt, non ſolùm, vt inquit Gregorius, quia talem meruit habere Redemptorem, ſed etiam quia Redemptor noſter ita naturæ humanæ fracturam ſolidauit, vt eam pulchriorem redderet, ita diuitias perditas recuperauit, vt copioſiores & maiores efficeret. Vnde verum eſt dictum Pauli; vbi abundauit delictum, ſuperabundauit & gratia,] ſuperabundauit, inquam, gratia ſupra delictum, quia illud conſopiuit, & dono Dei adueniente omnino deleuit: & ſuperabundauit ſupra gratiam præcedentem, quia hæc per Chriſtum data, & tantis meritorum fluuiis augmentata, gratiam illam tam quietam & pacificam inundauit.

D. Tho. 3. p. q. 1. a. Athanaſ. ſerm. 3. contra Arrian. Amb. lib. de Incarnat. Dominica Sacram. c. 9. Aug. lib. 2. de peccato. merit. & remiſ. c. Nazian. orat. 4. de Theolog. Leo. ſer. 4. Pentecoſt.

Aug. 14. de ciuit. c. 26. D. Tho. 1. p q. 68. a. 2. ad 4.

Rom. 5.

Salus quoque ſanctorum poſt naturam lapſam robuſtior eſt, quod vel ex euentu ipſo dignoſcitur. Eua enim mater noſtra prima dæmonis ſuaſione decepta eſt, primo vulneris ictu proſtrata, primo

Genes. 3. laqueo, & illo non admodum occulto deuicta. Nequaquam, dixit aduersarius, morte moriemini.] Quis
Genes. 2. in his verbis statim dolum non videat? Dixerat Dominus, in quocumque die comederis ex eo, morte morieris:] & dicit Diabolus, nequaquam morte
Ioann. 8. moriemini; cuinam credendum erat? an Diabolo, qui mendax est, & pater eius?] an Deo, qui verax est, & origo veritatis? Nequaquam morte moriemini.] Verbum igitur Dei falsum erit, & verbum tuum, ô Diabole erit verum? comminatio Dei, & pœna transgres-
Genes. 3. soribus irrogata, irrita erit & nulla, mendacium autem tuum stabit? Scit enim Deus, ais, quòd in quocumque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri, & eritis sicut Dij.] Ergo inobedientiæ & diuini mandati transgressio, quæ Angelos in dæmones conuertit, & te ex pulcherrimo atque sanctissimo deterrimum, & iniquissimum effecit, Deos facit? Ergo Deus tam infirmus, & imbecillus est, vt ipso reluctante possit creatura vilissima, ab eo per peccatum fugiendo, se Deo vnire, Deitatis coronam surripere, & in thronum Deo præparatum ascendere? Ista suasio, ô Diabole, dolus est, tendicula est, mendacium est, quod vel stultissimi intelligent, & à morte sub prætextu diuinitatis oblata effugient. Ac mater nostra Eua, aut non intellexit, aut se intelligere dissimulauit, vt suo appetitui satisfaceret, & pomi vetiti gustum, & saporem acciperet. At Adam pater noster,
Genes. 3. nihilo fortior factus vno coniugis verbulo, vna mulierculæ lacrymacula victus est, dedítque viro suo pomum, qui comedit, & aperti sunt oculi amborũ.] Siccine diuinum mandatum à primo humani generis parente, custodiendum fuit? hanc lex facilis, ad postulandam obediẽtiam data, fuit à rationabili creatura seruanda? An ille, qui, vt inquit Paulus, seductus
1. Tim. 2. non est,] debuit, vt mulieris voluntati satisfaceret, Dei voluntati contraire, seipsum pessumdare, omnes nos perdere, & orbem vniuersum turbare? Quæ dedit, ait, viro suo & comedit.] Vt indicet, quòd qua facilitate comedit pomum, deglutiuit peccatum, gustauit mortem; & gratiæ ac iustitiæ dona sibi concessa vastauit. Ista fuit duorum illorum hominum perfectorum fidelitas erga Deum; quos status innocentiæ tulit. Nam & illi non tantùm gratiosi creati sunt, verùm in gratia quoque, & charitate perfecti. At sancti post lapsum Adæ à Christo liberati non ita facile dæmoni se subdiderũt, & eius cantum Sirenis auscultarunt. Multis eorum parum visum est, se à vetito ligno subtrahere, id est, à rebus prohibitis affectum subducere, nisi etiam non prohibita fugerent, quæ possent aut mentem à diuinis auellere, aut velocem in Deum cursum retardare, Ideóque diuitias contempserunt, delicias irriserunt, honores, & dignitates repudiarunt, & omnium rerum creatarum nuditatem sectati sunt, ne qua res eorum affectum ad cælum euolantem detineret, aut purissimam mentem aliqua cura negotij sæcularis inficeret. Multi non vnius arboris pomo, sed magnis voluptatibus illecti, aut superbis opibus, & sæculi splendoribus inuitati, eos constanter reiecerunt, aliquãdo ne diuinam amicitiam perderent, nonnumquam verò (quod maius est) ne sine diuinæ gratiæ iactura, saltem interiorem quietem perderent, aut iam adeptam puritatẽ amitterent. Multi apud reges & principes mundi grauiter offenderunt, & ab omnibus amicis & inimicis contemni & irrideri, & spoliari passi sunt, ne vel in minimo veritatem desererent, aut in vitium adulationis & leuitatis incurrerẽt. Multi flagella, colaphos, infamiam, aculeos, cruces, & vniuersa tormentorum genera, & ipsam mortem, & illam acerbissimam sustinuerunt, ne fides & innocentia sibi surri-

A peretur, & ne sanctissimarum Dei legum transgressores existerent, aut patriæ cælestis inuenirentur extorres. Hi ergo, (in quorum cœtu non solùm viros fortes, sed infirmas mulieres, & tenerrimas virgunculas, & pusillos infantes aspicio) qui ita fortiter aduersùs dæmonem dimicarunt, & eius caput fregerunt, & suis insidijs insultauerunt, & tanta fidelitate atque cõstantia Dei amicitiam tutati sunt; robustiorem, & stabiliorem salutem animæ se habere prætendunt, his, qui leuissima tentatione suborta ab illo felici statu deciderunt, & seipsos atque nos omnes in peccatum & mortem præcipitarunt. Et sicut illi, qui in laboribus & assiduis corporis sudoribus sunt, educati robustiores sunt, quàm ij, qui in delicijs & otiositate nutriuntur; ita perfecti viri tentationibus & in-
B sultibus assueti (iuxta necessitatem suam) fortiorem gratiam, & (vt ita dicam) salubriorem accipiunt, quàm homines in statu innocẽtiæ obtinerent, qui aut nullas aut paucas tentationes, & illas non ab ipsa natura corrupta, & ad malum prona, sed ab extrinseco exortas sustinerent: quas facillimè adderent, & cum abundantissima gratia illi statui tributa superarent.

Ac tandem salus nostrorum sanctorum est multò felicior, atque gloriosior, quia non tantùm dono data, sicut illa primorum parentum, sed bello & armis accepta, & proprijs laboribus acquisita. Si enim gloriosius est, diuitias, & nobilitatem industria propria, & armis parare, quàm donatione regum accipere, &
C si felicius est opes à parentibus perditas recuperare, & augere, quàm ab ipsis partas imprudenter prodigere: illustrius etiam erit, gratiam, & iustitiam ab homine lapso labore sanctarum actionum, quibus gratiæ cooperatur, & Dei vocationi respondet, reparari, beatius innocentiam à primis parentibus amissam filios Deo fideles sanctitate operum obtinere. Et illi quidem patris nostri perfectionem dono datam; & sine meritis acceperunt, acceptámque post paucas horas miserabiliter consumpserunt, at sancti, & perfecti viri illorum natura filij, sed gratia filij Dei, non donatione sola, sed sanctissimæ vitæ meritis habuerunt, & ab illis consumptam non sine magno incremento repararunt. Quòd si isti in hoc statu captiuitatis constituti, nonnumquam cadunt, aut maculas leuium peccatorum contrahunt, hi casus, aut hæ ma-
D culæ eorum gloriam nequaquam minuunt, quia gloriosius est in ancipiti bello, licèt non sine suscepto vulnere, victoriam assequi, & ingentes diuitias de manibus hostium rapere, quàm in tranquillissima pace partas sine labore opes manibus deprædatorum offerre. Hæc est ergo maxima gloria Dei, quòd per Christum filium suum, hominem mortuum suscitauit, inimicum reconciliauit, iacentem erexit, & mille vulneribus saucium, perfectæ sanitati restituit. Hæc est incomprehensibilis laus Creatoris, & Saluatoris nostri, quod homines inimicos in suam arctissimam amicitiam euehit, iniquitatibus fœdatos non vtcumque mundat, sed purissimos reddit, & planè terrenos immissa perfectione virtutis cælestes constituit. Hoc est demùm illustrissimum crucis Christi trophæum,
E quòd peccatores sanguine ex suo latere manante purgauit, suis ignominijs nobilitauit, & sua nuditate sanctitatis stola vestiuit. Hanc gloriam, quam Dominus ex sanctorum vita reportat, ex tua vita, ô religiose, qui hæc legis, etiam accipiet, si sanctitatis viã ingrediatis, si teipsum vincas, si mundana deseras, si virtutes quæras, si vitia derelinquas, & si Deo intellectu & affectu cohæreas. Quare enitendum tibi est à somno tepiditatis surgere, à feretro socordiæ, in quo mortuus iaces, Deo vocante, & iuuante, teipsum

erigere,

amissum reuocat, dum omnia eius interiora & exteriora componit. Eius cor, antea per distractionem, & caliginem ignorantiæ mœrés, omni mœstitia & anxietate liberat, dum memoriam desiderio cœlestium reprimit; & per noxia aut inania antea vagantem, Dei, aut rerum necessariarum, quo tempore, & loco necessariæ sunt, recordatione coercet. Et dum intelligentiam splendore rerum supernaturum illuminat, & à rebus terrenis auocatam ad cœlestia iugiter contemplanda sustollit. Eius caput antea per imbecillitatem, & boni fastidium languens omni infirmitate, & repugnantia eximit, dum liberum arbitrium gratiæ auxiliis abundantissimis roborat, gemina charitate, Dei & proximi delinit, & iustitia, ac misericordia componit. Eius pedem cum reliquo corpore morbidum sanat, dum affectum per fortitudinem & temperantiam ab bonum quærendum exsuscitat, & à desiderio voluptatum prohibitarum abducit. Et sic in officina crucis Christi mortificationis vnguento, & gratiæ medicaminibus, omnis languor pellitur, vt illud Pauli aspiciamus impletum; Quia vetus homo noster simul crucifixus est, vt destruatur corpus peccati, & vltra non seruiamus peccato. *Rom. 6.* Iam vulnus peccati abiit, quia homo peccato non tamquam mancipium seruit, sed tamquam miles iustitiæ, & sanctitatis bellum indicit. Iam liuor scandali fugit, quia iustus se aspicientes, non ad malum prouocat, sed luce bonorum operum ad omne bonum inuitat. Iam plaga tumens discessit, quia inueterata consuetudo mali in boni consuetudinem mutata est, & omnem virtutem, omnem sanctitatis actionem facillimè exercet, qui omne vitium & omnem impuritatem antea quæsierat. Iam in homine perfecto non apparent, nisi cogitationes sanctæ, desideria cælestia, verba fructuosa, labores, & sibi, & proximis, & Ecclesiæ proficui. Iam ille qui erat sentina vitiorum, sterquilinium iniquitatum, locus immunditiarum, factus est schola sanctitatis, hortus amœnitatis, doctrina virtutis. Iam denique homo languidus, & triginta & octo annos habens in infirmitate sua,] *Ioann. 5.* quia ad quadragenarium numerum (vt meditatus est Augustinus) *August. tract. 17. in Ioann.* vniuersa lege sacratum, duorum præceptorum charitatis impletione carebat, ad imperium Saluatoris tollit grabatum suum, & ambulat, quia corpus suum, corporisque passiones, & omnia externa sua in iustitiam, & mētis puritatem ordinat. Grabatum nostrum corpus est, inquit Bernardus, *Bern. ser. in feria 4. hebdomada sanct.* in quo priùs languidi iacebamus seruientes desideriis, & concupiscentiis nostris. Nunc portamus illud, cùm spiritui seruire cogimus: & mortuum nostrum portamus, quia corpus mortuum est propter peccatum. Ambulamus tamen, non currimus, quia corpus, quod corrumpitur, aggrauat animam, & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem. Ambulemus etiam in domum nostram. In quam domum? in matrem omnium, quia sepulchra eorum domus illorum in æternum. Vel potiùs in domum nostram, quàm habemus ex Deo non manufactam, æternam in cœlis.] Sanus quidem, & vegetus factus est homo, qui non corpore tamquam lecto decumbat, sed illud, onus certè importabile, facilè tollat, & humeris fortitudinis, & stabilitatis impositum, in domum suam, id est, in domum sibi à Domino præparatam, & bonorum operum pretio mercatam, scilicet in cœlestes mansiones inuehat.

Salus ista, quam genus humanum in sanctis ac perfectis suscepit, non solùm maior est illa quam in statu innocentiæ possederat, sed etiam est robustior atque gloriosior. Maior est, quia cœtus sanctorum in hoc statu præstantiores sanctos habet, & donis

A gratiæ nobiliores, & Deo coniunctiores, quàm innocentiæ status haberet. In illo enim pacis & tranquillitatis statu opera quædam egregia, & præclara non essent, quibus status hic noster nimium in modum abundat. In quo nimirum est patientia, & constantia Martyrum; Euangelica pauperias, castitas, & obedientia religiosorum; aspera, seuera, & dura vita Monachorum: rigida, & vltra quàm credi posset intoleranda conuersatio pœnitentium. In illo statu non veniret Filius Dei (quod probabilius Thomas, Athanasium, Ambrosium, Augustinum, Nazianzenum, Leonem, & alios patres secutus existimat) *D. Tho. 3. p. q. 1. a. Athanas. serm. 3. contra Arrian. Amb. lib. de Incarnat. Dominica Sacram. c. 9. Aug. lib. 1. de peccato. merit. & remiss. c. Nazian. orat. 4. de Theolog. Leo. ser. 1. Pentecost.* carne nostra velatus, & ita mundus illo duce, illo imperatore, illo sole iustitiæ, illo copiosissimorū donorū largitore careret. In illo statu nulla esset B mater Dei, atque adeò nec talis gratia & sanctitas (quæ profectò eximia est) qualis matri Dei debebatur, vnde & totus orbis minùs pulcher, & diues esset, hac gemma pretiosa, hac regina inclyta, hac luna plena, & nullum vmquam defectum sustinente, priuatus. In illo statu non essent Apostoli, Ecclesiæ patres, Sanctorū principes, & cœli lumina, qui Christi conuictu, & conuersatione, eximiæ dignitatis acquisitione, insignium meritorum adeptione, & laborum perpessione, tantam sanctitatem nacti sunt, quātam nullus ad hunc conuictum non admissus, ad hanc dignitatem non vocatus accepit. In illo statu non esset acies martyrum, qui larga effusione proprij cruoris incomparabilem pulchritudinem Ecclesiæ attulerunt, & sibiipsis passione mortis (qua nihil est C difficilius, nihil amarius) eximium gratiæ, & meritorum incrementum compararunt. In illo statu nostrorum confessorum corona non esset, qui stigmatibus Christi donati, id est, rigore vitæ & sustinentia maximorum laborum, diuites non tantùm bonis operibus sine difficultate factis lucent, sicut sancti in statu innocentiæ lucerent, sed ciliciis & flagris liuidi, inedia & vigiliis squalidi; persecutionibus & opprobriis exercitati resplendent. In illo denique statu non esset flos virginitatis, tentationibus impugnatus, & ancipitibus bellis ac contradictionibus impetitus. Licet enim tunc fœminæ, vt Augustinus & Thomas *Aug. 14. de ciuit. c. 26. D. Tho. 1. p. q. 68. a. 2. ad 4.* putant absque fractione sigilli virginalis conciperent, tamen virorum amplexibus, & generationi, ac filiis procreandis vacarent; quare homines vtriusque D sexus pulcherrima & abundantissima merita victoriæ carnis non haberent. Istæ igitur illustrissimæ dignitates, & ista cumulatissima merita, sanctis nostris per Christum data, illi statui innocentiæ deficerent. Quare huius temporis gratia, & sanctitas maior, & cumulatior est, multique sancti nostri omnes sanctos, qui tunc haberentur, excedunt. Et ideo culpa primi parentis felix dicenda est, non solùm, vt inquit Gregorius, quia talem meruit habere Redemptorem, sed etiam quia Redemptor noster ita naturæ humanæ fracturam solidauit, vt eam pulchriorem redderet, ita diuitias perditas recuperauit, vt copiosiores & maiores efficeret. Vnde verum est dictum Pauli; *Rom. 5.* vbi abundauit delictum, superabundauit & gratia,] superabundauit, inquam, E gratia supra delictum, quia illud consopiuit, & dono Dei adueniente omnino deleuit: & superabundauit supra gratiam præcedentem, quia hæc per Christum data, & tantis meritorum fluuiis augmentata, gratiam illam tam quietam & pacificam inundauit.

Salus quoque sanctorum post naturam lapsam robustior est, quod vel ex euentu ipso dignoscitur. Eua enim mater nostra prima dæmonis suasione decepta est, primo vulneris ictu prostrata, primo

Genes. 3. laqueo, & illo non admodum occulto deuicta. Nequaquam, dixit aduersarius, morte moriemini.] Quis Genes. 2. in his verbis statim dolum non videat? Dixerat Dominus, in quocumque die comederis ex eo, morte morieris:] & dicit Diabolus, nequaquam morte mo- Ioann. 8. riemini; cuinam credendum erat? an Diabolo, qui mendax est, & pater eius?] an Deo, qui verax est, & origo veritatis? Nequaquam morte moriemini.] Verbum igitur Dei falsum erit, & verbum tuum, ô Diabole erit verum? comminatio Dei, & pœna transgres- Genes. 3. soribus irrogata, irrita erit & nulla, mendacium autem tuum stabit? Scit enim Deus, ais, quòd in quocumque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri, & eritis sicut Dij.] Ergo inobedientiæ & diuini mandati transgressio, quæ Angelos in dæmones conuertit, & te ex pulcherrimo atque sanctissimo deterrimum, & iniquissimum effecit, Deos facit? Ergo Deus tam infirmus, & imbecillus est, vt ipso reluctante possit creatura vilissima, ab eo per peccatum fugiendo, se Deo vnire, Deitatis coronam surripere, & in thronum Deo præparatum ascendere? Ista suasio, ô Diabole, dolus est, tendicula est, mendacium est, quod vel stultissimi intelligent, & à morte sub prætextu diuinitatis oblata effugient. Ac mater nostra Eua, aut non intellexit, aut se intelligere dissimulauit, vt suo appetitui satisfaceret, & pomi vetiti gustum, & saporem acciperet. At Adam pater noster, Genes. 3. nihilo fortior factus vno coniugis verbulo, vna mulierculæ lacrymacula victus est, dedítque viro suo pomum, qui comedit, & aperti sunt oculi amborū.] Siccine diuinum mandatum à primo humani generis parente, custodiendum fuit? Itane lex facilis, ad postulandam obedientiam data, fuit à rationabili creatura seruanda? An ille, qui, vt inquit Paulus, seductus 1. Tim. 2. non est,] debuit, vt mulieris voluntati satisfaceret, Dei voluntati contraire, seipsum pessundare, omnes nos perdere, & orbem vniuersum turbare? Quæ dedit, ait, viro suo & comedit.] Vt indicet, quòd qua facilitate comedit pomum, deglutiuit peccatum, gustauit mortem; & gratiæ ac iustitiæ dona sibi concessa vastauit. Ista fuit duorum illorum hominum perfectorum fidelitas erga Deum; quos status innocentiæ tulit. Nam & illi non tantùm gratiosi creati sunt, verùm in gratia quoque, & charitate perfecti. At sancti post lapsum Adæ à Christo liberati non ita facile dæmoni se subdiderūt, & eius cantum Sirenis auscultarunt. Multis eorum parum visum est, se à vetito ligno subtrahere, id est, à rebus prohibitis affectum subducere, nisi etiam non prohibita fugerent, quæ possent aut mentem à diuinis auellere, aut velocem in Deum cursum retardare, Ideóque diuitias contempserunt, delicias irriserunt, honores, & dignitates repudiarunt, & omnium rerum creatarum nuditatem sectati sunt, ne qua res eorum affectum ad cælum euolantem detineret, aut purissimam mentem aliqua cura negotij sæcularis inficeret. Multi non vnius arboris pomo, sed magnis voluptatibus illecti, aut superbis opibus, & sæculi splendoribus inuitati, eos constanter reiecerunt, aliquādo ne diuinam amicitiam perderent, nonnumquam verò (quod maius est) ne sine diuinæ gratiæ iactura, saltem interiorem quietem perderent, aut iam adeptam puritatē amitterent. Multi apud reges & principes mundi grauiter offenderunt, & ab omnibus amicis & inimicis contemni & irrideri, & spoliari passi sunt, ne vel in minimo veritatem desererent, aut in vitium adulationis & leuitatis incurrerēt. Multi flagella, colaphos, infamiam, aculeos, cruces, & vniuersa tormentorum genera, & ipsam mortem, & illam acerbissimam sustinuerunt, ne fides & innocentia sibi surri-

A peretur, & ne sanctissimarum Dei legum transgressores existerent, aut patriæ cælestis inuenirentur extorres. Hi ergo, (in quorum cœtu non solùm viros fortes, sed infirmas mulieres, & tenerrimas virgunculas, & pusillos infantes aspicio) qui ita fortiter aduersùs dæmonem dimicarunt, & eius caput fregerunt, & suis insidiis insultauerunt, & tanta fidelitate atque cōstantia Dei amicitiam tutati sunt; robustiorem, & stabiliorem salutem animæ se habere prætendunt, his, qui leuissima tentatione subotta ab illo felici statu deciderunt, & seipsos atque nos omnes in peccatum & mortem præcipitarunt. Et sicut illi, qui in laboribus & assiduis corporis sudoribus sunt, educati robustiores sunt, quàm ij, qui in deliciis & otiositate nutriuntur; ita perfecti viri tentationibus & in- B sultibus assueti (iuxta necessitatem suam) fortiorem gratiam, & (vt ita dicam) salubriorem accipiunt, quàm homines in statu innocētiæ obtinerent, qui aut nullas aut paucas tentationes, & illas non ab ipsa natura corrupta, & ad malum prona, sed ab extrinseco exortas sustinerent: quas facillimè adderierent, & cum abundantissima gratia illi statui tributa superarent.

Ac tandem salus nostrorum sanctorum est multò felicior, atque gloriosior, quia non tantùm dono data, sicut illa primorum parentum, sed bello & armis accepta, & propriis laboribus acquisita. Si enim gloriosius est, diuitias, & nobilitatem industria propria, & armis parare, quàm donatione regum accipere, & C si felicius est opes à parentibus perditas recuperare, & augere, quàm ab ipsis partas imprudenter prodigere: illustrius etiam erit, gratiam, & iustitiam ab homine lapso labore sanctarum actionum, quibus gratiæ cooperatur, & Dei vocationi respondet, reparari, beatius innocentiam à primis parentibus amissam filios Deo fideles sanctitate operum obtinere. Et illi quidem patris nostri perfectionem dono datam; & sine meritis acceperunt, acceptámque post paucas horas miserabiliter consumpserunt, at sancti, & perfecti viri illorum natura filij, sed gratia filij Dei, non donatione sola, sed sanctissimæ vitæ meritis habuerunt, & ab illis consumptam non sine magno incremento repararunt. Quòd si isti in hoc statu captiuitatis constituti, nonnumquam cadunt, aut maculas leuium peccatorum contrahunt, hi casus, aut hæ ma- D culæ eorum gloriam nequaquam minuunt, quia gloriosius est in ancipiti bello, licèt non sine suscepto vulnere, victoriam assequi, & ingentes diuitias de manibus hostium rapere, quàm in tranquillissima pace partas sine labore opes manibus deprædatorum offerre. Hæc est ergo maxima gloria Dei, quòd per Christum filium suum, hominem mortuum suscitauit, inimicum reconciliauit, iacentem erexit, & mille vulneribus saucium, perfectæ sanitati restituit. Hæc est incomprehensibilis laus Creatoris, & Saluatoris nostri, quod homines inimicos in suam arctissimam amicitiam euehit, iniquitatibus fœdatos non vtcumque mundat, sed purissimos reddit, & planè terrenos immissa perfectione virtutis cælestes constituit. Hoc est demùm illustrissimum crucis Christi trophæum, E quòd peccatores sanguine ex suo latere manante purgauit, suis ignominiis nobilitauit, & sua nuditate sanctitatis stola vestiuit. Hanc gloriam, quam Dominus ex sanctorum vita reportat, ex tua vita, ô religiose, qui hæc legis, etiam accipiet, si sanctitatis viā ingrediatis, si teipsum vincas, si mundana deseras, si virtutes quæras, si vitia derelinquas, & si Deo intellectu & affectu cohæreas. Quare enitendum tibi est à somno tepiditatis surgere, à feretro socordiæ, in quo mortuus iaces, Deo vocante, & iuuante, teipsum

erigere,

erigere, vt omnes qui hoc mirabile opus aspexerint, timor accipiat, ita vt dicant; Quia Propheta magnus surrexit in nobis, & quia Dominus visitauit plebem suam.

Quòd perfectio animam in verissimam dignitatem extollit.

CAPVT XV.

MAgna prorsus est hæc gloria medici nostri, quòd ægrum iam desperatum, perfectione sanauerit, sed non minor est gloria Regis nostri, quòd hominem abiectissimum, & filium iræ, atque gehennæ, perfectione in altissimam dignitatem euexerit. Quæ enim maior animæ dignitas esse potest, quàm quòd sit amica Dei; quòd sit filia Dei; quòd sit sponsa Dei: hac verò anima sanctitate pura, & virtute perfecta cumulatissimè iustos imperfectos excellit. Sed relinquamus dignitatem istam, quàm suprà tetigimus, & aliam præstantissimam exprimamus. Hæc autem est, quòd anima viri perfecti, est magnificentissima habitatio Dei, quam Dominus non molestus peccatorum impetitus, sed odoriferis floribus sanctorum desideriorum, & suauissimis fructibus bonorum operum septus inhabitat. Longè sint nunc à nostra memoria iniquorum animæ, quæ porcorũ sunt cœnum, id est, dæmonum domicilium, in quibus tamquam in fœdissimo luto volutantur, & solùm animarum imperfectarum ac perfectarum discrimen consideremus, vt horum dignitas nos in magnam admirationem, & ex ea in ardens desiderium perfectionis adducat. Animas tepidorum, & terrenis affectibus feruentium hospitia esse summi Dei negare nõ possumus, modò illæ gratiam diuinam habeant, & graui aliquo peccato non sordeant. At qualia hospitia? certè alia, quæ & ipsis imperfectis non minimam ignominiam afferant, & benignissimo Deo in illis commoranti grauissimam molestiam ingerant. Si tu regi potentissimo angustam cellam in hospitium tribuisses, portis, & seris priuatam, sordibus fœdatam, sedilibus, & mensa, & lecto, & omnibus aliis necessariis vacuam, nónne tibi esset ignominiosa ista hospitalitas, & regi molesta? Sed hoc facis, cùm in mente imperfectionum, & turbationum, & curarum sæcularium plena Deum tuum habitare compellis. Ista enim tua mens, quia circumspectionem non habet, qua amorem rerum mundanarum fugiat, portis & seris caret, quia peccatis leuibus, numquam gemitibus & mœrore dilutis, satis referta est, stercore, & puluere sordet: quia virtutum decore vacua est, sede, & mensa, & lecto, & aliis ad commodam habitationem necessariis eget. Non mirum si summus Rex indignatus eam deserat, & te aliquo graui peccato subiacere permittat, & tuam cæcitatem & stoliditatem exhorreat. Qui Regem cœlestem, cui cœlum sedes est, quem cœli cœlorum capere non possunt, tam irreuerenter excipis, tam indignè tractas, & in tam vilissimo, & fœtidissimo hospitio principem gloriæ ob tuam negligentiam commanere non erubescis: an nescis, quid faciat Dominus, cùm in tali anima tepida, & incuriosa sibi hospitium præparatur? Vocat Angelos suos, vocat ministros suos, id est, prælatos, & iubet illis per os Ieremiæ: Vlulate super terram animam: tollite resinam ad dolorem eius, si fortè sanetur.] Quòd si medicinam auersetur, & morum emendationem subire detrectet, ait, Curauimus Babylonem & non est sanata, derelinquamus eam, & eamus vnusquisque in viam suam, quoniam peruenit vsque ad cœlos iudicium damnationis eius, & eleuatũ est vsque ad nubes.] Vide nõ solùm quàm ignominiosum, sed etiã quàm periculosũ sit Deũ in hospitio animæ segnis & vecordis excipere, siquidem eã Dominus tantis imperfectionibus indignatus, relinquit, & ex paruis ad maiora & grauia prolabẽtem, iudicio, quod peruenıat vsq; ad cœlos, id est, grauissima damnatione, castigat.

At anima viri perfecti habitatio Dei est, tam pulchra, tam magnifica, tam sibi grata & accepta, vt eam domum, & sedem, & requiem, & planè cœlum pulcherrimis astris decoratum appellet. Domus Dei est, vel (vt modestiùs de habitaculo supernæ maiestatis loquamur) cœnaculum paruulum, per quod Dominus non cursim, & velociter transit, sed in eo perseueranter & libenter requiescit. An non mulier illa magna Sunamitis dixit viro suo, vt Elisæi præsentia frueretur: Faciamus ei cœnaculum paruum, & ponamus in eo lectum, & mensam, & sellam & cãdelabrum, vt cùm venerit ad nos, maneat ibi?] Neque est suo desiderio frustrata; quia veniens Propheta in cœnaculo sibi parato requieuit. Idem ergo nobis faciẽdum est, & perfectionis acquisitione facimus, quia scilicet Domino in cordibus nostris habitaculum, in quo requiescat, præparamus. Cor námque viri perfecti cœnaculum Dei est, humilitate paruum, mortificatione quietum, castitate, & rerum contemptione mundum. Nec cœnaculum vacuum est, sed rebus necessariis optimè ad habitationem instructum. Inuenitur enim in eo pacis lectulus, contritionis mensa, iudicij sella, & cognitionis propriæ candelabrum. Pax lectus est, quia in pace factus est locus eius:] locus, inquam, vbi tamquam in lectulo requiescit, & suauiter dormit. Contritio mensa est, nam ad illius mensam recumbebat Dominus, qui dicebat: Cinerem tamquam panem manducabam, & potum meũ cum fletu miscebam.] Hunc panem licèt insuauem non despicit Dominus, imò libenter manducat. Cor enim contritum & humiliatum, inquit, Deus non despicies.] Iudicium sedes est: quoniam iustitia & iudicium præparatio sedis tuæ.] Et sedem Domino parat, in qua sententiam nostræ absolutionis pronũciet, qui sua errata diligenter examinat, & debita seueritate castigat. Sui cognitio candelabrum est, non vacuum, sed lucerna clarissima decoratum, nam omnis cognitio est lux; quæ mentem nostram illuminat, & ignorantiæ tenebras relegat. Cum his omnibus donis anima sancta polleat, non est ambigendum, quin cœnabulum Dei sit, in quo verus Eliseus Saluator noster Iesus iugiter maneat, donec in præmium hospitalitatis sedulæ virũ perfectum in æternas mansiones excipiat. Quare Paulus, discrimen inter Mosem & Christum constituens, quòd ille sit Dei seruus, hic filius, ait, Christus verò tamquam filius in domo sua, quæ domus sumus nos: si fiduciam, & gloriam spei vsque ad finem firmam retineamus.] Hanc domum ipse Christus in cordibus iustorum extruit præstantiori ratione, quàm reges terræ sibi palatia aut domos ædificant. Quoniam isti non propriis manibus, sed ministerio seruorum aut artificum domos fabricant, & sæpè non tanta maiestate, & stabilitate, quantam vellem, aut imperitia artificis, qui mente concepta actione perficiat, aut defectu materiæ, quæ tantùm decorem suscipiat; aut vtilitate lignorum, & lapidum & cæterorum huiusemodi, quibus stabilis permanentia repugnat. At Dominus ipse domum perfectionis elaborat, & quia omnipotens est, & nihil inueniri potest, quod illi resistat, eam splendidissimam & tutissimam, quantum vult, in

sanctis

Marginalia: Luc. 7. — Ierem. 51. — Ibidem. — 4. Reg. 4. — Psal. 75. — Psal. 101. — Psal. 50. — Psal. 88. — Hebr. 3.

sanctis viris ædificat. Tanta est huius domus pulchritudo, vt eam attentè considerans, omnibus rebus præferat, & ideo dicat: Domine dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ.] Tanta stabilitas, vt portæ inferi non prævaleant aduersùs eam: & licet descendat pluuia, & veniant flumina, & perflent venti, & irruant in domum istam, non cadat, quia fundata est non super arenam instabilitatis humanæ, sed supra petram potestatis diuinæ.]

Psal. 5. Matt. 7.

Quia verò Deus in anima viri perfecti iocundam, & pacatam habitationem habet, ideo vocatur sedes Dei: Nam sedes locum requietionis designat. An non sedes regis, in quo iura decernit, thronus dicitur? Sed animam perfectam Dominus thronum suum vocat. Veni, inquit, electa mea; & ponā in te thronū meū:] thronum nimirum sanctitatis & perfectæ virtutis, in quo Dominus Rex potens, & gloriosus apparet, in quo desideria iustorum approbat, & impietatem iniquorum condemnat. Sanctorum enim, seu perfectorum desideriorum, & bonorum operum approbatio est, quia Deus sanctos cæteris filiis Ecclesiæ in exemplum proponens, in illis quid approbet, & quid sibi sit gratum ostendit. Et eadem perfectorum vita, est impiorum condemnatio, quia si Deus vitam sanctorum amat, & præmio afficit, conuersationem malorum, sanctæ vitæ contrariam odio habet, atque cōdemnat. Si à perfecta anima iudicium approbationis iustorum, & damnationis iniquorum prodit, non mirum si thronus Dei & sedes regia existimetur. Ad hanc sedem venit Dominus, vt eam honore ex sua præsentia manante prosequatur, & tamquam sedem regni ab hostibus sibi infestis defendat. Ad eum quippe veniemus, inquit, ad eum scilicet qui verè diligit, & diuina mandata custodit, & mansionem apud eum faciemus.] Quid enim accipit seruus ex mansione regis apud ipsum, nisi honorem, diuitias, & defensionem? Sed hæc eadem iusta anima recipit, ex eo quòd Deus ad illam veniat, & in ipsa tamquam in throno sedeat. Accipit honorem: nam vniuersi honorificè tractāt sedem, in qua princeps sedet, & requiescit. Accipit diuitias, quia nihil est ditius ea anima, quæ Deum auctorem omnium bonorum possidet, & in suo gremio recondit. Accipit defensionem, nam decet regem, suam sedem tueri, & ab omni aduersitate defendere. Hanc sedē Dominus in Ecclesia erigit, & in omni ætate, & in omni loco constituit, (nullum enim est sæculum, nullum fidele regnum, in quo Deus aliquos perfectos non suscitet) vt ex ea in minores filios Ecclesiæ misericordiam effundat. Ecce inquit, tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cū eis, & ipsi populus eius erunt, & ipse Deus cum eis, erit eorum Deus.] Tabernaculum Dei cum hominibus, sunt sancti, & perfecti viri qui in mundo habitant, & nondum ad sedes cœlestes translati sunt: Nam in eminentia sanctitatis, tamquam in altiori loco sunt positi, vt in eis Dominus sedens, & inter alios communes homines habitans, istos ad se trahat, & ad suum amorem, & obsequium alliciat. Cùm autem hunc fructum ex ista sessione in sanctis consequatur, quòd ex illis quasi ex loco eminentiori innumeros homines sibi adiungit, & ad bonam frugem conuertit, meritò eam charissimam habet, ita vt dicat: Hæc requies mea in sæculum sæculi, hic habitabo, quoniam elegi eam.] Numquam hunc locum quietis deserit, sed dum sancti in hac mortalitate viuunt, in eis sedere, & habitare incipit, & cùm ad vitam immortalem transeunt, tunc perficit dona sua, & cumulatiùs complet; quod antè iam cœperat. In his sedet, & in his gratissimè habitat. Nā, vt est in Psalmo: Tu in sancto habitas laus Israel.] Quid

Cant. Ioan. 14. Apoc. 21. Psal. 131. Psal. 21.

A est in sancto habitas? In illis habitas, inquit Augustinus, quos sanctificasti, & quos facis intelligere, quia ad vtilitatem quosdam non exaudis, & ad damnationem quosdam exaudis. Sancti igitur domus sunt, & habitatio Dei, domus sunt, & habitatio laudis Israël: illius scilicet, qui in sanctis, & iustis suam gloriam manifestat, & se æternis laudibus dignissimum esse commonstrant.

Aug. ibid. conc. 2.

Illud autem ampliùs ad dignitatem, & excellentiam perfectorum pertinet, quòd non sunt quæcumque domus, aut sedes Dei, sed illa quæ ob suam altitudinem, ob suam pulchritudinem, ob suam puritatem, & à rebus terrenis elongationem cœlum meruit appellari. Ipsi namque sunt illi cœli, quos (Doctore Iesu Christo Saluatore nostro) in ipso Dominicæ orationis exordio commemoramus, cùm dicimus: Pater noster, qui es in cœlis.] Sic interpretatur inter alios hunc locum venerabilis Presbyter Beda, dicēs: Pater noster qui es in cœlis, id est, in sanctis & iustis, quibus dicitur: Tēplum Dei sanctum est, quod estis vos.] Et Seraphicus ille Pater Frāciscus Ecclesiæ gloria, cœli sidus pulcherrimum, perfectionis miraculum, qui non ex voluminibus, sed ex Dei reuelatione, & ex ipso experimento puritatis diuinorum notionem hausit, in hunc modum exponit: Qui es in cœlis, in Angelis, in Sanctis illuminans eos ad tui cognitionem: quia tu es Domine lux inflammans eos ad amorem tuum diuinum: quia tu Domine amor es inhabitans, & implens eos ad beatitudinem: quia tu Domine summum bonum es, & æternū bonum, à quo omnia bona, & sine quo nullum bonum.] Istos cœlos, vt Dominus in illis habitaret, non tantùm verbo fecit, & iussione creauit, sed maximis laboribus redemit, & profusione proprij sanguinis, & vitæ quę siuit. Quos tamquam infinito pretio redemptos ardentiùs amat, quām corporeos cælos, quorum splendor ad istorum obsequium factus est. Et in his cælis libentiùs commoratur, quia sunt non simplices cœli, sed cœli cœlorum, in quibus illustriora dona profundit, & maiora indicia suæ maiestatis & bonitatis ostēdit. De quolibet istorum cœlorum, id est, de qualibet anima sancta, & perfecta, inquit Bernardus: nūc iam intueamini eius gloriam, quæ & cælo se comparat: & illi cœlo, quod tantò est gloriosius quantò diuinius. Nec immeritò vsurpat inde similitudinem, vnde originem ducit. Nam si propter corpus, quod de terra habet, tabernaculis Cedar se assimilat, cur non & propter animam, quæ de cœlo est, cœlo æquē similem se esse glorietur, præsertim cùm vita testetur originem, testetur naturæ dignitatem, & patriæ? Vnū Deum adorat, & colit, quomodo Angeli, idque in carne peccati, & fragili corpore, quod non Angeli: Quærit postremò, & sapit quæ apud illos sunt, non quæ super terram. Quod euidentius cœlestis insigne originis, quàm ingenitam, & in regione dissimilitudinis retinere similitudinem, gloriam vitæ cœlibis in terra, & ab exule vsurpari, in corpore denique penè bestiali viuere Angelum? Cælestis sunt ista potentiæ non terrenæ, & quod verè de cælo sit anima, quæ hæc potest, apertè indicantia.] Et post multa subiungit. Ego puto omnem animam talem, nō modò cœlestem esse propter originem, sed & cælum ipsum posse non immeritò appellari propter imitationem. Et tunc liquidò ostendit, quia verè origo ipsius de cœlis est, cùm conuersatio eius in cœlis est. Est ergo cœlum sancta aliqua anima habens solem, intellectum; lunā, fidem, astra, virtutes. Vel certè sol, iustitiæ zelus, aut feruens charitas, & luna, continentia. Quo modo enim claritas; vt aiunt, lunæ non nisi à sole est: sic absque charitate, seu iustitia, continentiæ

B C D E

Matth. 6. Beda lib. 1. in Mat. ad c. 6. 1. Cor. 3. Franc. in exposit. quæ habetur to. 3. Biblioth. sanct. ad finem. Bern. ser. 17. in Cant.

meritum

meritum nullum est. Huic denique sapiens, ô quam pulchra est, inquit, casta generatio cum charitate!] *Sapient.* Porrò stellas dixisse virtutes non me pœnitet, considerantem cõgruentiam similitudinis. Quo modo nẽpe stellæ in nocte lucẽt, in die latent, sic vera virtus, quæ sæpè in prosperis non apparet, eminet in aduersis. Illud sanè cautelæ est, hoc necessitatis. Ergo virtus est sidus, & homo virtutum cœlum.] Et profectò non solùm propter hanc similitudinem, animæ perfectæ cœli sunt, sed etiam quia Deus in illis habitãs, ad cœlestes & sublimes functiones impellit. Non illas rei familiaris sollicitudo cruciat, non cumulandarum opum cura sollicitat, non cupiditas bonorum & dignitatum inquietat, non appetitus voluptatum inflammat, sed solum desiderium amoris Dei, & acquirendarum virtutum cura, & perueniendi ad destinatam sibi mensuram perfectionis absorbet. B Adeò vt diuinæ pulchritudinis contemplandæ & amandæ desiderio captæ, ipsam quoque mortalem vitam interdum exhorreant, & æquo animo solùm propter diuinam gloriam, & salutem proximorum sustineant, dicentes cum Paulo: *Philip. 1.* Coarctor autem è duobus, desiderium habens dissolui, & esse cum Christo multò magis meliùs, permanere autem in carne necessariũ propter vos.] Vnde Basilius tractans quid in perfectis viris diuina pulchritudo cõtemplata faciat: hæc ait: *Basil. reg. 1 fusi. disput.* Ea si quando sanctorum virorum quempiam circumfulsit, intolerabilem illorum in animis defixum desiderij aculeum relinquit. Quippe qui cùm vehementer eos vitæ huius tæderet in voces illas erumpere soliti essent. *Psa. 119.* Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est:] *Psal. 41* C & quando veniam & apparebo ante faciem Dei?] & dissolui, & esse cum Christo multò melius est. Et sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum: & nunc dimittis seruum tuum Domine. Vehementer etiam vitam hanc, velut tetrum quemdam carcerem abhorrebant vsque adeò difficilibus cohibendum animis erant ij, quorum mentes Dei amor perstrinxerat.] Vide igitur quàm ardenter Deus perfectos amat, siquidem eos in tantam dignitatem & gloriam exaltat, vt domus Dei, & cœli sint, in quibus ipse Deus habitat, & gloriã suæ maiestatis ostentat. Quod fortassis contemplabatur Sanctus Iob, cùm in has voces erumpebat: *Iob. 7.* Quid est homo, quia magnificas eum, aut quid apponis erga eum cor tuũ?] Quæ enim excellentior hominis magnificatio esse potest, D quàm vt Deum in seipso gestet, & non solùm eius dona, sed ipsius etiam maiestatem in se recondat. De donis quidem dixit Gregorius: *Gregor. 8. moral. c. 16.* Hominem Deus magnificat, quia largitate rationis ditat, infusione gratiæ visitat, honore collatæ virtutis exaltat. Si his donis homo magnificatur, quantò maiori gloria & splendore afficitur, cùm datorem donorum in intimo cordis sedentem aspicit, & suum habitatorem agnoscit?

Iam hinc elucet alio modo gloria Dei, nam si antea eluxit hominem sanando, nunc elucet hominem magnificando. Si magna Dei gloria fuit ægrotum desperatum sanare, non est minor ipsius gloria habitationem dæmoniorum domũ suam, & cœlum facere. Si gloriosum fuit, morbidum salutis fortitudine E roborare, gloriosum etiam est in vilissimo & fœtidissimo sterquilinio regiam magnificam diuinæ maiestatis erigere. *1. Par. 3.* Nulla domus æquè gloriosa Domino fuit cum ea, quam Salomon ei in area Ornã Iebusæi ædificauit, quæ structuræ pulchritudine, diuitiarum copia, vasorum pretiosorum & vtensilium multitudine, sacrificiorum iugitate, & ministrorum cultu, ac reuerentia omnes basilicas regum, & templa numinum falsorum excellunt. Ita nulla est spiritualis domus aut æquè magnifica, aut æquè gloriosa Deo, ac est A anima viri sancti, atque perfecti. Cuius structura vsque in cælum assurgit, cuius opes rex terrenus non diripit, cuius vasa non sanguinem taurorum aut hircorum, sed sanguinem Christi agni immaculati suscipiunt, cuius holocausta pinguia, & ardentium affectuum sacrificia numquam cessant, in qua non reuerentia exterior solùm, sicut in templis materialibus, non semel dari consueuit, sed internus cultus, & ille à maximo amore profectus exhibetur. Domus illa magnifica solùm in monte Moria, ad gloriam & honorem diuinum extructa est, & Iudæis cautum erat, ne alio loco templum pro sacrificiis & holocaustis ædificarent. Nostræ etiam Ecclesiæ non vbique locorum eriguntur, sed aliquis semper habetur loci, solique delectus, vbi quietiùs coram Domino preces fundamus, & ei cultum incruenti sacrificij tranquil- B liùs immolemus. At domum istam Dei, quæ in vitæ perfectione consistit, & non ex lapidibus, sed ex virtutibus construitur, nec terra; sed cœlesti charitate tegitur, quisque in suo corde potest extruere. Deus impensas abundè suppeditat, ædificationem adiuuat, ad laborem animat, & non expectata perfectione domus, si aliquid semifactum sibi offeratur, si aliquod tuguriolum concedatur, statim in eo cum gaudio habitare festinat. Abiiciamus ergo moras, relinquamus excusationes, contemnamus nostræ socordiæ, & otiositatis prætextus, & hanc domum Deo in corde nostro ædificemus. Iaciamus primùm humilitatis profundæ fundamina, super illa virtutum parietes construamus, quas amoris Dei, & proximi tectum operiat. Non desit in ea altare orationis, inter confessio- C nis, sacrificium affectionis, & thymiama sanctorum desideriorum semper redoleat. Sic & nos magnificabimur templum Dei facti, & ex sterquilinio imperfectionẽ in domum sanctitatis cõuersi. Et Deus glorificabitur in nobis, qui in sanctis suis gloriosus apparet, & ex eorum vita magnam sibi gloriam decerpit.

Quòd perfectio animam immensis diuitiis multiplicat.

CAPVT XVI.

QVAM iustè Dominus, qui omnia bona sua in creaturas effundit, sibi soli per os Isaiæ gloriam reseruat, & non D quia ea indigeat, sed quia sibi soli debita est, omnem laudationem vsurpat. *Isa. 42.* Laus enim, & gloria illi tribuenda est, à quo sine vlla exceptione bona cuncta procedunt; hîc verò non est alius quã creator noster Deus, qui sicut ex nihilo vniuersa creauit; ita omnium bonorum, quæ in creaturis sunt, vniuersale principium existit. Ab eo sancti & perfecti homines (vt nunc institutum nostrum persequamur) animæ vitam, & salutem habent; ab eo incomparabilem dignitatem obtinent: ab eo etiam nullo ingenio comprehensas opes accipiunt. Has sicut animæ salutem ac dignitatem ipsa perfectio spiritualis vitæ, quàm sancti profitentur, secum affert. E Mecum, inquit, sunt diuitiæ, & gloria, opes superbæ, & iustitia.] *Prou. 8.* Quænam diuitiæ, quænam opes superbæ tecum sunt ô sancta perfectio? Illæ sanè, quæ solæ sunt diuitiæ veræ, quæ solæ sunt opes amplissimæ, quibus sæculi huius diuitiæ comparatæ, molesta sunt & angusta paupertas. De diuitibus quippe huius mundi quid dicitur? *Psal. 33.* diuites eguerunt & esurierunt, ô diuites fidei! ô diuites vmbratiles! ô diuites infelices, quos mendicitas premit, pauperes affligit, & penuria bonorum angustat! De sanctis autem, & perfectis quid

dicitur?Inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono.] Quibus nullum deficit bonum, sed affatim habent quæcumque desiderant, veri diuites sunt nuncupandi. Diuitiæ,quas mundus suis amatoribus elargitur, falsæ diuitiæ sunt, quia minimè animo hominis satisfaciunt, sed eum semper vacuum & queribundum relinquunt. Quis obsecro Salomone ditior? at ille conuersus ad consideranda opera manus suæ,& ad labores,in quibus frustra sudauerat, nihil in eis nisi vanitatem & afflictionem spiritus adinuenit.Quis potuit abundantiùs, quàm Salomon obsequia sibi impensa persoluere? At hic dum magnificentissimè amicitiæ & obsequiis Hiram regis Tyri respondit, & viginti oppida in terra Galilææ in eius ditionem transtulit, nequaquam subiecti regis desiderio satisfecit: in cuius signum quasi per contemptum dictum est illi:Hęccine sunt ciuitates,quas dedisti mihi frater? Et appellauit Hirā ea oppida terram Chabul, id est, terram displicentem & ad indignationem prouocantem.] At perfectionis diuitiæ ita desideria sanctorum implent,vt nullum vacuum, aut frustratum relinquant.Nec mirum,quoniam vera iustitia pretiosior est cunctis opibus, & omnia quæ desiderantur,huic non valent comparari.] Perfecti hac iustitia repleti, ex his quæ sibi supersunt, in alios supra omnem illorum spem amplissimas opes effundunt, non quæ displiceant, sicut terra Chabul, sed quæ supra omnes mundi diuitias maximè placeant. In cuius signum ille claudus, qui sedebat ad speciosam portam templi, sperans se aliquē obolum à Petro & Ioanne accepturum, audit: Argentum & aurum non est mihi,quod autem habeo,hoc tibi do, in nomine Iesu Christi Nazareni, surge & ambula.] Quis vmquam regum iam stupendum, & tam pretiosum donū,vel amico familiarissimo tribuit? Quis etiam ditissimus tale donum contempsit, quod pretio totius auri & argenti creati numquam mercari potuit?Ille pauper,ille pannosus, ille auri, & argenti, & rerū sæculi vacuus,sed sanctitate, & diuinis donis refertus,sine vlla bonorū suorū iactura vno momento plus tribuit quàm principes,quā reges,quàm monarchæ, quàm & vniuersa natura potest tribuere. In nomine,inquit,Iesu Nazareni surge & ambula.]Gradiendi facultatem claudo donat, quia hæc solent esse dona sanctorum,id est,dona ditissimorum,gressus in cœlum hominibus verbo & exemplo dare, & impedimēta æternæ salutis auferre. In quo suum magistrum,id est,Christum,imitantur,qui,vt egregiè notauit Ambrosius, pedes suis lauare cōsueuit hospitibus, & quoscūque sua receperit domo,pollutis non patiatur habitare vestigiis, sed maculosos licèt vitæ prioris,in reliquū tamen dignetur mutare processus.

Hi Christi perfecti imitatores, sunt veri diuites, qui & sibi ingentes diuitias possidēt,& in proximos suos maxima bona conferunt. Sibi possident perfectionem, quæ thesaurus innumerabilium bonorum existens,ait: Accipite disciplinam meam,& non pecuniam,doctrinā magis quàm aurum eligite. Melior est enim sapientia cunctis opibus pretiosissimis, & omne desiderabile ei non potest comparari.]Et rursus:Sapientia ædificabitur domus,& prudētia roborabitur. In doctrina replebuntur cellaria vniuersa, substātia pretiosa,& pulcherrima.]Hac perfectionis doctrina nō solùm intellectu cognita, sed actione ad vitā nostram applicata,virtutibus abūdamus, quibus & bonorum operum alimenta dulcissima,& sanctorum habituū indumenta pretiosissima,& aurū charitatis purissimæ, & argentū sapientiæ lucidissimæ, & gēmæ, ac lapides pretiosi donorum cœlestiū,& iura ad æternā felicitatem, ac possessiones bonorū numquā periturorū cōtinentur.His tāquam veris diuitiis viri sancti cohonestantur; his aduersus impetus aduersariorum roborātur; his apud omnes nobilissimi, clarissimíque censentur. Egregiè enim dixit Prosper Regiensis Episcopus,vt has perfectionis diuitias explicaret:Illæ nobis sunt ambiendæ diuitiæ, quæ nos ornare possunt pariter,& munire,quas nec acquirere possimus inuiti,nec perdere:quæ nos contra hostiles impetus armant,à mundo discriminãt,Deo cōmendant,ditāt animas nostras,atque nobilitāt,nobiscum sunt,intra nos sunt.]Et statim, vt istas opes amplissimas clariùs manifestet,subdit:Diuitię nostrę credēdę sunt pudicitia, quæ nos pudicos: iustitia,quæ iustos: pietas, quæ pios:humilitas,quæ humiles:māsuetudo, quæ mansuetos:innocentia,quæ innocentes:puritas, quæ puros:prudentia,quæ prudentes;tēperantia,quæ tēperantes:& charitas,quæ nos facit Deo & hominibus charos, virtutū potentes, sæculi contēptores,ac bonorū omnium sectatores.] Postea verò,vt ostēdat quænam virtutes nomen diuitiarū mereantur,addit: Hæ sunt non omniū,sed humilium pauperum facultates, patrimonium cordiū, diuitiæ incomparabiles morū,quibus nō abundāt nisi illi,qui illis carnalibus ex corde renūciant.]Charitas ergo perfecta virtutes magnas & perfectas inducēs,thesaurus est diuitiarū, ratione quarū Ecclesia diues efficitur.Quod Regius Propheta euidenter expressit, dicens ad Dominum: Vxor tua sicut vitis abūdās in lateribus domus tuæ.] Quænam sunt latera? quinam anguli fortissimi domus Dei?nisi viri sancti, & perfecti? In his, inquit,ô Domine,Ecclesia est abundās & diues,quæ in malis, & in tepidis non abundans sed sterilis,non diues,sed mendica conspicitur. Vxor tua,ait Augustinus, sicut vinea fertilis, sed in quibus?In lateribus domus tuæ, id est,in his qui adhærent Christo. In aliis, qui non adhærent Christo,sterilis;sed nec illos in vinea computabo.] Nō computat autē malos in vinea, nō quia si fideles sint,partes Ecclesiæ non sint, sed quia non sunt partes Ecclesię similes,quæ sancta est,& illibata, neque tāquam vites abundātis vineæ racemis bonorum operum sunt ipsi circumdati. Huic autē Dauidis sensui ab Augustino tradito, reuelatio quædā beatæ Gertrudis accedit,cui visus est Dominus noster Iesus Christus in parte dextra corporis sui regalibus & pulcherrimis indumentis circundatus, & in sinistra nudus,atq; vlceribus plenus.Quia videlicet (vt huic virgini tūc monstratū est)duæ sunt partes Ecclesiæ,quæ corpus Christi mysticū dicitur;altera,sanctos & perfectos cōtinens,quæ vestiū splēdore,id est,virtutum, & donorū pulchritudine fulget: altera,imperfectos, peccatorésque cōplectēs,quæ nuditate, & vlceribus, hoc est, spirituali indigentia, & peccatorū squalore tabescit.Est profectò Ecclesia abundans, & diues in sanctis, quia illi diuitiis sanctitatis abundant,propter quas sæculi diuitias fallaces aspernantur. Sicut enim diuites mundi,aurum quidem,& argentum æstimāt, puluerē verò, & stercora pro nihilo ducunt,ita etiam diuites Dei,qui non sunt alij quàm perfecta virtute, ac sanctitate pollentes,bona animæ diligunt,& dona cælitùs immissa in magno pretio habent, honores autem,& sæculi dignitates, amaras delicias carnis,& cætera similia contemnunt. Ipsi sunt vasa viduæ mutuò à vicinis accepta, quibus primùm modicum olei linientis infunditur,quod paulatim crescens, & vasa implens,viduam,& filios eius sustentat,& onera debitorum exoluit.In vidua,quæ absentiam mariti deplorat, & mortem filij luget, Ambrosius Ecclesiam intelligit: nam illa de peccatorum morte tristatur, & Christi sponsi præsentiam amabilem, & purissimos amplexus suspirat. Hæc vasa vacua mutuò à

Nn vicinis

Marginal notes: Eccles. 2. — 3. Reg. 9. — Prouer. 3. — Act. 3. — Ambros. — Prou. 8. — Prou. 24. — Prosp. lib. 2. de vita contempl. cap. 13. — Psal. 127. — Aug. con. ad eundē Psal. — Gertru. lib. 3. insinuationū diuinæ pietatis c. 75. — 4. Reg. 4. — Ambros.

viciniis accipit, cùm homines ab infidelitate, aut à peruersis dogmatibus, aut à fæce vitiorum extrahi, & in virtutis gremium adduci. Guttam olei mittit, cùm eis nouæ vitæ initium instillat. At hoc initium dum crescit, dum augetur, dum ad perfectionem veniens, vasa, id est, mentes sanctorum replet, mirum est, quantùm valeat, & ad quanta patranda sufficiat. Viduam, nempe Ecclesiam, reficit, quæ in virtutibus & laboribus sanctorum exultat: filios, nimirum alios fideles, sustentat, quoniam conspectu perfectorum virtus eos ad imitationem prouocat, & debitis satisfacit, quia antiqua peccata ante conuersionem commissa penitus delet. O magna substantia, quæ tot hominibus sufficis, & nec te possidentem, nec alios, qui quoquo modo tibi adhærent, vacuos, aut ieiunos derelinquis! Verè vbi multæ sunt opes, multi qui comedunt eas,] qui tamen numquam illas exhauriunt, & quia perpetuæ sunt, numquam continuo vsu & acceptione consumunt. *Eccles. 5.*

Non tantùm hæ perfectionis diuitiæ veræ sunt, quæ diuitiarum sæculi falsitatem, & magnæ, quæ earundem exilitatem ostendunt, sed etiam (quod excellentissimum est) ex aduersis casibus, vnde diuitiæ mundi iacturam sentirent, inde augmentum, & firmitatem accipiunt. Nihil enim miserius aut calamitosius viro perfecto accidere potest, quàm si in imperfectiones cadat, si in aliquod peccatum impingat, si acceptis à Domino beneficiis minimè aliquando vitæ puritate respondeat. Sed hæc calamitas, & spiritualium diuitiarum aduersitas solet eas promouere, & firmiores efficere, dum ille qui aliquantulũ lapsus est, feruentiùs surgit, cautiùs deinceps viuit, & humilior euadit. Vnde Paulus ait: Quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, iis, qui secundùm propositum vocati sunt sancti.] Omnia cooperantur in bonum? ergo & ipsi lapsus, atque defectus. Nam licèt ipsum labi, & deficere, & à virtute deuiare, nihil natura sit, tamen numero sub omni comprehenditur. Vnde si quicquid accidit sanctis eis cooperatur in bonum, etiam defectus, & lapsus præ humana imbecillitate contracti, si non causa, at occasio sunt amplioris boni. Secundùm quem intellectum verum habet illud Salomonis: Melior est iniquitas viri, quàm benefaciens mulier.] Vir enim hoc loco virum perfectum, & mulier hominem tepidum & imperfectum designat, cuius bonitas ideò illius iniquitati supponitur, quoniam perfectus ex modico casu magnam humilitatem capit, & imperfectus ex modico bono opere, non semel in gloriam inanem, ac in superbiam erigitur. Quod & Gregorius annotare non timuit, dicens in moralibus dum hunc eundem locum tractat: Nonnumquam etiam culpa fortium, occasio virtutis fit, & virtus infirmorum occasio peccati. Quis igitur felicior illo, qui ipso lapsu se erigit? quis ditior illo, qui ipsa paupertate & meritorum iactura ditescit? Sanctus Iob inter alia suæ prosperitatis elogia, illud non contemnendum recenset, quòd petra fũdebat illi riuos olei.] Sed adest hic alia maior viri perfecti prosperitas, quod non saxum, sed peccatum illi per occasionem oleum diuinæ misericordiæ parat, dum humilitatem, & cordis compunctionem importat. Nec mirum mihi est, quòd sancti, & perfecti homines, ex ipso lapsu atque imperfectione proficiant, dum eos cõsidero speciali quadam Angelorum prouidentia circundatos, qui eos docent in peccatorum stercore cibum compunctionis quærere: imò & gemmã humilitatis inuestigare. Ad quod vtile est illud Bernardi: Noueris huiusmodi animam (loquitur autem de anima perfecta) numquam esse sine Angelorum custodia, qui eam æmulantur Dei

Rom. 8. — *Eccl. 42.* — *Greg. 11. Mor. cap. 26.* — *Iob 29.* — *Bern. ser. 39. in Cant.*

A — B — C — D — E

æmulatione, solliciti suo viro seruare, & virginẽ castam exhibere Christo. Et ne dixeris in corde tuo, vbi sunt? Quis eos vidit? vidit eos Propheta Eliseus, insuper & fecit orando, vt videret etiã Giezi. Tu nõ vides, quia non es Propheta, nec puer Prophetæ: Vidit Patriarcha Iacob, & ait: Castra Dei sunt hæc.] Vidit & doctor gentium, qui dicebat, nõne administratorij spiritus sunt in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis?] Hi pædagogi hominum tam sapientes, tam sponsæ Dei æmulatores, tam de nostra salute & perfectione solliciti, quid non facient, vt ex omnibus proficiamus, & ex ipsa miseria nostra aliquem fructum reportemus? Sciũt agricolæ, applicito arboribus & plantis stercore, facere, vt fructum ferant, & nobis ex sua fœcunditate, suauissima alimenta promittant: & ignorabunt Angeli, quomodo ex sanctorum defectibus, animabus ipsorum aliquem sanctitatis profectũ adiiciant? Non sanè ignorant, sed optimè norunt, quo pacto sibi in custodiam commendatos, ex sinistris euentibus, atque ex ipsis casibus ad maiorem circumspectionem, & sollicitiorem curam perfectionis impellant. Quæ ergo maiores diuitiæ excogitari possunt, quàm illæ, quarum talis est natura, vt imminutione crescant, & vnde aduersarius noster eas vult surripere, inde meliùs custoditæ magis stabiles, & copiosiores existant? *4. Reg. 6* *Gen. 32* *Hebr. 1*

Illud autem postremum has perfectionis diuitias commendet, quòd, vt Dominus eas perpetuò conseruet, sæpè tribulationibus tegit, & ab oculis perfectorum possidentium abscõdit. Illud namque consilium Ecclesiastici: Filiæ tibi sunt, serua corpus illarum, & non ostendas hilarem faciẽ tuam ad illas,] interdum cum animabus sanctis tamquam cum charissimis filiabus Dominus quoque custodit. Qui non vt earum corpora protegat, quæ morbis, & interitui subiacẽt, sed vt diuitias sanctitatis eisdem commissas à perditione defendat, has animas veluti seuero vultu aspicit, dum tribulationũ flagellis affligit. Quamobrem sanctus Iob quamlibet sanctarum animarum lampadem contemptam appellat, quia scilicet impiorũ hominum cœtus, eam apud Dominum despicabilẽ existimat. Lampas contempta, inquit, apud cogitationes diuitum, parata ad tempus statutum.] Lampas nõ vacua, sed plena oleo, quæ apud Deum & homines ardet, & lucet, quam Dominus velut diuitem & ad nuptias cum æterno Rege ineundas paratã, ab ingressu sui thalami non excludit: Lãpas Ecclesiæ data, vt eam splendore illuminet, & opum abundãtia condecoret. Sicut enim mũdo corporeo duo luminaria, maius, & minus, sol videlicet & luna, & lumen & decorẽ impertiunt, ita hæc lampas, anima nempe perfecta Ecclesiæ, aut congregationi, in qua viuit, splẽdorem & pulchritudinem tribuit. Hanc lampadem iniqui contemnunt, & nullius valoris æstimant, quia pressuris & tribulationibus patere conspiciunt. Sæpe nãmque contingit, ait Gregorius, vt electus quisque, qui ad æternam felicitatem ducitur, continua hîc aduersitate deprimatur, non hunc rerum abundantia fulciat, non dignitatum gloria honorabilem ostẽdat, nulla ei obsequentium frequẽtia suppetat, nulla hunc humanis oculis vestium pompa componat: à cunctis verò despicabilis cernitur, & huius mundi gloria indignus æstimatur. Sed tamẽ ante occulti iudicis oculos virtutibus emicat, vitæ meritis coruscat, honorari metuit, despici non refugit, corpus continentia afficit, sola in animo dilectione pinguescit, mentem semper ad patiẽtiam præparat, & erectus pro iustitia de perceptis contumeliis exultat: afflictis ex corde compatitur, de bonorum prosperitatibus quasi de propriis lætatur: sacri verbi pabula in mente sollicitus rumi- *Eccl. c. 7.* *Iob 12.* *Greg. 12. mor. c. 17.*

nat,

nat, & inquisitus quodlibet eloqui dupliciter ignorat. Bene itaque iusti simplicitas,& lampas esse dicitur & contempta. Lampas,quia interiùs lucet,& contempta,quia exteriùs non lucet. Intus ardet flamma charitatis,foris nulla gloria resplendet decoris.] Quare exteriùs non lucet? quia Dominus sanctitatis diuitias,ne ab inani gloria, aut ab alio effectu elationis illidantur,tegumento tribulationis abscondit. Prudétiæ enim est in itinere positum, & totum in sarcinis constitutum,res pretiosas operire, & viles atque abiectas ostentare,ne quod sibi charissimum est, aut occultus latronum dolus, aut aperta violentia surripiat: & ita ad mirabilem sapientiam Dei pertinet diuitias perfectorum,qui vasa Dei sunt, non in domo æternitatis,sed in mortalitatis itinere posita,laborum operimentis munire,ne eas insultus aduersariorum rapiat, & sanctos suos pauperes & vacuos derelinquat. Ad hoc respexit Dauid, cùm in persona sanctorum dixit, **B** *Psal. 59.* Deus repulisti nos,& destruxisti nos,iratus es, & misertus es nobis.] Videtur enim eos à se repellere, & malis illatis destruere, videtur iram in illos exercere, & indignatione punire, at reuera illorum potiùs miseretur, dum suorum opes tribulationibus contegit, & de ipsorũ nouis profectibus,& sanctitatis augmento hilarescit. Quamuis autem istæ sanctorũ opes Deo disponente lateant,non tamen omnino, sed vt lucerna in lampade latét. Sicut enim lux lampadis ita opaco corpore absconditur,vt tamen per rimulas aliquatenus videatur,sic thesaurus sanctitatis per patientiã & æquanimitatem ostenditur, dum tribulationibus operitur. Iam tentatio virum perfectum impugnat,iã persecutio impetit,iam ægritudo corporalis angustat, **C** sed quasi per lampadis rimulas elucet in facie cordis trãquillitas,in sermone mentis lenitas, & in omnibus cum diuina voluntate conformitas, quæ à quolibet sapiente cunctis mundi diuitiis præfertur, & supra vniuersos thesauros æstimatur.

Perfecti ergo viri sunt diuites,qui virtutibus veris, scilicet diuitiis,abundant, qui nullius rei perituræ se indigere existimant, qui nulla terrena desiderant,qui ipsis miseriis in opibus crescunt, qui tribulationibus & pressuris diuitias suas non perdunt, sed ab iniuriis aduersariorum custodiunt. Inter omnes verò opes, quas possident, hæc est aut maior aut mirabilior eorum substantia,quòd cùm tam copiosè ditescant, non tamen superbiunt, nec in sua prosperitate confidunt. **D** Angelus quidem à Deo diues, & sanctus creatus ex alienis diuitiis superbiuit,in cuius corde hæc vox elationis intonuit:Ego dixi in abundantia mea non mouebor in æternum.] *Psal. 29.* At sancti,& perfecti, licèt ex luto conditi,& ob id superbiæ insultibus magis expositi (quæ solet faciliùs animos viles,& abiectos subiicere)nequaquam ex accepta sanctitate superbiunt, sed quò sanctiores, ô mira res! & quò ditiores, eò se magis humilitate deiiciunt. Optimè enim agnoscunt se à diuina bonitate iuuari, vt incipiant, vt progrediantur,& vt ad perfectionis culmen ascendant; sine cuius iuuamine non solùm ad perfectionem non peruenissent, verùm nec primum ac minimum virtutis progressum fecissent, nec peccatorum præcipitia vitassent. Quare libenter confitentur: **E** *Psal. 93.* Nisi quia Dominus adiuuit nos, paulominùs habitasset in inferno anima nostra.] Si dicebamus & fatebamur,motus est pes noster, & affectus noster in iniquitatem propensus,misericordia tua Domine adiuuabat nos.] *Psa. 108.* Et rursus alio loco clamant:Adiuua nos Domine Deus noster, saluos nos fac secundùm misericordiam tuam. Et sciant, quia manus tua hæc, & tu Domine fecisti eam.] Hæc verissima propriæ vilitatis, & diuinæ bonitatis cognitio perfectos viros erudit, vt inter abundantiam spiritualium diuitiarum humiles sint,seipsos despiciant, & in solo Deo tamquam in omnium bonorum principio confidant. Ipsum vt auctorem sanctitatis, & seipsos vt vilia instrumenta ab ipso mota & eleuata conspiciunt,& indignum putant, præcipua & vera causa sanctitatis oblita, sibiipsis,qui à Deo vocantur,& mouentur, & quodammodo impelluntur,hoc opus gloriosum ascribere. Meritò timent, ne illis exprobret Dominus,quod Senacheribo,aut Nabuchodonosori exprobrauit per Isaiam dicens: *Isaia 10.* Numquid gloriabitur securis contra eum qui secat in ea, aut exaltabitur serra contra eum à quo trahitur? quomodo si eleuetur virga contra eleuantem se, & exaltetur baculus,qui vtique lignum est.] Sapienter Laurentius Iustinianus hanc perfectorum humilitatem tantis opibus cumulatam admiratur, cuius hæc est oratio. *Iustin. li. de grad. perfectionis c. 8.* At verò perfecti,quorum in præsentiarum exiguus est numerus,iam mundo ex corde mortui, quibus etiam crucifixus est mundus,quamuis operentur magna, aggrediantur ardua,perferant aspera, innocenter viuant,virtutibus polleant, corruscent miraculis,terrena despiciant, inhiantique affectu concupiscant cælestia,veritatis tamen lumine illustrati, se nihil ex se esse proclamant, atque ex Dei gratuita bonitate, si quid sunt, sincera humilitate fatentur esse quod sunt. Norunt siquidem se conditoris vniuersorum esse instrumenta electa per gratiam, quæ procul dubio nisi exercerentur à Domino, tamquam cæteri iacerent interiori habitu vacui, memoriter retinentes,quod Dominus ait: Sine me nihil potestis facere.] *Ioan. 15.* Hoc igitur mirabilissimum est,quod sancti veris diuitiis abundantes,humiles sint, & quò ditiores, & modestiores,& humiliores euadant, & non verbo tantùm(nam homini de se mendaci mentiri esset facile) sed sensu mentis & affectu cordis, se omnibus hominibus tamquam abiectissima æramenta postponũt. Quòd si de diuitiis sæculi dixit verè Augustinus, *August.* Tinea diuitiarum superbia est,]de diuitiis sanctitatis dicamus nos,Ornamentum diuitiarum humilitas est. Has nos,qui sæculi opes contempsimus,diuitias quæramus:has nos non ex cauernis terræ: sed ex corde Dei nostri precibus, & lacrymis, & gemitibus eruamus: has nos cura peruigili, & assidua sollicitudine comparare & augere curemus. Hæ sunt diuitiæ, quæ non pungunt,sed mulcent;non cruentant,sed sanant; non inquinant,sed animas nostras purificant. Hę sunt diuitiæ pauperibus de industria reseruatæ:nam Deus elegit pauperes in hoc mundo,diuites in fide,& heredes regni,quod repromisit diligentibus se.] *Iacob. 2.* Hæ denique sunt diuitiæ,quæ in hac vita positos nũquam nos satiant,sed nouo semper desiderio ampliùs acquirẽdi sollicitant. Si enim, Crescit amor nummi quantũ ipsa pecunia crescit,]similiter augetur perfectionis amor, quo magis sanctitas in mentibus perfectorũ augetur: donec ad illum gradum sanctitatis perueniant, quem postremum spiritum agentes suscipient, quem non consequitur tristis sollicitudo cor diuitum cruciatura, sed læta,& secura felicitas sine fine duratura.

Quòd perfectio ineffabiles delicias contineat.

CAPVT XVII.

POST perfectionis diuitias,eius delicias perscrutemur, vt si Dominus in pauperibus ditandis gloriosè magnificatus est, in animabus quoque perfectorum lætitia & gaudio cumulandis gloriam suam & magnificentiam ostendet. Nam eximia Dei gloria est,si animam cæpe Ægypti,& porris & aliis assuetam, manna suauissimo consolationum diuinarum pascat, & cælestium spirituum voluptatibus repleat. Illud etiã huic diuinæ gloriæ prædi-

candæ, & extollendæ subseruit, quod diuitiæ mundi adiunctam tribulationem, & sollicitudinem habent, at diuitiæ perfectionis (quæ non tribuli & spinæ sunt, sed rosæ & flores dilectissimi) non tribulationem, sed voluptatem, non pungentem sollicitudinem, sed mulcentem tranquillitatem retinent. Quare Salomon ait: Dulcis est somnus operanti, siue parum siue multùm comedat: Saturitas autem diuitis non sinit eum dormire.] Diuitis enim abundantia, quo maior, & copiosior est, eo curas molestiores ingerit, & somnum, id est, cordis quietem amouet, ac cura æternam salutem operantis, dulcem somnum, hoc est, conscientiam pacatam, & deliciis cumulatam, infert, non tantùm dum feruenter currit, verumetiam dum moderatiùs ambulat, & segniùs operibus virtutis intendit. Has delicias perfectorum, qui perfecti sunt, sufficienter exponerent, & experimento cœlestium consolationum edocti, disertè ac copiosè declararent, nos verò, qui perfecti non sumus, & adhuc tamquam paruuli pannis infantiæ spiritualis obuoluimur, quas experientia vix nouimus ex ipsa natura perfectionis, veluti ex fonte, ex quo manant, eruamus.

Eccl. 5.

Perfectio (vt non semel diximus) perfecta charitas est, quæ malum peccati destruit, quæ habitus vitiorum extinguit, quæ imperfectiones vincit, quæ vires animæ, & cordis affectus componit. Hæc autem vnio est, & suauis amplexus, quo Deo iungimur, & originem bonorum amplectimur. At hæc vox amplexus non hominis, sed Dei, non creaturæ, sed creatoris, si attentiùs inspiciatur, satis indicat, quanta sit perfectorum gloria, quantæ sint perfectionis deliciæ, quibus animas sanctas inebriat, & extra seipsas in ineffabile gaudium educit. Meritò sponsa velut sapiens, velut scientiam amoris callens, summas spiritus voluptates hoc solo nomine comprehendit, dicens: Læua eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.] O quanta securitas eius animæ, quæ læuam Domini, id est, comminationem supplicij, vt exponit Bernardus, sub capite habet! quia beneficiis præuenta, & ea charitate, quæ timorem excludit, exornata, ab eo, à quo diligitur, & quem vnicè diligit, nullum malum, nullum supplicium exhorret. Et ô quantæ deliciæ eiusdem felicis animæ, quæ dexteræ complexum experitur, qua omnium delectationum summa comprehenditur. Scriptum est enim: Delectationes in dextera tua vsque in finem.] Deliciæ carnis si veræ, & mundæ sunt, nescio, imò quòd falsæ, & fœdæ sunt, scio, & quòd statim euanescunt, & cor amarius felle relinquunt, optimè nosco. At deliciæ spiritus & veræ sunt, & mundæ, quia à virtute profectæ, & stabiles, quia quò quis purior, & perfectior est, eo magis his deliciis affluit, & in huius vitæ fine eas in æternam ac beatam voluptatem commutatas nequaquam amittit. Læua eius, inquit, sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.] Si læuam, ô sponsa Christi, ô anima perfecta, sub capite habes, ergo omnes diuitias, omnem fastum, omnem mundi gloriam contemnis, & tamquam res oculos tuos fugientes obliuisceris! Si amplexum dexteræ sponsi sentis, ergo dies longos, hoc est, perpetuos, & nulla dolorum, & mæstitiæ nocte interceptos experiris. Quia Salomon ait: Longitudo dierum in dextera eius, & in sinistra illius diuitiæ, & gloria.] Quid autem lætius, quid iucundius, quàm delicias nulla tristitia intermissas habere, nec de rerum huius mundi absconsione tristari? Res istæ aliquam corporis voluptatem afferunt, sed talem, vt accipientem satient, & si modicum durent, ad fastidiũ & nauseam prouocent: at complexus ille diuinus tam supra om-

Cant. 2.
Bern. ser. in Cant.
Psal. 15.
Prou. 3.

nem captum humanum est dulcis, vt numquam animam brachiis Domini cinctam exaturet, nam quò magis perseuerat, eò maius sui desiderium accendit. Quod discrimen deliciarum corporearum, & spiritualium, certè satis notum, & ipsa experientia compertum Gregorius perspicuè, vt solet, & eleganter exposuit: Eius verba sunt. Hoc distare inter delicias corporis & cordis solet, quòd corporales deliciæ, dum non habentur, graue in se desiderium accendunt: cùm verò auide eduntur, comedentem protinus in fastidium per satietatem vertũt. At contra spiritales deliciæ, cùm non habentur, in fastidio sunt, cùm verò habentur, in desiderio: tantóque à comedente ampliùs esuriuntur, quantò & ab esuriente ampliùs comeduntur. In illis appetitus placet, experientia displicet. In istis appetitus vilis est, & experientia magis placet. In illis appetitus saturitatem, saturitas fastidium generat. In istis autem appetitus saturitatem, saturitas appetitum parit. Augent enim spirituales deliciæ desiderium in mẽte, dum satiant: quia quanto magis earum sapor percipitur, eo ampliùs cognoscitur, quod auidiùs ametur. Et idcirco non habitæ amari non possunt, quia earum sapor ignoratur. Quis enim amare valeat, quod ignorat? Proinde Psalmista nos admonet, dicens: Gustate, & videte quoniam suauis est Dominus.] Ac si apertè dicat: suauitatem eius non cognoscitis, si hanc minimè gustatis. Sed cibum vitæ ex palato cordis tangite, vt probantes eius dulcedinem, amare valeatis.] Sapienter itaq; spõsa amplexus diuini nomine omnes perfectionis delicias explicauit, siquidem non solùm purissimæ voluptatis magnitudinem, sed etiam perpetuitatem habet, quam experimẽtum non tollit, sed auget, & omnem sollicitudinem rerum humanarum pungentem excludit.

Greg. hō. 36. in Euang.
Psal. 33.

Nos verò, qui sponsæ sapientiam nondum accepimus, nec res obscuras, & à sensibus alienas, vnico verbo intelligimus, hunc Dei amplexum ignorantiæ nostræ satis implexum euoluamus, & quid gaudij, quid exultationis, quid deliciarum contineat, vestigemus. Brachia Domini, eius sunt diuinitas, & humanitas, quibus & mira operatur, & omnia à se creata sustentat. Vnde inquit per Isaiam. Prope est iustus meus, egressus est Saluator meus, & brachia mea populos iudicabunt.] Quæ namque brachia homines iudicant, nisi Deus & homo Christus Iesus? De illo inquit Paulus, quòd iudicabit Deus occulta hominum. De hoc verò Ioannes: Potestatem dedit ei iudicium facere, quia filius hominis est.] His duobus brachiis Dominus animam perfectam amplectitur, vel cùm eam sibi per gratiam, & virtutes, & auxilia supernaturalia iungit, ne in malum ruat, & bona perfectionis ipsi infusa dilapidet; vel cùm mentem eius cognitione suæ diuinitatis & humanitatis replet, & in seipso omnem aciem intellectus & voluntatis affectum, pasci & occupari permittit. In illo primo complexu ineffabilis delectatio est, dum anima intra semetipsam canit lætabunda & laudans: Dominus regit me, nihil mihi deerit, in loco pascuæ ibi me collocauit.] Nihil enim iucundius seruo, aut delectabilius esse potest, quàm videre se Domini benignissima prouidentia regi, potentia defendi, & muro inexpugnabilis bonitatis protegi. Quare Abigail mulier prudentissima, & speciosa, vt indignationem Dauidis memoria alicuius magnæ consolationis leniret, dixit illi: Si surrexerit aliquando homo prosequens te, & quærens animam tuam, erit anima Domini mei custodita quasi in fasciculo viuentium apud Dominum Deum tuum: potiò inimicorum tuorum anima vocabitur quasi in impetu & circulo fundæ.]

Isaia. 51.
Rom. 2.
Ioan. 5.
Psal. 22.
1. Reg. 25.

Fasciculo viventium numerus sanctorum exprimitur,quem Dominus custodit, vt pupillã oculi, & sub vmbra alarum suarum benignè defendit. Sicut enim, (*Hug. in lib.2.Reg. c.21.*) ait Hugo,facile est quemlibet fasciculum herbæ, vel fœni in manu sua retentum conseruare , ita virtus Domini , & Saluatoris nostri per orbem electos ab initio vsque in finem sæculi , ne quis ex eis vlla ratione pereat,sine labore tuetur.] Quemadmodum ergo lætum est homini,vitæ suæ hostes victos,prostratos, & præ timore in fugam versos aspicere;ita iucundũ est experimento cognoscere, seipsum in sorte viuẽtium computatum à Domino custodiri,& inter malorum, & casuum pericula integrum illæsúmque seruari. Ad quam lætitiam Isaias animam iustam exsuscitat,dum (*Isaiæ 12.*) ait:Exulta & lauda habitatio Sion , quia magnus in medio tui sanctus Israël.] Magna profectò exultationis materia, si Dominus in medio nostri consistat, & vt amãtissimus Pater, zelans pro domo sua nos à periculis imminentibus liberet, & seipsum nostri amatorem,& defensorem exhibeat. Iste est Sabbatismus (*Hebr. 4.*) relictus populo Dei,in quo anima læta requiescit,& in mediis huius mortalitatis laboribus interiorẽ pacem & cordis gaudium non amittit.] Quod bonum quãtum sit,ille solus nouit ; qui affectibus passionum raptatus, & dæmonis insultibus impetitus , tandem spiritus feruore concepto in nouã vitæ conuersationẽ respirat, quam misericordiatũ Pater confidentiæ dono,specialis prouidẽtiæ munere, & incomparabili quadam tranquillitate remunerat:sed de hoc aliàs.

Nunc alterum illum amplexum , qui ad hunc locum propriè pertinet,prout possumus,exprimamus: quo scilicet Dominus per cognitionem, & amorem, perfectam animã sibi copulat,& motibus diuinarum consolationum astringit. Hoc amplexu,qui contemplatione perficitur,Dominus memoriam contẽplantis animæ à dispersionibus auocatam in vnum summum bonum cõgregat:intellectum radiis sapidæ lucis illuminat,voluntatem ardoribus desideriorum,& affectibus amoris inflammat; cor carneũ sensu miræ suauitatis emollit; & corpus ipsum per quamdã animæ redundantiam in dulces lacrymas resolutum ad nõnullam participationem angelicarum deliciarum (*Psal. 83.*) euehit. Tunc anima cognoscit,& amat; amat, & laudat;laudat,& cantat;cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuum.] Quia non sola mente,cordis appellatione signata,sed carne quoque brutorum delectationibus assueta , spiritualem exultationẽ percipit, cuius experimẽto vniuersam carnis delectationem auersatur atque cõtemnit. Nec immeritò, quoniam hæc non minùs ab illa tum magnitudine , tum dignitate quàm terra à supremo cœlo disiungitur. Ac ideo spirituales delicias possidẽtibus,optimè cõgruit (*Amos 6.*) illud Amos:Trãsite ad gentes,& optima quæque regna horum,si latior terminus eorum termino vestro est.]Non est sanè maior,imò infinitis partibus angustior,siquidem ille fœtidam carnem numquam exsatiat,& iste augustissimum spiritum omni ex parte repletũ deliciis infinitis lætificat. In cuius veritatis at-(*Cassian. col.24. c.25.*) testationẽ Ioannes Cassianus, virtutum delicias non solùm vniuersis sæculi voluptatibus præfert, verùmetiam istas non voluptates, sed animi angores & anxietates edicit. Et reuera,inquit, si cõparare volueris suaue olentem virginitatis florem,& tenerrimam castimoniæ puritatem, terris ac fœtidis libidinum volutabris : quietem securitatémque monachorum, periculis & ærumnis , quibus mundi huius homines implicantur , paupertatis nostræ requiem , edacibus diuitum tristitiis , ac peruigilibus curis , quibus non absque summo vitæ periculo diebus ac noctibus cõsumuntur , suauissimum iugum Christi , onúsque leuissimum , facillimè comprobabis.] Hoc iugum, qui perfectè suscipiunt,non tantũ leue & suaue,sed dulce ac voluptuosum iudicant, quia non ex ligno, ferróque cõpactum,sed ex brachiis Domini cõpositum sentiunt. Amplexus enim sponsi, quo sponsam amplectitur,amplexus est,quia cingit;& iugum est,quia eam sibi submittit;sed siue amplexũ,siue iugũ dicas, numquã illum dolori iunges, aut à summa voluptate diuelles. Ita amplexus iste Dei, quo animam sibi per cognitionem,& amorem copulat,& virtutum actionibus fœcũdat , & ad perfectam vitam in lucẽ edendam impellit, licèt instar iugi animã subiuget, numquam tamen summa delectatione caret , numquam onerat , sed veram libertatem impertit. In hoc amplexu anima quamdam infinitam pulchritudinem videt , quam oculi carnales non vident: quamdam vocem dulcissimam audit , quam exterior auris non audit:quemdã odorem suauissimum percipit , quem corruptibilis odoratus non percipit : quemdam saporẽ inexplicabilem gustat,quem palatus corporeus non gustat:quoddam summum bonum brachiis voluntatis tenet , quod brachia veteris hominis tenere non possunt. Huius boni possessione felix est,nec suã felicitatẽ ignorat, quod triste & luctuosum esset, sed se felicem,& beatã agnoscit. Huius ditissimi thesauri acquisitione contenta, huius nectaris cibo sine fastidio satiata , huius ambrosiæ potu sine vlla infamiæ nota inebriata , omnia terrena, vt vana & inania despicit,omnia mundi sublimia & excelsa, vt infima & indigna proterit,omnia sæculi dulcia,& delectabilia, vt amara, & nauseam prouocantia refugit;& ipsum nonnumquam alimentum naturali imbecillitati necessariũ exhorret. Sponsi sui capta dulcedine,& vincta colloquiis, hominum consortia fugit,collocutiones non necessarias vitat , ineptas visitationes declinat, & solam illam, aut hominum, aut rerum humanarũ memoriam sustinet, quam necessitas fert,quam charitas ingerit , quam obedientia iubet , quam aut status , aut munus exposcit : De hac & similibus dictum est per Prophetã. Pasce populum tuum in virga tua, gregem hæreditatis tuæ, habitantes solos in (*Michea 7.*) saltu,in medio Carmeli : pascentur Basan,& Galaad iuxta dies antiquos.] Quoniam hos Dominus solitudinem amãtes,&(prout possunt)homines fugitantes,virga,aut pastorali baculo suæ prouidentiæ regit, vberrimis pascuis deliciarum pascit , & in montibus excelsis Ecclesiæ, hoc est, in cognitione celsissimorũ arcanorum,secundùm dies illos antiquos,quibus homo in innocentia perseuerans diuina contẽplabatur, ad gustum quemdam immortalitatis deducit. Nonnumquam verò anima aliquo singulari dono consolationis affecta,cœlum & terram rogat,homines, & Angelos obsecrat , & omnes creaturas obtestatur , vt paulisper quiescant,nec eam à gustu tantæ suauitatis impediant. Quod pium desideriũ Dominus lætanter acceptans,sine fructu amatæ quietis esse non patitur, & ad debitũ tempus(quod semper breue est)ventos curarum etiam vtilium ligat, vortices occupationum sopit, & filios spõsam quærẽtes, & ab eius lacte pendẽtes, secretissima quadã & suauissima prouidẽtia ab vberibus eius auertit. Videas illum zelantem delicias sponsæ suæ, & teneris adolescentulis illud Canticorũ inculcantẽ: Adiuro vos filiæ Ierusalẽ per capreas, (*Cant. 2.*) ceruósque cãporum,ne suscitetis dilectam quousque ipsa velit.] Hæc vacatio(vt dicere cœperã)breuis est, quoniã perfecta anima tum charitatis debito,tũ proximorum necessitate , tum sponsi voluntate suscitatur,& amplexus sponsi intercidere cogitur,& ad pias actionum curas redire compellitur. Quare memoria expertæ suauitatis illecta,& desiderio illius status

accensa,in quo istæ deliciæ nullam interpellationem sentient,vitam istam mortalem deserere;& mortem, quæ ianua vitæ immortalis est, aggredi concupiscit. Hinc illæ voces: Mihi viuere Christus est, & mori *Phili. 1.* lucrum.] Et desiderium habens dissolui, & esse cum Christo, quia multo magis melius.] Et sitiuit anima *Psal. 41.* mea ad Deum fontem viuum, quando veniam & apparebo ante faciem Dei. Horum verò desideriorum impletio differtur, vt fidelis sponsa ad destinatam sibi sanctitatis mensuram, & ad promissum gloriæ gradum multiplicatis actionibus meritorum perueniat;& vt maiores adhuc spirituales delicias & ampliores haustus æternæ voluptatis accipiat. Quæ nonnumquam tam ineffabiles sunt,vt mentem extra se rapiant,& omnem sensum doloris, & memoriam rerum terrenarum euellant. Hic iam anima sua carnis imbecillitati consulens, & voluntati Domini satisfaciens,torrentem inundantis voluptatis,precibus *Cant. 8.* & orationibus declinare contendit. Fuge,inquit, dilecte mi, & assimilare capreæ hinnulóque ceruorum super montes aromatum.] Quod (vt nunc Ephræmium , & alios omittam) Xauerium nostrum Indiæ Orientalis Apostolum fecisse comperimus,qui sæpè *Turselin. lib. 6. vitæ c. 5.* deliciarũ cœlestiũ abundantia suffusus,ac penè obrutus,dicebat ad Dominum,Sat est Domine,sat est,hac vocis iteratione contestans, tam eximiam exultationem,& gloriam vitam mortalem sufferre non posse.

A

Ex his deliciis quibus anima in contemplatione saginatur, in tempore actionis , fluuiis iucundissimæ pacis exoritur. Hic fluuius eam aquis cuiusdam mirabilis tranquillitatis rigat, & pacatæ conscientiæ (qua nihil delectabilius) partu fœcundat. De quo *Isa. 66.* fluuio scriptum est: Ecce ego declinabo super eam, quasi fluuium pacis, & quasi torrentem inundantem gloriam gentium.]Et rursus: Vtinã attendisses man- *Isa. 48.* data mea, facta fuisset quasi flumen pax tua, & iustitia tua sicut gurgites maris.] Quia enim perfectus quisque Dei mandatis intendit,& vniuersa præcepta absolutissimè complet, non tantùm hac abundantissima iustitia instar gurgitum maris cumulatur, verùm etiã præmio lætissimæ pacis afficitur. Sed quidni pacem habeat anima, quæ auctori pacis amore iungitur, & principem pacis, vita & moribus imitatur? Quidni gaudium pacis fructum possideat, quæ pacis sequela omnem à se turbationem amouet, & mœroris ac dolorum materiam abscindit?Quantum autem sit istud gaudium ex pace conscientiæ profe- *Bern. ser. de Maria Magdalena.* ctum,ex verbis Bernardi cognoscimus, in hunc modum scribentis. Sed est gaudiũ continua sibi iucunditate firmissimum, quod perfectus animus de secura sibi cõscientia pollicetur. Mens enim ab eiusmodi aspergine purè presséque detersa, & in diuinæ cõtẽplationis acumen totum desiderij sui figẽs affectum, gaudens gaudet in Domino, & exultat anima sua in Deo salutari suo.Talis anima minas aspernatur, nescit timorem,spem falsam eludit,& omniũ scandalorum immunis,in pace in idipsum dormiẽs requiescit. *Psal. 118.* Pax multa diligẽtibus legem tuam,ait iustus, & non est illis scandalum.] Nouerat enim quia lictores non persequuntur martyres,sed coronant.Cũ huiusmodi gaudẽtibus gaudet Apostolus, & vt abũdantiùs gaudeant,tota securitate promittit.Hoc gaudiũ certum, & plenum est, tantóque certius idem,quàò vicinius circa identitatem imprimitur. Hæc est mamilla congratulationis,de qua lac exhortationis effũditur,quo nutriuntur perfecti, vt cùm auulsi fuerint à lacte isto epulentur ab introitu gloriæ Dei.] Gaudiũ profectò magnũ,lætitia immẽsa,quæ seminaria tristitię,minas & timores,inanes spes, & scãdala delictorũ euacuat. Gaudiũ magnũ,quod non dolor,importunus hospes excipit, sed gaudium aliud maius iustos in introitu patriæ cœlestis expectans,in hospitiũ perpetuæ exultationis admittit. Gaudium magnum, quod Paulus appellatione gloriæ nobilitat. Nam hæc est gloria *2. Cor. 1* nostra,inquit,testimonium cõscientiæ nostræ.]Gloria vera, quæ nos gloriosos coram Deo, & Angelis facit,& ideo lætos,& exultationis plenos efficit.Quã imperfecti à longè salutant,& si ad perfectionẽ tendant,impensè desiderant , iniqui verò prorsus ignorant,quibus non pax læta,nec lætitia pacifica, sed lamentationes & carmen,& væ parata sunt. Carmen inquã,lugubre,quo post tristitias,& languores,& anxietates impiæ conscientiæ, æternos cruciatus, quos sustinent,sine vlla intermissione deplorent. Hãc igitur magnam sanctámque lætitiam,quam conscientia pacata, & secura comitem habet,lux contẽplationis, qua diuinam bonitatẽ erga iustos, & misericordiam

B

cognoscimus, sine dubio parit. Iuxta illud, quod in Psalmo legimus. Lux orta est iusto, & rectis corde *Psal. 96.* lætitia.Lætamini iusti in Domino,& confitemini memoriæ sanctificationis eius.] Ex luce, quæ interiora illuminat, & quod bonum, & pulchrum est, approbat,quod verò malum,& fœdum est,improbat; lætitia iustorum procedit, vt de miserationibus acceptis lætentur,& Deum opera sanctitatis patrantem, corde & ore confiteantur.

Triplicem hucusque lætitiam perfectorũ expressimus, alteram à protectione Dei , alteram ab studio orationis,tertiam à conscientiæ pace profectam; sed restant duæ aliæ, prima in bonis præstandis; secunda in malis sustinendis inuenta , quæ breuiter enucleandæ sunt, vt quantis deliciis perfectio affluat, abundantiùs exprimamus.Perfecti in bonis operibus faciendis,& diuinis mandatis custodiendis,ingẽtem

C

voluptatem capiunt. Nam & virtutum opera per se iucunda,& suauia sunt, quia naturæ hominis cõsona, & dulcedinem operanti tribuũt,si animo recto exerceatur. Sicut enim mel dulce quidẽ est in se, & dulcedine palatum purgatum, & noxiis humoribus vacuum afficit,ita virtus suauis est,& animum rectum lætitiæ suauitate perfundit.Talis autem est perfectorum animus,qui omnem rectitudinem adamauit, & mores distortos prauósque reiecit. Qui dicit: Ad omnia mandata tua dirigebar,omnẽ viam iniquã odio *Psal. 118.* habui.] Natiuam autem virtutis suauitatem consuetudo bene operandi,spes præmij cœlestis,& amor in Deum auget, quibus iustus animatus pro virtutis dulcedine omnem aliam voluptatem relinquit. Hic

D

igitur in virtutis operibus maiorem voluptatem percipit,quàm gustus hominis sani, & famelici in conuiuio suauissimorum ciborũ sentit. Cibus enim animæ, alimento corporis suauior est, quia non seruo corruptibili, sed hero nobilissimo, & planè incorruptibili præparatus. Quod Bernardus putat à viris iustis dubitari non posse. Explicans enim illud: Dele- *Bern. ser. 5. in Quadragesim. Psal. 36.* ctare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui, sic ait:Sed quid,ô Propheta,quòd tam absolutè mones delectari in Domino, ac si ad manum nobis sit huiusmodi delectatio?Delectationem cibi, somni,& quietis, & cæterorum, quæ in terra sunt, nouimus: Deus autem quam delectationem habet, vt in eo delectemur?Fratres mei,sæculares hoc dicere possunt, vos nos potestis. Quis enim vestrum est,qui non sæ-

E

pè expertus sit conscientiæ bonæ delectationem?qui non gustauerit saporem castitatis,humilitatis, charitatis? Non est hæc delectatio potus, neque cibi, aut similis cuiuslibet rei: delectatio tamen est, & maior omnibus illis. Diuina enim est & non carnalis delectatio; & cùm in his delectamur, planè delectamur in Domino.] Hanc virtutis voluptatem perfecti tam

magnam

Psal. 36. magnam existimant, vt eam omnibus mundi bonis libentissimè præferát. Hoc quippe significant illæ voces. Psal. 83. Melius est modicũ iusto super diuitias peccatorũ multas.] Et melior est dies vna in atriis tuis super millia.] Quid est, melius est modicũ iusto, nisi melius & iucundius est vnum virtutis opus, licèt modicum, datum à Domino, iusto, vniuersis diuitiis, quæ conceduntur peccatoribus, quia de illo bono opere iustus delectatur; & de spe non modici sed infiniti præmij gloriatur; immensis verò diuitiis peccatores onerantur, & sollicitudine earũ augendarum cruciantur. Et quid est, melior est dies vna in atriis tuis super millia, nisi præstantior est vna dies bonæ vitæ, quam in atrio patriæ supernæ transfigimus (quod meritum eius est) quàm mille dies, imò quàm innumeri dies transacti in tabernaculis peccatorum. Gaudiũ itaque verũ, & voluptatem solidissimã, neque dignitatis sublimitas, B neque diuitiarũ abundantia, neq; potestatis magnitudo, neq; corporis salubritas, nec ciborum lautitia, nec vestiũ elegantia, nec aliud quippiam, quod homines in deliciis habent, præstare potest, sed sola virtus, & cordis munditia potest efficere. Hanc qui habuerit, licèt in infimo loco constitutus, licèt omnibus sæculi bonis orbatus, licèt nulla potestate suffultus, licèt morbis exesus, licèt fame confectus, licèt vestimentis spoliatus, vitã habet deliciis refertam, & sola virtute, & sanctitate, quæ pro omnibus bonis est, honoribus, dignitatibus, opibus, & reliquis desiderabilibus reputatur ornatus. Hac qui caruerit, licèt sit repletus pecuniis, vallatus honoribus, & deliciis mundi circũdatus, miser, & tristis viuit, quoniam conscientiæ C vermis illum mordet & aculeus peccati compungit: quem, si guttula mellis totum mare edulcare non potest, nec vniuersæ carnis voluptates (quæ velut modica stilla sunt) ad pacem & quietem conuertent.

Non solùm autẽ bona faciendo perfecti delectantur, sed & mala patiẽdo iucunditatẽ experiũtur: quoniã Dominus tribulationes & dolores dulcedine cõdit, vt amicissimi sui eas sine timore comedãt, imò cũ auiditate deglutiãt. Sed quæ dulcedo potest amaritudinem tribulationis cõdire? Certè duplex, altera præsens, altera futura. Dulcedo præsens tribulationis est, quòd nos ad virtutẽ exacuit, & merita cumulatissima in patientis sinum infert. De qua inquit Paulus: sed & Rom. 5. Gloriamur in tribulationibus, scientes quòd tribulatio patientiã operatur, patientia autem probationẽ.] D Si enim faber ferrarius ferrum emolliendo, & ex eo aliquid operis faciendo, delectatur, & cantat, quoniã ex eo mercedẽ expectat, cur iustus dolorem sustinẽs, & seipsum tribulatione molliens, non delectabitur, atq; cantabit? si quidem non solã mercedem futurã, sed præsens bonũ, & illud magnum atq; præcellsum, patientiæ & probationis reportat. Hoc autẽ discrimẽ Chrysostomus inter labores alicuius rei temporalis gratia, & labores Dei causa exãtlatos agnoscit: quòd illos nulla præsens delectatio minuit, istos tamẽ præsens voluptas non modicum afficit. In rebus, inquit, Chrys. hom. 9. ad Roma. huius sæculi, certantes quidem laborem, ac dolorem, miseriámque sustinent, coronæ verò, & præmia accepta, voluptatem demum apportant: hîc verò secus. E Nihil enim nobis minùs iucunditatis afferunt certamina ipsa, quàm certaminum præmia.] Cuius causam post pauca subiũgit, dicens: Tribulationes etenim ipsæ in seipsis sunt res bonæ. Qua ratione? Quoniã ad patientiam imbuunt.] Dulcedo autem futura tribulationes suaues & dulces efficiẽs, est spes mercedis promissæ iis qui pro Deo mala sustulerint. Quã expressit Matt. 5. Dominus dicẽs: Beati estis cùm maledixerint vobis, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduersùm vos, mẽtientes, propter me: gaudete & exultate, quoniã merces vestra copiosa est in cœlis.] Iam profectò sentiunt istam mercedẽ, vt Augustinus ait, qui gaudẽt spiritualibus bonis, sed tunc ex omni parte perficietur, cùm etiam hoc mortale induerit im- Aug. lib. 1. de ser. Domini c. Tom. 4. mortalitatem. Interim autem, dũ ex omni parte perficitur, & dum corpus mortale immortalitate vestitur, huius gloriæ expectatione delectantur, & amarũ quod in tribulationibus est, felicissima expectatione obruunt, nec refugiunt, nec aduertũt.] Liquet ergo hanc esse sortem filiorum Dei, illorum præsertim, qui aut perfecti sunt, aut ad perfectionem celeri passu festinant, qua iniquis & peccatoribus eminent, quòd isti ad pressuras, & tristitias nati sũt, illi verò ad purissimas delicias, & sanctissimas voluptates enutriti. Qui si in ægritudines, si in tribulationes, si in persecutiones incurrãt, duabus aliis præsentis meriti, & spei futuri præmij, dolorem tribulationis fugiunt, & in tuto gaudij se constituunt. Vnde ait Iob: homo Iob 5. nascitur ad laborem, & auis ad volatum.] Ego in homine, cum Gregorio, hæredem primi parentis, & imitatorem inobedientiæ eius; in aui verò noui hominis Iesu Christi filium, & sectatorẽ inspicio. Ille enim vt filius terreni ad sola terrena inhiat, & infima ac corruptibilia desiderat: iste verò, vt filius cœlestis in cœlũ volat, & ad expugnationem mansionũ cœlestium anhelat. Homo ergo, id est, conditione terrenus atq; peccator, ad laborem natus est, quia in omnibus, tribulis & spinis afflictionum pungitur, & in lautis ac opipatis conuiuiis pane doloris & laboris vescitur, vt pœnã suæ inobedientiæ sustineat, illo Domini ser- Gen. 3. mone prolatam: In sudore vultus tui vesceris pane tuo.] At auis, id est, iustus conuersatione cœlestis, & à terra desideriis & moribus eleuatus, nascitur ad volatũ, quia dum meritis præsentibus, & spe futurorum volat, molestiis huius mundi se eximit, & in arcẽ deliciosæ tranquillitatis ascendit. Hic ad volatum natus est, quia dum se à terrenis amore elongat, & in terra se peregrinũ iudicat, si quæ aduersa incidant, in illis tamquã in alienis, & vix ad se pertinentibus non laborat. Rectè námque dixit Gregorius, sancti viri, quia Greg. 6. mor. c. 7. transeuntia non amãt, non solùm nulla temporalium desideriorum pondera tolerant, sed & si qua aduersa consurgunt, in ipsis suis pressuris, & languoribus non Act. 5. laborant. Quid enim flagellis durius? & tamen de flagellatis Apostolis scriptum est: Ibant Apostoli gaudentes à conspectu concilij: quoniã digni habiti sunt pro nomine Iesu, contumeliã pati.] Quid ergo eorum mentibus labor est, quibus & pœna verberum labor non est? Homo ergo ad laborem nascitur: quia ille huius mundi veraciter mala sentit, qui eius bona inhianter appetit. Nã cuius mens ad alta suspenditur, sub ipsa est, quicquid exteriùs cõtra ipsam mouetur.] Verè magna est vitæ studiosæ, & præcipuè vitæ perfectæ iucunditas, qua homo siue ad cor suum ingrediatur, siue ad exteriora egrediatur, siue lana & pelle, tribulationibus spolietur, semper tamen vberrima pascua sanctarum deliciarum inueniet.

Nos ergo qui viuere sine deliciis non possumus, vitam perfectam excolamus, in qua miro modo est abundantia omnium deliciarum, & voluptatum abscondita. Nec dubium quin perfectionem colentes, & diuinorum mandatorum & consiliorum viam arripientes, cœlestibus deliciis pasti dicamus: sicut au- Psal. 47. diuimus, sic vidimus in ciuitate Dei nostri in monte sancto eius.] Nam in Ecclesia, quæ ciuitas Dei est, & in religiosa vita, quæ mons Ecclesiæ sanctus esse conspicitur, tales consolationes, & mentis delectationes experiemur, quæ famam vincant, & audita non solùm æquent, sed excedant. Ne nobis Diabolus amantibus voluptatem, illudat, & ad fœdas aut ina-

nes voluptates veternosus deceptor impellat, quia illæ nec veræ sunt, quæ tenebras ignorantiæ, atq; peccati mentibus nostris offundunt, nec durabiles sunt, quæ statim fugiunt, & conscientiam stimulis præuaricationis pungunt, nec dignæ, vt à nobis admittantur, quę veras & perpetuas virtutis delicias impediũt. (Prosper. lib. de vita contẽ. c. 13.) Hanc quorundam stultitiã cupientium voluptatem sanctus Prosper oratione, quam subiiciam, simul describit, atque deplorat. Heu quàm subtiliter nos ille decipiendi artifex fallit, quanta cæcitate oculos nostræ mentis obducit, ne discernamus gaudendi auidi, vnde iustius gaudeamus. Nã gaudere quidem bonum est; Sed qui gaudet, si non inde gaudet, vnde debet, non potest bonum esse quod gaudet. Siquidem gaudet & raptor, cùm desiderata rapuerit; gaudet & ebriosus, cùm exoptatæ occasionem potationis inuenerit, gaudet & adulter, cùm ad delectationẽ fruendi corporis cõcupiti peruenerit: sed cùm sit gaudere bonũ, de his atq; huiusmodi gaudere, grande est malum. Hæc & his similia sunt, vnde gaudere nos vult mũdus cum suis amatoribus periturus. Hæc sunt quæ repudiare debemus, vt de bona conscientia & sanctitate morũ, de acquisitione virtutum, de dono Dei, & de promissionibus futuri regni ineffabiliter gaudeamus.] Fugiamus itaq; illa, vt complectamur ista, deseramus illa, quæ animam lacerant atque cruentant, vt possideamus ista, quæ mulcent, & sanant. Detestemur rubricas voluptates, quorum extrema luctus occupat, & diligamus corporis nostri, & affectuũ nostrorũ victoriam, virtutúmque sequelã, cuius desideriũ dulce est, cuius exercitatio suauis est, cuius præmium ipsa incomprehensibilis voluptas est. Sic illud Pauli, non iã in codicibus solùm legemus, non iam corporis tãtùm auribus audiemus, sed opere ipso discemus, qui ait: Gaudete in Domino semper, iterum dico gaudete.] (Philip. 4.) Gaudebimus enim perfectionem cupientes, cuius sunt desideria dulcissima. Gaudebimus magis, vtcũque perfectionem habentes, cuius est possessio felicissima. Gaudebimus in immensum, mercedem, perfectionis accipientes, cuius est merces amplissima: & sicut impij ex doloribus in æternos dolores properãt, ita & nos ex veris deliciis in æternas delicias properabimus. Sic etiam nõ sine stupore videbimus potentiam Dei, quæ vitæ perfectione (quam supra ob insignem excellentiam vocauimus opus proprium Dei) animam inimicam, & à se fugientẽ, sponsam dilectissimam facit, & in desideria intolerabilia eius, quẽ fugiebat, accendit. Cuius hæc est vox internorum desideriorum index. Quis mihi det te fratrem meũ sugentem vbera matris meæ, vt inueniam te foris, & deosculer te, & iam me nemo despiciat? (Cant. 8.)

Quàm sint vtiles Ecclesiæ perfecti.

CAPVT XVIII.

EX his, quæ de hoc eximio perfectionis opere dicta sunt, quisque manifestè cognoscet, quam vtiles sunt Ecclesiæ perfecti, qui tam præstantissimis donis exculti beatos illos æternæ patriæ ciues è vicino sequuntur, & alios mortales homines nõ natura, sed gratia, non viribus corporis, sed animi robore, ac fortitudine, qua seipsos, & vniuersa terrena vincunt, & regnum cœlorũ arripiunt, penè in infinitum excellunt? Nam si in tẽporali republica homines nobiles, ac prædiuites vtilissimi præ aliis iudicãtur, quia sunt velut capita, quæ alia membra dirigunt, velut ossa fortissima, quæ mollẽ carnem plebeiorum hominum fulciunt, atque sustentãt, & velut medullæ, quæ

A corpus nutriunt, & impinguant, quid sentiendum est de illis viris felicissimis, qui in Ecclesia, scilicet in republica Dei, nobilissimi, ditissimi, & immensis bonis ornatissimi censentur? Ipsi sunt velut Ecclesiæ capita, non quia semper Prælati sint, imò sæpè propter amorem Domini obediunt, & seruiunt; sed quia in extremo loco positi, & infra pedes aliorum constituti, reliquis etiã Principibus, & Monarchis præeminent, & munus capitis, dum alios vita, & exemplo dirigunt, sine vlla dubitatione suscipiunt. Ad quod fortassis allusit Dominus cùm populo suo mandata seruanti, & sanctitatẽ quærenti, hoc inter alia multa dona promisit: Cõstituet te Dominus in caput, & non in caudam, & eris semper supra, & nõ subter; si tamẽ audieris mandata Domini Dei tui.] (Deu. 28.) Nam certè Dominus, cuius opera non monstris similia, sed pulchra, & perfecta sunt, in capite non nisi caput, id est, optimum &
B nobilissimũ cõstituet; & ad caudã, non nisi caudam, id est, vilissimũ & abiectissimũ, alligabit. Vnde constituens in capite perfectos viros, & eos qui eius legem, & mandata custodiunt, eos esse capita, nimirũ, qui præcipuum in Ecclesia locum, non externa dignitate, sed vi meritorum obtineant, non obscurè demõstrat. Ipsi sunt velut ossa huius mystici corporis, quod Christus supremũ caput sua pulchritudine decorat, sua virtute gubernat. De quibus dicit Ecclesia: Auditui meo dabis gaudium & lætitiam, & exultabunt ossa humiliata.] (Ps. 50.) Ecclesiæ gaudiũ, atque lætitia remissio est peccatorum, quæ eius auditui datur, cum ipsa vidente, & impetrante, fidelibus delictorum remissio confertur. Ossa verò humiliata sunt sancti, ac perfecti viri, qui vera charitate feruentes, de voce Domini, qua peccata remittit & misericordiam promittit, vehementer exultant. Vnde quidam istorum ossium
C de seipso dicit: Amicus autem sponsi, qui stat & audit eum, gaudio gaudet propter vocem sponsi. (Ioan. 3.) Audit quidem sponsum, vocem sponsi proferentem, id est, vocem miserationis & benignitatis plenam, qua filiis sponsæ suæ errata condonat, & cum aliis ossibus humiliatis, de huius vocis auditione lætatur. Qui omnes exultantes, & quasi præ gaudio subsilientes, remittẽti peccata, & sanctitatẽ largienti hymnũ laudationis decantant. Quod etiam ipsa Ecclesia fatetur, dum ait: Omnia ossa mea dicent, Domine, quis similis tibi? Eripiens inopem de manu fortiorum eius; egenum & pauperem à diripientibus eum.] (Psal. 34.) Quænam sunt ista ossa, quæ Domino remittenti peccata hunc hymnum laudationis concinunt, nisi sancti? de quibus Augusti-
D nus ait: Vbi est hoc, quod dictum est? Custodit Dominus omnia ossa eorum, vnum ex his non conteretur, (Aug. ad Psal. 34. con. 1.) nisi quia ossa dicũtur in corpore Domini, omnes iusti, firmi, corde fortes, nullis persecutionibus & tentationibus cedentes ad consentiendum malis?] Ista ossa humiliata sunt, quia licèt ossa fortissima, tamen modestè de se sentiũt, & numquam de bonis sibi datis in se gloriantur, nec de adepta virtute superbiunt, Vel humiliata sunt, id est, persecutionib. tribulata, & tentationibus afflicta, vt eorum fortitudo probetur, & ex laborum sustinentia noscatur. De istis ossibus Christi dictum est: Os non comminuetis ex eo.] (Exod. 12.) Et ad Iesum cùm venissent milites, fregerũt eius crura;] (Ioan. 19.) Vt sic pateat, quòd perfecti sunt corporis Christi os-
E sa, quæ ictibus persecutionum non cedunt, & mollẽ carnem imperfectorum suffulciunt. Ipsi tandem sunt medulla, vel potiùs holocausta medullata, quæ Dauid summo Deo offerẽda designat, dum canit: Holocausta medullata offeram tibi, cum incenso arietum.] (Psal. 65.) Sũt profectò holocausta non macilenta, non arida, sed charitate pinguia, & deuotione medullata, quæ reliquis Ecclesiæ mẽbris loco medullæ subseruiũt, quia

ea excm

ea exemplo confortant, doctrina impinguant, & orationibus rorem cœlestium donorum impetrantibus madefiunt. Afferût ergo sanctæ Ecclesiæ viri perfecti fructus virorû illustriû, atque nobilium, qui eam vitæ puritate dirigunt, virtutis robore protegunt, & diuitiarum spiritualium abundantia sustentant.

Sub his bonis alia innumerabilia continentur, quę nec pauca verba explicare, nec inerudita mens cogitare sufficiet. Nam quis animo comprehendet quantas vtilitates vnus Abraham suæ genti, vnus Moses suo populo, vnus Augustinus, vel vnus Franciscus, vel vnus alius sanctorum toti mundo contulerit? Sicut modicum fermenti totam massam fermentat, ita modicum sanctitatis vni animæ prærogatum vnam congregationem continet, & vnam integram plebem illustrat. Et erunt reliquiæ Iacob, id est, sancti, inquit vnus ex prophetis, in medio populorum multorum quasi rosa Domino, & quasi stellæ super herbam, & non expectat virum, & non præstolatur filios hominum.] Quid herbæ & campis vtilius rore? qui terram irrigans & madefaciens, viroris, & florum, & fructuû est parens, & calore solis adiutus virgulta viuificat, & foliorum tamquam vestium decore circûdat? sed quid vni populo vtilius sanctis, quorû exempla sunt instar roris, quæ cordium ariditatem amandant, duritiem fugant, & sensim emolliunt, vt exteriora componant, flores bonorum desideriorum concipiant, & sanctorum operum fructus effundant? Fœnum quidem est populus, ait Isaias, & quasi herba, aut quasi flos agri omnis caro.] Hæc autem herba, aut flos exemplo perfectorum, quasi rore, & stillis irrigatus, non expectat virum, vt crescat, & oleat, neque præstolatur filios hominum, quia non præmia aut laudes humanas aucupatur, sed solùm beneplacitum Dei, ac præmium veræ virtutis exoptat. Quòd si iniqui pusillos perfectorum industria conuersos, detractionibus contristent, & persecutionibus lacerent, illi ipsi perfecti, qui bonis sunt tamquam ros immissus à Domino, malis erunt, vt idem Micheas ait, quasi leo in iumentis siluarum, & quasi catulus leonis in gregibus pecorû, qui cùm transierit, & conculcauerit, & ceperit, nô est qui eruat.] Impiis enim perfecti timorem incutient, & in fugam vertent, vt qui accepto bonorum exemplorû rore Deo fructificare iam cœperant, nequaquâ à proposito resiliant, sed in cœpta virtute persistant. Id fecit Paulus, vt Sergium Paulum (à quo tâquam ex insignis victoriæ trophæo, cum antea esset Saulus, Pauli nomen accepit) ab Elymæ Magi dolis liberaret. Qui cùm niteretur Proconsulem à fide in Christum abducere, virtute Pauli cæcus effectus didicit, Christû veneri, & eius Apostolû venerari. Et sanctus Apostolus ros Sergio, & leo Elymæ inuëtus est, siquidem illum fide madefecit, & baptismo rigauit, istum verò pœna mulctauit, & rugitu terribilium minarum exterruit. In quo & ipse, & omnes alij viri perfecti, Christi saluatoris nostri similitudinem præferunt, qui à Ioanne in Apocalypsi leo vincens auditur, & mâsuetus agnus videtur: quia scilicet bonis agni mansuetudine indulget, & iniquos leonis fortitudine reprimit: illos balatu dulcissimæ vocis inuitat, & istos rugitu seuerissimæ cõminationis increpitat, vt à pusillorû persecutione discedant. Sic perfecti in Ecclesia leonum fortitudine, & audacia malos reprehendunt, & bonos agnorû mititate virtutë cupientes, à peccatis auertût. Vnus vir similis filio Dei ambulans in medio ignis cû Azaria, & sociis eius, de fornace flammam excussit, & fecit medium fornacis quasi ventum roris flantem, itaut omnino eos non tetigerit neque contristauerit ignis.] Et vnus homo perfectus habitans inter eos, qui sunt virtute pusilli, solet in eis suo exemplo & exhortatione concupiscentiæ ignem extinguere, & ipsos à peccatorum incendio liberare. Quid ergo vtilius ac fructuosius sanctis, qui tum verbo tum opere morbis peccatorum medentur, & flammas inanium desideriorum extinguunt?

Michæ 5.

Isa. 40.

Mich. 5.

Actor. 13.

Apoc. 10. Ibid. 5.

Dani. 3.

Non solùm autem sancti, & perfecti viri exemplo suæ vitæ purissimæ peccata destruunt, sed etiam naturam perfectarum virtutum docent, & sine strepitu vocis alios secum conuersantes in ipsarum amorem atque studium accendût. Et nescio quo modo humilis humiles, patiens patientes, & castus castos facit, & dum ipse perfectè viuit, in reliquorum animos, qui apud se commorantur, desiderium perfectionis immittit. Hi luce perfectæ virtutis illuminati, & pulchritudine illecti, eâ primò æstimant, deinde amât, postea desiderant, & tandë, quam amore & desiderio dignâ iudicant, sequi atq; imitari gestiunt. Quare Paulus iure optimo viros sanctos orbis luminaria compellat, quorum splëdore vident alij iter deuium, vt illud deserât, & rectum, ac in cœlum tendens, vt ipsum gressibus bonarum actionum teneant. Omnia, inquit, facite sine murmurationibus & hæsitationibus: vt sitis sine querela, & simplices filij Dei, sine reprehensione in medio nationis prauæ, & peruersæ, inter quos lucetis sicut luminaria in mûdo, verbû vitę cõtinëtes ad gloriam meam in die Christi. Nam quemadmodû sol, & luna, & reliqua cœlorum astra, tacendo, verbû Dei, & eius virtutem annunciant; vnde legimus, Quia cœli enarrant gloriam Dei.] Sic viri perfecti, qui inter infideles, aut inter peccatores, sine occasione murmurationum viuunt, & sine nausea, & tepore (quod hæsitantium est) bonû præstât, & sine querela & reprehësione, vt filij Dei côuersantur, quasi quædâ luminaria cœli verbû Dei in se cõtinent, quod operibus proferunt, vt alij doceantur, & Dei voluntatë addiscât. Sapienter Gregorius quorundam sanctorû virtutes admiratus, eos cum stellis cœli conferre nô dubitat. Ecce, inquit, quàm fulgentes stellas in cœlo cernimus, vt inoffenso pede operis iter nostræ noctis ambulemus. (Nam cognitioni hominû diuina dispësatio quot iustos exhibuit, quasi tot astra super peccantiû tenebras cœlum misit, quousq; verus lucifer surgeret, qui æternum nobis mane nûcians, stellis cæteris clariùs ex diuinitate radiaret.) Hunc verû luciferû, siue hunc verû iustitiæ solem minores stellæ, scilicet reliqui sancti demonstrant, & sicut illa noua stella, quæ Magis apparuit, eum ipsum quærere docët, à quo lucëdi virtutë mutuant. Quos si vita sequaris, & moribus imiteris, nô dubiû quin sanctè viues, & si cucurreris, per bonam vitam ad perfectionë, & ex ea ad amplissimâ gloriâ peruenies. Ex perfectis itaq; alij fideles hanc etiam eximiam vtilitatem capiunt, quòd ab eorû vita verâ & nôn fucatam virtutem addiscût. Vnde perfectorum vita virtutis doctrina est, & multò potentior ac efficacior illa, quam sola quorundam sine operibus verba pronunciant. Licèt enim hi vera doceant, & magna eloquentiæ vi doctrinam diuinæ legis aperiant nullo modo in colligendo ex peccatoribus cõuersionis fructu, cum illis conferendi sunt, qui opere prædicant & perfectionis exemplo, quo pacto Dei mandata sunt custodienda, breuiter & palâ aperiunt. Sicut enim vita corporis meliùs quàm in aliis actionibus, in operibus capitis, in oculorum aspectu, in loquëdi facultate, & in aliis similib. seipsam ostendit, at multò magis in motu cordis, quàm in aliis elucet: & magis ab eo motu pendet, sine quo vita nec ad momentû stare potest: ita Ecclesiæ vita, ac mûdi conuersio nô parum in doctoribus innotescit, & à prædicatione doctrinæ veræ dependet, at sine vlla comparatione magis à motu cordis, hoc est, ab exemplo sanctorum,

Philip. 2.

Psal. 18.

Greg. prologo moraliû c. 6.

ctorum,& perfectorum emanat, qui cùm sint quasi Ecclesiæ corda,sanctæ dilectionis calore alia membra fouentia, ipso suo motu Euangelicæ doctrinæ cōformi, manifestè indicāt,eam doctrinam nihil impossibile committere,& ab hominibus etiam fragilibus cū auxilio diuinæ gratiæ posse seruari. In doctorib. ergo, qui solius doctrinæ,& non puritatis vitę tenaces sunt, & in viris perfectis, qui doctrinam fidei magis vitæ exemplo,quàm verbo proponunt, illud libri Regum in die discussionis impletu videbimus: Saturati priùs pro panibus se locauerunt, & famelici saturati sunt.] Quoniam illi,qui videbātur bonorum spiritualiū diuites,& cibo conuersionis animarū repleti, famē huius cibi patientur, cū animarum conuersio suo labori minimè tribuetur;& isti, qui in oculis hominū apparebant pauperes,& fructu proximorum vacui, præter incipientiū opinionē diuites erūt, & hoc pretioso cibo saturi,cū suo exēplo,& suis precibus cōuersio peccatorum imputabitur. Quare si doctores sunt viles, etiamsi sola doctrina, & non vita, iter virtutis docēt, qui sola verbi Dei propositio (quæ per se efficax est) solet peccatorum animos immutare, vtiliores erūt perfecti, quorum vita purissima & oratio efficacissima, aut sola aut verbis sāctissimis comitata, multò potentiùs cōsueuit proterua iniquorum corda conuertere.

1. Reg. 2.

Iste est præcipuus perfectorū fructus, quē Ecclesiæ offerūt, iniquorū à peccatis abductio, & ad bonā frugem transmigratio,& propter hunc nō semel in Scripturis sanctis frugiferis arboribus comparātur. Iustus enim, inquit Dauid, erit tanquā lignū, quod plantatū est secus decursus aquarū,quod fructū suum dabit in tēpore suo.] Et Ieremias penè eisdem verbis ait: Erit tanquā lignū,quod plantatū est secus decursus aquarum,quod ad humorem mittit radices suas, & non timebit cū venerit æstus.] Et rursus regius propheta ait: Iustus vt palma florebit,sicut cedrus libani multiplicabitur.] Et de seipso dicit: Ego autem sicut oliua fructifera in domo Dei.] Et Bernardus putat sensum Scripturæ historicum hortum nuncupari, quoniam in ea inueniuntur, inquit, viri virtutum tamquam ligna fructifera in horto sponsi,& in paradiso Dei, de quorum bonis actibus, ac moribus, quot sumis exēpla, tot carpis poma.] Ideò itaque ligna dicūtur, & ligna fructifera,quia bonis operibus sicut fructibus onerātur, quibus & sibimetipsis honorem verum, & gloriam numquam perituram mereantur,& à cordibus peccatorum tamquam ligna vitæ mortem iniquitatis depellunt. Ideo oliuæ & cedri nuncupantur, quia dū ad modum oliuarum misericordiæ oleum in alios effundunt, ad modum etiam cedrorum imputribiles manēt,& nullū in seipsis ex cura, & labore exteriori detrimentum sentiunt. Hedera illa Ionæ à verme percussa statim exaruit, quia arbuscula imbecillis erat, nullo robore ad resistendum suffulta; at nostræ arbores neque à verme inanis gloriæ,neq; ab alio corroduntur, quæ humilitatis & modestiæ imputribilitate adornatæ, Deo honorē, & proximis fructū edūt, & sibi gloriam vanam non assumunt. O arbores proceræ,atque robustæ, quæ peccatorum ictibus aut vitiorum morsibus se non subdentes, nō tantùm in Ecclesia fructificant, verùm etiam sua proceritate,& robore infirmos sustentāt! Si enim milites, vt seipsos in castris tueantur, solent ea arboribus cingere, quæ terræ affixæ, & inter se contextæ possunt vicem muri,& antemuralis subire; quid mirum, si Dominus, omniū fidelium dux, castra Ecclesiæ suæ perfectis viris quasi firmis arboribus cingat, qui & fidelibus à cuneis hostium obsessi fructus sanctorum exēplorū tribuāt, ne in obsidione fame pereant,& hostes ipsos, ab ingressu in castra, velut muri fortissimi impediant? Non

Psal. 1. *Iere. 17.* *Psal. 91.* *Psal. 51.* *Bern. ser. 23. in cant.* *Iona 4.*

A multùm est hoc, nam sancti, qui aduersùs Deum fortes sunt, quantò magis contra dæmones præualebūt. Sunt, inquam, fortes aduersùs Deum non potentiæ vi, sed amoris virtute, quia eum in peccatores indignatione commotum precibus flectunt, & orationibus placant, ne in morte dignos, mortis inflictione deseuiat. Verissimè namque dixit Chrysostomus: Vnus homo rectè viuens populum integrum eripere potest ab ira Dei. Ciuitas autem integra peruersaque, in suam pœnam ac supplicium attrahere bene viuentem,& deiicere non potest. Et hoc de Noe manifestum. Pereūtibus enim omnibus solus seruatus est. Et de Mose clarum est, solus enim potuit toti populo impetrare veniam.] Quid iam amplius vtilitatis à viris perfectis desiderare possumus, qui quasi omnipotentiores effecti, diuinæ iræ resistunt, & vice iræ beneficia miserationis inducunt? Sed aliquid his, quæ diximus,& certè mirabilius posset addi, quod etiam Chrysostomus annotauit, viros scilicet perfectos vita functos plus quàm cùm viuerent apud Deū valere,& iam ex hoc mundo translatos, maiora hominib. beneficia reportare. Ad Ezechiā enim dicit Dominus: Protegā vrbē hāc, & saluabo eam propter me,& propter Dauid seruū meū.] Et Azarias apud Danielē orat in hūc modū: Ne quæsumus tradas nos in perpetuum propter nomē tuū:& ne dissipes testamentū tuū,neq; auferas misericordiā tuā à nobis propter Abrahā dilectū tuum,& Isaac seruum tuum, & Israel sanctum tuum. Hoc autē ideò, quia licèt sancti iter humanę naturæ ingrediantur, & corpora apud nos iterum resumenda deponant, non tamen secundum animam (quę immortalis est) mortui sunt, sed viuunt ei, cui omnia viuunt. Viuunt, inquam,& regnant corā Deo,& apud Deū tam sunt potētes, vt omnia impetrēt, quæcūque cupierint omnia in nobis faciant, quæcumq; poposcerint. Vnde post mortē nobis vtiliores sunt, quia potētiores, quia Deo præsentiores, quia omnium bonorū auctori magis amore & sanctitate coniuncti. Pater si præmoriatur, aut filius, aut frater, aut amicus statim nobis inutilis inuenitur, quē vt nulli vsui proficuum, post non multas horas terra contegimus, imò & sæpè penitus obliuiscimur: At sanctum hominē, & illū extraneum,& nobis vix cognitum vtilem rebus nostris esse censemus, cuius indumenta suspicimus, cuius reliquias argēto,& auro,& lapidib. pretiosis circūdatas asseruamus, cuius orationem & auxilium ambimus.

Chrysost. homil. de pœnit. & cōfessione Tom. 5. *Gen. 7.* *4. Reg. 19.* *Daniel. 3.*

B

C

D Sed ex his, quæ hactenus dicta sunt, alia sanctorum vtilitas, qua mūdo prosunt, manifestè colligitur: quæ licèt sit prædictis inferior, quia ad corpus pertinet, non tamen est à nobis silentio tegenda. Ea autem est, quòd bona temporalia hominibus afferunt, & miserias calamitatésque depellunt. Huic rei testimonium perhibet nomen ipsum sanctorum, quos scripturæ morem sequentes, nubes appellare consueuimus, non solùm quia pluuiam salutarem doctrinæ, & ædificationis proferūt, sed etiam quia nos ab æstu tribulationū protegunt, & bona temporalia, interdum si vtilia ad salutem sunt, interdum si non inutilia, ad vsus nostros impertiunt. Qui sunt isti, inquit Isaias, qui vt nubes volant,& vt columbæ ad fenestras suas.] Et Paulus: Ideóque & nos tantam habentes impositam nubē testium per patientiam curramus. Vt nubes quidem volant illi, qui vitæ puritate columbæ sunt, tum vt pluuiam doctrinæ perferant, tum vt nos, ne feriamur in tempore flagellorum operiant. Hanc testium nubem, siue hos testes, qui sunt nubes lucidæ, & Solis radiis ferientibus pulchræ coram oculis positas habemus, vt ex illis lucem veritatis accipiamus,& ab omni malo quod impedimento esse posset, protecti per patientiam & alias virtutes ad brauium æternæ

E

Isai. 60. *Hebr. 12.*

vocationis.

vocationis festinemus. Perhibet & testimonium Mi-
Michę.7. cheas, qui per mysterium ad animam perfectione di-
tandā, sic ait: Dies, vt ædificentur maceriæ tuæ: In die
illa longè fiet lex, In die illa & vsque ad te venient de
Assur, & ad ciuitates munitas: & à ciuitatibus munitis
vsque ad flumen, & ad mare de mari, & ad montem
de monte.] Dies, inquam, venient, ô anima, vt tu per
peccatum solo æquata, per iustitiam extruaris. Dies
venient, in quibus leges sæculi, quas tanta diligentia
seruabas, longè sint à te, nec deinceps illis subdaris. Et
nunc Babylonij, hoc est, homines, qui in sæculi confu-
sione habitant, quærent te, vt illis opem ac patroci-
nium feras. Et meritò quoniam tu & aliæ perfectæ
animæ eritis tanquam ciuitates munitæ, & tanquam
Iordanis, & tanquam maria & montes, quæ terrā pro-
missam terminabant. Intra vos enim, velut intra re-
gionis securæ terminos, putabunt se tutò quiescere,
& ab omni malo liberari. Magnificæ sunt promissio-
nes istæ, quæ opem toti mundo à perfectis præstari
2. Regū. 24. manifestè declarant. Attestatur tandem huic rei ipsa
summa veritatis historia. Nā si perfectus est Dauid, è
3. Regū. 18. finibus Israel pestilētiam fugat. Si perfectus Elias, ca-
taractas cœli aperit, & famē depellit. Si perfectus Eli-
4. Reg. 2. seus, ciuitatē ab aquæ salubris penuria liberat. Si per-
4. Regū. 19. fectus Ezechias, angeli ministerio, quē precibus im-
petrauit, innumerabiles hostes prosternit. Si perfe-
ctus Iacob, substantiam Laban soceri sui miraculo
Gen. 30. auget: Ipso Laban verbis patientibus confirmante: di-
xit enim, Experimento didici, quia benedixerit mihi
Deus propter te.] Si perfectus Onia, pacem in sum-
ma temporis varietate Hierosolymæ affert, & gazas
Machab. 13. templi ab iniuria vindicat. Et sic sunt multa alia &
ingentia beneficia in sacris scripturis, hominibus ope
& oratione perfectorum allata, quæ longum esset in
mediū afferre. Tempus autem me deficeret, si vellē
bona temporalia numerare, quæ Dominus in nouo
testamento perfectorum gratia mundo præstitit. Sed
hoc argumentū omittam, his, qui in enarrandis san-
ctorum historiis multum pij laboris, & operæ posue-
runt; ego enim in his libris non nisi rarissima exem-
pla, & illa grauissima prælibare disposui. Vnum tamē
sanè mirabile de Iacobo Nisibis siue Antiochiæ Mig-
Theodor. lib. 2. hist. c. 30. doniæ episcopo, à Theodoreto commemoratum, nō
prætereo, quod quantùm apud Deum perfecti va-
leant, & possint, perspicuè demonstrat: & lepida res
huic loco finem imponet. Erat Nisibis vrbs Roma-
norum ditioni subiecta, quam Sapores Persarū Rex
fortissimis copiis militum obsidebat. Eam ad septua-
ginta dies obsessam, cùm variis machinis, ac multis
bellicis instrumentis tentatam expugnare nō posset;
tandem alueo fluuij per mediam vrbem labentis, sa-
tis longo interuallo supra vrbem obstructo, & ripis
ad ingentem altitudinem exaggeratis, & tota illa
aqua præcipiti cursu in murū inuecta, murū per duas
partes, per illam scilicet, qua aqua ferebatur, & per
contrariam, qua erumpebat, facili negotio subuertit,
& viam ingrediendi suis militibus patefecit. Lætaba-
batur barbarus, ac si iā vrbem subdidisset, at expecta-
bat tantisper, donec inundatio cœnosæ aquæ aliquā-
tulū exaresceret, & flumen ingressuris vadum nō ne-
garet. In hoc extremo discrimine non defuit sanctus
Iacobus episcopus ciuitati suæ, qui intra sacrum tem-
plum delitescens, vno tantùm die precibus murum
ædificauit, ciuitatem muniuit, obsessos iam penè exa-
nimes animauit, & iniphum ac culicum copias in
Persas immisit, qui sicut olim Ægyptios, vniuersum
exercitū deiecerunt, & à finibus illis fugarūt. Quod
vna ciuitas armata, & ad defensionem parata, nec
somniare potuit, vna precatio Iacobi impetrare &
cōplere potuit. Ex quo, quanta sit vnius perfecti viri

A potentia, & quantùm plebi proficere possit; clarè
cognoscimus, qui sola orationis vi restituit rem, &
vites naturæ superauit. Et oculis ipsis cernimus illud Apoc. 3
Apocalypsis impletum. Qui vicerit, faciam eum co-
lumnā in templo Dei mei.] Nam iste beatus episco-
pus, qui primum seipsum vicit, innumerabiles hostes
vicit, & columna suorum factus, eos in casu sustinuit,
in impetu inimicorum protexit, & populum despe-
ratum ab incurabili calamitate potētet eripuit. Præ- Ambr. ad Psal. 75.
clarè igitur Ambrosius hoc discrimen inter iniustum
iustúmque constituit, quòd ille inutilis mundo est,
hic verò proficuus, & vtilis. Iniustus, inquit, & aliis
inutilis & sibi noxius. Iusti autem vita fructuosa aliis,
sibi dulcis. Dicit enim Salomō: Fili, si sapiens eris, ti- Prou. 9.
bi sapiens eris & proximis; si autem malus euaseris,
solus hauries mala.] Aduertimus ergo quia iustitia
B aliis est potiùs nata, quàm sibi. Commune cōmodum,
non suum expectat, & alienum bonum pro suo ducit
emolumento. Beata est præclara iustitia, cuius bonū
omnibus proficit. Ex vno plerumque proficiscitur, at-
que ad omnes peruenit.] Iniustitiæ itaque infamiam
fugiamus, quam tāquam nullius vtilitatis vniuersus
mundus detestatur, & veram iustitiā appetamus, quā
omnes, vt sibi vtilissimam, diligunt, suspiciunt, con-
cupiscunt. Si enim, vt quidam dixit, amabile quidem Arist. 1. Ethico.
bonum, vnicuique autem proprium,] quis perfectio-
nem non amabit, quam in alio positam sibi vtilem
esse cognoscit?

C

De pulchritudine animæ perfectæ.

CAP. XIX.

HOc est opus sapientiæ Dei, quod o-
pera sua vtiliora, etiam pulchriora
fecit, & maiore decore circūdedit,
vt maior pulchritudo, quæ incredi-
bilem vim habet ad mouendum, ad
capiendā maiorē, ex re pulchra, vti-
litatem alliceret. Sic cœlestia, quæ vtiliora sunt, pul-
chritudinis forma præstant terrestribus, & inter res
terrestres, illæ magis decore eminēt, quæ maiori vti-
litate decorantur. Nam (vt à cœlestibus incipiamus)
illi supremi spiritus, quo potiora mundi gubernant,
& ad maiora munera destinantur, eo perfectiores &
D sublimiores sunt, & eo ipso pulchriores, in quibus na-
turæ perfectio, & substantiæ pulchritudo eandē ma-
gnitudinis mensuram accipiunt. In quod omnis no-
stra ratio conspirat; quia sicut Archangelos præstare
Angelis, & Principatus præstare Archangelis naturæ
perfectione cognoscimus; ita pulchritudine superare
sentimus. Si autem ad terrestria contemplatio nostra
descendat, hominē (si forsan is in rebus terrestribus
numerandus est, qui mentem habet cœlestem, & co-
gitationes, ac desideria sēper debet habere cœlestia)
vtilissimum simul, ac pulcherrimum omniū reperiet.
Vtilissimus quidem est, quia vniuersarum rerum vi-
sibilium rector, & Dominus, quarū bonum est homi-
ni famulari, & ab eo in suam vtilitatem asciri. Et si-
mul etiam pulcherrimus, quia supra terrena se exe-
E rens, ipsa natura cum diuinis spiritibus cognationem
habet. Cui externa quoque corporis forma pulcher-
rima à Deo facta est, vt splendidissimū iubar mentis
contineret, & volūtatem in fœda & deformia laban-
tem, & internam formam conspurcantem, non ver-
bis, sed rebus ipsis increparet. Reliqua verò terrestria,
quò maiori cum homine cognatione constāt, eò fru-
ctuosiora sunt, & illustriori decore nitent, quo aut in-
spicientes, aut possidentes ad maiorem ipsorum æsti-
mationem inuitant. Quis enim non videt animalia

perfecta, pulchriora esse animalibus imperfectis, quę [A] nec perinde atq; illa mẽbrorũ distinctione fulgent, nec coloris suauitate, nec motus viuacitate resplendent? Imperfecta verò animalia, arboribus & plantis quæ viuunt, nec sentiunt, formosiora sunt, quia ipse sensus vitæ coniunctus sicut perfectionem addit, ita cùm pulcherrimus sit, & omnium rerum sensibilium decore formetur, ampliorem speciei dignitatem cõcedit. At arbores & plantæ (si non eas hominum cupiditate, sed cognitionis veritate metiamur) aurum etiam, & argentũ, ac margaritas, lapidesq; pretiosos pulchriores formę nobilitate pręcellunt. In illis enim ramorũ, velut membrorum varietas, foliorum diuersitas, venarum subtilitas, florum lenitas, & fructuum suauitas multò magis oculos videntium inescat, quã gleba auri vel argẽti, aut aliquod margaritum corda cupidorum infatuat. Qui non tam metallorum pulchritudine, & gemmarum, ac lapidum pretiosorum [B] luce capiũtur, quàm immoderata cupiditate tenẽtur. Quã si à cordibus propriis abscinderẽt, multò magis ex aspectu vilis arbusculę, quàm ex aspectu metallorũ in creatoris contemplationẽ assurgerẽt; & melius in illa, quàm in istis Dei pulchritudinẽ delineatã viderẽt. In rebus itaq; creatis vilitas, & formositas pari festinatione currunt, & quò illa proficiẽdo accessit, ista admirando peruenit. Quòd si hæc ita sunt, certè perfectorũ animæ, quæ toti mundo vilissimæ sunt, etiã pulcherrimæ existent, vt ingenita pulchritudine peccatorũ animos in admirationẽ, & amorẽ rapiãt, & iniquitatis sorde pollutos ad sui imitationem accendant. Hanc nunc sanctarum pulchritudinem animarum inquiramus, & nihil, quod Deus non sit, aut pulchrius, aut illustrius, aut splendidius inueniemus.

Pulchritudo quidem naturalis magna est, siue ad res corporeas, siue ad spirituales spectet, sed supernaturalis pulchritudo sine vlla mensura maior, [C] quæ in moribus sanctissimis, in bonis actionib. à gratia, & libera voluntate profectis, & in donis cœlestib. infusis à Deo donorũ omniũ auctore cõsistit. Sicut enim illa in partiũ integritate, in mẽbrorũ recta dispositione, ac in eorundẽ debita proportione sita est, ita hæc in virtutũ cõgerie, in morũ suauitate, & in actionũ optima cõstitutione collocata, quæ nõ oculis corporalib. placeat, sicut illa, sed oculos spirituales, qui proprij sũt Dei, & Angelorũ, & hominũ sapientiũ oblectet. Hãc autẽ animæ perfectę inesse perspicuũ est, cuius perfectio ex omnib. virtutib. tãquã ex spiritualibus mẽbris cõponitur, & ex optimis moribus, & puris actionib. cõstituitur. [D] Pulchritudo hęc omniũ vitiorũ ac peccatorũ deformitatẽ destruit, & minimos quósq, næuos imperfectionũ excludit. Quia licèt pro huius vitæ fragilitate interdũ aliquos cõtrahat: tamẽ, è vestigio diluit, dũ leuia peccata, & modicas imperfectiones non leui cõpunctione cordis, nec modica carnis maceratione castigat. Ita verò assidua bonorũ operũ exercẽdorum cura, & studio puritatis augetur, vt Dominus ipse pulchritudinis auctor, animã hac formositate circũdatã, planè decorã, & pulchrã ac suo amore dignã fateatur. [Cant. 1.] Ecce tu pulchra es, inquit, amica mea, ecce tu pulchra es, oculi tui columbarũ.] Ecce, vox admirãtis est, & rẽ nouã subitámq; demonstrantis. Quàm magna igitur erit illa pulchritudo quã ille, qui summè pulcher est, & cũ pulcherrimis spiritibus commo- [E] ratur, & nulla passione vincitur, veluti quadã admiratione, & stupore cõmendat? Et quàm noua pulchritudo, id est, nulla veteris hominis vetustate fœdata, sed semper virẽs, semper iuuenili flore vestita, quam ille, qui falli non potest, vt nouã recentemq; demonstrat? Et quàm deniq; improuisa, cuius miser homo terrenis desideriis assuetus, nullã rationẽ habuit, sed Domino vocãte, inuitante, & cogẽte cõcepit? Anima sanè perfecta hac noua, & eximia, & à se nõ nata pulchritudine ornata, non semel tantùm, sed bis pulchra appellata est, vt hæc vocis geminatio magnitudinem formositatis astruat. Bis pulchra vocatur, quia pulchra est in fuga omnis mali, & pulchra in desiderio, & prosecutione boni; pulchra dũ ad seipsam ingreditur, & pulchra dum ad exteriora progreditur: pulchra dum amore complectitur Deum, & pulchra dũ ex charitate diligit proximum: pulchra dum sectatur suiipsius puritatẽ, & pulchra dum sancta & pura existens, non deserit humilitatem. Prorsus in omnibus pulchra, quæ siue ea, quæ ad se pertinent, curet, siue in his, quæ ad proximos attinent, occupetur, semper Dei oculis, qui omnino falli non possunt, pulchra videtur, pulchra diligitur, pulchra prędicatur. Nec tantũ iudicio Domini tota spõsa, veluti vno intuitu cõ- [Cant. 4.] siderata, pulchra est, dum audit aliquãdo magno feruore purgata. [Cant. 1.] Tota pulchra es amica mea & macula nõ est in te,] sed singulæ quoq; eius partes de singulari pulchritudine cõmẽdãtur. Nã & oculi tui, inquit, colũbarũ,] in quib. elucẽt modestiæ, & simplicitatis, & ad cõtuẽda cœlestia cuiusdã eximiæ perspicacitatis [Cant. 1.] insignia. Et pulchræ sunt genæ tuæ, sicut turturis; collũ tuũ sicut monilia:] in genis duplex verecundia de malis præteritis, & de bonis præsẽtib. designatur, de malis præteritis, quia spõso displicuerũt; & de bonis præsentib. quia modica sunt, & pro malis nõ satisfecerunt. In collo verò discretio mẽtis omnia moderantis exprimitur, quę externis ornamẽtis nõ indiget, quia omnium ornamentorũ pulchritudinẽ vincit. [Cant. 4.] Et quàm pulchræ sunt mãmæ tuæ soror mea spõsa, pulchriora sunt vbera tua vino,] quoniam, vt ait Gregorius, [Greg. in cant. c. 4.] charitate erga Deũ seipsam pascit, & dilectione proximi fratres enutrit, & vtriusque vberis lacte vini suauitatẽ excellit.] [Cant. 7.] Et, quàm pulchri sunt gressus tui in calceamentis filia principis. In gressibus perfectę animæ opera demonstrantur antiquorũ sanctorũ auctoritate protecta, & ad eorum normã efformata, quibus anima in sponsum properat, & ad eius imitationem anhelat. Longum esset omnia huius cantici encomia retexere, satis sit dicere sponsum nullam huius animę partem illaudatam relinquere, quo ostẽdat sponsam in omnibus esse pulchram, & super omne, quod possit explicari, decoram. Quam si ea claritate internis oculis cerneremus, qua exteriora oculis corporeis aspicimus, incredibilem sui amorem ingereret, & supra modum admirationis affectum excitaret.

Dominus verò testis pulchritudinis animæ omni exceptione maior, minimè hac laudatione contẽtus, qua animã & omnes eius partes pulchras appellauit, aliã maiorẽ laudẽ addit, dũ eã non solùm pulchrã sed pulcherrimã vocare nõ metuit. Adolescentulæ enim nõ à seipsis, sed ab sponsi spiritu edoctæ hoc sermone animã perfectam interrogãt: [Cant. 5.] Qualis est dilectus tuus ex dilecto, ô pulcherrima mulierũ, quia sic adiurasti nos?] Et iterum. Quò abiit dilectus tuus, ô pulcherrima mulierum, & quæremus eum tecum?] Meritò verò spõsus pulchrã & adolescentulæ pulcherrimã vocant hanc animã, quæ perfectionis cliuum ascendit, quia coram sponso est pulchra, & decora, & adolescẽtularũ, id est, animarum imperfectarum cõparatione, quas longo interuallo post se relinquit, non iã solùm pulchra apparet, sed etiã pulcherrima. Tres illæ filiæ Iob, quas post pressuras, & calamitates, iã in prosperitate positus genuit, vniuersas suæ ætatis mulieres externa corporis forma superarunt. Non enim sunt inuentæ mulieres speciosæ sicut filiæ Iob in vniuersa terra. Hoc mysterium est animarum sanctarum, quas Christus per passionem, & mortem generauit, [Iob 42.]

nam interna venustate communes animas etiam iustorum ita præcellunt, vt iure dicatur nullas alias in vniuersa terra similes reperiri. Quod Gregorius palam animaduertit, in hunc modum scribens: *Greg. lib. 35. mo. c. 13.* Electorum animæ omne humanum genus, quod in terra secundùm hominem conuersatur, suæ pulchritudinis decore transcendunt: quantóque se exteriùs affligendo despiciunt, tantò seueriùs intus componunt: Hinc est enim, quod sanctæ Ecclesiæ, quæ electorum pulchritudine decoratur, per psalmistam dicit: *Psal. 44.* Concupiuit Rex speciem tuam.] De qua paulò pòst subditur: Omnis gloria eius filiæ regis ab intus.] Nam si foris gloriam quæreret, intus speciem, quam rex concupisceret, non haberet.] Nec mirabile est, quòd anima perfecta aliis imperfectis animabus cōparata, non tantùm pulchra, verùm & pulcherrima iudicetur, quæ quodammodo inter ipsos cœlestes ciues pulcherrima quoq; reputatur. Si ipsis quippe non videretur pulcherrima, non eam admirarentur, dicentes: *Cant. 3.* Quæ est ista, quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi, ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & vniuersi pulueris pigmentarij? Quo pacto non erit pulcherrima, quæ per desertum huius sæculi, in quo tot sunt laquei, & tot decipulæ, non volutatur, sed ex miseriis eius occasiones proficiendi carpit, & quasi per gradus scalæ conscendit? Quidni pulchra sit, quæ in tam stupenda mundi victoria, non sicut cedrus, aut palma de sua imputribilitate, aut victoriis se glorians, sed sicut virgula fumi humillima scandit, & nihil nisi humilitatem in omnibus præfert? Quā mortificationis myrrha, & orationis thus, & vniuersarum virtutū odores præferant, & pulchritudines ornant, meritò angelici spiritus vt pulcherrimā laudant, & admirantur. Hæc comparatione Angelorum pulchra est, quia ipsorum puritatem, & sanctitudinem æmulatur, & comparatione eorundem etiam pulcherrima est, quoniam illi in pace, ista in bello: illi in patria, ista in exilio: illi inter flores, ista inter titiones pulchritudinem seruat, quam bello quæsiuit, & tentationum victoria parauit. Denique, vt ait Bernardus, *Ber. serm. 27. in Cāt.* vnum Deum adorat, & colit, quomodo Angeli: Christum super omnia amat, quomodo Angeli: casta est, quomodo Angeli: idque in carne peccati, & fragili corpore, quod non Angeli: quærit postremò, & sapit, quæ apud illos sunt, nō quæ super terram. Quod euidentius cœlestis insigne originis, quàm ingenitam, & in regione dissimilitudinis retinere similitudinem, gloriā vitæ cœlibis in terra, & ab exule vsurpari, in corpore deniq; penè bestiali viuere Angelum? cœlestis sunt ista potentiæ non terrenæ, & quòd verè de cœlo sit anima quæ hæc potest, apertè indicantia.] Perfecta ergo anima omnem rem creatam pulchritudine superat: terram, quia virentibus est virtutum floribus, & fructibus sanctarum actionum ornatior: mare, quia sine vlla instabilitate honestatis perspicuitate fulgētior: aërem, quia solis iustitiæ radiis facta lucidior: ignem, quia flammis charitatis potentior: cœlos, quia micantibus donis tamquam astris vtilior: homines alios, quia Dei, & proximi amore perfectior; imò & Angelos ipsos, quos si non magnitudine sanctitatis vincit, tamen sanctitatis qualitate præcellit. Illi enim sine labore palmam sanctitatis acceperunt, hæc verò non sine magnis laboribus, & gloriosis de hoste victoriis ad perfectionis fastigium euolauit. *Osee 14.* Ego, ait, Dominus cùm viro perfecto loquens, exaudiam, & dirigā eum ego vt abietem virentem, ex me fructus tuus inuentus est.] Qui in tēpore tribulationis se iusti orationes exauditurū promittit, vtiq; tribulationes, & pressuras deprecanti euenturas denunciat. Qui, vt abietem virētem facturus, aut directurus est eum, vtiq; tentationum & laborū æstus irrupturos insinuat, à quibus perfectus vir non superatus, ramos virtutum expandat, & fructus cœlesti gratia dignos feret, & abietis virentis pulchritudinem in se gestabit.

Vide iam quàm pulchra est perfecta anima, quæ vbique pulchra est, omni ex parte pulchra est, & omnium creaturarū pulcherrima est. Prorsus sponso suo Christo omnino similis: qui vbique pulcher, & omni ex parte pulcher esse cōspicitur, & ipse speciosus forma præ hominum filiis agnoscitur. *Psal. 44.* Ipse vbique pulcher est, de cuius pulchritudine hæc Augustinus scribit. *Aug. com. in Psalm. 44.* Nobis ergo iā credentibus, vbiq; sponsus pulcher occurrat. Pulcher Deus, verbū apud Deum, pulcher in vtero virginis, vbi non amisit diuinitatem, & sumpsit humanitatem. Pulcher natus infans Verbum, quia cùm esset infans, cùm sugeret, cùm manibus portaretur, cœli locuti sunt, Angeli laudes dixerunt, Magos stella direxit, adoratus est in præsepi, cibaria animalium mansuetorum. Pulcher ergo in cœlo, pulcher in terra, pulcher in vtero, pulcher in manibus parentum, pulcher in miraculis, pulcher in flagellis, pulcher inuitans ad vitam, pulcher non curans mortem, pulcher deponens animam, pulcher recipiens, pulcher in ligno, pulcher in sepulchro, pulcher in cœlo, pulcher in intellectu. Audite canticum. Neque oculos vestros à splendore pulchritudinis illius auertat carnis infirmitas. Summa, & vera pulchritudo iustitia est. Ibi illum non videbis pulchrum, vbi deprehendes iniustum. Si vbique iustus, vbique decorus.] Ita anima perfectionis auida vbique decora. In oratione decora, nam ipsi pulchritudini, scilicet sponso, coniungitur: & in actione decora, quia nequaquam eius clamore distrahitur. In prosperitate decora, quia in ea præ humilitate se deiicit, & in aduersitate decora, quia in sponso protegente confidit. In consolatione decora, quia eam non ad voluptatem, sed ad profectum quærit; & in desolatione decora, quia eā aut ad pœnā quotidianorū defectuū, aut ad probationem admittit. In vita decora, quia singulis momentis Deo placere nititur; & in morte decora, quia si corpus pallore vestitur, ipsa pulchritudinis, & splendoris perfectione decoratur. Et quia in omni loco perfecta est, in omni etiā loco pulchra est, quia perfectio non aliud est, quàm ipsissima animæ pulchritudo. Christus etiā omni ex parte pulcher depingitur, *Cant. 5.* cuius caput, id est, diuinitas auro optimo, cuius comæ, scilicet cogitationes elatis palmarū, cuius sapientiæ oculi columbæ luminibus assimilantur: cuius genæ modestiæ ac mansuetudinis, areolis aromatum; cuius labia, arbori myrrham mortificationis distillanti; cuius manus, scilicet, opera, rebus affabrè cōfectis, & auro, & hyacinthis plenis comparantur: cuius misericordiæ venter, qui nos gestauit, cum ebore sapphyris ornato, cuius fortitudinis crura, cum columnis marmoreis super bases aureas fundatis, cuius perfectiones speciei nomine comprehensæ, cum Libano, & Cedris conferuntur. Sic anima perfectionē amans omni ex parte decora est, & pulchra. Nam habet caput, id est, intentionem rectam, comas, nimirum cogitationes puras, oculos fidei simplices, genas modestiæ verecundas, labia, id est, verba prudentia, manus opera designantes mundas, ventrem honestate integrū, crura, scilicet virtutes fortes, & totam interiorem speciem mirabili quadam maiestate circumdata. Christus tandem est pulcherrimus omnium hominū, imò & omnium Angelorum, quia fons pulchritudinis eorum, à quo tamquam riui, à fonte vniuersæ sanctorum pulchritudines manant: *Psal. 44.* Qui specie sua, & pulchritudine sua, qua penitus immaculatus est, in purificationem animarum intendit, &

in hoc negotio prosperè procedit, & regnat. In quo perfecta anima non est illi dissimilis, quæ animas minùs perfectas sanctitate superans, & ad quærendam maiorem pulchritudinem verbo & exemplo iuuans, eo ipso se magis pulchram,& decoram ostendit. Nihil ergo perfecta anima pulchrius, quã sponsus amat, quam sponsi amici laudant,quam adolescentulæ pulchriorem prædicant, quia ab imperfectorum defectibus alienam inueniunt.

Hæc sanctitatis pulchritudo, qua anima perfecta cohonestata est,non à corporis integritate, aut sanitate dependet, imò in corpore exhausto, & membris satiscẽtibus clariùs emicat,& perfectiùs elucet. Cùm infirmo, ait Paulus, tunc potens sum.] Et posset dicere: tunc pulchrior sum: quoniam pulchritudo virtutis molestia corporis non euanescit, sed ampliùs cumulatur, atque perficitur. Non defuit,qui scriberet, *2.Cor.12.*

Gratior est pulchro veniens è corpore virtus.

Sed meritò illum Seneca reprehẽdit. Errare mihi visus est,inquit,qui hoc dixit.Nullo enim honestamento virtus eget: ipsa, & magnum sui decus est,& corpus suum consecrat.] Et statim:Potest ex casa vir magnus exire,potest & ex deformi humiliq; corpusculo,formosus animus,ac magnus. Quosdam itaque videtur mihi in hoc natura tales generare, vt approbet virtutem omni loco nasci.Si posset per se nudos edere amicos,fecisset:nunc,quod amplius est, facit:quosdam enim edit corporibus impeditos, sed nihilominus perrumpẽtes obstantia.] Hæc sola ratione instructus, fide vacuus scripsit. Tantus est enim perfectæ virtutis splendor, vt medico etiam rationis naturalis lumine videatur, & à corporis venustate nequaquam pendere iudicetur. Quòd si à corpore corruptioni obnoxio, non pendet hæc vera ac perfecta animæ pulchritudo,relinquitur, quòd sit ipsa æterna, atque perpetua,quæ temporis decursu non arescat, sed magis floreat,& luceat,& in dies feruore deuotionis & meritis aucta splendidior & mirabilior appareat. In quo sapienter Bernardus eam à pulchritudine corporali secernit. Sed est, inquit, rationalis quædam sponsæ species, spiritualisque effigies, ipsaque æterna, quia imago æternitatis. Decor eius, verbi gratia, charitas est; & charitas, sicut legitis, numquam excidit.] Est certè & iustitia:& iustitia eius, inquit, manet in sæculum sæculi.] Est etiam patientia; & legitis nihilominus: quia patientia pauperum non peribit in finem.] Quid voluntaria paupertas? quid humilitas? Nónne altera regnum æternum,altera æquè exaltionem promeretur æternam? Eò quoque spectat,& timor Domini sanctus, permanens in sæculum sæculi. Sic prudentia, sic temperantia,sic fortitudo, & si quæ sunt virtutes aliæ, quid nisi margaritæ sunt quædam in sponsæ ornatu splendore perpetuo coruscantes?] Sicut ergo ista virtutum proportio, & donorum apta connexio, numquam in anima iusta corrumpitur, ita numquam pulchritudo eius interit, sed semper nouis incrementis aucta durat, donec ad illum æternum decorem, & decorum splendorem accedat, in quo nulla iam erit pulchritudinis accretio, sed summa & æterna perfectio. Cùm autem hæc animæ pulchritudo perpetua,& corruptionis expers sit,non, aspicientes, sicut pulchritudo corporis, ad lasciuas voluptates aut ad opera corruptionis pellicit, sed ad omnem virtutem & sanctitatem instigat. Hanc cùm attentè contemplamur, non illicitos corporis motus, nec impudica desideria, quæ frænemus, sed sanctas cogitationes, & purissimos charitatis affectus, & ineffabiles Dei laudes, quibus iugiter calcaria adiiciamus,

Seneca epi.66.

Bern.ser. 27.in cã.

1.Cor.13.

Psal.111.

Psal.95.

manifestè experimur. De pulchritudine corporis dictum est. Pepigi fœdus cum oculis meis,vt ne cogitarem quidem de virgine.] De pulchritudine verò animæ quid dicitur?Reuertere,reuertere Sunamitis, reuertere,reuertere vt intueamur te.] Ab illa oculos auertimus, quoniã nos vinculis concupiscentiæ constringit,& à cœlesti regno repellit. Si enim cogitarem de virgine,quam partẽ haberet in me Deus desuper,& hæreditatẽ omnipotens de excelsis?In istam oculos securè defigimus,quoniã ad pugnandum cum diabolo,& ad virtutis victoriam reportãdam prouocat.Quid namq; videbis in Sunamite, nisi choros castrorum,bonorum scilicet operum cuneos,qui te adiuuent,& animos ad pugnandum iniiciant? *Iob 31.* *Cant.6.* *Iob.31.* *Cant.7.*

O quàm immensum profluuium lacrymarum huius cõtemplatio pulchritudinis è nostris oculis elicere deberet,quippe qui ab iniquis, & peccatoribus in desiderio & studio assequendæ pulchritudinis vincimur.Illi enim corporis formositatem cras periturã,& in fœtorẽ & vermes desiturã,tanto conatu,& mentis sollicitudine quærunt, quantam nos in comparanda animæ pulchritudine semper duratura,& æterni gaudij præmium acceptura,nulla ratione collocamus.Illi mundi,compti,& ornati procedunt,vt oculis mortalium placeant,& seipsos quæsita pulchritudine oblectent;& nos fœdi,inculti,& nudi incedimus,nec Dei oculis placere, ac nosipsos vera pulchritudine exornare curamus.In quo quanta sit nostra negligentia, & quanta iusti timoris causa, sanctissimus Nonus Episcopus Heliopoleos grauissimis verbis aperuit. Is enim, cùm semel Antiochiæ ad fores basilicæ sancti Iuliani Martyris cum Patriarcha Antiocheno,& Episcopis illi subiectis,consedisset,& Pelagiam,tunc perditissimam meretricem,postea verò sanctissimam fœminam,comptam,& auro,ac gemmis ornatam necnon seruis,& ancillis cõstipatam, transeuntem vidisset,oculis in eam, non ex lasciuia, neque ex curiositate,sed ex magnitudine compunctionis coniectis, & postea cum magna lacrymarum & singultuum vi in terrã demissis,ita ad alios Episcopos loquutus dicitur. Nónne affecit vos huius fœminæ tantus decor, tantáque venustas, nec delectati estis tanta eius pulchritudine?Illisq;tacentibus,cœptum fletum prosequens, hæc verba subiecit: Ego mirificè hanc fœminam videndo delectatus sum.Ecce enim omnipotens Deus hanc fœminam statuet coram admirabili & tremẽda sede sua,ex ea tam nos,quàm munus, & ministerium nostrum iudicaturus. Quot enim putatis horas expendit hæc mulier, dum in cubiculo suo se lauat & componit, omnem animi curam, & cogitationem adhibens ad ornandum sese,ne quid possit in ea decoris & pulchritudinis desiderari, vt placeat omnium oculis, nec deformis vlla ex parte videatur amatoribus suis,qui hodie sunt,cras fortassis nusquam erunt? Et nos habentes patrem omnipotẽtem in cœlis, Dominum immensæ maiestatis, sponsum immortalem, in quem desiderant angeli prospicere, cuius pulchritudinem Sol, & Luna mirantur, amplissima reponentem præmia, ipsi fidem integram seruantibus,& ad eius voluntatem, ita vt par est,sese accommodantibus, diuitias, & honores immensos in cœlis,denique ea,quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt, liberaliter, & prolixè promittentem,nihil studemus ornandis miseris animabus nostris, neque sordibus detergendis,culpísque, quibus animæ turpissimè fœdantur, expiandis: sed patimur eas iacere supinas, otio desidiáque marcescere? Hæc fuit grauissima, simul ac luctuosissima huius sancti senis oratio, quæ nostram quoq; desidiam percellit, cùm omnis cura,quam per

Iacobus diaconus in vita Pelagiæ. c.2. Habetur in Surio To. 5. Octobri.

totam

totam vitam in ornanda anima nostra ponimus, à cura vnius diei, qua vilis meretricula seipsam ornat, & comit, victa videatur. Ista apud se constituit placere amatoribus suis, & quod statuit, opere adimplet. Nos verò, cùm vitam religiosam arripuimus, constanter statuimus daturos nos operam vt placeremus diuinis oculis, idque polliciti sumus, votóque firmauimus, neque promissis stamus, neque fidem datam seruamus, sed turpiter inuerecundéq; mentimur. Arguat igitur nos incuria nostra, increpet nos infidelitas nostra, confundat nos magna cæcitas nostra, qua in Deum ingrati, in nosipsos iniqui, & in vitam religiosam, quam profitemur, iniuriosi inuenimur. Hæc autem increpatio tam efficax est, vt nos dormientes excitet, vinctos expediat; & terrenis negotiis occupatos liberet, quo vni tantùm negotio vacemus, nobis quidem pernecessario: illud autem est internam pulchritudinem quæritare, & non Deo sanctos illibatósque custodire.

De Pace animæ perfectæ.

CAP. XX.

TRIA capite superiori signauimus, in quibus pulchritudo animæ in perfectione posita, à pulchritudine corporali distinguitur. Vnum, quòd à corpore non pendens est: alterum, quòd perpetua est: tertium, quòd incitamentum virtutis & puritatis est. Aliud verò nobis se offert, & quidem præcipuum, in quo perfectionis pulchritudo à carnis venustate secernitur. In hoc scilicet, quòd pulchritudo carnis, bella & discordias generat; pulchritudo verò perfectæ virtutis, verissimam animæ pacem importat. Carnis certè pulchritudinem bella & rixas generare, multa sunt quæ testatum faciunt. Nam & in ipso, qui eam possidet, superbiam, inanem gloriam, immoderatum ornatum, & carnis petulantiam, & alia; quæ ex hac consequuntur, vitia gignit; & in illam videntibus, impuras cogitationes, illicita desideria, infames motus, temerarios ausus, & temporalis, ac æternæ mortis fructus exsuscitat. Dinæ pulchritudo quot bella commouit, quot illustris populi strages patrauit? Erat illa pulchra, & quia pulchra, se domi continere non potuit, & mulieres peregrinæ regionis videre concupiuit, si fortè illæ suam pulchritudinem susciperent, aut superarent. Vidit & visa est. Visa & à Sichem filio Hemor adamata est: Adamata ab illo, insuper & corrupta est. *Gen. 34.* Quid corruptionem nisi bella, & mortes sequantur? Ingrediuntur ciuitatem districtis gladiis Simeon & Leui vasa iniquitatis bellantia, Hemor & Sichem occidunt, masculos omnes interficiunt, & statim alij fratres eorum ciuitatem populantur, omnia deuastant, paruulos, ac vxores interfectorum, seruituti subiiciunt, & se, ac patrem, totámque familiam discriminis mortis & perditionis exponunt. Has Dina molestias, & pericula Iacob patri, & fratribus attulit. At pulchritudo Thamar quanti mali origo fuit? Amnonem filium Dauidis fallaci splendore decepit, deceptum inebriauit, inebriatum insanire fecit, insanum ad stuprum impulit, stupratorem interfecit, & in baratrum æternæ mortis præcipitauit. *2. Reg. 13.* Absalon enim frater Thamar vt eius vlcisceretur iniuriam, primò dissimulat, & tacet; Deinde post biennium Amnonem ad conuiuium inuitat, & vino captum seruorum suorum gladiis interficit. Non feliciorem pulchritudo Bethsabee habuit successum, quæ Dauidem fascinauit, & *2. Reg. 11.*

A (cùm illa esset vxor) ad adulterium adegit: Vriam pulchræ maritum de industria inter hostium mucrones relictum, vita priuauit; vniuersam rempublicam Israëlis magno scandalo contristauit; inimicos Domini blasphemare fecit; & regem adulterum hac seuerissima comminatione deterruit: Non recedet gladius de domo tua vsque in sempiternum, eo quòd despexeris me, & tuleris vxorem Vriæ Hethæi, vt esset vxor tua. *2. Reg. 12.* Has pulchritudo carnis molestias procreat, has parit discordias. At animæ pulchritudo concordiæ & pacis mater est. Ipsa námque nos cum Deo pacificat, interiora nostra placat, & controuersias ac lites inter homines ortas componit. Atque adeò vel propter hoc solum exoptanda, quòd præstantissimum bonum (quod est pax) in mentibus iustorum progi-

B gnit.

Quid enim præclarius, quid nobilius pace? quam vniuersa creata, vt finem suorum laborum inquirunt? Ad hoc quippe illa mouentur, & veluti irrequieta cura sollicitantur, vt ad suum finem, in quo est pax & quies appetitionis naturalis, perueniant. Et sicut discordia vnita disiungit, & separatione ad interitum defert; ita pax disiuncta & separata coniungit, & per vnionem ad quamdam perpetuitatem ducit. Pax est enim, vt ait Dionysius, quæ cuncta connectit, concordiámque omnium, atque consensum gignit, & efficit, cuius rei gratia ipsam quoque desiderant omnia, vt quæ diuisibilem ipsorum multitudinem ad totam conuertit vnitatem, intestinúmque mundanæ machinæ bellum, quo fœdere mirabili *Dion. lib. de diuin. no. c. 11.*

C congruat, efficit.] Pacem iusti sanctis studiis, & virtutum actionibus parare conantur, quam Paulus non semel in suis epistolis, vt præmium eis laborum exoptat, dicens: Gratia vobis & pax.] *Rom. 1.* Pacem iniqui impuris actibus, & patratione peccatorum habere nituntur. *1. Cor. 1.* Quid enim auri & argenti cupidus? quid illecebris carnis addictus? quid honoris, & auræ popularis amator nisi pacem cum sua auaritia, aut concupiscentia, aut ambitione quærit? quam tamen, se propriæ voluntati subiiciens, & vitiis suis non contradicens, aut inuenire aut possidere nó potest. Quia scriptum est. Non est pax impiis dicit Dominus.] *Isa. 48.* Pacem angeli sancti, & beatæ animæ in præmium accipiunt, quibus antea promissum erat, quòd hæreditabunt terram, & delectabuntur in multitudine *Psal. 36.*

D pacis.] Pacem Christus mundo attulit, & ideo postremo loco vocatur princeps pacis,] *Isa. 9.* quia pacem nostram tamquam fructum suæ vitæ quæsiuit. Fuit enim admirabilis humano intellectui; vt eum Deo loquenti & mysteria reuelanti subderet. Fuit consiliarius voluntati, vt eam creatori subiiceret. Fuit Deus pauperibus, vt immensis donis eos ad virtutis amorem alliceret. Fuit fortis infirmis, vt vinculis iniquitatum eximeret. Fuit pater futuri sæculi inimicis, vt illos ex inimicis in filios conuersos ad honorem tali patri deferendum incitaret. Fuit princeps pacis, vt in his omnibus à genere humano inobedientiam, id est, bellum tolleret, & obedientiam, ac subiectionem, id est, pacem afferret. Pacem angeli expectantibus salutem annunciant. Gloria, inquiunt, in

E excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.] *Luc. 2.* Pacem Dominus hospitibus, qui nos excipiũt, offerendã monet. In quamcumq; domũ intraueritis, ait, primùm dicite: Pax huic domui.] *Luc. 10.* Pacem, tãquam amplissimã hæreditatẽ suis hæredibus ex testamento relinquit. Nam ita dicit: Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis, non quomodo mundus dat, ego do vobis.] *Rom. 14.* Pacem Apostolus, æternam felicitatem, quam speramus, esse definit. *Eccl. 4.* Quia regnum Dei nó est esca & potus, sed iustitia, & pax, & gaudium in

Spiritu sancto.] Pacem Salomon in extrema paupertate habitá magnis diuitiis anteponit. Cuius prouerbium est: Melior est pugillus cum requie, quàm plena vtraque manus cum labore & afflictione animi.] Pacem denique Augustinus ipsismet iurgiis, & infestissimis bellis ab hominibus aucupari autumat, imò manifestissimè probat. Sicut nemo est, inquit, qui gaudere nolit, ita nemo est, qui pacem habere nolit. Quandoquidem & ipsi qui bella, volunt, nihil aliud quàm vincere volunt: ad gloriosam ergo pacem bellando cupiunt peruenire. Nam quid est aliud victoria, nisi subiectio repugnátium? Quod cùm factum fuerit, pax erit. Pacis igitur intentione geruntur & bella, ab his etiam, qui virtutem bellicam student exercere, imperando, atque pugnando. Vnde pacem constat belli esse optabilem finem.] Quantum itaque bonum est pax, quam ipsum bellum illi contrarium non odit, & eum, à qua destruitur, ac dissipatur, diligit, quærit, & affectatur, & dum assequitur libens seipsum illi submittit? Quòd si bellum paci contrarium, & inimicum, pacem amat, quidni eam ament & cupiant omnia, quæ pace non intereunt, sed conseruantur: & non minuuntur, sed promouentur & crescunt?

Aug. 19. de ciuit. c. 12.

Huius præstantissimæ pacis impij prorsus expertes sunt, imperfecti cupitores; perfecti verò felicissimi possessores, quia ipsorum sanctitas, quæ pulchritudinis causa est, ex illa est quoque pacis, & tranquillitatis origo. Impij nullo modo pacem habent. Nam, si, vt ait Augustinus, pax hominis & Dei, est ordinata in fide sub æterna lege obedientia: & pax hominis ad seipsum est ordinata cognitionis actionisque consensio, & pax hominis ad homines ordinata concordia,] quánam pace illi fruentur, qui in suis operibus nec Deo obediunt, nec cogitationi fidei consentiunt, nec sunt nisi in impietate, (quæ ordinis inimica est) & iniquitate concordes? Quam pacem illi habebunt, qui Dei indignationem prouocarunt, Angelos Dei milites ad vlciscendam diuinam iniuriam irritarunt, homines iustos sua procacitate contristarunt, ab aliis peccatoribus per vim desiderata surripuerunt, & omnia creata, dum eis in transgressionem mandatorum abusi sunt, ad vindictam atque indignationem impulerunt? Quam pacem possunt iniqui experiri, quos fides arguit, conscientia mordet, & patrata iniquitas reprehendit: quorum affectus contrarij, & non semel opposita, & impossibilia cupientes, miseram mentem instar sæuissimæ procellæ huc illúcque mouent, & quasi gladij, conscindunt, & crudeliter lacerant? Verè impij pacem non habent, quorum lucerna extinguetur, vt ait Iob, & superueniet eis inundatio, & dolores diuidet furoris sui. Erunt sicut paleæ ante faciem venti, & sicut fauilla, quam turba dispergit.] Hanc autem pacem, qua impij omnino carent, iusti imperfecti cupiunt, atque sectantur, sed necdum plenè eius conspectu ac possessione perfruuntur. Sicut enim inter coniuges sibi mutuò fidem seruantes, possunt & solent esse iurgia atque discordiæ ex diuersitate ingenij, & ex contrarietate voluntatum exortæ: ita inter Deum, & animam imperfectam, quæ in obseruatione mandatorum fidem ei seruat, dissidium esse solet, ex eo quòd hæc in rebus leuioribus diuinæ voluntati nequaquam se accommodat. Nam, ô tepide, Deus silentium, tu loquacitatem amas; ille mortificationem; tu immortificationem diligis; ille virtutes; tu vitia iræ, inobedientiæ, & ambitionis amplecteris; ille vult vt impensè cordis puritati, & imitationi sanctorum insistas, tu è contrario vanis cogitationibus & ineptis desideriis tui cordis domicilium fœdas, & non sanctorum, sed aliorum tui similium libertatem, & tepiditatem sectaris: quomodo ergo cum Deo habebis pacem, quanam ratione cum illo conseruabis concordiam? Quinimo ipse resistet tibi, & sepiet viam tuam spinis, vt est in Osea, & te quotidie arguet, & singulis momentis increpabit,] quousque & quod ille amat, tu ames, & in omnibus rectissimæ illius voluntati subdatis. Si verò imperfecti homines cum Deo integram pacem nō habent, nec secum ipsi habere possunt. Hæc enim pax ab illa progreditur. Vnde rectè ait Leo Papa: Si mens rectori suo subdita, & supernis muneribus delectata, terrenæ voluptatis incitamenta calcauerit, & in suo mortali corpore regnare peccatum non siuerit, ornatissimum tenebit ratio principatum, & munitiones eius nulla spiritualium nequitiarum labefactabit illusio: quia tunc est vera pax hominis, & vera libertas, quando & caro animo iudice regitur, & animus Deo præside gubernatur.] Qua igitur illi pace gaudebunt, quorum caro non solùm menti repugnat (quod humanum est, & omnibus in hac vita commune) verumetiam eam deiicit, & expugnat; ac immoderatis seruire facit affectibus: & quorum mēs Deo multa iubenti repugnat, & potiùs eligit effrænatis passionibus contraria postulantibus obedire? Ex hoc autem nascitur, vt isti cum aliis hominibus minimè pacem conseruent. Nam facilè irascuntur, si alij auferant, quæ ipsi amant, aut consequutionem desideratorum impediant. Facilè obmurmurant, si quid suæ voluntati contrarium, aut dici aut fieri ab aliis aspiciunt. Facilè verba, aut contumeliosa, vel certè aspera, & suauia loquuntur, si aliqua sibi molestia à fratribus irrogetur. Vbi autem est ira, murmuratio, & contumelia, non potest indirupta pax conseruari, neque concordia reperiri. Eiice derisorem, inquit Salomon, id est, eum, qui de aliorum dictis & factis detrahit, & omnia in peiorem partem interpretatur, & exibit cum eo iurgium, cessabúntq; causę litium,] scilicet & contumeliæ. Qua sententia docet, vbi detractores & contumeliosi sunt, pacem non esse, etiā si non admodum grauia sint, quæ detractione aut contumelia notantur.

Aug. 19. de ciuit. c. 13.

Iob. 21.

Osea 2.

Leo ser. 2. quadrag.

Prou. 22.

Superest ergo, perfectam animam, veram & perfectam pacem habere; cuius pulchritudo, quia in perfecta charitate, & omnium virtutum cumulo posita est, hæc ipsa pacem animæ huius cum Deo, & secum ipsa, & cum reliquis hominibus habet illigatam, à qua, nisi decidat à semetipsa, nulla potest ratione deuelli: Sicut enim Dominus primos parentes nostros, innocentiæ pulchritudine spoliatos à paradiso deturbauit in hanc miseriarum vallem, ne locum tam pacificum, quo indignos se reddiderant, ampliùs incolerent: ita è diuerso animas sanctitatis pulchritudine decoratas, in quodam statu pacis, & tranquillitatis collocat, in quo (secundùm quod post lapsum fieri potest) vitam illam omnis perturbationis expertem accipiunt, quam illi primi hominum satores perdiderant. Apertis verbis vaticinatus est hoc Isaias: Erit, inquit, opus iustitiæ pax, & cultus iustitiæ silentium, & securitas vsque in sempiternum. Et sedebit populus meus in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiduciæ, & in requie opulenta.] Fructus quidem veræ & perfectæ iustitiæ est illa pax exuperans omnem sensum, qua Deus animas sanctas subiicit sibi, & omnia earum interiora componit. Et opus eiusdem iustitiæ est trāquillitas, per quam homo inter alios, à suis quoque moribus & proposito dissitos, pacatus viuit, & non ab ipsis ad malum trahitur, sed sine vlla violentia eos ad bonum pertrahit. Atque eo ipso, quòd ad populum Dei opere pertinuerit,

Isaia 32.

assequetur

assequetur in arrhā præmij cœlestis pulchritudinem pacificam, quam proci non turbent, aut pacem pulcherrimam, quam omnes admirentur. Accipiet insuper securam in Deo fiduciam, & requiem; quæ non otiositatem, & ignauiam matrem mendicitatis, pariat, sed immensos operum bonorum thesauros, & ingentes mentis profectus inuehat. Anima ergo perfecta, cum Deo tranquillissimam pacem in seipsa sentit: Nam sicut corpus sanitate perfectum cum sua anima, à qua vitam, sensum, & motum percipit, lætissima pace fruitur; & sine vlla difficultate, eius gubernatur imperio. Si anima vult, vt loquatur, sine vlla mora loquitur, si vult vt sileat, mox silet, & verba recolligit; si vt moueatur, statim gressibus ordinatis se mouet; si vt quiescat, refert pedē, & è vestigio quiescit; effert manum aut caput, si anima iubeat, &, si contrarium præcipiat, faciliter deprimit, & in omnibus aliis aptissimum ei instrumentum se exhibet: Ita prorsus anima perfecta instrumentum est Dei, quæ ea cogitat, eà cupit, ea loquitur, ea opere exequitur, quæ Deus vult, aut potius (vt accommodatiùs ad propositum simile loquamur) quæ in ea cogitat, & desiderat, & fatur, & exequitur Deus. Ideóque Paulus Christi beneficia considerans ait: Ipse est pax nostra, qui fecit vtraque vnum.] Quonam modo fecit vtraque vnum? Certè non solùm, quia duos populos Iudaicum & Gentilem reconciliauit, dum maceriam circumcisionis, & inimicitiā idololatriæ, quæ reconciliationi obstabat, per crucē in sua carne dissoluit, sed etiam quia Deum, & animam in vnum velle nolléque coniunxit; ita vt sicut corpus sine vlla contradictione ab anima regitur, cum qua in vnum hominem coalescit; sic & anima ab vno Deo, quem vitam & animam suam esse cognoscit, sine difficultate regatur. Speculū tersum, atque politū faciem refert, & quasi pulchritudinem & lineamenta illius induit, qui ad eum propius accedit: & lacus aquæ purissimæ atque tranquillæ, cœlum, & solem in die, nocte verò lunam & stellas ita repræsentat, vt modicum cœlum ad terras delapsum appareat: ita perfecta anima, quæ speculum Dei est, Dei se aspicientis voluntatem recipit, & eius pulchritudinem, mititatem, benignitatem, & alias perfectiones diuinas refert. Est tanta inter Deum & hanc animam pax, vt iam non duo, sed vnum quid esse videantur. Et sanè quodammodo vnum sunt, dicente Paulo: Qui adhæret Domino, vnus spiritus est.] Non vnus substantia, sed vnus cum Deo similitudine, vnus consensione, vnus imitatione. Tam potens enim est, ait Anselmus, hæc humana mens, quæ est imago Dei, vt ei cuius imago est, valeat inhærere, quoniam sic ordinata est naturarum ordine, non locorum, vt supra illam non sit nisi ille. Cui cùm penitus adhæserit, vnus spiritus erit, accedente quidem ipsa ad participationem naturæ, veritatis, & beatitudinis illius.] Sicut ergo inspirauit Dominus in faciē hominis spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viuentem,] quæ est imago Dei, ita inspirat in faciem animæ spiritum charitatis perfectæ, eam viuificantis, atque sanantis, qui ipsam sanctitate & morum puritate Deo quàm simillimam reddit. Hæc est sanctorum pax, quâ anima perfecta in omnibus Deo cum summa hilaritate, & exultatione subiicitur. Quæ si anteà impetuosè propriam voluntatem implebat, iam eodem impetu, imò & maiori propensione Dei voluntatem adimplet. Quæ antea gaudenter delicias corporis quæritabat, iam latissimè corporis afflictionem quæritat, & spiritus delicias exoptat. Quæ priùs honores & mundi dignitates ambiebat, iam sui contemptum, & Dei honorem concupiscit. Et quemadmodum prima materies, quam summus Philosophus principium rerum sublunarium cogitat, formam quidem generaliter appetit, à qua substantiam, & naturam perfectam habet, at formam istam scilicet plantæ non magis quàm illam, scilicet auri, concupiscit; ita perfectorum corda iustorum infinitis quodammodò desideriis appetunt voluntatem Dei, hoc autem, aut illud eatenus cupiunt, quatenus ad huius diuinæ voluntatis exequutionem spectat, & in eius honorem & gloriam redundat. Nos itaque iustificati ex fide hanc pacem habeamus ad Deum per Dominum nostrum Iesum Christum.] Quod tunc assequimur, cùm exuto veteri homine nouum induimus, & sanctitatis operibus insistentes ad pristina vitia non retrogredimur.

Hanc pacem Dei & animæ, pax ipsius animæ ad seipsam, quæ affectuum concordia, & appetituum tranquillitate constat, sine vlla mora consequitur. Si enim hero domum ingrediente, seruulorum turba tacet, & inquietudo, ac lusus mancipiorum quiescit; quidni ingrediente Domino arcem animæ, & omnes eius potentias obtinente, passionum & affectuum, quæ velut serui sunt animæ, multitudo quiescat. Silet ergo, & statim ordinem amat, & desideriorum perstrepentium clamores relinquit. Experimurque Dominum turbam reipublicæ nostræ interioris pacantem, & optatam tranquillitatem afferentem. Et illud Dauidis impletum videmus. [Factus est in pace locus eius.] Et rursus: Orietur in diebus eius iustitia & abundantia pacis.] Dies námque Domini illi intelliguntur, in quibus perfectè regnat in nobis. Sicut enim hora eius dicta est, qua nostram erat salutem operaturus, & ad Patrē transiturus; ita dies illius sunt, quibus in nostris mentibus salutem consummat, & regnum peccatorum euertit. In his diebus non solùm iustitiæ lumen exoritur, sed & pacis abundantia succrescit, dum desideria rerum mundanarum obdormiscunt, & veteris hominis affectus illigantur. Nondum extincti sunt, & sicut in illo felici innocentiæ statu ad omnimodam subiectionem redacti, sed præsentia Domini compositi, & abundantia misericordiæ eius consopiti. Quo se occultante statim perstrepunt, & aduersùs legem spiritus rebellare moliuntur. Statum pacis, & statum belli Propheta regius proprio didicit experimento. In quodam loco ait: Domine in voluntate tua præstitisti decori meo virtutem,] qua scilicet affectus meos submitterem, & vana desideria subiugarem: at auertisti faciem tuam à me, & factus sum conturbatus.] Et iterum alio loco dicit, à tempore tentationis incipiens: Posuisti tenebras, & facta est nox, in ipsa pertransibunt omnes bestiæ siluæ, catuli Leonum rugientes, vt rapiant & quærant à Deo escam sibi.] Bestiæ enim, & catuli Leonum sunt bestiales carnis motus, qui escam mortis, quâ nos interficiant, inquirunt, & quia bestiales sunt, à Deo auctore vitæ postulandam existimant. Et posteà tempus pacis describens: Ortus est Sol, & congregati sunt, & in cubilibus suis collocabuntur.] Non itaque moriuntur, sed ordinantur, & in loco suo collocantur. Et tunc exibit homo securus ad opus suum, & ad operationem suam vsque ad vesperam.] Hæc etiam, sicut & prima, est propria perfectæ animæ pax. Vnde inquit Ambrosius: Perfectorum est non facilè mundanis moueri, non turbari metu, non exagitari suspicione, non terrore concuti, non dolore vexari, sed quasi in littore tutissimo aduersùs infringentes fluctus sæcularium procellarum mentem immobilem fida statione placidare. Hoc firmamentum Christianis mentibus Christus inuexit, pacem internam inue-

Ephes. 2.
1 Cor. 6.
Anselm. ibid.
Genes. 2.
Rom. 5.
Psal. 75.
Psal. 71.
Ioan. 14.
Psal. 29.
Ps. 103.
Ambr. lib. 1. de Iacob. c. 6.

hens animis probatorum, vt non turbetur cor nostrum, neque exagitetur animus. Hanc pacem super omnem mentem esse Apostolus doctor asseruit, dicens: Et pax Dei, quæ exuperat omnem mentem, custodiat corda vestra, & sensus, in Christo Iesu.] *Philip. 4.* Fructus itaque pacis est non perturbari in pectore. Denique vita iusti quieta est, iniustus autem inquietudinis, & perturbationis plenus est.] Sicut ergo est opus Dei, in hoc mundo, dum bene est secundùm suas partes constitutus, quòd elementa contraria pace fruantur, & nec terra aquis obruatur, neq; aqua terræ hiatibus absorbeatur, neque aër ventis agitatus ignē extinguat, neque ignis aërem inflāmet, sed omnia hæc mutuò se adiuuent, & in sua se natura conseruent: ita opus Dei est, in animo bene ordinato, vt affectus oppositi pacem habeant, dum quisque eorum iuxta præscriptum diuinæ legis se mouet; & nec immoderatus amor, nec effrænatum odium, nec pusillanimis timor, nec audax spes, in nostrū excidium mortémque spiritualem conspirent. Circundat Dominus perfectos viros protectione sua, vt non solùm in malū non cōsentiant, verùm etiam ne malum quidem, nisi raro & à longè & valde leuiter sentiant, quod nec permitteret, nisi id naturæ lapsæ status exposceret. Huius autem operis Domini conqueritur diabolus, & vitam perfectorū eleuare conatur. Dicítque ad Dominum, dum iustum pacatum, & patientem, & pacificum videt: Nónne tu vallasti eum, ac domum eius, vniuersámque substantiam per circuitum; operibus manuum eius benedixisti, & possessio eius creuit in terra? *Iob. 1.* At perfectus vir has Dæmonis irrisiones nihil curat, imò sua pace lætabundus Isaiæ verbis aduersarium irridet. Conquieuit, inquit, & siluit terra, gauisa est, & exultauit, abietes quoque lætatæ sunt super te, & cedri Libani, ex quo dormisti, non ascendit, qui succidat nos.] *Isa. 14.* Meritò dormientem putat, quem Petrus vigilantem, & rugientem, & circumeuntem aduertit, quoniam sicut Syrenes illæ à Poëtis confictæ cantu suo homines soporabant, & soporatos discerpebant; ita Dominus voce sua, quæ in canticis de dulcedine, & suauitate commendatur, *Cant. 2.* diabolum aduersùs quem iustus semper vigilat, veluti in somno quodam, & obliuione sepelit, ne iustum persuasione ad malum infestet. Legimus quia Dominus stans in medio discipulorum suorum dixit eis: Pax vobis; *Ioan. 20.* & turbatos, & diuersitate sensuum dissociatos, quam de resurrectione conceperant; ad pacem & concordiam redegit: ita positus in medio animæ iustæ, atq; perfectæ, & cor eius possidens, & pacem edicēs, affectus interiores pacificat, & passiones componit, vt iam nō bella cieant, sed tranquillitatem meditentur. Quid moror? Nónne solent duo reges inimici, qui se bellis insequebantur, ad magnam pacem redire, & aduersùs alium regem vtrique inimicum arma sumere, & eum hostiliter debellare, eóque victo atque prostrato in cœpta pace persistere? sed idem faciunt corpus & anima, qui in statu imperfectionis inimici erant adinuicem, quoniam caro concupiscebat aduersùs spiritum, & spiritus aduersùs carnem. Amicitiam enim ineunt, pacem componunt, & anima corpori imperat, corpus verò lætum, & alacre animæ famulatur, vt vtrumque quasi vno agmine vitium suarum facto, aduersùs dæmonem, communem aduersarium insurgant, & eum sanctè viuendo, & diuinæ legi in omnibus obediendo, sibi glorioso triumpho subiiciant. Quo victo, atque prostrato, pax animæ & carnis durat, & dum illa iubet, & ista paret, integra & indirupta perseuerat.

Animæ denique perfectæ, quæ cum Deo inuiolabilem pacē iniuit, & suis affectibus ordinatis pacem imposuit, quid restat, nisi vt cum proximis quoque pacem habeat, & (quod in ipsa est) numquam concordiam frangat, nec fœdera fraternitatis abrumpat? Id profectò sollicitissimè præstat, & cùm ad nullam rem immoderatè sit affecta, vt pacem cum omnibus sibi paret, & paratam conseruet, seruatámque promoueat, nulli labori parcit, nihil non suffert, & nullum bonum paci, & charitati præferendum putat. Audit dicentem Apostolum: Pacem sequimini cum omnibus, & sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum.] *Heb. 12.* Audit attestantem Iacobum: quòd fructus iustitiæ in pace seminatur faciētibus pacem.] *Iacob. 3.* Audit Petrum suadentem: Charissimi, hæc expectantes satagite immaculati & inuiolati ei inueniri in pace.] *2. Pet. 3.* Et pacem sectatur, in pace bona opera seminat, & in pace immaculata vult inueniri, vt Deum in hac vita oculis contemplationis, & in alia oculis gloriosi luminis videat, & fructus pacis perfectæ recolligat. Non ergo anima perfecta contenta est, si pacata inueniatur, quod Bernardus pusillis attribuit, qui vocantur filij pacis, dum Dominus ad Apostolos dicit: Et si fuerit ibi filius pacis, requiescet super illum pax vestra.] *Mat. 10.* Nec etiam si patiens reperiatur, quod proficientibus conuenit, & contumeliis violati, iniurijsq; lacessiti, pacem non amittunt. Quare lætanter de sua patientia gloriantur, cum iusto rege canentes: Ecce in pace amaritudo mea amarissima.] *Isa. 38.* Sed etiam (quod perfectorum est) pacifica vult inueniri. Quia molientes pacem auferre, diligit, & ad pacem instigare procurat. Pacifici sunt, inquit sanctus pater Bernardus, qui non solùm in se & in aliis pacem faciunt, sed etiam volentes auferre diligunt, sicut scriptum est: *Bern. in sententijs sent. 1.* Cum his, qui oderunt pacem, eram pacificus.] *Ps. 119.* Ecce isti sunt, in quibus requiescit, & mansionem Deus facit. Ecce isti sunt, quos sicut filios Deus diligit, & de quibus tamquam viuis lapidibus templum sibi sapientia construit. De quo ædificio, ne vllo impulsu possint labefactari, ipso Deo inhabitante pariter, & operante, ad similitudinem lapidis quadrantur. Superiùs, cùm diuinæ voluntati suam humiliter & prudenter subiiciunt. Inferiùs, cùm carnem subiectam temperantes regunt: A dextris, cùm iustè bonos amplectuntur; & à sinistris: cùm malos fortiter patiuntur.] O verè anima amatrix pacis, & domus tranquillitatis, quæ & Deo, & sibi pacata est, & amicis & inimicis pacifica. Quam hostes ad discordias non pertrahunt, & ipsa se persequentes ad pacem & concordiam inuitat. Huic dabit Dominus solatium verum, pacem super pacem. Nam pro pace ista perfectissima, quam in terra possidet, pacem ineffabilem in cœlo recipiet. Vnde Gregorius ait. Super pacem, quam dilectis suis in hac vita tribuit, in æterna felicitate aliam diuina miseratio dabit, *Greg. ad Psal. vlt. pœnit.* vt iam caro non repugnet spiritui, nec aliqua vllius tentationis subrepat occasio, omnibus iam compositis: vt reformata in melius humana natura iam nemo cadere, nemo possit peccare.] Istam sanctissimam pacem nulli omnino perturbationi obnoxiam Deus ciuibus cœli reseruat, sed in sanctissimis viris adhuc in hac vita positis ex parte delineat, dum eos perfectè sibi subiicit, & interiora illorum ordinat, & cum proximis sincerissima charitate componit. Qui verò adhuc tepidi, & imperfecti sumus, nec Deo plenè subdimur, nec affectus constanter vincimus, nec proximis perfectè copulamur, & ideo pacis pulchritudinem non experimur. Eia igitur anima mea ad perfectionem aspira, vt hoc pacis bonum certè præstantissimum assequaris. Quia, vt ait Baruch, si in via Dei ambulasses, habitasses vtique in pace super terram.] *Baruc. 3.*

De

De securitate animæ perfectæ.

CAP. XXI.

SECVRITAS est comes pacis, quæ si vera est,& à Deo donata, non pericula abscondit, non laqueos occultat, non pedicas & vincula ignorantibus iniicit, sed potiùs omne quod est lubricum & periculosum,remouet, vt qui pace gaudet, maneat securus. Quare Scripturæ sacræ pacem & securitatem sæpè coniungunt, quarum illa sine ista non erit vera & perfecta pax,sed verum bellum,& falsa tranquillitas.In pace in idipsum,ait Dauid, dormiam & requiescam:quoniam tu Domine singulariter in spe *Psal. 4.* constituisti me.]Qui in pace dormit,& in vtramque autem soporatur, ex eo quòd in spe diuinæ protectionis stabilitus est, longè videtur esse à discrimine, quòd securitatem eripiat. Et imperante Salomone, quem ob pacem à Domino illi datam regem pacificum appellarunt, habitabat Iuda,& Israël absque timore vllo vnusquisque sub vite sua, & sub ficu sua à *3.Reg.4.* Dan vsque Bersabee.]Quo securitas Israelitarũ notatur, qui magna pace ditati, nec occursum malum timebant, nec Satan, aut aduersarium formidabant. Quin & Paulus pacem Dei exuperantem omnem *Philip.4.* sensum,]precatur nobis,vt custodiat corda nostra,& intelligentias nostras;] affectus autem & sensus nostri ab hac pace Dei,quæ Christus est,custoditi,quidni ab omni casu, & cæcitate tuti erunt atque securi? *Iere.12.* Nec non & Ieremias ait, cùm in terra pacis securus fueris, quid facies in superbia Iordanis?] Quibus verbis indicat,quòd sicut filij Israël terram sibi promissam incolentes,in qua pacifici erant,magna securitate lætabantur,Iordane tamen trãnsuadato,qui regionem illam terminabat, bellorum & captiuitatis pericula erant subituri:sic & anima in terra perfectæ virtutis tamquam in terra pacis secura, & quieta est, cuius limitibus prætermissis,non solùm bellum sentiet (quod securi quoque in hac vita aliquando sentiunt,in qua non est plena,& consummata securitas) sed periculis quoque cadendi patebit.

Si igitur vera pax & vera securitas sorores sunt indiuiduæ, sequitur, quòd perfectio pulchra, & quia pulchra pacifica, erit etiam pro modulo huius vitæ secura. Quam anima in recessibus sui cordis recondens, securitatem habebit ab hostibus internis, & externis, eam nimirum securitatem, quæ huic vitæ lubricæ, & tot miseriis circundatæ, nequaquam repugnat. Salomon enim ait: Cogitare de illa (& de *Sapien.6.* sapientia loquitur, quo nomine in illis libris moralibus perfectionem diximus esse descriptam) sensus est consummatus: & qui vigilauerit propter illam, citò securus erit.Si perfectionem cognoscere,non vt cognoscas solùm,sed vt habeas,eiúsque te documentis accommodes,summa prudentia est,& propter illam vigilare, & laborare magna securitas:quanta,rogo, securitas erit, ad finem laborum venire, & eam, propter quam laborabas & vigilabas, feliciter possidere?Certè tanta, quantam ipse diuinus spiritus voluit ad vtilitatem & consolationem nostram per os Sophar Naamathitæ describere. Si iniquitatem, in*Iob 11.*quit, quæ est in manu tua, abstuleris à te, & non manserit in tabernaculo tuo iniustitia, tunc leuare poteris faciem tuam absque macula, & eris stabilis, & non timebis.Miseriæ quoque obliuisceris,& quasi aquarum, quæ præterierunt, recordaberis. Et quasi meridianus fulgor consurget tibi ad vesperam, & cùm te consumptum putaueris,orieris vt Lucifer.Et

A habebis fiduciam proposita tibi spe,& defossus securus dormies. Requiesces, & non erit qui te exterreat.] O felix status! ô tempus desiderabile, in quo anima hostibus & tentationibus septa hac miranda securitate gaudebit! Iniquitas, quæ manibus attribuitur, peccata externa designat: & iniustitia, quæ in tabernaculo, hoc est,in corde commoratur, delicta interna,& necdum ad opus prodeúntia,significat. Si ergo anima interiùs & exteriùs se à peccato mundauerit,& puritatem in se virtutis expresserit,faciem coram omnibus confidenter leuabit, quia nihil est in ea,propter quod debeat pudore suffundi, constans & firma erit in accepta iustitia, nec timebit astu dæmonis ab illa detrudi:quia Dominus illuminatio eius & salus eius,quem timebit? Dominus defensor vitæ *Psal. 26.* B eius,à quo trepidabit?] Obliuiscetur quoque præteritorum peccatorum, memoriam quorum Dominus misericorditer velut spinam cordi infixam euellit,(vt ait Cassianus)& animam iam defæcatam non tam ad *Cassian. col. 20. c. 7.* lugenda præterita (quæ mari compunctionis suffocata sunt)quàm ad laudes Deo canendas, & ad affectus amoris inuitat.Et sicut periculi iam elapsi, quod effugimus, cum exultatione recordamur, illúdque aliis cum risu, & gaudio narramus;sic ista vitæ præteritæ recordabitur, non quia mala ei placeant, sed quia se euasisse,& fugisse gaudet illa,quæ summè displiceant. Vita eius ad vesperam,id est,in postremis diebus, cùm scilicet iam tempus vocationis instat, erit felicissima,& quasi meridies sanctitatis splẽdore clarissima,& cùm in veste corporis obscurata fuerit, C & pallore mortis absumpta,veluti aurora consurget. Si enim hæc procedit, & crescit vsque ad perfectum diem; ita anima à puritate huius vitæ ad puritatem æternæ gloriæ perueniet, & non iam sicut Lucifer, sed sicut sol in suo feruore positus emicabit. In discriminibus posita, & feris, ac bestiis obiecta, non despondet animum,sed certissima spe,& stabilissima fiducia roborata aggredietur pericula, & Domino pro illa pugnante,liberabitur:iuxta illud:Iustus,quasi leo confidens,absque terrore erit. *Prou. 28.* Denque quasi vallo, fossáque munita, contemplationis quietem capiet secura, quam nec illusiones vanæ territabunt, neque timores aut minæ, ab eo quod oportet, aliquando dimouebunt. Hac longa oratione, & mysteriorum plena iste amicus Iob animæ iustæ securi- D tatem exaggerat,& sortem desiderabilem timentium Dominum manifestat.

Sed in quo constituta est ista perfectorum securitas,& quam eius assignabimus causam?Equidem ego existimo causam huius securitatis esse,quòd Deus in *2.Cor.12.* medio perfectæ animæ habitat, & in ea tamquam in solio requiescit,& tamquam murus igneus illam vndique cingit, atque defendit. Paulus enim ait: Libenter gloriabor in infirmitatibus meis,vt inhabitet in me virtus Christi.] Qua virtute repletus, tantùm abest, vt tribulationes timeat, quòd potiùs eas velut seminaria felicitatis pro gloria habet, sciens, quia cùm infirmatur, tunc non infirmus, sed potens est. Sedes profectò regis ab omni iniuria tuta est, quis enim thronum, in quo rex sedet, non honorabit, at- E que suspiciet?Anima autem perfecta sedes est summi Dei. Nam iustitia, & iudicium, ait Dauid, præpara- *Psal. 88.* tio sedis tuæ.] In cuius signum Domino, vt Bernar- *Bern. ser. 27. in cã.* dus meditatur, sessuro super asellum vestes suas discipuli substrauerunt, significantes, saluatorem, seu salutem nequaquam insidere nudæ animæ,quam non vt vestitam inuenerit doctrinis & moribus Apostolorum.] Quis ergo Dei sedem audeat violare? Quis thronum Regis omnipotentis attingere?Rachel fœ- *Gen. 31.* mina, & eo ipso imbecilla, & infirma,sedens super

A idola patris sui, abscondit ea, & ab iniuria vindicauit, & Deus insidens animæ, illam seruare, & tutari non poterit? Quis hoc in animum suum inducet? Et illa *Psal. 36.* quidem subter stramenta cameli furtum abscondit, vt patrem quærentem eluderet, Dominus verò non solùm abscondit sanctos suos in abscondito faciei suæ, verùm etiam ad modum maris, vt eos prote- *Osee 9.* gat, in circuitu ipsorum se vndequaq; diffundit. Oseas quippe ait, Ephraim, vt vidi, Tyrus erat, fundata in pulchritudine.] Nam sicut Tyrus in solo fertilissimo ædificata, ad firmitatem, & tutamen suum mari vndique cingebatur; ita anima sancta in loco sanctitatis extructa, Deo, vt secura sit, tamquam inexhausto mari circundatur. Quòd si vrbes maritimæ præter mare, quo fortissimæ fiunt, muris ad maius robur & tutamen cinguntur, non desiderat murū sancta anima, *Zach. 2.* quæ scriptum legit in Zacharia: Et ego ero ei, ait B Dominus, murus igneus in circuitu, & gloria ero in medio eius.] In medio eius est gloria, & pulchritudo, quia sicut examen apum regem suum in medio habens, & exercitus militum ducem in honorabilissimo loco velut corporis caput ostendens, pulchra, & gloriosa iudicantur; ita perfecta anima Deum in corde recondens, non potest non pulcherrima iudicari, & omni honore ac reuerentia digna videri. In circuitu verò eius est murus igneus, qui non tantùm rumpi, aut transiliri non potest, verùm etiam, nec propè videri, quoniam propè accedentes combusret, atque consumet. Sic Dominus se gerens erga perfectam animam, non dubium est, quin eam reddat securam; quam vt proprium solium suæ præsentiæ honore afficit, & vt vrbem sibi dilectam sua protectione custodit. Perfectio ergo, quæ animam solium Dei facit, & tutissima eius protectione cingit, ma- *Prou. 18.* C gnam profectò securitatem inducit. De qua illud Salomonis probè intelligitur: Substātia diuitis vrbs roboris eius, & quasi murus validus circundans eum.] Diues enim (si res æqua lance æstimemus) non potest esse alius, quàm homo perfectus, qui non aurum, & argentum, & res perituras possidet, sed charitatem, sapientiam, & veras virtutes recondit. Istæ itaque diuitiæ, ista non angusta sed ampla substantia, pro vrbe munita, & pro muro valido homini iusto, & præcipuè viro perfecto est; quia si opes huius sæculi pecuniosum hominem non defendunt, imò sæpè suæ sunt occasio ruinæ, opes cœli nempe virtutes certissimè protegunt eum, & cunctas hostium arcent insidias.

D Præsentia itaque Domini animam inhabitantis, & eam protegentis, huius securitatis est causa. at in quo consistit ista securitas? Certè in hoc, quòd perfectus pro suæ vitæ, & profectus ratione grauia peccata prostrauit, vitia extinxit, inordinatos affectus deiecit, & iam victos rationi, & diuinæ voluntati subiugauit. Atque in quadam vitæ celsitudine positus, non est cur timeat ea, quæ in imo consistentes inquietant. Hic thesaurizauit thesauros in cœlo, id est, in celsissima puritate vitæ, quæ cœli similitudinem gerit, quò fur non appropiat, neque tinea corrumpit, & ideò nec fures, scilicet aduersarios externos timet, nec tineam, internas videlicet rerum malarum concupiscentias metuit. Quid enim ille trepidet auaritiæ, E & rerum temporalium possidendarum bellum, qui pro perfectionis desiderio, & paupertatis amore omnia contempsit, & vix ipsum parcissimū victum, & vile indumentum corpusculo necessarium admittit? Quid timeat suæ carnis venenatum sibilum, qui, vt eam spiritus imperio subiiceret; omni asperitatū, & afflictionum genere domat, & licita frequenter ei negat, ne illicita concupiscat? Quid horreat propriæ voluntatis occursum, & honorum, ac dignitatum appetitum, qui minimam quoque honoris significationem fugit, & in aliquo etiam modico suam voluntatem sequi, vt pestem infestissimam perhorrescit? In hac itaque altitudine vitæ, & in hac celsitudine perfectionis, tamquam in monte celsissimo homo securus est, ne à viperis vallium infestetur, id est, ne à delictis tepidè viuentium feriatur. Quod vaticinatus est Abdias, dicens: Et in monte Sion erit *Abdiæ cap. 1.* saluatio, & erit sanctus, & possidebit domus Iacob eos, qui se possederant. Et erit domus Iacob ignis, & domus Ioseph flamma, & domus Esau stipula: & succendentur in eis.] In hoc sanè monte, qui fastigium perfectionis significat, in quo sancti, & perfecti commorantur, erit certa saluatio, & iucunda securitas. In illo domus spiritualis Iacob, illi scilicet, qui è vicino Christum imitantur, possidebunt inordinatos affectus suos, qui se antea possederant. Et erunt velut ignis, & velut flamma, quæ, si prædictos affectus non penitus consumat, at in fugam vertat, ne ampliùs sanctos, & victores ad mala pertrahant, aut vehementer inquietent. Si volumus igitur in hac vita aliqua securitate gaudere, audiamus hospitam exploratorum terræ promissæ, viam huius securitatis adipiscendæ pandentem: audiamus eam, & obediamus ei: Ad montana conscendite, in- *Iosue 2.* quit, ne fortè occurrant vobis reuertentes; ibique latitate tribus diebus, donec redeant, & sic ibitis per viam vestram. Hunc perfectionis montem conscendamus, & ab omni strepitu curarum sæcularium abscondamus nos, sic res, quas priùs immoderatè diligebamus, & per campestria vitæ tepidæ reuertuntur, nequaquam nobis occurrēt. Et securi viam nostram, eam scilicet, quæ ducit in cœlum, & sine magna tentationum molestia carpemus. Atque hanc esse viam alicuius securitatis habēdæ Basilius hac oratione pa- *Basil. ho. in Psalm. 45.* tefacit: Absit, inquit, vt nos per huiusmodi vacationem, (id est, per otiositatem, qua ab operibus bonis vacamus) aditum aduersario præbeamus: sed domui mentis nostræ vacemus, vt in nobis Christum per spiritum promereamur habere inhabitantem.] Igitur postquam vobis agitatis ab hostibus, pacem dilargitus est, tunc dicit: vacate à miserè vos distrahentibus inimicis, vt in quiete & silentio verba veritatis contemplari possitis. Idcirco Dominus aliàs dicit: Qui *Luc. 14.* non renunciat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus.] Vacemus itaque à studio diuitiarum, à cupiditate item inanis gloriolæ, à voluptatum vsu, ab inuidia, & omni demùm in proximum nostrum malignitate, vt anima nostra in tranquillo ac quieto statu consistente, nec vlla vitiosæ affectionis turbela eam agitante, in ea tamquam in speculo irradiatio & affulgentia Dei pura fit, nec vlla obscuretur caligine.] Ex quo cognoscimus, eos, qui ab operibus sæculi se sequestrant, & vt perfectos decet, affectus rerum mundanarum ex corde euellunt, & internam pacem habere, & licèt affectus velut à longè aliquando latrent, magna securitate delectari. Sicut enim qui in aliqua arte aut disciplina peritissimi sunt, ab erroribus, aut defectibus, in quos illius facultatis tyrones incidunt, videntur esse securi, ita in vita spirituali perfecti tuti esse videntur ab impugnatione eorum affectuum, quæ solent imperfectos vincere, & miserabili casu prosternere.

Sed aliam huius securitatis partem, in qua etiam posita est, breuiter attingamus. Ea scilicet est, quòd sicut Dominus præsentia sua ab importuno bello interiorum affectuū viros perfectos liberat, ita etiam à dæmonum, & hominum impiorum impugnatione defendit. Defendit, inquam, illos à tentationibus

dæmonum

dæmonum, quia statim lucem ad cognoscendam tentationem infundit, & robur ad eam vincendam concedit, & attentionem, ac sollicitudinem ad ipsam statim ventilandam, & repellendam impertit. Nonnumquam etiam experimur; quòd dæmoni quasi sese ad tentationem paranti, & iamiam aduentanti, Dominus vt fortissimus gigas occurrit, & à nobis cum rubore, & confusione depellit; & infestationem appropinquasse, atque priùs quàm eam sentiamus, imò & priusquam cuius generis fuerit, cognoscamus, defensoris benignissimi dono, eam euanuisse sentimus. Fitque quoddam stupendum, atque mirabile, vt qui in principio conuersionis, si ad quamuis tentationem non cadebamus, at periclitabamur, iam facti robusti, insultus dæmonum irridemus, & ipsorum conatus & suasiones spernimus. In die illa, dicit

Mich. 4. Dominus per Micheam, congregabo claudicantem, & eam, quam eieceram, colligam, & quam afflixeram. Et ponam claudicantem in reliquias, & eam, quæ laborauerat, in gentem robustam.] O quantùm me delectat illius diei commemoratio, qua Dominus congregat dispersiones claudicantis, & animæ imperfectæ, & tepidæ affectus, & desideria in vnum sui desiderium compellit. O quantùm me afficit illius horæ memoria, qua sponsus perditam meretricem, id est, animam peccatricem, & rerum mundi amatricem, quam flagellis afflixerat, & cum indignatione à se proiecerat, in sinum suæ misericordiæ colligit, & ouem perditam ad caulas sui gregis reducit! In illa die ponit Dominus claudicantem in reliquias, quoniam eam animam, quæ claudicabat, & iam post Deum, iam post sua desideria intemperanter incedebat, similem sanctis præcedentibus reddit, & mirabili mutatione eam ad normam sanctorum accommodat. Laborantem etiam infirmitate facit in gentem, robustam, vt aduersarios, quos timebat, rideat; quos formidabat, ad bellum prouocet; & quos victores sustinebat, victos, & fugientes agnoscat. Sancti igitur non ideo securi sunt, quia numquam sibi dæmones laqueos tentationum obtendunt, aut quia pusillo animo se in aduersariorum ditionem tradunt, sed quoniam auxilio omnipotentis suffulti, facili negotio eorum conatus euertunt. Non quidem est perfectorum securitas in hoc, quòd aliquando tentationibus non impugnentur: quia cùm militia sit vita

Iob 7. hominis super terram,] non potest ac si esset in pace omni hostium insultu carere, & omnimoda tranquillitate lætari. Neque etiam in hoc stare potest, quòd aduersario, prohibita suadenti, & illicita proponenti, consentiant. Qui enim hosti consentiunt, videntur quidem habere tranquillitatem, vt egregiè dixit Ambrosius, videntur quiete frui, sed non est quies,

Ambr. in Psal. 118. ser. 17. ad vers. 5. vbi animus inquietus est: non est tranquillitas mentis, vbi animus exagitatur obnoxiæ stimulis conscientiæ. Quomodo securitas, vbi diuersarum pugna est passionum? vbi conflictus grauium cogitationum?] Ideo itaque ab incursibus dæmonum sunt securi, quia ope diuina cinguntur, quia auxiliis gratiæ proteguntur, quia eximio quodam splendore ad eos cognoscendos suffunduntur, & denique quia tentationis ignis multò mitiùs in illis exardet, in quibus, quia affectus ordinati sunt, materiam comburendi non reperit. Et ideo Bernardus ait: Nihil in hac vita securius, nihil iucundius possidetur, bona conscientia.

Bern. lib. de consc. Premat corpus, trahat mundus, terreat diabolus: illa tamen semper erit secura.] Etiamsi terreat diabolus, secura consistit, quoniam suasionibus illius non magis mouetur, quàm ciuis sapientissimus sermones hominis rustici illum ad præcipitium suadentis auerteret.

A Qui verò inter laqueos Dæmonũ tuti sunt, etúntne quoque inter persecutiones hominum iniquorũ securi? Ita sanè, quoniam istorum tamquam impotentiorum leuior solet esse conflictus. Non timent perfecti impiorum minas, atque terrores, nam aut bona animæ ipsorum, aut bona corporis volunt eripere. Animæ bona, cuiusmodi sunt, gratia, charitas, virtutes, & dona reliqua huius generis, auferre non possunt, quæ sola habentis voluntate perduntur. Vnde Paulus audet & scribit: Certus sum, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro.] *Rom. 8.*

B Ab omni creatura hanc potestatem auferēdi bona mentis eripit, seipsum solùm excipit, dum semetipsum inter alia non numerat. Quia hæc est libertas, qua Christus nos liberauit, vt ait Bernardus, vt nulla penitus creatura auellere nos, aut vim facere possit. *Bern. ser. de duplici baptismo.* Soli id deserere possumus propria voluntate abstracti, & illecti à propria concupiscentia. Bona verò ad præsentem vitam pertinentia, qualia sunt salus, honor, dignitas, delectatio, externa substantia, & vita corporis, nec nisi Deo ordinante, aut concedente, auferri queunt. Si verò Deus ea ab impiis hominibus auferri permittit, perfectus id æquanimiter & læte sustinet, cuius hoc præstantissimum bonum est, propriam voluntatē diuinæ volũtati habere concordem. Hinc illa Susannæ fiducia, quæ adulterij accusata, ad

C iudicium iudicum iniustissimorum vocata, & in eorum proposito sententia iam diræ mortis enecta, erat cor eius fiduciam habens in Domino.] *Dan. 13.* Hinc Paulus omnigenis tribulationibus impetitus ait: Sed in his omnibus superamus propter eum, qui dilexit nos.] *Rom. 8.* Hinc propheta regius canit: Quoniam in te eripiar à tentatione, & in Deo meo transgrediar murũ.] *Psal. 17.* Hinc denique Apostolorum securitas, Martyrum animositas, confessorum virtus, virginum gloriosæ victoriæ, quia aduersarios aspernabantur, & in Deo, à quo se defendi certissimè cognoscebāt, suam fiduciam collocabant, in eóque vniuersa ad se spectantia iactabant. At permittat Dominus electos suos ab impiis affligi, dilacerari, discerpi, & omnibus bonis spoliari, & terribili morte mulctari: nihilominus adhuc

D persistant immoti, atque securi: quia mortem vt augmentum coronæ, & ianuam cœli respiciunt. Nonne rex inter aurifices, qui diligentissimè diadema regium ei construunt, manet hilaris, atque securus? ita perfecta anima inter tyrannos atque carnifices, quia ei immarcessibilem coronam fabrefaciunt, læta est, atque secura. Sicut Agatha, quæ lætissimè & glorianter ibat ad carcerem, & quasi ad epulas inuitata, agonem suum Domino precibus commendabat.] *In eius vita.* Mortem quidem secura, & læta excipit, quia in eo ferio & corona gloriæ donatur, & modicum illud, ac corruptibile, quod videtur amittere, nempe corpus, seposita corruptione tempore statuto est receptura. Lignum habet spem, ait sanctus Iob, si præcisum fuerit, rursum virescit, & rami eius pullulant. Si senuerit *Iob. 14.*

E in terra ramus eius, & in puluere emortuus fuerit truncus illius, ad odorem aquæ germinabit, & faciet comam quasi cùm primũ plantatum est.] Hoc sanè lignum typus est viri iusti, de quo in Psalmis dictum est, quia erit tamquam lignum plantatũ secus decursus aquarum.] *Psal. 1.* Indicatur itaq; nobis, iustum, spe resurrectionis, quam fide viua credit, in summis discriminibus esse securum, nec timore mortis immoderatè sollicitari, in qua corpus suum, licèt sepultum, & in cineres versum, miseriam illã cum æterna

Greg. 11. mor.c.4. vita, & pulchritudine gloriæ commutabit. Vnde Gregorius ait: Potest iam radix iusti, ipsa natura humanitatis intelligi, ex qua subsistit. Quæ videlicet radix senescit in terra, cùm natura carnis deficit in puluerem redacta. Cuius in puluere truncus emoritur, quia extinctũ corpus à sua specie dissipatur. Sed ad odorem atque germinat, quia per aduentum sancti Spiritus resurgit. Et faciet comam, quasi cùm primùm plantatum est, quia ad illam speciem redit, ad quam percipiendam creatus fuerat, si in paradiso positus peccare noluisset.] Quomodo ergo non erit securus, quia Deo disponente, & volẽte, deponit corporis vestem, vt eam post modicum tempus innouatam, mundam, & numquam rumpendam accipiat? qui relinquit exilium, vt proficiscatur in patriam; qui è carcere soluitur, vt in aula regia commoretur; qui nouit, quoniam cùm ceciderit in mortem, non collidetur, quia Dominus supponit manum suam?] Illud demùm non prætereibo, quo animæ perfectæ securitas seipsam periculis & anxietate liberat. Nimirum quòd si, vt inquit Bernardus, ille in hac vita securus est; qui nusquam se securum existimat, ipsa ita secura, & tuta est, vt numquam se omnino securam iudicet. Sed iugiter seipsam, & omnia interiora, & exteriora sua discreta cura, & tranquilla diligentia circumspicit, ne quà aut mundus eam fallat, aut aduersarius subuertat, aut caro decipiat. Quæ circumspectio, quia prudens est, dum gratiam subsequitur, & diuino auxilio nititur, miro modo defendit, & quia moderata est, animam nequaquam inquietat. Hanc in mediis periculis securitatem, si volumus ad perfectionem curramus, & ignauiam ac socordiam deseramus, quia illa, dum Deo nos iungit, à telis hostium abscondit: hæc verò dum à Deo nos aliquantulum separat, periculis inimicorum exponit.

(Psal. 36. — Bern. ser. de pass. c. 24.)

De libertate animæ perfectæ.

CAPVT XXII.

CIVES, qui pacati sunt, & securi, communiter solent esse liberi, id est, qui precibus aut minis nulli se subdant, nec bonum facere, nec verum dicere metuãt. Omnis enim seruitus ex bellis exoritur, quibus bello capti, si morte liberantur, victorum imperio & obsequiis subiiciuntur. Hi autem semel bello in potestatem dominorũ adacti, dum aliis accepto pretio venduntur, aliud genus seruitutis arctius, & eo ipso miserius inducunt. Vnde qui pace gaudent, & ab hostium incursibus tuti sunt, non est cur in tristem seruitutis sortem venire formident. At ipsi sponte sese aliorum mancipia non facient, cùm hoc à natura omnibus inditum sit, vt felicitatem, atque adeò libertatem diligant, & infelicitatem, ac eius comitem seruitutem, aufugiant. 2.Cor.11. Et ideo Paulus Corinthios inscitiæ reprehendit, eo quòd à libertate Euangelij ad legis seruitutẽ se transferri patiebantur. Sustinetis, inquit, si quis vos in seruitutem redigit, si quis deuorat, si quis accipit, si quis extollitur, si quis in faciem vos cædit.] Ac si diceret, in hoc ostenditis vos insipientes & stultos, quòd innatũ cunctis desiderium veræ libertatis deseritis, & cæremoniarum legaliũ seruituti, quæ vos quasi seruos onerat, & quasi mancipia constringit, libentes collum subiicitis. Si verò pacem, & securitatem habentes liberi sunt, vtique tum in factis, tum in dictis hanc suam libertatem exercent. Sicut enim seruorum est, heri arbitrio regi, & quod animo concipiunt & cupiunt, timore pœnæ silere, ita liberorum est, quod sibi libet, facere, & quod sentiunt, absque vllo metu quibuscumque denunciare. Quare Ioas rex Israel ab Amasia rege Iuda ad certamen prouocatus, tamquã liber, & securus, in hunc modum se prouocanti respondit: Dixisti, percussi Edom, & idcirco erigitur cor tuum in superbiam: sede indomo tua, cur malum aduersùm te prouocas, vt cadas, & tu, & Iudas tecum?] Quibus verbis tam liberè prolatis monstrauit regnum suum ab insidiis Amasiæ esse securum, quem adhuc superbè perseuerantem euicit Ioas, & thesauros eius diripuit. 2.Par.25.

Anima ergo perfecta, quæ pacem & securitatem possidet, magna quoque libertate perfruitur, & indices huius libertatis, opus intrepidum, & sermonem audacem ostendit. Magnam quidem libertatem habet, quoniam, vt Apostolus ait: Vbi spiritus Domini, ibi libertas.] Hic autem Domini spiritus in omnibus iustis habitat, sed in viris perfectis intimiùs (vt ita dicam) commoratur, & abundantiùs eis dona sua, & veram libertatem (quæ ipsius quoque est donum) elargitur. Perfecti perfectè peccati iugum excusserunt, quia charitatis feruore nullum sibi peccatum dominari permittunt. Et, si aliquod leue vulnus defectuum venialium accipiunt, statim compunctionis medicamento illi medentur, & animosiùs hostem, à quo percussi sunt, repercutiunt. Omnis qui facit peccatum, ait æterna veritas, seruus est peccati;] qui ergo peccatum non faciunt, & ab eo secundùm gratiam sibi datam, quantùm sibi possibile est, fugiunt, liberi sunt à peccato. Quam appellationem sanè honorificam illis Paulus attribuit, dum ait: Nunc verò liberati à peccato, serui autem facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem verò vitam æternam.] Liberos esse à peccato desiderabile est, seruos autem esse Christi, pretiosum est, quia nec illa libertas ab hac seruitute secernitur, nec ista seruitus ab illa libertate separatur. Vnde idem Paulus ait; Qui in Domino vocatus est seruus, libertus est Domini: similiter qui liber vocatus est, seruus est Christi.] Vtraque conditio optima, inquit Ambrosius, esse sub Christo, sub quo, & pretiosa seruitus, & gloriosa libertas. Pretiosa seruitus quasi tanti sanguinis pretio comparata. Gloriosa autem libertas, quam nulla seruitus culpæ, nulla peccatorum vincula constringunt: nulla flagitiorum onera, nulla criminum commercia denegeris nexui seruitutis addicunt.] Ecce primam virorum perfectorum libertatem, qua vincula peccatorum disrumpunt, & se Christi seruos profitentur, cui seruire, libertatem non adimit, sed veram libertatem impertit.

(2.Cor.3. — Ioann. 8. — Rom. 6. — 1.Cor.7. — Ambros. ibid.)

Hæc autem libertas à peccato, modica perfectis videtur, si non etiam, & ab incitamentis peccati, à mundo scilicet, diabolo, & carne liberi existant. Hac profectò libertate simul cum prima gaudent. Mundi quippe opiniones, & deliria despiciunt, nec quid ipse approbet, quidve improbet, quid mentiendo bonum iudicet, aut malum existimet, vlla ratione curant, diaboli latratus, & suasiones subsannant, nec si se transfiguret in Angelum lucis, manifesti hostis adhortationibus acquiescunt. Carnis blanditias illecebrásque despiciunt, cui satis consultum putant, si ei necessaria non denegent, & nullo modo ad luxum pertinentia concedant. Hoc autem iugum, ex quo primum peccati dimanat, abiecisse & excussisse, magnam perfectis lætitiæ occasionem affert. Quam Isaias oculis mentis obiiciens ait: Lætabuntur coram te, sicut qui lætantur in messe, sicut exultant victores capta præda, quando diuidunt spolia. Iugum enim oneris eius, & virgam humeri eius, & sceptrum exactoris eius superasti, sicut in die Madian.] Non perfectis ipsis, sed Deo hanc perfectorum libertatem Isa. 9.

ascribit

ascribit, & meritò; ipse enim est, qui iugum sæculi importabile à ceruicibus sanctorum sustulit. Ipse est, qui virgam diaboli, id est, potestatem in peccatores acceptam, ne iustos ea feriret, comminuit, atque cõfregit. Ipse denique sceptrum carnis, quo cordibus antea carnalibus dominabatur, & ab eis vectigal voluptatum vetitarum exigebat, miserabiliter superauit: Sicut in die Madian. Quid est sicut in die Madian? nisi quod sicut milites Gedeonis frangentes hydrias testeas, & lampades ostentantes, & buccinis personantes Madianitas fugarunt, ita milites Christi scilicet iusti, carnem suam castigantes, & diaboli laqueos fidei luce detegentes, & aduersùs mundi doctrinam spiritus legem buccinantes, hostes suos proterunt, & in fugam vertunt? De hac autem victoria à Domino sibi concessa, non aliter lætantur, quàm messores, cùm congregãt triticum in horreum suum, aut quàm milites, cùm capta præda distribuunt inter sese inimicorum exuuias. Ita inquam, lætantur de hac mirabili libertate, quoniam hæc lætitia non sterilis est, sed quæ spolia istorum hostium victoribus, qui sunt perfecti, concedat, & frumenta meritorum in sinum ipsorum recondat. Sed quidni lætentur, qui iugum hoc grauissimum, quod aggrauatum erat super eos, putrefactum à facie olei charitatis aspiciunt, & virgam, quæ vulnerabat eos, fractam & comminutam intelligunt? Quod iugum, & quam virgam Sanctus Basilius hoc grauissimo sermone describit. planè intolerandum, & peracre iugum ille exactor iniecit humanæ vitæ, communis scilicet noster inimicus, virga cædens, & extorquens à nobis, vt suam vnius voluntatem expleremus. Nossene vis, quas nobis plagas virga illa inuexerit? Audi dicentem: Putruerunt & corruptæ sunt cicatrices meæ. Planè malitiosa hæc virga cicatrices perniciosi ac tetri doloris ingerit ei, qui vel est cæsus. Mihi nunc ad mentem reuoca vnum aliquem, qui magnis teneatur desideriis, & peracri cupiditate extimuletur perfruendi cõcupitis voluptatibus, quàm hic assimilis videri debet ei, qui illa hostili virga pertunditur, & abducitur ad peccatum? An non concupiscentia suos exacuit stimulos, atque etiam vrget, dolores infetens, isti sic intemperanti, vsque dum cicatricem peccati impresserit animæ ingignens illi graueolentem ac fœdum odorem, nempe immissionem obscœnarum cogitationum?] Qui tam graue iugum depulerunt, & virgam tam terribilem euaserunt, & in libertatem vindicati sunt, iure optimo lætantur, & suo liberatori hymnum Ecclesiastici concinunt, in præcordiis suis dicentes: Liberasti nos secundùm multitudinem misericordiæ nominis tui, à rugientibus præparatis ad escam, de manibus quærentium animam nostram, & de portis tribulationum, quæ circumdederunt nos: à pressura flammæ, quæ circumdedit nos; & in medio ignis non sumus æstuati.] Rursus dicũt illud Dauidis: Dirupisti Domine vincula nostra, tibi sacrificabimus hostiam laudis, & nomen Domini inuocabimus.] Qui & hostias laudationis offerunt, cùm non sibi, sed Domino hanc libertatem referunt, & nomen Domini inuocant, cùm ab eis auxilio, sicut initium libertatis huius, ita & progressum & finem expetunt.

Iud. 7.

Basil. ad II. cap. Isa.

Psal. 37.

Ecc. 51.

Psal. 115.

Sed aliam perfectorum libertatem aperiamus, quæ non est alia, sed eadem libertas à carne, vel à carnali concupiscentia clariùs & euidentiùs explicata. Perfecti enim, non sunt appetituum suorum & desideriorum serui, sed ea potiùs sanctitati & virtuti seruire faciunt, ac rationis imperio subiiciunt. Non in eorum cordibus inordinati affectus agenda aut omittenda disponunt, sed disponit recta ratio, iubet lex, &

A imperat diuina voluntas, quid agendum, quid optandum, & quid cogitandum sit, aut ex aduerso, quid fugiendum, atque vitandum. Non illos amor immoderatus dementat, non odium infatuat, non desiderium distrahit, non auersio turbat, non delectatio dissoluit, non tristitia inquietat. Non illos spes ad alta sustollit, nec desperatio ad ima deprimit; non audacia temerarios, nec timor pusillanimes efficit: non ira succendit, nec æstibus indignationis inflammat. Sed hi omnes affectus, sibilo gratiæ consopiti, & funibus virtutum ligati, perfectionis captiui sunt, in cuius obsequium solùm mouentur, & si aliquando proteruè resistunt, aut sui iuris esse contendunt, statim velut mancipia vilissima increpationem dominæ, scilicet perfectæ virtutis, & flagellum, ac virgam mortificationis sentiunt. Vnde impletur illud

B sanè stupendum, quod prædixit Isaias: Væ qui prædaris, nónne & ipse prædaberis? & qui spernis, nónne & ipse sperneris?] Nam appetitus, qui ante conuersionem iusti, vires rationalis animæ diripiebat, & in famulatum effrænatorum desideriorum trahebat, iam à ratione & virtute diripitur, & sanctitati seruire compellitur. Implet etiam Dominus illud, quod promisit populo sibi dilecto: Si audieris vocem meã, & feceris omnia, quæ loquor, inimicus ero inimicis tuis, & affligam affligentes te. Quoniam iustorum affectus, velut hostes virtutis, catenis abnegationis vincit, & executione contrariorum desideriorum vniuersas eorum cõcupiscentias euertit, eósque, qui iustos suis immoderatis motibus affligebãt, tormento spiritualis crucis, id est, mortificationis, affligit.

C Quod & Paulus manifestè declarat, cùm ait: Hoc scientes, quia vetus homo noster simul crucifixus est, vt destruatur corpus peccati, vt vltrà non seruiamus peccato.] Vetus homo noster, vt inquit Anselmus, est vetusta conuersatio, fomes, & consuetudo peccati, & quicquid vitiorum ex primo parente sumpsit initium. Hic vetus homo in viris iustis potentia & virtute Christi crucifixus est, & clauis timoris & amoris Domini cruci Saluatoris affixus, vt pedes ad praua itinera & reliqua membra, (quæ sunt desideria sua) ad pristinos actus mouere non possit.] Viri ergo perfecti liberi sunt, qui auaritiæ motus, paupertatis amore comprimunt, luxuriæ æstus studio honestatis extinguunt, & dignitatum, ac honorum

D appetitus, humilitatis desiderio reiiciunt. Imò ita dominio perfectionis subdunt, vt iam rerum mendicitatem, carnis mundiciam, & locum infimum iucundissima reputent, & in quadam lætissima tranquillitate constituti, nequaquam appetitu rerum labentium molestentur. Rectè namque dixit Ambrosius: Quo autem pretio quies huius temporis aptiùs comparatur, quàm vt ipsi mundo omnes diuitiæ, omnes dignitates, & vniuersarum cupiditatum materiæ refunduntur, & sancto beatoque commercio ematur Christiana libertas: Fiantque filij Dei de paupertate diuites, de patientia fortes, de humilitate sublimes?] Qui hoc pretio sanè vili sanctam libertatem emunt, in sacris literis meritò vocantur infantes. Quemadmodum enim infantes, quamdiu ætas in-

E fantilis durat, nullis turbantur affectibus, nullis sollicitudinibus honoris inquietantur, nullis carnis motibus vrgentur, sed quadam tranquilla simplicitate matris vbera, aut alia tenera puerorum pabula concupiscunt: ita perfecti malitia, & sinceritate paruuli, sed mentis puritate, & rerum gerendarum prudentia satis adulti, passionum rebellione, & affectuum impulsibus eximuntur, non quia eos non habeant (homines enim sunt, qui naturam mortalem, & fragilem non deposuerunt) sed quia charitatis abun-

Isa. 33.

Exod. 23.

Rom. 6.

Anselm. ibid.

Ambros. lib. 10. epi. epist. 84. ad Demetriadem.

dantia

damnia affectus compresserunt, & concupiscentiæ desideria domarunt. Quam libertatem propriam esse sanctorum Petrus edocet, dum fideles ad imitandã infantilem ætatem inuitat: Sicut modò geniti infantes, inquit, rationabiles, sine dolo lac cõcupiscite.] Et Dominus magna asseueratione pronunciat ad vitam æternam cõsequendam omnino necessariam esse saltem in aliquo gradu hanc sanctam & spiritualem infantiam. Ideóque ait: Amen dico vobis, nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut paruulus iste, non intrabitis in regnum cœlorum. Hi sunt infantes, quorum linguas Dominus, vt ait Sapiens, facit disertas.] De quibus vaticinatus est Zacharias, quòd in tempore gratiæ erant Ecclesiam impleturi. Et plateæ ciuitatis ait, complebuntur infantibus & puellis ludentibus in plateis eius.] Et quidẽ ex Clementis Alexãdrini sententia iure dicuntur infantes, qui solum Deum Patrẽ nouerunt, simplices, infantes, qui sunt vnicorniũ cornuum amatores: Qui scilicet vnitatem desideriorum amant, multiplicitatem cõcupiscentiarum fugiunt, & ideo amatam ab omnibus libertatẽ inueniunt, & post quam inuenerint, seipsos spiritu libertatis vestiunt.

1. Pet. 2. *Sap. 10.* *Zach. 8.*

At multi viri perfecti eximios honores, & amplissimas dignitates obtinuerunt, & copiosissimis facultatibus abundarunt. Verum est hoc, sed nihil ampliùs eorum libertatem extollit. Nam ipsi non ambitione commoti, aut cupiditate incitati, honores & diuitias quæsierunt: sed Dei voluntate ducti, admiserunt, & non vt serui rebus temporalibus adhæserunt, aut ipsarum amori immoderato sese addixerunt, sed vt Domini dignitatibus & honoribus, non ad fastum, sed ad Dei obsequium, & opibus non ad luxum, sed ad necessitatem, & ad subleuandam indigentium inopiam vsi sunt. Dauid ex pastoritia humilitate ad regiam dignitatem euectus, vt hanc libertatem indicaret, ait: Hæc faciat mihi Deus, & hæc addat, si exaltatum est cor meum, & elati sunt oculi mei: Si ambulaui in magnis, & in mirabilibus super me.] Patriarchæ etiam antiqui satis prædiuites, & rerum temporalium abundantes, fatebantur, quia peregrini, & hospites erant super terram, & vt hospites res huius mũdi sine adhæsione, quasi vtensilia diuersorij, tractabant. Quibus sancti noui testamẽti, inhærentes, opes & dignitates ad vsum habuerunt, non verò earum causa superbierũt, aut se se de possessione rerum periturarum iactarunt. Quare de magno Basilio memoriæ proditum est, quod cùm solemni Epiphaniorum die à Beato Ephrem visus esset fulgentibus vestibus (prout Pontificem decebat) & magna pompa, ac copioso sacerdotum cœtu comitatus, ab humili eremita despectus est, quasi ille esset columna sibi in reuelatione monstrata, non ignita charitate succensa, sed insigni superbia & ambitione in altum erecta. At ad sanctissimi & modestissimi Episcopi colloquium, & cõuiuium admissus, luce clariùs agnouit eum, multò magis intus humilitate, quàm extra Episcopali pompa fulgere, & puram illam animam minùs altissima dignitate, quàm ipsum eremitam rebus vilissimis oblectari. Hanc admirandam libertatem, quã Basilius habebat, omnes perfecti, licèt non in eodem gradu, assequuntur, & quia ipsi non sola natura sicut cæteri, sed magnanimitate quoq; omni honore & omni dignitate, & omni rerum temporalium abundantia maiores sunt his, quæ multò se minora cognoscunt, nequaquam se velut mancipia subdunt, sed illis ad vsum naturæ, vel ad Dei obsequium & proximorum vtilitatem admissis, de cætero ipsa vt labentia, & parui momẽti despiciunt. Aristippus Cyrenaicorum magister apud Lactantium, cum Laide nobili scorto habens consuetudinem, sic suum infigne flagitium defendebat, vt diceret multũ inter se, & alios Laidis amatores distare, quòd ipse haberet Laidem, alij verò haberentur à Laide. Qua procaci, & inuerecunda sententia insinuare forsan volebat alios meretricis esse seruos, se verò esse dominum, qui sine immoderato affectu concupiscentiæ abuteretur scorto. Sed infelix homo, & nomine philosophi indignus rectè mentitus est in caput suum, qui ius naturæ violans, & rationis lumen, quod ad se attinebat, extinguens, & leges diuinas proterens, in hoc magis erat seruus libidinis, quòd suam miseram seruitutem ignorabat, & dum impurissimæ voluptati seruiebat, se liberum esse iactabat. Quod igitur ipse mẽdax dicebat, id ipsum de se perfecti veraces possunt pronũciare. Hoc nimirum inter se, & iniquos homines interesse, quòd ipsi habeant res temporales, & tãquam Domini illis liberè vtãtur, alij verò vt vtilia mancipia dignitatũ, & honorum, & diuitiarum habeãtur ab eis.

Psal. 130. *Heb. 11.* *In vita Basilij.* *Lactant. lib. 3. diu. inst. c. 15.*

Hæc animæ perfectæ libertas, qua affectibus suis imperat, & nihil mundanum amat, nihil etiam vitæ transigendæ necessarium immoderatè concupiscit, tantæ dignitatis est, vt Deus ipse omnipotens eam tamquam effectum suæ omnipotentiæ sibi arroget, vt nullus nisi eius beneficio talem libertatem assequendam existimet: Scient, ait, quia ego Dominus, cùm conuertero catenas iugi eorum, & eruero eos de manu imperantium sibi, & non erunt vltra in rapinam in gentibus, neq; bestiæ terræ deuorabunt eos, sed habitabunt confidenter absque vllo terrore.] Tunc enim perfecta anima diuinam in se potentiam experitur, cùm iugũ peccati, cui libens colla subdebat, à se sublatum non sine probabili ratione coniectat. Cùm à potestate hostium prædictorum, scilicet mundi, diaboli, & carnis, se liberatam aspicit. Cùm à dentibus bestiarum terræ, id est, à morsibus affectuum cordis sui se ereptam videt. Tunc, inquam, diuinæ potentiæ, & misericordiæ hoc esse opus agnoscit, & à Domino quam ipse ex hac mirabili imitatione gloriam poscit, non aufert, imò libenter, & gratè tribuit, dicẽs: Quoniã tu percussisti omnes aduersantes mihi sine causa: dentes peccatorum contriuisti: Domini est salus: & super populũ tuum benedictio tua.] Et iterũ ipse Dominus alio in loco ait: Quis dimisit Onagrum liberũ, (subintellige nisi ego,) & vincula eius quis soluit?] Onager, vt Gregorius autumat, eũ significat, qui corde saltem remotus à turbis & à negotiis sæcularibus, soli Deo, & sibi vacat, & si aliquam externam occupationem sustinet, eam non in aliquod temporale emolumentum, sed in Dei honorem & obedientiam refundit. Quis ergo potuit hominem curis terrenis affectum, & desideriis rerum carnalium obductũ ad similitudinem Onagri huiusmodi curis & desideriis eximere, nisi ille, qui absolutam potestatẽ in cor nostrum habens, valet rerum huius mundi exilitatem ostendere, & rerum cœlestium dignitatem aperire, & absque vlla vi, imò cum summa voluptate humanam voluntatem ab illis auellere, & in istis occupare? Hic dum cœlestia perquirit, & à curis terrenis liberatur, aptè dicitur liber, inquit Gregorius. Quia magna est seruitus sæcularium negotiorum, quibus mens vehementer atteritur, quãuis in eis sponte desudet. Cuius seruitutis conditione carere, est in mundo iam nihil concupiscere. Quasi enim quodam iugo seruitutis premunt prospera, dum appetuntur; premunt aduersa, dum formidantur. At si quis semel à dominatione desideriorum temporaliũ colla mẽtis excusserit, quadam iã etiam in hac vita libertate perfruitur, dum nullo desiderio felicitatis afficitur, nullo aduersitatis terrore coarctatur. Hoc graue seruitutis iugum Dominus vidit sæculariũ ceruicibus impressum, cùm

Ezech. 34. *Psal. 3.* *Iob. 39.* *Greg. 30. mor. c. 12.*

diceret:

Matt. 11. diceret: Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos; tollite iugum meum super vos, & discite à me, quia mitis sum, & humilis corde: Iugum enim meum suaue est, & onus meum leue.] Asperum quippe iugum, & duræ (sicut diximus) seruitutis pondus est, subesse temporalibus, ambire terrena, retinere labentia, velle stare in non stantibus, appetere quidem transeuntia, sed cum transeuntibus nolle transire. Dum enim contra votum cuncta fugiunt, quæ priùs mentem ex desideriis adeptionis afflixerant, post, ex pauore amissionis premunt. Liber ergo dimittitur, qui calcatis terrenis desideriis, ab appetitu rerum temporalium securitate mentis exoneratur.] Non sunt igitur diuites liberi, qui diuitiarum pondere prægrauati, non solùm auro & argento seruiunt, sed iis, à quibus opes accipiunt, aut à quibus ad earum conseruationem & augmentum iuuantur, miserrimè se subiiciunt. Non sunt potentes liberi, qui dum dignitate potiuntur, litigantium clamoribus obruuntur, querelis quasi vinculis cruciantur; & eorum, quibus præsunt, curis & negotiis tamquam serui abiectissimi proteruntur. Non sunt liberi ipsi reges, & principes sæculi, qui onere regnorum oppressi gemunt; & si non gemunt, stultorum & amentium more, inter vincula & compedes se solutos esse coniiciunt; sed liber est, qui sola Dei possessione cõtentus, *Iob. 39.* nihil terrenum cogitat, nihil caducum amat, nihil quod præterit, concupiscit. Huic, ait Dominus, dedi in solitudine domum, qui in quadam rerum penuria constitutus, vmbra meæ specialis curæ protegitur, & tabernacula in terra salsuginis, qui in statu rerum terrenarum sterili, & vacuo, tranquillitate, & donorum cœlestium abundantia recreatur. Hic contemnit multitudinem ciuitatis, dum à consortio stultorum liberatus, cum Deo, & Angelis nititur inire commercia; & clamorem exactoris non audit, dum nihil temporale eum vrget, vt animæ suæ profectum acceleret, & ab eo quod spirituali profectui vtile est, curis rei familiaris stimulatus, intempestiuè discedat. Hic denique circumspicit montes pascuæ suæ, & vitam illam cœlestem, quam imitatur, attentè perlustrat, ac virentia quæque requirit; nam virtutum opera, quæ nũquam deficient, & numquam à sua pulchritudine cadent, in pabulũ hominis interioris assumit. O onager felix! ô asine spiritualis sapientibus huius mundi sapientior, quia quod stultum est Deo, sapientius est hominibus. O homo perfecte, verè inter mortuos liber! quia si illi mortui sunt, qui sectantur mortifera, & nullo cõpunctionis sensu, nullo vitæ sempiternæ desiderio tanguntur, tu inter mortuos viuis, & liber viuis, qui nec morti eorum subiiceris, cùm impiorum criminibus non consentis, nec stupori & ignorãtiæ eorundẽ succumbis, cùm nullo rerum labentiũ desiderio torqueris. O inquã, homo sapiens sub typo syluestris asini figurate, qui libertatem, quã omnes quærunt, & numquam inueniunt, fructuosè quæsiuisti, & sapienter inuenisti, nequaquam per amorẽ temporaliũ à tua libertate decidas, sed cor mundum imperturbatúmq; cõserua; & ab omni, quod Deus non est, affectum tuũ diligenter amoueto, ne à felici libertate, quã perfecta charitas ingerit, in miseram seruitutem cadas, & rebus, quas reliqueras, fascinatus, aduersarij tentationi succũbas.

Iam ad effectus huius sanctę libertatis stylũ transferamus. Illi autẽ sunt duo, quos suprà tetigimus. Primus est, quòd viri perfecti, absq; vllo hominũ respectu, quod bonũ est faciunt, & nec minis, nec terroribus, nec promissis ab eo quod facere oportet, dimoueri se sinunt. Non curant, si mali eos rideãt, si de suis operibus detrahãt, si eos abominentur, & persequantur, dummodo ipsi Dei iussa præstent, & consilia suscipiant. Quod in Ieremia satis perspicuè videmus expressum. Ipse enim nũc minitationibus impiorum impugnatus, nunc in carcerem coniectus, nunc ad mortem postulatus, nequaquã à munere prophetandi desistebat, sed quod Dominus ei suggerebat, sine vlla trepidatione prędicabat: Adeò vt audiat, Ego dedi te in ciuitatem munitam, & in columnam ferream, *Ierem. 1.* & in murum æreum super omnem terram, regibus Iuda, principibus eius, & sacerdotibus, & omni populo terræ, & bellabunt aduersùm te, & non præualebunt.] Talis est perfectus vir, non sicut harundo, quocumque vẽto huc illucque agitata, sed sicut columna ferrea, quæ nullis impulsibus à suo loco dimouetur. Et quemadmodum flumen, si ab astantibus laudetur, festinat ad mare, & si vituperetur, à suo cursu non cessat, & si aggere lapidum impediatur; impetum suatũ aquarũ agglomerat, vt impedimentũ vincat, & in suum finem, nimirum in mare decurrat: Sic anima perfecta inter laudes & vituperationes hominum posita, nec propter illas propositum rectè operandi deponit, nec propter istas à cœpto desistit, nec propter quæq; obstãtia, viam sanctitatis prætermittit. Ego, inquit, hæc anima, quasi fluuius Dorix & sicut *Eccl. 24.* aquæductus exiui de paradiso; Dixi, rigabo hortum meũ plãtationum, & inebriabo partus mei fructum, & ecce factus est mihi trames abundans & fluuius meus appropinquauit ad mare.] Est namq; instar fluuij ex alio maximo fluuio deducti, quia emanatio est, quædã perfectionis Dei, & diuinæ puritatis imitatio. Egreditur etiã ex spirituali paradiso, scilicet è Christo Iesu, à quo quicquid in sanctis est perfectionis, emanat. Statuit itaq; apud semetipsam bona sua opera promouere; & fructum in aliis cœptum ad finem vsq; perducere. Cui ad hoc prẽstandũ malorum obstacula non magis impedimento sunt, quàm si inundanti flumini fragilium arbuscularum sepem opponeres, aut fluctibus fremẽtis maris aliud ad eos frangendos, quàm Dei imperium obiiceres. Hanc operãdi libertatem præferebãt Apostoli, quibus cùm comminarentur principes sacerdotũ, ne Christi virtutem denunciarent, responderũt: Si iustum est in cõspectu *Actor. 4.* Dei vos potiùs audire, quã Deum, iudicate:] nõ enim possumus, quæ vidimus & audiuimus, nõ loqui.] Beatę animæ, inquit Bernardus hunc locum enarrans, & *Bern. ser.* abundãti maiestate spiritus influẽtes, quibus vtilitas, sublimitas, contumelia, gloria, patientia, victoria mirabili mirabilitate videtur.] Planè beatę, quę ac si iam essent huius sęculi miseriis exẽptę, nec minas timent, nec vultus potentum verentur, &, vt Deo obediant, iussis hominũ contraire non metuunt. Hanc eandem præferebãt prophetæ Deo in rebus quoq; insuetis libentissimè obsequentes, & sententias atq; irrisiones hominũ nihili reputãtes. Isaias, vir nobilissimus, & ex *Isa. 20.* regia stirpe progenitus, nudus in curia regis, & coram omnibus aulicis, ac discalceatus incedit. Ieremias per *Iere. 27.* vicos & plateas ciuitatis velut seruus fugitiuus vinculis, & catenis cõstrictus progreditur. Ezechiel radit *Ezech. 5.* capillos, & barbã, & quasi vnus de insanis hominibus pilos suos gladio persequitur, & in vẽtum spargit, & igni cõburit. Oseas propheta sanctissimus ad manda- *Osea 1.* tũ Domini meretricis cõsortium sustinet, & mulieris prostitutæ congressum non erubescit. Obediũt igitur sancti Deo, & dũ ei placere desiderant, vanas hominũ opiniones spernunt, & ipsorũ aut sannas, aut persecutiones pro nihilo ducunt. Sciũt ipsi, quia regnũ Christi non est de hoc mũdo, id est, non in rebus caducis, & contẽptibilibus, sed in rebus æternis, & pretiosissimis est constitutum. Quare rebus vilibus & caducis postpositis, & vanis opinionibus vulgi reiectis, id aggrediuntur, quod rationi consonum, quod perfectæ

virtuti congruum, & quod Deo placitum iudicant.

A Alter huius libertatis effectus est, sermo, cùm opus est, audax, & sine vllo fuco veritatem pronuncians. Sancti enim nihil huius mundi amant, nihil perdere timent: quare nec illos à dicẽda veritate desiderium opum, aut dignitatum auocat, nec timor magnatum abducit. Audio Nathan prophetam potentissimo regi Dauidi ob adulterij peccatum insultantem, & cùm eum sub quadam parabola ad proferẽdam in seipsum sententiam mortis adegisset, liberè dicentem: Tu es ille vir, scilicet dignus morte, qui ouibus tuis pepercisti; & ouem vicini pauperis non sine ipsius crudeli morte suffurasti.] Audio Eliam pauperculum, & seminudum, regem Achab his verbis increpantem: Non ego turbaui Israël, sed tu, & domus patris tui, qui dereliquistis mandata Domini, & secuti estis Baalim.] Audio Ioannẽ Baptistam, qui mulierem iratam, leæna immaniorem non timebat, & Herodi carnis illecebris irretito publicè dicebat: Non licet tibi habere vxorem fratris tui.] Audio Ionam, non iam soli regi, sed toti reipublicæ minitantem, ac in plateis Niniues proclamantẽ: Adhuc quadraginta dies, & Niniue subuertetur.] Audio alios viros perfectos tam veteris quàm noui testamenti non sine vitæ discrimine similes increpationes in dynastas, in principes, in reges, & in integra regna buccinantes. Audio, & non demiror, quia video illos contemptione sæculi, & despectione temporalis vitæ omni spe rerum temporalium liberos, omni vano timore vacuos, Dei autem voluntati prorsus addictos, quam vt expleant, & eius verba pronuncient, principum sæculi, qui sunt quasi pusilli culices, indignationem non horrent. Sanctitas profectò eos, quamuis statu sæculi, & conditione minimos, tamen animi magnitudine principibus huius mundi maiores effecit, quæ magnitudo ab illis, vt liberè prædicẽt, omnem timorem pellit. Nam si tu seruum patris tui absque vllo metu increpas, & absque vllis ambagibus reprehendis, & illum nunc furem, nunc ebrium, nunc canẽ appellas, quia ille seruus est, & tu filius; quare sancti, qui sunt filij Dei, mancipia diaboli non sine vllo circuitu reprehendant; & quod illi conducibile est, ad iugum iniquitatis excutiendum, sine timore non dicant? Sed ista sanctorum libertas, tum in operando, tum in loquendo non est indiscreta, nec temeraria, sed discreta, & sapientiæ plena. Quæ si necessarium sit, nouit opera non debita, & sub consilio posita abscondere. Scit etiam reuerenter, & submissè iniquis, verum patefacere, vt quos acerbitas increpationis obduraret, lenitas verborum compungat, ad emendationem suauiter ducat. At si hominum aut durities, aut inuerecundia, aut publica peccandi licentia seuerius medicamentum exigat, tunc nullo imminente periculo retrahitur, quominus veritatem palam annunciet. In quo multùm esse cœlestis prudentiæ, & nihil audaciæ temerariæ, effectus istarum increpationum aperiunt, quæ inuerecundos reprimunt, peccatores conuertũt, aut saltem Dei seueritatem in eos, qui obturant aures suas, aliquando exercendam iustificant. Æquum enim est, vt de suis dilectis increpiti, qui non emendantur, seuerissimè castigentur. Si ergo tanti valoris est libertas, vt nec benè pro toto vendatur auro, quanta nobis esse deberet, perfectionis adipiscendæ cura, quæ animas nostras nexibus peccatorum, & affectuum liberat, & in hanc libertatem filiorum Dei propriam extollit. Hanc totis viribus cupiamus, & assequi enitamur, vt verè liberi simus, & à iugo importabili peccatorum, à compedibus vitiorum, à vinculis affectuum, & ab ergastulo vani timoris liberemur.

2.Reg.12. 3.Reg.18. Matt.6. Iona.3.

De sanctissimis cogitationibus, & desiderijs animæ perfectæ.

CAPVT XXIII.

FElices planè sunt viri perfecti, quia quod aliis nocere solet, sibi proficit: & ex quo alij accipiunt suæ salutis dispendium, perfecti eliciunt perfectionis augmentum. Pax enim, securitas, & libertas, quanta mala peccatoribus afferant, manifestè propheta commemorat dicens: Ecce hæc fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ, superbia, saturitas panis, & abundantia, & otium ipsius, & filiarum eius. Quod ita potest intelligi, vt ista fuerit occasio iniquitatis populi Israëlis, elatio cordis, rerum temporalium abundantia comitata, & otio, ac securitate fulcita. Illa quoque parabola Domini Saluatoris id ipsum declarat, qua adolescens patri inobediens, & in libertate constitutus nobis proponitur; qui facultatibus paternis abutens, peregrè profectus est in regionem longinquam: & ibi dissipauit substantiam suam viuendo luxuriosè.] Et sanè nec in tantam miseriam, & calamitatem deuenisset, vt ingenuus homo pasceret porcos, & siliquis ventrem implere cuperet, si libertatem non amasset, & patris benignam correctionem sensisset. Ac populus Dei amabili pace & securitate potitus, non semel, sed sæpè in Dei obliuionem, & ex ea in fœdissima peccata lapsus est, adeò vt summus ille Pater, cuius opus misericordia est, æquum existimauerit, filium sibi dilectum, & honorabilem, intestinis bellis affligere, & pace ac libertate priuatum manui regum alienorũ subiicere. Hos filios, & quidem miserabiles, solent in viris iniquis pax, securitas, & libertas parturire; sed in hominibus imperfectis consueuerunt partus nihilo meliores emittere. Quod & quotidiani casus imperfectorum obedientiæ iugum abiicientium manifestè demonstrant, & antiqua Ecclesiæ tempora, in quibus persecutiones tyrannorum, fidelium strages cessarunt, non obscurè confirmant. Simul enim cum pace, & tranquillitate Ecclesiæ segnities intrauit, & hostibus corporum fugientibus, immaniores hostes, nempe vitia, sanctitatem populantia, successerunt. Ideóque Dominus suauissimæ prouidentiæ suæ decreto sanciuit, vt iterũ Ecclesiæ persecutio subintraret, & mors in populos fideles sæuiret, quæ non tã homines, quàm vitia exorta, & delicta populorum succideret. Prodeat nũc Eusebius Cęsariensis Episcopus, & an hæc fuerit sequentium tribulationũ causa grauissimis verbis edicat. Verũ cùm nos præ nimia quadam licentia, inquit, in mollitiem delicatam, & dissolutam segnitiem essemus prolapsi: cúmq; alij aliis inuidè, maledictis insectari, & prope nos ipsi inter nos petulantibus linguis, tamquam mutuis armis oppugnare, & casu aliquando verborum cõtumelias velut hastas, vnus in alium intorquere, & præsides Ecclesiarũ alter alterius vires infringere, & populus in populum seditionem concitare occiperẽt; &c. Tunc demùm iuxta illam Ieremiæ sententiam, obscurauit in ira sua Dominus filiam Sion, & deiecit de cœlo gloriam Israël, non recordatus est scabelli pedum eius in die iræ suæ, sed demersit Dominus omnem decorem Israël, & demolitus est omnes sepes eius.] Hactenus multis omissis Eusebius. Mala igitur solẽt mali, & aduersa solent imperfecti, ex pace, & libertate decerpere. Quare non immeritò ille senator, cùm de componẽda pace cum Carthaginensibus apud patres conscriptos reipublicæ Romanæ tractaretur, pacem eloquẽtissima oratione taxauit, & beliũ paci anteponẽdũ

Ezech. 16. Luc. 15. Euse. lib. 8. histo. c. 1.

B C D E

esse decreuit, ne scilicet iuuenes Romani ancipitis belli exercitatione seposita præliari dediscerent, & in effæminatam mollitiem,ac in vitia diffluerét. Tanta est rationis naturalis lux, vt vel ea sola cognoscat pacem,& securitatem,ac libertatem hominibus præstanti virtute carentibus nequaquam esse proficuam.

Hæc verò,ex quibus mali,& minùs perfecti occasionem sæpissimè iniquitatum, aut imperfectionum accipiũt,sanctos, atq; perfectos mirificè in sanctitate promouent, & ad nouum profectum, & nouas virtutum actiones inuitant. Quid facit insipiens adolescens,cùm otio & pace perfruitur? Habenas imaginationi,& appetitui dimittit, & ineptis cogitationibus, ac impudicis desideriis miserrimam mentem illaqueat. Quid si securitas pacem, & otium sequatur? Tunc viam,ac modum quærit, quo mala cogitata & desiderata teneat. Quid si libertas securitatem comitetur? Iam nihil non intentat, nihil non molitur,vt opere iniquitatem perficiat.Ecce,inquit sanctus Dauid, parturiit iniustitiam, concepit dolorem,& peperit iniquitatem.] (Psal.7.) In pace mala cogitando,intra seipsum iniustitiam parturiuit. In securitate viam peccandi quærendo,& prauæ suggestioni consentiendo, peccatum,causam doloris, concepit. Et in libertate malum perficiendo, iniquitatem in lucem sibi tenebricosam emisit. At vir sapiens, ille scilicet, qui est virtute,& sanctitate perfectus, in pace & otio sancta cogitat, in securitate sublimia & cœlestia concupiscit, & in libertate his cogitatis,& desideratis perficiendis insistit. Ille ex pace & securitate impudici amoris occasionem captat, hic ex eisdem rebus ansam capit cœlestis amoris,atque diuini. Vnde de viris spiritualibus, & perfectis Gilbertus loquens hæc ait: (Gilbert. ser.1. in cant.) Libertate & otio quid accommodatius ad vsum amoris? Et libertas illecebram parit,in otio, & expeditur affectus,& non parum impenditur illi. Sic iste. Quantò fuerit expeditus animus, tantò quidem impétior erit in illud quod amat. Vsu venit, vt cùm fuerimus in otio redditi, tunc sentiamus acriorem morsum amoris diuini. E contra insensibilem penè reddit affectum frequens cura mũdi,& quasi callum quemdam méti obducit. Animum cura implicat,quies explicat.] Ad hoc ergo perfectis conceditur pax,ad hoc securitas,& libertas à Domino misericorditer datur, vt studio sancti amoris vacent, & amoris cogitationes habeant,amoris desideria concipiant. Videamus iam,quid perfecti cogitent, quid sancti desiderent;in omnibus enim sunt admirabiles, sed in cogitationibus & desideriis nobis admirabiliores videntur;quibus communes homines in infinitum exuperát. Non illos cogitationes rerum fœdarum turpant, non curæ rei familiaris sollicitant,non desideria dignitatum,& honorum dilacerant, non concupiscentiæ falsorum bonorum,quæ diuites,quæ magnates, quæ principes huius sæculi vinciunt, vlla ratione discruciant. Cogitent hi, quo pacto aurum & argentũ cumulabunt, quomodo ampliores dignitates obtinebunt,quanam ratione inanes honores captantes, erunt coram popularibus illustriores. Cogitent, inquam, hæc, eadémque desiderent;nam viri perfecti huiusmodi cogitationes fugiunt, & similia desideria prorsus abiiciunt. Non quia pusillo animo sint, qui hæc magna mundi, aut appetere, aut cogitare non audent; sed quoniam excelso animo sunt, qui hæc vilissima, & contemptibilissima, aut appetere aut cogitare dedignantur.Pulchrè namque dixit Ambrosius: (Amb. lib. 10. epist. 84. ad Demetriad.) Non vt dilectores huius sæculi putant, parui cordis,aut segnis est animi, terrenas opes spernere, honores occiduos fastidire, nec ibi gloriam quærere,vbi laudatur peccator in desideriis animæ suæ, & qui iniqua gerit,benedicitur. Vnde si bene intelligatur,cótemptus iste rerũ præsentium,ad quæ tendat, & qualia concupiscat, nihil huius mundi mentibus rectius, nihil inuenitur electius; quæ sacratissimis desideriis vniuersa transcendunt, neque ad vllam creaturam, quamuis potentem, atque mirabilem, sed ad ipsum omnium visibiliũ & inuisibiliũ ambiunt Creatorem: cui appropinquare,clarescere est;qué tenere, gaudere est;cui seruire,regnare est. Huc vsque Ambrosius,& prorsus bene,atque sapienter.Si enim sancti terrenas opes,& dignitates,nec cogitarent,nec ambirent,quia rerum viliorum amore tenerentur, possemus id illis animi pusillitati tribuere, at quia illa respicere erubescunt,quoniam cœlestes opes cogitant,& æternam dignitatem appetunt, non possumus magnanimitatem eorum non admirari.

Si ergo viri perfecti, quæ magni huius mundi cogitant,non cogitant; & quæ magni huius mundi desiderant, non desiderant; quid cogitant, quid desiderant? Cogitant puritatem suæ mentis augere, sicut dixit quidam eorum: Cogitaui vias meas,& conuerti pedes meos in testimonia tua.] (Psal.112. Psa.118.) Cogitant mandata Domini custodire; quare eiusdem verbum est: In iustificationibus tuis meditabor, non obliuiscar sermones tuos.] Cogitant quomodo seipsos Deo hostias acceptabiliores offerant. Cogitant quomodo, quod adhuc remansit veteris Adæ, prosternant. Cogitát quibus remediis adeptæ perfectioni nouos gradus perfectionis adiiciant. Cogitant Christi humanitatem, vt eam induant. Cogitant diuinitatem,vt eam ament:Cogitant Angelos,vt eos sequantur; Cogitant sanctos iam æterna pace gaudétes,vt illos imitentur. Hæc cogitant;sed quid desiderant, nisi quæ suo sunt statui,& dignitati conformia? Sunt serui fideles Dei? desiderant ergo in omnibus sui Domini iussa complere,& mandata custodire. Quorum desiderium verbis illis exprimitur: (Psal.118.) Concupiuit anima nostra desiderare iustificationes tuas in omni tempore.] Sunt milites? Desiderant igitur arma deponere,& victoriæ præmium obtinere. Nam sicut ceruus desiderat vmbram, & sicut mercenarius præstolatur finem operis sui, ita habuerunt menses vacuos, & noctes laboriosas enumerarunt sibi:] (Iob 7.) Sunt mercenarij,qui portauerunt pondus diei & æstus? Desiderant ergo felicitatis denarium. Ipsi, inquiunt, intra nos gemimus adoptionem filiorum expectantes, redemptionem corporis nostri.] (Rom.8.) Sunt captiui ergastulo carnis inclusi? Desiderant ergo sarcinam carnis deponere,& à captiuitate liberari. Heu nobis, aiũt,quia incolatus noster prolongatus est, habitauimus cum habitantibus Cedar, multùm incola fuit anima nostra.] (Psal.119.) Et rursus: Cupimus dissolui, & esse cum Christo.] (Philip.1.) Sunt filij Dei, sed adhuc paruuli,qui, vt inquit Paulus, nihil distant à seruis, sed sub tutoribus, & actoribus sunt vsque ad præfinitum tempus à patre?] (Galat.4.) Desiderant ergo tamquam hæredes regni Patris, hæreditatem accipere. Quam vel à longè aspicientes exultant; exultant & cantant; quoniam transibimus in locum tabernaculi admirabilis, vsque ad domum Dei,in voce exultationis & confessionis, sonus epulantium.] (Psal.41.) Sunt denique perfectissimi amatores Dei? Desiderant ergo illum, quem vnicè diligunt, dicentes: Sitiuit anima nostra ad Deum fontem viuum, quando veniemus & apparebimus ante faciem Dei?] (Psal.41.) Sciunt ipsi, vt verissimè dixit Bernardus, (Berna. in medit. c. 4.) quia Deus delectabilis est ad videndum, suauis ad habendum, dulcis ad finem perfruendum: ipse per se placet, & per se sufficit ad meritum, sufficit ad præmium: neque extra illum quicquam ab illis quæritur, quia totum in in illo inuenitur, quicquid desideratur.]

Sciunt etiam, & non ieiuna speculatione, sed sapida scientia cognoscunt, creata omnia non posse sinus suorum cordium implere, & ideo illum solùm desiderant, qui corda sua repleat,& mentes exsatiet. Optimè enim Gregorius ait: Electorum mētes dum transitoria cuncta nulla esse conspiciunt, ad quæ sint conditæ exquirunt: cumque eorum satisfactioni nihil extra Deum sufficit,ipsa inquisitionis exercitatione fatigata,illorum cogitatio in conditoris sui spe & contemplatione requiescit: supernis interseri ciuibus appetit, vnusquisque eorum adhuc in mundo corpore positus,mente tamen extra mundum surgit, ærumnam exilij, quam tolerat, deplorat; & ad sublimem patriam incessantibus se amoris stimulis excitat.] Istæ sunt cogitationes, ista desideria perfectorum,de quibus non est cur erubescant, & cōfundantur, quia pulchra sunt & decora, & omni sapientia ac munditie referta. His cogitationibus non fœdantur, sed purgantur, & ad intimam Dei vnionem disponuntur. His desideriis non inquietantur, sed ad verissimam tranquillitatem reuocantur, quia, vt est in Psalmo, desiderium pauperum exaudiuit Dominus,]& quod desiderant, aut reipsa,aut certè spe firma consequuntur. Has cogitationes, & hæc desideria nec ventus spargit, nec otiositas damnat, nec vanitas obruit, quæ licèt ad opus non veniant, præmium habent,laudem extorquent,mercedémque reportant. Vnde Dauid cogitans,& cupiens ædificare domum Domino, ob solum desiderium absque opere audit: Requiem dabo tibi ab omnibus inimicis tuis,prædicitque tibi Dominus, quòd domum faciet tibi Dominus.]

Gregor. 2. mor. c. 16.

Psal. 10.

2. Reg. 7.

Cui ergo rei viros perfectos has purissimas cogitationes, & hæc sanctissima desideria habentes comparabimus? Sanè similes sunt hortis, qui suauissimos odores lectissimorum florum spirant. Ita hi non fœtores libidinum & prauarum concupiscentiarum exhalant,sed suaues virtutum odores, ex rebus à se cogitatis,& desideratis spargunt. Quorum causa audit sancta mater Ecclesia: Hortus conclusus soror mea sponsa,hortus conclusus, fons signatus: emissiones tuæ paradisus malorum punicorum, cum pomorum fructibus.] Licèt enim sit hortus, diuina protectione conclusus, & humilitatis studio signatus, tamen ex odore verbis sanctorum declarato, quem extrà sentimus, quàm redolentes arbores in se contineat, non obscurè percipimus. Sunt etiam similes sancti pixidibus plenis aquæ stillatæ ex rosis, & floribus, & herbis salubribus,quarum vsus & sensum recreat, & corporis sanitatem asseruat. Ita sancti nō aquas carnalium appetituum turbidas,sed stillas cœlestium desideriorum cōtinent, quas ex perfectis virtutibus tamquam ex floribus,& herbis saluberrimis ignis charitatis expressit. Quas si verbulo aliquo, vel signo perfectæ animæ in te iactatas recipias,miram voluptatem, & adiumētum spiritualis salutis senties.De his pixidibus odoramētorum plenis, vaticinatus est Zacharias, dicens: Et erunt lebetes in domo Domini tamquam phialæ coram altari. Nam qui ante cōuersionem suam lebetes erant,fumo,& fuligine denigrati,& sanguine peccatorum,& impurissimorum appetituum imbuti, post conuersionem in phialas crystallinas, & argenteas,& aureas cōmutati,decore sanctitatis splendent, & odoramentis sanctorum desideriorum pleni sunt. Viros quoq; perfectos soli similes iudico, qui cùm sit quædam suprema lux,& velut pater lucis, nō aliud ex se,quàm radios splendoris & caloris emittit. Sic sancti velut quidā Ecclesiæ soles, dum sancta cogitant, dum munda,& perfecta cupiunt, radios ex se lucis & caloris producunt. Dicat nobis vnus istorum,quid de istis radiis à Domino sibi liberaliter donatis sentiat. Lux vultus mei,inquit, nō cadebat in terram.] Quid lux,nisi cogitatio hominis est,qua sibi cognita manifestantur,& appetitio,qua sibi eadem familiaria redduntur? Hæc lux in terram non cadit,quia nec appetitus res viles appetit, nec cogitatio terrena cōspicit. Tādem viri perfecti sunt viri spirituales, atq; diuini, qui cognata sibi gaudenter cogitant, & desiderant, nēpe spiritualia, atq; diuina. Quos Hugo Victorinus delineans ait: Quemadmodum virgula fumi, quantò magis sursum tollitur, tantò ampliùs extenuatur: ita cœlestibus appropinquans, & omnem terrenæ concupiscentię nebulam euaporans,totus spiritualis efficitur:tandémq; se humanis subducit aspectibus,dum ad terrena ista, & visibilia concupiscenda, ampliùs exire recusans,intus in abscōdito faciei Domini gloriatur.] Itaque quò magis sancti proficiunt, quò magis per gradus perfectionis ascendunt, eò ipsorum cogitatio purior, & eorum desiderium sanctius efficitur. Quòd si aliquando temporalia cogitant, aut volunt, ad id non immoderata concupiscētia raptantur, sed aut iubente charitate, aut necessitatibus propriis, aut proximorum cogentibus impelluntur. Cogitant hæc interdum, quia mortales sunt, quia inter mortales habitant, quia in mundo miseriarum pleno commorantur,at cogitant sine immoderata adhæsione,sine inordinato desiderio. Nouerunt namq; monuisse prophetam: Iacta cogitatū tuum in Domino, & ipse te enutriet.]& ideo temporalia(cùm opus est) prudēter cogitāt,sed curas in Domini sinū proijciūt. Cogitant demùm hęc,quia status ita fert,quia charitas ita exigit,quia Deus ita disponit, & in ipsis tēporalibus Deum cogitant, Deum desiderant, atq; adeò semper spiritualia cogitāt,& spiritualia concupiscūt.

Zach. 14.

Cant. 4.

Iob 29.

Hug. lib. de arca mor. c. 7.

Psal. 54.

Non solùm autem cogitationes,& desideria perfectorum spiritualia sunt, verùm,(quod mirabilius est) somnia ipsa, quæ dormiendo imaginatio ludens fingit, spiritualia sunt, atque diuina. Prætereo nunc insomnia quorūdam sanctorum immissa diuinitus,quæ ad genus reuelationum, & cœlestium illustrationum pertinent, quale fuit somnium beati Ioseph, quo admonitus est accipere cōiugem suam, quia quod in ea natum erat,de Spiritu sancto erat:]de quibus etiam dictum est per Ioelem: Senes vestri somnia somniabunt, & iuuenes vestri visiones videbunt.] Tantùm somnia ex somniantis qualitate orta cōmemoro. Hęc in viris sanctis non semel sunt rerum cœlestium,quę mentem non distrahunt, sed cùm euigilauerit, colligunt,& in Dei amorem accēdunt. Si enim quæ in die cogitamus,(vt ait Bernardus) in nocte cognoscimus: qui interdiu nihil aliud quàm sancta, & diuina cogitarunt, nihil aliud quàm pura, & cœlestia cupierunt, quid noctu,nisi eadē somniabunt, atque cognoscent? In somniis certè sæpè orant, sæpè cum Domino colloquuntur, sæpè verba contumeliosa sustinent, sæpè tentationi resistūt,& quotidiana virtutis exercitia resumunt. Vnde istorum vita tota cœlestis est, quæ in statum quendam cœlestem & supra captum humanum transfusa,non solùm cùm liberè, & ex electione operatur,sed etiam cùm in aliquid naturaliter fertur, pro suo modulo in res diuinas & cœlestes contendit.

Matth. 1.

Ioel. 2.

Bern. ser. 68. ac mo. de bene viuendi.

Hæ autem perfectorum cogitationes, & hæc desideria non sunt inutilia & infructuosa, sicut desideria imperfectorum,de quibus scriptum est: Desideria occidunt pigrum, noluerūt quicquam manus eius operari: tota die concupiscit & desiderat.] Sed sunt desideria proficua,quæ oblata occasione ad manus exeūt, & in sanctas actiones procedunt. Describit ea idem sapiens adiiciens: qui autem iustus est, tribuet, & non cessabit.]Ita scilicet iustus bona cogitat, & bona

Prou. 21.

Ibidem.

cupit,

cupis, vt nequaquam solis oneratus desideriis moriatur, sed desideria abundanter opere compleat, & operibus suis exemplum sanctitatis aliis, subsidium necessitatis attribuat. Charitas est, quæ iustos, atque perfectos ad sanctè cogitandum & sanctè desiderandum instigat, hæc verò nullo modo solis cogitationibus, nec solis desideriis impletur, sed carnis, & appetituum mortificatione, & omnium bonorum operũ exercitatione vtrumq; satiatur. Charitas enim sola est, vt Hugo Victorinus scripsit, quæ ab initio seruis Dei, mũdi huius illecebras fugere, voluptates calcare, carnis cõcupiscentiam cohibere, desideria frangere, honores contemnere, postremò vniuersa huius mundi blandimenta respuere, ipsam quoque præ desiderio vitæ perpetuæ mortem suadet non timere.] Quæ ista suadet, imò ista præcipit, quo pacto cordis nostri arcem possidens, si infructuosa tantùm desideria, videat, silebit? Istud ergo discrimen inter bona desideria sanctorum, & bona desideria tepidorum, aut iniquorum, si quæ huius generis habeant, diligenter agnosce. Quòd hi, si aliquando verbi Dei auditione compuncti, bona cogitant, aut bona cupiunt, numquam vsque ad perfectionem boni operis, & ad destructionem peccati progrediuntur. Meritóq; Dominus eos per terram positam secus viam, & per durissimam petram, & per agrum spinis & tribulis opletum, designat. Nam terram illam, cùm bonam aliquam inspirationem conceperit, volucres cœli, id est, dæmones deprædantur: & insensibilem petram ariditas, & humoris vacuitas arefaciunt: atque agrum spinis obrutum spinæ, & tribuli curarum temporalium infrugiferum, ac sterilem efficiunt. Impij potentes sunt, sed vt faciant malum, ad virtutem autem pusillanimes, & impotentes, quia bonum facere nescierunt: Pulchrè enim de illis dixit Gregorius: Dura præ amore sæculi quasi quædam mollia, ac delectabilia ferre parati sunt: dum in hac vita rerum culmina apprehendere conantur. Cessationem Dominus à mundi laboribus imperat, sanctæ quietis dulcedinem persuadet, & tamen vesana iniquorum mẽs plus fesse, qui aspera carnaliter, quàm tenere blanda spiritualiter gaudet: plus acerbitate fatigationis,

Hug. fra. de laud. charit.

Luc. 8.

Greg. 20. mor. c. 16.

A quàm quietis dulcedine pascitur.] Hoc euenit sanctis cogitationibus, & desideriis, cùm in corda malorum incidunt, quod istorum culpa nullum boni operis fructum ferunt. At iusti, & præcipuè viri perfecti, cùm à Domino sanctis cogitationibus, & piis desideriis visitantur (& iugiter visitantur) tamquam terra bona, & optimo bonæ vitæ ac sanctorum operum fructu replentur. Sunt ipsi oues Christi pastoris boni, quæ vocem eius audiunt, & opere illum sequuntur, quia sciunt vocem eius: Alienum autem sequuntur, quia non nouerunt vocem alienorum.] Audiunt, inquam, vocem Domini, cùm eius inspirationes percipiunt, cúmque ab eo immissis desideriis tanguntur. At sequuntur illum, cùm gressibus sanctorum operum voci eius, id est, cogitationi & desiderio ab ipso dato respondent. Non sequuntur autem aduersarium

B noxia suadentem, & ad vetita prouocantem, quia vocem eius. id est, suasionem eius, nec admittunt, nec agnoscunt. Tu igitur qui hæc legis, hoc perfectorum donum admirare, quòd scilicet, Deo dante, & dispersiones Israëlis colligente, semper bona cogitant, semper etiam sancta & cœlestia desiderant. Si autem vis eiusdem doni particeps esse, ad mentis puritatem habendam enitere. Fac quantùm potueris illud Bernardi, qui ait; Omnes cordis distractiones, & mentis fluctuationes in vnum collige, & in solo Deo totum desiderium tuum fige, vt tibi sit cor tuum thesaurus tuus desiderabilis, multúmque amabilis. Ipse frequenter visitat, & libenter inhabitat tranquillitatem cordis, & otium quietæ mentis, quoniam pax est, & in pace locus eius. Propterea talem te præpara, vt tecum

C adsit Deus, sit in ore, sit in corde, tecum eat, tecum redeat, nec à te recedat.] Hoc Bernardi documentum perfecti perfectè custodiunt, & plusquam diei potest, à conspectu Dei numquam recedunt, quem semper habent suarum cogitationum & desideriorum testem, & intimorum cordis inspectorem. Minus verò perfecti, qui ad perfectionem anhelant, idem documentum, & memoria teneant, & enixè custodiant, quia validum est virtutis exercendæ instrumentum, & magnum assequendæ perfectionis remedium.

Bern. lib. de consc. non longè à princip.

PARS TERTIA.

De dignitate perfectionis ex parte diuinæ prouidentiæ erga perfectos.

NONDVM perfectionis elogia completa sunt, sed quæ supersunt, vt effectus diuinæ prouidentiæ erga perfectos, in hac postrema parte explicamus. Non quia suprà dicta à diuina prouidentia res iustorum curante non manent (ab ea enim sicut à purissimo fonte deueniunt) sed vt ista quæ sequuntur, sub hoc nomine exposita, etiam superiora declarent; & quo ordine Deus sanctos commutet, atque perficiat, menti legentium aperiant. Primò ergo ipsam diuinam prouidentiam erga perfectos, quàm suauis, ac prouida sit, deinde verò eius effectus, quibus totum opus sanctitatis perficit, declarabimus.

De singulari prouidentia Dei erga perfectos.

CAP. XXIV.

A DE prouidentia Dei erga viros sanctos, atque perfectos agere consultò in locũ istum distulimus, vt tamquam splendidissimus sol superiora, quæ scripsimus, & inferiora quæ dicemus, illustret. Sicut enim sol in medio corporũ cœlestium collocatus nõ tãtùm corpora, quæ deorsum sunt, verùm etiam quæ sursum collocantur, illuminat; ita diuinam prouidentiam hoc loco tractamus, vt priora sanctorum dona, & posteriora collustret. Quam non

incongruè cum sole conulimus, quia sicut ille omnia corpora illustrat, & fouet, ita prouidentia viros sanctos non tantùm luce supernaturalis cognitionis illuminat, sed etiam ardore amoris cœlestis inflammat. Et quemadmodum ille luce & calore cuncta viuificat, & ad debitum perducit naturalis perfectionis augmentum, sic ista fidei, & sapientiæ luce, ac amoris calore animas sanctas ad concupitam prouehit sanctitatem. Deum habere omnium rerum etiam minimarum prouidentiā manifestum est. Ipse enim, cùm sit vniuersorum causa non necessaria, sicut ignis cùm generat ignem, sed libera, & intellectu, ac libero arbitrio pollēs, debet ea in suos fines dirigere, debet & gubernare, debet & instrumēta adipiscendi finis conferre, & hoc nihil aliud est, quàm prouidētiam, & rerum curam habere. Tua autem Pater, inquit Sapiens, prouidentia gubernat, quoniam dedisti, & in mari viam, & inter fluctus semitam firmissimam.] Quænam, ô pater, tua prouidentia gubernat? Sine vlla hæsitatione existimo, quia gubernat omnia. Regit homines, quos fluctibus maris, & reliquis periculis eripit, & eis non solùm vitam, & inspirationem, sed & omnia necessaria subministrat. Et regit vniuersa creata quæ homini tamquā hero, & tamquā filio ad æternam gloriam assequendam procreata: o seruire facit. Si autē vultis hanc vniuersorum prouidentiā non tam auribus audire, quàm oculis cernere, considerate coruos, qui non seminant neq; metūt, quibus non est cellariū neque horreum, & Deus pascit illos.] Respicite etiam reliqua volatilia cœli, quoniam non serūt, neq; metūt, neq; congregant in horrea, & Pater vester cœlestis pascit illa.] Quorum tam specialem curam habet, vt nec ex duobus passeribus, qui asse veneunt, vnus eorū cadat super terrā sine patre vestro.] Considerate quoq; lilia agri, quomodo crescunt, non laborant, neque nent. Dico autē vobis, quoniam nec Salomō in omni gloria sua coopertus est sicut vnum ex istis. Et quidē fœnū agri, quod hodie est, & cras in clibanū mittitur, Deus sic vestit.] Deniq; tanta est huius prouidentiæ certitudo, tanta paternalis, & diuinæ vniuersorū curæ lux, vt (exceptis quibusdā cæcis hominibus qui nec infinitā claritatē videre potuerunt) omnes philosophi, & omnes gētes in ea asserenda, & cōfitenda cōsenserint. Et, vt verbis Lactātij vtar: Nemo est tā rudis, tā feris moribus, quin oculos suos in cœlū tollēs, tametsi nesciat cuius Dei prouidentia regatur hoc omne, quod cernitur: aliquā tamē esse non intelligat ex ipsa rerū magnitudine, motu, dispositione, constantia, vtilitate, pulchritudine, temperatione prouidentiam, nec posse fieri, quin id, quod mirabili ratione cōstat, consilio maiori aliquo sit instructum.

Deus etiam inter omnes res sublunares maiorē hominum prouidentiam habet, quorum causa cætera condidit, & vt hominibus obsequantur, in perpetua quadā mutatione, & in irrequieta generationum, ac corruptionū successione conseruat. Quod & Paulus apertè indicauit, cùm scripsit: Nūquid de bobus cura est Deo? An propter nos vtique dicit? Nā propter nos scripta sunt. Non vtique negat Deū bonū prouidentiam habere, qui muscarum & culicum prouidētiam habet, & minimis quibusq; animalculis quotidie mēsam apponit, & pabulum conueniens administrat, sed diuersas qualitates huius prouidētiæ distinguit. Animalia enim cōmuni quadā ratione regit, & in finem naturalē dirigit; homines verò, propter quos vniuersa fabrefecit, magis speciali cura prosequitur, & in finē supernaturalem (quod ad se attinet) misericorditer ducit. Vnde bene Chrysostomus ait, vt has diuersas prouidētię qualitates asserat: Suntne, quęso, boues Deo curæ? curæ quidem sunt, verùm non ita, vt de iis legē instituat.] At propter homines non tantùm omnia cōdidit, sed & legem instituit, & præcepta sanciuit, eo ipso ostendens, quia vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.] Sed qui erga vniuersos homines prouidentissimus Pater est, & per doctrinam vnigeniti filij suā cūctis se vocari patrem præcepit, erga viros sanctos, atque perfectos specialissimam & suauissimam quandam prouidentiam exercet. Quam Ambrosius breuissima, sed profundissima declarauit sententia, dum dixit: quia Dominus dormit tepidis, vigilat perfectis.] Hoc ita dictum est, non quia Deus tepidorū obliuiscatur, quorum væcordiam sustinet, quorum defectus reprehēdit, quorum pusillanimitatem monet, quorum torporem excitat, quorum negligentissimam vitam, nisi emendentur, seuerè castigat: sed quia perfectorum cura, & sanctorum prouidentia, quam habet, in signis, in effectis, in donis, in prodigiis, in mirabilibus perfectorum gratia patratis, in immēsum magis elucet. Hos oculis benignissimis ex æternitate respexit: hos ardentissima vi charitatis amauit: hos in cumulatissimum præmium elegit: hos per media quædam stupenda in æternam gloriam destinauit; hos vocare, hos iustificare, hos magnificare decreuit. Sed mittamus ista, quæ ad arcanum diuini cordis spectant, & ea quæ exteriùs apparent huius singularis prouidentiæ signa vestigemus. Respicit Dominus sanctos suos, nō vt hostes sibi rebelles, non vt seruos segnes, atq; væcordes, sed vt amicos charissimos, vt filios dilectissimos, vt sponsas amantissimas, quas in conclaui dulcissimæ protectionis abscōdit. Oculi enim Domini super iustos, & aures eius in preces eorum, vultus autem Domini, id est, facies irata, super facientes mala.] Amat eos tenerrimo amore; & zelo magno omnem ipsorum amorem sibi impendi flagitat, & si quid extra Deum immoderatè ament, & non gratia ipsius ament, acerrimè reprehendit. Non communibus tantùm beneficiis, sed singularibus quoque donis, & stupendis charitatis suæ signis ipsorum animas cumulat. Ideóque ipsi omnia bona, quæ habent, tam maiora quàm minora à Deo benignissimo prouisore accepta profitentur. Sicut Iacob, qui interrogatus à maiore fratre, an mulieres, & paruuli, quos secum ferebat, ad ipsum pertinerent, respondit: Paruuli sunt, quos donauit mihi Deus seruo tuo.] Per quæ placidè illum docuit (vt inquit Chrysostomus) quanta erga se fuerit Dei prouidentia. Perfecti enim non solùm eximia Dei dona suscipiunt: sed manifestissima etiā luce esse Dei dona deprehendunt, & vt vniuersi idipsum agnoscant, & Domino pro eis laudes, & honores retribuant, à Domino profecta esse tum verbis tum factis ostendunt.] Denique in omnibus tum prosperis, tū aduersis benignissimus Pater viros perfectos specialissima cura, & sollicitudine regit. Hoc est enim, quod Laurētius Iustinianus prædicat, dum sic scribit: In tribulatione vtriq; comitatur iustos, vt illos in præsentiarum eripiat, & glorificet in futuro. Comitatur, inquam, ipsos in negotiis, ne delinquant: in periculis, ne cadant: in prosperitatibus, ne se extollant: in laboribus, ne deficiāt: in dubiis, ne errent: & in huius vitæ itineribus, ne æternæ vitæ consolationem amittant.] Hæc, quæ beatus iste pater dixit, sacrarum Scripturarum confirmat exemplis, quæ ipsius verbis nō grauabor subiicere. Direxit, inquit, in actibus suis longæuum Noë, quem solum super terram corā se reperit iustum. Fuit cum Abraham patriarcha, illúmq; à Pharaonis & Abimelech protexit insidiis. Innocentem Ioseph ab adulteræ custodiuit amplexu, atque Ægypto prætulit vniuersæ. In nube, & igne per desertum ambulauit cum Mose, ac in ducatu populi optimè

Marginalia: Sap. 4. — Luc. 12. — Matt. 6. — Matt. 10. — Matt. 6. — Lactant. lib. 1. diu. inst. c. 2. — 1. Cor. 9. — Chrys. ho. 21. in 1. ad Cor. — 1. Tim. 2. — Ambr. lib. 4. in Luc. — Psal. 33. — Gen. 33. Chrys. ho. 58. in Gen. — Iustinia. libr. 2. Triumphali Christi agone c. 25.

roborauit. Cithara cædam quoque puerũ, ne in superbi regis incideret manus, deseruit numquam.] Hæc exempla diuinæ prouidentiæ erga iustos ille protulit, quæ pensiculatè considerata luce clariùs ostendunt, quantum Dei prouidentia, qua perfectos curat, atque defendit, in effectis aliorum prouidentiam excedat.

Habet igitur Deus prouidentiam omnium rerum ratione carentium, tamquam supellectilium domus hominis, cuius causa eas ex nihilo fecit: Habet prouidentiam impiorum, velut maloru, & infidelium seruorum, quos sua bonitate poscente à malis abducit, & vt emẽdentur, benignè corrigit: Habet prouidentiam communium iustorum, velut amicorum, quos donis, & beneficiis in amicitia conseruat. At prouidentia perfectorum transit in curam & in sollicitudinem, & est velut prouidentia sponsæ, ac dilectissimorũ filiorũ. Quorum vna cura est patrem diligere, patri placere, & sine vlla ambiguitate omnes suas curas in sinũ piissimi patris iactare: secundùm illud, quod his singulariùs dictum est: Omnem sollicitudinem vestram proiicientes in eum, quoniam ipsi est cura de vobis.] (1.Pet.5.) Quanta putas, est ista cura? Certè eximia, plusquam aut dici aut excogitari potest, qua Deus velut prouidentissimus Rex, non iam regnũ suum, quod generalem curã exigit, sed palatium suum, & cõclaue suum, quod specialem curã poscit, sapientissimè regit, sollicitissiméque gubernat. Cuius specialis sollicitudinis meminit Gregorius, dum in hunc modum scripsit: (Greg.10. mor.c.4.) Quasi Rex Dominus sedet in corde, quia circumstrepentes regit animorum motus in nostra cogitatione. In mente quippe quam inhabitat, dum torpentia excitat, inquieta frænat, frigida accendit, accensa moderatur, emollit rigida, fluxa restringit, ex ipsa hac diuersitate cogitationum, quasi quidam illum exercitus circumstat. Certè quasi Rex sedet, circumstante exercitu, quia præsidentem illum mentibus electorum circumstat turba virtutum.] Hanc turbam virtutum, quam ipse animæ sanctæ habitatricem fecit, non otiosam esse permittit, sed ad opus excitat, & iugiter ad laborem hortatur, vt hæc anima sibi dilecta semper pulchritudine crescat, & ampliores in dies opes acquirat. Hinc fides Abrahæ iam singularibus experimentis probata est, vt reputaretur illi ad iustitiam; & ex filio, quem morti obtulit, non solùm copiosam posteritatẽ acciperet, sed mundi etiam remedium obtineret. Hinc Iobi patientia tentata est, vt post non multos tentationum dies, omnia quæ amiserat, multiplicata reciperet, & in patientiæ posteris daretur exemplum. Hinc Tobiæ robur animi examinatum est, vt corporis excitate percussus, acie mẽtis maiora præsentiret, & à calamitate liberatus, corporis miserias non timeret. Ista quid nisi virtutum exercitia sunt, & singularis prouidentiæ incitamenta, quibus Deus perfectos viros erudit, & ad maiorẽ perfectionẽ promouet? Propter iustorum profectus nõ solùm virtutes aduersis casibus exercet; sed & natura mouet, & cùm opus est, cursum rerũ naturaliũ immutat. Quod & in transitu maris Rubri, & in transitu Iordanis figuratũ videmus. (Ps. 113) Sicut enim tunc mare fugit, & Iordanis conuersus est retrorsum,] vt deferentes Ægyptum siccis vestigiis ad terram promissam peruenirent: ita propter sanctorum virtutem & transitum illorum in cœlum, ordo rerum sæpè mutatus est, vt illi sine aliquo impedimento, aut cum maiori commoditate viam sanctitatis tenerent. Quoties Dominus propter Sanctos suos, è petra riuos aquarũ produxit? quoties panes illis miraculosè ministrauit? quoties inter noctis tenebras eisdem lucem oriri fecit? quoties sine medicamentis salutem restituit? quoties ineuitabilibus periculis exemit? quoties mortem iam imminentem ablegauit? quoties de rebus abditissimis erudiuit? Miraculorum plenæ sunt sanctorum historiæ, quibus Deus apertè monstrauit, se propter viros perfectos ordinem naturæ mutare, & suauiorem ipsorum, quàm aliorum hominum prouidentiam habere.

Huic prouidentiæ conantur aliquando mali resistere, sed nihil omnino proficiunt, imò tunc diuina potẽtia feliciori successu, quod volebat, perficit, cùm humana imbecillitas id impedire gestit. Laban de opibus Iacob generi sui tristatur supra modum, & vt eas minuat, atque decurtet, mutat mercedem illius decem vicibus.] (Gen.31.) Astus tamen iste irritus, & inanis à Domino factus est, qui ipsa mutatione mercedis greges serui sui multiplicabat, & eius substantiam augebat. (Ibidem.) Adeò vt eius Leuiri dicerent: Tulit Iacob omnia quæ fuerunt patris nostri, & de illius facultate ditatus, factus est inclytus.] Fratres Ioseph inuidia tabidi illum Ismahelitis vendiderunt, ne aliquando diuina prouidentia fausta somnia compleret, & eos pestibus minoris fratris subiiceret. Hoc námq; fuisse ipsorum consilium ex verbis, quibus se mutuò ad fraternam cædem hortabantur, manifestè clarescit. Ecce, aiebant, somniator venit: venite, occidamus eum, & tunc apparebit quid illi prosunt somnia sua.] (Gen. 37.) At innocentis seruitus, innoxiique captiuitas, diuinitus immissa somnia compleuerunt. Tunc enim de ergastulo fuit raptus ad thronum, cùm fratribus in Ægyptum frumenta quærendi gratia venientibus, potuit minor secundùm decretum Dei à maioribus adorari, & iunior senioribus imperare. Dauid tandem fratrum suorum minimus, & ab ipsis quoque persecutionẽ passus, qui nollent eum à caulis ouium ad castra transferri, Israëlis Saluator canitur, & hostium præ Saule rege fortissimo oppressor, & interemptor asseritur. Persequitur etiam Dei electum ipse Saul tamquam suæ gloriæ raptorem, & illum centies molitur occidere, quem Deus & viuere, & regnare, & gloriosissimè rempublicam illam gubernare decreuerat. Sed frustra persequitur, quoniam impii regis odiis, amabilior; persecutionibus, illustrior, & rerum priuatione, Rex ditior efficitur. Nihil proficis edax inuidia, nihil vales infirma hominum imbecillitas, dum in Dei prouidentiam insurgis, quia licèt teipsam supra vires efferas, licèt supra cogitationem coneris, licèt tibi mundi, & diaboli phalanges adiungas, numquam tamen aut sanctos opprimes, aut electos excindes, aut Dei voluntatem impedies. Ille quidem omnes sanctos protegere, omnes nobilitare, omnes singularissimis mediis in suum regnum efferre disposuit, non tamen quia multi sunt illi, quos dinumerare nemo potest, minor est cuiusque illorum cura, quàm si solus esset, & ad Dei prouidentiam pertinuisset. Huic enim, quæ infinita est, & nullis comprehensa limitibus, idem est, aut vnum electum defendere, aut plures, aut innumerabiles asseruare. Quamobrem quisque illorum docetur dicere, quod sponsa in persona cuiusque decantabat: Dilectus meus mihi, & ego illi. (Cant.2.) Ego quidem, ait perfecta anima, superna gratia præueniа, & abundantissimis subsidiis adiuta, ita intendo illi, ac si nihil aliud esset in mundo, cui deberem intendere. Et ille vicissim ita intendit mihi, ac si nulla esset anima iusta, quam deberet adiuuare. Exponat nobis Bernardus pulchrè, vt solet, hanc singularem electorum curam, nulla eorum multitudine obrutam, nulla ipsorum necessitate præpeditam. (Bern. ser. 98. in Cã.) Insolens verbum, inquit, & ego illi.] Nec minùs insolens dilectus meus mihi:] nisi quòd vtroque insolentius vtrumque simul. O quid audet cor purum, & conscientia bona,

& fides non ficta? Mihi, inquit, intendit. Iráne huic intenta est illa maiestas, cui gubernatio pariter, & administratio vniuersitatis incumbit? Et cura sæculorum ad sola transfertur negotia, imò otia amoris, & desideria huius? Ita planè. Ipsa est enim Ecclesia electorum, de quibus Apostolus, Omnia, inquit, propter electos.] Et cui dubium, quòd gratia, & misericordia Dei sit in sanctos eius, & respectus in electos illius? Ergo prouidentiam cæteris creaturis non negamus, curam sponsa vendicat sibi.] Si ita est, imò quia ita est, quòd nó dormitabit, neque dormiet, qui custodit Israël,] nec iustorum multitudo alicuius eorum aut obliuionem, aut minùs sollicitam curam inducet, quid mirum si nihil humana malitia illis officiat, quos bonitas, & sollicitudo diuina vndequaque circumdat? Quilibet profectò electorum, sed præcipuè perfectorum, Deo curæ est, velut filius sibi charissimus, de cuius reditu ad gratiam Angeli gaudent, dicente eodem Domino: Amen dico vobis, Gaudium erit Angelis Dei super vno peccatore pœnitentiam agente.] De cuius in gratia & virtute profectu spiritus cœlestes exultant, dum vident socios, & fratres suos communis regis (quam sibi non minuunt) familiaritate ditari. De cuius perfectione ac sanctitate superna curia lætatur, quia eorum sanctitas eius decorem promouet, & verissimas opes adauget. Hunc Deus primò ab infamia peccati, quam ex primis parentibus traxit, per lauacrum regenerationis emundat. Hunc indumento filiorum, scilicet gratia, & diuina participatione vestit. Hunc, si fugiat, vocat; si insaniat, expectat; si sordibus iniquitatis se turpet, mansuetè dissimulat. Hunc paternè vocatum, & misericorditer inuitatum, si redeat, amantissimè recipit, receptum stola iucunditatis amicit, amictum ad pœnitentiam excitat, excitatum multiplici donorum copia circumdat. Hunc dæmonis impulsibus impugnatum, à casu liberat, liberatum consolationibus pascit, pastú sibi similem efficit, & velut simillimum ac amicissimum in minimis etiam regit, monet, atq; gubernat. Beatus igitur, cuius Deus Iacob adiutor eius,] quia spes eius in Domino Deo ipsius, & quoniam in eo sperauit, liberabit eum, ac proteget eum, quoniam cognouit nomen eius.] Beatus, inquam, cuius Deus singularem ac sollicitam curã suscepit, qui in spiritu liberatur, ne cadat, & si in aliquod malum impingit, statim abundantissimis auxiliis iuuatur, vt resurgat, & modicus aliquando casus, dum eum ad magnum profectum excitat, initium maioris est meriti, non causa ruinæ.

At dices, Deus sanctorum corpora magnis sæpè malis disiici, & dissipari permittit. Nam & tunc sanctos martyres taceamus, (qui lapidati sunt, secti sunt, combusti sunt, excarnificati sunt, & in occisione gladij mortui sunt) quis non animaduertit perfectos viros aduersa corporis valetudine sæpè consumi, doloribus vrgeri, contumeliis imperi, infamiis obscurari, tentationibus impelli, & rerum temporalium amissione probari? Hæccine est erga illos prouidẽtia Dei? Hæccine est paterna erga filios dilectissimos cura? Hęc erga amicissimos benigna solertia? An potiùs ista conuincunt, Deum meliorum obliuisci, & sanctorum res, nec defendere, nec curare, quos súsque déque iactari sustinet arbitratu malorum? Ex aduerso verò maiori cura impiorum sollicitari, quorum omnia læta, omnia secura, omnia pacata sunt, & nihil noxium illis succedit? Quæstio ista fortassis non leuis est, quæ ingenium Dauidis exercuit, & penè in hæsitationes inextricabiles deturbauit. Mei autem, ait, penè moti sunt pedes, penè effusi sunt gressus mei, quia zelaui super iniquos pacem peccatorum videns.] Et proculdubio hæsitatio hæc in corde Dauidis vires assumpsit, ex eo quòd sanctorum externam pacem non videbat, nec tranquillitatem aspiciebat. Vnde addit: Et dixi, ergo sine causa iustificaui cor meum, & laui inter innocentes manus meas, & fui flagellatus tota die, & castigatio mea in matutinis.] Ieremiæ quoque ista res pulsauit animum, sic scribentis: Iustus quidem tu es, Domine, si disputem tecum: verumtamen iusta loquar ad te. Quare via impiorum prosperatur, bene est omnibus, qui præuaricantur, & iniquè agunt. Plantasti eos, & radicem miserunt, proficiunt & faciunt fructum.] Ipsi, qui dubitauerunt, respondeant pro Deo, & qualitatem diuinæ prouidentiæ erga impios, & iustos, docti à diuino spiritu patefaciant. Ille primus quid subiicit? Quid de impiis, & iustis prædicit? De illis quidem: Verumtamen propter dolos posuisti eis, deiecisti eos, dum alleuarentur. Quomodò facti sunt in desolationem, subitò defecerunt, perierunt propter iniquitatem suam.] De istis verò ait: Tenuisti manum dexteram meam, & in voluntate tua deduxisti me, & cum gloria suscepisti me. Quid enim mihi est in cœlo, & à te quid volui super terram?] O sapiens & plusquam humana responsio, imò diuinæ prouidentiæ defensio? Impij prosperantur, vt cadant: vt propter dolos & iniquitates suas prosperitatis finem accipiant, vt dum se super verticem aliorum extollunt, miserabiliùs & luctuosiùs deiectionem damnationis æternæ sustineant? Illi, inquam, prosperantur, vt miseram aduersitatem, post acceptam prosperitatem, magis sentiant, & suam ingratitudinem clariùs agnoscant, qui rebus prosperis deliniti, se duriores reddiderunt, & in eum, qui bona abundanter præbebat, & mala ipsorum patiẽter dissimulabat, inuerecundiùs rebellarunt. Iusti verò flagellantur, vt in flagellis etiam, dum in bonis operibus perseuerant, se Dei seruos fideles, & propter amorem, & non propter mercedem obsequentes exhibeant. Iusti etiam flagellantur, vt aduersitate tentati de virtute in virtutem procedant, ad ampliorem gloriam ascẽdant, & desideriis rerum terrenarum reiectis, solum Deum, siue in cœlo siue in terra sitiant. Bene profectò Dauid prouidentiæ diuinæ partes egit, quomodò Ieremias eandem tueatur agnosce. Prope, inquit, es tu oti eorum, & longè à renibus eorum. Et tu Domine nosti me, vidisti me, probasti cor meum tecum, congrega eos quasi gregem ad victimam, & sanctifica eos in die occisionis.] Cùm tu Domine, inquit, prope sis soli ori eorũ, dum te propter bona temporalia collaudãt, quia peccator confitebitur tibi, cùm benefeceris ei, & longè sis à renibus, hoc est, à mente & affectibus eorum, non est cur fictam illorum prosperitatẽ admiremur, si verum bonum (qui tu solus es) nec quærant, nec habeant. Nosti tu, ô Deus meus, iustos, & sanctos tuos, quamuis tribulationibus affectos; cùm tamen peccatoribus dicas: Nescio vos, discedite à me operarij iniquitatis.] Respicis eos misericordiæ oculis, vt ipsis in afflictione positis tempore opportuno subuenias. Probas corda & opera eorum, vt eos fideles voces, & nomen filiorum, sanè nobile, & Christo similium attribuas. Hæc est autem vera felicitas, atque prosperitas, sicut illa impiorum, quamuis bona mundi possideant, vera infelicitas atque calamitas.

Sapiens ergo prouidentia Dei aliquando iniquis prospera tribuit, vt ampliùs puniat; & iustis aduersa, vt ad perfectiorem virtutẽ, & cumulatiorem gloriam extollat. An non prouidentiæ patris est in dilectissimis filiis errata reprehendere, & si quid peccauerint, castigare? Castigat igitur nonnũquam Deus imperfectiones perfectorum, dum eos virga tribulationis

percutit,

percutit, & baculo malorum affligit. Vnde ait per *Amos 3.* Amos: Tantummodo vos cognoui, id est, specialiter elegi & omnibus cognationibus terræ: idcirco visitabo super vos omnes iniquitates vestras.] An non prudentiæ gubernatoris est, imminentibus malis occurrere, & calamitates insurgentes præuenire? Sed Deus solertissimus gubernator interdũ iustos tribulans, casus eorũ præuenit, & ante ægrotationem prudens medicus medicamentum apponit. Quare per eundem Prophetam ait: *Amos 9.* Ecce mandabo ego, & concutiam in omnibus gentibus domũ Israël, sicut concutitur in cribro.] Et quæ erit, Domine, tantæ commotionis, ac tribulationis vtilitas? Et non cadet, inquit, capillus super terrã.] Ea scilicet, quòd adeptam virtutem populus mihi selectus non perdet, & nequaquã in mihi displicentia deflectet. An non prudẽtiæ creatoris est, aduersis casibus aliquos interdũ opprimere, vt cùm præter omnem spẽ malis deploratis medetur, suæ potentiæ, & bonitatis, & sapientiæ notionem ingerat, & non tantùm ex eo, quòd non permittit mala (quod minus est) sed ex eo quòd ex malis bona decerpit (& quidẽ hoc, quia infinitæ bonitatis insigne, est multò gloriosius laudis & gloriæ sacrificium accipiat?) sed id est sæpissimè, quod colligere ex tribulationibus & aduersitatibus iustorum intendit. Quamobrem æterna veritas de magna miseria cæci nati interrogata respondit: *Ioan. 9.* Neque hic peccauit, neq; parentes eius, sed pro gloria Dei, & vt manifestentur opera Dei in illo.] Et Gregorius, *Gregor. 2. mor. c. 11.* postquã dixit, quòd alia est percussio, qua peccator percutitur, vt sine retractatione puniatur, & alia, qua peccator percutitur, vt corrigatur; & alia, qua nonnumquam quisque percutitur, non vt præterita corrigat, sed ne ventura cõmittat, hæc subiicit: Alia quoque tribulatio est, qua quis plerũque percutitur, per quã nec præterita culpa corrigitur, nec futura prohibetur: sed vt dum inopinata salus percussionem sequitur, saluantis virtus cognita ardentiùs ametur; cúmque innoxius flagello atteritur, ei per patientiam meritorũ summa cumuletur.] Est itaque benigna, & in suos valdè sollicita prouidentia Dei, dũ perfectos viros tribulationibus tentat; quia id agit, non vt eos flagellis contristet (quos tenerrimo amore diligit) sed vt ingesta tristitia veluti aptissimo instrumento paret illis æternæ lætitiæ coronã. Est enim hic amor Dei erga perfectos viros (vt etiã assequutus est Seneca) *Senec. lib. quare bonis viris mala accidant, cum sit prouidentia.* amor patrius, qui non solùm teneriùs, verùm etiam fortiùs amat & eos tamquam filios iam donis & beneficiis afficit, vt in verum patrem fiduciam habeant, iã doloribus & damnis exagitat, vt verum colligãt robur. Tentat & probat illos tamquam generosos spiritus, quia numquã perfectæ virtutis molle documentum est. Verberat dilectos suos, vt in loco laboris aliquid patiãtur, nec illud ad sæuitiam Dei pertinet (qui misericors, & non sæuus est) sed ad ipsorum certamen, in quo si strenuè se gesserint, & fortiores prædicabuntur, & illustriores erunt. Solidissima pars est corporis, quam vsus agitauit; sic solidissima & selectissima pars Ecclesiæ, labori & angustiæ præbenda est, vt ab ipsa perfectè duretur. Et sancti in periclitandi assiduitate, acquirẽnt contemptum periculorum. Nónne sunt nautis corpora ferendo mari dura? Nónne agricolis manus tritæ? Nónne ad excutienda tela militares lacerti valent? An non agilia sunt membra cursoribus? & id in quoque solidissimum est, quod exercuit? Durentur ergo perfecti laboribus, qui nauiculam suam mercibus, id est, meritis pretiosis, onustam in salutis portũ debent dirigere. Terantur duris operibus eorum manus, vt terram cordis sui nõ delicatè sed fortiter moueant, & ex ea fructum centuplicatum accipiant, valeant eorum lacerti ipsa assiduitate prælIandi, vt non sine hostium vulneribus sagittas in illos salutis intorqueant. Agiles ad currendum, & veloces reddantur, nõ quia prosperitatibus ligantur in terra, sed quia tentationibus & pressuris à terra excutiuntur, vt non tam currant quàm volent in cœlum. Isti sunt fines prouidentiæ Dei; quando iustos, ac perfectos finit laboribus, & miseriis affligi. Quos præuidens Moses *Hebr. 11.* magis elegit affligi cum populo Dei, quàm temporalis peccati habere iucunditatem.] Idem omnino eligat quisque, & dicat: Corripiet me iustus in misericordia, & increpabit me; *Psal. 140.* oleum autem peccatoris non impinguat caput meum.] Iustus quidem Dominus & iustitias dilexit, æquitatem vidit vultus eius.] *Psal. 10.* Tu Domine, qui iustus es, in misericordia tua corripe me, ita labores, & tentationes temperans, ne vires meas excedentes, me à tuo amore abstrahant, increpa me doloribus, ita tamen, vt mentem meam nequaquam à spe firma deiiciant. Oleum verò peccatoris, id est, mundi adulantis prosperitas, non me suis blanditiis delectet, atque demulceat. Quoniam illorum recordaris & suauissima prouidentia regis, quos benignè castigas, & probas: illorum verò obliuisceris, & quodammodo à tua cura repellis, quos implere vana & inutilia desideria permittis.

Quomodo Deus perfectos illuminat.

CAPVT XXV.

DIVINAM prouidentiam erga viros perfectos & sanctos cum sole cõtulimus, cuius omne opus tribus instrumentis, luce, & calore atq; occulto influxu perficitur, quo & inferiora corpora fouet, & aduersa, ac noxia pellit. Eadẽ sunt veluti instrumenta prouidentiæ Dei, quibus Sanctos ad destinatam perfectionem ducit. Nam supernaturali luce eorum mentes illuminat, & corda eorum igne sancti amoris inflammat, & absconditis quibusdam auxiliis eos ad bonum roborat, & ad omni aduersitate defendit. Quæ omnia proposito ordine enucleanda sunt, tum vt qualitatem diuinæ prouidentiæ erga perfectos, tum vt alia ipsorum dona insignia videamus. Principio Dominus, qui lux est, & tenebræ in eo non sunt vllæ,] *1. Ioan. 1.* perfectos immensa quadam vi lucis illuminat. Quod nemo (vt puto) ambiget, qui ipsam sanctitatem ac perfectionem immensam esse lucem agnouerit. Si enim lux non esset, Dauid propheta non diceret: *Psal. 36.* Et educet quasi lumen iustitiam tuam, & iudicium tuum tamquam meridiẽ.] Et quidem si peccatum, tenebra est, sanctitas peccatum destruens, & à cordibus sanctorum expellens, profectò lux est. Quod & Paulus manifestè testatur, dum ait: *Rom. 13.* Abiiciamus opera tenebrarũ, & induamur arma lucis.] Quæ námque sunt opera tenebrarũ, nisi peccata quæ à principe tenebrarũ nos instigante originem trahunt, quæ animam in tenebras numquam desituras coniiciunt secundùm illud: *Matt. 22.* Ligatis manibus, & pedibus eius, mittite eum in tenebras exteriores,] quæ eandẽ fœdam, obscuram ac tenebrosam reddunt. Et quæ sunt arma lucis, nisi quæ alibi ab eodem Apostolo *2. Cor. 7* vocantur arma iustitiæ? eæ scilicet virtutes, quæ ad statum perfectionis prouectæ, vndique nos protegũt, & ita protegunt, vt si velimus, facili negotio nullum ab hostibus nostris subeamus vulnus, nullum sustineamus salutis detrimentum. De his perfectionis operibus, siue de his armis lucis, inqnit Chrysostomus: *Chrysost. hom. 24. ad Roma.* incensibili quidem armatura durum est & exosum armari; hic verò iucundum, & dignum, quod expetatur etiam. Lucis quippe sunt arma, vnde radiis

solaribus

solaribus illustriorem te faciunt, multum emittentia fulgorem, atque in tuto etiam optimè munitum constituunt, arma, siquidem sunt, deinde & splendidum faciunt, sunt enim arma lucis.] Arma, quæ iustos, fulgidos & splendidos faciunt, necessariò sunt ex luce compacta, quia nihil, quod lux non sit, aut lucem nō habeat, potest rem obscuram, & tetram à caligine eripere, & ad claritatem reuocare. Dominus etiam ipse Iobi sapientium examinans, sanctitatis opera lucem apertè nominauit, dum in hæc verba illū interrogat. Nosti per quam viam spargitur lux, diuiditur æstus super terram.] Hæc enim lux, quæ super terram humani cordis spargitur & hic æstus, qui super eandem terram diuiditur, non sunt aliud, quàm perfectio virtutum, quæ sicut vera lux hominem de agendis, & omittendis illuminat, & sicut verus æstus, & accidiæ frigus omninò consumit, & mentem ardore charitatis inflammat. Ista lux, atque iste æstus nescit humana ignorantia, per quam viam, aut spargetur in nos, aut qua mensura diuidatur, secūdùm illud, quod in Ioanne legimus: Spiritus vbi vult spirat, & nescis, vnde veniat, aut quò vadat. Sic est omnis, qui natus est ex spiritu.] Profectò in hac luce, quam Dominus hoc loco commemorat; sanctus pater Gregorius sanctitatem intellexit: Qui ita ait: Dic, quo ordine iustitiam meā occultis finibus cordium infundo, cùm & per accessum non videor, & tamen visibilia opera hominum inuisibiliter immuto? Cùm vnam eádemque mentem modò hac modò illa virtute irradio: & tamen per sparsam lucem adhuc, ex parte aliqua eam in tentationis tenebras remanere permitto? Requiratur homo nesciens, per quam viam spargitur lux. Ac si apertè dicatur, dum dura corda emollio, dum rigida inflecto, dum aspera mitigo, dum frigida accendo, dum debilia roboro, dum vaga stabilio, dum mutantia confirmo, intuere, si vales, incorporaliter veniens, quibus ea mentibus illustro. Hæc quippe omnia nos facta cernimus, nam qualiter intrinsecus efficiantur, ignoramus.] Si virtutis perfectio lux est, facile erit cuique huic veritati assentiri, quòd sanctorum mentes radiis sui splendoris infundat. Lux enim licèt distantia quæque clarificet, at propinquiora sibi multò meliùs & perfectiùs illuminat. Quare & perfectio, quæ alios eam in sanctis considerantes mirificè decore sui splendoris oblectat, magis ipsos sanctos, in quibus est, & à quibus possidetur, veluti propinquiores illustrat.

Iob. 38. *Ioan. 3.* *Greg. 29. mor. c. 13.*

Sed qua ratione, quo ordine Deus viros luce perfectionis illuminat? Numquid ipsi corporeis oculis maiorem, quàm alij homines, lucem aspiciunt? si hoc ita dicimus, in nos ipsa experientia reclamat. Aduersantur etiam nobis sacrarum Scripturarum paginæ, quæ Tobiam, & cæcum, & corporeis luminibus orbum & sanctum, ac perfectum introducunt. Cōuincet nos mendacij Didymus, qui cæcus non solùm eximia Scripturarum sciētia, sed eximia quoque sanctitate floruit, cui semel pro sua cæcitate aliquantulum deploranti, dixit B. Antonius; Ne tristeris, quòd oculis corporalibus careas, quos muscæ & culices habent, cùm tibi oculi Angelorum suppetant.] Refragabitur demū assertioni nostræ ipsa vita multorum, quibus nec cœcitas nec aliud corporis malum impedimento fuit, quominùs ad magnam sanctitatem ascenderint. Non itaque huius corporeæ lucis recordamur, cùm dicimus sanctos à Deo illuminari, & radiis lucis internæ perfundi. Hæc enim lux corporea; & exterior est, cuius Dominus non homines tātùm; verùm etiam bestias rationis expertes facit participes. Sed lucem internā intelligimus, quæ interiùs c ens veram scientiam docet, & illos, quibus seipsā

Tobia 4.

municat, in numero sapientium ponit. Corporea lux iniquis quoque conceditur, quam, quia corruptibiles creaturas illuminat, vocare possumus lucem moriētium; at spiritualis lux, qua Dominus dilectos suos docet, mentes nullo modo corruptioni subiectas, & semper duraturas illustrat, quam sine vllo timore vocamus lucem viuentium. Gregorius quidē ita spiritualem lucem à corporali distinguit, dum ait: Lux moriētium est, quam corporeis oculis cernimus. Qui autem adhuc huic mundo viuunt, luce morientium tenebrescunt. Illuminantur autem luce viuentiū, qui despecto temporali lumine ad splendorem internæ claritatis recurrunt, vt ibi viuant; vbi verum lumen sentiendo videant; vbi non aliud lumen, atque aliud vita, sed vbi ipsa lux vita sit, vbi sic nos lux exteriùs circūscribat, vt interiùs impleat: sic interiùs impleat, vt incircūscripta exteriùs circūscribat. Illuminātur ergo hac luce viuentium, quam tantò tunc subtiliùs conspiciunt, quantò nūc ad illam puriùs viuūt.] Mittamus igitur nunc corpoream lucem, quam belluis, & iumentis, & hominibus bonis, & malis cōmunem aspicimus, & illam interiorem, quę simul, & lux, & vita est, quia à vita spirituali in perfectis manat, & ad vitam eandem prouehendam tendit, diligēter inquiramus. Quanta nimirum sit, & qualiter perfectos illuminet, & secundùm scientiam humanam aliquādo insipientes sapientia compleat, & verissimè sapientes efficiat. Quæramus, inquam, quanta sit ista lux, nam si lux corporea pulchra est, atque formosa, spiritualis illam mirabili ratione pulchritudine, & decore vincit: & non minus quàm lux solis corporales oculos, ipsa dum magna est, oculos spirituales oblectat.

Greg. lib. 23. mor. c. 9.

Dominus itaq; perfectos homines tum luce fidei, tum luce sapientiæ collustrat, vt agenda & vitanda peruideant: illa, vt actione impleant; hęc, vt à sua operatione dimoueant. Quæ lux, quia clarissima est, & communium fidelium lucem, ac cognitionem superat, non solam substantiam operum iustorum, & vetitorum exponit, sed & minima quæ operibus adiacent, quibus optimè opera bona præstantur, & mala omninò vitantur, patenter ostendit. Quare perfecti, qui sunt spirituales Nazaræi, diuino numini consecrati, non tantùm vinum iniquitatis non bibunt, verùm etiam vnas recētes, & passas, & quicquid ad vinum longè pertinet, & aliquem odorem malitiæ, aut imperfectionis habet, suo ori non admouent. Sunt etiam velut solertissimi famuli nō domui solùm, sed conclaui Regis æterni secretissimo deputati, in quo necesse est, non vtcumque famulari, sed diligentissimè, & sine vllo defectu, aut oscitantia seruire. Ex hac illustrissima luce illa cura in bonis operibus agendis, & illa circumspectio in occasionibus imperfectionum vitandis exoritur, quam non sine admiratione in perfectis sæpè notauimus, nec sine compunctione conspeximus. Videas illos dum orant, dum psallunt, dum legunt, dū populo Dei verbum proponunt, dum cum aliis de aliquo negotio loquuntur, & breuiter dū aliud quid faciunt, tanta id puritate, tanta diligētia facere, vt optima optimo modo præstent, & nihil quod ad operis pulchritudinem est necessarium, prætermittant. Et sicut ille Beseleel spiritu Dei repletus, & sapientia, & intelligentia & scientia decoratus, quicquid ad vsum tabernaculi, & ministeriū diuini cultus erat necessariū, sapientissimè excogitauit, & quidquid mente concepit, pulcherrimè in opus produxit, & perfectissimè fabrefecit; ita hi edocti luce cœlesti, quod Deo placitum, & honorificum est, prudētissimè excogitant, & vita, atq; operatione cōficiunt. Videas etiam illos in occasionibus labendi

Exod. 31.

cautos,

cautos, in dictis suis, & factis, & cogitationibus circumspectos, ne in aliquod peccatum, aut in aliquā imperfectionem incurrant, quæ purissimos oculos diuinæ maiestatis offendat. Nam sicut homo munditiæ amantissimus, qui atramentum, & picem, & alia similia tractare compellitur, ea instrumento, & mensura distribuit, & suis digitis attrectare formidat, ne seipsum denigret, & munditiam manuum suarum inficiat: eodem modo perfecti, qui pro statu conditionis humanæ nonnumquā, inscientia tractant, id est, inter occasiones labendi aut verbo, aut opere se nolentes inueniunt, in illis tanta prudētia & circumspectione se gerunt, vt nullam maculam contrahant, imò ex illis puriores, & sanctiores exeant. O quàm perfectè complent illud Apostoli documentum: Vt filij lucis ambulate (fructus enim lucis est in omni bonitate, & iustitia, & veritate) probantes, quid sit beneplacitum Deo, & nolite cōmunicare operibus infructuosis tenebrarū, magis autem redarguite.] Ita enim viuunt, ita conuersantur, vt se filios lucis, & amatores sanctitatis exhibeant: Ita Dei voluntatem in omnibus quærunt, & quid ei sit gratius examinant, vt frequentiùs in omnibus, altiùs, & perfectiùs inueniāt. Ita se ab operibus tenebrarū, id est, à delictis, & peccatis subtrahunt, vt nec initium Diabolicæ suggestionis volentes patiantur, & quicquid malum est, sua conuersatione redarguant, ac reprehendant. Istam autem vitæ puritatem, à luce sanctorū cordibus immissa, procedere magnus contemplator Richardus perspicuè docet, illud Danielis interpretans, vbi de Domino ait: Ipse reuelat profunda, & absondita, & nouit in tenebris constituta; & lux cum eo est.] Sed quid, inquit, sibi voluit, quid dicit: Et lux cum eo est? Absque dubio Deus lux est, & tenebræ in eo non sunt vllæ. Cur ergo non dicit, quòd veraciter dicere potuit, quia Deus lux est, sed ait: & cum eo lux est? An fortè hoc docere nos voluit, quia vbi ipse per inhabitantem gratiam manserit, necessariæ cognitionis lumen deesse non possit? Nam lumen quidem, quod ipse est, prout ipsum est, in hac vtique vita interim videre non possumus, sed lumen quod cum ipso est, non solùm ad solatium, sed etiam ad suffragium accipere cō sueuimus. Quale autem hoc lumen esse dicimus, per quod quid agere, quid vitare, quid diligere, quid odio habere, quid credere vel sperare debemus, agnoscimus? Qualis quæso est, lux ista, quæ nouit profunda & abscondita, ipso vtique reuelante, ipso denique inspirante, qui dat sapientibus sapientiam, & sciētiam, intelligentibus disciplinam?] Accipiunt itaque sancti lucem inspirationis diuinæ, quæ eos doceat, & agendis ac omittendis erudiat. Quam regius vates cognoscebat, cùm Dominum alloquens decantabat: Lucerna pedibus meis verbum tuū, & lumē semitis meis.] Istud quidem verbum cordibus nostris immissum iniquis sæpè non lucet, non quia ipsum lucerna non sit; sed quia omnis iniquus cæcus sit. At viris perfectis lux est, quæ & pedes affectuum dirigat, ne in lapidem offensionis impingant, & semitas sanctarum actionū monstret, ne in loca inuia periculosáque diuertant. Nec solos pedes sanctorū lux ista, & semitas illorum illustrat, sed & eorum facies miro splendore perfundit. Quemadmodum enim Moses, cùm è monte descendit, faciem cornutam, id est, radiis immēsi luminis decoratam gestauit, quam filij Israel non audebant aspicere: Ideóque velamine iniecto faciei lumen abscondebat, & vt alij accederent ad negotia tractāda seipsum illis attemperabat: Ita perfecti lumen sanctitatis in manibus, hoc est, in operibus præferunt, & lumē magnæ puritatis in facie, id est, in mente, habent, quod dum non semper ab omnibus perfecta exigunt, & pro bono pusillorum eis minora, & imperfectiora facienda proponunt, quasi iniecto faciei velamine abscondunt.

Ephes. 5.

Dan. 2.

Richar. li. de erudi. hom. int. c. 14.

Psal. 118.

Exod. 34.

Non solùm verò lux perfectis ad sanctè viuēdum datur, sed etiam ad sapientissimè intelligendum conceditur. Eorum enim fides donis sapientiæ & intellectus adiuta, mirum est, quàm aliter, atque filij communes homines, humana & diuina præuideat, & mysteria cœlestia cognoscat. Humana quippe iam non secundùm externam faciem, quæ pulchra & decora apparet, sed introrsus quoque aspicit, & quia ad eorum breuitatem, & exilitatem, & instabilitatem penetrat, ex corde contemnit. Diuina non quasi eminùs posita, sed quasi proxima, & citò ventura cognoscit, quare illa ardenter concupiscit. Mysteria etiam cœlestia perfecti, fide quidem, dum hæc vita durat, sed (si ita loqui liceret) fide clara perlustrant. Non quia ipsorum fides clara sit, cui claritas omnino repugnat, nam (vt ait Paulus) est argumentum non apparentium:] sed quia fidei substantia seruata, ac obscuritatis, & inuidentiæ ratione retenta, tanta sapiētiæ luce roboratur, & efficacitate vestitur, vt res diuinas penè non videatur obscurè proponere, sed quasi clarè & apertè enucleare. Non est facile inexpertis intelligere, quomodò fides obscura, & quasi in nubilo posita hanc secum claritatem admittat, sed contemplationis gratia donati, facilè quod sentiūt, quod experiuntur, quod veluti manibus contrectant, intelligunt. Qui dum ad diuina contemplanda rapiuntur, aliud genus cogitationis accipiunt, quod fidem quidem non destruit, sed complet, & ad sibi debitā perfectionem ducit. Sicut enim Dominus legis gratiæ promulgatione, veterem legem non soluit, sed adimpleuit; quia quod perfectionis legi defecerat, gratia suppeditauit, ita contemplationis dono fidem non soluit, sed perficit, quia omnem claritatem ei, quam sola Dei dicentis auctoritas, & non ratio demonstrās secum compatitur, tribuit. Hac ergo eximia luce perfecti illuminati; scrutantur etiam profunda Dei, & postquam humiliter & nō curiosè scrutati sunt, simplici oculo contemplationis quasi intuentur. In hoc autem suauissimo, ac fulgentissimo intuitu mirum est, quomodo admirantur, quomodo in conspectu diuinæ maiestatis stupeant, quomodo feruescant, quomodo liquescant, quomodo ignescant, quomodo penè deficiant, & quomodo absorbeatur in illis quod mortale est, ab illa vita (& hæc est Christus) quæ illos in perfectam sui imaginem, & figuram transformat. Iam vt magis videant, & perfectiùs sapiant, à luce in tenebras cadūt, & à sapientia in ignorantiam descendunt. O tenebræ lucidissimæ! ô ignorantia sapiētissima, cùm intellectus deficit, vt voluntas proficiat; cùm cognitio fugit, vt amor totum sibi vendicet, & omnem vim mentis sibi præripiat, cùm transcursis imaginibus rerum visibilium, & inuisibilium mens à Deo summo bono sine imagine tangitur, possidetur, obruitur, vt omnem cæcitatē, omnem duritiem, omnes defectus perdat, & saltem ad horā quasi deiformis facta, omne lumen, omnem suauitatem, & omnem donorum copiam acquirat. Non dubites, quicumque hæc legis, perfectos viros, ad hanc clarissimam lucem non semel prouehi, quæ sine argumentis, sine disputationibus, sine libris, non ad aridam, & loquacem scientiam, sed ad dulcem, & silentij amicam sapientiam efferuntur. Et licèt rudes sint, & imperiti quoad humanas disciplinas, crede illos esse verè sapientes, quibus hæc lux cœlestis effulserit. Egregiè enim dixit Ambrosius: Illuminat Dominus sanctos suos, & lucet in corde iustorum. Itaque cùm sapientem videris, cognosce, quia descendit

Hebr. 11.

Ambr. in Psal. 118. serm. 17. vers. 7.

super

super eum Dei gloria. Illuminauit eius mentem sciétiæ fulgore cognitionis diuinæ.] Hæc Dei gloria, iste diuinus fulgor perfectorum animas sapientia imbuit, qua & tibi, & aliis sapiunt, & non oscitando, & stertendo, sed festinando, & volando viam altissimæ virtutis arripiunt. Tu scis Domine, quia aliquos istorum homines idiotas, & ignaros vidi, & te donáte non sine admiratione auscultaui, quorum ignorátiam, & ruditatem ex toto corde meis literis, & studiis prætuli. Quia quas ego diuitias verbis & scriptis euoluo, illi possident, & quod ego de vera sapientia, & perfectione cogito, & núquam attingo, ipsi voluntatis repositorio sibi recondunt, & manibus sanctissimæ vitæ perficiunt.

Lux ista perfectis data, non tantùm cælestia mysteria detegit, sed diuinas dispositiones futuras reuelat, & quæ longa post tempora euentura sunt, aliquádo prædicit. Nam si lex amicitiæ est, vt inter amicos sint corda patentia, Dominus, qui viros perfectos ad intimam familiaritatem admittit; ab hac se lege non eximit, & in his, quæ decent, sui cordis secreta, ab illis minimè abscondit. (Gen. 18.) Num, inquit, celare potero Abraham, quæ gesturus sum, cùm futurus sit in gentem magnam, ac robustissimam, & benedicendæ sint in illo omnes nationes terræ?] Ac si diceret nó debeo tam fidelem amicum celare, quod facturus sum, vt iniquitates Sodomorum & Gomorrhæorum puniam, & eorum vrbes subuertam. Hanc legem Dominus non solùm cum isto patre credentium, sed cum aliis quoque perfectis sæpè seruauit, dum eis multa arcana vel ad ipsos pertinentia vel ad aliorum, aut Ecclesiæ salutem spectantia detexit. Hunc sui obitus diem & horam edocet, illi suum perfectionis statum, ac prædestinationem reuelat: istum de iis, quæ agere, aut dicere, aut omittere debeat, certiorem facit: alius quid ad salutem proximorum vtile sit, aut quid exitium allaturum, ac tandem, quid prosperitatis, aut calamitatis sit Ecclesiæ venturum, prædicit. Quæ omnia facillimum esset, sed prolixum admodum, exemplis antiquis, atque recentibus confirmare. (4. Reg. 4.) Ideóque Elisæus à Sunamite quæsitus & inuentus, vt filij suscitationem obtineret, dixit ad puerum suum eam à sancti viri pedibus amouentem: dimitte illam: anima enim eius in amaritudine est, & Dominus celauit à me, & non indicauit mihi.] Ac si dixisset, non solet Dominus huiuscemodi euentus à me celare, & quæ est, in mihi commendatis facturus abscondere. (1. Reg. 20.) Quare sicut Ionathas Dauidis querelas audiens, quibus Saulis ingratitudinem, & odiú accusabat, dixit ei: Absit, non morieris, neque enim faciet pater meus quicquam grande, vel paruum, nisi priùs indicauerit mihi: hunc ergo celauit à me pater meus sermonem tantummodò? nequaquam erit istud.] Ita perfecti, filiorum Dei induentes affectum, aliquando sine vlla superbiæ nota protestantur, Deú, quem Patrem agnoscunt, nihil in aliquo negotio esse facturum, nisi priùs illos in ea re necessaria doceat, & de iis, quæ oportet, erudiat. Facile enim & consuetum est illi seruos suos nutantes, & velut in ancipiti positos, eiúsque voluntatem auidè quæritantes, aut per Scripturam, aut doctrinam, aut per internam inspirationem de dubiis instruere. (2. Par. 13.) Dicant ergo perfecti, quod locutus est Abias ad acies Ieroboam: Est apud nos candelabrum aureum, & lucernæ eius, vt accendatur semper ad vesperam: nos quippe custodimus præcepta Domini Dei nostri.] Hæc profectò causa est, ob quam apud se candelabrum habent aureum, eiúsque lucernas, quia Domini mandadata custodiunt. Custodia enim mandatorum mentem nostram edocet, & à cæcitate vindicatam radiis splendoris illustrat. Nam si declaratio sermonú illuminat, & intellectum dat paruulis,] (Psal. 118.) quantò magis mandatorum executio illuminabit, & paruulos, id est, humiles, luce perfundet? candelabrum verò, quòd habent hi mandata Domini custodientes, lux est supernaturalis, quæ in Dei tabernaculo, id est, in anima sibi perfectè dicata collucet. Istud candelabrum non vna tantùm, sed multis lucernis constat, quia multa Dei arcana reuelat, & multarum virtutum pulchritudinem monstrat. Quas lucernas tunc non solùm in méte, sed in manibus tenemus; cùm iuxta id, quod cognoscimus, virtutum opera actione cóplemus. Istæ sunt lucernæ ardentes, inquit Ambrosius; (Ambr. in Psal. 118. ser. 14.) quæ die ac nocte in templo Dei lucent. Si templum Dei in corpore tuo seruas, si membra tua membra sunt Christi, lucent virtutes tuæ, quas nullus extinguit, nisi eas tuum crimen extinxerit. Si vis ergo istud candelabrum apud te habere, si cupis eius lucernas possidere, si desideras hoc lumine inextinguibili illuminari, illud non tam à libris, ab argumentis, à disputationibus petas, quàm in perfecta vita, & sancta conuersatione conquiras. Huic námque tamquam cœlo purissimo, in quo Dominus commoratur, lux perpetua promissa est, quæ hîc mentes sanctorum instruit, illuminat, extra se rapit, & post hanc vitam in lucem ineffabilem commutata, Dei faciem, quæ nostra beatitudo est, animæ luminibus obiicit.

Qualiter Deus perfectos inflammat.

CAPVT XXVI.

Vidimus quo pacto diuinæ prouidentiæ sol, radiis suæ lucis perfectos illuminet, nunc videamus qualiter eosdem ardore perfectæ charitatis inflammet. Quod accepta similitudo à corporeo igne, cùm aliquod combustibile adurit, nobis satis exponet. Consideremus enim ignem inter ligna viridia & humida positum, qui in ea suum ardorem generare nitatur. Certè in illis lignis, quoniam minùs sunt apta atque disposita, non pulcherrimam flammam, sed atrum fumum, sed lignorum quasi gementium stridorem, sed aqueum humorem exsuscitat. At cùm iam sunt arida, & sicca, & velut calore victa, & ignis potestati subiecta, tunc fumus cessat, strepitus silet, gelidus humor fugit, & intimus ardor, pulcher splendor, & flamma efficacissima suscitatur. Mittamus nunc iniquos homines, quos nomine glaciei, & gelu, Gregorius signatos intelligit, cú Dominus ad Iob ait: (Iob. 38. Greg. 29. mor. c. 15.) De cuius vtero egressa est glacies, & gelu de cœlo quis genuit? Hi enim ab vtero Dei, hoc est, ab eius creatrice potentia egressi sunt, non impij, sed boni: illi verò seipsos impios fecerunt, & in similitudinem aquæ cógelatæ durarút.] Mittamus, inquam, illos, & solos viros iustos sermone tractemus. Hi profectò in lignis imputribilibus & frugiferis signati sunt, quæ sancta Ecclesia tamquam bona, & fœcunda terra produxit. Et vt modo de illis, non quatenus hortum Ecclesiæ ornant, sed quatenus applicátur igni, eloquamur, ipsa sunt ligna iuxta Ambrosium, (3. Reg. 18. Ambro. li. de Helia. c. 22. Leuit. 6.) quæ Elias super altare composuit, & secundùm figurá vnda salutari respersit, vt ea ignis de cœlo delapsus exureret. Ipsa sunt ligna, quibus sacerdos Christus igné Charitatis enutriet, & holocausta perfectarum métium in honorem summi Dei adolebit, atque consumet. Horum lignorum quędam humida, & minùs ad ardorem suscipiendum disposita; quædam arida, & ad ignem apta reperies. Ligna humida;

atque

atq; viridia iusti imperfecti sunt, quos imperfectionũ humor aqueus, & ignauiæ frigus à debito calore repellit. Ligna verò arida, & sicca sũt iusti perfecti, quorũ qualitas eos igni charitatis admittendo aptissimos efficit. Nec mitũ, quod Saluator noster seipsum ligno viridi, & peccatores lignis aridis, comparauerit, dicens, Quia si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?] Iusti enim sunt ligna viridia, si pulchritudinem illorum videas, si odorem bonum aduertas, si studiosorum operum fructum consideres. Iniusti autem sunt ligna arida, si ipsorum deformitatem, si sanctorum operum, velut filiorum orbitatẽ, si foliorum & florum, id est, bonarum cogitationum, & piorum desideriorum nuditatem aspicias. At contraria ratione illi ligna arida, & isti ligna humida sunt, quia perfecti igni charitatis admoti, sine vllo labore, aut difficultate ardent: imperfecti verò caligine suarum imperfectionum fumant, & incondito sono sine crepitu defectuum strident. *Lucæ 23.*

Sunt itaque viri perfecti, sicut ligna arida, & sicca: arida, quia mortificationis dono concupiscentiæ humore liberantur, & sicca quoniam assidua exercitatione virtutum ad recipiendum charitatis ardorem apta ac disposita redduntur. In intimo istorum lignorum Deus noster inhabitat, qui consumenti igni seipsum assimilat. Ideóque Moses ait: Dominus Deus tuus ignis consumens est.] O pulcher ignis! ô vitalis ignis! ô efficax ignis, qui in puris mentib. fœda collustrat: frigida fouet, & quicquid impurum est efficacissimè destruit. De quo sapienter dixit Bernardus: Ignis, qui Deus est, cõsumit quidem, sed non affligit: ardet suauiter, desolatur feliciter. Est enim verè carbo desolatorius, sed qui sic in vitia exerceat vim ignis, vt in anima vicem exhibeat vnctionis.] Ad hoc autem significãdum, apparet Dominus ipse Mosi in flamma ignis, de medio rubi, quæ rubum quidem nõ comburebat, sed tantùm inflãmabat.] Nã ipse talis est ignis, vt cuiusuis iniquitates, & imperfectiones nostras exurat, nos verò integros inuiolatósq; relinquat. Quã ob causam vocatur ignis consumens, non quòd sanctos absumat, sed quòd eorum defectus destruat: non quia operetur ad consumptionem bonorum, sed quia indignationem suam ostendat in punitione iniquorum. Non solet consumere ignis iste, inquit Ambrosius, nisi sola peccata. In retributionibus quoque meritorum colligimus diuidi ignis naturam, vt alios illuminet, alios exurat: illuminet iustos, exurat impios. Non eosdem, quos illuminat, exurit, & quos exurit, illuminat: sed illuminatio eius inextinguibilis est, ad perfunctionem bonorum, exustio vehemens ad supplicia peccatorum.] In igne Dominus apparet in mõte Sina, vt legem ferat, & specie terribili, & comminationibus, atque portentis duræ ceruicis populum ad excipiendam, & custodiendam legem inclinet. In lampade ignis trãsit inter cadauerum diuisiones, quas eo iubente, Abraham ad sacrificium offerendum disposuit, vt ipso Domini transitu pactum dandæ terræ promissæ firmaret. Et oculi eius sunt sicut flamma ignis,] quæ bonos ipsos aspectu in se conuertat, malos exterreat: istos indignatione puniat, illos sua efficacitate confirmet. Quare Dominus toties se in specie corporalis ignis ostendit, nisi vt sciamus eum esse spiritualem ignem, qui nostras animas illuminet, foueat, & mundet, in se conuertat, & secundum mores, & opera in melius ac præstantius esse, transfundat? Si ergo sancti & perfecti homines sunt ligna sicca, & arida, id est, ad suscipiendum ardorem charitatis valde disposita, & Deus est ignis immensus, & infinitus, ac nullis impedimentis obnoxius, quid putas faciet hic ignis talibus lignis admotus, vel

Deut. 4. *Bern. ser. 31 in cãt.* *Exod. 3.* *Ambr. lib. 1 exame. 3.* *Exod. 19.* *Gen. 15.* *Apoca. 1.*

A (vt veriùs dicam) visceribus eorum inclusus? Quomodo perfectos illuminabit, quomodo calefaciet, quomodo accendet, quomodo inflammabit, quomodo exuret, quomodo eis suas perfectiones communicabit, quomodo in se conuertet, & transformabit, quomodo tandem ipsis integris, pulchris, & liquefactis permanentibus (sicut aurum in fornace) omnes eorum sordes, scoriámque consumet? Inflammat quidem Deus perfectos suos, qui amore ardent, desideriis exæstuant, & maiori impetu quàm dici possit, in omnia bona adimplenda feruntur. Velles tamen intelligere tum naturam, tum qualitatem huius ardoris, quid in perfectis possit, quid interiùs & exteriùs efficiat, quid in alios caloris, & ardoris deriuet, & quousque suæ potentiæ signa producat? Id quidem facilè intelliges, si aut sanctorum vitas pensiculatè legas, aut B si aliquem virum perfectum agnoscas, & eius conuersationem, non vt eum iudices, sed vt ab eo discas, attentè consideres. Interim tamen hi sermones mei tibi vtcumque satisfaciant, & hominum ardentium, & ignitorum, id est, perfectorum ardores suauissimos, & flammas exponant.

Ignis ille increatus, qui Deus est, in his hominibus ad suscipiendum ardorem, seu ignem rectè dispositis, ignem creatum perfectæ charitatis immittit. Si enim noster ignis cùm materialia ligna comburit, non tam seipsum lignis attribuit, quàm alium ignem sibi omnino similem ex illis producit, in hoc similitudo maneat, quòd Deus non solùm seipsum iustis communicat, ex eo quòd in ipsis inhabitat, sed etiam alium ignem à se distinctum, nimirum ignem charitatis in C illis progignit. De quo Dauid ait: Ignis à facie eius exarsit, carbones succensi sunt ab eo.] Nam in præsentia eius, qui ignis non factus est, alius ignis factus charitatis accenditur, quo homines inflammantur, ante aduentum huius ignis atri, & frigidi, & post aduẽtũ eius, ardentes, atq; formosi. Vnde Augustinus hunc intellectum indicans, ait: Qui iam mortui erant, deserti ab igne boni desiderij, ac luce iustitiæ, & frigidi, tenebrosique remanserant, rursus accensi, & illuminati reuixerunt.] Hunc ignem præcipit Dominus, vt semper coram ipso conserues accensum. Idque significant illa Leuitici verba: Ignis in altari meo semper ardebit.] Quos námque hoc Domini altare figurat, nisi perfectos, & sanctos, vt putat Origenes, qui non humilem & abiectam ducunt D vitam, sed excelsam, & puram, in quibus per abnegationem assiduam, & sanguis effunditur, & caro crematur atque consumitur?] Et quis est iste ignis, qui semper in altari debet ardere, nisi ignis charitatis è cœlo, hoc est, ab increato illo igne delapsus, qui ardet vt mascula thura orationis, & optima thymiamata desideriorum adoleat, & quod carnale est, & animale consumat. Iste igitur ignis charitatis, in mentibus perfectorum principio cunctos defectus, & imperfectiones exurit, & si millies pullulent (quod in hac vita commune est) millies in illas desæuit, & ardoribus amoris inflammat. Quod per tropum vaticinatus est Isaias, dum ait: Propter hoc mittet dominator Dominus exercituum, in pinguibus eius tenuitatem, & subtus gloriam eius succensa ardebit E quasi combustio ignis. Et erit lumen Israel in igne, & sanctus eius in flamma, & succendetur; & deuorabitur spina eius, & vepres in die vna.] Pinguia enim animæ sunt magna crimina, in quibus mittit Dominus tenuitatem, cùm ea in spiritu contritionis destruit, & Spiritus sancti ardore penitus delet. Quæ verò subtus gloriam latent, sunt leuia peccata, quæ sæpè vanis prætextibus obtenduntur, & virtutum aut placiditatis coloribus excusantur,

Psal. 17. *Aug. ibi.* *Leuit. 6.* *Orige. hō. 1. in Leui.* *Isaie 10.*

hæc verò ardebunt etiam, & vi amoris deficientur, & dissipabuntur, quasi combustio ignis. Christus autem, qui lumen est Israel, erit in igne, quia per charitatis ignem vniuersa iustorum mala deuorabit. Et sanctus quisque erit in flamma, quoniam inflammatus hoc igne, gratiáque suffultus, spinas defectuum, & vepres imperfectionum succendet, ita vt vel ad diem vnam, id est, ad horam vnam, vel morulam vnam, nihil penitus in eo veteris Adæ remaneat. Bonum istud diei vnius, nimirum morulæ vnius est, cùm anima in contemplatione posita, & amoris igne succensa, cunctos suos hostes adurit, & vniuersos inimicos, hoc est, defectus, interficit. At conuersatio ista mortalis post paululum recentes næuos contrahit, & nouis defectibus subest, quos oportet nouo charitatis baptismo ablui, nouóque feruore deleri. Non solùm autem ignis iste defectus adurit, verùm etiam, (quod mirabilius est) penè desideriorum, & concupiscentiarum ignem extinguit. Et ignis igne non crescit, sed igne minuitur, igne extenuatur, & igne charitatis penè omnino consumitur. An non tres illi viri ligati, & in fornacem Babylonis coniecti, vinculis eximuntur, & calorem, aut odorẽ ignis non sentiunt? Prorsus *Danie.3.* ita. Nã & ipse hostis eorum ait: Ecce ego video quatuor viros solutos (quartus autẽ erat Angelus Domini) & ambulantes in medio ignis, & nihil corruptionis in eis est.] Consiliarij quoque regis, qui in viros sanctos mortis sententiam tulerant, contemplabantur illos, quoniam nihil potestatis habuisset ignis in corporibus eorum, & capillus capitis eorum non esset adustus, & sarabala eorum non fuissent immutata, & odor ignis non transisset per eos.] Quis ergo ignem colligauit, quis ignẽ tenuit, quis ignem consopiuit, ne pueros illos simplicitate, & viros constantia, & fortitudine in fauillam redigeret? Prorsus alius ignis, ille scilicet Dominus, qui inter ipsos consistens eorũ animas fidei lumine collustrabat, & ardore charitatis succendebat. Nónne vides, quòd ignis ignem destruxit, & flamma flammam dissipauit, & ardor ardorem refrigerauit, atque consumpsit? Ita ignis diuini amoris intus ardens, ignem concupiscentiæ vincit, ne iustorum corpora motibus impudicis adurat, ne capillos sanctarum cogitationum absumat, ne vestes solidarum virtutum destruat, & ne sui odorem in charitate accensos, siue amore adustos, spargat. Hæc sunt trophea ignis cœlestis, hæ victoriæ charitatis, quas de nostra cõcupiscentia à se victa reportat. His homo illustrior est, quàm si vniuersum orbem suo imperio subigeret, quia seipsum imperio virtutis subdit, & captiuus factus amoris, & perfectionis seruus computatus, concupiscentiæ iugum frangit, & peccati captiuitatem ac seruitutem euertit.

Postquam verò ignis charitatis, omne sibi aduersum in mente perfecta contrariũ consumpsit, tunc liberè & efficaciter vim suam in illã tamquam in materiam penitus subiectam exercet. Liquefacit ergo perfectam animam, quam ante perfectionis aduentum duram, & proteruam inuenerat. Si enim sola vox spõsi *Cant.5.* eam emollit: vnde sponsa ait: Anima mea liquefacta est, vt dilectus loquutus est,] quidni ad vocem, id est, ad internam inspirationem, nõ iam solã, sed caloris, & ignis immissione comitatam ipsa liquescat? De qua voce dictum est: *Psal.118.* Ignitum eloquium tuum vehementer.] *Psal.104.* Et rursus: Eloquium Domini inflammauit eum,] scilicet Ioseph, quem non tam rex, quàm hæc flamma dissoluit, & principem Ægypti constituit. Huius mutationis, qua anima ex duritie in suauitatem conuertitur, indices sunt abundantes lacrymæ, in quas cor penè totum resoluitur. Dum *Greg.in cant.c.5.* enim Christus, vt Gregorius ait, se per spiritum

A suum animæ desideranti infundit, omnem duritiam cordis mox dissoluit, & aliquando mentem in tantas lacrymas liquefacit, vt vix capere possit hoc, quod se capere intra se exultat, & intus miretur, quid fuerit, & quid factam subitò seipsam videat.] Hæ lacrymæ suauiter fluunt, & non coactè, sed sponteneè decurrunt, quæ licèt solas genas tangant, nescio quomodo animam à sordibus, si quæ remanserunt, lauant, & interiora nostra, vt vireant, vt floreant, & vt fructificent, rigant. Et quidem licèt lacrymæ istæ sint aqueæ, non tamen resoluuntur nisi ad præsentiam ignis intus ardentis, & iustorum interiora cremantis, de quibus dictum est in Isaia: *Isaie 64* Aquæ arderent igni.] Nam cùm illæ defluunt, perfectæ animæ cogitationes succenduntur, & nullam requiem sustinentes, ad alta & excelsa cogitanda B mouentur. Desideria ardent, & inquieta conuolutione interdum ad ea bona, quæ aliquando erunt, nonnumquam verò ad ea, quæ numquam erunt, appetenda, & cupienda feruntur. Et voluntas his desideriis velut carbonibus inflammata, omnia caduca respuit, vniuersa terrena reiicit, & solum Deum sicut causam suæ dulcissimæ exustionis admittit. Ex voluntate etiam, (quæ ad spiritum pertinet) in cor carneum ignis iste deriuatur, aut saltem in illud amoris sensibilis scintilla resultat, quæ cor ipsum dilatat, inflammat, mouet, & quod in eo vile & abiectum est, mirabili celeritate consumit. Audi Dauidem huic cordis in- *Psal.72.* flammationi testimonium perhibentem: Quia inflammatum est cor meum, inquit, & renes mei commutati sunt, & ego ad nihilum redactus sum, & nesci- C ui.] Quonam igne, ô sancte propheta, cor tuum inflammatum est? Certè charitatis igne, quia dum Dei mei gesta cogito, & Domini mei perfectiones considero, amore flagro, & vt ingestæ suauitatis exæstuo. Et quomodo renes tui commutati sunt? Ita quidem, vt affectus mei, qui priùs vt equi effrænes post malũ properabãt, iã habenis charitatis gubernati, post bonũ currãt, & ad id quod sanctum est, velocissimo cursu festinent. Et quanã ratione ad nihilum redactus es? sic profectò vt omne humanam, omne scilicet, quod veteris est hominis, in me pereat, & omne diuinum, quod Christo cognatũ est, eius spiritu flante consurgat. Quare tandẽ nesciuisti? Quia iuxta illud, quod *1.Cor.3.* Paulus post modum dicturus erat, si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc sæculo, stultus fiat, vt sit D sapiens.] Christi crucem (quæ vera sapientia est) firmiter elegi, & mundi sapientiam reprobaui. Ista bona sequũtur, cùm cor in viris perfectis hoc cœlesti amore inflãmatur, & sanctorum affectuum iteratione succenditur. Quid plura? Ignis iste nonnumquam ad faciẽ exit, & per mortales artus serpit, & aliquod sui signum in corporibus contiguis producit. Nam & sępè perfectorum virorum facies rubet, corpus calet, manus, & pedes ardent, non tam naturali calore quàm ardore orationis in corpus prodeunte, & feruore vir- *Lib.3.vitæ c.1.* tutis. Multa huius rei exempla possem adducere; in re autem tyrunculis noua, vnum aut alterum non prætermittam. De beatissimo abbate Bernardo, quem ab incunabulis patronum meæ paruitatis elegi, hæc scri- E pta lego: Apparebat in carne eius gratia quædam, spiritualis tamen potiùs quàm carnalis: in vultu claritas pręfulgebat, non terrena vtiq;, sed cœlestis: in oculis Angelica quædam puritas, & colũbina simplicitas radiabat. Tanta erat interioris eius hominis pulchritudo, vt euidentibus quibusdam indiciis foras erumperet, & de cumulo internæ puritatis, & gratiæ, copiosè perfusus homo quoq; exterior videretur. Corpus omne tenuissimũ & sine carnibus erat, ipsa etiam subtilissima cutis in genis modicè rubẽs. Illi nimirum

quicquid caloris inerat, assidua meditatio, & studium sacræ compunctionis attraxerat.] Dominicus inter missarum solemnia Christum eleuans, in altum tollitur, & ab igne, quo intus ardebat, corpus eius subuectum, veluti in ignem conuersum, terram deserens in cœlum ferebatur. Franciscus ab illo seraph, qui sibi in monte apparuerat, mirabilem in mente, vt Bonauentura ait, recepit ardorem, & in carne non minùs mirabilem admisit effigiem, vt iam non tam terrestris homo, quàm cœlestis nuncius, & imago crucifixi crederetur, de montéque descendens, quinque Saluatoris vulnera, & quinque ignis charitatis vstiones detulit, vt earum ostensione vniuersum mundum admiratione compleret. Demum Nicolaus Factor, huius sancti patris alumnus, quadam die ad orandum gelidum stagnum ingressus, ardore mentis primum corpus suum, deinde ardore corporis ita aquam gelidam calefecit, ac si ei vortices essent ignis subiecti. Hæc omnia rara sunt, sed alia in viris perfectis inuenio, sicut minùs rara, ita non tam mirabilia, quæ indicia sunt interni amoris, quo non solùm Deum amant sed ardent, & vi inflammantur amoris. Verba enim illa potentia, & sine vllo nitore, sine vlla eloquentia prolata, quæ audientes ad amorem virtutis accendunt, quid sunt nisi scintillæ, ex interiori amoris igne resultantes, quæ satis aperiunt, cor illud, vnde exeunt, non esse frigidum, sed charitatis igne succensum? Iste est ignis, qui sanctorum corda vrit, interiora depascit, & corpus ipsum interdum purum, & agile ad omne opus virtutis efficit. Vnde sicut impij habent ignem suum, vt Gregorius annotauit, flammam scilicet desideriorum temporalium, qua mirum in modum cruciantur, ita sancti habent ignem suum, nempe ardorem amoris, & flammam desiderij cœlestis, qua mirabili voluptate perfunduntur.

In vita. *In vita.c.13.* *Greg.14. mor.c.3.*

At quonam instrumento sancti hunc in se ignem accendunt, & hunc mirabilem ardorem exsuscitant? Certè non vno instrumento, sed multis: nempe diligentissima suiipsorum abnegatione, virtutũ omnium exercitatione, vitæ puritate, sed præcipuè assidua oratione, & iugi diuinarum rerum cõtemplatione. Oratio namque petit hunc ignem, & hanc flammam efflagitat; petit, & accipit, & secundùm desideriũ suum mentem, quæ frigida ingressa est, non frigidam, sed calentem, & ardentem dimittit. Contemplatio verò illam immensam Dei pulchritudinem internis præsentat aspectibus, quam perfecti viri conspicientes (vt in hac vita mortali conceditur) siquidem puri sunt, & ad amandum expediti, non possunt non diligere, & eius desideriis inflammari. Hoc autem esse efficacissimum excitandi huius ignis instrumentum Dauid ipse testatur, dum ait: In meditatione mea exardescit ignis.] & Theodoretus egregiè in hunc modum expressit. Is (& loquitur de amore erga Deũ) eos alit, & rigat, & amicit, & dat pennas; & edocet volare, & efficit, vt cælum transcendant: & eum, qui amatur, quoad eius fieri potest, ostendit, & visione contemplationis incendit desiderium, & excitat amatorium, & flammam accendit ardẽtiorem. Quomodo enim ij, qui amant corpora, & aspectu eorum, qui amantur, præbent amori materiam, & illud œstrũ reddunt vehementius: ita ij, qui accipiunt stimulos diuinæ dilectionis, diuinam illam, & quæ numquam interit, visione apprehendentes pulchritudinem, efficiunt acutiores aculeos dilectionis, & quo magis frui desiderant, eò magis expellunt satietatẽ.] Et paulò pòst: Quomodo ignis quò plus accipit nutrimenti, eò maiorem accipit operationẽ, ea enim accessione materiæ augetur, non obtunditur: ita in Deum dilectio accenditur diuinarum rerum contemplationẽ, & operationem hunc suscipit maiorem, & vehemẽtiorem: & quò magis in rebus diuinis versatus quis fuerit, eò magis accendit flammam dilectionis.] Qui itaque frigidi sumus, & numquam hunc amoris ardorem, quem sancti, & perfecti sentiunt, meruimus experiri, ad illum accipiendum nos constanter præparemus. Discedant à nobis imperfectiones, abeant vitia, quæ nos à præsentia Dei increati ignis elongant. Mortificemus affectus, & passiones nostras, quæ nos frigore, & humore replent, & velut ligna humida & indisposita ad charitatis ignem suscipiendum efficiũt. Clamemus, gemamus, fleamus, & postulemus, vt ignis descendat de cœlo, qui non ad vindictam, sed ad misericordiam comburat nos, subijciamus sanctarum meditationum stipulas, & attentæ contemplationis statu focum nostri cordis sufflemus, sic fiet, vt iste amoris ignis accẽdatur, ardor affectus excitetur, & desideriis flamma consurgat. Hæc quicquid in nobis prauum est, destruet quicquid fœdum emundabit, quicquid abiectum eleuabit, & quicquid rigidum inflectet, vt sancto ardore emolliti Christi figuram suscipiamus (qui exemplar est perfectionis) & post istud exiliũ in eiusdem gloriam transformemur.

Psal.38. Theodor. oratione de charitate ad finem hist. sanctor.

Quòd Deus potentissimè perfectos ad bonum roboret.

CAPVT XXVII.

PROPOSITVM simile Solis, & prouidentiæ diuinæ erga perfectos adhuc prosequamur, quod horum diuitias & felicitatem amplius patefaciet, & diuinę misericordiæ affluentiam circa illos, qui se totos Deo consecrarunt, clariùs & illustriùs nostris obtutibus offeret. Sol non sola luce, & calore (vt suprà dicere cœpimus) inferiora corpora fouet, sed & abditissimo influxu eadem generat, conseruat, atque gubernat. Nam & ad viscera terræ, quibus nec lux eius, nec calor appropiat, aliqua ipsius virtus penetrat, quæ aurum & argentum & alia metalla producat. Sic prouidentia Dei præter lucem, qua perfectorum intellectus illuminat, & pręter charitatis ardorem, quo eorundem voluntates inflammat, alios immittit gratiæ se quodammodo abscondentis, & quodammodo monstrantis, influxus, quibus eos mirificè iuuat, & fortissimè roborat, vt quod mente cognoscunt, & desideriis amplectuntur, opere quoque, & vita perficiant. Meritò autem hos solis iustitiæ influxus aut hæc gratiæ superaffluentis auxilia, post lucem & calorẽ commemoramus quia, vt inquit Bernardus, cognitio, quæ ad lumen, & deuotio, quæ ad calorẽ pertinet, sunt veluti duo pedes, quibus innititur anima, vt bonum faciat, & malũ vitet, & in sanctitate persistat. Quod dictũ est, non quia illa duo, cognitio, & deuotio, ad bonum faciendum, & malũ vitãdum, & perseuerandũ sufficiant, sed quia illa bonam actionẽ præcedant. Non, inquã, sufficiunt, quoniam sicut aliud est, bonum luce nobis data cognoscere, & aliud, idem bonum deuotione, & prõptitudine voluntatis appetere, & aliud quod cognouimus, & concupiuimus, actione pręstare, ita aliud auxilium gratiæ nobis datur, vt bonum sciamus, aliud, vt bonũ appetamus, aliud verò, vt bonum opere, & vita præstemus. Quantum ergo sit hoc auxilium gratiæ sanctis, & perfectis datũ, vt bonũ cognitum & amatum faciant, quis sufficiet explicare? Quis diuitias gratiæ his beatis hominibus à Domino mutuatas

Bern. ser. 85. in cãt.

Matt. 25. edicet, quas mutuò accipiunt, vt illis negotientur, & quinque talenta perfectionis lucrentur, & ad excelsa domicilia gloriæ cœlestis assurgant. Beati illi, qui non sicut impij recipiunt, & numquam mutuum, quod receperunt, persoluunt, sed mandatum iustitię consectantes gratiam sibi à Domino mutuatam, non sine magno fœnore retribuunt. Psal. 36. Mutuabitur peccator, & non soluet, ait sanctus Dauid, iustus autem miseretur & tribuet.] Ille mutuum gratiæ recipit, sed nũquam soluit, quia numquam secundùm præscriptum gratiæ, qua vocatus, & inuitatus est, viuit: & ideo in seipsum crudelis existens, dum Deo creditori suo debitum negat, æternam mortem sibi ipse consciscit. Hic verò scilicet iustus, & maximè qui perfectus est, soluit mutuum gratiæ, quod accepit, quia auxiliis diuinis sibi prætogatis vita respondit. In seipsum profectò misericors est, quia non tam ne mittatur in carcerem, quàm ne in Dominum benefactorem suum ingratus existat, & ne charitati desit, non sine fœnore, id est, sine vitæ sanctitate, quam gratia Dei operante, & cooperante sibi faciendam suscepit, talentum commendatum restituit. Amb. ad psal. 36. Vide nunc pauperem mysticum, inquit Ambrosius, id est simplicem, & timentem Dei nomen, audientem verbum de castitate, & soluentem: audientem de misericordia, & soluentem: audientem de placiditate, & non irascentem. Diuitem verò illum arrogantem, & superbum, audientem quidem, sed post se reiicientem sermones Dei, audientem de condemnatione luxuriæ, & magis luxuriantem.] Quibus manifestè docet malos mutuum non soluere, quia verbum Dei audiunt, & gratiam foribus suis assidentem aspiciunt, & illud prætereunt, istámque despiciunt: iustos verò mutuum restituere, quia mandata Dei non solùm aure corporis, sed aure quoque mentis excipientes, complent, & gratiam Dei sibi assidentem in domum cordis introducunt. De illis ait Iob: Iob. 12. Nónne auris verba diiudicat?] quia bona, quæ audiunt, in aure retinent, & nequaquam ad effectum venire, & ad opus exire permittunt. De istis verò: & fauces comedentis saporem?] nam bona audita festinanter meditatione deglutiunt, & in stomachum affectus transfundunt. Quem mysticum intellectum, & reproborum, electorúmque discrimen sanctus pater Gregorius in hunc modum exponit. Greg. 11. mor. c. 4. His verbis de electis ac reprobis aliquid videtur innuere: quia verba sapientiæ, quæ reprobi audiunt, electi non solùm audiunt, sed etiam gustant, vt eis in corde sapiat, quod reproborum non mentibus, sed solummodo auribus sonat. Aliud námque est nominatum cibum audire solummodo, aliud verò etiam gustare. Electi itaque cibum sapientiæ sic audiunt, vt degustent: quia hoc, quod audiunt, eis per amorem medullitùs sapit. Reproborum verò scientia, vsque ad cogitationem sonitus tenditur, vt quidem virtutes audiant, sed tamen corde frigido qualiter sapiant, ignorent.] Si ergo iusti, sed præcipuè perfecti verbum diuinitus datum custodiunt, & gratiam, ac adiutorium sibi concessum, amoris & operis brachiis amplectuntur, non mirum erit, si pro suæ sollicitudinis mensura, qua primæ gratiæ, & prioribus auxiliis cooperantur, maiora & robustiora subsidia recipiant.

Faxit Deus, vt hæc auxilia explicare sciamus, & quantis gradibus auxilia iustis imperfectis data superent, vtcumque declaremus. Adiutoria imperfectorum, nobis eleemosynæ vocanda videntur, quæ Pater ille summus, diues in misericordia, in illos distribuit, vt eleemosynis acceptis sustententur. Quam appellationem sanctus propheta non refugit, dum ait: Ego autem mendicus sum, & pauper, Dominus sollicitus est mei.] Psal. 39. Qui enim fatetur se esse mendicum, ab ea, qui sui sollicitus est, eleemosynam accipit, & panem cibarium pauperibus & mendicis præparatum, non sine significatione gratitudinis recipit. Ille qui pauperum curam habet, suos pauperes fouet, & adiuuat, & illis necessaria, ne pereant, subministrat, & quod noxium esse potest, misericorditer resecat. Hæc, inquam, facit elemosynas dando, id est, auxilia gratiæ communia, & ordinaria præbendo. At adiutoria, quæ in sanctos, & perfectos conferuntur, amplissima dona vocanda sunt, quibus Dominus Rex potentissimus amicos, & familiares suos, non vtcumque sustentat, sed ita sustentat, vt mirum in modum eos augeat, atque multiplicet. Audi hæc dona ab ipsa Dei sapientia commemorata: Qui confidunt in illum, intelligent veritatem, & fideles in dilectione acquiescent illi, quoniam donum, & pax est electis Dei:] Sapient. 3. Et, Ascendisti in altum, cepisti captiuitatem, accepisti dona in hominibus.] Psal. 57. Et, Gratias Deo super inenarrabili dono eius.] 2. Cor. 9. Et iterum; Quoniam felix est sterilis & incoinquinata, quæ nesciuit thorum in delicto, habebit fructum in respectione animarum sanctarum: & spado, qui non operatus est per manus suas iniquitatem, nec cogitauit aduersùs Deum nequissima, dabitur enim illi fidei donum electum, & sors in templo Dei acceptissima.] Sapient. 3. Quæ namque sunt ista dona, nisi maiora gratiæ auxilia, quæ communem ordinem superantia, tamquam ingẽtes Dei opes in suos amicos & aulicos collatæ, eos diuites, & magnos efficiunt? Sicut enim Spiritus sanctus vocatur donũ, quia est maximum, & præstãtissimum, quod homini datur; ita quicquid vocatur donum, quamdam excellentiam secũ præfert, si vim nominis inspiciamus, quoniam non ad sustentationem tantùm spiritualis vitæ, sed ad ornatum, & ad amplitudinem nobis confertur. Vel dic, quòd donorum Dei quædam sunt minora, quæ benè viuendi gratiam præstant: quædam maiora, quæ non solùm ad bonam vitam, sed etiam ad sanctitatem & perfectionem obtinendam sufficiunt, illa eleemosynas appellamus, quia in virtute mendicis erogantur, ista verò nomen donorum retinent; quoniam diuitibus, id est, perfectis, & virtute magnis conceduntur. Quare & Dauid misit dona de pręda, senioribus Iuda proximis suis, dicens: Accipite benedictionem de præda hostium Domini.] 1. Reg. 30. Et Assuerus principibus suis dona largitus est, iuxta magnificentiam principalem.] Esther. 1. Et Salomon dedit reginæ Saba omnia quæ voluit, & petiuit ab eo; exceptis his, quæ vltrò obtulerat ei munere regio. 3. Reg. 10. Quia videlicet (vt historiarum mysteria detegamus) summus Imperator Christus, dum hostes suos in cruce deuicit, & Ecclesiam quasi spiritualem Esther sibi in sponsam copulauit, & eam quasi reginam, de longinquo venientem, non iam in domum suam, sed in gremium sui amoris excepit, eidem, ac filiis suis amplissima dona est dilargitus: iis nimirum, qui seniores sunt, non corporis ætate, sed sensu; qui proximi eius sunt, non substantiæ situ, sed vita: qui principes sunt, non quia terræ imperant, sed quia tamquam viri perfecti suis affectibus & desideriis dominantur. Hi sunt, qui decem minis acceptis, quæ auxilia iustis data significant, mina vndecima, id est, adiutorio amplissimo cumulantur, quod segnibus & væcordibus denegatum est. Qui autẽ huic, Domini iustæ dispositioni reluctatus fuerit, audiet ab eo: Dico autem vobis, quia omni habẽti dabitur, & abundabit: ab eo autem qui nõ habet, id est, qui talẽtũ otiosũ habet, ac si nõ haberet, & quod habet, auferetur ab eo. Luc. 19. Æqua omnino dispositio.

Nam

Bern. ser. 4. in Psal. Qui habitat. Nam qui fidelis inuenitur in modico, vt ait Bernardus, iure constituetur super multa: sicut è contrario accipiendis indignus est, qui fuerit de acceptis ingratus. Accipiunt ergo omnes gratiam Dei: mali, vt cōuertantur, & redeant ad mentem: boni, vt crescāt, & virtute proficiant: at perfecti amplissimam gratiam, & ditissima adiutoria suscipiunt, vt quæsitam sanctitatem teneant, & in dies ad maiorem perueniant.

Sed qua alia similitudine magnitudinem horum auxiliorum, sanctis concessorum, exponemus? Certè auxilia iustis communibus data, similia sunt viribus ordinariis, quas ad pugnandum, & se defendendum, & hostem feriendum hominibus natura concessit. Qui his viribus fulti ambulant, iter faciunt, seipsos à latronibus, & à feris tuentur, & interdum siue homines malos, seu bestias in se insurgentes arcent, interdum verò ab illis oppugnati vincuntur. Ita iusti imperfecti cōmunibus subsidiis gratiæ muniti, (quæ communia voco, nō quia auxilia generalia sint, absit, sed quia communem mensuram gratiæ, quæ bonis dari solet, non excedunt) bonis operibus velut gressibus ambulant, in spirituali vita aliquantulùm progrediuntur, & quia datis auxiliis non vtuntur, aliquando cadunt, quia verò illis vtuntur, se à tentationibus aduersarij custodiunt. Populus quidem Domini aduersùs hostes suos incircumcisos pugnans, iam illos expugnabat, iam verò victus atque prostratus terga vertebat. Qui, imago est bonorum, atque iustorum, nunc enim Dei adiutorio protecti, dæmones vincunt, nunc verò, quia dato sibi auxilio vti nolunt, aduersariorum pedibus proteruntur. At auxilia, sanctis ac perfectis concessa, similia sunt viribus eximiis, ac insuetis, quibus Dominus aliquos duces sui populi roborauit, quorum quinque persequebantur centū alienos, & centū de illis decem millia. De his *Isa. 40.* viribus dictum videtur apud Isaiam: Deus sempiternus Dominus, qui creauit terminos terræ, non deficiet, neq; laborabit, neque est inuestigatio sapientiæ eius. Qui dat lasso virtutem, & his, qui non sunt fortitudinē, & robur multiplicat. Deficient pueri, & laborabunt, & iuuenes in infirmitate cadent. Qui autem sperant in Domino, mutabunt fortitudinem, assument pennas sicut aquilæ, current, & non laborabūt, ambulabunt & non deficient.] Ostendit ipse se sempiternum esse ac creatorem, qui nec deficit cùm temporalia comprehendit; nec laborat, cum rebus creatis prouidet, nec sapientia eius inuestigationi hominum, aut Angelorum se subiicit. Dat lasso, ei scilicet, qui vsque ad lassitudinē pro virtute laborāt, operandi, & ad sanctitatem perueniendi virtutem, & infirmis animi fortitudinem, & corporis robur, vt nulla imbecillitate præpediti, in sui creatoris obsequium mirabilia perficiant. Pueri sensibus in labore deficiant, & iuuenes, qui nimirum confidunt in virtute sua, & in multitudine diuitiarum suarum, præ imbecillitate cadent. Qui verò à propria miseria & infirmitate docti spem suam in Domino collocant, à naturali fortitudine, quæ statim euanescit & deficit, ad spiritualem transferentur. Hac autem roborati assument pennas bene agendi, & fructuosè contēplandi, quibus à terrenis discedent, & in cœlestia euolabunt. Accipient etiam speciosos pedes euangelizantium pacem, quibus sine labore (si opus fuerit) magnam orbis partem peragrabunt, & à cœpto cursu numquam desistent. His magnificis promissionibus perfecti animantur, vt in Deo confidant, & vitæ sanctitatem, quam semel aggressi sunt, numquam deserant. Eásque impleri postulat Paulus non sine *Ephes. 3.* ingenti sui cordis affectu: cùm ita scribit: Huius rei

A gratia flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Iesu Christi, ex quo omnis paternitas in cœlis, & in terra nominatur, vt det vobis secundùm diuitias gloriæ suæ, virtute corroborari per spiritum eius in interiori homine.] Sanctus enim spiritus est, qui tum seipso, tum maximis & auxiliis suis viros sanctos corroborat, vt supra communem modum omnem fastum arrogantiæ, & vniuersa vitia prosternant, & celsissimam rationem vitæ sectentur. Adolescens ille rufus, & pulcher aspectu, decoráque *1. Reg. 17.* facie, qui vnico iactu fundæ Gigantem deiecit,] suos à nota infamiæ, & cruciatu timoris eripuit, & copiosum hostium exercitum superauit, nónne id supernaturali fortitudine confirmatus præstitit? Ita perfecti, extraordinaria fortitudine cumulati, Gi-

B gantem arrogantiæ deijciunt, & omnem superbiam, omnem ambitionem, & desiderium honorum, ac dignitatum prosternunt. Dux etiam ille populi Israelitici, ab infantia Domino consecratus, super *Iudic. 15.* cuius caput nouacula nō ascendit, & ab omni, quod inebriare potest, abstinuit,] nónne robore diuinitus dato suffultus, in mandibula asini, ac in maxilla pulli asinarum occidit mille viros, & victoriam maximam reportauit? Sic prorsus sancti non communi, sed specialissima gratia circundati, acies vitiorum extinguunt, & omnia, quæ animæ puritati contradicunt, in fugam conuertunt. Demum ille iuuenis secundùm opinionem mundanorum infelix, qui à suis hostibus occisus interiit, sed re vera felix, atque beatus, siquidem voluntati Domini se submi- *1. Reg. 14.* sit, & regnum iure hæreditario sibi debitū, iuxta cælestem dispositionem (quod ad se pertinuit) alteri tra-

C didit, nōne supernaturali virtute animatus ad stationem Philistinorum ascendit, & vnus multitudinē hostium in fugā conuertit, & copiosum eorū numerum vita priuauit? Eodem modo homines virtute magni, maximis adiutoriis, eximiis subsidiis fulti sunt, vt quasi manibus pedibúsque reptantes, montem perfectionis occupēt, & aduersarios viam impedire molientes expugnent? Dātur itaq; perfectis gratiæ auxilia maxima, subsidia copiosissima, viresque robustissimæ, vt vitia conficiant, affectus moderentur, virtutū arcem consequantur, & ad Dei familiaritatem intimam, & perfectum amorem assurgant. Quomodo enim timidi immanem hostem aggrederētur, imbecilles vincerent, mendici ditescerent, & natura sua humi repentes, in vitam cœlestem ascenderent: nisi

D magna virtus gratiæ illis vires, & animos adderet, & ingens auxiliorum copia ad pugnandum, ad vincendum, & ad cœlum perfectionis diripiendum adiuuaret?

Adiutoria quidē omnibus iustis data, vocare possumus panem communem, quo quotidie, imò singulis momentis reficiuntur, ne deficiant in via, & ne vitam spiritualem derelinquāt: adiutoria verò perfectis *3. Reg. 19.* prærogata vocamus panem miraculosum, quo pasti, & affatim satiati ad culmen montis, & ad fastigium sanctissimæ vitæ perueniant. Nam & Elias accepto de manu Angeli subcineritio pane, & aquæ va-

E se, ambulauit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus & quadraginta noctibus vsque ad montē Dei Horeb.] O cibus salubris! ô panis admirabilis! ô refectio planè miraculosa, quæ humanæ imbecillitatis lassitudinem depellebat, & tantam fortitudinem ministrabat! Huic similis est concessa sanctis gratia, in cuius fortitudine ambulant quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, imò omnibus diebus vitæ suæ, siue prosperitate luceant, siue aduersitate tenebrescant, quousque montem Horeb occupent, & ad vitam omni praua affectione desertam, &

charitatis perfectione repletam ascendant. His auxiliis iam non incipiunt, quia excesserunt vitæ spiritualis pueritiam, sed virtute proficiũt, sed puritate crescunt, sed perfectionẽ obtinentes in ea in dies, ad celsiorem gradum prouehuntur. Sicut enim plantæ, & arbores primùm quidem vt pullulent, & incipiãt esse, calorem solis & virtutem cœli percipiunt, postea verò robustiori virtute iuuantur, vt debitæ magnitudinis habeant incrementum: ita perfectio in principio minoribus auxiliis rigatur, ne impetita tentationibus exarescat, deinde verò maioribus adiutoriis fouetur, vt in immensum augeatur, & crescat. Si ergo eadem est ratio arbusculæ, atque iustitiæ, non dubium, quin sicut illa minoribus cœli influxibus exoritur, & maioribus roboratur (quod ipse maior effectus perspicuè indicat) ita & hæc minoribus gratiæ auxiliis incipit, & maioribus ac robustioribus adiutoriis vires perfectionis assumit: Apostoli námque simplici & submissa voce ad disciplinam Christi vocantur, dum illis dictum est: *Matt.4.* Venite post me, & faciam vos fieri piscatores hominum,] at non simplici voce sed sonitu vehemẽti, & ardẽtissimo igne ad huius *Actor.2.* disciplinæ perfectionem prouehuntur. Denique, & factus, inquit, est de cœlo sonus tamquam aduenientis spiritus vehementis, & repleuit totã domum, vbi erant sedentes. Et apparuerũt illis dispertitæ linguæ tamquam ignis, seditque supra singulos eorũ.] Idem omnino in aliis iustis cómuniter reperiemus, quòd scilicet minoribus gratiæ donis ad bonam vitam tracti sunt, at amplioribus, & insignioribus ad perfectionem vitæ bonæ perducti: Sicut enim (si rerum naturam spectes) facilius est vitam spiritualem inchoare, quàm eius perfectionem profiteri, & ad sublimitatẽ peruenire (ideóque bona vita multorum est, perfectio autem paucissimorum) ita spiritualis vita facilioribus auxiliis gratiæ inchoanda suscipitur, maioribus tamen continuatur, & multò maioribus sanctitas, & perfectio, quæ eius est finis, retinetur.

Sancti ergo, eo ipso quòd sancti sunt, maximis Dei auxiliis roborantur, tum vt sanctitatem adipiscantur, tum vt adeptam sanctitatem augeant, tum denique vt in ea perseuerent. Et prouidentiæ sol benigniùs eos aspicit, efficaciùs mouet, & copiosiùs illustrat, quos sapientiores efficit, sublimiores reddit, & *Psal.36.* secum arctioribus vinculis charitatis astringit. Nouit certè Dominus dies immaculatorum,] quia eos singulari dilectione approbat, & hæreditas eorũ, quam ipse prouidentia singulari conseruat, in æternũ erit.] Confirmat etiam iustos Dominus,] quia naturalem *Psal. 36.* eorum leuitatem non leuibus, imò grauissimis beneficiis onerat, vt eos perfectè sibi addictos in sanctitate *Ps.117.* stabiliat. Hanc ob causam dicit quoque cœtus eorum suum adiutorem laudans: Confitebor tibi Domine, quoniam exaudisti me, & factus es mihi in salutem.] Petunt enim illi hãc salutem magnã, quam facit Dominus in Israel, in his scilicet, qui contemplantur Deum. Et audit Dominus petitiones cordis eorum, suscipit vota, implet desideria, & fit illis *Thren.3.* vera & perfecta salus, quam non solùm damnatio non euertat, sed nec peccati infirmitas intercipiat. Experiuntur denique, quia bonus est Dominus sperãtibus in eum, animæ quærẽti illum.] Bonus, inquam, id est, benignus, qui in se sperantes non deserit, ab eũ quærentibus se non abscondit, sed dona maxima sua, imò & seipsum eisdem largiter, & profusè tribuit. Propter horum adiutorium, ac protectionem facit maximè illa magnalia, quæ Moyses in Deuteronomio commemorat. Hic enim populum Israeliticum *Deut.32.* corporeis oculis videns, sed perfectorum ordinem oculis spiritualibus cernens, hæc ait: Inuenit eum in terra deserta, in loco horroris, & vastæ solitudinis.] Quid enim peccato indigentius? quid propria volũtate horribilius? quid effrænato appetitu miserius? sed in hac inculta & misera solitudine, vna virgine excepta, quemnam sanctorum inuenit? at non despexit illum, neque vt morosus sacerdos, aut leuita præteriuit, *Luc. 10* sed vt benignus Samaritanus, id est, vt custos misericordia plenus, circumduxit eum, & docuit, & custodiuit, quasi pupillam oculi sui. Circumducit eum, qui ab exterioribus ad interiora, ne pereat, & ab interioribus ad exteriora, ne fragilis natura succumbat, iteratis vicibus ducit. Docet illum non solùm communia, sed singularia quoque, & arcana legis suæ, vt ea opere compleat, & consilia præceptis adiiciat. Custodit etiam virum perfectum, vt pupillam oculi sui, quam palpebræ, & cilia circundant, ne puluisculum affectionis immoderatæ sustineat. Dominus verò nondum hac eximia protectione *Deu. 32.* contentus, aliam non minorem adiecit. Nam sicut aquila prouocans ad volandum pullos suos, & super eos volitans, expandit alas suas, & assumpsit eum, atque portauit in humeris suis.] O magna benignitas Creatoris, aquilæ se comparat, quæ & pullos, quos ex intrepido solis aspectu filios agnoscit, rostro, & alis percutiens ad volandum excitat: & ipsis volantibus superuolitat, vt ex eminentiori loco omnia circumspiciat, & si aliquid periculi superuenerit, statim ad subueniendum occurrat: quòd si filios fatigatos aduertat, supponit se eis, quos super dorsum acceptos in nidulum suum vehit, vt à lassitudinis molestia custodiat. Ita dulcis Dominus, ac verus Pater sanctorum & perfectorum, eos, si paululum obdormiscant, abditissimis vocibus, & occultissimis sermonibus, qui solùm in corde sonant, ad nouos profectus, & nouas amoris adinuentiones prouocat: ipsósque operãtes præcedit, comitatur, atque subsequitur, ne errent, néve labantur, & ne à cœpto desistant: & seipso, qui summa veritas est, illos vndique velut scuto circundat: quòd si aliquid aduersi patiantur, *Psal.90.* statim adest, vt tristes consoletur, oppugnatos adiuuet, nutantes erigat, & fatigatos suæ potestatis humeris in altum attollat. Beatus es planè ô tu Israel, ô cœtus & congregatio sanctorum, quis similis tui *Deu. 33.* popule, qui saluaris in Domino? scutum auxilij tui, & gladius gloriæ tuæ: negabunt te inimici tui, & tu eorum colla calcabis.] Beatus inquam tu, qui fidelis inuentus, in statum amicissimorum admitteris, & in dignitatẽ filiorum proueheris. Nullus similis tui, quia nullus paria auxilia suscipit, nec æqualia subsidia recipit, ac tu, qui potentissimè saluaris in Domino. Ipse *Psal. 5.* est scutum auxilij tui, quoniam Deus est, qui benedicit iustos, & scuto bonæ voluntatis suæ coronat eos.] Ipse gladius gloriæ tuæ, quo hostes tuos percutias, atque prosternas: vt possis dicere: In te inimicos nostros ventilabimus cornu, & in nomine tuo sperne*Psal. 43.* mus insurgentes in nobis: Non enim in arcu meo sperabo, & gladius meus non saluabit me.] Negabunt te inimici tui, quia dæmones te aduersarium videntes odio prosequentur, & facto agmine in te irruent, sed tu non clypeo protectus, aut galea, sed diuina misericordia circundatus, eos videbis & vinces, & ipsorum colla calcabis. Qui ergo ista magna auxilia, quibus ad sanctitatem peruenitur, nobis nondum dari sentimus, feruidè & perseueranter postulemus ea, & auxiliis gratiæ nobis datis cooperemur. *Luc.16.* Qui enim fidelis est in minimo, vt ait Dominus, & in maiori fidelis est,] vt acceptis auxiliis minoribus maiora recipiat, & ex communi virtute ad perfectam & consummatam ascendat.

Quod

Quòd Deus fortissimè perfectos à malo retrahit.

CAPVT XXVIII.

SOLIS, non solùm proprium est corpora sibi subiecta fouere, & si vitæ capacia sint, vt viuant, & conseruentur, & augeantur, sua mirabili virtute iuuare, sed etiam noxia vitæ, & augmento, ac salubritati disiicere, & horridas tenebras lætitiæ contrarias dimouere. Diximus autem diuinam prouidentiam cum sole lucidissimo esse conferendam, quòd similes effectus in omnibus creaturis habeat, & præcipuè in viris sanctis, & perfectis efficiat. Non ergo quos ad virtutem capessendam potentissimè roborat, malis, & veris malis (qualia sunt peccata) subiacere permittet: sed ea à perfectorum cordibus fortissimè arcebit, eósque (vt decet sanctos) in sanctitate conseruabit, & puros, ac illibatos custodiet. Id quidem amabilis & benigna Dei prouidentia facit, & quos magis diligit, fortiùs & suauiùs à peccati malo defendit. In domo enim viri nobilis, aut principis alicuius duo personarum genera, filiorum scilicet, & seruorum inuenies, quorum etsi eadem sit communis habitatio, non tamē eadem est sors, nec idem erga eos principis amor, nec eadem cura educationis. Nam serui communioribus cibis, filij pretiosioribus nutriuntur, illi abiectioribus indumentis, isti splēdidioribus vestiuntur, seruis cura vrbanitatis, sed filiis multò maior, & exactior sollicitudo comitatis indicitur, & quos modicos defectulos pædagogus in seruis dissimulat, in filiis principis rigida censura castigat. Idem prorsus in magna Dei domo, id est, in Ecclesia, aut in religiosa familia est inuenire: in qua iustos imperfectos libenter seruos voco, quòd adhuc timore seruiant, & iustos perfectos, quòd amore famulentur, & Deo tota contentione mentis inhæreant, filios appello. Horum eadem est communis habitatio, eadem scilicet Ecclesia, eadémve religiosa familia, at non eadem sors, quia licèt omnes ob acceptam gratiam sint filij Dei, at ob disparem gratiæ mensuram, & ob timoris, amorísque discrimen, quoad legis custodiam incitantur: Illi magis videntur serui, isti potiùs videntur liberi. Omnes quidem princeps amat, sed non æqualiter, quòd & eorum inæqualis puritas, ac fidelitas poscit, & dispar cura educationis ostēdit. Seruos enim Dominus, id est, iustos imperfectos, pane communi bonarum actionum pascit, filios verò, hoc est, perfectos, pane mellito sanctissimæ actionis, & altissimæ contemplationis reficit: illos vestes virtutum ornant, sed quæ videntur ob vetustatem, aut ob imperfectionum maculas, quibus sæpè eas tepidi inficiunt, à filiis reiectæ; istos autem vestes recentes virtutum splendentes feruore, & lucentes munditiæ cura circundant. Et vt ad institutum veniamus, à seruis ea vrbanitas spiritualis poscitur, vt mandata seruent, & iussa, aut statua, aut prælati custodiant, à filiis verò maior vrbanitas & comitas postulatur, vt non solùm mandata, sed & consilia, sed & signa diuinæ voluntatis obseruent. Si illi in modicis errent, aut aliquando etiam in magnum erratum labantur, dissimulat herus, dum iter huius mortalitatis durat, donec ad domum iudicij, & discussionis veniat, quia serui sunt, & non ita amantur, vt statim omne malum propria eorum voluntate commissum, sit reprehensionis mulcta carpendum. At si filij in minimis peccent, statim conscientiæ increpatione mordentur, (qua sanctorum conscientia nihil est delicatius, atque tenerius) è vestigio diuina reprehensione castigantur, & interna mentis ariditate, & seueritate Domini, qua eis aliquantulum ianuam suæ familiaritatis occludit, sine vlla dilatione puniuntur. In illis enim præcipuè locum habet dictum Pauli: Quem diligit Dominus, castigat: Flagellat autem omnē filium, quem recipit. Et eiusdem Domini per Ioannem pronunciata sententia. Ego quos amo, arguo, & castigo. Et quidem æquum est, vt qui nimis amantur, absque mora ferulam sentiant, vt celeritate castigationis moniti, casum, aut errorem aduertant, & cautiores effecti minùs delinquant. *Heb. 12. Apoc. 3.*

Diximus simpliciter quid Deus cum perfectis faciat, & quod celeri castigatione eos à minimis etiam peccatis auertat, nondum tamen pro more nostro aliqua id sacrarum literarum sentētia, aut aliqua sanctorum Patrum auctoritate firmauimus; quæramus ergo aliquid huius generis, quo purè dictum confirmemus. In libro certè Psalmorum aliquid huic rei accommodatum reperiemus. Nam regius vates tres viros perfectos Moysem, Aaron, & Samuelem in medium producens, & de illis Dominum alloquens ait: Domine Deus noster, tu exaudiebas eos: Deus tu propitius fuisti eis, & vlciscens in omnes adinuētiones eorum. Eorum orationes exaudire, & vota suscipere magnæ benignitatis fuit, sed benignè ipsorum defectus punire, & minimas quasque imperfectiones castigare, misericordiæ singularis, quia hæc paterna castigatio non tantùm defectus purissimis Dei oculis displicentes diluebat, sed & ipsos efficaciores ad maiora consequenda, & audaciores ad pretiosa postulanda reddebat. Quæ autem erāt istæ adinuentiones, qui isti defectus, quos Dominus in viris perfectissimis, & sanctissimis vltione lauabat? Et quidem puto oculis nostris inuisibiles esse, qui penè cæci sumus, qui non nisi magna videmus, qui infideli trutina humana facta ponderamus, at diuinis luminibus visibiles erant, in quos diuina misericordia non irata, sed propitia vindicabat. Neque hoc à meipso dico, sed ab Augustino, qui hanc rem pulchra similitudine exponit. Nouerat, inquit, fortè in illis Deus aliquid, quod purgaret: quia & quod perfectum iam videtur hominibus, illius perfectioni adhuc imperfectum est. Pleraque faciunt artifices, & ostendunt imperitis, & cùm iam iudicauerint imperiti esse perfecta, expoliunt illa artifices, qui nouerunt adhuc, quid illis desit, vt mirentur homines tantam expolitionem rebus accidisse, quas iam perfectas pronunciauerunt. Fit hoc & in ædificiis, & in picturis, & in vestibus, & propè in omni genere artium. Primò iudicāt illud iam quasi perfectum esse, vt oculi eorum ampliùs nihil desiderent. Sed aliud iudicat oculus imperitus, aliud iudicat artificis regula. Sic & illi sancti versabantur ante oculos Dei, tamquam sine culpa, tamquam perfecti, tamquam angeli: nouerat autem quid illis deesset, qui vindicabat in omnes affectiones eorum. Vindicabat autem non irascens, sed propitius ad hoc vindicabat, vt perficeret cœptū non vt damnaret eiectum.] Licèt itaque isti tres viri perfecti fuerint, & nos illos perfectos iudicemus, tamen Deus (in cuius conspectu omnis nostra perfectio imperfectissima imperfectio est) aliquid in ipsis imperfectum vidit, quo zelo amoris impletus non tarda punitione castigauit. Vidit ille, & vt nos discere mus, & filiali timore delinquere trepidaremus, in paginis sacris exposuit. Nam Moyses & Aaron virga silicem percussuri, vt ex eo aquam elicerent, aliquantulum de effectu titubarunt, quare bis petra ferienda fuit, cui (si fides affuisset) vnus dūtaxat ictus abundè *Psal. 98.* *August. in Ps. 98*

Num.20. suffecerat. Mox verò astitit propera & benigna castigatio; & ipsi suæ infidelitatis sententiam audiunt. Quia non credidistis mihi, vt sanctificaretis me corã filiis Israël, non introducetis hos populos in terram, quam dabo eis.] Ecce sententiam, quæ profectò non fuit comminatio, sed irremissibilis eorum punitio. *Num.20.* Paulò enim pòst dixit Dominus Mosi: Pergat Aaron ad populos suos, non enim intrabit terram, quam dedi filiis Israël, eo quòd incredulus fuerit ori meo ad aquas contradictionis, & mortuus est in montis supercilio.] Et posteà Moysi, visa terra sibi promissa, *Deut.34.* loquutus est Dominus: Vidisti eam oculis tuis, & non transibis ad illam. Mortuúsque est ibi, scilicet in mõte Nebo Moyses seruus Domini.] Fuit sanè istorum duorum perfectorum propera castigatio, ne iterum incredulitate peccarent; & benigna, quia temporalis, ne in perpetuum suo dilecto carerent. At quod peccatum Samuelis nobis explicatum est? Certè nullum, quia non tam grauiter, ac duo præfati deliquit. Sed mundissimi Dei oculi aliquid in eo *August. in Ps. 98.* repererunt, licèt leue, quod (vt Augustinus ait) contradictione populorum castigaret. Ille quippe iustus, qui annis quadraginta Israëliticam plebem sapientissimè rexit, & sanctissimè gubernauit, quo tempore in maiori pretio habendus esset, à subditis, quos *1. Reg. 8.* æquissimus iudex rexerat, quos fidelissimus Pater amauerat, iniuriosè reiectus est. Constitue, inquiunt, nobis regem, qui iudicet nos, sicut & vniuersæ habent nationes.] Ac si dixissent: Nolumus te ampliùs regnare super nos, elige nobis alium meliorem, cui libenter pareamus. Vlus est itaque Dominus in adinuentiones, siue in minùs ordinatas affectiones perfectorum istorum, tum vt illos ab iteratione peccatorum abduceret (quod magnæ fuit misericordiæ) tum vt iam admissa castigaret. Nec deest nobis alius perfectus in diuinis literis, quem his tribus prædictis superaddamus. Est autem ille ipse, qui eorum mentionem fecit, nempe sanctus Dauid. Is quippe, cùm arrogantia, & inani gloria ductus, populum numerasset, statim propria conscientia (quam in sanctis diximus esse tenerrimam) mulctatus est. Pro*2. Reg. 24.* cumbénsque ad pedes Domini ait: Peccaui valde in hoc facto; sed precor Domine, vt transferas iniquitatem serui tui, quia stultè egi nimis.] Vide primam huius peccati vltionem à propria conscientia decretam. Sed statim alia, & quidem grauis à Domino inflicta subsequitur. Nam Dauidi optio datur, vt eligat, num malit septem annis suum regnum fame confici, an tribus mensibus suos aduersarios fugere, an tribus diebus pestilentia fatigari. Retrahit ergo Dominus à malis viros perfectos, castigatione defectuum suorum benigna, atque præcipiti; benigna, quoniam eos amat, & ideo eos mitissimè, id est temporaliter, ferit; & celeri, quoniam pro eorum puritate diligentissimè zelat. Si Dominus quidem peccatores puniat, & nequaquam in suis peccatis diu manere per*2. Mach. 6.* mittat, magnam erga illos misericordiam exercet. Vnde in libro Machabæorum legimus: Etenim multo tempore non sinere peccatoribus ex sententia agere, sed statim vltiones adhibere, magni beneficij est indicium.] Quantò maior erit hæc misericordia erga iustos, & præcipuè erga viros perfectos, quorum partas diuitias hac ratione custodit, & ne amittant, quod multis laboribus compararunt, prouidentissima increpatione, & opportuna vltione procurat? Si enim maius beneficium est, diuitẽ & nobilem, quàm pauperem, & infimæ sortis hominem à graui infamia liberare: cumulatius quoque erit donum, virum sanctum, si deficiat, quàm peccatorẽ percutere, & à peccato, & con digna peccati retributione dimouere.

A Hoc autem magnum beneficium, quo Deus viros perfectos, ne ampliùs cadant, citissima reprehensione, & punitione castigat, non solùm in sanctos veteris testamenti contulit, sed sæpissimè perfectis nouæ legis attribuit. Qui enim cum viris spiritualibus, & suam puritatem cupientibus conuersatus est, non ignorabit, quanto ipsi pro leuissimis imperfectionibus cruciatu mentis angantur, quantis lacrymis, & singultibus eas defleant, quanta suiipsorum humilitate, & deiectione emendent, & quantis corporis asperitatibus, & afflictionibus puniant. Non quia putent eas letales aut graues esse, qui homines sunt sapientissimi, sed quia magnam ingratitudinem putant, pro singularibus beneficiis acceptis imper- B fectiones offerre, & tantum Dei erga ipsos amorem tepore, & obliuione persoluere. Hæc quidem non solùm satisfactiones iustorum pro delictis suis, sed & dona, & reprehensiones Dei sunt, qui ipsis tamquam administris, & certè fidelissimis vtitur, vt in ipsosmet leues culpas vindicet, & non aliena, sed ipsorum manu castiget. Nónne in familiis religiosis est consuetudine receptum, vt prælatus subditum delinquentem ipsius delinquentis manu puniat, & ei vt ieiunet, vel vt seipsum flagellet, vel humi sedens comedat, vel aliquid simile sustinendum præcipiat? Ita Dominus, qui cum perfectis, quasi cum dilectis filiis agit, eorum errata non aliena, sed propria ipsorum manu punit, dum eos ad compunctionem, & lacrymas, & ad opera satisfactionis mouet. C Hinc Thomas sanctissimus Cantuariensis Archiepiscopus, cùm Henrico Angelorum Regi, in quibusdam Ecclesiasticæ libertati contrariis assensum verbo tenus, bonáque intentione præbuisset, tanta indignatione in seipsum efferbuit, vt se à ministerio sacri altaris suspenderit, donec Alexander tertius Pontifex maximus, eum humiliter abstinentem viuifico ministerio restituerit. Hinc beatus Martinus Turonensis Episcopus, cùm communiori hæreticorum Episcoporum se miscuisset, vt quosdam viros nobiles à morte illis imminente liberaret, & Maximum Imperatorem, qui in eos capitis sententiam tulerat, aliqua ratione placaret, statim pœnitentia ductus indoluit, & velut alter Petrus, inde se proripuit, vnde sibi occasio delinquendi prouenerat. Eum etiam Angelus à Domino missus vehementer increpuit. Me- D ritò, dixit, Martine compungeris, sed aliter exire nequisti: repara virtutem, resume constantiam, ne iam non periculum gloriæ, sed salutis incurras. Hanc increpationem alia pœna subsequitur, nam energumenos, quibus anteà incredibili facilitate medebatur, post istam communionem, quam non spiritu, sed necessitate compulsus admisit, tardiùs & gratia minore curabat, ipso attestante se propter communionis illius malum, detrimentum sentire virtutis. Hinc alius quidam Anachoreta, cùm à culice morsus nonnulla indignatione illum digito interemisset, tanta indignationis huius pœna tactus est, vt seipsum nudum in sterquilinium culicibus coopertum abie- E cerit, nudúsque ibi, & immobilis manserit, quovsque culices penè omnes eius carnes exederint. Redeamus nunc ad suprà dicta, & tantisper philosophemur. Numquid in Israëlitico populo non erant impurissimi homines, & perditissimi, qui grauiùs quàm Moyses & Aaron Deum ipsorum ductorem offenderant? quare amicos pro errato, primo aspectu non graui, ita punit, & crimina iniquorum dissimulat? Numquid inter iudices, & gubernatores populorum, non fuerunt alij, qui Samuelem in minimis tantùm errantem, peccatis vincerent, & grauissimè delinquentes malitia superarent? quare istum po- *Suri. To. 6. in vita.* *Sulpitius in vita.*

puli

puli contradictione,& despectione mulctat, & nequaquam in hac vita illorum, qui diligunt munera, sequuntur retributiones, flagitia castigat? Numquid non fuerunt in Ecclesia Archiepiscopi, qui magis obedierunt regibus,quàm Deo, & vt illorum impia iussa capesserent,diuinis legibus renunciarunt?Nónne fuerunt in Christi congregatione prælati, qui non solùm communioni se hæreticorum miscuerunt,sed & in hæreses impiissimas sunt prolapsi? Nónne fuerunt in cœtu fidelium homines, qui non sanguinem culicum,sed sanguinem hominum profuderunt, & innocentes huius lucis vsura priuarunt? Quare Deus istos statim pœnitentia,& dolore non tangit, & vt, qui nocent,noceant adhuc; & qui in sordibus sunt, sordescant adhuc,] in suis peccatis quasi in volutabro luti iacere permittit? Viros autem perfectos, qui aut solùm in minimis cadunt, aut si in aliquo nõ minimo præ infirmitate cadunt,statim reprehendit, è vestigio punit, & sine mora temporali molestia castigat? Id quidem facit Dominus,quia illos contemnit,istos maximi facit,quia illos auersatur, istos diligit: quia illos,nisi resipiscant,æternis ignibus est puniturus; istos verò,quos temporaliter punit, æterna mercede est præmiaturus. Id quidem facit,vt properra increpatione,& celeri vltione, quod sibi ingratum est,statim in illis adurat, & à similibus malis amoueat. Cùm ceciderit iustus,inquit Sanctus Dauid, nõ collidetur, quia Dominus supponit manum suam.] Impius colliditur, quia Dominus iustissimè iratus manum benignæ correctionis non ponit, & ideo quasi dilaceratus iniquitati adhæret, & in peccato persistit. Iustus verò non colliditur,quoniam mollissima manu diuinæ increpationis susceptus, mox in pristinum statum erigitur. Homines,ait Bernardus, aliquando cadere necesse est, dum in hoc sæculo detinentur,sed alij colliduntur,alij non,quia Dominus supponit manum suam.Sed quomodo eos discernere poterimus,vt segregemus iuxta Domini exẽplum agnos ab hœdis,iustos ab iniustis? Nam & iustus septies in die cadit.] Verùm hoc interest inter eorum casus,quòd iustus suscipitur à Domino: ideóque resurgit fortior:iniustus autem cùm ceciderit, non adiiciet vltra vt resurgat :imò verò aut in pudorem noxium, aut in impudentiam cadit.Aut enim excusat, quod fecit,& hic est pudor adducens peccatum: aut fit ei frons meretricis, & iam nec Deum timet, nec hominem reueretur,sed prædicat peccatum suum sicut Sodoma. Iustus verò supra manum Domini cadit,& miro quodam modo etiam ipsum ei peccatum in iustitiam cooperatur. Scimus enim quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonũ.] Nónne cooperatur nobis ille casus in bonum, vnde & humiliores efficimur,& cautiores? Nónne Dominus cadentem illum suscipit, qui ab humilitate suscipitur?] Hac itaque ratione misericors Deus,viros perfectos à peccatis auocat, dum scilicet illos, aut increpat, aut punit, aut saltem postquam ceciderint, ne iterum cadant, efficaci admonitione custodit. Cui par est nos obedire, si nolumus tantæ misericordiæ contraire. Ad quod Saluator nos hortatur dicens: Esto consentiens aduersario tuo, dum es in via cum illo:] Quis enim est hic aduersarius,nisi ipse Dominus? se aduersarium vocans, quòd aduersetur carnalibus desideriis nostris, vt idem Bernardus annotauit,dum dicit:Hi errant corde. Huic aduersario peccatorum nostrorum,sed fidelissimo amico nostro cõsentiamus, dum nos arguit, dum nos flagello à peccatis abducit, vt quotidie,si non omnimodam puritatem, quæ cælesti regno reseruatur, saltem maiorẽ in dies puritatem acquiramus.

Isaie 1. *Apoc. 22.* *Psal. 36.* *Bern. ser. 2. in Psal. Qui habitat.* *Prou. 24.* *Rom. 8.* *Matt. 5.* *Bern. ser. 85. in Cant.*

A Ita quidem Dominus perfectos, si aliquando ceciderint, à peccato retrahit,sed antequam cadãt,alio modo,& certè mirabili à peccatis abducit. Nam eorum mentibus clarissimam cognitionem peccatorum, & tentationum, & periculorum spiritualium immittit,vt videntes præcipitium, fugiant, & se ab omni lapsu submoueant.Qui tepidè & segniter Domino famulantur, sæpè grauia peccata non esse grauia, sed leuia putant,leuia quasi nullius momenti despiciunt, & se illis inquinari non verentur, decipulas dæmonum,scilicet tentationes,ignorant,& inter labẽdi pericula,securi dormiunt, & sine vlla formidine, aut vana præsumptione pleni,aut nulla eorum cognitione perculsi læti in ea se coniiciunt. At perfecti,& viri spirituales, qui diligenter suæ saluti cõ-
B sulunt, à Domino edocti, peccata grauia,eminùs se ostentantia, nimis exhorrent, imperfectiones leues, quas grande tepiditatis malum animæ afferre sciunt, valdè timent: tentationes etiam sub virtutis specie insurgentes callent, pericula etiam minima, aut inquietudinis, aut fœditatis aduertunt, & ab iis, quæ suæ puritati aduersa cognoscunt,sollicitudine se diligenti custodiunt.Peccata profectò grauia sicut mortem horrent, quia non speculatione tantùm, sed sapida quadam, & efficacissima notione ea esse mortem animæ vident,& horribiliorem morte corporis esse perpendunt. Ista enim mors, ait Gregorius, in qua caro separatur ab anima,vmbra illius mortis est, in qua anima separatur à Deo. Et ex timore,quo corpus mortis vmbram timet, quanto timore anima
C mortis veritatem,id est,graue peccatum, timere debeat,addiscit.] Leuia peccata, & imperfectiones fugiunt,quia experimento norunt,quod feruorem charitatis extingunt.Quare, vt inquit Isidorus, peccata, quæ incipientibus leuia sunt, perfectis viris grauia reputantur,non quia ipsi, vt præfati sumus, grauia æstiment,sed quia graue tepiditatis malum ex leuibus peccatis exortum pertimescunt. Tentationes etiam speciem boni præferentes abiiciunt, quia sub esca,statim diaboli hamum introspiciunt.Non ignorant quòd plerumque plus periculi est in insidiatore occulto,vt dixit Leo Papa,quàm in hoste manifesto, quare & hosti manifestè tentãti, & insidiatori in obscuro sagittas mittenti,se prudenter opponũt. A pe-
D riculis tandem se subtrahunt.Sciunt enim,quoniam qui amat periculum, in illo peribit.] Et docente humilitate se infirmos,& fragiles reputant, & vt fragiles nullo modo temerè se periculis committunt, sed ab illis seipsos abscondunt.Vniuersa hæc,magna rerum,& occasionum cognitio à Deo sanctis concessa perficit,& dum verum malum scilicet peccatum,detegit, ab eo grauiter fugiendum esse decernit. Hac perfecti illustrati cognoscunt cũcta terrena, & ipsam temporalem vitam non esse cum animi puritate conferendam, & vt hanc custodiant terrenam substantiam, commoda, honores, dignitates profundunt, & corporis salutem, & vitam ipsam periculo exponunt.In quo sanè prudentissimi sunt, quoniam imitatores Dei in hoc se exhibent,qui interdum, si necesse sit, omne caducum in nobis percutit, vt quod
E æternum est,sanet. Optimè namque Bernardus ait: Hæc nimirum commendata à Christo,& Christianis omnibus imitanda serpentis prudentia est, vt caput solum,toto (si necesse fuerit) exposito corpore tueatur. Hæc vera Philosophia, hoc consilium sapiẽtis, vt omni custodia seruetur cor, quia ex ipso vita procedit.] Hæc denique gratia, & misericordia Dei in seruos eius, & respectus in electos illius, vt eorum quidem sinistram velut dissimulans, dexteræ semper studiosus protector assistat. Hinc est,quod de

Greg. 11. mor. c. 10 *Isidor. lib. 2. de sum. bono. c. 10.* *Leo ser. 9. Quadra.* *Eccl. 3.* *Bern. ser. 7. in Psal. Qui habitat.* *Prou. 4.*

seipso

Psal.15. seipso Propheta testatur: Prouidebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam à dextris est mihi, ne commouear.] Numquid non & illius manum dexteram, & solam eam dexteram putas tenuisse, cuius totam in facultatem pariter, & in carnem, licere *Iob.2.* passus est, quicquid liberè visum est inimico? Verum tamen animam, inquit, eius serua.] Vtinā mihi semper à dextris sis Iesu bone, vtinā semper teneas manum dexteram meam. Scio enim, & certus sum, quoniam nulla nocebit aduersitas, si nulla dominetur iniquitas. Tondeatur interim, & tundatur sinistrum latus, pulsetur iniuriis, vellicetur opprobriis: libens illud expono, dum à te custodiar, dummodo sis ipse protectio mea super manum dexteram meam:] Hæc huius perfecti sententia, hæc eius petitio est, non tamen solius, sed omnium perfectorum, qui sapientissima cognitione nobilitati, quod summis conatibus fugiendum est, fugiunt, & minora mala, nempe temporalia tolerant, vt in maiora, scilicet in mentis mala non incurrant.

At cognitio mali ad fugiendum malum non sufficit, quia sæpè malum cognoscimus, & quoniam illud aut vtile, aut delectabile apprehendimus, hac falsa boni specie decepti nō vitamus. Datur itaque perfectis à Domino robur, & fortitudo, qua, quid malum iudicant, prudenter vitant, & procul à seipsis amandant. Si enim illum Deus iuuat, vt inquit Ambrosius, *Ambro. in 1. ad Cor.7.* quem videt tota virtute contendere, quomodò non iuuabit viros perfectos, vt malis abstineant, quos videt (se donante) omni conatu pro virtute contendere, & gratiæ sibi datæ cooperari?] Ipse quidem eos firmat, eos roborat, eos omne peccatum fugientes suscipit, & vt infantulos in gremio suę protectionis abscondit, ne in peccatum offendant, & quod valde timent, illis eueniat. Impulsus, ait sanctus *Psal.117.* Dauid, euersus sum, vt caderem, & Dominus suscepit me. Impellit me Diabolus, dum sub prætextu virtutis noxia suadet, & Dominus suscipit me, robur ad resistendum donans, quo diabolum fugo, & longè à *Iacob.4.* meipso proiicio. Scriptum est enim: Resistite diabolo, & fugiet à vobis.] Impellit me mundus, qui in maligno positus, dum honores & dignitates offert, suos amicos euertit; at Dominus suscipit me, cuius virtute protectus iniquam amicitiam dissoluo, ne in Dei inimicitiam incurram. Nam quicumque *Iacob.4.* voluerit amicus esse sæculi huius, inimicus Dei constituitur.] Impellit me caro, dum malè dulcia, & amarè suauia proponit. At Dominus me non derelinquit, vt carnem proterens, & meipsum conculcans, præ*Prou.16.*clarissimum victoris nomen obtineam. Nam melior est qui dominatur animo suo, expugnatore vrbium.] *Psal.90.* Si Dominus me roborat, vt hostes meos, ad peccata impellentes vincam, & ipsa peccata commissa deleā, & à committendis me liberem, dicam illi non solùm doctor meus es tu; sed & susceptor meus es tu, & refugiū meum, Deus meus, sperabo in eū.] Susceptor quidem meus, quoniam sollicitissimam mei curam gerit, & refugium meum, quoniam me protectione sua peccatis eripit, in quo se, & Deū, & creatorem ostendit. Solus enim Deus potens est figmentum liberi arbitrij sine eius læsione, à peccatis auellere, & creaturam de se in malum labentem à malo liberare. Triplici ergo ratione Dominus perfectos suos à peccatis auocat. Primò, docendo eos peccatorum fœditatem, & eorum malitiam, vt ea se inquinati timeant; & summam bonitatem, vt erga illā charitatis feruorem amittere pertimescant. Secundò, roborando illos, vt animæ hostibus resistant, & nulla fallaci boni specie decepti iter virtutis deserant. Tertiò, si aliquando ceciderint, eos statim reprehendendo & castigando, vt cita reprehensio verecundiam & timorem ingerat, ac propera castigatio ab iteratione peccatorum auertat. Hæc beneficia sæpissimè accipiunt, hæc dona in se vident; quorum consideratione in amore & feruore quotidie crescunt, & ad maiorem Dei vnionem aspirant, à quo *Psal.114.* solo se liberari comperiunt. Dicitque quisque eorū sibiipsi illud Dauidis; Conuertere anima mea in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi. Quia eripuit animam meam de morte, oculos meos à lacrymis, pedes meos à lapsu.] Ne inquam, anima mea auertaris à requie tua, qui Deus est, sed magis in illū intellectu & affectu conuertere, quia ipse est fons omnium bonorū, qui omnia bona quæ habes, reddidit tibi: Ipse est, qui animam meam eripuit à morte grauis peccati; quo pacto enim potest anima immortalis mori, nisi quia illa, quæ secundùm naturam perseuerat, per peccatum à Deo vera vita se separat? Ipse etiam est, qui pedes affectuum meorum eripuit à multiplici leuium peccatorum lapsu. Quòd si non ab omni prorsus lapsu exempti sumus, quia infirmitas carnis id non sustinet, veniet tamen tempus immortalitatis, in quo ab omni lapsu liberabit. Tunc *Aug.ibid.* autem (vt ait Augustinus) eximet oculos nostros à lacrymis, quia tunc nullus erit lapsus ambulantium pedum, quando infirmæ carnis nullū erit lubricum.] Vtinam magna puritate, & vitæ sanctitate viuamus, quia in præmium illius hunc felicissimum statum, à quo omnino peccatum abest, aliquando tandem possidebimus.

Quòd Deus suauissimè perfectos à tribulationibus liberat.

CAPVT XXIX.

NOnnihil adhuc superest, quod de proposito simili solis, & prouidentiæ dicamus, in quo aliud perfectorum bonum, & aliud erga illos Dei beneficium elucet. Illud autem est, quod sicut sol corpora sibi subiecta, luce, & calore, malis maioribus & minoribus liberat; ita suauissima prouidentia Dei à sanctis, & dilectis suis, non tātùm maiora mala, verùm minora quoque depellit. Sol quidem, dum in rebus corruptioni obnoxiis, vitæ, & salutis est causa, maiora mala mortis, & infirmitatis submouet, quæ consueuerunt terrigenis afferre perniciem: & dum est caloris, & claritatis origo, minora pellit mala frigoris, ac tenebrarum, quæ & corpus eneruant, & rerum pulcherrimarū aspectu, & admiratione nos priuant. Sic diuina prouidentia sole largior, & in nos omni re creata profusior, nequaquam sanctos suos solis maioribus malis, sed etiam minoribus liberat, vt ex ea vniuersa bona tam maiora quàm minora percipiant. Maiora mala voco peccata, quæ Deo displicent, rationi rectæ contradicunt, & animæ, selectiori parti hominis nocent: minora verò mala appello tribulationes & molestias huius vitæ, quæ nec Deo, in nobis nostrum spirituale emolumentū quærenti inuisæ sunt, neque eas pati rationi rectæ est cōtrariū, & licèt corpus affligant, nobis tamen patienter sustinentibus minimè officiunt. Liberat ergo Dominus viros perfectos à maioribus, & veris malis, quia eos (vt præfati sumus) diligentissimè à peccatis retrahit: liberat etiam à malis minoribus, qui ab illis suauissimè tribulationes & molestias auertit. Idque sanctus Dauid manifestè declarat, cùm viro iusto dicit: Non *Psal.90.* accedet ad te malum, & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo. Loquitur apertè cum viro

iusto,

Psal. 90. iusto, & maximè cum viro perfecto: cum illo scilicet, qui habitat in adiutorio Altissimi, & in protectione Dei cœli commorabitur.] Hic verò perfectus est, qui nec de diuina bonitate diffidit, dicens *Ierem. 2.* illud Ieremiæ: Desperaui nequaquam faciam (quod præcipit Deus) adamaui quippe alienos, & post eos *Psal. 48.* ambulabo.] Nec in seipso confidit, aut in virtute sua, & in multitudine diuitiarum suarum] Nec in hominibus fiduciam suam collocat, cùm scriptum sit: *Iere. 17.* Maledictus homo, qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum.] Sperat autem in adiutorio Altissimi, quem assequi desiderat, quẽ offendere timet, cuius gratiæ nititur cooperari. Loquitur, inquã, Dauid cum perfecto viro qui inter se, & tabernaculum suum, nempe corpus suum, magnum discrimen constituit, & animam, aut seipsum, aut præcipuam sui partem cogitat; corpus verò mentis domicilium *Bern. ser. 11. in Ps. Qui habitat.* existimat. Quod Bernardus hac luculentissima oratione confirmat: Sanè considera non ad hominem, qui secundum carnem viuit, sed ad eum, qui in carne degens, secundùm spiritum ambulat, hâc fieri promissionem. Siquidem non est distinguere, inter illum, & tabernaculum illius, confusa in eo sunt omnia, tamquam in filio Babylonis. Denique huiusmodi homo etiam caro est, neque in eo spiritus manet. Vbi autem non fuerit spiritus bonus, quando deerit malum? Porrò vbi malum, flagellum quoque appropinquet necesse est.] Huic igitur viro iusto, atq; perfecto dicit: Non accedet ad te malum, & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.] Id est malum peccati non nocebit tibi, à quo tamquam à facie colubri è vestigio diffugies: & tribulationis flagellum tabernaculo corporis tui non appropiabit, à quo mirabiliter liberaberis.

Facit ergo Dominus, vt sanctos & perfectos viros tribulationes non tangant, non quia non tribulantur, sed quia tribulationibus non opprimuntur, nec molestiis huius exilij turbentur. Habent illi quidem tribulationes & pressuras suas, quæ corpus feriunt, quę carnem percutiũt, quæ, quod est mortale & caducum *Iacob. 1.* dilacerant. Beatus enim vir, qui suffert tentationem, quoniam cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se.] Et, dedi- *Psal. 43.* sti nos tamquam oues escarum, & in gẽtibus dispersisti nos.] Ac rursus: Propter te mortificamur tota die: æstimati sumus sicut oues occisionis.] Perfecti quo- *Matt. 6.* que simul cum aliis petunt: Ne nos inducas in tentationem,] qua oratione nullatenus petunt, vt non tentẽtur, sed à tentationibus irruẽtibus liberẽtur. Do- *Zach. 13.* minus etiam per Zachariam ait: Et ducam tertiam partem, id est, iustos, per ignem, & vram eos, sicut vritur argentum, & probabo eos, sicut probatur aurum.] Meritò autem Dominus sanctis, & electis suis *Chrysost. hom. 1. in Psal. 1. & hom. 62. ad populum.* tribulationes immittit, quoniam (vt affirmat Chrysostomus) tribulatio omnium virtutum est mater, ac filiorum pædagogus, nec debuerunt illi, qui præ omnibus diliguntur, matre priuari, à qua nutriantur, nec pedagogo, cuius industria doceantur, & nõ solũ magnis vitiis, sed etiã minimis defectib. liberẽtur. Illi sanè antequã sanctam conuersationem arriperent, fortassis in grauia sunt peccata prolapsi, & post conuersionem suam modicos defectus, & leuia peccata patrare non cessant, ad quæ ipsa carnis fragilitate propemodum impelluntur, tribulationes verò, præterita crimina, & præsentia peccata non sine suauissima Dei dispensatione castigant. Quod videmus in mendico *Luc. 16.* Lazaro, recepit enim ille mala; id est, labores & corporis dolores, ac plagas in vita sua, vt castigatis & purgatis defectibus suis cõsolationem diuiti epuloni negatam acciperet. Nonnumquam etiam vitiorum

A fallaci suauitate perfecti tentantur, & rerum temporalium curis, velut sirenarum cantu præpediuntur, ne nouos faciant in virtute progressus, & tribulationis flagello à vitiis arcentur, à rerum labentium amore reuelluntur, & ad currendum in via spiritus incitan- *Psal. 15.* tur: Nam multiplicatæ sunt infirmitates eorũ postea accelerauerunt.] Indigent illi continuo augmẽto diuinæ lucis, qua & perfectiùs cœlestiũ maiestatem agnoscant, & terrestriũ vtilitatem percipiant: hanc verò lucẽ percussis tribulationibus auget, & cor quasi lapidem feriens, scintilla ignis lucentis educit. Nónne Tobias felle piscis super oculos suos imposito, cæ- *Tobiæ 11.* citatẽ ablegauit, & visum recepit? ita dum oculos iustorum Dominus felle tribulationis illinit, visum illis nõ corporis, sed mẽtis restituit. Perfecti sunt: fateor, B ea perfectione imperfecta, quæ cum huius vitæ puerilitate non pugnat, at possunt magis perfici, & magis in virtute proficere; eos autem dolor perficit, & tribulatio infesta purificat. Quoniam in igne probatur, *Eccl. 1.* hoc est, purificatur, aurũ & argentũ: homines verò acceptabiles in camino humiliationis.] Nihil illis optabilius est, quàm aliquod experimentum suæ habere virtutis, quo coniectentur, an Deo placeant, an verò sub ouina pelle sint lupi, & ei, qui scrutatur corda, displiceant. Nec vult Deus sanctos suos hoc virtutis experimento carere, quod tribulatio æquanimiter ac- *Gene. 22.* ceptata suppeditat. Quare à Domino dictũ est Abrahæ: Nunc cognoui, id est, cognoscere te feci, quòd timeas Dominum, & quòd tãta est fidelitas tua, vt non peperceris filio tuo propter me.] Perfecti tribulati C vniuersas virtutes exercent, & veluti nauis prospero vẽto, sic illi aura afflictionis impulsi pelagus vitæ spiritualis enauigant, & itinera studiosarũ actionũ conficiunt. Afflicti nouum robur acquirunt, vt aduersarios sanctitatis euertant, sicut milites, qui vno hoste superato, reliquos animosiùs aggrediuntur, & faciliùs sibi subiiciunt. Percutit illos Dominus, sed in carne percutit; vt immanis fera onere tribulationis edomita, nec in hominem interiorem rebellet, nec illum à sua dignitate deiiciat.

Hæc quidem ad astruendã vtilitatem tribulationis *Chrysost. hom. 1. ad populum.* abundè sufficerent. Sed sanctus Pater Chrysostomus alias est causas meditatus, & sanè verissimas propter quas Deus perfectos affligit. Has ille latissimè exposuit, & stylus noster, ne prolixi simus, ad pauca verba D restringet. Tribulat Dominus viros perfectos primò quidem, ne ex meritis extollantur, & de adepta sanctitate superbiant. Ideóque vnus illorum ait: Bonum *Psa. 118.* mihi, quia humiliasti me, vt discas iustificationes tuas. Et alius; Ne magnitudo reuelationũ extollat me, da- *2. Cor. 12.* tus est mihi stimulus carnis meæ, Angelus Satanæ, qui me colaphizet.] Deinde, ne alij homines, si vidissent sanctos omnibus flagellis exẽptos, maiorẽ quàm *Act. 28.* par est de ipsis opinionem conciperent. Nam & barbari Melitenses aspicientes viperam de manu Pauli pendentem, eũ homicidam putauerunt, quẽ Lycaonij, conspecto miraculo, Deum existimarũt. Signũ ergo naturæ humanæ imbecillitatẽ texit, quã afflictio propalauit. Præterea in his sanctorũ tribulationibus mirificè Dei virtus apparet, dũ per ægrotantes, & cõpeditos & principibus sæculi inuisos vniuersũ mun- E dum exuperat, & doctrinam Euangelij in cordibus peccatorum seminat, & virtutẽ adauget. Quod Do- *2. Cor. 12.* minus indicauit; dicens Paulo: Quoniã virtus in infirmitate perficitur:] id est, mea virtus atque potentia in tua infirmitate & vilitate, perfecta ostenditur. Ingens námque est roboris & potestatis indiciũ, ducẽ, nouis & infirmis militibus, veteranos, & fortes milites aduersarij superare. Rursus in his sanctorum molestiis, tum eorum patientia, tum perfectus erga Deũ

amor elucet; patientia, quia mala irruentia non tristes non indignabundi, sed alacres, & mãsueti sustinent. amor verò perfectus, quia non propter mercedem seruire, sed propter ipsius Dei bonitatem famulari, se iactant. Atque adeo, si diabolus dixerit: Nũquid Iob frustrà timet Deum? & absque mercede est vir simplex, & rectus & timens Deum, & recedẽs à malo?] Respondeat Iob: Etiamsi occiderit me, in ipso sperabo.] Iterum Dominus, qui omnium est prouidus Pater, his iustorum aduersitatibus, peccatores, & nihil nisi visibilia sapientes, ad cogitandũ resurrectionem exsuscitet, dũ aspiciunt illos in vita præsenti nequaquam rectè gestorum præmium accipere. In quo vidět illud impleri: Beati estis, cùm maledixerint vobis homines, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduersum vos, mentientes propter me: gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis.] Ad hæc, eisdem infirmis hominibus cõsulit Deus in sanctorum malis vt si in grauia, & calamitosa inciderint, consolationẽ habeant. Vnde Iacobus ait: Exemplum accipite fratres laboris, & patientiæ, prophetas: qui locuti sunt in nomine Domini Ecce beatificamus eos, qui sustinuerunt. Suffetentiam Iob audistis, & finem Domini vidistis.] Item sancti in labores coniiciuntur, atque pericula; vt cùm alios ad ipsorum imitationem exhortamur, sciant se non ad Angelorum, sed ad hominum fragilium imitationem hortari, qui cum Apostolo dicunt: Vsque in hanc horam, & esurimus, & sitimus, & nudi sumus, & colaphis cædimur, & instabiles sumus, & laboramus operãtes manibus nostris. Maledicimur, & benedicimus: persecutionẽ patimur; & sustinemus: blasphemamur, & obsecramus tãquã purgamenta huius mundi facti sumus omnium peripsema vsque adhuc.] Hos peccatoribus in exemplum proponimus, qui non alterius naturæ, sed alterius virtutis fuerunt, & in mediis flagellis innocentiam cõseruarunt. Insuper ex sanctorum molestiis discimus, quos miseros & quos beatos putare debeamus. Stulti namque beatum dixerunt populum, cui prosperitas arridet, cui temporalia suppetunt: at nos (& non desipimus) beatum existimamus populum cum Dauide, cuius Dominus Deus eius,] licèt aduersa patitur, & calamitosa sustineat. Tãdem, perfectos tribulationibus impetit Deus, vt illis pulchriora immortalitatis serta componat, & ob maiora merita, etiam cumulum præmiorum adaugeat: quia non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.]

Iob 1. *Iob 13.* *Matt. 5.* *Iacob. 5.* *1. Cor. 4.* *Psal. 143.* *Rom. 8.*

Tribulantur igitur, & flagellantur, quia ita oportet omnino, viri perfecti, sed simul à flagellis & tribulationibus liberantur: adeò, vt verissimè in illos quadret versiculus suprà dictus: Et flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.] Sed quonam modo si perfecti tribulationes patiuntur, flagellum tabernaculis, hoc est, corporibus ipsorum, non appropiat, quæ liuida ictibus, & lacerata flagellis existunt? Id sanè Scripturæ clamant, quibus inconcussa fides habenda est: illis autem reuerenter auditis, & simpliciter creditis, modum, quo verũ sit, quod dicunt, humilis cõsideratio propalabit. Dominus quidem sanctos à flagello defendit, & ne tribulationes illos tangant manifestè iubet. Nolite tangere Christos meos, inquit, & in prophetis meis nolite malignari;] Christos suos oleo abundantis gratiæ inunctos vocans, & prophetas suos, verbum Euangelij non sermone solo, sed exemplo, & vita prædicantes appellans. Sapiẽtia quoque dicit: Iustorum animæ in manu Dei sunt.] Quis autem in tali loco positos, & custoditos illos offendet. Certè non tanget illos tormentum mortis. Visi sunt oculis insipientium mori, illi autem sunt in pace. De tribus etiam pueris Hebræis in fornacem ignis coniectis, & voraci flamma circundatis legimus, quia non tetigit eos omnino ignis, neq; contristauit, nec quicquam molestiæ intulit.] Qui licèt secundum historiæ veritatem ita ab igne liberati sunt, tamen imagines fuere iustorum, quos caminus tribulationis nõ tãgit, nec ignis afflictionis adurit. At Saluator noster per Zachariam ait: Post gloriam, meæ scilicet resurrectionis, misit me Pater ad gentes, quæ spoliauerũt vos: qui enim tetigerit vos, tangit pupillã oculi mei.] Quod ego ita intelligo, vt sicut impossibile est cuiq; aduersario pupillam Dominici oculi tangere, ita fieri non potest, vt absque Domini voluntate iustos, vel leuiter flagello contingat. Demum Ioannes, in quo spiritus Christi loquebatur, ait: Scimus, quia omnis qui natus est ex Deo, non peccat, sed generatio Dei, id est, ea natiuitas, qua ex Deo natus est, conseruat eum, & malignus non tangit eum.] Ex his, quæ ex sacris paginis vtriusque testamenti retulimus, liquet, iustos & perfectos viros tribulationibus cõteri, liquet etiam tribulationibus non contingi, quo verò pacto hæc duo, quæ contraria videntur, sibi constent, nũc breuiter aperiamus.

Psal. 90. *Psal. 104* *Sapient. 3.* *Daniel 3.* *Zacha. 2.* *1. Ioan. 5.*

Stet ergo fixa in cordibus nostris veritas Dauidici carminis, qua viro iusto dictum est: Non accedet ad te malum, & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.] Non accedit ad viros perfectos tribulationis malum, quod licet corpus exerceat, mentem tamen in pace & tranquillitate positam non conturbat. Id verò in libris Regum sub typo Sennacheribi Regis Assyriorum figuratum videmus, qui cùm ascendisset in terram Iuda, & cepisset omnes ciuitates munitas, Ierosolymam tamen ciuitatem magni Regis nec obtinuit, nec militibus cinxit, nec oculis conspexit. Vnde ait vaticinans Isaias: Propterea hæc dicit Dominus de Rege Assyriorum. Nõ intrabit ciuitatem hanc, & non iaciet ibi sagittam, & non occupabit eam clypeus, & non mittet in circuitu eius aggerem.] Ita prorsus, licèt aliquando vis doloris mẽbra sanctorum occupet, manus liget, sensus cruciet, & cor ipsum carneum veluti laqueo, & vinculis capiat, at mentem, quæ Deum fide viua conspicit, quæ brachiis dilectionis astringit, non obtinet, quia semper eam diuinæ voluntati conformem, & liberam, & alacrem derelinquit. Nõ accedit ad illos malum, quoniam protectio Domini circundat eos, vt ex irruentibus malis detrimẽtum profectus interioris non sẽtiant, sed mirum in modum in virtute proficiant. Factus est enim Dominus refugium pauperi, adiutor in opportunitatibus in tribulatione.] Pauper iste iustus est, qui de seipso modestè, & humiliter sentit. Quare Augustinus rectè ait: Quantumlibet persequitur inimicus ille, qui conuersus est retrò, quid nocebit eis, quorum refugium factus est Dominus? Sed hoc fiet, si in sæculo, cuius ille magistratus est, pauperes esse delegerint nihil amando, quod vel hic viuentem, vel amantem deserit, vel à moriente deseritur. Tali enim pauperi refugium factus est Dominus.] Hęc verò tutissima, & fortissima protectione munitus non mirũ si in mente ex tribulationibus tamquam ex victoriæ occasionibus profectum capiat, quamuis in corpore nonnullum dolorem accipiat. Quod regius vates ex sententia Bernardi subindicauit, cũ huic diuinæ protectioni scuti nomen imposuit, dicens: Scuto circundabit te veritas eius.] Nam sicut scutum corpus protegit, & pedes non adeò tegit, ita diuina protectio interdum iustorum corpora nonnullæ læsioni exponit, sed mentem semper ab omni malo defendit. Nõ credo erit molestum verba huius sancti doctoris au-

Psal. 90. *4. Reg. 18.* *Isaia. 37.* *Psal. 9.* *Aug. ibid.* *Psal. 90.* *Bern. ser. 5. in Psal. qui habitat.*

dit e.

dire. Non incongruè sanè, inquit, scuto comparatur gratia diuinæ protectionis, quod in superiori parte amplum, & latum est, vt caput humerósque custodiat, in inferiori verò strictius, vt minùs oneret: maximè quòd graciliores sint tibiæ, nec tam facilè vulnerentur, sed nec adeò periculosum sit illis in partibus vulnerari. Sic omnino, sic militibus suis Christus ad inferiora tuenda, id est, carnem, magnam (vt ita dicam) strictitatem, atque penuriam rerum temporalium donat, nec vult eos illarum multitudine prægrauari: sed vt victum, & vestitum habentes, quemadmodum ait Apostolus, his contenti simus.] *1. Tim. 6.* In superioribus verò ampliorem latitudinem, & abundantiam gratiæ spiritualis. Sic enim habet: Primùm quærite regnum Dei, & iustitiam eius, & omnia adiicientur vobis.] *Matt. 16.* Quis itaque dicat viros iustos malo afflictionis concuti, quos respicit afflictionibus à rerum temporalium onere liberari, & quasi medicamentis adhibitis non solùm ad sanitatem reduci, sed etiam vegetiores & robustiores effici? Profectò cùm tribulantur, non accedit ad illos malum, sed potiùs bonum appropiat, quia id, quod ipsos decet, & quod statui eorum congruit, laboribus & tribulationibus appropinquat. Optimè namque scribit Basilius: *Basil. in Ps. 33.* Qui dixerit, quòd virum planè iustum tribulatio non deceat, nihil aliud dicit, quam athletæ non conuenire aduersarium. Si autem athletis bonum est imperi, & aduersariis impugnari, modò nô expugnentur, quare non erit bonum viris perfectis, flagellis, & doloribus tribulari, modò impatientia, aut pusillanimitate non superentur. Non ergo accedit ad illos malum si accedat aliqua tribulatio, ex qua tot merita, tot coronas, tot premia reportant.

At nondum dissoluimus nodum. Esto enim, quòd ad sanctorum animas non accedat culpæ, aut pœnæ malum, quomodo verum est, flagellum non appropinquare tabernaculis, id est, corporibus, eorû? Nam si flagellum (vt diximus) corpora eorum cruentat, & sanguinem elicit, & vibices suscitat, quanam ratione non tangit ipsorum corpora, & ad tabernacula percussorum non appropinquat? Ideo flagellum non appropinquat tabernaculis eorum, quia dum flagellantur, manus Domini illos tangit, & benignitas illos amatoris fidelissimi percutit. Quæ non flagellum, sed malagma dicenda est, siquidem dum ferit, sanat: & (veluti sapiens medicatrix) dum vulnus aperit, curationem ipsius faciliorem reddit. Hoc (vt opinor) Iob patientissimus cogitabat, cùm amicos suos inuitans ad commiserationem, dicebat: *Iob 19.* Miseremini mei, miseremini mei saltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me.] Non dicit se flagello, sed manu Domini tangi, non virga, sed manu Omnipotentis castigari, vt intelligas viros perfectos nô flagello instar seruorum, sed instar filiorum manu patris benignissimi percuti. Atque adeò cùm persecutionem patiuntur, non tam flagellum quàm manus Domini eorum tabernaculis appropinquat. Quæ cùm vitalis sit, & solo tactu sanet, atque viuificet, ita electos ferit, vt non ad mortem, sed ad vitam; non ad morbum, sed ad salutem vulneret, atq; percutiat. Si quis manu chirotheca contecta alterum feriat, chirothecæ nullam rationem habemus, & manui percussionem tribuimus. Ita si Dominus sanctos ad bonum ipsorum manu sua ferit, sub inuolucro aduersitatis abscondita, non aduersitati, sed manui Domini vulnus eorum tribuamus: nec ipsi dicant, quoniam aduersitas vulnerauit, aut flagellum appropinquauit, sed quoniam manus Domini tetigit nos. Sed manus Domini aduersitate iustos tâgit, & facto flagello ex tribulationibus, eo ipsos percutit? Ergo flagellum aduersitatis tabernaculis eorum appropiat, quos manu Domini eleuatum cædit? Verum est hoc, sed non negabût perfecti Domino, quod nos chirurgo concedimus, cui, si cautè & subtiliter vlcus subaperiat, & sine dolore nostro saniê educat, gratulabundi solemus dicere: Non sensi, non ad me accessisti, ferrum tuum non tetigit me, ignis tuus non vssit me. An manus Domini non erit ad electos suos manu chirurgi suauior? an non lenior? an non, quos tenerrimè diligit, mitiùs feriet, & suauiùs flagellabit, ita vt præ amore vix sentiant, præ suauitate, qua statim aut liberantur, aut roborantur, vix aduertant, & præ dulcedine præcordiis eorû iniecta dicant, flagellum nô appropinquauit tabernaculo nostro, & virga non tetigit nos? Audi quemdam sanctorum amore ebrium, qui tribulationes, & pressuras non sentiat. *2. Cor. 7.* Repletus, inquit, sum côsolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione nostra.] Et iterum: *2. Cor. 1.* Benedictus Deus, & Pater Domini nostri Iesu Christi, Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra; vt possimus & ipsi consolari eos, qui in omni pressura sunt.] O magnum amorem eius, qui tribulatus côsolatione non indiget, sed adeò consolatione & gaudio repletus est, vt possit in pusillos, qui modica patiuntur, & statim despondent animum, consolationem effundere! *Psal. 33.* Audi perfectos, quia mox liberantur vix afflictiones considerantes: *Psal. 33.* Exquisiui Dominum, ait quilibet eorum, & exaudiuit me, & ex omnibus tribulationibus meis eripuit me.] *Psal. 33.* Et, iste pauper clamauit, & Dominus exaudiuit eum: & de omnibus tribulationibus eius saluauit eum.] Et omnes simul: Clamauerunt iusti, & Dominus exaudiuit eos: & ex omnibus tribulationibus eorum liberauit eos.] O propera liberatio, quæ desiderium iustorum sequitur, quę petitionem comitatur, quæ si è vestigio non adest, non ad desperationem tribulati, sed ad eius bonû differtur. Sicut enim infanti aliquando mater laruam iubet ostendi, non vt ei damnum inferat, sed vt infans ad gremium matris accurrat: ita Dominus solet dilectis suis tribulationes, velut laruas immittere, vt stupefacti feruentiùs orent, confidentiùs postulent, & eius prouidentiæ tutiùs se committant. *Psal. 22.* Audi denique sanctos præ dulcedine confitentes, quia flagellum illos nô tangit: Nam etsi ambulauero in medio vmbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es.] &, Virga tua & baculus tuus ipsa me consolata sunt.] Quanta putas cordi eius est iniecta dulcedo, qui in mediis periculis nihil timet, licèt mortem minitentur, & virga castigationis, ac baculo tribulationis mirificè consolatur? Verè iste dicet flagellû non appropinquauit tabernaculo meo, & non crudelis gladius, sed suauissima manus Domini tetigit me.

Perfecti itaque flagellati sunt, vt membra potiora, & selectiora Christi, à capite spinis coronato non dissentiant, vt robustiores milites ducis sui labores experiantur, & vt prouectiores discipuli magistrum imitentur, ac flagellum non appropinquat tabernaculo eorum, quoniam si aduersùs eos efferatur, statim manu Domini proteguntur. *Gen. 22.* Nónne Isaac tribulatus est, & imperio Domini periculo mortis expositus? Ita sanè. Sed gladius non appropinquauit tabernaculo eius, quia priusquam gladius in collum eius descenderet, Angelus ex ore Domini clamauit, brachium patris obedientissimi tenuit, & à facinore miro prohibuit. Id ipsum cum viris perfectis agitur, quos Dominus ita tribulat, vt ab imminenti gladio defendat, & ita castigat, vt in manibus hostium suorum non derelinquat. *Psal. 36.* Nam & Dauid canit, Iunior fui, etenim senui, & non vidi iustum derelictum, nec semen eius quærens panem.]

Si iustus numquam à Domino derelinquitur, nec à refugio suæ protectionis excluditur, quomodo eum flagellum tanget, quem diuinum munimen abscondit? Non dereliquit ille, qui auditor est in opportunitatibus, innocentem Iob, quem in Angelorum concilio laudauit, & cui omnia, quæ dæmon abstulerat, duplicata restituit. Et addidit Dominus, ait, omnia quæcumque fuerant Iob, duplicia.] Non reliquit Dauidem, cui regnum amplissimum donauit, & imperij sui pulsum finibus, in pristinum statum reuocauit. Non reliquit Iacob, quem per desertum errantem sustentauit, & angelos ei ascendentes & descendentes ostendit. Non reliquit Eliam, qui in cœlum est raptus, nec mendicitati, quæ ipsum cruciaret, datus est ille, qui, vt inquit Ambrosius, geminatam spiritus hæreditatem discipulo dereliquit, vt vna melotide hæres donatus, fluuios sisteret, Iordanem reuocaret in fontem, regum exercitus pasceret in deserto, & potum sitientibus ministraret. Ad eius arbitrium de cœlo profluebant pocula, in terris mortui resurgebant. Non reliquit Elisæum, qui Angelos meruit habere custodes ipso proclamante ad ministrum suum, quia plures nobiscum sunt, quàm cum illis. Non reliquit Danielem, quem ab immanitate leonum eripuit, & cui cibum miraculosè administrauit. Non reliquit Susannam, cuius pudicitiā à violentis oppressoribus, & famā à falsis iudicibus liberauit. Non reliquit Paulum, qui innumerabilibus periculis impetitus ait: Si Deus pro nobis, quis contra nos?] Deus igitur non relinquit iustos; viros sanctos, & sibi fideles non deserit, sed iuuat, sed protegit, sed abscondit, vt flagellum tribulationis illos non tangat, dum non ad vulnus eorum, sed ad salutem, & ad augendam sanctitatem appropinquat. Et flagellum non est, quod sanctitatis, & consolationis, & tantorum bonorum origo est. Quid plura? Quosdam sanctorum communibus tribulationibus eximit Deus, sicut Israëlitas in Ægypto, à plagis Ægyptiorum exemit, & à tantis malis vniuersum illud regnum populantibus liberauit. Alios, licèt mala communia famis, aut morbi, aut bellorum sustineant, suauissimè consolatur, & propter illorum orationes calamitatibus finē imponit. Alios (vt Fœlicem Nolanum aranearum telis) rebus fragilissimis ab impetu hostium abscondit. Alios (vt innumerabiles martyres) ab immanitate tormentorum eripit, Alios, ne dolores, & cruciatus sentiant, occulta quadā ratione sensu doloris priuat. Alios in mediis cruciatibus, in exiliis, & aliis tribulationibus consummari permittit, vt hanc eximiam gloriam assequantur, quòd per ignem, & aquam transierūt, & ad æternum refrigerium properarunt. Tandem si nonnumquam Deus inter iustorum pericula abscōdit faciem suam, & quasi ab interiori habitaculo eorum seipsum elongat, & illos veluti solos, & omni ope destitutos pati finit, id facit, vt diuinam protectionem sibi necessariam sciant, & liberationem ab omnium conditore venire cognoscant. Sapienter enim dixit Gregorius: Protectio diuina minùs necessaria creditur, si semper habeatur: sed vtiliter plerúmque subtrahitur, vt sibimet homo, quàm sine illa nihil sit, ostendatur. Manus igitur Dei aliquando nos nobis per aduersa insinuat, quæ etiam nescientes nos in prosperis portat. Qua destituti dum cadere incipimus, & tamen adiuti retinemur, & doctrina fit, quòd in lapsu trepidamus, & custodia, quòd in statu permanemus.] Si igitur flagellum est, quod ad pœnam malefactorum inuentum est, viris perfectis flagellum nō appropiat, quia non vt malefactores tribulantur, sed vt serui fideles probantur, & vt strenui milites exercentur. Hi tentationibus crescunt, periculis roborantur, perfe-

Iob 42.
1. Reg. 2.
Gen. 32.
4. Reg. 2.
Ambro. in Psal. 36.
4. Reg. 6.
Dani. 13.
Rom. 8.
Greg. 23. mor. c. 28.

A B C D E

ctionibus exaltantur, & doloribus ac afflictionibus examinati, puriores ab omni fæce imperfectionum efficiuntur. Qui verò pretiosum & desiderabile existimant, in rebus aduersis à Deo protegi, & à sanctis Angelis defendi, quibus mandatum est, vt animas puras custodiant in omnibus viis suis: qui magnū & excelsum iudicant, tribulationes non impatienter, sed æquanimiter sustinere, imò & alacriter tolerare, ac earum molestiam vix præ amore & abundantia cōsolationis sentire, nec non laborum perpessione omni virtutum genere mirabiliter crescere; perfectam virtutem sectentur, & animæ puritatem enixè quærant. His enim promissum est in æstu vmbraculum, in labore refrigerium, & in tribulatione solatium. Nam & viro perfecto dicitur, si alicui dicitur: Cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum. Longitudine dierum replebo eum, & ostendam illi salutare meum.]

Psal. 90.
Psal. 90.

Quanta benignitate Dominus perfectorum orationes exaudiat.

CAPVT XXX.

Licet viri perfecti sint planè diuites, & cœlestibus bonis abundent, tamen quia dum vitæ mortali tributa persoluunt, non in manente ciuitate, quam inquirunt, sed in exilio, & in loco horroris, & vastæ solitudinis commorantur, semper habent quod postulent, quod etiam desiderent. Si enim Ionathas filius magni regis, & abundans magnitudine diuitiarum in deserto positus inediam patitur, & modica faui mellis particula indiget, quia oculi eius præ fame caligantes illuminentur: quid mirum si viri perfecti, licèt sint Filij Dei, quamdiu hanc incultam mundi solitudinem habitant, multis rebus egeant, quibus & corporis imbecillitati, & animæ infirmitati consulere debeant? Sed ô terque quaterque beati, quibus ex hac miseria & necessitate aliud incomparabile bonum exoritur; illud autem est, quòd si orant exaudiuntur, & quicquid petunt, suo tempore ad votum recipiunt. Peccatoribus sæpissimè Dominus in sacris literis comminatur, se non exauditurum orationes eorum, & id quidem iustè. quis namque hostium suorum, ea ratione, qua hostes sunt, deprecationes, & vota suscipiat? Per Salomonem ait: Qui declinat aures suas ne audiat legem, id est, ne vitam suam legis præceptis accommodet, oratio eius erit exectabilis.] Quid est, erit execrabilis: nisi erit inuisa, & ingrata Deo, quam ob iniquitatem postulantis audire renuet. Vehementiùs autem inquit per os Isaiæ: Cùm extenderitis manus vestras, auertam oculos meos à vobis: & cùm multiplicaueritis orationem, nō exaudiam: manus enim vestræ sanguine plenæ sunt.] Efficax profectò ratio, & cui nulla tergiuersatione satisfieri possit: Non exaudiam, quoniam manus peccatorum sanguine, id est, peccatis & iniquitatibus, plenæ sunt, quibus (quod ad se attinet) iterum Christi sanguinem fundunt. Egregiè enim dixit Basilius; Hæc causa est, cur Deus oculos auertere soleat, quando manus extendimus, nimirum quòd indicia supplicationis occasionem iræ præbeant. Quemadmodum si quis interfecto filio alicuius, quem ille in oculis ferebat, adhuc cruore conspersas manus habens, extendat ipsas patri, etiam tunc stomachanti, petens in amicitiam, vt se recipiat, nónne sanguis filij qui in manu eius apparet, qui filio necem attulit, ad iram magis incitabit eum, cui iniuria data est.] Si pater eius petitionem non audiet, cuius manus vider

1. Reg. 14.
Prou. 28.
Isaia 1.
Basil. ora. 2. de orat.

sanguine

sanguine sui filij pollutas; quo pacto Deus orationes iniquorum suscipiet, quos scit in legem suã esse præuaricatores,& in seipsum iniuriosos, & in sanguinem & merita filij vnigeniti sui crudeles existere? Hanc ergo rationem tamquam nulla hominum astutia *Isaia 59.* solubilem, idem Propheta iterum repetit, dicens: Ecce nõ est abbreuiata manus Domini, vt saluare nequeat, neque aggrauata est auris eius, vt non exaudiat. Sed iniquitates vestræ diuiserunt inter vos, & Deum vestrum, & peccata vestra absconderunt faciem eius à vobis, ne exaudiret. Manus enim vestræ pollutæ sunt sanguine,& digiti vestri iniquitate.] Ingens quidem calamitas est à Deo non exaudiri, sed multò maior peccatorum orationibus à Deo maledici, quam in eos seuerissima Dei iustitia retorquet. Quæ per Malachiam ait: *Malac. 2.* Si nolueritis audire, & si nolueritis ponere super cor, vt detis gloriam nomini meo, ait Dominus exercituum: mittam in vos egestatem, & maledicam benedictionibus vestris,& maledicam illis, quoniam non posuistis super cor.] Ac si homo diues mẽdico stipem efflagitanti non solùm eleemosynam denegaret, sed etiam districto gladio à se fugaret,& cõtumeliis, ac maledictis impeteret: Ita Deus cum iniquis se gerit, quos inuerecundè rogantes, & procaciter postulantes, cum indignatione à se repellit. Et reuera pauperem à diuite non sine contumeliis abiici, probrosum est, sed à Deo impium derelinqui, misertimum. Pauper enim ab vno diuite reiectus, aliũ, qui sibi subueniat,& opẽ ferat, inueniet; at impius à Deo cum indignatione pulsus, alium Deum non reperiret, suæ indigentiæ prouisorem, aut suæ iniquitati placatum. Imò nec ex rebus creatis aliquod miseriæ remedium accipiet, quæ nihil nisi Deo donante donant, & nulli nisi Deo subueniente, subueniunt. Sed demus, creaturas, Deo repugnante, posse hominibus aliquid opis afferre (quod impossibile est) infelix planè talis subuentio, & nihil vtilitatis afferens, quam misera & indiga creatura donat,& nequaquam misericors, ac diues creator asseruat.

At fortè dicet aliquis his Scripturæ verbis acribus & indignabundis Dei facta contradicere, qui sæpè iniquorum preces orationésque suscepit. Dauid quippe non iam sanctus, sed iniquus, adulterio fœdatus,& sanguine innocentis conspersus, exauditus est. Qui ad vnam tantummodo vocem, peccaui, qua non expresè, sed quasi inuolutè suorum peccatorum *1.Reg. 12.* indulgentiam petiit, statim sententiam absolutionis reportauit, qua dictum est illi: Dominus quoque transtulit peccatũ tuum. Et impius Achab Eliæ comminatione conterritus ieiunauit, & dormiuit in sacco, & ambulauit demisso capite,& sine dubio suum iudicem exorauit, quem statim placatum reddidit: *3.Reg. 21.* Dixit enim Dominus. Quia humiliatus est Achab mei causa, non inducam malum in diebus eius.] Ac tãdem iniquissimus Manasses ob innumerabilia flagitia sua captiuus in Babylonem deportatus,& misera *2.Par. 33.* seruitute coangustatus, orauit Dominum Deum suum,& egit pœnitentiam valdè coram Deo patrum suorum. Deprecatúsque est eum,& obsecrauit intentè; & exaudiuit orationem eius.] Ideóque Augustinus *Ioann. 9.* illum cæci nati sermonem interpretans: Scimus quoniam Deus peccatores non exaudiuit:] dictum cæci, id est, minùs sapientis, appellat, qui adhuc Dei *Aug. 44. in Ioann.* misericordiam erga peccatores, & bonitatem ignorabat. Adhuc inunctis loquitur, inquit, nam & peccatores exaudit Deus: Si enim peccatores Deus non *Luc. 16.* exaudiret, frustrà ille Publicanus oculos in terram demittens,& pectus suum percutiens, diceret: Deus propitius esto mihi peccatori.] Et ista confessio meruit iustificationem, quomodo iste cæcus illumina-

A tionem.] Hæc facta Dei, quæ retulimus, nullo modo sacrarum literarum verbis repugnant, sed quo pacto sint intelligenda demonstrant. Audit enim Dominus aliquando peccatores sibipsi veniam erratorum petentes, & misericordiam postulantes, sicut solet rex perduellem ad obedientiam conuersum, & palinodiam recantantem, mitiùs punire, & ei criminis læsæ Maiestatis nonnullam indulgentiam corrogare. Audit illos, non quia ipsorum merita id exigant, nõ quia ad veniam accipiendam dignitatem habeant, non quia (quod ad ipsos spectat) aliquid congruum afferant, quo exaudiri mereantur, sed quia Dei misericordia tanta est, vt propter seipsum & ob suam ingenitam bonitatẽ velit eis prorsus indignis, & immerẽtibus indulgere,& remedia pœnitentiæ ac contritio- B nis elargiri. At peccatores nõ necessaria ad propriam salutẽ petentes, sed bona alia, aut sibi, aut aliis postulantes, Deus vt homines procaces, & quibus frontes meretricum factæ sunt, nec audit, nec respicit, nec admittit, imò à se reiicit atque contemnit. Hoc est enim *Gregor. 5. mor. c. 30.* quod Gregorius ait: Sæpè Deus eius precem in oratione deserit, qui præcepta eius in tranquillitate despicit. Sanctos etiam in afflictione adiutores non habet, qui habere socios in hilaritate contemnit. Meritò autem isti talia postulantes reiiciuntur, quia licèt sacrificium orationis per se bene oleat, ipsi tamen offerentes fœtent. Et iniuria Dei est, hostem eius,& suorum præceptorum transgressorem, ante factam pœnitentiam,& indulgentiam acceptam, beneficia concedenda amicis petere, & mediatoris personam in- C duentem, aliis dona postulare. Peccatores igitur, cùm orant non exaudiuntur, quia exauditione & misericordia Domini sũt prorsus indigni, ni fortè Dominus naturali benignitate illectus, velit illis sibimetipsis indulgentiam delictorum petentibus, veniam concedere,& ne pereant, necessaria ad vitam, siue spiritualem, siue temporalem tribuere.

Iustos verò & præcipuè viros perfectos, & sanctitatis amatores exaudit Dominus libentissimè, quorum orationes, siue sibiipsis, siue aliis bona petant, hilariter suscipit, gratanter admittit, & supra id quod postulant, imò & quod cupiunt, (parum est hoc) imò & supra id quod cogitant, illis aut aliis propter illos, dona cõcedit. Qui sanè in deserto huius mundi constituti, orationem suam habent pro vita; desiderium D pro victu, atque vestitu, vocẽ animi pro deliciis, quia sola voce ac deprecatione, quicquid ad necessitatem, & ad voluptatem necessarium est, abundantissimè consequuntur. Est enim mandatum Domini, quo homines ad beneficentiam incitauit: *Prou. 3.* Ne dicas amico tuo, vade,& reuertere,& cras dabo tibi, cùm statim possis dare.] Cuius mandati in seipso nobis formam exhibet, cùm amicissimos suos, nimirum viros perfectos, eius pedibus ad aliquid postulandum prouolutos, nullatenus vacuos dimittit, sed plenos bonorum, quæ petunt, & lætos, ac exultantes apud se detinet. Quod in Anna Samuelis matre, & in Sara vxore iunioris Tobiæ, & in Iuditha Bethuliæ liberatrice facilè aduertimus: *1.Reg. 1. Tobiæ 8. Iudith. 3.* quorum altera sterilis ad templum E oratura venit, & fœcunda, & tanti filij futura mater abiit: altera, infamiam interemptricis virorum abiecit; tertia verò, oratione magis quàm gladio roborata Holofernem occidit, Assyriorum exercitum confudit, & suum populum liberauit. O quàm aptè in persona Domini videtur, quod sanctus Iob de *Iob 31.* seipso testatur: Si negaui, quod volebant, pauperibus, & oculos viduæ expectare feci.] Dum enim pauperum nomine humiles intelliguntur, vt putat *Greg. 11. mor. c. 21.* Gregorius, quis non videt, Dominum, pauperibus & humilibus, Annæ & Saræ, quod volebant, non

negasse, quarum alteram matrem, alteram vxorem fecit,& oculos viduæ Iudithæ non contristasse,quam ab omni peccati colluuione seruauit, & in eximiam liberatricis dignitatem euexit? De hac iustorum oratione, in Ecclesiastico scriptum est: Oratio humiliantis se cœlos penetrabit, & donec propinquet, non consolabitur;& non discedet, donec Altissimus aspiciat.] Iustus enim est, qui se verè & perfectè deiicit,& coram Domino vehementer humiliat, cuius oratio præ socordia nō humi repit,sed omnia visibilia, & inuisibilia transcendens Altissimi solium peruadit. Ibi autem non quiescit,& petere non desistit, quousque optata secum deferat, & pro voto omnia recipiat. Nec indiget talis oratio multo labore ad obtinēdum, quod cupit,quia Dominus,qui tenerrimè iustos præsertim perfectos diligit, valdè pronus est ad donandum illis,quod se inspirante cupiuerunt, & os eorum aperiente petiuerunt, & se impellente flagitarunt. Fac inter regem,& reginam conuenire,vt ipsa donum aliquod aulico dandum, à rege petet,quo rex dandi occasionem captet. Quis ambiget hanc petitionem sponsæ charissimæ regi esse gratam,& aulico futuram esse proficuā, quam ipse princeps sibi fieri præcepit? Ita Dominus animas sanctas,velut sponsas sibi charissimas instigat ad petendum,& dicit illis in corde: Petite,& accipietis;] ex quo nos intelligimus eorum postulationes tum Domino esse gratissimas, tum iis, quibus petitur aliquid, non futuras esse inanes, sed vtiles atque proficuas.

Vt autem Dominus astruat,suæ voluntatis esse petitionibus sanctorum ad dādum incitari, eos magnificis promissionibus, & apertissimis vtriusque paginæ sententiis ad postulandum animat. Quamobrem per Ioannem ait: Si manseritis in me,& verba mea in vobis manserint,quodcumque volueritis, petetis, & fiet vobis.] Tunc dicenda sunt verba eius in nobis manere, ait Augustinus, quando facimus,quæ præcepit, & diligimus quæ promisit. Quando autem verba eius manent in memoria, nec inueniuntur in vita,non computatur palmes in vite, quia vitam non attrahit ex radice.] Iusti ergo sunt,in quorum cordibus verba Christi manent, ex quibus tamquam ex sedibus,aut ex præsidiis munitissimis verba Euangelij progrediuntur, vt non solùm os ad confitendam fidem occupent,sed etiam manus ad iussa implenda sibi subdant, Horum verò mandatorum obseruatione in Christo manent,tamquam palmites in vite, & rami pulcherrimi in sua radice. His dicitur, vt petant quicquid velint,quia certissimè consequentur. Qua promissione nihil potest esse felicius, nihil etiam largius,atque profusius. Nihil felicius: quia quid amplius homo optare potest, quàm vt sua voluntas, & sua postulatio fit eorum, quæ adeptus est, bonorum mensura? Et nihil liberalius,quoniam quid amplius homo potuit cogitare, quàm vt quicquid auxilio diuino fultus petierit ,id totum sibi concedatur. Ideo autem hæc promissio tam ampla iusto fit, quia iusti, vt eodem loco dixit idem Augustinus, manendo in Christo, quid velle possunt,nisi quod conuenit Christo? Quid velle possunt manendo in Saluatore, nisi quod non est alienum à salute? Ipsi itaque cauti sunt in petendo,quia id petunt, quod Domino placiturum iudicant, & Dominus largus in dando, quia tribuit illis, quod congruum est, nec alienum à postulantium salute.] Eandem promissionem fecerat Dominus per Isaiam: Tunc ait, inuocabis, & Dominus exaudiet: clamabis,& dicet, Ecce adsum.] Quid est tunc; nisi, cùm prædicta virtutis officia compleueris, oratione clamabis ad me,& ego nō surdus,nec morosus adiutor factus,sed diligens, & velox protector effectus,statim astabo tibi, & quicquid postulaueris,ipse parabo? Hanc celerē Domini obeditionem (si ita loqui fas est) qua petitionibus iustorū obtemperat, Ecclesiasticus quoque expressit,dicens: Oculi Domini ad timētes eum, & ipse agnoscit omnē operam hominis.] Sicut enim seruus fidelis, & sui heri obsequiis addictus, oculos non solùm in os eius, sed etiam in manus intētos habet,vt sine mora,aut dictis heri,aut signis obediat,ita Dominus (quod certè stupendum est) verba,& opera non maioris, nō æqualis, sed minimi serui sui,sed cōtemptibilis mancipij considerat,vt quicquid ipse,aut verbo petierit,aut operis alicuius,vt ieiunij, aut mortificationis oblatione postulauerit,breuissimè cōpletum videat. An non istud est,quod Regius Propheta cantauit: Respexit in orationem humilium,& non spreuit precem eorum?] Ita quidem. Si enim orationem ad os;& precē,ad manus referas,quibus in cœlum protensis orare solemus; videbis Dominum respicere ad orationem humilium, dum eam complet, & non despicere precē iustorum, dum ipse quasi sanctis operibus victus, res postulatas indulget. Apertiùs autem alio loco eandem Domini largitatē erga iustos declarauit. Prope est,inquit, Dominus omnibus inuocātibus eum;omnibus inuocantibus eum in veritate. Voluntatem timentiū se,faciet, & deprecationē eorū exaudiet, & saluos faciet eos.] Nam si non lōgè abest Dominus ab iis, qui verè eius auxilium implorant, profectò dicit illis: Ecce adsum. Et si voluntatem se timētium amore filiali, qui à vera charitate procedit,largissimè exequitur, sanè cognoscit,id est, approbat omnē operam hominis iusti, cuius deprecationem non respuit. Tandem huic orationi iustorū,bonis operibus fultæ, idem propheta promittere beneficium exauditionis nō cessat. Ait enim: In die tribulationis meæ Deum exquisiui, manibus meis,nocte contra eum,& non sum deceptus.] Est ac si diceret. In vita ista,quæ miseriis repleta est, & ideo dies non lætitiæ,sed tribulationis vocatur,& in nocte huius sæculi,quam non sol claritatis æternæ, sed luna fidei parum illuminat,Deum tum ore,tum manibus, id est,sanctis actionibus exoraui: nec sum meo desiderio,ac meo labore frustratus, quia quod volebam tenui,quod optabam accepi,& quod postulabam obtinui. Roborat igitur Dominus ad petendum sanctos suos, & in Scripturis sanctis à cordibus eorum omnem hæsitationem abigit,vt pro se, & pro aliis fiducialiter orent, & vt familiarissimè sibiipsis, quod petierint, acquirant, & vt fideles intercessores aliis, quod postulauerint,obtineant.

Lōgum esset,imò penè infinitū,hanc perfectorum dignitatem,qua ad petendum & accipiēdum magni regis solium adeunt,velle exemplis confirmare; nulla est enim vita sanctorū, (sunt verò illæ penè innumerabiles) in qua aliquid ad hanc rem pertinens,non inuenias. Sed innumerabilium paucissima exempla deligenda sunt,quæ aliquatenus hunc locum illustrent, Basilius colloquiū sancti Ephræm monachi insignis affectans,neque eo perfrui valens, quòd ipse linguam Syram Ephræmij,hic verò Basilij linguā Græcā ignoraret,rationem,qua se mutuò intelligerēt, à Domino postulauit. Ille autem misericors Pater, qui vota timentium se,irrita esse non patitur, Monacho Syro, & Græci idiomatis prorsus ignaro,repētè eius notionem & disertā locutionē infudit. Et illi vna breuis precatiūcula sancti Doctoris plus Græcæ eloquētiæ attulit, quàm aliis longa annorum curricula cōferre potuerūt. Quis Dei benignitatem non miretur, qui nō iam pro totius Ecclesiæ vtilitate, sed pro vnius serui sui consolatione, peritiam ignotæ linguæ subitò ignaro concessit, & impedimentum sanctæ collocutionis ademit?

Greg. Turonen. lib. de gloria confess. c. 27.

aduenit? Lupus Tricensis Episcopus ciuitatem suam ab Attilæ exercitu obsidione cinctam fusa oratione liberat. Orauit ille primò, & suis omnibus præsidium à principe pastorum efflagitauit, & statim securus, & gaudens, non milites armauit, non socios suis auxilio futuros euocauit, non mœnia communiuit, sed hosti portas vrbis aperuit. Ille autem omni lupo truculentior, vna oratione Lupi conterritus, qui solo nomine lupus erat, re autem vera ouis mansuetissima, vrbem ingressus rectà quasi per solitudinem trãsiit, & nihil hostiliter agens à Lupi ouibus sine earum detrimento secessit. O magna bonitas Dei, cuius sacrum pectus ira vnius perfecti oratio molliuit, vt propter illã multis peccatoribus parceret, & flagellum iræ suæ, ac baculũ indignationis suæ longiùs ab eorum domibus ablegaret! Frigidianus Lucanæ ciuitatis Episcopus Ausarem fluuium iuxta suæ vrbis muros influentem, & per agros effusum, ac semel & iterum sata vastantẽ, sola oratione ad alia loca deriuauit. Cùm enim ciuium suorum misericordia motus, quorum fluuius inundans sata vastabat, paruulum rastrum fecisset, & ad alueũ fluminis accessisset, totus se orationi dedit, & ad implorandam Dei clementiam vehemẽter incubuit. O mira res! ab oratione consurgens, aquam velut creaturam rationis compotem alloquens, illi vt se sequeretur imperauit. Paruit illa præcepto hominis, qui Dominum exorauerat, & rastrum ab illo per terram tractũ sequuta, noua loca occupans proprium alueum festina deseruit, neque ampliùs agris, hominum vsui deputatis, intulit nocumentum. Quis hanc potestatem orationi dedit, nisi vera ac perfecta iustitia? à qua deprecatio manans pectus diuinum placat, vt hæc mirabilia, ac naturam ipsam excedentia perficiat? Margarita virgo (ne fœminas in hac re hominibus pares, prætereamus) regia progenies, & Dominicanæ familiæ fidus clarissimum, coram prælato, qui toti illi prouinciæ præerat, Danubij inundationem pronunciãs non creditur, & cùm esset veritatis amatrix, rubore suffusa, quòd mendax haberetur, Dominum precata est, vt de suis dictis testimoniũ redderet. Statim autẽ Danubius iterum aquarũ copias aglomerans, cœnobium occupat, officinas domus implet, & sorores, ac prælatum in fugam se dare compellit. Nescio quid magis mirer, aut efficaciam orationis talia impetrantis, an benignitatem Domini pro virgunculæ honore talia patrantis. Audiuntur ergo sancti, & admiranda precibus operantur, adeò vt quod natura negat, quod infirmitas non donat, oratio iusti ac intentissima deprecatio concedat.

Greg. Papa. 3. Dialo. c. 9.

Sur. To. 1. in vita eius.

Sed si hæc ita sunt, quare aliquando perfecti pro seipsis exorantes, non sunt exauditi, præsertim cùm petunt ab imminentibus periculis liberari, aut ad aliqua dona in figniora prouehi, quibus se Deo gratiores fore conijciunt? Quòd enim Dominus non semper sanctos enixè supplicantes, à periculis & tribulationibus liberet, ex Pauli Apostoli deprecatione liquet, qui cùm ter Dominum rogasset à stimulo carnis eripi, exauditus non est, (vt ipse fatetur) nec id quod volebat consequutus. Quòd etiam ad optata dona, quæ instanter petiuerunt, non semper ascendant, certius est quàm vt id dubitare liceat. Cùm enim sitis perfectionis eorum corda sollicitans sit inextinguibilis (vt suprà memini me dixisse) & donorum accessione non minuatur, sed crescat, quis credat eos omnem perfectionis gradum, quem cupiunt, & petunt, adipisci, & ad desideratam puritatem peruenire? Perfectos viros in tribulatione positos, & feruidè pro sua liberatione clamantes, aliquando non statim liberari ingenuè fatemur, sed id ita fit, vt merita ipsorum augeantur, & præmia cumulentur. Nam & rex terrenus solet equitem sibi dilectissimum, aut etiam germanum fratrem, ad bellum contra hostes infestissimos mittere, & cum auidè cupientem, & importunè postulantem ad curiæ delicias reuerti, in loco periculoso detinere, vt in regno suo sit illustrior, & consensu omnium amplissimis honoribus dignior. Si hoc non odio, aut obliuioni, aut defectui amoris, sed magno regis amori tribuimus, quo vult familiarem illum patricium non sine meritis ad nobilissimam dignitatem euehere; quis non videat, Dominum, perfectos in bello tentationis aut tribulationis detinere, nec statim eorum deprecationibus flecti, vt ampliùs eos possit honorare? Egregiè profectò Gregorius hanc istius tardæ liberationis causam assignat. Alto, inquit, consilio omnipotens Deus, cùm sancti eius aduersariorum persecutionibus comprimuntur, cúmque assiduis, vt liberẽtur, interpellationibus, clamant, differre solet voces petentium, vt merita patientium crescant, quatenùs eò magis exaudiantur ad meritum, quo citiùs non exaudiuntur ad votum. Vnde aliàs scriptum est: Deus meus clamabo per diem, nec exaudies, & nocte; atque ipsa vtilitas de exaudiendi mora mox subditur, cùm illic protinus subinfertur: & non ad insipientiam mihi.] Ad multiplicandam quippe sanctorum sapientiam proficit, quòd postulata tardè percipiunt, vt ex dilatione crescat desiderium, ex desiderio intellectus augeatur. Intellectus verò cùm intenditur, eius in Deum ardentior affectus aperitur. Affectus autem ad promouenda cœlestia tantò fit capax, quanto fuerit expectando longanimis.] Euenit ergo sanctis in hac vita, quod pueris solet accidere, qui cùm à præceptore flagellantur, vt discant, solent flagellorum ictus grauiter ferre, & ne feriantur, humillimè supplicare, qui nequaquam postulata impetrant, non quia non amantur, sed quia vehementer dilectos oportet ad scientiam adipiscendam castigari. Ita omnino perfecti, qui quamdiu vita mortalis durat, statum pueritiæ non excesserunt, solent tribulati clamare, & ne ampliùs flagellentur, obnoxiùs deprecari. Dissimulat tamen Dominus, & adhuc extendit manus super eos, vt eam virtutem, quæ opus perfectum habet, scilicet patientiam, addiscant. Cùm autem ad perfectam ætatem venerint, & cœlestes mansiones occupauerint, facient quod infantes ad virilem ætatem prouecti, qui magnam scientiam, & amplissimam dignitatem adepti, præceptoribus suis ingentes gratias agunt, quòd flagellis, & alapis eos discere coegerunt, & sic ad adeptam dignitatem, & honorem exaltarunt. Sic perfecti facient in cœlo, qui amplissimam gloriam tribulationum & infirmitatum perpessione consecuti, Deum magnis laudibus celebrabunt, quia eos non exaudiuit ad votum, vt ad meritum & præmium exaudiret. O quanta mẽtis exultatione, qui iam vitam istam reliquerunt, in cœlo clamant: Transiuimus per ignẽ: & aquam, Domine, & eduxisti nos in refrigerium,] nec consolationem temporalem, quam petebamus, dedisti, vt æternam nobis concederes. Hanc nunc solam causam assignemus, ob quam aliquando Deus perfectos, sibi amantissimos, tribulationem patientes, non statim exaudit, sed pati ac castigari permittit.

2. Cor. 12.

Greg. 20. mor. c. 22.

Psal. 21.

Iacob. 1

Psal. 65.

Verum est etiam, perfectos viros, mensuram gratiæ, quam appetunt, non semper obtinere: quia decet diuinam prouidentiam in gratiæ distributione tenere mensuram, nec æquum est omnes iustos etiam ad magnam sanctitatem anhelantes, ad eundem puritatis gradum exaltari. Est enim cœlestis patria non aceruus lapidum, sed respublica

Apoc. 21. perfectissima, cuius proprium est, vt inæqualitatem ciuium, & varios dignitatis gradus habeat. Ideóque vocatur ciuitas: & Ioannes inquit: Vidi ciuitatem sanctam Ierusalem nouam descendentem de cœlo.] Et iterum, ciuitas in quadro posita est, & tāta est eius longitudo, quanta & latitudo:] quia videlicet pro more ciuitatis debet diuersitate graduum, dignitatúmque constare. Illis itaque qui ad eximiam gloriam, verbi gratia, Apostolorum, aut Martyrum, aut Doctorum vocati, & electi non sunt, meritò gratia huic gloriæ, aut statui debita denegatur, vt pro qualitate vocationis, pésum auxiliorum diuinorum gratis recipiant. In quo Dominus non tantùm suæ prouidentiæ consulit, sed etiam electorum infirmitati condescendit, ne supra quod imbecillitas carnis suffert, onerati, bonorum sibi datorum grauitati succumbant. Hinc dantur vni quinque talenta, alij verò duo, alij verò vnum, & vnicuique secundùm propriam virtutem,] ne talentorum copia supra id, quod valet, prægrauatus, aliquod otiosum habeat, & regis talenta partientis indignationem incurrat. Quare Bernardus optimè ait: Quid est, quòd incessanter orantes, & supplicantes, non possumus ad eam, quam desideramus, gratiæ abundantiam peruenire? Putatis, quia auarus, aut inops factus est Deus, impotens aut inexorabilis? Absit hoc; prorsus absit; Sed ipse cognouit figmentum nostrum, & scapulis suis obumbrat nobis. Non tamen à petitione propterea cessandum est, quia etsi non dat ad satietatem, dat tamen ad sustentationem: & si cauet nobis à feruore nimio, tamen fouet nos tamquam mater calore suo. Hoc enim est, quod diximus, sub scapulis eius nobis præstari, vt tamquam pulli in calore materni corporis foueamur, ne foris vagantes moriamur, refrigescente nimirum charitate, quæ non diffunditur in nobis, nisi per Spiritum sanctum, qui datur nobis.] Prospicit ergo Dominus sanctorum suorum infirmitati, dum vel eorum conatus impedit, vel orationibus abnuit, atque adeò siue concedat, quod orant, siue differat, siue omnino neget, cùm id ob ipsorum bonum faciat, semper erga illos beneficus ac largus inuenitur. Vt verò huius eximij amoris significationẽ edat, si postulata non tribuit viro iusto, quia non expedit, at aliquid, quod decens & proficuum ei erit, amantissimè donat. Vnde Moysi postulanti; ostende mihi faciem tuam: respondit Dominus: Non poteris videre faciem meam, non enim videbit me homo & viuet. Videbis posteriora mea, faciem autem meam videre non poteris.] Quibus verbis, & aliud pretiosum donum loco doni postulati substituit, & illa suprema maiestas, quare serui fidelissimi petitioni non annuat, quasi rationem assignat. Faciem quidem diuinitatis meæ, ait, non videbis modò, quia lege sancitum est, ne quis in carne mortali degens, & adhuc viam carpens in viæ finem; scilicet in meam diuinam naturam, oculos mentis intendat suos. At vt aliquid assequaris, & visione meæ imaginis consoleris, posteriora mea, id est, hominẽ à filio meo nouissimis temporibus suscipiendum videbis. Ita Augustinus interpretatur, & simul creatoris nostri liberalitatem declarat, qui more boni patris filiis suis, si non omnia quæ cupiunt, elargitur, at veluti donum distribuens, & meliorem partem cœlo reseruans, aliquid, quo eorum cupiditati satisfaciat, misericorditer tribuit. Nec tamen putandum est, desideria sanctorum effectu ac opere orbata fuisse inutilia, absit hoc. Sed vtilissima sunt, quæ licèt actione frustrata, suo præmio, & quidem magno non carebunt. In cuius signum Dauid cupiens ædificare domum Domino, nec tamen ædificans, in mercedem sui desiderij audit: Prædicítque tibi Dominus, quòd domum faciat tibi Dominus:] id est, amplissima posteritate multiplicet. Cupiamus ergo perfecta, petamus magna, postulemus excelsa, quia (si veram iustitiam sectati fuerimus) nequaquam oratio nostra vacua in sinum nostrum reuertetur, sed prosperabitur & faciet, ad quæcũque miserimus illã.

Marginal notes: Apoc. 21. — Matt. 25. — Bern. ser. 4. in Psal. Qui habitat. — Rom. 5. — Exod. 33. — Aug. qq. in Exod. q. 154. & 2. de Trinit. — 1. Reg. 7.

Quantis donis Deus perfectos repleat.

CAPVT XXXI.

HOMINES perfectos, multa & magna orationibus impetrare, ex alio capite perspici potest; ex donis scilicet, quibus repleti sunt. Cùm enim hæc dona (quorum aliqua statim referemus) nec natura nec humana industria donauerit, sed largitas diuina concesserit, fit, ea orationibus à iustis peti, & lacrymis ac gemitibus postulari. Nam licèt ea sit liberalitas Dei, vt nonnumquam nobis, nec petentibus, nec desiderantibus ingerat dona sua, tamen ordinariè id in donorũ distributione seruat, vt priùsquam ea nobis conferat, ad orandum & postulãdum impellat. Quòd si hoc ab omnibus quærit, vt rogetur, antequam sua dona profundat, maximè id exquiret à sanctis, quos vult nobilissima ratione ditare. Ea autem est, vt ipsi ad spiritualium donorum acquisitionem aliquid faciant, & se ad ea promerenda orando, efflagitando, & gemitus promendo, disponant. Eis in libro Psalmorum dicitur: Spera in Domino, & fac bonitatem, & inhabita terram, & pasceris in diuitiis eius. Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui. Reuela Domino viam tuam, & spera in eo, & ipse faciet.] Illi sperant in Domino, & non in seipsis, nec in multitudine diuitiarum suarum, & faciunt bonitatem assiduè, & quasi ex consuetudine (quod perfectorum est) & habitant eam viuentium terram (vitam perfectam intellige) quæ non tribulos, & spinas germinat, sed flores, & lilia producit. Huius diuitiis ad suauitatem & saturitatem pascuntur, quia virtutum dulcedine perfruuntur, & bonorum operum ex illis promanantium copia satiantur. Ita viuunt, vt non in sæculo, nec in rebus perituris, sed in Domino delectentur, & tunc iuxta desideria & petitiones suas, assequuntur à Domino, quicquid impetrare gestiunt. Indicant ipsi Domino viam suam, ac vitæ suæ rationem aperiunt, non vt sciat, qui omnia nouit; sed vt illi ostendendo necessitatem suam, desideria sua, & affectus accendant; & Dominus facit quod ipsi fieri volunt, quia si iusti largi sunt in petendo, qui tribuit affluenter, & non improperat, largior, & profusior est in donando. Ita igitur donat iustis opes cœlestes, vt priùs donet orandi facultatem. Ita effert illos ad imitationem Angelicæ vitæ, vt priùs velit rogari, & precibus ac lacrymis excitari. Quod adeò verum est, vt etiam Virgo Beatissima, quæ ab Angelo gratia plena vocata est, tantam gratiæ plenitudinem non sine oratione receperit, nec sine lacrymis impetrauerit. Nec id sine magno testimonio proferimus. Sanctus enim Bonauentura egregius Ecclesiæ Doctor refert, Deiparam Virginem in quadam reuelatione beatæ Elizabethæ ista verba dixisse. Filia tu credis, quòd omnem gratiam, quam habui, habuerim sine labore, sed non est ita: imò dico tibi, quòd nullam gratiam, donum, vel virtutem habui à Deo sine magno labore, continua oratione, ardenti desiderio, profunda deuotione, multis lacrymis, & multa afflictione: dicendo, cogitando

Marginal notes: Psal. 36. — Bonau. in medit. vitæ Christi. c. 3.

semper placita sibi, sicut sciebam, & poteram, excepta sanctificationis gratia, qua sanctificata fui in vtero matris.] Si hæc ita sunt, videamus quæ donata sint sanctis, & inde videbimus quantùm eorum orationes valeant, & quàm magnam copiam bonorum obtineant.

Dona, quæ Dominus sanctis & electis impertit, bipartita sunt, quædam ipsorum profectum, quædam verò ipsorum ornatum, ac splendorem, necnon & Ecclesiæ vtilitatem respiciunt. Quorum Laurentius Iustinianus, ex Gregorio desumens, his verbis mentioné fecit. *Iusti. lib. de humilitate ca. 12.* Duo esse spiritualium donorum genera, quę fidelibus suis, & amicis charissimis Dominus largiri consueuit, sanctarum erudimur testimonio Scripturarum; quorum alterum ad decorem, alterum verò pro recipientium vtilitate impenditur. Priora quippe dona, quæ impertiuntur ad ornatum, persuadent intuentibus, & intelligentibus, hominem esse sanctum, spiritualibus muneribus plenum. Deo dilectum, & cum eo intima charitate coniunctum: posteriora verò sanctum sui efficiunt possessorem, proprio acceptissimum conditori, meritísque cœlestibus valde locupletem, tametsi non sit semper hominibus notum.] His omnibus donis viros perfectos Dominus replet, atque nobilitat: quod ipse magna verborum attestatione promisit, dicens: Beatus ille seruus, quem cùm venerit Dominus, inuenerit ita facientem. *Luc. 12.* Verè dico vobis, quoniam supra omnia, quæ possidet, constituet illum.] Seruus ita faciens, sicut præcipit Dominus, est seruus fidelis, qui somnum ignauiæ discutit, qui super se & supra sibi commissa vigilat, qui mortificatione præcinctus, & lucernas bonorum operum manibus tenens, omnium Iudicem patienter expectat. Hunc Dominus super omnia sua bona constituit, cùm ei omnia dona, tum ad vitam immortalem, tum ad vitam mortalem; tum ad suam pulchritudinem, tum (si opus fuerit) ad aliorum vsum vtilitatémque concedit. Ideóque Paulus vocatur vas electũ à Domino (quod nomen cæteris perfectis conuenit) quia tamquam vas pretiosissimum præelectum est, vt thesauros cœlestes in hæc duo genera donorum partitos, in suo corde recondat. *Act. 9.* Vas, inquit, electionis est mihi iste, vt portet nomen meum coram gentibus, & regibus, & filiis Israel. Vas, inquam, electionis, quod primò sibi, deinde aliis abundet: quod primùm cognoscat & amet Deum, & postea eius nomen, ipsiúsque notitiam & amorem in alios effundat: Ita sancti sunt vasa electionis, vt vtraque Dei dona contineant. Dona quidem sanctificantia, quibus ipsi sint sancti, ac Deo amabiles; & dona cohonestantia, quibus alios ad sanctitatem trahant, & Ecclesiæ proficiant. *Rom. 9.* Sunt vasa misericordiæ, quæ Dominus præparauit in gloriam.] Quos enim nunc multiplici misericordia replet, adeò vt aliorum miserias, paupertatésque depellant, postmodum pro mensura acceptæ misericordiæ gloria & felicitate replebit. Sunt denique vasa in honorem, quæ quia non vacua ab hominibus inueniuntur, sed plena donorum cœlestium, admirationem, & vtilitatem afferentium, nequaquam contemptui habentur, sed ab vniuersis honorantur.

Sed iam quæ sint ista dona, quibus Deus viros perfectos, vt vasa misericordiæ replet, breuiter expędamus; vel potiùs (quod facilius erit & vtilius) oculis omnium conspicienda, & consideranda relinquamus. Sunt enim illa tam nota, ac manifesta, vt oculis omnium exposita verborum expressione, non egeant. Quis namque licèt excors, licèt notitia rerum spiritualium ignarus, non videat in sanctis multa

A supra naturam, supra conditionem humanam, quæ terra ista non profert, sed cœlum mittit, & larga Dei misericordia tribuit? Quis non videat in illis (quæ ad ipsorum puritatem pertinent) donum compunctionis, munus abnegationis ac beneficium propriæ contemptionis? Nam & ipsi minimos quoque defectus plangunt, veterem hominem proterunt, & se tamquam vilissima mancipia contemnunt. Quis non in perfectis animaduertit gemmam perfectæ castitatis, adamantem obedientiæ, & carbunculum paupertatis? Qui licèt religiosi non sint, & alium quemuis statum profiteantur, si tamen ad perfectam virtutem venerunt, nec terrenis rebus adhærent, quo nihil pretiosius; nec diuinis mandatis contradicunt,

B quo nihil robustius, nec se carnis colluuione contaminant, quo nihil purius inuenitur. Quis neget illos omnium possessores esse virtutum, quos perfecta charitas occupans, sua familia regali replet, quæ in omnium virtutum cœtu consistit? Quis ambigat omnibus Spiritus sancti donis abundare, & sapientes ac intelligentes esse, fortes, ac pios, & consilio, scientia, ac timore coopertos, quorum mentes ipse Spiritus diuinus inhabitat, & in sui templum ac ædem elegit? Quis non affirmet eos ad Dei familiaritatem admissos, Deum intima quadam luce cognoscere, Deum sitire, Deum purissimo amore complecti, eum Deo colloqui, atque ei imitatione perfectionis inhærere? Quis tandem non fateatur sanctorum animas abundantissima gratia fulgere, singulari cœlestium notitia splendere, scientia agen-

C dorum, & vitandorum illustrari, necnon & purissimis desideriis, ac sanctissimis operibus occupari? Vniuersa hæc dona Dei sunt in suos electos effusa, quorum abundantia pristinum squalorem, & fœtorem obruunt, & nouam dignitatem, ac splendorem ostentant. De sanctis hac donorum copia cumulatis, illud Zachariæ intelligendum est: In die illa, erit quod super frænum equi est, sanctum Domino, & erunt lebetes in domo Domini quasi phialæ coram altari.] *Zach. 14.* Si enim equi albi (vt est in reuelatione Ioannis) sanctos significant, nam exercitus qui sunt in cœlo, sequebantur Verbum Dei in equis albis, vestiti byssino albo & mundo:] quid istorum equorum phaleræ, nisi Dei dona designant, quæ cùm ob *Apoc. 19.* Dei honorem non otiosa custodiuntur, eius nomi-

D ni consecrantur? Et si lebetes fuligine denigrati, & sanguine bestiarum oppleti, peccatores indicãt, quid erit, lebetes in phialas odoramentorum plenas conuerti, nisi, abundantiam miseriæ, in abundantiam misericordiæ; & fœtorẽ iniquitatis, in suauissimum odorem gratiæ commutari? Hanc habent perfecti, & quidem geminam, qui & gratia mortificationis seipsos cohibent, & gratia virtutis semetipsos exornant. Quare illi vigintiquatuor seniores, qui & perfectos figurant, habent in manibus citharas, & phialas aureas plenas odoramentorum.] Habent citharam ex chorda, & ligno compositam, id est, ex cruce, & carne propria in ea crucifixa compactam, quæ donum mortificationis designat, & habent phialã odo- *Apoc. 5.*

E ris plenã, quæ est perfectæ virtutis insigne. Qua duplici gratia, aut quadruplici dono insigniti, coneinunt canticum nouum laudationis Dei, quod numquam veterascet, sed in perpetuum nouum existet.

Prædicta dona ad sanctitatem perfectorum spectant. Quæ verò decori seruiunt, plurima quoque sunt, & eorum largitas Dei, prout decet, quædam his, quædam aliis non sine magno discretionis iudicio dispensat. Hinc nonnulli sanctorum velut terra fertilis, lacrymarum imbribus irrigantur, & iniquorum peccata, suúmque exilium deflentes, peregrinos

se esse in sæculo, ac cœli incolas, & ciues ostendunt. Alij corpus bonum, & mirabili tranquillitate compositum, ac singulari modestia perpolitum, sortiti sunt, vel (vt verius dicam) assiduo virtutis studio consequuti, quod & aspicientes admirantur, & illud habentes vitam alienam desideriis mundi se habere profitentur. Alij sermonis gratia cumulati ita de Deo loquuntur, & res diuinas edisserunt, vt & audientes ad compunctionem, & morum emendationem moueant, & non praui amoris asseclæ, sed charitatis discipuli, euidenter appareant. Alij ineffabilia Dei arcana cognoscunt, & assiduis consolationibus perfruuntur, adeò vt nonnumquam aut præ sublimitate cognitionis, aut præ magnitudine deuotionis alienationes à sensibus, raptus & extases patiantur, & motus quosdam cœlestes, & supernaturales sustineant. Alij, ac si essent ferrei, magnis affectionibus corpus suum domāt, asperitatibúsque discruciant, & inedia castigati, & asperrimis saccis, ac ciliciis onerati, non solùm alacres, sed & sani, & incolumes, & hominibus lautè viuentibus robustiores, incedunt. Alij miraculorum gloria coruscant, & tot mirabilia patrant, vt planè Dei ministri esse videantur. In quibus illa Domini promissio impleta est: Amen amen dico vobis, qui credit in me, opera, quæ ego facio, & ipse faciet, & maiora horum faciet.] Alij barbaras gentes inuadunt, & ab infidelitate ad fidem, ab immunditia ad vitæ puritatem pertrahunt, & pretiosa Diaboli spolia diripiunt. Alij denique omnibus, quæ agunt, quæ moliuntur, magnam reliquis hominibus vtilitatem afferunt. Quemadmodum enim (vt Basilius ait) ex igne naturaliter emicat splendor, ex vnguento quoque præstanti diffunditur odor, sic è sanctorum commemoratione gestorum ad omnes prouenit vtilitas.] Iure igitur idem Basilius, atque Cyrillus vase aureo, in quo manna recondebatur, animam sanctam, atque perfectam signari autumant, quæ non vacua est, sed donis, in admirationem rapientibus, abundè referta, ex qua honor Deo, & fructus hominibus prouenit. Pia sanctáque anima, ait Cyrillus, quæ Christi fidem concepit, quæ totum in seipsa cœlestem thesaurum condidit, pretiosum atque aureum vas est, & à Pontifice omnium Deo Patri offertur, seruabitúrque in conspectu eius in æternum.

Ioan. 14.

Basil. ser. 5. de Serdio. Mart.

Basil. ser. quod Deus non est causa malor.

Cyrill. 3. in Ioan. c. 34.

Ex his iniustorum iustorúmque discrimen agnosce, quòd illi vacui donorum sunt, isti pleni; illi pauperrimi, isti ditissimi; illos cœlestia bona fugiunt, istos exornant. Aut si illi quid boni habent, totum in verbis, aut in signis est positum; istorum autem bonum in operibus, & veritate consistit. Loquuntur fortassis illi de decore virtutis, & quod numquam experti sunt, longa oratione circumferunt; at isti tacentes virtutis pulchritudinem, opere patefaciunt. Ab his duorum hominum generibus non sanè alienum est, quod Ambrosius de Philosophis, & nostris sacerdotibus pronunciauit: Philosophi, inquit, in sermone diuites sunt, fidei inopes, veritatis exortes Et sunt plerique simplices Domini sacerdotes, in sermone pauperes, abstinentia, & virtute sublimes. Illi suos amittunt quotidie sacerdotes; hic pauper populos acquirit Ecclesiæ, numeróque credentium. Qui ergo hoc audierit, & viderit operum qualitatem, dicit: Melius est modicum iusto super diuitias peccatorum multas.] Hinc Salomon deriuauit illud, quod quasi suum ipse posuit: Ex multiloquio non effugies peccatum.] Dialectica ergo diuitiis verborum fluit, pietas timorem Dei seruat. Ideo hic parcus in verbis, diues in spiritu, magis vult timere, quàm vana veri verba iactare.] Optimè dicta sunt hæc, quæ non solùm in Philosophos, & sacerdotes nostros, sed in iniustos quoque & iustos quadrant. Quorum illi aut statim se produnt, & quàm expertes donorum sint, moribus & vita declarant: aut ad summum mendicitatem suam verbis & signis bonitatis abscondunt. At isti nolentes se prodere paucis verbis, sed multis rebus, ac plurimis virtutis operibus, quantùm acceperint, manifestant. Qui ne donis superbiant, & beneficiis pareant, & diuitias congregent in malum suum; hæc duo donorum genera, quæ prædiximus, differenter accipiunt. Illa námque priora, quæ ipsos bonos faciunt, abundantissimè possident, & sine vlla exceptione habent; ista verò, quæ ipsos bonos ostendunt, prout vtile est illis, & aliis, inueniunt. Diuina siquidem sapientia, vt scripsit Laurentius Iustinianus, humanam prænoscens fragilitatem, quàm prona videlicet sit ad casum, & quàm procliuis ad admittendas popularis famæ leues auras, paucis impertitur curationum, ac faciendorum miraculorum dona, atque prædicendi futura, intelligentiam, tamquam minùs ad salutem necessaria, imò periculosa supra modum, vbi deest humilitatis virtus, quæ pro beneficiis sibi prærogatis superbire nescit.] Aduerte igitur quantis donis fulgebunt illi, quorum omnia quæ habent, & quæ non habent, dona sunt; quæ habent, quia gratis dantur; & quæ non habent, quia ne cadant, & sanctitatem perdant, denegantur? Expende etiam quantùm valeat, & possit apud Deum illorum oratio, quorum precibus flexus tanta mala (quæ in mundo sunt) arcet, & tam ingentia bona concedit.

Ambr. in Psal. 36.

Psal. 36.

Prou. 10.

Iustin.

Tandem aliud iniquorum, imperfectorum, & perfectorum discrimen non prætereo: quod primi iniquitatibus, secundi imperfectionibus pleni sunt, perfecti verò donis, ac beneficiis onusti. O inæqualis sors, ô dispar onus, ô variā plenitudo? Mali replentur peccatis, vt pereant; imperfecti grauantur imperfectionibus, vt donec eas deponant, crucientur; sancti onerantur beneficiis, & donis, vt hoc onere se miseriis & malis expediant. Mali, & imperfecti tamquam serui onerantur, aut peccatorum, aut imperfectionum compedibus: perfecti tamquam arbores fructiferæ, onerantur donorum fructibus. Istud est iugum suaue, & onus leue,] quod ceruicibus eorum insidet, & Dominus super humeros ipsorum imponit. Decet enim bonum Dominum dilectos suos peccatorum oneribus expedire, & donorum ponderibus onerare. Bernardus profectò iugi, & oneris nomine hoc onus donorum & beneficiorum intellexit: nec immeritò, quoniam onus impositæ legis, gratiæ donum est, cuius obseruantia perfecta cætera in animam dona inuehit. Eius verba sunt. Laborantes ad refectionem inuitat, ad requiem prouocat oneratos. Non tamen interim onus subtrahit, aut laborem: magis autem onere alio, alio labore commutat; sed onere leui, suaui iugo, in quibus requies, ac refectio, & si minus appareat, tamen inuenitur. Graue onus iniquitas, sedens super talentum plumbi. Sub hac gemebat sarcina, qui dicebat: Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, & sicut onus graue grauatæ sunt super me.] Quod ergo onus Christi, quod onus leue? Vt quidem ego sentio, onus beneficiorū dulce onus: sed ei, qui sentit, ei qui experitur. Alioquin si non inuenias, si non aduertas, graue omnino, & periculosum. Oneriferum animal homo tempore suæ mortalitatis. Si adhuc portat peccata sua, onus est graue: si iam fortè exoneratus est à peccatis, minùs quidem graue; sed si sanum sapiat, non minùs grandè onus inueniet, hanc ipsam, quam

Matt. 11.

Bern. ser. 15. in Psal. Qui habitat.

Psal. 37.

diximus,

Psal.115. Lucæ.5. Iob.31. diximus, exonerationem. Onerat nos, cùm exonerat Deus; onerat beneficio, cùm exonerat peccato, Vox onerati: Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi?] Vox onerati: Exi à me, quia homo peccator sum Domine.] Vox onerati: Semper enim, quasi tumẽtes super me fluctus, timui Deum.] Semper, inquit, timui: Sicut ante, sic post acceptam indulgentiam peccatorum. Beatus homo, qui ita semper est pauidus, nec minori angitur sollicitudine, ne fortè obruatur beneficiis, quàm peccatis.] Nemo est, qui non aliquid oneris portet, quoniam nemo, qui non diuinis beneficiis subsit. Sed si vis ad
Isa.58. plenitudinem hac pretiosa beneficiorũ sarcina onerari, & diuinis donis impleri, dissolue colligationes impietatis, solue fasciculos deprimentes, dimitte eos, qui confracti sunt, liberos, & omne onus peccati disrumpe.] Nec enim rex delinquentibus onera dignitatum imponit, nec diues direptoribus sarcinam suarum diuitiarum committit. Sic nec Dominus his, qui oneri peccatorum & iniquitatum seruiunt, onere suorum donorum magnorum, non tam onerari, quàm liberari permittit. Depone insuper onera imperfectionum tuarum, curas rerum sæcularium desere, & teipsum, onus quidem grauissimum, derelinque, vt Deus seipso te repleat donis suis impleat, & omni amore terrenorum vacuum, cœlestibus beneficiis magis magisque multiplicet.

Quanto honore Deus perfectos afficiat.

CAP. XXXIII.

HONOR regis, ait sanctus Dauid, iudicium diligit: quo ostendit, honorem à Deo summo Rege delatum, non temerè iustis attribui, sed
Psal.99. iustissima æquitatis lance librari. Æquum ergo est, vt omnium iustorum iustissimi, quales sunt viri perfecti, amplıori reuerentia ac honore dignentur. Qui cùm maxima dona suscipiant, eisque gloriosiores appareant, maiori honore digni iudicandi sunt, si omnis natura, & omnis hominum natio non fallitur, quæ semper melioribus maiores honores decreuit. Hic perfe-
Lib. 1. ctorum honor post eorum dona nunc explicandus est, & quidem breuiter, quoniam in prima huius operis tractatione multa de honore religiosorum diximus, quem illi præcipuè habent, quia statum adipiscendæ perfectionis profitentur, & viri sancti à sæcularibus existimantur. Conabimur autem noua dicere, (nam in rebus diuinis facile est noua considerare, & inuenire) & à repetitione dictorum abstinere. Virtus via est, per quam ad honorem & gloriam peruenitur, non quia ipsa honorem quærat, nã (si vera est) suiipsius bonum, & Dei beneplacitum expetit, sed quia (Deo disponente) dum placere Deo quærit, in gloriam etiam & honorem incurrit. Qui cùm sit præmium virtutis, eo in loco collocatus est, vbi virtus aliud præoptabilius quærens, illum quoque velut suæ pulchritudinis congruum inueniat. In
Psal.23. Psalmis legimus: quoniam Dominus virtutum ipse est Rex gloriæ.] Qui enim facit, vt virtutem sectemur, facit etiam, vt gloriam & honorem vel nolentes acquiramus. Et iterum in alio Psalmo: In terra deserta, inuia & inaquosa: sic in sancto apparui
Psal.62. tibi, vt viderem virtutem tuam & gloriam tuam.]

A Quid est hoc? Nisi quòd qui in hoc sæculo bonorum deserto, ac vacuo, & via veritatis carente, & fructu bonarum actionum orbato, se apud Dominum sanctitatis amatorem exhibet, dum virtutem habet; gloriam cum ea & honorem retinet? Ac demum alio loco de sanctis scriptum est: Domine in lumine vultus tui ambulabunt, & in nomine tuo exultabunt tota die, & in iustitia tua exultabuntur.] Iu- *Psal.88.*
stitia quidem illos exaltat, atque magnificat cuius causa homines & Angeli eos suspiciunt, ac venerantur quos pulchra virtus sibi in sponsos adiunxit. Quia nobilis, inquit, vir eius, quando sederit cum *Prou.31*
senatoribus terræ.] Quis est vir eius? sanè qui muliebrem infirmitatem exuens, & virorum fortitudinem induens, iniuit cum virtute commercium, &
B tamquam sponsam clarissimam in domum sui cordis deduxit. Gloria virtutis sanctorum Domine tu *Psal.88.*
es,] quoniam virtutis amatores gloriosos efficis, honorabiles reddis, & honorem illis verissimum non fucatum, nec simulatum constituis, & gloriam spontaneam non violentia extortam discernis. Meritò autem Dominus ita statuit, vt studiosis virtutis honor, ac gloria tribueretur, quia, vt inquit Bernardus; Quæ sine virtute est gloria, profectò indebita venit, præproperè affectatur, periculosè capratur. Virtus *Bernar. ser. 1. de sancto Victore.*
gradus ad gloriã, virtus mater gloriæ est, Fallax gloria, & vana est pulchritudo, quam illa non parturiuit; sola est, cui gloria debetur iure, & securè impenditur.] Si hoc ita est, perspicuè liquet perfectos viros honore esse dignissimos, quorum non ordina-
C ria est virtus, non segnis: sed eximia, feruens, atque perfecta. Si enim ferrum magnetem quemlibet sequitur, fortiorem ac robustiorem magis sequetur. Ita si honor virtutis est comes, eam, quæ pulchrior, & perfectior est, vehementiùs & delectabiliùs comitabitur.

Habent quidem perfecti omnes causas, nulla excepta, propter quas solemus homines alios honorare. Honore ac reuerentia afficimus nobiles, & sanguine illustri progenitos: Sed omnes perfecti sunt nobilissimi, licèt secundùm carnem ex vili prosapia nascantur, quoniam sunt fratres sanctorum, cognati Angelorum, & domestici, ac filij Dei. Quos non aliena parentum merita prouexerunt, sed propria facinora extulerunt, & præstantissimi pro obtinenda
D virtute labores exaltarunt. Honoramus diuites? Sed perfecti extrema quoque mendicitate oppressi, squalore, & inedia confecti, & rebus humanis destituti, ditissimis sunt ditiores, quia si aurum, & argentum, & res perituras non possident, quia eas cum Paulo *Philip.3.*
arbitrantur stercora, virtutes, & Spiritus sancti dona, & consolationes cœlestes, & ius ad regnum cœlorum, veras diuitias, & semper duraturas obtinere noscuntur. Honoramus sapientes, ac literatos: sed perfecti sunt sapientissimi, qui sciunt seipsos, & ideò tam verè seipsos despiciunt, qui sciunt Deum, ac ideo illum tam ardenter sitiunt, tam diligenter quærunt, tam efficaciter complectuntur: sciunt vias virtutis, & semitas sanctitatis, quas etiam in obscura
E nocte aduersitatis sine vlla offensione percurrunt. Hæc verò est sapientia vera, quam qui ignorant, quamuis de rebus humanis acutè disputare & disertè loqui sciant, cæci & stulti reputantur. Honoramus in aliqua dignitate positos: sed perfecti non vna dignitate, sed multis atque amplissimis nobilitati sunt. Ipsi enim sunt Iudices, qui impios in die nouissimo iudicabunt, ipsi reges, qui in æternum cum Christo regnabunt: ipsi sacerdotes, qui hostias semper laudationis offerent. Honoramus vtiles nobis aut toti regno proficuos? Sed perfecti manum Do-

mini super peccatores extensam detinent, indulgentiam, & dona impetrant, & totius Ecclesiæ decus, & ornamentum existunt. Honoramus denique fortes, & eos, qui in prælio hostes prostrauerunt? Sed ipsi quicquid vitiosum est, fortiter vicerũt, & de hostibus animæ gloriosam victoriam reportarunt. Nec obstat quòd aliqua illis victoria obtinenda supersit, neque enim duces reipublicæ pro extrema victoria solùm, sed pro quacumq; victoria obtenta immensis laudibus celebrantur, præmiis cumulantur, & ipsorum tépora victorum serto cinguntur. Nam & Dauidẽ prima suæ vitæ victoria potitum, qua Philistæum, in lapide & funda deiecit, omnis Israel cum triumpho, & canticis laudationum excepit, puellis ludentibus, atque cantantibus percussit Saul mille, Dauid decem millia.] Sic & perfectum virum ob partas de hoste victorias, omnes dignum honore ducunt, & pro obtinendis ipsum patienter expectant. Perfecti igitur sanctitatis amore seipsos dignos honore fecerunt; quare Paulus ait: Gloria, & honor, & pax omni operanti bonum,] & paulò superiùs: Iis, qui secundùm patientiam boni operis gloriam, & honorem, & incorruptionem quærunt, vitam æternam Dominus abundanter donabit.]

1. Reg. 18.

Rom. 2.

Quia ergo viri perfecti maximo honore digni sunt, Dominus qui iustus est, & iustitiam dilexit, & æquitatem vidit, vultus eius,] eos non solùm postquam sunt vita functi, sed etiam dum viuunt, facit maximo honore à cunctis venerari. Sanctos enim ex hac mortali vita ad immortalem, & ab exilio ad patriam translatos, quàm maximis honoribus omnis fidelium cœtus prosequitur. Nam ante perfectorum corpora, atque reliquias, non tantùm communes homines, verùm principes quoque, & reges, ac sacerdotes, necnon & ipsi Pontifices maximi genua flectunt: eorum auxilium poscunt, coram Deo intercessionem efflagitant, ossa complectuntur, induméntorum particulas exosculantur, templa Domino pro ipsorum honore condunt, imagines erigunt; solemnitates celebrant, & in his atque aliis honoris signis, sanctos Deo coniunctos, & illius supernæ patriæ ciues, & diuinitatis participes profitentur. Non tamen Dominus in futuram vitam, omnem sanctorum honorem reseruat, sed in hac etiam amplissimo honore re multiplicat. Omnes namque, qui viros perfectos agnoscunt, (cognoscunt verò eos plurimi, quia sicut non potest lux, aut ignis occultari, ita nec splendor, ac feruor sanctitatis abscondi) illos tamquã viros diuinos timent, & in corde suo magnos, & beatos existimant. Quod & sanctis Apostolis apud rebellem populum contigisse, sacra Scriptura commemorat. Cæterorum nemo, inquit, audebat se coniungere illis, præ timore scilicet, ac reuerentia, sed magnificabat eos populus.] His itaque, quos viros innocentes, & puros existimant, aliquod malum inferre verentur: eis sanctitatis nomine in aliqua necessitate constitutis, subueniunt: absentes collaudant, præsentes reuerenter aspiciunt, benignè alloquuntur, si naturalem aliquem defectum habeant (nec enim gratia semper naturam omnino mutat) patienter sustinent, de illis magna & difficilia confidunt, ipsorum consilium (quamuis sint ignorantes) libenter admittunt, & si infirmentur, beatum ducunt illis inseruire, sordes abstergere, & vilibus quoque eorum obsequiis occupari. Denique licèt homines, quod ad externam significationem attinet, nobiles, & in dignitate constitutos, & reges magis honorent (id quippe optimus ordo Ecclesiæ exigit) tamen interiùs viros sanctos magis æstimant, feliciores putant, domi reuerentia, & honore digniores existimant,

Psal. 10.

Actor. 5.

quia abundantiùs ipsi diuinam maiestatem participant, propter quam participationem reuerentia homini deferenda est. Egregiè ergo Chrysostomus fingens se cum nobili gentili habere colloquium, cuius filius ad fidem conuersus viam perfectionis intrauerat, persuadet illi, filium à sæculi vanitate, ad sanctitatis veritatem translatum, ampliori honore fulgere, quàm si ad reipublicæ dignitates ascendisset. Sin autem, inquit, honorari cupis ex filio, nec vllis esse contemptui, (par enim est his quoque te moueri, atque ea cupere:) nescio quo pacto id vberiùs cõsequi possis, quàm vt eum habeas filium, qui naturam excedat humanam, quique in toto terrarum orbe illustris, & clarissimus habeatur, cúmque sit tanta virtute, & potestate, neminem habeat inimicum. Nam si vestra hac potentia præditus fuisset, habuisset quidem plurimos, qui vererentur, verùm nec pauciores qui odissent: at hîc illum omnes, & iucundè, & cum voluptate honorant. Si enim nonnulli humili loco nati, agrestiumque operariorum filij, cùm ad hanc se philosophiam contulissent, adeò cunctis fuere venerabiles, vt ne hi quidem, qui in summis dignitatibus agebant, erubescerẽt proficisci ad illorũ tuguria, & cum eis colloqui, mensæque participes fieri: quin ita fuere affecti, tamquã bonis maximis, id quod erat verissimum, potiti fuissent: multò sanè magis id facient, cùm viderint hunc illustrissimo ex genere clarissimísque diuitiis summa illa ex spe, ad eam se virtutem contulisse. Itaque quod tu maximè querereis, ex his, eum ad illa transisse, id in primis est, quod illum maximè omnium & probatum & spectatũ facit; omnes, vt illum tueantur, inducit, non planè quasi hominem, sed iam penitus, vt Angelum.] Hactenus Chrysostomus; ex quo discimus quanto honore homines, eos qui se Deo consecrarunt, honore afficiant, non solùm quando hi Deo dediti illustres sunt, sed etiam ignobiles atque plebij; quorum conuictum & mensã (solùm ob id quòd sancti sunt) adeò sæculi principes non horrent, vt ea sibi tũ vtilia tũ honoribilia ducãt.

Chrysost.

Ex alio autem capite perspici potest, quantùm hic perfectorum honor nobilium & diuitum honorem superat, quod scilicet hos, ex eo, honore prosequimur, quia aliquid regiæ dignitatis participant, vel in aliquo saltem à longè regiam dignitatem referunt, & aliquas actiones principium ac regium exercent, vt imperare, iura dare, causas finire, & populorum gubernationem suscipere: illos verò ideo honore afficimus, quia Deum in se habent, quia eius virtutes, & perfectiones imitantur, & quia aliquid (vt ita dicam) diuini muneris exequuntur. Nam eorum oratio homines à Dæmonibus liberat, à populis mala propulsat, prosperitates affert, & vniuersos ad virtutem, ad sanctitatem, ad vitæ cœlestis desiderium impellit. Sicut autem præstabilius est Deum referre, quàm regem, & Dei munera, quam hominis imitari, ita sublimior honor perfectis attribuitur, quàm nobilibus huius mundi confertur. Vnde Salomon perfectionem sectãtibus, honorem plusquam regium & imperatorium pollicetur, dicens: Arripe illam, & exaltabit te: glorificaberis ab ea, cùm eam fueris amplexatus. Dabit capiti tuo augmentum gratiarum, & corona inclyta proteget te.] Mundana namque nobilitas hominem, ad tempus; sanctitas, in æternum exaltat. Nobilitas, amicum regum; perfectio, Dei amicum & Angelis parem constituit. Illa se amplectentes curis & negotiis laboriosis onerat; hæc quia sine onere magnos facit, se complexantes glorificat. Illa capiti, id est, menti nobilium solet per occasionem addere augmentum vitiorum, nam ex nobilitate superbiunt, & in omnia illa

vitia,

vitia impingũt, quorum est superbia principium: hæc perfectorum mentibus addit quotidie augmentum donorum, ac spiritualium gratiarum, quia ex perfectione se deiiciunt, & illas virtutes assequuntur, quæ humilitati semper adhærent. Nobilitas deniq; corona insidiante circundat, quia multi nobilibus inuident, multi prosperitati eorum, ac diuitiis insidiantur. At perfectio cingit capita perfectorum corona protegente, omnes enim perfecto famulantur, & necessaria subministrant, & tantùm abest, vt eum lædant, quòd ad ipsum, vt ad asylum confugiunt, & suiipsorum adiutorem profitentur. An non id Basilius ait, qui proposito præmio, quo viri perfecti post mortem coronantur, hæc subiicit, cum illo loquens, qui vitam perfectam excolit: Quòd si defunctum iam certaminibus, nihilominus in terris te tamen remanere ille voluerit, quò plura tibi, eáque à prioribus diuersa, suscipias, susceptáque luculenter conficias, atque ista ratione plerosque cùm à visibilibus, tum etiam ab inuisibilibus hostibus tutos conserues, nolito dubitare: quandoquidem magna sic etiam tibi in terris parata gloria est: eisque apud amicos in pretio, qui te sibi adiutorem ac deprecatorem egregium inuenerint: hi tibi, veluti strenuo militi; alimenta suppeditabunt: hi, vt fortissimum victorem omni bonorum genere cumulabunt: lætabundíque veluti Dei Angelorum excipient, & (quod Paulus ait) vt Christum Iesum.] Quis nunc dubitet à perfectorum honore omnem humanum honorem excelli? Si quidem iste secundùm nomen suum humanus est, quem mortales sæpè timore, aut spe lucri coacti exhibent; ille verò cælestis, atque diuinus, quem ob diuinam amicitiam, ac vitam cælestem, & non timore, sed amore & admiratione capti decernunt.

Basil. præfa. in Ascetica.

Rom. 15.

Ex eo verò quòd honor iste sanctorum tam eximius est, prouenit, vt ad eum exhibendum homines mirabiles reuerentiæ significationes faciant, & coram sanctis plusquam coram principibus, aut regibus se deiiciant: Numquam enim rex alteri regi cor suum aperiet; angores, quibus quatitur, pandet; infirmas vires, aut aliquid aliud infirmitatem olens, manifestabit; qui indignum ducet se, aut dubium in rebus agendis, aut infirmum ostendere. At viro iusto, & in sua opinione sanctitatis amatori, nihil occultum tenebit, sed quidquid miseriæ est, quidquid infirmitatis, illi tamquam adiutori, & deprecatori apud Deũ libenter aperiet. Vnde Ezechias exercitu regis Assyriorum oppressus, & magno timore concussus, misit, qui dicerent Isaiæ: Dies tribulationis, & increpationis, & blasphemiæ dies iste: venerunt filij vsque ad partum, & vires non habet parturiens.] Quod certè alio regi, præsertim à quo aut militarem manum aut pecuniarum subsidia non speraret, manifestare erubesceret. Numquam vnus rex manum alterius exosculabit, aut ei velut minister mensam apponet, aut quasi famulus sedenti, & comedenti seruiet. Faciet autem hæc cum viro sancto, quinimò magnum Dei donum iudicabit. Confirmet hoc historia scitu dignissima, quæ nobis quidem legentibus fuit admirabilis, quam Seuerus Sulpitius de Maximo imperatore, & eius vxore imperatrice, necnon & de beatissimo Martino episcopo Turonis enarrat. Referam verò eam huius sancti & sapientis viri verbis, ne aliquid de eius suauitate detraham. Hic (scilicet Maximus Imperator) Martinum sæpiùs euocatum, receptúmque intra palatium venerabiliter honorabat: totus illi cum eo sermo de præsentibus, de futuris de fidelium gloria, de æternitate sanctorum, cùm interim diebus ac noctibus de ore Martini regina pendebat, Euangelico illo non inferior exemplo, pedes sancti

4. Reg. 19

Sulpitius 2. dialog. c. 7.

A fletu rigabat, crine tergebat. Martinus quem nulla vmquam fœmina contigisset, istius assiduitatem, imo potiùs seruitutem non poterat euadere: non illa opes regni, non imperij dignitatem, non diadema, non purpuram cogitabat, diuelli à Martini pedibus solo strata non poterat. Postremò à viro suo poposcit; dein de Martinum vterque compellunt, vt ei remotis omnibus ministris, præberet sola conuiuium: nec potuit vir beatus obstinatiùs reluctari. Componitur castus reginæ manibus apparatus, sellulam ipsa consternit, mensam admouet, aquam manibus subministrat, cibum, quem ipsa coxerat, apponit; ipsa, illo sedente eminus secundùm famulantium disciplinam solo fixa consistit immobilis, per omnia ministrantis modestiam, & humilitatem exhibens seruientis. Mis-

B cuit ipsa bibituro, & ipsa porrexit. Finita cœnula fragmenta panis assumpti, micásque colligit satis fideliter illas reliquias imperialibus epulis anteponens.] Quando rex alteri regi simile obsequium impendit? quando sponte illi ministrauit? quando mensam ipse præparauit? quando cibum, & potum apposuit? & coram illo sedente more seruorum rectus stetit? Tale ministerium ab vno rege alteri exhibitum nec legimus, nec audiuimus, nec æquum iudicauimus. Honor verò iste, qui principibus & regibus denegatur, datus est viro perfecto, & iustè datus, siquidem illo emitur regnum cœlorum, vt appareat quantis gradibus sanctis adhuc in terra viuentibus delatus honor, omnem gloriam, & honorem potentum excellat.

C Si volumus ergo honoris desiderium immodicũ primorum parentum in nos delicto transfusum moderari, hunc honorem verissimum non tam in seipso, quàm in eius radice, scilicet in sanctitate quæramus, & sic terrenos honores, vt puerorum ludicra despiciemus. Honor hic sæcularis, vt inquit Chrysostomus, infamia, nugæ, ignominia est, sicut mundi diuitiæ supernis illis collatæ, paupertas; & vita hæc, sine illa, mors est. Amatur iste, quia deest nobis diuinus ille. Sicut enim qui carent pretiosissimis cibis, viles diligunt, quos tamen, illis habitis, non sine nausea proiicerent: sic quia caremus verissimo honore sanctorum, hunc fucatum venamur, & magnis laboribus animi, & corporis exquirimus, quem si illũ haberemus, sine vlla difficultate aspernaremur.

D O igitur tu, qui mundo mortuus, & in statu humilitatis positus, honoris, & gloriæ mundanæ stimulis te sentis vrgeri, audi à beato Ephræm, in quo verus honor & vera gloria consistat. Audi, non vt audias, sed vt quæras, & inanem ac velocissimè transeuntem sæculi gloriam contemnas. Gloria Christianorum inquit ille, Dei præceptum est. Gloria Christianorum, Apostolorũ & prophetarum doctrina. Gloria Christianorum, humilitas animi est, spiritualis paupertas, atque obedientia. Gloria Christianorum, Psalmodia cum compunctione. Gloria Christianorum pœnitentia cum lacrymis. Gloria Christianorum, mansuetudo, & quies, omnibúsque se submittere, ac reuerentiam tribuere. Gloria Christianorum, pedes fratrum

E lauare. Gloria Christianorum est dicere socio: Peccaui tibi, ignosce mihi. Gloria Christianorum aduenarum & peregrinorum est receptaculum, atque compassio. Gloria Christianorum, & salus est semper mensa sua pauperes, orphanos, aduenásque excipere: hanc etenim domum Christus sua numquam præsentia destituit. Gloria Christianorum est, non sinere solem occidere super iracundiam suam, neque in inimicitia aduersùs aliquẽ obdormiscere. Gloria Christianorum, atque corona est, tribulationes sufferre, & non indignari, talísque amicus reperitur illius, qui

Chrysost. hom. 42. in Ioan.

Ephræm de amore pauperũ.

dixit:

dixit: Quoniam tribulatio vestra conuertetur in gaudium.] Illa omnia sunt verus honor, & vera sanctorum gloria, quoniam eos honorabiles reddunt, & verissimum honorem habentibus deferunt. Hunc tu honorem quære, hunc non vanis laudationibus, sed peccatorum, & defectuum confessione, non ineptis dignitatum prensationibus, sed virtutum exercitatione ambi. Ita honorem assequeris, quem non maledicorum morsus adimat, quem non dignitatis persunctio diuellat, quem non diuitiarum amissio consumat, sed in æternum honorem commutatus, semper floridus imperturbatus, & omnibus admirandus existat.

De victoriis perfectorum.

CAP. XXXIII.

Dilectus Domini Ioannes in sua reuelatione, sanctorum futuram gloriam post præsentem tribulationem delineans, vidit eos stantes ante thronum, & in conspectu agni, amictos stolis albis, & palmæ in manibus eorum.] Statio quidem ante thronum sanctorum, honorem amplissimum; amictus albus, quo Agnum imitantur; eorum vitam purissimam; & palmæ manibus prælatæ, victorias obtentas de hoste designant. Nihil enim gloriosius, quam principum more coram solio Regis regum stare: nihil purius, quam in conspectu Agni quempiam candidum apparere; nihil victoriosius, quàm inter cœlites victorem hostium pronunciari. Licet autem honor victoriam subsequatur, in reuelatione Ioannis sermone præcedit, quoniam de postrema sanctorum victoria, aut de omnibus ipsorum victoriis loquebatur, quarum finis expectandus non est (sicut diximus) vt eos honore, ac reuerentia celebremus. Ideóque sanctorum honor ante victoriam à nobis est expositus, quoniam non vnam tantùm victoriam, sed vniuersas ipsorum victorias non tam prosequi, quàm attingere cupimus, post quas omnes non honorem apud homines, sed præmium apud Deum confidenter expectant. *Apoc.7.*

Perfectos igitur esse victores inde constat, quòd primò pro fortitudine sibi data ad præliandum, deinde pro ipsa obtenta victoria immensas Deo gratias referunt. Gratiarum actio ipsorum, est illa prophetæ cantilena: Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum.] Fatentur his verbis se, non propria virtute, sed virtute Domini de hoste reportare triumphos. Fatentur se minùs expertos ad bellum esse, & à Domino instrui, atque eius viribus adiuuari. Fatentur ingenuè, quòd si suo duci non innitantur, nullatenus valebunt de virtutis hostibus triumphare. Cuius rei Bernardus est testis, qui de sponsa loquens, hæc ait: Frustra nititur, si non innititur, scilicet super dilectum suum. Sanè etiam contra se innitens inualescet, & facta seipsa valid ior, coget pro ratione vniuersa iram, metum, cupiditatem, & gaudium veluti quemdam animi currum bonus auriga reget, & in captiuitatem rediget omnem carnalem affectum, & carnis sensum ad nutum rationis in obsequium virtutis.] Iure autem confitentur sancti, à Domino manus eorum ad bellum instrui, & digitos ad accipiendum gladium, & lanceam conuenienter aptari, quoniam in Deuteronomio Dei auxilium ad præliandum & vincendum sibi promissum est. Si exieris, inquit, ad bellum contra hostes tuos, & videris equitatus & currus, & maiorem, quàm tu habeas, aduersarij exercitus multitudinem, non timebis eos; quia Dominus Deus tuus tecum est, qui eduxit te de terra Ægypti:] Terra Ægypti vita prophana est, à qua viri perfecti, potestate Dei educti sunt, & ad terram promissionis, id est, ad vitam sanctitatis amatricem trásla ti. In hac terra non omnia pacata sunt, non omnia secura, quia maxima hostium multitudo aduersùs sanctos insurgit, vt eos à terra, lacte & melle manante, quam semel possederunt, disturbent. At sancti & perfecti, iuxta datum sibi præceptum, non timent, neque hostibus inferiores se putant, nam Dominus à dextris est illis, ne commoueantur. Eandem gratiarum actionem pro adiutorio sibi dato, ad vincẽdum, idem sanctus Dauid sanctorum nomine alio loco decantat, dum ait: Docens manus meas ad prælium, & componens quasi arcum æreum brachia mea: Dedisti mihi clypeum salutis tuæ, & mansuetudo tua multiplicauit me. Accinxisti me fortitudine ad prælium: incuruasti resistentes mihi subtus me. Hoc opus Dei est, manus dissolutas ac debiles ad prælium instruere, & brachia carnis in brachia ærea, id est, fortia & robusta, commutare. Opus Dei est, hominem clypeo ad salutem munire, & aliquando, aut cadentem, aut nutantem erigere, ac vt ipse vincat, atque virtutibus augeatur, cum mansuetissimè sustinere. Opus Dei est, infirmitatem fortitudine cingere, & ex hostibus seruos facere, & eos ad vtilitatem hominum ordinare. Huic eximio beneficio sancti se gratos ostendunt, & pro eo læti gratiarum actionem non prætereunt.

Psal.143. *Bern. ser. 85 in cãt.* *Deut.20.* *2.Reg.22.*

Perfectorum quoque vox est, illa Pauli sententia, qua se vicisse & superasse testantur. Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum Iesum Christum.] Quam victoriam? Certè omnem victoriam: qua vniuersos suos hostes vicerunt, & non solùm in ditione sua, verùm etiam (quod mirũ est) in aliorũ ditione prosperarunt. Tres námque esse animæ humanæ hostes mundum, Diabolum & carnem nullus ignorat, de quibus Bernardus ait: Si essemus in domo illa non manu facta æterna in cœlis, vbi nullus inimicus intrat, nullus exit amicus, nihil esset timendum. Nũc verò tribus malignissimis, & validissimis ventis expositi sumus, carni, diabolo, & mundo, qui conscientiam illuminatam moliuntur extinguere, insufflantes in cordibus nostris desideria mala, motus illicitos; & ita te repentè turbantes, vt vix prænoscere valeas, vnde venias, aut quò vadas.] His hostibus impij seipsos ligatos & compeditos dediderunt, de quibus dictum est: Percussimus fœdus cum morte, & cum inferno fecimus pactum:] Imperfecti verò in rebus minoribus se illi pusillanimiter subiecerunt, quorum oblatos honores amant, suasiones, si non recipiunt, auscultant, & commoda consectantur. At perfecti viri quàm longissimè possunt, ab se ablegant, & tãquam cum immanissimis hostibus nullum patiuntur cum eis inire commerciũ. Imò illos victos ac superatos à se fugant: & quisq; eorũ dicit & facit illud Dauidis: Persequar inimicos meos, & comprehendã illos: & non conuertar, donec deficiãt. Confringã illos, nec poterũt stare, cadẽt subtus pedes meos. Gloriosè mundum primum hostem perfecti vincũt, cuius laudes fugiunt, cuius dignitates despiciunt, cuius diuitias paruipendũt. Nõ illi plausus hominum ob rectè facta quærunt, imò quantùm decet, & licet, seipsos ab obtutibus humanis abscondunt; ne vana laus thesaurum virtutum, ac sanctarum actionum surripiat. Non dignitates ambiunt, neque

1.Cor.15. *Bern. ser. 3. in vigilia Natiu. Domini.* *Isa.28.* *Psal.17.*

ad præ

ad prælationes anhelant, sed eas tamquam periculorum semina,& distractionis initia constanter deuitant. Non opes congregant, sed magnas diuitias reputant, rebus terrenis carere, vt seipsos amori cœlestium accōmodent, & cor suum in tranquillitate possideant. Ideo mundus eos vt hostes odio habet, vt fortes timet, vt sibi contrarios vitat, & sæpè dum illi necessitate compulsi, ab huius seculi splendore se exoluere non valent, ipsis ad eorum bonum tamquam vilissimum mancipium inseruit. Magnum enim perfectorum bonum est, quin & magna gloria Dei, si illi opibus cumulati,dignitate amplissima sublimati,& eximiis honoribus amplificati, nec amore opibus hæreant, nec de dignitate gaudeant, nec de honore superbiant. Quibus illud Pauli omnino congruit.Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.] *Galat. 6.* Mundus crucifixus est illis, quos suorum bonorum contemptores, suæ doctrinæ irrisores, & suorum militum persecutores iudicat. Et illi crucifici sunt mundo,cuius opera atque doctrinam onus importabile putant. Mundus illis est crucifixus, quoniam, vt inquit Chrysostomus, omnia quæ vulgo putantur magnifica, illis sunt mortua. *Chry. hō. ad Gala.* Et ipsi mundo, quia mundanum rerum cupidine non tenentur, quippe qui mortui sunt illis. Non potest maior esse victoria, quàm hostem interimere, & ne vmquam se iterum efferat, vita priuare. Vnde perfecti victores sunt mundi, cuius in se desideria interficiunt, & planè illum in semetipsis occidunt. Nec potest aliquis vincere, nisi viuentem, quem, dum resistit, superat, & in suam redigit potestatem. Non ergo perfecti vmquam à mundo vincentur, si à sua perfectione non decidunt, quia velut mortui, neque eius minas audiunt, nec promissiones, quibus illiciantur, aduertunt, neque pœnis inflictis resistunt. Non solùm autem perfecti, quia mundo mortui, minimè à mundo vincuntur, verùm ipsum quoque vincunt, atque disiiciunt, quoniam mundo mori, non est aliud, quàm vires infringere, & quidquid ipse magnum reputat,conculcare. Quòd si, vt mundo mortui,viri perfecti mundum prosternunt, quantò magis illum vt Christo viuentes superabunt, quia iam non tantùm quod in mundo lucet, despiciunt, sed omnibus rebus mundanis superiores facti vitam quandam supra mundanam, id est, cœlestem, instituunt. Ad hanc autem victoriam Saluator noster Christus animat sanctos suos, dum ait: In mundo *Ioan. 16.* pressuram habebitis: sed confidite, ego vici mundum.] Tribulationes enim patiūtur sancti, quia mundum sibi aduersarium sentiunt. At in duce suo Christo confidunt,quē si illum, vt milites strenui sequuntur prælio, non dubium, quin cum Christo vincente vincent,& cum Christo mundum superante, superabunt.

Victoriam etiam perfecti de diabolo secundo hoste reportant. Nam si diabolus superbia, inani gloria, inuidia, & tristitia aduersùs perfectos præcipuè pugnat, ipsi dum hæc à se propellunt, diabolum pugnantem, & non præualentem dispellunt. Perfecti humiles sunt,qui nec virus superbiæ, nec inanis gloriæ suscipiunt. Fratrum amatores sunt, qui bona fratribus cupiunt,nec de eorum prosperitate tristantur. Hæc ergo dæmonis tela non illis officiunt. At aduersarius iste non his solis armis pugnat, sed omni armorum genere, omni scilicet apparatu vitiorum humanum genus debellat. Ita est. Sed sancti, qui ad genus humanum natura pertinent, sed virtute naturam excellunt, nullis armis diaboli debellantur, imò ipsum vincunt, atque subiiciunt, quoniam validioribus omnium virtutum armis instructi sunt. Denique arcus fortium superatus est,& infirmi accincti sunt robore.] *1. Reg. 2.* Illi enim, qui non tantùm natura, sed in sua etiam æstimatione infirmi sunt, quia veri humiles,& de se submissè sentientes, cœlesti robore proteguntur, vt arcum fortissimorum dæmonum superent, & ignitas eius sagittas extinguant. Videbis dæmones sibilantes, & nescio quas fictas dilicias, & impuras voluptates susurrantes, & nonnumquam amarissimas quasdam tristitiæ & indignationis cogitationes obmurmurantes; & videbis perfectos, nec furtiuè auscultantes (quod non semel imperfecti faciunt) sed aures suas diligenter obturantes, ne vocem incantantium audiant, quæ ipsos non aduertentes decipiat. Audiuit Eua vocem *Genes. 3.* serpentis, & auscultauit, & longam cum eo disputationem contexuit, & verbis astutissimi argumentatoris capta est, eiúsque persuasionibus compedita: Hi verò prudentia communem viuorum matrem vincentes, non cum dæmonibus disputationem ineunt, non ad verba ipsorum attendunt, non vel leuem vocis sonum excipiunt, sed caput serpentis,id est, initium tentationis, conterunt, & in visceribus Iesu Christi, aut intra proprium cor semetipsos abscondentes, dæmones, qui oblatrabant, irrisos extra relinquunt. Illa, quam imperfecti imitari solent, initium suggestionis admisit, post quod totum corpus tentationis ingressum est, consensum extorquens, & ipsam & nos omnes occidit. At perfecti in hoc ab imitatione matris se subtrahunt, & vt non consentiant, quantùm possunt,non sentiunt, nec primam decipientis vocem excipiunt. Sciunt namque scriptum esse in Iob, caput aspidum suget, *Iob 20.* & occidet eum lingua viperæ.] Id est, qui initium suggestionis diabolicæ libens suscipit, morti inscius seipsum tradit. Et ne in hanc miseram mortem incurrant, caput, aut fel aspidum sugere, & prauam cogitationem corde voluere reformidant. Ecce ergo victores diaboli, qui armati virtute Christi, totum infernum suis pedibus strenuè subiiciunt. Meritò verò armati Christi virtute dicuntur, qui vt vincant, charitate cinguntur, virtutibus roborantur, gratia Christi proteguntur, sine qua miserrimè vincerentur. Quare si victores sunt, vincit Christus in illis, de quo ait Ioannes,quia exiuit vincens, vt vinceret.] *Apoc. 6.* Nam ob hoc tentationes suas vicit, quibus diabolus eum aggressus est, vt tentationes suorum, quemadmodum Rupertus ait,adiuuando superaret.] *Ruper. li. 4. in Apoca. ad c. 6.* Nec id Apostolus siluit,dicens:In eo,in quo passus est ipse, & tentatus,potens est,& eis,qui tentantur,auxiliari.] *Hebr. 2.* Ipse itaque victor diaboli viros perfectos eiusdem hostis victores fecit, & superbissimum inimicum, dum nec ad colloquium admittunt, eorum potestati subiecit.

At carnem suam, hostem vtrique omnium potentissimum, non minùs potenter deiiciunt. Cui, cùm perfecti viri licita, & permissa negant, non difficulter à vetitis illicitísque compescunt. Ita eam domant, & assiduæ mortificationis censura distringunt, vt sola necessaria vix accipienda cupiat, & à non necessariis abstineat. Ita sensus à corruptibilibus rebus abducunt, vt studiosis actionibus occupatos, quos ante conuersionem arma iniquitatis experti fuerant, iam instrumenta sanctitatis videant. Quare seipsos vndique abnegantes, & omnes sensus, & corporis motus omni ex parte moderantes, carnis asseclas aduersùs spiritum vndique irrumpentes euincunt. Idque signatum est in Saule, cùm adhuc erat puer vnius anni, nec innocentiam perdiderat; de quo legimus: Quia confirmato regno super Israël, pugnabat per circuitum aduersum *1. Reg. 14.*

omnes inimicos eius, & quocumque se verterat, superabat.] Is, sicut post casum reproborum, ita ante lapsum perfectorum imago fuit, qui regnum virtutis stabiliter possidentes in circuitu aduersus sensus, & motus carnis pugnant, & quocumque se vertunt, illos expugnant. Quod mysterium in prædictis verbis inuolutum esse, Magnus Gregorius hac luculentissima oratione declarat. In circuitu quidem vincunt, quia linguam, & os, & oculos, & omnia corporis membra, ab illicita actione custodiunt. Dum enim linguam perfectè per silentium muniunt, quasi in vna parte victores sunt, & dum vident oculis, quæ concupiscere dedignantur, ex alia parte victores fiunt. Sæpè etiam mala audiunt, & repellunt, & quia noxia reprobant, reprobando triumphant. Cunctis ergo sensibus victores sunt, qui per eorum aliquem subdi malignis spiritibus nolunt. Sed & dum cordi inepta cogitatio offertur, hostis, qui reprobatur, eliditur. Qui enim noxia quæque abiicit, hostem potenter premit. Et qui item læta contemnit, & aduersa non metuit, quæ reliquit aliquando peruersa, non repetit, & ad cœlestia feruenter currit, hostes, quos in circuitu patitur, superare declaratur.] Perfecti ergo viri seipsos vndique munientes, & carnis, ac sensuum suorum illicitis motibus imperantes, gloriosissimam victoriam de importunissimo hoste consequuntur. Et quia bellum cum isto infestissimo inimico periculosius est, & victoria difficilior, ideo dum carnem vincunt, illustriorem mercedem accipiunt. Vincenti, inquit Dominus per os Ioannis, dabo manna absconditum, & dabo illi calculum candidum; & in calculo nomen nouum scriptum, quod nemo scit, nisi qui accipit.] Quisnam est iste vincens, qui inter septem victores tertio loco victor pronunciatur, nisi qui doctrinam Nicolaitarum vxores prostituentium explodit, qui persuasionem Balaam mittentis coram filiis Israël luxuriæ scandalum, reiicit; qui blanditias carnis in semetipso per continentiam interimit? Huic in huius victoriæ præmium datur manna absconditum, id est, perfecta contemplatio diuinorum, & calculus corporis munditia castitatis candidus, & nomen nouum, quo Christi filius quàm simillimus compelletur. Digna prorsus merces mundorum, qui nomen, & dignitatem splendidissimam lucrantur, dum carnis spurcitias & fœditates contemnunt.

Greg. lib. 7. in 1. Reg. ad. c. 14.

Apoc. 2.

Num. 24.

Has victorias de immanissimis hostibus viri perfecti in ditione sua, hoc est, in semetipsis, pariunt, sed alias non minùs gloriosas de eisdem hostibus in ditione aliena, nimirū in suis proximis, percipiūt. Quis enim sermone explicare poterit, quoties perfecti, peccatores orationibus à sæculo extrahunt, doctrina, à laqueis diaboli eripiunt, & solo exemplo à carnis nexibus liberant? Iusti enim vita, inquit Ambrosius, redarguit peccatorem, quem tacita maiore auctoritate condemnat, quàm si voce loqueretur.] Nec solùm sanctorum exemplum oculis iniquorum conspectum, hostes animæ superat, sed & virtus solo auditu percepta, aut in codicibus lecta, prosternit. Vnde Basilius ait: quòd cùm in sanctis voluminibus Mosis vitam, morum lenitatem, nostræ naturæ magnopere optatam audimus, statim æmulamur. Ioseph, dum audimus, aut legimus vitam, illius assequi casttiatem magnoperè cupimus. Si verò Samsonis narratur historia, ad illius imitandam fortitudinem accendimur. Quod autem Ambrosius & Basilius scripserunt, docuit sapiens luculentiùs, cùm de vera sapientia, id est, de virtutis perfectione, ait: Cùm præsens est, illam imitantur, prouocati scilicet exemplo eius; & desiderant eam, cùm se eduxerit,] nempe cùm se ab hominum conspectu, siue per mortem viri perfecti, siue per absentiam subtraxerit, & in perpetuum coronata triumphat, incoinquinatorum certaminū præmium vincens.] Prorsus bene; vt qui in semetipso, atque in aliis mundum, diabolum, & carnem vincit, triumphum, & coronam victoris assequatur, & in perpetuas æternitates mundissimorum certaminum, quæ non sanguine visibilium hostium cruentant, sed actibus studiosis purificant, felicissimè præmia conquirat. Est ergo perfectus vitiorum interfector, dæmonum profligator, passionum, & sensuum victor. Cui per omnia quadrat illa Machabæi præclara laudatio: Similis factus est leoni in operibus suis, & sicut catulus leonis rugiens in venatione. Et persequutus est iniquos perscrutans eos, & qui conturbabant populum suum, eas succendit flammis: & repulsi sunt inimici eius præ timore eius, & omnes operarij iniquitatis conturbati sunt; & directa est salus in manu eius.] Hic enim sicut leo fortissimus bestiarum, qui ad nullius pauet occursum,] nullum genus spiritualium præliorum intentatum relinquit: & sicut catulus leonis, qui solo rugitu bestias exterret, sic gemitibus vitia sua in fugam conuertit.] Hic affectus suos inordinatos scrutatur, non vt foueat, sed vt persequatur, & cohibeat eos, & noxia desideria cordis tranquillitatem turbantia, charitatis ardore succendi. Hic denique omnes hostes animæ suæ timore concutit, & à finibus suis, nimirum à sensibus, potenter auertit. Meritò profectò triumphali indumento, vestietur, & multis coronis coronabitur. Nam de sanctis scriptum est: Quia sedent circumamicti vestimentis albis, & in capitibus eorum coronæ aureæ.] Quis enim albam vestem meretur, nisi qui munditiam in vita seruauit? Et cuius caput multis, ac diuersis coronis ornatur, nisi qui non vnam solam victoriam, sed multas de hostibus reportauit? Imitemur ergo perfectos in fortitudine præliandi, atque in felicitate vincendi, vt cum illis consimilibus sertis coronemur.

Ambr. in Psal. 36. in illud. Obseruabit peccator.

Basil. ser. de sanct. Sordio. Martyre.

Sapien. 4.

1. Mach. 3.

Prou. 30.

Apoca. 4.

Quàm admirabilis sit perfectorum vita.

CAP. XXXIV.

EX his quæ hactenus dicta sunt, non erit difficile intelligere, vitam perfectorum esse mirabilem, quam tot & tam supernaturalia dona collustrant. Enimvero si miracula, secundùm nomen suum, magnam in mentibus hominum admirationem excitant, quia ordinem naturæ prætereunt, quantò maiorem perfectorum vita admirationem ingeret, quæ communem ac naturalem viuendi modū superans, spirituum cœlestium cœtibus se infert, & supra humanos affectus caput attollit? Multa quidem sunt, quæ eam admirabilem faciunt. Vnum eorū est raritas: quæ enim rara sunt; & non passim reperiuntur, semper hominibus admirationi fuerunt, licèt minora sint iis, quæ, quia communia, & quotidie visa, humanis oculis viluerunt. Hinc, vt Gregorius cōsiderauit, si mortuus suscitetur, si virga arida floreat, si homines multi frusto panis satientur, si aqua in vinum permutetur, vniuersi admirantur, quos tamen, si homo generetur, si ex arente terra arbuscula germinet, si ex vno grano plura multiplicentur, si humor terræ in

Grego. 6. mor. ca. 6.

vitem

vitem attractus, in vinum conuertatur, nulla subit admiratio, non quia hæc minora sint, sed quia communis diuinæ prouidentiæ cursus ipsa perficiens, ab hominibus non animaduertentibus admirationem subtraxit. Quamobrem sapienter Augustinus ait: Maius miraculum est gubernatio totius mundi, quàm saturatio quinque millium hominum de quinque panibus. Et tamen hoc nemo miratur, illud mirantur homines, non quia maius est, sed quia rarum est. Nihil autem sanctitate rarius, nihil vita perfecta desiderabilius, ergo nihil admirabilius inuenitur. Praui sunt innumerabiles: nam stultorum infinitus est numerus,] qui anfractus suorum affectuum sequentes in horrenda flagitia corruerunt. Communes boni in Ecclesia non pauci, qui diuinis se mandatis custodiendis addixerunt. Viri spirituales, & puritati animæ insistentes non multi (si cum aliis conferantur) qui terrenis rebus despectis assequendæ perfectioni diligenter insistant. At viri iam perfecti, & consummati paucissimi, quorum vita ad gradum sublimissimæ charitatis perueniat. Ad hæc enim omnia, quæ vita perfecta requirit, diligenter præstanda, quis tam idoneus? Et quis sapiens, & custodiet hæc; & intelliget misericordias Domini?] Si Moysem, & Aaron, & Samuelem hodie haberet Ecclesia, inquit Cyprianus, cùm inuocarent, exaudirentur; & orantibus Iob, & Noë, & Daniele, populo parcerentur. Rarus hodie Phinees, qui perfodiat impudicos; rarus Moyses, qui occidat sacrilegos: rarus Samuel, qui inobedientes lugeat; rarus Iob, qui pro filiorum negligentia sacrificium offerat: rarus Aaron, qui coram Pharaone comminationes diuinas edicat: rarus Noë, qui his, quibus submersio imminet, arcam bituminelitam prouideat.] Eandem autem raritatem indicat Iob, dicens, Sapientia vbi inuenitur, & quis est locus intelligentiæ?] Ac si diceret: Pauci sunt, qui mentem suam, veræ sapientiæ, id est, perfectioni, parant, & se illibatos in domicilium sanctitatis obseruant. Nec eiusdem oblitus est Salomon, dum scripsit: Mulierem fortem quis inueniet? procul, & de vltimis finibus pretium eius.] Quoniam pauci sunt, qui in statu imbecillitatis politi, se ad quætendam sanctitatem fortitudine accingant. Si ergo perfecti rari sunt, & viri sancti paucissimi, profectò eorum vita internos inspicientium oculos in admirationem rapiet, & supra omnes humanas res stuporem, & extasim excitabit. Istæ causæ sunt admirationis, inquit Augustinus, vel cùm ratio cuiusdam rei latet, vel eadem res vsitata non est, eo quòd aut singularis, aut rara est. At quæ ratio, aut causa ratione sanctitatis occultior, quam humanus intellectus non capit: cur scilicet Deus, cuius incomprehensibilia sunt iudicia, & inuestigabiles, viæ, hunc hominem despectum, & pauperem efficaciter ad sanctitatem vocet, & multos nobiles, & diuites, & literatos non vocet? Aut quæ res vita perfecta singularior, aut rarior, quam nec nobilitas, aut claritudo sanguinis donat, nec opum multitudo parat, nec improbus labor infert, sed sola abundantissima gratia, & efficacissima summi Dei vocatio hominis industria comitata conquirit?

Aug. tra. 14. in Ioā. — *Eccl. 1.* — *1. Cor. 2.* — *Psa. 106.* — *Cypr. lib. de operib. car. Christi. ser. de ieiunio.* — *Iob 28.* — *Prou. 31.* — *Aug. epi. 101 ad Euodiū.*

Habet quidem vita perfectorum tot stupenda, tot mirabilia, & humanæ vitæ cõtraria, vt vix stylus fatigatus; & ad finem huius tractationis properans, ad ea numeranda, aut colligẽda sufficiat. Humana vita cor in sinistro latere ponit, & ideo rebus ad sinistrã pertinẽtibus, id est, terrenis, adhæret, perfecta vita ipsum cor miro quodam modo ad dextrum latus transfert, dum affectum in rebus supernis constituit. Illa primùm corpus auget, & ad iustam magnitudinem pertrahit, vt postea diminuat, & in mortem vsque deiiciat: hæc spiritum promouet, vt numquam in puritate decrescat, sed ad eius perfectionem adductus, semper in illa persistat. Illa ad filiorum procreationem, ne natura hominis pereat, importunè mouet, & libidinis faces corpori admouet: illa, quia à filiorũ procreatione non pendet, & in seipsa sine carnali posteritate durat, ad omnem carnis & animæ puritatem vehementer instimulat. Illa extrorsus videt, & audit, gustat, odoratur, & tangit, quia res extra se positas diligit: hęc introrsus spiritualium sensuum actiones conuertit, quia Deum in meditullio animæ residentem sitit, & esurit. Illa res mundanas loquitur, & negotia sæcularia tractat, & lucris terrenis inhiat: ista, caduca & visibilia prætetit, vt in inuisibilium, & cœlestium possessione quiescat. Illa homines huius sæculi ad amorem honorum, & dignitatum, nec non ad desiderium opum & voluptatum instigat: hæc viros perfectos ad odium vitiorum, ad contemptum terrenorum, & ad studium omnis virtutis impellit. Viuunt ergo illi, & viuunt isti, sed illi secũdùm carnem, isti secundùm spiritum. Illi vitam agunt communem, quam doctrinis carnis, & sanguinis dirigit; perfecti verò agunt vitam mirabilem, & omnibus intuentibus stupendam, quam Euangelium docet, Spiritus sanctus inspirat, gratia dictat.

Mirabilissimum enim est, homines ignorantes, aut non magis quàm alij sapientes, naturam virtutum, quam eloqui nescirent, tam exquisitè cognoscere, & tam perfectè executioni mandare, & à rebus terrenis non tam auocatos quàm auulsos, in mysteriorum cœlestium contemplatione suspendi. Mirabile est, homines pauperes, sine possessione auri, & argenti, aut eorum, quæ auro & argento coëmantur, diuites esse, & dum diuitias temporales aspernantur, opibus crescere, & omnes reges ac principes bonorũ abundantia superare. Mirabile est, homines infirmos, & pusillanimes, sine clypeo, & galea, sine gladio, quo hostes offendant, in tantam fortitudinem deuenisse, vt dæmones rubore suffundant, totum infernum ad certamen prouocent, & aduersariarũ potestatum vires irrideant. Mirabile est, homines, qui seipsos abscondunt, & velamine humilitatis occultant, ipsa absconsione sua multò meliùs fulgere, & inter alios homines splẽdidiùs emicare. Mirabiles planè sunt isti viri, in quibus tam stupenda mutatio facta est, vt pro vitiis virtutes amant, pro honore ignominiam, pro abundantia penuriam, pro deliciis lacrymas, & singultus quærant, & pro rebus mundi, quas anteà tanto conatu dilexerant, res cœlestes; quas numquam viderunt, tam ardenter concupiscant. Aut potiùs mirabilis Deus in illis; quia mirabilis Deus in sanctis suis,] quos ita fascinat & sapientissima, ac felicissima incantatione dementat, vt cor humanum illicientia & captiuantia non sentiant, & res diuinas numquam visas, sed tantùm auditu perceptas, tam incredibili auiditate suspirent. Mirabilis planè Deus in sanctis suis, inquit Bernardus, non modò in cælestibus, sed etiam in terrenis. Vtrobique sanctos habet, & in vtrisque mirabilis est: illos quidem beatificans, istos sanctificans. An experimentum quæritis eius, de qua loquimur sanctitatis, & sanctorum vobis istorum miracula desideratis ostendi? Multi certè ex vobis, à peccatis, & vitiis, in quibus computruerunt tamquam iumenta in stercore suo, exiere viriliter: & quotidie impugnantibus eis potenter resistunt, iuxta Apostolum, qui de sanctis loquens vtique: Conualuerunt, inquit de infirmitate, fortes facti sunt in bello.] Quid mirabilius, quando is, qui priùs vix per biduum

Psal. 85. — *Bern. ser. 1. in dedicat. Eccl.* — *Hebr. 11.*

A poterat à luxuria, crapula, & comessationibus, & ebrietatibus, à cubilibus, & impudicitiis, cæterísque similibus, & dissimilibus vitiis continere, nunc ab eis continet multis annis, tota vtique vita sua? Quod magis miraculum, quando tot iuuenes, tot adolescentes, tot nobiles, vniuersi denique, quos hîc video, veluti in carcere aperto tenentur sine vinculis, solo Dei timore confixi, quod in tanta perseuerant afflictione pœnitentiæ, vltra virtutem humanam, supra naturam, contra consuetudinem? Et quidem attentè consideranti hęc, mirabiliora miracula apparebunt, quàm vniuersa beneficia, quæ miraculosè corporibus exhibentur. Si enim mirabile est, si corpora suscitentur, quare non erit mirabile, quòd animæ peccatis mortuæ, ad vitam spiritualem, ac perfectam reuocentur? Si mirabile est, quòd cæcus videat, & surdus audiat, & mancus operetur, & plantæ claudorum consoli-
B dentur, cur non erit mirabile, quòd oculi in terram defixi, cœlum læti suscipiant, & aures peccatis obturatæ, vocem Dei loquentis percipiant, & manus vinculis socordiæ ligatæ, pro virtute fortiter pugnent, & pedes praua consuetudine fracti, viam mandatorum percurrant? Si mirabile fuit, Petrum ad vocem Domini super vndas maris ambulare, cur nō erit *Mat. 14.* mirabile, virum perfectum terrena omnia, quæ instar aquæ defluunt, per eorum contemptum conculcare, & pessundare? Mirabilis sanè est vita perfecta, quàm tot miracula sequuntur, tot opera Dei mirabilia componunt.

Videbimus in ea illud mirabile facinus, quod Dominus in exitu Israëlis de Ægypto manifestè patrauit. In ea namque populi liberatione, miranda inter
C alia portenta, mare Rubrum in duas partes diuisum est, & postea Iordanis ad ortum, aut fontem suum retroactus est, vt dilecta plebs ad terram promissam sicco vestigio transiret; montes quoque transeuntium pedibus læti se submiserunt, & colles in conspectu eorum quasi lætati sunt, dum ipsorum iter non retardarunt. Mirabilis planè res, quam sacer *Psa. 113.* vates in quodam Psalmo copiosè decantat. In exitu, inquit, Israël de Ægypto, domus Iacob, de populo barbaro, mare vidit, & fugit, Iordanis conuersus est retrorsum. Montes exultauerunt vt arietes, & colles sicut agni ouium.] Sed eadem miracula non semel, sed sæpè, non sæpè tantùm, sed perpetuò
D fiunt in vita sanctorum, vt eam verè stupendam, ac mirabilem agnoscamus. In ea enim mare fugit, dum omnis iniquitas à sanctorum finibus pulsa discedit. Iordanis retrogreditur, dum perfectorum affectus non ad commoda terrena quærenda decurrunt, sed mirabili celeritate in fontem suum, hoc est in Deum, cuius quærunt obsequium, redeunt. Montes, & colles subsiliunt, dum ipsi perfecti affectibus, & operibus terram deserunt, & in Dei imitationem ascen- *Richar. li. de exterminatione mali. cap. 3.* dunt. Exponat nobis Richardus Victorinus, quid sit in sanctorum vita mare fugere, Impietas, ait, mare est, dulcem siquidem aquam facere non potest, sed est aqua eius salsa valdè, & multùm amara, & amaritudo eius amaritudo amarissima. Quid quæso dulcedinis habet inuidia? quid obsecro dulcoris habet
E iracundia? quid suauitatis impatientia? Huiusmodi (vt arbitror) aquæ amaræ sunt, & mare faciunt, quia nulli penitus sapere, nemini placere possunt. Vidésne ergo quale sit huiusmodi mare magnum, & spatiosum manibus, quod potest appellari malitiæ? Nam est & aliud, quod potest dici miseriæ, habens & ipsum quidem minimè dulcem aquam, sed minùs tamen amaram. Sed felix qui dominatur à mari vsque ad mare, vt nulli subiaceat culpæ, nulli succumbat pœnæ, in tantùm vt non dominetur ei omnis iniquitas, nec eum opprimat vlla aduersitas. Felix ante cuius conspectum mare fugit, malitia recedit, miseria cedit, conscientia hilarescit. Numquid nam qui eiusmodi est, fiducialiter psallere non potest? Quid est tibi mare, quod fugisti?] Explicet idem nobis, quid sit Iordanem retrorsum conuerti. Qualis quæso ista est, inquit, conuersio Iordanis, *Ibid. c. 4.* quàm mirabilis, quàm laudabilis, quàm amabilis? Totum impetum amoris, totam inundationem dilectionis, totam affluentiam delectationis magna cum festinatione currere, non deorsum, sed sursum, quærere quæ sursum sunt, & non quæ super terram, ita vt veraciter profiteri possit, quia Iordanis conuersus est retrorsum?] Pergat Augustinus enucleare, (à quo relatus contemplator prædictum sensum excerpsit) quid sit, montes exultauerunt vt arietes, & *Psal. 113.* colles sicut agni ouium.] Quid est, inquit, ô tot millia hominum toto orbe fidelium, huic mundo *Augu. in Psa. 113. conciu. 1.* renunciatum, quòd ad vestrum Dominum conuertimini? Quid est, quòd gaudetis, quibus in fine dicetur: Euge serue bone, quoniam in paucis fidelis fuisti, supra multa te constituam?] Quid est, quòd *Matt. 25.* gaudetis, quibus in fine dicetur: Benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est ab *Psal. 113.* origine mundi?] Respondebunt vobis hæc omnia, vósque ipsi respondebitis vobis: A facie Domini mota est terra, à facie Dei Iacob.] O igitur vita perfectorum mirabilis, in qua hæc mirabilia quotidie efficiuntur! O vita omni admiratione dignissima, à qua omnis iniquitas, quæ priùs cor humanum operiebat, velocissimè fugit. Ita vt cor istud iam liberatum dicat: Ab omni via mala prohibui pedes meos, *Psa. 118.* vt custodiam verba tua,] Et, A mandatis tuis intellexi, propterea odiui omnem viam iniquitatis.] Et, propterea ad omnia mandata tua dirigebar: omnem viam iniquitatis odio habui.] O vita magnum aspicientibus stuporem incutiens, in qua aquæ Iordanis, id est, desideria cordis, primum suum cursum figunt, dum anima dicit: Mihi autem adhærere Deo bonum *Psal. 72.* est.] Deinde aquæ inferiores decurrunt, atque deficiunt; quia renuit, inquit, consolari anima mea.] Et rursus: Elegit suspendium anima mea, & mortem *Iob 7.* ossa mea. Ac tandem aquæ superiores intumescunt, ac in fontem currunt. Quia sicut desiderat ceruus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus.] *Psal. 41.* O vita cunctos intelligentes in extasim rapiens, in qua immobiles montes, & firmi colles subsiliunt, & ad modum arietum, & agnorum ludentium exultant, dum illi, qui in terrenis hæserant, in cœlestem cōuersationem properant, & se à luto rerum visibilium diuellunt.

Sed quod in hac perfectorum vita mihi mirabilius videtur, est, quòd sibiipsis vim inferunt, & omnia mundi magnifica, & honorabilia, & delectabilia relinquunt, & in futura numquam visa contendunt, non timore compulsi, non spe præmiorum inuitati, sed solo amore sui conditoris illecti. Non *1. Ioan. 4.* timore compulsi, quia timorem seruilem foras iecerunt, cùm perfecta charitas foras mittat timorem.] Non spe incitati, non quia non sperent ineffabilia pręmia, sed quia perfecta charitas magnam mercedem habens, mercedem non respicit. Sed solo igne amoris illecti, quoniam etsi non essent minæ pœnarum, quæ ipsos à malis abducerent, etsi non essent præmia, quæ eos ad bonum incitarent, propter solam Dei bonitatem omnia mala fugerent, omnia terrena contemnerent, omnes suos affectus comprimerent, & soli Deo totis præcordiis inhærerent. A facie Domini, ait sanctus Dauid, mota est *Psa. 113.* terra, à facie Dei Iacob.] Corda, inquam, terrena,

quæ

quæ peccatorum onere prægrauata pigra remanserant, mota sunt in bonum, vt in studium virtutis celeriter currerent. Non à facie pœnarum, quas (vt iniqui dicunt) post voluptuosam, aut segnem vitam sera quadam, sed vera pœnitentia forsan euaderent. Non à facie præmiorum; quæ conseruata gratia, licèt imperfectionibus habenas laxarent, post ignem purgatorium in aliquo saltem gradu non perderent. Sed à facie ipsius Domini, eius præsentia confirmati, eius pulchritudine ducti, eius amore compediti, sine vllo respectu mercedis aut pœnæ peccata repellunt, vitia extinguunt, affectus vincunt, virtutibus student, & solius Dei esurie & siti tenentur. Non illis Domine, non illis, sed nomini tuo da gloriam.] Nomini, inquam, tuo, & virtuti tuæ horum miraculorum gloria canatur, qui propter misericordiam tuam, & veritatem tuam sanctos eligis, & in gloriosam dignitatem adducis: Eorum vita verè mirabilis ex eo, quod à te habet; ex eo quod te superante superat, & te donante conquirit. Sed tu mirabilior in ea, quia vniuersa, quibus ipsa mirabilis videtur, ex te, & per te, & in te largissimo datore consequitur.

Quàm pretiosa sit perfectorum mors.

CAPVT XXXV.

SANCTAM ac mirabilem vitam, sancta & pretiosa mors sequatur, necesse est, vt finis principio congruat, & initium mercedis cum labore conueniat. Quare perfecti, qui sanctè viuunt, & in terris sine querela conuersantur, sancta & tranquilla morte solent hinc emigrare. Hanc mortem, vt rem desiderabilem, optauit Balaam, qui filiis Israël bona precari compulsus, inter alia dixit: Moriatur anima mea morte iustorum, & fiant nouissima mea horum similia.] Magna quidem, & superba præsumptio: ille enim qui malè vixit, voluit bene mori, & qui in vita, iustorum conuictum auersatus est, in morte ipsorum consortium concupiuit. Cuius inanes fuere conatus, quia post iniquam vitam mala morte è viuis excessit, & inter hostium mucrones expirauit. Hanc iustorum mortem vt sortem felicem laudauit sanctus Dauid, cuius carmen est. Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorũ eius.] Pretiosa quidem, siue quia vt sortem magni valoris non permittit Dominus passim & temerè ab impiis inferri; siue quia pro ea cohonestanda, atque lenienda, filius ipse Dei non erubuit carnem induere? siue quia huiusmodi mortem consueuit mercede amplissima remunerare. Hanc tandem Eleazarus vir sapiens & nobilis, & ætate prouectus, in qua non temeritate abripiebatur, sed prudentia regebatur, vitæ & amicitiæ iniqui regis, & magnis diuitiis præposuit: Qui pro custodia diuinæ legis gloriosissimam mortem magis quàm odibilem vitam complectens, voluntariè præibat ad supplicium, vt iuuenibus exemplum fortitudinis & toti populo eximiæ virtutis suæ immortalem memoriam derelinqueret.] Mors ita ab omnibus etiam iniustis & sceleratis optata, ita à prophetis, & spiritu diuino plenis laudata, ita à sapientibus, & prudentibus vitæ præposita, aliquid magnum & pretiosum habet absconditum, cuius gratia ipsa est bona, atque pretiosa. Et quidem ita est: Nam hæc iustorum mors, finis est laborum, principium quietis; fuga tristitiæ, & aduentus lætitiæ: sedatio tempestatis, & initium tranquillitatis: consummatio exilij & reditu in patriam in quam tot periculis superatis, tot laboribus exan-

Num. 23.

Psal. 115.

2. Mach. 6.

A tlatis, & tot afflictionibus sustentatis conati sumus repedare.

Mortem ergo perfectorum quidam Dei afflatu permoti, ardenter desiderant; quidam verò patienter expectant. Illi desiderant, qui amore cœlestium illecti cum Paulo clamant: Cupio dissolui & esse cum Christo.] Isti autem expectant, quia voluntate amplius proficiendi detenti, non eò vsque progrediuntur, vt ad desiderium relinquendæ mortalitatis ascendant. Cupiunt itaque mortem nonnulli perfecti, quia sciunt se per mortem eum statum adepturos, in quo nullo peccato feriantur, nulla imperfectione fuscentur: in quo iniuriam diuinæ maiestatis nullam videant, & in omnibus eius voluntatis adimpletionem aduertant: in quo sine vlla intermissione

Philip. 1.

B Deum ament, clarè aspiciant, & sine timore possideant. Et quia pro hoc statu ardenter suspirant, ianuam eius, scilicet mortem, etsi naturæ horribilem, gratiæ tamen, quam acceperũt, desiderabilem putant. Quotidie clamãt illi non tam vocis sono, quàm cordis affectu, fiat voluntas tua;] amant ergo mortem, & dum differtur, exoptant, quam hac voluntate Dei inuolutam esse conspiciunt. Ne verbis Cypriani corripiantur, qui ait: Meminisse debemus voluntatem nos non nostram, sed Dei facere debere, secundùm quod nos Deus quotidie iussit orare. Quàm præposterum est, quámque peruersum, vt cùm Dei voluntatem fieri postulemus, quando euocat nos, & accersit de hoc mundo Deus, non statim voluntatis eius imperio pareamus? Hoc nitimur, & reluctamur per-

Matth. 6. Cypr. lib. de Mortalitate.

C uicacium more seruorum, ad conspectum Domini cum tristitia, & timore perducimur, exeuntes istinc necessitatis vinculo non obsequio voluntatis, & volumus ab eo præmiis cœlestibus honorari, ad quem venimus inuiti. Quid ergo rogamus & petimus, vt adueniat regnum cœlorum, si captiuitas terrena delectat? Quid precibus frequenter iteratis rogamus, & poscimus, vt acceleret dies regni, si maiora desideria & vota potiora sunt seruire istic diabolo, quàm regnare cum Christo?] Erubescerent perfecti viri, si hæc acris sancti Doctoris inuectio in eos aliqua ratione quadraret, & ideo mortem, quæ ianua est regni, non tam timendam quàm desiderandam existimant. Alij autem eodem spiritu, sed dissimili affectu, licèt viuere cupiant, tamen mortem venien-

D tem, antequam optabant, cum magna æquanimitate sustentant. Viuere quidem cupiunt, ne vt ipsi aiunt, hinc pusilli, & imparati discedant; dicentes cum Iob: Dimitte me, vt plangam paululum dolorem meum.] Dolorem suum dicunt non profecisse, nec ad cupitam puritatem euolasse. Et rursus illud: Remitte mihi, vt refrigerer priusquam abeam,] id est, dimitte me, vt ampliùs concupiscentiam vincam, & eam refrigerio sanctitatis euacuem, priusquam hinc ad vitam aliam secedam. At si ante suum desiderium mors appropinquet, non impatienter ferunt. Malunt enim ad voluntatem Domini emigrare pusilli, quàm præter eius voluntatem ad crescendum permanere.

Iob 10.

Psal. 38.

E Sed tam isti, quàm illi mortem planè sibi bonã, & necessariam iudicant, & ad eam se bonis operibus, & sanctis meditationibus præparant. Hoc enim est, secũdùm beatũ Ephræm, in recordatione mortis iustorũ iniquorúmq; discrimen, quòd illi mortẽ ob oculos habent, vt noctes atq; dies, orationes atque supplicationes Deo effundãt, vt ad æternã requiem deueniãt, & tormenta parata iniquis euadant. Hi verò nudam habent mortis memoriam, non vt vitam emendent, sed vt abscessum opum voluptatúmque deplorent.] Meritò autem iusti, & præcipuè viri sancti, atq; per-

Ephræm de record. mortis.

fecti mortem sibi bonam existimant, quoniam morientes, peccata, & pericula, & labores huius vitę mortalis fugiunt, & ad multis desideriis optatam securitatem perueniunt. Triplex in morte cōgratulatio est hominis, inquit Bernardus, ab omni peccato, & labore, & periculo liberari. Ex hoc siquidem nec peccatū in eo habitare dicitur, nec pœnitentiæ luctus indicitur, nec ab vllo deinceps lapsu ei prædicitur esse cauēdum. Posuit Helias pallium, non est quòd timeat, non est quòd tāgi, nedū teneri ab adultera vereatur. Currum conscendit, non est iam trepidare, ne cadat: suauiter scandit, non laborans volatu proprio, sed celeri in vehiculo sedens.] Nec eos à mortis desiderio, aut æquanimi expectatione terrena retardāt, quia illa nec amant, nec magnifaciunt, imò verissimè parui pendunt, & quæ ablegare non possunt, pro sola huius vitæ necessitate suscipiūt. Non verò cum dolore relinquitur, quod sine amore possidetur. Omnis eorū conatus est, se ad iter accingere, & bonis operibus, & importunis postulationibus ad ingressum patriæ cœlestis præparare. Ita námque de morte cogitant, quasi de trāsmigratione quadam ad vitam meliorem: vnde ea parant, quæ in illa vita, atque felicissimo statu eis vsui esse poterūt: cuiusmodi sunt puræ cogitationes, sancta desideria, studiosa opera, & pij pro fide, pro virtute, pro pietate suscepti labores. Hanc verò esse perfectorū de morte cogitationē, ipsa vox, qua mortem nuncupant, manifestè patefacit, vocāt enim eam viam, siue ab hoc exilio discessionem. Atque adeò Abraham ad Dominum ait: Ego vadam absq; liberis, & hæres meus erit, filius procuratoris domus meæ iste Damascus Eliezer.] Quid est, ego vadam, nisi ego moriar, atq; ex hac vita decedam? Vide, inquit Chrysostomus, quomodo priscis illis sæculis iustus ille philosophabatur. Nā qui vitam honestè, & in virtutibus egerunt, quādo ex hac vita emigrant, verè liberātur, & quasi soluuntur à certaminibus, & à vinculis relaxātur. Est enim mors his, qui bene viuunt, trāslatio quædam ad meliora: à momētanea vita ad perpetuam & immortalem finémque non habentē.] Parāt itaque se perfecti ad mortem ea mētis tranquillitate, qua se accingunt viatores ad viam. Nec aliud putant esse mori, quàm à vita ærumnosa discedere, & ad ciuitatē permanentem, & semper duraturā appropiare. Et quemadmodū illi, qui alicuius lucri gratia in paruulum vicum ex vrbe venerunt, accepta re, quam cupiebant, ad vrbem desiderant remeare, & instāte reuersionis tempore, lætabūdi vicū deserunt, & onusti opibus in patriā redeunt: ita perfecti; qui in hoc nati sunt, vt Christi gratiam, & mētis puritatem lucrarentur, ea quæsita non sine lætitia, vt in cœlum veniant, ex hoc mundo tamquam ex miserabili pauperū vico discedunt. Quod in illo beato sene non tā adumbratum, quàm expressum videmus, qui cùm Christi felici conspectu frui ardentissimè cōcupisceret, eo viso, atq; in vlnas reuerēter suscepto, in has voces erupit: Nunc dimittis seruum tuum Domine secūdùm verbum tuum in pace, quia viderunt oculi mei salutare tuum.] Idem omnino non semel perfecti faciunt, qui Christum non tam in vlnis, quàm in corde contemplantes, & se beneficio Domini pretiosis mercibus, id est, meritis, velut ditissimas naues oneratos videntes, è terra peregrina solui, & iam dimitti, & in portum æternitatis festinare desiderant.

Bern. in transitu Malach.

Gen. 15.

Chry. hō. 36. in Genes.

Luc. 2.

Laborant illi strenuè, vt post laborē suauiter dormiant, & securè quiescant. Qui enim somni delectatione priuati cupiunt tranquillè & profundè dormire, solent corpus laboribus exercere, & itinere, aut oneris portatione aut honesta agitatione aliquantulùm fatigare, vt somnus ab oculis cupientis dormire

A non fugiat; ita sancti, qui sanctam, & quietam dormitionem expectant, qua corpus in terra communi omniū matre, & anima in sinu Domini læta, requiescant, piis se laboribus occupant, & mandatorum, ac consiliorum onere premunt, vt feliciter lassatis dulcis & suauis somnus adueniat. Ergo mors est somnus? Ita sanè, dum iustos & sanctos in suam regionem deducit. Quæ enim malis vera mors est, eos omnibus huius vitæ & futuræ bonis spolians, iustis somnus est, quo, vt quietus sit, ad tempus, huius mūdi bonis veluti indumentis nudantur, & in illa æternitatis vigilia dormiendi tempore elapso, & resurgendi momento accedente, supra bona animæ bonis etiam corporis honestentur. Deinde, inquit Paulus, visus est Dominus plusquam quingentis fratribus si-
B mul; ex quibus multi manent vsque adhuc, quidam autem dormierūt.] Et rursus: Nolumus vos ignorare fratres, de dormientibus, vt non cōtristemini, sicut & cæteri, qui spem non habent. Et Ambrosius illud Danielis interpretans: Multi de his, qui dormiunt in terræ puluere euigilabunt,] ait: Bene dormientium dixit quietem, vt intelligas mortem non esse perpetuam, quæ somni vice initur ad tempus, & ad tempus excluditur. Meliorémq; profectū vitæ eius ostendit, quæ futura post mortē est, quàm eius quæ ante mortem mœrore ac dolore transigitur. Si quidē illa stellis comparatur, hæc ærumnæ addicitur.] Hæc autem inquit, quia Daniel iustos post mortem firmamenti splendori, & stellis comparauit. Et Basilius, inquit, somnus iustis est mors. Imò magis migratio ad vitam meliorem.] Hinc est, quod martyres exultant, dum
C trucidātur. Nam desiderium felicioris vitæ iugulationis dolorem extinguit, & emortuum reddit. Et dèmum Bernardus: Fratres, amici Dei mori videntur oculis insipientium, sed in oculis sapientium iudicantur potiùs obdormire. Denique & Lazarus obdormiebat, quia amicus erat: & cùm dederit electis suis somnū, ecce hereditas Domini.] Quia ergo sancti mortem suam, sicut reuersa est somnum existimant, ideò se ad eam sine vlla molestia ac perturbatione capiendā sanctis laboribus parant, & res terrenas nisi ad necessitatem, & cum districta mensura subire detrectant. Mysterium nāmq; illud sententiæ sapientis intelligunt. Quam sufficiens est homini erudito vinum exiguum, & in dormiendo nō laborabis ab illo, & nō senties dolorem.] Intelligunt, inquam, quia homini ad vitam istam transigendam vinum exiguum, id est pauca temporalia sufficiunt. Quæ moderatè
D sumpta, & sine animi adhæsione ad vsum accepta, tempore dormitationis vel mortis, mentem non turbant, nec spina conscientiæ prauæ, aut peccati dolore molestant. Hoc igitur perfecti faciunt in vita, seipsos ad capiendum somnum exercere, in quo quicquid est mortale pereat, quicquid est infirmum, & noxium, deficiat, vt robustum & pulchrum gloriæ resurgat. Hoc faciunt, se ad iter præparare, & omnia quæ possunt in æternam ciuitatem præmittere, vt ibi, quas in perpetuum possideant, numquam perituras diuitias inueniant.

1. Cor. 15

Dan. 12. Ambros. orat. 2. de fide resurrect. ante med.

Basil. hō. de Barlaā Marty.

Bern. ser. 2. Petri & Paul. Ioan. 11. Ps. 126.

Eccl. 31.

E Cùm ergo tempus mortis, & hora transitus appropinquat, non tristitia absorbentur, non desiderio viuendi opprimuntur, non timore immoderato turbantur, sed cognitione æternitatis instructi, & amore diuinitatis inflammati timorem naturalem cohibent (faciente hoc efficacissima gratia Dei) & cum summa tranquillitate communem naturæ necessitatem excipiunt. In ea hora sui compotes facti, non miseram hominis sortem deflent, non amissionem rerum temporalium deplorant, sed seipsos Creatori, quem amarunt, & cui obsequuti sunt, cū fiducia commendāt, &

adhuc extremum spiritum agentes, pro eius gloria ea loquuntur, quæ præsentes ad virtutem colendam disponant. *Matt.11.* Sic Ioannes in carcere gladium lictoris expectans, qui sacrum caput amputaret, mittit duos ex discipulis suis, qui Christum, quis esset, interrogarent, & sic verum Saluatorem, cuius ipse erat præcursor, agnoscerent.] Neque enim timor immaturæ mortis illum pusillanimem fecerat, quominus salutem discipulorũ curaret. *Iosue 24.* Sic Iosue diem postremum claudens sibi populum cõmendatum vocauit, & Dei erga omnes beneficiis commemoratis, ad diuinæ legis custodiam, & Dei cultum hortatus est. *3.Reg.2.* Sic Dauid imminente dormitionis tempore, Salomonem, suæ dominationis hæredem, præceptis salutis, & bonæ gubernationis documentis instituit. *Tob.4.* Sic Tobias bona mortis (vt ipse putabat) instãte, filium etiam suum, & in eo vniuersos mortales plenissima notitia sanctissimæ legis instruxit. *Athanas. in vita.* Sic Antonius iam discessurus in cœlum, suis discipulis vitæ monita dedit. *Garzonius in vita.* Sic Dominicus acri febre correptus, & in certamine cum morte congressus, sui ordinis fratres ad innocentiam, & integritatem incitauit, & charitatem, humilitatem, paupertatem tamquam certum patrimonium eis ex testamento reliquit. *Bonauft. in vita.* Sic Franciscus spiritum Deo reddens, minoribus suis in terra, & magis in cœlo, salutis admonitiones ingessit, & sanctæ fidei Romanæ custodiam, ac reuerentiam præcepit. *Ribaden. lib.4. vitæ c.16.* Sic Ignatius noster, dum hora mortis minimæ Societatis filiis, præ humilitate maxima perfectionis monita dare recusat, quasi esset incolumis, cum incredibili tranquillitate incidens tunc negotium tractat, & nihil in modo viuendi, ac conuersandi mutans, se omnibus, quæ agebat, ad mortem præparari manifestat. Vnde sanctis, & perfectis viris in omnium terribilissimo (quod vocauit philosophus) tanta quies, vnde tanta fiducia, vnde tanta tranquillitas? nisi ex vitæ puritate profecta est, & ex abundantia gratiæ, quæ naturam ipsam titubantem, & se præ timiditate turbantem corroborat, & puras animas è vinculis carnis exeuntes, spe melioris vitæ fortificat? *Cyprian. serm. de mort.* Quis enim, vt Cyprianus ait, non ad meliora festinet? Quis non mutari, & reformari ad Christi speciem, & ad cœlestis gratiæ dignitatem venire citiùs exoptet? Quis non peregrè constitutus, properet in patriam regredi? Quis non ad suos nauigare festinans, ventum prosperum cupidiùs optaret, vt velociter charos liceret amplecti? *Mar. vlt.* Sicut ergo Christus post resurrectionem suam ascensurus in cœlum, discipulos in vnum collectos increpuit, & de rebus pertinentibus ad fidei prædicationem admonuit: ita perfecti, qui hanc repositam habent spem in sinu suo, quòd cœlum petunt, & ab origine mundi regnum sibi paratum accipiunt, non timent ad discipulos suos verba admonitionis facere, & suum illis auxilium promittere. *2. Petr.1.* Certus sum, inquit Petrus, quòd velox est depositio tabernaculi mei, secundùm quod, & Dominus noster Iesus Christus significauit mihi. Dabo autẽ operam, & frequenter habere vos post obitum meum, vt horum memoriam faciatis.] Rectè quidem. Si enim tabernaculi onere prægrauatus, ita fortis erat, vt fideles orationis virtute sustentaret, quantò meliùs deposito carnis onere, & à vinculis mortalitatis exolutus, poterit Domini indignationẽ inflectere, & gratiæ impetratione corda hominum emollire? *Mat.27. Luc.23. Ioan.19.* Imò quemadmodum Saluator noster calicem acerbissimæ mortis exhauriens, ita trãquillus erat, vt pro inimicis oraret, latroni regnũ promitteret, matrẽ discipulo cõmendaret, sui doloris excessum, & salutis nostrę sitim, & verissimã obediẽtiam panderet, & ad Patrem spiritum mitteret: sic viri sancti mẽbra viua Christi, ex capite suo fortitudinẽ, & tranquillitatem mutuãtes, sciũt ad mortis præsentiam mẽtis lucem seruare, & ac si non essẽt vi dolorũ oppressi, astãtibus viã salutis aperire.

Iam pugna mortalitatis, & mortis accedit, iã mors gladium eximit, & infirmam naturam cædit, iam homo perfectus naturali pugnę non valens resistere, victus, ac prostratus succumbit, & tamen suauissimè spiritum reddit, quia amaritudinem mortis, & sensum doloris magna ex parte imminutum & moderatum aduertit. Hunc dolorem in nonnullis sanctis præmissa illustratio minuit. *Grego. 4. dialogi.6. 47.* Nonnumquam enim, vt Gregorius ait, omnipotens Deus trepidantium mentes quibusdam priùs reuelationibus roborat, vt in morte minimè pertimescant.] In aliis terrenorũ contemptio leuat; quia quæ non amant, siue tristitia, aut molestia deserũt, imò quæ sancto odio prosequuntur, cum gaudio & lætitia relinquunt. In aliis desiderium habitationis cœlestis, & expectatio diuinæ visionis extenuat: nam si patriæ memoria laborẽ longissimi itineris aufert, cur recordatio illius nostræ ciuitatis in qua sancti regnaturi sunt, magna ex parte mortis metum & trepidationem non tollat? In aliis peccatorum & defectuum liberatio, quæ vident morte consumi, & quam assequentur, diuinæ voluntatis impletio sopit; animi enim puritas, & cum diuina volũtate plena concordia, non magni constat, si temporalis mors, vt pretium à nobis oblatũ coemat. In aliis ipsa consuetudo moriendi mundo, & abnegandi seipsos mortis dolorem deprimit. *Bern. lib. de considerat. in principio.* Nam, vt dixit Bernardus, omnis tẽporalis dolor, aut de remedio consolationẽ recipiet, aut de assiduitate stuporem: & ideo qui semper mori consueuit, & se delectationibus mundi priuare, mundũ omnino deserere non multũ sentiet.] In aliis ipsa corporis imbecillitas, quæ nonnulla est mortis inchoatio, dolorem istum debilitat, quoniã ibi facilis est pugna, vbi non est, qui resistat, aut qui cõtrariis motibus hostem irruentem auertat. Ac tandem omnes iustos Christus in hora mortis suauissimè recreat. *Apoc.2.* Vnde vincenti apud Ioannem promittitur stella matutina, quæ ipsum Saluatorẽ nostrum designat. Nam sicut stella matutina finis est noctis, & diei aduenientis exordium: ita Christus viris perfectis extremum spiritum agentibus aut visibiliter, aut inuisibiliter adest, & vitæ huius obscuritatem terminat, vt vitæ æternæ iam instantis claritatem incipiat. Hæc omnia, quæ tetigimus in viris sanctis & iustis, nõ modicum de dolore mortis detrahunt. Quare quieti, & imperturbati in Angelorum & sanctorum præsentia, quos aliquando visibiliter vident, aliquando inuisibiliter adesse sentiunt, purum spiritum creatoris restituunt. Quem præsentes Angeli ouantes excipiunt, & si aliquid scoriæ habeat, in conflatorium ignis purgantis mittunt, vt purissimus effectus in destinatam sedẽ accurrat. Corpora verò perfectorum à putis iam mẽtibus derelicta, in signum præsentis mentiũ gloriæ, & futuræ, quæ ipsis reseruata est, pulchra & decora manent, & ac si obdormiscerent tantùm, læta, & serena, & membris ita flexilia, & suaui odore referta, vt non tam vitam finiisse, quàm cœpisse videantur. Quod & in Honofrio anachoreta, & in Seruulo paralytico; & in beato Francisco, & beato Laurẽtio Iustiniano qui aderant, manifestè perceperunt. Quorum illi primi cœlestem odorem è mortuis corporibus protulerũt; duo verò postremi pulcherrimo rubore post mortẽ perfusi, & admirabili pulchritudine decorati, quàm puram, & formosam animam prætulerint, declararunt. Longum autem esset sanctorum nunc historias euoluere, & innumerabilia huius rei exempla referre; quæ, ne prolixi simus, consultò aliis in voluminibus inuenienda prætermittimus.

A O igitur felix, ac beata sanctorum mors, quam tot ac tanta bona nobilitant! Quis enim somnũ non amet, ex quo in vitam immortalẽ euigilet? Quis non peregrinationem suscipiat, nõ iam vt sanctorum reliquias veneretur, sed vt sanctis sanctus factus assideat? Quis nõ libens se dedat itineri, quo in patriam desideratam veniat? Quis non transitum à terra in cœlum, ab exilio in regale palatium, à mortalitate ad immortalitatem gaudens, exultánsq; suscipiat? Quis non calicem amarum dispensatione Domini edulcatum gustet? Quis non carcerem exeat, ergastulum fugiat, peccandi occasiones relinquat? Quis non in curiam regiã triũphator ascendat, in qua eum Angeli ob victorias de mũdo, de diabolo, & de carne reportatas, coronatum, læti, & exultantes excipiant? Quis tandem non alacer reuertatur in domum suam, vbi B eos amplexetur, quos aut ex facie nouit, aut nosse desiderauit, & cum eis semper viuere concupiuit? Hæc autem domus patria cœlestis est, quam iustis, clauis mortis aperit, vbi eos charorum numerus expectat (vt verbis Cypriani vtar) parẽtum, fratrum, filiorum, frequens eos, & copiosa turba desiderat, iã de sua immortalitate secura, & adhuc de eorũ, quos diligunt, mortalitate sollicita.] *Cyprian. ser. de immortalitate.* Omnibus quidem moriẽdum, & hinc emigrandum est; sed si tu vis, vt perfectus vir mori, & ex hoc sæculo securè, & sine timore, & alacriter emigrare, imitare perfectos in vita, vt in morte etiam imiteris. Volo te, inquit Bernardus, mortẽ, etsi non effugere, certè vel nõ timere. *Ber. epist. 105.* Iustus quippe mortem, etsi non cauet, tamen non pauet.] Denique si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit.] *Sap. 4.* Moritur quidem iustus, sed securè, quippe cuius mors, vt præsentis est exitus vitæ, ita introitus melioris. Bona mors, si peccato moriaris, vt iustitiæ viuas. Hæc mors necesse est, vt præcurrat, vt sequatur illa secura. C In hac vita, quamdiu durat, compara tibi illam, quæ semper durat. Dũ viuis in carne, morere mundo, vt post mortem carnis Deo viuere incipias. Quid enim si conciderit mors saccũ corporis tui, dum te subinde circũdet lætitia? O quã beati mortui, qui in Domino moriuntur,] *Apoc. 14.* audientes à spiritu, vt requiescant iam à laboribus suis.] Non solùm autem, sed & succedit iucunditas de nouitate, ac de æternitate securitas. Bona proinde mors iusti propter requiem, melior propter nouitatem, optima propter securitatem.] Discamus itaque mori, vt bene moriamur, quia nemo bene facit, quod nũquam præstare didicit. Viuamus sanctè, vt in perpetuum viuamus. Colamus perfectam iustitiam, quæ nos in vita dirigat per semitas D æquitatis, & in morte defendat ab operariis iniquitatis, & post mortẽ in sedes immortalitatis deducat.

Quàm ineffabile sit perfectorum præmium.

CAPVT XXXVI.

POST mortem, iusti in palatium æterni Regis non sine gloriosissimo triumpho exultantes introeunt, & gloriæ coronam, quam suis laboribus obtinuerunt, cum eximia laude recipiunt. Non est autem propositi nostri sanctorum statum in vita futura, ac immensam iustorum gloriam declarare, sed solùm pro facultate E nostra, quantùm gloria perfectorum, communium iustorum præmium excellat, ex nonnullis sacræ Scripturæ testimoniis, & ex quibusdam coniecturis colligere. Omnes enim iusti, siue qui in hac vita tepidè & imperfectè vixerunt, siue qui viam mandatorum, & consiliorum currentes, ad perfectionem euolarunt, æternum præmium suis meritis satis impar consequentur. Omnes Deum facie ad faciem videbunt: omnes Deum sui operis denarium possidebunt: omnes eum sine vlla intermissione amabunt; omnes sine cessatione laudabunt: omnes ineffabili gaudio suo perfruentur: omnes gloriosis dotibus vestientur, & fugata omni tristitia atque miseria, omnis felicitas & lætitia veniet eis. Nullus erit iustus, qui non de iucunda societate Angelorum, & sanctorum gaudeat; qui nõ Beatissimæ Virginis pulchritudinem videat: qui non conspectu humanitatis Christi Saluatoris nostri fruatur; & omnium bonorum possessione lætetur. Vna erit in cœlo vniuersorũ iustorum ciuitas, vna cõmunis habitatio, vnus cibus, & potus, qui in gustu diuinæ claritatis consistet, vnum indumenti genus, quia omnes gloria & splendore fulgebunt, & vna actio, qua Deum videndo tenebũt, tenendo gaudebunt, & gaudendo cum summa exultatione laudabũt. Nulla erit ibi tristitia, vt Hugo ait, nulla angustia, nullus dolor, nullus timor, nullus ibi labor, *Hug. lib. 1. de Anima c. 13.* nulla mors, sed perpetua sanitas semper perseuerat. Nõ surgit ibi malitia, nec carnis miseria. Nulla est ibi ægritudo, nulla omnino necessitas. Nõ est ibi fames, non sitis, non frigus, non æstus, non lassitudo ieiunij, nec vlla tentatio inimici; non peccandi voluntas, nec delinquendi facultas, sed totum lætitia, totum exultatio possidebit: hominésque Angelis sociati, sine vlla carnis infirmitate in perpetuum manebunt. Ibi erit iucunditas infinita, beatitudo sempiterna. In qua qui semper adipiscitur, sẽper tenetur. Ibi est requies à laboribus, pax ab hostibus, amœnitas de nouitate, securitas de æternitate, suauitas atque dulcedo de Dei visione.] Non ergo dubium, quin omnes prædestinati, futuri sint beati, & omnes pro labore suo denarium gloriæ, & beatificæ visionis accipient.

At in receptione huius gloriæ, ac in eius qualitate, magna erit iustorũ imperfectorum perfectorúmque diuersitas. Qui enim iusti in hac vita tepidè imperfectéq; vixerunt, priùs quàm in cœlestes sedes admittãtur, terribili igne, & lõgissima duratione, prout exiget imperfectionũ multitudo, in purgatorio mũdabuntur; qui verò perfectã sanctámq; vitam coluerunt, aut momento purgati (si aliquid purgandũ habeant) ab igne recedent, aut si nihil imperfectum deferant, absq; læsione purgantis ignis, in cœlum euolabũt. De illis inquit Paulus: Si cuius opus arserit, detrimentum patietur: ipse autem saluus erit: sic tamen quasi per ignem.] *1. Cor. 3.* Nam qui opera habuerit imperfectionum plena, quæ ignis exurat, combustionem suarum miseriarum expectabit, & molestissimum dolorem sentiet, & tandẽ bene purgatus, & dirissimè flagellatus, ad locum salutis transibit. Et Dominus: Esto cõsentiens aduersario tuo citò dum es in via cum eo; *Matt. 5.* ne fortè tradat te aduersarius iudici, & iudex tradat te ministro, & in carcerem mittaris. Amen dico tibi, non exies inde, donec reddas nouissimum quadrantem.] Aduersarium nostrum vocat conscientiam nostram, eo quòd semper de malis nos redarguat, ac reprehendat, & pacem cum peccantibus habere nolit. Huic aduersùs imperfectiones, & tepiditates nostras latranti, obediendum est, nam si nos in carcerem truserit, vbi peccata purgãtur, non exiemus inde, qnousque sine vlla remissione, minima etiam non rectè facta soluerimus: De perfectis autem idem Paulus ait: *1. Cor. 3.* Si cuius opus manserit, quod superædificauit, mercedẽ accipiet. Id est, si alicuius opus tale fuerit, vt nihil habeat, quod ignis absumat, statim sine vlla mora præmiũ æternæ vitæ recipiet. Dominus quoq; istum blandissima voce cõpellat, dicẽs: *Matt. 25.* Euge serue bone, & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te cõstituam, intra in gaudiũ Domini tui.] Felicius est è lecto in cœlum euolare, quàm è lecto in ignem de-

mergi,

mergi, & ex igne in cœlum peruenire. Ergo prudentissimum est à leuioribus peccatis, & imperfectionibus abstinere, & viam perfectionis arripere. Illa enim peccata, licèt sint leuia, ignis vehemens castigabit, & vorax flamma deterget. Quare sapienter Bernardus ait: Volat irreuocabile tépus, & dum creditis vos cauere pœnam istam minimam, incurritis ampliorem. Illud enim scitote, quia post hanc vitam in purgabilibus locis cétupliciter, quę fuerint hîc neglecta, reddentur vsq; ad nouissimũ quadranté. Scio ego, quia durum est homini, dissoluto apprehendere disciplinam, verboso silentium pati, vagari solito stabilem permanere; sed durius & multò durius erit futuras illas molestias tolerare.] At istam vitam perfectam, & leuia peccata, ac imperfectiones cauenté, statim amplissima gloria suscipiet. Quod Gregorius palàm attestatur, in hunc modum scribens: Luce clarius constat, quia perfectorum animæ, mox vt huius carnis claustra exeunt, in cœlestis regni sedibus recipiuntur: quod & ipsa per se veritas attestatur, dicens: Vbicumque fuerit corpus, illuc congregabuntur & aquilæ.] Quia vbi ipse Redemptor noster est corpore, illuc proculdubio colliguntur iustorũ animæ. Et Paulus: Cupio dissolui, & esse cũ Christo.] Qui ergo Christũ in cœlo esse non dubitat, nec Pauli animam esse in cœlo negat. Qui etiam de dissolutione sui corporis, atq; de inhabitatione cœlestis patrię dicit: Scimus, quoniã si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluatur, quòd ædificationẽ habemus ex Deo, domum non manufactam, sed æternam in cœlis.] Hoc itaque primum fit gloriæ iustorum imperfectorũ, perfectorúmq; discrimen, quòd illi tamquã metalla terræ mista, & tamquã æra rubigine sordentia priùs terribili igne purgantur, quàm in Regis regum thesauros recondantur, & loca animarum sanctarum occupent; hi verò tamquam aurum purissimum, & quasi argentum purgatum, & nulla terrena contagione sordidum, sine vlla mora in cœlestes mansiones ascendunt, & cœtibus Angelorum se inferunt.

Bern. ser. de obitu Humberti ad fin.

Gregor. 4. dialo. c. 25.

Luc. 17.

Philip. 1.

2. Cor. 5.

Alterum verò discrimen est, quòd iusti imperfecti minorem gloriam, at perfecti maiorem gloriam accipiũt. Nam qui parcè seminat, parcè & metet: & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet.] Et licèt illud parcum, aut tenue, quod imperfecti ex semine à se iacto, id est, ex vita iusta, sed imperfecta metunt, supra modum in sublimitate omnes mundi diuitias, ac voluptates, ac omnem sæculi dignitatem, & gloriam superet, faciente hoc Deo, vt modicum seminis granum in tantã maiestaté ac gloriam assurgat:] tamen si cum eo, quod perfecti in benedictionibus metunt, conferatur, fructus est modicus, & exiguus. Dominus etiã redditurus est vnicuiq; secundũ opera sua.] Et omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis prout gessit, siue bonum, siue malum.] Quare qui magna bona gessit, magnis bonis ditabitur, & qui pauca gessit, minora recipiet. Quod & illa parabola hominis nobilis abeuntis in regionem longinquam, accipere sibi regnum, manifestè designat. Is enim seruo, qui decem minis acceptis, alias decé acquisierat, dixit: Euge bone serue, eris potestaté habẽs super decem ciuitates.] Alteri verò, qui minis quinq, alias quinque lucratus fuerat, dixit: Et tu esto super quinque ciuitates.] Hac parabola innuens pro maiori, aut minori merito, maiorem, aut minoré futurã esse gloriæ ac dignitatis mensuram. Idq; sancti Ecclesię doctores apertissimè docent. Gregorius enim ait: Quia in hac vita nobis est discretio operũ, erit in illa proculdubiò discretio dignitatum, vt quo hic alius alium merito superat, illis alius alium retributione

2. Cor. 9.

Rom. 2.
2. Cor. 5.

Luc. 19.

Greg. 4. moral. c. 42.

A transcendat. Vnde in Euangelio veritas dicit: In domo patris mei mansiones multæ sunt.] Sed in eisdẽ multis mansionibus erit in aliquo ipsa retributionum diuersitas concors: quia tanta vis amoris in illa pace nos sociat, vt quod in se quisque non acceperit, hoc se accepisse in alio exultet.] Bernardus autem sic scribit. Prudéter dilectissimi, & vtiliter elegistis propter verba labiorum eius custodire vias duras: illic seminantes, vbi nec minima quidem portio vestri seminis valeat deperire. Sanè, qui parcè seminat, non quidé non metet, sed parcè metet. Népe qui metit, mercedé accipit, & scimus quis promisit, ne eũ quidé qui pro nomine suo calicem aquę frigidæ dederit sitiẽti, mercede propria cariturum. Numquid tamen in qua mensura mensus fuerit, sibi quoq; remetietur: aut in B retributione æquabitur ei, qui non aquam porrigens sed sanguinem fundens, propinatum sibi biberit calicem Saluatoris?] Ac si dicat, non æquabitur. Augustinus breuiùs ait: Quia dispar est gloria singulorum, sed communis est lætitia omnium.] Subiiciamus saltem alium, nempe beatissimum patrem Ephræm, hæc dicentem. Ibi omnis principatus, ac potestatis merces reposita est, locúsque paratus pontificibus, diaconibus, lectoribus, regibus, principibus, ac ducibus, militibus, diuitibus, atq; pauperibus, solitariis, virginibus, coniugatis, seruis, liberis, viduis; omnibus, inquã, his ibi reposita sunt præmia, fructus, & actiones, & quod quisq; istuc præmiserit, sicut scriptum est: Quia in manu eius & nos & sermones nostri.] Et rursus apud Apostolum: Quia vniuscuiusque opus manifeC stum erit.] Et alibi dicit: Quod enim seminauerit homo, hoc & metet.] Paulò autem infrà idem Pater ait: Quę & similia fratres mei, faciétes, præmittamus singuli istud pro posse, vnus quidem vnu● præceptum, alter auté duo; vnus quinque, alter decem; alius verò triginta, alius sexaginta, alius autem centũ. Deus autem miserationum, cui vel duo sola minuta viduæ accepta fuerunt, suscipit à famulo suo, & multa, & pauca, & omnia retribuit singulis pro ratione laboris; atque certaminis, sicut scriptum est: Quoniam vnusquisque propriam mercedé accipiet, secundùm proprium laborem.] Quemadmodum ergo qui ad forũ gratia mercãdi accedit, si parum pecuniæ offerat, parum mercabitur, & si plurimam pecuniã tribuat, pluD rimarum mercium Dominus efficietur; ita imperfecti, qui exile satis pretiũ meritorũ secum in forũ beatitudinis ferunt minori gloria ditabuntur; perfecti verò, qui ingentes secum bonorũ operum diuitias reportant ingentem etiam gloriam cõsequentur. Nam bona opera, & pro Christo suscepti labores pecuniæ sunt, quibus iusti in terra viuentium, domum, cibos, & potum, vestésq; gloriosas, quibus operiantur, coëmunt. Et ne sit iniusta retributio, nec imperfectus pro minimis & tepidis laboribus perfectorũ mercedem acquirat, nec perfectus pro magnis, ac feruentissimis obsequiis præmium tantum imperfectorum accipiet.

Ioann. 14.

Bern. ser. 9. in Psal. Qui habitat.

Matt. 10.

Aug. lib. med. c. 25

Ephr. de locis beatis.

Sap. 7.
1. Cor. 3.
Galat. 6.

Marc. 12.

Rom. 2.

1. Cor. 3.

At quãta est gloriæ imperfectorum perfectorúmque diuersitas? Certè eam ad amussim explicare non E possumus. Nemo enim nostrum hactenus ascendit in cœlum, vt possit, quæ ibi geruntur tanta certitudine declarare. Nec si ascendisset, lingua carnis, aut calamo corruptibili gloriam incomprehensibilem, & diuitias ineffabiles exprimere valuisset. Sed Paulus maximam, & penè infinitam esse gloriæ iustorũ imperfectorum & perfectorum distantiam satis apertè indicat: dum ait, Alia claritas solis, alia claritas lunæ, & alia claritas stellarũ: stella enim differt à stella in claritate: sic & resurrectio mortuorum. Considera mihi quantùm mediocres stellæ, minimas stellas excellãt: quantùm maiores stellæ, mediocres claritate superẽt,

1. Cor. 15.

quantùm

quantùm luna maioribus stellis clarior sit; quantùm sol sit luna lucidior: & videbis quosdam beatorum, scilicet viros sanctissimos, vt pulcherrimos soles aliis minoribus sanctis gloria & maiestate præponi: & hos minores sanctos, vt lunas splẽdidissimas, proficiẽtes excellere; & istos proficientes, vt stellas lucidissimas iustos imperfectos, qui minimis astris comparãdi sunt, charitate superare. Nec ab ista gradatione lõgè abest Ambrosius, qui in eundem Pauli locũ scribens, ait: Sicut sol, & luna, & stellæ, cũ sint vnius quidem naturæ diuersæ tamen claritatis sunt: ita & homines, cùm sint vnius generis, meritò tamen dissimiles erũt in gloria. Vt claritati solis illorũ dignitas exæquetur, qui cẽtesimum numerũ habẽt: qui vt perfecti essent, primi gradus æmuli fuerũt, de quibus dictũ est: Tunc iusti fulgebunt sicut sol in regno Patris illorũ.] Lunari autem claritati hi cõparandi sunt, qui sexagesimũ numerũ bonis operibus mercati sunt, vt secundi gradus meritum haberent. Stellis autem clarioribus eorum merita comparanda sunt, qui tricesimum numerum tertij gradus dignitatem iustis laboribus quæsierunt. Sequentibus verò stellis, quæ inter claras & obscuriores mediæ sunt, peccatores homines coaptandi sunt, qui de tribus nullius gradus adipisci honorem voluerunt.] Magna quidẽ est solis, & stellæ in claritate distantia, sed nullo modo conferẽda cum ea, quæ inter gloriam perfectorum & imperfectorum interiacet, quorum illi se splendidissimos soles sanctè viuẽdo fecerunt, isti verò tepidam vitam ducendo velut minimæ stellæ restiterunt. Verũ quidẽ est, vt ex Augustino Thomas Aquinas annotauit, omnes beatos tam maiores quàm minores cũ Angelis vnam rempublicam, vnam ciuitatem, ac(vt ita dicamus) vnum mysticum Christi corpus efficere, quod iam non in terra militat, sed in cœlo coronatum triũphat. Sed est inter illos idem, quod in partibus eiusdem corporis solet esse discrimẽ. Sicut enim partium corporis quædam sunt infimæ, vt pedes, femora, inguina, venter; quædam supremæ, vt pectus, brachia, manus, collũ, facies, vertex: & illæ quidẽ infirmiores sunt, & minùs aspectu decoræ; quare, vt inquit Paulus, illis abundantiorem honorã circumdamus, id est, vestibus, & operimentis contegimus: hæ verò fortiores sunt, & pulchriores, quarum forma nullo operimento indigeat, quia per se satis nobilis sit atque decora. Ita beatorum quidem, illi scilicet, qui in hac vita imperfecti, & tepidi fuerunt, minùs habẽt gloriæ, & pulchritudinis, quos cum membris Christi infimis comparamus: alij verò, qui perfectè vixerunt, & gnauiter militarunt, gloriosiores sunt, & pulchriores, quos membra Christi superiora, & capiti proximiora decernimus. Perfecti cœlum ingrediuntur vt duces, qui in bello fortiter decertãtes, & hostes animosè fundẽtes nõ minùs feliciter quàm gloriosè triumphant. Imperfecti verò cœlum ingrediuntur vt milites, qui ad vmbram fortiorum tandem vicerunt, & à vulneribus acceptis per sanguinem Christi sanati sunt. Illi sedent vt principes, quibus altior locus, illustrior sedes, & splẽdidiora nobilitatis insignia destinata sunt. Hi vt ciues, quos Rex etiam diligit; & in communi illo, & felicissimo suo regni conuentu libenter honorat. Illi tandem gaudebunt, vt iudices qui iuxta Domini promissionẽ, aut ex eo quòd omnia pro eodẽ reliquerunt, alios homines iudicabunt, aut quia illis affectus relinquendi nos defuit, sua vita, & operum ostensione iniquos pro terrenis rebus mandata transgredientes damnabunt: Hi verò gaudebunt, vt iam iudicati, qui purgatis in loco pœnarum imperfectionibus suis, sententiam liberationis acceperunt, & in habitationem aulæ regiæ admissi sunt. Vide quanta sit differentia inter solem, & stellã: inter caput, & pedem: inter ducem, & militem: inter principem & ciuẽ: ac tandem inter iudicem, & eũ qui iudicatus est, quia tanta est, & certè multo maior inter virũ sanctitate conspicuum, & hominẽ post multa peccata & imperfectiones communi gratia saluatum, quem Dominus in suam domum excepit, sed ad magnitudinem gloriæ perfectorũ nõ admisit.

Ambr. in 1. ad Cor. c. 15. — *Matt. 13.* — *Aug. 22. de ciuit. c. 1. de Tho. 2. p. q. 108 art. 8.* — *1. Cor. 12.*

Aliud tandem est, ex quo præstantiam gloriæ perfectorum, supra gloriam imperfectorum colligere liceat. Quod scilicet viri perfecti, aut nõ segniter proficientes, ad Angelorum ordines assumuntur, imperfecti verò infra Angelos omnes in gloria requiescũt. Perfecti enim, & proficientes, quia vitam spirituum cœlestium imitati sunt, meritò eorum sedes obtinẽt, & parem cum illis gloriam accipiunt. Ita scilicet, vt quidam eorum cum Angelis, quidam cum Archangelis, alij cum principatibus, vel virtutibus, alij cum potestatibus; aut Dominationibus, alij cum Thronis, aut Cherubinis, imò & alij cũ ipsis supremis seraphinis sedem, & gloriam debitam tantę sedi possideant. Imperfecti verò, quia vitam humanam, & rebus, atq; affectibus huius mundi distractã gesserunt, iure optimo infra Angelos collocantur & locum suis laboribus accommodatum occupãt. Profectò minimus Angelorum, vt Thomæ, & aliis Theologis placuit, iuxta perfectionem suæ naturæ, perfectionẽ gratiæ, & auxilia ad Dei amorem, & alia merita habita in morula suæ viæ, antequam beatitudinem assequeretur, obtinuit. Natura autem cuiusq; Angeli etiã minimi, sublimis admodum, & perfecta est, vnde & gratia eius, ac merita eius valde sublimia fuerunt atque perfecta. Gloria ergo huius Angeli excellentissima est, quam non homo segnis, & tepidus, paucis & imperfectis operibus assequi poterit. Erunt quidem omnes beati sicut Angeli Dei,] & erunt æquales Angelis in hoc, quòd non ducent vxores, nec vitam corruptioni obnoxiam, aut necessitati rerum corporalium subiectam transigent: quippe qui instar Angelorum immortales & incorruptibiles erunt: quod attinet ad gloriam, & beatitudinem, non omnes homines beati æquale cũ Angelis præmium participabunt, sed innumerabiles hominum beatorũ nõ solùm paruulorum, sed etiã adultorum, infra vniuersos Angelorum choros permanebunt. Nam quemadmodum in curia regia sunt quędã domicilia amplissima principibus, & dulcibus & Episcopis, & aliis viris illustrissimis destinata; alia verò minora cõmunibus ministris addicta, in quibus satis liberaliter hospitẽtur: quòd si princeps, aut dux, aut Episcopus alterius regni curiam intret, in domo alicuius principis, aut ducis hospitium habet; si autem homo communis, & priuatus adueniat, nõ in domũ viri illustrissimi, sed in domũ alicuius famuli minoris, de aula regis excipitur: Ita in curia cœlesti domicilia principum, id est, omniũ spirituum bonorũ, & domicilia famulorũ minoris splendoris infra omnes Angelos reperiuntur. Illa perfecti, & non cõmunes serui Dei, ex Ecclesia militante ascendentes occupant, tãquam viri nobiles & primarij, ista iusti imperfecti bene in igne purgatorio loti, atque purgati, tamquam famuli communes frequentant. Has autem mansiones beatorum, fortè locus etiam aut situs corporalis distinguit, ita vt nobiliores Christo ascendẽti super omnes cœlos proximent, & communiores ab eo magis distent: at sine dubio maior eas beatitudo & abũdãtior gloria secernit. Vnde beatus Ephrem ait: Saluator noster mansiones multas Patris vocat, mensuras intelligentiæ eorum, qui in regione illa cõmorantur: dico autem discrimina, ac differentias, qui bus mente & intelligentia gloriam participant; non

Tho. 1. p. q. 62. ar. 6. Alij in Magist. 5. sent. d. 3. — *Marc. 12.* — *Luc. 20.* — *Ephr. de locis beatis.*

enim

enim locorum diuersitatem, sed charitatum ordinem mansiones multas appellauit. Quemadmodum enim vnusquisque pro puritate & capacitate visiuæ potẽtiæ sensibilib. radijs solaribus fruitur: Et quẽadmodum vnica lucerna in vna domo lucente, aliter atque aliter luminis splendor diffunditur, licèt etiam per multas lucernas non fuerit diuisus: ad eundem modum in futuro sæculo iusti omnes indiuisibiliter habitabunt vnius gaudij participes. Cæterum pro sua ipsius mensura, ac capacitate, ab vno sole intelligibili splendorem suum quilibet accipiet, & pro dignitate, gaudio & exultatione perfruetur, tamquam ab vno aëre, & loco, ac cathedra, & contemplatione atque forma.] Cùm hæc ita sint, viri perfecti in mansionibus beatorum spirituum recipiẽtur, quia æquali cum eis gloria cumulabuntur; & qui se in hoc mundo ampliùs, aut actu, aut effectu deiecerunt, iuxta verbum Saluatoris, altiùs & sublimius in locum spirituum sublimiorum ascendent, imperfecti autem in mansionibus, quæ sunt infra omnes Angelos, habitabunt, quia gloriam minorem ea, quam Angeli habent, in suæ vitæ præmium obtinebunt.

Sic ergo nos piè cogitamus cœlestem illam patriã: quam suspiramus, esse dispositam, vt in eminentissimo loco & planè regio, super omnes cœlos Christus caput nostrum, & princeps assideat: iuxta illud, quod in Paulo legimus: Qui ascendit super omnes cœlos, vt impleret omnia.] Quam eminentiam, vel per se locus ille cœlestis habuit in Oriente positus, & Christo principi ab æterno destinatus, & ab initio mundi præparatus, vel ab ipso Christo ibi sedẽte, & ex illo loco regnante percepit. Sicut enim caput mẽsæ est, vbi paterfamilias recumbit, & caput scholæ, vbi magister docet, ita eminentissimus cœli locus est, vbi Christus homo Angelorum, & hominum caput requiescit. Post Christũ & super omnes angelicas hierarchias Maria vera mundi regina & cœlitum Imperatrix domicilium dignissimum habet, secundùm illud quod Ecclesia canit de ea: Exaltata est sancta Dei genitrix super choros Angelorũ ad cœlestia regna.] Quemadmodum enim Rex Salomon ædificata domo sua, statim filiæ Pharaonis, quam vxorẽ duxerat & impensè diligebat, palatium extruxit; ita pacificus Rex Christus, Mariæ matri, & sponsæ, & omnium terrestrium, cœlestiúmque Reginæ domum in cœlis dignissimam fabrefacit, quæ mansiones etiam Seraphinorum excelleret, in qua illa communis omnium Mater, & Regina misericors, felix, ac beata cómaneret. Infra hunc Deiparæ locum tres Angelicæ hierarchiæ nouem ordinibus distinctę cõsistunt, quibus Dominus Patriarchas, & Prophetas: Apostolos, & Martyres: Pontifices, & Doctores: Confessores, & Virgines: atq; omnes sanctos, & sanctas, & vno nomine vniuersos, qui in terra vitã perfectã, aut saltem ad perfectionem tendentem egerunt, intexuit. Ita scilicet, vt quidam inter ipsos Seraphinos, aut Cherubinos sedeãt, alij inter Thronos, aut Dominationes sedẽ habeant, alij inter Potestates, aut Virtutes quiescant: atq; alij inter Principatus, aut inter Archãgelos, aut inter Angelos, pro meritorum qualitate locũ obtineãt. Qui autẽ cũ quibus sedeant, Gregorius longioribus verbis exposuit, dicens: Distinctæ namq; cõuersationes hominum, singulorum agminum ordinibus congruunt, vt in eorum sortem per conuersationis similitudinem deputentur. Nam sunt plerique qui parua capiunt, sed tamen hæc eadẽ parua piè annunciare fratribus non desistunt. Isti itaque in Angelorum numerum currunt. Et sunt nonnulli, qui diuinæ largitatis munere refecti, secretorũ cœlestium summa & capere præualent, & nunciare. Quo ergo isti,

Ephes. 4. — 3. Reg. 7. — Greg. hõ. 14. in Euang.

A nisi inter Archangelorum numerum deputantur? Et sunt alij, qui mira faciunt, signa valenter operantur. Quò ergò isti, nisi ad supernarum Virtutum sortem, & numerum congruunt? Et sunt nonnulli qui etiam de obsessis corporibus malignos spiritus fugant, eósq; virtute orationis, & vi acceptæ potestatis eiiciũt. Quò itaq; isti meritum suum, nisi inter potestatum cœlestium numerum sortiuntur? Et sunt nonnulli, qui acceptis virtutibus etiam electorum hominum merita transcendunt, cúmque & bonis meliores sunt, electis quoque fratribus principantur. Quò ergo isti sortem suam, nisi inter Principatuum numeros accipiunt? Et sunt nonnulli, qui sic in semetipsis cunctis vitiis, omnibúsque desideriis nominantur, vt ipso iure munditiæ Dij inter homines vocentur. Vnde & ad Moysem
B dicitur: Ecce constitui te Deum Pharaonis.] Quò ergo isti, nisi inter numeros Dominationum currũt? Et sunt nõnulli qui dũ sibimetipsis vigilanti cura dominantur, dúmque se sollicita intentione discutiunt, diuino timori semper inhærentes, hoc in munere virtutis accipiũt, vt iudicare rectè & alios possint. Quorum profectò mentibus, dum diuina contemplatio præsto est, in his velut in throno suo Dominus præsidens, aliorum facta examinat, & cuncta mirabiliter de sua sede dispensat. Quid ergo isti Throni sui cõditoris sunt? vel quò, nisi ad supernarũ sedium muneros ascribuntur? Per quos, dũ sancta Ecclesia regitur, plerúmq; de quibusdã suis infirmis actibus etiã electi iudicantur. Et sunt nonnulli, qui tanta Dei ac proxi-
C mi dilectione pleni sunt, vt Cherubin iure nominẽtur. Quia enim Cherubin plenitudo scientiæ dicitur, & Paulo dicente didicimus, quia plenitudo legis est charitas:] omnes qui Dei & proximi charitate cæteris ampliùs pleni sunt, meritorum suorum sortem inter Cherubin numeros, perceperunt. Et sunt nonnulli qui supernæ contemplationis facibus accensi, in solo conditoris sui desiderio anhelant: nihil iam in hoc mundo cupiunt, solo æternitatis amore pascuntur, terrena quęque abiiciunt, cuncta temporalia mẽte transcendunt, amant, & ardẽt, atque in ipso suo ardore requiescant; amando ardent, loquendo, & alios ascendunt, & quos verbo tangunt, ardere protinus in Dei amore faciunt. Quid ergo istos, nisi Seraphim dixerim, quorum cor in ignem conuersum, lucet, & vrit; quia & mentium oculos ac superna illuminant,
D & eos compungendos, in fletibus vitiorum rubiginẽ purgant? Qui ergo ita ad amorem sui conditoris inflammati sunt, quò nisi inter Seraphim numerum, sortem suæ vocationis acceperunt?] Hæc omnia Gregorius, quæ consultò retulimus, vt ea intelligamus. Quia enim dignior in cœlo mansio, & gloriæ mensura, vt Thomas ait, pro magnitudine charitatis dãda est; ista omnia, quæ Gregorius refert, ad charitatem sunt reuocanda. Sic nimirũm vt qui charitatem Angelorum ordini congruentem habuerit, qua minora cognouerit, atque nunciauerit, inter Angelos sedeat. Et qui charitatem Archangelorũ ordini aptam cõsequutus fuerit, qua maiora calluerit, & verbo aut
E exemplo docuerit, cum Archangelis resideat. At eodem modo cæteri charitatis funiculo, non gratiarum datis datarum exercitatione metiendi sunt, vt ad spirituum beatorum mansiones perueniant. Vnde sicut omnium Angelorum charitas adhuc in statu mariti ipsorum magna, & perfecta fuit, ita oportet, vt qui æqualem cum eis gloriam accepturi sunt, infantiam Christianæ iustitiæ, & puerilitatem charitatis excedant, & ad aliquam perfectionem iustitiæ, & charitatis, vt cum Angelis deputentur, ascendant. Quid enim conducet, aut magna, aut parua prædicent, si miracula, & prodigia faciãt, si alijs imperent, si tamẽ

Exod. 7. — Rom. 13. — D. Tho. in addit. q. 99. art. 3.

vitam humi repentem, & mentem in rebus terrenis hærentem,& charitatem nimis exilem, & vix eos in aliqua Dei gratia conseruantem habuerint?

Post nouem igitur Angelorum ordines,quibus(vt diximus)omnes perfecti texti sunt, vt, quemadmodum scriptum est in Psalmo, Collocet eos Dominus cum Principibus, cum Principibus populi sui, decimus erit beatorum ordo, in quo omnes paruuli cum baptismo decedentes,& omnes iusti, qui vitam hîc tepidam,& segnem duxerunt, & tandẽ in gratia decesserunt, suo ordine requiescent. Nam meliores ad infimum Angelorum chorum propiùs accedent, infirmiores verò ab Angelis longiori interuallo distabunt.Quod,vt nunc alios omittam,Bonauentura magnus Ecclesiæ Doctor apertè palámq; testatur. Ait enim,infra nouem ordines Angelorum addetur ordo decimus ex his, qui in vita ista non peruenerunt ad tantam meritorum excellentiam,vt exaltentur ad ordines angelorum, sed meritis Christi saluati decimũ tenent gradum.] Putatq; hoc,in illa parabola mulieris habentis drachmas decem,quæ vnam perdidit,& tandem post multum laborem inuenit,fuisse signatũ, atq; in miraculo solis descendentis tempore Ezechię per decem lineas,fuisse in figura prędictum.Sic enim Christus verus iustitiæ sol, ad quærendam decimam drachmam,id est, humanum genus, relictis nouem Angelorum ordinibus, de cœlo descendit, & in volubilitate huius vitæ vsque ad assumptionem infimæ, post omnes Angelos naturæ humanæ se deiecit.Quã cùm per charitatem perfectam Angelicam, quo ad gratiæ mensuram fecit, cùm Angelis collocat, cùm verò ipsa per hominum negligẽtiam in sordibus hæret,si demùm ad salutem veniat, infra ordines Angelorum constituit. Ex his manifestè conspicitur,quãta sit inter gloriam virorum perfectorum, & hominum imperfectorum distantia. Nam si Angeli sunt penè innumerabiles, quia millia millium ministrabant ei: & decies millies centena millia assistebant ei. Et si omnes isti,si Thomæ satis verosimiliter loquenti credendũ est,sunt gratia & gloria inæquales, ita vt sicut in numeris vnus est alio maior, ita in Angelis vnus sit alio semper gloria superior. Quantò maior erit gloria eorum beatorum, qui inter Angelos,aut inter Archangelos,aut inter alios superiores ordines sedẽt, beatitudine eorum iustorum,qui infra omnes Angelos suum domicilium habẽt? Hoc nec lingua eloqui, nec summa comprehendere,nec mẽs valet cogitare.

Si ergo desiderium rerum cœlestium debet esse maius eo quod in rebus terrenis collocamus, cur saltem eos,qui statũ perfectionis profitemur, non auidè,& diligenter ad perfectionem curremus? Cur sæculares homines numquam augmento diuitiarum & honorum satiantur, & nos augmentum gloriæ, & veras diuitias, veráſque dignitates fastidimus, & in infimo loco sessutos esse sustinemus? Et illi quidem falsa bona quærunt, & quæ velint nolint amissuri sunt, magna sollicitudine conquirunt; cur nos vera bona, & semper duratura nõ augere,& promouere curamus,quorum possessione felicissimi futuri sumus? Quare nos in hac vita infimus locus contristat,& in cœlo infima sedes delectat, cùm potius hîc postremus locus eligendus esset,vt ibi superior sorte nobis obtingeret? An quia hic primas sedes appetere superbia est,& in cœlesti patria supremum locũ procurare feruor est, & magnæ mentis indicium? Sed si hoc nos mouet, cur ex professo virtutem auersamur, & ambitiosi, ac superbi haberi volumus, vitiũ virtuti præferentes,& dignitatem terræ cœlesti dignitate facto ipso maiorem existimãtes? Pudeat nos præmiũ sanctis & perfectis præparatum contemnere, quod profectò vitæ nostræ segnitie despicimus, dum illi vtilitates huius mundi anteponimus, & vitæ futuræ bona amittimus,dum plus æquo huius vitæ bonis inhæremus. Et ego quidem Dominus, vnus sum ex tepidis & imperfectis hominibus, qui singulis diebus tibi, vt par est,seruire propono,& numquam incipio; & quia semper peccata peccatis accumulo,& imperfectionibus imperfectiones adiicio,minimè sũ quietus,sed perpetuò earũ memoria & recordatione discrucior. At misericordia tua,Deus meus,hæc spes reposita est in sinu meo, quòd paruulus inter paruulos requietionis locum obtinebo. Scio enim,quia nõ solis sanctis, sed peccatoribus etiam conuersis æterna cœlorum habitatio à te parata est. Et lego, quia paruus & magnus ibi sunt, & seruus liber à Domino suo.] Ibi paruus, licèt non in loco magnorum,tamẽ in eadem domo cum magnis, te donante, victurus sum,vbi iam liber ab omni seruitute peccati,nulla inuidia magnorum tangar, & nullo liuore consumar. Quia in illa tantæ beatitudinis regione, vt ait Prosper seruus tuus,nec maioris meriti sibi aliquid quisque arrogabit,quia arrogantia ibi nulla erit; nec superiori inferior inuidebit, quia ibi inuidus nullus esse poterit. Placeat tibi Domine, vt secundùm fidem meam fiat mihi, & secundùm spem, quam de tua bonitate concepi,mihi tandem eueniat; nam licèt minimus sim regni cœlorum, sine dubio magnus ero,& omnem à mortalibus comprehensibilem magnitudinem superabo.

Quàm iucunda sit perfectorum memoria.

CAPVT XXXVII.

PERFECTOS viros in cœlesti patria receptos & apud Dominum exultantes, fideles è sua memoria non delent, nec terrigenæ obliuiscuntur, sed eorum honorificè recordantur. Quos enim sanctè & perfectè vixisse compeiiunt,aut statutis temporibus, aut quoties memoria ipsorum incidit, non sine laude & admiratione concelebrant. Idque Salomon Deo inspirante cognouit, dum inter suas sententias hanc etiã scripsit: Memoria iusti cum laudibus, & nomen impiorum putrescet.] Cuius sensui non tantùm summæ veritatis loquentis auctoritas,sed ipsa quoq; quotidiana experientia testimonium præbet. Sæpè namque vidimus reges, & principes, & nobiles in sepulchris marmoreis putrescentes, & penitus ab hominum recordatione relictos; pauperculos verò Christo perfectè obsequentes, & post mortem in infimo loco sepultos ab vniuersis hominibus honoratos. Illorum memoriam nec marmora, nec alabastrites, nec columnæ, nec ædificia, nec tituli superbi conseruant: istorum verò felicem recordationem sola virtus, operibus sanctæ conuersationis exculta, sustentat. Illorum nomina,& titulos,ac dignitates homines nesciunt, & opera ignorant; istorum verò & nomina cum magna veneratione audiunt, & sanctissimas actiones admirantur. Imò, vt Beda ait, & in hac vita boni bonos, siue viuentes, siue defunctos, laudibus efferunt, impiorum autem, & actus detestantur,& nomen. Omnes quidem homines instigante natura, & desiderio immortalitatis deposcente,cupiunt sui memoriam posteris derelinquere, & curant si non possunt in seipsis,at in filiis, & in operibus se immortales facere, & perpetuò in aliorum recordatione permanere. Hoc autem immortalitatis desiderium, ad quos labores miseros mortales non adigit, ad quas curas, & fatigationes non impellit?

Marginal notes: Psal. 112. — Bonau. in 2.d.9.q.7 — Luc. 15. — 4.Reg. 20 — Danie. 7. — D.Tho.1. p.q.50.ar. 4. — Iob. 3. — Prosp. lib. 1. de vita cont. c. 4. — Prou. 10. — Beda in prouer. c. 10.

pellit? Quidam eorum, auro & argento, & gemmis, ac lapidibus pretiosis, & aliis diuitiis congregandis intendunt, vt partæ diuitiæ, & post mortem aut aliis legatæ, aut in filios hæreditate transfusæ, eorum laudabili memoriæ subseruiant. Alij inhiāt dignitatibus, & honoribus assequēdis, quæ ipsorum nomen veluti ante oculos hominum suspensum teneant, & in terrā obliuionis cadere, & mergi non sinant. Alij intolerabiles labores militiæ subeunt, & certaminū periculis millies vitam exponunt, vt posteri sciant, & legant, eos fuisse duces fortissimos, qui pro aris & focis sanguinem profuderunt, & aduersus hostes strenuè decertarunt. Alios magnificarum domorum, & superborum ædificiorum extructio delectat, in quorum lapidibus nomina, & dignitates suas, & sumptus immensos in turribus erigendis factos insculpant, quæ eorum recordationem integram inuiolatámque conseruent. Nam & hæc causa fuit turris Babylonicæ ædificādæ; quare superbi eius ædificatores dixerunt: Venite, faciamus nobis ciuitatem & turrim, cuius culmen pertingat ad cœlum: & celebremus nomen nostrum antequam diuidamur in vniuersas terras.] Omnes isti nullo modo ad finem sui desiderij perueniunt. Quoniam ipsæ opes malè partæ, aut dilabuntur, aut, etsi maneant, in alium possessorem translatæ, dum istum augent, iniustum lucratorem obliterāt. Et dignitates, quia successores inflāt, atque distendūt, miseros prædecessores iā nudos, & spoliatos, & fortassis in baratrū detrusos abscondunt. De hostibus autem reportatæ victoriæ facillimè à memoria pace fruētium excidūt, & cum ipsa bellorū & victoriarū obliuione, obliuio etiam ducum, & imperatorū ingreditur. Ac denique superba palatia, immensæ ædificiorum moles, ex lapidibus mutis congestæ nomen suorum ædificatorum prædicare non possunt, nisi fortè in auribus quorundā otiosorū, qui antiquos characteres, & penè vetustate consumptos lapidibus incisos nituntur legere, & quæ continent, ad memoriam reuocare. *Gen.11.*

Iob.13. Greg. 11. mor.c.17. Memoria ergo istorum, vt ait Iob, comparatur cineri. Quia, vt bene interpretatur Gregorius, illic ponitur, vbi ab aura rapiatur.] Quantumlibet etenim quisq; pro facienda gloria sui nominis elaboret, memoriam suam quasi cinerem ponit, quia hanc citiùs ventus mortalitatis rapit.

Et profectò ego istos, qui similibus operibus sui memoriam seruare non valēt, in hoc ipso, quòd eam non seruant, felices existimo, quia eam memoriam apud homines amittunt, quæ ipsis dedecori erat, & sempiternam ignominiam afferebat. Quis enim dum diuitis iam mortui recordatur, non iudicat eum fuisse raptorem, qui dolis, & technis, & rapinis, ac pauperum iniuriis tantas opes aggregauit? Quis ad memoriam reuocans eum, qui magnos honores fuit consequutus, non cogitet eum fortè superbum, ac ambitiosum fuisse, qui non meritis sed pecunijs, & donis, in gratiam familiarium regis seipsum insinuauit, & eorum mendaciis approbatus in sedem iudiciariam ascendit? Quis eius mentionem faciens, qui vitam militarem arripuit, non suspicetur illum peccatis militum fuisse implicatum, quorum occupatio est, dumā conflictu præliorum vacant, ludere, & peierare. & vilissimas mulierculas in exercitu circumferre? Quis tandem dum eius nomen audit, qui opes suas in magnis ædificiis insumpsit, non eum stultum & insanum putet, qui struit domos amplissimas in terris extruere; quas lusores frequētarent, & in cœlo sibi ædificare domicilium æternum ignorauit? De isto, & similibus inquit Chrysostomus: Hoc non est tam laudem quàm crimen sibi parare. Nam statim ad hæc subiungentur plurimarum contumeliarum verba: domus hæc huius est, huius auari, huius rapacis, huius viduarum & orphanorum spoliatoris. Igitur hoc non est memoriam assequi, sed perpetuis obiici criminibus, & etiā post mortem infamari, & spectatorū linguas acuere in blasphemiā & accusationem eius, qui illam possidet.] Cum his ergo omnibus satis bene agitur, si eorum memoria aboleatur, quę non ipsorum honori proficit, sed dedecori & ignominiæ seruit. *Chry. ho. 12. in gen.*

Peccatores itaque sui memoriam perpetuare cupiunt, quam tamen ad summum, & temporalem, & infamiæ plenam assequuntur. At vir iustus, atque perfectus, memoriam in cordibus hominum perpetuam, & illam honorificam, & laudibus refertam assequitur. Vtrumque sanctus Dauid vnico versu complexus est; In memoria æterna erit iustus, ab auditione mala non timebit.] Iustorum memoria in hoc quoque sæculo perpetua est, quia causa eius, scilicet virtus, numquam interit. Et quia Dominus suorum amicorum honori cōsulens, homines ad eorum memoriam & recordationem excitat, quos sibi per intimam familiaritatem copulauit. Illud quidem magnæ pietatis opus, quo Maria Magdalena pretiosum alabastrum confregit, & vnguentum nardi spicati, magni valoris, super caput Christi recumbentis effudit, Dominus ipse pollicitatione æternæ memoriæ ex parte persoluit. Amen dico vobis: vbicumq; prædicatum fuerit Euangelium istud in vniuerso mundo, & quod fecit hæc, narrabitur in memoriam eius.] Idem prorsus fit cum multis aliis sanctorum, qui perfectionem coluerunt, & vnguenta sanctarum laudum super caput Christi profuderunt, & eius pedes amoris affectibus osculati sunt. Hæc opera illorum vbique resonāt, & in toto mundo celebrantúr, atque in cathedris, & pulpitis Petri lacrymæ, Pauli discursus Francisci humilitas & paupertas, Dominici fraterna charitas, Bernardi singularis puritas, & aliorum sanctorum merita ad eorum memoriam referuntur. Vnde sapientia ait: O quèm pulchra est casta generatio cum claritate: immortalis est enim memoria illius; quoniam & apud Deum nota est, & apud homines.] Hæc generatio non est alia quàm multitudo iustorum, quæ mente pulchra est, quia gratiæ decore nitet, & corpore casta, quia honestatis nitore emicat, & luce sapientiæ clara; quoniam rerum cœlestium cognitione resplendet. Cuius memoria nec apud Deum, nec apud homines perit. Non apud Deum, quia sanctos semper secum habet, & numquam à proposito eos clarificandi discedit. Non apud homines; quoniam hi celebrem eorum memoriam nō deserunt, quos sibi semper patronos apud Deum, & mediatores agnoscunt. Adeò vt, quia non potest Ecclesia omnium sanctorum festa sigillatim celebrare (sunt enim illi innumerabiles) neque potest omnes perfectos, & iustos ex nomine cognoscere, aut eorum specialem memoriam habere, dies festos celeberrimósque quotannis instituit, in quibus (iubente Deo) sanctorum omnium choros honoraret, & eos ad memoriam fidelium adduceret. Omnes etiam illos frequenter inuocat, dum in publicis supplicationibus canit: Omnes sancti, & sanctæ Dei, intercedite pro nobis.] Benè ergo perfectus quisque ait, dum bona sibi à perfectione data commemorat: Præterea habebo per hanc immortalitatem, & memoriam æternam his, qui post me futuri sunt, relinquam.] Et rursus: Habebo propter hanc claritatem ad turbas, & honorem apud seniores iuuenis.] Sapienter perfectus vir iuuenem se vocat, quia in feruore numquam senescit, numquam virtute flaccescit, numquam in bonis operibus fit

Psa.111. Marc.14. Sap.4. Sap.8. ibid.

imbecillior,sed dum quotidie proficere curat, & robustior in bono fieri,floridam inueniam asseruat. Bonus iuuenis, cuius animus senili grauitate censetur, in quo ætas senectutis est, non annorum numerus, sed vita immaculata, in quo viget incana prudentia. Bonus iuuenis, cuius renouata est, & refloruit velut aquilæ iuuentus sua. Hunc seniores, illi scilicet, qui caniciem, & maturitatem habent in mente, honore prosequuntur. Hunc turbæ, & qui affectuum commotione turbantur, clarum, & memoria dignissimum iudicant. Hunc futuri vidisse cupiunt, & quem non viderunt, in operibus ab ipso relictis vident, & magnis laudibus prædicant. Hunc denique Deus immortalitate vestitum apud se eximiis muneribus præmiat. Cui per omnia conuenit illud fortis mulieris elogium: Non extinguetur in nocte lucerna eius.] Nam si mors iusti nox dicitur, quia in ea tamquam in nocte requiescit, & pausat à laboribus suis, profectò in nocte lucerna eius non extinguitur, quia post mortem iusti nomen non deletur, nec memoria consummatur. Est ergo æterna perfecti viri memoria, quæ vsque ad finem mundi in Ecclesia durabit, & post mundi consummationem clarior & fulgentior existet. Nunc enim, quia aliter fieri non potest, quorumdam sanctorum memoria tantùm communiter habetur, tunc verò omnium singularis memoria,ac recordatio celebrabitur. Quia in cœlesti patria omnes, quemlibet iustum ex nomine cognoscent, & eum tamquam Dei filium prædilectum honore afficient.

Prou. 31.

Sed quid est, quod Dauid adiecit,viro iusto æternam memoriam promittens: Ab auditione mala non timebit?] Certè quod iusti memoria non erit infamis, sicut impiorum recordatio, sed iucunda, honorabilis, plena laudis atque decoris. Quod Ecclesiasticus de Iosia loquens manifestè pronunciauit: cuius laudem omnibus viris sanctis, atque perfectis congruere perspicuum est: Memoria Iosiæ, inquit, in compositionem odoris facta, opus pigmentarij. In omni ore quasi mel indulcabitur eius memoria, & vt musica in conuiuio vini. Tria proponit huius recordationis encomia, quæ in memoriam cuiusque viri perfecti per omnia quadrant. Alterum: quod est veluti purissimum thymiama ex variis odoramentis compositum,& hoc pertinet ad opinionem, quæ de perfecto concipitur. Omnes enim cùm alicuius viri sancti, aut perfecti recordantur, illum vt aceruum quendam virtutum aspiciunt, & in eo humilitatem, grauitatem, modestiam, silentium, internam puritatem, & reliquas virtutes inesse cognoscunt. Quæ tam suauiter naribus spiritualis mentis olent, vt quisque eas mente percipiens, sine vlla hæsitatione affirmet, quia sanctus, & perfectus vir bonus Christi odor est in omni loco.] Et sicut Christus pulcherrimus campi flos (vt ipsum sponsa compellat) omnes flores, & rosas, & lilia suauitate & decore vincit; ita eius odor, quo perfectum quemque intelligimus, omnes corporeos odores suauitatis præstantia, quasi in infinitum excellit. Alterum encomium est, quòd in ore loquentium est quasi dulcissimum mel. Nemo enim ex concepta perfecti memoria, os ad loquendum aperit, qui non eum laudibus, & encomiis exornet. Ille, inquit, erat vir humilis, & obediens, qui mundum, & seipsum despiciebat, & vt prælati iussa exequeretur, suum sensum, & voluntatem conculcabat. Ille erat vir patiens, & assiduæ orationi deditus, cuius studium erat huius vitæ molestias firmiter tolerare, & Deo per compunctionis sacrificium seipsum offerre. Hæc & similia verba de viro perfecto proferuntur, cùm aliqui

Psal. 111.
Eccl. 49.
2. Cor. 2.
Cant. 2.

A mutuò colloquentes, in eius recordationem incidunt. Quod Chrysostomus diuiti suadens, vt suas opes mendicis erroget, hac luculentissima oratione confirmat. Quod si omnino æternam memoriam amas, ego tibi viam monstrabo, qua poteris semper celebrari, dabitque tibi fiduciam in futuro sæculo. Hoc pacto igitur poteris, & commemorari, & celebrari quotidie, encomiisque euehi, & post hanc vitam, si has pecunias in manus inopum dispenses, relictis lapidibus, & splendidis ædificijs, & villis, & balneis. Hæc memoria immortalis, hæc memoria à sarcina peccatorum alleuiat, hæc multam tibi fiduciam apud Deum conciliat. Cogita, obsecro, & hæc verba, quæ singuli dicturi sunt. Hunc misericordem & benignum, hunc mansuetum, hunc suauem, hunc tam largum dispensatorem. Dispersit enim, & dedit pauperibus, iustitia eius manet
B in sæculum.] Vno die diuitias dispersit, & iustitia eius manet in sæculum, & memoriam fecit immortalem. Vidisti memoriam, quæ se in omne sæculum extendit? Vidisti memoriam magnis, & ineffabilibus plenam bonis?] Hoc pacto post mortem iusti misericordes laudantur. Quare Tabitha vita functa discipuli accersierunt Petrum, & eum in cœnaculum introducentes, vbi iacebat corpus exanime, circumsteterunt illum omnes viduæ gentes, & ostendentes ei tunicas,quas faciebat illis Dorcas (sic námque nomen defunctæ interpretabatur) in tantum vt Apostolum ad rogandum Dominum, & ad suscitationem eius impellerent.] Quòd si tanta est
C laus misericordium, qui solas opes extra se positas in pauperum vsus insumunt, quanta erit illius laus, qui omnia pro Christo relinquit, qui suam voluntatem deserit, qui in hac vita perfectè mundo moritur, & soli Deo viuere studet? Verè in omni ore memoria eius dulcatur, quia cùm eius mentionem facit, non nisi ad promendas Dei, & iusti laudes aperitur. Tertium encomium est, quòd memoria viri perfecti erit, sicut musica in conuiuio vini, quod ad audientium vtilitatem, & oblectationem spectat. Sicut enim musica animos purgatos moderatè epulantium, & bibentium oblectat, & ad desideria rerum supernarum inuitat, ita memoria viri perfecti auribus excepta fidelibus, & audientes exhilarat, & ad desiderium auditarum virtutum prouocat. Cui
D non ineptè conuenit illud eiusdem Ecclesiastici: Vinum, & musica lætificant cor, & super vtraque dilectio sapientiæ.] Illa enim cor carneum ad exultationem permouent, dilectio verò perfectio, ad memoriam reuocata, spiritum mentis nostrę ad verissimum gaudium, & ad imitationem perfectionis, quam audimus, instigat. O quoties dum virtutes alicuius fratris nostri, aut absentis, aut vita functi commemorati audimus, conscientiæ spina cōpungimur, & nostram vecordiam & segnitiem erubescimus, & apud nosmetipsos mores mutare, spiritualiter viuere, & eius silentium, & obedientiam, & orationis studium imitari constituimus? Quid est hoc nisi musica in conuiuio vini? Nos enim ad vinum spirituale bibendum inuitati, & ad cellam vinariam religionis adducti,
E dum musicam virtutum alicuius fratris aure interiori percipimus, inter bibendum mirum in modum delectamur, & surgere non ad ludendum, sed ad laborandum proponimus.

Nonnihil etiā huius vtilis & iucūdæ perfectorum memoriæ, quam post se relinquunt, in veste sacerdotis figuratum intelligimus. Nam illa vestis oram habebat textilem, ex qua mala punica, ex hyacintho, & purpura, coccóque bis tincto contexta, & aurea tintinnabula dependebant, quorum dulcis sonus in-

Chry. ho. 30. in Genes.
Psal. 111.
Actor. 9.
Eccl. 40.
Exod. 28.

grediente

grediente sacerdote tabernaculum aures vniuersorum astantium pulsabat.[Sacerdos,cui mysticè vestis ista consuitur quisque perfectus est,cuius totum munus in hoc profectò consistit, vt Deo, non sacrificia taurorum,aut vitulorum, sed suimetipsius offerat,& in altari cordis quicquid carnale est, charitatis igne consumat. Vestis autem eius hyacinthina ad talos vsque demissa,cœlestis est eius conuersatio, vt ait Beda,quæ pedes sacerdotis operit,dum perseuerans est, & finem vitæ viri perfecti contingit.Illi enim dicitur:
Apoca.2. Esto fidelis vsque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ,]&,ne istam coronam æternæ vitæ perdat,vsque ad mortem in bono perseuerat. Extremitas huius vestis,finis ipse est sanctæ & cœlestis cõuersationis, quæ nõ in genibus,aut in cruribus,sed in pedibus finitur, quoniam ad finem vsque vitæ perdurans, in aliam meliorem conuersationem commutatur. Sed vide quid ex hac extremitate siue ora dependeat: Certè mala punica, & tintinnabula,quæ iucundam & sanctam perfectorum memoriam designãt. Tintinnabula námque sonant, & ad efferenda lumina, & ad videndam vestem sacerdotis, & mala punica nos prouocant. Et dum verba, quæ vitam perfectorum tractant,audimus,nihil aliud internis oculis, quàm sanctissimam quandam vitam,& cœlestia desideria,charitatis opera, & purissimas omnium virtutum actiones aspicimus.Quibus & ad laudandos sanctos ipsos, & (quod præcipuum est) ad laudandum Dominum sanctitatis auctorem, & omnis perfectionis datorem permouemur. Quis enim alicuius perfecti viri vitam
Psal.144. & actus considerans,non clamet cum Dauide:Generatio & generatio laudabit opera tua; & potentiam tuam pronunciabunt. Magnificentiam gloriæ sanctitatis tuæ loquẽtur;& mirabilia tua narrabunt. Et virtutem terribilium tuorum dicent: & magnitudinem tuam narrabunt. Memoriam abundantiæ suauitatis tuæ eructabunt:& iustitia tua exultabunt:] Verè,Domine omnes gentes, omnésque nationes opera tua laudant, & potentiam tuam prædicant, illa scilicet opera præcipuè,quæ in sanctis tuis facis, & illam potentiam,quam in mutatione, & emundatione, cordium eorum ostendis.Narrant,inquam,illam immensam magnificentiam, qua dilectos tuosè vinculis rerum mundanarum ereptos,sanctitate multiplicas, & mirabiles aquarum cœlestium decursus, quibus illos emundas. Explicant quoque non sine ingenti admiratione tuorum operum fortitudinem,quoniam perfectorum operâ(& illi quidem, quod ad naturam attinet homines sunt imbecilles;)vitia destruis; peccata consumis,dæmones fugas,& solo conspectu homuncionum exterres,& te verè magnum: qui pusillis ingentia potes,apud omnes manifestas.Memoriam huius eximiæ potentiæ, & suauissimæ misericordiæ omnes eructant, & id nimis vtiliter, quia dum horum operum recordantur, ad tuam iustitiam consectandam interiùs exultant.Est ergo,Domine,perfectorum memoria gloriosa, honorifica,atque proficua:gloriosa,quia tibi sanctitatis datori gloriam tribuit;honorifica, quia perfectis honorem sempiternum parit: & proficua,quia in nobis desiderium imitãdi progignit.
Psal.9. Perit memoria impiorum cum sonitu,] at sanctorum memoria in æternum durat:quam sanè perfectionem excolentes,habebunt:qui verò operibus luti & lateris,id est,actionibus mundanis quærunt,nullatenus consequentur.

* * *

Quòd perfectio ob summam sui dignitatem ab omnibus sit excolenda.

CAP. XXXVIII.

OMNIA, quæ in superioribus dicta sunt, manifestè confirmant summam esse perfectionis dignitatem, quam vniuersi homines idebèrent appetere, & nequaquam in solo appetitu, ac desiderio consistere, sed vltra ad exercitationem omnium virtutum progredi ac niti, mediis illis tamquam instrumentis hanc pretiosissimam gemmam sanctitatis comparare. Nam si pro mundi dignitatibus infatigabili studio laborant; quanto vtilius erit illis, pro dignitate perfectionis laborare, quæ non solùm in hoc sæculo & ad paucos dies, magnos & honorabiles reddet, sed etiam in futuro, atque in regno Dei, & in æternum, & apud Deum & Angelos eius,claros & gloriosos efficiet? Omnis dignitas huius sæculi exilis & pusilla est, quæ serò incipit, & citò euanescit, & quamdiu durat, ambiguis & implacabilibus curis mentem sub ea gementis discruciat. Est quidem pusilla, quia ad paucos, aut in paucis rebus suam potestatem extendit. Quid enim possunt reges, aut Prælati præcipere, quod non parum sit, cùm totum illud sit exterius, & ad actus interiores mentis nequaquam eorũ dominatio procedat;& quicquid ipsi præcipiunt, inde vim habet, quia à vera virtute præcipitur: aduersùm quam si aliquid iubeant, nullo modo ad præstandum subditos ligant? Serò quoque dignitas mundi incipit. Quot enim annis expectandum est, vt quis ad aliquam potestatem ascendat? quantùm laborandum, & vigilandum, vt aliquem splendorem in republica acquirat? & quantos vidimus, in quorum domos dignitas, & mors simul ingressæ sunt, & dignitas non ad dignitatem contulit (sed ad immensam tristitiam subintrauit? Citò etiam discedit; quoniam aut temporalis est,& tunc elapsis paucis annis finem accipit; aut perpetua (sic enim mendax sæculum aliquas dignitates vocat, eo quòd tota vita non cessent (& hæc in morte hominem inglorium, & nudum, & multis scrupulis implicatum derelinquit. Ac tandem ista dignitas non tam refrigerium est, quàm tormentum illam habentis,qui sæpissimè propriæ necessitati, & imbecillitati seruire non potest; qui dum manducandum esset, ieiunat; dum dormiendum esset, vigilat; dum pausandum, elaborat; qui edacibus curis discerpitur, tristitiis affligitur, & supra vires laboribus oneratur. At dignitas perfectionis magna est,& (vt ita dicam) ampla,quæ si volumus, citò incipit, & numquam nos deserit, & sanctissimis voluptatibus nos ipsos illinit. Quis enim eius magnitudinem poterit explicare, quæ omnes cogitationes, omnia desideria, omnia verba, & omnia opera mentis nostræ componit, & Deum nobis propitium, Angelos beneuolos, homines amatores, & omnes creaturas subditas reddit? Quis eius citum aduentum exprimet, quæ facilè videtur ab his, qui diligunt eam,& inuenitur ab his, qui quærunt illum?] Præoccupat,qui se concupiscunt, vt illis se prior ostendat, & si virorum & senum corda diligit,consortium adolescentium, imò & puerorum, & virguncularum non erubescit Quis eius perpetuitatem declaret, quæ vsque ad mortem virum perfectum sequens, cùm carnalibus oculis videtur secedere,tunc crescit,tunc fit ipsa omnino perfecta, tum mentem fortiùs afficit, & inseparabiliùs astringit? Quis tandem eius dulcissimum conuictum Sapien.6.

eloquatur, quæ nos laboribus eximit, curis liberat, & inter tot huius vitæ molestias vitam iucundam, quietam, & conuersationi cœlesti assimilem tribuit? Et illam dignitatem suspirant homines, illam quærunt, illam æmulantur, illam amplectuntur, illam, si possunt, augent, illam, ne discedat, ambabus manibus tenent, fugientem consectantur, labentem erigunt, & hanc perfectionis dignitatem celsissimam tot nominibus gloriosam, tot insignibus titulis honoratam, nec possidere, nec promouere, nec imitari, nec quærere, nec cupere, nec cogitare procurant; quid est hoc, nisi fatuitas & insania stultissima? Quamnam ob causam aliquam sæculi dignitatem inquirunt? An quia illos diuites facit, & ad rerum temporalium abundantiam confert? sed perfectio est thesaurus incomparabilis, cui omnes mundi opes seruiunt; & qui se habentes cœlestibus diuitiis, & supernis bonis multiplicat. An quia honore & reuerentia prosequitur? Sed perfectio honorem amplissimum defert, & viros sanctos ab omnibus honorari facit, & ante illos omnem principum & regum honorem prosternit. An quia vmbra deliciarum inescat? Sed perfectio non tam voluptatibus plena, quàm ipsa sanctissima voluptas est, quæ mare conscientiæ sedat, fluctus desideriorum tranquillat, & delicias Angelorum, quas in Dei cognitione & amore omnis vera sapientia constituit, è cœlo in terram aduehit, & in mentes perfectorum inuehit. An quia ipsa dignitas per se digna est, quæ appetatur? demus hoc gratis, quod verum non est, Sed perfectio seipsa honestissima; seipsa pulcherrima, quæ huius vitæ est summa felicitas, quæ nos Deo amicos, Dei filios efficit, quæ nos vnum spiritum cum Deo facit, quantò magis erit digna, quæ ab omnibus exoptetur? Si ergo delectamini sedibus, & sceptris, ô reges populi, diligite sapientiam, vt in perpetuum regnetis.] Hæc enim sapientiæ aut perfectionis dignitas vestras dignitates stabilit & firmat: ideo namq; non cadunt, quia sunt in mundo viri iusti, & sancti, qui Dominum placant, ne in nos peccatores eius indignatio desæuiat. Et si perfectionem colueritis, regnum, & dominatio vestra nullum videbit finem, quia post hanc vitam, in qua cum labore regnatis, in futura cum summa tranquillitate regnabitis. Regnabitis, inquam, non soli vos, sed quotquot perfectionem amauerint, & secundùm normam illius suam vitã instituerint. Quia hoc habet perfectio, vt principes, & reges ad maiorem dignitatem extollat, & pauperes, ac seruos in dignitatem regiam, & in filiorum Dei statum adducat. Sapien. 5.

Eò autem hæc præstantissima perfectionis dignitas, maiori conatu à viris spiritualibus appetenda est, quàm à sæcularibus qualibet dignitas humana, quòd illa sit Dei beneficio velut homini propria, & hæc aliena ac quasi exteriùs ascita. Quisque verò maiorem solet curam apponere, & vigilantiori conatu neruos intendere, vt perditam dignitatem recuperet, quàm vt nunquam à se habitam, nec debitam sibi acquirat. At dignitates temporales esse extraneas hominibus ex eo perspici potest, quia omnes nudi; & pauperes nascimur, & nullus est, qui ab ipsa conditione sua, aut diuitiis abundet, aut inter alios excellentia alicuius dignitatis emineat. Nudus egressus sum de vtero matris meæ, ait Iob, & nudus reuertar illuc.] Sed & ille magnificus rex, qui diuitias, & gloriam talem accepit, vt nemo fuerit similis ei in regibus cunctis retro diebus,] ait suum natale verbis edicens: Et ego natus accepi communem aërem, & in similiter factam decidi terram, & primam vocem similem omnibus emisi plorans: in inuolumentis nutritus sum, & curis magnis. Nemo enim ex regibus aliud habuit natiuitatis initium.] Dignitas verò gratiæ, & perfectionis velut propria est, quia ab initio nostræ naturæ nobis dono Dei data, nobiscum nata, & cum ipsa natura humana enutriat. Nam quis nescit, hominem, secundùm veriorem Theologorum sententiam, in gratia fuisse creatum, & sanctum, ac perfectum fuisse à Deo conditum; qui filios gratia, & iustitia ornatos generasset, si in data sibi rectitudine permansisset? Hanc dignitatem communis humani generis pater, per inobedientiam sibi, & nobis perdidit, & quisque post baptismum in crimen incidens, restitutam sibi eãdem gratiæ dignitatem amittit. Quæ ergo dementia hominum est, ad fucatas & caducas, & sibi non debitas huius sæculi dignitates aspirare, & hanc verissimã dignitatem, & perpetuam, & maximam, & velut propriam postmittere? Finge obsecro, vt hanc hominum cæcitatem intelligas, esse quemdã adolescentem filiũ magni regis, & hæredem regni, qui facili negotio possit regnum patris, à quo pulsus est per iniuriam, iterũ accipere, & cum magna gloria regnare. Si iste seipsum sciens, & regiam suam prosapiam agnoscens, regnũ illud debitum sibi contemneret, & in paruulo rusticorũ vico ad iudicis potestatem annuam anhelaret, nónne illum stultum putares, & tamquam insanũ & amentem spernere: qui ridiculam potestatem, & post annum finiendam ambiret, & maximam dignitatem, illamq; per totam vitã, duraturã pessundaret? O homo, ô religiose, si fortè religiosus es, qui hæc scripta reuoluis, tu es ille vir, qui in hanc stultitiam incidis, & hanc rem sanè detestandam committis. An non tu es filius Adæ, qui sibi, & tibi gratiã & perfectionem perdidit? An non (quod sine dubio plus est) tu es filius Christi, qui omnibus filijs Adæ (quantùm ad se pertinuit) gratiæ & sanctitatis dignitatem recuperauit, & eã veluti in propatulo exposuit, vt quisque homo ad eam gratia adiutus, facili negotio rediret? Quare ergo annuas aut triennes dignitates ambis? quare honores vanissimos sequeris? quare ineptas laudationes aucuparis? quare tuo statui nõ debitas cõmoditates inquiris? Imò quare virtutẽ proteris, iustitiã deseris, perfectionẽ detestaris, sanctitatẽ, & animæ puritatẽ, ad quam vocatus es, obliuisceris? Certè tu es filius gehennæ, homo vanissimus, atque stultissimus, qui iuxta vanitatẽ tuam inanes honores amas, & verissimũ honorem, ac maximã dignitatẽ sanctæ perfectionis aspernatis. Certè ab omnibus deplorandus es, qui tanta paupertate sordes, qui in tanta miseria rides, & in tanta calamitate constitutus non sentis. Supra mortuum plora, inquit Ecclesiasticus, defecit enim lux eius: & supra fatuum plora, defecit enim sensus.] Supra quẽ tristiùs plorabimus, ô sapiens vir? An supra mortuum, quem non solus sensus, sed vita quoque reliquit? Imò mihi videtur magis plorandũ esse super fatuum, quem miserabilis sors, si nõ vita priuauit, at quasi in bestiã rationis expertem commutauit. Et animus carne solutus pro natura sua cœlestia & terrestria discernet, at corpori hominis fatui alligatus functiones mentis exercere nõ poterit. Ploremus ergo te supra mortuũ, ô tepide, ô bonorũ spiritualium, & gratiæ dilapidator, qui Dei similitudinem fœdasti, vitam spiritualem pro carnali, cõmutasti, pro falsis honoribus, contra ius & fas acceptis verũ honorẽ perdidisti; & adeò sensus hominis fugit à te, vt hoc malũ non sentias, hãc calamitatem non defleas, & hanc miseriam miseriarũ, scilicet vitam tepidam, & segnem volens, & libens admittas.

Nos igitur, q in hoc nati sumus, vt Deo largissimo remuneratori seruiamus, & in hoc ad vitã religiosam vocati, vt perfectionis dignitatẽ cõsectemur, adiicia-

mus

Margin notes: Iob 1. — 3. Reg. 13. — Sapien. 7. — D. Tho. 1. p. q. 95. ar. 1. q. 100. ar. 1. — Eccl. 22

mus muliebrem animum, & vires masculorum induamus, vt dignitas hæc fortibus præparata ad nos pro ea desudantes adueniat. Memores simus, holocaustum Domino offerendum masculum esse debere,] & illi in altari orationis animum masculum, & virile litemus, ne si fœmineus & pusillanimis fuerit, manus sacerdotis Christi illum cum indignatione ex altari proiiciat, & non ignis perfectæ charitatis absumat. Non aliorum socordia nos à sancta institutione retrahat, nec tepiditas à cura omnis mortificationis & virtutis abducat, quia paucorum more viuẽdum est, si eam dignitatem adepturi sumus, ad quam pauci, & selecti, & fortiter dimicantes perueniunt. Considera, inquit Cassianus, de paucis & electis effectum, & ne exemplo, ac tepore multitudinis refrigescas, sed viue vt pauci, vt cum paucis inueniri merearis in regno Dei. Multi enim sunt vocati, pauci verò electi.] Et pusillus est grex, cui complacuit Patri hæreditatem dare.] Si autem scire auemus, qui sunt isti pauci, more quorum est viuendum: Illi sunt Apostoli, illi martyres; illi confessores, illæ virgines, illi omnes sancti, atque perfecti viri, qui nos præcesserunt, aut nunc viuentes in terra circundant. Illi sunt præcipuè, qui nos in Christo genuerunt. Franciscanus Franciscum videat, Dominicanus Dominicum aspiciat, Augustinianus Augustinum sequatur, Socius Iesu ipsum Iesum Christum, cuius militiæ nomen dedit, & antesignanum eius Ignatium imitetur. Detestemur vitam tepidorum, & qui sub habitu paupertatis, & humilitatis, diuites fieri cupiunt, dum nullam necessitatem patienter sustinent, & dum in mundo splendere curant, magni videri volunt. Et sequamur non habitu tantùm, sed vita illorum vitam, quæ nobis vt cibus optimus & suauissimus in mensa religionis propositus est, vt eum meditationis dentibus conteramus, affectibus deglutiamus, & in nostra opera commutemus. Comede fili mi mel, ait sapiens, quia bonum est, & fauum dulcissimum gutturi tuo.] Sic & doctrina sapientiæ animæ tuæ, quàm cùm inueneris, habebis in nouissimis spem, & spes tua non peribit.] Vita patrum nostrorum est mel, quia eius memoria suauissima est, & sapor, siue imitatio dulcissima. Hæc nobis in mensa religionis apponitur, dum mens nostra exemplis perfectorum eruditur, & monitis Prælatorum accenditur, & lectione regularum ad eorum sequelam & imitationem inuitatur. Comedamus hoc mel, quia reuera bonum est, & nostro cordi salutiferum, quia dulcissimum est, & palato considerationis suauissimum. Comedamus, inquam, illud, & vitam patrum nostrorum sequamur, quæ in hora mortis dabit nobis certam salutis spem: quæ nequaquam nos decipiet, sed in possessionem illius rei, quam sperabamus, deducet. Ne autem putemus nos posse, & hunc suauissimum cibum comedere, & simul cibum mundi, & commoditates sæculi deuorare, quia hic cibus sine dubio nos fœdat, & immundos ac impuros reddit, comestio autem ciborum sanctorum immũdis vetita est, & margarita porcis denegata. Nemo potest duobus dominis seruire,] quomodo ergo poterit vno ore, quod toto corpore angustius est, & simplicius, calicẽ salutis, & calicem dæmoniorum bibere, & cibum sanctitatis, ac cibum damnationis esitare? Vir duplex animo inconstans est in omnibus viis suis.] Quis est hic, nisi qui affectus suos in rebus simul diuinis & profanis ponit, & vno corde, scilicet vno affectu, nunc spiritualia sectatur; & alio corde, scilicet alio affectu, statim terrena cupit, & vana conquirit? Hic inconstans est, & instabilis in desideriis suis, & sicut venator, qui duas simul feras insequitur, nullam capit, ita qui spiritualia, & carnalia captare intendit, vtramque amittit.

Leuit. 1. — Cassi. lib. 4 de inst. c. 38. — Mat. 20. Luc. 12. — Prou. 24. — Matth. 6. — Iacob. 1.

Operemur non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam, quod profectò faciemus si vitam & mores tepidorum fugerimus, & feruorem sanctorum patrum nostrorum coluerimus; si terrena omnia, dignitates, commoda, & delicias, ac res superfluas despexerimus; & cœlestia, humilitatem, paupertatem, & corporis ac mentis puritatem fuerimus amplexi: Sed heu, dum illa, quæ non prosunt, quærimus, quæ nobis in hac vita, & in futura vtilia sunt, & honorabilia, imprudenter amittimus. Et dum sapientes sumus, ea sapientia, quæ stultitia est apud Deum, qua terrena, & paramus & promouemus, insipientissimi efficimur, & sapientiam cœlestem destruimus, & lapidamus. Sinistrum latus, id est, corpus, cui à Domino de necessariis satis in religione prouisum est, superuacuis commodis velut tegumentis protegimus; & dextrum latus, nempe mentem, ô lugenda stultitia! nudam & telis hostium expositam derelinquimus. O quàm graphicè Bernardus describit mores nostros, dicens: Quantos inuenire est, fratres, ex his quoque, qui in religionis habitu, & proposito degunt perfectionis, quos terribilis illa Prophetæ sententia comprehendisse videtur: Si oblitus fuero tui Ierusalem, obliuioni detur dextera mea.] Nempe sinistri custodiæ lateris tota sollicitudine incubantes, calent admodum, sed sapientia huius sæculi, cui abrenunciasse debuerant; ea quoque nihilominus, quam reuelat caro & sanguis, quibus iuxta Apostolum noluisse acquiescere videbantur. Denique videas eos tam auidè lucra captare præsentia, tam sæculariter transitoriis vtilitatibus adgaudere, ad terrenarum damna vel minima facultatum tam pusillanimiter turbari, tam carnaliter super his decertare, discurrere tam imprudenter, tam irreligiosè sæcularibus sese implicare negotiis, ac si hoc esset tota eorum portio, hæc vniuersa substantia. Attentiùs sanè agricola pauperem excolit fundum, sed cui fortè nulla amplior, pretiosiórve sit possessio. Bucellam panis in sinu suo mendicus abscondit, quod in saccellis suis solum hoc metalli genus eruginet. Tu quid ita extremæ huic paupertati, & quidem proprij malè prodigus laboris incumbis? Est & alia tibi possessio, etsi fortè remota. Erras. Nihil tam prope nos, quàm quod intra nos est. At fortè non quidem longiùs positam, sed inutilem esse causaris, vt hic tibi quærendam magis sufficientem putes. Falleris, ibi magis inuenies imò non inuenies, nisi ibi. An verò æstimas, quòd vel operam tuam non exigat, vel minùs respondeat operanti? Aut certè in tuto credis esse locatam, nec vlla deinceps sollicitudine custodis egere? Quodlibet horum sapias, scito quòd desipias vehementer. Ibi enim quàm maximè, quæ seminauerit homo, hæc & metet.] Sed & qui parcè seminat, parcè & metet; qui verò in benedictionibus seminauerit, de benedictionibus & metet,] vt faciat vnum tricesimum, vnum sexagesimum, vnum centesimum.] Habes autem thesaurum istum in vasis fictilibus, si tamen adhuc habes. Puto enim iam amisisti, puto iam sublatus est, puto iam comederunt alieni robur tuum, & ignorasti, nec potes thesauro tuo cor apponere, quippe qui thesaurum ipsum non habeas. Alioquin quæso te, si tam sollicitus es, si nec minima spernis, si tam prudenter seruas paleas tuas, etiam horreum tuum seruare memento, & custodire. Imò verò non exponas thesaurum tuum, qui sic incubas sterquilinio tuo. Fortè enim illud tibi inuident mille, sed istum obsident decem millia, nec minùs super abundantes astutia, & crudelitate,

Bern. ser. 7. in Ps. Qui habitat. — Ps. 136. — Galat. 1. — 1. Cor. 2 — Galat. 6. — Matt. 13.

quàm numero. Cadent, inquit, à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis:] Verte illuc oculos fi des, fortè enim iam irruperunt aditus, fortè iam liberè diripiunt omnia, fortè iam spolia ipsa distribuunt. Quid sinistro lateri tam male studiosus obseruator inhæres, nisi quod non in latere iam tibi esse, sed in facie sinistra videntur, quòd hæc prouideas in conspectu tuo semper, & qui tangit hoc, non latus tetigisse videtur, sed pupillam oculi tui? Cæterùm iam nunc tibi prouide, quisquis es, dextri negligens, sinistri lateris cultor, ne cum hædis locũ accipias in sinistra, quam elegisti. Asperum verbum est, fratres, non immeritò expauistis. At cauere non minùs necesse est, quàm pauere. Hactenus Bernardus. Qui his verbis non solùm tepidam vitam nostram taxat, & immoderatam adhæsionem ad res terrenas damnat, sed etiam ad cautelam & timorem hortatur. Timeamus ruinam miserabilem, quia quo statu altiores sumus, eo, si cadimus, periculosiùs feriemur. Cadere autem est, terrena, quæ deseruimus, resumere, contempta diligere, & in feruore spiritus intepescere. Caueamus etiam ab his; quæ possunt spiritum nostrum ad superna tendentem illicere. Et hæc quidem sunt, quæ speciem externam boni carnalibus oculis præferunt, quæ splendent, quæ delectant, quæ ornant, quæ carni placent, & sensibus blandiuntur. Fugiamus ista, quæ si solùm ligarent nos, adhuc extremum nõ esset malum, at vinctos post se trahunt, & è vita spirituali in carnalem præcipitant; & tandem in barathrum detrudunt. Quid autem calamitosius, quàm virum religiosum à sæculi compedibus exolutum, & non ad quodcumque genus vitæ, sed ad vitam perfectam vocatum, pro gloria ignominiam, pro vita mortem, & pro æterna salute sibi damnationem parare?

Psal. 90.

At multa sunt hæc, quæ nos remorantur, fortia, quæ illiciunt, astuta, quæ impediunt. Fateor, sed quæ ad cursum spiritualem inuitant, & ad perfectionem instigant, sunt sine vlla comparatione fortiora. Putamus tepidi, & ipso tepore decepti, quia vires nobis non suppetunt, quibus aut arcem perfectionis capiamus, aut tot hostibus iter impedientibus reluctemur. Dicimus nobismetipsis, vt nostram ignauiam consolemur, verba illa Saluatoris: Quis rex iturus cõmittere bellum aduersùs alium regem, non sedens priùs cogitat, si possit cum decem millibus occurrere ei, qui cum viginti millibus venit ad se? Alioquin adhuc illo longè agente legationem mittens rogat ea, quæ pacis sunt.] Et sic dum bonum legimus, & malè intelligimus, & peiùs interpretamur; miseræ & carnali vitæ nostræ aliquod prætextum defensionis inquirimus. Sedemus igitur, imò & iacemus in sterquilinio imperfectionum nostrarum, & in cœno fœtidissimo socordiæ procũbimus. Ita cogitamus, an cum minori virtutum numero, possimus tot vitiis occurrere, tot hostibus resistere, tot prauos affectus superare. Non omnino miserum esset, si hæc cogitaremus, quia fortè inter cogitandum lux diuina nobis affulgeret, & tenebras ignorantiæ dispelleret. Sed cogitamus inania, euoluimus ambitiosa, imaginamur impura, quarum ista posteriora nos fœdant, media inflant, priora cruentant. At si aliquando mens nostra de bello cogitat, & seipsam de virtutum ac vitiorum conflictu sollicitat, quare non cogitat, quia vna virtus multis est vitiis fortior, vna bona voluntas multis affectibus prauis superior, vna gratia innumeris aduersariis robustior? Si verò mens humana tam crassa est, & ignara, vt nulla facta comparatione virium, solum numerum cogitet, & solam multitudinem pro se, aut aduersùs se pugnãtem aduertat, quare non cogitat, quoniam Deus, omnia creata, Angeli

Luc. 14.

A & homines, cœlestia & terrestria, visibilia, & inuisibilia eam aduersùs vitia pugnantem iuuant, eam cingunt atque defendunt? Ideo inquit sapientia de iustis loquens; Accipient regnum decoris, & diadema speciei de manu Domini; quoniam dextera sua teget eos, & brachio sancto suo defendet illos. Accipiet armaturam zelus illius, & armabit creaturam ad vltionem inimicorum. Induet pro thorace iustitiam, & accipiet pro galea iudicium certum, sumet scutum inexpugnabile æquitatem: acuet autem duram iram in lanceam, & pugnabit cum illo orbis terrarũ contra insensatos:] Cogita nunc, ô frater tepide, qui ad excusandas excusationes in peccatis Scripturã legisti, an possis cum centum millibus, imò cum infinitis millibus occurrere ei, qui cum viginti millibus venit ad te? An tu non poteris accipere regnum decoris, & diadema speciei de manu Domini? An non poteris perfectionem consequi, qua in teipso regnes, & in perpetuum victor coroneris, quam pueri & puellæ consequi potuerunt, & victis hostibus ad sanctitatem properarunt? Sed esto, quod tu non potes, an Deus in te non poterit? hostes tuos vincere, affectus cohibere, lacertos roborare, pedes dissoluere, vt curras, & pugnes, & vincas, & victoriam de teipso reportes? An omnis creatura Dei fortitudine armata, quæ pro te contra insensatos, id est, contra vitia, pugnat (dum Angeli te circumdant, & homines te huius vitæ miserias suis afflictionibus edocent, & reliquæ res sua pulchritudine & vtilitate, & suauitate in suum creatorem amandant) non poterit te ad expugnandam perfectionem, & ad superandas vitiosas consuetudines adiuuare? Satis degeneris animi es, si tantis præsidiis suffultus, non vales cum hostibus ligatis confligere, & cum aduersariis non existentibus, manus conserere. Dæmones enim hostes ligati sunt, quos Christus sua morte ligauit, & ne nisi solo latratu nobis nocerent, suis doloribus compediuit. Et peccata sunt velut aduersarij non existentes, quia eorum esse, est non esse, dum inuirtutis, aut bonitatis priuatione consistunt. Imò & satis blasphemus eris, si audeas in Deum os apponere, & tecum ipse cogitare, quia Dei potentia adiutus, non poteris mentem tuam in fastigium perfectionis attollere. Ne ergo hanc tibiipsi maculam inuras, cõsidera te esse vnum ex Elephantibus, quorum dentes mystico Salomoni, id est, Christo, in libro Regum oblati sunt. Si enim isti, vt putat Eucherius, magnos peccatores designãt, quem maiorẽ peccatorem putare debes te, qui multùm peccasti, & parum de peccatis doluisti, & perfricta fronte vitam tuam quasi secundùm externam speciem solùm emendasti. Ad diligentiam ergo non hominis, sed Christi Redemptoris tui, & ad eius imperium mansuesce: ac præceptis tui liberatoris obtempera, vt te armis cœlestibus armet, & ad prælium contra inuisibiles hostes erudiat. Admitte supra te, ad modum illorum elephantorum, quorum fit mentio in Machabæis, turrim legis Euangelicæ ligneam, machinis præceptorum, & consiliorum instructam, & virturibus tamquam viris bellatoribus communitam, qua in hostes irruas, & ipsorum dolos, & conatus euertas. Si autem adhuc in te iram, & indignationem ad pugnandum non sentis, inspice sanguinem vuæ, aut racemi illius, quem exploratores terræ promissæ in vecte deportarunt (&, vt Ambrosius ait, significat Christum Iesum) cuius aspectu ad prælium ineundum exciteris.] Sic dentes tui pacifico regi ad ornatum offerentur, & meditatio tua his dentibus designata, vt Origenes putat, qua mysteria cœlestia comminuis, non arida & inutilis erit, sed dum affectus & desideria excitat, &

Sap. 5.

B

C

D

3. Reg. 10. Euch. li. 3. formula spiritualium.

1. Macha. 6.

E

Num. 13. Ambr. 1. de fide c. 9.

opera

opera actúsque componit, tuæ mentis ornatu deseruiet.

Facilis ergo nobis est ad perfectionem, & vitæ puritatem accessus, quia semper se maximam, & primo aspectu inaccessibilem, non viribus humanis assequimur, sed Spiritus sancti afflatu ad illam impellimur, & efficacissimis Dei auxiliis; & omnium creaturarum (vt ita dicam) monitis, ad eam capessendam adiuuamur. Nec parum hanc facilitatem aperit vitiorum; ac veræ virtutis facies, quæ sese oculis nostris obiiciunt, & vtriusq; monita, quibus nos sui sequelam persuadere nituntur. Si enim id amamus, quod sub specie boni & pulchri nobis proponitur, si illi credimus, cuius auctoritate, aut suasione conuincimur, quis non videat facillimum esse virtutem diligere, & eius præceptis obedire, & difficillimum (si sensus noster integer esset) vitia diligere, & eorum iussis obtemperare? Perfecta virtus clara est, vitium obscurum, & terrum, virtus pulchra, vitium fœdum, & execrabile: virtus honesta, vitium inhonestum, & turpe: illius facies ita pura, & illibata est, vt oculos bonorum & malorum capiat, istius adeò impura & maculosa, vt numquam nuda appareat, sed quantùm potest, virtutis ipsius tegumento tamquam fuco se contegat. Et ideo Hieronymus ait: Venena non dantur, nisi melle circumlita, & vitia non decipiunt, nisi sub specie vmbráque virtutum. Igitur facilius est virtutem, & animi puritatem colere, quàm vitiis enormibus & horrendis, aut laruis deformibus adhærere. At quibus verbis vitium, & quibus vera virtus nos ad sui sequelam hortantur? Certè illius verba puerilia sunt, quæ solos stultos, & sensibus pueros decipient, tamquam in sola impura voluptate fundata: istius grauia & prudentia, quæ, quò quis sapientior est, eò ipsum efficaciùs conuincunt, velut æternæ & certissimæ veritati subnixa. Hinc hominem virtus, ait Prosper, admonet suæ salutis, & vocat: inde consuetudo vitiosa discedere à se volentem remoratur, & paulisper à se auerso, nec ad virtutem plenè côuerso vsitatæ voluptatis admonitione blanditur: & omnes illecebras, quibus olim perditè fruebatur, ostendit. Turpia quoque desideria, quibus vinciatur, immittit, ac iam penè fastidienti blandum nescio quid molliter insusurrat: & supplicat, ne præponat mollibus dura, lætis tristitia, certis dubia, præsenti voluptati futura. Cogitet: quàm pœnale sit, atque difficile dulcibus carere deliciis, illecebris renunciare carnalibus, abstinentiæ iubis grauari laboribus, ieiuniorum, ac vigiliarum côtinuatione torqueri, certa carnis afflictione præmium dubiæ remunerationis ambire, contra Diabolum decipiendi peritum resistendo arma corripere, insidias eius, ac fraudes vigilantis animi cautione vitare, quàm denique miserum sit, enormitate tantæ asperitatis euictum, ac Diabolica fraude deceptum, ad repudiata redire, voluptatibus, quas abiecerat, frui, & omnibus, quæ incautè laboriosum suscipiendo propositum contempserat, delectari. His & talibus vitiosa consuetudo, dubium sanctæ definitionis affligit. Virtus contra morantem confidenter obiurgat, ad delectationes puras, castásque delicias, quibus fruuntur, omnes sui amatores inuitat: offert nudo iustitiæ vestimentum, illuminato sui apparatus demonstrat ornatum; diffidenti de se protectionis suæ promittit auxilium: hortatur, & prouocat, vt definitionis ambiguitate deposita, propositum spirituale suscipiat: perseueraturum se in suscepto labore propositi sui, non sua possibilitate, sed Domini miseratione confidat: nec suis viribus, sed gratiæ omnipotentis fretus auxilio, contra Diabolicas impugnationes

Hier. epistola ad Laetam de inst. filia.

Prosp. lib. 3. de vita contemp. c. 16.

A victricia arma corripiat. Cogitet quanti, & quantæ potuerunt, & possunt, quod se posse desperat: vnde illi, vel illæ potuerunt, inde se posse firmiter credat: certa spe spiritualia carnalibus, & terrenis cœlestia, & futura præsentibus anteponat.] O quàm dissimilia verba, quàm diuersa monita, quàm distantes exhortationes, vitium, & virtus instillant! quàm stultæ illæ, quàm prudentes istæ aures nostras pulsant, cor prouocant, mentem inuitant. Illæ solam puerilem voluptatem, & segnitiem, & diffidentiam obuoluunt, hæ certissima animæ bona fortitudine ad ea consequenda, & diuinæ benignitatis auxilia prætendunt. Vitij verba astutiæ, & leuitatis amica, sub magna vocum serie nihil aliud, quàm venenum celant iniquitatis, sermones verò virtutis modestiæ, & B grauitatis pleni sub breui oratione monita comprehendunt salutis. At si ipsa paulisper habitum tantæ humilitatis deponeret, & seipsam non ad vanitatem, sed ad veritatem, & salutem nostram ostentaret, quæ verba tam grauia, tam efficacia, tam potentia ad nos conuincendos proferret?

Ergo sapientia, diceret, habito in consilio, & eruditis intersum cogitationibus.] Ego pretium, & quidem eximium, quo homines mortales ad immortalitatem perueniunt. Ego gemma pura, & splendida, qua animæ sanctæ exornantur. Ego thesaurus, cuius possessione omnes Angeli, & sancti ditescût. Ego altitudo, ex qua tum cœlestia tum terrestria conspiciunt, & quale vnumquodque sit manifestè cognoscunt. Ego claritas à sole iustitiæ ad mortales delapsa, ciuitas Regis magni, & imago pulcherrima re- C gni cœlorum. Per me homines antea inimici, se in Dei amicitiam ac familiaritatem insinuant, & animæ sanctæ ad filiatum, & sponsatum Dei dignitatem ascendunt, & felicitatem omnem huic mortali vitæ cognatam acquirunt. Ego inter vniuersa Dei opera euidenter emineo, cuius possessionem solis charissimis scio esse concessam, qua templum Dei fiant, & omnis fœditatis impuritatem abiiciant. Mecum sunt diuitiæ, & gloria, puræ deliciæ, & iustitia.] Melior est fructus meus & vtilior auro, & lapide pretioso, & genimina mea argento electo.] Ego mater pulchritudinis & pacis, qui me habentes securos facio, & me diligentes in incredibilem libertatem adduco. In me inuenitur cogitatio sancta, concupiscentia pura, & ex D Dei prouidentia fiducia firmissima. Ego cupientes me, illumino, quærentes inflammo, sectantes libero, possidentes roboro, & in ipsis omnem iniquitatem consumo. In me omnis gratia viæ, & veritatis,] vt misericordia omnipotentis exaudiar; in me omne donum, omnis honor, & omnis inimici victoria: in me omnis spes vitæ & virtutis. Transite ad me omnes qui concupiscitis me, & à generationibus meis adimplemini, quia spiritus meus super mel dulcis, qui nec in ipsa morte amarescit, & hæreditas mea, quam amicis meis habeo præparatam, super mel & fauum. Memoria mea in generationes sæculorum, quam nulla inuidentia maleuolorum fœdauit, nulla peruersitas iniquorum imminuet, nulla temporis du- E ratio delebit. I nunc piger, & tepide religiose, i nunc lupe sub habitu ouis auide deprædator, possidè commoda, cumula supellectilia, ambi honores, dilata tui nominis phylacteria, semper egenus eris, semper pusillus, & numquam tranquillitatem obtinebis. I nunc otiositatis amator, confere manus, aut absconde eas sub ascella, nûquam leuibus peccatis abstineas, numquam tuam iram, & ambitionem, & prauos affectus cohibeas, numquam dæmoni humilitatis & obedientiæ armis reluctaris: obliuiscere pristina exercitia orationis, distractioni te trade, vanis colloquiis

Prou. 8.

Prou. 8.

Eccl. 24.

insiste,& negotiis sæcularibus mẽtem tuam sub prætextu pietatis implica. Scito tamen, quòd animam tuam periculo damnationis exponis, quæ ex paruis ad magna ruit, & ex ista mendicitate ad extremam paupertatem venit: aut quod certissimum est, semper eris fratribus scandalo, Prælatis oneri, tibi ipsi amaritudini, & numquam perfectionem consequeris. Ecce Domine, vt dixit Seraphicus doctor tuus, pulchrum depinxi hominem pictor fœdus, & infinitis imperfectionibus, & miseriis plenus perfectionem descripsi, sanctitatem, vt potui, delineaui, & spon-

Bonauẽ. speculo disciplin. ad finem.

A

sam diu desideratam, numquam tamen à me habitam laudibus satis exilibus extuli; da iam, si fortè hæc particula meæ opellæ desiderio tuæ gloriæ elaborata, tibi placuit, huius laboris præmium, apud quem non moratur opus mercenarij vsque mane,] vt consilium tepidorum longè sit à me, vt eorum scilicet vitã [incipiam fugere, & ipsorum mores declinare. Da, vt perfectos, quos certissimè amo, & veneror, desideriis sequar, operibus prosequar, & post eorum aliqualem imitationem, te mercedem meam, & præmium meum desideratum accipiam. Amen.

Leui. 19

ORATIO AD POSTVLANdam perfectionem.

DEVS meus, & omnia, omnis perfectionis fons, ac sanctitatis origo, qui nos tui similes, sanctos nempe, atque perfectos fieri voluisti, & ore vnigeniti Filij tui, ac sanctorum magistri ad perfectionem induxisti illis verbis: Estote perfecti, sicut & pater vester cœlestis perfectus est:] & ne difficultatem aut impedimenta sæculi causaremur, à laqueis sæculi eripuisti, & ad statum perfectionis, & scholam omnis sanctitatis vocasti, expande sinus benignitatis tuæ, & manus liberales aperi, vt in nos perfectio se demittat, & larga omnium virtutum benedictio descendat. Aufer, Domine suauissime, omnes iniquitates nostras: dele fœditates nostras, ne aliquid sit in nobis, quod profectioni obsistat, quod puritati contradicat, quod aduentum in nos magnæ cuiusdam sanctitatis impediat. Sic autem purificatos donis tuis comple, beneficiis cumula, sanctis desideriis excita, & feruore spiritus reple, vt nunc dignum sanctitatis receptaculum, & post hanc vitam gloriæ tuæ, ac tuiipsius habitaculum effici mereamur. Amen.

DE EXCITANDO DESIDERIO PERFECTIONIS

LIBER QVINTVS.

Procemium.

OMnis de perfectione doctrina tribus partibus, cognitione, desiderio, & actione cōcluditur: quarū cognitio intellectū perficit, desideriū volūtatē accēdit, & actio tū ipsā voluntatē, tū reliquas vires animæ studio virtutis absoluit. Cognitio sine desiderio parū est vtilis; quid enim proderit decorē perfectionis agnoscere, nec eam cupere, nisi humanæ naturæ infirmitatē ostendere, cuius, vt dixit Augustinus præuolat intellectus, & tardè sequitur, & aliquando non sequitur humanus, atq; infirmus affectus.] Desideriū est sine actione mutilū, quia ad hoc datum est nobis, vt ea, quæ desiderio cupimus, labore actionis assequamur. Actio verò in his, quæ nō in inspectione, sed in operatione consistunt, cognitionē & desideriū perficit; quoniā ad hoc bona cognoscimus, vt desideremus, & ad hoc cupimus, vt opere siue actione cōpleamus. In superioribus libris intellectū viri spiritualis pro captu exiguitatis nostræ erudiuimus, vt naturā vitæ spiritualis, & substantiā, ac dignitatem eius perfectionis agnosceret, nunc affectus excitandus est, & somnus torporis excutiendus, vt cognitio ad opus ordinata suā vim habeat, & tandē post desideriū, actione, & opere absoluta, suā etiā ipsa perfectionem obtineat. Nec inconsultè, post datam vtcumque perfectionis notionem, eius desiderium, ac concupiscentiam excitamus, quoniam sicut desiderium boni nullo interiecto medio eius notionem sequitur: ita primum est, ac proximum instrumentum, quo bonum est nobis comparandum. Nullus enim pòst cognitionem alicuius boni eius assequutioni insistit, nisi ipsum primo loco desideret: & multa, quæ bona arbitramur, & confitemur, numquam adipisci nitimur, quia nec bona, & proficua nobis esse putamus, nec eorum desiderio succendimur. Omnis quidem scientia, aut ars aliqua habet initia, quibus mēs addiscentis instructa, media illius artis, & summa facili negotio capessit. Quod (vt nunc philosophos, & scientiarum naturalium professores omittam) certè Ioannes Cassianus huius doctrinæ, quam tractamus solertissimus indagator, luculenta oratione confirmat, & clarissimis exemplis manifestat. Quantùm itaque, ait, opinio nostra se habet, cuiuslibet artis seu disciplinæ perfectio necesse est, vt à quibusdam mollibus incipiens rudimentis, faciliotibus primò, ac teneris initiis imbuatur, vt quodam rationabili lacte nutrita paulatim, educataque succrescat, atque ita ab imis ad summa sensim gradatimque conscendat; quibus cùm fuerit planiora principia, & quodammodo ianuas arreptæ professionis ingressa, ad penetralia quoque perfectionis, & excelsa fastigia consequenter, & absque labore perueniat. Nam quemadmodum pronunciare puerorum quispiam simplices copulas poterit syllabarum, nisi priùs elementorum characteres diligenter agnouerit? vel quomodò citatam legendi peritiam consequetur, qui breues & perangustas descriptiones nominū, necdum est idoneus coniugare? Qua autem ratione is, qui peritia grammaticæ disciplinæ minùs instructus est, vel facundiam rhetoricam, vel philosophicam consequetur?] At huius scientiæ aut artis diuinæ, qua animæ perfectionem inquirimus, post perfectionis notitiam primum principium ac mollissimum elementum, non est aliud profectò, quàm ipsius perfectionis ac sanctitatis desiderium, quod somnolentos excitat, dormientes increpat, & ad execrationem omnis peccati, quia perfectioni opponitur, & ad omnis virtutis amorem impellit. Si enim hoc desiderium non habueris, numquam peccata, vt opus est, fugies; numquam vitiosas consuetudines detestaberis; numquam affectus immoderatos comprimes: numquam aduersariorum iugum excuties: numquam virtutes diliges: numquam cum Deo, & cùm cœlestibus intimam conuersationem cupies: & numquam grauiter, & diligenter in laborem, ac vigilantiam incumbens.

Nec istud, quòd sapientes cognouerunt sacra Scriptura præteriuit, imò apertissimè docuit, dum in libro Sapientiæ inquit: Initium illius verissima est disciplinæ concupiscentia.] De initio sapientiæ loquitur, quam esse veram cœlestium, & virtutis notitiam sanctitati vitæ coniunctam non semel inculcauimus. Huius autem sapientiæ initium est concupiscentia, ac desiderium illius disciplinæ, qua ab ipsa lege Dei, & a sanctis doctoribus, & à perfectorum exemplis, quomodò nobis sit viuendum addiscimus. Nam sicut summa humani cordis peruersitas, à desiderio mali sumit exordium, quo desiderio animus excitamus, & victus, malū semel patrat, & ex vno peccato in aliud ruit, quousque ad consuetudinem veniat, & ex consuetudine in cordis duritiem, ac in extremam miseriam cadat: ita eiusdem cordis summa perfectio, à desiderio boni incipiat necesse est, quod desiderium vires accumulans, & mentem hominis sæpè sollicitans: in opus prodeat, & ex bonorum operum itera-

tione virtutis consuetudinem pariat, & ex bona cōsuetudine in amorem boni propter seipsum, atque adeò in ipsam perfectionem ascendat. Hoc desiderium est ianua per quam humana mens in sanctuarium, siue in ipsam sanctitatem ingreditur. Est ventus, quo nauigium cordis impulsum à seipso, & à rebus terrenis discedit, & felici cursu in puritatem enauigat. Est primus gradus, quo quis à malo desciscit, & sensim, paulatímque progrediens, tandem in perfectæ virtutis possessione collocetur. Et sicut filij Israel terræ sibi promissæ desiderio pulsati Ægyptum deseruerunt, inuia deserti occupauerunt, itineris molestias sustinuerunt, & hostes, aut iter impedientes, aut sedes sibi dono Dei datas tenentes debellarunt: Ita veri Ecclesiæ Israëlitæ, qui Deo precibus, & vitæ sanctitate præualent, desiderio perfectionis exciti fuerunt, vt sæculum aut professione, & vita simul, aut sola saltem vita relinquerent, vt vitā curis superfluis solutam diligerent, vbi labores vitę spiritualis amarent, ac omnia sui cursus impedimenta prosternerent. Tota quidem perfectionis ars (vt ex his, quæ superiùs monstrata sunt, liquet) in amore posita est, quo Deum propter seipsum, & propter Deum proximū quoq; diligimus, & ex amore vniuersam legē implemus. Sicut ergo fines, & media huius cœlestis disciplinæ in amore sita sūt, ita oportet vt in amore consistāt eius initia, ne exordium disciplinæ à medio, fineq; dissentiat. Desiderium autem quoddā genus amoris est, quo nōdū habita volumus, & quæ nobis, aut honesta, aut vtilia, aut delectabilia videntur, appetimus. Ab hoc ergo perfectionis desiderio sumat disciplina perfectionis exordiū, quod cùm perfectio iā non absens, sed præsens fuerit, & in nostras manus deuenerit, in voluptatem seu delectationem transeat, & in alium præstantiorem actum commutatum, meliorem statum sibi præripiat. Ecce duo extrema vitæ sanctæ, atque perfectæ, desiderium perfectionis, quo mentis puritatem, & omnis peccati & omnis vitij, omnis deformitatis internæ labem fugimus: & possessio perfectionis, qua quod sanctitatis, & virtutis optabamus, pro huius vitæ infirmitate retinemus. Primum arripe, vt extremum capias, à faciliori incipe, vt aliquando ad difficilius peruenias: hūc primum spiritualis scalæ gradum ascende, vt in aliis ordinatè pedem figens, pedem in eius summitate persistas.

Quia igitur perfectionis desiderium est primum medium, siue primum subsidium, quo mentem nostram ad capiendam perfectionem disponimus, ideò primo loco inter subsidia perfectionis assequendæ tractandum est, docēdúmque quo pacto obliuio nostri profectus vincetur, & tam pulcherrimæ gemmæ desideriū excitabitur. Sic enim huius primi voluminis postrema tractatio non tam, sicut quatuor præmissæ, intellectum erudiet, quam affectum emolliet, & ad exercendas perfectionis actiones promouebit. Faciemus ergo quod Paulus, qui è naufragio liberatus, & in Melitæ insulæ litrus eiectus primùm sarmentorum multitudinem congregauit, & ignem accendit, vt socios suos vi imbrium, & iniuria frigorum, & præteritæ tempestatis periculis fatigatos, calore reficeret. Sic nos, qui huius sæculi mare aliquando tranauimus, & sæuam negotiorum sæcularium tempestatem effugimus, in insulam religiosæ conuersationis appulsi, sarmēta, id est, secundùm Bedam, verba sanctæ exhortationis, ex littore scripturarum colligimus, & ignem sanctorum desideriorum succendimus, qui nos, & socios nostros, & omnes vitæ religiosæ cultores foueat, & manus velut gelu rigentes ad opera perfectionis dissoluat. Et sanè non mirum est, quod vipera manum Pauli sarmenta colligentis inuaserit, qui in insulam infidelium, & Deum ignorantium inciderat, quorum est aliena dentibus detractionis rodere, & quæcumque ignorant rectè gesta damnare. At nos, qui cum viris non tantùm fidelibus, sed etiam spiritualibus viuimus, & ad viros sanctitatis amatores scripta nostra dirigimus, morsum viperæ, & detractionis virium non timemus. Si verò aliqui hos sarmentorum fasciculos, quos ex sententiis scripturarum, & dictis sanctorum collegimus fraternæ charitatis obliti corroserint, & nostram imperitiam & ignorantiam damnauerint, tunc scimus nos Dei auxilio freti morsum viperæ patienter ferre, & dum inuidentia, & detractione mordemur Pauli factum imitari. Ille enim excutiens bestiam in ignem, nihil mali passus est. Et nos similiter conabimur bonum pro malo reddere, & detractionem venenatam igne charitatis absumere. Sic profectò nihil mali à morsu viperæ, atque à detractione patiemur, imò potiùs dum iniurias dissimulamus, & fratribus exiguo talēto nobis commisso proficimus, præmium, vt speramus, duplicis laboris, quorum vnum est in scribendo, & alter in iniuriis, & obtrectationibus sustinendis, de manu Domini recipiemus. Quoniam verò huius vasti operis institutum est, non tantū naturam, & dignitatē perfectionis exponere (quod iam fecimus) sed instrumenta quoque ex parte nostra ad eam assequendam explicare: & quia hæc (vt dicemus) sunt desideria, & opera bona ex diuina gratia profecta, ideò iste erit huius tractationis, & sequentium ordo, vt primùm de desiderio perfectionis, deinde de operibus, ad quæ desiderium perfectionis instigat, non sine aliqua methodo disseramus. Hæc autem opera in duas classes distribuimus, quarum prima eas continet actiones, quæ ad speciales virtutes pertinent; cuiusmodi sunt fuga peccatorum, tam grauium quam leuium, extinctio vitiorum, mortificatio sensuum, & affectuum, exercitatio virtutum, orationis studium, proximorum iuuatio, & hæc omnia (si Deus dederit, & quidē dabit, si expedierit) in duo volumina sequentia reiicimus. Secūda verò operum classis quædam documenta generalia comprehendit, quæ in quocumque statu ab amatoribus perfectionis custodienda sunt, vt se ad diuinam gratiam accipiendam præparent, & hæc in isto libro, post expositum perfectionis desiderium, & eius excitatoria, pertractabimus. Tu Domine, qui modicam fidem meam, & stultam diffidentiam meam his eisdem scriptis hucusque increpuisti (numquam enim putaui me tantis occupationibus impeditum, & tam aduersa valetudine affectum, ac tam breui tempore tot paginas scribere posse) aspira desideriis meis, vt quod pro tua gloria cœpi, pro tua etiam gloria, ac proximorū vtilitate perficiam.

Act. 28. *Beda.*

PARS PRIMA

HVIVS LIBRI DE PERFECTIONIS desiderio, & septem excitatoriis eius.

Perfectionem donum Dei esse, non tamen nostram cooperationem excludere.

CAP. I.

PErfectionis gemma gratissima, cuius substantiam, & dignitatem in superioribus, exposuimus, nec ex natura nobis obuenit, nec ex necessitate accidit, nec ex debito contingit, sed donũ Dei est, & quidem amplissimum, quod Deus diues in misericordia hominibus larga manu concedit. Natura quidem perfectionem naturalem parit, qua res aliqua, vt verbi gratia, cœlum, aut margaritum, proprietatibus sibi debitis pulchra perfectáque consistit: at perfectionem supernaturalẽ (de qua nunc loquimur) quæ in gratia, & charitate sita est, & nos veros Dei filios, & charissimos amicos efficit, nulla ratione progignit. Naturalia enim (vt indicauit Basilius, & ipsa ratio, & experientia docet) aut in seipsis aut veluti in semine nobiscum ex vtero matris prodeunt, imò ex ipsa conceptione nostra, qua sumus aliquid, nobis obueniunt. Nam oculis præditi, & manibus, & pedibus, & reliquis membris compacti nascimur, & rationis compotes, atque apti ad ridendum, & flendum, & loquendum sinu matris nos nutrientis, & educantis excipimur. Non tamen tunc lux ista recèns natos, aut Deo gratos, aut charitate perfectos aspicit, sed potiùs originali macula infectos, & vitiorum seminibus, scilicet affectibus, cumulatos, quibus ad terrena dilabimur, manifestè cognoscit. Eramus enim, vt inquit Paulus, natura, id est naturali procliuitate filij iræ:] quòd si filij iræ, ergo & filij vindictæ: non igitur à natura nobis prouenit gratia, & multò minùs gratiæ perfectio, quæ nos filios misericordiæ facit, & ab omni ira & vindicta liberat. Non etiam aliqua necessitate (vt fatorum assertores delirarunt) ad perfectionem capessendam impellimur: quoniam hoc opus liberæ voluntatis est, voluntatis, inquam, Dei, quæ nos misericorditer vocat, & à limo peccati, in quo infixi eramus, extrahit, & in arcem puritatis inuehit; & voluntatis nostræ, quæ nequaquam Deo vocanti & inuitanti resistit. Fidelis Deus, ait Paulus, per quem vocati estis in societatem filij eius Iesu Christi Domini nostri,] Non fortuna vos impulit ad Societatem Christi, qua omnis sanctitas, omnísque perfectio fidelium signata est, non fatum vos traxit, non vis astrorum adegit, sed voluntas Dei amantis vos, & liberaliter diligentis, quæ nullam vim libero arbitrio intulit, ad Iesu Christi societatem, (quam omnes iusti profitentur) & ad perfectionem euocauit. Quam necessitatis exclusionem hoc loco animaduertit Chrysostomus, & non solùm animaduertit, sed & optima ratione stabilit. Non, inquit, vim infert Deus, neque cogit. Et quisnam ad præmia, coronas, conuiuia, festos dies, nolentes atque inuitos trahat? Nemo, inquam. Iniurius namque esset. In gehennam inuitos mittit Deus: in regnum sponte properantes aduocat. In ignem ligatos eiicit, & gemebundos: non autem in perpetua bona itidem. Nam hoc, & ipsa bona iniuria afficeret, nisi eiusmodi essent natura, vt volentibus, & his, qui plurimam se gratiam habituros sciãt, sese offerant.] Hæc itaque mutatio, qua ex homine carnali fit spiritualis, & ex peccatore iustus, & sanctus, non necessitatis est sed dexteræ excelsi. Ipse excelsus est (nam & in hoc celsitudinem suæ pietatis commendat) qui commutat cogitationes & desideria terrestria in cogitationes, & desideria cœlestia: qui conuertit lutum in aurũ, saccum in sericum, & ex vilissimo peccatore hominem iustum & planè sanctum, ac perfectum educit. Nec etiam perfectio homini debita est, dicente Paulo, quis prior dedit illi, id est Deo, & retribuetur ei? Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia: ipsi gloria in sæcula.] Nemo profectò donauit prior aliquid Deo, nullus instrumentum publicum habet aduersùs eum, vt bonum aliquod tamquam ex debito petat, & non in eo, quod sibi datum est, donum, & mercedem accipiat. Si enim Deus homini debitum daret, vtique daret illi non gratiam, sed pœnam, non regnum, sed exilium, non sui possessionem, sed dæmonum aspectum horribilem, quem grauia & enormia ipsius peccata meruerant. Si rex perduelli, & læsæ maiestatis reo clementer ignoscat, an erit debitum? Non. Et quomodo erit debitum, si Deus peccatori ingentia delicta condonet, & in suam gratiam & familiaritatem admittat? Si diues suis opibus, magnis laboribus partis captiuum redimat, eritne debitum? Nequaquam. Et quo pacto erit debitum, si Dominus non auro & argento sed sanguine pretioso filij sui homines rerum terrenarum nexibus vinctos, à misera captiuitate dissoluat? Si Dominus Paulum spirantem minarum, & cædis in discipulos Christi, luce circundet, & ab æquo, cui insidebat, deturbet, ac terribili voce deterreat, nec non & ex crudelissimo lupo agnum mãsuetissimum, & ex persecutore prædicatorem faciat, estne debitum? Nullo modo. Qua ergo ratione erit debitum, si idem Dominus hominem aduersus honestatem bella gerentem sapientiæ luce perfundat, à superbo corde deiiciat, afflatu suæ inspirationis edoceat, & ex hædo in agnum conuertat? Iustitia igitur non est homini debita, non vi necessitatis inducta, non à natura profecta: quare nec perfectio, aut sanctitas hæc eadẽ sui initia cognoscet, siquidem ipsamet iustitia hominis est, quæ eum iustum reddit, non quidem imperfectionibus inuoluta, sed debita fortitudine roborata.

Si ergo perfectio nec naturalis est homini, nec necessaria, nec debita, erit sine dubio benignitate Dei, & misericordia donata. Atque ideo optime vocatur domum Dei, quod ipse Dominus non in omnes iustos, & in vocatos ad sanctitatem vocatione efficaci, & in magnos amicos effudit. De quo intelligitur illud Pauli: Deus, qui diues est in misericordia propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos, & cùm essemus mortui peccatis, cõuiuificauit nos in Christo, (cuius gratia estis saluati) & cõresuscitauit, & consedere fecit in cœlestibus in Christo Iesu: vt ostẽderet in sæculis superuenientibus abũdantes diuitias gratiæ suæ in bonitate super nos in Christo Iesu. Gratia enim estis saluati per fidem, & hoc non ex vobis: Dei

Marginalia: Basil. reg. 1. Fusius 44. — Ephes. 2. — 1. Cor. 1. — Chry. hõ. 2. in 1. ad Corint. — Rom. 11. — Act. 9. — Ephes. 2.

enim donũ eſt, nõ ex operibus, vt ne quis glorietur.] Intelligitur ſanè de perfectionis dono hoc dictum Apoſtoli: quoniam ſi omni iuſtitiæ conuenit, qua iuſti ſumus apud Deum, quanto meliùs & excellentiùs in perfectam iuſtitiam & abſolutam ſanctitatẽ quadrabit? Ad hanc in nos conferẽdam oportet, vt Deus ſit diues in miſericordia, nimirum vt ſit maximè miſericors, quia non iam ſolam miſeriam lethalis peccati, & æternæ mortis à nobis aufert, ſed minimas quoque miſerias multorum leuium peccatorum, & innumerabilium imperfectionũ ipſe depellit. In hac iuſtitia perfecta, nimia, id eſt, eximia charitas noſtri conditoris elucet, qua non tantùm nos peccatis eripit, & amicos ſuos facit, ſed vt filios chariſſimos vinculis ſibi ineffabilis charitatis, & vnione admirandæ puritatis aſtringit. Hæc nos in Chriſto viuificat, & ſuſcitat, & ad conſenſum eiuſdem admittit, ita vt vitam ſimilem vitæ Chriſti viuamus, & ab omni etiã ignauia & ſocordia ſuſcitemur, & ſedem glorioſam, quæ in cœlo nobis parata eſt, apud ipſum mereamur. Dono iſtius gratiæ perfectæ oſtendit Dominus in ſæculis ſuperuenientibus ab aſcenſione ſua vſque in æternum, quantæ ſint diuitiæ ſuæ, quas in viros ſanctos benignè profudit, verè enim ſancti ſunt quædã ſpecula, in quibus inſpicimus ininueſtigabiles diuitias Dei, quia ſuperabundantiſſima gratia illos cumulat, & ditiſſimis donis exornat, adeò vt omnia bona ſpiritualia habeãt, & miſeriam, aut defectum diuinæ lucis, & pinguedinis ſpiritualis non ſentiant. O quã magnum donũ ſancta perfectio, quod Iacobus Apoſtolus donum perfectum appellat. Omne datum optimum, inquit, & omne donum perfectum deſurſum eſt.] Datum optimum alicuius minoris doni cõparatione optimum dicitur. Eſt ergo datum bonum omne temporale, vt Thomas exponit, quod nobis in vſum huius vitæ conceditur; & datum melius omne corporale, quo corpus noſtrum vndequaque perficitur: datum optimum omne gratuitum, quo mẽs noſtra Deo acceptior, & amabilior redditur; donum autem perfectũ eſt melius optimo, quod dona bona, & meliora, & optima perficit: & totum hominẽ cumulo perfectarum virtutum abſoluit. O quàm magnum donũ, quod Paulus donũ cœleſte vocat, & tanta verborum maieſtate ſignificat. Impoſſibile eſt, inquit, eos, qui ſemel ſunt illuminati, guſtauerunt etiam donũ cœleſte, & participes facti ſunt Spiritus ſancti, guſtauerũt nihilominus bonum Dei verbum, virtuteſq; ſæculi vẽturi, & prolapſi ſunt, rurſus renouari ad pœnitentiã.] His quidem verbis ſanctus Apoſtolus ſine aliarum interpretationum præiudicio, viros ſanctos, eorúmq; perfectionẽ deſcribit. Hi enim ſemel baptiſmo illuminati, quo peccatorum tenebræ deſtruuntur, guſtant donum cœleſte, nempe abundantiſſimam gratiam, qua ſaginantur, & vitam quamdam cœlitibus cognatam inſtituunt. Donum autẽ iſtud ingentis & ſuperabundantis gratiæ, alia dona inſigniora in animam perfectam inuehit, qualia ſunt dona Spiritus ſancti, non tantùm quoad habitum, ſed etiam ſecundũ inſignes actus intellectum illuminantes, & voluntatem roborantes, ac perficientes accepta: guſtum etiã boni Dei verbi, quo ſibi multæ miſericordiæ in hac vita, & in futura ingentia præmia promittuntur: guſtum deniq; virtutum ſæculi venturi, nam interdum, vt creſcant, & veriùs terrena contemnant, nonnihil cœleſtium deliciarum cordis palato delibant. Qui huiuſmodi ſunt, ſi poſt tanta dona ſuſcepta, inueniãtur ingrati, & priſtina delicta reſumant, impoſſibile eſt, id eſt, valde difficile, vt pœnitentia renouentur. Solet enim cõtingere, vt qui erant aliis meliores, ſemel lapſi, fiant proteruiores, & duriores, adeò vt præ duritia,

Iacob 1. — *D. Tho. in epiſt. I. Iaco. c. 1. lect. 1.* — *Hebr. 6.*

& ſuperbia ſua non facilè illis ſit ad perditam gratiã, & Dei familiaritatem remeare. Nã quemadmodum ſi vniuerſus populus aduersùs regem rebellet, popularibus quidem facilè venia conceditur; filio autẽ regis, ſi fortè defectionis cauſa extitit, difficillimè indulgentia prærogatur: (cuius hiſtoria Abſalonis aduersùs patrem rebellantis erit exemplo) ita ſi infirmus cadat, ſi miſer, & imbecillus homo crimen admittat, facilè ſuum caſum agnoſcit, ſine difficultate plorat, & miſericordiam diuinam impetrat; at ſi vir perfectus cadat, & dona ſibi data proſtituat, & frontem meretricis induat, ſatis difficulter amiſſam gratiã recuperat: cuius certè caſus, vnus cùm ſit, ingẽtes Dei theſauros dilapidat, virtutem & ſanctitatem infamat, & puſillos vehementer ſcandalizat. Magnum eſt donum, quod ita perfectos Deo beneficiis tenet obſtrictos, vt ſi cadant, tamquam homines ingratiſſimi difficiliùs indulgentiam accipiant.

Illud etiam ad commendandam huius doni magnitudinem facit, quòd omnia alia Dei dona ſecum inuoluit, & vniuerſa diuina beneficia habet adiuncta. Si enim donum Dei fuit iuſtũ Noë à diluuio, & aquarum tempeſtate liberare; ecce melius donũ hic, quo homo à curis ſæculi liberatur & à ſæuo turbine peccatorum eripitur. Si donum Dei fuit Abraham de terra ſua, & cognatione ſua, ac de domo patris educere, ac in terram illi promiſſam inferre; ecce maius donum hic, quo vir iuſtus à conuerſatione terrena, & à conſortio iniquorum abripitur, & ab imitatione veteris Adæ ad imitationem noui transfertur. Si donum Dei fuit, patriarcham Loth è tremendo ſupplicio Sodomorum eximere: Ecce præſtantius donum hic, quo homo ad perfectionem vocatus, nec clamoribus importunis ſuæ carnis turbatur, nec edacis concupiſcentiæ igne comburitur. Si donum Dei fuit è ventre ceti Ionam extrahere, vt comminationes diuinas Niniuitis annunciaret; ecce mirabilius donum hîc, quo homo non ſemel, ſed millies à ventre Leuiathan deuorantis & tentantis extrahitur, & vt quæcumque vouit, reddat pro ſalute Domino, ab eo, qui penè ipſum deglutierat, ſtatim euomitur. Donum Dei fuit primum humani generis parentem in loco voluptatis collocare, & fructu arboris vitæ reficere; ſed quantò præſtabilius Dei donum perfectio, qua homo in Deo manet, & Deus in eo, qua pane cœleſti nutritur, & aqua ſapientiæ potatur, & ad cibum, & potum immortalem & proprium Angelorum diſponitur. Quis non fateatur perfectionem magnum eſſe Dei donum, quòd hæc omnia dona ſecum afferat; quòd corporis voluptatem, & ſæculi vanitatem retegat: quòd proprij cordis duritiam, & argumenta carnalis ſapientiæ, quibus peccata noſtra velamus, potenter abiiciat? Chriſto enim viſitante nos, & intrante (vt inquit Bernardus) caſtellum iniquitatis euertitur, & pro eo nouum aliud pulchrum, ac ſpirituale conſtruitur; impletúrque quod dicitur: Si qua in Chriſto noua creatura, vetera tranſierunt, & ecce facta ſunt omnia noua.] Sublata quippe cupiditate expanditur ingens ſinus deſiderij, vt ad eius aduentum multò magis anhelet mens ad cœleſtia, quàm priùs terrenis incubuerat. Iam ponitur murus continentiæ, qui corporis voluptatem eneruet, & antemurale patientiæ, quod ſæculi vanitati obſtet. Surgit autem hoc opus à fundamento fidei, & creſcit per dilectionem proximi, quæ duritiam cordis, & falſæ ſapientiæ argumenta diſiicit vſque ad charitatem Dei. Planè hoc ampliſſimum donum omnia Dei dona continet. Si enim Apoſtoli infidelitati reſtiterunt, & fidem per vniuerſum orbem diſſeminarunt, hoc perfectio eſt: quia

2. Reg. 15 — *Geneſ. 7.* — *Gene. 12.* — *Gene. 19.* — *Ioſue. 2.* — *Gen. 2.* — *Bern. ſer. 5. de Aſſumpt.* — *2. Cor. 5.*

abun

abundantia diuinæ charitatis eas ad expugnandum diabolum, & quærendas animas roborauit. Si martyres vitam omnium rerum temporalium charissimam, acerbissimis tormentis exhaustam, pro Christo perdiderunt, hoc perfectio est: quia perfecta charitas omnem creaturarum amorem superans, eos ad mortem sustinendam, & vitam profundendam, exposuit. Si Pontifices piis sollicitudinibus occupati, oues Christi texerunt, & seipsos seruos aliorum fecerunt, hoc perfectio est: nam ardentissimus Christi amor illos necessitatibus proximorum subiecit, & ad contemptum propriorum commodorum impulit. Si doctores, & soles splendidissimi, paruulis illuxerunt, & pro tuenda veritate vigilias & labores maximos sustentarunt, hoc perfectio est: nam feruens Christi dilectio eorum mentes exacuit, & affectus accendit, vt tam sublimia dicerent, & verbis tam sanctis & tam aptis ad mouendum, exponerent. Si confessores sui ipsorum iuge holocaustum Domino obtulerunt, dum corpora sua ieiuniis, vigiliis, & aliis asperitatibus domauerunt, & animam perpetuæ orationi, & contemplationi dicarunt, hoc perfectio est, quæ illis Dei amorem suis corporibus, & animabus chariorem reddidit, & quod in eis humanum erat, Dei cultui, & venerationi subdidit. Si denique virgines carnis ferocis impetum compresserunt, & in mortali corpore Angelorum puritatem sunt imitatæ, hoc perfectio est, quoniam fortis vt mors dilectio, violentissimam concupiscentiam sopiuit, & carnē ab impuris motibus emundauit, vt spiritus ac si esset carne solutus, in Dei se contemplationem & amorem immergeret. Est itaque perfectio Dei donum, & donum eximium, quo, post statum beatitudinis nullum maius inuenitur, à cuius gremio hæc omnia dona sanctorum emanant. De eo quod inquit Paulus Non sicut delictum, ita & donum.] Nam delictum primi hominis peccatum originale in mundum intulit, gratia verò Christi ad minus peccatum originis, & peccata etiam grauia destruxit, & perfecta gratia, non solùm hæc sed prauas consuetudines & vitia deleuit. *Rom. 5.*

Sed si perfectio donum Dei est, expectemus illam à Domino, & donec eam donauerit, patienter feramus. Expectemus quidem, & si non statim eam in nos miserit, patientes simus, at non incuriosi, non segnes, non nostræ salutis obliti, sed ad gemmam hanc pretiosam accipiendam cooperemur. Ad quod nos monet Dauid, dicens: Expecta Dominum, viriliter age: & confortetur cor tuum, & sustine dominum.] Ita expecta, vt tamen non otio torpeas, sed secundùm vires tibi à Domino datas, fortiter agas: ita sustine, vt tamen cor tuum non vanis curis dissolutum languescat, sed adipiscendæ perfectionis sollicitudine confortatum, ad eam violenter arripiendam se exerat. Ita profectò expectandum est, quoniam Dominus non dormientibus, nec oscitantibus hanc pulcherrimam margaritam perfectionis donat, sed vigilantibus, & pro ea contra se ipsos, & aduersus omnia vitia decertantibus, benignè communicat: ita sustinendum, quoniam nostrum laborem ex gratia sua procedentem, & nostram cooperationem, ad sanctitatem impatiendam requirit. Nam, vt ait Leo Papa; quamuis omnium bonorum sit ipse largitor, etiam nostræ tamen fructum quærit industriæ. Non enim dormientibus prouenit regnum cœlorum, sed in mandatis Dei laborantibus, atque vigilantibus: vt si dona illius irrita non fecerimus, per ea quæ dedit, mereamur accipere, quod promisit.] Dominus quidem Salomoni sapientiam dare decreuerat, sed quousque poſceret Salomon, Dominus expectauit. Quin & excitauit illū ad postulandum, dicens; Postula quod vis; vt dem tibi:] Sic & nos petere debemus, & orationibus, gemitibus, ac bonis operibus postulare, vt secundùm desideriū cordis nostri detur nobis optata perfectio. Arripiamus igitur verba ex ore huius sapientis, & flexis poplitibus cordis nostri dicamus ad Dominū: Et nos, Domine, sumus pueri paruuli ignorantes egressum, & introitum nostrū. Dabis ergo seruis tuis cor docile, vt populum tuum iudicare possint, & discernere inter bonū & malum.] Verè paruuli sumus, qui more paruulorum visibilia diligimus, & inuisibilia nec curamus, nec cupimus. Verè egressum, & introitū nostrum ignoramus, quia nescimus, quomodo oporteat nos inter homines conuersari. Da itaque nobis cor tibi per omnia subiectū, vt te docēte, & iuuante, sciamus populū hunc interiorem multorū affectuū nostrorum regere, & bonū amplecti, ac malū refutare. Oremus ita, vt lingua interior nostra non sileat, sed nec manus nostra ab operatione quiescat, & placebit sermo noster coram Domino, & dabit nobis cor sapiēs; & puritatē, quam cupiebamus, impertiet. Vt autē sciamus perfectionem ita esse donū Dei, vt ei consequendo debeamus diuina gratia iuuante cooperari, diuersos loquendi modos in hac re sacra scriptura frequenter vsurpat, vt hoc iustitiæ, ac perfectionis opus, & Dei esse, & nostræ etiam industriæ Dei gratia fulcitæ nobis aperiat. Ait enim: Non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei.] Et: Si volueritis, & audieritis me, bona terræ comedetis.] Iterum verò. Deus est qui operatur in vobis velle, & perficere.] Et, Reddet vnicuique secundùm opera sua.] Et rursus: Nemo venit ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum.] Et, Appropinquate Deo, & ipse appropinquabit vobis.] Præterea: Perfice gressus meos in semitis tuis, vt non moueantur vestigia mea.] Et, Dirige semitam pedibus tuis, & omnes viæ tuæ stabilientur.] Deinde: Laua à malitia cor tuum Ierusalem, vt salua fias.] Et, Cor mundum crea in me Deus, & asperges me Domine hyssopo & mundabor, lauabis me, & super niuem dealbabor.] Ac tandem: Dabo eis cor nouum, & spiritum nouum tribuam in visceribus eorum.] Et, Facite vobis cor nouum, & spiritum nouum.] Hæc omnia & alia similia penè innumera, quæ vitandæ prolixitatis gratia prætereo, manifestè indicant omnem virtutem, omnemque animæ perfectionem donum Dei esse, sed ita, vt laborem nostrum exigat, & industriam non excludat. Docent etiam omnem laborem & omnem industriam nostram, ad perfectionem necessariam, cassam esse, & inutilem, nisi eam gratiæ diuinę spiritus excitauerit, & in opus prodeuntem comitatus fuerit, & stabilitate ac perseuerantia compleuerit.

Psal. 26. *Leo ser. 2. Epip. c. 3.* *3. Reg.* *3. Reg.* *Rom. 9.* *Isa. 1.* *Phil. 2.* *Rom. 2.* *Ioan. 6.* *Iacob. 4.* *Psal. 16.* *Prou. 4.* *Ierem. 4.* *Psal. 50.* *Ezec. 11.* *Ezec. 18.*

Si ergo donum hoc magnum, & eximium perfectionis volumus, ei consequendo, modis omnibus, quibus possumus, cooperemur. Nam quod ridiculè in rep. humana contingit, in domo Dei non ridiculè, sed iustè succedit. Apud homines enim quinam dignitates, & mitras, & munera honorifica consequuntur? Nonne qui diligentiùs ea ambiunt, qui importuniùs ea postulant, qui inuerecundiùs aulicorum aures sollicitant, & qui sua obsequia regi facta superbiùs exaggerant? Et hoc ridiculum est, quoniam discrimen salutis diligitur, honor propter se non quærendus, expetitur, & dignitas donis, & mendaciis, & ambitione comparatur. Apud Deum igitur ille veram virtutem assequitur, ille summam dignitatem perfectionis impetrat, ille mitram, & diadema regium puritatis exquirit, qui

humilius petit, vehementius optat, ardentius efflagitat, & sanctissima opera tamquam dona quędam pretiosa pro tãtæ dignitatis assequutione promittit. Hoc autem non est ridiculum, sed plenum iustitiæ, & æquitatis, quoniam virtus digna est per se ipsam, quæ ab omnibus expetatur; & quia viri iusti eam non pro ambitione, sed pro Dei gloria quærunt, non salutis pericula, sed, si perseuerent, salutem certissimam in domum suam inferunt, non mendaciis, & ineptis adulationibus, sed veritate vitæ, & sanctissimis obsequiis assequuntur. Quæ, quia non ab humana industria solùm, sed præcipuè à Dei gratia procedunt, ita augmentum gratiæ merentur, vt illud augmentum à ratione gratiæ & doni non sciungant. Quod Augustinus in Paulo, post bonum certamen coronam iustitiæ poscente, manifestè conspexit, cuius bona opera, cogitationes bonæ à gratia prouenientes præcesserunt; cuius bonum certamen, quo strenuè decertauit, & fœlicem cursum, quem sanctissimis operibus consummauit, & fidem ipsam, qua in Deum fidelitatem tenuit, illi non naturæ vires, sed gratiæ auxilia maxima prærogarunt. Cooperemur itaque gratiæ Dei, vt mentis nostræ sanctitatem ab eo impetrare possimus. Ad quod Paulus ipse nos hortatur, dicens: Adiuuantes exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis: Ait enim; tẽpore accepto exaudiui te, & in die salutis adiuui te: Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis.] Deus namque in tempore sibi accepto exaudit nos, & in die saluti nostræ destinato gratia sua adiuuat nos. Hoc autem tempus non est profectò aliud, quàm tempus vitæ nostræ, quod sub Euangelica lege transigimus. Hæc dies non est alia, quàm dies conuersionis nostræ, & vitæ spiritualis nostrę, quę si æternitati comparetur, non longior est hesterna die, quæ præteriit. In hoc tempore Domino satis accepto, & in hac die ad operandam salutem animæ nobis concessa, abundans gratia data est, cuius præsidio donum perfectionis assequamur. Ne in vacuum recipiamus eam, nec tamquam ille seruus malus, & piger, ligatam in sudario otiositatis custodiamus, sed ei fideliter & diligenter cooperemur. Reuelabitur enim ira Dei de cœlo super omnẽ impietatẽ & iniustitiã hominum illorum, qui veritatem Dei intellectui reuelatam, & voluntati gratiæ auxiliis oblatam, velut compeditam, & ligatam in iniustitia detinent. Ne simus velut arbores mortuæ, quibus nec cœli influxus, nec astrorum aspectus, nec aquarum decursus, ad ferendum fructum aliquid prosunt, sed tamquam generosæ arbores saluberrimo cœlo fruentes, & matutinis ac serotinis gratiæ imbribus irrigatæ fructum salutis feramus. Ne simus sicut aqua stagni, quæ semper stat, & quia motu caret, solet insalubris esse, & interdum tetrum odorem habere: sed sicut aqua fluminis, quæ in mare, vnde exierat, reuertatur, & ad vniuersorum principium sanctæ vitæ celeritate recurrat. Denique talenta gratiæ nobis data sunt, & auribus nostris illud patris familias præceptum insonuit: Negotiamini dum venio] talentis acceptis negotiemur. Sic constituemur super bona Domini, non tantùm in futura vita, in qua præmium æternum laborum recipiemus, sed in vita quoque præsenti, in qua animæ perfectionem & sanctitatem consequemur. Hæc vnum Dei donum est, sed multa bona continet, quia & animæ pulchritudinem, & memoriæ tranquillitatem, & intelligentiæ lucem, & voluntatis rectitudinem comprehendit, & omnium virium animæ decorem, ac ipsius corporis continet puritatem.

Aug. lib. de gratia & lib. ar. cap. 7. — 2. Cor. 6. — Rom. 1. — Luca 19.

Assequendæ perfectioni cooperandum homini esse, tum desideriis, tum operibus.

CAPVT II.

SI Deus ita hominibus donum perfectionis communicat, vt non tamquam in res inanimes, & sensu carentes eam inferat, sed ipsorum hominum industriam & cooperationem exigat, quo illis hanc eximiam gloriam impertit, vt dicantur, & sint simul cum Deo, suarum opum & bonorum emptores, videndum nunc est, quibus cooperari debeant, vt ingentes opes sanctitatis & perfectionis obtineant. Duo igitur sunt, quibus homo Deo ad suam perfectionem consequendam cooperatur, desiderium, & opus: nam ardentissimis virtutis, & perfectionis desideriis ac sanctis operibus velut quibusdam instrumentis aptus afficitur, & ad excipiendum sanctitatis donum disponitur. Hæc duo desiderium, & opus sunt duo oculi, quos homo in istud maximum suæ mentis bonũ intendit: quorum meminit Dauid, dicens: Sicut oculi seruorum in manibus dominorum suorum: Sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ; ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri.] Nam desiderium, & opus nostrum talia sint oportet, vt Deum intentionis simplicitate respiciant, & de manibus eius hoc, quo sustentamur, perfectionis donum extorqueant. Sunt etiam duæ manus, de quibus ait Iob: Quare lacero carnes meas dentibus meis, & animam meam porto in manibus meis?] Dentes enim meditationis, quorum est, diuina beneficia, & propria peccata ruminãdo comminuere, carnem lacerant, dum eam pro commissis delictis debita seueritate castigant. Et manus desideriorum, & operum animam portant, quia eam de virtute in virtutem vehunt, & ne in pristina delicta cadet, diligentissima cura sustentant. Sunt denique duæ alæ datæ mulieri, quæ peperit masculum, vt volaret in desertum in locum suum, vbi alitur per tempus, & tempora, & dimidium temporis.] Quænam est ista mulier? nonne anima perfectionis auida, quæ spiritualis sapientiæ luce tamquam sole vestitur, & lunam mutabilitatis proterit, & caput eius virtutibus tamquam stellis circundatur? Et quod masculum peperit, nisi propositum proficiendi, & ad sanctitatem sine vlla cessatione properandi? In quod autem desertum secedit, nisi in secretum spiritualis vitæ, vt interpretatur contemplator Ricardus, in quo tamquam in amabili solitudine ab strepitu sæculi delitescit? Duabus itaque alis desiderij & operis in hunc desertum volat, quia bene desiderando, & operando, ad optatam spiritus tranquillitatem appropiat. Ibi autem scilicet in spirituali conuersatione alitur per tempus, & tempora, & dimidium temporis, quia in initio virtutis, & in profectu, & in perfectione eius diuina gratia reficitur. Initium virtutis est tempus, quoniam vni secessioni à malo, & pœnitentiæ præteritorum insistit. Profectus sunt tempora, quoniam multis virtutibus acquirendis intendit. Perfectio est dimidium temporis, quia perfectio nostra in hac vita semper imperfecta est, & quasi dimidiata, quæ solùm in futura vita omnino perficitur. His itaque duobus pedibus desideriorũ, & operũ nobis currẽdũ est, quos perficit Dominus tamquam ceruorum, vt super excelsa statuat nos: his duabus ma-

Psal. 122. — Iob. 13. — Apoc. 12. — Ric. li. 4. in Apoc. c. 1. — Psal. 17.

nibus laborandum,& his duabus alis in perfectionem volandum,vt ad illam tandem veniamus.

Desideria perfectionis non vnius generis sunt; quædam enim sunt à solo Deo immissa; quædam verò, diuinæ gratiæ simul, & nostræ industriæ laboribus excitata. Nam solet Deus aliquando, vt suæ bonitatis diuitias effundat, hominibus etiam imperfectis, & suæ salutis oblitis, sine vlla ipsorum dispositione, vehementissimum quoddam desiderium virtutis immittere, & edacissimam famem,& sitim perfectionis excitare, qua anima mirum in modum stimulata nescit quiescere, nescit penè modum tenere,sed vnica eius cura, vnicus angor est, in Deum & in diuina festinare. Hoc desiderium possumus in illis Isaiæ verbis intelligere: *Isa.65.* Quæsierunt me, qui antè non interrogabant, inuenerunt, qui non quæsierunt me. Dixi: Ecce ego, ecce ego ad gentem, quæ non interrogabat nomen meum.] Atque eius fortè meminit Sapientia,dicens: *Sap.11.* Sitierunt, & inuocauerunt te, & data est illis aqua de petra altissima, & requies sitis de lapide duro.] Modum autem huius desiderij, aut voces, quibus Deus dormiturientes exsuscitat, Ecclesiasticus in hunc modum exponit. *Eccl.51.* Appropiate ad me indocti, & congregate vos in domum disciplinæ, quid adhuc retardatis: & quid dicitis in his? animæ vestræ sitiunt vehementer. Aperui os meum, & locutus sum: Comparate vobis sine argento, & collum vestrum subiicite iugo, & suscipiat anima vestra disciplinam: in proximo est enim inuenire eam.] Magna est hæc sitis, quam interdum anima patitur, cuius calcaribus incitata ita obnixè Dominum inuocat, ita importunè aquam perfectionis efflagitat, vt eam de petra altissima (petra autem erat Christus) *1.Cor.10. Isa.28.* abundantissimè hauriat, & è lapide duro, probato scilicet, & in fundamento fundato,] & fluento gratiarum emanante tantæ sitis requiem accipiat. Incredibilis erit inexpertis hæc sitis, atque hoc proficiendi desiderium, quod Dominus increpationibus,adhortationibus, omnium excusationum ablatione,& difficultatum depulsione, vehementer accendit, adeo vt anima facilitate summa (quam gratia Dei vocantis, & desiderium hoc immittentis facit) viam mandatorum,& consiliorum, & arctas semitas afflictionis corporalis, & abnegationis currat, & thesaurum puritatis concupitum, quasi in proximo constitutum inueniat. Si aliquando ô anima hoc desiderium, & hoc pretiosum donum, & diuini amoris arrham fueris experta, propera, festina, curre, non des somnum oculis tuis, nec dormitent palpebræ tuæ, donec ad concupitam puritatem, & omnium vitiorum victoriam peruenias. Hoc desiderium lux est, non perpetua, sed ad modicum fortè tempus accensa, vt eius splendore proficias,curre, dum in tuum bonum illuminat, ne antequam iter facias, abscedat. Hoc desiderium calor est, qui tuas manus à frigore socordiæ dissoluit;labora dum cales, dum robur spiritus ad laborandum sentis,priusquam aut minuatur,aut penitus euanescat. Est denique hoc desiderium velut instrumentum commodatum, aut precariò ad terram cordis excolẽdam acceptum; cole itaque solliciè agrum cordis tui, & sentes eradica, & glebas tuæ duritiæ proscinde,priusquam à Domino instrumentum agricolationis postuletur, sine quo non ita facilè poteris agrum mentis excolere. Cùm hoc desiderium in intimis nostræ mentis accenditur, verè magnum ac pretiosum talentum accipimus, quod Dominus non solum,sed multiplicatum, & cum vsuris, ac magno fœnore est exacturus. Indignabitur autem,si illud otiosum, & inutile viderit esse apud nos,& ingratos spoliabit,ac donum suum citiùs, quàm sperabamus, præripiet.Nobis dicitur: *Ioan.12.* Ambulate,dum lucem habetis,ne tenebræ vos comprehendant.] Et rursus: *Ioan.9.* Venit nox, quando nemo potest operari.] Si hæc lucerna adhuc ardet, & in mentibus nostris splendet,ambulemus non segniter ad splendorem illius, quia in nocte tentationis,& in caligine tribulationis satis laboriosè poterimus discurrere, & satis difficulter operari.

Absente verò hoc desiderio ardentissimo (quod homini nec quærenti, nec cogitanti solet infundi) aut quia numquam datum est, aut quia post aliquod à datione tempus ablatum, enitendum est nobis magna in corde nostro desideria virtutis & perfectionis excitare. Simus viri desideriorum, sicut Daniel: *Dan.10.* cui pro magna laude ab Angelo dictum est: Noli timere vir desideriorum, pax tibi: confortare, & esto robustus.] Quibus verbis sancti desiderij effectus innotescunt. Solet enim desideriũ perfectionis inanes timores difficultatum se opponentium abiicere,corpus & animam ad robores roborare, & pacem mentis ac tranquillitatem afferre. Quia istud desiderium, non sicut desideria carnis inquietat, sed ita mentem ad quærendum, quod optamus, instimulat, vt tamen pacem non adimat, nec internam serenitatem euellat. Daniel itaque ampliùs se ad cognoscenda secreta cœlestia ardẽtissimis desideriis, quàm abstinentia & ieiunio disposuit: & sic nos magis affectibus & desideriis quàm corporali exercitationi incumbamus. Nam hæc debet esse corporali imbecillitati accommodata, desiderium verò æquum est, vt magnitudini rei desideratæ respondeat.Illam viri sancti pro captu virium suarum acceperunt; hoc, quantùm sibi fuit possibile, cumularunt. Quare Laurentius Iustinianus ait: *Lau. Iust. l. de disc. & perfec. mon. con. c. 6.* Non meruit secreta scire cœlestia propheta Daniel, quia ieiunauit, sed quia concupiuit, dicente angelo: *Dan.9.* Ego autem veni; vt indicarem tibi, quia vir desideriorum es.] Et quis verbis potest propalare sanctorum desideria? soli experti norũt amantium affectus, quàm sæpe desiderio patiuntur, dilaniantur, vruntur,occumbunt. Quòd si liceret, non segniùs sustinerent actu, quàm desideriis concupiscant.] Hæc ille. Qui ait,Danielem non meruisse audire secreta cœli ieiunio, sed desiderio; non quia ieiunium multùm non meruit, sed quia multò efficacius desiderium impetrauit. At quomodo hæc sanctitatis desideria concipiemus?Certè aliis desideriis, & orationibus, & meditatione earũ rerum, quæ in sequẽtibus exponentur. Nã desiderium virtutis alio desiderij desiderio succenditur,oratione crescit, & meditationibus roboratur. Desiderium quidẽ perfectionis ipsius desiderij desiderio,& concupiscentia crescit. Cuius Dauid est testis certissimus, dicens: *Psal.118.* Concupiuit anima mea desiderare iustificationes tuas in omni tempore.]Cupiebat ille desiderium,vt illud non naturæ labor, sed gratiæ esse opus ostenderet. Vnde Ambrosius ait: *Amb. ad eundem Psa. ser. 8.* Concupiscimus desiderare, quasi non sit potestatis nostræ desideriũ,sed gratiæ Dei. Cùm enim Dominus oblectari nos viderit cupiditate desiderij iudiciorum suorum,sobrium auget affectum.] Cupiebat desiderium,quia Domini iustificationes, & mandata cognoscebat,nondum tamẽ implẽdi ea desideriũ habebat.Et ideo Aug. *Aug. ibi. con. 8.* cùm dixisset iustificationes Domini cognitas,& non amatas,nec in actionem trãsfusas,absentes reputari,addit; Quid sũt iustificationes, nisi opera iusta,& nõ verba? Ac per hoc possunt infirmitate animæ non desiderari,& ratione mẽtis vri. Videt quippe quã sint vtiles,atq; salubres,& ideo potest

earum desiderium concupisci. Sæpe enim quid agendum sit videmus, nec agimus, quia non delectat, vt agamus; & concupiscimus, vt delectet.] Cupiamus ergo, & nos desiderium perfectionis. Et sicvt infirmus desiderat appetitum cibi, quem pressus morbo fastidit: ita & nos culparum & imperfectionum nostrarum ægritudinibus affecti, & virtutis fastidio capti, desideremus fastidium, ac nauseam deponere, & appetitum seu desiderium virtutis induere. Hoc autem desiderij desiderium, nos ad orandum ac postulandum desiderium perfectionis prouocet, quia oratio humilis, & postulatio feruens priùs desiderium perfectionis, quàm ipsam perfectionem impetrat. Quemadmodum enim qui vult, vt suus seruus aliquid faciat, instrumenta, quibus caret, ad faciendum suppeditat; ita Dominus, quos vult ad perfectionem prouehere, magnis desiderijs, quæ sunt velut instrumenta assequendæ perfectionis, accendit. Quare hæc nos desideria petamus, vt illis tamquam aptissimis instrumentis purissimum mel sanctæ puritatis in nostris cordibus elaboremus. Postulemus famem, vt ipsa nos ad quærendum cibum virtutis adigat. Postulemus & sitim, vt nos ad effodiendam diuinarum gratiarum aquam excitet: quam si biberimus, aquam consolationum terrenarum non sitiemus in æternum. Et sicut dicebat ille: Credo Domine, adiuua incredulitatem meam:] ita dicamus quanto potuerimus affectu: Desidero Domine, adiuua tu desiderium meum.] Sic fortè dicet Dominus spiritui pigritiæ, qui immundus est, & surdus, & mutus (quia manus hominis pigri ligat, ne suas maculas lauet; & aures obturat ne Dei clamantis voces exaudiat; & os comprimit ne linguam in vocem confessionis soluat) Exi ab eo, & ampliùs ne introeas in eum.] A quo spiritu liberati, non erit arduum ardentia desideria virtutis concipere, & ad perfectionem anhelare. Ista autem desideria sanctæ meditationes roborent, tum eorum, quæ de dignitate perfectionis dicta sunt, tum etiam eorum, quæ vt incitamenta huius desiderij statim subiiciemus. Nam hoc habet meditatio, vt odium mali generet, & desiderium boni, & pulchri succendat. In meditatione mea, ait sanctus Dauid, exardescet ignis.] Et Bernardus fructum meditationis exponens, qua meditamur quàm pulchra & honesta sit cordis munditia, postquam edixit multa, quæ anima exercitatione meditationis inuenit, hæc addit: His anima facibus inflammata, his incitata desiderijs, fracto alabastro suauitatem vnguenti præsentire incipit; nec dum gustu, sed quasi narium odoratu. Et ex hoc colligit, quam suaue esset huius munditiæ sentire experientiam, cuius meditationem nouit adeo esse iucundam. Sed quid facit? Habendi desiderio æstuat, Sed non inuenit apud se, quomodo habere possit; quanto plùs inquirit, plùs sitit. Dum apponit meditationem, apponit & dolorem; quia sitit dulcedinem, quam in cordis munditia meditatio monstrat, sed non prægustat.] Vide, quomodo meditatio soleat desiderium exsuscitet, & sitim perfectionis, & virtutum prouocet, sed de hoc aliâs.

Marci 9.

Ibid.

Psal. 38.

Berna. in scala cla. off. medi.

Desideria autem virtutis, sine virtutis operibus non sufficiunt. Esset enim velle vno tantùm pede progredi, & vna tantùm ala volare. Et scriptum est: Desideria occidunt pigrum] desideria nempe sola, & bonis operibus destituta, quia nullus aut præcepto, aut obligationi solo desiderio satisfacit, quando adest facultas operandi. Nec desideria sunt efficacia, quæ (nullo impediente) intra mentem se continent, & bona concupita non implent. Sequantur ergo perfectionis desideria, virtutis actiones, quæ in anima vitia destruant, & immoderatas passiones comprimant, & eam paulatim ad puritatem, & perfectionem attollant. Quæ autem, & quales sunt istæ actiones, quorum præsidio anima ad perfectionem scandit? Certè omnes illæ quæ ad mortificationem nostram, siue ad ornatum animæ, siue ad studiū orationis, siue ad proximorum vtilitatem pertinent, de quibus est animus (si dator vitæ vitam concesserit) in his voluminibus disputare. Interim tamen hæc omnia virtutis opera, ad illas notissimas iustitiæ partes referimus, quas breuiter sanctus propheta depinxit, dicens: Declina à malo, & fac bonum.] Quæ verba ego ita intelligo, vt fundamentum scalæ, cuius ascensu ad perfectionem peruenitur, sit perfectionis desiderium: primus verò gradus ascensionis sit ab omni malo diuertere; secundus verò, omne bonum factitare. Quod explicans Ambrosius ait: Nobis initium bonorum abstinentia peccatorum est: quoniam legimus; Declina à malo & fac bonum.] Hic enim ordo est disciplinæ, vt ab inferioribus ad perfectiora contendas, ne terrearis mole maiorum, qui leuiorum exordio debeas prouocari. Scalarum enim similem esse Scriptura nos docet pietatis ascensum per quas vidit Angelos Domini ascendentes & descendentes sanctus Iacob, vir exercitationis, qui nobis propositus est, vt per illum cognosceremus gradum virtutis paulatim nos proferre debere, & ita posse ab imis ad summa contendere, si per processus gradiamur exiguos ad ea, quæ videntur humanæ altiora naturæ.] Duo verò isti gradus non simplices sunt. Quia in primo gradu; Declina à malo, multa sunt nobis peccata fugienda: multa vitia destruenda: multæ concupiscentiæ deserendæ; multæ tentationes vincendæ: multæ passiones frænandæ. In secūdo autem gradu, Fac bonum, omnibus virtutibus rum Theologicis, tū moralibus studēdum est, & multa orationis exercitia suscipienda, vt tandem ad mentis puritatem, & amoris perfectionem veniamus. At cupies breui compendio omnes istos gradus ascensionis agnoscere. Illos ergo pro nunc, ex doctrina Cassiani magni doctoris edisces. Audi paucis ordinem, inquit, per quem scandere ad perfectionē summam sine vllo labore, ac difficultate præualeas. Principiū nostræ salutis, sapientiæq; secundùm scripturas timor Domini est. De timore Domini nascitur compunctio salutaris. De compunctione cordis procedit abrenunciatio, id est, nuditas & contemptus omnium facultatum, de nuditate humilitas procreatur. De humilitate mortificatio voluntatum generatur. Mortificatione voluntatum extirpātur atq; marcescūt vitia vniuersa: Expulsione vitiorum virtutes fructificāt, atque succrescunt. Pullulatione virtutum puritas cordis acquiritur. Puritate cordis Apostolicæ charitatis perfectio possidetur.] Sed plures sunt hi gradus, quàm optaueram, & nondum desiderio perfectionis excitato, minimè tot & tam difficiles gradus ascendo. Audi ergo ex Bernardo pauciores. Duo sunt, ait, in operatione, quæ nobis Deum auferunt, flagitia scilicet, & facinora. Flagitia dicimus, scilicet, quæ in nobis; facinora, quæ in proximos peccando committimus. Item sunt duo, quæ Deum reddunt, continentia & beneuolentia: vt scilicet ex contrariis contraria curentur. Hinc enim scriptum est: Sicut exhibuistis membra vestra seruire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem, ita & nunc exhibete ea seruire iustitiæ, in sanctificationem.] Istis quatuor generibus operum à Bernardo luculenter expositis, ex desideriis ardentioribus exortis, ad tuæ animæ perfectionem cooperaberis. Vt autem tam

Prou. 21.

Psal. 36.

Ambr. in Psal. 1. in illud, Beatus vir.

Gen. 28.

Cass. li. 4. de inst. c. vltim. Prou 9. Psa. 111.

Bern. ser. 5. de Ass.

Rom. 6.

desideria

desideria, quàm opera perseuerent, & in dies magis ac magis augeantur, vt prudens Martha, atque sollicita, Mariæ sororis auxilium efflagitat. Clariùs dico: vt desideria crescant, & bona opera perseuerent, vtraque sollicito studio orationis coadiuuat. Hæc enim, quæ quodam modo ad genus operum, & quodam modo ad genus desideriorum pertinet, & mentem in operibus bonis confirmat, & desideria ipsa quotidie magis inflāmat. En duo ligna, quibus ignis veri & perfecti amoris accenditur, quo cibus animæ conditur. Nam si illa vidua Eliæ pro buccella panis sollicitata respondit: Non habeo panē, nisi quantùm pugillus capere potest farinæ in hydria, & paululum olei in lecytho: en colligo duo ligna, vt ingrediar & faciam illum mihi, & filio meo, vt comedamus & moriamur;] mysterium inuoluit, eius, quod nos facere debemus, vt in hac vita sustentemur. Si enim non habemus panem, nempe virtutem perfectam, quæ nos vtcumque reficiat, colligamus duo ligna, alterum boni desiderij, alterum boni operis, quibus ignem feruoris & deuotionis excitemus. Hoc igne ita oleum diuinæ gratiæ, & farinulam nostræ industriæ satis modicam condiemus, & vnum oleatum panem coquemus, vt nō nobis solis, & filio nostro, scilicet spiritui, sed etiam prophetæ sufficiat. Christus namque redemptor noster in Elia figuratus, hoc etiam pane spiritualis vitæ reficietur: Qui dicturus est iis, qui ad dexteram eius erunt, & ad regnum sunt admittendi, Esuriui, & dedistis mihi manducare, venite & possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi.] Isto etiam pane comedemus, & moriemur, quia eius gustu à rerum sæcularium amore auulsi, moriemur sæculo, vt Deo, & iustitiæ viuamus. Sed nunc omissis bonis operibus, quæ ad perfectionem necessaria sunt, de primo ligno, scilicet de perfectionis desiderio differamus.

3.Reg.17.

Matt.25.

Concipiendum esse nobis perfectionis desiderium.

CAPVT III.

Facillimvm cuique videbitur desideria perfectionis concipere, & ad sanctitatē cordis affectibus aspirare. Ea nam que est humanæ volūtatis natura, vt velvt præceps in bonum, ac pulchrum feratur, præsertim si bonum ipsi cupienti, ac possibile existimetur. Quid autem perfectione melius, quid sanctitate pulchrius, atque formosius, quam nobis peruiam esse maiorum nostrorum, qui nos Christo genuerunt, hominum scilicet imbecilliorum exempla declarant? Voluntas ergo prona erit imperfectionis desideriū, quod non solùm facilè, sed & iucundè, & gratanter elicіet. Accedit ad hoc, quòd perfectionis difficultas, non in affectu, aut desiderio, sed in opere videtur esse sita: Neque enim difficile est oculos in munitissimam & altissimam arcem attollere, sed admodum difficile, compedes, & catenas, quibus aliquis est ligatus, abrumpere, & per loca inuia atque prærupta, pedibus & manibus reptando, ad arcem properare. Non est difficile optare victoriam, quam nō tantùm tyrones milites, verùm & vilis agasonum turba, quæ manet ad sarcinas, impensè solet percupere, sed difficillimum hostes animosos, & robustos, & fortiter pugnantes, deiicere. Ita nulla apparet difficultas in hoc, quòd sublimissimam perfectionis arcem oculis affectuum lustremus, & omnium hostium vitæ spiritualis, ac nostri proterui cordis victoriam cupiamus,

A sed difficultatem habebit, & quidem magnam, opus ipsum, quo nos, & aduersarios vincimus, & à vilitate carnalis vitæ in altitudinem perfectæ & sanctæ mentis ascendimus. Quare superuacuum videtur desiderij perfectionis mentionem facere, & ad ipsum concipiendum velle religiosam animam incitare.

Fateor hoc ita esse, si humana natura integra, fortis, & sana persisteret; at tot vitiorum affectæ morbis, tot peccatorum opertæ tenebris, tot affectuum immoderatorum consumptæ doloribus, non est illi facile hoc perfectionis bonum aspicere, & illius desideriis incitari. Sicut enim homo dolorum violentia cruciatus, & vlcerum tabe corrosus, vix potest nisi suam miseram sortem cogitare: sic impurus animus, vitiorum & desideriorum carnalium ægrotatio-

B ne compeditus, sui puritatem, aut cogitare, vt oportet, aut optare non valet. Imò si attētiùs inspiciamus, animus peccatis irretitus, ineptior est morbido ad perfectionem optandam, quoniam huic sui dolores, & sua vlcera displicent, & displicentia, ac detestatio dolorum, ad quærendum remedium sollicitat; peccatori verò sua vulnera placent, quæ complacentia, ac vitiorum amor, ad persistendum in eis, & nihil aliud, nisi quod vitiis seruiat, cupiendum, impellit. Non itaque ineptè corda virorum spiritualium, vel (vt aptiùs loquar) eorum, qui statum religiosum habent, & vitam spiritualem professi sunt, ad perfectionis desiderium excitamus, vt si adhuc reliquiæ morborum antiquorum manent, quibus in sæculo ægrotabant, & famem ac sitim tam suauissimi cibi præpediunt, ali-

C quibus remediis eam acuere, & excitare conentur. In quo Paulum sequimur; qui non tantùm in illis, verùm in omnibus quoque fidelibus hoc perfectionis desiderium accendit. Si consurrexistis cum Christo, ait, quæ sursum sunt quærite, vbi Christus est in dextera Dei sedens: quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram.] Si hæc omnibus fidelibus dicta sunt, quantò magis his, qui pro sui status ratione, & pro beneficiorum onere, quibus ditati sunt, quæ sursum manent, quærere debuerant? Hunc ergo Apostoli sermonem sibi dictum intelligant, & ad se præcipuè spectare cogitent, vt si cum Christo noua quadam, & peculiari ratione surrexerunt, quatenus mortem omnis peccati, & ægritudines sæcularis conuersationis vitarunt, curent desideriis suis omne vile, & ca-

D ducum abiicere, & ad vitam cœlestem, & perfectam contendere. Vbi Christus est, inquit, ibi desideria vestra subuehite: nihil nisi quod ad Christum ducat, & vos Christo coniungat, in hoc sæculo nequam cupiatis, ita fiet, vt & sæculi miserias, & pericula, euadatis, atque ex illo veluti ex laqueo liberi, & securi in cælum euoletis.

Coloss. 3.

Imitemur nunc Paulum, atque in nobismetipsis, sed & in omnibus ista legentibus, nonnullis rationibus propositis, istud perfectionis desiderium excitemus. Vna verò, & satis efficax ex ipsius nostræ naturæ conditione petatur. Homo enim imago Dei est, ad hoc conditus, vt Deū operibus suis ac desideriis glorificet, cuius præcipuæ parti, nempe spiritui,

E minùs præcipua, scilicet caro, subiecta est, vt quam Deus in toto orbe, spiritus in sua carne potestatem exerceat. Quod & in ipso Apostolo videbimus expressum, si tantillum corticē literæ relinquamus. Vir, inquit, non debet velare caput suum; quoniam imago & gloria Dei est. Mulier autē gloria viri est. Ideo debet mulier potestatē habere super caput propter angelos.] Ac si diceret; Spiritus, qui est imago Dei, & ad eius gloriam manifestandam creatus, tam puras cogitationes, & tam excelsa desideria habeat, capitis nomine designata, vt nequaquam ea aliquo

1.Cor.11.

velamine erubescentiæ cooperiat. Caro autem, quæ data est spiritui, non in cōfusionem, sed in gloriam, vt in ea viuens opera gloriæ digna perficiat, sit imago, & gloria spiritus, vt ei quantùm terrestris natura patitur, se ipsam assimilet. Et velamen capiti superimponat, vt quasi iugum, indicium sit subiectionis ad virum, nimirum ad spiritum: & si quem motum spiritui repugnantem aduerterit, hoc subiectionis velamine, tamquam potestate comprimat, & quod erubescentia dignum est, decenter operiat. Hæc itaque est conditio naturæ nostræ, vt spiritus, quo constamus, sit imago Dei, & caro, quantùm eius crassities fert, sit imago spiritus, non quia propriam naturam deserat, sed quia tamquam bonus seruus spiritui pareat, & eius proprietates induat. Est autem spiritus noster imago Dei non mortua, sed viua: non quæ aliquibus lineamentis externis, Deum exprimat, quippe qui est infigurabilis, & ipse spiritus corporalibus lineamentis caret, sed quæ substantia sua & proprietatibus naturalibus Deo similis fiat. Nam, vt philosophatur Ambrosius, sicut Deus totus vbique est, & omnia viuificat, mouet, atque gubernat: ita anima nostra in toto corpore, & in qualibet eius parte tota est, cui & vitam, & sensum, & motum, & regimen tribuit. Ille cognitionis est & liberi arbitrij capax: hæc cognitione, & libero arbitrio pollet, quorum altero vniuersa præterita, præsentia, & futura perlustrat: altero verò seipsam, vt liber, in bonam siue in malam partem inflectit. Ille vnius substantiæ, & naturæ cùm sit, trinus etiam personis est, quæ reuera sunt inter se distinctæ: Hæc autem in vna substantia simplici tres habet vires, memoriam, intelligentiam & voluntatem, quæ ab ipsa substantiæ vnitatem, & simplicitatem non adimunt. Hæc igitur animæ, seu spiritus nostri natura sanctarum cogitationum, & desideriorum nos admonet; vt sicut Deus, cuius imago sumus, se ipsum semper cogitat: & omnia creata non extra seipsum, sed in semetipso cognoscit: & seipsum semper amat, & vniuersa à se condita in se, & propter semetipsum amat: ita & nos Deum semper internis oculis aspiciamus, & nos, & reliqua omnia in ipso subsistere cognoscamus: Deum quoque semper sitiamus, & ei vita perfecta adhærere cupiamus, ac nos, & parentes, & cognatos, & amicos, & reliqua vniuersa in ipso, & propter ipsum amemus. Nam si alia sit nostra vita, si aliò nostræ cogitationes abeant, si ad vana & inania nostra desideria defluant, certè monstri & portenti similes sumus. Nonne monstrum est leo lepusculo inualidior, pardus torpedine tardior, aquila obscurior noctua, & oculis imbecillior? O nos infælices, qui audiuimus. Ego dixi dij estis, & filij excelsi omnes;] & scimus nos esse Dei imagines, & tamen à Deo degeneramus, & monstra naturæ aut peccati sumus. Si enim ille est Leone, imò & omni potestate in infinitum fortior, nos dij, & filij excelsi sumus lepusculis imbecilliores, qui ad folij motum trepidamus, & nihil magnum pro eius honore, qui tam magna pro nobis fecit, aggredimur. Ille non dico iam pardo sed ipso Sole patre astrorum agilior, qui sine vllo motu ita velociter currit, vt etiam peccatoribus longè à se positis, sine vlla cunctatione prouideat; & nos ipsa segnitie tardiores, qui numquam in perfectionem properamus, imò more torpedinum malis exemplis nostris alios à cursu retardamus, & in rebus vanis & perituris hæremus. Ille in videndo aquila efficacior, & omni sapientia sapientior, qui vnico intuitu vniuersa perlustrat: nos verò eius imagines oculis capti, quos amores innumerabilium vilium rerum dementant, & quasi albugo, commodorum huius sæculi affectus excæcant. Fugiat homo tantam ignominiam, & nobilissima creatura diuinæ similitudinis, id est, perfectionis desideria concipiat. Homo quippe non tantùm ad imaginem, sed ad similitudinem Dei factus est; vt quemadmodum ille, ait Ambrosius, est charitas, est bonus, & iustus, patiens, atque mitis, mundus, & misericors, sic & homo his omnibus virtutibus vestiatur, & dum illis caret, ardentibus earum desideriis inflammetur.

Amb. lib. de dig. cō ditionis hum. c. 2. — *D. Tho. 1. p. q. 14. art. 5.* — *Psal. 81.* — *Gen. 1.* — *Amb. supra.*

Vidimus quo pacto ipsa natura viri, id est, spiritus nos desideriis perfectionis, & virtutis admoneat, audiamus nunc quomodo natura mulieris, id est, carnis, à nobis eadem desideria deposcat. Nec istud mirum videatur, quia si ipsa imago, & gloria viri est, & ei in auxilium data, non est rationi contrarium, vt aliquo saltem sui nos ad amorem, & desiderium sanctitatis accendat. Carnem nunc corpus nostrum voco, quod ex carne, & ossibus, & neruis coagmentatum est, & figura rectum effectum, vt figura ipsa nostra, & facies in cœlum porrecta nos ad sublimes cogitationes, & affectus cœlestes instiget. Hoc enim corporis nostri figuram rectam postulare, nemo est qui nesciat, nullus penè est scriptor rerum diuinarum, qui non dicat: & Bernardus inter alios hac ferè oratione declarat. Quamquam & corporis staturam dedit homini Deus rectam, forsitan vt ipsa corporea exterioris viliorisque rectitudo figmenti, hominem interiorem illum, qui ad imaginem Dei factus est, spiritualis suæ seruandæ rectitudinis admoneret, & decor limi deformitatem argueret animi. Quid enim indecentius, quàm curuum recto corpore gerere animum? peruersa res est, & fœda, luteum vas, quod est corpus de terra, oculos habere sursum, cœlos liberè suspicere, cælorúmque luminaribus oblectare aspectus: spiritualem verò cœlestémque creaturam suos è contrario oculos, id est, internos sensus, atque affectus trahere in terram deorsum, & quæ debuit nutriri in croceis, hærere luto, tamquam vnam de suibus, amplexarique stercora. Erubesce anima mea (ait corpus) in mei consideratione. Creata similis creanti recta, me quoque accepisti adiutorium simile tibi, vtique secundùm lineamenta corporeæ rectitudinis. Quocumque te vertas, siue ad Deum sursum, siue ad me deorsum (nemo siquidem carnem suam vmquam odio habuit, vbique occurrit tibi species decoris tui, vbique pro statu tuæ dignitatis, habes de magisterio sapientiæ familiarem admonitionem. Me ergo meam (quam tui gratia accepi) retinente, & seruante prærogatiuam, tu quomodo non confunderis amisisse tuam? Cur suam in te conditor intuetur abolitam similitudinem, cùm tuam in me tibi conseruet, assiduéque repræsentet? Iam omne adiutorium, quod tibi ex me debebatur, vertisti tibi in confusionem: abuteris obsequio meo, indignè humanum corpus inhabitas brutus, & bestialis spiritus.] Hæc Bernardus. Quorum serie; & corpoream rectitudinem, nos ad mentis rectitudinem instigare conspicimus, & quàm ignominiosum sit in recto corpore, animam gestare terrenam, & desideriis sæcularibus curuam, non obscurè coniectamus. In quo si non naturam, at dignitatem mentis amittimus, quam, vt præsideret rebus corporeis, factam, turpiter obsequiis stercoris lutique subiicimus. Tranquillitatem quoque naturæ rationalis pessundamus, quia (vt est in Salomone) solummodo hoc inueni, quòd fecerit Deus hominem rectum, & ipse se infinitis miscuerit quæstionibus.] Quot enim

Bernard. serm. 24. in cant. — *Ephes. 5* — *Eccles. 7.*

enim desideria vana fouemus, tot laqueis, & perturbationibus impedimur, quæ nos fœdant, & internam mētis requiem eneruant. Illa profectò mulier, quæ habebat spiritum infirmitatis annis decem & octo; & erat inclinata, nec poterat omnino sursum respicere curuationem animæ, quæ terrenis inhæret] manifestè designat. Nam spiritus iste infirmitatis (quo nomine nescio, an scriptura alibi morbum corporalem vocauerit) qui fœminam inclinabat, terrenarum est cogitationum & desideriorum indicium. Quibus homo cœlestia non respicit, sed statuit oculos suos declinare in terram, & caducarum rerum amore vilescit. Quare Gregorius ait hunc eundem locum scripturæ tractans: Omnis peccator terrena cogitans, cœlestia non requirens, sursum respicere non valet: quia dum desideria inferiora sequitur, à mentis suæ rectitudine curuatur, & hoc semper videt, quod sine cessatione cogitat. Ad corda vestra fratres charissimi redite, quid hoc is omnibus in cogitationibus vestris voluatis, semper aspic ite. Alius de honoribus, alius de pecuniis, alius de prædiorum ambitu cogitat. Hæc omnia in imo sunt, & quando mens talibus implicatur, ab statu s sui rectitudine flectitur. Et quia ad cœleste desiderium non assurgit: quasi mulier inclinata sursum respicere nequaquam potest.] Infirma illa fœmina, & corpore curua, tanta incolumitatis cupiditate tenebatur, vt suæ carnis medicum quæreret; & nos mente ægroti, & spiritu curui, & vanis desideriis ad terram inclinati, cur medicum non quærimus? cur non ad eius pedes prouoluimur? cur non rogamus, ac postulamus, vt dicat nobis: Mulier, id est, mens miserabilis & infirma, dimissa es ab infirmitate tua.] Si ipse dixerit, proculdubio infirmitas non dimittet, & desideria terrena deserent; vnum verò perfectionis desiderium occupabit, quo mens nostra in corpore recto recta erit, & sicut corporeis luminibus, ita & spiritualibus oculis cœlum aspiciet.

Aliud autem est in corpore nostro, quod mentem ad desideria perfectionis inuitat. Nam si arborum nomine designamur, secundùm illud: Non potest arbor bona malos fructos facere, nec arbor mala bonos fructos facere:] vertex capillis opertus radicis figuram, corpus trunci, & pedes ac brachia ramorum rationem habent. Quare sicut ab animalibus corporis dispositione distinguimur, quòd illa terram, vt pabulo ventrísque deseruiant, nos verò cœlum, vt cœlestibus inhæreamus, aspicimus: ita etiam à plantis arboribúsque secernimur, quòd illæ deorsum radices agant, nos autem sursum radices mittamus, vt è cœlo succum, quo nobis viuendum est, si non naturaliter attrahamus, at orationibus & desideriis impetremus. Quare non insulsè philosophus ille, qui diuini nomen accepit; homini arboris inuersæ nuncupationem indidit, quòd, contra naturam arborum, non fixus in terra hæreat, sed caput cœlo proximum, & veluti ab eo enatum, versus terram insurgat. Si ergo radices arborum, vt placuit Gregorio, cogitationes, & desideria significent, quid est hominis formam radices sursum, & veluti in cœlo habere defixas, nisi animam admonere, vt cogitationes, ac desideria sua in res cœlestes abigat, & à terrenis caducisque diuellat? Ecce, ô homo, quo pacto omne quod in te est, ad desideria perfectionis mittit, & ad concupiscentiam virtutis impellit; & anima, ac corpus, atque ipsa corporis dispositio à te non amorem terrenorum, sed rerum supernarum desideria deposcunt. Tuæ itaque naturæ, tuæ figuræ, & loco, in quo satus, & plantatus es, sine vlla mora responde, vt sis arbor bona, quæ post bonorum desideriorum flores, etiam fructus bonorum operum feras. Atque vtinam nos, vt verbis Ambrosij vtar, fœcundarum vsum arborum possimus imitari, meritísque crescentibus, longæve humilitatis radice fundati, sublimes ab humo, decori ad speciem, adultos fructuosorum operum vertices erigamus, ne Euangelici securis agricolæ trunci radicem syluestris excidat. Væ enim mihi est, si non euangelizauero.] Sed vox ista Apostolica est. Væ mihi est, si non peccata defleuero. Væ mihi est, si non media nocte surrexero ad confitendum tibi. Væ mihi, si dolum proximo meo fecero. Væ, si locutus non fuero veritatem. Ad radicem securis est posita; faciat fructum, qui potest, gratiæ; qui debet, pœnitentiæ.] Sed ego eodem Scripturæ loco non iam timoris, sed amoris, & gratitudinis affectu me moueo. Iam securis ad radicem arboris posita est.] Iam verbum Dei (quod Hieronymus nomine securis intelligit) siue inspiratio diuina, radices mearum cogitationum & desideriorum pulsat, vt tandem me à mundo succidat, & ad optanda cœlestia suadeat. Iam nititur me à mundo diuellere, vt Christo per imitationem inserat, & fructus suaues, non veteris Adæ, à quo excisus sum, sed noui hominis Christi, cui sum insertus, tum communi omnium fidelium ratione per fidem, tum speciali per religiosam vocationem, tamquam ex feraci arbore colligat. Vt quid ancipiti gladio resisto? quare me excindi & euelli à rebus mundanis non sino? quare magis fructus mortis, quàm fructus vitæ ferre sustineo? Si hucusque obdurui, & rebus terrenis adhæsi, ne ab illis amore diuelleret; reliquum est, vt prudentior factus emolliar, & ab eorum brachiis aufugiam, vt possim veram virtutem concupiscere. Hæc enim concupiscentia est origo omnium bonorum: quia scriptum est: Concupiscentia sapientiæ deducit ad regnum perpetuum.] Et alio loco: Desiderium iustorum omne bonum.] Nullum autem malum erit iis, qui omne bonum assequuntur: & nullum ex desiderabilibus bonis regno perpetuo iustis parato deficiet.

Sed illud deinde in cor nostrum perfectionis desiderium inuehat, quòd hæc margarita pulchra, atque pretiosa, desideriis, gemitibus, & lacrymis eius causa profusis acquiritur. Ideo legimus in Prouerbiis: Quod timet impius, veniet super eum: desiderium suum iustis dabitur.] Sæpe enim Dominus peccatores malorum timore conturbat, vt saltem tamquam mancipia, quæ solùm timere nouerunt, mali imminentis metu ab iniquitate se subtrahant. Si verò nullo modo voci Dei eos terrentis obediunt, mala pœnæ sentiunt, quæ culpæ merentur, & quæ vitæ emendatione vitare debuerant. At iustos viros, qui iam peccatis, & vitiis renunciarunt, desiderio virtutis accendit, vt quam mentis puritatem optauerant, post ardentia desideria Domini liberalitate percipiant. Fatentur quidem illi hoc verum esse, & quia quod concupiuerant, datum est eis, cùm aiunt: Optaui, & datus est mihi sensus: & inuocaui, & venit in me spiritus sapientiæ.] Nam sensus est cognitio efficax, qua vitiorum fœditatem, & virtutum decorem agnoscunt: & spiritus sapientiæ est, quo virtutis suauitatem, cordis seu mentis palato prægustant. Hanc verò desiderium attulit, quoniam Dominus non in malum, sicut filiis Israel carnes poscentibus, sed in bonum sicut bona desiderantibus, desiderium eorum attulit eis, non sunt fraudati à desiderio suo.] Quanti verò referat desiderium istud perfectionis ad eam obtinendam, atque ad

Marginalia: Luc. 13. — Gregor. hom. 31. in Euang. — Luc. 13. — Matth. 7. — Plato. — Greg. 3. mor. ca. 35. — Ambros. lib. 2. in Lucam ad c. 3. — 1. Cor. 9. — Matth. 3. Hieron. lib. 1. in Matth. ad cap. 3. — Sap. 6. Prou. 11. — Prou. 10 — Sap. 7. — Psal. 77.

Iustin. l. de disc. & perf. monast. con.c.vlt. perpetuam vitam assequendam Laurentius Iustinianus non tacuit: Quicumque, ait, illius supernæ vitæ deliciis, diuitiis, honoribúsque abundare desiderat, donec in carne viuit, quamdiu operari licet, virtutum semina spargere non desistat, vt meritorum manipulos in horreis cœlestibus valeat aggregare. Semper proficere studeat: qualiter in via Dei crescere possit, assiduè meditetur. Et numquam eradicari de se permittat perfectionis desiderium: quin potiùs quantumcumque profecerit, quamuis plurimis virtutibus locupletatus extiterit, continuè cum *Philip. 3.* Apostolo dicat: Ego me non arbitror comprehendisse.] Atque ex his æstuantis amoris prouocatus stimulis semper maiora appetat dona, & meliora spiritus charismata concupiscat.] Desideria itaque magni momenti sunt ad perfectionem assequendam: ex quo misera oscitantia non cupientium eam manifestè colligitur. Quis enim sæcularis si desideriis opes acquireret, si peritionibus honores obtineret, si concupiscentia voluptates emeret, non peteret, non desideraret, non concupisceret? At quisque nostrum desideriis perfectionis eximiam dignitatem obtinet, & hoc maximum bonum omnia animæ bona comprehendens assequitur; quia Dominus postulantes audit, cupientes implet, nam *Luc. 1.* esurientes impleuit bonis,] & gementium miseretur. Quare ergo non perfectionem cupiemus, quare non obnixè postulabimus, vt tam facili remedio tantum bonum possideamus? Si verò nobis difficilis est gemitus, & ardua, aut onerosa postulatio, quia adeo socordiæ morbo succumbimus, vt non sit penè vox, neque sensus, neque aliquid dicere, nec dum clamare possimus, at saltem desideremus; quia coram Domino desideriū, vocis & clamoris vicem *Basil. in Ps. 144.* supplet. An non audis, inquit Basilius, quemadmodum Moses nihil loquens, sed Dominum interpel- *Exod. 14.* lans, suspiriis nulla voce expressis; ex ipso audiuerit dicente: Quid clamas ad me?] Nouit item Deus sanguinem audire iustorum, cui nec lingua adsit, nec vox aërem penetrans.] Sicut itaque Mosis desideria; ita & capientium vitæ puritatem desideria exaudiet, & apud illū non minùs desiderium viuum & efficax, quàm sanguis vita carens, & in terram effusus clamabit. Hic enim ideo clamat, quia desiderium animæ vltionem postulantis vociferatur. Ergo ipsum desiderium est vox, quæ aures Dei pulsat, & cor eius benignissimum ad dandum sollicitat.

Si autem post multa perfectionis desideria, post assiduas orationes, & gemitus, ad perfectionis amplexum venire nequiuimus, non deponamus animum, nec de Deo diffidamus, nec ab orationibus, & desideriis cessemus, quia quod hactenus negatum est nobis, aliquando dabitur, & in desiderio, ac oratione persistentibus concedetur. Profectò etiam si in hac vita numquam ad concupitam mentis sanctitatem ascendamus, at desideria nostra non erunt inania, nec inutilia; quoniam à conspectu eius, qui desideria nouit persoluere, & magnis præmiis cumulare, nullo modo sine mercede discedent. Et quomodo sine præmio discedent, quæ bona sunt, quæ à diuina gratia profecta, quæ, si ampliùs non possumus, pro ipso opere reputantur, & operis mercede non carent? Sciebat hoc Daniel, qui à Ierosolyma Babylonem in captiuitatem abductus, orationes suas, & gemitus, & suspiria, quæ offerre pote- *Dan. 3.* rat, pro sacrificiis, & holocaustis, quæ offerre non poterat, acceptari confidenter efflagitat. Non est, ait, Domine in tempore hoc princeps, & dux, & propheta, neque holocaustum, neque sacrificium, neque oblatio, neque incensum, neque locus primitiarum coram te, vt possimus inuenire misericordiam tuam: sed in animo contrito, & spiritu humilitatis suscipiamur. Sicut in holocausto arietum, & taurorum, & sicut in millibus agnorum pinguium: sic fiat sacrificium nostrum in conspectu tuo hodie, vt placeat tibi: quoniam non est confusio confidentibus in te.] Quid est: Sic fiat sacrificium nostrum? nisi quia non adest nobis facultas sacrificia litandi, oratio ac desiderium nostrum pro sacrificiis & holocaustis admittantur. Sciebat hoc Dauid, qui & ipse à sancta ciuitate, & à loco sacrificiorum exulans orat, & dicit: Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspe- *Ps. 140.* ctu tuo, eleuatio manuum mearum sacrificium vespertinum.] Ac si dixisset, tu Domine, qui cordium es inspector, & acceptor, & desideria pro operibus recipis, quando abest facultas operandi, has orationes, & hæc desideria mea in locum suffitus incensi, ac sacrificiorum admitte, quæ tibi, si possibilitas adesset, magna cordis deuotione litassem. Et quid *1. Reg. 30.* aliud sibi vult illa eiusdem regis sententia pro inuiolabili lege in regno Israelis deinceps admissa: æqua pars erit descendentis ad prælium, & remanentis ad sarcinas, & similiter diuident,] nisi virtutem bonæ voluntatis propalare? Qui enim voluerunt cum hostibus dimicare, & iussione principis prohibiti sunt, ne sarcinæ absque custodia manerent, desideria pro pugna, & periculo, & vulneribus offerentes, spoliorum partem non amittent. Equidem scio desideria mala pro iniquis operibus haberi; & admittentes ea, tamquam reos operis iniqui damnari: dicente Domino: Ego autem dico vobis, *Matth. 5.* quia omnis, qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est eam in corde suo.] Si hoc ita est, quare desideria bona non pro operibus bonis ille reputabit, qui licèt iustus sit ad puniendum, largior tamen & profusior est ad præmiandum? Cupiamus itaque virtutes omnes, cupiamus mentis nostræ puritatem, desideremus charitatis perfectionem, quæ nobis omnino imperet, quæ affectus nostros perfectè domet, sensus comprimat, & in omnibus, quæ acciderint, diuinæ voluntati subiiciat: atque ex his desideriis, quicquid diuina gratia adiuuante, facere potuerimus, diligenter faciamus, quia hæc efficacia desideria vicem operum gerent, & quod impossibilitas operationis ademerit, bona voluntas ardens desideriis impertiet. Hæc est, quæ mirum in modum ad augmentum virtutis proficit, qua homo spiritualis effectus, quo magis desideria auget, ampliùs & celeriùs ascendit. Vnde Hugo ait *Hugo lib. 3. de arca morali c. 7.* de eo, qui post consumptionem peccati ad contemplationem subleuatur. Conatur, festinat, ascendit, crescit per desiderium. Et quemadmodum virgula fumi quanto magis sursum tollitur, tanto ampliùs extenuatur: ita cœlestibus appropinquans, & omnem terrenæ concupiscentiæ nebulam euaporans, totus spiritualis efficitur.] Concipiamus iam perfectionis desideria, & omnium terrenorum concupiscentiam teiiciamus, vt & mens nostra suo sit creatori similis, & non indignè corpus pulchrum, & in cœlum erectum inhabitet. Radices spirituales nostræ è cælo vnde viuunt, inde humorem ad viuendum, & crescendum exsugant. Desideria enim pro facultate nobis sunt data, quibus vitam perfectam attrahamus, & à benignitate conditoris impetremus: Qui desideriorum vocibus excitatur, vt sæuum mare affectuum humanorum compescat, & periclitantes primùm in miram quamdam tranquillitatem, & postmodum in portum perfectionis adducat.

Hoc

Hoc perfectionis desiderium magnum esse debere.

CAPVT IIII.

A Res magnæ, & obtentu difficiles, quæ non communi labore, nec ordinaria diligentia, sed insolita industria & eximius conatibus, acquiruntur, ardentissimis desideriis optandæ sunt, quæ homines rerum optimarum cupidos, in laborum tolerantia confirment, & difficultates, adeptioni eius, quod cupiunt obsistentes, euincant. Nam tepida & infirma desideria, quælibet insurgens difficultas extinguit, & mentem non ardenter cupientem quodquis obstaculum, quasi hostis fortior, robustiúsque prosternit. B Quod sponsa aliquando non tam amore, quàm tepore languens, est non sine detrimento purissimæ voluptatis experta, quæ ab sponso ad solitas delicias euocata, ne ad eum excipiendum assurgeret, nescio quam indumenti, & munditiæ difficultatem obtendit. Expoliaui me tunica mea, dixit, quomodo induar illa? laui pedes meos, quomodo inquinabo illos.] Tunc fortè pigritia languebat, quæ tam facili difficultate superata, sponso aditum denegauit, vt ille quasi rubore suffusus declinaret atque transiret, & non sine ipsius sponsæ opprobriis, atque vulneribus pateretur se iterum inueniri. Cùm ergo perfectio animæ res magna sit, & summis difficultatibus inuoluta, robustísque hostibus cincta, quæ iter ad eam obtinendam impediunt; C magnis & inenarrabilibus desideriis optanda est, quæ nos faciant intrepidè hostes adoriri, & omnia impedimenta se opponentia superare. Talia sint oportet, quæ nos dormitantes excitent, oblitos ad memoriam reuocent, & in alia distractos colligant, & ad solam perfectionem quærendam quotidie magis, magísque sollicitent. Talia certè, quæ in alia re, quàm in virtutis officiis, nos requiem inuenire non sinant, quæ nos singulis momentis ignauiæ reprehendant, quæ ad sanctam quamdam impatientiam adigant, quia Deum diligentiùs non quærimus, & post sponsum velociùs non currimus, & quia nec dum illum perfecti amoris brachiis astrictum, ligatúmque tenemus. D Talia denique sint ista desideria, quæ ad feruentissimas postulationes moueant, quæ ad largam profusionem lacrymarum prouocent, & quæ ex imo pectore suspiria, gemitus & singultus eliciant. Perfectioni namque optimè congruit illud sancti Iob: Antequam comedam, suspiro, & quasi inundantes aquæ, sic rugitus meus:] quia perfectio talis, naturæ cibus est, vt lacrymis sit emendus, & gemitibus, atque suspiriis comparandus. Nisi enim anima suspiret, non comedit, inquit Gregorius, quia qui se in hoc sæculo per desideriorum cœlestium lamenta non humiliat, æternæ patriæ gaudia non degustat. A veritatis enim pabulo ieiuni sunt, qui in hac peregrinationis inopia lætantur. Suspirat autem, qui comedit, quia quos veritatis amor afficit, etiam refectio contemplationis pascit. E Suspirans propheta comedebat, cùm diceret: Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes.] Luctu enim suo anima pascitur, cùm ad superna gaudia flendo sublleuatur: & intus quidem doloris sui gemitum tolerat, sed eo refectionis pabulum percipit, quo vis amoris per lacrymas emanat.] Hæc desideria non tepida, & infima, sed ardentia, atque robusta, quæ difficultates superent, quæ animam lacrymis, gemitibúsque conficiant, solent diuinum pectus expugnare, & eam ad perfectionis fastigium subuehere. In cuius signum Elias, vt in ostio speluncæ Dominum transeuntem aspiceret, operuit vultum suum pallio, & vt oculos mentis aperiret, oculos corporis clausit, & operimento contexit. Quidnam est hoc? Profectò, quòd illi Dominus se benignus ostendit, & sanctitatis dono illum afficit, qui per mundi contemptum oculos suos rebus visibilibus claudit, & se intra seipsum colligit, vt Dei amori & desideriis intendat. Nec loquendi modus te prætereat, quia idem est Deum ardenter desiderare, ac desideriis magnis perfectionis insistere. Nam Deus est vera nostra perfectio, quem, cùm per charitatem perfectam possidemus, & per vitæ integritatem imitamur, tunc sancti, & perfecti sumus.

Cant. 5. *Iob. 3.* *Greg. 5. mor. c. 4.* *Psal. 41.* *3. Reg. 19.*

B Dominus quidem, vt nos ad perfectionem subuehat, hæc magna, & insatiabilia desideria nostra, non ex nobis solis sed præcipuè ex sua gratia profecta patienter expectat. Ideòque non tam perfectionis, & puritatis desiderium, quàm ingentem famem, & inextinguibilem sitim ab eam assequuturis exposcit. Beati, inquit, qui esuriunt, & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur.] Iustitia enim hoc loco non specialem virtutem, quæ reddit vnicuique, quod suum est, sed omnem virtutem, & omnem perfectionem significat. Quæ optimè iustitiæ nuncupatione insignitur; quoniam si benè eius natura intelligitur, semper iustitiæ operibus occupatur. C Nam & Deo, & proximis, & sibi ipsi vir perfectus debitum tribuit, dum Deo amorem, & cultum, & proximis subsidium in eo quod potest, & bonum exemplnm, & sibi ipsi nunc panem, id est, quæ corpori necessaria sunt; nunc flagellum, hoc est, corporis afflictionem debitam reddit. Hac verò iustitia illi saturantur, qui non vtcumque illam cupiunt, sed fame & siti, scilicet magno & ardenti desiderio appetunt. Sic enim decet nos implere omnem iustitiam, vt primùm eam desideriis ardentissimis exoptemus, & postea diligentissimis & purissimis operibus impleamus. Quòd autem Dominus sub nomine famis, & sitis hæc insaciabilia desideria requirat, vt animas nostras aliquando suauissimo cibo iustitiæ, id est, perfectionis exaciet, docet in eundem locum Hieronymus, cuius hæc D est interpretatio. Non nobis sufficit velle iustitiam, nisi iustitiæ patiamur famem: vt sub hoc exemplo numquam nos satis iustos, sed semper esurire iustitiæ opera intelligamus.] Huius sanctissimi doctoris sententiam Simon de Cassia, & ipse doctor pius, & in diuinis literis eruditus, & Spiritus sancti donis satis illuminatus, latiùs exposuit, dicens: Sed quid est esurire, & sitire iustitiam, nisi se insatiatum, & insatiabilem reddere ad omne, quod paratur ad regnum: ad corrigendum omne perperam factum: ad vindicandum in seipso delictum, & puniendum amarè peccatum: ad rependendum pro gratia; ad debita persoluenda; ad custodiendum immaculatè deposita, & ad perficiendum sine contradictione iniuncta, & sine simulatione consulta, & ad patienter E portandum quæcumque nostræ sensualitati contraria, nec non & semper tenere indesidenter moderamina vitæ, ac si quæ interminata tormenta, & mortem intentatam promptè potiùs suscipere, quàm ipsam iustitiam intermittere?] Huic fami, & siti, id est, huic ardentissimo iustitiæ desiderio facietas iustitiæ promissa est, & suam promissionem Deus implet, quia his desideriis ardentibus animam, ad perfectionem vocatam ad laborandum pro perfectione mouet, & post labores in thalamum puritatis admittit. Quis

Matth. 5. *Hierony. lib. 1. in Matt. ad cap. 5.* *Cassia. li. 10. c. 7.*

Instit. l. de disc. & perf. monast. con. c. vlt. perpetuam vitam assequendam Laurentius Iustinianus non tacuit: Quicumque, ait, illius supernæ vitæ deliciis, diuitiis, honoribúsque abundare desiderat, donec in carne viuit, quamdiu operari licet, virtutum semina spargere non desistat, vt meritorum manipulos in horreis cœlestibus valeat aggregare. Semper proficere studeat: qualiter in via Dei crescere possit, assiduè meditetur. Et numquam eradicari de se permittat perfectionis desiderium: quin potiùs quantumcumque profecerit, quamuis plurimis virtutibus locupletatus extiterit, continuè cum Apostolo dicat: Ego me non arbitror comprehendisse.] *Philip. 3.* Atque ex his æstuantis amoris prouocatus stimulis semper maiora appetat dona, & meliora spiritus charismata concupiscat.] Desideria itaque magni momenti sunt ad perfectionem assequendam: ex quo misera oscitantia non cupientium eam manifestè colligitur. Quis enim sæcularis si desideriis opes acquireret, si petitionibus honores obtineret, si concupiscentia voluptates emeret, non peteret, non desideraret, non concupisceret? At quisque nostrum desideriis perfectionis eximiam dignitatem obtinet, & hoc maximum bonum omnia animæ bona comprehendens assequitur; quia Dominus postulantes audit, cupientes implet, nam esurientes impleuit bonis,] *Luc. 1.* & gementium miseretur. Quare ergo non perfectionem cupiemus, quare non obnixè postulabimus, vt tam facili remedio tantum bonum possideamus? Si verò nobis difficilis est gemitus, & ardua, aut onerosa postulatio, quia adeo socordiæ morbo succumbimus, vt non sit penè vox, neque sensus, neque aliquid dicere, nec dum clamare possimus, at saltem desideremus; quia coram Domino desideriũ, vocis & clamoris vicem suppleт. *Basil. in Ps. 144.* An non audis, inquit Basilius, quemadmodum Moses nihil loquens, sed Dominum interpellans, suspiriis nulla voce expressis; ex ipso audiuerit dicente: *Exod. 14.* Quid clamas ad me?] Nouit item Deus sanguinem audire iustorum, cui nec lingua adsit, nec vox aërem penetrans.] Sicut itaque Mosis desideria; ita & capientium vitæ puritatem desideria exaudiet, & apud illũ non minùs desiderium viuum & efficax, quàm sanguis vita carens, & in terram effusus clamabit. Hic enim ideo clamat, quia desiderium animæ vltionem postulantis vociferatur. Ergo ipsum desiderium est vox, quæ aures Dei pulsat, & cor eius benignissimum ad dandum sollicitat.

Si autem post multa perfectionis desideria, post assiduas orationes, & gemitus, ad perfectionis amplexum venire nequiuimus, non deponamus animum, nec de Deo diffidamus, nec ab orationibus, & desideriis cessemus, quia quod hactenus negatum est nobis, aliquando dabitur, & in desiderio, ac oratione persistentibus concedetur. Profectò etiam si in hac vita numquam ad concupitam mentis sanctitatem ascendamus, at desideria nostra non erunt inania, nec inutilia; quoniam à conspectu eius, qui desideria nouit persoluere, & magnis præmiis cumulare, nullo modo sine mercede discedent. Et quomodo sine præmio discedent, quæ bona sunt, quæ à diuina gratia profecta, quæ, si ampliùs non possumus, pro ipso opere reputantur, & operis mercede non carent? Sciebat hoc Daniel, qui à Ierosolyma Babylonem in captiuitatem abductus, orationes suas, & gemitus, & suspiria, quæ offerre poterat, pro sacrificiis, & holocaustis, quæ offerre non poterat, acceptari confidenter efflagitat. *Dan. 3.* Non est, ait, Domine in tempore hoc princeps, & dux, & propheta, neque holocaustum, neque sacrificium, neque oblatio, neque incensum, neque locus primitiarum

A coram te, vt possumus inuenire misericordiam tuam: sed in animo contrito, & spiritu humilitatis suscipiamur. Sicut in holocausto arietum, & taurorum, & sicut in millibus agnorum pinguium: sic fiat sacrificium nostrum in conspectu tuo hodie, vt placeat tibi: quoniam non est confusio confidentibus in te.] Quid est: Sic fiat sacrificium nostrum? nisi quia non adest nobis facultas sacrificia litandi, oratio ac desiderium nostrum pro sacrificiis & holocaustis admittantur. Sciebat hoc Dauid, qui & ipse à sancta ciuitate, & à loco sacrificiorum exulans orat, & dicit: Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo, eleuatio manuum mearum sacrificium vespertinum.] *Ps. 140.* Ac si dixisset, tu Domine, qui cordium es inspector, & acceptor, & desideria pro operibus

B recipis, quando abest facultas operandi, has orationes, & hæc desideria mea in locum suffitus incensi, ac sacrificiorum admitte, quæ tibi, si possibilitas adesset, magna cordis deuotione litassem. Et quid aliud sibi vult illa eiusdem regis sententia pro inuiolabili lege in regno Israelis deinceps admissa: *1. Reg. 30.* æqua pars erit descendentis ad prælium, & remanentis ad sarcinas, & similiter diuident,] nisi virtutem bonæ voluntatis propalare? Qui enim voluerunt cum hostibus dimicare, & iussione principis prohibiti sunt, ne sarcinæ absque custodia manerent, desideria pro pugna, & periculo, & vulneribus offerentes, spoliorum partem non amittent. Equidem scio desideria mala pro iniquis operibus haberi; & admittentes ea, tamquam reos operis iniqui

C damnari: dicente Domino: Ego autem dico vobis, quia omnis, qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est eam in corde suo.] *Matth. 5.* Si hoc ita est, quare desideria bona non pro operibus bonis ille reputabit, qui licèt iustus sit ad puniendum, largior tamen & profusior est ad præmiandum? Cupiamus itaque virtutes omnes, cupiamus mentis nostræ puritatem, desideremus charitatis perfectionem; quæ nobis omnino imperet, quæ affectus nostros perfectè domet, sensus comprimat, & in omnibus, quæ acciderint, diuinæ voluntati subiiciat: atque ex his desideriis, quicquid diuina gratia adiuuante, facere potuerimus, diligenter faciamus, quia hæc efficacia desideria vicem operum gerent,

D & quod impossibilitas operationis ademerit, bona voluntas ardens desideriis impertiet. Hæc est, quæ mirum in modum ad augmentum virtutis proficit, qua homo spiritualis effectus, quo magis desideria auget, ampliùs & celeriùs ascendit. Vnde Hugo ait de eo, qui post consumptionem peccati ad contemplationem subleuatur. *Hugo lib. 3. de arca morali c. 7.* Conatur, festinat, ascendit, crescit per desiderium. Et quemadmodum virgula fumi quanto magis sursum tollitur, tanto ampliùs extenuatur: ita cœlestibus appropinquans, & omnem terrenæ concupiscentiæ nebulam euaporans, totus spiritualis efficitur.] Concipiamus iam perfectionis desideria, & omnium terrenorum concupiscentiam reiiciamus, vt & mens nostra suo sit creatori similis,

E & non indignè corpus pulchrum, & in cœlum erectum inhabitet. Radices spirituales nostræ è cælo vnde viuunt, inde humorem ad viuendum, & crescendum exsugant. Desideria enim pro facultate nobis sunt data, quibus vitam perfectam attrahamus, & à benignitate conditoris impetremus: Qui desideriorum vocibus excitatur, vt sæuum mare affectuum humanorum compescat, & periclitantes primùm in miram quamdam tranquillitatem, & postmodum in portum perfectionis adducat.

Hoc perfectionis desiderium magnum esse debere.

CAPVT IIII.

Res magnæ, & obtentu difficiles, quæ non communi labore, nec ordinaria diligentia, sed insolita industria & eximiis conatibus, acquiruntur, ardentissimis desideriis optandæ sunt, quæ homines rerum optimarum cupidos, in laborum tolerantia confirment, & difficultates, adeptioni eius, quod cupiunt obsistentes, euincant. Nam tepida & infirma desideria, quælibet insurgens difficultas extinguit, & mentem non ardenter cupientem quoduis obstaculum, quasi hostis fortior, robustiírque prosternit. Quod sponsa aliquando non tam amore, quàm tepore languens, est non sine detrimento purissimæ voluptatis experta, quæ ab sponso ad solitas delicias euocata, ne ad eum excipiendum assurgeret, nescio quam indumenti, & munditiæ difficultatem obtendit. Expoliaui me tunica mea, dixit, quomodo induar illa? laui pedes meos, quomodo inquinabo illos.] Tunc fortè pigritia languebat, quæ tam facili difficultate superata, sponso aditum denegauit, vt ille quasi rubore suffusus declinaret atque transiret, & non sine ipsius sponsæ opprobriis, atque vulneribus pateretur se iterum inueniri. Cùm ergo perfectio animæ res magna sit, & summis difficultatibus inuoluta, robustísque hostibus cincta, quæ iter ad eam obtinendam impediunt; magnis & inenarrabilibus desideriis optanda est, quæ nos faciant intrepidè hostes adoriri, & omnia impedimenta se opponentia superare. Talia sint oportet, quæ nos dormitantes exeitent, oblitos ad memoriam reuocent, & in alia distractos colligant, & ad solam perfectionem quærendam quotidie magis, magísque sollicitent. Talia certè, quæ in alia re, quàm in virtutis officiis, nos requiem inuenire non sinant, quæ nos singulis momentis ignauiæ reprehendant, quæ ad sanctam quamdam impatientiam adigant, quia Deum diligentiùs non quærimus, & post sponsum velociùs non currimus, & quia nec dum illum perfecti amoris brachiis astrictum, ligatúmque tenemus. Talia denique sint ista desideria, quæ ad feruentissimas postulationes moueant, quæ ad largam profusionem lacrymarum prouocent, & quæ ex imo pectore suspiria, gemitus & singultus eliciant. Perfectioni namque optimè congruit illud sancti Iob: Antequam comedam, suspiro, & quasi inundantes aquæ, sic rugitus meus:] quia perfectio talis, naturæ cibus est, vt lacrymis sit emendus, & gemitibus, atque suspiriis comparandus. Nisi enim anima suspiret, non comedit, inquit Gregorius, quia qui se in hoc sæculo per desideriorum cœlestium lamenta non humiliat, æternæ patriæ gaudia non degustat. A veritatis enim pabulo ieiuni sunt, qui in hac peregrinationis inopia lætantur. Suspirat autem, qui comedit, quia quos veritatis amor afficit, etiam refectio contemplationis pascit. Suspirans propheta comedebat, cùm diceret: Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes.] Luctu enim suo anima pascitur, cùm ad superna gaudia flendo subleuatur: & intus quidem doloris sui gemitum tolerat, sed eo refectionis pabulum percipit, quo vis amoris per lacrymas emanat.] Hæc desideria non tepida, & infirma, sed ardentia, atque robusta, quæ difficultates superent, quæ animam lacrymis, gemitibúsque conficiant, solent diuinum pectus expugnare, & eam ad perfectionis fastigium subuehere. In cuius signum Elias, vt in ostio speluncæ Dominum transeuntem aspiceret, operuit vultum suum pallio, & vt oculos mentis aperiret, oculos corporis clausit, & operimento contexit. Quidnam est hoc? Profectò, quòd illi Dominus se benignus ostendit, & sanctitatis dono illum afficit, qui per mundi contemptum oculos suos rebus visibilibus claudit, & se intra seipsum colligit, vt Dei amori & desideriis intendat. Nec loquendi modus te prætereat, quia idem est Deum ardenter desiderare, ac desideriis magnis perfectionis insistere. Nam Deus est vera nostra perfectio, quem, cùm per charitatem perfectam possidemus, & per vitæ integritatem imitamur, tunc sancti, & perfecti sumus.

Cant. 5. — Iob. 3. — Greg. 5. mor. c. 4. — Psal. 41. — 3. Reg. 19.

Dominus quidem, vt nos ad perfectionem subuehat, hæc magna, & insatiabilia desideria nostra, non ex nobis solis sed præcipuè ex sua gratia profecta patienter expectat. Ideóque non tam perfectionis, & puritatis desiderium, quàm ingentem famem, & inextinguibilem sitim ab eam assequuturis exposcit. Beati, inquit, qui esuriunt, & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur.] Iustitia enim hoc loco non specialem virtutem, quæ reddit vnicuique, quod suum est, sed omnem virtutem, & omnem perfectionem significat. Quæ optimè iustitiæ nuncupatione insignitur; quoniam si benè eius natura intelligitur, semper iustitiæ operibus occupatur. Nam & Deo, & proximis, & sibi ipsi vir perfectus debitum tribuit, dum Deo amorem, & cultum, & proximis subsidium in eo quod potest, & bonum exemplnm, & sibi ipsi nunc panem, id est, quæ corpori necessaria sunt; nunc flagellum, hoc est, corporis afflictionem debitam reddit. Hac verò iustitia illi saturantur, qui non vtcumque illam cupiunt, sed fame & siti, scilicet magno & ardenti desiderio appetunt. Sic enim decet nos implere omnem iustitiam, vt primùm eam desideriis ardentissimis exoptemus, & postea diligentissimis & purissimis operibus impleamus. Quòd autem Dominus sub nomine famis, & sitis hæc insaciabilia desideria requirat, vt animas nostras aliquando suauissimo cibo iustitiæ, id est, perfectionis exacier, docet in eundem locum Hieronymus, cuius hæc est interpretatio. Non nobis sufficit velle iustitiam, nisi iustitiæ patiamur famem: vt sub hoc exemplo numquam nos satis iustos, sed semper esurire iustitiæ opera intelligamus.] Huius sanctissimi doctoris sententiam Simon de Cassia, & ipse doctor pius, & in diuinis literis eruditus, & Spiritus sancti donis satis illuminatus, latiùs exposuit, dicens: Sed quid est esurire, & sitire iustitiam, nisi se insatiatum, & insatiabilem reddere ad omne, quod paratur ad regnum: ad corrigendum omne perperam factum: ad vindicandum in seipso delictum, & puniendum amarè peccatum: ad rependendum pro gratia; ad debita persoluenda; ad custodiendum immaculatè deposita, & ad perficiendum sine contradictione iniuncta, & sine simulatione consulta, & ad patienter portandum quæcumque nostræ sensualitati contraria, nec non & semper tenere indesidenter moderamina vitæ, ac si quæ interminata tormenta, & mortem intentatam promptè potiùs suscipere, quàm ipsam iustitiam intermittere?] Huic fami, & siti, id est, huic ardentissimo iustitiæ desiderio facietas iustitiæ promissa est, & suam promissionem Deus implet, quia his desideriis ardentibus animam, ad perfectionem vocatam ad laborandum pro perfectione mouet, & post labores in thalamum puritatis admittit. Quis

Matth. 5. — Hieronу. lib. 1. in Matt. ad cap. 5. — Cassia. li. 10. c. 7.

sanctam

sanctum Patriarcham Iacob impulit, vt tam sollicitè laboraret, & septem annis pro Rachele seruiret? Nónne ingens desiderium: quo pulchram virginem & sanctitatis imaginem deperibat? Denique seruiuit Iacob pro Rachel septem annis, & videbantur illi pauci dies præ amoris magnitudine.] (Gen. 29.) Idem ergo desiderium nos ad laborandum pro sanctitate, & seruiendũ incitabit, & quicquid pro ea consequenda passi fuerimus, parum; quidquid boni fecerimus, parum; quidquid pro ea reliquerimus, satis parum & momentaneum afficiet. Nam si ardens desiderium mundialis substantiæ mercatorum ad laborandum exacuit, & desiderium inanis & periturae gloriæ militem ad bellum accendit, quid non exacuat, & accendat nos ardens desiderium perfectionis, in qua & veras diuitias, & puras delicias, & solidam gloriam, numquámque perituram reperimus? (Bernard. serm. 1. omni Sanct.) Qui esurit ergo, vt Bernar. ait, esuriat ampliùs, & qui desiderat abundantiùs adhuc desideret; (B) quoniam quãtumcumque desiderare poterit, tantum est accepturus. Imò verò non secundùm imperfectionem, modúmve desiderij, quoniam donec perfectè habeat, perfectè desiderare non potest: sed nec & perfectè habere, donec perfectè desideret: sed mensuram accepturus est bonam, & confertam, & coagitatam, & superfluentem.] Vide quo pacto Dominus non tantùm desideriis ad laborandum pro possessione perfectionis inuitat, sed etiam post ardentia desideria, post famem, & sitim, ipsum cibum & potum perfectionis subministrat, & (quod magis est) pro desiderij mensura communicat. Sicut enim in rerum natura nihil est vacuum, sed pro capacitate loci, Deus illum aut aëre, aut alio corpore replet: ita pro capacitate animæ, eam ipse Dominus augmento virtutis, & perfectionis implet. (C) Capacitas autem animæ non est aliqua extremitatum corporalium vacuitas, quæ possit quodpiam corpus continere, sed fames, & sitis, desideriúmque iustitiæ. Accendatur istud desiderium, & quantum nobis fuerit possibile dilatetur, quia tantundem aut in principio, aut in medio, aut in fine vitæ recipiet. (Psal. 106.) Promissio enim est Dauidis, quam non ex suo corde, sed ex Domini voluntate fecit: Quia ipse Dominus satiauit animam inanem, & animam esurientem satiauit bonis. Non tamẽ animam satiaret, si perfectionis fames ipsam perfectionis mensuram acceptam excederet. Sacietas enim non solùm habet hominem sustentare, sed omnem etiam famem depellere. Fames verò & desiderium sanctitatis omnino non pellitur, si parum (D) sanctitatis nobis conceditur, & ampliùs desideratur.

Hinc liquet quàm feruidis desideriis perfectio exoptanda est, quæ omnia alia rerum humanarum desideria, post se relinquant, imò ex corde viri spiritualis expellant. Nam iustitiæ perfectionísque satietas non tepidis desideriis, quæ etiam sæculares sanctorum vitas legentes, aut audientes solent concipere, sed fami, & siti, id est, ardenti & efficaci desiderio promittitur. Quale autem est hoc desiderium, aut quomodo poterimus illud intelligere, vt illud possimus quæritare? Tale profectò, quod nos faciat flere, & pro assequutione perfectionis suspirare, & gemere, & in magna contritione cordis ani- (E) mam nostram amore perfectionis exhaustam, in conspectu diuinæ maiestatis effundere. Ad quod nos hortatur Dauid, dicens: (Psal. 61.) Sperate in eo omnis congregatio populi: effundite coram illo corda vestra; Deus adiutor noster in æternum.] Nam & ex spe misericordiæ diuinæ debent desideria perfectionis oriri quæ non faciant corda nostra in con- (A) spectu conditoris effundere, vt eum tandem adiutorem, ad gemmam concupitam assequendam experiamur, & tanti boni possessione lætemur. Tam ardens sit hoc desiderium, quod nos incitet, vt mediaad assequendam perfectionem ponamus, & sollicitè bonis operibus insudemus. Quæ tamen opera numquam nos satient, sed quò maiora fuerint, eò maiorem sitim perfectionis exsuscitent. Audiamus vnum sanctitatis desiderio æstuantem, & semper pro ea laborantem, & post multos labores, & magnum profectum acquisitum, semper adhuc cupientem. (Bernard. serm. 9. in Cant.) Hic verò sit Bernardus ad eximiam sanctitatem euocatus, & in magistrum sanctitatis assumptus. En, ait, gratia Domini multis iam annis castè sobriéque viuere curo, lectioni insisto, resisto vitiis, orationi incumbo frequenter. Vigilo contra tentationes, recogito annos meos in amaritudine (B) animæ meæ. Sine querela me arbitror, quantùm in me est, conuersari inter fratres: superioribus potestatibus subditus sum, egrediens & egrediens ad imperium senioris. Aliena non cupio, mea potiùs, & me pariter dedi. In sudore vultus mei comedo panem meum. Sed vt holocaustum meum pingue fiat, osculetur me osculo oris sui.] (Cant. 1.) Desiderium his Bernardi verbis expressum, assequutione perfectionis impletur. Quia primò æstuat, & in flammigeris cordis motibus ardet. Deinde non in corde se continet, sed ad virtutis actiones, & illas magnas, & perfectas progreditur. Tandem nullo profectu, nulla vitæ emendatione quiescit, sed semper osculum appetit, consortium sponsi suspirat, & perfectam charitatem exquirit.

Hoc etiam illa amatrix Domini, à qua septem dæmonia ipse eiecerat, perspicuè pulchréque depinxit. (C) Videns enim duos Angelos in albis sedentes, (Ioan. 20) vbi positum fuerat corpus Iesu, ac si nihil vidisset, fletum non cohibet, neque vllam Angelorum rationem habet, sed suspirat, & plorat, & iuxta sepulchrum sola, & desolata persistit, donec non iam Angelos videat, sed quem querebat Dominum Angelorum inueniat. Huic similis est anima (vt oportet) perfectionis cupida, quæ aliis abeuntibus, & in vana distractis, ipsa non abit, neque ad alia perfectionem impedientia distrahitur, sed locum vbi Dominus inueniendus est, sine vlla intermissione circumdat. Quæ Angelos se consolantes videt, id est, virtutes, & virtutum actiones, non iam extra se positas, sed in sinu suo se consolantes, & lacrymas abstergentes reperit. (D) Quæ bonorum operum & sanctissimorum laborum non multam rationem habet, quia non sola opera, sed datorem illorum donorum quærit. Quæ decreuit tunc solùm à lacrymis & desideriis temperare, cùm Dominum post huius vitæ terminum viderit, & purissimum osculum, atque amplexum fœlicitatis acceperit. Demum illud est desiderium perfectionis efficax, quod pro eius amore non tantùm bona facit, sed etiam mala patitur, & omnia impedimenta virtutis constantissimè remouet. Ille enim perfectionem ardenter desiderat, qui tepidos sibi insultantes, & de se detrahentes non audit, nec ob eorum irrisiones & sannas à cœpto cursu desistit. Qui occupationes non (E) necessarias, nec imperio superioris iniunctas, etiamsi honorem & famam apud homines sint allaturæ, prudenter cauet, ne meliora opera virtutis excludant. Qui corpore imbecillior factus, non propterea otio se tradit, & consuetas asperitates omittit, sed ipsum prudenti quodam feruore in negotio & labore sustentat. Qui inter medias difficultates sancta exercitia & continuare & promouere

curat.

curat. Qui dæmonum oblatrantium, & timoribus virtutis iter impedientium dolos agnoscit, & illos spernens semper ad anteriora & perfectiora se extendit. Is, vt par est, perfectionis est ardens amator, de hoc possumus dicere; quia perfectionem ardenter cupit, & efficaci desiderat. Huius studium sanctus Ephræm optima comparatione delineat. Contemplemur, inquit, agricolas, hi enim terram adæquantes seminant, & virescentibus terris solerter eas seruant, & volucres, ac quadrupedia inde arcentes: ne dum adhuc semen est tenerum, ac molle, à talibus euellatur, & nullius bonæ frugis reddatur. Et quando iam ad messem excreuerit, nec tum quidem cura, ac sollicitudine vacant, sed anxij hærent, ne fortè grandine fruges concutiantur, aut locustæ messem deuorent, aut ventus æstuans fructum corrumpat. Vnde & assiduè vota Deo nuncupant, supplicibúsque Deum vocibus interpellant, vt saluos & innocuos ipsis Dominus suos fructus concedere dignetur. Tunc verò fructus in sua recondentes horrea, magnocum gaudio festum celebrant. Sic quoque & eos, qui spiritualem vitam aggrediuntur, vigilare, & sobrios esse, ac diuini verbi semen custodire oportet: & à scopo diuini amoris non deflectere, donec fructum Domino perfectum obtulerint, corpúsq; in tumulo reconditum fuerit. Tunc enim certus erit fructus, & in securitate multa, neq; furto abripi poterit ampliùs.] Et sapienter quidem, vt expertus virorum spiritualium curam & sollicitudinem cum agricolarum cura contulit, quoniam vita spiritualis quædam cultura animæ, quædam agricolatio est, qua terra spiritus nostri semen diuinæ inspirationis recipit, & aratro mortificationis emollescit, & aqua cœlestis gratiæ rigatur, & reliquis spiritualis culturæ ministeriis disponitur, vt ferax fructuum bonorum affecta, nos in hac vita & in futura sustenter. Fructus verò, quos ex hac terra speramus, non corporis, sed ipsius animæ sustentationi deseruiunt; non vsu pereunt, sed in æternum permanent: non vitam temporaneam, sed vitam numquam desituram afferuant. Si ergo fructus vitæ mortalis tam ardentibus desideriis ab agricolis desiderantur, & tantis laboribus quæruntur, fructus immortalis vitæ in perpetuum mansuri, quibus desideriis optandi sunt, quibus orationibus, & gemitibus petendi, quibus laboribus quæritandi, vt nos per æternitatem diuites faciant, & inter Angelos Dei, sanctósque reficiant? Certè quantùm distat anima à corpore, & opus virtutis à labore rurali, tantùm desiderium & studium perfectionis desideria, & curas agricolarum, & omnium negotiatorum huius mundi deberet excedere.

Ephra. de abstinēdo ab omni cōsuetudine peruersa.

Hæc itaque ardentissima perfectionis desideria, vnum ex mediis ad consequendam perfectionem & illud efficacissimum existimemus. Quia sententia philosophorum est, & illa verissima, desiderium, eum, qui desiderat, rei desideratæ capacem reddere, & ad eam obtinendam, & capiendam aptare. Sicut enim materies, quam alteram compositi partem dicimus, medio appetitu formæ, quam sitit, formam recipit, & iam non imperfecta & mutila, sed perfecta & pulchra formæ amplexu subsistit: ita & anima medio appetitu & desiderio perfectionis hanc formosam formam sanctitatis amplectitur, cuius substantia, ac natura perficitur, cuius donis & virtutibus decoratur. Os meum aperui, inquit sanctus Dauid, & attraxi spiritum, quia mandata tua desiderabam.] Non de ore corporis loquitur, qui aërem corruptibilem haurit, vt vitæ corporali subueniat, sed de ore animæ, quod spiritum vitæ attrahit, vt anima in perpetuum viuat. Quod autem est istud os animæ? Profectò non aliud, quàm animæ desiderium. Vnde & Paulus ait: Os nostrum patet ad vos ô Corinthij cor nostrum dilatatum est,] ac si desiderium salutis eorum illis aperiat, qui non angustiabantur in corde Pauli magna illis cupientis, sed ipsi arctabantur in visceribus suis. Si verò os animæ, est animæ desiderium, tunc clausum est, quando paruum & exiguum est; tunc apertum est, quando magnum & ardens est. Aperuit igitur os suum Dauid, cùm desiderium suum distendit & dilatauit, cùm illud accendit, & mandata Domini non perfunctoriè sed vehementer concupiuit. Et tunc attrahit perfectionis spiritum, quo animæ maculas næuos abiecit, & seipsum sanctitatis decore perpoliuit. Aperiamus itaque nos ora nostra, & desideria, segnitie clausa, ardore & feruore dilatemus, & tunc spiritus perfectionis in animas nostras intrabit, & nos immensis muneribus decorabit, & cœlestibus donis expoliet. Hic est spiritus vehemens, qui totam domum, id est corpus, & mentem componet, & conuersatione spirituali replebit. Hic Spiritus sancti ignem secum adducet, qui intellectum illuminet, voluntatem accendat, & fortitudinem ad prædicandam veritatem infundat. Hunc perfectionis spiritum gustans anima clamat, Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua super mel ori meo.] Nam si mel palatum illinit, corpúsque nutrit, Spiritus puritatis animam viuificat, & mira suauitate perfundit. Dicit etiam de sponso suo loquens: Guttur illius suauissimum & totus desiderabilis:] quoniam ex ore Christi hanc dulcedinem & suauitatem accepit. Nónne matris solent cibum dentibus comminuere & ori infantulorum ingerere, vt ipsi faciliùs pappent, & ne præ alimenti duritia illud acceptare recusent? ita Dominus, cuius amor omnium matrum amorem & teneritudinem vincit, spiritum perfectionis, cibum quidem suauissimum, sed hominum ori duriusculum suo sanctissimo ore partiuit, vt illum homines ad vitam sustentandam deglutirent. Quid enim sunt illa præcepta iustitiæ per Euangelium sparsa? quid consiliorum documenta paulatim, & per partes ingesta? quid verba beatitudinis: Beati pauperes: Beati mites:] tam sigillatim exposita, nisi perfectio comminuta, & ore Domini moderata, vt eam infantuli, id est, homines vniuersi, qui in hac vita numquam in virum perfectum peruenerunt, facillimè possint admittere, & ad incrementum staturæ spiritualis assumere? Si hunc perfectionis cibum fames, siue desiderium magnum debet præcedere, istud petamus, istud cupiamus, istud concipere: & vita ipsa exercitationi virtutum dedita promouere curemus, vt post desiderium facietas, post famem impletio, & post clamores, & gemitus, quibus sanctitatem postulamus, ipsa tandem sanctitas ad nos, & desiderata animæ puritas veniat.

Psal. 118. *1. Cor. 6.* *Psal. 118.* *Cant. 5.* *Matth. 5.*

Multa esse, quæ hoc perfectionis desiderium excitent: quorum primum est ipsius æstimatio perfectionis.

CAP. V.

NON est facile humano cordi his veris & efficacibus perfectionis desideriis ardere, & illorum vi ad quærendum perfectam virtutem incitari: quoniam

natura

natura nostra peccatis,& immoderatis affectibus irretita, & amori rerum visibilium assueta, quasi duabus catenis vincta tenetur, ne in altum volet, & in desiderium inuisibilium assurgat. Et sicut vilis homuncio, inter boues,& aratra, & terræ glebas educatus, atque alicuius heri obsequiis addictus, numquam de regno obtinendo cogitat, & bonorum illi misero statui conuenientium amore captus,numquam principum, aut regum dignitatem, & bona desiderat:ita prorsus filij Adæ, ob delictum patris hac pœna mulctati, vt in laboribus comedant ex terra omnibus diebus vitæ suæ; & amori opum, & voluptatum, & inanium honorem assueti, non ita facilè possunt his se amoribus, ac desideriis expedire, & paupertatem, vitæ asperitatem, mundi contemptum, & opera perfectionis amare. Quare iste amor,istúdque desiderium aliquibus remediis excitandum est, & hic ignis ex duro silice cordis nostri quibusdam ictibus excutiendus, qui cooperatur gratiæ Dei, & ignem desideriorum accendant, & nos ad capessendam perfectionem disponant. *Genes.3.*

Primum verò, quod perfectionis desideriis obstat, est ignoratio perfectionis, cuius amplitudinem & maiestatem, quia non cognoscimus,non in multo pretio habemus, & quia eius æstimatione caremus, ideo nihil de perfectionis possessione curamus.Euenítque nobis quod pueris, qui cùm fortissimorum ac tutissimorum armorum pretium nesciāt, & ea suis viribus imparia videant, nihil æstimant, & galeam, aut scutum papyraceum, quod nullius momenti est, veris armis corpus optimè protegentibus libenter præferunt. Ita nos miseri, qui pretium sanctitatis nescimus,qui summam perfectionis dignitatem ignoramus, nullo perfectionis desiderio quatimur, & ei monetas non aureas, sed papyraceas, & delicias pictas,& inanes honores præponimus. O quantùm potest in mentibus insipientiū ista ignoratio! quàm miserabiliter hæc cæcitas illos dementat,quàm fortiter ne pro perfectione laborent, & ne ad sanctitatē currant,ipsorum manus & pedes ligat! Nescio quomodo ista cæcitas affectui iniquorum insusurrat, quia nihil habet homo iumento amplius,& cuncta subiacent vanitati; quo errore decepti non solùm hominem iumento coæquant,sed(quod infœlicius est) vilissimum iumentum, id est, mundanum hominem, opum & dignitatum phaleris oneratum, homini scilicet viro spirituali,& amatori virtutū anteponunt.Hi dicunt illud sapientiæ, vita & operibus suis:Vmbræ transitus est tempus nostrum, & non est reuersio finis nostri: quoniam consignata est, & nemo reuertitur. Sit ergo fortitudo nostra lex iustitiæ; quod enim infirmum est, inutile inuenitur.] His falsis persuasionibus, non tam intellectum excæcantibus,(quia sic fidem destruerent) quàm affectum decipientibus inescati, nihil nisi quod præsens est concupiscunt, & astutiorem ad decipiendum,fortiorémque ad deprædandum, & sollicitiorem ad ambiendum, meliorem existimant. Huic ergo hominum cæcitati & ignorantiæ nos lucem diuinam, & sapientiam cœlestem opponamus, & nihil dignius, nihil illustrius, nihil gloriosius perfectione putemus. Illam aspiciamus semper (sicut reuera est) vt rem maximam, pulcherrimam, atque pretiosam, vt rem honestissimam,vtilissimam,ac omnibus deliciis affluentissimam cuius comparatione vniuersa visibilia, nec aspicienda sunt quidem,quia ficta bona sunt, & si ad virtutem non referantur, prorsus noxia sunt, atque inutilia. Quòd profectò non erit operosum manifestissimis rationibus comprobare, quæ nobis con- *Eccles.2.* *Sapien.2.*

siderantibus,& attentè meditantibus,ingentē quamdam perfectionis æstimationem ingerant.

Est enim aliquis,qui nesciat animum corpore meliorem esse, & penè infinitis partibus ab eo naturæ præstantia,& pulchritudine, & dignitate distare? Si est qui hoc nesciat, ille non erit homo, sed bellua quædam rationis expers,cui numquam præclarissima lux rationis affulsit. Quis namque quamuis minimā tantùm scintillam rationis naturalis habeat, hanc notissimam veritatem ignorabit, quòd corpus spiritui æquari non potest,nec mortale cum immortali conferri, nec vile mancipium nobilissimo Domino cōparari? Quem lateat, corpus,stercoris saccum, fœtoris receptaculum, ægritudinum domicilium, morti subiectum;escam vermium, imperfectius esse animo,quem cognitio, & libertas implet, virtus decorat, fortitudo roborat, immortalitas ornat, & visio Dei, ac summi boni possessio nobilitat? Nónne anima plus est quàm esca, ait Dominus, & corpus plus quàm vestimentum?] Ac si dicat, plus est. Si anima melior est omni esca, quanto præstantior erit esca vermium, quibus non nisi fœtidissimæ escæ præparantur, & quæ hominibus horrori sunt? Si corpus præstantius est vestimento, quanto præstantior erit anima corpore; quod illi tamquam potiori substantiæ in operimentum ac vestem datum est? Si igitur animus præstantior est corpore, bona animi præstantiora & meliora erūt bonis corporis. Nā si tu regem, & seruū inuitares,non dubiū,quin meliores, & delicatiores cibos regi,viliores verò seruo, & insulsiores apponeres.Ne subtrahas Deo sapientiam, qua tu ipse polleres,& si ille regem & seruum, animū scilicet,& corpus inuitat,crede, quia multa bona corpori præparabit,sed multò potiora ac præstantiora animo Domino corporis apponet. Nullæ igitur opes, nullæ deliciæ,nulli honores,nullæ dignitates cum bonis animæ conferendæ sunt, quia illa omnia corpori seruiunt, & ad bona huius mortalis vitæ pertinent; bona verò animæ mentem ipsam ornant, & ad vitam immortalem pertinent,quia aut in ipsa perpetuò manebunt, aut perpetuum præmium sibi assignatum recipient. Perfecta autem virtus bonum animi est, imò & animi bonum præstantissimum, quæ ipsum animum mundat,perficit,& Dei similem reddit: ergo omnia corporis bona in infinitum accedit. Omnis sancta virtus, inquit Prosper, res & diuina, incorporea prorsus,atque mundissima, quam mentes inquinatæ non inquinant, sed ipsa inquinatas emaculat,cuius participatione formantur informia, suscitantur mortua, sanantur infirma, corriguntur praua, reconciliantur aduersa. Hanc non habent, nisi Deus, & is, cui dederit Deus: Quæ in animo habitat,sed animum corpúsque sanctificat:ad quam nullus accedit inuitus;quam nullus amittit, nisi propria voluntate deceptus.Neque eam sibi conferre potest, cùm possit auferre. Alteri autem nec conferre poterit, nec auferre. Si ergo illa bona corporis æstimamus, & in magno pretio habemus; quantò magis perfectio æstimanda est, cuius comparatione omnia illa bona simul accepta minùs sunt, quàm respectu maris immensi stilla roris exigua? Si homines non omnia illa bona in vnū collecta, sed aliquod illorum tam ardenter cupiunt, vt pro illo immensos labores sustineant,& mille curis se implicent, & in innumerabilibus rebus, vt alij placeant,à quibus hoc bonum accepturi sunt,suam proiciant voluntatem, quomodo nos perfectionem optare deberemus, & nostram voluntatem abnegare,& omnia relinquere, vt aliquando tam pretiosum bonum, & omnium bonorū compendium valeamus possidere? Tu, ô homo, *Matt.6.* *Prosp.lib.3.de vita contem. cap.16.*

quæris

quæris bona, quæ te facient, desideras patem cordis tui possidendo ea quæ te impleant, & tua desideria consopiant: disce igitur vbi sit prudentia, vbi sit virtus, vbi sit intellectus: vt scias simul vbi sit longiturnitas vitæ, & victus, vbi sit lumen oculorum & pax.] Disce, inquam, prudentiam virtutum aurigam, qua omnia secundùm finem æternæ vitæ disponas: disce omnem virtutem, vt secundùm illam tuam vitam instituas: disce sapientiam, qua vnicuique rei debitum locum tribuas, & sic acquires vitæ longiturnitatem perpetuam, abundantiam omnium bonorum aggregatione plenissimam, lucem, qua omne bonū, scilicet Deum, videas, splendidissimam; & pacem, quæ te omni concupiscentiarum bello liberet, & ciuibus supernis associet. *Baruc. 3.*

Cùm itaque perfectio sit maximum hominis bonum, ac præstantissimum omnium donorum, quæ in hac vita nobis possunt contingere, assuescamus ita illam aspicere, ita de illa cogitare, vt de re verè magna, atque pretiosa, quæ omnia aut magna, aut vtilia, aut suauia mundi in immensum exsuperet. Et hoc ferè modo cogitemus. Si apud aulicum, qui delictis suis principis gratiam perdiderat, & grauissimam indignationem incurrerat, magni momenti esset facultas alicuius obsequij causa regis faciendi, quo eius indignationem leniret, & pristinam familiaritatem resumeret, & ad aliquam magnam dignitatem perueniret; quanti momenti esse debent apud me perfectionis, & virtutis obsequia, quibus peccata mea deleo, Christum iudicem meum placo, in eius me intimam familiaritatem insinuo, & in incomparabilem dignitatem amicorum Dei, & filiorum dilectissimorum ascendo? Quam Deus ipse iustis per Ieremiam pollicetur, dicens: Non glorietur sapiens in sapientia sua, & non glorietur fortis in fortitudine sua, & non glorietur diues in diuitiis suis, sed in hoc glorietur, qui gloriatur, scire, & nosse me: quia ego sum Dominus, qui facio misericordiam, & iudicium, & iustitiam in terra: hæc enim placent mihi, ait Dominus.] Ecce, ô anima mea, obsequia, quæ Deum placant, & eius cor emolliunt, & ad faciendam nobiscum misericordiam inclinant: non vana, & superba scientia, quæ alios despicit, & nimis de se præsumit: non corporis robur, aut fortitudo, quam ægritudo conficiet, non diuitiæ, & naturalia talenta, quibus aliquis aut disertus, aut prudens, aut sollicitus in tractandis negotiis apparet, sed notitia timoris & amoris Dei affectum attrahens, & in opus prodiens, hæc est, quæ placet Domino, & eius beneficia promeretur. Si homo, auri & argenti cupidus in magno pretio haberet artem, qua posset lapides in aurum commutare, & lutum in argentum conuertere: in quanto pretio ego habere debeo animi mei puritatem, quæ ars est è cœlo demissa, cuius beneficio opera nullius per se valoris, vt comedere, bibere, dormire, & alia similia, in aurum pretiosissimum, id est, in opera meritoria vitæ æternæ commuto, & lutum fœculentum vitiorum ex domo mei cordis expello? Nam aurum iustitia, inquit Ambrosius, iniquitas lutum est. Quod à nostris quoque priùs dictum esse, non dubium est: cùm scriptum sit: Vt lutum platearū delebo eos.] Et verè lutū, quicquid eos inquinat, qui sibi appropinquauerint. Fugiamus ergo iniustitiam; ne luteis sordibus inquinemur, atque in eius voraginem non pes noster exterior, sed (quod est grauius) mens nostra mergatur.] Hoc lutum satis fœtidum, quod mentem contaminat, & indignam facit diuino conspectu, studium virtutis perdit, & à Dei imagine procul reiicit. Si miles vi- *B* *Ierem. 9.* *C* *D* *Ambr. in præf. Psal. 35.* *Psal. 17.* *E*

A ctoriam exoptans, qua regnum est obtenturus, maximi æstimaret arma, quibus certò sciret se hostem victurum, & palmam reportaturum; quanti ego æstimare debeo perfectas virtutis actiones, quæ vitia destruunt, aëreas potestates prosternunt, & me victorem efficiunt? Nam & ego miles sum, qui non pro huius mundi aris, & focis, sed pro vita æterna, & pro beatitudinis assequutione pugno. Arma verò, quibus certa victoria promissa est, non sunt scientiarum acquisitarum subtilitates, non argumenta, sed virtutum opera, quæ me vndique muniunt, & insuperabilem reddunt. Vnde Paulus ea arma vocat, dum ait: Estote ergo succincti lumbos vestros in veritate, & induti loricam iustitiæ: in omnibus sumentes scutum fidei, & galeam salutis assumite, & gladium spiritus, quod est verbum Dei.] Et Leo Papa ab hoc magistro Ecclesiarum edoctus inquit; sed iis malis, atque aliis omnibus destruendis, habet acies Christiana potentes munitiones, & arma victricia, Deo scilicet instruente milites suos, vt spiritu veritatis, mansuetudo iram, largitas auaritiam, benignitas extinguat inuidiam. Commutante enim dextera excelsi corda multorum, rediit in nouitatem vetustas, & de iniquitatis famulis ministri prodiere iustitiæ. Subegit luxuriam continentia, humilitas arrogantiam propulsauit, & qui impudicitia sorduerant, castitate nituerunt. Ergo hæc arma mihi quærenda sunt, & præ omnibus expetenda, sine quibus, quantumuis scientiis, aut naturalibus talentis abundem, nulla suppetet de hoste victoria.] Si etiam virgo, quæ ad nobilissimi sponsi nuptias aspirat, nihil charius habet, quàm suam faciem nitidam, & pulchram reddere, vt ab eo, cuius coniugium ambit, adametur: quid ego charissimum, & desideratissimum habeo, nisi virtutem, qua anima mea nitet, qua pulchra & splendida apparet, vt ad Christi Saluatoris coniugium admittatur, qua si caruerit, adeò deformis est, vt seipsam præ squalore & fœtore sustinere non possit? Ideóque de peccatoribus dictum est: Quia abominabiles facti sunt, sicut ea, quæ dilexerunt] animæ verò iustæ sæpissimè in canticis pulchræ, & formosæ nuncupantur, & cum rebus pulcherrimis conferuntur. Quare sapienter Cassianus ait: Pulchritudo, vel fœditas animæ virtutum seu vitiorum gignitur qualitate, ex quibus quidam attractus color, aut ita eam splendidam reddet, ac pulchram, vt à Propheta mereatur audire: Et concupiscet Rex decorem tuum.[Aut certè atram, fœtidam, atque deformem, ita vt fœtorem propriæ turpitudinis ipsa confiteatur, & dicat: Computruerunt, & corruptæ sunt cicatrices meæ, à facie insipientiæ meæ.] Et ego hanc virtutis pulchritudinem omnibus rebus præfero, ne cum virginibus fatuis ianuam sponsi clausam inueniam, & à florido thalamo eius excludar. Tandem nihil possunt homines cupere, quantumuis magnum, quantumuis splendidum, & pulchrum, quantumuis pretiosum, & honore dignum, quod ego excellentius in imperfectionis possessione non habeam. Æquum est igitur, quòd eam pluris æstimem, quàm si omnia sæculi bona tenerem; æquum est, vt magis eam cupiam, & ardentiori studio quæram, quàm si vniuersas mundi opes, & honores possem acquirere. Nam & si quis, Domine, erit consummatus inter filios hominum, & ab illo abfuerit sapientia tua, in nihilum computabitur.] Hæc enim est, scilicet vera virtus, atque perfecta, quæ homines pusillos, & nullius momenti, magnos, & præstantes facit, & quò ma- *Ephes. 6* *Leo ser. 7* *Osee 9.* *Cass. col. 3. c. 8.* *Psal. 44.* *Psal. 37.* *Sap. 9.*

ior fuerit, eò maiores efficiet: qua absente reliqua omnia, quæ mortales magna reputant, nec eos Deos gratos nec absolutè bonos reddunt, nec à vilitate peccatorum extrahunt, nec à nihilo peruersitatis educunt. His rationibus, & aliis similibus (quarum multæ ex his, quæ dicta sunt superiori tractatu colligi possunt) intelligentiam nostram instruamus, vt sublimiter de perfectione cogitemus. Ita vt reliqua perfectioni, & virtuti subseruiant, & eius comparatione vilescant, & si vel tantillum nos ab huius boni assequutione retardauerint, statim à nostro amore & desiderio discedant. Quod, nisi insipientes sumus, in illo tantùm collocandum est, quod aut virtus sit, aut nos in virtute proueha, aut ab eo, quod virtuti & obsequio diuino contrarium est, efficaciter & potenter abducat. A

B Has verò meditationes, quibus mentem nostram ad perfectionis æstimationem erudimus, orationibus assiduis fulciamus, & à Domino quotidie notionem pulchritudinis, ac maiestatis veræ virtutis sollicitè & obnoxiè postulemus. Si quis indiget sapientia, inquit Iacobus Apostolus, postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei.] Quænam vtilior sapientia, quàm Deum scire, & mandata eius obseruare, & ad puritatis fastigium peruenire? Quænam excellentior sapientia, quàm nostræ animæ perfectionem maximam omnium bonorum reputare, & eam omnibus visibilibus anteferre? Qui ab hac sapientia ieiunus est, & nondum nouit quomodo oporteat eum amare illam, & quærere; petat hoc donum à Domino, qui nō negabit illud, cuius est postulata concedere. Si enim sapientiam inuocaueris, ô homo, inquit Salomon, & inclinaueris cor tuum prudentiæ: si quæsieris eam, quasi pecuniam, & quasi thesauros effoderis illam, tunc intelliges timorem Domini, & scientiam Dei inuenies: quia Dominus dat sapientiam, & ex ore eius prudentia, & scientia.] Tunc inuocas sapientiam, cùm cognitionem pulchritudinis, & valoris veræ virtutis ad te oratione vocas, & eam à Domino instanter petis. Tunc inclinas cor tuum prudentiæ, cùm in oratione positus non tantùm Deum alloqueris, verùm etiam eius vocem reuerenter auscultas, vt ipse te prudentiam doceat, & de natura, ac pretio virtutis erudiat. Si ita virtutis notionem postulaueris, dabitur tibi tam profunda, & efficax, vt in corde tuo magnum desiderium virtutis exsuscitet, & ad sequelam eius instiget. Quam si quæris, vt cupidus quærit pecuniam, qui nullum laborem non sustinet, & nulli molestiæ parcit, vt eam vndecúmque conquirat: & si effoderis illam sicut amator diuitiarum effodit thesaurum, sic videlicet vt fossam in te humilitatis excaues, & omne terrenum à te reiicias, & operibus studiosis vigilanter insistas, tunc intelliges, tum intellectu, tum affectu, timorem Domini proprium filiorum, qui à perfecta charitate procedit, & disciplinam perfectionis inuenies. Orationibus itaque notitia & æstimatio perfectionis postulanda est, quam cùm habuerimus, tales cordi nostro faces desideriorum admouebit, vt non difficile sit ad perfectionem celeri cursu properare, & eam vniuersis visibilibus anteponere. Hoc enim desiderium fructum esse cognitionis, qua naturam & pulchritudinem perfectionis agnoscimus, & eam magni reputamus apertè Salomon effatus est, dicens: Dedi cor meum, vt scirem prudentiam, atque doctrinam, erroresque, & stultitiam: & inueni, quòd in his quoque esset labor, & afflictio spiritus, eo quòd in multa sapientia, multa sit indignatio, & qui addit scientiam, addit & laborem.] Iste sapiens non solam prudentiam agendorum & doctrinam virtutum, sed & errores vitiorum, ac stultitiam iniquitatum didicit, vt vitium virtuti comparatum fœdius, & virtus iuxta vitium posita venustior appareret. Ex hac autem doctrina quid sequutum est? Certè labor, & afflictio spiritus. Quia nimirum spiritus humanus iam sapiens effectus, mirum in modum affligitur; quia nec deformitatem vitiorum tam diligenter fugit, quantùm fugienda erat; nec decorem virtutis quantùm debuit, adamauit. Oritúrque ex scientia labor, & ex sapientia indignatio, quia quo quis virtutem perfectiùs nouit, eo impensiùs pro eius assequutione laborat, & quo intimiùs vilitatem desideriorum rerum temporalium agnoscit, eo vehementiùs eis recusat subiacere. Sic Gregorius hunc locum Sapientis intellexit, dum ait: Cœlestia cognoscentes, terrenis animum subdere dedignantur. Et dum plus sapere incipimus, de his, quæ malè egimus, nobis ipsis irascimur, & fit in multa sapientia multa indignatio, quia quanto plùs proficimus in cognitione, tanto nobis indignamur ampliùs de peruerso opere. Atque cum scientia dolor crescit, quia quanto magis æterna cognoscimus, tanto magis esse nos in huius exilij miseria dolemus. Vel sicut in translatione alia dicitur: Et qui addit scientiam, addit laborem.] Quo enim scire incipimus, quæ sint cœlestia gaudia, eo magis vt errorum nostrorum laqueos possimus euadere, flendo laboramus. In multa ergo sapientia multa est indignatio, quia si æterna iam sapimus, concupiscere temporalia dedignamur. Si æterna iam sapimus, nosmetipsos despicimus egisse hoc, quod nos potuit ab æternitatis amore separare. Reprehendit semetipsam conscientia, accusat quod egit, damnat per pœnitentiam, quod accusat, fit rixa in animo parturiens pacem cum Deo.] Scientia itaque, cognitióque virtutis indignationem aduersus vitia parit, & exitus aquarum, inquit, hac scientia cumulatus, deduxerunt oculi mei, quia non custodierunt legem tuam.] Ezelus domus tuæ, scilicet animæ ad tuam imaginem factæ, comedit me, & opprobria vitiorum exprobrantium tibi ceciderunt super me.] Ad laborem quoque manus exerit, quia thesaurum perfectionis probe cognoscens, non potest non pro eo laborare, & feruore bonorum operum, & sui ipsius abnegatione, se ad eius adeptionem disponere. Crescat igitur in nobis perfectionis cognitio, crescat & sanctitatis æstimatio, quia hæc desiderium, & concupiscentiam excitabit, & omnem pigritiam, ac socordiam in sectandis bonis operibus submouebit.

Iacob. 1. *Prou. 2.* C D E *Eccl. 1.* *Greg. hō. 10. in Ezechielē prope finē* *Psal. 118.* *Psa. 68.*

Secundum excitatorium desiderij perfectionis est scire, quòd temporalia non satiant.

CAP. VI.

Cor humanum, dum hæc vita viuitur, quæ tota inanitas & mendicitas est, desideriis vacuum esse non potest. Quia omne, quod est, dum plenum non est, & sinus habet alicuius boni capaces, naturaliter appetit illud, quo, aut secundùm veritatem, aut secundùm existimationem repleatur. Et quod suum finem nondum est assequutum, cuius gratia factum est, irrequieto in finem appetitu mouetur, & in

illud,

illud, quo perficiendum est, insatiabilibus desideriis aspirat. Cor autem hominis in vita mortali, nec bonis plenum est, cui tot bona desunt, nec suum finem est assequutum; consequens ergo est, vt desideriis æstuet, & aliquod bonum, quo caret, adipisci desideret. At homo, non vt res sensus, & rationis expertes, naturaliter in bonum mouetur, sed cùm sit rationis, & liberi arbitrij capax, non solùm voluntariè, sed etiam liberè in bonum tendit. In his ergo rebus oportet, sua desideria collocet, quæ habita ipsum impleant, ipsum perficiant, & satient, ne imprudentiæ, & ignorationis arguatur. Esset enim planè stulti & insipientis animi, ea concupiscere, quæ in nostram potestatem adducta, nos vacuos & ieiunos relinquerent, & neque ad minimum tempus, cordis famem satiarent. In quo hominis lugenda sanè insipientia conspicitur; qui (vt ait Augustinus) gaudere desiderat, sed non ibi quærit gaudium, vbi oportet inquiri. Videamus nunc igitur, quid nobis concupiscendum sit, vt cùm nouerimus temporalia nullo modo esse desideranda, quæ sursum sunt, nimirum spiritualia & cœlestia, appetamus. Et quidem temporalia nobis appetenda non esse, inde manifestè cognoscimus, quòd vilia admodum & contemptibilia sunt, cor verò nostrum excelsum, & nobile, cuius cibus illi congruus suauis est, & pretiosus, ac proinde, quæ ab hac suauitate & pretio degenerant, non sunt illi præparanda. Nam quod Raphael Angelus Tobiæ dixit; Videbar quidem vobiscum manducare, & bibere; sed ego cibo inuisibili & potu, qui ab hominibus videri non potest, vtor:] idem potest quilibet homo dicere: qui licèt videatur terrenis rebus impleri, tamen (quod ad animam pertinet) non sustentatur nisi inuisibili cibo virtutis, & veritatis. Quare promittens Dominus cibum homini legem custodienti ait: Cibabo te hæreditate Iacob patris tui, os enim Domini locutum est.] Vt sciamus, hæreditatem æternam, quæ à virtute incipit, & in præmio virtutis consistit, cibum esse mentis humanæ, tum suauissimum, tum præclarissimum, extra quem erit quidem aliquid, quod eam distendat, & inflet, non tamen quod repleat, & satiet. Pulchrè sanè Richardus antiquorum sententiam philosophorum correxit, qui hominem mundum paruum appellarunt, qui potiùs mundus maximus vocandus esset, quoniam totius mundi possessio, sinus & recessus mentis humanæ non replet. Nónne, inquit, philosophi videntur errasse, qui hominem microcosmum, id est, minorem mundum dixere. Numquidnam obsecro non meritò maior mundus dicendus est humanus ille animus, qui mundo vtique maior est: quem totus mundus nulla sui dilatatione, nulla sui multiplicatione satiare potest?] Si humanus animus maior & capacior est mundo isto visibili, & istum omnia visibilia continentem res paruæ non replent, quonam modo illum replebunt? Quo pacto auiditatem cordis humani paruæ diuitiæ, aut fugientes voluptates, aut honores fallaces satiabunt? Comedent, inquit Oseas de impiis loquens, & non saturabuntur.] Quare? Nisi quia calor spiritualis stomachi adeò vehemens est, vt quasi in momento omnia corruptibilia consumat, & statim ac si nihil deglutiisset, fame tabescat, & pereat. Sicut enim iustitia saturat, inquit Hieronymus, sic iniquitas substantiam non habens, vana comedentes fraude deludit, & vteros deuorantium vacuos derelinquit:] Quod autem ipse de iniquitate dicit, quia substantiam non habet, nos de rebus temporalibus iure possumus enunciare, quòd scilicet substantia careant, quia licèt entia sint, & secùndùm philosophicam

Aug. ser. ... in san ...

... 12.

... 58.

Rich. ser. ... Spirit. ...

... 4.

Hier. ib.

disciplinam ad ordinem substantiæ pertineat, sed cùm non modicæ sint substantiæ, mentem humanam non saturant.

Vestis ad mensuram pueri contexta, gigantem non operit: & receptaculum annuli pro carbunculo elaboratum, minor gemma non replet, & tenerarum lac in cibum infantium à natura paratum, homines robustos nullo modo sustentat. Sic corporalia, quæ ad velandum; & fouendum pusillum, & imbecillum corpus data sunt, mentem vsque in cœlum caput attollentem non contegunt: & capacitatem eius ad capiendum summum bonum condignam non explent; & velut guttæ lactis exiguæ spiritui forti, atque robusto, nequaquam sufficiūt. Hoc est enim quod Isaias ait: Sicut somniat esuriens, & comedit, cùm autem fuerit expergefactus, vacua est anima eius: & sicut somniat sitiens, & bibit, & postquam fuerit expergefactus, lassus adhuc sitit, & anima eius vacua est: sic erit multitudo omnium gentium, quæ dimicauerunt contra montem Sion.] O quàm verum hoc? qui enim aduersus altitudinem suæ naturæ pugnant, dum se visibilium amori subiiciunt, non magis profectò satiantur, quàm si cibos suauissimos per somnium ederent, & vina pretiosa biberent. Nam quid aliud est, post multa bona temporalia possessa, alia insatiabiliter quærere, & post multas expertas carnis voluptates, alias sine vlla mensura sitire: & post multos honores adeptos, alios maiores, & sublimiores ambire, nisi huic veritati attestari, quòd visibilia sicut bona somniata non satiant, nec habendi famem, & sitim extinguunt? Si quis dormiens repræsentatione somniorum elusus, cogitet se regem, aut prælatum esse, & diuitiis, ac satellitibus regum, & Episcoporum constipati, quid prodest, si elapso dormiendi tempore, nec regnum, nec Episcopatum est habiturus? Sed huius generis mihi videntur sæculi dignitates, quæ in huius vitæ somno vanissimo miseros mortales eludunt: & ficti splendoris ostensione decipiunt: transibit, transibit dormiendi, & somniandi tempus, & in futuram vitam euigilabunt, & tunc isto etiam ficto & inani honore carebunt. Neque esset ista ambitiosorum & cupidorum summa miseria, quia saltem quasi per somnium bonis huius sæculi perfruuntur: at manet illos ob somniatam fœlicitatem magna, & vera calamitas, quòd non quasi per somnium, sed verissimè, & per totam æternitatem; superbiæ, & ambitionis, & iniquarum cupiditatum pœnas sustinebunt. Meritò sanè hæc omnia temporalia inanibus somniorum imaginibus comparantur, quæ solùm vitiorum somnum dormientibus placent, & vt insomnia, cùm minùs putabant, breuiter euanescunt. Explicat hanc rerum vanitatem & breuitatem Gregorius, dum eas rerum exiguarum, ac inanium, & simul citissimè deficientium naturis comparat. Iniquorum potentia, ait, fœni floribus comparatur, quia nimirum carnalis gloria, dum nitet, cadit: dum apud se extollitur, repentino intercepta fine terminatur. Sic namque aurarum flatu in altum stipula rapitur, sed casu concito ad ima reuocatur. Sic ad nubila fumus attollitur, sed repentè in nihilum tumescendo dissipatur. Sic ab infimis nebula densescēdo se erigit, sed exortus hanc solis radius, ac si non fuerit, abstergit. Sic in herbarum superficie nocturni roris humor aspergitur, sed diurni luminis subito calore siccatur. Sic spumosæ aquarum bullæ inchoātibus pluuiis excitatæ, ab intimis certatim prodeunt, sed eò celeriùs diruptæ depereunt, quò inflatæ citiùs extenduntur. Cúmque excrescunt, vt appareant, crescendo peragunt, ne subsistant. De iniquis igitur temporalis gloriæ elatione tumentibus, sed

Isai. 29.

Greg. 17. Mor. c. 5.

Iob 24. tamen nulla in hac soliditate durantibus, dicitur rectè: Eleuati sunt ad modicum, & non subsistent.] Quàm vilia sunt, quæ talibus similibus exprimuntur, quam breuia, quæ tam momẽtaneè dilabuntur; quàm inania, quæ dormientibus, hoc est falsa rerum existimatione deceptis, & non vigilantibus, aut sapientibus satisfaciunt. Videbimus eos, qui harum rerum *Iona 4.* amore tenentur, figuratos in Iona, cui præparauit Dominus hederam, vt eum ab æstu protegeret: & lætatus est Ionas super hedera lætitia magna.] Quanta res est hedera, vt ex eius ascensu tantam Ionas lætitiam acciperet? Sic sunt homines rerum terrenarum amatores, qui ex rebus nullius momenti ita lætantur, ac si aliquid pertinẽs ad salutem æternam acquisiuissent. Et non aduertunt miseri, quia hæ res velut somnia transituræ sunt, & eos vacuos & tristes relicturæ. *Iona 4.* Nam simul cum hedera præparauit Dominus vermem ascensu diluculi in crastinum, & percussit hederam, & exaruit.] Simul cum prosperitate temporali vermis enascitur, quoniam eo ipso, quòd corruptioni subiecta est, intus habet, quo citò consumitur. Quis putarat hederam heri subitò natam, hodie subitò casuram, & propterea sine vllo vmbraculo permansurum, vt solis calore æstuaret, & quod peius est, igne indignationis arderet? Sed quis non putaret? cùm ista sit omnium rerum visibilium conditio, vt velut insomnia citò nobis appareant, & cùm minùs putabamus, euanescant, & à nostris conspectibus se subducant? Quæ tam breui tempore fugiunt, non dubium, quin animum semper manentem, & per totam æternitatem durantem satiare non possunt.

Est etiam alia rerum temporalium conditio, ex qua non minùs euidenter elicitur, eas non esse sufficientes, vt humanam mentem exsatiant. Et verò est, quòd temporalia non sunt alimenta homini congrua, vt eum reficiant atque sustentent. Ezechieli præcepit Dominus ad quoddam signandum mysterium, vt panem immundum comederet, & ipse talem panem exhorrens, ac in hoc obedire detrectans, non sine fletu, & lacrymis clamat: A, a, a, *Ezech. 4.* Domine Deus, ecce anima mea non est polluta, & morticinum, & laceratum à bestiis non comedi, ab infantia mea vsque nunc, & non est ingressa in os *Act. 10.* meum omnis caro immunda.] Petro quoque oblatum est magnum vas, in quo erant omnia quadrupedia & serpentia terræ, & volatilia cœli. Et facta est vox ad eum: Surge Petre, occide, & manduca. Cui voci respondit ille: Absit, Domine, quia numquam manducaui omne commune, & immundum.] Et Iob *Iob 6.* interrogans ait: Aut poterit comedi insulsum, quod non est sale conditum?] Ac si diceret; nullus poterit sine nausea & horrore cibum insulsum ore gustare. *Prou. 23.* Eadem ratio te moueat, ô homo, vt non quæras bona sæculi huius, nec desideres de cibis eius, in quo est panis mendacij, quia cibus mundi (quo nomine vniuersa visibilia intelligas velim) tum immundus, tum insulsus est, qui comedentem sua immunditia coinquinat, & nauseam ingenita insulsitate prouocat. Immundus quidem est hic cibus, nam animam, supposita infirmitate nostra, & procliuitate ad malum, non solùm immoderatis sollicitudinibus implicat, sed & innumeris peccatis contaminat. Si pecuniam congregare conaberis, inquit Laurentius *Iust. in ligno vitæ. tract. de paup. c. 3.* Iustinianus, eripies habenti, aut cupiditatibus laceraberis. Si dignitatibus fulgere velis, danti supplicabis: & qui præire cæteros cupis, poscendi humilitate erubesces: si potentiam desideras, subiectorum insidiis obnoxius, periculísque subiacebis. Si gloriam appetis, per aspera quæque distractus, quietus, & securus esse desistis. Si voluptuosam vitam eligis, quis non spernat, atque abiiciat, vilissimæ fragilissimæque rei, corporis scilicet seruus esse?] Quis talibus affectibus non inquinetur, & mentis suæ puritatem non amittat? Nec satis erit ad hanc immunditiam vitandam, si modum in vsu rerum temporalium, aut quærendarum, aut possidendarum retineas, quia iste modus, istàque mensura difficilis admodum est, facillimum verò illam transilire, & plus æquo rebus temporalibus inhærere. Sed concedemus tibi, quòd modum in terrenorum amore teneas, certè licèt peccata fugias, at curas, at distractiones, at sollicitudines nõ effugies, quæ si animam peccato non fœdant, at ligant, & fuscant, & turbant. At quàm sit hic cibus insuauis, & insulsus illi meliùs & frequentiùs experiuntur, qui maioribus aut diuitiis, aut honoribus, aut dignitatibus onerantur. Nam amor conseruandi, aut augendi, quod habent, est illis acetum, & timor amittendi est fel, quibus duobus salsamentum quoddam adeo amarum conficitur, vt omne cui super iniicitur absynthio amarius & horribilius efficiatur. Quare qui rebus terrenis quærendis, & cumulandis intendunt, cum cantico non bibent vinum, vt ait Isaias, & amara erit potio bibentibus.] *Isai. 24.* Imò cum gemitu & dolore bibent, neque in his cibis insuauissimis, aut dulcedinem aut quietem inuenient.

Sed esto, quòd tu velis his cibis, tum immundis, tum insulsis, satiari, & ventrem tam vilibus alimentis implere, & immunditiam peccatorum incurrere, & amaritudinem timorum, & curarum sentire. Nam & benè posset quis, tempore scriptæ legis, contra ius & fas animalibus immundis vesci, quibus sine dubio ventrem expleret, & vitam naturalem sustentaret. Aduerte tamen, ô infœlix homo! quòd neque cum his tuæ animæ detrimentis poteris concupitam satietatem experiri. Omnibus enim rebus sua Deus alimenta signauit, nec vna alimento alterius, aut nutriri, aut sustentari potest. Ignis aëre sustentatur, dum illud immutat, & in suam substantiam conuertit, at tu non sustentaberis aëre, nec vento solo repleberis. Et aër sustentatur aqua, dum illam extenuat, & in vapores subtilissimos, ac postea in seipsum conuertit, tu tamen non reficieris sola aqua, nec vitam sine pane, vel alio alimento seruabis. Talpa (vt fertur, & nescio, an verum sit) terram comedit, at tu sat scio non comedes terram, neque in extrema etiam necessitate positus, lapidibus ventrem replebis. Quamobrem astutus ille tentator, non voluit Christum Saluatorem, ad tantam insaniam adigere, vt lapides ederet, sed vt eis in panes conuersis instanti necessitati subueniret. Dic, inquit, vt lapides isti panes fiant.] *Matt. 4.* Animalia fœno & herbis & hordeo vescuntur, quæ cruda, & penè integra in ventrem traiiciunt; illáque digerunt, & mutata suæ substantiæ addunt. Sed credo, te non esse adeò emotæ mentis, vt putes, hordeum, aut fœnum tibi ad vsum cibi sufficere, & vitam similibus esculentis posse tenere. Quælibet ergo res proprium cibum habet à natura concessum, cuius absentia ieiuna, & vacua manet, & si cibum alterius sibi præsumat, non satietatem, sed vitæ sibi perniciem affert. Temporalia verò omnia iumento, id est, corpori, in cibum attributa non sunt cibus animæ tuæ, ergo eam satiare, & sustentare non poterunt. Quòd si ea in ventrem animæ ingeras, & immoderatis affectibus amplectaris, non tibi saturitatem, sed anxietatem, sed onus, sed dolorem sunt allatura. An putas, quòd auarus satietur diuitiis, etiam si vniuersum mundum ipse possideat?

Eccl. 5. Cùm scriptum sit: Auarus non implebitur pecunia, & qui amat diuitias, fructum non capiet ex eis.] An putas, quod luxuriosus satietur voluptatibus; vide, quid dicas idem Salomon: Eccl. 2. Et omnia, quæ desiderauerunt oculi mei, non negaui eis: nec prohibui cor meũ, quin omni voluptate frueretur, & oblectaret se in his, quæ præparaueram: & vidi in omnibus vanitatem, & afflictionem animi. Qui post tot delicias vanus inanísque remansit, satis indicat se ad satietatem quæsitam non venisse. An putas, quòd ambitiosus, aut honoribus, aut regnis, aut imperio satietur? Alexander quidem vno mundo subiugato nequaquam ad facietatem vsque imperandi peruenit: sed audiens nescio quem philosophum disputantem, & plures esse mundos astruentem, tristatus est atque in lacrymas resolutus, quòd ipse inter tot mundos, vni tantùm imperitasset, & suis bellis plures non subegisset. Si hæc in quacumque mensura accepta non satiant, signum est manifestum, quod non sunt cibi animi nostri, nam animus suo proprio, ac naturali cibo satiaretur, & nihil ampliùs eo ingesto requireret. Confirmat hoc egregiè Bernardus, dicens: Bern. de diligendo Deo. Iustitia rationé vtentis spiritus: cibus est vitalis & naturalis; pecunia verò (& idem de aliis bonis diceret) sic non replet, vel minuit animi famem, quomodo nec corporis ventus. Denique si famelicum hominem apertis faucibus vento, inflatis haurire buccis aerem cernas, quo quasi consulat fami, nonne credas insanire? Sic non minoris; insaniæ est, si spiritum rationalem rebus putes quibuscumque corporalibus non magis inflari, quàm satiari. Quid namque de corporalibus ad spiritualia? Nec illa sanè spiritualibus, nec illi è regione refici corporalibus queunt.] Alio verò loco stultitiam illorum, qui temporalibus repleri volunt, pulchrè depingit. Bern. declamat. sup. Ecce nos reliquimus omnia. Vidi, inquit, ego aliquando quinque viros, quidni phreneticos arbitrer? Primus siquidem buccis tumentibus marinam masticabat arenam. Secundus sulphureo astans lacui, exhalantem teterrimum fœtidissimúmque gestiebat haurire vaporem. Porrò tertius fornaci incubans vehementer accensæ, micantes scintillas hiantibus excipere faucibus lætabatur. Quartus supra pinnaculum templi residens, leuioris auræ spiritum aperto attrahebat ore, & si quo minus influere videretur, flabello sibi ventum ipse ciebat, ac si totum speraret aerem deglutire. Quintus seorsum positus ridebat cæteros, ipse quoque ridendus & maximè. Proprias enim carnes incredibili quodam studio sugere laborabat, nunc manus, nunc brachium, nunc alias partes applicans ori. Miseratus homines, causámque sciscitatus à singulis, vnam omnibus esse reperio validissimam vtique famem. Tum verò macilentissimas eorum facies contemplatus recordabar prophetæ gementis miserabiliter & dicentis: Ps. 101. Aruit cor meum, quia oblitus sum comedere panem meum.] Quid hæc vobis, inquio; prosunt? Non sunt naturales cibi, magis famem hæc prouocant, quàm extinguunt. Panis namque animi iustitia est, & soli beati, qui esuriunt illam, quoniam ipsi saturabuntur.] Matt. 5. Nimirum ad imaginem Dei facta anima rationalis, cæteris omnibus occupari potest, repleri animo non potest. Capacem Dei, quicquid Deo minus est, non implebit.] Hæc, & alia multa eo loco Bernardus, quibus apertè demonstrat terrena mentem hominis saturare non posse. Ego tamen, illis prætermissis, vnum adiicio, & mihi quidem satis efficax ad id persuadendum, quod intendimus. Illud autem est, quod mundus fallacissimus & auarissimus, non alimentis istis nobis alienis, quod fortassis alicui tolerabile videbitur, sed desideriis eorum replere & exaciare contendit. Vnde Ioannes ait: 1. Ioã. 2. Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ] O egregia sæculi bona, quæ non in rebus ipsis visibilibus, sed in earum concupiscentia, & desiderio sita sunt. Nam animaduerte, quomodo Ioannes loquatur. Non enim dicit: omne quod est in mundo, delectatio carnis est, sed concupiscentia carnis est, & non dicit: Omne quod est in mundo possessio diuitiarum est, sed concupiscentia est diuitiarum. Et tandem non dicit; Omne quod est in mundo, altitudo, & dignitas est, sed superbia vitæ est, quæ supra id, quod habet, effertur, & non tam altitudinem habet, quàm præsumit. Sic autem loquitur Ioannes, non à se ipso, sed ab Spiritu sancto, cuius fistula est, quoniam mundus amatoribus suis tantillum de suis bonis tribuit, & in immensum concupiscentiis, & desideriis cruciari, & affligi permittit. Illos ergo desideriis vincit, & spebus vanis deludit, & turbidis concupiscentiis satiare nititur, quos rebus ipsis concupitis replere non valet. Si autem impossibile est, vt desideriis & absentia rerum desideratarum satiemur (nam desiderium fames est, non saturitas) pariter impossibile est vt mundus nos saturet, & cordis nostri appetitus tranquillet.

Non itaque desideria nostra in rebus visibilibus collocemus, quæ habita non explent, adepta non satiant, ingesta nequaquam famem depellunt, nec sitim extinguunt. Sunt hæc sicut vuarum acini, semel expressi, qui non habent vinum, quod nobis effundant. Ita visibilia, licèt, eminus visa, appareant delectationis vino referta, sed cùm ea manu experientiæ tangimus, & sensus gustamus, aut voluptate vacua, aut curis, & tristitiis plena cognoscimus. Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius, quasi flos agri. Exsiccatum est fœnum, & cecidit flos.] Isa. 40. Si ex fœno succum delectationis exprimere non valemus, nec ex flore, qui elanguit, ornatum capitis expectamus; nec à rebus visibilibus, quæ nomine fœni & floris signantur, aut vera voluptas, aut solidus honor expectandus est: quia hæc sub pelle falsæ voluptatis, & sub specie ficti honoris veram habent vanitatem; cordis angorem, & (si inordinatè quærantur) certissimam gloriæ mendicitatem. Sunt hæc bona temporalia, sicut arbores, quas terra illa Sodomorum & Gomorrhæorum, post subuersionem à Domino factam emittit. Illæ enim (vt dicitur) fructus habent externa quidem specie suaues, & pulchros, sed si manu tangantur, tetro odore astantium nares inficiunt, & in fauillam, & cinerem rediguntur. O quàm vera imago mundanæ dignitatis, temporalium opum, & sæcularis honoris! quæ exteriùs visa; nescio quid habent fictæ gloriæ, & fallacis splendoris, qui oculos inexpertorum capit: at introrsus inspecta grauissimum exhalant multorum peccatorum odorem, in quæ miseri horum amatores impingunt, & dum temporis decursu finiuntur, in fauillam & cinerem conuertuntur. De his ait Dominus ad animam loquens: Isa. 29. Et erit sicut puluis tenuis, multitudo ventilantium te: & sicut fauilla pertransiens, multitudo eorum, qui contra te præualuerunt.] Ista quippe bona, dum aduersus animam præualent, eam curarum turbine in diuersas partes iactant. Sed non meliora sunt, quàm puluis, & fauilla, quæ vilissima cùm sint, vestes animæ, id est, virtutes, fœdant, & oculos viam huius vitæ prætereuntium excæcant. Sunt denique ista visibilia bona sicut cibi in tabella depicti, aut in aulæis delineati,

qui si oculos fortè delectant, at ventrem non explerit, nec habendi famem sedant. Cibus enim verus animæ Deus est, qui eius capacitati satisfacit, reliqua verò, quæ ficta sunt, non possunt tantam capacitatem replere, nec summi boni desideria satiare. Vnde Augustinus ait: Cùm anima creaturam desiderat, continuam famem habet, quia licèt, quod desiderat, de creaturis adipiscatur, vacua tamen remanet, quia nihil est, quod eam impleat, nisi tu Domine, ad cuius imaginem est creata. Imples autem tu eos, qui nihil aliud desiderant præter te, & facies eos dignos te, sanctos, beatos, immaculatos, & amicos Dei, qui omnia reputant vt stercora, vt lucrifaciant te solum.] Meritò sanè visibilia bona, & omnis prosperitas temporalis in illo lectulo designata sunt, de quo ait Heliu apud Iob de Domino loquens: Increpat quoque per dolorem in lectulo, & omnia eius ossa marcescere facit.] Nam dum in his bonis requiescimus, increpationem conscientiæ nostræ à Domino excitatam sentimus. Quam ipse non sine magna misericordia excitat, vt nos ab amore earum, quæ amandæ non sunt, rerum terrenarum auertat. Nec solùm conscientiæ increpationibus rerum mundanarum amatores percutit, verùm etiam aduersitatibus ex ipsis rebus, quas amant, exortis, ne sedeant, in via patriæ cælestis, ferit. Hoc est enim quod Gregorius ait: Via quippè est vita præsens, qua ad patriam tendimus: & idcirco hîc occulto iudicio frequenti perturbatione conterimur, ne viam pro patria diligamus. Solent etenim nonnulli viatores cùm amœna fortasse in itinere prata conspiciunt, pergendi moras innectere: & à cœpti itineris rectitudine declinare: eorúmque gressus tardat pulchritudo itineris dum delectat. Electis ergo suis ad se pergentibus, Dominus huius mundi iter asperum facit, ne dum quisque vitæ præsentis requie, quasi amœnitate vitæ pascitur: magis eum diu pergere, quàm citiùs peruenire delectet: ne dum oblectatur in via, obliuiscatur quod desiderabat in patria.] Signum itaque electionis est, & dilectionis diuinæ, quod in temporalibus absynthium ponit, & mundi flores spinis, & tribulis cingit, vt percepta in eis amaritudo, faciat nos contemnere, quæ amata non satiant, & quæ contempta, si in vsum moderatum & necessarium accipiantur vtcumque delectant. Si ergo desideria nostra in aliquo ponenda sunt, & in rebus visibilibus ponenda non sunt, restat vt aliquâ quæramus, in quibus ea constituamus. Bona verò eius generis cupienda, & quærenda sunt, quæ sint vera bona, quæ nostra desideria restinguant, quæ habita nos bonos & beatos faciant, quæ nos Deo coniunctos, Angelis gratos, & hominibus honorabiles reddant. Hæc autem esse virtutis & perfectionis bona sub alio principio breuiter exponemus.

Aug. in solilo. ca. 30.

Iob. 33.

Gregor.

Tertium excitatorium desiderij perfectionis, quòd spiritualia animo satisfaciunt.

CAPVT VII.

Qui aliqua arte sibi, & vxori, & filiis, & familiæ necessaria lucrari non potuit, solet artem illam relinquere, & pro alia commutare, qua sperat se maius lucrum acceptuium, quod sui, & suorum cibo & vestimento sufficiat. Qui etiam alicuius heri obsequiis addictus, cum magno labore, & sine vllo emolumento famulatur, vtile iudicat illum herum deserere, & alteri se adiungere, in cuius domo faciliùs seruiat, & onere leuiori prematur, & mercedem copiosiorem acquirat. Et nos hac ratione permoti, sæculum dominum satis durum abiecimus, & Christi nos obsequiis addiximus, cuius iugum suaue est, & onus leue:] quod vtile nobis non erit, nisi veteri arte prætermissa, qua amori terrenorum inhæsimus, nouam artem & magis quæstuosam addiscamus. Illa enim ars (nam sic vita carnalis vocari potest) nec vxori, id est, carni nostræ sustentandæ suffecit, quæ quibuscumque terrenis bonis acceptis, semper plura concupiuit; nec filios, hoc est, desideria, & affectus ex carne prodeuntes aluit, quos post multas opes, post multos honores, post multas voluptates ingestas, semper famelicos & sitibundos dereliquit: nec seruulos & ancillas, nempe sensus, & animæ vires cibo sufficienti refecit, quia illos & istas maiora appetentes, & pro amplioribus bonis clamantes, & vociferantes audiuit. Discamus igitur aliam artem, scilicet spirituale vitam, quæ nos impleat, & satiet; quæ nos ditet, & amplificet: quæ nobis de bonis omnibus necessariis prouideat. Hæc enim spiritualis vitæ bona, quæ non sunt alia profectò, quam virtutis, & perfectionis bona, talis naturæ sunt, vt menti hominis satisfaciant, & in ea omnem famem, & omnem sitim rerum temporalium extinguant. Qui hæc suauissima bona comedunt, & humilitati, castitati, & reliquarum virtutum amori, ac studio se tradunt, statim ad videndam vilitatem rerum terrestrium oculos mentis aperiunt. Nam sicut Ionathæ gustanti fauum mellis, oculi præ fame caligantes aperti sunt, vt omnia circumsistentia posset clarè conspicere: ita his qui mel virtutis gustant, mentis oculi roborantur, vt valeant rerum visibilium vilitatem, & inuisibilium celsitudinem contemplari. Dum verò considerant mundum, in Saule figuratum, esum huius mellis vetuisse, & milites (vt pereant, & nihil faciant) sine cibo in prælium amandasse, dicunt, quod verum est: Turbauit pater noster terram: vidistis ipsi, quia illuminati sunt oculi nostri, eo quòd gustauerimus paululum de melle isto: quantò magis si comedisset populus de præda inimicorum suorum, quam reperit? nonne maior plaga facta fuisset in Philistum?] Mundum patrem vocant, quia ab eo (quod ad naturam attinet) geniti sunt, sed illum patrem, cui & concupiscentiæ matri dicunt: Nescio vos, & fratribus suis, Ignoro vos.] Iste pater turbat terram, quia hostibus vniuersis immanior, vt nos aduersus hostes Domini pugnemus, & eos insequamur, se velle dissimulat, & tamē mel gustare, aut aliquem cibum accipere vetat. Scit enim, quòd si virtutis & bonorū spiritualium melle vescimur, quos ipse interdum ore inimicos vocat, & corde amicos habet, sine vlla ambiguitate vincemus. Vt ergo nos occultiùs decipiat, inimicos Domini suos hostes appellat, & quasi ad eorum insectationem nos prouocat, dum sub specie boni desideria bonorum temporalium abscondit, sed sumptionem spiritualis cibi, sine quo victi cademus, astutus deceptor interdicit. At nos nō credamus illi, neque obediamus voci eius, sed mel veræ virtutis, & bonorū spiritualium gustare conemur; quia illud oculos mentis nostræ illuminabit, vt rerum visibilium vilitatem agnoscamus & lacertos nostros, roborabit, vt eas fortiter despiciamus, & ad res cœlestes non tantùm gustandas, sed perfectè possidendas aspiremus; Sic magna

Matt. 11.

1. Reg. 14.

Deut. 33.

clade

clade prosternemus Philistæos, & vitia nostra, ac vana desideria destruemus, quos gustus virtutis fugat, sed perfecta possessio submergat.

Illuminatis oculis gustu cælestium, tunc anima terrena fastidit, & quæ antea amauerat, atque cupiuerat, odio prosequitur, & à cordis affectu reuellit. Dolet ignorantiam suam, quòd rebus tam contemptibilibus & abiectis inhæsit; & admiratur mutationem suam, quòd aperiente oculos Deo, dulcia mundi horret, splendida fugit, & concupiscibilia contemnit. Daniel viso angelo Domini qui ei futura nunciabat, ait: Et ego Daniel langui, & ægrotaui per dies: cumque surrexissem, faciebam opera regis, & stupebam ad visionem.] Sic anima, cui Deus gustum virtutis impertit, & notionem rerum mundanarum ingerit, premiùm languet salubri languore, quo vniuersa ei sæcularia amarescunt, & tanquam insipida, & noxia, ab eius gustu & appetitu se subtrahunt. Deinde surgit, non vt pristinas vanitates quærat, (hoc enim esset iacere, nó surgere, & ad opera vitæ anhelare) sed vt negotia regis tractet, & in Dei obsequium, & amorem suas vires impendat. Et tandem stupet ad fructum cognitionis diuinitus datæ, quæ tam potens est, vt quæ horribilia putabantur, dulcia faciat, & dulcia in amara conuertat: Iacob etiam quo tempore Israel vocatus est, nimirum præualens Deo, cœpit vno pede claudicare & ex pugna cum Angelo tum benedictionem magnam, tum vnius pedis imbecillitatem acquirere. Quidnam est hoc? nisi quòd anima Deum desideriis amplectens, sicut puritate crescit, ita in rerum visibilium desiderio decrescit? Quid hoc? nisi quod dum affectibus rerum cælestium accenditur, in desiderio rerum visibilium infirmatur? iam commoditates abiicit, iam famam & gloriam inanem fugit, iam propriam voluntatem implere trepidat, quia hæc amore & desiderio suo indigna reputat, & ideo eis subiacere nimis pertimescit. Et sicut post gustum mellis, aut sacchari omnia, quæ gustamus, videntur insipida: ita post experimentum veræ & perfectæ virtutis, quæcumque mũdus offert, insulsa, & amara reputantur. Habet humilitas dulcedinem suam, habet paupertas, habet mansuetudo, habet & castitas, qua gustata statim aduertimus, quàm amarum & insipidum est, quicquid superbia, & cupiditas ingerit, quicquid indignatio, & impura voluptas nobis apponit. Gustus itaque virtutis, gustum rerum terrenarum tollit, & sitim visibilium extinguit. Quod Gregorius profectò non siluit, dicens: Qui in auctoris sui amore roborantur, quo magis in concupita Dei fortitudine conualescunt, eò à propria virtute deficiunt. Et quo robustiùs æterna appetunt, eo à temporalibus salubri defectione lassantur. Hinc Psalmista amoris sui robore fessus dicebat: Defecit in salutare tuum anima mea:] In salutare enim Dei proficiendo defecerat, quia æternitatis lucem desiderans à carnis iam fiducia fractus anhelabat. Hinc rursum dicit: Concupiscit, & deficit anima mea in atria Domini.] Qui nimirum cùm diceret: concupiscit, rectè subdit; & deficit. Quia valde minor est diuinitatis concupiscentia, quam non mox etiam proprius sequitur defectus. Qui enim ad appetenda æternitatis atria accenditur, dignum profectò est, vt ab hoc temporalitatis amore lassetur: vt tanto frigescat ab studio sæculi, quantò surgit ardentior in amorem Dei. Quem scilicet si perfectè arripit, mundum etiam planè derelinquit: & eo fundiitus temporalibus moritur, quo ad supernam vitam altiùs afflatu æternitatis animatur.] Nec mihi mirum videtur, si amor Dei amorem rerum labentium obruat, & gustus virtutis falsam mundanorum affectuum dulcedinem pandat, quia commune est, vt res pulcherrima, amore, & possessione habita, obliuionem rei turpis inferat, & vera dulcedo contemptum fucatæ suauitatis inducat. Vnde qui amore diuinæ pulchritudinis captus est, quid mirum, si amorem rerum inanium respuat; & suauissimo virtutis cibo refectus, si amaritudinem curarum sæcularium abiiciat? Et quidem ob hoc solùm spiritualia bona essent appetenda, etiamsi nihil aliud, aut honestatis, aut voluptatis, aut vtilitatis haberent, quia desideria temporalium tollunt, & famem ac sitim omnium visibilium extinguunt. Hoc enim per se valdè honestum est, inanibus & superuacuis desideriis carere: hoc valde delectabile, curas affligentes, & cruciantes excludere: hoc admodum vtile, cupiditates noxias relegare. Quòd si animo immortali, & ad Deum possidendum creato, iniuriosum est, eum stercori, & cœno subiicere, honorificum erit, ipsum splendidissimo virtutum indumento vestire, & super omnia terrena, & visibilia collocare. Vtrumque verò præstat desiderium virtutis, quod & studium virtutis & bonorum operum parit, & omnibus, quæ mundus amat, contradicit. Illis verò resistere est, ipsa pessundare, & affectuum pedibus conculcare.

Aliquid verò ampliùs habent spiritualia bona, vltra id, quod est desideria temporalium sopire, propter quod essent à nobis optanda, illud scilicet, quòd immortali animo satisfaciunt, & sine vllo fastidio, dulcedine sui ipsorum exatiant. Cui doctrinæ astruendæ & confirmandæ satis sufficeret dictum Saluatoris, esurientes & sitientes iustitiam beatos appellantis; quoniam ipsi, inquit, saturabuntur.] Quo nam saturandi sunt? Certè non tantùm præmio æterno & mercede cœlesti, quæ illos manet, sed etiam in hac vita ipso solidissimo, ac suauissimo cibo virtutis. Hunc autem sensum Chrysostomus indicauit, dicens: Noli iustitiam exercens formidare paupertem, neque famem timere, cùm certè illi magis omnibus bonis excidant, qui aliena diripiunt: vt ex aduerso ille, qui iustitiam diligit, tutissimè omnia bona possidet.] Non ergo omnis iustorum saturitas futura est, sed in præsenti vita, illis saturitas, & plenitudo quædam non repugnans mortalitati datur, quæ ab ipsa virtutis exercitatione procedit. Humilis namque non solùm honores & dignitates, & adulatorum laudationes non appetit, verùm ipsa quoque pulchritudine humilitatis quiescit: mansuetus non tantùm vindictam, & vltionem non quærit, sed & ipsa suæ mansuetudinis possessione satiatur: castus non solùm carnis impuras voluptates aspernatur, sed etiam sua est animi, & corporis voluptate contentus. Quam sanctorum tranquillitatem, ac saturitatem sub cortice literæ beatus Iob eleganter inuoluit, dum ait: Ibi impij cessauerunt à tumultu, & ibi requieuerunt fessi robore. Et quondam vincti pariter sine molestia, non audierunt vocem exactoris. Paruus & magnus ibi sunt, & seruus liber à Domino suo.] Quid est ibi? nisi in solitudine, in qua iustus ab strepitu peccatorum fugit, & ab omni perturbatione se curarum temporalium abscondit? In hac solitudine quondam impij, sed per gratiam Christi ab impietate liberati, & ad iustitiam & pietatem translati cessant à vitiorum tumultu, quia ne à vitiis perturbentur; se ipsos à fœditate & clamore eorum diligenter expurgant. Ibi fessi ad res mundanas robore diuinæ virtutis, quæ eos ad sæcularia infirmos,

Dan. 8. *Gen. 32.* *Greg. 4. mor. c. 39.* *Ps. 118.* *Psal. 83.* *Matt. 5.* *Chrysost. Hom. 15. in Matt.* *Iob. 3.*

& ad spiritualia fortes efficit, læti, exultantesque A quiescunt, quoniam virtutis diuitiis cumulati, nullo voluptatum, aut honorum desiderio importunè mordentur. Ibi antea vincti manibus desideriis, sed nunc subsidio gratiæ à nexibus exoluti viuunt sine vincente aut perturbante concupiscentiæ molestia, nec vocem dæmonis audire sustinent, qui tamquam durus exactor tributa delictorum extorquet. In hanc solitudinis, seu tranquillitatis domum non tantùm magni, verùm & parui recipiuntur, quia quisque pro mensura virtutis à seruitute peccati liberatur, & in requiem à vanis desideriis admittitur. In hoc statu iustitiæ, & in hoc felici gustu *Ps. 147.* virtutis Dominus animam adipe frumenti, id est, ipsa soliditate puritatis satiat, & aqua internæ munditiæ *Ioan. 3.* refrigerat, vt impleat illud, quod Apostolæ Samari- B *Ierem. 2.* tanorum dixit. Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum.] Quid enim sitiat anima, & quid quærat viam Ægypti, vt bibat aquam turbidam, & viam Assyriorum, vt bibat aquam fluminis,] quæ clarissimo, & stabilissimo virtutis fonte potatur, cuius aqua concupiscentiæ calorem temperat, & quicquid vitiosum est, & quicquid tempore labitur, sine contradictione fastidit?

At ne prætermittamus causam, propter quam spiritualia bona animo satisfaciunt, & illum desiderius temporalium exoluunt. Causa quidem est, quoniam ista bona (vt suprà tetigimus) propria alimenta sunt animi, quæ Deus in eius conseruatione & augmentum spirituale produxit, ideóque sine vlla distentione replent, & sine vllo fastidio illum exa- C *Gen. 2.* tiant. Sicut enim Dominus in illo fœlici innocentiæ statu poma arborum hominibus dedit in cibos, quorum suauitate se oblectarent, & corpuscula alimento indigentia reficerent; ita dat illis in statu iustitiæ poma virtutum pulcherrima, atque suauissima, quorum esu non tam mortalia corpora, sed spiritus mentésque sustentent. Si autem vnumquodque proprio cibo alitur, sibi à natura tributo, & si illum abundanter comedat, satiatur, quis ambigat virtutis cibum mentem alere, & eam sine molestia satiare, quo potest se non ad angustam mensuram, sed ad voluntatem reficere? Hunc cibum esse, qui animæ satisfaciat, & eius expleat desideria, regius vates non diffitetur. Cùm enim beatum eum pronunciasset, qui D à Domino ad vitam spiritualem eligitur, & in sui consortium assumitur, & in atriis Dei, hoc est, in sancta conuersatione, per quam in cœlū ingredimur, *Psal. 64.* habitator ingreditur, quid dicit? Replebimur, inquit, in bonis domus tuæ, sanctū est templū tuum, mirabile in æquitate] Vbi id Domine fuerimus assequuti, vt in sancta, & pura conuersatione viuamus, tunc non esuriemus, nec sitiemus, quasi cibo nostro vacui, sed domus tuæ bonis replebimur. Sed quæ sunt ista bona domus tuæ? an honores mundani omni vento inatores? an opes perituræ, quæ si fures non effodiāt, nec tinea corrodat, sua corruptibilitate depereunt? an fœdæ deliciæ, quas vilia etiā iumenta præsumunt? non sunt ista Domine bona domus tuæ, qui sanctum E est templum tuum, mirabile in æquitate. Domus tua templum tuum est, vel illud cæleste, in quo ab Angelis, & sanctis possideris; vel istud cor humanum à vitiis expeditum, in quo sanctis affectibus adoraris. Hoc templum tuum sanctum est, quia tibi consecratum, quia virtutum ac donorum varietate vestitum. Hoc templum tuum æquitatis plenum est, in quo & tibi, & proximis debitum redditur], & nihil ab aliquo per iniustitiam accipitur. Ergo bona huius templi tui, huius domus tuæ virtutes sunt, siue illæ, quibus quisque se ipsum, & sua interiora ordinat; siue illæ, quibus proximis non debita denegat. His bonis replebimur, & satiabimur, cùm secundùm præscriptum domus tuæ, & secundùm leges spiritualis conuersationis viuemus. Alio verò loco ista virtutis bona non tantùm animam & vires eius explere, sed & desideria nostra satiare commemorat. Qui replet, inquit, in bonis *Psal. 102* desiderium tuum, renouabitur vt aquilæ iuuentus tua.] Quid ô homo, desideras? An peccatorum veniam? an vulnerum medicinam? an de spirituali morte victoriam, an donorum & miserationum abundantiam? sed replebit ille his omnibus bonis desiderium tuum, vt quod postulaueras, assequaris; quod desideraueras, teneas, & bonis, quæ sitieras, facieris: Quid autem est: Renouabitur vt aquilæ iuuentus tua? nisi quòd sicut homo optimis cibis abundè refectus, tum esuriem, & imbecillitatem pellit, tum vires ad laborandum, & currendum resumit: ita anima spiritualibus bonis repleta, fortior ad bona, quæ non habet, consequenda, & robustior redditur, & in dies nouis virtutum incrementis cumulatur. Huius versiculi renouabitur vt aquilæ iuuentus tua] interpretatio est, illa Apostoli Petri sententia: Si- *1. Pet. 2.* ne dolo lac concupiscite, vt in eo crescatis in salutem: si tamen gustatis, quoniam dulcis est Dominus.] Illi namque diuinam dulcedinem gustant, qui bonorum operum experimento, virtutum cibo saginantur. Hi verò lacte doctrinæ cœlestis pasti, (quæ non tantùm in cognitione virtutis, sed in operatione quoque posita est) lac, quod nondum acceperunt, auidè concupiscunt, secundùm illud: Qui edunt me, adhuc esurient,] vt quotidiana salu- *Eccl. 24.* berrimi cibi sumptione, viribus augeantur, & ad præripienda noua perfectionis incrementa conualescant.

Si ergo nos bona temporalia quantumuis magna, & copiosa non explent, & bona spiritualia vel leuiter gustata satiant, & ad expugnandam arcem perfectionis magis magísque corroborant, contemnamus illa quasi inutilia, & appetamus ista; atque in his nostra desideria, & cordis nostri famem, & sitim occupemus. Melius est, ô homo, *Eccl. 6.* inquit Salomon, videre quod cupias, quàm desiderate quod nescias.] Opta itaque humilitatem, spiritus paupertatem, vitæ & morum integritatem, quam si rectè concupiueris, aliquando non à longè, sed propè, imo & in tuo corde videbis. Non verò desideres temporalia bona, quæ nescis, an tibi vtilia futura sint; & ea numquam vsque ad satietatem apprehendes. Patres illi legis antiquæ fœlices existimati sunt, quia solùm iuxta fidem defuncti, & non acceptis regis Messiæ promissionibus, sed à longè eas aspicientes & salutantes abie- *Hebr. 11.* runt. Quanto tu illis beatior, atque fœlicior, quia si Christum cupis, & virtutis studium, ac eius imitationem exoptas, non illum à longè aspicis, nec post multa tempora nasciturum salutas, sed iam natum, iam passum, iam viuentem, iam gloriosum. & ad dexteram Patris assumptum, vita sequeris, imitatione tenes, sanctis affectibus in corde recondis, & post casum infirmi parietis, id est, mortalis carnis, non per speculum in ænigmate, sed facie ad faciem ipse videbis. Hoc summum bonum tam præsens concupisce, hanc pulchritudinem non iam longè positam, sed propinquam desidera, quæ te non famelicum, & sitibundum relinquet, sed vel modica copia sui omnes sinus tui cordis explebit. Si Christum sponsum dulcissimum semel perfectæ virtutis ministerio possideris, fat scio ridebis omnia

tempo

temporalia, & tui cordis tranquillitatem admiraberis, & dices non sine canticis, & iubilo, paucis immutatis illud beatissimæ Agnetis: Quod concupiui, iam video, quod speraui, iam teneo, ipsi sum iunctus in intimis meis, quem in primordiis conuersionis meæ tota deuotione dilexi.] Si enim Dominus in cordibus illorum habitat, qui charitate ornati sunt, iuxta illud: Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.] Quid mirum, si ipsi Deum possidentes tanto bono saturentur, tantis diuitiis repleantur, & summæ pulchritudinis, & sanctitatis (qui Deus est) possessione lætentur. Quod si verùm est illud Salomonis prouerbium, & non dubium, quin verum sit: iustus comedit, & replet animam suam: venter autem impiorum insaturabilis:] ne desideremus, quæ impij desiderant, quæ licet possessa, semper nos vacuos, inanes, & adhuc desiderantes relinquent, sed quæ iusti desiderant, cupiamus. Hæc nostra desideria replebunt, hæc cordi nostro pacem & tranquillitatem impertient. Quòd licèt ampliùs proficere appetet (nam molle ampliùs spiritu crescere tepidorum est) non tamen eo, quod habet licèt parum sit, vacuus & inanis permanebit. Mirum in modum igitur anima ad cupiendam perfectionem excitatur, dum videt sua desideria numquam bonis temporalibus satiari, & sola charitatis, & virtutis (qua Deus habetur) abundantia repleti.

Ioan. 14.

Prou. 13.

Quartum excitatorium desiderij perfectionis, quod Deus impensè vult, vt perfectionem quæramus.

CAP. VIII.

IN curiis & palatiis regum multa sunt, quæ apud aulicos valent, & eos ad diuersa studia, & varias occupationes sectandas, impellunt, sed nihil est inter hæc omnia, regis desiderio ac voluntate potentius. Hæc enim, vt primum cœlum alios inferiores orbes secum rapit, ita voluntates subditorum mouet, & ad id, quod rex vult, siue bonum, siue malum, perficiendũ inclinat. Nec clauus in potestate peritissimi gubernatoris positus, tam facilè nauim huc aut illuc dirigit; quàm vna voluntas principis maiorum ac minorum voluntates, seu desideria gubernat: Secundùm iudicem populi, inquit Ecclesiasticus, sic & ministri eius: & qualis est rector ciuitatis, tales & inhabitantes in ea.] Si rex bellicosus sit, & ad pugnas & prœlia procliuis, tunc apud suos disciplina militaris viget, tunc nemo est, qui non bellorum desiderio ardeat, & qui non lætus arma ad pugnandum arripiat. Si rex pacificus sit, & quietus, tunc florent literæ, tunc optimi gubernatores turmatim prodeũt, qui quæ ad pacem pertinent, prudenter tractent, & rempublicam in serena quadam tranquillitate contineant. Si rex iustitiæ, & integritatis amator sit, statim vitia diffugiunt, & aulici, si aliquando præ carnis fragilitate delinquant, tamen summa cura defectus suos ab oculis regis abscondunt: si verò vitiorum, ac libidinum sit affectator, tunc omnia iniquitatum genera in regnum irrumpũt, & de virtutibus læta triumphant, impletúrque in subditis illud Isaiæ, quia peccatum suum quasi Sodoma prædicauerunt, nec absconderunt] imò tamquam de rebus pulcherrimis de flagitiis se iactant. Rex iustus, inquit Salomon, erigit terram: & rex insipiens perdet populum, & ciuitates inhabitabuntur per sensum potentium.] Ipsi omnes libenter obtemperant, & vt est in libro Esdræ: si dixerit, occidite, occidunt; dixerit, remittite, remittunt: dixerit percutite, percutiunt: dixerit, exterminate, exterminant: dixerit, ædificate, ædificant: dixerit, excidite, excidunt: dixerit, plantate, plantant: & omnis plebs, & virtutes eum obaudiunt.] Tantùm valet apud subditos principis voluntas, & regis à domino dominationis concessa potestas. Satis apertè istud in historia Herodis conspicitur: qui ad aduentum Magorum, & ad nouam, & inauditam eorum interrogationem turbatus est, & omnis, inquit sacer scriptor, Ierosolyma cum illo. Vna enim perturbatio capitis tamquam vertigo totum corpus regni turbauit, & hæsitatione, atque affectu principis impediuit. Alter autem Herodes prædicti filius, & iniqui genitoris iniqua progenies, Saluatorem nos humilitatis viam edocentem, & vanitatem opinionum mundi huius ostendentem, spreuit, & statim exercitus ducem sequutus est; & quem imperator spreuit, milites spreuerunt, cui illusit, illuserunt, & stulti veste circundatum salutis Authorem amandarunt. Quem si Herodes suspexisset, absque dubio & ipsi suspicerent, & reuerentiæ signis honorarent. Quid nunc morer, & primam illam ac miseriam mundi tragœdiam commemorem, qua vnus Lucifer inter Angelos primatum tenens, & superbia turgidus, terram Angelorum partem eodem morbo, quo ipse ægrotabat, infecit, & è cœlesti sede in terrarum deturbauit? Cauda eius, inquit, nec dubium, quin imitatio eius, trahebat tertiam partem stellarum.] Hæc mala afferunt populis principes mali, è contrario verò populos ad omnem virtutem, & integritatem instigant principes boni. Nam & vnus Ezechias, impiissimi progenitoris excelsa dissipauit, statuas contriuit, lucósque subuertit, & subditos ad impietatem, & idololatriam currentes suo exemplo ac voluntate detinuit, & in vnius veri Dei cultum reuocauit. Quare mihi videtur voluntas principum tincturæ comparanda, quæ voluntates minorum eo colore imbuit, qui in regis mente præfulget. Nam si ista sit impura, atque præpostera, subditorum voluntates fœdat, si verò æqua, & iusta, eorundem voluntates rectificat.

Eccl. 10.

Isaiæ 3.

Prou. 29.

Eccl. 10.

3. Esdr. 4.

Matt. 2.

Luca 23.

Apoc. 12.

4. Reg. 18

Ecclesia autem regnum quoddam est, non periturum, sed perpetuum, aduersus quod portæ inferi non præualebunt.] Huius regni ipse Deus noster est rex, de quo inquit Dauid: Quia Deus magnus Dominus, & Rex magnus super omnes Deos. Quia in manu eius sunt omnes fines terræ, & altitudines montium ipsius sunt.] Æquum est ergo, vt nos populus pascuæ eius, & oues manus eius, ipsius voluntate gubernemur, ipsiusque sanctissimis desideriis annuamus. Satis enim honorificum nobis est, regis nostri voluntati non contradicere, & admodum vtile ad eius nos desideria conformare. Sed quis nobis edicet voluntatem Domini, quis desideria nostri regis aperiet, vt ea implere satagamus? An ipse, qui apud Ieremiam dicitur bellator fortis] optat vt bellatores simus, & nihil aliud nisi arma, & bella, ac pugnas resonemus? An fortè ipse, qui etiam vocatur princeps pacis.] vult vt in pace, & tranquillitate viuamus? Et quidem vtrumque cupit, & in nobis subditis suis impensè desiderat. Nam vt ad perfectionem, & sanctitatem aspiremus, vehementer optat: quæ & bella aduersus vitia, & immoderatas affectiones nostras, & pacem cum virtutibus, & cum proximis nostris concor-

Matt. 16.

Psal. 94.

Ierem. 20.

Isaiæ 9.

diam

diam includit. Hoc autem esse desiderium Regis, ac Dei nostri, propheta regius non obscurè indicat, dum ita canit: *Psal.13.* Dominus de cœlo prospexit super filios hominum, vt videat si est intelligens aut requirens Deum.] Si enim quisque attentè respiciat, an ea fiant, quæ fieri desiderat, non dubium quin Dominus homines sapientes, & se sequentes, & diligentes exquirens, eos in mundo esse, & in omni sanctitate perseuerate vehementer affectet. Nec solùm de cœlo despexit, vt homines aspectu suo salutari à peccatis abduceret, & ad amorem sanctitatis conuerteret, sed & vt hoc efficaciùs suauiúsque præstaret, de cœlo in terram ipse descendit. Positúsque in medio mortalium, vt eis causam sui aduentus patefaceret, non sine clamore & magna sui desiderij ostensione effatus est: *Ioan.7.* Si quis sitit, veniat ad me, & bibat. Qui credit in me, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ.] Ipse sitiens salutem nostram, & siti nostræ perfectionis arctatus, nihil hoc loco nisi sitim suam cogitat, quam scit, non nisi siti nostra posse restingui. Ideo sitibundos quærit, sitientes vocat, aquam viuam suspirantes compellat, qui iis, quibus se pro amore Dei priuant, eius sitim exaciant. Nec tamen sine mercede rebus sæculi abstinent, vt sancti fiant, & sua puritate Deum sitientem potent, quoniam in præmium non aquam turbidam, sed aquam viuam, & in vitam æternam salientem ipsi recipient. Descendit igitur Deus, vt homo ad sanctitatem ascenderet, esuriuit ille, vt iste vesceretur, & suauissimos virtutis cibos nequaquam fastidiret. Declinaui ad eum, inquit per Oseam, vt vesceretur. Declinauit, cùm carnem induit, domos luteas incoluit, *Osee.11* & inter homines ambulauit, id verò fecit, vt homo auidissimè virtutis cibos comederet, & seipsum immortalitatis pane reficeret. Declinauit ad nos, quia famem, & sitim nostri perfectus patiebatur, vt dum nos suis monitis & exemplis proficeremus, ipse se profectibus faciaret. Hos quippe esse cibos, quibus spiritualis Iacob pater noster libenter vescitur, & quos præ omnibus appetit, Bernardus in hunc fere modum exponit. *Bernar. ser.71. in cant.* At pascens ita puto, nihilominus pascitur ipse, & quidem escis, quibus libenter vescitur, profectibus nostris. Etenim gaudium Domini fortitudo nostra. Ita ergo & cùm pascit, pascitur, cùm pascit, simul nos suo gaudio spirituali reficiens, & de nostro æquè spirituali profectu gaudens. *Psal.110.* Cibus eius pœnitentia mea, & cibus eius salus mea, cibus eius ego ipse. An non cinerem tamquam panem manducat?] Ego autem quia peccator sum, cinis sum, vt manducer ab eo. Mandor, cùm arguor; glutior, cùm instituor; decoquor, cùm immutor; digeror, cùm transformor; vnior, cùm informor.] Nec putandum est, cibum istum salutis nostræ, & perfectionis nostræ, quia cineri comparatur, esse gustui Domini insulsum, & ob id minùs appetibilem: nam solent interdum nimis ægroti cibos dulces, & salubres horrere, & cibos insuaues postulare. *Isai.53.* Ideóque Dominus, qui, vt est in Isaia, ægrotationes nostras assumpsit,] & morbo impatientis amoris in cruce decubuit, cibos dulces, id est, homines corpori seruientes, & in croceis, & in lectulis delicatis lasciuientes exhorruit, & mentes contritione amaras, & cinere humilitatis coopertas, velut cibũ suauissimum appetiuit. Hoc ergo desiderium puritatis, & profectus nostri æterni Regis mentem sollicitat, illúdque in cruce manifestare voluit, dũ quasi omnium suorum laborum oblitus, solius *Ioann.19.* sitis memoriam fecit, dicens: Sitio:] Qui enim dolores & cruciatus intolerabiles, ignominias horribiles, & contemptibilem nuditatem, patientissimè sustinebat, bene posset sitim dissimulare, nisi eam ad ostendendum desiderium nostræ perfectionis manifestare oporteret. Iam dixit: sitio. Iam desideria sui purissimi cordis aperuit. Iam ostendit se ignoscere peccatis nostris, & singulis momentis nos beneficiis offundere, vt à nobis aquam puritatis extorqueat, ne illi acetum, & fel imperfectionum offeramus, (esset enim detestanda ingratitudo) sed quod ipse petit, & cupit, nimirum vitam quoad fieri poterit, immaculatam purámque donemus.

Non sola verò illa vox, Sitio, in cruce prolata, huius est desiderij nostri Regis indicium, verùm omnia quæcumque inter homines viuens, dixit, & fecit, & quæcunque nunc ad opus nostræ salutis operatur, apertè indicant suæ voluntatis, & desiderij esse, ne nos pereamus, ne tamquam in cœno in vitiis, & imperfectionibus hæreamus, sed ad omnem virtutem, & sanctitatem aspiremus. Ad quid enim ambitionis, & inanis gloriæ, & indignationis, & aliorum vitiorum fœditatem patefecit, nisi, vt nos, quæ ipse odio habet, detestaremur? Ad quid virtutis pulchritudinem, & bonorum operum paratam mercedem edocuit, nisi vt ea sectaremur? Ad quid legem Euangelicam tulit, sacramenta constituit, exemplo, ac verbo in via virtutis erudiuit, & immensis beneficiis allexit, nisi vt eius desiderium, quod non est aliud, quàm salus nostra, diligenter imploremus? Ad quid tandem nunc interiùs inspirationibus, & exteriùs voce maiorum monet, benegesta laudat, & præposterè facta reprehendit, nutantes confirmat, dormiturientes excitat, hæsitantes instimulat, currentes animat, postulantes exaudit, & remedium salutis poscentibus opitulatur, nisi quia vult, vt omnes (quod ad se pertinet) vniuersis vitiis, & peccatis abstineant, & sanctitatem, ac omnium virtutum thesauros consequantur? Si qui verò ad aliquam huius internæ salutis portionem perueniant, ipse gaudet, vt amantissimus Pater; ipse Angelos, & sanctos ad gaudium & lætitiam inuitat, ipse nouis desideriis innouatum, & nouo feruore ad vitam spiritualem conuersum, amplexatur, dicens: Manducemus, & epulemur; quia hic filius meus mortuus erat, & reuixit, perierat, & inuentus est.] *Luc.15.* Dies namque lætitiæ est summæ bonitati, cùm in aliquam animam stillam suorum bonorum effundit; & exultatio est bonis & iustis, si videant, aliquem nunc primùm iustitiam sectari, & viam sanctitatis arripere. Sophonias quidem spiritu Dei actus, hoc Dei desiderium, vt ad perfectionem curramus, & hanc eius lætitiam, si currimus, vno loco coniunxit Dominus Deus tuus, inquit, in medio tui fortis, ipse saluabit, gaudebit super te in lætitia, *Sophon.3.* silebit in dilectione sua, exultabit super te in laude.] Deus quippe fortis est in medio animæ, quia ad eam protegendam, & liberandam in medio cordis eius inhabitat. Ipse eam saluat, id est, à peccatis, à periculis, à dæmonis tentationibus liberat: & hoc ipso se animæ salutem, & puritatem desiderare, & sitire patefacit. Gaudet super eam lætitia magna, cùm viderit eam ad sanctitatem currere, & ad omnem virtutum perfectionem festinare. Quis enim non gaudeat de bonis suis? Bona autem nostra, & perfectio nostra, bona Dei sunt, quia sicut nos membra eius sumus, ita nullum bonum, quod ab eo alienum sit, in nobismetipsis habemus. Quòd si aliqui defectus, aliquæ maculæ in anima perseuerent, ipse silet ob dilectionem suam, qua illam diligit, & patienter dissimulat, non vt maculas probet, sed vt eas opportuno tempore abradat. Nec

solùm

solùm gaudet, sed exultat, & quasi tripudiat ob conceptam animæ à se dilectæ puritatem, & Patrem, qui illam prælegit, & vocauit, & nunc ad capessendam perfectionem adiuuat, iubilo perpetuo collaudat. Idque meritò, quoniam ad hoc Saluator noster venit in mundum, vt nos regeneraret, vt imaginem peccati deleret, & nos fratres suos, & Dei filios, eique similes faceret. Hoc verò tunc ipse consequitur, cùm nos Adæ vetusta indumenta deponimus, & iustitiæ vestem induimus. Vnde bene Augustinus ait: Cogitemus nos tanto similiores Deo quanto esse poterimus eius participatione iustiores. Si ergo eius opus est regeneratio nostra, si eius opus est sanctitas, & puritas nostra, quid mirum, si desideret opus suum perfici, & sanctitatem à nobis comparari? Quid mirum, si gaudeat & exultet, cùm nos viderit eam virtutis mensuram acquirere, propter quam nobis dandam, tanta & tam mirabilia fecit, & tot laboriosa & indigna sustinuit?

August. epistola 85. ad Consent.

Et sanè (vt omnia dicamus) hoc Dei desiderium, quo nos sanctos ac perfectos esse cupit, zelus est, qui metas iam desiderij transilit, & omnem iustitiæ famem, ac omnem sitim excedit. Sicut enim sponsus qui amore zelotypiæ exæstuat, solet sponsam miris modis affligere, & custodibus, & vectibus, ac feris obseruare, timens in amore consortem: ita Dominus, qui ait apud Zachariam: Zelatus Sion zelo magno, & indignatione magna zelatus sum eam] non tantùm ab anima amari desiderat, sed eam ne aliud amet, quoque in rebus visibilibus suum amorem collocet, tribulationibus pulsat, & tristitiis ac doloribus percutit. Hinc quosdam iustos corporis doloribus & ægritudinibus tangit, alios desolationibus, & ariditate mentis exercet, alios dæmoni tentandos, & timoribus affligendos tradit, alios ab hominibus spoliari, & lacerari permittit, non quia eos odio habeat, sed quia vitæ ipsorum emendationem & perfectionem desiderat. Quare desiderium transit in zelum, quem sola vitæ puritas leniet, solum studium perfectionis inflectet. Hoc zelo incitatus ipse vulnerat nos, & medetur, vt ait Iob, percutit, & manus eius sanabunt.] Vulnerat nonnumquam exteriùs iustorum corpora, vt animabus medeatur, & vitiorum vlceribus curationem afferat. Perculit quoque aliquando afflictionibus, & tristitiis ipsorum animas, vt eas ab amore terrenorum abducat. Et manus eius, quæ percussit, ipso vulnere salutem facit, quia tribulatione, aut labore tamquam aptissimo medicamine, in ipsam mentem incolumitatem virtutis inducit. Hunc verò sensum his verbis Gregorius aperuit: Duobus modis omnipotens Deus vulnerat, quos reducere ad salutem curat. Aliquando enim carnem percutit, & mentis duritiam suo pauore tabefacit. Vulnerando ergo, ad salutem reuocat, cùm electos suos affligit exteriùs, vt interiùs viuant. Vnde per Moysem quoque loquitur dicens: Ego occidam, & ego viuere faciam; percutiam, & ego sanabo.] Occidit enim, vt viuificet, percutit, vt sanet: quia idcirco foris verbera admouet, vt intus vulnera delictorum curet. Aliquando autem etiam si flagella exteriùs cessare videantur, intus vulnera infligit, quia mentis nostræ duritiam suo desiderio percutit, sed percutiendo sanat; quia terroris sui iaculo transfixos, ad sensum nos rectitudinis reuocat. Corda enim nostra malè sana sunt, cùm nullo Dei amore sauciantur, cùm peregrinationis suæ ærumnam non sentiunt, cùm erga infirmitatem proximi, nec quamlibet minimo affectu languescunt, sed vulnerantur, vt sanentur, quia amoris sui spiculis, mentes Deus insensibiles percutit, moxque eas sensibiles per ardorem charitatis reddit. Vnde & sponsa in canticis canticorum dicit: Vulnerata charitate ego sum.] Malè enim sana anima, atque in huius exilij statu cæca securitate prostrata, nec videbat Deum, nec videre requirebat: perculsa autem charitatis eius spiculis, vulneratur in intimis affectu pietatis, ardet desiderio contemplationis, & miro modo viuificatur ex vulnere, quæ priùs mortua iacebat in salute, æstuat, anhelat, & iam videre desiderat, quem fugiebat] His omnibus declarat Gregorius quam ob causam nos Deus aut interiùs, aut exteriùs feriat, vt scilicet tamquam zelator fortis, animas nostras in solo suo amore contineat. Quare satis ostendit se salutem ac perfectionem nostram impensè percupere, quam inspirationibus, præceptis, cõsilijs, beneficiis, & plagis in nobis tum efficere, tum augere procurat. Si ergo omnes subditi se ipsos volũtati & desideriis regis accommodãt, & ea omnimodis implere satagunt; nos qui summi Regis serui, & habemur, & sumus, qui insignibus domus eius induimur, qui in præmium æternum oculos mentis intendimus, æquum est, & omnino debitum, vt eius voluntatem sectemur, & eius desideria compleamus. Ostendamus nos seruos, & filios Dei in hoc, quòd si ipse salutem nostram sitit, perfectionemque desiderat, eandem nos non tantùm desiderare, sed & opere, ac vitæ conuersatione exercere curemus. Sit volũtas Dei apud suos, apud illos scilicet, quos non tributis onerat, sed sanguine suo redimit, regis terreni voluntate potentior. Et si hæc nonnumquam à iusto deuians, subditos ad proprium excidium, & perniciem pertrahit, illa semper recta, imò ipsa rectitudo spirituales viros ad summam animarum suarum dignitatem, scilicet, perfectionem, abducat. Vna voluntas Mosis cupientis tabernaculum ædificare Domino, populum vniuersum adegit, vt libentissimè opes suas, & quicquid habebant, in opus destinatum tribuerent. Egressáque omnis multitudo filiorum Israel de conspectu Moysi, obtulerunt mente promptissima atque deuota primitias Domino ad faciendum opus tabernaculi testimonij.] Vna etiam voluntas Salomonis, templum extruere volentis, vniuersos Israelitas ad ædificationem incitauit, & plurimos eorum ad laborem applicuit. Elegitque rex Salomon operarios de omni Israel, & erat indictio triginta millia virorum. Mittebátq; eos in Libanum decem millia per menses singulos vicissim. Fueruntque Salomoni septuaginta millia eorum, qui onera portabant, & octoginta millia latomorum in monte, absque præpositis, qui præerant singulis operibus numero trium millium, & trecentorum, præcipientium populo, & his qui faciebant opus.] Horum principum voluntas in subditos suos hoc potuit, & voluntas omnipotentis Dei nos creaturas suas, ad templum perfectionis extruendum applicare non poterit? Equidem poterit, & faciet quodcumq; voluerit, nos ne simus ferrei rebelles, sed obediamus ei, Regis nostri voluntatem sequamur, summi Imperatoris desiderio formemur, quod ipse in nobis vult, velimus; quod ipse cupit, cupiamus: & ad perfectionis, & puritatis animarum nostrarum opus, quod ipse in nobis perficere cupit, festinemus.

* * *

Zach. 8. — *Iob. 5.* — *Greg. 6. mor. 18.* — *Deut. 32.* — *Exod. 35.* — *3. Reg. 5.*

Quintum

Quintum excitatorium desiderij perfectionis: quod ipsum est signum inhabitantis gratiæ.

CAP. IX.

OMnes homines incessit cupiditas occulta noscendi: hæc ad ea quæ mentis oculos fugiunt, peruidêda incessanter aspirat: nec intelligentiæ humanæ insatiabilis appetitus, sola rerum cõmuniũ cognitione satiatur, sed abscondita & arcana videre cõtendit. Hinc humanæ artes ac disciplinæ originem habuerunt, quia mortales rerum nouarum cupidi, ex effectis causas, & ex causis rursum pleniorẽ effectuũ, & proprietatum notionem inuestigarunt. Hinc orta in hominibus effrænatis, & qui nesciunt suis affectibus modum imponere, futurorum cognoscendorum indiscreta cupido: qua volunt notione rerum super alios eminere, & quæ Deus sibi reseruauit, secreta rimari. Hinc in viris studiosis assidua, & importuna operum naturalium inuestigatio, qua & mentem aliquando vtiliter, aliquando infructuosè occupant, & corpus extenuant, & plures annos, imò interdum omnem ætatem insumunt. Huic naturali appetitui sciendi, quatenus rationi & virtuti subiectus est, gratia se interdum accommodat, dum spirituales viros ad meditanda cœlestia, & ad profundorum Dei inquisitionem inclinat. Quæ profectò rerum naturalium etiam abditissimarum cognitione vtilior est, quia meliora & altiora consequitur; quia in diuinæ sapientiæ, bonitatis & potentiæ admirationem rapit; quia pios & sanctos affectus excitat, & voluntatem ardentissimo ac purissimo amore conditoris inflammat. Inter hæc verò, quæ naturam superant, eorum cognitio si non altior, at iucundior est, quæ ad ipsum scientem & inuestigantem spectat. Nam sicut quisque se ipsum, quàm alium impensiùs amat, ita quæ ad se pertinent, vehementiùs scire desiderat. Quare (vt nunc Saulis superstitiosam curiositatem omit- *1. Reg. 28* tam, qui volunt euentum belli excitato Samuele præ- *Matt. 19.* noscere) certè Petrus cognoscendi præmium desiderio tenebatur, quo omnium rerum dimissio, esset sibi, & aliis Apostolis Domini liberalitate soluen- *Matt. 20.* da. Filij quoque Zebedæi ad postulandas primas sedes venerabilem matrem impellunt, vt scirent, quam sortem in regno Christi, quem ve locum *Luc. 22.* essent occupaturi. Et omnes discipuli in celebri illa cœna de primatu contendunt, non tantùm ambitione excellendi, sed etiam desiderio sciendi, quænam sors apud Dominum illos maneret. Ac forsitan ob id Apostolorum princeps est reprehensus, quod non tantùm genus suæ mortis, sed etiam discipuli dilecti ausus est interrogare, quasi in hoc immoderatam sciendi concupiscentiam præferret, quam non eorum, quæ ad ipsum pertinebant, cogni- *Ioann. 21.* tio satiaret. Et audiit: Sic eum volo manere, donec veniam, quid ad te? tu me sequere.] Quæ dicta sunt, vt videamus quantùm homini placeat cognitio futurorum euentuum, aut eorum ad se pertinentium, quæ, quia naturam superant, supremi gubernatoris decretum abscondit. Quòd si quælibet notitia secretorum homini grata est, quàm gratum ac iucundum erit illi, animæ suæ faciem aliquo modo cognoscere, quæ nec corporeis oculis videri po-

A test, nec sine speciali Dei auxilio, mentis luminibus spectari. Voco autem nunc faciem animæ, gratiæ diuinæ pulchritudinem, qua à Deo grata & amica cognoscitur, tamquam filia, aut sponsa charissima cordis affectibus adamatur. Anima enim quæ peccato fœdata est, quasi sine facie est, quia Dei imaginem, diaboli formæ, scilicet peccato, supposuit, & diuinam similitudinem in donis supernaturalibus constitutam, cœno iniquitatis obliniuit. Hanc faciem sanè pulcherrimam homo, sine speciali Dei illustratione certo, & sine dubio non potest cognoscere, quia nemo scit, an amore an odio dignus sit,] *Eccl. 9.* potest tamen ex aliquibus indiciis, & ex probabilibus argumentis verosimiliter coniectari. Quæ cognitio licèt obscura, & minùs certa, rerum naturalium cognitione certissima, tum præstantior, tum charior, & vtilior est, quia non
B naturam, sed gratiam, rem vtique altiorem pandit, quia donum præstantissimum, & amplissimum hominis detegit, quia in nobis gratitudinem aduersus Deum, & amorem, & desideria proficiendi succendit.

Istius faciei animæ, siue istius gratiæ animæ insidentis, & eam supra quam dici possit, ornantis, duodecim superiùs indicia tetigimus, quibus homo *Lib. 2. c. 3 & 4.* vtcumque cognoscit, se Deo gratum, & amicum existere, vnum tamen in hunc locum distulimus, quod in nobis desiderium perfectionis excitet, & ad omnis virtutis desiderium instiget. Illud autem est ipsummet desiderium perfectionis, quod qui non segne, non infirmum, sed ardens, & accensum habuerit, & ad opera mortificationis, & noui profectus incitans, se iam peccati statum exuisse, & gratiam, ac animæ pulchritudinem impetrasse, de
C diuina misericordia præsumat. Neque id ineptè, quia vehemens iustitiæ & perfectionis desiderium eandem iustitiam præsupponit, quæ non animam obtineret, numquam illam tam efficaciter ad quærendam sui perfectionem moueret. Profectò Leo Papa ita sentit, & ita loquitur, quasi magnum iustitiæ desiderium, ab ipsamet iustitia procedat. Felix mens, ait, quæ hunc concupiscit cibum, & *Leo ser. omnium sanct. c. 5.* ad talem æstuat potum: quem vtique non expeteret, si nihil de eius suauitate gustasset. Audiens autem dicentem sibi propheticum spiritum: Gu- *Psal. 33.* state & videte, quoniam suauis est Dominus] accepit quamdam supernæ dulcedinis portionem, & in amore castissimæ voluptatis exarsit: vt spretis
D omnibus temporalibus, ad edendam bibendamque iustitiam toto accenderetur affectu, & illius primi mandati apprehenderet veritatem dicentis: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo: quo- *Matt. 22.* niam nihil est aliud diligere Deum, quàm amare iustitiam.] Ex quo inter alia illud habemus, quod nostram assertionem confirmat, amorem scilicet, ac desiderium iustitiæ, quod verum & efficax sit, nequaquam ab amore Dei posse diuelli. Si autem hic à Dei per gratiam præsentia dimanat, iustitiæ quoque & perfectionis desiderium, eandem gratiam præsentem indicat, quæ animam iam iustitiam prægustantem, ad ampliorem amorem eius alliciat. Deus intus habitans est, qui ianuas cor-
E dis nostri pulsat, qui faces huius sanctæ concupiscentiæ admouet, qui hunc ignem desideriorum exsuscitat, qui animas charitatis igne feruentes postulationibus maioris gratiæ, & amplioris puritatis accendit. Iam istæ animæ venam purissimi auri, id est, charitatis inuenerunt, quam tanta auiditate perfodiunt. Iam cibum virtutis suauissimum prægustarunt, quem tam insuetis modis, & tot sanctis

adinuen

adinuentionibus, ad comedendum inquirunt. Iam intus sponsum habent, à quo tam potenter trahuntur, & post cuius odorem tam velociter currunt. Arbores, quæ si nondum fructus, at flores emittunt, vitam quidem vegetatricem participãt, sine qua nullo modo florerent, nec aduentum fructuum, florum odoribus quasi vocibus prænuntiarent: ita qui sanctorum desideriorum floribus exornantur, & vera concupiscentia sanctitatis rubescunt, non sunt longè ab spirituali vita, quæ post flores desideriorum abundè fructificat. Quælibet enim vita, sua habet desideria, & sua opera, ex quibus velut ex effectibus, & proprietatibus, qualis ipsa sit, apertè dignoscitur. Vita ambitioni & superbiæ dedita, desideria superba & ambitiosa profert: vitæ auaritiæ & quæstui deseruiens, desideria habendi, & congregandi diuitias gignit: vita voluptatibus impuris addicta, turpia & obscœna desideria procreat: vita carnalis desideria carnalia, & vita spiritualis desideria spiritualia emittit. Qui ergo desideriis spiritualibus sollicitantur, vt virtutem quærant, & cordis munditiem ament, puritatemque promoueant, non videntur diuinæ gratiæ, id est, vitæ spiritualis, expertes. Christus in eo conuiuio recumbit, vbi communes aquæ in optima vina vertuntur: qui in finem cõuiuij, id est, in tempus gratiæ, ad quam timores pœnæ, & promissiones præmiorum ordinantur, optimum vinum reseruat, iuxta illud: Tu autem seruasti bonum vinum vsque adhuc.] Ergo & Christus ab illo corde non abest, in quo frigida terrenorum desideria in feruida perfectionis desideria commutantur, quæ pristinæ ebrietati remedium afferunt, & mentem sobriam, & omnis boni amatricem inducunt. Nam quis potuit terram nostri cordis sanctis desideriis excolere, & immunda, atque inquieta temporalium desideria conuellere, nisi ille, qui in medio discipulorum positus, pacem, quam ore protulit, mentibus attulit, & vno verbo omnes timores, & omnem turbationem profligauit?

Ioan. 2.

Ioan. 20.

Ista itaque perfectionis desideria indicia sunt inhabitantis gratiæ, quæ animæ vitam, & nonnullam salutem attribuens, opera perfectionis vt suauia proponit, & in eis non amaritudinem, sed dulcedinem sentit. Ille namque cibus cœlestis, & Angelorum manibus populo Israelitico præparatus, omniũ saporum habebat suauitatem, quam (teste Augustino) non omnibus, sed bonis, & Deo fidelibus ministrabat. Illis enim qui dicebant: Quis dabit nobis ad vescendum carnes? Recordamur piscium, quos comedebamus in Ægypto gratis. Nihil aliud respiciunt oculi nostri, nisi Man,] satis insulsus videbatur, cui cibos vilissimos præferebant. Ita virtus, atque perfectio, iustis & bonis dulcis est, malis & iniquis insulsa, & amara. Vnde, qui perfectionem dulcem, & suauem sentiunt, & eius suauitate illecti nihil aliud quàm sui abnegationẽ, quàm virtutis opera, quàm mentis puritatem esuriunt, & sitiunt, meritò cum iustis computantur, à quibus nec desideriis, nec vita desciscunt. Quam ob rem Bernardus optimè non tantùm virtutis opera, sed etiam virtutis desideria gratiæ signa esse confirmat. Testimonium, inquit, præsentiæ eius præbent opera ipsa salutis, & vitæ, quæ nullatenus agere possemus, nisi spiritus, qui viuificat, spiritus Saluatoris adesset. Quæramus igitur, vt dona sua multiplicet Deus in nobis & spiritũ suum augeat, qui iam primitias dedit. Nullum enim omnino præsentiæ eius certius testimonium est, quàm desiderium gratiæ amplioris, quoniam ipse dicit: Qui edunt me, adhuc esurient; & qui bibunt me, adhuc sitient. Et quidem sapienter ex isto loco Ecclesiastici, suam, ac nostrã assertionem

Sap. 16.

Aug. epist. 118. ad Ianua. c. 3. & 2. retra. c. 20. Num. 11

Ber. ser. 2 de sancto Andrea.

Eccl. 24.

A desumit, quoniam hic cibus, & hic potus perfectionis talis naturæ est, vt qui aliquant priùs stillam eius non hauserit, numquam illum vehementer desideret. Sicut enim rerum cœlestium intelligentiam, aut diuinarum promissionem acceptionem antecedit credulitas, iuxta illud: Si non credideritis, non permanebitis, vel (vt verterũt septuaginta viri) nõ intelligetis:] ita famem & sitim, id est, desiderium vehemẽs perfectionis nonnulla eius possessio ordinariè præcedit. Quare qui hunc cibum suauissimum esuriunt, aliquam eius buccellam comederũt, & qui istud pretiosum vinum sitiũt, aliquem eius haustum biberunt, qui tamquã prænuncius sponsi, pulchra de illo loquens in corde sponsæ, scilicet, iustæ animæ, eius desideriũ auxit, eius concupiscẽtiam ascendit. Iam spõsa cõplexus sponsi experta fuerat, quãdo surrexit, quando ciuitatẽ

Isai. 7.

Cant. 3.

B circuiuit, quando vigiles interrogauit, vt suauiorem ex illo actiam amoris acciperet.] Sic anima, quæ desiderio sanctitatis capta, ab imperfectionibus surgit, & seipsam, ne aliquid ingratum sponso habeat, vndique circumspicit, & prælatos, ac magistros spirituales diligenter de via salutis interrogat, iam suauitatem sponsi aliquo experimento cognouit, & aliquem amplexum diuinæ familiaritatis accepit. Sunt enim in perfectione gradus, & in vita spirituali profectus, qui ordinate dispositi, vnus alium prærequirit. Sicut ergo qui sacerdotium appetit, & examen presbyteratus subit, & ad illud ritè suscipiendum se præparat, indicium præbet, se iam minores ordines, & vsque ad Diaconatum percepisse: ita qui animæ puritatem sitit, qui vel minores maculas eluere satagit, qui

C affectibus suis imperare gestit, qui in minimis etiam, (vt ea impleat) Dei voluntatem exquirit, non obscurum præbet indicium, quia iam vitam carnalem expulit, magna vitia destruxit, & omnem iniquitatem ablegauit.

Si ergo tanti momenti apud animam esse debet, vincula peccatorũ rupisse, & diuinam gratiam comparasse, quanti iustum est, æstimet perfectionis desiderium, quod istam gratiam animæ inesse vtcumque patefacit? Dicit non semel ipsa cum sancto Iob: Quis mihi tribuat, vt cognoscam, & inueniam illum, & veniam vsque ad solium eius:] Hoc videlicet cupiens solium Dei fieri, & illum non solùm propitium agnoscere, sed intra seipsam quoque manentem inuenire. Sed hoc, quod anima vehe-

Iob 23.

D menter cupit, desiderium puritatis, & desiderium Dei non obscurè demonstrat. Neque enim cuperet, quem non agnosceret, neque illum desideraret, cuius aliquando suauitatem non inuenisset, neque illi subesse vellet, cuius præsentia illam non mirum in modum honestasset. Literatus pileum desiderat sericis filis ornatum, quia scientiæ acquisitam peritiam designat; & nobilis non parui reputat crucem albam, viridem, aut rubeam in pectore, quia eius nobilitatem declarat: & dux exercitus magni æstimat ducum & imperatorum insignia, quæ eum non communem militem, sed planè ducem, & aliorum caput manifestat; ita anima in magno pretio habeat perfectionis desiderium, illudque impensè desideret. Hoc

E enim ostendit, eam esse sapientem, quæ rerum labentium actionem agnouit, & ideo spreuit: ac rerum cœlestium pretium inuestigauit, & ideo concupiuit. Hoc signum est nobilitatis adeptæ, qua anima ad filiorum Dei dignitatem prouecta, id amat, id quærit, id ambit, quod ipsi desiderant, nimirum spiritu crescere, & quotidie ampliùs Christi virtutibus insigniri. Hoc demum indicium est alicuius iam acquisitæ de mundo, de diabolo, & de carne victoriæ, quia si anima aliquam libertatem non

accepisset, numquam ad maiorem aspirasset. Interrogatus semel Dominus à discipulis de signo aduentus sui, ac consummationis sæculi, inter alia respondit: Vbicumque fuerit corpus, illic congregabuntur & aquilæ.] *Mat.24.* Hoc signum non tantùm illius est posterioris aduentus, quo Dominus mundum iudicaturus adueniet, & sæculum quoad mutabilitatem, & corruptibilitatem consummabit, sed etiam medij aduentus, quo spiritualiter in animam per gratiam venit, & sæculi in illa amorem extinguit. Signum verò est aquilarum ad corpus congregatio. Dicat nobis Ambrosius, *Amb. li. in Lucam ad c. 8.* quid Aquilæ, corpúsque designent. Iustorum animæ, inquit, aquilis comparantur, quòd alta petant, humilia derelinquant, longæuam ducere feruntur ætatem. Vnde & Dauid animæ suæ dicit: *Ps. 102.* Renouabitur sicut aquilæ iuuentus tua.] Si igitur intelleximus aquilas de corpore, iam dubitare non possumus, maximè si meminerimus, quòd à Pilato Ioseph corpus acceperit.] Christus igitur secundùm Ambrosium corporis nomine designatur, eo quòd pro nobis mortem subiit, & ad vitam nostram in sepulchro corpus suum tribus diebus exanime dereliquit. Aquilæ verò sunt animæ iustæ, quæ spiritualibus sanctorum desideriorum alis ima rerum terrenarum deserunt, & ad virtutum celsa conscendunt. At ideo cùm his alis, cum sanctis scilicet desideriis, sui puritatem quærunt, & Christum imitatione assequi, eique affectibus & operibus adhęrere concupiscunt, signum est Christum in illis per gratiam venisse, & amorem sæculi superasse. Hoc signum quærat anima in semetipsa, quia signum prosperitatis est, & signum fœderis inter Deum, & ipsam, quo Dominum non iam sibi iratum, sed planè propitium, & placatum agnoscit. Signum est, quòd Deus non eam solam, sed multas alias animas eius ministerio saluandas inquirit. Quę enim desiderio perfectionis ardet, numquam est sterilis, sed ipsum desiderium ad faciendum in aliis fructum prouocat, aut saltem virtutis exemplo eos docet & monet, & ad vitæ mutationem inducit. Neque enim omnino incongruè de hoc desiderio potest intelligi illud Isaiæ: *Isa. 66.* Et ponam in eis signum, & mittam ex eis, qui saluati fuerint ad gentes in mare.] Excitabo, dicit Dominus, in iustis meis vehemens perfectionis desiderium, quod est signum aduentus mei in illos, ac gratiæ meæ; & tunc mittam illos in mare huius sæculi, vt alios vocent, & operibus bonis tamquã magnis clamoribus ad emẽdationẽ vitæ conuertant. Qui igitur illuminati à Deo, hoc solùm magnum putamus, eius gratiam promereri, & filiorum dignitatem adipisci, hoc desiderium perfectionis in nobis diuina gratia adiuuante excitemus, quòd arrha sit huius excellentissimi boni, & pretiosissimæ margaritæ, quam summis conatibus concupiscimus.

Sextum excitatorium desiderij perfectionis: quòd non proficere deficere est.

CAPVT X.

ALIQVI fortè sunt in mundo à diaboli fallaciis exempti, qui nollent thesauros recondere, & nouas diuitias acquirere; nemo tamen est, qui velit diuitias iam partas pessundare, & sine vlla causa in mare iactare. Quæ enim mala, & noxia putamus, libenter à nobis abiicimus, quæ verò bona, & vtilia sentimus, nullo modo refutamus, quare qui habitas diuitias tũ bonas, tum vtiles iudicat, eas disperdere, atque consumere numquam in suam mentem inducet. Viri autem spirituales, & Deo dediti, virtutes, & perfectionis actiones, suas diuitias putant, & quidem sapienter: quoniã eorum possessione, & sibi, & aliis sufficiunt, & in bonorum congregatione ditescunt. Ideóque virginibus sapientibus præsignati sunt, quibus sanctorum operum oleum non defecit, vt lampadibus accensis lætæ sponsum exciperent, & ad æternas nuptias introirent. *Matt. 25.* Licèt ergo aliquando segnitie obruti, & mentis ariditate possessi, nolint has suas diuitias augere, numquam (vt credo) vellent, quas magnis laboribus iam quæsierunt, dissipare, & pauperes, ac mendici permanere. Id ergo eos ad desiderium perfectionis nunc excitet, quòd si non nitantur proficere, & virtutem adeptam augere, eo ipso à virtute deficiunt, & opes spirituales iam partas prodigè, & insipienter imminuunt. Doctrina hæc difficilis, scrupulosa, imò & apertè falsa sciolis apparebit, qui puerilibus quibusdam rationibus eam euertere, & labefactere nituntur. Dicent enim fortassis intra semetipsos; si, vt inquit Paulus, sine pœnitentia sunt dona, & vocatio Dei,] *Roma. 11.* quonam modo diuina dona non promouere satis erit, vt extenuentur, quæ Dominus ipse non aufert, sed in nobis sine vlla pœnitentia custodit? Gratiam quoque, & charitatem, ac reliquas (præter fidem & spem) virtutes infusas solum peccatum lethale subuertit. Qui ergo in aliquo gradu gratiæ, & virtutum positus, numquam in graue peccatum incidit, licèt tepidè viuat, & desideria proficiendi deponat, & nullo modo adeptam virtutem promouere curet, nequaquam ab illo gradu priùs adepto deficiet. Nisi forsan velimus nos quorundam antiquorum Theologorum opinionem suscitare, qui charitatem peccatis leuibus, si non destrui, at minui putarunt; & ita his peccatis, & similibus imperfectionibus eam extenuari dicamus. Cui doctrinæ meritò vbique contradicitur: fieret enim, vt quis tandem sine vllo graui peccato, sola multiplicatione minorum, charitatem omnino perderet, & diuinam gratiam amitteret. Quia philosophorum communis, & certa sententia est, finitum finiti ablatione posse consumi.] Quare à finita charitate, & gratia, tot posset aliquis leuibus peccatis partes abscindere, vt demum illam omnino dissiparet. Et profectò, si non proficere, deficere est, sine vlla intermissione proficiendum esset, ne aliquantulum saltem ab adepta virtute excideremus. Ergo cùm dormimus, cùm cibum sumimus, cùm animum infirmitatis causa laxamus; siquidem nõ proficimus in virtute, regredimur, & aliquid adepti feruoris dimittimus. A quibus operibus naturæ vtiq; necessariis, cùm nec viri sanctissimi, & perfectissimi homines abstinuerint, sequitur, illos à prima virtute defecisse, nec merita sua iugiter (prout in hac vita fieri potest) nouis profectibus cumulasse.

His scientiæ humanæ, aut tepiditatis humanæ rationibus, nouit spiritualis sapientia respondere, nec difficulter, quoniam est in immensum, omni humana scientia sapientior. Atque (vt nunc eius partes agamus) proferamus primùm in medium, quid Ecclesiæ doctores, nobis diuinitus in lucem dati, de proposita doctrina senserint, & inde meliùs veritatẽ eliciemus, ac meliùs nos ipso timore imminentis mali, ad desideria nouorum semper profectuum quærendorum excitabimus. Augustinus quidem (vt principio doctorum sol nobis affulgeat) non semel, sed ter tepidos, & non proficientes deficere sine vlla ambiguitate confirmat. Nam quodam loco sic ait: Tamdiu non relabimur retro, quãdiu ad priora con- *August.*

tendimus:

tédimus::at vbi cœpetimus stare, descendimus, nostrumque non progredi, reuerti est: si volumus non redire, currendum est.] Alio verò loco in hunc modum scribit: Semper tibi displiceat quod es, si vis peruenire ad id quod nondum es. Nam, vbi tibi placuisti, ibi remansisti. Si autem dixeris, Sufficit, & periisti: semper adde, semper ambula, semper profice, noli in via remanere, noli retrò redire, noli deuiare. Remanet qui non proficit, retro redit qui ad ea reuoluitur, vnde iam abscesserat; deuiat, qui apostatat. Meliùs it claudus in via, quàm cursor præter viam.] Et rursus tertiò idem repetit, dicens: Hæc vox (scilicet, tu es adiutor meus) perseueret in nobis, fratres. Quantùcumq; hîc vixerimus, quantumcumque hîc profecerimus, nemo dicat, sufficit mihi, iustus sum. Qui dixerit, remansit in via, non nouit peruenire. Vbi dixerit sufficit, ibi hæsit.] Seriò nunc tecum expende quid magnum hoc Ecclesiæ lumẽ in his omnibus verbis edoceat. Nõ enim solum petit, vt ambulemus, sed vt curramus, si regredi & retrorsum abire nolumus in via Dei. Quoniam est tarda, & segnis quædam ambulatio, aut nauigatio, quæ contrariis ventis non valens resistere, ipsorum vi, ad portum, vnde feruore exierat, tepore reuertitur. Nec solùm ait: Si dixeris sufficit, consedisti, sed periisti:] quia non longè à perditione est ingratus ille, qui cùm deberet donis sibi concessis Domino gloriam afferre, iniuriam irrogat, & talentum otiosum seruat, & obsequia debita non persoluit. Quid autem posteriorò addit? Qui dixerit, sufficit, ibi hæsit.] Vbi hęsit? Certè in cœno imperfectionũ suarum, in luto miseriarum suarũ, in sterquilinio infirmitatum suarum, quibus, quia malagma non apponitur, semper durior callus obducitur, & noua difficultas admittendæ curationis adiicitur. In eandẽ sententiam conspirat Gregorius in hæc verba. Admonẽdi sunt, qui inchoata bona minimè consummant, vt cauta circumspectione considerent, quia dum proposita non perficiunt, etiam quæ fuerant cœpta conuellunt. Si enim quod videtur gerendum, solita intentione concrescit, etiam quod fuerat bene gestum, decrescit. In hoc quippe mundo humana anima, quasi more nauis est, contra ictum fluminis condescendentis; vno in loco nequaquã stare permittitur, quia ad ima relabitur, nisi ad sũma conetur. Si ergo inchoata bona fortis operantis manus ad perfectionem non subleuat, ipsa operandi remissio contra hoc quod operatum est, pugnat. Hic est enim quod per Salomonem dicitur: Qui mollis & dissolutus in opere suo fuerit, frater est sua opera dissipantis.] Quia videlicet, qui cœpta bona districtè non exequitur, dissolutione negligentiæ manum destruentis imitatur. Hinc Sardis Ecclesiæ ab Angelo dicitur: Esto vigilans & confirma cætera, quæ moritura erant; non enim inuenio opera tua plena coram Deo meo.] Quia ergo plena coram Deo eius opera inuenta nõ fuerant, moritura reliqua etiam, quæ erãt gesta, prædicabat. Si enim quod mortuum in nobis est, ad vitam non accẽditur, hoc etiam extinguitur, quod quasi adhuc viuum tenetur.] Quod dictum Gregorij vehementiùs sanè nostram segnitiẽ oppugnat. Nam si tepidus, & suorum operũ dissipator, frater sum, & non doctor aliquis, non turba doctorum, non Angeli, aut supremi spiritus, sed spiritus sanctus per Salomonem id dicit, non dubium, quin sicut ille sua opera destruit, ita ille sua tepiditate & negligentia conuellit. Et, si vigilantia requiritur, ne prętерita bona pereant, certè negligentia, & oscitantia, quæ iam egimus, instar immanissimi hostis sine vlla miseratione disperdit. An non negligentia diuitis, inter raptores ambulantis, eius opes latrociniis & rapinis exponit? Et nos inter raptores ambulamus, &

Idem ser. 15. de verbis Apost. ad finem.

Idem in Psal. 69. ante finẽ.

Greg. 3. 4. pastora. c. 35.

Prou. 18.

Apoc. 3.

A

B

C

D

E

inter aduersarios conuersamur, qui oculis lynceis aspiciunt, an possint aliquid suffurari: & negligimus, & dormimus, & ad alia, aliena à perfectione nostra curanda, distrahimur: quis ambigat negligentiam nostram esse perditionis ianuam, quæ & bona iam quæsita depellet, & nec dum habita, non admittret?

Exeat nunc sanctissimus & eloquentissimus Leo Papa, & eandem doctrinam breuiùs, sed eloquentiùs astruat. Is ita ait: Quamtumlibet quisque iustificatus sit, habet tamen, dum in hac vita est, quo probatior esse possit, & melior. Qui autem non proficit, deficit; & qui nihil acquirit, nonnihil perdit.] Subtiliter quidem causam huius veritatis pandit: quia enim semper possumus in virtute proficere, & meliores ac sanctiores euadere, si non spiritu progrediamur, non parum regredimur, & à nostra obligatione deficimus. Nam si quis itineri se committens, tantisper ab hospitio digressus sedeat, & dormiat, & ad multam noctem expergefactus, se multis passibus à termino sui itineris distantem inueniat, meritò seipsum obiurgat, inertem, ac ignauum vocat, & ex eo solùm, quod non (vt debuit) progressus est, defecisse, & operã perdidisse putat: Idem prorsus post multos religiosæ conuersationis annos, se longè sentiens à perfectione fateatur, qui eo ipso, quòd non peruenit, quò potuit & debuit, planè à sua obligatione defecit. Sequatur Leonem Chrysostomus, si non ætate, at oratione noster, qui iustos ad currendum adhortans, satis indicat, si in via steterint, se suo muneri non satisfacere, atque adeò à virtute deficere. Qui se iam perfectum esse, ait, & nihil ad virtutis assequutionem deesse sibi putat, à cursu cessabit, tamquam totum iam assequutus. Qui verò, se metam nondum attigisse putat, numquam à cursu desistet. Hoc ergo nobis semper reputandum est, etiamsi innumera dona exequuti fuerimus. Si enim Paulus post mille mortes, post tanta pericula, istud arbitratus est de se, multò magis nos.] Hoc verò postremum dicit Chrysostomus propter illud, quod Paulus de semetipso conscripsit: Fratres, ego me nõ arbitror cõprehendisse.] Qui igitur in via Dei sedet, & nõ curat ad maiora cõsurgere, si nõ ore, at opere dicit: Non sum sicut cæteri hominũ. Illi ad salutem assequendam diligentia indigent, ego non indigeo: illi enim, & laborare debent, ego non debeo: illi nondũ ad concupitam sanctitatem peruenerunt, ego iam perueni. Quare iam bene possum curam omnem meæ perfectionis abiicere, & tepidissimis quibusdam operibus, non ad anteriora me extẽdere, sed retrò redire, & ineptissimis curis vacare. Et quis magis deficit, quàm ille, qui profectò necdũ profectũ cognouit, quẽ antequam viderit, se in sinu illũ habere affirmat? Et quis stultior eo, qui in tempore cursus sedet, in tẽpore pugnę, risui & sermonibus otiosis indulget & in tempore belli, non arma, sed pacem & somnum meditatur? Post magistrum, citemus discipulum, nempe Ioannem Cassianum, Chrysostomi primum auditorem, atque diaconũ, postea verò eremitã, & monasteriorũ fundatorem. Hic multò clariùs & euidentiùs est huius, quem tractamus periculi tepidorum assertor. Necesse est, inquit, vt secundùm Apostolum, aut renouatus quis spiritu mentis suæ per singulos dies proficiat, ad ea se, que in ante sunt, semper extendens, aut si neglexerit consequens est, vt retrò redeat, atq; in deterius relabatur. Et id circo nullo modo poterit mens in vna atq; eadẽ qualitate durare; velut si quis contra aquas violẽti fluminis nauem subigere remorum impulsione conetur, necesse est, eum, aut virtute brachiorũ torrentis alaei imperium desecãtem, ad superiora cõscendere, aut remissis manibus ad præceps

Leo ser. 8. de passio.

Chry. h. 8. 12. ad finẽ

Phili. 13.

Cass. col. 6. c. 34.

2. Cor. 4. Phil. 3.

prono amne reuocari. Quapropter istud erit euidens nostri indicium detrimenti, si intellexerimus, nos, nihil ampliùs acquisiisse: nec dubitemus retrorsum nos fuisse omnimodis reuocatos, qua die non senserimus ad superiora progressos; quia, vt dixi, nec in eodem statu mens hominis potest iugiter permanere, nec in hac carne consistens ita virtutum apicem possidebit, quisquis ille sanctorum, vt immobilis perseueret. Necesse est enim aut aliquid adiici illis semper, aut minui: nullaque in omni creatura talis poterit esse perfectio, quæ mutabilitatis non subiaceat passioni, secundùm illud, quod in libro beati Iob legitur: Quid est homo, vt immaculatus sit, & vt iustus appareat natus de muliere? Ecce inter sanctos eius nemo immutabilis, cœli non sunt mundi in conspectu eius.] Solum namque Deum immutabilem confitemur, quem tantummodo, sancti illius prophetæ ita compellat oratio: Tu autem idem ipse es.] Et ipse de se: Ego sum, inquit, Dominus & non mutor:] quia scilicet solus ipse sit naturaliter semper bonus, semper plenus, semperque perfectus, cui nihil nec adiici possit aliquando, nec minui. Ideóque debemus ad virtutum studia irremissa cura ac sollicitudine nosmetipsos semper extēdere, ipsisque nos iugiter exercitiis occupare, ne cessante profectu, confestim diminutio subsequatur.] Similitudine nauis vtitur Cassianus, contra ictum fluminis ad superiora nitentis, qua etiam Gregorius est vsus, & fortè iste ex illo antiquiore desumpsit, quæ mirificè totam rem istam declarat. Ego enim flumen existimo mortalem istam conuersationem, quæ semper defluit, & numquam in eodem statu permanet, aut in eodem gradu consistit. Aquas verò huius fluminis puto affectus humanos, atq; passiones, quæ semper impetu ad ima descendunt, & ad corruptionem relabuntur. Nauem autem animam cuiusque cogito, in medio fluminis nauigantē. Quis nunc non videat, hanc, si per feruorem vitæ spiritualis, non ad superiora contendat, affectuum impetu ad pristina desideria relapsuram, & vndis, id est, desideriis vani honoris, & temporalium commodorum, nec non & huius sæculi distractionibus ad mare, id est, ad vitam sæcularem, si non statu, at moribus redituram? Nemo itaque seducat seipsum, & putet in fluminis medio sedere, & in tepiditate vitæ, quæ acquisiuit tēpore feruoris, seruare: quia hæc insensibiliter sola feruoris omissione senescunt, & vndarum, hoc est, affectuum nostrorum impetu dilabuntur. Quod vtinam non quotidiana experientia monstrasset, in his, qui feruore iram, superbiam, & pruritus carnis vicerunt, & diligentiam in segnitiem commutantes, se iracundos sicut antea, & ambitiosos, & carnis impulsibus irretitos persentiunt.

Postremum locū occupet in hac tractatione Bernardus, non quòd minor sit, sed quòd ab antiquioribus dicta ipse luculenter reperiuit. Quodam loco ait: Quisquis in schola Christi non proficit, eius indignus est magisterio, præsertim tamen vbi sumus, vbi nihil in eodem statu permanet, &, non proficere, sine dubio, deficere est. Nemo proinde dicat, satis est, sic volo manere, sufficit mihi esse, sicut heri & nudius tertius. In via residet, qui huiusmodi est: in scala subsistit, vbi neminem patriarcha vidit, non ascendentem aut descendentem. Dico ergo: qui se existimat stare, videat ne cadat.] Ardua & angusta est via, & non hîc, sed in domo Patris mansiones sunt multæ.] Itaque qui se dicit in Christo manere, debet, sicut ille ambulauit, ipse ambulare.] Iesus enim, ait Euangelista, crescebat sapientia, & ætate, & gratia apud Deum & homines.] Et iterum alio loco sic scribit. Itaque indefessum proficiendi studium & iugis conatus ad perfectionem, perfectio reputatus. Quòd si studere perfectioni, esse perfectū est, profectò nolle proficere, deficere est. Vbi ergo sunt qui dicere solēt: sufficit nobis, nolumus esse meliores, quàm patres nostri. O monache, non vis proficere? Non. Vis ergo deficere? Nequaquam. Quid ergo? sic mihi, inquis, viuere volo, & manere, in quo perueni, nec peior fieri patior, nec melior cupio. Hoc ergo vis, quod esse nō potest? Quid enim stat in hoc sæculo? Et certè de homine specialiter dictū est: Fugit velut vmbra & numquam in eodem statu permanet.] Ipse deniq; hominis, sæculiq; Auctor, quādiu in terris visus est, & cū hominibus conuersatus est, nūquā stetit. Et quidē teste scriptura, Pertransiit benefaciendo, & sanādo omnes.] Pertransiit ergo, sicut nō infructuosè, ita nō remissè, nō pigrè, nō lēto gressu, sed quemadmodum item de eo scriptum est: Exultauit vt gigas ad currendam viam.] Porrò currentem non apprehēdit, qui & ipse pariter non currit.] Tertium etiam locum eiusdem sancti doctoris adiiciemus. Recedāt à me, & à vobis, qui dicunt, nolumus esse meliores, quàm patres nostri, tepidorum & dissolutorum se filios protestātes. Quorum memoria in maledictione est) quia manducauerunt vuas acerbas, quibus dentes filiorum obstupuerunt.] Aut si sanctis, & bonæ memoriæ patrib. gloriātur, imitentur certè sanctitatem, quorū indulgentias dispensationesq; pro lege defendūt. Quāquam sanctus Helias, Non sum, inquit, melior, quàm patres mei,] & non dixit se nolle patribus esse meliorem. Vidit Iacob in scala angelos ascendentes, & descendentes. Numquid stantem quēpiam, siue sedentē? Non est stare omnino, in pēdulo fragilis scalæ, neq; in incerto huius mortalis vitæ, quicquā in eodem statu permanet. Nō habemus hîc manentē ciuitatē, nec futurā adhuc possidemus sed inquirimus.] Aut ascēdas, necesse est, aut descēdas. Si attentas stare, ruas necesse est. Minimè pro certo est bonus, qui melior esse non vult. Et vbi incipis nolle fieri melior, ibi etiam desinis esse bonus.] Hæc dicta patrū certè sufficiunt, vt hanc veritatem confirmemus, sed quam ob causam aut quomodo id verum sit, quòd qui non proficit, deficit, nunc nos pro nostra tenuitate dicamus.

Qui ergo non conatur in virtute proficere, & ipsemet deficit, & opus eius studiosum deficit, & virtus eius deficit, à qua opus studiosū emanat. Ipse deficit, quoniā suo muneri non satisfacit. Viri enim spirituales in hac vita viatores sunt, qui in cœlestem patriam gressibus meritorum festinant: discipuli sunt, qui perfectionis scientiam, & artem bene viuendi perdiscunt: pueri sunt, qui optimis alimentis, non staturam corporis, sed mentis augescunt. Ergo manifestè à sua obligatione deficiunt, si in via sedeant, si in dies in sanctitatis disciplina non proficiant, si pusilli semper maneant, & debitam virtutis mensuram non acquirant. Deficit famulus, si vel vna die otiosus maneat, & obsequia sibi iniuncta non præstet, & nemo eum excusabit, nemo illum non reprehensibilem iudicabit, nemo non dignū pœna fatebitur. Et nos famuli sumus, aut serui summi Dei, pensum obsequiorum in omnem diem, quod reddamus, assignatum habemus. Quis nos non otiositatis & ingratitudinis damnabit, si vel vna die non profecerimus, (profectus enim noster est obsequium Dei) & non fecerimus aliquod virtutis augumentum? Mercator, qui potuit nouum lucrum acquirere, & prætermisit, ab aliis mercatoribus ridetur, & in sua arte defecisse iudicatur. Etsi absque causa debita contrahat, quibus soluendis suam substantiam imminuat, imprudens & stultus habetur. In idipsum, imò in multò maius nos non proficientes crimen incidimus, quoniam & cœlestes

thesauros,

Marginal notes: ...15. — Psal.101. Malach. — Bernar. epist.341. ad mona. S. Berti. Gen.28. 1.Cor.19 — Ioan.14. 1.Ioan.2. Luc.2. — Idē epist. 154. ad Carnutum — Iob 14. — Act.10. — Psal.18. — Idē epist. 91. ad Abb. suæsione congregatos. Ezec.18. — 3.Re.19. — Gen.28. — Heb.13.

thesauros, cùm possimus, non lucramur, & quotidianis imperfectionibus pœnarum sustinendarũ debitores efficimur. Ostendit quidem Dominus, eum, qui non proficit, deficere, & esse reprehensione dignissimum, dum Episcopum Ephesiorũ non perditæ charitatis, sed imminutæ reprehendit. *Apoc. 2.* Sed habeo, inquit, aduersum te, quòd charitatem tuam primam reliquisti.] Non ille charitatem omnino perdiderat, sed feruorem eius, quo cœperat, minimè auxerat, imò aliquantulum tepidè agendo remiserat, & ob id verba indignationis, & comminationis audit, & segnitiem proximam esse casui, ex dictis sui Creatoris aduertit. Memor esto, inquit, vnde excideris,] ex quo scilicet feruore, ad quantũ mentis teporem perueneris, & age pœnitentiã] non criminum, quæ post primam illam charitatem non cõmisisti, sed magnarũ imperfectionum, quibus illam tepidè te gerẽdo fœdasti; & prima opera, id est, feruida & perfecta fac: sin autem venio tibi, & mouebo candelabrum tuum,] auferam nẽpe dona quæ otiosa & inutilia recondis. Ex qua increpatione & cõminatione perpendite, ait Richardus Victorinus, *Richard. lib. 1. in Apoc. c. 5.* quanta sit culpa post acceptam gratiam negligẽter agere, nec in ipsa proficere, sed magis deficere. Vnde Paulus nos admonet, dicẽs: *2. Cor. 6.* Hortamur vos, ne in vacuũ gratiam Dei recipiatis.] In vanũ gratiam Dei accipit, qui in ea proficere negligit, sed magis deficit.] Meritò etiam ipse Dominus non solùm malè agentes, sed etiam otiosos increpat, dicens: *Mat. 20.* Quid hîc statis tota die otiosi?] Quoniã non solùm delinquũt, qui mandata transgrediuntur, sed & qui mensuram, ad quam vocati sunt, perfectionis, non cõplent. Non est ergo ambiguum, quòd omnes in via Dei non proficiẽtes, à suo munere decidant, atque adeò quòd ipsi Deo, & debito suæ vocationis deficiant.

Deficit etiam opus tepidi, & ignaui hominis, qui non conatur ampliùs quotidie proficere, quoniã ipsa tepida, & incuriosa virtutis exercitatione, in dies imperfectius redditur, & indeuotiùs ac imbecilliùs exercetur. Id verò exẽpla ex infirmis rebus petita, clariùs, quàm desiderari possit, & euidentiùs exponent. Nã qui iuuenis optimè scribebat, & pulchros characteres formabat, ipsa consuetudine, festinãter, & sine cura scribendi, in virili ætate aut senectute pessimè scribit, & ab illa facilitate benè scribendi cadit. Qui grammaticã, aut rhetoricã addiscens, congruè, imò & disertè loquebatur, ipso vsu non examinandi, & poliendi, quod loquitur, post aliquot annos barbarè loquitur, & apud huius artis peritos ridiculus inuenitur. Qui ad apicẽ sacerdotij conscendit, & ritibus celebrãdi sciendis diligẽter incubuit, absq; vllo exteriori defectu, & cũ magna curiositate ritus tremendi sacrificij peragit, & postea sola obliuione seruãdi quæ didicit, ritũ missæ dedidicit, & innumeris defectib. opus illud sacrosanctũ quotidie perficit. Nõne vides, quo modo incuria diligẽter operandi, opus imperfectionibus fœdat? Nõne vides quàm verũ sit, quòd ipsa indiligentia crescendi opus perfectũ deficit, & à prima sua perfectione desciscit? Idem prorsus in operibus studiosis euenit, quòd inepto quodam vsu, & tepida consuetudine, facta à prima pulchritudine & perfectione deficiunt. Qui antea intentissimè & feruidissimè orabat, dum curam augendi virtutem orationis deposuit, distractè & remissè orat; qui promptissimè obediebat, obedientiæ promouendæ curã relinquẽs, iam difficulter paret, & non sine tristitia, & obmurmuratione prælatorum iussa perficit: qui mitissimè iniurias sustinebat, ex eo tempore quod oculos à mãsuetudine auertit, iam vix modicum verbum insuaue sustinet, & ad omnia cum ira & indignatione respõdet. Iam igitur opera iustorum defecerunt, & à prima illa perfectione delapsa ad magnã imperfectionem declinarunt, meritòq; dicemus illis, quod Paulus Hebræis: *Hebr. 5.* Etenim cùm deberetis magistri esse propter tempus: rursum indigetis, vt vos doceamini, quæ sint elementa exordij sermonum Dei.] Et rursus illud: *Galat. 5.* Currebatis bene, quis vos impediuit veritati non obedire?] Orabatis reuerenter, obediebatis promptè, sustinebatis fortiter, in omnibus vos gerebatis perfectè, qui vos fascinauit, quis compediuit, quis à primo operum splendore deiecit, nisi ipsa obliuio proficiendi, atque incuria in melius non ambulandi? Duo enim nauigantium alimenta consumunt; primò, maris & vndarum sæua tempestas, quæ compellit eos non tantùm merces proiicere, sed & ipsos cibos in mare iactare; secundò, maris noxia malacia, & peior tempestate tranquillitas, quæ panem & vinum omne consumit, & miseros homines ad extremam quoque necessitatem redigit. Ita duo solent studiosa opera iustorum disperdere, & alicuius grauis peccati tempestas, quæ omnia deuorans animam ad pristina vitæ carnalis studia retrahit, & praua tepiditas, quæ paulatim bonorum operum splendorem extenuat, & ad miserabilem quamdam imperfectionem reducit.

Deficit tandem & ipsa virtus hominis tepidi, & non curãtis proficere, quam in feruore positus comparauit. Omnis enim virtus, aut acquisita est, aut per Dei infusionem accepta. Et de acquisita non est dubitatio, omnibus Theologis asserẽtibus, quin operum cessatione minuatur. Licèt enim in modo, quo virtus otiosa deficit, sit inter illos opinionum diuersitas, tamẽ in eo quod tractamus, scilicet, quòd virtus acquisita otiositate deficiat, omnes sine vlla exceptione conueniũt. Nã virtutes istæ, quæ nõ sine auxilio Dei, nostra parãtur industria, nostra etiã negligentia subruuntur. *D. Thom. 1. 2. q. 53. art. 3.* Aut quia ipsæ corruptibiles sunt, & si non excolantur, temporis lapsu veterascunt, & sicut scientia obliuione deletur, & amicitia defectu communicationis minuitur, ita & ipsæ sua infirmitate ad interitũ eũt. Aut quia cessante harũ studio virtutum, contrariæ passiones insurgunt, & oppositi actus, & desideria pullulascunt, quæ impetu in virtutes, præsidio actuũ destitutas irruẽtes, eas principiò minuũt, & deinde perseuerãte conflictu, funditus destruũt. Gratia verò ipsa, & charitas, & virtutes supernaturales à Dei infusione prouenientes, non minimũ etiam detrimentum ex incuria & negligentia nostra subeunt, *D. Thom. 2. 2. q. 24. art. 10.* tum ex eo quòd peccata, licèt leuia, ad eorũ interitum corruptionẽq; præparant, tum etiã quia dum ipsæ nihil operãtur, affectus inordinati renascuntur, & vitia pullulant, quæ sui augmento virtutes infirmiores & imbecilliores efficiunt. Quemadmodum enim exercitus militũ decem millium, aduersùs aliũ æqualem exercitum pugnans, illi viribus æqualis est; si verò iste aduersarius crescat, & viginti millibus militibus cõstet, iam ille primus sine vlla suorum militũ imminutione, & solo augmento contrarij alterius infirmior: ita charitas tepidi hominis eadẽ secundùm substantiam manens virtute resistendi minor est, & operãdi facilitate infirmior, eo ipso quòd passiones robustiores fiunt; & affectus contrarij rebellant, & vitia iam victa, & prostrata, iterum defectionem cogitant, & aduersùs charitatem insurgũt. Ac proinde Dominus haudquaquã à nobis sua dona aufert, sed nos magnis nostris imperfectionibus ea auferimus, & stulti effecti multitudine peccatorũ destruimus. Nec charitas vnquam leuium peccatorum multiplicatione omnino deficit, quæ non in seipsa, sed in comparatione ad contraria insurgẽtia, detrimentũ sentit. Sicut enim si regem aliquem fortissimum aduersarij captiuum tenerent, & catenis illigatum in carcerem conijcerent,

A ille quidem in seipso fortis est, quia vires suas non amisit, at comparatione externorum impedimentorũ infirmus, quia non valet ea perrũpere, nec catenas effringere, nec profunditatem carceris superare: ita charitas seipsa fortis est, quæ gradus suæ perfectionis non perdidit, at affectibus est ligata, & passionũ vinculis cõpedita, & veluti in profundũ lacũ tepidi cordis coniecta; & tot perturbationibus implicita, vt non possit facilè, sicut antea, studiis perfectionis insistere, & hostes suos superare. Sicut autem virtus, nõ à nimia, & irremissa, sed à prudẽti exercitatione dependet, ita nec cùm prudenter vacamus, vllo modo minuitur, imò magis roboratur, quia discreta relaxatione, quasi debito tẽpore dormit, & in somno vires ad iterum laborandũ resumit. Certum est itaq; quòd B qui non proficiunt, in priùs quæsita virtute deficiũt, & paulatim fiũt deteriores, qui nõ conãtur esse meliores, idq; nos æquum est ad quotidianũ profectum exsuscitet. Si enim opes perituras curamus sẽper augere, & multo labore partã scientiã continuo studio & meditatione seruare, quantò magis enitendũ est, virtutem, & animæ sanctitatẽ perficere, quæ & ipsa per se thesaurus est incomparabilis, quo vitam cœlestem mercamur, & felicitatem ac finem nostrum assequimur? Ne simus sicut arbores nodosæ, quæ numquã crescunt, numquam fructificant, nec labori agricolæ prouentuũ oblatione respondent; sed sicut arbores bonæ, & fructuosæ, & studiũ nostrum sit crescere, cura sanctitatis desideriis florere, & sanctis operibus tamquam fructibus abundare.

Septimum excitatorium desiderij perfectionis: quòd ad eam quærendam status obligatione constringimur.

CAPVT II.

POSTREMVM excitatorium desiderij perfectionis, quod decreuimus hoc loco tractare, non rogat, sed iubet; non ducit, sed trahit; nõ mulcet, sed minitatur: quoniam non quodcunque detrimentum tepidis, & suã salutem negligentibus, sed manifestũ periculum æternæ dãnationis inducit. Quod vt exquisitiùs aperiamus, sciendũ est, nos qui vitam religiosam profitemur, statum perfectionis profiteri, & post statũ Episcoporum, & Ecclesiæ principum, sanctissimam ac perfectissimam Ecclesię vitam consectari. Hi enim, cùm sint Ecclesiæ patres, fideliũ magistri, Christianorum duces, qui pro suæ dignitatis exigentia, non tam ad perfectionẽ currũt, quàm iam perfecti sunt, statum Ecclesiæ supremum obtinent. Et cùm sint omnis virtutis & perfectionis doctores, sanctiorẽ vitam habere tenẽtur his, qui pro ratione sui status solùm debent virtutem & perfectionem addiscere. Nã ille, qui agit, aut tribuit, vt etiã adnotauit Augustin. in eo quod agit, & tribuit, perfectior est eo, qui recipit, & agẽti subiicitur. Vnde cùm Episcoporũ munus sit agere & docere, & lumen aliis tribuere, sequitur, statu præstare omnibus alis, etiam religiosis, quos (si ius humanum ob iustas causas aliud nõ statueret) docerent, instruerent, regerent, & perinde atq; alios, sibi subiicerent. Post Episcopos verò secundum locum in Ecclesiæ gremio obtinent religiosi, qui non quamcumq; vitã, sed statu insignitam habent, & nõ quemcumque statum, sed statum perfectionis profitentur. Habent quidem statum non tãtum quantum ad iudicium diuinũ, quòd intuetur cor, sed etiam quãtùm ad Ecclesiã, quæ, cùm sit visibilis, intuetur ea, quæ patẽt,

Aug. 12. de genes. ad lit. c. 16.

1. Reg. 16.

& exteriora respicit.] Nam sicut status libertatis aut seruitutis in republica ciuili non in solo actu seruiendi, aut ad libitum viuendi, sed in externa, & solemni obligatione ad seruiẽdũ, vel in absolutione ab omni seruitute consistit: quare non est seruus, qui liberè, & ex voluntate seruit, nec liber, qui contra ius & fas à debita seruitute fugit, sed seruus est, qui legibus ad seruiendum ligatur, & liber, qui legibus, aut sanguine, atque maiorum genere, ab onere seruitutis absoluitur: Ita in Ecclesia sancta status, non ex quocumque actu virtutis, aut charitatis, sed ex obligatione solẽni, aut publica, aut saltem externa consurgit. Quare cùm religiosi se ad ea quæ sunt virtutis, obligent, & non tantùm interiùs, verùm & exteriùs quoq; se obligent, & corã Prælatis, qui locum Dei gerunt, votis paupertatis, & castitatis, & obedientiæ se obstringant, fit vt in Ecclesia statũ habeant, quo perpetuò & stabiliter in aliquo viuendi genere perseuerare tenẽtur. Habẽt etiam statum perfectionis, quoniã solẽniter, aut publicè, aut externè coram Prælato ad ea, quæ sunt perfectionis, se obligant. Votis enim, & professione sua pollicentur, à rebus sæcularibus, quibus licitè vti poterãt, abstinere, vt liberiùs Deo vacẽt, & amori Creatoris inhæreant, in quo sita est huius vitæ perfectio. Idque manifestè designat Dionysius Areopagita dum nomina indita religiosis exponit. Alij quidem, ait, eos therapeutas, id est, famulos Dei, ex puro seruitio & famulatu: alij verò monachos ipsos nominant, ex indiuisibili, & singulari vita vniẽte ipsos, ex indiuisibilibus sanctis contemplationibus, ad deiformem vni- C tatem, & amabilẽ Deo cõtemplationem. Licèt ergo multi status sint in Ecclesia, vt status coniugatorum, status regum, status doctorũ, & alij similes, qui magis possunt vocari officia, quàm status, quoniã ad diuersas actiones ordinãtur, at duplex tantũ est status perfectionis: Alter est status Episcoporũ, quorũ obligatio est, alios vitã Christianã docere, à vitiis abducere, in omni virtute erudire, & animã pro ouib. ponere: Alter status religiosorũ, quorũ obligatio est perfici, à rebus sæcularibus auelli, & ad diuinã vnionẽ aspirare.

Dion. lib. de Eccl. hiera. c. 6.

Iam itaque maximè ac vehementissimè ad perfectionis desideriũ nos excitet, quòd nos qui religiosã vitam profitemur, & statum religionis assumpsimus, tenemur ad perfectionẽ tẽdere, mores nostros emẽ- D dare, & in virtute, ac mentis puritate proficere. Sed quomodo tenemur, aut qua obligatione constringimur, ne si multùm emũxerimus, sanguinẽ eliciamus, & iustis animab. laqueũ iniiciamus; aut si plus quàm æquũ est, rẽ istã dilatauerimus, ansam tepidis prębeamus remissè viuẽdi, & de via perfectionis nõ curãdi? Certè obligatio religiosorũ tẽdendi ad perfectionem hæc est, (quod ex lumine Ecclesiæ Thoma apertè colligitur) vt religiosus debeat intentione sua, ad perfectionẽ tendere, & perfectæ charitatis assequutionem curare: debeat etiam operum exequutione, & regularum, ac statutorum obseruatione ad perfectionem seipsum parare, & his sanctis & religiosis operibus tamquam passibus quibusdam ad perfectionem abi- E re. Hæc inquam, debet, sed dissimiliter. Nam si quis religiosus animum tendendi ad perfectionem omnino deponeret, & mandatorum, ac votorum, ad crimẽ obligantiũ obseruatione cõtentus, nollet ampliùs in virtute progredi, nec vltrà proficere, is, secundũ quorundã doctorũ sententiã (quam non examino) in statu est damnationis, & lethaliter in Deum delinquit; secundùm alios verò, imò secundùm omnes doctores, saltẽ aliquo modo peccat, & est malus religiosus, qui manifestè nõ vult suo statui satisfacere, & ad finẽ charitatis perfectæ venire. Si autem quis intẽtione proficiẽdi, & ad perfectionẽ aspirãdi retẽta, in statutorum

D. Tho. 2. 2. q. 187. art. 2.

custodia

custodia deficeret, quæ obligationem peccati non induceret, is quidem tepidè ageret, & remissè se gereret, & perfectioni nonnullum impedimentum apponeret, non tamen ob id solùm peccaret. Nos igitur, qui nunc non tā de opere, quàm de perfectionis desiderio loquimur, hac secunda doctrina prætermissâ, ad illam primam redeamus, quæ in nobis desideratum desiderium perfectionis accendat. Et ne viros Deo consecratos, & in altissimo vitæ religiosæ statu positos, contristemus, qui graue peccatum plusquàm gehennam exhorrent, nunc graue peccatum, & quod à Deo separat taceamus, & eos, qui intentionem, & desiderium veniendi ad perfectionem omninò deponunt, stultos insipientes, & planè malos religiosos vocemus. Et ista quidem probra satis suauiter, & modestè proferimus in eos, qui gratis, & consultò volunt, si non grauiter, at aliquo modo in Deum, eos in sua domo custodientem, delinquere, & amplissimum religiosæ vitæ finem, scilicet perfectionem desideriis commodorū suorum, & vtilitatum subiicere.

Hieron. epi. 1. ad Heliodor. Hos in suam vocationē peccare manifestè astruit Hieronymus dicens: Monachum in patria sua perfectum esse non posse, perfectum autem esse nolle, delinquere est.] Ac si diceret, si quis perfectionis amore retento, patriam inuisere cuperet, & charos salutare parentes, & ad tempus cū fratribus, & amicis, bono aliquo prætextu conuersari, non multa prudentia regeretur, imò immoderato affectu duceretur, qui posset amorem finis, id est, perfectionis, & sanctitatis, aut tepefacere, aut omninò labefactare: At si amorem perfectionis deponat, & se nolle ampliùs proficere, aut corde, aut ore dicat, is non solùm imprudens est, sed tepidus etiam de ore Domini euomendus, qui in eo ipso, quòd non vult esse perfectus, apertè delinquit. Quis verò hoc in dubium vocare poterit, qui animaduertat religiosum, se quæsiturum perfectionem non tantùm apud se statuisse, verumetiam promisisse. Si námque votis se paupertatis, castitatis, & obedientiæ constrinxit, quæ sunt media, & instrumenta assequendæ perfectionis, in illis implicitè, & quasi inuolutè votum etiam quærendæ perfectionis emisit. Quis enim promittit arma portare, nisi vt se data occasione defendat, aut inimicum offendat. Quis etiam pollicetur medicamentum accipere, nisi vt sanitatem consequatur? Quis à noxiis cibis, & venenosis abstinere, nisi ne in morbum, aut in mortem incurrat? Et quis similiter vouet ab impedimentis perfectionis abstinere, nisi vt perfectionem, mentísque puritatem acquirat. Ergo licèt perfectionem ipsam non voueat, tamen intentionem perfectionis non obscurè promisit. Quod idem Hieronymus hac oratione confitetur. *Hieron. epi. 1. ad Heliodo.* Sed forsitan dicturus es: Quid ergo? Quicumque in ciuitate sunt, Christiani non sunt? Non est tibi eadem causa, quæ cæteris. *Mat. 19.* Dominum ausculta dicentem: Si vis perfectus esse, vade, vende omnia tua, & da pauperibus, & veni, sequere me.] Tu autem perfectum te fore pollicitus es. Nam cùm derelictâ militia, te castrasti propter regnum cœlorum, quid aliud, quàm perfectā sequutus es viam.] Si ergo omnes vitæ religiosæ cultores, certo quodam modo se ad perfectionem tendere, & appropinquare promittunt, certè reus videtur non benè seruatæ promissionis, qui animum, & desiderium proficiendi, & ad perfectionem perueniendi deponeret. Huic optimè congruit, quod Dominus Episcopo Ecclesiæ Sardicensis scripsit in Apocalypsi: *Apoc. 3.* Scio opera tua, quia nomen habes, quòd viuas, & mortuus es.] Nomen enim eius, qui viuit, est nomen religiosi, quia hominem Deo consecratum, & religatum significat; & quis magis viuus, quàm ille, qui vitæ ipsi, aut auctori vitæ coniunctus, ac colligatus est? Sed hic viuentis nomine insignitus, mortuus videtur, qui opera religiosi deseruit, qui desideria proficiendi deposuit, qui conatum ad perfectionem veniendi dereliquit. Planè iste mortuus videtur, & à vita spirituali desertus, qui in re tanti momenti deficit, & in ipsum finem vocationis suæ, nimirum in perfectionem delinquit. Nam manifestè perfectionem lædit, qui cùm eā deberet desiderare, & amare, non diligit, & qui instrumenta sanctitatis assequendæ contemnit. Coniugatus, qui vxori, quod suum est petenti, non satisfaceret, & filios familiámque fame perire sineret, non paruam in sua conscientia noxam contraheret. Pastor qui non vigilaret super gregem suum, & oues tempore conuenienti per se, aut per alios non pasceret; nec à lupis defenderet, reus censeretur & esset, diuini iudicij. Miles, qui in procinctu belli positus, nihil de prælio cogitaret, nec se ad confligendum cum hoste disponeret, sed tantùm ludere & otiari decerneret, in regem, ac in militiam delinqueret. Hoc autem ideo, quia omnes isti vnum debent, & aliud præstant, & cùm aliquod munus habeant, nequaquam suo muneri satisfaciunt. Eadem igitur est religiosorum causa, non curantium proficere, & non solùm idem, sed grauius etiam immaniúsque delictum. Eadem quidem causa, quoniam religiosus pro munere, & statu suo debet ad perfectionem tendere, & vitæ suæ emendationem curare: ad hoc námque, sæculum abnegauit; opes, voluptates, & propriam voluntatem abiecit, & se totum, corpus, & animam Deo consecrauit. Grauius autem est delictum ipsius, quia non fœminam aliquam sibi desponsatam, non familiam aliquam specialem, sed religionem matrem honorabilem, & omnem familiam suorum commilitonum offendit. Non oues rationis expertes, quæ, si pereant, non ingens detrimentum est, sed rempublicam virium & sensuum suorum dissipat, & luporum, id est, dæmonum, laqueis exponit: Non humanum ducem aut temporalem militiam, sed Christum imperatorem, & spiritualem militiam aduersùs vitia, quam suscepit, quam professus est fronte inuerecundæ meretricis spernit.

Sciamus itaque, & intentissima cogitatione meditemur, non solos illos delinquere, & in Deum iniuriosos esse, qui malè faciunt, sed & illos quoque, qui cùm possint, & debeant, bona non præstant. Duo quippe esse peccatorum genera, alterum quo malum patramus, alterum, quo bonum omittimus, nemo est qui nesciat. Quare dixit Iacobus Apostolus: Scienti bonum facere, & non facienti, peccatum est illi.] *Iacob. 4.* Et qui talentum abscondit, non propterea damnatus est, quòd illud perdidit, nam integrum talentum restituebat, sed quia lucrum aliquod non acquisiuit. Non solùm ergo peccas, ô religiose, si proprium habeas; si propria voluntate guberneris, si tuæ mentis & carnis puritatem contamines, sed etiam si ad perfectionis bonum, quod mente concepisti, & propter quod facata bona reliquisti, non animi intentione & desiderio contendas. Iam enim bonum, quod scis & potes, & debes facere, non fecisti, iam talentum vocationis tuæ, & magnarum misericordiarum Dei in sudario ignauiæ absconditum tenuisti, & ideo non meritum, hic peccatum est tibi. Audi, quàm pulchrè, & quàm aptis similibus id astruat Chrysostomus. *Chrysost. serm. de virtu. & vitijs. Tom. 5.* Hoc igitur, inquit, quispiam rogarit, qui nec boni quicquam, nec mali fecerit, quemnam locum is ipse sit habiturus. Hoc enim ipsum non fecisse bonum, nihil aliud est, quàm fecisse malum. Nam si seruum habueris non furem, non ebrium, non contumacem, sed sobrium, modestum, & omni flagitio vacuum;

hic si domi quotidie otiosus sedeat, si quorum à seruo vsus debetur domino, nihil efficiat, dic obsecro, nonne flagellabis eum? nonne tormentis afficies? Et tamen nihil quicquam flagitij commisit. Satis est igitur mali hoc ipsum, nihil fecisse boni. Sit nobis agricola quidam, nihil porrò peculij nostri dissipet, neque dolis furto surripiat, tantùm suas ille manus compressas tenens, domi sedeat, semina non spargat, rura non scindat, vites non colat, & quod propterea ad agriculturam pertineat, nihil prorsus efficiat, nonne ab ipso supplicium sumemus? Et tamen nihil intulit iniuriæ, nec habemus omnino, quid illum accusare possimus: sed illud ipsum arbitramur iniuriam. Et nostro quidem in corpore, abstineat capite manus, non linguam excindat, non oculos euellat, non denique tale faciat: otiosa tamen fuerit, nec sui quicquid est officij toto corpori sufficiat, nonne ipsam potius fuerit abscindere, quàm arentem, & inutilem toto corpori manum circumferre? Quid autem os, si neque manum absumpserit, neque pectus momorderit, quæ verò ad se pertineant, omnia prorsus omiserit, nonne illud obsignasse melius fuerat? In his igitur si non modò aliquid fecisse mali, verùm etiam aliquid omisisse boni, magna comprobatur iniuria: porrò diuinis in rebus id ipsum multò magis apparet.] Hanc sententiam tepidus quisque ad seipsum accommodet, & culpam suam; in non proficiendo clarè perspiciet. Nam & ipse seruus est, non hominis sed Dei, qui tamen in domo eius non sicut seruus diligens, & fidelis, sed sicut statua inanimis, iners & otiosus manet, & inter alios famulos strenuè laborantes, ipse non laborat, sed suæ commoditati, & ambitioni deseruit. Ipse agricola est, cui Dominus vineam proprij cordis locauit, quam diligenti studio virtutis excoleret, à qua tamen, nec superflua amputauit, nec vites, hoc est, virtutes, aqua orationis rigauit, nec tempore fructuum aliquem patrifamilias prouentum restituit. Ipse membrum est corporis religionis, in qua vtinam otiosus maneret, & nihil mali faceret, hoc enim forsitan prælati tolerarent, sed malis exemplis; & verbis discordias excitantibus, alia membra separat, atque discindit. Ipse denique os, sed os mutum: loquax ad ridicula, & inutilia, & mutum ad Dei laudes, ad verba ædificationis, & ad peccatorum confessionem, quod dum sic tacet, minimè corpori prodest, & dum loquitur, si non aliis, at sibiipsi officit. Nam scriptum est: Os stulti contritio eius; & labia ipsius ruina animæ eius.] Qui ita se gerit, & munus suum sicut debuit, non implet, certè in hoc absque peccato esse non poterit, & quamuis sit manus in manu, non erit innocens.

Prou. 18.

Prou. 15.

De his tepidis & otiosis hominibus, qui desiderium proficiendi ablegant queritur Dominus, cùm per Dauidem ait: Retribuebant mihi mala pro bonis, sterilitatem animæ meæ.] Ipse enim attulit eis bona; à laqueis mundi decipientis eripuit, bono sanctæ & religiosæ vocationis dotauit, regulis & institutis

Psal. 34.

A communiuit, prælatorum cura circumdedit, fratrum exemplis incitauit, comminationibus terruit, promissis allexit. Illi verò homines ingratissimi reddiderunt illi pro bonis mala, vt dum bonis non responderunt, & mala intulerunt, summum gradum ingratitudinis occuparent. Et quænam sunt ista mala? Sterilitatem animæ meæ.] Ea scilicet, quòd cùm debuissent proficere, non profecerunt, & pro virtutum fructibus vitiorum spinas, & tribulos germinarunt. Habuerunt se erga benefactorem suum sicut arbores infructuosæ, in quibus multa folia, nullum verò fructum reperies. Ita quidem isti multa protulerunt verba, velut multa folia. Promitto paupertatem, folium est; promitto castitatem, folium est: promitto obedientiam, folium est: promitto morum emendationem, folium est; hanc regulam adimplebo, hoc

B statutum custodiam, hoc consilium obseruabo, folia sunt. Sed quid ait Dominus: Retribuebant mihi mala pro bonis, sterilitatem animæ meæ:] quia inter tot promissiones, nullam redditionem, inter tot verba, nullum opus, inter tot folia, nullum fructum inuenio. Quid isti, si non meliùs sapiant; si non resipiscant, expectare possunt, nisi post tantam ingratitudinem, lugendum casum, miserabiléмque ruinam? Quam non præmium religiosæ vitæ, quam solo verbo tenuerunt, sed pœna vitæ, inutiliter, & sine fructu transactæ sequetur. Nam, vt inquit Paulus: Terra sæpè venientem super se bibens imbrem, proferens autem spinas, ac tribulos, reproba est, & maledicto proxima, cuius consummatio in combustionem. *Hebr. 6.*

C Nulla terra opportuniorem habet imbrem, & magis assiduum, quàm anima religiosa, cuius cor Dominus continuis auxiliis internis, & doctrina, & exemplis fratrum rigat: si hæc pro floribus tribulos, & pro fructibus spinas, & pro bonis operibus sterilitatem & otiositatem proferat, non multum abest ab ira Dei, à maledictione Saluatoris, à morte secunda. Liquet ergo, religiosos debere perfectionem quærere, & ad eam non tardis conatibus festinare, cui obligationi, si non (vt par est) correspondeant, nequaquam suo muneri satisfacere, neque religiosæ vitæ, quem occupant, locum implere. Quamobrem excitent se huius validissimæ considerationis stimulo, ad quærendam, & desiderandam perfectionem, vt possimus & nos dictam Pauli comminationem lenire cum ipso di-

D centes: Confidimus autem de vobis dilectissimi, meliora, & viciniora saluti, tametsi ita loquimur. Non enim iniustus est Deus, vt obliuiscatur operis vestri, & dilectionis.] Ipse aspiciat opus, & laborem nostrum, quo nos perficere & emendare contendimus. Aspiciat etiam dilectionem nostram, qua propter ipsum omnia in sæculo dilecta neglexímus, & sua motus misericordia nos roboret, vt celeriter ad brauium perfectionis, tum operibus, tum desideriis curramus. Amen. *Hebr. 6.*

* * *

PARS SECVNDA

DE NONNVLLIS DOCVMENTIS GENERALIBVS ad assequendam perfectionem necessariis.

POST perfectionis desiderium, documenta quædam generalia, perfectioni assequendæ admodum vtilia, huic primo volumini, secundùm promissionem nostram, finem imponent, quorum quædam ad ipsam substantiam operum, quibus studiosus perfectionis incumbit, alia verò admodum in ipsis operibus tenendùm valde conducunt. Illa in hac secunda tractatione, hæc verò in postrema declaramus.

Religiosus perfectionis cupidus magistrum perfectionis quærat.

CAPVT XII.

DEsideria perfectionis à nostra voluntate cócepta, si vera & efficacia sunt, non in solo corde permaneãt, sed ad opus exeãt, & ad omnis virtutis amorem & studiũ impellant. Signũ enim est (vt diximus) aut falsi, aut saltẽ inefficacis desiderij, sed data opportunitate non operetur, nec quod antea concupiuimus, exequatur. De quo dixit Salomon: Vult, & non vult piger: anima autem operantium impinguabitur.] Vult quidem corporis castigationem, sui abnegationem, & omnis virtutis exercitationem, quando nihil sese offert, in quo aut opus virtutis faciat, aut suam voluntatẽm abneget, aut sensus corpúsque castiget. Non vult autem, cùm mortificationis, vel virtutis occasio animum pulsat, quia nonnulla difficultate studiosæ actionis exterritus, pro tunc, desiderium proficiẽdi, & seipsum abnegandi, deponit. Iste quod ad corpus attinet, fortassis pinguis erit, & crassus, sed sat scio, quia in animo tenuis erit, & macilentus: Nam ille solus animam suam roborat, & adipe virtutis impinguat, qui, quod voluit, quod postulauit, quod concupiuit, opere præstitit, & ex corde in manus & actiones produxit. Opera verò, ad quæ desideria perfectionis incitabunt, multa, & varia sunt, sine quibus ex gratia & auxilio Dei factis, nemo sanctus & perfectus existet. Hoc autem paulatim & non sine aliquo ordine, ac methodo (Deo donante) vastum hoc opus, explicabit. Licet enim gratia Dei, quæ artifex est sanctitatis, ab humanis regulis, & ab intentione ordinis non dependeat, eo tamen ipso, quòd hominis imbecillitati, & naturæ se accommodat, virorum spiritualium regulas, & actionum ordinem non excludit. Quare Bernardus, osculari pedes Domini priùs per pœnitentiam, docẽt; & postea manus, per gratiarum actionem, postulat; & postremò os illud sponsi venerandum attingere per amorem efflagitat. Sed antequam ad hæc, quæ sunt particularia, descẽdamus, operæ pretium est promissis stare, & quædam generalia documenta viris spiritualibus admodum necessaria, clarè & manifestè proponere, quæ ad studiosas actiones, ex desiderio perfectionis manantes pertinentia, huic primo nostro volumini finem imponent. Hæc verò, quia ad perfectionem, & mentis puritatem capessendam valdè conducunt (vt experientia viris iam sanctis aperuit, & viris sanctitatem sitientibus demonstrabit) vellem lectores non cursim, non festinanter, sed paulatim, & lento (vt aiunt) gradu perlegerent, & lectionem, vt iam iterum diximus, attentè eorum, quæ lecta sunt, meditatione condirent. Cùm enim virtutis opus non tam sit, scire, quàm agere, non tam, nosse quàm operari, lectionem debet consideratio comitari, quæ lecta in desiderium affectúmque transfundat. Nec solùm vt morosus exactor, vel (vt veriùs loquar) tamquam virium meditationis nostræ cognitor, hac ero diligentia contentus, nisi etiam quæ quisque legerit, operis ipsius nonnullo labore perdiscat. Ita scilicet, vt quædam eorum quæ dicemus; vt, exẽpli gratia, quæ de magistro perfectionis habendo, de ei in omnibus obediendo, & de recta intentione seruanda, & de aliis similibus proponentur, statim sine mora faciat: alia verò quæ non tam facilem executionem habent, per hebdomadas aut per menses, vel per longius spatium temporis, si alicui necessarium videbitur, experiri, & vtcumque implere, conetur. Hæc enim istorum vitæ spiritualis documentorum, vel leuis prælibatio mirificè animas nostras mutans, & ad quærendam mirabilem tranquillitatem reuocãs, & à sensibilibus rebus abducens, ita nos inflammabit, & dulcissimæ virtutis amore capiet, vt nequaquam à cœpto cessemus, donec quod prælibauimus, abundè bibamus; & eo bono, quod olfecimus, saturemur.

Principiò ergo religiosus, aut spiritualis vir perfectionis desiderio succensus, magistrum huius vitæ, non à multis tritæ, & præceptorem virtutis quærat, à quo disciplinam istam omnium præstantissimam addiscat. Nec qui vitam religiosam profitetur (vt nunc alios spirituales viros relinquamus) nimis in quærendo magistro fatigabitur, quoniam aut prælatus, aut ille, qui confessiones eius excipit, aut quem prælatus animabus curandis in cœnobio medicum designabit, magister est perfectionis cui animam suam curandam, regendam, & ducendam committet. Si autem ille non fuerit satis, vt desiderat, peritia rerum spiritualium instructus, confidat de benignitate Domini, quòd per os magistri, à matre religione signati, illum erudiet, & de omnibus edocebit. Non erit autem præter ordinem, de consensu prælati, alium virum spiritualem domus, & perfectum adire, qui aut magistrũ omnibus propositum adiuuet, aut quod ipse minùs potest, suppleat, aut pro maiori animæ consolatione ab ipso dicta confirmet. In quo, priusquam vltra progrediar, ea charitatis audacia, quæ neminem

Margin notes and section letters: Prou. 13. (beside "efficacis desiderij"); Ber. ser. 3. in cant. (beside "tamen ipso, quòd hominis"); A (beside "dè conducunt"); B (beside "uanda, & de aliis"); C (beside "non à multis tritæ"); D (beside "tum spiritualem domus").

palpat,

palpat,& nemini etiam onerosa est,religionum prælatos (quod alibi ex professo faciam) sui muneris admonebo.Nam ipsi pro munere sibi demandato, non œconomi sunt,non domus ædificatores, non ciuitatis,in qua degunt, gubernatores, non principum familiares,non(quod magis est) aut concionatores, aut animarum sæcularium, nisi in eo quod sine detrimento sui officij possunt, adiutores,sed sunt prælati, id est, spirituales religiosorum patres & medici, ab omnibus aliis curis expediti, vt possint eorum perfectioni procurandę vehementer insistere,& eos in rebus spiritualibus gubernare. Quare vt aliquem nunc ex patribus ad confirmandum adducam) beatus Ephræm qualitates prælati, & munus exponens, sic ait; Ideóque eum,qui cæteris præest,conuenit, & peritissimum esse,& ad consulendum saluti subditorum vigilantissimum: vtque singulorum obseruet incessum,motum, gestum,ac habitum,adhibita etiam debita earũ rerum correptione,quæ minùs conueniũt. & vt ad optimum ea statum formámque reducantur. Præceptores enim non solùm elementorum scholaribus ostendunt figuras, sed & minima quæque puncta distinctionésque proponunt. Atque sic oportet, prælatum,nihil quantumuis minimum, quod ad salutem pertineat, omittere, quin fratribus proponat: non prætermittendo etiam supplicia negligentibus parata,vt eo velut muro aliquo culpam omnem ab innocentibus procul arceat. Atque ita Lupi pastoris diligentiam considerantes, rationalium ouium gregem fugiant.] Ioannes verò Cassianus non tam idipsum dicens, quàm vt certissimum præsupponens, Prælatum ait in omnibus virtutibus perfectum esse oportere, qui, quod alios docturus est, priùs vita & actione probauerit.Eius verba sunt: Ideóque nullus congregationi fratrũ præfuturus eligitur, priusquam idem,qui præficiendus est,quod obtẽperaturis oporteat imperari, obediendo didicerit:& quid iunioribus tradere debeat,institutis seniorum fuerit assecutus.Bene enim regere,vel regi,sapientis esse pronunciant, summúmque donum, & gratiã sancti Spiritus esse definiunt.Nam neq; salutaria præcepta quępiam posse obtemperãtibus præstituere,nisi qui priùs vniuersis virtutum disciplinis fuerit instructus:nec obedire quemquam seniori posse, nisi eum qui consummatus timore Dei,& humilitatis fuerit virtute perfectus.] Videant ergo prælati quod munus susceperunt, & sua studia & occupationes aduertant.Si enim cura subiectorum postposita,aut sæcularium negotiis, aut magnatum visitationibus,ac colloquiis, aut immoderatæ sollicitudini rerum temporalium inhęreant, non suo muneri satisfaciũt, sed supremi Pastoris,qui eis oues suas commendauit,indignationẽ incurrunt. Non putent officium prælati esse, sicut officium sæcularis gubernatoris,qui solam externam reipublicæ pacem respicit, publica scandala, & mutuas iniurias subditorum corripit,& nihil ampliùs requirit: sed est munus spiritualis patris,& medici, qui non corpora sed animas subditorum regit,& curat, non tantũ exteriorem religionis pacem, aut externam statutorum obseruantiam, sed multò magis internam animarum perfectionem,& omnis virtutis assecutionem procurat.Sibi itaq; subditos verissimo & tenerrimo amore prælati deuinciant, quo ipsi suas conscientias securè aperire audeant,& bona, & mala, tristia & aduersa propalare.Frequenter eos,& amanter de rebus spiritualibus alloquantur, modum viuendi, & in spiritu proficiendi, quem habent non vt seueri iudices, sed vt amantissimi patres,ad iuuamen & consilium afferendum interrogẽt.Sordidos adhibito remedio confessionis,& salutaris pœnitentiæ,lauẽt; aridos,& desolationem patientes,monitis ad perseuerandum, & consolationem expectandam, rigent;sauctos inordinatis affectibus doctrina mortificationis curẽt. Propria voluntate rigidos studio obedientiæ flectant: tepore aut segnitie frigidos, instrumentis deuotionis foueant:prauis opinionibus errantes,& quod noxium est,salubre æstimantes,spirituali disciplina proposita regant.Incipientes,lacte;proficientes,solidiori cibo,perfectos, suauissimo contemplationis alimento reficiant,& in hoc toti positi sint,vt impedimenta virtutis arceant,& omnes in perfectionis studio promoueant.Modum(vt credo)huius tractationis in admonendis Prælatis excessimus, quibus integrum tractatum iustæ magnitudinis præparamus; nunc ergo illis prætermissis,ad id,vnde digressi sumus, noster stylus reuertatur.

Ephræm. li. de vita spirituali ad monit. n. 36.

Cassia. li. 2. de inst. c. 3.

Religiosus igitur,qui vult in virtute proficere, & ad perfectionem non lentis passibus festinare, se infirmum,iter agentem,militem,discipulum, infantulum,& regis alicuius familiaritatem ambientem existimet,&,quod isti omnes faciũt, vnus ipse perficiat. Si ægrotus est,medicũ quærat; si iter faciens, ductorem inquirat:si miles,imperatorem sequatur:si discipulus,magistrum auscultet:si infãtulus, vbera matris sugat:si diuinæ familiaritatis ambitiosus amator,illius qui personam regis agit,à quo doceatur regi placere, colloquium, & monita nõ aufugiat.Ista omnia similia,si explicentur,apertè manifestãt, quanti momenti sit ad perfectionem assequendam,imò & ad aliquam securitatem in via Dei habendam,prælato, aut patri spirituali quemque religiosum seipsum ostendere, & vniuersa secreta cordis aperire.Illi enim,id est, prælato, vt patri, & vt medico defectus omnes nostri à nobismetipsis aperiendi sunt,(& nihil nunc de sacramento confessionis loquor, sed de secreto infirmi cũ medico & filij cum Patre colloquio) passiones, affectúsque pandendi, omnes tentationes, & molestiæ propalandæ.Illi clarissimè, & sine ambagibus explicandũ est,quomodo defectus superemus, quo pacto affectus mortificemus, quanam ratione tentationes vincamus.Illi dicendum est cuiusnam virtutis amor nos teneat, quæ studiosa exercitatio delectet, quem profectus, aut perfectionis gradum mens nostra (vt putamus) obtineat. Cum illo tractandum est, quem modum in oratione, & meditatione seruemus, quas in ea consolatione experiamur, quanta attentione, aut mentis distractione horas recitemus, quo afflictionis genere corpora nostra donemus, & quibus impedimentis à perfectione retardemur, aut quorũ mediorum vsu ampliùs proficiamus. Tandem, quicquid in anima malum,aut bonũ est, quicquid lætum, aut triste,quicquid manifestũ,aut dubium, siue illud magnum, siue paruum sit,aut prælato, aut patri spirituali pandatur: & tota nostra conscientia ita aperta sit ei,ita clara,& detecta, vt ille meliùs quàm nosipsi (si fieri possit)eius qualitatem agnoscat,& omnia mala & bona peruideat. Quod sanè saluberrimũ documentum beatus Vincentius, (quem Ioannes Gerson adhuc viuentem,à Ioanne prædictum Angelum putat, qui accepta corona exuit vincens, vt vinceret:) tanta exaggeratione proponit,vt vix sine illius custodia alicui perfectionem concedat.Is namque beatissimus pater, magnus prædicator,& ordinis Prædicatorum decus,in aureo illo tractatu, de vita spirituali sic scribit: Sciendum est, quòd homo faciliùs & in breuiori tempore, posset ad perfectionem pertingere,si haberet instructorem, cuius regimine duceretur,cuius obedientiam in omnibus actibus,paruis,& magnis totaliter sequeretur,quàm aliquis posset seipsũ perficere quãtumcũq; vigeat acumine intellectus,

Gerson. 1 p. epist. ad Vincentium.

Vincen. tract. de vita spiritual.

&

& libros habeat, in quibus videat virtutum omnium structuram exaratam. Imo plus dico, quòd numquam Christus suam gratiam ministrabit, (sine quo nihil possumus) si homo habet, à quo possit instrui, & deduci, & negligit, vel non curat alterius ducatum amplecti, credens sibi sufficere, & per se posse inuestigare, & inuenire quæ sunt vtilia ad salutem.] Is sanè (vt nunc alia illius sanctissimi Patris dicta prætereeam) in hoc Saluatorem nostrum sequutus est præceptorem, & non tã dictis quàm factis huius doctrinæ attestatorem. Paulum enim (& cùm Paulum nomino Ecclesiæ totius Doctorẽ & Angelicam tubam nomino) in conuersionis exordio noluit per seipsum edocere, sed ad hominem misit, à quo salutis doctrinam audiret. Nam Paulo dicẽti: Domine: quid me vis facere?] non respõdit Dominus, hæc & hæc facias. Sed quid? Surge, & ingredere ciuitatem, & ibi dicetur tibi, quid te oporteat facere.] Eo autem Damascenorum ciuitatem ingresso, Ananiam non maiorem, nõ æqualem, sed inferioris virtutis, inferioris meriti, inferioris status, excitauit, qui Paulum de omnibus erudiret. Si doctorem, si Apostolum, si totius Ecclesiæ patrem Christus ad hominem misit, à quo Dei voluntatẽ audiret, putamus nos prælatum habentes; & spiritualem magistrũ prope cellam nostram vidẽtes, sine eius ministerio posse proficere? Erramus, & nosipsos falsa persuasione decipimus. Vnde Laurentius Iustinianus eandem doctrinam astruit, ita scribens: Omni sedulitate exercẽdi sunt in religione rudes, ne pereffluant, ne torpeant, ne obdurescant, ne suo innitantur sensui, proprioque ducantur arbitrio: sed tamquam diuino oraculo, suo in omnibus credant pædagogo, & ipsius in cunctis obtemperent voluntati. Nolint discernere quare, sed quid præcipiat: illo neminem iudicẽt sanctiorẽ prudentiorémque; ipsum purè diligant, ipsum venerẽtur: ipsi tota deuotione famulẽtur. Aperiant deniq; illi simpliciter, ac sine excusatione omnes cogitationes suas, intentiones, desideria, dicta, & gesta. Ad eundem accurrant frequenter, veluti ad nutricem infans, vt ab illo doctrinæ & cõsolationis suscipiant nutrimenta, atq; spirituali lacte pascantur. Ab eo erudiantur qualiter, quando, & vbi orare debeãt, quid meditari, quid legere, quid operari. Similiter quantum dormire, quantúmque eos abstinere liceat, in eo omnino sit eorum velle, & nolle, atq; vniuersa (si possibile est) ad imperium peragant præceptoris. Hæc profectò, si fideliter adimplebunt, lætanter incedent, securè quiescent, diligentur à cunctis, ab Angelis protegentur, & visitabuntur à Domino. Nihil illis apparebit asperum, nihil arduũ, nihilq; impossibile. Sine oculis vtique replebũtur lumine, sine discretione ornati erunt sapientia, sine volũtate erunt profecti gratia, eo abundantiori, quo liberiùs se subiiciẽt, nec non pro Christi amore ardentiùs abnegabunt se, nihil sibi penitus reseruantes. Licet autẽ sententia hæc solis tyronibus dicta videatur, ea tamẽ communẽ esse, & omnibus viris spiritualibus conuenire Bernardus manifestè proponit. Dum enim exponit illud: Inuenerunt me vigiles, qui custodiunt ciuitatem,] hæc ait: Audiant qui sine duce, & præceptore vias vitæ ingredi non formidant. Ipsi sunt in arte spirituali existẽtes, & discipuli pariter, & magistri. Non sufficit hoc, etiam coaceruant discipulos sibi, cæci duces cæcorũ. Quàm multi ex hoc a recto tramite periculosissimè aberrasse comperti sunt? Nimirũ ignorantes astutias Satanæ & cogitationes ipsas, factum est, vt qui spiritu cœperant, carne cõsummarentur, abducti turpiter, lapsi damnabiliter. Videant proinde qui eiusmodi sunt, quo modo cautè ambulẽt, & de sponsa exemplũ sumant, quæ non priùs ad eum, quem desiderabat, vllo modo valuit peruenire, quàm sibi occurrerent quorũ magisterio vteretur ad cognoscendum de dilecto, certè ad discẽdum timorem Domini. Seductori dat manum, qui dare dissimulat præceptori.]

Act. 9. — Iustini. l. de obed. c. 20. — Bern. ser. 77 in Cant. Cant. 3.

Id autẽ non erit creditu difficile illi, qui supra dicta similia diligenter expenderit. Si enim omnes infirmi sumus, ea aliquorum peccatorum ægritudine, quæ non corpus afficit, sed mentem affligit, profectò medico indigemus, cui, vt ab illo remedium accipiamus, vulnera debemus aperire, & infirmitates nostras, id est, imperfectiones defectusque monstrare. Nam qui abscondit scelera sua non dirigetur; qui autem confessus fuerit, & reliquerit ea, misericordiam cõsequetur.] Et Cyprianus ait: quod ignorat medicina nõ sanat.] Quomodo ergo aut prælatus aut spiritualis pater defectibus nostris medebitur, quos imprudenter celamus, & ab oculis eius abscondimus? Nec satis erit, si vnam imperfectionẽ, vnũ defectũ, vnũ affectum inordinatũ medico nostro pandamus, si reliquos, qui aut maiores sunt, aut fœdiores tacemus; quoniam solũ, quẽ ipse sciuerit, aut quoquomodo deprehenderit defectũ curabit, quos verò ignorauerit, sine remedio, ac medicamento relinquet. Imò periculosũ est, multis defectibus patefactis, vnũ tantum abscõdere, quia fortassis illos isti suppresso comuncti, alio medicamine indigebant, & medicamentũ aliis appositum, nequaquam illos curabit, & istũ, quẽ spiritualis pater ignorat, vsq; ad nostram perniciẽ augebit. Nam si quis febri simul, & cruditate laboret, & cruditatẽ taceat, solámq; medico febrim ostendat, non morbi leuamẽ, sed certissimã sibi mortẽ asciscet. Nã medicus febrim aspiciens, & nihil de cruditate cogitans, sanguinẽ minuet, post quã minutionem nihil ægroto superest, nisi de rebus suis citò disponere, & præcipere sibi sepulchrũ aperiri. Ita si pusillanimitate simul, & superbia laboramus (vt aliquod exemplum adducam) & istam abscondimus, & solam illam patefacimus, ea remedia afferet spiritualis medicus, quæ superbiam non cognitam, ita augeant, vt nos in gehennam ipsam protrudat. Si omnes viatores sumus, & viæ cuiusdam, carni & sanguini angustæ, & à paucissimis frequentatæ (nã arcta est via, quæ ducit ad vitam, & pauci sunt qui inueniant eam) huius viæ ductorẽ quæramus, ne à cupito termino insipienter aberremus. State super vias, dicit Dominus per Ieremiam, & videte, & interrogate de semitis antiquis, quæ sit in via bona, & ambulate in ea; & inuenietis refrigerium animabus vestris.] Mũdus enim iste est instar agri latissimi, innumerabilibus viis, & semitis occupati, quarum multæ anfractuosæ sunt, & in præcipitiũ ducẽtes, aliæ verò rectę, & locũ amœnũ suũ cursum terminantes. Istarũ autẽ hæc vni cõgruit, hæc alteri, neq; omnibus hominibus vniuersæ conueniunt. Qui vult itaq; nõ errare, stet super vias, & super semitas, ac super diuersas cõuersandi rationes, antequã earum quãlibet ingrediatur: interroget ductorem, id est, magistrum, aut prælatũ suum, quænã sint semitæ antiquæ, quas primi vitæ religiosæ fundatores triuerũt: interroget etiam, illarum quęnã erit sibi via bona, & suis viribus, suæ capacitati, & suæ vocationi conueniens, & in ea ambulet diligẽter, & aliã non quærat, non cupiat, imò nec respiciat quidem, & sic propriæ mentis refrigerium inueniet. Noluit Iosias pius & sanctus rex, credere ei, qui loquebatur ex ore Dei, & suo spiritu ductus, & bono (vt videbatur) zelo incitatus, perrexit in prælium aduersùs Necao Regem Ægypti, & sagittis vulneratus occubuit.] O quoties viri spirituales, aut qui spirituales putãt, hãc Iosiæ calamitatem experiuntur, dũ nõ acquiescentes seniorũ cõsiliis, volũt negotia supra vires aggredi, & se indiscretis asperitatibus onerare, & cũ

Prou. 28. — Cyprian. — Matt. 7. — Ierem. 6. — 2. Par. c. 35.

minus

minus cogitant,damnum suæ præsumptionis sentiũt, & viribus destituti,oneri præsumptuosè accepto,luctuosè succumbunt.Non semel profectò hunc Americæ latissimum tractum,multis variísque itineribus peragrans,incognito & rudissimo Peruano me commisi, & ductorem libenter sum sequutus,à quo vias, quas nesciebam,satis periculosas addiscerem,& dum illum sequebar, meam stupiditatem, & aliorum similium admirabar, qui vias cæli interdum difficiliores cognitu,& si erreutur periculosiores,sine ductore confidenter ingredimur, & habentes magistrum non rudem,sed satis idoneum, & in rebus spiritualibus instructum,eius consilium aspernamur.

Nos etiã milites sumus,& si fortè duces,atq; prælati, tales sumus comparatione subditorũ,non verò respectu animarum nostrarum.Colluctatio est nobis non aduersus carnem & sanguinem,sed aduersus spirituales nequitias, quas sæpe nos ferientes & vulnerantes non videmus.] Quæ igitur ignorantia est,imperatorẽ,id est, spiritualẽ magistrũ nõ sequi, eius admonitionibus nõ parere,& cũ sæuissimo hoste sine huiusmodi præsidio decertare? Certè de his soliuagis, qui præceptoris consiliũ in ancipiti bello subire detrectãt,facilè diabolus sibi victoriã promittit.Quare in Prouerbiis scriptũ inuenimus.Vbi non est gubernator,populus corruet:salus autẽ,vbi multa consilia.] Quẽ locũ tractãs beatus Dorotheus satis efficaciter periculũ sine ductore pugnantiũ detegit, & necessitatẽ spiritualis ductoris exponit. Cauere nos admonet,inquit,ne nosmetipsos informemus, ne nos sciolos habeamus,ne persuadeamur esse nos satis nobis ad regimen nostrũ. Opus enim nobis est auxilio præter Deũ,opus coadiutoribus.Nihil est miserabilius,nihil quod citiùs expugnari queat, his, qui nullos duces, nullos auctores habẽt ad viãDei. Ait enim,quibus nõ est gubernatio,decidũt vt folia. Foliũ à principio sẽper virẽs, semper germinans semper delectabile est, nõ multò pòst arescit,& lãguet, & cadẽs cõtemnitur & cõculcatur.Talis homo est,qui à nemine regitur.A principio feruẽtissimus ad ieiunia,ad vigilias,ad quietẽ,ad obediẽtiam,&ad quæcumq; cætera bona. Paulò pòst extincto eo feruore, si nullũ habuerit sui gubernatorẽ aut fotorem,qui extinctũ ignẽ suscitet, & accendat, desiccatur,& cadit,ac demũ destitutus ab hostibus suis captiuus trahitur,qui vt voluerint,in ipsũ grassãtur. Hæc ille,& optimè.Quoniã inuisibiles hostes, vt est in Iob,quasi onagri in deserto egrediũtur ad opus suũ,] ad deceptionem scilicet animarum nostrarũ,quas si desertas non inuenissent, & ope ductoris destitutas,eas nullatenus debellassent.Audi inuisibilẽ hostẽ spiritus sancti in eodẽ volumine descriptũ.Oculus adulteri obseruat caligineẽ:dicẽs, Non me videbit oculus:& operiet vultũ suum. Perfodit in tenebris domos, sicut in die exodierãt sibi, & ignorauerũt lucẽ.Si subitò apparuerit aurora, arbitrãtur vmbrã mortis;& sic in tenebris, quasi in luce ambulãt.] Aptissimè quidem diabolus adulter dicitur,quia animas Deo cõsecratas auertere nititur,& ad sua cõsilia pertrahere.Hic adulter aperit vultũ suũ, dũ nequitiã suã alicuius boni velamine cõtegit,& dicit,nõ me videbit oculus,quia notitiã prælati, aut magistri spiritualis fugit.Si tenebrę sũt,si anima caliginẽ amet, & sua interiora ab oculo patris abscõdat, tũc Diabolus perfodit domũ eius, & cõsciẽtiã prælato occlusã sibi aperit,vt eam ingressus,quæcũq;inuenerit bona, diripiat. Sed quid est sicut in die cõdixerant sibi? An anima huius irruptionis, huius spoliationis est particeps?Ita prorsus.Nã iã simul aduersarius,& anima,eo ipso quòd ita laqueũ sibi paratũ nõ detegit, in exitiũ virtutis apertè conueniunt, iam lucem auersantur, iam tenebras amant, iam in caligine abstrusæ conscientiæ ambo præbent delicto consensum. Hoc malum satis lugendum incurrimus,si soli pugnare volumus,& tendiculas diaboli celare præsumamus.

Ephes. 6. *Prou. 11.* *Doroth. Doctri. 1.* *Iob. 24.* *Iob. 24.*

Non solùm milites,verùm etiam discipuli sumus, & illius disciplinæ,quæ sicut omnibus præstat dignitate,& ita difficultate præeminet.Difficilima namq; est perfectionis disciplinã, homini in peccatũ lapso, quoniam & rerum spiritualiũ, atque interiorum est, & non in sola speculatione, sed multò magis in actione sita cognoscitur,& eius adeptionem cæcitas nostra, peccata nostra, vitia nostra,& inordinatæ affectiones impediunt.Si autem alias disciplinas humanas,nullo modo sine ductore perdiscimus, quæ dementia erit velle sine magistro diuinam sapientiã addiscere, & omnium virtutum doctrinam obtinere? Si partem spiritualem non quæsieris, ô religiose,aut tibi vltrò oblatum audire neglexeris,gemes in nouissimis, vt verbis Salomonis tantisper immutatis vtar, quando cõsumpseris carnes tuas,& corpus tuum, & dices:Cur detestatus sum disciplinam,& increpationibus non acquieuit cor meum, nec audiui vocem docentium me, & magistris non inclinaui autem meam?] Meritò id dices,& iure optimo gemes,quoniam neglecto spirituali magistro, tempus elapsum, & corpus ætate consumptum, atque animam vix tyrocinium vitæ spiritualis excedentem inuenies. Etenim,vt Cassianus ait, cùm omnes artes, ac disciplinæ humano ingenio repertæ, & quæ nihil ampliùs, quàm huius vitæ commodis prosunt, licèt manu palpari queant, & oculis peruideri,rectè tamen à quoquam sine instituentis doctrina nequeant comprehendi; quàm ineptum est credere, hanc solam non egere doctore, quæ & inuisibilis, & occulta est, & quæ nonnisi corde purissimo perspici poterit, cuius error non temporale damnum, nec quod facilè reparetur,sed animæ perditionem parit,mortémque perpetuam?Ex quo intelligimus,quantum ille à Domino beneficium recipiat,qui ab initio conuersionis suę nouit istud documentum custodire, & magistro spirituali seipsum sincerè manifestare.Habet enim non solùm adiumentum proficiendi,sed etiam aptus efficitur,vt possit in via spiritus alios instruere.Vnde illi tamquam fideli seruo conuenit non ineptè, quod Isaias de Domino est prolocutus.Dominus dedit mihi linguam eruditam, vt sciam sustentare eum, qui lassus est verbo: erigit mane, mane erigit mihi aurẽ, vt audiam quasi magistrum.]Nam ille,cui Dominus à conuersionis exordio aperit aures,vt eum non per se, sed per os patris spiritualis loquẽtem audiat,ita solet ad fastigium virtutis ascendere, vt possit lassos & fatigatos,& penè tristitia submersos, solo verbo & efficacia sermonis erigere. Sicut autem non tantùm discipuli magistro indigent,sed etiã ipsi magistri & sciẽtiarum humanarum doctores,mutuo auxilio sæpè indigent,& solent in vnũ cõuenire,vt inter se de rebus difficillimis cõferãt & abscõditissimas veritates eruãt: ita vtilissimum est viris quoq; spiritualibus & in virtutibus & studio orationis apprimè exercitatis,de statu animæ suæ cum aliis conferre, & illorum iudicio proprium submittere.Hoc enim maximè ad augmẽtum humilitatis valet, quam Dominus semper illuminat,& ad magnam perfectionem extollit.

Prou. 5. *Cassian. col. 2. c. 11.* *Isaia 50.*

Sed quid ego nunc humilitatem prætendo? Verè omnes tam rerum spiritualium discipuli, quàm magistri in his rebus, quæ ad animam pertinent, quasi infantes sumus, & multis ignorantiis inuoluimur: cùm ergo alium auscultamus, & alicuius viri spiritualis ductum sequimur, non nos immoderatè deijcimus.More itaque infantiũ,qui in omnibus consiliũ

matris exquirunt, in nulla re de nostro iudicio confidamus. Sed vniuersa magna, & parua, alicuius momenti, vel nullius, si commodè possumus, prælati, aut magistri consilio examinamus. Id verò in studio orationis maximè operæ pretium est. Cùm enim oratio sit quoddam familiare colloquium, & quædam intima amicitia cum Deo, nemo debet sine adiutore ad tam arduum negotium, & ad tantam dignitatem aspirare. (Iob. 31.) Quis mihi tribuat auditorem, inquit sanctus Iob, vt desiderium meum audiat Omnipotēs, quasi ad hanc consequendam desiderij exauditionem, auditorem, qui necessitatem eius audiat, & adiuuet eum, petens, atque requirens. Ars autem orationis, ars desideriorum est, qua apud Dominum non tam vocibus quàm desideriis clamamus, & percipere desiderata cupimus. B Quæramus cum isto sancto viro auditorem, qui nostras difficultates in hoc itinere quotidie se offerentes audiat, & adiutorem, qui suis consiliis nos instruat, vt ab eo orare & desiderare discamus, & à Dominò nostri desiderij effectum impetremus. Illud postremo in hoc documento aduertendum existimo, quòd quisque ita omnia, quæ ad se pertinent bona & mala prælato, aut magistro spirituali patefaciat, vt tamen magna circumspectione ab oculis aliorum abscondat. Si enim mala sunt, soli medico sunt aperienda. Nam si vlcus, aut morbum fœdum, & fœtidum soli medico, & non sine rubore, manifestas, & coram aliis etiam amicissimis, si possibile est, illum prudenter dissimulas; quare æquum iudicabis, morbos occultos animæ tuæ passim omnibus, C aut amicis aperire, qui ex eorum conspectu aut scandalum, aut nonnullam offensionem capient, & seipsos fortassis ad imitandum inducent? Si autem bona, soli etiam præceptori pandenda sunt, vt ea examinet, & suo consilio & admonitione promoueat: alij verò omnino ignorent, quæ scita nos ad inanem gloriam, & ad superbiam impellēt. Vtrumque Basilius appositissimis similibus in hunc ferè (Basil. reg. 45. fusius disput.) modum declarat. Etenim si vbi de corporum curatione agitur, in remedio ægris adhibendo, non temerè quemuis medicamento ferramentóve vti videmus: sed illos tantūmodo, qui medendi artem teneāt, quam & à peritis antè didicerint, ac doctrinæ multiplici experientia, & assidua ipsi postea secum meditatione expoliuerint, & longinqua exercitatione lōginquoque vsu confirmauerint: quæ ratio permittit, vt ad curationem eam, quæ sermone adhibetur, nulla habita electione, temerè quiuis, qui velit, D assiliat: qua in re rei vel minimæ prætermissio maximū afferre detrimentū solet? Apud quos etiam ne panis quidem distributio quibusuis temerè permittitur, sed munus huiusmodi administrandi panis vnius cuiusdam est, ad quē illud de communi aliorum sententia delatum est: qui non multò maiore cum delectu, ac cautione hoc in danda petentibus esca spirituali obseruari conueniat? Videlicet, vt munus hoc peculiare sit alicuius, qui melius id ipse præstare possit, quàm cæteri? Ex quo intelligitur animi esse valdè sibi præfidentis, cùm quis de aliquo iudicio interrogatus intrepidè sic temeréque audeat responE dere, neque digitum ad illum intendat, cui huiusmodi dispensandi sermonis munus delegatum sit Qui quidem ea re, quòd fidelis esset dispensator, & prudens, idcirco delectus est, vt spiritualem cibum tempore distribueret, sermonesque suos in iudicio disponeret.] Consilium ergo Ecclesiastici in omni- (Eccles. 6.) bus, sed præcipuè in rebus animæ seruandū est. Multi pacifici sint tibi, & consiliarius sit tibi vnus de mil- (Isaia 24.) le.] Et item illud Isaiæ: Secretum meū mihi, secretū A meum mihi.] Vt occulta bona mea, & miserias meas solùm ego sciā: & ille, qui mihi in magistrum, in præceptorē datus est: cæteri verò me exteriùs iuxta præceptū regulæ viuentem videant, quæ verò interiora sunt minimè per meam imprudentē locutionē agnoscant. Ille autem (& iste est prælatus, aut spiritualis magister) quem loco mei habere debeo, omnia mea siue mala, siue bona comperiat. Mala, vt corrigat, vt amenter reprehendat, vt emendet: bona, vt examinet, vt dirigat, vt ad debitum incrementum adducat. Ita fiet, vt in via spiritus incedam (quantum fieri potest) in hac mortali vita securus.

Religiosus Magistro perfectionis in omnibus obediat.

CAPVT XIII.

B Conscientiam prælato, aut magistro spirituali aperire, quid proderit, si non hanc rerum interiorum manifestationem animi submissio, ac prompta obedientia sequatur? Certè nihil: sicut nihil prodest ægroto, si medicum quærat, & ei suas ægritudines pandat, quicquid verò præscripserit, subito contemnat. Imò hic peiùs, quàm ille, qui patris spiritualis consilium numquā audiuit, & dānabiliùs errabit, quoniam non sola ignoratione, sed quodāmodo ex contemptu, aut saltem ex proteruia delinquit. Ideóque Dominus ait: Seruus qui co- (Luc. 12.) gnouit voluntatem domini sui, & non fecit secundùm voluntatem eius, vapulabit multis. Qui autem nō cognouit, & fecit digna plagis, vapulabit paucis.] Nam C si pœna delicto æqualis est, peccauit quidem ille, qui aliquam pœnam commeruit; sed ampliùs peccauit qui pœnam acerbiorem sustinuit. Debet igitur religiosus perfectionis cupidus (& quod religioso dicitur, omnibus seruis Dei dictum putetur) non solùm prælato, aut spirituali magistro conscientiam cū magna sinceritate detegere, non solùm eius adhortationes, & monita reuerenter auscultare, sed in omnibus ei promptè & diligenter obedire. Obediat primùm ei in modo quem ipse dictauerit, declinandi à malo: & ea remedia aduersus peccata, & defectus suos, ea medicamina aduersus vitia, & passiones suas, eam rationem se abnegandi, & contra diaboliū pugnādi suscipiat, quā ipse præscripserit. Multos vidimus mediD camentis proprio arbitrio, aut imperiti hominis consilio, in morbi remedium acceptis periisse, & plurimos remediis à perito medico decretis, multam salutem comparasse: ita & non sine dolore, vidimus multos, propria voluntate ductos, in magnas, & inextricabiles diaboli fallacias lapsos, & nullum si bene memini, qui prælati, aut magistri spiritualis imperio regatur, astu aduersarij omnino deceptum. Scit spiritualis magister, pro luce sibi diuinitus data, tum morbi grauitatem, tum remedij efficaciam, tum etiam infirmi, aut imbecillitatem, aut firmitatem cognoscere, & ea medicamenta spiritualia applicat, non tantùm quæ sint morbo contraria, sed quæ infirmi pusillanimitas sine detrimento sustineat. Ipse videt, quæ æger, aut affectu immoderato captus, aut E timore cæcus, aut afflictione oppressus, non videt, & morbi radicem excindens illud sanat, quod patienti iam desperatum, & insanabile videbatur. Vnde quidam ægrotus ait: Quoniam circumdederunt me (Psal. 39.) mala, quorum non est numerus; comprehenderunt me iniquitates meæ, & non potui vt viderem.] Quid est, non potui, vt viderem? nisi non potui, quia nesciui, quia ignorantia circundatus fui, medicamentum meis iniquitatibus adhibere, & aptum illis remedium aspicere? Quod autem ægrotus non vi-

det, quia cæcus est, quòd præstare non potest; quia multis impedimentis inuolutus est prælatus, aut magister ad hoc munus destinatus, & vidit apertè, & facillimè præstitit. Meritò proinde Ecclesiasticus monet, vt manum medici nos curantis admittamus. Fili, inquit, in tua infirmitate ne despicias teipsum, sed ora Dominum, & ipse curabit te. Auerte à delicto, & dirige manus, & ab omni delicto munda cor tuum. Da suauitatem, & memoriam similaginis, & impingua oblationem, & da locum medico.] O quam apta salutis assequendæ remedia, quæ omnia diligenter adhibenda sunt, vt perfectam animæ salutem, quam quærimus, consequamur. Primum, ne despiciamus nos ipsos; & ille se despicit, qui vt vanis desideriis satisfaciat, animæ salutem negligit. Secundum, vt oremus Dominum: nam ipsius qui fecit nos, est etiam suum opus reficere, & oratione impetrante, quod ceciderat, reparare. Tertium, vt auertamus nos à delicto, quod tunc fit, quando de peccatis à nobis admissis dolemus, & ea sincerissimè confitemur, & quæ odio dignissima sunt, ingenti odio detestamur. Quartum, vt dirigamus manus, id est, ad bona opera facienda dissoluamus, quia cùm otiosi esse non possimus, & si possumus ipsum otium malum sit, oportet bonis operibus inhærere, si volumus, vt mens nostra malis abstineat. Quintum, ab omni delicto corda mundemus; quod tunc fit, cùm non solum per veram detestationem ipsum peccatum, sed etiam per abnegationem peccati radicem euellimus. Si enim radix peccati, id est, vitium in corde remaneat, & affectus nec dum mortificatus existat, ipsum cor mundum plenè non est, quod radix immundiriæ coinquinat. Sextum, Demus suauitatem, scilicet oblationes & sacrificia nostro Creatori suauia, & præcipuè illud Eucharistiæ suauissimum sacrificium, quod & Deum placat, & curiam cœlestem ad nostri miserationem prouocat, & perseuerandi gratiam impetrat. Septimum, vt memoriam similaginis offeramus, quod tunc profectò facimus, cum pro acceptis beneficiis gratias referimus: qui enim ingratus inuenitur, meretur donis acceptis priuari. Octauum: vt oblationem impinguemus, hoc est charitatis pinguedine opertam libemus, ne Dominus oblata tamquam mucida, & suo conspectu indigna reiiciat. Postremum, quod ad rem nostram facit, & reliqua veluti complet, & perficit, ne scilicet animarum medicum, & spiritualem magistrum despiciamus. Et sapienter hoc remedium extremo loco positum est, quoniam magister docet nos nequaquam nosmetipsos despicere, Dominum deprecari, peccatum abiicere, eius radicem euellere, manus ad bonum dissoluere, beneficia commemorare, & salutis oblationes offerre. Ab eo ergo discendum est, quo pacto peccata, & mala omnia fugiamus.

Eccl. 38.

Multi verò sunt, quibus facile est in vitandis imperfectionibus prælatum sequi, aut spiritualis magistri præceptis vel monitis obedire, at in affectatione boni malunt seipsos regere, quàm præceptoris dictis obtemperare. Videas illos sui ipsorum regimen, & gubernationem suscipere; sibi longa orationis, meditationisque spatia præscribere, ad multas preculas recitandas adigere, indiscreris ieiuniis, vigiliis, & asperitatibus corpus conterere, & præter communem religionis ordinem, quemdam vitæ modum singularem excolere. Quibus si prælatus contradicat, si spiritualis præceptor obsistat, si quod bonum esset, suadeat, contristantur, obmurmurant, & eum tepidum hominem, & carnalia tantùm sapientem iudicant, & non acquiescentes consiliis eius in cœpta suæ vitæ ratione perseuerant. Neque hic consummatur diaboli astutia, sed vltra progreditur, nam magister humilis, & de seipso modestè sentiens, interdum scrupulis impeditus, & pusillanimitate ligatus, discipulos ad libitum permittit viuere, neque audet, quæ sancta & perfecta videntur suis monitionibus impedire. Optarem quidem hoc loco, cum hoc & similibus prælatis aut magistris spiritus expostulare, qui homines vanissimos, & superbissimos non corrigunt, & specie maioris perfectionis delinquentes, à diaboli fallaciis nō abducunt. Et tantò magis id optarem, quanto in hac pusillanimitate maximum damnum esse cognosco. Isti enim miseri, qui seipsos regendos susceperunt, indiscretè se onerant, vt qui spiritu cœperunt, tandem carne consummentur. Imprudenter, & contra ordinem asperitate vitæ corpus conficiunt, vt post duos, aut tres annos in ægritudinem, atque ex ea in tepiditatem lapsi, non iam religiosè, sed sæculariter viuant, non iam rigidè, sed delicatè, & lautè se palpent, & aliis rem considerantibus, mortificationis timorem incutiant. At relinquamus nunc prælatos, & perfectionis magistros, & discipuli satis insipientes, & satis aliquando isto errore decepti, cum discipulis alloquamur. Et vos magistros vestros iudicatis; & vos maiori sapientia spirituali, quàm illi pollere existimatis: & vos cordis vestri sententiam prælati definitionibus anteponitis: & vos quia ieiunium bonum est, & quia vigiliæ sanctæ sunt, & quia cilicium, & alia similia ad virtutem pertinent, ea sine ordine, & sine obedientia sumenda putatis; & vos in rebus bonis prælati iussis obtemperare negligentis: & vos vltrò in manus aduersarij vos irridentis & decipientis coniicitis: Scit enim ille versipellis cum malis apertè confligere; & peccati delectatione prosternere; scit etiam bonos virtutis specie decipere, & sub prætextu sanctitatis in ignauiæ baratrum deturbare. Nonne legistis Saulem, præter obedientiam immolantem, sacrificij causa reprehensum, & holocausti gratia damnatum? Quomodo dixit Samuel? Stulte egisti, nec custodisti mandata Domini Dei tui, quæ præceperat tibi. Quod si non fecisses, id est, si non immolasses, nunc præparasset Dominus regnum tuum super Israel in sempiternum, sed nequaquam regnum tuum vltra consurget.] Et vestræ orationes, & vestra ieiunia, & vestræ asperitates victimæ sunt, fateor: sed non legistis: Melior est obedientia quàm victimæ: & auscultare, magis quàm offerre adipem arietum. Quoniam quasi peccatum ariolandi est repugnare, & quasi scelus idololatriæ, nolle acquiescere.] Quare ergo tam insipientes estis, vt corporis exercitationem vtilem quidem, sed ad modicum vtilem] vt dixit Paulus, sanctissimæ obedientiæ præponatis? Quare tam stulti, vt contra magistri præceptum corporis instrumentum, quod mortificandum est, non occidendum, ad omne virtutis opus inutile faciatis? Quare tam superbi, vt propriæ voluntati seruientes, & diuinæ repugnantes, cœlum expugnare, & ad perfectionem venire putetis.

1. Reg. 13.

1. Reg. 15.

1. Tim. 4.

Hoc ergo secundum documentum spirituales viri custodiant, vt non solum in fuga mali, sed etiam in exercitatione boni, prælatis, aut magistris obediant, & eorū iussa perficere non prætermittant. Prælatus orationis spatium metiatur; prælatus ieiunia moderetur: prælatus vigilias succidat; prælatus cilicia, & flagella temperet: prælatus denique aut spiritualis magister, non tantùm quæ agenda sunt, sed etiam (si fieri possit) in omnibus modū agendi, & procedendi

præscribat.

præſcribat. Nihil eo neſciente; & multo minus contradicente, aut prohibente exerceatur, ne diabolus nobis, aut minus ſapientibus, aut proprio amore occæcatis illudat. Baſilius profectò ita faciendum eſſe perſpicuè monet, dicens: Si Dei munere talem quempiam virum inueneris, magiſtrum bonorum operum, hoc apud te conſtanter teneto, vt nihil omnino quicquam præter illius ſententiam facias. Quicquid enim eo inſciente facis, id furtum ac ſacrilegium eſt, tibíque exitium, non autem vtilitatem vllam apportat. Eſto, tu id bonum iudices. Nam ſi bonum eſt, quid ita clam fit, & non in aperto? Mentem tuam tute diligenter exquire, quæ falſa quadam ſpecie boni compilare te ſtudet, atque ex eo, nimirum, quòd cum vtilitate aliquando non eius præceptis obtemperes, iter tibi ad res peſſimas gerendas munit.] O quàm ſapienter hæc? Aliquid ſine patris ſpiritualis conſenſu præſumere furtum vocat, quia homo, qui iam non ſui iuris eſt, ſed Dei per religioſam profeſſionem, ſeipſo contra voluntatem prælati vtitur, & eo ipſo alienæ rei contrectator efficitur. Sacrilegium appellat, quoniam rem Domino conſecratam, id eſt, ſeipſum, irreuerenter tractat, qui contra præceptum magiſtri, cui à Deo commiſſus eſt, de ſuis actibus ſtudiiſque diſponit. De quo non immeritò & illud Iſaiæ accipi poteſt: Ego Dominus diligens iudicium, & odio habens rapinam in holocauſto.] Religioſus quippe holocauſtum Dei eſt, qui ſe totum Deo conſecrauit, & nihil ſui, nec bona externa, nec corpus, nec animam ſibi retinuit. Ab hoc verò ſui holocauſto aliquid ſurripit, cùm inſcio, & reluctante prælato, rebus ſiue bonis, ſiue non bonis intendit. Quod Domino iudicium diligenti, & rapinam auerſanti placere non poteſt. Et id forſitan indicare voluit Ioannes Caſſianus, dum obedientiæ transgreſſionem ſiue admiſſione mali, ſiue boni deſiderio coæquat. Vnum ſanè, ait, atque idem inobedientiæ genus eſt, vel propter operationis inſtantiam, vel propter otij deſiderium, ſenioris violare mandatum: iámque diſpendioſum eſt pro ſomno quàm pro vigilantia monaſterij ſtatuta conuellere. Tantùm denique eſt abbatis tranſire præceptum, vt legas, quantùm ſi contemnas, vt dormias; nec alius ſuperbiæ fomes eſt, pro ieiunio fratrem, quàm pro refectione contemnere: niſi quod pernicioſiora, & à remediis longinquiora ſunt vitia, quæ ſub ſpecie virtutum, & imagine ſpiritualium rerum videntur emergere, quàm illa, quæ ex aperto pro carnali voluptate gignuntur.] Meritò inquam, dixi, Caſſianum in his verbis rapinam in holocauſto deſignaſſe. Nam ſi peccatum admittens fur dicitur, ſecundum illud Oſeæ: Fur ingreſſus eſt ſpolians, latrunculus foris,] certè bona, aduerſante prælato, & aliud præcipiente, patrans, dum peccatum admittenti adæquatur, etiam aliquid ex eo, quod Deo conſecrauit, ſurripere dicitur.

Licèt autem demus hanc inobedientiam, quæ alicuius boni gratia concipitur, dummodò aut prælati, aut magiſtri contemptus deſit, non eſſe tam malam, atque illa, qua præceptum peccando tranſgredimur, at inobedientia eſt, quam (vel audito ſolo hoc nomine) debemus ſummis conatibus euitare. Si enim totius mali initium inobedientia fuit, qua parentes noſtri arborem vetitam prægustarunt, quis ſiue in malo, ſiue in bono inobedientiam non fugiat, quam Dominus poſt tot ſæcula mirabili ſeueritate caſtigat? Nam omnia mala pœnæ, quæ nobis eueniunt, dum peccata à nobis admiſſa puniunt, quodammodo etiam illud primum peccatum, quod origo fuit iſtorum, percutiunt. Inobedentia eſt, cauſa alicuius boni nobis non præcepti, quod ſine peccato valemus omittere, prælati, aut magiſtri ſpiritualis præterire mandatum: quia neque illi, cui debemus obedire, paremus, nec eius monitis, iuſſiſque ſubijcimur. Quia autem inobedientiæ non vnum tantùm malum eſt, ſed multa, ideò hoc inobedientiæ genus multa ſecum affert incommoda. Illud enim bonum, quod prælato inſciente & reluctante perficitur, Deo gratum non eſt, qui ſicut inobedientiam ac ſuperbiam contemnit, ita ſola ea, quæ in omni bona actione continetur, obedientia delectatur. Quare Bernardus Bethaniam caſtellum Marthæ, & Lazari, interpretari obedientiæ domum aduertens, audacter pronuntiat, quod nec ſtudium bonæ actionis, nec otium ſanctæ contemplationis, nec lacryma pœnitentis extra Bethaniam accepta eſſe potuerunt illi, qui tantam habuit obedientiam, vt vitam, quam ipſam perdere maluerit, factus obediens Patri vſque ad mortem.] Deinde qui ita prætextu boni inobediens eſt, non ſolùm nihil gratum efficit, verum etiam meritum eiuſdem operis quod facit, & omiſſione eius propter obedientiam lucratus fuiſſet, patenter amittit. Et ad id confirmandum aliquid in reuelationibus ſanctæ Birgithæ ſcriptum inuenimus. Dum enim illa ob interruptas de mandato prælati aſperitates corporis, mirum in modum triſtaretur, apparuit Beata virgo, eique meritum obeditionis aperuit. Qui enim, dixit, efficacem voluntatem ieiunij, aut alicuius pij operis habens, ob prælati mandatum omittit, meritum eiuſdem operis omiſſi non perdit, & meritum aliud obedientiæ conquirit.] Atque iſtud fit aliud inobedientis incommodum, quod ieiunio aut oratione contra obedientiam præſumpta, ſe ſpoliat, & merito etiam ſanctæ humilitatis, & obedientiæ priuat: atque adeo ſine dubio & præmium illi reſpondens euertit, qui in his etiam rebus prælato non obedit. Fit præterea homo, qui contra prælati voluntatem indiſcretis corporis afflictionibus, & orationibus immoderatis intendit, duri & proterui iudicij, quod nec maiorum monita, nec ſapientiorum ſuaſiones emollient, nec ab eo, quod ſemel decreuit, abducent. Et quidem nihil eſt proteruo iudicio profectui vitæ ſpiritualis infeſtius, quoniam huius vitæ itinera fœliciter ambulantes debent eſſe (vt eſt in quodam propheta) docibiles Dei] eos verò Dominus edocet, quos prælatis, & magiſtris ſubiectos aduertit. Tandem iſti prælati, ac præceptores ſui ipſorum, qui maiorum monitis non acquieſcunt, aduerſarij illuſionibus ſolent illudi, à quorum oculis ſub eſca alicuius boni, aut ſpiritualis profectus inobedientiæ, imprudentiæ, & ſuperbiæ hamum abſcondit. Cuius confirmatio ſit Heronis hiſtoria à Caſſiano relata. Is enim propterea quod in remiſſione ieiunij, & ſilentij numquam maiorum conſilijs, & mandatis acquieuit, permiſſus eſt à Dæmone miſerabiliter decipi. Perſuaſit enim illi, vt in profundiſſimum puteum ſeipſum coniiceret, quo experimento probaret tanta eſſe merita ſua, vt nequaquam iam poſſet alicui diſcrimini ſubiacere. Paruit miſer conſilio hoſtis maligniſſimi, qui monitis amicorum, & præceptis maiorum obedire noluerat, & ingenti caſu præcipitatus in eadem opinione, quod Angelo lucis crediſſet, poſt tertiam diem vitam finiuit.] Quo exemplo Dominus commonſtrauit, obedientiam in

Baſil. ſer. cōmonitorio ad cōplexum monaſt. propoſit.

Iſaia 61.

Caſſian. inſt. 4. c. 10.

Oſea 7.

Gen. 3.

Bern. ſer. ad milit. templi. c. vlt.

Lib. 4. reuel. ca. 26.

Iſai. 54.

Caſſian. col. 2. c. 5.

omnibus esse seruandam, nec fas esse homini, colore alicuiùs boni seipsum regere, & à consiliis & mandatis præpositorum deuiare.] In hoc apparet, quàm sit vera illa Salomonis sententia: Vidisti hominem sapientem sibi videri? magis illo spem habebit insipiens.] Hic namque à sapiente gubernatus, sine vllo incommodo iter huius mortalitatis perager, & ille sibi ipsi confidens, dæmonis astu deceptus peribit. Obediamus itaque prælatis nostris, & ab eis nos regi & gubernari sinamus; non putemus licere, occasione alicuius noui profectus, ab eorum monitis deuiare, quia volens sine obedientia proficere, ipse deficiet. Duo hæc priora documenta tanti momenti sunt, vt non potuerint tam angustis duorum capitulorum limitibus sufficienter pertractari, sed aliquando ad finem huius operis (si auctor vitæ voluerit) iterum huiusce materiæ sermo incidet; interim nos ad alia documenta transeamus.

Prou. 26.

Religiosus ipsam perfectionem spiritualis vitæ finem sibi præscribat.

CAPVT XIIII.

VITA perfecta ordinis & sapientiæ plena est, quia nihil aut tetrum, & propria luce priuatum, aut inordinatũ, & incompositum perfectum est, & ideo sine sapientia & sine ordine stare non potest. Ad sapientiam pertinet, vt quid prius, & quid posterius, quis finis sit, & quid medium probè cognoscat: ad ordinem, vt cuique rei suum locum attribuat, & finis, ad quem omnia referuntur, primam sedem in corde viri perfecti, media verò pro sua dignitate mediam sedem, si ita æquum est, vel si non multùm conducant, infimam teneant. Habito ergo à viro perfectionis auido, vitæ spiritualis magistro, cuius nutu regatur, & iacto solidissimo obedientiæ fundamine, quo à præceptore sibi præstituto in omnibus gubernetur, illud magna sollicitudine præstet, vt perfectionem, ac mentis puritatem (quæ vt non semel diximus) finis est spiritualis vitæ, finem sibi proponat, & reliqua omnia bona studia, vt instrumenta huius finis consequendi, respiciat. Et quemadmodum ægrotus, corporis sui incolumitatem præ omnibus cupit: cibum autem, & potum, & varia medicamenta eatenus acceptat, quatenus optatæ saluti sunt profutura: ita perfectionis amator super omnia ipsam perfectionem, ac animæ munditiem diligat; & quæcumque cogitauerit, aut concupiuerit, aut fecerit, ob consequendam perfectionem exquirat, Ad quod persuadendum non multis ambagibus opus est, cùm Saluatorem habeamus huius documẽti præceptorem. Quærite primùm regnum Dei, inquit, & iustitiam eius, & hæc omnia adiicientur vobis.] Si enim hunc locum à cortice literæ, quæ de cibo, & potu, & temporalibus loquitur, ad mysticum sensum efferamus, manifestè perspiciemus regnum Dei ipsam esse sanctitatem, ac munditiam cordis, qua tum similitudinem regni cælestis induimus, tum ipsum regnum cæleste coëmimus; reliqua verò esse varia hominum studia, quibus piè, & vtiliter occupamur. Illud igitur regnum cælorum, illa imago supernæ patriæ, quæ in perfecta charitate, & in mentis puritate consistit, primò, ac præcipuè quærenda est, alia autem, si pro merito huius curæ assequendæ puritatis, in additamentum promittuntur, non sunt quidem perfectioni præponenda, nec tamquam maxima, & præcipua quæritanda. Sed sicut illi antiqui Patres, solitariam vitam agentes, aut hortulos suos excolebant, aut sportulas contexebant, ea solùm ratione, qua Dei cultui, & diuinorum contemplationi, & animæ puritati deseruirẽt, ita debemus nos in literarum adeptionem incumbere, & cætera negotia, siue spiritualia, siue temporalia tractare, quatenus nos non inquietent, nec mentem nostram fœdent, nec spirituali profectui officiant. Bernardus quidem, vt eius narrat historia, nihil magnum de se æstimans aut cogitans, vt se ad custodiam cordis, & propositi constantiam incitaret, hoc semper mente cogitabat, hoc etiam sæpe ipso ore proferebat, Bernarde, Bernarde ad quid venisti?] quod & de Arsenio memoriæ proditum est. Eadem nos sententia satis profecto breui, sed satis efficaci cor nostrum ad perfectionis amorem incitemus. Ad quid venimus? ad quid vitam religiosam professi sumus? Numquid vt literati, & nominati magistri euaderemus? Numquid vt prælaturas, & dignitates ambiremus? Numquid vt curam carnis in desideriis faceremus? Non sanè, sed vt excoleremus animas nostras, & eam perfectionem ac sanctitatem quæreremus, quam professio religiosa, & status, à rebus sæculi auulsus, exposcit. Hanc itaque primùm quæramus, & alia, quæ retulimus, si perfectioni & tranquillitati mentis obsistant, constanter abiiciamus; si verò vltro offerantur, aut obedientia præcipiente ingerantur, ea solùm ratione admittenda, & exercenda sunt, quatenus fini, id est, mentis puritati proficiant. Magnus error est ista sub colore necessitatis, aut sub pretextu pietatis, veræ virtuti præponere, sine qua nulla religiosa familia bene gubernata, quemquam ad magna negotia, nec ad prælationem admisit: & ipsa vera & magna virtus, si expedierit, aditum ad maximas etiam dignitates recludit. Vnde Rupertus exclamans ait: O quantos studium huiusmodi (intellige perfectæ vitæ) non solum vsque ad sufficientiam horum, scilicet victus, & vestitus, verùm etiam vsque ad amplissimos honores citò produxit. Super salutem, & omnem pulchritudinem, ait quidam, dilexi sapientiam, & proposui pro luce habere illam. Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa.] Verè ita est; quòd si ambitio aliquos ad magnas dignitates extulit, id fuit, vt ex alto periculosiùs præcipitaret: ac perfectio vitæ, & sanctitas, sanctos in candelabro dignitatis posuit, vt ex dignitate terrena, ad cælestem dignitatem proueheret.

Matt. 6. *Lib. 1. ca. 4.* *Rupert. li. 6. in Mat. ad c. 6. in fine.* *Sap. 7.*

Persuadamus nobis, solius religiosæ vitæ professione, aut cœnobij habitatione nos sanctos non esse, sed sanctitatis dilectione, qua eam reliquis præponimus, & vniuersa ad sanctitatem adipiscendam ordinamus, in virtute proficere. Quid enim refert, aut religiosa professio, aut locus addiscendæ sanctitati, & omni virtuti destinatus, si ipsa perfectio mentis obliuioni traditur, & perfectionis schola, aut in Academiam, vbi humanæ scientiæ docentur, aut in locum ambitionis, & superbiæ conuertitur? Cogitate fratres, inquit Augustinus, ad quid venimus. Ecce in solitudine sumus, elongati sumus à sæculo, & longo tempore iam mansimus in solitudine, vt secundum Apostolicam formam quietius viuere valeamus. Locus enim non facit sanctos, sed operatio bona locum sanctificauit, & nos. Peccauit enim Angelus in cœlo, peccauit Adam in paradiso, & tamen nullus locus sanctior illis erat. Si enim loca habitatorem beare possent, nec homo, nec Angelus à dignitate sua corruissent.] Sicut ergo in scholis, non permansio in illis, finis

Aug. ser. 17. ad fratres.

scholarum

scholarum est, sed litterarum adeptio: & in aula regia finis non est frequentare palatium, sed quemcumque semet ipsum regi obsequentissimum exhibere: ita finis scholæ perfectionis, & cuiusque domus religiosæ, non est habitare in ea, & tamquam ficus infructuosæ & steriles, cellam occupare, sed ad perfectionem currere, & omnem virtutem obtinere. Nō peruertamus ordinem; nec, quod primum est, vltimum: & quod postremum est, primum faciamus. Ad quod certè instigare nos debet, dignitas quærentium perfectionem, quoniam eum finem suæ vitæ habent, & in eum scopum tendunt, quem Redemptor noster Iesus Christus sibi præfixit. Nam ad quid rogo, venit ille in mundum, nisi vt nos à peccatis eriperet, & ad suam imitationem (quæ vera perfectio est) non minùs suauiter, quàm potenter efferret? Filius hominis, inquit, non venit ministrari, sed ministrare, & dare animam suam redemptionem pro multis.] Et Petrus Apostolus: Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius.] Isaias quoque: Ecce Deus vester: ecce Dominus Deus in fortitudine veniet, & brachium eius dominabitur; ecce merces eius cum eo, & opus illius coram illo.] Vt quemadmodum, qui maxima cura alicui negotio insistit, illud non à tergo, sed in conspectu, imò & in corde, & in visceribus habere dicitur; ita Dominus opus suum, id est, opus sanctificationis nostræ, quod opus Dei est, & dexteræ excelsi, coram se, nimirum vt sibi amantissimum, & planè vt finem aduentus sui habere dicatur. Sic itaque nos in eundem scopum finémque tendamus, & puritatem ac perfectionem animarum nostrarum, vt finem (post Deum) vt optimum, vt præstantissimum exoptemus. Cooperatores sumus veritatis, vt Ioannes ait, id est, Christi, qui est summa ac prima veritas, ac proinde deberemus in idipsum, quod ille quærit, scilicet in perfectionem nostram, vehementer incumbere. Festinemus ingredi in requiem, in illam vitæ perfectæ rationem, quæ mētes hominum pacat atque tranquillat, ne quis tepiditati se tradens incidat; non dico nunc, in incredulitatis, sed in tepiditatis exemplum.] Et quemadmodū viator, qui in media via fatigatus obdormiuit, cùm expergiscitur, velociter currit, vt itineris comites assequatur: ita qui in via spirituali resedit, & manus præ segnitie conseruit, & soporatus est, hac consideratione se excitet, quòd non ad quiescendum, sed ad laborandum, non ad communem tepidorum vitam sectandam, sed ad perfectionem inquirendam venit, & quod itineris superest (& multùm superest) quanta poterit celeritate conficiat. Seriò & intentè secum expendat, quia fortassis ex illis est, qui hora prima vocati ad vineam, & conducti sunt: & quòd alij hora tertia, & sexta, & nona, & ad vesperam vocati, illū labore & conatu, & virtute præcedunt: erubescat, se post tergum minorum & nouitiorū relinqui; enitatur eos assequi, & simile præmiū perfectionis accipere.

Mat. 20. *1. Pet. 2.* *Isa. 40.* *3. Ioan. 3.* *Hebr. 4.* *Mat. 20.*

Sed quonam pacto quisque omnia instrumenta, & media perfectionis esse sentiet, & perfectionē ipsam finem sibi præfiget? Certè si ipsa perfectionis opera ardentiori studio quàm alia perfecerit, & numquam propter scientiæ acquisitionem, propter aliudve negotium, aut præciderit, aut omiserit. Opera perfectionis sunt, oratio, meditatio, psalmodia, oblatio incruēti sacrificij, lectio spiritualis libelli affectum incitantis, ieiunium, & alia similia, quæ ad obseruantiam regularem conferunt, quæ virtutem augent, quæ mentis puritatem promouent. Opera verò perfectioni seruientia sunt, lectio alicuius disciplinæ, quam quis profitetur; disputatio, qua veritatem inquirit; concio, qua alios docet, & mouet, pium negotium, quo quis operi misericordiæ, & charitatis intendit, & alia huius generis. Illa ergo prima præcipuum & primum locum erga nos habere debēt, ita vt numquam quietam orationem propter studium, numquam attētam feruidámque psalmodiam ob concionem parandam, numquam conscientiæ examinationem propter negotium non vrgens, omittamus, & sic nos perfectionem, vt finem, & reliqua vt instrumenta perfectionis respicere profitebimur. Qui enim vt humanis disciplinis studeat, tempus orationis decurrat; qui, vt concionē paret, psalmos, &c. quæ recitat, festinanter profert; qui vt ad colloquia & negotia externa tractāda, tempus vacuum habeat, missæ sacrificium sine debita præparatione, & sine quieta gratiarū actione, & inepta festinatione peragit, satis ostendit se perfectionis valorem non agnoscere, & puritati ac profectui mentis suæ inutilia, inania & vilia præferre. Apud istum perfectio non primum, sed postrēmum locum obtinet, & Christus in corde ipsius non primus, sed vltimus sedet, aut certè (quod horreo dicere) non sedet, sed iacet, quem vel minima externa occupatio proterit. Non sic Iob apud suos, qui dicit: Si voluissem ire ad eos, sedebam primus,] quare hoc? nisi quia inter conciues suos, medium & præcipuum locum occupabat? Ne rogo, ô anima mea, apud te inferiorem & viliorem locum, quàm Iob apud suos, Christus inueniat, quia signum magnæ miseriæ & magnæ socordiæ est humanis negotiis meliorem sedem concedere, & Saluatorem, ac Dominum tuum, in infimum locū & veluti in angulū domus coniicere. Stupeo ad id, quod nunc dicturus sum, & valde exarare formido, quia Gregorius id reproborum opus, & impiorum signum existimat. Quoniā in corde reproborum, inquit, priori loco actiones carnis sunt, & posteriori, actiones animæ: in eorū proculdubio cogitationibus, Christus non primus, sed vltimus sedet. Sed electi quique quia ea præ omnibus, quæ æterna sunt, cogitant: & posteriori cura ac minima, si qua sunt, tēporalia disponunt, quib. & magistra voce veritatis dicitur, Quærite primum regnum Dei,] in eorum corde Dominus primus sedet.] Nos, qui ex electis & dilectis esse volumus, primam in corde nostro sedem Christo tribuamus, quod tunc profectò fit, quando perfectionē vt finem respicimus, & cæteris negotiis, ac rebus virtutis actiones præponimus. Quod enim amabilius, & pretiosius habemus, id in tutiori loco statuimus, & maiori cura ab oculis raptorum abscondimus. Ipse ergo maior perfectionis amor, & ipsa prælatio, qua virtutem præferimus reliquis, nihil aliud est, quàm virtuti, & in illa Christo sedem excellentiorem præstare.

Iob. 29. *Greg. 20. mor. c. 4.* *Matth. 6.*

Illud etiam ad quærendam perfectionē, vt finem, non parum conducet, si in omnibus negotiis, & operibus nostris, non tam enitamur illa præstare, quàm animas nostras purgare, & virtutis augmento proficere. Et dicat quisque sibi metipsi cùm discit, cùm legit, cùm docet, cùm concionatur, cùm cōfessiones excipit, cùm aliquid temporale tractat, ego in hoc non tam volo scientiam acquirere, aut concionem parare, aut opus quodpiam peragere, quam in illo Deo placere, virtuti insistere, & me ipsum ampliùs ampliusq; perficere. Ita fiet, vt numquam propter occupationē, debitam modestiam deserat, aut regulam frangat, aut propter aliquod opus seipsum peccatis inficiat. Cuius rei Dominus noster, ac omnis virtutis exemplar, præceptor fuit atque magister. Nam cùm inuentus esset à sollicita matre in medio doctorum audiens illos & interrogans eos, interrogatus quam ob causam in tēplo remanserit, non respondit: Nesciebatis quia ego doctor, debui inter doctores sedere; ego magistrorum magister, debui magistros instruere; ego Dei filius, de-

A bui opportuno tempore aliquantulam hominibus latentis sapientiæ significationem offerre? Non ita respondit;sed quid? Nesciebatis,quia in his,quæ Patris mei sunt,oportet me esse?] Permansionem in tẽplo, humilem inter doctores consessum, modestissimam loquentium auditionem, mirabiles interrogationes, non propriis nominibus vocauit, sed voluntatis Dei appellatione vestiuit. Ac si dixisset;Quicquid facio,ea ratione solùm facio,quatenus Patri meo placet,& eius nomen sanctissimum, ac honorem prouehit. O quàm aptè hoc loco adiectum est:Et ipsi non intellexerunt verbum,quod locutus est ad eos.]Nam pauci sunt adhuc ex spiritualibus viris,qui hoc idioma Saluatoris intelligant. Si literas discunt, immoderatè cupiunt alios excellere,& inter nominatos magistros *Luc. 2.*

B prodire. Si docent,volunt optimi præceptores haberi, & maiori subtilitate etiam, cùm ridicula nouitate res occultas interpretari. Si concionantur, plausum exoptant. Hinc immoderatæ curæ,quæ tempore orationis nos distrahant; hinc inepta in recitandis Psalmis festinatio, hinc multum loqui,& multùm disputare,& multa curiosa & vana perlegere,& parum tacere, parum orare, & parum libros,qui cot compũgant,euoluere. Quia nostrum honorem, & nostram vanitatem quærimus, & non voluntatem Patris inquirimus. Discamus itaque in his omnibus Dei beneplacitum, & nostrum profectum, ac perfectionem inquirere, & ea ita admittemus,ita perficiemus, non

C vt nos distrahant, & tepefaciant, sed vt fini vitæ nostræ,id est,perfectioni,deseruiant. Intellectus in studio sit, lingua in verbo quod loquimur, manus in opere,sed cura,sed sollicitudo in sola perfectione cõsistat. Et quemadmodum,dum in sæculo aliquod negotium gerebamus,illud totum cor possidebat, omnem cogitationem & omnem curam exhauriebat,ita nunc in cœnobio constituti, negotium religiosæ vitæ, scilicet propositum acquirẽdæ perfectionis totam curam exhauriat, & quicquid est in nobis possideat. Hac consideratione beatus Dorotheus se ad virtutis studium incitabat. Qui cùm ante conuersionem suam diligentissimè literarum studiis incubuisset,post vitæ religiosæ professionem dicebat sibi:Si tanta cupiditas tibi fuit in adipiscenda eloquentia, si tantus ardor lectionis, vt ad ipsius habitum proueheteris, *Doroth. doctrina 10.*

D quanto magis debes virtutis gratia elaborare? & ex hac cognitione admodum,fateor,proficiebam. Et statim subiungit: Sic ergo cùm parare virtutem quispiam voluerit, decet non distrahi ad diuersa, neque obliuiosum esse; vt qui rhetoricam discere voluerit, nulli alij rei operam suam nauat,quàm illi. Quod est in primis ab his factitandum, qui spiritualem artem parare student, vt scilicet nulli omnino rei præterquam huic operam dent. Atque in ea dies noctésque cogitationem omnem suam figant, dum ad eius possessionem, cooperante Domino,tandem perueniant. Quod sanè qui non fecerint, non solùm non proficiunt,sed etiam tempus omne terunt vsque adeo insipienter circumducti.] Hactenus ille. Perfecta igitur

E virtus apud nos finis sit,reliqua verò instrumenta virtutis. Illam vt finem sine mensura,id est,intentissimè desideremus, hæc vt media ea solùm ratione, qua ad virtutem conferunt,& cupiamus,& exerceamus. Nec putemus nos perfectionis desiderio, aut à literarum studio,aut à doctis & optimis concionibus habendis, aut ab aliis piis negotiis auocandos. Id enim putare profectò & actus diaboli, & magna ignorantia est. Nam & sancti Patres doctissimi fuerunt, eloquentissimi extiterunt, & maxima cum satisfactione gubernarunt,& negotia tractarunt. Nec desunt nunc in Ecclesia optimi viri, & puritatis ac perfectionis studiosissimi, qui cum omnis virtutis & orationis studio maximam scientiam & eloquentiam, & in rebus gerendis dexteritatem coniungant. Et perfectionis amor pia opera non destruit,ac Dei obsequia non impedit:sed adiuuat,sed nobilitat,sed promouet,sed ad debitum splendorem perducit.

Religiosus oculos semper intendat in magna.

CAPVT XV.

QVI perfectionem amat, eámque suarum actionum scopum finémque præfixit, vt ad aliquam puritatis mediocritatẽ perueniant, opus est, vt ad præstantissimam sanctitatem, & excellentissimam perfectionem aspiret,& oculos,non in merita pusillorum, sed in labores, & merita virorum sanctissimorum intendat. Sunt enim nonnulli vitæ spiritualis professores, in diuinis rebus admodum pusillanimes, qui suam aspicientes imbecillitatem, & diuinæ gratiæ opem minimè considerantes, nihil magnum celsúmque desiderant, sed vitæ cuiusdam communis, & solùm à magnis peccatis alienæ dilectione tenentur. Nec aduertũt, quòd desiderare magna,tum facile, tum vtile est, & qui in minimis desideria sua collocant, nec ad minima atque imperfecta perueniunt. Desiderium rerum magnarum, & cuiusdam eximiæ sanctitatis facile quidem est, quoniam intellectus rem magnam laboribus & difficultatibus spoliat, & eam malis nudam,& satis pulchram & splendidam voluntati repræsentat, vt illam pulchritudinem oblatam sibi percupiat. Est etiam hoc desiderium vtile, quoniam illo velut stimulo excitati, velociùs viam Dei currimus, & ampliùs laboramus, & si non ad illam sanctitatis magnitudinem nobis propositam, saltem ad aliquam mediocritatem accedimus. Qui autem solam communem virtutem concupiscunt, illa sæpe frustrantur, & citra communem vitam in magna conuersationis vilitate quiescunt. Quamobrem Paulus sapienter nos mouet, dicens: Æmulamini charismata meliora. Et adhuc excellentiorem viam vobis demonstro. Nam si hanc exquisierimus exilioribus donis non omnino vacui permanebimus. Præstantissimam namque virtutem minor & communior antecedit, in quam, si illam ardenter sitimus, necesse est, non post multos labores incurrere. Longè itaque sit à nobis quorundam tepidorum ignauia, qui dicunt, sufficit mihi, si grauia peccata non perpetro, si præcepta & quæ obligant sub peccati interminatione,custodio, si angulum cœli conquiro, & inter pueros, qui cum solo baptismo hinc emigrarunt, locum inuenio, & maiorem virtutem, aut potiorem gloriam habere non curo. Longè, inquam, sit à nobis talis cogitatio, quæ desideria magnæ perfectionis extinguens, non semel indignos potest facere regno cælorum. Qui enim solis peccatis letalibus abstinere curant, sæpe dum leuia non vitant, & occasiones non fugiunt, dum minùs putabant,in grauia labũtur. Qui solùm angulum cælestis patriæ,& infimum locum mercari nituntur, aliquando ad hunc comparandum necessarium numisma non habent,quod est præceptorum impletio,& dum nec pro angulo pretium exoluunt, se in ignes semper duraturos coniiciunt. Et quemadmodum virgines fatuæ à nuptiis exclusæ sunt, quia oleum habere noluerunt; & audierunt ex ore sponsi: Nescio vos: *1.Cor.12.* *Matt.25.*

quibus

quibus tamquã insipientibus ianua clausa est.] ita hi in periculum damnationis incidunt, quia dum solùm oleum necessarium, & nihil aliud quærunt, fortassis sine oleo necessario, id est, sine charitate necessaria & sine debita mandatorum custodia, permanebunt.

Nos ergo nobis eximia sanctitatis, & perfectionis merita conquirenda proponamus: humilitatem Francisci & Augustini, charitatem Dominici, & Ignatij nostri, orationem Bernardi, & Antonij paupertatem: mundi contemptum, castitatem, obedientiam, & reliquas virtutes sanctorum suspiremus, vt saltem aliqua mediocritas virtutis nobis accedat. Nõne sagittarius sentiens arcum neruo remissum cõsueuit sagittam altius collineare, vt signum inferiùs positum, scopúmve pertingat? ita & nobis vtile erit in sublimissimam sanctitatem aciem oculorum intendere, vt conatus noster tepore & socordia remissus, ex tanta sublimitate deiectus aliqualem saltem virtutem acquirat. Nonne mercator iniquum pretiũ pro suis mercibus exigit, vt iustum ex manibus emptoris extorqueat? Sic & nos à nobismetipsis, tamquam ab auaris emptoribus, maiorum nostrorum puritatem exigamus, vt imitationem ipsorum, & nonnullam virtutem prærogemus. Nonne miles, qui in expeditione aliqua strenuè se gessit, & victoriam de hostibus reportauit, solet à rege magnam dignitatẽ, aut annuos reditus amplissimos petere: vt aliquod saltem præmium sui laboris accipiat? Cupiamus similiter nos magna, quæramus sublimia, & à Deo petamus excelsa, vt ad minùs moderata virtus nobis obtingat. Sapientissimus Ioseph Patriarcha vehementer cupiens Beniamin germanum fratrẽ, quem tenerrimè diligebat, apud se videre, & suæ fœlicitatis participem facere, quid cogitauit? Omnes fratres suos coniecit in vincula, præcipiens eis, vt vnum tantùm mitterent, qui reliquis in custodia remanẽtibus minimũ fratrem abduceret. Ad quid hoc? Nũquid vt vnus tantùm iret, & reliqui remanerent? Nõ, sed vt vnum dũtaxat libenter obsidem darent, & reliqui cum frumento & pecuniis ad patrem consolandum, & fratrem abducendum, redirent. Quare eductis de carcere dixit: Si pacifici estis, frater vester vnus ligetur in carcere, vos autem abite, & ferte frumenta, quæ emistis, in domos vestras: & fratrem vestrum minimum ad me abducite, vt possim vestros probare sermones, & non moriamini] O quàm sapiens cogitatio! quæ & effectum sortita est, & sub historiæ cortice nos saluberrimè instruit. Si enim volumus Christo, quem ille Patriarcha castissimus referebat, Beniamin minimum fratrem offerre, id est, mentem nostram, aliqua vel minima virtute cumulatam consecrare, adigamus nosmetipsos, vt omnem virtutem, vniuersa perfectorum merita, & cunctos eorum labores conquiramus, vt postea libenter, & sine molestia, saltem aliquem sustentemus. Nec sola figura, verùm & veritas ipsa viros spirituales hanc docet industriam. Dominus enim mandatum perfectionis promulgans, ait: Diliges Dominũ tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in omni mẽte tua] nõ vt homines carne circundati, Angelorum & Beatorum charitatem exerceant, quæ sine vlla intermissione in Deum amore fertur, sed vt eam vtcumque imitentur, & nihil charitati aduersum admittant. Nos ergo monitis Saluatoris edocti, & Sanctorum exemplis animati, non in aliquam virtutem pusillam, non in vitam tepidorum, non in mores imperfectorum hominum, sed in maximam sanctitatem mentis oculos intendamus, & ad propositam sanctissimis viris palmam curramus, vt in fine

Gen. 44. *Matt. 22*

A vitæ pro minoribus operibus, digni aliquo præmio iudicemur.

Displicet quidem Deo viri spiritualis pusillanimitas, qua solùm ad communem virtutem venire procurat: quod Ioannes Gerson hoc simili aptissimè manifestat. Si enim vir nobilis plures habẽs filios, ad rem familiarem amplificandam aptissimos, videret vnum ex eis nihil certè mali facientem, sed pigrũ: sed inertem, sed ad nihil magnum, & præclarum, ad nihil suo ingenio & nobilitate dignũ aspirantem; euocaret illum, & ad sublimiores actus impelleret, atque ad imitandos suos fratres instimularet, & illum tandem reprehenderet; & inuisum haberet, si nihil suis monitis, & adhortatione proficeret. Hic Pater B sit Deus, qui se vocari Patrem iubet, & erga omnes homines officiũ amantissimi patris suscepit. Filij huius æterni Patris ad laborandũ, & rem familiarem augendam aptissimi, sunt omnes sancti, qui iam præcesserunt; & viri perfecti, qui nunc meritis suis Patrem glorificant, & Matrem Ecclesiam illustrant, in quibus Dominus velut in filiis complacet sibi. Filius ignauus, & excors sum ego, qui multa mala facio, qui in domo laborantiũ, & ad perfectionem currentiũ, otiosus sedeo, qui ad nihil egregium, ad nihil magnum, & præclarũ aspiro. Me hortatur Deus, me quotidie fratrum exẽplis, prælatorũ consiliis, & sanctorum actionibus monet, vt omni à me fugata socordia aliquid magnũ moliar, & ad quã vocatus sum perfectionem, inquiram. Dicit mihi sæpissimè: Fili mi custodi sermones meos, & præcepta mea reconde tibi. Fili serua C mãdata mea, & viues: & legem meã quasi pupillam oculi mei: liga eam in digitis tuis, scribe eam in tabulis cordis tui: Dic sapientiæ, soror mea es, & prudentiam voca amicam tuam.] Si ista verba, & similia, quotidie audio, sed nõ obedio, moneor, sed non moueor, excitor, & non assurgo, & nihil perfectum, nihil mea vocatione dignum aggredior, quis ambigat me inuisum esse illi, cuius adhortationes sperno, & à cuius nobilitate degenero? Aquilæ hoc proprium esse rerum naturalium indagatores existimant, (quod & Augustinus & Ambrosius non negant) vt filios vngue suspendant, & radiis solis opponant, & qui firmè solis lucem contemplatus fuerit, filium agnoscant, qui verò inualidam corusco radiorum appulsu aciem submiserit oculorum, tamquam adulterinum D ab vngue demittant, & parentum dãnatum arbitrio, à fratrum consortio reiiciant. Idem facit Pater noster cœlestis, qui se in Deuteronomio aquilæ comparauit. Filios suos, qui omnes iusti sunt, de quibus inquit Paulus: Eratis aliquando tenebræ; nunc autem lux in Domino, vt filij lucis ambulate;] lucis aspectu probat, & eam libenter aspicientes, filios, eam verò auersantes, non tam filios, quàm tepidos seruos agnoscit. Qui autem sunt, qui firmè & stabiliter lucẽ intuentur, nisi qui mentis aciem in opera lucis intendunt, & sicut lux semper procedit, & crescit, vsque ad perfectum diem, ita eam vt matrem imitantes, semper ad maiora & altiora, vsquequo ad perfectionem perueniant, sine vlla cessatione mentis anhelant? Et qui sunt E aciе palpitantes, & non valentes lucis vim, & splendorẽ perferre, nisi qui cuiusdam ordinariæ virtutis splẽdore cæcati, statim obruuntur, & oculos ad vana & mũdana deflectunt? Si talis sum, si non naturam lucis habeo, quæ continuis momentis fit maior, & pulchrior, quousque ad meridiẽ accedat, sed naturã tenebrarum (si fortè natura vocari potest, quæ nihil est) quæ processu temporis redditur profundior, & tetrior, quid mirum, si Pater ille, qui totus lux est, & tenebræ in eo non sunt vllæ,] me quotidie ignauiæ & negligentiæ arguat, & increpet, & si perseuerauero, à

Gerson. 3. tract. de mystica Theologia practica consid. 4. *Prou. 7.* *August. tract. 36. in Ioan. Ambros. lib. de Salomone c. 2.* *Deut. 32.* *2. Cor. 6.* *1. Ioan. 1.*

suæ prouidentiæ specialissimæ vngue dimittat, & non filium, sed seruum ignauum, & inertem agnoscat.

Illud etiam incitat nos, vt magna quæramus, & ad excellentissimam virtutem festinemus, quòd qui magna cupiunt, & magna petunt, magna consequuntur, qui verò paucis contenti, maiora & altiora fastidiunt, non semel in luctuosam miseriam dilabuntur. Deus enim, qui scrutatur corda, scit quid desideret spiritus.] Scit quidem approbans sanctum desiderium, & illud innata benignitate motus, adimplet. Cuius impletione anima mira delectatione lætatur, & omnem tristitiam dolorémque deponit. Nam, vt ait Salomon: Prou. 13. Spes, quæ differtur, affligit animam: lignum vitæ desiderium veniens.] Qui ergo magna cupiunt, ad magna & perfecta accipienda se disponunt. Vas autem vacuum & mundum, & ad pretiosum virtutis liquorem accipiendum præparatum, Deus suis bonis cumulat, & omnem eius capacitatem explet. Quod & designauit Ioseph, vo- Gen. 44. lens fratres suos omnibus bonis Ægypti abundantes ad patrem remittere. Præcepit enim dispensatori domus suæ dicens: Imple saccos eorum frumento, quantum possunt capere, & pone pecuniam singulorum in summitate sacci.] Quid enim sacci fratrum spiritualis Ioseph, id est, Christi, designant, nisi corda iustorum? & quid saccorum capacitas, nisi desideria & petitiones eorum? & quid frumenta, nisi dona Dei, & virtutum opes, quibus iustorum corda possunt impleri? Sacci ergo quantùm possunt capere, frumentis implentur, quia iustorum corda, quantùm efficaciter & verè desiderant, consequuntur. Sed quid pecunia abscondita in summitate sacci significat? nisi quòd sancti non solùm virtutem concupitam acquirunt, verùm etiam pecuniam suam, id est, præmium sui desiderij recipiunt, quod non solum boni desiderati adeptione præmiatur, sed etiam quia de se bonum, & gratum Deo est, propria mercede ac præmio non caret. Si hoc ita est, aptè Bernardus existimat, secundùm magnitudinem desiderij, boni magnitudinem obtineri. Nec solùm id putat, verumetiam multis exemplis Scripturæ confirmat. Eius verba sunt: Magna siquidem fides, ma- Bern. ser. 32. in cant. gna meretur: & quatenus in bonis Domini fiduciæ pedem porrexeris, eatenus possidebis. Denique Moysi ore ad os loquitur Deus, & palam non Num. 12. per ænigmata & figuras Dominum videre meretur, cùm prophetis aliis tantum in visione apparere se dicat, & per somnium loqui.] Philippo quoque secundùm petitionem cordis sui, ostensus est Pater in filio, in eo proculdubio, quod incontinenti audiuit: Philippe, qui videt me, videt & Patrem:& Ioan. 14. quia ego in Patre, & Pater in me est.] Sed & Thomæ iuxta desiderium cordis eius palpandum se præ- Ioan. 20. buit, & voluntate labiorum eius non fraudauit eum.] Quid Dauid? Nonne & ipse voto se non omnino Psal. 131. fraudari significat, vbi ait, non daturum se somnum oculis suis, nec palpebris suis dormitationem, donec inueniret locum Domino?] Igitur istiusmodi magnis spiritibus, magnus occurrit sponsus; & ma- Psal. 125. Psal. 42. gnificauit facere cum eis, emittens lucem suam, & veritatem suam, eósque deducens, & adducens in montem sanctum suum, & in tabernacula sua, ita vt dicat, qui eiusmodi est, Quia fecit mihi magna qui potens est.] Regem in decore suo videbunt Luc. 1. Esa. 33. oculi eius] præeuntem se ad speciosa deferri, ad flores rosarum, & lilia conuallium, ad amœna hortorum, & irrigua fontium, ad delicias cellariorum, & odoramenta aromatum, postremò ad ipsa secreta cubiculi. Isti sunt thesauri sapientiæ, & scientiæ penes sponsum absconditi, hæc vitæ pascua præparata in refectionem animarum sanctarum. Beatus Psal. 126. vir qui impleuit desiderium suum ex ipsis.] Vnde non sine attestatione Scripturarum sanctarum asserimus, voluntatem sanctorum à Domino fieri, & magnam perfectionem cupientes, ab eo ad magna & excelsa merita virtutis prouehi. Neque ab hoc dissentit, quod dictum est Esdræ: Tu noli timere, ne- 4. Esd. 10. que expauescat cor tuum: sed ingredere, & vide splendorem, & magnitudinem ædificij quantùm capax est tibi visus oculorum videre, & post hæc audies, quantùm capit auditus aurium tuarum audire.] Sicut enim Dominus secundùm capacitatem visus, & auditus, videnda, & audienda proponit, ita secundùm capacitatem desideriorum, dona sua & virtutes attribuit. Oculos itaque coniiciamus in magna, vt aliquando in animabus nostris, magna perfectionis dona videamus.

Contraria verò huic fœlicitati est miseria tepidorum, qui dum paucis bonis exatiantur, illa quæ habent, merentur amittere: & dum virtutem spernunt, à modica illa possessione virtutis solent decidere. Et quemadmodum illi, qui panem è cœlis sibi ministratum auersabantur, carnibus, & cibo terreno saciati sunt, qui non vitam, sed mortem attulit eis. Nam adhuc escæ eorum erant in Psal. 77. ore ipsorum, & ira Dei ascendit super eos. Et occidit pingues eorum, & electos Israel impediuit? Ita qui de virtute nauseam suscipiunt, & tamquam homines saturati, quasi vt roganti satisfaciant, leuiter tantùm attingunt, solent rebus visibilibus satiari, & peccatorum delectatione repleri. Metuen- Aug. ad Psal. 8. Psal. 34. dum est enim (vt Augustinus ait) ne quisque descendens de montibus iustitiæ Dei: (Iustitia enim tua, inquit, velut montes Dei:) latitudines & facilitates voluptatis carnalis eligens, à diabolo trucidetur. Hi solent tepidiores se, & segniores respicere, & modicam aliquam virtutem, qua illos superant, ante oculos obuersare vt in luto iaceant, & suam segnitiem consolentur. Et sicut ille Pharisæus publicanum respexit, vt comparatione illius se ipsum ma- Luc. 16. gni reputaret & de falsa iustitia superbiret: ita hi sæculares respiciunt, & vitam mundanorum considerant carnis & ambitionis suæ desideriis seruientium, vt de quadam religionis vmbra superbiant. Nam & viator itinere fatigatus, solet causa leuaminis retro respicere, & non quantùm itineris sibi conficiendum supersit, sed quantum ambulauit, meditari: Sic tepidi, non quàm longè sint à vita virorum spiritualium, non quantùm absint à moribus perfectorum aduertunt, sed quantùm iniquos & carnales excellant, vt ex hoc occasionem in suis imperfectionibus iacendi percipiant. Idque Gregorius egregiè sanè decla- Greg. 24. mor. 12. rat. Postquam enim iustorum consuetudinem explicauit, qui solent perfectiorum acta perpendere, vt inde se ad maioris virtutis studium accendant, hæc ait: Sed hæc reprobi nesciunt, quia mentis oculos semper in infimis premunt, qui & si quando in viam Domini veniunt, non ad meliorum vestigia, sed ad intuendum semper deteriorum exempla vertuntur. Neque enim eorum vitam considerant, quibus se humiliando postponant, sed quibus superbiendo se præferant. Deteriores namque respiciunt, quibus meliores se esse gloriantur, & idcirco proficere ad meliora non possunt, quia hoc sibi sufficere æstimant, quòd

pessimos antecedant.] Vide quantùm sit eorum periculum, qui ad modicam tantùm virtutem aspirant, & satis sibi esse putant, si pessimi non sint, & si aut malos, aut segnes, & suæ salutis oblitos, aliqua ratione præcedant. Tu ergo non sic, si ad perfectionem cupis ascendere, sed oculos mentis in altissima virtute constitue. Profundissimam humilitatem, purissimam, & planè Angelicam castitatem, promptissimam obedientiam, verissimum rerum visibilium cõtemptum appete, vt post multos labores saltem ad moderatam virtutem peruenias. Pete à temetipso, sicut Dominus postulauit à fideli Patriarcha, filium in holocaustum, quod Domino lites, vt à tua parcitate minùs extorqueas, arietémque sacrifices. Id est: Apud temetipsum statue viros sanctissimos imitari, & ad eximiam sanctitatem ascendere, ita vt temetipsum Domino purissimum holocaustum exhibeas, vt saltem aliquam puritatem adeptus sacrificium vocari merearis. Geme ante Dominum, & efflagita ab eo gratiam, qua illos primos tuæ religionis patres, Franciscum, Dominicum, Ignatium, & alios similes è vicino sequaris, vt vel à longè illos imiteris. Placet enim Domino humilitas, qua quis seipsum paruum & abiectum existimat: placet & magnanimitas, qua ob honorem Dei, & vt ei placeat, virtute magnum, & perfectione conspicuum se esse desiderat.

Gen. 22.

Religiosus perfectionem sitiens, non aspernantur minima.

CAPVT XVI.

QVI ad magnam & celsam perfectionem mentis aspirant, operæpretium est, vt minima quæque mala diffugiant, & paruulos defectus, non eo quòd paruuli, sunt in seipsis curare contemnant. Omnia enim magna ex pusillis pendent, nec magna & mirabilia sunt si non etiam minimas imperfectiones excludant. Pulchritudo magna, nonnulla macie ex infirmitate contracta, statim inficitur, & vel minimo næuo fuscatur. Sapientia magna minimas ignorantias reiicit, nec errorem circa res pusillas; ad sapientiæ cognitionem pertinentes admittit. Magna eloquentia quot minutula, & parui (vt videntur) momenti requirit in voce, in gustu, in sententiis, in numero, in prolatione verborum, & in aliis huiusmodi, sine quibus non est admirabilis, nec mouet, nec mulcet, nec (quod proprium rerum magnarum est) admirationem, & stuporem ingerit. Sic sanctitas magna, & magna perfectio, quæ magna pulchritudo animæ, & magna sapiẽtia est, minimos defectus, ac minimas, & vix apparentes (quantùm potest) imperfectiones deuitat. Quas si non conatur euincere, ac superare, quamnam munditiæ magnitudinem potest habere? Nam si virgo aliqua munda non dicitur quæ aut in seipsa, aut in vestibus, aut in strato sordes aliquas libenter patitur, profectò nec ipsa munditia animæ satis magna, & (vt ita dicam) satis munda dicetur, quæ sordes leuium peccatorũ, & imperfectionum libens sustinet, nec diligenti circumspectione vitat, nec compunctionis aqua detergit. Et si magna perfectio magna charitas est, (vt superiori tractatione diximus) & magna charitas est magnus amor & magnus ac ardens amor, eũ quem amamus, nec leuiter contristare permittit; quomodo eximiè amabimus Deum, & perfectam erga illum charitatem habebimus, quem quotidianis imperfectionibus lædere non veremur. Si reuerteris Israël, ait Dominus, ad me conuertere: si abstuleris offendicula tua à facie mea, non commoueberis. Si, inquam, peccata deseris, & veterem conuersationem derelinquis, seriò considera quoniam non cum homine amicitiam resarcis, sed ad me conuerteris, quem neque in magnis, neque in minimis debetes noxa pulsare. Si abstuleris non solum offensas, quæ amicitiam discindunt, sed etiam offendicula, id est, leuia perfectionis obstacula, ita vt (quantùm hæc vita plena peccatorum, & imperfectionum ferr) ea quotidie aboleas, & destruas, tunc non commoueberis. Tunc non vt arundo pusillos & imperfectos designans, quolibet passionis insurgentis vento agitaberis, sed sicut cedrus alta & procera, in charitate radicata, & fundata, in perfecta Christi imitatione permanebis. Qui vult ergo non commoueri, id est, ad eam charitatem peruenire, quæ stabilis & perfecta est, nisi peruersa hominis voluntate proteratur, non dico vt non cadat, quis enim circumdatus carne non cadit? sed ne leuibus defectibus assuescat, & ne sine assidua adhibitione remedij apud se manere permittat. Sunt enim quidam, qui loquacitati, alij qui nimiæ alicuius familiaritati, alij qui immoderatæ curiositati, alij qui ambitiunculæ, & desiderio splendendi apud homines, alij qui similibus vitiis manus dederunt, & ea, aut præcidere, aut minuere, aut emendare non curant; hi numquam pannos exuent spiritualis infantiæ, neque erunt in virtute perfecti.

Sed vt maxima cura & sollicitudine hæc minima & leuia vitemus, à quorum morsu, quia velut muscæ paruulæ sunt, non solemus trepidare, videamus quæ mala nobis ex illis obueniant, quibus auditis, sat scio, quia non leuiter leuia timebimus. Horum autem malorum illud certè magnum, & expauescendum est, quod qui spernit modica, vt Ecclesiasticus ait, paulatim decidet:] & ex loquacitate in detractionem, ex nimia familiaritate fortè in obscœnitatem, ex curiositate in cordis duritiem, & ex ambitiuncula in apertam superbiam, & magnam ambitionem corruet. Magna namque & aperta peccata, eò iustis minùs periculosa sunt, quòd vel aspectum eorum satis enorme, & teirum exhorrent; at minima eo ipso quod minima periculosiora videntur, quia dissimulanter intrant, latenter cor possident, & abscondité ad miserabilem ruinam disponunt. Vnde Bernardus tamquam expertus casuum aliorum bene ait. Mens Deo dicata, sic caueat minora vitia, vt maiora: quia à minimis incipiunt, qui in maxima proruunt.] Hoc beatissimi viri dictum ego ita intelligo: vt quemadmodum semitam aliquam lubricam, & positam iuxta magnum præcipitium ingrediens, si tantisper ab ipso tramite deuiauerit, solet occidere, & ex casu modico in præceps deturbari: ita conficientes vitæ spiritualis iter, quod per semitam facimus satis angustam, atque præruptam, ex tantillo lapsu, quem scientes & volentes noluimus euitare, in magnas inquietudines labimur, & sæpè non minimas maculas, peccatáque contrahimus. Nec putandum est, quos ex spiritualibus vitiis aspeximus, in magna, & manifesta peccata prolapsos, subitò corruisse, sed eos externa specie boni contentos prius leuiora negligenter, & postea maiora irreuerenter, & tandem procaciter maxima perpetrasse. Et quidem ipse Bernardus id etiam docuit, dicens: Quàm multos videmus, & plangimus fratres, qui dummodo maneat habitus, & tonsura, salua sibi omnia arbitrantur? non considerantes miseri,

Eccl. 19.

Bern. de ordine vitæ, ad finem.

Bern. ser. de ingratitudine.

miseri, quemadmodum ingratitudinis vermis interiora corrodens, ob hoc tantùm corticem, quem vident, transforare dissimulet, ne fortè recognitent, & erubescant, ipsaque verecundia emendentur. Quin sic interdum in nonullis consumpta esse interiora vniuersa præsumit, vt non vereatur ad ea quoque, quæ foris apparent, venenatum ducere caput: Nisi fortè quos videmus manifestè apostatare à Deo, repente fieri pessimos arbitramur, & non magis defecisse, cùm comederint alieni robur eorum, & nescierunt. Sic ille. Est itaque verissimum quod ait Iob: Faciem eius præcedit egestas:] quia orationis tepiditas, cordis ariditas, rerum spiritualium obliuio, & defectuum leuiorum contemptio velut tormenta bellica sunt, miseram animam impetentia, priùs quàm eam per graue peccatum terribilis aduersarius expugnet. In pigritiis, ait Salomon, humiliabitur contignatiò, & in infirmitate manuum perstillabit domus.] Pigritia enim est iustorum væcordia, qua nolunt minimis peccatis remedium afferre, & infirmitas manuum est, eorundem vana securitas, qua volunt, & minora libenter admittere, & in maiora non cadere. Sed istam pigritiam atque infirmitatem sequetur prius perstillatio domus, deinde ipsius domus misera manifestáque ruina, quoniam vana securitate ædificatio virtutis mollescit, vt cadat: & tandem defectuum leuiorum iteratione procumbit, Non quia illa sola virtutem destruant, animámque deiiciant, sed quia fortitudinis murum aperiunt, vt importunus hostis irrumpat. Hanc namque mentem esse sapientis, Cassianus alium simul eiusdem locum tractans, euidenter expressit. Eleganter, inquit, mentis incuriam domati comparauit, tectóque neglecto, per quam primò quidem velut minutissima quædam penetrant ad animam stillicidia passionum: quæ si velut parua, ac leuia negligantur, corrumpunt tigna virtutum, & post hæc influunt imbres largissimi vitiorum: per quos in die hyemali, id est, in tempore tentationis, ingruente impugnatione diaboli; expelletur mens de habitatione virtutum, in qua scilicet aliquando circumspectam diligentiam retinens velut in domus propriæ possessione requieuerat.] Leuia ergo peccata contempta, nos in manifestum discrimen perditionis adducunt, non quia ipsa sufficiant nos perdere, sed quia sæpe sufficiunt ad graue crimen inclinare. In quo sensu dixit Augustinus de leuibus peccatis: Quæ si collecta contra nos fuerint, ita nos grauabunt, & oppriment, sicut vnum aliquod grande peccatum. Quid enim interest ad naufragium, vtrum vno grandi fluctu nauis operiatur, & obruatur, an paulatim subrepens aqua in sentinam, & per negligentiam derelicta, atque contempta, impleat nauem, atque submergat.] Neque enim id sanctissimus, & sapientissimus Pater dixit, quia putaret multa leuia peccata vno graui coæquari, sed quia hæc si non nauem nostri cordis operiunt, at aperiunt, vt magnum fluctum peccati grauis suscipiat. Sunt hæc velut modici sumptus, imprudenter iterati, qui magnam etiam substantiam exhauriunt, & dum minùs putamus, diuitem pecuniis vacuum, & egenum derelinquunt. Sic per leuia peccata passionibus crebrescentibus, & insolentius se ostentantibus virtutes subruuntur, & ingruente graui tentatione, dum ei quis assensum præbet, manifestè deficiunt. Sunt velut irremissæ ægrotatiunculæ, qui vitam quidem non dissoluunt, sed ita corpus extenuant, vt accedente aliquo graui morbo, statim corpus vires non habens resistendi succumbat. Ita minimæ imperfectiones, sine fræno timoris admissæ, mentem eneruant, & mollem ac effœminatam efficiunt, vt graui tentatione pulsata, in malum sine vlla cunctatione consentiat. Sunt denique vt formicæ, aut aliæ paruæ bestiolæ aliquam arborem corrodentes, quarum importuni morsus in causa sunt, ne fructus emittat. De his intelligimus illud sponsæ: Capite nobis vulpes paruulas, quæ demoliuntur vineas.] Verè enim culpæ leues, & imperfectiones paruulæ, vulpes paruulæ sunt, in quibus nihil magnum, nihil nimis noxium aspicimus, sed hæ vineam, id est, animam, demoliuntur, quia eam sterilem faciunt, dum cœlum ei æneum faciunt, & pluuiam auxilij cœlestis impediunt. Beatus igitur qui tenebit, & allidet paruulos suos ad petram.] Nam imperfectiones in principio suæ natalis, illisæ non crescent, nec nos magnæ factæ periculo amittendæ salutis exponent.

Non tantùm, qui modicos defectus non timet, nec vitat, sibi malus est, sed toti quoque religiosæ vitæ damnosus. Quoniam hi defectus, ac peccata leuia nullis medicamentis curata, sed quotidiano vsu probata, & excusationibus ineptis defensa, quasi in legem transeunt, & omnes ea primùm ipso opere, deinde etiam ore verbísque defendunt. Incipit exempli gratia vnus malus ac tepidus religiosus (sic enim libet nunc eum appellare, qui prauos & distortos mores in religionem inuehit) incipit inquam, iura silentij frangere, & omni tempore, omni hora verbis otiosis ora laxare, & imminuere ordinis disciplinam; iam hic non esset perniciosissimus iudicandus, si sibi soli malum loquacitatis afferret, neque aliis officeret. At post non multos dies, plures habet imitatores; qui primi illius loquacitatem sequantur, nec illum magnum defectum opinentur. Processu temporis loquacitas vestem fraternæ charitatis, & sanctæ cuiusdam beneuolentiæ induit, & nomen virtutis vsurpat, quæ necessaria est ad animorum vnionem conseruandam. Quòd si huic malo remedium non adhibeatur à tepidis hominibus, & spiritu religionis carentibus, vt bonum, imò & vt necessarium defenditur, sine quo, inquiunt, non possumus onus religionis, & occupationes sanctorum laborum ferre, neque in mutua illa patrum nostrorum charitate persistere. Tandem prælatus malum iam radicatum, & altis radicibus fixum, non potest euellere, & si id intentet, insanus iudicatur, & imprudentiæ ac temeritatis arguitur. Quisnam fuit huius tanti mali causa? ille profectò, qui primus fractioni inuiolabilis legis ianuam aperuit, & peccatum illud leue ad consuetudinem vsque procedens, in seipso sine debita castigatione, & emendatione reliquit. Hinc apparet, quàm sapienter Bonauentura ait: Nec minimum est contemnere minima, quæ non minimam moribus maculam, eo turpiùs neglecta habita ingerunt, quo vitari faciliùs cognita valuerunt.] Et alio loco de modestia loquens, hæc ait: Hæc & similia non sunt, vt minima temere aspernanda. Clara nonnumquam conuersationis insignia, quædam in minimis obfuscant ineptiæ. Plerúmque modicis paulatim per incuriam subrepentibus maculis, tota morum congeries inquinatur. Si ista dicuntur de modicis defectibus, in externa disciplina, quid diceret vir sanctissimus de illis peccatis, humilitatem, obedientiæ sinceritatem, & paupertatem lædentibus, quæ sunt maximorum malorum seminaria, & si paululum crescant, vniuersam disciplinam euertunt? Necesse est, vt veniant scandala, verumtamen væ homini illi, per

Marginalia: Iob.41. — Eccl. 10. — Cassian. l.6.ca.7. — Augusti. ep. 108. Hiemsia-a. — Cant.2. — Psal.136. — Bonau. in speculo disc. in prologo. — Ibid. p.3. cap.7. — Matt.18.

per quem scandalum venit.] Scandalum voco, non quemcumque defectum, aut peccatum religiosorum, quia homines sumus, & sine omni peccato ac macula in hac vita esse non possumus. Sed peccatum nec pœnitentia dilutum, nec lacrymis lotum, nec medicaminibus curatum, imò assuetudine longa probatum, excusationibus protectum, vmbra necessitatis inuolutum, quod non curamus euellere, nec à religionis finibus extirpare. Iste ab vno incipit, & postea per aliorum fratrum vitas, longiùs, quàm putabamus, serpet, & vitam religiosam, quæ post vnum defectum alios sibi connexos admittit, in magnum discrimen adducet. Ipsa enim est, vt inquit Anselmus, quasi quædam clausura, vel stegnum viuarij. Quoniam quidem sicut pisces decurrente aqua viuarij moriuntur, si clausuræ ipsius minutatim, ac sæpè crepant, nec reficiantur: ita omnis religio monastici ordinis funditus perit, si custodia eius per modicarum contemptum culparum paulatim à feruore suo tepescit.] Non sanè despicienda sunt mala hæc, quæ si minima in se sunt, non sunt minimorum, sed maximorum exordia. Error enim, vt dixit quidam, qui in principio paruus est, magnus est in fine, & cuiusdam militis error à retro tramite deuiantis, si alij sequantur, omnem aciem potest disperdere, & in loca, vbi trucidetur, deiicere. Ita vnus defectus ab isto introductus, & ab omnibus approbatus, potens est religiosam disciplinam perturbare.

Anselm. lib. de simil. cap. 112.

Qui autem sibi, & aliis malus est, & noxius, modica peccata consultò non vitans, numquid à Domino diligetur, & in magna sanctitate collocabitur? Non sanè. Quoniam licèt sanctitatis opus à Domino incipiat, & aliquando magnos peccatores conuertat, & ad eximiam perfectionem efferat, tamen post cœptum hoc perfectionis opus, eos tantùm Dominus ad sanctitatem extollit, qui auxiliis eius singularibus, & amabili vocationi respondent. Si autem tu vocatus non audis, inuitatus obsurdescis, & imperfectiones perfectioni contradicentes, non semel aut bis, aut sæpè, ex infirmitate, vel ignorantia, sed veluti ex malitia imprudenter amplecteris, quanam ratione ad magnam perfectionem extolleris? Minoribus auxiliis priùs respondendum est, vt maiora & potiora capiamus: nam habenti dabitur, non habenti verò, id est, minori auxilio non cooperanti, etiam quod videtur habere, auferetur.] Si minora auxilia otiosa recondis, &, quia aliquid graue peccatum non est, admittere non erubescis, quomodo maiora, & ad perfectiora opera vocantia recipies? Cum sancto sanctus eris, inquit sanctus Dauid, ad Dominum loquens, & cum viro innocente innocens eris,] si tu nulla benignitate, id est, bonorum feracitate polles, sed magis glacie cordis, id est, tepiditate angustaris, & nisi peccati grauis interminatione ligeris, nihil pertinens ad Dei obsequium moliris, quanam ratione Dominum sanctum tecum, id est, benignum, & ad excelsa perfectionis fastigia vocantem experieris. Dicet tibi, vt priùs fructum tricesimum, id est, opera mediocrium iustorum feras, & tam magnas imperfectiones timeas, & lugeas, vt postea fructum centesimum, hoc est, virorum perfectorum, qui vitant mala, quantùm possunt, & faciunt bona, quantùm sibi concessum est, in coronæ augmentum emittas. Si verò nec fructus trigesimi curam habes, imò ac si iam in area repositam, & custoditam haberes iustorum gloriam, scurrilitatibus, & ineptiis, & sæcularibus negotiis te tradis, hac sola ratione securus, quòd non sunt grauia, & immania peccata,

Luc. 19.

Psal. 17.

quòd numquam eris perfectus, certissimè scio, & de tua salute valde formido. Excipe sententiam Bernardi idem de tam falsa securitate formidantis. Ab inferiori parte, inquit, timor nocturnus insurgit, à sinistris sagitta volat in die, à dextris perambulat negotium tenebrosum: & vt nihil sit vacuum, à superiori parte dæmonium meridianum insurgit.] Nos autem miseri, & miserabiles vicinis tot serpentibus, & igneis telis vndique volantibus, insurgentibus inimicis: nihilominùs perniciosa securitate, & negligentia dormitamus, torpemus otio, vanitatibus, & scurrilitatibus indulgemus, tam pigri ad spiritualia exercitia, ac si iam pax sit, & securitas, & non sit militia vita hominis super terram.] Hoc est (dico vobis charissimi) quod me vehementius terret, quòd omnino timoris acerbissimi gladio transuerberat animam meam, quod inter tanta pericula minùs timorati, minus exercitati, minus quàm necesse sit, solliciti videamur. Siquidem vnum è duobus hæc ipsa negligentia nostra probat, aut omnino traditos nos hostibus, & nescire: aut si inter hæc conseruamur, ei, qui tuetur nos, ingratos nimirum inueniri. Vtrúmque certè periculosum est, aut cecidisse, aut tantis beneficiis acceptis ingratos esse. Neque enim longè est à gehenna, qui grauiter cecidit, quia vno tantùm gradu, vno scilicet carnis obstaculo, ab æterna morte diuiditur: nec longè est à casu, qui Domino inuenitur ingratus, quoniam ingratitudo auxilia è cœlis demissa depellit, ne homo ingratus à casu diffugiat.

Bern. ser. 2. de S. Andrea.

Psal. 90

Iob 7.

Aliud tantùm damnum dicamus eius, qui væcordia ligatus, minora quæque mala non fugit: nam implacabilibus grauiorum peccatorum scrupulis angitur, & morsibus vermis conscientiæ torquetur. Si lutulentas cogitationes non arceat, dubius sæpè manet, an in rem cogitatam consenserit, & animam Deo consecratam peccati obscenitate polluerit. Si ora detractionibus laxet, non semel anceps est, an grauiter fratris opinionem læserit, & in re magni momenti bonam eius opinionem abstulerit. Si iram, & indignationem non frænet, hæsitat aliquando, an tempore, quo erat iratus, odium aduersus fratrem conceperit, & magnum illi malum concupiuerit. Sic religiosa conscientia, templum scilicet Dei, non vt æquum esset, assiduis Dei laudationibus resonat, sed quotidianis lamentis insistit. Væ autem illi, si non lugeat, si hæc crassa peccata contemnat, si ex consuetudine tantùm, & non debita cum claritate medico in confessione pendat, signum enim esset, illam non tantùm cecidisse, sed & timorem sanctum abdicasse. Huic profectò, & aliis tepidis, nec minora peccata fugientibus optimè competit illud Isaiæ. Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, & quasi vinculum plaustri peccatum.] Nam funiculi vanitatis sunt peccata minora, quæ dum non timentur, & sine vlla erubescentia admittuntur, miseram animam ad apertam iniquitatem paulatim trahunt, & ex aperta iniquitate (quod sæpè in expulsis à sanctis religionibus vidimus) ad trahendum post se plaustrum, id est, ad vitam flagitiosam, & omni genere peccatorum fœdatam traducunt. Cura verò fugiendi minora peccata, quodam modo à casu maiorum liberat, & ad ea declinanda facilem viã nobis ostendit. Quo enim pacto in detractionem incidet, qui verbũ otiosum timet, aut in rei minus honestæ consensum impinget, qui leuissimam cogitationem virtuti aduersam fugit, aut odio fœdabitur, qui tantillam iram insurgentem statim comprimit. Iste similis est ei, qui nec minimum obolum imprudenter insumit, nam multò minus thesaurum apud se recon-

Lib. 7.

ditum

ditum dilapidabit: spiritu feruidus, qui nec minimam patitur virtutis iacturam, absque dubio nec apertum eius excidium, à graui peccato factum sustinebit. Et quemadmodum cum alio pugnans, qui nec permittit ad se hostem accedere, numquam ab eo deiicitur, neque illiditur in terram: sic qui primum aduersarij fugit accessum, difficillimè in peccatum alicuius momenti deturbabitur. Sciebat hoc optimè Eusebius sanctissimus apud Theodoretum, qui zona ferrea in collum iniecta, curuus & inclinatus incedens, cùm interrogaretur, quamnam vtilitatem ex illa mortificatione susciperet, ista memorabili sententia respondit: Ne malignus dæmon de magnis bellum gerat, conans auferre temperantiã, & iustitiam:& iram armans, & cupiditatem accendens, & vt fastu efferat, & superbia intumescam efficiens, & quæcumque aduersus meam machinatur animam, conor hostem ad hæc praua traducere, in quibus etiam si vicerit, non magnum affert detrimentum:& si victus fuerit, euadit magis ridiculus, vt qui ne in paruis quidem possit euadere superior. Quoniam ergo noui hoc bellum minùs periculosum, non valde enim feritur, qui in his damni aliquid accipit (quod enim damnum est, vel videre campum, vel in cœlum oculos attollere) ad hoc me genus pugnæ transtuli. In hac enim nec me ferire potest, nec perimere. Non sunt enim hæc iacula letifera, vt quæ illis ferreis careant aculeis.] O sapiens responsio! o digna sanctissimo viro sententia! ô saluberrimum consilium, & è cœlis ad viros sanctos ac perfectos demissum: paruam vmbram ægritudinis cauent, & dum in eam incidunt, diligentissimè curant, ne sensim crescens, viresque resumens, in morbum periculosum transeat, minima etiam vulnera fugiunt, vt sint à magnis vulneribus, & à morte securi. Audiamus igitur, & opere suscipiamus consilium sapientis: Quasi à facie colubri fuge peccata.] Qui enim sapiens est, non tantùm serpentem aut colubrum fugit, sed etiam faciem colubri, id est, occasionem peccati, & primum eius ingressum perhorrescit.

Theodor. historia sanct. in Eusebio.

Eccli. 21.

Obliuiscenda à viro religioso præterita, & sectanda futura.

CAPVT XVII.

DIVITVM consuetudo est, res minimas tamquam nullius pretij, & caloris despicere, & sẽper ad magnas & superbas anhelare. Neque enim vnius oboli aut alicuius vestis detritæ, aut rei similis vllam rationem habent, sed facilè eam aut perdunt, aut dissipant, aut postulanti tribuunt: solamque magni momenti substantiam, aut nimis custodire, aut de nouo possidere constituunt. Idem omnino viris spiritualibus accidit, qui se diuites, & meritorum plenos iudicant, nam superbia distenti, vel (vt verius dicam) pusillanimitate cordis angustati, adeptis bonis contenti sunt, & nec minimam iacturam, à paruis defectibus ortam metuunt, nec aliquod emolumentum ex bono opere, quod nunc offertur, æstimant, & ad sola quædam merita magna, & virtutis actiones eximias, quarum gerendarum numquam occasionem habebunt, vehementer aspirant. Quæ cùm numquam, aut rarissimè sese offerant, & isti meritis diuites (vt ipsi de se putant) multa minuta ex quotidianis defectibus perdant, & parua lucra ex communibus operibus bonis, quæ omittunt, non sine magna temeritate contemnant, fit vt semper pauperes imperfecti, & multis miseriis implicati persistant. Hæc autem cogitatio, quò diuites sunt, & nullius egent, inde in mentibus eorum exoritur; quòd præterita contemplantur, & minimè futura respiciunt. Considerant enim annorum multitudinem in vita religiosa, aut spirituali consumptam, corporis asperitates susceptas, labores pro animabus conuertendis exantlatos, onera paupertatis, castitatis, & obedientiæ portata, merita in oratione, in Dei cultu, & in aliis piis operibus conquisita. Non verò cogitant, quantùm illis ad veram perfectionem desit, quantùm à mentis puritate distent, quantùm à viris sanctis superentur, quàm sæpe vitiorum & prauorum affectuum incursione vincantur: & ideo quasi diuites: paruos defectus tamquam magnæ substantiæ minimam iacturam non metuunt, & modica lucra communium bonorum operum, tamquam ferè nihil magnitudinem suorum meritorum augentia despiciunt. Ecce originem illius magni mali, cuius suprà meminimus, quod dum isti minima aspernantur, in magna prolabuntur, & dum minima lucra reiiciunt, ex quibus magnum virtutis augmentum coalescit, numquam à verissima meritorum paupertate discedunt. Sed illos vita religiosa mendicos excepit, semper virtutis & meritorum pauperes tenet, & in extremis pauperes, & imperfectos sepulturæ restituet.

Quod nam est huius mali remedium, quæ huius vanæ cogitationis remotio, quæ ineptæ huius existimationis medicina? Illa sanè, quam Paulus mentibus infirmis adhibuit, vt bona præterita à nobis facta obliuiscamur, & quæ nondum fecimus, sedulò cogitemus, & tota mentis deuotione sectemur. Hoc quidem documentum naturam medicamentorum sortitum est, quæ solent esse gustui insuauia, corpori verò salubria: sic obliuisci bona, quæ fecimus, & bona, quæ non fecimus, contemplari, minùs sapit, sed non parum animæ saluti conducit. Id inquam, minùs sapit, quoniam naturale est homini, sicut fatigato viatori, oculos in terga vertere, & viam, quam iam pedibus mensus est, non sine voluptate respicere, quod autem ambulandum superest, quia tristitiam ingerit, à cordis meditatione reiicere: Quòd si hoc naturale est, & omnia naturalia Deus suauitate condiuit, vtique suaue erit, bona iam habita aspicere, & pro non habitis nequaquam sollicitari, vnde oppositum erit insulsum, iam habita, & elaborata obliuioni tradere, & necdum adepta respicere. Sed quantam id animæ vtilitatem afferat, sanctus Dauid non obscurè profitetur, dum ad hanc præteritorum laborum obliuionem, & nondum susceptorum recordationem, concedi sibi tempus exposcit. Locutus sum, inquit, in lingua mea. Notum fac mihi Domine finem meum & numerum dierum meorum quis est; vt sciam, quid sit mihi.] Non scire principium, sed finem exoptat, non cognoscere, quod sibi adest, sed quod sibi deest, concupiscit, quia præteritorum laborum consideratio, illum ad superbiam, & vanam securitatem impellebat; maiorum verò bonorum nondum adeptorum priuatio ad humilitatem, ad timorem, & ad nouos pro Deo labores suscipiendos incitabat. Finem suum, id est, vitæ suæ perfectionem quærit, numerum dierum suorum, id est, nouos virtutis profectus, ad quos est vocatus, inquirit, optimè dierum nomine designatos, quos latio solis iustitiæ super nos, radiis suæ gratiæ profert, & à potestate caliginis, & tenebrarum educit. Ad quid

Psal. 38.

verò

verò talis postulatio, nisi vt præterita merita nobis adaugeat, & quod itineris superest, alacriter currat. In hoc autem adolescens ille deliquit, qui à Domino assequendæ fœlicitatis rationem quæsiuit. Magister bone, dixit, quid boni faciam, vt habeam vitam æternam?] Et ex subsequentibus constat, cum vniuersa mandata seruasse, quem id simpliciter confitentem. Christus benignis oculis intuitus est, & singulari amore dilexit. In quo ergo minùs prudẽter se gessit? In hoc profectò, quòd in præterita sua bona oculos mentis iniecit, & necdum à se facta præteriuit. Dicit ipse, vt Dominum ad suam ipsius laudationem alliceret: Omnia hæc custodiui à iuuentute mea: quid adhuc mihi deest?] nihil tibi deest ex ore Domini audire desiderás. At Saluator noster magister optimus, qui ita discipulos suos de præteritis laboribus laudat, vt semper nouos cœlestis disciplinæ profectus, ab illis requirat, quid dixit? Non quidem, nihil tibi deest, sed vnũ tibi deest: Vade, quæcumque habes, vende, & da pauperibus,] eum ad præteritorum bonorum obliuionem, & futurorum recordationem inuitans, vt videlicet viator ampliùs ambularet: & discipulus ampliùs addisceret. Contristatus est ille, & abiit mœrens, quia nihil sibi defuisse putauerat, qui si in ea, quæ non habebat, oculos animæ intenderet: & quantùm sibi deesset, cognouisset, & cœlesti doctrina animatus iter perfectionis arripuisset. O quantos similes adolescentes vita religiosa progignit, qui nõ matris incuria, sed sua ipsorum negligentia, nonnulla virtutis imagine satiantur, & eã veritate perficere, & singulari puritate expolire non curant. Quibus si sublimiorem doctrinam perfectionis ingeras, & ad deponendas imperfectiones, & feruoris viam ingrediendam instigas, imprudens stultúsque videberis, & tamquam nouitatum annunciator irrideberis.

Isti quidem infirmi sunt, quos morbus superbiæ, & inualetudo tepiditatis exagitat. Nam sicut ægrotus febribus laborans, solet in lectulo nullam requiem habere, & iam in isto loco, vbi temperiem à calore experitur, iam in illo, vbi refrigerium aliquod sentit, seipsum collocare: ita isti in bonis iam factis, & in studiosæ vitæ, quam profitentur, consideratione delectantur, ab his verò, quæ non habent, tamquam ab stimulis eos à somno excitantibus, & à perfectæ vitæ meditatione diffugiunt. Sed si infirmi sunt, saluberrimum medicamentum à Paulo inuentum, aut ab Spiritu sancto dictatum admittant. Quod eò maioris momenti apud eos esse deberet, quod videant ipsum Paulum sapientissimum medicum non solùm alios imperfectos, sed semetipsum iam perfectum huius medicaminis applicatione curasse. Fratres, inquit, ego me non arbitror comprehendisse. Vnum autem, quæ quidem retrò sunt, obliuiscens, ad ea verò, quæ sunt priora, extendens meipsum, ad destinatum persequor, ad brauium supernæ vocationis.] Nondum inquam, palmam accepi, nec plenam de hoste victoriam reportaui, nec ad præmium mansionum cœlestium mihi constitutum, perueni, & ideo vnum mihi summis conatibus exquirendum assequendúmque constitui. Et quod nam est istud vnum, ô Paule, quod veluti omnibus præfers, & tibi satis esse pro omnibus ad præmij assequutionem existimas? Illud sanè vt præteritos meos labores obliuiscar, vt iam partas à me diuitias, quasi ex memoria deleam, vt acceptæ iam sanctitatis non recorder, sed quasi spiritualis tyro, & nouus miles, quantùm mihi datum fuerit, noua bella suscipiam, noua pericula aggrediar, & nouos triumphos de hoste reportem. Et quare, ô Apostole sancte, hoc vnum remedium tam efficax ad arripiendam gloriæ coronam existimas? Quia hoc superbiam proterit, humilitatem auget, feruorem accendit, gratiam promeretur, quod iam lucrati sumus, custodit, & quod nobis deficit, grauiter, & diligenter exquirit. Hoc vnum, quod tanti facit Apostolus, beatitudinis est, ac fœlicitatis initium. Nam, vt inquit Hieronymus, Fœlix est, qui quotidie proficit, qui non considerat, quid heri fecerit, sed quid hodie faciat, vt proficiat.] Fœlix, non quia iam præmium fœlicitatis possideat, sed quia viam certissimam fœlicitatis ingreditur. Si enim Ducem, aut Comitem possemus vocare eum, qui illud facinus præstitit, cui status Ducis, aut Comitis promissus est, cur non fœlix, ac beatus appellabitur, qui eam vitæ rationem instituit, cui non rex terrenus, qui fallere potest, sed Imperator cælestis, cuius verba, licèt cœlum & terra trãseãt, non præteribunt, regnum suum, fœlicitatẽmque promisit. Vbi autẽ promisit? In illo quidem Euangelij loco: Beati serui illi, quos, cùm venerit Dominus, inuenerit vigilantes: Amen dico vobis, quòd præcinget se, & faciet illos discumbere, & transiens ministrabit illis. Et si venerit in secunda vigilia, & si in tertia vigilia venerit, & ita inuenerit, beati sunt serui illi.] Qui namque sunt isti semper vigilantes, & numquam dormiturientes, nisi illi, qui præteritorum bonorum obliti, semper ad noua augmenta virtutis aspirant? Illi scilicet, quia ac si prima hora noctis, id est, in initio conuersionis dormierint (& tamen non dormierunt, sed vigilarunt) magno feruore secundam noctis vigiliam custodiunt, vt à se negligenter omissum in hora præsenti recuperent: & qui ac si in secunda vigilia dormitauerint, & in vitæ spiritualis progressu, otiosam vitam duxerint, (& tamen non duxerunt, sed satis negotiosam) in tertia vigilia, ac fine vitæ tanta sollicitudine virtutis incrementis inuigilant, ac si velint omnia antè perdita resarcire. Isti fœlices, ac beati ore Domini pronunciantur, quoniam eos ipse Dominus vigilantes inueniens, nequaquam cordis eorum desiderio fraudabit.

Ita ergo nos medicamen istud defectibus & negligentiis nostris applicemus, vt primò præteritorum obliuiscamur; nec improperemus Domino, quod pro eo in religiosa vita, hucúsque perficimus. Si enim Dominus dat omnibus affluenter, & non improperat,] cur nos, qui quantumlibet dederimus, nihil dedimus, exprobrabimus ei, tantillum vitæ nostræ, quod in eius obsequium impendimus. Homines mundi acquisitarum opum, aut dignitatum, aut voluptatum obliuiscuntur, vt semper nouas, maioresque conquirant? cur homines Dei, & spirituales viri non obliuiscuntur bonorum operum, & piorum laborum, quæ antea aut fecerunt, aut sustinuerunt, vt noua semper recordant, tum virtutis, tum præmij cœlestis augmenta? Et in hoc profectò maior ratio obliuionis præteritorum, & desiderij nouorum profectuum est, quoniam illa temporalia ad luxum reiicienda sunt, ad necessitatem verò in satis moderata mensura sufficiunt, at spiritualia nullo desiderij termino concludi debent, quæ per seipsa honesta sunt, & non corporis gratia quæruntur, & quò celsiora fuerint, eò in patria nostra maiorem mercedem accipient. Quare Bernardus egregiè ardentiora in viris spiritualibus bonorum spiritualium, quam in mundanis bonorum temporalium desideria requirit. Vtinam fratres, inquit, nos sic essemus cupidi gratiæ spiritualis, quemadmodum sæculares

Marginal notes: Matt. 19. — Matt. 10. — Marci. 10. — Philip. 3. — Hiero. in Psal. 83. — Lucæ 12. — Iacob. 1. — Bern. ser. de altitu. dine & bassitudine cordis.

homines pecuniæ temporalis. Debuimus certè, & multùm debuimus vincere in bono malum,& tanto ampliùs desiderare, quanto pretiosius est, quod desideramus, sed vtinam, vel æquales esse possimus.Magna enim est confusio,magna valde, quòd ardentiùs illi perniciosa desiderant, quàm nos vtilia citiùs illi ad mortem properant, quàm nos ad vitam. Quanto enim desiderio pecuniæ crucietur auarus, quanto gloriæ appetitu ambitiosus exæstuet)quàm violenter denique sua trahat quemque voluptas,quis explicet? Videas certè eos quicquid adepti sunt parui pendere, non attendere quanto labore & desiderio ea vix tandem consequi potuere: quoniam vilescunt eis omnia præ desiderio minoris fortè rei, quàm alteri cœperint inuidere. Et tu ergo non magnopere cogites, quæ tibi videris habere, nisi fortè interdum, vt gratias agere possis,& te noueris debitorem ei, qui dedit: seu gratia consolationis,cùm id necesse fuerit, ne qualibet ex causa tristior fias. De cætero ea semper magis attende, quæ alius habet, tu non habes: quod hæc cogitatio in humilitate te custodiat, & à descensu tepiditatis elonget, magis autem & accendat desiderio proficiendi.] Tantò autem magis nos, quam mundani bonorum præteritorum obliuisci debemus, quantò dispar est in vtrisque huius obliuionis vtilitas. Quia si illi bonorum,quæ iam habent, obliuiscantur, sitim visibilium, & temporalium exacuunt, quæ illos magis inquietat, magis fœdat, magis facit bonorum cœlestium indignos: nos verò,si bona præterita,quæ fecimus,ex memoria deleamus, sitim,ac desiderium inuisibilium accendimus, quod nos quotidie magis nobilitat, magis mundat,& capaciores reddit, ac possessores perfectæ virtutis. Si verò illi è contra iam parta bona respiciant, & terminum suis desideriis imponant. sapientes sunt, qui in proprio corde rebus cœlestibus locum relinquunt: Sed si nos bona præterita contemplemur, vt à labore quiescamus, insipientes sumus, & stulti,quoniam superbiæ & tepiditati ianuam aperimus. Quod & Bernardus eodem loco professus est, dicens: Vide autem quantum è regione malum cogitatio illa parturiat, qua sedulò versas in animo, quod tibi habere videris, & alterum quempiam æstimas non habere. Hinc enim eleuaris in superbiam, dum te præponis alteri. Hinc proficere negligis, dum te magnum quempiam arbitraris. Hinc demum incipis, & deficere, dum tibi alterius comparatione etiam nimis egisse videris,sicque in tepiditatem incidis, & incipis remissiùs agere.] Istam itaque partem illius vnius, quod Paulus tanti fecit,arripiamus, vt scilicet præteritorum laborum,& meritorum obliuiscamur, & ea non nisi ad gratitudinem & ad incitamentum amoris in memoriam reuocemus.

Ber. ibi l.

Altera autem pars prætermittenda non est, vt scilicet, quæ nobis perfectionis & virtutis desunt, inspiciamus,& veluti pauperes,& meritorum indigi ea lucrari & adipisci curemus.Nam medici quæcumque viderint,siue ad cibum, siue ad indumentum; siue ad apparatum pertinentia, solent magna auiditate percupere, &,si possunt, diligenti sollicitudine comparare, vt explosa paupertate diuitum conditionem assumant.Ne eorum cura & diligentia nos vincat,sed quandoquidem virtutis, & donorum supernaturalium pauperes sumus, ea quæ nobis desunt cupiamus,& solertissimo feruore adipisci curemus. Ne nos illa Domini exprobratio comprehendat:quoniam filij huius sæculi prudentiores filiis lucis in generatione sua sunt. [Occasiones lucrandi,& spiritu proficiendi libentissimè suscipiamus:& sicut mercator alacriter emptorem excipit,cui suas merces diuendens, ab eo pecuniam pro mercibus non sine lucro recipiet:ita & nos lætanter labores,pressuras, & quæcumque molesta sustineamus, modò inde aliquod meritorum augmentum nobis obtingat.Imò sicut illi facibus cupiditatis impulsi solent transeuntes ad emendum inuitare, & importunis vocibus suas merces laudare, & nolentes etiam ad emendum allicere, sic optimè nobiscũ ageretur, si eorum imitatores effecti, occasiones nos mortificandi, & aliquid pro Christo patiendi quæreremus, & actiones studiosas, vel visitandi infirmos, vel inseruiendi senibus, vel humilia obsequia præstandi, quasi ad alios fratres transeuntes, sancta quadam importunitate apud nos detineremus. Erubescat vir Deo consecratus,quia mundani homines in acquirendis rebus creatis, quàm ipse in gratia Dei, & donis cœlestibus comparandi magis insudant. Hoc enim Abbatem Pambum ad fletum, & lacrymas profundendas incitauit. Cùm enim vidisset mulierem theatralem, comptam, & diligenter ornatam,amarissimè fleuit: interrogatus autem, quare plorauerit, ita respondit: Duæ me res mouent:vna, quæ est illius perditio: altera verò, quòd ego non tantùm studeo placere Deo,quantùm hæc, vt turpibus placere possit hominibus. Iste profectò Abbas diligentissimè custodiebat consilium Pauli, quod tractamus: quæ retrò sunt obliuiscens, ad anteriora extendo meipsum: nam hæc bonorum adeptorum obliuio,& non adeptorum recordatio, eum reddebat istorum cupidum, & minimè pro illis iam adeptis securum.Ita certè nobis faciendum est,si volumus ad nonnullam perfectionem ascendere, quia istam tepidi & parui progressus iam habiti non possunt inferre, sed magni profectus nondum habiti comparare. Neque enim absolutus est debitor, inquit Gregorius,qui multa reddit, sed qui omnia:nec ad brauium victoriæ peruenit, qui in magna parte spectaculi velociter currit,si iuxta metas veniens,in hoc quod est reliquum,deficit. Neque ad quælibet destinata loca pergentibus, inchoando prodesset longum iter capere, si non etiam totum valerent consummare. Qui ergo æternam vitam quærimus. quid aliud quàm quædam itinera agimus, per quæ ad patriam festinamus? Sed quid prodest, quòd carpimus multa, si ea, quæ ad perueniendum restant, negligimus reliqua? More itaque viatorum nequaquam debemus aspicere,quantum iam iter egimus, sed quantum superest,vt peragamus: vt paulisper fiat præteritum,quod indesinenter, & timidè adhuc attenditur futurum Ampliùs igitur debemus inspicere,quæ bona necdum fecimus,quàm ea, quæ iam nos fecisse gaudemus.] Si multum debiti persoluisse,aut multum itineris peregisse non sufficit,vt quis aut iustitiæ partes impleuerit, aut præmium victorum acceperit: quanta stultitia erit, post vnum vix obolum solutum,aut post paululum itineris confectum ampliùs nolle persoluere, amplius nolle currere,sed de iam factis gloriari?

Luca 16.

Lib. 8. hist. tripartita, cap. 1.

Philip. 3.

Greg. 22. Mor. c. 6.

Illud verò ad obliuionem bonorum operum, quæ iam fecimus, & curam eorum, quæ nondum fecimus, maximè conferet, si nos semper incipientes putemus, & quotidie viam spiritus incipere cupiamus: si persuadeamus nobismetipsis, quia imperfecti sumus,& non fictè, sed verè dicamus, adhuc nihil feci, nihil laboraui, iam vel in senectute volo incipere seruire Deo, volo ita feruidè & sanctè viuere, vt possim in fine saluari. Magnum est sanè donum Dei, dum quisque iustus sic de seipso

sentit, & se imperfectum & peccatorem animaduertit. Quod ille Angelus pro iusto ad Deum loquens apud Iob postulabat, dicens: Consumpta est caro eius à suppliciis, reuertatur ad dies adolescentiæ suæ.] Ac si dixisset, iam eum mortificationis flagella domarunt, & abnegationis supplicia consumpserunt, recipiat vel nunc istud donum, vt ad dies adolescentiæ redeat, & se non magnum, non virtute prouectum, vt superbiat, sed vt crescat, se paruulum, & incipientem aspiciat. Ne post aliquot virtutis labores illa Ezechielis maledictione tangatur; Quo pulchrior es descende, & dormi cum incircumcisis.] Quia qui de adepta se pulchritudine iactat, non ascendit, sed ita solet præ superbia descendere, vt vitæ conuersatione cum incircumcisis dormiat, id est, ad vitam sæcularium se demittat. Auferet Dominus spiritum suum, quem segnis, & superbus otiosum tenet, & ipse deficiet, & in puluerem suum reuertetur, & qui per superbiam sanctum se, & Deo similem putauit, in cinerem ac puluerem pristinarum imperfectionum se conuersum inueniet. Semper ergo nos incipientes iudicemus, semper non perficere, sed incipere existimemus: quia, vt etiam Gregorius ait: Humana mens dum igne amoris exeoquitur, semper in se seruat claritatem pulchritudinis quotidiana innouatione feruoris. Nescit enim mens per torporem veterascere, quæ studet per desiderium semper inchoare. Hinc namque per Paulum dicitur: Renouamini spiritu mentis vestræ.] Hinc Psalmista, qui ad perfectionis iam culmen peruenerat, quasi inchoans dicebat: Dixi, nunc cœpi.] Quia videlicet si lassescere ab inchoatis bonis nolumus, valde necesse est, vt inchoare nos quotidie credamus.] Ista vera cogitatio est, quia omnis nostra perfectio vix est sanctitatis initium, si eum ea, ad quam peruenire possumus, conferatur. Est etiam vtilis, & salubris existimatio, quoniam bona iam facta in repositorio humilitatis secura recondit, & ad quærenda non habita vehementer accendit. In quæ si prioribus bonis oblitis nos extenderimus, noster spiritus nouis desideriis renouatus, quotidie proficiet, & vt lux splendet, & procedet vsque ad nonnullam perfectionis diem.

Iob 33. Ezech. 32. Greg. 22. Mor. c. 4. Ephes. 4. Psal. 76.

Desideria in conuersionis initio, ad religiosos concepta, diligenter conseruanda.

CAPVT XVIII.

QVI prædictum documentum mente concepit, debere scilicet nos bona iam facta obliuioni committere, nondum præstita attendere, & ita nos gerere, ac si propositum nobis esset, quotidie vitam spiritualem inchoare, fortassis admirans dicet cum Nicodemo: Quomodo possunt hæc fieri? Et quomodo potest homo nasci, cùm sit senex? numquid potest in ventrem matris suæ iterato introire, & renasci?] Quo pacto scilicet, qui ab ipsa pueritia vitam religiosam aggressus est, & in monastica, aut cœnobitica institutione consenuit, potest quasi de nouo spiritualis vitæ iter arripere, & quotidie virtutis studium, & exercitationem inchoare? Præsertim cùm omnia rerum initia debilia sint, & imperfecta, fines verò perfectionis accessione roborentur: quare sapientius esset cogitare, quod singulis diebus iter

Ioan. 3.

A virtutis consummamus, quàm quòd quasi nuper cœnobiū ingressi, illud ipsum iter incipimus. Quid possumus ista obiicienti respondere, nisi quod Dominus Nicodemo respondit: Tu es magister in Israël, & hæc ignoras?] An nescis, quia aliud est quotidie incipere, aliud verò ita te gerere, ac si omnibus momentis inciperes? Quoniam quotidie incipere videtur esse, nihil stabiliter persequi, in nullo opere virtutis persistere, nihil quod cœptum est, ad vmbilicum perducere: at quotidie ita te habere, ac si tunc inciperes, & in virtutis actionibus diligenter & strenuè procedere, & veluti si nihil factum esset, sollicitè laborare. Qui enim aliquod opus magni momenti incipit, mirum est quanta attentione, & mentis vigilātia initiis incumbat, quam si in operis prosequutione, & in fine teneret, nec à prima
B sollicitudine caderet, pulcherrimè, ac fœlicissima cœptum opus perficeret. Ita & nos si tam sollicitè viā perfectionis sequeremur, quàm cœpimus, breui tempore ad magnum profectum veniremus, quia verò post paululum temporis lassescimus, & primum feruorem remittimus, ideo non crescimus, nec affectus inordinatos superamus. Sed quanam ratione aliquis in primo feruore persistet, & à prima vigilantia, qua vitam spiritualem incepit, non excidet? Si desideria in conuersionis exordio à Domino excitata custodiat, & à sua mente elabi non sinat. Quod Abbatis Agathonis fuit salubre consiliū, ita dicentis: Vide qualis fueris prima die, quando existi de sæculo, & receptus fuisti in claustro, &
C talis permane semper.] Istud sanè dictum, si profundè intelligatur, vtilissimam habet doctrinam, quam qui diligenter custodierit, breui tempore multùm proficiet, & diuino præsidio munitus, facilè ad magnam perfectionem ascendet.

Ioan. 3. Dionys. refert. in scala. claus. c.

Non est quidem huius profundissimi axiomatis sensus, quòd iustus, post multa curricula vitæ spiritualis emensa, vel nihil amplius, & perfectiùs cupiat, quàm in exordio sanctæ conuersationis cupiebat, aut nō maiorem virtutem, & puritatem habeat, aut si prima illa virtute, qua orsus est, & primo illo flore tyrocinij contentus. Sicut enim qui humanas disciplinas profitentur, post decem annos laboris & lucubrationum, prouectiores sunt, & subtiliora cognoscere moliuntur, quam cùm mentem
D suam ad studia literarum applicauerunt, ita æquum est spiritualem virum, post aliquos annos sanctæ conuersationis prouectiorem effectum, seipsum tyronem excedere, maiora, & sublimiora cupere, & sicut virtute, sic & desideriis suam infantiam superare. Nouitius hodie, aut heri ex Ægypto se proripuit, & opera lateris & luti deseruit, non mirum si aliquando memoria in sæculum redeat, si lingua aliquid mūdanum, aut minùs religiosum personet, si cor vel superbia tumeat, vel accidia torpeat, vel minùs honesta cogitatione fœteat, vel aliquem affectum sæcularem retineat. Religiosam autem vitam professus, tamquam veteranus miles has paruulorum imbecillitates extra domum cordis elimi-
E nauit, linguam ab inquinamento verborum ineptorum mundauit, memoriam à sæculi recordatione purgauit, & desideria rerum mundanarum abiecit. Nouitius est velut infans recens natus, cuius teneritas maiorem curam nutricis, id est, spiritualis magistri, cuius infirmitas delicatiorem cibum, hoc est, mitiora onera petit, cuius pusillanimitas acrem reprehensionem non sustinet, sed si in aliquo delinquat, mel, & lac blandioris sermonis, & mansuetissimæ correptionis exposcit. Antiquus verò est veluti adolescens, aut vir, qui sine tanta

Exod. 1.

magistri spiritualis cura religiosè viuit, qui duriora laborum onera portat,& pro leui etiam culpa acerrimas increpationes perfert. Nouitius, vt arbuscula nunc sata, assidua irrigatione indiget, & aut minimum solis ardorem, aut nimium noctis gelicidium non sustinet, & si fere quotidiana præfecti admonitio deficiat, aut insurgat magna tentatio, statim arescit. Professus, quasi arbor procera, & optimè radicata, sine aqua continuæ exhortationis perseuerat, & magnas prosperitates, quasi ingẽtes solis ardores, & magnas aduersitates, quasi niues, atque pruinas, sine magno detrimento sustentat. Denique ille ait: Cùm essem paruulus, loquebar vt paruulus, sapiebam vt paruulus, cogitabam vt paruulus.] Iste verò dicit: Quando autem factus sum vir, euacuaui quæ erant paruuli.] Desideria ergo exordij nostræ conuersionis seruare, non est in infantia permanere, non est paruulorum more sentire, non est virtutis studium nõ augere: non est nihil magnum nihil difficile, nihil perfectum concupiscere. Si ita prædictam sententiam abbatis Agathonis intelligas, & hoc modo eam custodire nitaris, non gradum aut ascensum ad perfectionem pones, sed magis in dies teipsum ad pristinas vilitates & imperfectiones deprimes. Quia tunc, cùm nihil profeceris, sine vlla dubitatione deficies, & in deteriora laberis. Vt enim suprà diximus, qui non proficit, deficit, & in vita spiritus, quæ est continua quædam ascensio, ipse status delectio quædam est, & ipsum non progredi, regredi est.

1.Cor.13.

Quid ergo est, quod dicimus religioso: desideria in initio tuæ conuersionis à Domino suscepta conserua, & ab illo primo statu non excidas? Illud certè, vt quisque tanta humilitate, tanto feruore, tanta vigilantia operibus virtutis, & propriæ abnegationis insistat, quanta in arrepti propositi religiosæ conuersationis exordio in studium omnis virtutis incubuit. Nam quemadmodum scholari, qui à primo adipiscendæ scientiæ feruore defecit, & in studendi, irrigandi, disputandi, & repetendi sollicitudine intepuit, solemus dicere, vt ad primum feruorem redeat, & antiquum conatum exsuscitet, & iuxta pristinam vigilantiam literis studeat: ita nunc religiosum tepescentem, & curam proficiendi insensibiliter deponentem, hortamur, vt tyrocinij feruorem repetat, & desideria tunc habita perfectionis adipiscendæ non deserat. Consilium est hoc Ecclesiastici, dum ait: Non est minuere, neque adiicere, nec est inuenire magnalia Dei. Cùm consummauerit homo, tunc incipiet, & cùm quieuerit, aporiabitur.] Magnalia Dei dicamus nunc perfectionis opera, ab omnibus creaturis auulsa, & per se considerata, quæ adeò pulchra sunt, & perfecta, vt nec homo in illis defectum, nec excissum inueniat, nec eorum decorem, ac perfectiorem comprehendat. In his operibus, cùm homo consummatus videtur, tunc ne ab adepta virtute cadat, debet quasi incipiens ad primum feruorem reuerti, & quasi nouitius inchoare. Si verò omninò quieuerit, & progredi vltrà noluerit, tunc incipit esse mendicus, & pauper, & aporiabitur, id est, his qui se habere putabat, bonis indigebit. Magnus quidem Antonius istud documentum tanti momenti putauit, vt ei primas partes in vita spirituali detulerit. Semel enim fratres illius solitudinis alloquens; ita exorsus est. Hoc sit primum cunctis in commune mandatum, nullum in arrepti propositi vigore lassescere, sed quasi incipientem debere semper augere, quod cœperit.] Et iterum tempus resolutionis suæ instare conspiciens, hæc subditis suis saluberrima verba, quasi ex testamento reliquit: Ego quidem filioli, secundùm eloquia Scripturarum, patrum gradior viàm: iam enim Dominus me inuitat, iam cupio videre cœlestia. Sed vos, ô viscera mea, admoneo, ne tanti temporis laborem repentè perdatis. Hodie vos religiosum studium arripuisse arbitramini, & cœptæ voluntatis fortitudo succrescat.] O consilium viri reuera magni, & amici Domino charissimi dignum, quod fidelibus Dei seruis proponeretur. Seruus namque, postquam multis annis hero suo sedulò diligentérque seruiuit, non putat se obsequiis exemptum, sed denuo famulari incipit, ac si nihil hucusque seruiisset. Quod ab eo exigi non iniquum, imò iustum esse Saluator noster in hunc modum asseruit: Quis vestrûm habens seruum arantem, aut pascentem, qui regresso de agro, dicat illi: statim transi, recumbe, & non dicat ei; para quod cœnem, & præcinge te, & ministra mihi donec manducem & bibam, & post hæc tu manducabis & bibes?] Si quotidie noua obsequia à seruo petuntur, & post multos annos famulatus, nouus ei, ac si hodie inciperet, seruiendi labor indicitur; quid mirum, si nos ad tantam dignitatem admissi, vt serui Dei nominemur, & simus, quotidie debeamus incipere, & ardentia incipientium desideria conseruare? Qui hodie cœnobium ingressus, modò vocatus venerit, & desiderio perfectè viuendi, & se deiiciendi, inuitatus, nullum laborem respuit, nullam molestiam refugit, nullum vile obsequium exhorret, vt pro peccatis suis satisfaciat, & seipsum humilitatis amore contemnat. Nos autem etiam post multos religionis annos, humilitate, & pro innumeris peccatis nostris satisfactione indigemus, quare igitur hodie non incipimus, quare primi feruoris desideria postmittimus? Non sic Bernardus non sic, de quo iam ad contemplationis apicem sublimato ista legimus. Sic autem ab initio fuit inter nouitios nouitius, monachus inter monachos spiritu validus, corpore infirmus: nihil indulgentiæ, circa corporis quietem seu refectionem, nihil remissionis de communi labore, vel opere fieri sibi aliquando acquiescens. Cæteros namque sanctos esse arbitrabatur, & perfectos, se verò sicut nouitium, & incipientem, nequaquam emeritorum perfectorúmque indulgentiis, & remissionibus indigere, sed feruore nouitio, & ordinis districtione, & rigore disciplinæ. Propter quod communis vitæ seu conuersationis feruentissimus æmulator, cùm opus aliquod manuum fratres actitarent, quod seu minor vsus ei, seu imperitia denegabat, fodiendo, seu ligna cædendo, & propriis humeris deportando, vel quibuslibet laboribus æquè laboriosis illud redimebat. Vbi verò vires deficiebant, ad viliora quæque opera confugiens laborem humilitate compensabat.] Nec deest nobis exemplum domesticum, quo seu iam viri, seu senes, ad incipiendum animemur. Nam & noster B. P. Ignatius, ordinis à se instituti præpositus Generalis effectus, tantùm munus non ab alio, quàm à popinæ obsequiis, & vilissimis seruitiis, & ministeriis incepit. Quæ tanto feruore, tanta humilitate, & sui contemptu multis diebus exercuit, homo grandæuus, & omni virtutum genere apprimè decoratus, nec non & contemplationis gratia admirabilis, & illustrationibus diuinis sublimis, ac si tunc terrestrem militiam relinqueret, & spiritualis vitæ iter arriperet. Quid est hoc? nisi cùm consummauerit homo, tunc incipiet, vt perfectus ad initium rediens, & singulis diebus incipiẽs sine intermissione spiritu crescat, & purior ac perfectior euadat?

Lucæ 17. Lib.1.vitæ c.4. Eccli. 18. Lib.3.vitæ c.2. Athanas. in vita. Eccle.18.

Tu

Tu itaque religiose, qui vis proficere, & ad perfectionem ascendere, prima illa tuæ conuersionis desideria non deseras, simplicitatem illam & humilitatem nouitij, quantùm valueris, non deponas, sed magis quotidie nouis incrementis adaugeas. Vide quanta tunc veritate, mundum, & eius honores, & fastus contempsisti, & nunc ita contemne: quanta constantia tunc parentes, & fratres, & propinquos, & eorum prospera, & aduersa reliquisti, & nunc ita relinquere: quanta fortitudine delicias, & voluptates, & corporis curam immoderatam abiecisti, & ita nunc abiice. Reuoca in memoriam, quàm te putasti habitu religionis indignum, & modò talẽ te reputa: quàm simpliciter facta aliorum iudicasti, & in meliorem partem interpretatus es, & nunc ita iùdica, & interpretare: quàm patienter adhortationes, correptiones, & iniurias sustinuisti, & nunc ita sustine. Seriò considera, quàm fuisti ipso religiosæ conuersationis initio in aperienda tua conscientia clarus, in corrigendis defectibus feruidus, in oratione assiduus, in obedientia promptus, in verbis circumspectus, in cogitationibus cautus, in reprimendis inanibus desideriis vigilans, & in gestu, & incessu modestus, & eundem te exhibere cura. Tandem considera, quanta tunc deuotione ægros curabas, senibus inseruiebas, & omnia vilia domus obsequia præstabas, & nunc maior effectus, si per occupationes maioris momenti licuerit, ista humilitatis ministeria non omittas. Quantò magnus es, humilia te in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam. (*Eccl. 3*)] Illius etiam sententiæ recordare: Qui maior est in vobis, fiat sicut minor: & qui præcessor, sicut ministrator. (*Luc. 22.*)]Hæc enim est vera religiosæ vitæ magnitudo, & clara nobilitas, non priuilegiis, & exemptionibus crescere, sed maiori quotidie mortificatione, simplicitate, & humilitate fulgere. Ad hanc in primo feruore perseuerantiam Abbas Pinuphius tyronem quemdam apud Ioannem Cassianum his verbis affatus est. (*Cassia. li. 4. de inst. c. 37.*) Versutus serpens calcanea nostra semper obseruat: id est, insidiatur exitui nostro, & vsque in finem vitæ nostræ nos supplantare conatur. Et idcirco bene cœpisse nil proderit, nec pleno feruore renunciationis arripuisse principia, si hæc congruus etiam finis similiter non commendauerit, atque concluserit: Christique humilitas, atque paupertas, quam nunc coram ipso professus es, vsque ad extremum vitæ, quemadmodum arrepta est, à te non fuerit custodita.]Quanta verò sit eorum calamitas, qui à primo feruore tepefacti, in priorem ignauiam, & socordiam dilabuntur, superiùs idem Abbas exposuerat, dicens: (*Ibid. c. 36.*) Satis enim miserum est, cùm debeas à rudimentis ac primordiis tuis prouehi, & ad perfectionem tendere, etiam ab ipsis incipias ad inferiora decidere. Non enim qui cœperit hæc, sed qui perseuerauerit in his vsque in finẽ, hic saluus erit. (*Matt. 10.*)] Nihil profectò, aut satis parum proderit, magna in ipso conuersionis exordio desideria concepisse, sublimia perfectionis opera aggredi statuisse, & aliquantulum huius spiritualis itineris velociter ambulasse, si à primo illo tyronum statu progressi, desideria illa rerum magnarum abiicimus, propositum proficiendi, & nos humiliandi deponimus, & in initio semitæ lassi fatigatique sedemus. Quia istud quodammodo est manum ad aratrum mittere, & respicere retrò. Retrogitur enim, qui per segnitiem sæculari vitæ, quam deseruit, iterum appropinquat, & à primæua illa vitæ simplicitate, & puritate discedit.

Quotidianus ergo profectus, ab hac memoria, & exercitatione primorum desideriorum maximè, dependet, quæ nos ad Dei voluntatem explendam efficacissimè excitat. Qui eam morum disciplinam & virtutis actiones à semetipsis exigunt, quas in initio suæ cõuersionis exigebant, & iuxta præscriptum illorum primorum desideriorum corpus domant, nisi obstet corporalis infirmitas, sensus cohibẽt, passionibus imperant, & religiosæ vitæ statuta custodiunt, proculdubio sunt feruentes spiritu, quos in hac vitæ ratione perseuerantes, Dominus nequaquam perfectionis vacuos manere permittit. Feruens enim spiritu est, vt inquit Basilius, (*Basil. reg. breui. interrog. 259.*) qui cum ardenti studio, & inexplebili cupiditate, & assidua diligentia voluntatem Dei facit, in charitate Christi Iesu Domini nostri: conuenienter illi quod scriptum est, In mandatis eius cupit nimis. (*Psal. 111.*)] Ista viri feruentis descriptio optimè in illos quadrat, qui à primis illis desideriis, & à prima illa morum disciplina numquam desciscunt. Si autem feruidi sunt, non carebunt profectu, quem tanto feruore quærunt, & tam ardentibus desideriis obtinere nituntur. Dominus enim à nobis, vt nos bonis suis cumulet, nihil aliud requirit, quàm vt feruenter gratiæ cooperemur, & vitæ puritatẽ non segniter, sed diligenter promouere nitamur. Nam hoc promisit per Isaiam, dicens: (*Isai. 65.*) Et erunt campestria in caulas gregum, & vallis Achor in cubile armentorum populo meo, qui requisierunt me.]Mirabilis sanè promissio, campestria deserta, quæ vires animæ significare possunt, priùs sanctis cogitationibus, & bonis desideriis vacuę, gregibus, hoc est, sanctis meritis, replebuntur, & vallis Achor, id est, turbatio, & cor humanum designat, requie & tranquillitate complebitur, adeò vt in illo affectiones nostræ cubent; & pacatæ requiescant. Qui autem ista mirabilia videbunt? certè illi, inquit, qui requisierunt me. Ista diligẽs Domini, & omnis virtutis inquisitio, requiem, & meritorum abũdantiam consequitur, quæ iustis & perfectis promissa est. Ne igitur isto bono frustremur, obliuiscamur omnia præterita, & quotidie nos inchoare credamus. Desideria illa priora non arescant, sed magis quotidie floreant, & nos ad similes fructus, id est, ad vitam humilem, & puram, & omnium terrenorum contemptricem impellant. Illa mentem sui puritatis oblitam pulsent, cor tepiditate soporatum excitent, affectus virtutis amore succendãt, qui amore excitari, quod amant, & quærũt, aliquando tandem obtinebunt. Id enim certissimè sperabat Dauid cùm dicebat. Vespere, & mane, & meridie narrabo, & annunciabo, & exaudiet vocem meam. (*Psal. 54.*)]Nam qui non solũ mane, id est, in vitæ spiritualis exordio, sed etiam meridie, & vesperi, nimirum in toto vitæ progressu eadem desiderant, & desideriorum vocibus miserias, & indigentias suas Domino annunciant, hi demum exaudiuntur, & audientes, fiat vobis sicut vultis, quod enixè postulauerunt, accipiunt.

Propria vocatio perfectionis certissima via à religioso censenda.

CAPVT XIX.

ISTA vitæ spiritualis documenta tradenda sunt, vt simul eiusdem vitæ impedimenta, & dæmonis fallaciæ pandantur, ne dum progredi putamus, in viæ initium regrediamur, & nihil egisse iudicemur. Et ideo tali modo has virtu-

tis assequendæ præceptiones conteximus, vt earum A quæque non parum ad virtutem conferat, & simul aliquem aduersarij dolum aperiat. Quod vel ex ista præceptione, quam nunc dictamus, manifestè constabit. Desideria enim magna crescendi, & virtutes aggregandi, possunt; si non discretione moderentur, magnam ipsius virtutis, quam cupimus, iacturam facere, & nos in non minima inconuenientia inijcere. Quare Paulus ait: Omnia probate: quod bonum est, tenete;] quasi desideria nostra, quæ etiam sub specie virtutis insurgunt, priùs probanda, & examinanda sint, quàm in opus produceda. Et Ioannes ad idem exhortans: Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus si ex Deo sint; quoniā multi pseudoprophetæ exierunt in mundum.] Et sicut falsi prophetæ visibiliter, ita dæmones, aut propriæ B definitiones nostræ, inuisibiliter possunt nos decipere, & sub specie boni ad aliquid noxium incitare. Solent ergo viri spirituales, dum virtutem, ac mentis puritatem prouehere cupiunt, & omnibus modis se iuuare contendunt, non tantùm propria, sed aliena quoque instrumenta complecti, vt optatam virginem exquirant. Imò interdum propria suæ artis instrumenta fastidiunt, & veluti onera impedientia reiiciunt, & alienis, & sibi minùs congruis, vtēdis intendunt. In rebus tanti momenti clarè loquendum est, vt omnes ista legentes laqueos videant, & dæmonis artes intelligant. Solent, inquam spirituales viri, puritatis amore capti, ad eam consequendam, subsidia à suo statu & vocatione præscripta respuere, & auxilia vocationis alienæ conquirere, vt ad finem destinatum perueniant. Verbi gratia. Carthusianus, aut alius vitam solitariam professus, solitudinem horret, vitam suam otiosam iudicat, minùs aptam ad proficiendum existimat, hominum verò peccatorum confessiones excipere, ad populum conciones habere, & alia ministeria animarum, suspirat. Non potest iam illa reiicere, & ista complecti, vocatione, ad quam vocatus est, contradicente, quid autē facit? illa nō sine nausea, & tristitia suscipit, ista eo modo, quo sibi permittitur, diligēter exequitur, & sub prætextu lucrandi animas, vitæ suæ tranquillitatē deserit, orationem iugem, & lectionem assiduam postponit, immoderata verò colloquia, & curas sæcularium admittit. Si autem ab illo quæras, cur ita faciat, respondebit, quia ista aliena instrumenta aptiora mihi, & efficaciora iudico, vt optatam perfectionem accipiam. E cōtrà verò Prædicatorum ordinem, aut nostram Societatem professus, desiderio perfectionis accensus peccata aliorum in confessione audire metuit, literarum studia fastidit, concionandi laborem horret, pia, & necessaria cum sæcularibus colloquia auersatur, solitudinem verò amat, totam diem oratione & precibus consumere curat, immoderatas vigilias, ieiunia, & alias corporis asperitates suscipit, & breuiter, quę solitariorum sunt, & amplecti, & implere cōcupiscit. At non valet, vel occupationes suæ vocationis abiicere, vel alienum viuendi modum, in suam religionē inuehere. Sed quid facit? Illas occupationes, si possibile sit, fugit, sin minùs illis cursim, festinanter, & non sine tristitia satisfacit: istas verò, quantùm sibi permissum fuerit, opere complet, & sub proprio habitu alienam vitam arripit, & Carthusianus, aut eremita esse gestit. Id scilicet, vt non propriis subsidiis, quæ minùs efficacia putat, sed alienis, ad perfectionem ascendat.

1. Thess. 5.

1. Ioan. 4.

Hanc aduersarij subdolam noxiamque tendiculam debent omnes religiosi magna contentione fugere, magna circumspectione cauere. A qua, vt se extricent, suam regulam ac suæ vocationis occupationes proprias, certissimam ac tutissimam viam assequendæ perfectionis sciant. Quin & sibi persuadeant aliena studia, licèt per se sancta, & professoribus eorum proficua, sibi vtilia non esse, sed magis adeptioni perfectionis officere. Sicut enim stultus esset faber ferrarius, qui vellet stylo, aut calamo, ferrum domare, & ex eo operis quidpiam efficere: aut amanuensis, qui niteretur incude, & malleo chartam scribere, & pulchros characteres delineare: ita insipiens est solitarius, qui animarum ministeriis intendit virtute crescere, aut Prædicator, qui sola eremi trāquillitate cupit in puritate proficere. Hæc enim instrumenta sunt, quæ manū proprij artificis, & ad sibi congruum opus assumpta plurimùm valent, ab alieno verò artifice accepta & ad opus minùs conueniens applicata, nullum vsum, & non modicum nocumentum inducent. Docet hoc clarissimum Pauli Apostoli exemplum, qui ad opus euangelizandi vocatus, alia opera, licèt admodum prædicationi cognata respuebat, & non per se ipsum, sed per alios administros executioni mandabat. Gratias ago Deo meo, inquit, quòd neminem vestrum baptizaui, nisi Crispum & Caium: ne quis dicat, quòd in nomine meo baptizati estis. Baptizaui autem & Stephanæ domum: cæterùm nescio si quem alium baptizauerim.] Et quare, ô sancte Apostole fidelium pater, & gratiæ disseminator, baptizare refugis? Non enim misit me Christus, inquit, baptizare, sed euangelizare.] Ministerium suum prudenter exequitur, alia verò ministeria, licèt sancta, C licèt Deo placita propriis administris relinquit, ne suum munus quoquo modo impediāt. Petrus etiam vt notauit Ambrosius, ad prædicandum vocatus, noluit Cornelium & socios aqua per se ipsum intingere, sed iussit eos baptizari in nomine Domini Iesu Christi: vt non inferiorum ministrorum, sed suum proprium ministerium impleret. Apostoli quoque cæteri vocationem habentes prædicandi aiunt: Non est æquum nos derelinquere verbum Dei, & ministrare mensis. Et Apostolorum Dominus, qui animas curare venerat, negotiorum temporalium occupationes refugit, & se ad diuisionem hæreditatis vocantem hac oratione compescit: Homo, quis me constituit iudicem super vos?] Ista omnia ad hoc tendunt: vt intelligamus, debere quemquam secundùm propriam vocationem viuere, & curare studiosis actionibus sibi assignatis, non alienis in puritate proficere. Sicut enim manus sua figura, & actione perficitur, & pes figura pedis, & ambulandi suam perfectionem habet, neque vnquam: aut figuram, & locum manus appetit, nec actionem manus, aut membri alterius vsurpat: ita religiosæ vitæ, quæ sunt veluti pulcherrima Ecclesiæ membra, non se ipsas confundant, nec vna functiones alterius præsumat, sed sit sua vocatione, & operatione contenta. Et sicut in vno corpore, vt ait Paulus, multa membra habemus, omnia autem mēbra non eundem actum habent:] ita Ecclesia per membra sua, id est, per diuersos status suos, non eūdem actum, sed distinctas actiones exercet. Quisque videat, ad quem statum pertineat, & illius actiones subeat, sciens quia earum præsidio poterit esse perfectus.

1. Cor. 1.

Ambr. 1. ad Cor. 1. Actor. 10.

Actor. 6

Luc. 12.

Rom. 12

Cœlum sanè terminus est, ad quem & cupimus, & nitimur peruenire. Dominus autem, qui multas variasque cœli vias esse constituit, votis nostris, & conatibus annuens, congruam viam vnicuique nostrum assignauit, per quam ambulantes possemus in cœlum ascendere. Vnusquisque viam sibi à Domino

mino monstratam teneat, per eam iter arripiat, & alias alienis statibus aut professionibus assignatas ambulare non curet. Via autem cuiusque, regula sua est, quam diligenter custodiens, & magnum mentis profectum acquirit, & sibi ingressum cæli parabit. Nec sine efficaci testimonio dicimus regulam cuiusq; religiosæ vitæ viam esse cœli per quam religionis professiores in cœlum ascendunt, quod non humana coniectura, sed cœlestis visio Gregorij auctoritate narrata confirmat. Sanctissimo namque Patriarcha religionum Benedicto vita functo, duobus fratribus longè à se inuicem positis hæc reuelatio facta est. Viderunt pulcherrimam viam, à cella sancti viri in cœlum vsque tendentem, aureis palliis ornatã, & innumeris lampadibus coruscantem. Interrogati autem à miræ dignitatis & splendoris viro, quæ esset illa via, & suam ignorantiam ingenuè professi, audierunt. Hæc est via, qua dilectus Domini cœlum Benedictus ascendit.] Interpretetur filius viam patris sui, & sui genitoris iter nobis edisserat. Quæ est enim via, inquit Bernardus, ab eius cella progrediens, nisi ordo, quem idem vir beatus instituit, & forma vitæ, quæ ab eo sumpsit exordium? Qua nimirum via Domini dilectus ascendit, quia non potuit vir sanctus aliter docere, quàm vixit. Et hæc quidem eorum vel maxima fiducia est, qui ipsius vtcumque student inhærere vestigiis, ipsum præceptorem, præmiúmque sequuntur. Neque enim venire aliquatenus in dubium potest, quin omnino sacer sit modus conuersationis, & diuina magis inspiratione, atque consilio, quàm humana prudentia, vel adinuentione formatus: quo nimirum tantam in vita gratiam sanctitatis, tantam post obitum gloriam fœlicitatis idem verè Benedictus obtinuit] Quemadmodum ergo via, qua Benedictus, & omnes sui filij ascendunt in cœlum regula suæ religionis est, ita regula, quam Franciscus accepit, est sibi, & filiis suis via, per quam ascendunt in cœlum: & regula, quam Dominicus assumpsit, sibi & militibus suis est via, qua in mansiones cœlestes adueniant: & regula, quam B.P N. Ignatius diuinis illustrationibus affectus, scripsit, est sibi, & sociis suis via, qua ipsi regnum cœlorum violenti diripiant. Quare non est nobis quærenda, nec præsumenda alia via, nisi ea, quam Dominus ipse cœlorum, cuique nostrum dignatus est demonstrare, ne qui aliam præsumpserit, & propriam, & alienam amittat. Nam sicut, qui manum habet aliqua gemma occupatam, dum aliam vult simul apprehendere, solet vtraque priuatus manere: ita qui studiis propriæ vocationis insistens, curat simul alterius professionis exercitiis occupari, vtraque perdit, quia nec suis, nec peregrinis satisfacit. Iacob ex hac vita ad meliorem transiturus, filiis suis magnas benedictiones impertit, quibus recensitis textus sacer ait: Benedixitque Iacob singulis benedictionibus propriis:] quia vnius benedictio ita illi congruebat, vt minimè alteri fratri, & eius successoribus conueniret. Sic Christus, qui Pater est eorum sanctissimorum hominum, qui familias religiosas fundarunt, & non terrenæ genti, sed populo cœlesti, qui æternas mansiones est habitaturus, initium tribuerunt, eis non communi quadam, sed propriis benedictionibus benedixit, & singularibus donis cumulauit, quæ in suos filios, & imitatores effunderent. Vnusquisque benedictionem sui patris aspiciat, viam ab illo ostensam ingrediatur, modum viuendi ab eo monstratum sequatur, & benedictiones aliorum, id est, rationes viuendi sibi non congruentes, nec

Greg. 2. dial. 37.

Bern. de clamatione de bonis deserendis.

Gen. 49.

A sui causa inuentas derelinquat. Si patri tuo, ô religiose, dictum est. Iuda, te laudabunt fratres tui: manus tua in ceruicibus inimicorum tuorum, adorabunt te filij patris tui:] Si inquam, pater tuus, à quo in Christo Iesu genitus es hanc benedictionem audiuit, quia ad confitendum Dominum, id est, ad prædicandum vocatus, & ad hostes Domini vincendos instructus, & ad æternas laudes promerendas, ob insignia officia in filios Ecclesiæ collata, prælectus est, tu hanc benedictionem quasi ex hæreditate transfusam, non perdas, sed legem diuinam ore, & magis opere prædicare, peccata (hæc enim hostes sunt Dei) in te assidua mortificatione,
B & in aliis doctrina prosternere, & sanctis laboribus in vtilitatem Ecclesiæ sustentatis veras laudes promereri non deseras. Si verò pater tuus aliam benedictionem accepit, illam scilicet, Lætare Zabulon in exitu tuo, & Issachar in tabernaculis tuis: Populos vocabunt ad montem: ibi immolabunt victimas iustitiæ: Quia sicut ille primus à sæculari conuersatione exiit, vt cum isto secundo in tabernaculis habitaret, & populos ad solitudinem montis, & ad offerenda sacrificia moueret: Si itaque hæc est benedictio patris tui, scito te exisse de sæculo vt montem inhabites, vt vitulos assiduæ orationis, atque lectionis in ara cordis immoles. Ne vitam, & studia eorum, qui ad ciuitates vocati sunt, vllo modo affectes, quia in vocatione tua imperfectus eris, & in aliena occupatus, aut nihil, aut satis parum efficies.

Deut. 33.

C Non solùm autem propria cuiusque regula, & propria vocatio via est, per quã ambulans, cœlum ingreditur, sed est etiam sibi imposita lex, quam relictis aliis, ad se non spectantibus, tota fidelitate custodiat. Sicut enim in terrestri republica, multa sunt officia, variæque dignitates suis instructæ legibus, quas illorum officiorum, seu dignitatum professores obseruant: & aliæ sunt leges senatorum, aliæ prætorum, aliæ notariorum, quorum obseruatio non omnibus promiscuè, sed cuiusque muneris administro conuenit: Vnde tempore reddendæ rationis optimus senator iudicatur, qui iura senatoria compleuerit, & optimus prætor, qui leges prætorũ
D custodierit, quamuis leges aliorum, vt senatorum, aut procuratorum penitus ignorauerit. At si senator fuisset in complendis legibus prætorum, aut notariorum vigilantissimus, & in scrutandis sui status obligationibus excors, stultus haberetur, & tam quam malus senator, tantæ dignitatis priuationem subiret: Ita de Ecclesiastica republica, & de religiosis ordinibus censendum est. Ecclesia namque sanctissima respublica est, quam Deus ipse per Vicarium suum summum Episcopum Romæ, Pontificémque gubernat. In hac republica (vt nunc alios status omittam) variæ religiones sunt, vt variæ dignitates, vel vt officia distincta, quæ tum
E vtilitati tum decori ac pulchritudini Ecclesiæ deseruiunt. Harum religionum quælibet sua iura, suas leges, suam viuendi rationem habet, quam illius professores obseruent, cuius si se fideles obseruatores exhibuerint, nihil aliud Deus ab illis requiret. Si verò propriæ rationis viuendi, & suarum legum obliti, alias se custodisse & complesse dixerint, stulti iudicabuntur, & non boni religiosi censebuntur, qui alienum munus præsumpserunt, nec suum proprium munus adimplere curarunt. In die mortis non legibus, & obseruantiis aliorum ordinum, sed legibus mei ordinis iudicabor. Non profectò quæret à me Deus, an saccum induerim, an funiculo renes præcinxerim, an perpe

Gen. 45.

A tutum cilicium gestauerim, an humi cubauerim, an carnibus semper abstinuerim, an eremi secreta petierim, an totos dies & noctes lectionibus & orationibus, ac Psalmodiis institerim, quia leges mei ordinis, quem ego professus sum, hæc à me non exposcunt. Sed quid quæret? Certè, an non solam meam perfectionem, sed salutem quoque, & perfectionem, proximorum impensè curauerim, an expeditum me ad discurrendum per totum orbem, si id salus animarum exigat, me præbuerim; an nihil omnino nec obolum, nec librum, nec tunicam, nec pileum possederim; an cellam omnibus indulgentiis, ad cibum, vel potum pertinentibus, vacuã habuerim; an corpore & mente Angelicam puritatem seruauerim: an in rebus difficilibus, & meæ B sensualitati repugnantibus non tantùm opere, sed voluntate quoque, & iudicio obedierim: an statutis temporibus orationi & meditationi diligenter vacauerim; an bis quotidie examinationem conscientiæ fecerim; an conscientiam meam in omnibus, aut Prælato, aut patri spirituali aperuerim: an nulla data occasione contemptus, (quod solùm peccatum est) meum contemptum amauerim: an continuam abnegationem meorum affectuum, & sensuum sectatus fuerim: an corporis asperitates secundùm superioris præscriptum expleuerim; & an omnia alia, quæ ad meum institutum pertinent, custodierim. Hæc à me quæret Deus, quia istæ sunt leges status mei, ista iura ordinis mei, ad quæ me professionis obligatione constrinxi. Si autem ista à C me petenda sunt, & alia, nec vllo prorsus modo interroganda, magna reuera stultitia est, aliena, vt media perfectionis accipere, & propria instrumenta deserere, & me ipsum, quia, quæ ad me non pertinent, implere non possum, in tristitiam & angorem conicere.

Vnusquisque igitur religiosus, perfectionis, & sanctitatis cupidus, suam regulam, & suam vocationem custodiat, & aliorum vocationes oblitus, suæ obseruatione sanctum se esse posse confidat. Statuat apud semetipsum illud prophetæ cuiusdam:
Habac. 2. Super custodiam meam stabo, & figam gradum super munitionem: & contemplabor, vt videam, quid dicatur mihi, & quid respondeam ad arguentem me.] Custodia rem ipsam custodiendam, aut D custodiæ nostræ demandatam indicat. Stet itaque super regulam suam, insistat vocationi suæ, quam implendam obseruandamque suscepit: Stabiliter perseueret in viuendi ratione, quam professus est, quæ eum muniet, & à dæmonum incursu defendet. Contempletur, non quod sibi melius, aut aptius ad proficiendum videtur, sed quod præcepit illi Dominus. Attentè consideret, quid Domino arguenti, & rationem exigenti responsurus sit, ita enim se ad iudicium propriæ regulæ custodia parabit, & aliorum instituta tamquam suo
Eccle. 11. statui minùs conuenientia relinquet. Confide in Deo, ô iustitiæ ac virtutis amator, ait Ecclesiasticus. & mane in loco tuo:] ibi enim, & me- E diis tibi à tuo statu præscriptis, virtutis possessione ditaberis. Audi Paulum præcipientem:
1. Cor. 7. Vnusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat.] Tanti Apostoli, imò & Spiritus sancti mandatum non spernas, sed in tua vocatione persistas: Nec te secundùm spiritum putes obseruatione illius legis exemptum. Omnes viri ducent
Num. 36. vxores de tribu, & cognatione sua: & cunctæ fœminæ de eadem tribu maritos accipient, vt hæreditas permaneat in familiis.] Si vir es, homo scilicet spiritu robustus, & validus, quamcumque volueris studiosam occupationem suscipias, tantummodo illa sit de tribu, & cognatione tua, quam nempe tua vocatio non abhorreat, & tua ratio viuendi, & institutum admittat. Si autem fœmina es, quia ad modum mulieris spiritum habes imbecillum, eadem cura multo magis tibi incumbit, vt studio tuæ vocationis congruo copuleris, & modum viuendi tui *Num. 36.* status amplectaris, quod magni momenti esse subiectum verbum exponit: Vt hæreditas permaneat in familiis.] Ne scilicet gratiæ diuersarum vocationum confundantur, & ne Ecclesiæ pulchritudo, quæ maximè ex ministeriorum ordinata varietate dependet, aliquo modo fuscetur. Ad te quoque illud Apocalypsis pertinere existima, quo dicitur, centum quadraginta quatuor millia, habentes nomen *Apoc. 14.* agni, & nomen Patris eius, scriptum in frontibus edidisse vocem sicut citharœdorum citharizantium in citharis suis.] Es ne tu ex istis centum quadraginta quatuor millibus? Es quidem, quoniam isti aptissimè numerum, & conditionem religiosorum designant. Qui sunt centum, si mysticam Ricardi expositionem sequamur, propter patriæ cœlestis expectationem, & quadraginta propter legis, & quatuor euangeliorum completionem; & quatuor propter quatuor cardinalium virtutum exercitationem: & millia propter totius iustitiæ consummationem. Sunt etiam cum Agno supra montem Sion, quia post Episcopos in celsissimo Ecclesiæ statu collocati, aliorum fidelium sublimitatem transcendunt. Habent præterea nomen Agni, & nomen Patris eius, inscriptum frontibus suis, *Ric. lib. 4. in Apoc. 6.* nam & Christum hominem imitantur, & suauissimæ Patris prouidentiæ se subiiciunt. Si tu ad istorum numerum spectas, sis oportet sicut citharœdus pulsans citharam suam; vt scilicet vocationem tuam, non alienam, manibus tractes, & ea, quæ tui sunt status diligenter perficias. Ad sanctos, & viros perfectos tui ordinis oculos mentis conuerte, & videbis, eos non peregrinis mediis, neque alienis instrumentis perfectionis iuga petiisse, sed propriæ vocationis custodia ad tantam puritatem euolasse. An Bonauentura, & Bernardinus, & Didacus Complutensis Francisci filij, legibus alterius religionis profecerunt? Non; sed custodia suæ regulæ sanctitatem adepti sunt. An Thomas Aquinas, Petrus Martyr, & Iacynthus, Dominici alumni, alieni instituti obseruatione ad tantam perfectionem venerunt? Non: sed suæ vocationis impletione eam perfectionem sunt consequuti. An Franciscus Xauerius, Franciscus Borgia, & Iacobus Faber Ignatij clara progenies, alterius instituti regulis eguerunt, vt tam magnam mentis puritatem acquirerent? Non: sed propria vocatione adiuti tam eximiam perfectionem compararunt. Similiter & tu instituto peregrino, aut alienis mediis non indiges, vt in virtute proficias, sed quod illi gratia suæ vocationis potuerunt poteris, & pro mensura electionis diuinæ, sine vana singularitate ad perfectionem ascendes. Alligatus es vxori? noli quærere solutionem. Solutus es ab vxore? noli quærere vxorem.] Mentem ad altiora effer, & huius loci mysterium intellige. Eam vocationem suscepisti, quæ velut *1. Cor. 7.* charissima coniux filios non mundo, sed cœlo procreat, & saluti animarum intendit, noli prætextu perfectionis assequendæ, te à perfectissima institutione, & ab Apostolica vita seiungere, quam amplectentes Apostoli primitias spiritus habuerunt, & supra omnes alios sanctos, sanctitatem, & vitam cœlestem compararunt.

Solutus

Solutus es ab hac vxore, & statum solitudinis professus es, noli ad externas actiones ex professo exire, neque in alienam messem falcē mittere, neque aliena negotia tractare, quia sine vxore, sine animarum videlicet cura, sanctus esse poteris, & tuo statui te accommodans, magnam puritatem consequēris. Tandem vt communis parœmia te moneat: Spartam natus es, hanc orna. Monachus es, ne clericum agas, idest, ne relicta quiete, & solitudine functiones clericales præsumas: clericus es, & Apostolicæ vitæ sectator, ne vt monachum te geras, & cura tuæ vocationis abiecta, ad tibi non congruum, nec permissam quietem aspires. Esto tua sorte, & tua vocatione contentus, quæ procul dubiò apprimè custodita, efficax est te hominem spiritualem facere, & ad magnam sanctitatem prouehere.

Obligationes status suscepti, primo loco à religioso subeundæ.

CAPVT XX.

QVOD nunc tractandū aggredimur, nō multùm à præcedente doctrina seiūgitur, nisi quod illa stabilitatem & quietem in accepto statu exiget, istud verò nunc explicandum intra proprium statum maiorem curam rerum nobis iniunctarum exposcit. Sunt enim nonnulli satis in sua vocatione quieti, sed ministerio sibi iniuncto non satis addicti, qui cursim, & leuiter ad illud se applicāt, vt aliis negotiis magis sibi gratis intendant. Videbis religiosum ad excipiendas confessiones peccatorū, ab obedientia destinatū, cui iucundius est libellos spirituales euoluere, & orationibus fundendis incūbere: is numerū confitentium pro Dei gloria, & animarū salute non auget, ad excipiendam alicuius confessionem vocatus statim, vel litera incepta exit, cùm iam tandem exit, eo zelo, quo deberet, peccatorem ad compunctionem, & delictorum detestationem non mouet, sed breuiter se ab illa vtilissima occupatione expedit, vt ad cellam redeat, & cœptæ lectioni, aut orationi statim insistat. Videbis alium ad gubernandi onus electum, qui literatus est, & disciplinarum, quas professus est, promouendarum amicus: is à subditorum cura se subtrahit, nec illos frequenter alloquitur, nec ipsorum tum internas, tum externas necessitates auscultat, nec eos verbo exhortationis pascit, nec primus, vt exemplo alios moueat ad communes cœnobij obseruantias accedit, sed horas non paucas ex gubernatione furatur, quas in studio, & doctorum lectione consumat. Videbis etiam alium ad concionandum vocatum, qui externis sæcularium negotiis, & alloquutionibus delectatur, quibus vt totū se tradat, nec Sanctorum patrum lectioni vacare, neque profunda, & longa meditatione occupari, (quod ad verbum Dei seminandum summè necessarium est) neque spiritum deuotionis, & animum diuinis rebus semper intentum habere curat. Quid alios referam, qui sanctioribus studiis, ad quæ tamen non tenentur, se occupant, & eorum prætextu, sui status onera, & obligationes prætermittent, quos desiderio maioris perfectionis aduersarius decipit, & vt consilia perficiant, vel (quod verius est) suam voluntatem compleant, à debitis exercitiis auertit? Hi omnes discant prudentiam, & ordinem rerum intelligant; intelligant, inquam, vt quæ cognouerint, opere compleāt. Sciant se debere diligentissimè in res sibi iniunctas incumbere, & onera sui status præcipua habere, & primo loco præstare, quibus debita ratione perfunctis, poterunt rebus aliis non debitis piis ac sanctis intendere. Si verò peruertant ordinem, & illis, aut omnino prætermissis, aut leuiter factis ista suscipiant, se magnum impedimentum mentis profectui ponere, & à perfectionis via declinare non dubitent.

Hic enim conatus perficiendi, quæ iniuncta non sunt, & ab obedientia, aut proprio statu iniuncta aspernandi, indicium est animi se ipsum regentis, & propriam voluntatem, ac carnalem affectum consectantis, quem esse virtutis inimicum, & perfectionis hostem, Salomon eleganti sententia confirmat. Qui obseruat ventum, inquit, non seminat, & qui considerat nubes numquam metet.] Est ac si dixisset: Qui in omnibus, quod sibi commodissimum est exquirit, & quod sibi iucundissimum est, explere nititur, is profectò semen non seminat, ex quo præmium æternum metat. Seminat enim opera vitio propriæ voluntatis, & inordinati amoris infecta, quæ dum soli homini operanti placent, fructum æterni præmij non ferunt. Sed audiamus Basilium perspicuè docentem, affectum iustum animi esse sibi placentis, & non Dei gloriam, sed propriam commoditatem quærentis indicium. Qui seipsum abnegauit, ait, seséque voluntatibus suis omnibus spoliauit, is non quod vult facit, sed quod docetur. Neque verò ratio permittit, cum sibi ipsi, quod expediat, diligere, qui gubernationem aliis tradiderit. Siquidem hi esse debent, qui ad quamcumque rem habilem esse illum iudicauerint, arbitratu suo in nomine Domini ipsum instruant. Qui autem ipse in deligenda sibi aliqua arte muneréve, cupiditati suæ obsequitur, is planè sibi notam inurit, seque prodit; primò se sibi ipsi placere, documento est, deinde artem illam cæteris anteponere, aut propter gloriam vitę huius, aut lucri spem, aut aliud aliquid id genus in eam artem propensiore affectu, aut postremò propter ignauiam, pigritiámve, quòd ea videlicet laboris sit leuioris. In quo autem hæc insunt, ab hoc planissimè intelligi potest, nondum abstersas esse omnes animi morborum labes.] Quæ sententia grauissima, eum, qui se à proprio ministerio auersum, & aliis occupationibus affectum inuenit, non ad sibi placendum, & suæ voluntati obsequendum, sed ad inuestigandam huius mali radicem, & ad eam euellendam incitabit. Nam si hæc radix pigritia est, eam amator perfectionis, se ad sanctos labores adhortans, per impigram mentem excindet. Si est alicuius commoditatis Spes, illam desiderio abnegationis ablegabit. Si est inanis gloriosæ amor, hunc humilitas, & sui contemptus proteret. Si autem est sola leuis voluntas, & naturæ ipsius vana propensio, ista suopte nutu amans, & illa refutans, gratia illam, ac consideratio diuinæ voluntatis euincet. Faciat itaque spiritualis vir ex veneno theriacam, & ex morbo medicinam, & dum suam voluntatem negat, & studiis minùs iucundis, diligenter intendit, quia debita sunt, & alia magis grata, quia sunt voluntaria, in horas succisiuas reseruat, vitio proprię voluntatis medicamentum adhibet, & salutem animæ, quæ tota in expletione diuinæ voluntatis sita est, aptissimo remedio conquirit.

Eccl. 11.

Basil. reg. 41. Fusius disput.

Laboriosum est, & molestum istas radices euellere, ex quibus rami occupationum minùs necessariarum germinant, quæ nos ab studiis debitis, &

eo ipso vilioribus abstrahunt, ideóque remedium quærendum est, quo homo hanc difficultatem propellat. Illud autem erit; quod habet ægrotus, vt sibi ipsi sumptionem amarissimæ potionis suadeat. Sicut enim iste considerat potum felle amariorem, esse concupitæ sanitatis remedium, & hac consideratione se vincit, & ad bibendam illam imaginem mortis instigat: ita quisque animaduertat, studia, & occupationes debitas, vel ab obedientia, vel ab statu præscriptas, instrumenta esse efficacissima ad perfectionem assequendam, alia verò negotia voluntaria, quatenus debitas occupationes impediunt, perfectionem etiam impedire, & finem ipsum, propter quem assumuntur, ablegare. Vnde id cognoscemus? Certè ex eo, quòd actiones, siue à prælato, siue ab ipso statu, nobis impositæ, à Deo ipso impositæ sunt; aliæ verò, licèt bonæ, si ab illis primis nos euocent, hac ratione, qua nos à debitis retrahunt, non à Deo suadente, aut præcipiente, sed à nostra voluntate, & à nobismetipsis oriuntur. Manifestum est autem hominem non propriæ voluntatis expletione, sed diuinæ voluntatis; & cælestium præceptorum, aut consiliorum obseruatione proficere. Qui diligit me, ait Dominus, sermonem meum seruabit:] non verò dixit: Qui diligit me, suam propriam voluntatem sequetur, aut suo iudicio gubernabitur, aut suas sententias, definitionesque custodiet. Si ergo non sequela propriæ voluntatis, sed obedientia, qua subiicimur voluntati Dei, signum est, & effectus charitatis, apertum est, quia hæc obedientia & non propriæ voluntatis, nec particularium exercitiorum, si studia obedientiæ quoquomodo impediant, expletione proficimus. Ad quod explicandum optimè Bernardus ait: Vereor, ne & inter nos aliqui sint, quorum non acceptet munera sponsus, eo quòd non redoleant lilia. Etenim si in die ieiunij mei inueniatur voluntas mea, non tale ieiunium elegit sponsus, nec sapit illi ieiunium meum, quod non lilium obedientiæ, sed vitium propriæ voluntatis sapit. Ego autem non solùm de ieiunio, sed de silentio, de vigiliis, de oratione, de lectione, de opere manuum, postremò de omni obseruatione monachi, vbi inuenitur voluntas sua in ea, & non obedientia magistri sui, id ipsum sentio. Minimè prorsùs obseruantias illas, & si bonas in se, tamen inter lilia, id est, inter virtutes censuerim deputandas: sed audiet à propheta, qui eiusmodi est, Num quid tale est obsequium, quod elegi, dicit Dominus. Et addit: in die bonorum tuorum inueniuntur voluntates tuæ.] Grande malum propria voluntas, quia fit, vt bona tua tibi bona non sint.] Si hoc dicit sanctissimus pater, de bonis sine iussu Prælati, & obedientia præsumptis, quid de illis diceret, quæ obedientiam eneruant, quæ studium actionum debitarum impediunt, & nos ab amore diuinæ voluntatis, in his actionibus contentæ diuellunt? Sanè numquam Bernardus ea probaret, nec instrumenta perfectionis, sed magis impedimenta cognosceret. Qui enim hæc studia, licèt bona, cum detrimento obligationum sui status sequitur, propria voluntate raptatur, quæ cùm instabilis sit, & ad multa procliuis, cor miseri hominis in mille partes discindit, & obsequio innumerabilium rerum addicit. Non potest verò qui ab vno, id est, à Dei voluntate recedit, & tot dilecta amplecti contendit, cordis pace, & tranquillitate lætari. Quare his propriæ voluntatis amatoribus, & obedientiæ contemptoribus possumus dicere, quod Abimelech loquutus est per fratres suos ad ciues Sichem: Quid vobis est melius, vt dominentur

Ioan. 14.

Bern. ser. 71. in cant.

Isai. 58.

Iudi. 9.

A vestri septuaginta viri omnes filij Ierobaal, an vt dominetur vnus vir? Simulque considerate, quòd os vestrum, & caro vestra sum.] Qui enim sunt filij Ierobaal, nisi propriæ voluntatis nostræ, iam non in mala, sed in bona studia tendentes, quæ secundùm externam speciem, idolum, id est, vitium impugnans, & secundùm veritatem, obedientiæ, & statui nostro contradicunt? Et quis est vnus vir, nisi diuinum beneplacitum, quod in nos dominium vendicat, & ad actiones obedientiæ prouocat? Cui bene conuenit, quòd os nostrum, & caro nostra nuncupetur: quoniam non vt implacabilis herus nos duriter tractat, sed vt a-

B mantissimus pater nostræ infirmitati condescendit. Quid itaque est melius, an hoc diuinum beneplacitum sequi, an sub prætextu boni illud obedientia explicatum contemnere, & nostris voluntatibus implicari?

Primo igitur loco obedientiæ, & rerum ab ipsa præscriptarum, & obligationum nostri status rationem habeamus, & numquam eas propter particularia exercitia omittamus, aut minùs perfectè & diligenter præstemus. Si tu sacerdos es, numquam colore meditandi, aut orationi mentali vacandi, canonicarum horarum pensum festinè persoluas, sed hoc debito debitè, id est, attentè & deuotè persoluto, quod temporis supererit, sanctæ meditationi, & rerum diuinarum contemplationi tribue. Si rerum temporalium ad-

C ministres, numquam prætextu legendi, aut orandi, curam & laborem tibi demandatum omittas, sed gnauiter tuo labore perfunctus, quod vacat, in lectionem & orationem incumbe. Si operarius vineæ Christi es, & animarum curandarum munus suscepisti, ne literarum, & studiorum amor te dementet, sed præcipuum tempus tam sanctum, & sublime ministerium sibi vendicet; cùm verò nemo te quærit, aut commodè neminem potes quærere, tunc non inutilibus, sed tuo ministerio accommodatis disciplinis stude. Breuiter quamcumque occupationem, aut ab obedientia, aut ab statu tuo iniunctam habeas, hanc perfectissimè exequere, & tanta mentis tranquil-

D litate, ac si nihil tibi faciendum superesset, elaborare procura, qua, vt decet, absoluta, poteris non sine magno merito piis aliis, & specialibus studiis, vt otiositatem fugias, & animæ saluti consulas, te ipsum occupare. Sed illa maiori contentione perficienda sunt, maiori tranquillitate præstanda, quæ ex eo, quòd iussa sunt, gratiora à Domino existimantur, & cæteris paribus efficaciora sunt, vt operantis mentem perficiant. De rebus nobis iniunctis illud intelligendum est: hæc oportuit facere: de studiis verò supererogationis, quod statim sequitur: & illa non omittere.] Illa vocantur maxima, quoniam semper

E maximum putare debemus, quod Deus præcipit, quòd à nobis manifestè exigit, quod si omittamus, talis prætermissio illi displicet. Hæc vocantur minima, licèt nonnumquam secundùm suam naturam sint magna; quoniam ex eo quòd iussa non sunt, numquam debent præceptis anteponi, nec cum ipsorum detrimento tractari. Illi omnimodis facienda sunt, quoniam ea, vel facere, vel non facere, nequaquam nostro arbitrio relinquitur, sed vt omnino faciamus, iniungitur. Hæc verò omittenda non sunt, si videlicet negotia ad quæ obligatione tenemur, nec diem totum occupent, nec tempus ea præstandi præripiant. Sicut ergo qui vult carpere rosam spinis circundatam, non

Mat. 23.

minima

minima circumspectione vtitur, vt ita rosam accipiat, ne aculeis spinarum pungatur: Sic qui vult rosas piorum studiorum voluntariorum assumere, ea periculis remittendi debita obsequia cincta consideret, & tali circumspectione capiat, vt vulnus ex negligentia in rebus debitis non accipiat. Debita enim obsequia sunt velut panis, & alia alimenta præcipua, quæ non iam corpus, sed mentem hominis roborant, atque reficiunt; obsequia autem voluntaria sunt quasi suauissimi, arborum fructus, qui panem, & pisces, aut carnes elixas, vel assas suauiores faciunt, & comedendi appetitum excitant. Illa sunt velut auri, & argenti talenta, quibus homo diues efficitur; ista velut vasa magni pretij, quibus aurum atque argentum absconditur, & seruatur Sicut autem esset appetitus intemperantis, & animi insipientis indicium, fructus arborum solidioribus cibis, & reconditoria thesaurorum ipsis thesauris præponere, ita imprudentis hominis est, pro his negotiis, quæ præstare non debet, & quorum rationem non est redditurus, debita & obligatoria contemnere. Meritò verò particularia exercitia, ad quæ nulla obligatione constringimur, arborum fructibus, & thesaurorum reconditoriis comparauimus, quoniam eatenus bona, & expetenda sunt, quatenus cibis solidioribus, & rebus pretiosioribus, scilicet Dei, & Prælatorum, & sanctæ Ecclesiæ præceptis adimplendis non officiunt. *Prouer. 23.* Nam si aliquo modo ea, ad quæ tenemur, impediant, interim moderanda sunt, aut omnino relinquenda. Quod & Salomon monet, dicens: Noli laborare, vt diteris: sed prudentiæ tuæ pone modum.] Ille namque laborat, vt ditescat, qui desiderio proficiendi præceptis consilia adiicit, & oneribus, ad quæ statu ipso constringitur, voluntaria alia onera eorum, quæ non sunt debita, superimponit. Optimum consilium est hoc, & (vt infrà dicemus) mentis spiritualis indicium. At modus huic sanctæ prudentiæ, & mensura huic pio labori ponenda est, vt scilicet istæ diuitiæ maiores diuitias non minuant, & se diligentiæ debitæ in rebus iniunctis non opponant.

Ita autem prudentiam nostram, & desideria proficiendi moderabimur (nam & illa suam moderationem requirunt) si in omnibus non nostram voluntatem, sed Dei, & Domini nostri voluntatem, & Creatoris gloriam quæramus. Dum enim hanc nostris laboribus promouere contendimus, illud in primis maiore contentione præstabimus, quod Deo gratius est, & nobis vtilius, & obtutibus diuinis acceptius. Non dubium verò, quin duobus bonis propositis, quæ simul explere non possumus, quorum vnũ debitũ est, alterũ nostræ voluntati relictũ, illius præstatio magis Deo placet, & nobis maius cõmodum & vtilitatem confert. Quia si bonum non debitum omittamus, nullum crimen admittimus: si autem bonum debitũ, ac præceptum relinquamus, manifestè deficimus. Sententia ergo Ecclesiastici: *Ecclesi. 18.* Post concupiscentias tuas non eas, & à voluntate tua auertere,] non solùm in malis, sed etiam in bonis custodienda est, vt scilicet illud bonum suspectũ habeamus, quod non Dei beneplacitum, sed voluntas sola nostra dictauerit. Eo enim ipso, quòd à sola nostra voluntate progreditur, & diuinis & Ecclesiæ iussis non probatur, à bonitate sua deficit, & aliqua malitiæ labe corrumpitur. Vnde Leo Papa sapienter ait: *Leo serm. 8. de ieiunio 7. mensis.* Cùm sint in animis hominum multæ bonæ concupiscentiæ, & laudabiles voluntates, quid est, quod iubetur, vt nostris non consentiamus affectibus: nisi quòd ab illa concupiscentia prohibemur, & ab illa voluntate reuocamur, cuius ortus ex nobis est, & ideo mala pronunciatur, quia nostra esse conuincitur? Ad distinctiones igitur concupiscentiarum, quæ sunt ex Deo, bene homini dictum est. Post concupiscentias tuas nõ eas, vt quas cognouerit proprias, sciat esse vitandas. Licèt autem omnis boni voluntas ex Deo sit, tamen qua ratione debita obsequia impedit, aut in causa est, vt negligenter ea exequamur, non est bona, nec à Deo, sed à nobismetipsis profecta, quare fugienda est, & ad debitam mensuram reuocanda, vt sic ad Dei etiam voluntatem pertineat: Tunc possumus eam amplecti, & si præceptis, & debitis nostro statui se accommodat cum magna alacritate præstare. Omnes itaque vitæ religiosæ sectatores illud Prosperi magna attentione considerent, quod non parum illos viam salutis in multis occurrentibus edocebit. *Prosper. lib. 2. de vita contemplat. c. 17.* Quid, inquit, eis prodest, quòd facultates suas abiiciunt, qui voluntates proprias non relinquunt: cùm sit longè præstantius, voluntatibus propriis abrenunciare, quàm rebus? Res suas etiam mundi quiuis philosophi abiicere potuerunt, & nunc quilibet hæretici possunt. Sed nec illi cùm suæ voluntatis fuerint amatores, secundùm voluntatem Dei vixerunt: & isti dominicæ volũtati, suæ voluntatis studio contradicunt. Nõ ergo res ea nos Deo commendat, quam & inimici Dei faciunt, sed illud, quod non nisi verè Christiani, & per hoc amatores Dei perficiunt. Hi sunt, qui voluntatibus suis, & rebus proiectis, suo se Creatori ex toto corde subiiciunt, ac suum velle, ex eius voluntate suspendunt.] Si nos religiosos facit, non iam externarum facultatum, quàm propriæ voluntatis abiectio, eam in omnibus, in malis scilicet, & in bonis ablegare curemus, & Domini solius voluntate regamur. Dicamus illi: *Psal. 145.* Doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu.] *Isai. 2.* Tunc autem docebit nos vias suas, & ambulabimus in semitis eius.] Viæ enim eius sunt, vt bonum faciamus, quæ omnibus patent: semitæ verò eius cognitu difficiliores sunt, vt vnum bonum alteri præferamus, & quod ipse iubet, maiori cura, quàm illud, quod nos volumus, & ad quod nulla lege constringimur, præstare curemus. Onera igitur nostri status primum, ac præcipuum locum semper obtineant, si volumus ad mentis puritatem peruenire, quibus præstitis, Dominus obsequia voluntaria non abiiciet, sed gradus & lætabundus admittet.

Opiniones, & dicta tepidorum à religioso contemnenda.

CAPVT XXI.

O Quàm multa itineri perfectionis obstant! ô quantæ difficultates in via conuersationis spiritualis insurgunt! ô quàm immanes hostes nos carpentes iter, & ad puritatem festinantes impediunt! Obstant perfectioni mala, si non ab illis fugiamus: obstant & bona (vt vidimus) si non benè & debito ordine illa suscipiamus: obstat & homo sibi ipsi, qui propria imbecillitate compulsus ab eo, quod perfectum est, quia difficultatum spinis circundatum, miserabili pusillanimitate discedit. Qui iure optimo posset clamare cum Paulo: Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? *Rom. 7.* Nam quamdiu mortalitas durat, sicut in

numera

numera sunt, quæ eum ad mortem corporis trahunt, ita numero comprehendi non possunt, quæ eundem à perfectione, & sanctitate diuellunt. In his (quod certè lugendum esset) aliquos fratres computamus, qui cùm professione sint eiusdem propositi socij, moribus verò sunt totius perfectionis contemptores. 2.Cor.11. Paulus quidem magna pericula fuit in labore prædicationis expertus, non solùm à gentibus, à latronibus, à mari, & à terra, sed etiam à falsis fratribus: ita perfectus solet à falsis fratribus persecutionem pati, & à tepidis, & imperfectis hominibus non parum laboris, & molestiæ sustinere. Isti (vt par est credere) in cœnobiis religiosorum paucissimi sunt: sicut enim inter filios Dei non astiterunt multa aduersarij, sed astitit vnus Satan, qui patientissimum Iob, ad certamen cum eo ineundum expetiuit; (Iob. 1.) sic inter viros spirituales non deest aliquis Satan, aliquis scilicet homo carnalis, qui habitum religiosum induit, vt suæ fami, quam in sæculo patiebatur, abundè consuleret, vt vitam otiosam duceret, & aliis fratribus sanctè viuentibus sanctitatem exprobraret. Neque hoc mirum est. Si enim in collegio Apostolico duodecim tantùm hominum, quod non aliquis sanctus, sed ipse sanctus sanctorum gubernabat, inuentus est vnus Iudas, qui beneficentissimum Magistrum venditioni exponeret, & oues illas pacificas, mansuetasque dispergeret; quid admirabimur, si in cœtu plurimorum religiosorum inueniantur pauci Iudæ, pauci falsi fratres, qui reliquos turbent, & serpentum linguis sanctorum vitam condemnent? Tepidi ergo, & inuerecundi religiosi, qui non tam ab aliorum lingua, quàm vita increpari se vident, nonnumquam solent viros spirituales & perfectionis cupidos spernere, ipsorũ sanctas exercitationes irridere, studia verbis amarulentis proscindere, & eos vanos, stultos, & phanaticos nuncupare. Verissimum est namque illud antiquorum prouerbium: Similis similem quærit, cicada cicadæ adhæret, & gracculus gracculo assidet: & cùm isti improbi sint, & virtutis inimici, improbos amant, perditos magni æstimant, & superbos, arrogantes, & ambitiosos laudibus efferunt, humiles verò, quietos, & sui profectus curam habentes, velut hostes persequuntur, & vt pestes infestissimas, auersantur. Huius odij causa non est profectò alia, quàm dissimilitudo morum, disparitas studiorum, abundantia in bonis, & in tepidis penuria virtutum. Quod simpliciùs, sed non insulsè dixit Thomas à Campis: (Thom. à Cãpis de disciplin. claustral. l.c. 13.) Qualis vnusquisque est, inquit, tales etiam socios diligit: deuotus deuotum, pudicus pudicum, sanctus sanctum, vagus vagum, dissolutus quærit dissolutum.

Quia isti vagi sunt, & dissoluti, & non ad perfectionem, sed ad commoditates corporis, ad honores, & vanitates aspirant, ideo virtutis amatores contristant, piis eorum studiis se opponunt, & ad suam eos segnitiem detractionibus, subsannationibus, & persecutionibus trahere curant. Quibus optimè congruit illud Dauidis, quo loquutus est ad Saul. (1.reg.26.) Si filij hominum prouocant te aduersum me, maledicti sunt in conspectu Domini: qui eiecerunt me hodie, vt non habitem in hæreditate Domini, dicentes: Vade, serui diis alienis.] Nam quid quæso est, bonos irridere, & ad vanitates sæcularium prouocare, nisi eos à Domini obsequiis abducere, eisque persuadere, vt in mundum, si non professione, at vita & conuersatione reuertantur? Isti maledicti sunt, qui & diaboli munus vsurpant. Nam ille malum facit, & ad

A malum impellit, & isti similiter sæculariter viuunt, & aut persuasionibus, aut detractionibus, Dei seruos ad malum pertrahunt. Hi sunt, de quibus sanctus Iob ait: (Iob. 30.) Qui mandunt herbas, & arborum cortices, & nequaquam se saluberrimis cibis sustentant.] Ita enim beatus Gregorius istum locum interpretatus est. (Greg. 20 mor. c. 15) Praui námque cùm recta incipientes aspiciunt, aut irridendo, aut quasi consulendo contradicunt. Cùm verò iam quosdam pensant ad summa proficere: quia eorum profectus funditus dissipare nequeunt, à quibusdam illos suis operibus diuertunt. Herbas itaque eis, & arborum cortices mandere est, vel studia bene inchoantium, vel operationes quorumdam, iam more arborum

B ad superiora tendentium, pestiferis persuasionibus, quasi quibusdam malitiæ suæ dentibus dissipare. Herbas mandunt reprobi, cum infirmorum initia irridendo consumunt. Arborum quoque cortices mandunt, cùm manu peruersi consilij, à vita rectè credentium, tegmen bonorum operum subtrahunt. Hos autem in quibusdã actibus, velut arbores spoliant, illos verò velut herbas (quia despicientes trahunt) quasi, quæ calcant, comedunt. Quorundam iam fortitudinem in alta surgentem ex parte demoliuntur, quorundam verò teneritudinem, & adhuc in imis positam penitus conterunt.] Ideo autem mali herbas, & arborum cortices comedunt, quia faciliùs æstimant hæc sordida ori admouere,

C quàm virtutis nucleum ex testa duriori ad comedendum extrahere. Facilius enim est bonum carpere, quàm imitari, & quoniam isti miseri decreuerunt, se in nullas difficultates ob amorem virtutis coniicere, quod facillimum est, scilicet bonum reprehendere, id faciunt, & quod nonnullam difficultatem habet, scilicet bonum imitari, id à se constanter auertunt.

Qui ergo virtutem amat, & perfectionis consortium desiderat, hæc odia tepidorum, has sannas, & detractiones, has eorum opiniones vanissimas animosè contemnat. Et qui propter istorum acquirendas laudes vitam spiritualem non cœpit, propter ipsorum illatas molestias à cœpto perfectionis iti-

D nere non desistat. Prophetam regium imitetur, detractionibus hostium suorum orationis scutum opponentem, & seipsum à telis inimicorum oratione obuelantem. (Psal. 108.) Pro eo, ait, vt me diligerent detrahebant mihi: ego autem orabam.] Eadem boni religiosi, & Dauidis causa est, nam si hic ab optimè gesta, & laude dignissima, vituperationem accepit? ita ille ob vitæ sanctæ propositum, & regulæ diligentem, exactámque custodiam, quæ laudem & amorem meretur, ex ore stultorum non laudem, sed contemptum, sed contumeliam, sed dedecoris verba reportat. Nec semel tantùm sanctus Dauid, hoc scuto aduersus virtutis contemptores vsus est, sed sæpe nimirum quoties persecutio

E virtutis incideret. Quare alio loco ait: (Psal. 68.) Aduersum me loquebantur, qui sedebant in porta, & in me psallebant, qui bibebant vinum. Ego verò orationem meã ad te Domine: tempus beneplaciti Deus.] Graphicè malorum religiosorum mores perstringit. Hi enim cellam, vt carcerem fugiunt, & locum quietis, & sedem lectionis, & orationis pro ergastulo habent, vnde sine vlla necessitate frequentãt claustra cœnobij, quæ sibi non sunt claustra, sed vanitatum, & mendaciorum atria, & in portis aliorum similiũ sedẽt, vt ibi iura silẽtij frangãt, & nouitates, & sæculares narrationes effutiant, & aduersus spirituales viros, & perfectionis studiosos suas suspiciones exponant. Ille frater, inquiunt, sub prætextu orationis

otiosa

otiositatem amat,& per vitam spiritualem prælationem ambit, homo valdè scrupulosus est, & abiecti animi,qui nescit cum magnatibus amicitias inire,& seipsum honore dignum ostendere, & ob id fugit à nobis,& in morem cuniculi semper in cella,sicut in antro delitescit. O quis diceret istis cùm sedent in portis:Audite verbum Domini, qui ingredimini per portas has.Bonas facite vias vestras,& studia vestra, & habitabo vobiscum in loco isto.]Nolũt hi Deum in suum cœtum admittere, qui non ingrediuntur per portas cellarum suarum, vt adorent Dominum, sed vt conuiuia more aulicorum instruant, vt comessationibus & compotationibus vacent, vt inter edendum & bibẽdum sicut satrapæ Babylonis vasa Domini prophanent, & virorum sanctorum vitam & mores irrideant. Vbi isti fieri poterunt boni, inquit Prosper,qui sunt in bono mali:aut quãdo bene malis vsuri sunt, qui malè bonis vti non desinunt?] Quid faciet sanctus & perfectus religiosus, istorum peruersorum fratrum irrisionibus impetitus? Non aliud, nisi quod sanctus Dauid: Opinionum & irrisionum istorum nullã rationem habeat, sed pedibus Domini prouolutus dicat:Ego verò orationẽ meam ad te Domine:tempus beneplaciti Deus.] Oret Dominum, vt sibi constantiam in bono tribuat, vt improborum hominum facta & dicta pro nihilo habere cõcedat,& vt tempus,quo ipsum à lingua dolosa, & à labiis iniquis est liberaturus, adueniat.Interim tamen eiusdem sancti Prophetæ institutionẽ sequatur,qui dicit: Ego autem tamquam surdus non audiebam,& sicut mutus non aperiens os suum. Et factus sum sicut homo non audiens, & non habens in ore suo redargutiones.] Sit quasi surdus, qui detractiones inuidorum nõ audiat,fit quasi mutus,qui nihil pro se respondeat:Stultus fiat in cõspectu hominum secundùm cõsilium Pauli,vt sit sapiens in conspectu Dei.]Sic occasiones iræ,& indignationis abscindet,& seipsum in simplicitate continebit.

Ierem.7. *Prosp.lib. 3. de vita contempla. c.9.* *Psal.68.* *Psal.37.* *1.Cor.3.*

Meminerit,quisquis à tepidis ridetur,& ab imperfectorum ore proscinditur,sanctitatem in vera charitate,& in sincerissima omnium mãdatorum custodia, & in exacta votorum, & regulæ obseruatione consistere.Aduersus hæc nullus mos, quamuis inueteratus,nulla inolita cõsuetudo præscribit, sed semper diuina voluntas mandatis,& regula,& votis exposita,& à iustis obseruata,suã vim habet, & in suo robore ac vigore perseuerat.Quamobrem omnis tepidorum vita,quatenus nostræ professioni,& diuinæ voluntati repugnat,est habẽda cõtemptui,& nequaquam propter illam à recto virtutis tramite discedẽdum.Sicut enim veram fidem semper impugnarunt hæretici,& verã iustitiã mali Christiani, ita iustitiæ perfectionẽ,& sanctitatem conati sunt debellare segnes,& imperfecti,ne eorum vita sanctorũ splendore & sinceritate dãnetur.Si ergo fides nũquã technis, & dolis hæreticorum cedit,nec iustitia scandalis, & iniquitatibus hominum iniquorũ se subiicit, æquũ est,vt nec perfectio à tepidis, & imperfectis impugnata sileat,sed inter persecutiones caput erigat, & aduersus se impugnantes conualescat. An non cùm Ecclesia sancta hæresum colluuione percellitur,doctores zelum fidei habẽtes in publicum prodeũt, errores dictis,disputationibus, & scriptis libris exagitant,& homines iam deceptos ab errore euocant,& ad fidei veritatem pertrahunt?Idem faciat spiritualis vir, cuius cor zelo perfectionis pulsatur,qui si relaxari disciplinam animaduerterit,& aduersus eã opiniones imperfectorum & malorũ religiosorũ oblatrare cognouerit, statim multò liberiùs vita & doctrina oppositũ doceat,& non illos sequi, sed illos, ad se pertrahere concupiscat. Ita illam stabilitatẽ & constantiam assequetur,quam Ioãnes Cassianus pulchra similitudine à viro sãctitatis amatore requirit. Mens viri iusti,inquit,nõ debet esse similis ceræ,vel alterius cuiusq;materiæ mollioris,quæ semper characteri signãtium cedens,pro eius forma,atque imagine figuratur,quamq; in se tãdiu retinet,donec alio rursus superimmisso signaculo reformetur: atq; ita fit,vt numquã in sua qualitate persistens,ad formam eorum,quæ imprimũtur,semper cõuertatur, ac trãseat:quin potiùs debet velut quoddam esse adamãtinum signatorium,vt inuiolabilẽ mens nostra figuram sui semper custodiẽs characteris,vniuersa, quæ incurrerint,sibi ad qualitatẽ sui status signet, atque trãsformet, ipsa verò insigniri nullis incursibus possit.]Et quidem(vt mihi videtur) non multùm in hoc à viro iusto postulatur,quem Dominus non tantùm adamãtino sigillo,quod perpolitũ est,& eo ipso minùs roboris habet,sed adamanti,qui necdum manui artificis cessit,& durissimo silici cõparauit.Ecce dedi faciem tuam,inquit,valentiorem faciebus earum,& frõtem tuam duriorem frontibus eorũ. Vt adamantem, & vt silicem dedi faciem tuam, ne timeas eos neque metuas à facie eorum,quia domus exasperãs est.]Si illi proteruia sunt duri, iustus vir durior est constãtia,quare non est cur timeat faciem suam eorum faciebus opponere,& fronte sua eorum frontibus occursare. Aspice, ô religiose,quanta hucusque magnalia perfecisti, quantas de infestissimo hoste victorias reportasti,& ne patiaris, vt inania tepidorum verba, qui non tam loqui quàm mussitare audent,tuam gloriam euacuent. An non à mũdo fugisti?an non diuitias,honores,& voluptates spreuisti? an non parentes,fratres,& cognatos,& amicos reliquisti? an non in multis teipsum vicisti,vt virtutem sectareris, & perfectionem comparares? & quare nunc non rebus,sed verbis,non armis,sed aere, non ratione,sed fatuitate,& insipiẽtia victus occumbes? Ipsa istorum persecutorum conscientia pro te est, quã si posses aspicere,manifestè videres, eam tuam virtutẽ timere,tuam puritatem suspicere, tuam obseruantiam honorare. Sicut enim si formosissimam puellam vilissimo, & fœtidissimo amictu contegeres, ipsa semper pulchra est,licèt nonnihil inuolucri vilitate fœdata, ita istorum malorum religiosorum consciẽtia,licèt innumeris imperfectionibus obuoluta,dum Dei imaginẽ seruat,semper virtutẽ, suum scilicet ornatum,honorat,& eam vbicũque sit,amore & beneuolẽtia prosequitur.Os illorum feruorem damnat,lingua circumspectionem cõdemnat,verba curam taxant proficiendi, at conscientiæ lux pro iustis & veris Dei seruis insurgit, & nescio quo pacto etiã apud ipsos maledicos,& obtrectatores, virtutẽ, quam proscindũt,tuetur,atque defendit. Si ipsimet, qui te exteriùs persequuntur, interiùs cogente conscientia te magni æstimãt,atque suscipiũt, quid eorũ flatũ trepidas,& ad inanes sermones expauescis?

Cassian. col.6.c.12. *Ezech. 3*

Si hoc non satis est, vt amator disciplinæ & perfectionis,opiniones & dicta tepidorum aspernetur, illud (vt mihi quidem videtur) abundè sufficiet, quòd illi,nisi sibimetipsis laqueum iniiciant:tandem debẽt quod damnãt,inquirere, & quod improbant, approbare.Si enim vnus aliquis certissimam viam,in amplissimam ciuitatem tendentem ingrederetur,& alij multi, à quibus rideretur, & subsannaretur,oppositam viam, in præcipitium euntem,ambularẽt, nullo negotio ille eorum irrisiones, & maledicta, contemneret, sciens quia post non multas horas, aut suam illi ignorantiam aduertent, & ad rectam viam remeabũt,aut in præceps acti,suæ teme-

titatis pœnas luent: Sic & feruidus religiosus, qui disciplinæ viam ingressus est, quã viri sancti & perfecti vixerunt, & per quam ad regnum cœlorum peruenerunt, nullius momenti putat imperfectorũ detractiones, quos errare & delirare cognoscit: Nã illi, si non semper desipiant, ad viã feruoris redibũt, & disciplinæ cultorem laudabunt, aut in malo perseuerantes, in fine vitæ inanem fuisse suam præsumptionem, & Deo inuisas suas irrisiones manifestè comperient. De his dicitur per Salomonem: Qui relinquunt iter rectum, & ambulant per vias tenebrosas: quorũ viæ peruersæ sunt, & infames gressus eorum.] Verè ita est: iter rectum deserunt, quia patrum suorum vitam non sequũtur. Hi enim erãt humiles, illi superbi patres itinera iustitiæ & propriæ abnegationis ambulabãt, & filij professione, & nomine, sed conuersatione inimici lubricas propriæ voluntatis semitas ingrediũtur. Vias etiam tenebrosas frequẽtãt, quoniam quid obscurius & tetrius, quã in statu virtutis nõ solùm virtutem non quærere, nec possidere, sed etiã eam persequi, & procaci ore damnare? Illorum viæ peruersæ sunt, quia contra naturalem gressum hominis retrorsum abeũt, & quotidie magis à termino viæ, scilicet à perfectione, discedunt. Sunt etiam infames gressus eorum, quos viri sapientes arguunt, & eos errare & Deo minùs fideles esse fatentur. Si hi iustorũ exemplis moniti, Prælatorum adhortationibus instructi, & seniorum increpationibus percussi, nolunt viam infamem & tenebrosam deserere, quæ eos in seuerissimũ Dei iudicium ducit, vide tu quid facias, & ne ob illorũ dicta ineptissima relinquas cœlorũ rectissimã viam à Deo edoctam, & sanctorum actionibus approbatã: Ne delecteris igitur in semitis impiorũ, nec tibi placeat malorum via. Fuge ab ea, nec trãseas per illam, declina, & desere eam, quia valde ignominiosum erit verbis insipiẽtium à recto diuelli, & quia illi perstrepũt, & sapientes ridẽt, eorum actus imitari. Si fortè inter illos viuendum est, & ipsorum consortium nõ vales effugere, ac imitationem fuge, & ne te eorũ inuerecundia delectet. Fac quod sanctus Tobias, de quo legimus: Cùm irent omnes ad vitulos aureos, quos Ieroboam fecerat rex Israël, hic solus fugiebat consortia omnium: sed pergebat in Ierusalem ad templum Domini, & ibi adorabat Dominum Deum Israël.] Sic & tu fuge consortia imperfectorum, ita vt ludẽtibus illis, & iura disciplinæ frangentibus, tu solus ores, & teipsum gratissimum Deo holocaustũ immoles. Id enim est de mundo exiisse; non vitam istam mortalem deseruisse sed mores mundanorum, & vecordium abdicasse. Ascendente Eliseo in Bethel, pueri parui occurrerunt ei, qui irridebant eum, & illudebant ipsi, dicentes: Ascende calue, ascẽde calue, quos à sancto Propheta maledictos duo vrsi, egressi de saltu, lacerarunt.] Hæc imago est huius rei, quam modò tractamus. Quis est enim Eliseus ascẽdẽs in Bethel, nisi amator sanctitatis, qui ordinatis virtutum gressibus, in domum Dei, nempe in perfectionem, ascendit. Et qui sunt pueri paruuli, nisi insipiẽtes religiosi, qui corda puerorum habẽt, & sub virorum habitu, stultitiam, & insipientiam puerorum abscõdũt? Qui vt hãc stultitiam manifestẽt, virum disciplinæ amatorem, propterea quòd caluus est, id est, rerũ superfluarum, & affectuum terrenorũ vacuus, & quia ascendit in perfectionem, irrident. Sed debita vltione mulctatur, quoniam duo vrsi eos, alter inuidiæ, alter maleuolentiæ, dilacerant, & eorum robur, si quod habebant, quotidie magis magisque consumunt.

Prou. 2.

Prou. 4

Tob 1.

4 Reg. 2.

Tepidorum ergo opinionibus dictisque contemptis, tu, ô religiose, viam perfectionis, quam rectã & Deo placitam esse cognoscis, diligenter arripito. Omnium regularum ac statutorum exactissimam custodiam ama, silentium serua, obedientiam custodi, vana colloquia fuge, negotia sæcularia desere, teipsum, & omnia mundana contemne, orationi incumbe, sanctæ lectioni te trade, &, vt summatim dicam, in omnibus rectè te gere, & more virorum spiritualium & perfectorum viue. Quòd si in aliqua religiosa domo solus fueris, (quod minimè possum credere) aut paucos tui propositi socios habueris, ne timeas de singularitate notari. Multi enim, licèt non tantam districtionem imitentur, te tamen laudabunt, si autem vnus, aut pauci te irriserint, & fatuum, aut singularem dixerint, ne turberis, quia illi ipsi sunt fatui, qui, quod bonum est, damnant, & ipsi singulares, qui sanctissimum viuendi modum, à patribus approbatum, eneruant. Hæc autem vita tua est sancta singularitas, quæ suam professionem seruat, & se à multitudine insipientium elongat. In quam sententiam Sanctus Bonauentura ait: Quòd si timet aliquis de singularitate notari, & ob hoc aliis fieri odiosus, sciat, quòd nullus sanctorum singularis gloriæ factus est in cœlo, nisi qui inter homines positus studuit esse in sanctitate vitæ singularis, quod tamen de singularitate virtutum dico, non tantùm de cæremonialibus obseruantiis, paruam aut nullam habentibus vtilitatem virtutis.] Est itaque duplex singularitas, altera, qua quis à cœtu bonorum se separat, & singularia, & minùs congrua suo statui studia præsumit, & saltem ipso opere alios non facientes talia, contemnit. Hæc fugienda est (vt infrà dicemus) tamquam filia superbiæ, & mater multorum vitiorum, atque omnimodis ableganda. Altera, qua iustus à consortio & imitatione iniquorum aut imperfectorum se segregat, vt diuinam legem perfectiùs obseruet, & disciplinam religiosam cautiùs diligentiúsque custodiat. Hæc autem non fugienda, sed sectanda est, vt patientiæ filia, & feruoris, ac virtutum mater charissima, quam omnes sancti & perfecti viri, vt sociam amantissimam adamarunt. Si enim singulares vita & conuersatione non fuissent, & communem viuendi modum non essent supergressi, numquam ad tantam sanctitatem euolassent. Dicat proinde sanctitatis cupidus, quod in persona capitis dictum est. Cadent in retiaculo eius peccatores: singulariter sum ego donec transeam.] Nam si illi, qui peccata, aut imperfectiones, & relaxationes disciplinæ non timent, in retia diaboli incidunt, quidam vt graui peccato pereant, quidam verò vt affectuum perturbationibus illudantur, ego tamen singularis ero ea singularitate discreta, quæ à periculis cadendi me sequestrat, vt secundùm quod hæc vita mortalis fert, tutus & securus incedam. Id quidem reprehensibile non est, quoniam huius singularitatis Dominus ipse est auctor, & institutor. Nã & in alio loco dicit idem Propheta: Quoniam tu Domine singulariter in spe constituisti me.] Si autem Dominus hominem singularem constituit, ita scilicet, vt vulgus tepidorum fugiat, (quia etiam inter bonos sunt vulgares homines, qui non sapientia, sed furore reguntur) & per hanc vitæ singularitatem, spe cœlestis patriæ assequendæ confirmat, nullus erit, qui iure hanc singularitatem arguat, & mores imperfectorum fugientem reprehendat.

Bonau. de informat. nouit. 1. p. c. 3.

Psa. 140.

Psal. 4.

***

Viri spirituales diligendi, & ad frequens colloquium quærendi.

CAPVT XXII.

HOMO talis naturæ est, vt inter bonos virtute proficiat, & inter malos peccato malitiæque succumbat, & eam, aut boni aut mali formam induat, quam bonorũ, vel malorum, quibuscum cõuersatur, vita prætulerit. Quod enim de Domino secundum quemdam subtiliorem intellectũ propheta regius effatus est, potest rudiori sensu, sed verissimo, de homine etiam intelligi: Cum sancto sanctus eris, & cum viro innocente innocens eris: Et cum electo electus eris: & cũ peruerso peruerteris.] Nam & sociorũ innocentia, nisi magna sit nostra peruersitas, ad sui nos amorem & imitationem allicit, & eorundem iniquitas, nisi eximia sit nostra virtus, & quæ possit malis exẽplis resistere, nos quoque ad sui dilectionem & sequelam impellit. Estq; in hominibus mirabilis corporum animorumque cõformitas: vt sicut corpora sereno aëre, & clementi cœlo bene valẽti, aëre verò insalubri, & malignis cœlorũ aspectibus mille morbos, & ægritudines contrahunt: ita & humanus animus bonorum cõuictu, quasi sereno aëre, & benigno astrorum aspectu circundatus, virtute pollet, at malorum conuersatione quasi malignis superiorum corporum influxibus, vitiorum ac iniquitatum tabe percutitur. Et sicut corpora fluida figuram vasis, in quod mittũtur, accipiunt, & si illud quadratum sit, quadrata videntur, si verò rotundum, rotunditate formantur, sic humana mens soliditate carens, de qua dictum est, spiritus vadens & non rediens,] aliorum cõuersatione velut à vase suscepta, eius formam & qualitatem admittit. Si hoc ita est, religiosus, qui sublimitati professionis suæ respõdere cupit, & mentis puritatem exoptat, non solùm tepidorum & imperfectorum opiniones contemnat, verùm etiam eorum conuersationem familiarem fugiat, & viros spirituales ac spiritu feruẽtes diligat, in eorum se moderatam amicitiam insinuet, & ipsorum colloquia, & adhortationes libenter admittat.

Psal. 17.

Psal. 77.

Imperfectorũ (eorum scilicet, qui sua vitia amãt, & excusant, & nulla ratione emendant) familiaritas omnimodis fugienda est, & tamquam pestis mentẽ inficiens detestanda. Quoniam, vt inquit Hieronymus, procliuis est malorum æmulatio, & quorũ virtutes assequi nequeas, citò imitaris vitia.] Quòd si vitiũ eius, qui aliquas virtutes habet, nobis exitiosum est, & illis quasi ad nos non pertinentibus (oculos in vitia coniicimus, & ea, ac si essent vtilia retinemus, quàm noxia erunt vitia illius, qui eliminatis virtutibus, magistrum se imperfectionum & libertatũ facit, &, vt à beatitudine fugeret, in cathedra pestilẽtię consedit? Petrus positus inter Apostolos Christũ illustrissima attestatione confessus est: Tu es Christus, dixit, filius Dei viui:] At idem iam perfectior factus, & ad maiora dona subuectus, inter milites palatij cõstitutus, Christum negat, & se non nosse factorem suum iuramento & maledictione confirmat. Quis hæc audiens non timeat consortia malorum? Nam si columna Ecclesiæ, imò & petra illa, cui tota spiritualis ædificatio subnixa est, vento irruente è regione deserti contremuit, parum est hoc, quia malorum curiosis interrogationib⁹ perculsa cecidit, quare nos inter malos præsumemus stare, qui sumus instabiles & arido folio leuiores? An petra, malorum verbis impulsa cadet, & stipula imperfectorũ exemplis impulsa non cadet? Aut fortè impotentius erit exemplum ad illidendum infirmum, quàm fuit verbum ad

Hieron. epist. 7. ad Lætam. c. 3. ad medium.

Matt. 16.

Matt. 26.

A vincendum robustissimum? Si ergo Petrus, vt se erigeret, & ad perditam gratiã rediret, impiam turbam detestatus est, nos ab eo salutis viam perdiscentes, multitudinem imperfectorum, & tepidorum fugiamus, vt ab impuritate nostra ad optatam sanctitatẽ festinemus: Cum multis, inquit Laurentius Iustinianus, amicitia custodienda est: moderata autem conuersatio cum solis Deum timẽtibus, & virtuosè viuentibus habenda est. Qui enim cũ dyscolis cõuersari voluerit, proculdubio fiet eorum similis. Multorum námque, & specialiter obtrectantium, & impudicorum aspernanda sunt consortia, quia inficiũt sibi adhærentium animos. Secũ etenim gerunt letale venenum, & simplicium animas valido perditionis mucrone confodiunt Semper huiusmodi discurrũt, B semper similium sibi consortia quęritant: in angulis, in latibulis silentij tempore, vt plurimùm confabulari appetunt, & absentium vitam lacerare non desinunt: & tamquam ipsis nõ sufficiat propria perditio, alios secum damnare conantur.] Quis talium hominum familiaritatẽ nõ timeat, qui quasi viperæ suarum imperfectionum virus infundunt, & innocentium vitam vitiorum, quibus subiecti sunt, imitatione commaculant? Inobediens sinistram Prælatorum opinionem instillat, & miseros familiares suos ad libertatem, ad propriam voluntatem, ad otiositatem pertrahit, ac proprio arbitrio, & non secũdùm superioris præscriptum in omnibus procedẽdum docet. Superbus cõtemptum aliorum fratrum infundit, & illos insipientes, & talentorum naturalium vacuos C vocat, & se audientes ad arrogantiam, ad ambitionem, ad superbiam instigat. Atque eodẽ modo omnes alij fœditate vitiorum infecti, alios sodales, nisi seipsos fuga defendant, & à vitiosorum familiaritate se subtrahant, his, quibus subiacent malis inficiũt. Hoc est quod Ecclesiasticus ait: Quis miserebitur incantatori à serpẽte percusso, & omnibus qui appropiant bestiis?] & sic qui comitatur cum viro iniquo, & obuolutus est in peccatis eius: Nã sicut nemo misericordia mouetur super incantatore, qui sponte ad serpentem accessit, à quo percussus est? neque super eo, qui sciẽs, & volẽs appropinquat feræ, à qua morsum, aut vulnus accepit, ita non est commiseratione dignus, qui in societate malorũ seipsum insinuat, & D cum illis in peccatorum fœditate communicat. Putrescentia, & mortua corporis membra, viuentes, & sanas corporis partes corruptione sua paulatim inficiunt, & eadem tabe & fœtore cõsumunt, ita segnes congregationis fratres, sua segnitie & vęcordia alios suum conuersantes contaminant, nisi ab ipsorum se familiaritate seiungãt. Nónne animus est instar domus, quam Domino virtutibus præparamus? fugiat itaque ignem prauæ cõsuetudinis cum tepido initæ, ne vorax eius flamma demum adurat. Nónne est instar ceræ, quæ imagine accedente formatur? timeat ergo amicitiam tepidorum, ne suam illi formam insculpant. Ac tãdem si lutum, farinam, & acetum, vinum corrumpit, non minùs imperfecti & tepidi, virtutis amatores inquinãt, & sua familiaritate peruer- E tunt. Si ergo cum illis in vna eadémque domo viuendum est, at cautè & prudenter ab eorum cõuersatione, & multò magis à moribus discedẽdum, quia, vt inquit Hugo, qui cum peioribus cõuersari appetit, satis se esse vita deprauatum ostendit.

Iustinia. lib. de discip. & perfect. monast. conuer. c. 2.

Eccl. 12.

Hugo de institut. nouit. c. 5.

Solerter ergo inquiramus, qui in cœnobio, aut in collegio virorum spiritualium opinionem habeant, qui vitam faciant huic opinioni conformem: qui sint orationis, silentij, & virtutis amatores, qui regulę, & instituti sectatores, & istos diligamus, istos honoremus, & cũ per disciplinã religiosam licet, cũ

1. Reg. 10. & 19. eis colloquia misceamus. Saul quidē primùm rudis, & postea iniquus, positus inter prophetas, & ipse prophetat, & fit cœlestis spiritus particeps, nam boni non tantùm ruditatem ad se accedentis superāt, verùm & improbitatem euincūt: Sic & nos, si virorum spiritualium consuetudinem quæsierimus, & eorum monitis aurem præbuerimus, facili negotio mutabimur, &, si fuerimus rudes, efficiemur rerum cœlestium periti; si improbi, efficiemur boni, & cum his, qui ore & opere Deum laudant, erimus etiam sermone & vita Domini laudatores. Paupercula *Ruth. 2.* Ruth de consilio socrus suæ, Booz seruis adhærens, nec mendicitatem, nec famem sentit, adeò vt secū ferat, vnde socrui prouideat. Nam sedit ad messorū latus, & congessit polentam sibi, comeditque, & saturata est, & tulit reliquias.] Quænā est ista Ruth, nisi anima virtutis auida, quam Dominus eodē cibo, quē desiderabat, exsatiat? Et quis Boez, nisi Christus, qui pallium protectionis suæ super Ecclesiam expandit, & eam donorum suorum copia cooperit? Et qui messores, nisi esurientes iustitiam, qui virtutum manipulos colligūt, quos in horrea cordium inferant, & in tempus necessitatis recōdāt? His adhærendum est nobis, & ad eorum latus sedendū, si volumus verbo ædificationis tamquam pane famem depellere, & eorū imitatione saturari, & doctrinam, vnde animæ senescenti, id est, in bona cōuersatione nutanti prouideamus, acquirere. Quanta verò sit in conuersatione bonorum vtilitas, & quàm magnum in conuictu malorum periculum, Basilius filium spi-*Basil. ad monit. ad filium spiritualem.* ritualem monens, egregia & luculenta oratione demōstrat. Perfectorum virorū, inquit, consortio fruere, & contubernio abstinētiū delectetur anima tua, & à colloquiis eorum, ne auertas aurem tuā, verba enim vitæ sunt verba eorum, & incolumitas animæ iis, qui ea libenter attendunt. Sicut enim sol oriens effugat caliginem, ita sanctorum doctrina à sensibus tuis expellit tenebras. Talium virorū, quæso, ne deuites cōsortia, vt eorum monitionibus mēs tua erigatur ad cœlum, & fluxam sæculi gloriā pro nihilo possis despicere, & virtutes animæ hauriēt sēsus tui. Deuita viros, quos erga mādata Dei vides negligentes, quia mortui sunt virtutibus, & videntur viuere passionibus, quia lætantur in propriis voluntatibus, & gaudio carent diuino. Cum huiusmodi viris nec sit tibi vlla cōmixtio, nec velis cum eis sermocinari assiduè, nisi poteris solummodo ab erroris itinere reuocare eos. Cæterùm si non vales, deuita vt publicum hostem, sæpè enim per vnam ouem morbidam grex totus polluitur, & modica pars fellis magnam dulcedinem in amaritudinem vertit.] Et aperit sanè eleganter, quantùm damnum ex assiduo colloquio cum tepidis, & quāta vtilitas ex bonorū allocutione proueniat. Nam sicut ouis scabie laborās nō aduertentibus, nec timentibus aliis, eodē eas morbo coinquinat: ita vnus frater inordinatus, sēsim alios ad se accedētes imperfectionum cogitatione cōtaminat. At sicut sol nullo labore nostro, nos tenebris liberat, & luce ac calore perfundit, ita bonorū alloquia, quibus actus dæmonis explicant, virtutum naturā mōstrant, & ad viam spiritus adhortantur, nos desiderio perfectionis accēdūt, & vinculis tepiditatis exoluūt. *Prou. 13.* Vnde Salomon ait: Multi cibi in noualibus patrum: & aliis congregātur absque iudicio.] Prorsus ita est: noualia enim patrum sunt vitæ & alloquia iustorū, quæ cibis, id est, exemplis, & doctrinis virtutū abundant. Hi autem cibi congregātur sine iudicio, id est, sine labore his, qui iustis se adiungunt, & eorum vitam suscipiunt, & sermonem auscultant. Virtus nāque delicta & cōsiderata mouet, & sermo spiritualis

A libēter auditus, mentem desiderio virtutis inflāmat.

Expertus est hoc bonū beatissimus Pater Gregorius, qui ad apicem Pontificalis dignitatis euectus, diuina dispensatione factum existimat, vt multi sancti è suo monasterio fratres, eum ad palatiū sequerentur. Vt eorum semper exemplo, inquit, ad orationis placidum litus, quasi anchoræ fune restringerer, *Gregor. epist. ad Leād. c. 1 moraliū.* cùm causarū sæculariū incessabili impulsu fluctuarem. Ad illorum quippe consortium, velut ad tutissimi portus sinū post terreni actus volumina fluctusque fugiebam, & licèt illud me ministerium ex monasterio abstractum, à pristinæ quietis vita mucrone suæ occupationis extinxerat, inter eos tamē per studiosæ lectionis alloquium quotidianæ me aspiratio

B compunctionis animabat.] Expertus est etiam Bernardus sāctissimus, qui alicuius viri iusti aspectu, aut alloquio recreatus, naturalem cordis duritiam repellebat, & spiritus suauitatem & consolationē acceptabat. Frequenter ego ipse, ait, (quod fateri non *Bern. ser. 14. in Cant.* verecundor) maximéque in initio cōuersionis meæ, corde durus, & frigidus, & quærens, quem vellet diligere anima mea, nec adhuc enim diligere poterat, quem nōdum inuenerat, aut certè minùs quàm vellet, diligebat, & ob hoc quærebat vt magis diligeret quem nequaquam quæreret, nisi iam aliquatenus dilexisset. Cùm ergo eum quærerem, in quo recalesceret spiritus meus vtique torpens, & languens, nec vlla parte occurreret qui succurreret, per quem videlicet pruina rigens, quæ sensus stringebat inter-

C nos, dissolueretur, & vernalis illa suauitas ac spiritualis amœnitas reuerteretur: tunc magis ac magis languebat, & tædebat, & dormitabat anima mea præ tædio, tristis penè, & desperās, & mussitans secum illud: A facie frigoris eius quis sustinebit?] cùm subitò *Psa. 147.* fortè ad affatum, vel etiam aspectum cuiuspiam spiritualis perfectiq; viri, interdum & ad solam defuncti seu absentis memoriā flabat spiritus, & fluebant aquæ, & erant mihi lacrymæ illæ, panes die ac nocte. Quidnam istud, nisi odor exhalantis vnctionis, qua erat ille perfusus? Si tantùm potest apud sanctissimos viros spiritualium alloquutio virorum, quantò vtilior erit nobis, qui vt pauperes, & despecti, nihil aliud virtutis habemus, nisi quod ex aliorum doctri-

D na discimus, & quod ex bonorum imitatione decerpimus? Profectò sicut ceruus (vt fertur) venenum ex antris & speluncis halitu suo trahit, & illa mirabiliter purgat, ita spirituales viri ore suo, & verbis suis, audientium corda purificant, & ab eis peccatorum contagia depellunt. Et si tu, aut superbia tumes, aut inuidia cruciaris, aut indignatione discerperis, dum humilem, aut fratrum amatorem, aut māsuetum audis, & eius familiaritate vteris, miro modo à vitij labe, qua infectus eras, & à prauæ consuetudinis infirmitate purgaris. Verè fauus mellis cōposita verba.] *Prou. 19* id est, discretionis virtute condita. Nam sicut mel stomachi phlegmata purgat, & cibi appetitum excitat, ita conuersatio sanctorum, ad bona opera nos incitat, & improborum morum sordes expellit. Nec

E sola verba iustorum hæc possunt, verùm & simplex, ac humilis eorum aspectus. Quia si, vt inquit Hilarius, nonnullæ anes, & herbæ, visæ tantùm & cōspectæ, morbidos sanant, quid mirum si perfecti viri luminibus corporis mentisque conspecti, morbos spirituales depellant? Siquidem oratio eorum, velut suauis concentus est anium, qui nobis bona impetrando nos recreat, & ipsorum operatio est velut pulchritudo rosarum, & florum, quæ cordis anxietatem ablegat, & lætitia, ac gaudio corroborat.

Si tales sunt viri iusti, qui feruent spiritu, & vitā communem iustorum, minùs suam salutem curan-

tium

tium, superat, in magno pretio à nobis habēdi sunt, & semper mentis oculis obiiciendi, vt virtutes eorum tamquam gemmas pretiosas habere, & possidere curemus. Qui id ita faciunt iure optimo à Bernardo laudatur. Quantùm putas illos ego admiror, inquit, quantùm veneror in corde meo, quantùm amplector charitatis affectu, qui velut nesciētes eos, quos secum quotidie vident, vnum fortè aut duos, seu etiam plures, quos in maiore feruore spiritus viderint, sibi ex omnibus eligūt, & cùm ipsi fortè meliores sint, semper tamen illorum sibi præponunt, & proponunt, in Domino sancta studia, & exercitia corporalia, seu etiam spiritualia. Quanta autem sit huius considerationis vtilitas, idem sanctus pater cuiusdam fratris exemplo patefacit: qui semel post matutinas ita suum Abbatem allocutus est. Væ mihi pater, quia monachum in vigiliis vnum consideraui, in quo triginta virtutes numeraui, quarum ne vnam quidem in me inuenio.] Hæc fratrum meliorum, & feruidorum æstimatio faciet, vt eorum sanctam cōuersationem & familiaritatem quæramus, & tepidos ac sæculariter viuentes declinemus. Nam si mūdani homines cupiunt cum regibus, & nobilibus, & præcipuis viris amicitiam inire, qua se apud alios honorem comparare student, quidni familiaritatē, & colloquium virorum sanctorum cupiamus, quo non solùm honorem apud alios, sed etiam virtutum thesauros, & perfectionis dignitatem adispicimur? Honor quidem nobis ex hac communicatione prouenit, sicut enim amicus stultorum similis efficietur,] vt ait Salomon, ita qui cum sapientibus graditur, sapiens erit, & sine dubio sapiens reputabitur. Et dignitas quoque perfectionis accedet. Quoniam (vt nunc similitudine beati Dorothei vtar ab ipso ad aliud propositum adducta) sicut in palatio regis sunt magni & splendidi magistratus, & duces, & comites, & alij generis claritate illustrissimi; sunt etiam alij communes homines, qui in minoribus obsequiis regi famulantur, & hi solent paulatim ascendere, & ad magnorum dignitatem adimitti: ita etiam in palatio summi Regis Christi, hoc est, in religione viuimus, & magnorum, nimirum perfectorum, & feruidorum familiaritatem ambimus, & cōuersationem amamus, sensim ad eorum dignitatem ascēdimus, & vitæ ipsorum sanctitatem imitamur.] Hi ergo diligendi sunt, hi ab improborum obtrectationibus protegendi, hi apud nos maximi reputandi, hi denique ad familiaritatem quærendi, & libenter audiendi, quorum sermo nos doceat, quorum vita nos corrigat, & quorum nos oratio defendat. Audiamus illos, vt virtutis magistros, & ne occasio eos auscultandi deficiat, inutilia imperfectorum colloquia prudenter vitemus. Corrigamur eorum vita, & vt hæc nos ad suam imitationem trahat, mores tepidorum aspernemur. Et efflagitemus eorundem orationem, quæ impetret nobis gratiam ad sequendum eos, quos Dei amicos & filios aspicimus, & nobis meliores & perfectiores aduertimus.

Bern. ser. de altitudine & bassitudine cordis.

Prov. 13.

Doroth. doct. 23

Perfectorum mores à religioso sequendi.

CAPVT XXIII.

Amor, quo viros sanctos & spirituales diligimus, & laus, qua illos prosequimur, & modestia, qua eorū sermones audimus, studio eos sequendi perficitur, & labore imitādi completur. Qui enim auditor est verbi, & non factor, inquit Iacobus

Iacob. 1.

A Apostolos, hic comparabitur viro consideranti vultum natiuitatis suæ in speculo: considerauit enim se & abiit, & statim oblitus est qualis fuerit.] Nam si quis in speculo suam faciem spectet, & nec sordida lauet, nec turpia corrigat, nec incōposita debita sedulitate componat, is abutitur speculo, nec aliquam vtilitatem ex sui aspectu & meditatione consequitur: ita qui virorum spiritualium doctrinam aure solùm excipit, neque ea suam vitam, & mores informat, doctrina quidem abutitur, in qua suas maculas veluti in speculo, erroresque conspexit, & virtutis pulchritudine, cuius causa verbum prolatum est, minimè decoratur. Similis est ei, qui vestes pretiosas, & pulchrum ornatum aliorum laudat, & similibus indumentis suam nuditatem operire non curat. Audit
B quippe virtutum decorem, & indumētorum animæ splendorem verbis exaggerat, & sua mēdicitate cōtentus fulgēre similibus vestibus non affectat. Hos ad imitationem eorum quæ audiunt & laudāt, magnus Gregorius grauissimis verbis hortatur. Admonendi sunt beneuoli, inquit, vt sic alienis bonis cōgaudeāt, quatenus habere & propria cōcupiscant. Sic proximorum facta diligendo laudent, vt ea etiā imitando multiplicent: ne si in hoc præsentis vitæ stadio ad certamen alienum deuoti fautores, sed pigri spectatores assistant, eo post certamen sine brauio remaneant, quò nunc in certamine non laborāt, & tunc eorum palmas afflicti respiciant, in quorum nunc laboribus otiosi perdurant. Valde quippe peccamus, si aliena bene gesta non diligimus. Sed nihil mercedis agimus, si ea, quæ diligimus, in quantum
C possumus, non imitamur. Qui & alio loco multa in idem argumentū accumulat. Libri nàmq, in Apocalypsi vocantur vitæ iustorum: Et libri aperti sunt,] quoniam in illis legimus, non tātùm quod sciamus, sed quod opere complere & imitari debeamus. Et vbera sponsæ, quæ populos Ecclesiæ designāt, comparantur duobus hinnulis capreæ, gemellis, qui pascuntur in liliis, id est, in vitis, & exemplis perfectorū, quos moribus sequi est inter lilia spirituales cibos manducare. Ezechieli quoque præcipitur: Fili hominis ostende domui Israël templum, vt confundantur ab iniquitatibus suis, & metiantur fabricam, & erubescant ex omnibus, quæ fecerunt.] Templum etenim est vita perfectorum, quæ tunc aliis ostenditur, cùm, vt eam imitētur, in exemplum proponitur.
D Quam qui nō attingit, de culpa suæ tepiditatis erubescit, secundùm illud Iob. Respiciet homines, eos scilicet, qui nō more bestiarum, sed more hominum suam vitam instituunt, & dicet, peccaui, & verè deliqui, & vt eram dignus non recepi.] Si Dominus nobis viros sanctos, atque perfectos mittit, vt eos imitemur, amor erga ipsos, & doctrinę eorum exceptio, non propter seipsam expetenda est, sed ad virtutis ipsorum imitationem ordinanda. Nam sicut verba propter res instituta sunt, ita doctrina virtutis auditur, non tantùm vt audiatur, vel vt sciatur, sed vt opere compleatur. Quam audiens, & actioni non accommodans, doctrinam quidem mutilam recipit, eo ipso quòd non ei operationis fructu respondet.

E Ac proinde id nunc ab amatoribus virtutis, & sāctitatis exigimus, cuius causa vitam religiosam elegerunt, & ad bonorum consortium euolarūt. Quod nō est aliud, (si Theodoreto credimus) nisi mutua nō tam verborum quàm exemplorum instructio, & sedula virtutis aliorum imitatio. Refert enim ipse, Publium virū sanctissimū, à discipulis rogatum, vt cœnobium illis extrueret, eorum probasse consiliū. Domo autē ædificata præcepisse illis, vt simul viuerēt, & se inuicē ad bonū incitarēt, & vnus ex alio exem-

Greg. 3. p. pasto. ad monit. 11.

Idem 24. mor. c. 6. & 7.

Apoc. 20.

Cant. 4.

Ezech. 14

Iob 33.

Theodo. hist. sanct. in Publio.

plum virtutis acciperet. Nã quomodo in foris ciuitatum, inquit, alius quidem vendit panes, alius verò olera, alius habet vestes venales, alius est opifex calceorum, à se autem inuicẽ id, quo opus habent, comparantes vitã agunt iucundiorem: qui dat enim vestem, pro ea accipit calceos: qui autem emit olus, vẽdit panem. Ita nos opottet inuicẽ permutare virtutis partes pretiosissimas.] Si ad hoc cœnobia sunt instituta, debemus nos, qui vitam religiosam nõ in solitudine, sed in cœnobio, & cõgregatione multorum amplexi sumus, ad similitudinem canũ, qui venationi deseruiũt, perfectiorũ virtutes odorari, & eas insequi, quousque in nostrum eas vsũ vẽdicemus. Ex isto fratre discamus humilitatem, ex illo obedientiã ex alio fraternã charitatem, ex alio orationis instantiam, ex alio, mãsuetudinem: nullámque virtutem in fratribus eiusdem propositi videamus, quam non tota mentis contentione imitari curemus. Et sicut virguncula hortulum rosarum, & florum ingrediens ex isto quidem frutice vnum colligit florem, & ex illo alium, & ex aliis rosas floresque decerpit, vt sibi sertum faciat, capútque coronet, ita anima spõsa Christi hortulum sanctæ religionis ingressa, ex vno fratre lilium castitatis, ex alio violam humilitatis, ex alio rosam dilectionis, & ex aliis alios virtutum lectissimos flores decerpat, ex quibus sibi pulchrũ sertum perfectionis efficiat. Dum enim perfectorum virtutes imitatur, Christo se sponso suo, & sancto sanctorum assimilat. In ipsis siquidem, vt Hugo ait, similitudinis Dei forma expressa est, & idcirco cum eis per imitationem imprimimur, ad eiusdem similitudinis imaginem nos quoque figuramur.] Quid pulchrius, quàm Christi insignibus indui? quid sublimius quã Christi decore circumdari? quid vtilius, quàm Christi virtute formari? Sed hanc is assequitur, qui virtutibus perfectorum imbuitur. Hæ námque vestes sunt Christi, quas illi mutuò datas acceperunt, quas cùm imitamur, vestibus Christi valde bonis fulgemus, & velut quidam Christi in mundo apparentes efficimur. Ideo monet Ecclesiasticus: In partes vade sæculi sancti, cum viuis, & dantibus confessionem Deo. In partes quippe sæculi sancti transire, nihil aliud profectò est, nisi sanctorum, qui nos præcesserunt, virtutes addiscere: & cum viuis & Deum confitentibus demorari, est sanctorum præsentium virtutes adipisci, has autem, & illas possidere enitemur, vt Christo sponso animarum nostrarum poma noua, & vetera, id est, virtutes præteritorum sanctorum, & præsentium offeramus. Sancti quidem, qui nos præcesserunt, & in Domino dormierunt, sequendi sunt, vt Dominicus verbi gratia à suis filiis, & Frãciscus à suis, & Ignatius à suis sociis ante oculos mẽtis ponẽdus, & quo ad fieri poterit, in omnibus imitãdus, quoniam ili sunt velut abundãtissimi virtutum thesauri, in quibus facile erit quod imitemur inspicere, &, quo ditescamus, accipere. Hoc autem erit, cum sancto Iob sepulchrum effodere, & de thesauri absconditi inuentione gaudere. Nam, vt inquit Gregorius, qui thesaurum quærit, gaudet cùm sepulchrum inuenerit; quia sapientiam perquirentes, cùm sacræ Scripturæ paginas voluimus, cùm exempla præcedentium patrum perscrutamur, quasi ex sepulchro gaudium sumimus, & mentis diuitias apud mortuos inuenimus, quia qui huic mundo perfectè extincti sunt, in occulto cum diuitiis requiescunt. Sepulchro ergo diues efficitur, qui per exẽpla iustorum, in contemplationis virtute subleuatur.] Sancti etiam & perfecti viri, quibuscum viuimus, in exemplum admittendi, quia licèt diuina bonitas possit nos per seipsam erudire, tamẽ nostræ imbecillitati se sapiẽter

Hugo. in stitut. nouit. c. 5.

Eccl. 17.

Iob. 3.

Greg. 5. mor. c. 6.

A accommodans, non tantùm verbis & inspirationibus internis, sed etiam perfectorum exẽplis vult ad perfectionem incitare. Qui verò ista, vt sequatur, nõ respicit, quasi aures mẽtis diuinis sermonibus claudit. Vita enim perfecti viri sermo Dei est, & quidem satis apertus, quo veram virtutem pandit, & perfectionis semitas ante oculos ponit. Ex his autem duobus ex imitatione scilicet priorum, & ex imitatione præsentium, vestis animæ nostræ texenda est, qua mirabili honore circundamur. Nam hæc vestis indumentum est regis nostri Christi Iesu, quod ille primus infinita pulchritudine splendidum induit, & postea tamquam vestem patris, charissimis filiis, id est sanctis & perfectis, accommodauit, & demum ex B filiis, ad nos seruos transtulit, & illa in oculis suis pulchros, & amabiles, & in oculis sanctorum & Angelorum honorabiles fecit.

Sed hæc referamus ad praxim, & dicamus quonã modo vestẽ istam induemus, & sanctorum tũ præcedẽtium, tum præsentium virtutes imitabimur. Ad id quidẽ illud primùm cõferet, si imitationem istam magni momenti existimemus, ex qua non minimus profectus spiritualis vitæ dependet. Sicut enim medicorum discipuli primò in scholis artem medendi corporibus humanis addiscunt, & postea probatissimis medicis per aliquot annos se adiungunt, vt quæ mente conceperũt, sciant in opus educere, & ad vtilitatẽ ægrotorum accõmodare: ita qui aut auditione C sanctorum verborũ, aut lectione librorũ spiritualiũ doctrinam virtutis quasi speculãdo cognouimus, hu militer debemus per imitationẽ nos viris sanctis adiũgere, vt cognita in actione proferre, & opere præstare discamus. Neque idem est virtute scire, & virtutẽ exercere: & sciẽtia quidẽ, auditione, & lectione, & cõsideratione comparatur, sed exercitatio virtutis sanctorum & perfectorum imitatione conquiritur Quos cùm Dominus à cœtu religiosorũ tollit, magna profectò eos castigatione percellit. Quã ob peccata nostra se per Isaiã nobis illaturũ promittit, dicẽs: Auferã à Ierusalem, & à Iuda validũ, & fortem: omne robur panis, & omne robur aquę, fortẽ, & virũ bellatorẽ, iudicem prophetã, & ariolum, & senem Principem super quinquaginta & honorabilẽ vultu D & cõsiliarium, & sapientẽ de architectis, & prudentẽ eloquij mystici.] Tu ista omnia nomina dignitatis cõsidera, & videbis perfectis viris optimè cõuenire. Ipsi nãq; sunt validi aduersus dæmones, & fortes aduersus seipsos: quorum vita robur est panis, & robur aquæ, quæ nutantes cõfirmat, & desolatos refrigerat. Ipsi fortes, qui mundũ expugnãt, & viri bellatores, qui deprauatos affectus deuincũt, & iudices qui sua omnia diiudicãt. Ipsi Prophetæ, quodãmodo qui occulta cognoscũt, arioli, qui ventura cõiectant. & senes qui rerum experiẽtia refulgẽt. Ipsi aliorum principes, & vultu mentis honorabiles prudẽtissimi consiliarij, virtutis extruendæ periti, & qui possint, vt Hieronymus ait, singulas animi perturbationes sua sanare doctrina.] Si tãtum malum est his carere per- E fectionis doctoribus, magni momẽti erit illos habere, & eorũ mores imitari. Postquã verò hãc perfectorum imitationẽ rem magnã & vitæ spirituali apprimè vtilem esse nouerimus, tũc à nobis quærẽdi sunt, quos cum fructu & fine periculo imitemur. Neque enim omnes viri perfecti imitandi sunt, sed illi, qui nobis eodẽ proposito ac vocatione iunguntur. Quia licèt charitas, aut humilitas, aut quælibet alia virtus vna sit, at iuxta vocationes diuersas, aliũ & aliũ procedendi modũ solet induere: quem etiã tenere oportet, si nolumus à nostra vocatione deuiare. Alia ratione solitarius (vt aliquo exẽplo vtar) charitatẽ fra-

Isaiæ 3.

Hieron. Ibi dem.

ternam

ternā exercet, alio modo ad animarū vtilitatē vocatus: quia ille, dum aut extrema, aut grauis necessitas nō vrget, legibus charitatis, desideriis & orationes satisfacit: iste verò non satisfaciet, nisi cōmunibus necessitatibus subueniat, imò & nō vocatus se ingerat, & orationi ac desiderio prædicationis ministeriū, & alias Ecclesiasticas actiones adiungat. Vnde qui ad curam animarū vocatus, vellet virtutes solitariorū, quoad substāriam earum, & modum imitari, similis esset illi, qui vellet vestem sericam & subtilissimam eodem modo ac calceū assuere Sicut enim calceus, qui ex rudi corio cōficitur, alio filo, & alia ratione, quàm vestis serica assuendus est; ita humilitas, aut mansuetudo, aut charitas in altiori statu, aut periculosiori, diuersa ratione tractāda, ita scilicet, vt occasiones superbiæ, aut indignationis, aut inuidiæ, quas mitior status non habet, & ideò nō vincit, fortiter & potenter euincat. Diues, & cōiugatus, Abrahæ paupertatem, & Isaac castitatem imitetur, quorū ille diuitiis cor nō apposuit, & iste sua fuit vxore contentus. At quis putet, religiosum, & vitā cœlibem amplexum, his, aut similibus sanctis debere imitatione adhærere, qui si aliquid vt proprium possideat, voti fracti reus est, & si fœminæ vel leuem cogitationem admittat, manifestè delinquit? Iste ergo Frācisci paupertatem, & Dominici puritatem imitabitur, quorū ille nihil omninò habuit, & vilissima quæq; in vsum necessitatis accepit, & hæc eadem, si præsto nō essent, magna stabilitate contempsit: iste verò angelicam vitam è cœlis aduocans, & in terrā inuehens, corpore & mente, semper purissimus vixit.

Neq; etiam omnes nostri propositi, & nostræ vocationis imitandi sunt, quia multi illorū in inferiori gradu virtutis subsistunt, sed illi soli, qui ad culmen virtutis ascenderunt, & sunt planè in nostra vocatione perfecti: Frater minor non omnes suæ familiæ sibi imitandos proponat, quia aliquos fortassis inueniet magisterio virtutis indignos, sed imitabitur Franciscum, imitabitur Bernardinum, imitabitur Ægidium, & alios similes, quos diuina gratia non solùm bonos fecit, sed ad apicem sanctitatis prouexit. Prædicator similiter Dominicum, Thomā Aquinatem, aut Ianthum, aut alium quemlibet ex suæ religionis columnis sibi imitandum constituet, cuius sanctissimis vestigiis insistat. Iesuita Ignatium, Xauerium, Stanislaum, aut alium ex nostris similem oculis mentis obiiciet, quē habeat in omnibus virtutis exemplar: quem si è vicino sequatur, mirabiliter in virtute proficiet. Facilè autē documentū hoc ex Ecclesiastico eruemus, si tātisper à cortice literæ ad sensum absconditum deflectamus. Multi, ait, pacifici sint tibi & consiliarius sit tibi vnus de mille.] Pacifici enim nobis sunt illi, quos amamus, quibus bona volumus, cū quibus amicitiam inimus; & hi debent esse multi, imò & omnes, præcipuè nostræ vocationis fratres, quos debemus in Christo diligere, & charitatis visceribus amplexari. At consiliarius est ille, quo ad profectum mentis vtimur, cuius monitionibus erudimur, & quē nobis in exemplū virtutis proponimus; & hic sit oportet vnus de mille, id est, selectissimus, perfectissimus, cuius vita in perfectionis itinere calcaria nobis addat, & ad currendū, & festinādū impellat. Certè Cassianus ab vno tātùm, aut à paucissimis sumenda ait virtutis & perfectionis exēpla. Eius verba sūt. Ad quod (scilicet perfectionis fastigiū) vt valeas faciliùs peruenire, exēpla tibi sunt imitationis ac vitæ perfectæ, in congregatione cōmoranti, à paucis, imò ab vno vel duobus, nō à pluribus, expetenda. Nā præter id, quòd examinata vita, atque ad purum excocta reperitur in paucis, etiā istud ex hoc vtilitatis accedit, quod ad perfectionē propositi huius, id est, cœnobialis vitæ, diligentiùs quis vnius imbuitur, ac formatur exemplo.] Et habemus adhuc firmiorē non iā Cassiani, sed Spiritus sancti sermonem, quo prædicta confirmemus. Paulus enim se & pauculos alios suis vestigiis inhærentes Philippēsibus ad imitandū exhibet. Imitatores mei estote fratres, inquit, & obseruate eos, qui ita ambulāt, sicut habetis formam nostram.] Et Thessalonicenses laudat, quòd ipsum fuerint cōuersatione sequuti: Et vos imitatores nostri facti estis, & Domini, excipiētes verbum in tribulatione multa cū gaudio Spiritus sancti.] Rursus & Corinthios hortatur, Imitatores mei estote, sicut & ego Christi.] Spiritus sanctus loquebatur in eo, quem humillimum fecerat, quem ad humanæ vtilitatis cognitionem admiserat, & quem ita humilitate ditatum sine vllo ipsius Apostoli detrimēto in exemplum omnibus perfectionis exposuit. Vnus ergo, & ille præcipuus, aut paucissimi, & illi perfecti, & insignes viri imitandi sunt, & sicut humanas artes non à quoquam sed à peritissimo artis addiscimus, ita æquum est, vt virtutem & sanctitatem non à quoquam bono, sed à sanctissimis & perfectissimis addiscamus. Nā alij communes homines, licèt boni, nihil magnum nobis offerent, nihil sublime edocebunt, & eo, quod virtutis habent, multis imperfectionibus mistum, non multùm nos ad perfectionem adipiscendam iuuabunt. Ne despicias itaque narrationem presbyterorum sapientium, & in prouerbiis eorum conuersare; ab ipsis enim disces sapientiam, & doctrinam intellectus, & seruire magnatis sine querela.] Hi presbyteri non tam ætate quàm moribus perfecti sunt, quorum si narratio suscipienda est, multò magis vita & conuersatio imitanda. Ab illis discemus veram virtutis sapientiam, & quomodo sanctos sequi, & Deum in illis honorare debeamus.

At si non vnus tantùm perfectus vir, sed pauci à nobis imitandi sunt, tunc noster labor erit vtilior, cùm non à quocumque eorum vniuersas virtutes quæsierimus, sed vnam ab isto, qui in illa eminet, & aliā ab alio, qui ea reliquos antecellit, comparare curabimus. Quoniam enim diuersa sunt dona, & multimodæ gratiæ Dei, & varia iustorum ac perfectorum studia, inde prouenit, vt vnus in vno, & alius in alio genere virtutis emineat. Et cùm iste vehementiùs quàm alij quibusdam virtutis studiis inuigilet, in illis alios iustos superat, à quibus tamen in aliis studiosis actionibus, quibus impensiùs insistunt, euidenter exceditur. In vnoquoque ergo præcipuam, & magis sibi dilectam virtutem inspiciamus, & in illa ipsum imitemur, propositis menti nostræ perfectis insignibusque virtutibus, vna in ea (quantum fieri possit) pulcherrima imago perfectionis resultet. Ita à viris perfectionis studiosis faciendum esse magnus Antonius pronunciabat; quod & Ioannes Cassianus testatur his verbis. Vetus, inquit, est beati Antonij, admirabilisque sententia: monachum, qui post cœnobiale propositum fastigia nititur sublimioris perfectionis attingere, & apprehenso discretionis examine proprio iā potens est stare iudicio, atque ad arcem anachoreseôs peruenire, minimè debere ab vno quamuis summo, vniuersa genera virtutum expetere. Alius enim sciētiæ floribus exornatur, alter discretionis ratione robustiùs communitur, alter patientiæ grauitate fundatur, alius humilitatis, alius continentiæ virtute præfertur, alius simplicitatis gratia decoratur. Hic magnanimitatis, ille misericordiæ, iste vigiliarum, hic taciturnitatis, ille laboris studio cæteros supere-

Eccl. 6. — Cassi. lib. 4. de instit. c. 40. — Philip. 3. — 1. Thes. 1. — 1. Cor. 4. — Eccles. 8 — Cassia. lib. 4. de spiritu Castrimargia. c. 4.

minet. Et idcirco monachum spiritualia mella condere cupientem, velut apem prudentissimam debere vnamquamque virtutem, ab his qui eam familiariùs possident, deflorare, & in sui pectoris vase diligenter recondere, nec quid minus aliquis habeat discutere, sed hoc tantùm, quid virtutis habeat contemplari, studioséque decerpere. Cunctas namque si ab vno volumus mutuari, aut difficile, aut certè numquam idonea ad imitandum nobis exempla poterunt reperiri. Quia licèt necdum Christum omnia factum secundùm Apostolum videamus in omnibus,] tamen hoc modo possumus eum, id est, per partes in omnibus inuenire. De ipso enim dicitur: Qui factus est nobis ex Deo sapientia, iustitia, sanctitas, & redemptio.] Dum ergo in alio sapientia, in alio iustitia, in alio sanctitas, in alio mansuetudo, in alio castitas, in alio humilitas, in alio patientia repetitur, membratim Christus per vnumquemque nunc sanctorum diuisus est. Concurrentibus verò vniuersis in vnitatē fidei, ac virtutis, redditur in virum perfectum, plenitudinem sui corporis in singulorum membrorum compage, ac proprietate perficiens.] Sicut ergo pictor ille, qui voluit pulcherrimam Helenæ faciem effingere, nonnullas speciosissimas puellas sibi adduci poposcit, vt ex singulis, quod pulcherrimum, & mirabilissimum haberent, mutaret: ita anima, quæ non rei corruptibilis effigiem in tabula, sed perfectionis incorruptibilis imaginem in seipsa delineare contendit, viros perfectissimos seligat, ad quos respiciens, imaginem perfectionis, seu sanctitatis faciat, & non omnes virtutes ex vnoquoque eorum, sed istam ex isto, in qua excellens est, & ex illo aliam accipiat. Idem enim faciunt artifices, qui ad vsum magnæ reginæ, volunt ex gemmis, & lapidibus pretiosis aliquam vestem contexere: propositis namque in conspectu suo multis, variisque gazarum repositoriis, ex isto gemmulam clariùs lucentem, & ex illo smaragdum illustriùs emicantem, & ex alio carbunculum solis radiis se opponentem, & ex aliis meliores, & pretiosiores lapillos sumunt, quæ vestem illam exornent. Et tu, ô anima, regina es, quæ teipsam regis, quæ omnibus terrenis dominaris, quæ Imperatoris cœli, & terræ connubium affectas. Tibi autem ipsi, & non aliis incumbit teipsam ornare, & gloria, & honore circundare. Constitue ergo ante teipsam thesaurorum repositoria, animas scilicet sanctitate conspicuas. Ex ista accipe profundam humilitatem: ex illa purissimam castitatem: ex alia tranquillissimam mansuetudinem: & ex aliis perfectissimas alias virtutes decerpe, quibus ordinatum tibi pares, & vestem auro & gemmis pretiosiorem conficias. Hac veste contecta, & exornata, eris sine dubio Regi gratissima, qui suum in te decorem aspiciet, & cumulum suorum donorum agnoscet.

Coloss. 3. *1. Cor. 1.*

Electis autem his sanctis, atque perfectis, quos debeamus imitari, cor nostrum humilitate molliendum est, & proprio contemptu præparandum: vt possit in se facilè alienæ virtutis effigiem accipere. Nam si in corde nostro illis nos præponamus, & superbia mentis inflemur, nec non illos despiciamus, virtutum eorum inspectio non conferet ad exemplum, sed deseruiet ad ruinam. Vnde Hugo optimè ait: Sed sciendum est, quòd nisi cera priùs emollita fuerit, formam non recipit: Sic & homo quidem per manum actionis alienæ, ad formam virtutis non flectitur, nisi priùs per humilitatem, ab omni elationis & contradictionis rigore molliatur. Neque enim per exemplum alterius, aliquando in melius reformari poterit, qui adhuc per elationis vitium, & bona aliena oppugnat, & sua mala defendit. Necesse est ergo, vt si veraciter bonos imitari volumus, priùs per veram humilitatem, ad obedientiam corda nostra temperemus: quatenus vita nostra tanto citius ad nouitatem redeat, quanto promptiùs in omnem, quam viderit, virtutis speciem, per voluntariam obedientiam se inclinat: & tantò altiùs ei vestigiū alienæ bonitatis incipiat inhærere, quanto arctiùs studet bona aliorum imitari potius, quàm carpere.] Illa cordis humilitas est, quæ propria mala cognoscit, & propria bona non multùm aduertit, è contra verò aliena mala prudenter excusat, & bona ad imitationem libēter acceptat. Hæc est, quæ hominem ad id inclinat, vt se aliis minorem existimet. Nam si fortè in re aliqua, ait Bernardus, maior tibi fratre aliqua gratia collata videtur, sed in multis (si bonus æmulator fueris) indicare te poteris inferiorem. Quid enim si fortè laborare, aut ieiunare plus illo potes, & ille te patientia superat, præcedit humilitate, supereminet charitate?] Cùm itaque animæ humilis proprium sit, seipsam reliquis in omnibus verè subiicere, eam priùs sollicitè indue, & ad aliorum imitationem procedas. Quam si habueris, nulla erit congregatio, licèt paucorum, in qua non inuenias aliquos, aut saltem aliquem perfectum virum, in cuius imitationem incumbas. Sed siue præsentem, siue absentem, tibi in magistrum virtutis præfigas, respice illum, quàm sollicitus sit erga cultum Dei, quàm beneuolus erga vtilitatem proximi, & quàm rigidus erga seipsum. Diligenter attende, quam feruenter oret, quam diligenter psallat, quàm reuerenter & deuotè Agnum immaculatum in altari sacrificet. Considera, quàm sit silentij amator, quàm humilitatis sectator, quàm propriæ abnegationis obseruator, & quàm vniuersarum virtutum custos fidelissimus. Quæ autem in ipso videris, actione sequere, & ad tuam vitam transferre curato, vt sic tandem perfectus euadas. Quomodo pictores, ait Theodoretus, ad exemplar respicientes & oculos imitantur, & nasum, & os, & genas, & aures, & frontem, & ipsos capitis, & barbæ pilos, & ad hæc, & sessionem, & stationem: quin etiam ipsos oculorum intuitus, siue sint læti, & alacres, siue seueri, & truces: ita etiam oportet vnumquemque ex his, qui hæc scripta legunt, volentem vitam aliquam imitari, suam ad illam, quam eligit, componere: & quomodo fabri asseres rubrica dirigentes, eò vsque id, quod est superfluum, auferunt, donec apposita regula viderint asserē esse æqualem, ita etiam eum, qui velit vitam aliquam imitari, oportet seipsum ponere pro regula, & vitij resecare superflua, & virtutis replere ea quæ desunt.] His similitudinibus sanctus hic pater, optimè exponit, quomodo sancti sunt imitandi, & pro regula ad vitæ nostræ emendationem accipiendi.

Hugo. in institut. nouit. c. 7. *Ber. ser. de altitudine & bassit. cordis.* *Theodor. in historia sanctorū in vita Damian. 30.*

Et si vanitas interdum adolescentes, munus concionandi præripientes, adigit, vt non tam spiritum & rectitudinem intentionis magnorum concionatorum, quàm optimam pronunciationem, & gestus, & verba nimis affectare imitari conentur veritas te adigat, vt magnorum, & sanctorum virorum, non tantū virtutes præcipuas, sed & in loquendo modestiam, in aspiciēdo circumspectionem, & in ambulando grauitatem imiteris. Paulus quidē monachus columbinæ simplicitatis amator, ac magni Antonij discipulus, adeò tenaciter magistri vestigiis inhærebat, vt magistro orante, oraret ipse: genu flectente, genu flecteret: tussiente, tussiret: surgente, assurgeret: & quicquid Antonium facientem vidisset,

ipse absque vlla mora perficeret. Simplicitas hæc, & miranda, & laudanda est, (ad hoc enim aliqui non contemnendi scriptores eam literis consignarunt) & in aliquo etiam documento ædificationis imitanda. Vt scilicet sanctos viros non tantùm in maioribus virtutibus, verùm etiam in minoribus sequamur. Perfectio enim, quæ magnum Dei donum est, ex magnis virtutibus & ex minoribus coalescit; quare tam illæ quàm istæ imitandæ sunt à viro perfectionis cupido, vt si nec in magnis, neque in minimis à vera virtute discedat, diligens in omnibus sanctorum discipulus factus, apud homines, & apud Deum similis illis, id est sanctus & perfectus, existat.

Christus Saluator noster, quo ad fieri poterit, imitandus.

CAPVT XXIV.

SI ex riuulis bibendum est, cur non ex ipso limpidissimo fonte bibemus? si à discipulis addiscẽdum, cur nõ ab ipso magistro docebimur? Et si vtile est, sãctos, vita & conuersatione sequi, quãtò vtiliùs erit & fructuosius ipsum sanctum sanctorum, & absolutissimũ omnis virtutis exemplar imitari? Certè hoc documentum, quod modò explicãdum aggredimur, tanti momenti est, vt ipsum solùm, si bene & diligenter obseruetur, ad assequendam maximam perfectionem sufficiat. Imò vniuersi sancti; eò maiores aut minores fuerunt, quò diligentiùs aut segniùs, hoc (quod nunc dicemus) obseruarunt. Sicut enim illa lux maior est, quæ similior est Soli, & illa minor quæ magis à primo illo lumina ri distat: ita ille sanctus maior est, qui perfectiùs Christi vestigia sequitur, & ille minor, qui minùs perfectè eius virtutes imitatur. Christus profectò datus est nobis, nõ tantùm in Redemptorẽ, qui nos redimeret, in magistrum, qui nos edoceret, verùm etiam in exemplar, cuius vita nos ad omnem perfectionem instrueret. Quod & ipse, ad hoc etiam venisse, manifestè fatetur, dicens: Exemplum dedi vobis, vt quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis.] Et iterum: Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.] Ad quid etiam ille Rex summus, & verus filius Dei, ac sanctitatis, origo, qui ad infinitam sanctitatem, quam à momento suæ conceptionis habuit conseruandam, nullo prorsus medio indigebat, in stabulo nascitur, & pannis inuoluitur, & in præsepio collocatur, & octauo die circumciditur, & in Aegyptum fugit, & pauperem vitam ducit, famem & sitim sentit, frigore alget, molestia itinerum fatigatur, montem oraturus petit, pro panibus acceptis gratias agit, & patientissimè timorem, ignominias, opprobria, flagella, spinas, alapas, clauos, crucem, & mortem perfert? Ad quid, inquam, hæc? Numquid vt ipse proficeret, num vt virtute cresceret, qui semper immensus & infinitus fuit? Non, sed vt nobis exemplum præberet omnis iustitiæ, & exemplar vniuersarum virtutum se exhiberet. Christus passus est pro nobis, inquit Petrus Apostolus, nobis relinquens exemplũ, vt sequamur vestigia eius, qui peccatum non fecit, nec inuẽtus est dolus in ore eius. Qui cùm malediceretur, non maledicebat, dum pateretur, non comminabatur.] Paulus quoque: Per patientiam curramus

Ioan. 13. *Matt. 11.* *1. Petri 2.* *Hebr. 12.*

A ad propositum nobis certamen, aspicientes in auctorem fidei, & consummatorem Iesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione cõtempta.] Ad currendum enim duobus pedibus, quorum alter est bonum facere, alter verò malum patienter sustinere, aspiciendus est inchoator fidei, qui semina fidei, & omnis virtutis in nobis iecit, & consummator eiusdem fidei, qui quod incepit perfecit Christus Iesus, vt sicut ipse propter propositum sibi gaudium, redemptionis omnium sustinuit crucem, & cruciatus, mortemque contempsit: ita & nos propter gaudium æternum, quod speramus, imò & propter gaudium placendi Deo, quem vnicè amamus, (quod suprà quàm dici potest, eximium est) ad bona
B opera præstanda, & ad labores, & pressuras sustinendas festinemus. Est Saluator noster instar magnetis: nam sicut magnes non verbis, sed abscondita naturæ vi ferrum ad se trahit, & mirabili nexu coniungit: ita Christus non solùm docendo, vt magister, & faciendo, vt Redemptor, sed etiam operando, vt virtutis exemplar, corda nostra ferrea post se trahit, & sibi per veram imitationem venit. Quã sponsi proprietatem indicat sponsa, cùm ab sponso ad se trahi instanter efflagitat. Trahe me, inquit, post te curremus.] Trahe, inquam, ad modum magnetis, & virtute actionum tuarum me tibi actionibus virtutis assimila. Est denique statera illa, de qua Sanctus Iob ait: Appendat me in statera iusta: & sciat
C Deus simplicitatem meam:] quia tunc constat quãtæ virtutis sumus, cùm vitæ Saluatoris comparamur. Bene enim Gregorius ait: Quis verò stateræ nomine, nisi mediator Dei, & hominum designatur? In quo æqua lance omnia merita nostra pensãtur, & in cuius præceptis agnoscimus, quid in nostra vita minùs habeamus. In hac autem statera appendimur, quoties ad vitæ eius exempla prouocamur.] Et paulò post: Ad hoc Dominus apparuit in carne, vt humanam vitam admonendo excitaret, exempla præbẽdo accenderet, moriendo redimeret, resurgendo repararet.] Diuerso itaque modo Christus, & alij sancti nobis dati sunt, vt nos suo exemplo illuminent, & ad virtutis amorem accendãt. Isti
D vt stellæ, quæ à Redemptore nostro splendorem mutuantur, & si cum ipso conferantur, parum illuminant: Ille verò vt splendidissimus sol, positus in feruore diei, qui infinitam virtutis lucem emittit, & (quod ad se pertinet) minimas quoque tenebras imperfectionum dispellit, & in vnaquaque re, quod perfectissimum est, manifestissimè ostendit.

Hoc virtutis & sanctitatis exemplar præcipuè in omnibus inspiciendum est, vt ex ipso immensum meliùs, quàm ex aliis, quicquid est virtutis, addiscamus. Quod sanè & debitum, & necessarium & vtilissimum, & honorabilissimum esse, quisque manifestè perspiciet. Debitum quidem est, quoniam verbum patris carnem nostram sibi vniuit, &
E quod semel assumpsit, numquam deposuit, nec ab homine assumpto discessit. Gratitudo autem postulat, imò & iustitia petit, vt amatori nostro per imitationem vniamur, & numquam ab eius sequela recedamus. Infixus sum, inquit ipse, in limo profundi, & non est substantia.] Si ipse thesaurus incomparabilis, dignatur in luto semper hærere, quare lutum vilissimum non putabit debitum thesauro incomparabili copulari? Sed dic tu, Bernarde sanctissime, quod est hoc lutum, cui filius Dei se fatetur infixum? Fortasse, inquit, crux ipsa nos sumus, cui Christus memoratur infixus. Homo enim formam crucis habet, quam si manus extenderit, exprimet manifestiùs. Loquitur autem Christus in Psalmo:

Cant. 1. *Iob. 31.* *Grego. 21 mor. c. 5.* *Psal. 68* *Ber. ser. 4. in vigilia Natiuitatis.*

Infixus sum in limo profundi. Limum quidem nos esse, manifestum est, quoniam de humo psalmati sumus. Sed tunc quidem limus paradisi fuimus, nũc verò limus profundi. Infixus sum, inquit, non pertransij, non recessi. Vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi.] Ipse est enim Emmanuel, nobiscum Deus.] Quòd si Christus numquam recedit à te, ô lime vilissime, sed semper carnem tuã gestat, & semper te amore complectitur, & beneficiis sibi deuincit, vt à tua insensibilitate suam imitationem extorqueat, vtique debitum est, vt numquam ab illa discedas, sed iugiter suam charitatem, humilitatem, & virtutes reliquas imiteris. Necessarium etiam est, quoniam Christi imitatio, iustitia est, sanctitas est, apertio est ianuæ regni cœlorum. Nisi conuersi fueritis, ait ipsa veritas, & efficiamini sicut paruulus iste, non intrabitis in regnum cœlorum] Quis iste paruulus, cuius similitudinem gestare debemus, si nolumus à sede regni cœlestis excidere? An ipse Dominus Iesus Christus, cuius magnitudinis non est finis? Certè ita, si Bernardo credendum est. Fortè, inquit, seipsum dicebat. Nimirum ipse magnus Dominus, & laudabilis nimis, ipse paruulus, qui datus est nobis. Nec tamen magnus interim, sed paruulus exhibetur, vt seipsum faciat gratum, & efficax necessariæ prauitatis exemplum. Ad paruulum ergo sit cõuersio tua, vt discas paruulus esse, & tu quoque cùm conuerteris, paruulus fias. Enim verò audi, quàm euidenter ipsum tibi (in quo constituit formam conuersionis) paruulum manifestat, signanter ea, quæ sunt paruuli in seipso imitanda proponens. Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.] Gemina paruitas, humilitas & mansuetudo. Et illa interior, ista exterior paruitas, vtraque tamen non parua virtus est. Nempe quam paruulus ille tam magnus, vnicum magisterium profitetur.] Si itaque necessarium est huius paruuli formam induere, ne vitam æternam amittamus, & paruulus iste Christus est, qui seipsum abbreuiauit, vt meritorum suorum nos tactu foueret, proculdubio necessarium omnino est, eam saltẽ, quæ in præcepto posita est, Christi imitationem quæritare.

Matt. 18. *Matt. 18.* *Bern. ser. 2. in conuersion. D. Pauli.* *Matt. 11*

At si vltra præceptum volumus Christum sequi, & eius indumento, quòd omnis virtus est, vndequaque vestiri, id quidem vtilissimum inuenitur, nam & illum magistrum sequimur, qui breuiùs instruit, meliùs docet. & nec in minimo à tramite deuiat veritatis. Alij enim virtutis magistri, licèt sancti, non possunt in hac vita omnino aliquam peccati contagionem euadere, & omnem imperfectionem euitare. Et ideo, dum eorum virtutem sequimur, facilè nonnulla imperfectione sordemus. Sed nõ ita Christus, quem (cùm ab omni labe purus sit) si imitamur, in ipsa imitatione, ab omni etiam minima imperfectione discedimus. Et si contrahimus aliquã, illa non ab ipso exemplari manauit, sed à nostra imbecillitate processit. Succurrat nobis, sicut in cæteris, etiã idẽ in hac vtilitate Bernardus, nec mirum, quia magnus Christi imitator, multa de hac imitatione dictauit. Iste sine dubio, inquit, lauare me potest, quem constat inquinatum non esse. Hæc manus opertum luto detergat oculum meum, quæ sola sine puluere est. Iste mihi festucam educat de oculo, qui non habet trabem in suo: imò iste trabem educat de meo, qui nec exiguum puluerem habet in suo.] Indicat satis apertè discrimen, quod inter imitationem aliorum sanctorũ, & imitationem Christi potest intercedere: Quòd illi in hac vita oculos nonnullo puluere conspersos, & manus aliqua sorde, licèt minima, infectas habuerunt, quare facile erit, dũ nos purgant,

Ber. ser. 4. in vigilia Natalis Domini.

A aliquã maculam, quam nõ viderunt, relinquere, aut aliquem puluisculum manu operis agglutinare. Hic verò, qui in suis oculis nihil pulueris habuit, & in suis manibus nihil omnino imperfectionis admisit, nec aliquid imperfectionis (quantùm in ipso est) in nostra mente relinquet, nec simul cum virtute aliquam imperfectionem cõmunicàbit. Ob id Paulus modestissimè de se sentiens, ait: Imitatores mei estote, sicut & ego Christi.] Ac si diceret: Quia ego homo sum & licet perfectus, & primitias spiritus habens, nonnullis fortè imperfectionibus obuolutus, eatenus à vobis imitandus sum, quatenus ego Christũ imitor, nam si quod est, in quo à Christo vel minimùm deuiẽ, in hoc nullatenus volo ab hominibus B imitari. Ac tandem hæc Christi Saluatoris imitatio honorificẽtissima est, quæ nos virtute perfectissima, causa honoris replet, & apud omnes rectè sapientes honorabiles facit. Nam si ille honorificentior est in republica terrena, qui similior & propinquior est regi: in Ecclesia profectò honore & reuerentia dignior erit, qui vigilantiùs contenderit Christo appropinquare. Et quantò magis ipsi se conformare studuerit in terris, tantò erit gloriosior & sublimior, ac ei sede propinquior in cœlis. Quia sicut gloriam beatorum Christi imitatio efficit, ita maiorem gloriam perfectior imitatio pariet.

1. Cor. 11.

Vt autẽ Christum Redemptorem nostrum imitemur, illud in primis sciendum est, actiones nostras, quibus in virtute proficimus, duplices esse: C quasdam, quas Christus per assumptam naturã gessit, vt orare, ieiunare, prædicare: alias verò, quas numquam exercuit, vt propria peccata flere, aut aliquid sciendi causa interrogare. Nec enim decuit, vt Saluator hominum vniuersas hominum actiones, illas præcipuè, quas ex imbecillitate suscipiunt, per seipsum expleret. In illis ita te gere, vt quotiescum que aliquid operaris. Christum Iesum coram oculis mentis habeas, & taliter actionem illam, cui incumbis, perficere studeas, qualiter cogitas eam à Christo tempore suæ mortalitatis fuisse completam. Si oras, Christi reuerentiam, & attentionem, & feruorem in orãdo, quantùm potueris, ad teipsum trãsfer. Si loqueris, Christi modestiam, & veritatem in D loquendo, ac vtilitatem, nec non & verborum parcitatẽ sequere. Si corpus cibo & potu reficis, Christi abstinentiam, & sobrietatem tuam in quantitate, tum in qualitate cibi & potus obserua. Si aliud, quid agis, Christi ordinem, ac modum operandi imitari stude. Sanctus Bonauentura in hunc modum huius meminit salubcrrimi documenti: Describe tibi in corde tuo mores, & actus Christi, quàm humiliter se habuit inter homines, quàm benignus inter discipulos, quàm modestus in edendo & bibendo, quàm misericors super pauperes, quibus se similẽ fecerat per omnia, & qui de eius specialiter familia videbãtur. Quomodo nullum spreuit, vel horruit, etiam si E erat leprosus. Quomodo diuitibus non adulabatur. Quàm liber fuit à curis mundi, nec anxius pro corporis necessitatibus: quàm verecundus in visu, quã patiens ad contumelias, & quàm mitis in responsis. Non enim studuit se vindicare verbo mordaci, & amaro, sed blando & humili responso alterius malitiam sanare. Item quàm compositus in omnibus gestis suis: quàm sollicitus de animarum salute, quarũ amore, voluit incarnari, & mori dignat' est. Quomodo seipsum præbuit exemplũ omnis boni. Quomodo mulierum familiaria colloquia vitauit, causa excẽpli, vnde etiam discipuli mirabantur, quando solus cum Samaritana loquebatur, eo quòd quasi insolitum videbatur in ipso. Item quàm patiens laboris

Bonau. in informat. nouit. p. 1. c. 32. *Ioan. 4.*

& penuriæ:quàm compatiens afflictioni. Quomodo condescendit infirmi imperfectioni:quomodo omne scandalū cauebat: quomodo peccatores nō spreuit: quomodo pœnitētes clementer suscepit: Quā placidus in omnibus dictis suis:quàm studiosus ad orationem:quàm promptus in ministrādo sicut ipse dixit.Ego in medio vestrum sum, sicut qui ministrat.] Item quam sobrius ad vigilias; quàm obediēs parētibus.Quomodo omnem iactantiam,& singularitatis ostentationem declinauit: quomodo omnē gloriam,& potestatem huius mundi fugit,& multa alia ipsius acta memoriæ tuæ propinqua sint, vt in omnibus factis,& verbis tuis sēper ad hūc quasi exemplar respicias,incedens,stās,sedēs,& comedens, tacens,& loquens,solus,& cum aliis.Et ex hoc magis diliges eum,& familiaritatis eius gratiam,& fiduciā assequeris,& in omni virtute perfectior eris.Et hæc sit sapiētia tua,& meditatio,& studium, semper aliquid de ipso cogitare,vnde vel prouocceris ad imitādum eum,vel afficiaris ad eum amandum.]Et quidē ista omnia, & alia particularia, deuotè in Christo cōsiderāda sunt,& præ oculis semper habēda, vt in quocumque opere,quod exequimur,hūc sanctitatis præceptorem inspiciamus, & qualiter ille in simile opus incūbebat, taliter nos operari curemus. Ad id enim hortatur Paulus cū ait:Estote imitatores Dei, sicut filij charissimi:& ambulate in dilectione, sicut & Christus dilexit nos.] Vt quemadmodum filij nō tantùm patrum suorum opera, sed etiam modū agēdi præferre solēt, ita & nos filij Christi Iesu in operibus sanctis,atque in modo ac ratione eas præstādi eum diligenter imitemur.Nec solùm fratres diligamus,verùm & in modo diligēdi,quantùm fuerit nobis possibile,ad eū propiùs accedamus. Atque huic studio sequendi Dominum lux cœlestis promissa est: nam ipse ait: Ego sum lux mundi; qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ.] Prorsus ita est Domine: Tu lux mundi es, nam & ignorantiæ nostræ tenebras destruis, & mysteriorū cœlestium, ac veræ & perfectæ virtutis cognitionē infundis.Si te sequimur, id est, si te pro modulo nostro imitamur,& eo modo, quo tu operabaris salutem nostram in medio terræ, nos eandem salutem nostram operari contendimus, nequaquam ambulamus in tenebris,neque gressus nostros in caligine peccatorum defigimus,sed vitale lumen, quod nos ad vitam ducit, & à te vera vita progreditur, & in æternam vitam nos inuehit,te donante, & mittente,suscepimus.

Luc. 22. — Ephes. 5. — Ioan. 8.

Alias verò actiones,quas Christus per seipsū non exercuit,vt Beatam Virginem deprecari,sanctos inuocare,aut propria nostra peccata deflere, ita assumamus,qualiter ipsū Dominum similes alias admisisse,aut qualiter istas,si ipsum deceret,se admissurū fuisse intelligimus.Christus enim, qui datus est nobis in doctorem vitæ,atque in magistrū cœlestis disciplinæ,ita vitam suam temperauit,vt sanctissimis operibus suis, qualiter omnia bona opera à nobis præstanda sint, perspicuè docuerit. Et ideò formam statuum,qui dignitati eius non repugnabant, manifestè suscepit. Nam & se Prælatū exhibuit, cùm discipulos suos edocebat, & familiā illā gubernabat; & se subditum præbuit, cū matri & nutritio subdebatur,vt Lucas ait,& coram impiis iudicibus sāctus iudex viuorum, & mortuorū ea humilitate, & modestia,ac si esset subditus,stetit.Desertūpetijt,vt formam viuendi solitariis daret,& ciuitates, ac turbas frequentauit,populosque docuit,vt prædicatores in circumspectione morū, & in zelo animarū instrueret.Virgo fuit,& virginitatis decus pulcherrimū, vt virgines edoceret: & sponsus Ecclesiæ tenerrimus vt coniugatos in honestate, & in amore erga coniuges erudiret.Ipse Rex, qui reges docet amare iustitiam,ipse Pontifex summus, qui Pontifices & Episcopos ad imitationem suæ benignitatis & puritatis induecit.Eum ergo,qui se omnia omnibus facit,facile erit ad omnia bona in magistrum trahere, & eum in omnibus bonis actionibus imitari. Id autem ego puto deargentare pennas nostras in conuersatione Saluatoris, vt in morem columbæ ad perfectionis fastigium euolemus. Si dormiatis inter medios cleros,inquit Dauid,pennæ columbæ deargentatæ.] Et vndæ pennæ deargentatæ ei, quæ inter cleros dormit,& semper inter mille occasiones peccandi, requiescit? Et quomodo columba illa anima, quæ inter coruos habitat, & dolis ac mendaciis huius sæculi circumsepta est? Certè columba,quia licèt corpore in sæculo, tamen corde in petra,id est, in vulneribus Christi commoratur,& pennæ eius deargētatæ,id est,opera sancta, atque perfecta,quia Christum ipsum vera imitatione sequitur. Hæc imitatio facit, vt à cleris nigredinem non contrahat, & ex peccandi occasionibus, vulnus peccati nō accipiat Christus ergo caput nostrum est, vnde ab eo, ceu à capite omnes actiones nostræ virtutis influxum expectent.Tunc autem expectant, cùm per gratiā huius capitis operamur; & ei operum imitatione coniungimur.Et felix membrum,vt Bernardus ait,quod huic adhæserit per omnia capiti, & sequetur illud quocumque ierit,quia sic sensum & vitam accipiet, & influxum alterius capitis, scilicet iniqui hostis,effugiet.Christus tandem Creator noster est, qui sicut nos diuina sua virtute creauit,ita & suæ humanitatis imitatione reformat,& imaginem suam peccatis nostris fœdatam, ad gratiæ nitorem & sanctitatis pulchritudinem reuocat.Quare, vt hunc nitorem adipiscamur,eum mens nostra contempletur,eum affectus complectatur, & ipsum actio & vita semper imitetur. Sic Christiformes efficiemur, & à Patre, vt filij charissimi diligemur, & cum naturali filio, nos in filios adoptati, per omnem æternitatem regnabimus. Amen.

Luce 2. — Psal. 67 — Ber. ser. 1. in capite ieiunij.

Quòd religiosus perfectionis amator, congressu parentum & propinquorum abstineat.

CAPVT XXV.

ISTA Christi Saluatoris nostri in omnibus imitatio tāti pōderis est ad perfectionem,quam quærimus,assequendam,vt ferè nullo negotio omnia assequendæ perfectionis instrumēta suppeditet, & omnem in sollicitam animam perfectionē inducat. Sicut enim qui mille recepit,nisi ingratissimus sit, & durissimus,facilè vnum saltem ex tot acceptis reddet, ita qui opera Christi tam magna, tam mirabilia, sui causa facta considerat, facile, vt gratus existat, & vt suo profectui consulat, similia, opera, quantùm humana fragilitas tulerit, in obsequium sui benefactoris restituet. Hæc verò manifestè sunt perfectionis gradus, quos,qui vnum post alium ascenderit,nequaquam in imo persistet, sed tandem ad optatam sanctitatem perueniet.Iam igitur Christi imitatores,in istud omnis virtutis exemplar oculos mentis intendant,& hoc documentum, quod sequitur, (& ad perfectam parentum & co-

1. Cor. 7.

gnatorum

gnatorum derelictionem pertinet) non repugnanter, sed libenter suscipient. Nam ipse Dominus, vt huius renunciationis formam religiosis exhiberet, puer duodennis parentes reliquit, & in templo remansit, vt his, quæ æterni Patris sui erant, dum interrogat, & audit legis doctores, insisteret. Et instante iam prædicationis tempore dulcissimæ Matri valefecit, & ab eius, quæ proculdubiò impedimento non esset, elongatus consortio, muneri prædicationis incubuit. Cúmque semel docens in domo Matrem, & cognatos pro foribus stantes, & ei loqui desiderantes audiisset, omni affectu sanguinis, & carnis exutus, dixit: Quæ est mater mea, & qui sunt fratres mei?] quasi diceret: Ego formam eorum, qui mundum relicturi sunt, præferens, & ad munus prædicationis dimissus, matrem, aut cognatos terreno affectu non agnosco. Quem esse sensum illius interrogationis sequentia verba declarant. Digito namque monstratis discipulis, subiecit: Ecce mater mea, & fratres mei. Quicumque enim fecerit voluntatem patris mei, qui in cœlis est: ipse meus frater, & soror, & mater est.] Qua mirabili sententia patefacit, quos nos, qui mundum abiecimus, patres, & matres, & fratres, & sorores, & cognatos habere debeamus: eos scilicet eiusdem propositi socios, quos nouerimus ad explendam diuinā voluntatē excitatores. Ideoque Laurentius Iustinianus hunc eundem locum tractans, hæc scribit: Quare sic respondit Dominus Iesus? Vtique propter nos, vt conuersos ad Dominum, tam non sollicitet cura parentum carnalium, & necessitudines illorum non impediant exercitium spirituale. Quamdiu enim in mundo sumus, debitores nos constat esse parentum. Postquam verò per obedientiam nosmetipsos reliquimus, nos ab eorū necessitatibus cognoscamus esse solutos.] Passionem etiam, & mortem subiturus solus sine matre, & cum suæ œconomiæ testibus in hortum secessit, vt ibi non delitesceret, sed Iudam proditorem, & Iudæorum satellites, se comprehendere volentes, exciperet. Et credo, quòd nisi propter mysteriū Ecclesiæ sponsæ designandum, ac propter virginis cōstantiam, & amorem declarandum; minimè Matrem iuxta crucem stantem admisisset. Tandem ipse figuratus est in sacerdote Melchisedech, de quo legimus: quòd erat sine patre, sine matre, sine genealogia, neque initium dierum, neque finem habens.] Vt sic nos Deo per religiosam vitam consecrati, nec patrem in sæculo, nec matrem, nec genus habeamus, neque initium, neque finem seruiendi Deo, respiciamus, sed semper ei famulari & vitam istam cum vita perpetua amando, & orando, & laudando continuare velimus.

Lucæ 2. — *Matt. 12.* — *Laurent. Iustin. in ligno vitæ tract. de obed. c. 3.* — *Hebr. 7.*

Christi ergo Iesu imitationem arripientes, nos, qui ad vitam religiosam vocati sumus, parentes, fratres, cognatos, & omnem carnem, & sanguinem relinquamus, & propinquorum colloquia, negotia, & curas funditus à corde nostro eliminemus. Mala enim ingentia, quæ ex hac communicatione sequuntur, nos ad eam deserendam hortantur. Quæ Ioannes Climacus in rebus spiritualibus admodū exercitatus, in hunc modum enarrat. Grauis est, & omnino vitabilis ad propinquorum, vel etiam extraneorum aliquem immoderata affectio, cùm ea nos ad sæcularem sensum possit attrahere, ignémque compunctionis nostræ penitus extinguere. Sicut impossibile est, vno oculo in cœlum, altero in terrā aspicere, ita fieri nō potest, vt in his anima non periclitetur, qui corpore, & cognatione ab omnibus & propinquis, & extraneis non se peregrinum fecerit. Labore ingenti, & fatigatione mores graues, & optimos acquirimus, & quos multo tēporis labore quæsiuerimus, fieri potest, vt vno momento temporis amittamus. Corrumpunt enim bonos mores colloquia mala] sæcularia simul, & turpia. Qui post abrenunciationem cum sæcularibus versatur, siue iuxta illos commanet, prorsus aut in eosdem laqueos incidet, aut cor in eiusmodi cogitatione inquinabit: aut certè, si non inquinatus fuerit, eos qui inquinantur, iudicans, atque condemnans, & ipse inquinabitur.] Non damnat illos iste sanctus eremita, qui alicuius necessitatis, aut spiritualis vtilitatis gratia propinquos aut extraneos alloquuntur, aut qui, iuxta vocationem suam, sæculares ad bonum hortantur, sed eos damnat & meritò, qui parentum, & cognatorum negotiis implicātur, & carnali affectu, aut illis aut aliis sæcularibus amicis iunguntur. Hos autem meritò taxat, quia duo opposita vnire, & copulare nituntur. Si enim duos oculos habentes, cœlum vno, & terram altero simul videre nequimus: quantò minùs si vnum tantùm oculum haberemus, eodem temporis momento, cœlum & terram aspicere valeremus? At vnus animus tantùm est nobis, vnum cor, vna voluntas, vnus affectus, quomodo ergo possumus eo cœlum terramque complecti, & nosipsos carne, & spiritu, Deo, (qui totos nos petit) & parentum ac propinquorum negotiis occupare? Præsertim cùm iuxta dictum Isaiæ, angustum sit stratum, ita vt alter decidat, & pallium breue, quod duos aperire non possit.] Nemo quidem potest amicum, & inimicum sequi, & familiari & hosti simul assentiri: Vnde nec poterit, Dei, & parentum ac propinquorum, non tantùm diuersa, verùm & contraria, negotia tractare. Christus quippe amicus noster est, qui cùm Dominus sit, personam etiam amici suscepit, cùm protestatus est; Vos autem dixi amicos:] parentes verò, & cognati, si nos ad suas curas & sollicitudines pertrahant, hostes sūt manifesti: quia inimici hominis domestici eius.] Non ergo possumus Christi vestiga sequi, & propinquorum nostrorum, quæ nos à Christo auellunt negotiis & sollicitudinibus inhærere. Nec parentes, ac sanguine iunctos, nos ad suas res temporales euocantes, iniuria afficimus, dum inimicos & hostes vocamus, quos Bernardus, ad parentes cuiusdā sui monachi scribens, crudeles filiorū interfectores appellat. Non sufficit vobis, inquit, quòd me in hāc sæculi miseriam miseri miserum induxistis, quòd in peccato vestro, & peccatores peccatorē genuistis, quòd in peccato natum, de peccato nutristis: nisi etiam inuidendo mihi misericordiam, quam cōsequutus sum, ab eo, qui nō vult mortem peccatoris, filiū insuper gehennæ faciatis? O durum patrem! ô sæuam matrem! ô parentes crudeles, & impios, imò non parentes, sed peremptores, quorum dolor, salus pignoris, quorum consolatio, mors filij est, Qui me malūt perire cū eis, quàm regnare sine eis. Qui me rursus ad naufragium, vnde tandem nudus euasi; rursus ad ignem, vnde vix semiustus exiui, rursus ad latrones, à quibus semiuiuus relictus sum, sed miserante Samaritano iam aliquantulum conualui, reuocare conātur: & militem Christi propè iam rapto cælo triumphantem (quod non in me glorior, sed in eo, qui vicit mundum) ab ipso iam introitu gloriæ, tamquam canem ad vomitum, tamquam suem ad lutum, ad sæculum reducere moliūtur.] Nec obstat, quòd sanctus hic pater eos parentes alloquitur, qui filium suum à vita religiosa ad sæculum reuocare nitebantur, quia paris ferè periculi, & damni est, si nos habitu religioso exuant, aut si retēto habitu

Climac. gradu 3. de peregrinatione. — *1. Cor. 15. ex Menandro.* — *Isa. 28.* — *Ioan. 15.* — *Matt. 10.* — *Bernard. epistola 11.*

habitu,ad vitam sæcularem & ad curas & negotia sæcularia pertrahant. Si enim ego inter curas,à meo instituto alienas, periclitor, si inter negotiationes sæculares naufragium patior, si desideriis bonorum temporalium, quæ mei cognati aut parentes possideant, & lætitia suarum prosperitatum, ac tristitia & anxietate suarum aduersitatum discerpor, atque discrutior, quid refert si hæc damna, & meæ salutis detrimenta retento habitu religioso præferam, aut deposito eodē habitu patiar? An vana ista desideria me sæculariter indutum suffocabunt, & non me religiosè vestitum ipsa demergent? An concupiscētiarum ignis acceptor est personarum, & sæcularem, qui ipsum abscōdit in sinu, comburet, & religiosum etiam eū abscondentē, imò se sponte conicientē in ignem, nequaquā consumet? Sed certè multò melius aut multò dānabiliùs religiosus, quàm sæcularis hoc distractionum mari demergitur, & hoc concupiscētiarum igne cōsumitur, quoniam isti pro ratione sui status, permissum est sibi & familiæ tēporalia quærere, & in mundo viuenti cōcessum est, prosperitatibus & aduersitatibus mundi pulsari: ille verò, qui vitam cœlestē, & à temporalibus curis alienā professus est, nō potest illas tāgere quin se cōtaminet, nec potest illis se implicare, quin desideria cœlestia obruat & spiritu distractionis spiritū deuotionis absumat.

Si volumus ista mala certè horribilia vitare, parentes, & fratres, & propinqui omnes nobis fugiendi sunt. Sed quid est eos fugere? Numquid corpore domos eorum, conuictúmque relinquere, & nos ad cœnobium trāsferre? Nullo modo. Nam & sæculares sæpè solent, aut negotiationis, aut alterius cuiusuis rei gratia ab vxore, & charis pignoribus, & familia discedere, & quia id solùm corpore faciunt, nequaquam sunt ex viris sua relinquētibus, nec magnum præmium omnia relinquentium accipiunt. Et qui solo corpore parētes & cognatos deserūt, similes sunt Absaloni, propter fratricidiū Ammonis Ierosolymam deserenti, & in alienigenarū terrā transmigranti. Sicut enim iste, quia sola præsentia corporali, ciuitatem, & paternam domum, amicosq; reliquit, breui tempore conatus est amatam patriam reuisere, & palatiū, ac patris vxores possidere, &, vt id breuiùs consequeretur, non erubuit segetes Ioab, ad eum venire remorantis concremare: Ita qui corpore solùm à parentibus, fratribusq; recedūt, & ad vitam religiosam transeunt, citò eorū se negotiis inuoluūt, & ad amicorum conuersationē redeunt, & bonorū desideriorum segetes distractionis igne succendunt. Parentes ergo, & fratres, atq; cognati præsentia corporali, & occupatione, & affectu, & cogitatione fugiēdi sunt, vt his quatuor gradibus, ad perfectā abrenunciationē veniamus, & hoc perfectionis impedimentum à carne sanguineq; proueniens, prudenter declinemus. Primo parentum, & propinquorum corporalis præsentia fugiēda est, Quod tūc fit, quādo aut ad imitationem Abrahæ, exeūtis de terra sua, & de cognatione sua, ad profitendam vitam religiosam, patriā nostram, cognatos, amicosq; deserimus: aut si id nō fecimus, à præpositis nostris, vt ex patria aliò mittamur, obnixè petimus: aut si id non possumus impetrare, parentum domum, fratrū, & propinquorum cōsortia, & amicorū, ac notorum alloquia, ac si longissimè distaremus, penitus auersamur. Sicut enim canis nō audet domum ingredi, in qua vulnus accepit, nec ad illum hominem accedere, à quo grauiter percussus est: ita nos, qui in paterna domo iniquitatum plagas cōtraximus, & nonnisi angulos, & loca, vbi miserè delinquimus, videre possumus, & inter fratres, & amicos positi millies à Diabolo percussi sumus, non simus canibus imprudentiores, sed talē domum omnimodis fugiamus, & tale consortiū detrectemus. In quo Laurentius Iustinianus illustrissimum dedit nobis circūspectionis exemplum. Vitam enim religiosam aggressus, nō solùm adolescēs, sed & grādæuus, sed & Episcopus factus, perpetuò paterna domo, & ædibus fratrū abstinuit. Semel illam, vt dormitioni matris interesset, semel istas vt Marcum fratrem inuiseret extremū spiritum agētem, post susceptum habitū religionis intrauit. Quem profectò omnes religiosi imitari deberent, qui ad mirabilem eius puritatem appetūt peruenire. Si enim Christū, vt dixit Bernardus, inter cognatos suos, dilecta, & desolata mater non inuenit, vtique nec nos in domo parentum, & cognatorū non suorum, sed nostrorū nequaquā eū poterimus inuenire. Audi filia, & vide, inquit sanctus Dauid sponsam Christi alloquens, & inclina aurem tuā, & obliuiscere populū tuū & domum patris tui.] Si domum paternā non solùm non obliuiscimur, sed etiā sine causa frequentamus, quomodo Deo placebimus, & eius cor ad nostram pulchritudinem cōcupiscendam permouebimus? Quomodo audiemus attētè verba Dei, quæ interiùs eius voluntatē nos docent: & videbimus splēdorem eius, quæ mētē nostrā suo amore capiat, si oculos in terrā, id est, in propinquos terrę declinamus, & aures ad clamores ipsorū excipiendos inflectimus? Ossa arida, inquit Ezechiel, audite verbū Domini,] quia qui in desertū religionis adducti ossiū firmitatē induerint, & se molli parētū & cognatorū carne spoliauerint, & in se desideria carnis arefecerint, hi apti sunt, qui vocem Dei audiāt, & spiritū perfectionis suscipiant.

Deinde qui parentum & aliorū consanguineorum (prout potuimus) præsentiam corporalē reliquimus, æquum est, vt occupationes etiā, & negotia eorū, & curas, & sollicitudines relinquamus. Nam si nostris propriis negotiis valediximus, vt ad salutem animę festinaremus, & perfectionis impedimenta reiiceremus, quæ dementia erit, occupationibus, & negotiis, quæ magis ad nos attinebant, reiectis, aliena suscipere, & eorū distractionibus regni cœlestis cursum retardare? Vocauit Dominus quemdā, vt sequeretur se, & illi dicēti: Permitte mihi primū ire, & sepelire patrē meum, respondit qui illū ad se vocabat, sine vt mortui sepeliāt mortuos suos: tu autem vade, & annūcia regnū Dei.] Alius verò nō vocatus, disciplinæ eius seipsum ingessit, dicens: Sequar te Domine; sed permitte mihi primùm, renunciare his quæ domi sunt. Ad quē Dominus: Nemo mittēs manum suā ad aratrū, & respiciēs retrò, aptus est regno Dei.] Reddat rationē Basilius, quare Dominus neutri eorū tam breuem erga parētem, & erga res suas occupationē permisit. Atqui ait, quæ vterq; rogabat, rationi maximè cōsentanea esse videbātur, ac iustissima: sed enim neutiquā ea Saluator probauit, neq; vel ad punctum quidē tēporis seiungi ab illo cœlestis regni alumnos permisit, ne sublimi illa & cęlesti animi elatione, humilius aliquid vel agerēt, vel cogitarēt, mēte in rerum terrenarū fragiliúmq; cogitatione depressa, & accliui: tamquā qui ad res cœlestes animū adiūxerūt, iis neutiquam liceat, eorū, qui in terra sunt rationē vllam habere, vt qui iam ex ea animo emigrauerint, & mentis cōtemplatione altiores mūdo sint effecti.] Quòd si nec minima occupatio sæcularis, volētibus Christum sectari, ab ipso Domino permissa est, quia aliquantulum à cœlesti proposito retardabat, quantò minùs illa negotia permitteret, quæ nōnulli religiosi non verentur suscipere? Quorum isti fratrum, aut sororum coniugia componūt, alij argentū & aurum, quasi mercatores effecti ad fratres, aut propinquos,

2. Reg. 14.

Gen. 12.

In vita c. 3. & 8.

Psal. 44.

Ezech. 37.

Matt. 8.

Luc. 9.

Basil. cōst. monast. c. 21.

ditandos quærunt:alij à principibus, & magnatibus pro illis officia fęcularia postulát,alij innumeris aliis modis pro eorum vtilitate se discruciant.Nec aduertunt miseri;quòd fratres, & propinqui, non amoris, sed propriæ vtilitatis gratia eos adeūt,& vt sibi more mancipiorū seruiant, in rebus religioso vilissimis auidè cupiunt.Nec considerant,quòd si essent in sæculo,vbi non possent propinquos in rebus temporalibus promouere,ab ipsis,sicut alij despicerētur.Nec vident,quòd in statu sæculari constituti ab iis, pro quibus mille molestias patiuntur, nullū bonū opus acceperunt,& si adhuc in sæculo perdurarent, nullum omnino beneficium assequerentur. Nec tādem cogitant,quàm luctuosè post mundum calcatū, iterum ad eum corde redeant, & tranquillitatem mentis suæ, ac profectum spiritus, ob carnis & sanguinis amorem amittant. Optimè hos perstringit Gregorius dicens: Sunt plerique, qui non solùm aliena non appetunt, verùm etiam cuncta, quæ possederant,in mundo derelinquunt,semetipsos despiciunt. nullam præsentis vitæ gloriam requirunt, ab huius se mundi actibus separant, & penè quicquid prosperitatis arriserit,calcant: Sed tamen adhuc vinculo carnalis cognationis obligati,dum amori propinquitatis indiscretè deseruiunt,ad ea sæpè per affectum cognationum redeunt,quæ iā & eum proprio despectu subegerunt. Cùmque plus quàm necesse est, carnis propinquos diligunt retracti exteriùs à cordis parente diuiduntur.Nam sæpè quosdam vidimus(quantum ad proprium studium spectat)iā præsentis vitæ desideria nō habere,mundum, & opere, & professione reliquisse, sed tamen pro inordinatis affectibus in propinquorū prætoria irrūpere, terrenarum rerū iurgiis vacare,libertatem intimæ quietis relinquere, & mundi studia in se iam dudum destructa reparare.] Non dubium, quin isti ad vomitum redeant,& in sæculum,à quo exierunt, reuertātur,& tanto damnabilius,quātò minùs aliena negotia,quàm propria quemq;trahunt,& quantò imprudentius est, bonum virtutis,quod homo propter seipsum, & propter sua commoda noluit perdere propter alios,qui tādem ridebunt,& ingratissimi erunt, ob eorum vtilitates inanes thesaurum animæ nostrę dilapidare.His dicit Dominus:Si quis venit ad me,& nō odit patrem suum,& matrem,& vxores,& filios, & fratres,& sorores,adhuc autem & animam suam, nō potest meus esse discipulus.]Odium istud cognatorum, quod Dominus à suis discipulis postulat, ex odio,quo animam suam prosequi debent,satis apertè intelligitur.Vt queādmodū quis odio habet animam suam,nō quia ei aliquod malum velit,sed quia ei illicita concupita subtrahit, quæ profectui mētis officiunt: ita propinquos odio sancto prosequimur, non quia illos detestemur, aut illis malum aliquod velimus, sed quia nosipsos eorum curis, & negotiis eximimus, & petita, quæ nostri status tranquillitati obesse possunt,constanter denegamus.

Greg. l. 7. mor. c. 14.

Luc. 14

Huic voci Domini nobis obediēdum est,& quandoquidē ex illis sumus,qui ad eum per abrenunciationem sæculi,& per propositum vitæ religiosæ venimus,omnis caro & sanguis nobis relinquenda est, si nobis cordi est nomē discipulorum Christi,etsi ad aliquam cognitionem scietiæ,quam ipse docet,peruenire velimus.Et si æqui fuerimus rerum æstimatores, videbimus nec aliquid difficile à nobis peti,nec aliquid aut præposterum,aut absurdum postulari.Si enim cùm vitam sæcularē agebamus,frater, aut conatus aliquis suis nos vellet occupare negotiis,ita vt nostra impediret, aut facultatibus tēporalibus notabile detrimētū afferret,proculdubio excusatione ali-

A qua prudēti nos ab illo absolueremus, ne eius vtilitas,nostrū esset detrimētū. At curæ tēporales parentum,fratrum,& cognatorum,nostrum negotiū non iam tēporale,sed spirituale,quod præcipuum est,vehementer impediunt, & profectui nostræ mētis obstant,& professionē religiosam eneruant,& statū interiorem inquietant,& spiritū deuotionis,ac bonum famæ odorē,cæterasq; virtutes euertūt. Quare ergo eas non reiiciemus,quare ab illis nō nos eximemus, quare prudenter ab eo,quod non iā corpori sed animæ nocet,nō nos excusabimus? Nisi fortè putamus detrimenta rerū temporalium esse magna, quorum causa cognati abnegādi sunt,& detrimēta animæ,& salutis æternæ esse parua,propter quæ illi negādi nō sunt.Sed si hoc putamus, iam oculos mūdanorū habemus,iam vitæ spiritualis fundamenta ignoramus, iā ipsis cæcis,& stultis hominibus,qui corpus animę præferunt,comparandi sumus.Illud itaque sciamus, nos si verè,& ex animo vitā religiosam profitemur, mortuos esse mūdo, atq; adeò sicut parentes,& cognati nostri,nihil ab iis,qui mortē obierunt, efflagitant,ita nihil temporale,aut quod mundū sapiat,debere à nobis postulare. Quod si postulent,imitemur nos Apollo Abbatem sanctissimū,qui hac cōsideratione,à negotio,& quidē nō nimis difficili,imò satis facili & honesto,se cuiusdam sui fratris exemit. Sed libet hāc historiā elegātissimis verbis Cassiani referre,ne si vel apicē mutauerimus, suauitatē orationis huius sancti viri perdamus.Ad hūc,inquit,quē prædiximus senem(id est,ad Abbatem Apollo)cùm germanus eius intempesta nocte venisset,implorans,vt de monasterio suo paulisper egressus, ad euellēdum bouem,quem cœno palustri eminùs inhærere flebiliter querebatur,ei esset auxilio,quia eū sol⁹ nequaquam posset eruere:Abbas Apollo pertinaciter obsecranti:Cur,ait,iuniorē fratrem nostrū,quem prætteriens,propiorem quàm me habueras,non rogasti? Cumq; ille eum mortē olim sepulti fratris oblitū & ex nimia cōtinētiæ ac solitudinis iugitate velut impotem mētis existimans,respōdisset: Quomodo poteram de sepulchro eum,qui ante annos quindecim obiit,inuocare?Abbas Apollo:Ignoras ergo,ait, me quoq; ante annos viginti huic mundo fuisse defunctum,nullaq; iā posse de huius cellæ sepulchro,quæ ad præsentis vitę pertineāt statū,tibi cōferre solatia? quem in tantùm Christus ab intētione mortificationis arreptæ,vel modicū ad extrahēdum bouem tuū non patitur relaxari,vt ne breuissimi quidē momēti inducias pro patris indulserit sepultura, quæ multò vtique celeriùs,honestiùs, & religiosiùs fuerat exhibēda?]O magnū,& mirabilem virum,qui ita ex corde suo amorē propinquitatis carnalē euulsit, vt nec semihoræ spatium voluerit fratri concedere,& à religiosæ occupationis iugitate subtrahere.Quod exēplum, & alia similia Dominus antiquorum patrum literis consignauit, vt nobis legentibus ad emendationē nostram colaphos increpationis & confusionis impingat,qui audemus non tantùm fratris bouē extrahere,sed sorores nostras in matrimonio collocare,& dotem promittere,& quærere,& pro fratribus nostris dignitates ambire,& eorum rem familiarem more œconomorum augere,& eorum simultates fouere, & vanitates approbare: qui non erubescimus diebus & noctibus cum nostris cognatis conuersari, & eorum lites,& cōtentiones, & negotiationes audire,& his omnibus tā à nostro statu alienis, à Christo sponso nostro cogitatione,& affectu diuelli.

Cassian. col. 24. c. 9.

Matth. 8.

Qui vult has sæculares propinquorum occupationes fugere,tertium gradum huius abrenunciationis ascendat,& non tantùm eorum præsentiam corporalem,

poralem, non tantùm ipsorum curas, atque negotia, sed etiam carnalem amorẽ, affectúmque relinquat. Nam admodum violentum erit amore carnali retẽto, aut negotiis parentum, & propinquorum modũ imponere, aut se suauitet præsentia eorũ corporali priuare. Quam efficaciter autem hic affectus mũdanus seponendus sit, magnus Basilius in hũc ferè modum exponit. A propinquis autẽ, amicis, parẽtibúsve animi affectione nos tam longè oportet esse disiunctos, quàm longè eos, qui iam sunt vita defuncti, à viuis videmus distare. Qui enim verè se ad ea, quæ ex virtute sunt certamina, exuerit, mundóque, ac rebus mundanis omnibus nuncium remiserit, quique (vt plus aliquid dicam) mũdo seipsum crucifixerit, is mundo, & omnibus quæ in mũdo sunt, mortuus est, siue illi parentes sint, siue fratres, siue tertium quattúmve, aut quemuis deinceps cognationis gradum obtineant.] Basilius docet, quod Apollo fecit, & dixit, & quod Ioannes Cassianus laudauit: ex quo cognoscimus religiosos illos antiquos, qui tam ad vnguem disciplinam religiosam seruarunt, doctrinam illam non incognitam, sed communem, & omnibus illis notam, & peruiam habuisse, & solerti diligẽtia seruasse. Quare qui illorum vestigiis inhærere contendũt, & ad sanctitatem, quam illi adepti sunt, euolare, necesse est, eandem parentum ac propinquorũ contemptionem, simili auiditate custodiant, sciantque mu ata professione, obligationem modúmque viuendi mutari: quod & in ipso sæculo videmus impleri. Nam vir nobilis filium habẽs, qui facinus aliquod perpetrauerit, illum si commodè potest, manu iudicis eripit, & vbi à nemine inueniatur, abscondit. At si ipse postea iudex sit, & munus gubernandi rẽpublicam gerat, eundem filium iterum cõsimile delictum patrantem, ac si non esset suus filius, quærit, & si inueniat in carcerem mittit, & debita eum sententia condemnat: si hoc apud sæcularem hominẽ, qui amorem non dico iam naturalem, sed nec carnalem exuit, susceptum munus publicum facit, quid æquum est, vt religiosa professio à viro perfectionis animo suscepta perficiat: Certè vt si prius parẽtes, & cognatos suos carnaliter amabat, iam ita non amet, & statui, ac professioni Deo consecratæ seipsum accommodet. Si verò naturalis affectus, quem moderari contendimus, & in spiritualem commutare, nos pulset, & humanus amor insurgat, inspiciendum est illud mysterium duarum vaccarum, quæ arcam testamenti impositam plaustro portabant. Hæ namque à suis vitulis separatæ mugierunt quidem (quod naturale erat) sed diuinitus actæ rectà perrexerunt, & nec ad dexteram, nec ad sinistram declinarunt. Sic & nos qui Bethsames (& interpretatur domus solis) id est, domum solis iustitiæ, ac perfectionem nostræ mentis quærimus, dum solitudinem parẽtum nostrorum, necessitates fratrum, paupertatem propinquorũ aduertimus, sentiamus id humano affectu aliquantulum (id enim humanæ naturæ permissum est) & ad Dominum omnium refugium suspiremus: at rectà tendentes, & nostræ professioni respondentes, nequaquam ad eorum sollicitudines reuertamur. Hunc autem humanum affectum spiritualis moderabitur. si nimirũ, quos antea carnaliter diligebamus, iam spiritualiter amare curemus. Tunc verò illos spiritualiter diligimus cùm vera eis bona, scilicet spiritualia, volumus, & gratiam ac sanctitatem optamus, media verò, & quæ in bonum, & malum verti possunt, illis accidere, sicut & nobis ipsis contemnimus. Quocirca, inquit Basilius, dãda nobis opera est, vt propinquis nostris ea optemus, quæ optima sunt, iustitiã dico, ac pietatẽ ad Deũ, eáque,

Basil. 6. constitut. monast. c. 21.

1. Reg. 6.

Basil. constitut. monast. c. 21.

A quæ magni nos æstimauimus, siquidem huiusmodi rerum precatio cùm nobis honesta est, tum illis nõ medioerẽ fructum per nos allatura.] Si ita didicerimus cõsanguineos amare, nec casibus eorũ aduersis turbabimur, nec prosperis successibus vanè lætabimur, sed in medio positi, his quasi parũ cõferẽtibus spretis, eorum bonam vitam, & in aduersis patiẽtiam, ac in prosperis humilitatem illis affectuosè conquiremus.

Sed non omnibus datum est affectum erga propinquos ordinare, & in spiritualem cõuertere, quare satius erit, si id nobis permissum est, eos spatiis terrarum fugere, aut saltem quãtùm potuerimus à nostra conuersatione separare, & obliuioni committere. B Quibus hic postremus gradus dimissionis parentum arriserit, optimè illud Deuteronomij competit: Qui dixit patri suo, & matri suæ, nescio vos. Et fratribus suis, ignoro vos, & nescierunt filios suos: Hi custodierunt eloquium tuum, & pactum tuum seruauerunt: iudicia tua, ô Iacob, & legem tuam, ô Israël.] Nam hi, non vtcumque, sed perfectissimè illud Domini eloquium, pactúmque custodiunt, quo dictum est illis, vt parentes, fratres, propinquósque dimittant, si volunt ad perfectam religiosæ vitæ disciplinam venire. Imò & perfectè custodientes hoc pactum, in hoc quod carnem, & sanguinem nesciũt, mirificè ad Dei scientiam, & contemplationem se disponunt. Vt enim dixit Gregorius: Ille scire Dominum familiariùs appetit, qui præ amore pietatis C nescire desiderat, quos carnaliter sciuit. Graui etenim damno scientia diuina minuitur, si cum carnis notitia partitur. Extra cognatos ergo quisque, ac proximos debet fieri, si vult parenti omnium veriùs iungi: quatenus eosdem quos propter Deum viriliter negligit, tanto solidius diligat, quãto in eis affectum solubilem copulæ carnalis ignorat.] Qui parentum, propinquorumque cogitationem euulserit, eosque obliuioni tradiderit, is iam perfectè abrenũciauit parentibus propter Christum, & radicem magnæ inquietudinis ablegauit. Omnis námque humana operatio, siue bona, siue mala à cogitatione incipit, quam si bona sit, Deus seminat, si verò mala, aut diabolus, aut corrupta nostra natura suscitat. Vnde D qui cogitationes suas in negotiis & curis suorum propinquorum pascit, iam ingressum immoderato affectui erga illos, & occupationi sæculari concessit. Qui verò cogitationem in Deo habens, nec recordatione propinquis iungitur, immoderatis affectibus, & alienis à suo statuto negotiis manifestè ianuam interclusit. Quanta verò mala religiosis, ex imprudẽtibus erga cognatos cogitationibus proueniant, & quantis inquietudinibus istæ cogitationes ianuam aperiant, nõ ego, sed magnus Basilius dicat. Malo enim in re tepidis religiosis odiosa, patrũ verba contexere, & non proprio stylo aduersùs immoderatum affectũ erga propinquos, & cõsanguineos pugnare. Dic tu sancte pater Basili, & Ecclesiæ Doctor egregie, & monachorũ pater expertissime, quid E de hac re sentias, & quæ mala ex memoria propinquorũ in aliis expertus sis? Quare profuerit, inquit, vt nihil illorũ solliciti, cogitationes ipsi in libertatẽ ab omni cura, & anxia sollicitudine vindicemus. Diabolus enim, cùm omnes nos de rebus vitæ huius curas exuisse animaduerterit, & expeditissimo cursu ad cœlum cõtendere, in hoc elaborat, vt cùm animum nostrũ in propinquorum recordationem reduxerit, eò sensim adducat, vt rationibus illorum curandis, mentem nostram ad suscipiendas vitæ huius sollicitudines impellat, vt videlicet illa secũ verset, quę res propinquorũ sit, eiusmodi nequa se possint tutari, an

Deut. 33.

Gregor. 7. mor. c. 14.

Basil. constit. monast. c. 21.

non: ex contractibus præterea lucra, quæ veniāt, & illorum fortunas quantopere exaugeant: ad hæc ex variis, ac fortuitis vitæ casibus, quæ iacturæ contingant, eæque illorum rem quantopere minuant: facitque, vt ex rebus illorum ad vitæ commoditates prosperis, vnà cū ipsis lætemur, itémque ex aduersis doleamus: similitérque, vt cum eorum inimicis pariter inimicitias geramus (& quod grauius est, qui iussi sumus, vt inimicum neminem habeamus) & amicis contrà foueamus, indignis sæpe spirituali cōiunctione: præterea, vt de iniquis, ac per illorum fraudes quæsitis lucris gaudeamus, prauas denique omnes de rebus vitæ huius affectiones, quibus exutis earū loco spirituales cogitationes induxeramus, denuò in animum nobis reducit, quo iterum ad rerum humilium, atque sæcularium cogitationum depressio, internum monachum perimit. Fit hinc vt veluti statua sit monachus, quæ solam monachi figuram circumferat, nimirum quæ nusquam virtutibus sit animata.] Hactenus dixit Basilius, & sapiētissimè actum dæmonis patefecit. Qui nititur memoriam propinquorum in mentes religiosorum inuehere, vt semina iaciat inordinatorum affectuū, & sæculariū occupationum, quæ, suborta qualibet se implicādi in huiusmodi rebus occasione suppullulent. Quamobrem amatoribus perfectionis memoria carnis, & sanguinis abiiciēda est, vt carnalis affectus paulatim arescat, quo mortificatio facillimū erit, nec nos occupationibus sæcularibus propinquorum euoluere, nec eorum domos & colloquia frequentare.

Sed tandem, ne supersit aliquis scrupulus, imperfectis adhuc viam spiritus nescientibus, & sæcularibus nihil aliud quàm tēporalia cogitantibus, respōdeamus, & quam nullius momēti sint rationes, quibus religiosos ad suas curas conātur pertrahere breuiter explicemus. Istæ sunt tres, pietas, necessitas, vrbanitas. Pietas quidem, quæ, vt Thomas Aquinas ait, non consilij sed præcepti, & non cuiuscumque præcepti, sed ipsius decalogi est, quo tenemur parētes honorare & cognatis in necessitatibus subuenire. Cui præcepto contradicimus, dum religiosos à suorum parentum & propinquorū cura diuellimus. Dicetúrque nobis illud Saluatoris, quo perstrinxit Pharisæos, Quare vos trāsgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram?] Mādatum enim Dei dest, & quidē primum in promissione,] cui scilicet primo promissio præmij adiuncta est, Honora patrē tuum, & matrem tuā, [quod meritò licet nō æquali gradu ad omnes propinquos extenditur: parentes verò, & cognatos relinquere, & oblisci videtur ab hominibus inuenta traditio. Necessitas verò, quoniam si parentes, aut fratres extremè indigent, nō iustitia, non religio, sed manifesta crudelitas est eos relinquere, nec eorum indigentiæ subuenire. Quod Paulus palam confessus est dicens: si quis autem suorū, & maximè domesticorum curam non habet, fidem negauit, & est infideli deterior.] Et sanè cùm ipsa lex naturalis, in hominum visceribus scripta, hanc parentum & propinquorum, imò & omnium extremè indigentium subuentionem iubeat, nulla potest ratione deleri, nullo prætextu perfectionis eius obligatio vitari. Nisi velimus Pharisæis consentire, quos Dominus acriter reprehendit, eo quòd muneris Domino offerendi prætextu, homines à patrum suorum honore ac subuentione volebant eximere. Vrbanitas demum, quoniam virtus, & perfectio vitæ Christianæ, non est agrestis, & rudis, quæ faciat religiosos à suis parentibus, & cognatis eos quærētibus, & visitantibus fugere, & eorum colloquium detrectare. Si autem illi beneuolentiæ gratia ad nos inuisendum accesserunt, debemus, ne stulti habeamur debitum istud persoluere, & eos adinuicem visitare. Quòd si absentes sint, quis litteras ad eos mittere, & salutationes scribere prohibeat, cùm Paulus & Ioānes Christi apostoli non semel in suis epistolis non iam cognatos, sed amicos, & notos, quod minus est, tenerrimè salutauerint?

D. Thom. 3.3.q.101. ar.4. *Math.15.* *Ephes.6.* *Exo.20.* *1.Tim.5.* *Math.15.*

Hæ sunt hominum carnaliter sapientiū rationes, sed profectò nec pietas, nec necessitas, nec vrbanitas postulat, vt nos contra ordinem status nostri, negotiis sæcularibus implicemur, & animæ salutē rebus temporalibus postponamus. Pietas quidem erga parentes, omnes astringit (verum est id) sed non omnes eodē modo, sicut enim diuersi sunt status, sæcularis, & religiosus, ita diuersa ratione à pietatis virtute ligantur. Frater meus, qui in sæculo manet, paternam domum adeat, patri ac matri seruiat, & facultatibus suis, si eas habet, sin minùs industria, & obsequiis eorum necessitati prouideat. At ego qui sæculum & sæcularia deserui, altiori modo virtutem pietatis colam: Quia parentes honorabo, consiliis (si rarò opus fuerit,) iuuabo, & semper orationibus meis, eos, ac reliquos propinquos Deo communi omnium parēti commendabo. Hoc autem adiutorium temporali præest, quia non iam à pecuniis fallacibus, nec à principibus huius sæculi, sed ab eo qui verè Dominus, & pater est omnium, meis parentibus remedium postulo. Necessitas parentum non vna esse potest: aut enim communiter indigent, aut extremè, aut grauiter. Si necessitas communis est, ipsimet parentes, in sæculo & inter diuites politi possunt multò meliùs & decentiùs, quàm filius religiosus sibi solatium quærere, atque adeò filius statum religiosum habens est sufficiēter excusatus. Si verò est extrema, aut grauis (quæ non passim, imò rarissimè accidit) tunc si alij sunt fratres, sæcularem vitam agentes, illis primum, & non religioso prouisio parentum incumbit. Si autem non sit alius, qui patri aut matri grauiter aut extremè indigenti succurrat, tunc religiosus Christum in cruce pendentem imitetur, qui dilectissimam matrem omni humano solatio destitutam, dilecto discipulo commendauit. Ita & ipse crucis vitæ religiosæ clauis trium votorum affixus, parentes grauiter indigentes prælato commendet, vt ipse (si fieri possit) illis de rebus monasterij prouideat. Sin minùs eius obtenta licentia, & de cōsilio seniorum, ac doctorum hominum videat, quomodo per seipsum illi necessitati subueniat. Graues istæ necessitates (vt diximus) rarò: aut non passim occurrunt, & extra illa religiosus perfectiùs faciet, & multa obstacula perfectionis tollet, si se rebus parentum aut propinquorum non immisceat. Nec illi sententiæ illæ sacræ scripturæ negotium facessunt, quia non cum ipso loquuntur, vt apertè Basilius docet, qui citato illo loco Pauli, ista subiungit Huic paucis respondebimus, hoc ab admirabili Apostolo dictum fuisse iis, qui in communi, & vulgari genere vitæ versabantur, qui diuites erant, & propinquorum inopiæ poterant subuenire. Similiter quoque lex etiam hæc dicit. Atque vt dicam breuiùs, viuis dicta sunt illa, non mortuis: nam hi quidem ab omni prorsus huiusmodi debito liberi sunt. Tu autem mortuus es, & toti mūdo crucifixus: reiectis enim vitæ huius diuitiis, summam paupertatem complexus es: cùm te ipsum Deo dedicaueris, in peculiarem Deo thesaurum adscitus es. Vt mortuus liber es omni in propinquos tributi collatione, vt nudus omni rerum possessione, nihil iam habes, quod largiaris.] Et ista sufficiunt. Nam si vrbanitas pietati, & necessitati se comparet, & à me respōsionem *Basil. 6. supra.*

extorqueat

extorqueat, vellem illi non verbis, sed fletu respondere, quòd nos miseri in religioso statu, sæculi obligationes, & salutationes, admisimus, & sæculum in vitam religiosam intulimus, & nosipsos sæcularium vanitati subiecimus. Sed iam si propinquorum colloquia admittenda sunt, sint illa rara, sint religiosa, sint non de rebus sæcularibus, sed de rebus diuinis, sint non suæ vanitati, sed nostro statui conformia. Et erubescamus, quòd illi potentiores sint nobis, & nos ad suas vanitates trahant, & non ipsi ad nostram veritatem peruenient.

Non ergo ô religiose, in hac re tam propria, & tã affectui naturali cognata, tibi ipsi credas, sed magis dictis sanctorum patrum, & exemplis sanctorum, & virorum spiritualium assenti. Parentum, & fratrum, B & propinquorum memoriam, & immoderatũ affectum, & ordinaria colloquia fuge, sed multò magis curas, & negotia deuita, si nõ vis sub habitu regulari mentem sæcularem, & cor mundanum distractúmque gestare. Ne tibi ipsi fidas, nec cuiuis honesto prætextui credas, quia astutus est diabolus, & quos nõ potuit, aut ambitione, aut blanditiis vincere, propinquorũ amore prostrauit. Caro valdè limosa est, & si eam non times, sine dubio tuam mentem inficiet, & ab spiritu te seiunget. Honora patrem tuum (vt verba te Hieronymi moneãt) sed si te à vero patre non separat. Tamdiu scito sanguinis copulam, quãdiu ille suum nouerit creatorem. Alioqui Dauid protinus tibi canet. Audi filia & vide, & inclina aurẽ tuam, & obliuiscere populum tuum, & domũ patris tui: & concupiscet rex decorem tuum.] Grande præmium parentis obliti: cõcupisset rex decorem tuũ.] Quia audisti, quia vidisti, quia inclinasti aurem tuã, & populi tui, domúsque patris tui oblita es, idcircò concupiscet rex decorem tuum, & dicet tibi: Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.] Hæc proculdubio obliuio parentum, & abnegatio propinquorum, quam te Hieronymus monet, te amabiliorem filium Dei faciet, & cognatum Angelorum, quia confidentiùs & affectuosiùs dices: Pater noster, qui est in cœlis,] dum propter patrem cœlestem, carnalem patrem in hoc, quòd tuæ professioni obest, negas in terris: & Angeli te, à carne, & sanguine auulsum, sibi vita propinquiorem agnoscent. Ne obliuiscaris ingens præmium huius abnegationis, quod tibi a Domino promissum est: Et omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut vxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.] Cẽtuplum accipies, & vitam æternam habebis, quod cuiusuis laboris etiam maximi abundantissimum præmium est, & insuper parentes relictos non relinques, & propinquos dimissos non dimittes. Quia si eos ad horam deseris, & ad momentum huius vitæ derelinquis, forsitan per tuas orationes saluatos in æternum possidebis. Tunc eorum consortio sine vllo periculo distractionis lætaberis, & eos videndo, & alloquendo, non à Deo separaberis, sed ad nouas Dei laudes, & ad gratiarum actionem accenderis, Omnésque sancti gratulabuntur tibi, quod odio habendo parentes, & propinquos dilexisti, & fugiendo tenuisti, & non iuuando infructuosè, prudenter ad iter cœlorum arripiendum adiuuasti.

Hierony. epist. 10. ad Furiã.

Psal. 44.

Cant.

Matth. 6.

Matt. 19

Quod religiosus nimias familiaritates vitet.

CAPVT XXVI.

A Adem vobis scribere, inquit Paulus sanctissimus Euangelij præco, mihi quidem non pigrum, vobis autem necessarium.] Idem nunc & nos dicimus, quoniam, quæ suprà pro re nata breuiter scripsimus, nunc ex professo repetimus. Ita verò repetimus, vt circa prætactam materiam non eadem, sed diuersa dicamus. Nec frustra repetimus, quia res maximè necessaria non satis exposita est, nec circa eam, quæ diligentissima indiget circumspectione, satis superius putamus fuisse prædictum. Hæc autem res est mutua amicitia, ac familiaritas, quam interdum religiosi sub specie boni suscipiunt. Quæ si ad nimietatem declinet, non minus ipsismet religiosis, ac sanctæ religionis domibus perniciosa est, quã essent inimicitiæ, ac manifeste dissidia. Nisi quod ista palam, & sine vllo fuco bonum religionis destruunt. Quod in vnitate est positum, nimiæ verò familiaritates abscõditè, & fraudulẽter, quia sub specie vnitatis idem bonũ domorum religiosarum subuertunt. Omnes quidem tam religiosi quàm sæculares amãdi sunt, proximi enim sũt, quos charitas suo gremio cõplectitur, sed nemo immoderato, ac nimio amore diligendus. Cum omnibus, aut nostræ aut alienæ professionis fratribus conuersandum est, quando id aut necessitas, aut vtilitas tulerit, sed nullus quantũuis sanctus ad nimiã familiaritatem admittendus, nisi fortè consultò velimus diuinam familiaritatem amittere, & in ingẽtes mentis distentiones, & in magna vitia prolabi. Nec cũ C sancto, ac perfecto viro immoderata amicitia, ac nimia familiaritas habẽda est (& nunc nihil de amicitia cum fœmina quantumuis sancta loquor, nã ipsa diuersitas sexuum, & ignis cum stuppa coniunctio, satis periculum vstionis declarat) quia ille aut talem familiaritatem respuet, aut perfectionis proposito, quod conceperat, miserabiliter decidet. Perfectus enim amor Dei omnem alienum amorem reiicit, & vera cum Deo orationis familiaritas, omnẽ ineptam cum hominibus familiaritatẽ excludit, quod si hæc quisq; complectatur, nec perfectus in eo Dei amor, nec intima orationis familiaritas est. Cum nullo, inquam, licèt magnæ virtutis specimen præbeat, licet magnæ sanctitatis videatur, nimia amicitia, aut multa familiaritas habenda est, quæ bono fine incipiens, si D duret semper in aliquod malũ proruit, & sæpissimè non quodcúmq; malum, sed magna, & intolerabilia mala progignit: Hísque, qui istas ineptas amicitias sub prætextu boni, aut alicuius profectus spiritualis ineunt, omnino congruit illud Pauli. Sic stulti estis, vt cùm spiritu cœperitis, nunc carne cõsummemini. Nã quod spiritus cœpit, aut (verius loquẽs) cœpisse videtur, caro, id est, distractio, & ambitio, & loquacitas, & scandalum perficit, (quid timeo dicere) & interdum caro ipsa, ulmirum carnalis amor, & impudica affectio consummat.

Istæ nimiæ familiaritates, & immoderatæ amicitiæ (vt nunc aliqua earũ detrimẽta recenseã) primũ cor viri spiritualis amore creaturarũ inficiũt, & cogitationibus inutilibus, & vanis desideriis cõtaminant. E Amor enim creaturæ alicuius, qui ordinatus non est, nec Dei causa à nobis assumptus, nõ dubiũ, quin cœnũ, ac lutum fœtidũ sit, quod spiritui ad Deũ creato superiniectũ, charitatẽ erga Deũ si non tollit, at fidelitatẽ cõmaculat, dum mentẽ à Deo aliquãtulũ auocat, & in vilissimã creaturã immoderatius inclinat. Dũ verò huic spiritus plus æquo iũctus est per amorem, non potest nõ inutiles cogitationes rei amatæ parere, & vana desideria eorum, quæ illi vtilia putãtur, progignere. Sicut enim malus, cui ramus pyri

Philip. 3.

Galat. 5.

infertus est,nō mala,sed pyra profert: ita cor in quo plantatus est immodicus alterius hominis amor,qui audiuit: puluis es, & in puluerem reuerteris,] non cogitationes,& desideria cœlestia,sed terrena,& lutulenta producit.Tunc autē spiritualis vir hoc amore saucius,nisi penitus suæ salutis obliuiscatur,dum suam conscientiam examinat,multa inueniet, quæ amarissimè defleat. Quid enim non ploret cor suū, ad Deum diligendum creatum, amore stercoris, & luti possessum? Quid non gemat mentem,ad diuina meditanda concessam, vanissimis alicuius hominis cogitationibus implicatam?Quid nō defleat voluntatem,antea pro amore Dei à rebus creatis auulsam, iterū desideriis ineptis cōmoditatum amici submissam. Optimè profectô dixit Dorotheus. Bonum est non admodum affici erga coætaneos, huiuscemodi enim cōsuetudo,& nimia familiaritas fletum affert, Quare is nō est multùm diligēdus,qui obest magis, quàm prosit.]Iam vidimus,sancte vir,quare hæc nimia familiaritas fletum afferat, sed quare obest magis, quàm prosit. Certè ideò,vt ego existimo, quia ista nō ad ordinem redacta familiaritas,prodest carnali affectui,& veteri homini,qui huiusmodi amicitiis delectatur, & vanis colloquiis pascitur: obest autē interiori homini, quem reformare nitimur, & eum in itinere pefectionis retardat, & à proposito semper proficiendi, & in spiritu crescendi diuellit. Obest quidem,quoniam animā à debita, quam Deo habere debet,fidelitate retrahit.Nam sicut spōsa infidelis est sponso,& in adulterium sensim vadit,quæ oculos in alium,quàm in spōsum iniicit,& ei in corde suo locum tribuit,& simul cum sponso in cōsortium amoris admittit:ita anima sponsa Christi à quo per statum religiosum in castissimum est cōnubiū admissa, dum alio,quàm Christo immoderatè afficitur,& in amico amorem suum collocat, ab infidelitatis nota,& ab adulterij periculo liberari nō potest. Quomodo enim infidelis nō est, quæ vanum hominis amorem accendens, erga Christum charitatem tepefacit? quæ in lecto sponsi,nimirū in corde alium per immoderatum amorem admittit? quæ temporis spatia colloquiis sponsi tribuenda,inutilibus cōuersationibus hominis occupat? Et quomodo adulterij periculo eximitur, quæ ita immoderatè hominem amat,vt propter illum peccata leuia patrare nō vereatur? Nam ex minimis venitur ad magna, & quæ sponsa hodie leuiter sponsum lædit,cras maiori tētatione impugnata,non iam leniter,sed grauiter offendet.Quis iam non videat istas amicitias,viris spiritualibus esse abscindēdas?Si enim membra putrescentia,& aliis tabem,& perniciem afferētia rescindimus, cur nos amicos, quæ non membris corruptibilis corporis,sed animæ,& perfectioni officiunt, æquo animo patiamur?

Gen. 3.

Doroth. doct. 21. regul. rogar 3.

Sed esto,aliquis hæc mala,aut aliquod illorum ex nimia cum aliquo familiaritate non sentiat, quòd certè rarum erit,& fortè non ex eo quòd malum nō adsit,sed ex eo,quòd homo non cognoscit seipsum, nec cordis abdita est rimatus,proueniet: at non modicum detrimentū cōgregationi afferet,cuius membrum Deo donāte,factus est? Nam religiosus immoderato amoris affectu erga aliquē captus,aut nimiæ, & indiscretæ familiaritati alicuius addictus,eū multoties supra meritum laudat,& quantùm potest verbis ac factis supra alios extollit: alios etiam aliquantulum, auersatur, qui possint cum illo suo familiari de primatu contēdere,aut illum cōcupita dignitate priuare. Ex hoc autem, quid in congregatione religiosorum,nisi discordiæ,& rixæ,& dissensiones sperari possunt?dum quisque intendit suum familiarem

A in potiori loco collocare,& supra alios efferre?Quid nisi iustitiæ,& æquitatis violatio, dum dignus non amatus reiicitur,& indignus amatus extollitur?Quid nisi ipsius familiæ religiosæ pernicies, dū volumus ab indignis,& immeritis,quia eos diligimus gubernari?Profectò hæc non inuenta sunt & cogitata, sed sæpè visa,atque perspecta:& vidimus aliquando, & non sine mœrore animaduertimus, si non impium, at indignum,& ineptum,exaltatū super cedros Libani & vitem,ac oleam, & ficum despectas, rhamū verò imperitare.Id autē ne saltemus extra chorum, exitium perfectionis est:tuæ quidem perfectionis ò religiose,qui immoderatas amicitias foues, quoniā inuidias etiam,& simultates,& singularitates foues, quas mentis puritas, & animi tranquillitas non admittit:Et perfectionis aliorum, quia dum eis carnalem hominē,& in rebus spiritualibus minimè exercitatum

B præficis,spiritualem ædificationem,quā bonus Prælatus cœpit,& alius prudēs domui præfectus continuaret, manifestè subuertis. Et quemadmodū si imperitissimum medicum ad curandum ægrotum accerseres,eū periculo námque recuperandæ salutis exponeres:ita dum illum tuum familiarē in munere Prælationis constituis, animas subditorū, quæ eius exēplo, & doctrina proficere debuissent,discrimini obiicis amittēdæ spiritualis salutis.Si hæc attentè & candida mente consideres, intelliges Basilium non animo exaggerādi sed aperiendi simpliciter veritatem has imprudentes familiaritates,odiis, & cōtentionibus:comparasse.Quoniam inquit,æquali prorsus inter se vicissim charitate complecti omnes debent,iustitia violatur, quotiescumque in communi

C conuentu,priuatæ aliquæ coitiones reperiuntur,aut sodalitates.Qui enim vnum aliquem magis, quàm cæteros diligit,is quòd nō perfectè cæteros diligat, de seipso indicio est. Quocircà similiter ex cōuentu reiicienda sunt,& turpis,& indecora cōtentio, atq; amor iste singularis. Siquidem ex contentione inimicitiæ,ex amore autem singulari, sodalitateq;, suspiciones,inuidiæq; oriuntur. Vbique enim æqualitatis defraudatio,inuidiæ,odiique materia, ac seminarium existit iis,qui ea defraudantur. Quare factū est,vt præceptum etiā à Domino nobis sit, vt bonitatem imitemur illius,qui solem suum oriri facit super iniustos,nihilominus atque super iustos.] Quēadmodū igitur Deus promiscuè omnibus lucē impartitur,sic imitatores Dei,charitatis ipsorū radium

D æqualiter communicare omnibus debent: quandoquidem vbi deliquium patitur charitas, eo prorsus eius loco odium succedit. Quòd si, vt Ioannes ait: Deus charitas est,sine dubio necesse est, diabolum odium esse.]Deus itaque nobis in amore, sicut & in cæteris imitādus est,qui non affectione capitur, sed veritate rerū allicitur,& cū meliora magis amat, & minora minus diligat,ab omnibus tamen tā maioribus quā minoribus liber existit. Sic & nos eius imitatores facti,non immoderatis affectibus ad diligēdos amicos rapiamur, sed veritate meritorū ad magis aut minùs amandum incitemur. Siue autem quis maiori,aut minori amore dignus sit,numquam eius affectio cor nostrum in seruitutem redigat.sed liberè

E diligentes,& non propter nostra commoda, aut ob naturalem propensionem,sed propter Deum amore quempiam complectentes, spiritualis viri mens libera,& immodico affectu soluta consistat. Præcepit Dominus Israelitis, ne cum alienigenis amicitias, inirent.Caue,inquit,nunquam cum habitatoribus terræ illius iungas amicitias,quæ sint tibi in ruinam: quia nimium facile erat postquam amici placēt, res eorum placere,& ad idola,quæ illi adorabāt, decli-

Basil. ser. de instit. monachor. ante reg. fus disputatas.

Matth. 5.

1. Ioan. 4.

Exod. 34.

nare. Idem & nobis cautum est, ne immodica amicitia erga aliquem afficiamur: quia profectò quod ille voluerit, licèt indecens, licet prohibitũ eius gratia cupiemus, & vt ipse contra ius & fas assequatur, conabimur.

Alio etiã modo indiscretæ familiaritates toti cõgregationi nocent, quia in cordibus aliorum scãdala generãt, & querimonias, ac detractiones exsuscitãt. Quis namque videns duorum religiosorum frequẽtes sine vlla necessitate collocutiones, susurrationes chachinnationes, nõ aliquid mali de illis suspicetur, non charitatis sinceritatem abesse imaginetur, non ad credendum aliquid esse inter illos minus graue, minus decens, & fortè minus honestum compellatur? Quis hanc singularitatem amicitiæ consideràs, os suum obturet, & non cum altero loquens vitium arguat, indiscretionem notet, & de tam aperta procacitate non murmuret. Et tua indiscreta leuitas frater socios contristat, seniores mœrore afficit, & totam hominum Deo seruientium congregationem conturbat. Atque dum tuam mentem per imprudẽtem amicitiam à Dei familiaritate separas, fratres tuos lædis, & à temetipso eorum voluntates alienas. Quare timenda tibi est illa Saluatoris sententia, qua scandala inferentes exterret. Qui autem scandalizauerit vnum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei vt suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris. (*Matt. 18.*) Melius sanè tibi esset, tempestate iactato in profundum maris mergi, quàm scandalo pusillorum fœdato à Dei amicitia deturbari. Ostendo ergo tibi, ô amicorum, & familiarium amice, vnũ amicum, cum quo sine vllo, aut tuo periculo, aut aliorum scandalo, intimam quam potueris familiaritatẽ ineas, & indissolubilem amicitiam admittas. Hic autem est Christus Iesus Deus tuus, & Saluator tuus, amicus fidelis, & verus, qui numquam te deseret: amicus vtilis, qui omnibus te bonis ditabit: amicus melle dulcior, & fauo suauior, cuius te verba in amore succendent, & ad omne bonum allicient. Huius tui creatoris amicitiam sectare, & non diebus ac noctibus ab eius conspectu, & ab ipsius colloquiis separari sustineas Nec enim huius amici amore fœdaberis, sed magis mundaberis, non inquietudine, sed tranquillitate afficieris, non congregationi detrimentum, aut fratribus scandalum; sed illi magnum profectum spiritualem, & his optimum exemplum imperties, si autem præter hũc alios amicos es habiturus, illi non sint dyscoli, non tepidi, nõ libertate & scurrilitate notati, qui teipsum suis vitiis, & peccatis inuoluant. Nam vt dixit Gregorius, malorum, cùm incautè amicitiis iungimur, culpis ligamur. (*Greg. in pastora. 3. p. admonit. 23.*) Vnde Iosaphat qui tot de ante acta vita præconiis attollitur, de Achab regis amicitiis perlaturus increpatur. (*2. Paralip. 19.*) Cui à Domino per prophetã dicitur; Impio præbes auxilium, & his qui oderunt Dominum, amicitia iungeris, & idcircò iram quidem Domini merebaris.] Ab illo enim, qui summè rectus est, eo ipso iam discrepat, quò peruersorum amicitiis vita nostra concordat. Si aliquem similem amicũ habeas, qui te ad inobedientiam suis verbis, aut suo exemplo, ad libertatem, & ad alias imperfectiones instiget, prudenter cum à te segrega, & noxiam amicitiam abscinde. Hic est enim ille oculus, & manus, & pes, de quibus Dominus ait: si oculus tuus, aut manus tua, aut pes tuus scandalizat te, abscinde eum, & proiice abs te.] (*Matt. 18.*) Neque enim de oculo, aut manu, aut pede corporis loquitur, sed vt ostẽdit ait Chrysostomus præstare, si quem amicum habeas, etiam charum perinde ac tuum oculum, eum quoque reiicere, & à tua præcidere familiaritate, si (*Chrys. hom. 1. de incomprehensibili Dei natura.*) modò te scandalizet, hoc est, animæ nócet. Quid enim iuuat habere oculum, cùm reliquum corpus lædatur & pereat. Ergo si, vt proposui, detrimentosæ sint amicitiæ, resiliamus, & fugiamus, at si nullam noxam, nullam iniuriam, nobis ad religionem, pietatisque rationem inferant, inuitemus; ducamus amicos ad meliora. Verùm si neque prodesse amico possis, & detrimentum ex eo haurias, consulere tibi debes, vt tutus securéque maneas. Fugiendæ sunt enim amicitiæ si offendant.] Itaque erue oculum, amputa manum, abscinde pedem, id est, separa à te amicos, qui te libertatem docens, inobedientiam, aut leuitatem monstrant, & ad aliquã imperfectionẽ inducunt. Hoc namque saluberrimum est, cùm habeas in religiosa familia pulchros oculos, tornatiles manus, & pedes speciosos, nimirum viros sanctos, atque perfectos, quos tibi possis adiungere, & eorum præsidiis adiuuari.

Habe igitur amicum præcipuum Christũ, & habe amicos homines, (etenim & hoc permitto,) sed illos, qui sint Christi amici, sponsi, sodales, qui te verbo virtutem doceant, exemplo ad perfectionem moueant, & ad omnem sanctitatem impellant Istos verò etsi bonos, etsi sanctos, etsi perfectos nequaquã intra cor tuum admittas, quod vacuum omni re creata, & mundũ ab omni immoderato affectu, soli Christo seruandum est. Ipse solus cor tuum inhabitet, intima viscerum tuorum impleat, in abditissimo tui spiritus commoretur, aliis verò amicis iuxta cor scilicet, propè habitaculum sponsi locum aptũ, congruumque concede. At dicis, quid est non in corde, sed iuxta cor amicos & familiares habere? Id quidem, vt nulla ratione eorũ amor te occupet, nec à dilectissimo sponso separet, nec alicuius affectus immoderati nexu deuinciat. Id quidem, vt illos moderatè ames, Dei solius causa diligas, ab eorum præsentia non pendeas, & conuersationem eorum non ad aliud, nisi vt te res spirituales doceant, & tuam mentem in Deũ efferant, quæras. Id tandem vt nulla singularitate, eorum causa noteris, nec eos aut verbis, aut factis, aut alio quouis modo melioribus anteponas. At his dices. Numquid in omnibus imitandus non est, Dominus noster Iesus Christus, &: vita nostra, ac conuersatione sequendus? Sed ipse inter discipulos suos Ioannem ob virginitatis priuilegium amantissimum habuit, & præ omnibus eum teneriùs dilexit: Hoc quidem verum est, & ob id vocatus est Ioannes discipulus, quem diligebat Iesus.] (*Ioan. 21.*) Et bene, ac laudabiliter hoc factum Domini poteris imitari. At tecum ipse cogita, in quo ista imitatio sita est, & videbis eam nullo modo dictis nostris de nimia familiaritate cum hominibus cauenda aduersari. Nam vt Christum in hoc imiteris, poteris sanè meliores magis amare, perfectiores imperfectioribus præferre, & maioribus donis præditos, communioribus hominibus anteponere. Hoc enim ordo charitatis poscit, æquitas petit, iustitia exigit Quam si omnes ad amussim custodiret, & meliores, ac digniores vehementiùs suspicerent, ampliùs honorarent, & locum ambitioni & præfationibus non pręberẽt, meliùs regeretur Ecclesia Dei, & quælibet religiosa familia pulchriore colore fulgeret. At numquã Saluator noster docuit vanas amicitias colere, cum adolescentulo, aut nobili aut otioso, & vaniloquo intempestiuè conuersari: istum diligere, istum efferre, istum melioribus præponere, & eum solum reliquis contemptis sanctum, sapientem, & ad omnia, quæ honoris nomine occurrunt, aptum prædicare, & idoneum habere. Erubesce, ô vir Dei istã stultitiam tuam, cuius causa isti te vident, & illi te

 sperant,

ſpernunt, & omnium fratrum tuorum indignationem incurris. Affectum iſtum inordinatum relinque,qui te vinctum, ac ligatum tenet,ne in ſpiritu proficias,& in Deum amore conſcendas. Amorem depone creaturæ, qui te inficit, fratres turbat, congregationi obeſt, & Deum, cui ſoli cor tuum mundum,& imperturbatum cuſtodire debes,plus quàm tu cogitas, offendit. Sepi non dico iam aures tuas, ſed cor tuum ſpinis,vt creaturæ amor non valeat ad te intrare, imò nec audeat accedere; quia iſte amor inordinatus, ſenſum,& cogitationem, & affectum ſibi vendicat, & curam placendi Deo in ſollicitudinem placendi amico cōmutat. Omnes affectu charitatis dilige,vniuerſis te mitem,& benignum exhibe,& nemo ſit,quem tuus amor à munere benignitatis excludat.

Ephes. 5.

Ambulate in dilectione, ait Paulus, ſicut & Chriſtus dilexit nos.]Chriſtum itaque in dilectione imitare: & ſicut ipſe omnes dilexit,& omnes ſpiritualiter dilexit, & ſine vlla leuitatis nota dilexit,ſic talis ſit dilectio tua, quam ſingularitas nō dānet,ſed ſpiritus approbet,& grauitas ſancta commendet.

Bonauent. in ſpeculo. diſcipl. 2. p. principal. c. 6.

Si verò omninò iudicas aliquem tibi familiarem eſſe eligendum, audi ex Bonauentura,quem prudenter debeas eligere. Si familiarem,inquit,admittis, ſit, quem ætas, mores,diſcretio,& honeſtas inſignit,& commendat. Familiaritas ſi fuerit ordinata, non erit blanda, improba, puerilis. Eſt modeſta quædam, in ſancta familiaritate ſeueritas, eſt & iuſtitiæ rectitudo,vt nullatenus vitiū foueatur, nec pro amico proximus offendatur,

Eccleſ. 6.

noli, ait ſapiens, pro amico inimicus, fieri proximo.] Quæ familiaritas ab hoc Patre deſcripta, ſi hos limites non tranſilierit, nec in nimias collocutiones deflexeris, nec quo ad res externas familiarem immeritum alteri digniori prætuleris, nec Deo erit ingrata, nec fratribus inuiſa,nec viro ſpirituali eam moderatè admittenti pernicioſa.

Quòd religioſus ſuperfluos diſcurſus, & viſitationes fugiat.

CAPVT XXVII.

OMNIA vitæ ſpiritualis documenta talis conditionis ſunt, vt benè cognita ingentem vtilitatem afferant, malè verò intellecta ſpiritualem ædificationem euertant. Quod vel in vno Saluatoris verbo, quod ſuprà tetigimus, facilè quiſque percipiet.

Matt. 18.

Dixit enim ille. Si manus tua, vel pes tuus ſcandalizat te, abſcinde eum, & proiice abs te.] Si hoc bene intelligas, magnam ex eo vtilitatem percipies, quoniam propinquos, aut amicos te ad peccatum inſtigantes deſeres, & à tuo conſortio reiicies: ſi autem malè interpreteris, & velis aut eruere tibi corporis oculos, aut præcidere manus aut pedes, quoniā illis aliquid minus decens perpetraſti,in magnum atque indiſcretum errorem incides. Conſultò ſanè ab hac animaduerſione locum iſtum incipio, vt illud cōſilium ſapientis obſeruem?

Eccleſ. 18.

Ante languorem adhibe medicinam.] Quoniam ego non ſolitariis religioſis,ſed mixtis,& in vtilitatem animarū incumbentibus ſcribo, à quibus cupio iſtud præſens documentū de vitandis ſuperuacuis viſitationibus,ac diſcurſibus probè intelligi,& ea prudētia,qua decet,obſeruari. Quod quidem meo iudicio illis eſt magis, quàm ſolitariis neceſſarium: nam iſtos ipſorum ſanctiſſima inſtitutio, & clauſtri obligatio ab omni diſcurſu,& inſtabilitate arcet: iſtos verò non tam vitæ genus, quod ſæpè ad exitus è cella,& domo, & ad viſitationes aſtringit,quàm deſiderium proficiendi ſeiungit.Ante languorem itaque præparo medicinam,& illos, ne me putēt ipſis velle perſuadere vitam ſolitariam, quam nō profitentur,ſed vitam perfectam, & ſpiritualem exoro.Cùm enim hi vix Apoſtolicæ ſunt ſectatores, quis niſi emotæ mētis velit illos cellis occludere, & à neceſſariis diſcurſibus prohibere? De illo quidem, quem dedit nobis Pater in omnis perfectionis magiſtrum,hæc legimus:

Matt. 9.

Et circuibat Ieſus omnes ciuitates,& caſtella, docens in ſynagogis eorum, & prædicans euangelium regni,& curans omnem languorem,& omnem infirmitatem.] Ipſe etiā domos publicanorum & Phariſæorum adibat, & ſine vlla trepidatione,cùm opus erat, aliorum hominum habitacula frequentabat,vt ſe Apoſtolicis viris exemplum ſanctæ cōfidentiæ, & diſcretæ libertatis offerret.Apoſtolis quoque iam ſancto Spiritu confirmatis non dixit, deliteſcite in antris, & ſpeluncis fugite conſortia hominum, & abſcondite vos in cauernis terræ.

Mar. vlt.

Sed quid dixit?Euntes in mundum vniuerſum,prædicate euangelium omni creaturæ.

2. Cor. 11.

Ac Paulus:Miniſtri Chriſti ſunt,(vt minus ſapiēs dico) plus ego.]Et ſtatim ſic ſuum miniſterium commendat:in itineribus ſæpè, periculis fluminum,periculis latronum,periculis ex genere,periculis ex gentibus; quo itinera Dei, & animarum gratia ſuſcepta, non vituperat,ſed maximè laudat.

Baſil. l. in conſt. monaſt. c. 8

Quare magnus Baſilius, vt neceſſarios diſcurſus & viſitationes vtiles non eſſe à vita religioſa alienas doceat,poſtquā ad quietem hortatus eſt, hæc ſtatim ſubiufert: Neque verò tamen propterea perpetuò eſt, tamquā in cuſtodia permanendum: ſed quandocumque & res poſſit,& conſcientia nō reprehendit liberè eſt,fidenterq; prodendum,& de fratribus probatiſſimi quique & propter inſignem vitæ ſanctitatem maximè vtiles inuiſendi, & ex fructuoſo illorum congreſſu, virtutum exempla capienda:ita tamen(vt quemadmodum diximus)in prodeundo modus teneatur,& praua omnis ſuſpicio euitetur. Siquidem eſt ſæpenumerò,cū exortum in animo tædium ſuſcepta peregrinatio diſcutit,& ſpatio ad colligendas denuò vires, ac ſeſe erigendum refocillandumve dato, alacriorem ad capeſſēda de integro pietatis certamina facit. Quod ſi quis apud ſeipſum glorietur, quod pedē omninò è cella non efferat, enimuerò intelligere is debet, inani ſe admodum re inflari. Neque enim non prodire ipſum, ſua ſponte laudandum eſt, aut aliquando prodire homines ſolet,aut bonos facere, aut malos,ſed vel quod ad res honeſtas firmum, ac ſtabile animi iudicium eſt,vel contra leuitas, & inconſtantia, hominem bonum reddit, vel malum. Si verò quis propoſitā ſibi ſemel in animo honeſtatem firmè cōſtabiliuerit,& diuturna exercitatione temperādarum animi ſui motionum probè iam rationem didicerit, iſque edomitis corporis ſui libidinibus, & animi ratione alienis motibus refrænatis,quod præterea rationis fræno confidāt, ob eam cauſam è monaſterio prodire,frequentiùs velit, vt fratres ædificet,viſitetque, qui huiuſmodi eſt,eum ratio ad prodeundum potiùs impellet, quàm reuocabit,quo videlicet poſita ſuper candelabro lucerna,cūctis præclaræ doctrinæ ſuæ largè lumē impertiat,modò verè confidat, in quoſcunque inciderit, illis ſe & doctrina,& exemplo virtutū veluti ſcolam futurum & ſi ſeipſū diligēter antè munierit,vt quod eſt apud Apoſtolum,

2. Cor. 3.

ne fortè cùm aliis prædicauero,ipſe reprobus efficiar.] Hactenus Baſilius.Ex cuius verbis ſatis colligitur religioſis vtiles diſcurſus,ac viſitationes non eſſe interdictas, ſed eas dumtaxat,quas aut

animi leuitas, aut curiositas, aut tædium cellæ, aut aliis consimiles affectus dictauerint.

Quo fundamento præiacto, quòd hoc loco necessarias è cella, aut cœnobio egressiones nõ carpimus, illud religiosus apud se statuat, omnes inutiles, & animæ suæ, aut aliorũ minime proficuos discursus esse omnino vitãdos, si vult in virtute proficere, peccata multa cauere, & religiosam disciplinam custodire. Hi namque discursus, quibus aliquis secretum suum deserit, & huc illucq; sine legitima causa discurrit, & sæcularium aut aliorum quorumcumque domos adit, non sunt aliud, quàm innumerabilium peccatorum seminaria, disciplinæ religiosæ dispendia, & amittendæ omnis virtutis pericula manifesta. O vtinã non quotidie istud experiremur! O vtinam non videremus istos, qui mundum peragrant, & in nullo loco consistunt, qui per vicos & plateas ciuitatis non ad quærendum sponsum, sed ad pascendos oculos, & ad soluendam linguam, & ad tractanda sæcularia negotia discurrunt; qui domos nobilium, & magnatum, & interdum muliercularum frequẽtant: O vtinam, inquam, non videremus illos innumeris peccatis sordidos, bonis operibus vacuos, & omni sensu vitæ spiritualis expertes. Sed etiam vnde hæc instabilitas oriatur, & quæ mala pariat, & quod sit eius remedium aperiamus. Pestis ista, quæ religiosos ab omni spirituali exercitatione distrahit, & in sæculares, & aulicos, aut negotiatores conuertit, ex accedia generatur, & ex tædio mentis, patre omnium vitiorum, exoritur. Quod Cassianus in hũc modũ professus est: Accediæ genera sunt duo, vnũ, quod ad somnum præcipitat æstuantes: aliud, quod cellam deserere, ac fugere cohortatur.] Et idem alio loco vberiùs de accedia loquens, hæc ait: deinde honestas idem morbus, ac necessarias suggerit salutationes fratribus exhibendas; visitationésq; infirmorum, vel eminus, vel cominus positorum. Quædam etiã pia, ac religiosa dictat officia, illos vel illas debere parentes inquiri, & ad salutandos eos crebriùs properari, illam religiosam deuotamque Deo fœminam omni præsertim parentum præsidio destitutã, magnum opus esse pietas frequentiùs inuisere; ac si quid ei sit necessarium, quæ à propriis parentibus negligitur, atque despicitur, sanctissimum procurari, magisque oportere in his operam pietatis impẽdi, quàm infructuosè, ac sine vllo profectu in cellula residere. Et verè ita est; aliquos enim vidimus spiritus feruore succensos, cellam amare, publicum fugere, lectioni, & orationi instare, & sola vtilia ministeria proximorum admittere, qui ex feruore in teporem prolapsi, hæc vtilia horrent, quibus antea libentissimè incumbebant, & ad deambulationes, ad itinera, ad salutationes sæcularium, ad colloquutiones magnatum, & ad negotia mũdi incessanter aspirant. Sed ego nolo illos iudicare, ipsimet suorũ cordium sint iudices, & videant, an præsens inquietudo cum præterita tranquillitate, an ista mentis ariditas, cũ illa antiqua consolatione spiritus, an ista vita imperfectionum, ac culparum vermibus scatens, possit cum illa vita purissima, quam deseruerunt, vlla ratione conferri. Quòd si non possit, dicant illud Oseæ; Vadam & reuertar ad virum meum priorem, quia bene erat mihi tũc magis quàm nunc.] Sequãtur illius Samaritanæ mulieris exẽplum quę libidinem quinq; virorum deseruit, vt Christo inseparabiliter adhæreret. Amorem quinque sensuum deserant, & ab eorum distractione discedant, & ad pristina virtutis studia reuertantur, & tunc elapsa tranquillitas, ac interna consolatio ipsius arridebit.

Cassian. lib. 10. c. 11

Idem lib. 10 de spiritu acced. c. 2.

Oseæ.

Ioan. 4.

Accedia itaque, ac tepiditas mentis, mater est distractionis, & genitrix visitationum, & deambulationum inutilium, istæ verò trium sunt maximorum malorum exordia. Vnum est, quòd ista distentio animæ & colloquutionum, ac visitationũ, ac negotiorum sæcularium admissio, animã sensim emollit, & à prima illa luce diuinitus data, & à feruore concepto, & ab adepta stabilitate dimouet: quibus abiectis, facillimũ est ex feruore non iam solùm in leues culpas, sed in manifesta & grauia peccata prolabi. Accidit huic animæ illud Dauidis: Et crediderunt verbis eius, & laudauerunt laudem eius: citò fecerunt, obliti sunt operum eius, & non sustinuerunt consilium eius.] Quid enim est credidisse istos verbis Domini, nisi eius vocationem excepisse? & quid laudem eius laudasse, nisi ad mutationem in semetipsis à Deo facta stupuisse, & tam benignam donorum largitionem fuisse admiratos? At citò fecerunt, imò & citò defecerunt, quia post breue tempus, virtutis studia reliquerũt, & in sæculi negotia declinarunt. Paulatim illam mutationem admirabilem, in se patratam obliti sunt, & cõsilium Domini, ne corde redirent in Ægyptum aspernati sunt: Quod verba sequentia demonstrant: Et concupierunt concupiscentiam in deserto, & tentauerunt Deũ in inaquoso.] Infelices illi qui non rem aliquam, quæ cordi suo satisfaceret, sed concupiscentiam affligentem concupierunt, (quia status eorum, nec voluptates, nec honores, nec sæculi diuitias fert,) & velut homines famelici odorem ciborum, percipientes, nec aliquid eorum degustantes, fame & siti laborarunt. Verè concupierunt in deserto, & tentauerunt Deum in inaquoso, quia in statum mundo inimicum volunt ipsum mundum inuehere, & quæ vitam religiosam nõ decent, stultis distractionibus impetrare. Insensibiliter silẽtium odio habere incipiunt, asperitatem vitæ cõtemnere, eósque orationis & lectionis tædere; deinde luxui sæcularium, vt eorum occupationibus, incipiũt assuescere, principia verò ista tam luctuosa nõ aliud quàm aut apertam aut occultam vitæ religiosæ derelictionẽ promittunt. Apertam voco dum quis à Diabolo deceptus mutationẽ status, & vitę laxioris resumptionem meditatur; occultam verò, cùm retẽto externo habitu, maioribus sæculariũ imbuitur. Coruus egressus ab arca humani generis seruatrice, non est reuersus ad eam, & isti semel à vitæ religiosæ trãquillitate ad sæculares colloquutiones, & visitationes egressi, in bonum quod perdiderunt, redire non curãt. Sunt illæ stellæ Apocalypseos, quæ de cœlo ceciderũt super terrã.] quæ nimirum spreto studio cœlesti, ad quod vocati sunt, rebus terrenis inhiant, & nihil aliud in suis cogitationibus, & desideriis, & verbis, nisi terrenum inspicitur. Columbæ erant, quorum cibus selectus, & mundus, sed iam vultures facti sunt, qui cadaueribus id est, rerum sæcularium vanitate pascuntur. Et vt omnia in se mala congerant, etiam domesticarum auium in eo quod periculosum est, cõditionem imitantur. Nam sicut aues cicures, quia in vrbibus, & apud homines commorantur facile capiuntur: ita istos religiosos aulicos, & negotiatores luxuria afficit, & vtinã solùm afficiat, ambitio percutit, inuidia corrodit, & omne vitiorum genus illidit. Egregiè namque dixit Hugo, qui discurrunt per alienas domos, de assiduitate sæcularium gaudent hominum, qui foris spectacula sequuntur, qui non ad necessitatem communem, sed ad propriam voluntatẽ sunt parati, qui causas itineris sui non habent, sed fingũt: tales dico, sicut sunt faciles ad discurrendum, ita forsitan proni sunt ad ea, quæ loci opportunitas subministrat.] Sæculum autem, ad quæ subministrat ma-

Psa. 105

Psa. 105.

Genes. 8.

Apocal. 6.

Hug. 1. de claustro animæ, c. 4.

teriam,

teriã nisi innumerabilia ad peccata, in quæ isti miseri, ac tepidi impingunt. & in mortem animæ prolabuntur? Sicut enim lux in laterna ab impetu ventorum seruatur, extra illam verò, non iam magno vento, sed flatui leuissimo extinguitur, ita religiosũ ineptus discursus, & non necessaria congressio sæcularium occidit, cella verò, & silentium, & ianua cœnobij custodit. Abel non in paterna domo, sed in agro occisus est. Cui dixit Cain, egrediamur foras. Cúmque essent in agro, consurrexit Cain aduersùs fratrem suum Abel, & interfecit eum.] Ita homo per vitam religiosam Deo consecratus, nõ in domo patris, & dum est sub cura prælati, sed in agro, inpræsumpto causæ fictæ necessitatis itinere, in hospitio, in conuiuio, & in domo sæcularis occiditur. Est ex illorum numero, de quibus ait Iudas Apostolus: sidera errantia, quibus procella tenebrarum seruata est in æternũ.] Crede mihi, ô religiose, quia expertus loquor, & hoc non semel, sed sæpius vidi, quia ex sidere errante fit sidus cadens: & si erras in sæculo, & per domos sæculariũ, & aulicorum, & mulierculariũ, sine causa discurris, absq; dubio, in eo quod lacrymas eliciat, incides. Ama ergo cœnobium, & cellam tuam, quia, vt concludit Hugo, secura est claustri assiduitas, quam cura rei familiaris non turbat, quam non sollicitant accessus hominum. Ibi inter fratres alicuius ad alterum, diligens habetur custodia: ibi prælatorum subiectis discreta prouidet solertia: ibi silentium aufert locum cõfabulationibus, lectio assidua extinguit iram. Scriptum est enim, Ira probata crescit, dilata minuitur.] Ibi disciplina cæteros motus cordis seruire cogit munditiæ, & omnis opportunitas, quæ est ad malum, per claustri assiduitatem excluditur.] Hæc Hugo.

Genes. 4. — *Iudas in epist.* — *Hug. sup.* — *Prou. 30.*

Alterum malum huius distractionis est, quòd nõ solùm religioso discurrenti, & domos sæcularium frequentanti nocet, sed ipsam etiam religiosam disciplinam subuertit. Nã vita religiosa quid est? Nonne amatrix ordinis? nam & ordo solet vocari. Quid autem infestius ordini, quàm nusquam consistere, & huc illuc q; sine causa vagari? Quid est? Nónne portus, in quẽ prudenter nos recipimus, ne huius sæculi, quod sęuum est mare, tempestate iactemur? Quid verò portui magis aduersum, quàm periculis, & procellis, & profundi maris tempestatibus subiacere? Quid est? Nónne æternitatis imago, in qua si nõ reperitur immutabilitas, quam mortalis vita non sustinet, at inuenitur earundẽ singulis horis mutationum identitas? Quia cunctis diebus eandem horam oratio sibi vendicat, lectio præoccupat, & pensum alicuius alterius occupationis assumit? Sed quid æternitati magis oppositũ ea vita, quæ sæculariũ colloquutionibus & negotiis addicta, numquam potest in operibus religiosis rationem seruare, nec eodem tenore procedere? Primum argumentum mentis compositæ existimo, ait Seneca, posse consistere, & secum morari.] Ergo primum indiciũ mentis incompositæ erit, numquam consistere, neque in aliquo loco quiescere. Isti autem, qui semper itinerum causas prætendunt, qui relicto proprio nidulo cellæ suæ, cõtinuò per alienas domos discurrũt, numquam consistunt, numquam nec cùm soli sunt secum, sed cum vanis hominibus, quos inuiserunt, & quorum negotia tractauerunt, cogitatione cõmorantur, non igitur mentem compositam sunt adepti. Vbi autem est mens incomposita, ibi mens fit irreligiosa, necesse est, quæ virtutem nesciat, disciplinam ignoret, & in aliis suo exemplo notionem ordinis & quietis extinguat. Sed apud istos homines adeò distractos, & rerum sæcularium amore compeditos, nullius

Seneca.

A põderis est ista disciplinæ religiosæ subuersio, quam neque in aliis alicuius esse momenti æstimẽt, & cui, sibimetipsis satisfacere, & sua desideria explere, præponunt. Taceremus quidem istud exitiũ disciplinæ, si ipsi eam destruentes suo voto potirentur, at compertum est, quia quod cupiunt, non assequũtur. Nec enim eorũ mens, dũ de loco in locum trãsmigrat, & ex domo vnius amici in domum alterius volitat, alicuius quietis, aut veræ lætitiæ fit particeps, sed magis inanibus desideriis discerpitur, tristitiis obscuratur, & caligine spiritualium tenebrarum offenditur. Nam quietem animæ religiosæ non sensuum & linguæ immortificatio efficit, sed obliuio rerum sæcularium, & memoria Dei, & rerum cœlestium inducit. Quare stultum est tranquillitatem in ipsa tempe-
B state quærere, & animi lætitiã, quæ maximè ab stabilitate pendet, ex mutabilitate & incõstantia velle percipere. Vnde Laurentius Iustinianus egregiè ait, (& quidem ex Bernardo mutauit) impossibile est in vno hominem figere animum suum, qui non alicui loco prius fixerit corpus suum. Qui enim ægritudinem animi sui migrando de loco ad locum effugere nititur, sic est, sicut qui fugit vmbram corporis sui: seipsum enim fugiens, seipsum circumfert, locum mutat, non animum. Eundem se vbique inuenit, nisi quod deteriorem facit ipsa mobilitas. Quid te rerum iuuare nouitas potest, quid mutabilitas locorum? Irrita quidem est illa iactatio, onus animi deponendum est, & tunc omnis placebit locus.] Si locorum mutatio tuæ quieti non prodest, & sanctissi-
C mæ disciplinæ plurimùm obest, æquũ est, ô religiose, vt teipsum in cella contineas, lectioni & orationi vaces, à colloquiis, ac visitationibus non necessariis abstineas Statum, ac qualitatem animæ tuæ obsecro mediteris, & si eam pulchram & aliqua virtute expolitam inueneris, fac quod pater Moysis, qui videns eum puerum elegantem tribus mensibus à conspectu Ægyptiorum abscondit. Sic & tu animæ pulchritudinem, quã religiosis operibus assequutus es, tribus mensibus, scilicet, dum bene purgaris, dum bene illuminaris, & bene perficeris, à tumultu rerũ sæcularium occulta, ne eam pessimæ, & tuo statui non conuenientes occupationes illidant. Si autem animam tuam vitiis & affectibus prauis adhuc fœ-
D dam esse persenseris, non sis tam insipiens, vt putes te inter titiones posse mundari, & in mediis negotiis sęcularibus, quæ solent fuscare perfectos posse proficere. Absalom iuuenis pulcherrimus, qui in ciuitate, & in domo regia, suum decorem retinuit, in agro cecidit, & pulchritudinem, ac vitam amisit. Denique tulit Ioab tres lanceas in manu sua, & infixit eas in corde Absalom.] Quo pacto tu pulchritudinem animæ comparabis, vbi alius iam partam cũ fœditate cõmutauit? Diabolus te in vicis, in plateis, & in domibus mundanorum expectat, vt cor tuum tribus lanceis, concupiscentia carnis, concupiscẽtia oculorum, & superbia vitæ transfigat. Tuo exemplo vult alios vincere, & à custodia disciplinæ ad vi-
E tæ mundanæ amorem pertrahere. Miserere animæ tuæ, quam curis sæcularibus destruis, miserere animabus eorum, quas exemplo à vita religiosa dimoues: & miserere vitæ religiosæ, quam paulatim in te, & in aliis à decore sui splendoris abducis.

Iustin. in ligno vitæ tractat. de perseuerantia. c. 4. Bern. ad fratres de monte Dei ante medium. — *Exod. 2.*

Et quod aliud malum religiosi discursibus non necessariis, & visitationibus sæcularium insistẽtes incurrunt? Certè, quòd & seipsos, & statum religiosum contemptibilem faciũt, & incomparabiles fructus virtutum impediunt. Verum est enim, quia nimia consuetudo contemptum parit, vnde sæculares passim nos videntes, & singulis horis alloquẽtes, &

nos

nos homines, & fragiles, & nō mundo mortuos esse probantes, facilè aspernantur, quos solo habitu & nō aliqua insigni virtute à se dissitos esse conspiciūt. Quod & Ioannes Cassianus indicat, dicens: Numquam potest, nec apud eos quidē, qui sæculi homines sunt, honestè incedere, qui nequaquam claustri cellæ, & operi manuum suarum inhærere contentus est. Sed necesse est eum inhonestum esse, dum necessaria victus requirit, adulationi quoque operam dare, nouitates etiam rumorum sectari, causarum fabularúmque occasiones conquirere, per quas sibimetipsi aditum paret, ac facultatem, qua diuersorū domos valeat penetrare.] Quis autē cōtemptibilior inhonesto, & adulatore, & eo qui non rogatus, nec vocatus se ingerit, & in negotiis alienis causa victus se intromittit? Status autem religiosus, qui non aliud est quàm ipsorum religiosorum collectio, & ipsorum moribus æstimatur, & illis ob vitam impuram contemptis, status etiam ipse contemnitur. Putántque aliqui sæculares (quod certè non sine lacrymis scribendum esset) nos vt lautè viuamus, & luctis inhiemus, & liberiùs procedamus, vitam religiosam suscepisse, & habitum religiosum gestare. Putāt nos esse ex illis, qui contegunt se vestimentis ouiū, intrinsecus autem sunt lupi rapaces, quia fructus aliquorum, qui malarum arborum sunt, & vitam illorum quæ non redolet oues, sed lupos, non illis tantùm, sed omnibus suæ professionis adscribūt. Quid existis in desertum videre, ait Dominus, arundinem vento agitatam. Sed quid existis videre, hominem mollibus vestitum? ecce qui mollibus vestiuntur in domibus regum sunt.] Vident nos sæculares mollibus, & pretiosis indumentis circumdatos, vidēt nos suis affectibus oneratos, vidēt nos præ instabilitate, omni arundine leuiores effectos, & putant statum nostrum, & mores aulicorum præferre, & arundineti leuitatē, & vanitatem imitari Id putant (licèt manifestè decipiantur) & ideo aspernantur illum, quem ex nostris peccatis folia cæremoniarum, & non fructum virtutis habere coniiciunt. Hæc autē falsa tum religiosorum, tum religiosi status opinio, vix est credibile quantos fructus virtutis impediat. Nam dum sæculares audiūt nos humilitatem, abstinentiam, & sæculi laudare contemptum, putant, id loquendi tantùm gratia dici, nō verò exercendæ virtutis causa prædicari: quia vita nostra ambitioni dedita, comessationibus, & ebrietatibus addicta, & rebus sæcularibus occupata, quidquid boni dicimus, destruit, & virtuti quā prædicamus, contradicit. Documentum quidem est Domini Saluatoris: Super cathedrā Moysi sederunt Scribæ, & Pharisæi, omnia quæcumque dixerint vobis, seruate, & facite, secundùm verò opera eorum, nolite facere.] At pauci sunt qui sciāt hanc salubrem doctrinam seruare Attentiùs nāque manus, quàm sermonem inspiciunt: quòd si eas viderint sanguine plenas, & sordibus peccatorum fœdatas, sermonem peccata damnantem, & virtutem laudantem irrident Et nostra distractio ac sæcularis conuersatio non tantùm nobis nocet, & sanctissimum statum religiosum eleuat, sed etiam viam virtutis sæcularibus inaccessam esse suadet, vt sic in omnes inueniamur iniuriosi.

Cassia. lib. 10. de spiritu acediæ. c. 7.

Matt. 11.

Matt. 23.

Hæc mala nobis profectò timenda sunt, & pœna à iusto iudice Deo illis in perpetuum decreta, quam vt euadamus, necesse est religiosos religiosè viuere, & omne, quod sæculum sapiat detestari. Concio habenda nos extra cellā & cœnobium vocat, exeamus; confessio peccatorum infimi excipienda compellat, procedamus: obedientia (vt vno nomine dicam) aut charitas nos ad progrediendum impellit, intrepidè, & sine vllo timore incurrendæ imperfectionis progrediamur: at extra huiuscemodi occasiones cœnobium nos teneat, & cella clausos, & bene occupatos cōtineat. Exitus sit necessitas, reditus autem ad Dominum, qui nos in cella nostra gratāter expectat, sit desiderium nostrum, sit nostra lætitia. Oculi nostri, mundi pulchritudines, aures, sæculi rumores, lingua, verba inutilia & vana dediscant. Omnes sensus nostri, omnes vires animæ, & vniuersa corporis mēbra rebus spiritualibus assuescāt, vt spiritali occupatione promissam spiritualibus gloriam acquirāt. In hoc vult Paulus nos imitatores habere, dū ait: Ipsi scitis, quemadmodum oporteat imitari nos, quoniam non inquieti fuimus inter vos, neque gratis panem manducauimus ab aliquo, sed in labore, & in fatigatione nocte & die laborantes, ne quem vestrum grauaremus.] Quidnam quietus est, Apostoli exemplum sequens? Ille certè, qui aut animi trāquillitatem in corpus deriuat, & absque legitima causa vagari non sinit: Vel qui corpus suum nexibus diuinæ dilectionis, in cella tamquā in carcere vincit, vt ipsa corporalis quies, animo quietem impertiat. Et quis non gratis helluonum more panem manducat? Ille quidem, qui pretiosas temporis horas, de quibus rationē est redditurus, oratione, & lectione, & ministerio suo occupat, & in oneribus obedientiæ, & in officiis charitatis insumit. Hunc Paulus veluti charissimum imitatorem diliget, nec illa acerrima sentētia increpabit, qua in alio loco ait: Rogamus autem vos, fratres, vt abundetis magis, & operam detis, vt quieti sitis, & vt vestrum negotium agatis, & operemini manibus vestris, sicut præcepimus vobis, & vt honestè ambuletis ad eos, qui foris sunt, & nullius aliquid desideretis.] Sapiēter in initio causam instabilitatis edicit: ea autem est, quia animus elatus superbia, existimat se diuitem esse, & bonis operibus abundare. Esto, id ita sit, sed iste quisquis est, scire debet, quia in tempore spirituali lucro destinato, intolerabilis stultitia est nolle ampliùs lucrati, ac maiora virtutum augmenta conquirere. Qui autē vult magis abundare, in primis, necesse est, vt quietus sit, quoniam mentis & corporis diuagatio, spirituales diuitias non auget, sed potiùs iam partas amittit. Ac deinde non aliena negotia, sed suum negotium agat. Si enim perfectionis negotium tam arduum est, vt totum hominem poscat, & nec totus homo ad illud sine magna gratia sufficiat, quæ cæcitas est huic negotio vana negotia superaddere? immò & illo postposito, ista ad propriam damnationem tractare. Operetur igitur manibus suis, id est, actionibus religiosis insistat, & honestatem status sui in omni loco, sed præcipuè inter sæculares præferat, & desideriis eorum, quæ abiecit, se falli non sinat, quicumque vult pericula distractionis euadere, & nequaquā à professione, quam arripuit, excidere. Tēpus perfectioni comparandæ assignatum, curis & colloquiis inutilibus cōterendum non est, quod nulla postea humana diligentia restaurat, iuxta dictum cuiusdam sancti senis, qui vt refert Beatus Dorotheus, dicebat: Aurum, vel argentum si amiserit homo, posse eum vel idipsum vel tātundem recuperare: tempus autem si pereat, nec ipsum amissum, nec aliud pro eo posse aliquando restaurari. Citra controuersiam verissimum est dictum huius senis; quoniam tēpus iam insumptum nulla reuocat humana potestas, præsens verò tempus non recuperat quod perditum fuit, quippe quod tam angustum est, vt vix sibiipsi sufficiat. Si autem amarum est assueta relinquere, & nos in cella occludere, & mundo perfectè mori, meditemur huius absconsionis præmium,

2. Thes. 3

1. Thess. 4.

Doroth. doctrina 11.

quod

quod eam non tantùm tolerabilem,sed & gratam ac iocundam efficiet. Describit istud præmium Malachias dicens: Et egrediemini, & salietis sicut vituli de armento. Et calcabitis impios, cùm fuerint cinis sub planta pedum vestrorũ in die, qua ego facio, dicit Dominus exercituum.] In die quidem illa, qua Dominus, quod nobis promisit, faciet, quæ dies est æternitatis egrediemur ergastula cellarum, imò & angusta spatia rerum terrenarum, & saliemus sine vllo timore, & cum incomparabili exultatione, & cœli latitudinem penetrabimus. Cõculcabimus dæmones,quos nostram professionem custodientes vicimus,& vniuersa quæ nobis offerebant,melioribus bonis cumulati,quasi cinerem vilissimum despiciemus. Tunc dabitur nobis merces absconsionis, & silentij vbicumque libuerit discurrendi per mansiones cœlestes, & loquendi cum sanctis, vera & perfecta libertas, quam in æternum possidebimus.

Malach. 4.

Quòd religiosus de rebus sanctis cum aliis loquatur.

CAPVT XXVIII.

SED nobis loquendũ est,& non semel aut bis, sed sæpè loquendum est, nec possumus, quãdiu in hac mortalitate degimus,hominũ penitus cõsortia vitare. Imò nec expedit nobis,neq; aliis, vt omnino proximorũ consortia vitemus. Nõ expedit proximis,quoniã eos loquendo, docemus, & ad omnem virtutẽ capessendã monemus: nec expedit nobis,ne emolumẽto prædicatæ doctrinæ Euangelicæ,& misericordiæ, ac dilectionis fructibus careamus. Quid igitur faciendũ est, ne hominũ consortia nos distrahant, sed viam potiùs nobis ad perfectionẽ aperiãt? Id quidẽ quod pharmacopolæ corporũ ad salutem recuperandam facere solent Hi enim vipera(veneno semoto)vtuntur ad theriacam componendam, quæ calore,ac occulta huius serpentis virtute compacta statim in cor hominis tendit,ipsumq; à veneni cõtagione custodit. Habet homo in seipso nec timet,viperam teterrimam,quæ ad eius semper necem aspirat. Hæc est lingua, de qua inquit Iacobus Apostolus; inquietum malum, plena veneno mortifero:] cui si veneno plena est, optimè conuenit, vt vipera nuncupetur. Venenum autem huius viperæ quo nos sæpè nescientes perimit, verbũ detractionis, & maledicentiæ, & irrisionis est, omneque verbum inutile, quòd si solùm animam non perimit,at eo ipso quòd leue peccatum est,ad spiritualem mortem disponit. Tollamus hoc venenum à vipera,& vim prædicandi bonum,& persuadendi virtutem,& loquendi de rebus sanctis teneamus,& sic non iam veneno(quod sublatum est) sed virtute, & calore viperæ non solùm aliis, sed & nobismetipsis proficiemus. Noster itaq; sermo, siue cum externis, siue cum domesticis semper de rebus bonis fit,non aliud quàm sanctorum exempla, & virtutis incitamenta redoleat, non aliud quàm ad ædificationem prouocantia contineat. Iste vt index animi, & sanè non fictus, bonos malosque discernat; & sicut isti conueniunt, vt vana,& lasciua loquantur,& se verbis ad malum accendant: ita & illi congregentur,vt quæcumque sunt bona,quæcumq; sunt sancta proferant,& sermone se ad virtutem,& sanctitatẽ hortentur. Illos comparat Iob squamis Diaboli, de quo ait:corpus eius quasi scuta fusilia,compactum squamis se prementibus: vna vni coniungitur, & ne spiraculũ quidẽ incedit per eas,] qui in hoc amicitias,

Iacob. 3
Iob. 41.

& familiaritates incũt,vt quasi arma peccati, ipsum verbis tueantur,& operibus prauis defendant. Nec ego in squamis Behemoth hũc abditum sensum inueni, sed Bernardus, qui proposita dicta sententia subiũgit:Talis vnitas, imò verò peruersitas solet esse in aliquibus fratrum tepidè,ac remissè cõuersantiũ,quibus si quid honestatis,aut insigne cuiusquam bonæ consuetudinis persuadere velis, promptiores sunt maiori dispendio, ac difficultate grauiori resistere. Quam facili compendio assequi velle,quod rectum esse consisterit.] Bonos verò libenter confero cum aureis tintinnabulis vestis sacerdotalis, quorũ sonus Dominum placat,& sacerdotis orationem acceptat. Si enim illa vestis,Ecclesiæ sanctę est imago, quid aptius quàm viros iustos mala punica,&tintinnabula designabũt,quorũ illa cõcordiam morum, & sanctitatẽ operum,ista verò vtilitatẽ verborum,quibus abundãt sancti,significãt. Mali quia de hoc mũdo sunt,ideò de hoc mũdo loquũtur:boni verò, quia vt ait Dominus,de mũdo nõ sunt, sed ipse eligit eos de mundo,ideò nõ de rebus mundanis, sed de rebus cœlestibus,& de mysteriis diuinis verba profundũt.

Bern. ser. 5. de assumpt.
Exod. 28
1. Ioan. 4.

Iustitiæ,ac sanctitatis amatores id enixè curãt, vt Christum omnis sanctitatis magistrum in actionibus, & in verbis imitentur. Illius autem verba(vt nunc opera relinquamus) semper fuerunt tum auditoribus vtilia,tum sũmæ illi maiestati conuenientia:Semper os illud purissimum,in quo cœlestis gratia diffusa est, verba sanctitatis insonuit. Quem vt sequantur, qui mentis puritatem assequi volũt, verbis sæcularibus, & otiosis abstinerent, & ea solùm proferunt, quæ viros iustos deceant, & proximorum audientiũ vtilitati congruant. Nam si ex abundantia cordis os loquitur,] cor iustitiæ, & cœlestium desideriorum plenum, quid ori loquendum ministrabit, nisi quod audientibus prosit, & à sua dignitate non discrepet. Idque innuit Gregorius dicens: Boni etenim cùm loquuntur, duo sunt, quæ in suis loquutionibus attendunt,vt videlicet, aut sibi, & auditoribus suis: aut sibimet solis prosint, si auditoribus prodesse non possunt. Cùm enim bene audiuntur bona,quæ dicunt, sibi simul, & auditoribus prosunt. Cùm verò ab auditoribus deridentur, sibi proculdubio profuerunt, quos à culpa silentij liberos fecerunt.] Et quidem Dominus hoc ita esse testatus est; Nam mittens discipulos suos, vt populis euangelium annunciarent, præcepit illis, vt introeuntes aliquam domum, dicerent: Pax huic domui. Et si ibi fuerit filius pacis, inquit, requiescet super illum pax vestra, sin autem, ad vos reuertetur.]Quod autem de verbo prædicationis euangelij dicitur, de quocumque ædificationis verbo intelligendum est, vt si audiens amator virtutis fuerit, audito ædificationis verbo proficiat,si verò cum indignatione, aut cum tædio sanctos sermones exceperit, saltem ille, qui loquitur nullo modo emolumento loquendi frustretur. Sed quomodo sermones de rebus sanctis magna vtilitate carebunt, quos Christus Saluator noster approbat, quos sua præsentia nobilitat, quos ipsum excitare, & fouere delectat? Vbi fuerint duo vel tres, ait, congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.] Certè illi inter alios congregantur in nomine Saluatoris, qui vt se mutuò ad virtutem excitent, loquuntur verba salutis:quorum medium ipse Saluator occupat quia corda illorum emollit,& dum verba sancta audiunt, ad virtutem accendit, quamobrem discipulis eũtibus in Emauntem, de sua passione loquentibus, se præsentem exhibuit, eorum hæsitationes audiuit, tenebras ignorationis dispulit,tristitiam & angorem

Luc. 6.
Greg. 11. mor. c. 21.
Luc. 10.
Matt. 18.
Luc. 14.

disiecit

disiecit, corda gelida inflammauit, & noctem cæcitatis in eorum mentibus dominantem in lucem meridianam conuertit. Denique aiunt: Nónne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via, & aperiret nobis Scripturas?] Ecce geminum aduentus Domini fructum, quem ad nos verba sancta traxerunt. Scripturarum apertione intellectum illustrauit, & efficacia, ac gratia loquendi volūtatem accendit. Vtique libenter appropiat de se loquētibus, inquit Bernardus, sic solet. Sic euntibus in Emaum, & conferentibus inter se, iucundum se facundúmque exhibuit comitem. Nempe hoc est, quod in Euangelio pollicetur: Vbi duo vel tres congregati sunt in nomine meo, ego sum in medio eorū.] Et per Prophetam, Antequam, ait, clament, ego exaudiam, adhuc loquentibus illis dicam, Ecce adsum.] Appropiat itaque Dominus sancta loquentibus, vt verus sol, qui tenebras primùm ignorantiæ sua luce fugat, & frigus deinde tepiditatis, & socordiæ suo calore dispellit, quem ad nos inuitamus, cùm sancta loquimur, cùm ea, quæ nos ad virtutem alliciant, audimus, cùm profectus gratia de Deo, ac de rebus diuinis disputamus. Nec in his duobus solùm, quæ diximus, Christus sancta loquentibus se solem ostendit, sed in hoc etiam, quod ad istos sancta ore tractantes, non lentis passibus, sed celerrimè approximat. Ecce enim ipse venit saliens in montibus, transiliens colles.] Montes collésque transilit, qui corda superba, & verba salutaria despicientia contemnit, venit autem ad animam humilem, quæ semper viam salutis discere, semper aliquid, quod ipsam inflammet, de sponso audire cupit. Venit inquam, ad illam, & venit, vt sol, cuius aduentus velox, cuius cursus celer est. Quod & Bernardus indicat in hunc modum scribens: sed nec vllus omnino sermo, qui ædificet ad pietatem, ad virtutes, ad mores optimos, negligenter est audiendus, quoniam & illic iter, quo ostēditur salutare Dei. Quòd si sermo gratus venit, & placidus, quatenus pulso fastidio eum desiderio audiatur, iam non modò venire sponsus, sed & accelerare, id est, cum desiderio venire, credendus est.] Si autem veniunt omnia bona pariter cum illo, vt est in libro Sapientiæ, quis nō videat sancta colloquia, quæ Christum ad animam trahunt, multa bona spiritualia secum inuehere?

Luc. 24.
Ber. ser. 9. in cant.
Math. 18.
Isa. 65.
Cant. 2.
Bern. ser. 57. in cant.
Sap. 7.

Quin & assiduitas loquendi de rebus sanctis ad omnem virtutem capessendā potēter instigat. Dum enim nunc humilitatem extollimus, deinde charitatem fraternam efferimus, postea verò zelum animarum, aut quamuis aliam virtutem laudamus, & sanctorum exempla in confirmationem dictorū adducimus, nescio quo pacto mens nostra virtute nuda, suam nuditatem erubescit, & opere præstare, quod aut audiuit, aut loquuta est, magno feruore contendit. Corrumpunt sanè bonos mores colloquia praua,] sed de virtute, ac perfectione auditi, aut dicti sermones, corruptos mores in bonum mutant, & in suaues ac integros mores cōuertūt. Vnde sicut astus Diaboli est, lasciua, & impura colloquia apud aliquos excitare, aut ineptos libellos legēdos ingerere, vt ad omne genus vitiorum moueat, ita cōciliū Domini & bonorum angelorum est, pura, & sancta colloquia in medium proferre, & libellos spirituales edere, vt è silice cordiū nostrorum desideria virtutis & puritatis excutiat. Multos vidimus, qui religiosè viuebant, prauorum colloquiorum contagione pollutos, & multos etiam qui tepidè & remissè in via Dei se gerebant, audito vnius viri spiritualis colloquio, ab illa remissa viuendi ratione liberatos. Laudemus viros gloriosos, ait Ecclesiasticus, & parentes

1. Cor. 15.
Eccle. 44.

A nostros in generatione sua.] Et rursus: Sapientiam ipsorum narrent populi, & laudem eorū nuntiet Ecclesia.] Quare viri sancti, & gloria digni laudādi sūt, nisi vt eorū laudata virtus, nos ad istorum virorum sequelam prouocet, & inglorios ad gloriam efferat, & similes illis, scilicet magnos & gloriosos efficiat? Et quare sapientia eorum, & omnis ipsorum virtus ab Ecclesia proponitur, nisi vt mens infirmorū audita maiorum virtute, ad imitandum accendatur? Hæc profectò est præcipua vtilitas, quam ex sanctis colloquiis accipimus: quòd velut prosperi venti nauiculam cordis nostri non ad aliud quàm ad portum perfectionis, & virtutis impellunt. Quod sanctus Bonauētura cognoscens ait: de Deo libenter loquere, & libentiùs audi, quia incitat cor ad studiū virtutis, & affectum deuotionis.] Libentiùs audiendum est. Quoniam qui audit, humilitatem exercet, dum se alterius qui loquitur discipulum exhibet, & magna virtus est fructum sanctorum verborum excipere, & simul humilitate cohonestari. At libenter etiam est loquendum, quoniam si loqui & in cōspectu aliorum verba facere, magisterium redolet, tamen ita fieri potest, vt non sinat se, nec à charitate, nec ab humilitate separari. Nec enim de rebus bonis semper docendo loquendum est, sed frequēter amicabiliter conferendo, & molestè interrogādo, dum verò duo sic bona loquūtur, vtrimque spiritualis amicitia promouetur, fructus deuotionis decerpitur, & humilitas custoditur. Qui ita recta loquitur, id est, sanctis colloquiis assuescit, is dirigetur, & in omnem virtutem ducetur, & celeriter in via spirituali proficiet. Is seipsum Domino reddet gratissimum, qui sicut verba inutilia & vana cū indignatione audit, ita sanctorum alloquiorum auditione lætatur. Ideoque per Salomonem ait: Fili mi, si sapiens fuerit animus tuus, gaudebit tecum cor meum: & exultabunt renes mei, cùm locuta fuerint recta labia tua.] In animo sapienti cor quod occultius est, & in sanctis verbis renes Domini exultant, quoniam internam iusti sapientiam, & attentam piarum rerum meditationem secretioribus donis recompensat, externa autem ædificationis verba, externa etiam laudatione, & audientium plausu remunerat. Sicut enim loquente Domino, quædam mulier eius verba melliflua, auribus corporis, & cordis excipiens, exclamauit, dicens: Beatus venter, qui te portauit, & vbera, quæ suxisti:] ita conferentibus viris iustis de rebus diuinis, audientes admirantur, & beatos prædicant, quos vident in ipsis verbis, perfectionis studiosos, & aqua sapientiæ salutaris repletos. Certè loquente Zorobabele, & veritatem laudante, omnes populi clamauerunt, & dixerunt: Magna est veritas, & præualet: quin & Darius veritatis laudatorem magnis donis auxit: & suum cognatum vocauit, & in solium sublimissimum extulit. Qui de vino, & rege loquuti sunt, contemnuntur, & qui loquutus est de veritate laudatur. Qui apud Dominum qui de rebus temporalibus, de voluptatibus, de opibus, de dignitatibus, verba faciunt, velut terreni & carnales homines despecti sunt, qui verò pia colloquia, & verba sancta proferunt, vt viri spirituales ab audientibus honorantur, & à Domino cumulatum præmium sui sancti laboris suscipiunt.

Bonau. in informat. nouit. p. 1. c. 21.
Prou. 16.
Prou. 23.
Luca 11.
3. Esdr. 4.

At quo pacto hanc sanctè loquendi virtutem assequemur? neque enim pronum est, inter sæculares viuentibus, & cum eis sæpe conuersantibus, & ea quę in mundo geruntur, audiētibus, propria labia circūcidere, & verba semper ædificationis effūdere In

hac re, sicut & in cæteris à minimis incipiamus & ad mediocria procedamus, vt tãdem lingua nostra malo purgata, & bono assueta, ad culmẽ suæ perfectionis ascẽdat. Minimũ huius virtutis est omnia sæcularia, quæ ad nosipsos aliquãdo pertinuerũt, obliuisci, & ea nulla ratione in colloquiũ admittere, ac de his omnino non loqui. Nam sunt aliqui religiosi, adeò insipientes, & stulti, vt coram aliis genus suũ, ac parentum nobilitatem explicent, diuitias & dignitates quas reliquerunt, iactent. Imò & mala quæ gesserũt (quod certè pudet dicere) narrare, & propalare nõ erubescant. Quibus verbis se adhuc terrenæ nobilitatis æstimatores, opum & dignitatum amatores, & malorũ, quæ perpetrarunt sectatores, ostendũt. Horum cæcitatem reprehendit Bernardus ita scribens: Quamquam de his qui religiosè vestiti, & religionẽ professi sunt, nonnũquam audiuimus aliquos reminisci, & iactare impudẽtissimè mala sua præterita, quæ verbi gratia aliquando, vel fortiter gladiatorio, vel argutè literario gessere conflictu, seu aliud quid secundùm mundi quidem vanitatem fauorabile, secũdùm animæ verò salutem nociuum, perniciosum, damnosum. Secularis adhuc animi indicium est hoc, & humilis habitus, qui gestatur à talibus, non sanctæ nouitatis est meritũ, sed priscæ vetustatis operculum.] At dicis te ista narrare, non vt de rebus mũdi glorieris, sed magis vt de malè actis confundaris, & tuam pristinam vitam horum relatione condemnes. Sed inanis est talis excusatio, quæ sub colore humilitatis non confusionem, sed vanam laudem, aut gloriam, à vanis hæc audientibus, & ex rebus vanis quærit. Talis astutia eundem Bernardum non lædit, qui statim eam in hunc modum detegit. Nõnulli talia quasi dolendo, & pœnitendo rememorant, sed gloriam intentione captantes, commissa sua non diluunt, sed seipsos illudunt. Nam Deus non irridetur.] Veterem hominem non exuerunt sed nouo palliant. Non proditur, aut proiicitur vetus fermentum, sed statuitur, secundùm illud: Inueterauerũt ossa mea, dum clamarẽ tota die.] Quòd si isti (vt obiter dicam) damnabiles sunt, qnid de illis sentiẽdum est, qui mala in statu religionis admissa, procaciter narrãt, & ac si alicuius sanctissimi viri historiam attererẽt, sic sua vitia è sæculo aduecta, & sub perfectionis statu conseruata prædicare contendunt? Quod idem sanctissimus pater statim taxat, dictis subiiciens: Pudet reminisci quorumdam tãtam proteruiam, vt non pudeat eos cum exultatione lugenda iactitare, quòd & post susceptum sanctum habitum callidè quempiam supplãtauerint, & circumuenerint in negotio fratrem, aut quòd talionem pro conuitio, vel maledicto, id est, malum pro malo, aut maledictũ pro maledicto audacter reddiderint. Sed est cõfessio eo periculosiùs noxia, quo subtiliùs vana, cùm ipsa etiam inhonesta & turpia de nobis detegere non veremur, non quia humiles sumus, sed vt esse putemur. Hactenus ille. Isti omnes, qui prædicta, & alia similia verbis proferũt, & narrare, ac effutire non timent, homines sunt vanissimi, nõ solùm omni perfectionis sensu carentes, sed semetipsos à vera virtute similibus narrationibus elongẽte. Nam quid quæso est, generis claritudinẽ, & carnis nobilitatẽ iactare, nisi æramenta, quisquilias rebus pretiosissimis anteferre? Si filius pauperis alicuius à rege adoptatus in filium, stultus haberetur, dum antiquam suã vilitatem apud aulicos enarras, & præsentẽ felicitatem silentio cõtegeret, quid de illo erit existimandũ, qui ad vitã religiosam, id est, filij Dei statũ vocatus, vanitatis causa parẽtes carnales nominat, & eorũ nobilitates, quæ huic præsenti cõparata extrema vilitas est, apud alios religiosos exaltat? An illustrius est, ô religiose, te filium esse equitis, aut patricij, aut ducis, aut principis, quàm filium esse Dei? si istam dignitatem habes, quare illam vilitatem, quæ te superbum & inertem fecit, non obliuisceris? quare illam inter filios Dei nominare non erubescis? Et quid est, diuitias & dignitates iam spretas commemorare, nisi præmium relinquentibus omnia promissum, aut sibimet adimere, aut certa quædam ratione minuere? Si enim bona sæculi propter homines reliquisti, à quibus laudis mercedem exquiris, illa perdidisti: cũ de huiusmodi scriptum sit: Amen dico vobis, receperũt mercedem suam. Si autem propter Deum deseruisti, & nihilominus propter hoc opus sanè egregium, hominum etiam laudationes captas, præmiũ à vero remuneratore decretum minuisti. At quid est, mala, aut in habitu sæculari, aut in habitu sancto patrata prædicare? certè non aliud, quam ob rem ignominia dignissimam seipsum efferre. Nam insanus esset, qui seipsum extolleret, propterea quòd per vicos & plateas vrbis fustibus cæsus sit, aut in publico nobilium conuentu colaphum ab hoste suscepe rit. Id autem ipsum, imò & in infinitum, peius est se de peccato laudare, & colaphum à diabolo acceptũ (hoc namque ad minùs omne peccatum est) tamquam rem magnam, & laude dignam in medium sermone producere. Ab hoc ergo minimo incipiamus, & in hoc nos solertissimè exerceamus, vt genus nostrum, opes, aut dignitatem relictam, quæ in sæculo gessimus, quæ tractauimus, penitus à nostro ore eliminemus. Ne qui nostros sermones audierit, possit cogitare, nos, aut nobiles, aut diuites, aut animosos, aut aliquid aliud, quod mundus fallax approbet, aliquando fuisse, sed tantùm seruos Dei nunc esse, & ante vitam religiosam viles ac despectos extitisse.

Diximus quid sit minimum, nunc quid sit mediũ exponamus. Illud quidem est, vt à nostris colloquiis omnia sæcularia etiam ad alios pertinentia, omnem curiositatem inutilia sciendi, & omnem appetitum audiendarum nouitatum relegemus. Nam profectò indignum admodum est, & à vita spiritualium virorum alienum, religiosos curiosè verbis inquirere, quos aulicos rex ad aliquas dignitates promouerit, quos nobilium insignibus affecerit, quos diuitiis auxerit: indignum est tractare, qui ex ciuibus coniugium inierint, qui honoris causa, aut primarum sediũ obtentu cõtenderint, qui in negotiis, aut magnũ lucrum fecerint, aut partas antea opes amiserint. Videas alios sedere, & de bellis, de magnatum discordiis, de ludis publicis, de sæcularium ambitione, & de aliis huiusmodi sine vlla circũspectione tractare, &, si nõ vestes religiosas videas, sed solos sermones audias, eos non religiosos, sed mores sæculares putabis. Facessant à nostris colloquiis, ô religiosi, tot vana, tot inutilia, tot à sanctissimo statu nostro discrepantia, &, si mortui sumus mundo, & Deo viuimus, ea quæ mundi sunt, relinquamus, & quæ viros deceant spirituales, tractemus. Et, si vnusquisque secundum dignitatem suam cõuiuium instruit, & amicos ad lautiores cibos inuitat, nos qui cum filio prodigo minimè à paterna domo discessimus, sed vt fideles filij in domo æterni patris habitamus, & pretiosis cibis rerum spiritualium abundamus, nequaquam ad nos accedẽtes, ad siliquas, id est, ad nugas, ad fabulas, & ad vanitates audiendas inuitemus. Hoc nomine sanè contemptibili, Hugo Victorinus sermones rerum sæcularium appellat. Adhuc mecũ habeo, inquit, siliquas, cibum scilicet porcorũ, quia adhuc in ore meo resonãt sæculares fabulæ, quæ sũt,

Bern. ser. 16 in cant. — Ber. ibid. — Psal. 6. — Psal. 31. — Math. 6 — Luc. 15. — Hugo. 2. de claustr. anim. c. 15.

quasi

quasi cibus spirituum immundorum. Siliqua (sicut scriptum reperi) genus est leguminis foliis maximū & sonorum, sed granorum paucitate sterile,& penè vacuum. Ideóque per siliquas designantur fabulæ sæculares, sterili suauitate resonantes. Cùm igitur sæcularia narro,stultos congrego, & sicut porci siliquas,sequuntur immundi nugas.] Si ignominiosum esset principi viro siliquis vesci, & siliquas, aut aliquid immundum suis amicis in conuiuium parare. Quàm indignius erit religioso ore fabulas, & nugas euoluere,& nihil aliud, nisi res sæculares,& vanas coram aliis in colloquium afferre Sic ergo procul à nostris cōuentibus illa increpatio Isaiæ Iudaica conuenticula reprobantis, qua ait, iniqui sunt cœtus vestri:] & sanctorum colloquiorum assuetudine eis nō iniquitatem,sed sanctitatem impertiamus, & spiritualium, ac iustorum conuentuum illis nomen donemus.Tales sint,quos viri spirituales non fugiāt, quibus Angeli adhæreant, quibus Spiritus sanctus assistat. Prisci religiosi non sæcularia, sed religiosa tractabant,viri spirituales non carnalia,sed spiritualia in suis colloquiis proferebant, nunc autem qui nomen spiritualium obtinemus, sed à vita spirituali distamus, sæcularia & vana proferimus, quod Laurentius Iustinianus hac grauissima oratione deplorat. Sic sanctos patres, inquit, virtutum sectatores, zelatorésque animarum olim egisse legitur. Statutis quippe diebus è propriis egredientes cellulis, vtilitatis causa conueniebant in vnum, eo itaque tempore nihil reprehensibile audiebatur inter eos, non extollentiæ, non murmurationis, non irritationis verba sonabant, sed totum, quod dicebatur,animæ cibus erat,vnde spirituales nutriebantur sensus. Ibi modesta loquutio, vilis habitus, humilis conuersatio,lacrymarum effusio,compunctionis, & dilectionis gemitus elucebat. Nec quisquam sine spirituali profectu inde discedebat, quia omnes propter communem & priuatam vtilitatem conueniebant. Iuxta ipsorum laudabile propositum Dei clementia mirabiliter operabatur in singulis.Sed heu, hodie non sic. Nam rarus inuenitur, qui ædificationis verbum possit pronunciare:rarior autem,qui ex operandi desiderio ad audiendum sit auidus. Frigescēte namque spiritu,& ab æterna exercitatione cessante,deficiūt, qui conuenire in vnum cupiant,& vtilia,quæ proferantur,verba. Quod absque seruorum Christi ignominia non fit.Videmus nempe agricultores; cùm in vnum coadunātur,repente,& sine tædio, de iis,quæ agriculturæ sunt, sermocinari: artifices mechanici de artificiis suis, mercatores de mercimoniis,oratores de suis facultatibus confabulari. Et (proh dolor) soli Dei serui,quæ proprio congruunt statui,audire, vel loqui non curant,aut ignorant. Si tamen conueniant simul,vt plurimum tacent, proficua, & vtilia, & de alienis proloquūtur negotiis.] Faciamus itaq; quod vir prudens facere consueuit, qui silet cùm apud aliquos incidit tractatio eorū,quæ ipse non nouit. Iā nos pro ratione status nostri, sæcularia ignoramus, iam mundana non noscimus, iam prophana à desideriis nostris reiecimus,& à cogitationibus nostris euulsimus.Quæ ergo non cupimus,quæ nec cogitamus quidem, æquum est, vt nec verbis pronunciemus. Aut si libet nobis hæc prophana & sæcularia loqui, liceat aliis nos vita mundanos, & sæculares iudicare,liceat illis nos sæculi amatores vocare. Hoc enim loquuntur quique, quod diligunt, inquit Prosper,& delectabiliter audiunt, quod assiduis cogitationibus voluunt.

Isa. 1.

Iustinian. de discip. & perfectione monast. conuers. c. 25.

Prosp. 3. de vita cont. c. 6.

Summum tādem,ac perfectum locutionis est,nisi ad aliquid temporale tractandum necessitas cogat, vel aliud charitas discreta suadeat,de Deo sēper, & de diuinis, ac spiritualibus rebus loqui,aut omnino tacere. Verba enim ad manifestanda interiora nostra inuenta sunt,eius autem, qui seipsum Deo cōsecrauit, ac templum diuinitatis effecit, omnia interiora debent esse plena Deo, referta diuinorum: Is ergo si ad aliquid aliud ius necessitatis,&aut lex charitatis nō impellat,diuina & spiritualia verbis eructet,quę in animo suo recondidit,& mente concepit. Quod quidem nō est difficile his,qui in veritate ambulāt, & non segniter ad perfectionem aspirant. Nam desiderium Dei,& concupiscētia perfectionis, affatim verba subministrant,qua ardētia intus desideria manifestent. Qui verò adhuc tepidi sunt, debent seipsos ad hoc genus spiritualium colloquiorum cogere, & à verbis inanibus penitus abstinere, quoniam hæc frigus socordiæ generant,illa verò etiam in cordibus tepidorū ignem sanctæ deuotionis exsuscitant.Non est autē putādum materiam istam ad loquendum esse angustam,aut ieiunā:quinimo tam lata est, vt ad cōferendū de reb. diuinis,nec tota hominis vita sufficiat. Res quippe terrenæ, aut inanes sūt,aut imperfectę,aut modicæ perfectionis participes,& ideo non multis verbis exponūtur.Sed res diuinę sūt perfectionis plenæ,pulchritudine & diuitiis abundantes,quare numquā verbis exhauriētur. At, quid loquar,dicis,cùm animi laxādi gratia fratres in vnum cōuenimus,& quas res spirituales,ac diuinas ore tractabo?Multa sunt(vt dixi)& valde suauia,quæ hoc argumentum saluberrimum cōtinet,quibus poteris teipsum,& audientes delectare?Sit tibi semper in ore vita Christi Iesu,& eius dicta, eius gesta,eius miracula,eius passiones, eius amorem, pulchritudinem, & sanctitatē cōmemora. Ne obliuiscaris misericordiæ matrē,sed eius dona,ac priuilegia, ipsius puritatem,ac dignitatem,nec non ei tantæ Virginis gloriam,& maiestatem edicito.Sanctorum gesta nō te prætereant,siue illorum, quos singulis diebus Ecclesia recenset,siue aliorum,quos apud Dominū aduocatos habes,aut quorū vitas & miracula legis,aut in quorū doctrina,& imitatione versaris. Virtutum pulchritudinē,& trāquillitatem,vitiorum etiam fœditatem,& inquietudinē tua lingua reuoluat, ita tamē vt penitus ea vitia nō nomines,quæ aut in te,aut in audientibus aliquā cogitationem minùs purā,aut aliquē motū minùs decentem gignere possunt. Desideria,quæ habes siue mortificādi defectus tuos, siue acquirēdi virtutē aliquam,siue proximos præcipuè infideles adiuuandi,cum socio prudēti, & fideli cōferre licet,qui ipsa promoueat,& suis adhortationibus magis accēdat Nouissima hominū mortem & iudiciū excipiētia omnes,& gehennā malis,ac gloriā bonis præparatā frequenter expone,quæ tibi,& audientibus sæculi vanitatem,& sanctæ vitæ valorē aperiāt.Statum religiosum,ad quem vocatus es,non sine mētis exultatione laudato,eius securitatē,& sæcularis vitæ tū molestias,tum pericula prædicato,& te quā gratissimū beneficio diuinæ vocationis ostēdito.Fratrū tuorū virtutes,siue alibi siue in tuo cœnobio viuētiū nequaquā omittas,sed eas animo suspice,verbis venerare,& teipsorū donis ob tuā negligētiā vacuum esse,erubesce.Mundi miserias,cæcitatē,bonorum eius breuitatē,infidelitatem,& alias,similes aliquādo pronūcia, & te ab his liberatum esse vehemēter exulta.Ea quæ in mensa inter prādendū lecta sūt,ad collationē adducito,& ex aliquo, quod mēti tuæ dulciùs sapuit,loquēdi occasionē arripito. Fructū disciplinæ religiosæ, & obseruātiæ regularis etiā verbis euolue,qui tibi vitæ laxioris timorē incutiat,& amorem regularum,& statutorum impertiat.

A Si literatus es, tractatio aliquorum sacræ Scripturæ locorum, non te prætereat, ita tamen vt non curiositatem, sed deuotionem, sed profectum, sed amoris ardorem exquiras. Tādē ea omnia in tuis colloquiis tractare poteris, quæ te ad virtutem moueant, & audientes, ac ex tuo ore pendentes ædificent.

Viros religiosos, & spirituales, has & similes res debere in suis colloquiis frequēter tractare Beatus Laurētius Iustinian⁹ his penè verbis monet. (Iusti. lib. de discip. & perf. monast. conuer. c. 15.) Studeāt ergo Christi serui, cùm in vnum congregātur, & inuicem reperiuntur, semper de rebus necessariis, vel de animæ profectibus habere sermonem. Maximam namque & indeficientem loquendi materiam inuenient, si de miseria præsentis vitæ, de periculis huius peregrinationis, de variis tentationum generibus, de Diaboli fraudibus, & de vitiorū deformitate, de virtutum ornamentis, & meritis, de mortis ineuitabili necessitate, de pœnis inferni, de regno Dei, & prēmio Paradisi, frequētiùs verò de Dei ineffabili charitate, humano generi per Christū, & in Christo exhibita. De huiusmodi autē tā pro Dei amore, & dilectione, quàm pro audiētium ædificatione, & suimet profectu, Dei serui tractare nō desinant, spiritualibus spiritualia propināres. Dent verò vnicuique proprium verbi pabulum iuxta personarum qualitatem, & tēporū. (Psal. 80.) Nemo autem de ignorantia excusare se valet, cùm Dominus per Prophetā dicat: Aperi os tuum, & implebo illud.] (Psal. 118.) Quod patēter in se Dauid completū fuisse testatur, cū dicit, Os meū aperui, & attraxi spiritum.] Non enim tam composita verba, & humanæ sciētiæ eloquētia ornata, quàm ignita, & puro prolata corde approbat Dominus.] Qui autē hæc attētè perlegerit, manifestè cognoscet, quàm miseri sunt homines, qui his sublimibus rebus spretis sēper loquūtur de cibo, & potu, de corporalibus commodis, de lucris, de dignitatū acquisitione, & de aliis peioribus in quibus suum affectum collocarūt. Hi namque similes sunt illis, qui cùm possent suaues, & pretiosos cibos edere, amaros, & veneno infectos præeligunt, quibus seipsos interimāt. Intelliget etiā, quàm reprehēsibiles, & damnabiles sunt religiosi, qui quæ iam euomuerūt, & vt vilia contempserunt, semper ore voluunt, & ea iterum masticantes, & proloquētes, se nō mundi contēptores, sed amatores ostēdūt. Et quemadmodū mendici re nihil habēt, sed desiderio omnia possidēt, & nihil est eorum corde insatiabilius, ita isti professione à mundo elōgati sunt, verbis autē, & desideriis, & animi distractionibus plus sunt, quā sæculares mundo submersi. Nos si ad perfectionem venire cupimus, fugiamus hāc pestem, & statu ac professione facti cœlestes, semper cœlestia & diuina tractem⁹. Et vt huic documēto verba Ambrosij finem imponant, (Ambr in psal. 36.) sit nobis semper in corde, & in ore meditatio sapientiæ, & lingua nostra loquatur iudicium, lex Dei in corde nostro sit. Ideo nobis dicit scriptura: (Deut. 6.) Loqueris in illis, sedēs in domo tua, ambulans in via, dormitans, resurgens. Loquamur ergo dominum Iesum, quia ipse est sapiētia, (1. Cor. 1.) ipse est verbum, (Ioan. 1.) & verbum Dei. Ipsum spirat, qui sermones eius resonat, & verba meditatur. Ipsum sēper loquamur, cùm de sapiētia loquimur, ipse est, cùm de virtute loquimur, ipse est, cū de iustitia loquimur, ipse est, cū de pace loquimur, ipse est: cùm de veritate, & vita, & redēptione loquimur, ipse est.] Ista verba loquamur, quorum dulcedine capti dicemus: (Psal. 118.) Quàm dulcia faucib⁹ meis eloquia tua super mel ori meo.] Verè mel superat, quæ omnē mundi suauitatē excedūt, Mel superant, quæ Christū verām dulcedinē ad nos aduocāt, quæ amorē virtutis excitāt, & nos perfectionis amatores, & virtutum sectatores ostēdunt.

Quòd religiosus in cunctis bonum exemplum præbeat.

CAPVT XXIX.

NON sufficit bonum loqui, sed bonum facere necesse est, imò ideo bona loquimur, aut quia bonum facimus, vel vt illi, qui nos audiunt, & nos etiam simul cum illis bona faciamus. Qui enim bonum loquitur, sed bonū non facit, similis est arbori sterili, quæ frondibus arboris fructuosæ se vestit. Nam verba folia sunt, & verba bona, folia arboris bonæ, quæ fructus bonorū operum ferre solet: his verò foliis arbor infructuosa se dissimulat, dum homo bene loquitur, & fructus bonorum operum ferre non curat. B Qui ergo ad perfectionem assequendam bonum loquimur, bonum etiam operemur, & qui sanctis sermonibus nosmet ipsos, & alios audientes erudimus, bonum quoque illis exemplum præbeamus. Id nobis maximæ curæ sit, vt fratres nostri nihil in nobis videant aut nihil de nobis audiant, quod ipsos offendat, aut quod videntes, vel audientes non ad virtutis imitationem accendat. Vtilia nobis, & licita, imò & aliquatenus necessaria interdum rescindenda sunt, & cum aliqua incom[...]itate in victu, in vestitu, in ministerio, in habitatione viuendum, ne pusillus scandalizetur, & nostræ imitationis prætextu, eo, quod nobis quidem necessarium esset, sed illi superfluum est, vestiatur. Quo spiritu abundabat Paulus cùm dicebat: Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt. (Paul. 1. Cor. 6.) Omnia mihi licent, sed ego sub nullius redigar potestate.] C Nam quædam nobis secundùm diuinam vel humanā legem aut secundùm regulam nobis licita, & cōcessa sunt, quæ tamen nec nobis, nec aliis expediunt. Non quidē nobis, quia eorum admissione, fratribus pusillis suspectos nos facimus, & non bonum exemplum præbemus: nec etiam illis, quia exemplo nostro edocti quæ nobis licita essent, illis, autē illicita sunt, audent: vt adolescēs verbi gratia, robustus, & firmus, more senis, & infirmi vult viuere, & minores, aut incipientes sanctam perfectionem, libertatem gestiūt imitari. Ab his nobis licitis, sed nec nobis, nec aliis expedientibus abstinere debemus, ne fratribus scādalo simus, & sub inanium suspicionum, & temerariorum iudiciorum potestate redigamur. Alio verò loco idem Beatus Apostolus, ad idem clariùs & manifestiùs hortatur dicens: (1. Cor. 10.) D Omnia mihi licent, sed nō omnia ædificant. Nemo quod suum est quærat, sed quod alterius.] Quasi non omnia nobis licita, sed omnia dumtaxat alios ædificantia admittenda sint, vt ad Christi imitationem nō nobisipsis placeamus, nec quod nobis delectabile est, sed quod aliis est vtile, & proficuum quæramus. Videat itaque seruus Dei perfectionis cupidus, præsertim si non solus, sed in fratrum congregatione viuat, ne propriam consolationem, aut vtilitatem regulam suorum operū faciat, sed aliorum in omnibus (quo ad fieri poterit) ædificationē quærat. Alioquin & seipsum turbabit, & internam tranquillitatem ad sectandam vitā spiritualem summè necessariā amittet, & alios, quibus vt spiritualis vir deberet proficere, malis exēplis offendet. E Indiget forsitan cultiori cibo ob corporis nōnullā imbecillitatem, sed nō ita manifestè, vt omnes aduertant, ac ideo scandalo est fratribus illa exquisita lautities: relinquat illū cibum dicens cū Paulo. (1. Cor. 8.) Si esca scandalizat fratrem meum, nō manducabo carnē in æternū, ne fratrē meum scandalizem.] Indiget nōnulla remissione, quo tēpore alij laborāt, illā in cōmodiorem opportunitatē differat, & cū aliis laboret prout potuerit, ne sua illos minùs prudēti vacatione

contristet,

contristet. Vellet orare, aut meditari, aut legere, cùm omnes fratres aliquod munus publicum obeũt, vt cùm exempli gratia, peccatorum confessiones excipiunt, volũtatem suam abneget, & illis se socium, comitem, & adiutorem præbeat, ne ipsi sub onere relicti forsan obmurmurent. Nam bona, & necessaria interdum omittenda sunt, vt meliora, aut magis necessaria faciamus, & in omnibus nos ædificationis ac boni exempli amatores commonstremus.

Si autem bona hac regula metienda sunt, & ita præstanda, vt neminem lædant, & vniuersos ædificẽt, quanto diligentiùs sunt mala boni exempli causa vitãda? Profectò qui vel hac de causa mala & imperfectiones non cauet, & apud alios, quantùm sibi possibile fuerit, sine reprehensione non viuit, reus non tantùm suorum peccatorum, sed & eorum, qui ipsum imitantur, efficitur. Sicut enim qui alios ad furandum inuitat, si illi, quod abstulerunt, non reddant, non tantùm quod ipse surripuit, sed quod comites rapuerunt, iure restituet: ita qui malo exemplo suo ad detrahendũ, ad frangendum silẽtium, ad minùs promptam obedientiam, vel ad quid simile allicit, se suo peccato, & aliorum etiam peccatis astringit. Hunc etiam Bernardus, Domini hostem, & persecutorem appellat. Vereor, inquit, dilectissimi, ne quis fortè sit, & in nobis Domini persecutor, quia manifesta docuit ratio, impedire salutem, esse persequi Saluatorem. Quas ego de salute animæ meæ fratri illi gratias agere possum, qui mihi propinat detractionis fraternæ venenum? Meritò detractores Deo odibiles describuntur, tamquam persecutores. Quid & is, qui exemplo suo ad remissiùs agendum cæteros prouocat, aut singularitate turbat, aut inquietat curiositate, aut impatientia sua, & murmuratione molestat, aut quocumque modo contristat spiritum Dei, qui in eis est, scandalizãs vnum de minimis istis credẽtibus in eum? Nónne & hic manifestè persequitur Christũ? Vt ergo persecutorũ & nomen & crimen lõgè sit semper à nobis, obsecro vos dilectissimi, benignos semper & mites exhibeamus, nos inuicem supportantes omni patientia, & ad id quod melius & perfectius est alterutrũ prouocãtes:] Hoc curauit Eleazarus vnus de primoribus Ierosolymæ, & ista ratione ora se ad idololatriã excitantiũ occlusit. Non enim ætati nostræ dignum est, inquit fingere: vt multi adolescẽtium arbitrantes Eleazarũ nonaginta annorũ transisse ad vitam alienigenarum, & ipsi propter meam simulationẽ, & propter modicum corruptibilis vitæ tempus, decipiãtur:] O mirabilem virum, qui primò ne Deum offenderet, & diuinam legem trãsgrederetur, deinde ne alios post se ad malũ traheret, & sui flagitij imitatores efficeret, in quo se Dei hostem ostenderet, à crimine prohibitæ mãducationis abstinuit. Sequamur & nos virũ istũ, & pro nostra possibilitate, ne creatorem offẽdamus, & ne fratribus nostris scãdalo simus, omnia peccata vitemus In malis fugiendis, & in bonis admittẽdis, sicut hic beatus vir, tum gloriam Dei nostri, tũ proximorum ædificationẽ quæramus, vt & ignominiã, quã ipse euasit, abiiciamus, & verissima gloria tũ in hac tũ in alia vita cumulemur. Felix enim anima, vt inquit Dionys. Richelius, quæ in cõgregatione bene versando, multorum est gaudiũ, atque confratribus sanctitatis exemplum, cuius humilitas alterius cõfũdit superbiam, cuius patientia consodaliũ extinguit furorem, cuius mititas proximi iracundiam superat, cuius feruor inertiam alieni temporis exsuscitat: quę fratrem suum turbatum, atque tentatum, mœstum itemque & afflictum, ædificare consolarique nouit.] Quantum verò sit periculum eorum, qui bonis exẽplis aliis prælucere non satagunt, statim explicat, dicẽs: At verò vnũ quoque certum est, quod Eusebius ille Emissenus vel potiùs Eucherius Lugdunensis fatetur, nimiumque horrendum existit, & itẽ incessanter pensandum: Quòd nisi in claustro nostras quotidie circumcidamus & resecemus passiones, multò vtique hîc deteriores efficimur, quàm in sæculo viuentes extitimus, sic vt nostra posteriora prioribus, fiãt peiora. Heu quare negligimus? cur vocationẽ nostram non semper aspicimus? Quamobrẽ velut tuti, & tamquam si omnium euasissemus laqueos periculorũ, viuimus, magis verò dormimus, atque tepescimus. Hæc omnia sãctus hic pater. Quibus certè satis ostẽdit præpostera exempla esse plena periculis, bona verò, & aliis magnam vtilitatem afferre, & nobis immortalem gloriam comparare. Nam si malis exẽplis fratribus nostris nocemus, sicut cœlum fulmina intorquẽs, eorum animas prauitate nostrarum actionum extinguimus. Sic enim interpretatur Gregorius illud Iob. Ignis Dei cecidit è cęlo, & tactas oues, puerósque cõsumpsit.] Si autẽ exemplo sanctorum operum eos ad bonum incitamus, optimè nobis cõgruit illud Pauli: quia Christi bonus odor sumus Deo, in iis, qui salui fiunt, & in iis qui pereunt: aliis quidem odor mortis in mortem, aliis autem odor vitæ in vitam.] Nam sicut radij solis ipsi boni ceram liquefaciunt, & lutum obdurant, ita boni exempli odor bonus atque suauis bonos ad bonum instigat, & malos sua ipsorum culpa ad bonum non iuuat.

Omnibus quidem viris sanctis solemne fuit, seipsos veluti specula aliorum hominũ facere, in quib. suas maculas videãt, & semper suã vitã sanctis operibus plenam, in virtutis exemplum aliis hominibus exhibere. Spiritus enim sãctus dicit illis per os Pauli Prouidẽtes bona nõ tantùm coram Deo, sed etiã coram omnibus hominibus.] Quare non putãt, se virtuti satisfacere, si ita viuant, vt Deo placeãt, nisi etiã aliis fratribus suis vitæ exemplo proficiant. Nã sicut viri nobiles nõ tãtùm regi, sed etiam omnibus ciuibus volunt in cultu, in vestibus, in seruis, in comitibus illustres, & nobiles apparere; ita & iusti nõ tantùm coram Deo, verùm & coram aliis fidelibus eniti debent, ea intẽtione, qua statim dicemus, virtutis opera cõmonstrare. Et quemadmodum aurũ non quidẽ Domino suo aurum, & reliquis lutũ apparet, sed omnibus illud aspiciẽtibus, pusillis, & magnis, se autem fulgidum, & pretiosum ostẽdit: ita perfectus vir non solùm Deo, (quẽ Dominũ confitetur) sed & omnibus aliis, siue boni sint, siue mali, suam virtutẽ bene viuẽdo, & omne quod oculos aspiciẽtiũ offendat, cauendo, pro gloria Domini manifestat. Bernardus certè perfectorũ vitã describẽs, eos pingit bonis sẽper operibus insistentes, & bonũ exẽplũ enixè curãtes. Sancti Dei homines, quãdiu fuerũt in hoc sæculo, nõ cessauerũt currere in bonis operib⁹, scilicet in ieiuniis, in vigiliis, in eleemosynis, in castitate, in cõtinẽtia, in lõganimitate, in patientia, in suauitate, in orationibus, in persecutionibus, in beneuolẽtia, in fame, & siti, in frigore, & nuditate in laboribus multis pro Christi nomine. Sancti homines despexerunt præsentẽ mundum, vt æternũ regnũ acquirerẽt, non acceperũt hic promissiones, vel diuitias miserabiles huius sæculi, quæ perducũt homines malè eis vtẽtes ad tormenta inferni, sed hanc patriã tota intentione relinquentes, ad cœlestem Ierusalem leuauerũt oculos suos. Homines Sancti vitauerunt peccatũ in verbo, in facto, in cogitatione, in visu, in auditu, in motu in oculis, in manibus, in ira, in pedibus, in rixa, in furore, in dissensione, in vana gloria, in superbia, in elatione, in cupiditate, in gula, in somnolentia, in

Bern. ser. 1. de conuer. D. Pauli. Rom. 1. 2. Mach. Dionys. li. 1. de vita & fine solitarij. ar. 6. Iob. 1. Greg. 2. mora. c. 28. 2. Corin. 2. Roman. 12. Bern. ser. 16. ad fr. 1. r. m.

fornicatione, in violentia, custodientes corpora sua, & animas suas, duobus modis ieiunarunt, scilicet à vitiis, & actibus. Bona est abstinentia ciborum, sed multò est melior abstinentia vitiorum. Inde Ecclesia de suis membris, id est, de iisdem sãctis Patribus, dicit, Manus meæ distillauerunt myrrham:] Quid per manus, nisi operationes sanctorum intelligimus, & quid per myrrham nisi mortificatio carnis, & mortificatio vitiorum accipitur? Manus Ecclesiæ Sancti homines sunt, bona operantes, de quibus dicitur: Operati sunt iustitiam,] manus ergo Ecclesiæ myrrham bonorum operum stillant, quia nobis exempla bene viuendi demonstrant, & vt vitia carnis nostræ mortificemus, prædicant.] Si ita Sancti vitam suam instituerunt, nos qui ad eorum sanctitatem peruenire cupimus, necesse est, vt eisdem passibus gradiamur. Hæc quippe est hominum prudentium consuetudo, vt si honorem, vel dignitatem aliquam, aut diuitias, aut principum gratiam assequi cupiũt, eam viam in eius assequutione teneant, per quam alij breuiter, & securè eandem rem adepti sunt. At vniuersi perfecti perfectionis dignitatem sũt assequuti non aliter quàm bonis operibus inhærẽdo, & virtutis exempla monstrando. Vanus ergo, & stultus est qui opposita via incedit, & putat se mentis puritatem adepturum, dum imperfectionibus inhæret, & suis peccatis alios scandalizat, & mali exẽpli in cõgregatione odorem emittit. Certum est, quia quæ seminauerit homo, hæc & metet,] quòd si tu in aliis exemplo vitæ tuæ seminas corruptionẽ, metes non perfectionem sed corruptionem, & si seminas discordiam, & inobedientiam, gehennam colliges, non vitam æternam.

Cant. 6.

Hebr. 11.

Galat. 6.

Meritò verò Dominus à viris spiritualibus, & perfectionem sitientibus boni exempli lumen exquirit, quoniam ex ipso homines imperfectos, & tepidos viam salutis docet, & ipsosmet iustos feruẽtiori virtutis desiderio succendit. Sint, inquit, lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris.] Lucernæ, teste Gregorio, opera iusta designant. quæ non extinctæ, non absconditæ, non sub nodio delitescentes, sed ardentes, & lucentes deposcuntur, vt ab omnibus videantur. Quis enim lucernam ardentem, & impositam candelabro non videat? quis ab ea ducatum suis gressibus nõ accipiat? cuius oculi splendore eius non illuminentur? cuius pedes non dirigantur? Sint itaque iustorum opera, tamquam lucernæ ardẽtes, quæ omnes videant. Videãt autem ea, vt non tãtùm Euangelio prædicato, sed etiam viuo, & ad praxim redacto viam salutis addiscant. Videant contemptum sæculi, quo à Deo donatus es, vt sæculum contemnant, videant tuam humilitatem, vt se deiiciant: Videant tuam castitatem ac circumspectionem, vt fœminarum cõsortia, & corporis luxus, & omnem habendi occasionem fugiant: Videant tuam paupertatem, vt crumena & pecuniis se expolient; Videant denique tuam obseruantiam, ac amorem disciplinæ, vt simili obseruantia, & amore se vestiant. Videant, & tunc videri timeas, præsertim si iam vitæ spiritualis infantiam excessisti, quia non facis, vt videaris, sed vt Deus in te glorificetur, & habeat seruos, qui palam illum operę cõfiteantur, & nequaquam viam virtutis erubẽscant. Videant, quia sic placitum est ante Deum, qui vult suos seruos fideles agnosci, & malorum ac tepidorum vitam eorum cõuersatione damnari. Seruire Deo, & perfectionem quærere, non est monetam adulterare, aut crimen læsæ maiestatis admittere, quod debeat in occulto fieri, sed est, Deo placere, Angelos lætificare, Sanctos imitari, mun-

Luc. 12. Gre. hom. 13. in Euang.

A B C D E

dum nobilitare, impios à Dei indignatione defendere, quare debẽt sine vllo timore, & sine vlla erubescentia præstari. Qui malè agit, odiat lucem, & non veniat ad lucem, vt non arguantur opera eius:] at tu, qui facis veritatem, venias ad lucem, vt manifestentur opera tua, quia in Deo sunt facta. Excipe verba Bernardi, qui Gregorij testimonio suffultus, causam istam, ob quam præbendum sit bonum exemplum, manifestat. Venerabilis virgo (ait ad sororem loquens) desidero, vt luceas omnibus ancillis Dei, quæ tecum sunt in monasterio, bene viuendo: quia sicut ait Beatus Gregorius, qui aliis suam vitam abscondunt, in semetipsis accensi sunt, sed aliis in exemplum luminis non sunt. Illi verò, qui exempla virtutum, & per vitam sanctitatis, atque per verbũ prædicationis aliis lumen demonstrant, lampades ardentes sunt, quia aliis viam salutis ostendunt. Et in eandem sententiam Thomas à Campis inquit. Attende tibi vt quantum vales, omnibus sis causa boni exempli, vt in te clarificetur nomen, & vita Iesu Christi. Nemo veniat ad præsentiam tuã, quin ædificatus, & lætus recedat à te. Tu verò retine apud te, quòd non sis dignus alicuius colloquio, sed magis tibi proficit aliorum visus, sermo, oratio.] Ostendendum est itaque in omnibus bonum exemplum, vt omnes vitæ cœlestis doctores simus, & Euangelij doctrinam, si non verbo, at (quod efficacius est) semper opere prædicemus. Nec solum Dominus ex bonis exemplis peccatorum emendationem, sed etiam ipsorum iustorum mutuum feruorem, & profectum exquirit. Quia sicut carbones mutuò se accẽdunt, & citius ac vehementiùs ignis naturam concipiunt, ita iusti sanctis operibus mutuò se exhortantur, mutuo se iuuant, & ad ampliorem virtutem inuitant. Ideoque illa duo Cherubim obumbrantia propitiatoriũ, mutuò se respiciebant, & expandebant alas suas, quia ex eo quòd sancti, quos in Cherubinis illis cõsidero, adinuicem suas virtutes respiciunt, robur ad proficiendum, & seipsos feruentiùs exercendum, accipiunt. Vnde Richardus ait: Solent boni virtutes suas inuicem attendere, & alter ab altero profectus pariter & humilitatis incitamenta sumere. Vnde cõtingit, vt dum iste illius patientiam, & ille istius obedientiam: iste illius charitatem, & ille istius munditiã considerat, semper alter ab altero sumat, vnde in bonum crescat. Multùm enim ad studium emendationis accinguntur, quando in aliis cernunt bonum quod ipsi minus habent.] Salomon quoque idipsum astruit illis verbis: Si dormierint duo, fouebũtur mutuò, vnus quomodo calefiet?] Illi namque simul dormiunt, qui sub eadem professione, in pace & cõcordia requiescunt: hi se mutuò fouent, & frigus teporis excutiunt, dum spiritu humilitatis ducti, virtutes quibus pollent adinuicem respiciunt. Iste alterius (verbi gratia) orationem notãs, spiritum orationis in se promouet, & ille istius mansuetudinem vidẽs, cor suum mitigat & sustinentia mansuefacit. Hoc artificium est sapiẽtia Dei, qui bonorum exemplis bonos ad maiorem virtutem prouehit, & malos emendat. Quamobrem iure optimo iusti per dentes Ecclesiæ Christi spõsæ in Cantico canticorum signantur illis verbis: Dentes tui sicut greges tonsarũ, quæ ascẽderunt de lauacro, omnes gemellis fœtibus, & sterilis nõ est inter eas.] Dẽtes sunt puritate cãdidi, charitate coniuncti, robusti fortitudine, quorum exẽplo veluti quodã spirituali morsu, peccata, & defectus aliorum consumũtur. In quem sensum Augustinus hũc eundẽ locũ interpretans, ait: Horum enim auctoritate cõmoti, Deo per illos loquẽti & operãti homines credũt, & separati à sæculo, cui cõformati erãt, in Ec-

Ioan. 3.

Bern. ser. 16 ad sororem.

Thomas à Campis lib. 1. de fidel. dispensat. c. 13.

Exod. 25.

Richar. in Cant. cap. 5.

Eccles. 4.

Cant. 4.

August. in Psal. 3.

clesiæ mēbra transeūt. Et ideo rectè isti, per quos hęc fiunt, dentes dicuntur, detonsis ouibus similes, qui iam terrenarum curarum onera deposuerunt, & ascendentes de lauacro, de sordium sæculi ablutione per Sacramentum Baptismatis, omnes geminos pariunt. Operantur enim duo præcepta, de quibus dictum est, In his duobus præceptis tota lex pendet, & Prophetæ:] Diligentes Deū ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota mēte, & proximos tāquā seipsos.] In quibus sterilis non est, quoniā tales fructus reddunt Deo.] Nos autem secundùm Dei propositum viuamus, & bonorum operum exemplo, tum nosmetipsos ad meliora sæpe, & altiora prouehamus, tum alios, qui necdum viam spiritus ingressi sunt, non tam oris quàm vitæ vocibus emendemus

Matt. 22. Luc. 10.

A

Et sanè si non aliud, saltem nostra dignitas, & nostra gloria ad præbendum bonū exemplum nosipsos excitet. Quid enim dignius, quid gloriosius quā vt Dei milites, non ad capiendas vrbes, nec ad expugnanda regna terrena, sed ad conuertendas animas sancta conuersatione simus? Quid illustrius quàm vt Deo cœlestes sedes implenti cooperemur, & Christum animas ad se vocantem sequamur? Quid desiderabilius, quàm vita nostra omnibus testatū facere, quæ præmia bonos maneāt, & quæ supplicia malos & iniquos expectent? Hæc autem adipiscimur, cùm exēplo vitæ omnibus nos cognoscētibus prælucemus. Nam qui bonum exemplum aliis præbet, miles est Christi, pro eius gloria aduersùs peccatores pugnās. Cuius malitiæ laudator est Paulus ita ad Timotheum scribens: Hoc præceptum cōmendo tibi, fili Timothee, secundùm præcedentes in te prophetias, vt milites in illis bonā militiam habens, fidem & bonam conscientiam] Fides quippe, & bona cōscientia ostensa sanctis actionibus potentissimè pro Christo militat, & animas prauis moribus assuetas expugnat. Qui bonum exemplum præbet, cooperator est Christi, qui veluti eius vox, quam nullus non audit, ad virtutem vocat, & quid malū sit, quid imperfectum manifestat. De se quippe, & de aliis rectam vitam sectātibus dicere potest: Dei sumus adiutores,] quia quod Dominus Scripturis sanctis, & internis inspirationibus, & prædicatorum vocibus dicit, ipse vita, & actione suadet. Qui deniq; bonum exemplum præbet, testis est Christi, qui cōuersatione sua possibilem esse Christi doctrinam affirmat, & ei non se accommodantes operibus increpat. De his testibus in persona peccatoris inquit Iob: Instauras testes tuos contra me, & multiplicas irā tuam aduersum me.] Sed qui sint isti testes, & quo pacto iram Domini aduersum peccatorē multiplicēt, malo verbis Gregorij, quā meis sermonibus explicare. Testes Dei sunt, inquit, qui per exercitium sancti operis testantur, quæ electos secutura sint præmia veritatis. Vnde hos quoque, quos pro veritate passos agnoscimus, Gręco eloquio martyres, id est, testes vocamus. Et per Ioannē voce Angelica Dominus dicit: In diebus meis Antipas testis meus fidelis, qui occisus est apud vos.] Sed testes duos contra nos Dominus instaurat, cùm electorum vitam, prauitati nostræ cōtrariam, ad arguendos nos instruendósque multiplicat. Contra nos ergo testes illius instaurantur, quia cuncta quæ agunt, studiis nostræ prauitatis aduersa sunt. Vnde & sermo veritatis aduersarius vocatur, cū mediatoris voce per Euāgelium dicitur: Esto cōsentiens aduersario tuo citò, dum es cū illo in via.] Atque de hoc eodem Redēptore reprobi persequētes dicunt: Contrarius est operibus nostris.] Et paulò post: Dissimilis est aliis vita illius. Testes itaque suos contra nos Dominus instaurat: quia bona, quæ facere ipsi negligimus, hæc ad correctionem nostram fieri ab aliis demonstrat: vt qui præceptis non accēdimur, saltem exemplis excitemur: atque in appetitu rectitudinis nihil sibi mens nostra difficile æstimet, quod perfectè peragi ab aliis videt. Et fit plerūque, vt cùm alienæ vitæ bona conspicimus, nostra sollicitiùs damna timeamus: Et eo parescat, quanto pòst pondere animaduersionis impetimur, quo nūc à bonorum moribus longè discrepamus.] Quis hanc gloriam, hancque dignitatem contemnat, qua testis constituitur sanctitatis, dum alios exemplo vitæ suæ ad sequelam virtutis vocat? Quòd si hæc dignitas contemnenda non est, semper bonum virtutis odorem spiremus, & libertate, aut laxitate viuendi alios offendere timeamus.

B

1. Tim. 1.

C

1. Cor. 3.

D

Iob. 10.

Greg. Moral. c. 35.

Apoc. 2.

E

Matt. 5.

Sapient. 2

Sed quā intentione, & quo fine curandum est, fratres bonis exemplis adiuuare? Profectò non studio vanitatis, & opinionem virtutis apud homines quærendi, & inanis gloriæ captandæ (hoc enim puerile est) sed vt Deum in nobismetipsis magnificemus, & eius honorem & gloriam quæramus. Ad quod ipse nos hortatur, dicens: Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent patrē vestrum, qui in cœlis est.] Sic doctrina vestra resplendeat, inquit, vt eā sanctæ actiones approbēt, & opera bona confirment. Sic verò opera bona hominibus ostendatis, vt nō vanā laudationem ex eis, sed verā æterni patris gloriā aucupetis. Hanc enim quærentes, & Deum in vobis tamquam in speculis diuinæ virtutis magnificatis, & vobismetipsis mercedem semper duraturam conquiritis. Ex sole itaq; & astris finē, quò tendendum est in bene operando discamus. Sicut enim sol, & luna, & astra vniuersa, quæ cœlum ornāt, mortales illuminant, nō quidem vt seipsa exaltent, id præstāt, & proprij decoris ostēsione magnificent, sed vt Deo creatori seruiant, & seipsis apud homines eius maiestatem, & pulchritudinem præferant: Ideóque cœli non suam, sed Dei gloriam enarrant, & non propriam laudem, sed opera manuum eius annunciat firmamentum.] Ita viri iusti, qui quasi sydera in Ecclesia veluti in cœlo fulgent, & peccatores veluti luce egentes, illuminant, nō humanas laudes ex bonarum operationū exemplo, sed Dei gloriā, à quo est omne datum optimum, & omne donū perfectum,] debēt exquirere. Egregiè profectò iustos Origines cum syderibus cōfert, vt in illis, & lumen bonorum operum, & illuminādi causam, ac finem aduertant. Sicut cœli luminaria inquit, ac sydera in firmamento cœli à Deo collocata, cunctis indesinenter, quæ sub cœlo sunt, fulgēt, atq; omnibus, quæ super terram sunt, per tēpora, ac tempora, per generationes, & generationes mirabiliter relucent, alia quidem per noctem, vt luna, & stellæ, alia nihilominus per diē, vt solis speciosissimi radij: sic & sanctorum virtutis insignia, atque beatissimi eorum agones, omnibus in perpetuum singulariter fulgent, omnibus in æternum bonorum formam tribuūt, omnibus sub sole pietatis exēplum ostendunt Quòd autem syderibus, atque luminaribus cōparētur omnes sancti, demōstrat Apostolus dicens: Stella differt à stella in claritate, sic erit resurrectio mortuorum.] Proculdubio sāctorum. Sed & Angelus ad Danielem. Tunc iusti effulgebunt vt luminaria cœli, & tamquam sol & luna, & tāquā stellæ in sæcula:] Sic itaque effulgent, atque emicāt omnes sancti, non solùm in tempore restitutionis, sed & nunc in tempore præsentis sæculi. Alius fide fulget, vt Abraham. alius castitate, vt Ioseph: Alius nihilominus mansuetudine, vt homo Dei Moyses. Item verò alius cōstātia, atque tolerantia vehementium dolorum, vt ad-

Matt. 5.

Psal. 18.

Iacob. 1.

Orig. lib. 1. in Iob.

1. Cor. 15.

Dan. 12.

mirabilis Iob.]Iustitiæ igitur amatores,Ecclesiæ pulcherrima luminaria, virtutis splendore fulgeant,& vitæ puritate resplendeãt,& vniuersos virtutis suæ exemplis veluti clarissimis radiis illuminent. Nulla scandali nubes, nulla offensionis nebula eorum decorem & claritatẽ obscuret: sint recti,& simplices, & sine querela viuẽtes apud homines,ne illos(quod ad se pertinet)vlla macula prauæ opinionis obnubilet.Id autem curent,vt vera cœli luminaria, non vt ipsimet fulgeant,non vt famam, & nomen sanctorum aucupent,sed vt se Dei seruos fideles exhibeãt, & eius gloriam, & honorem apud omnes amplificent Sic audacter dicent cum Paulo: Neque quærentes sumus ab hominibus gloriam,neque à vobis, neque ab aliis.]Qui dũ gloriam caducam vitæ sanctitate nõ quærũt(& quod in ipsis est)abscõdi,despici,& pro nihilo haberi cupiunt, apud Dominũ verã gloriã merentur,& æternis præmiis digni reddũtur. 1.Thes.2.

PARS TERTIA

De aliis documentis ad perfectionem comparandam.

OMNIA, quæ in superiori tractatu dicta sunt,eò tendunt, vt religiosus sciat quid agere,& quid vitare debeat,vt sine periculo, quantùm in hac vita fieri possit, per viam virtutis ac perfectionis incedat. Quia verò non sufficit, aut bonum agere, aut à malo abstinere, nisi etiam illud bene agamus, & istud circumspectè & prudenter euitemus, ideo nunc alia documenta, quæ nos modum doceant in rebus tenendum, subiicimus Atque his obedientia,quam diuinis instinctibus debemus, principium dabit, quia ipsi non tantùm operis substantiam, sed modum etiam rationémque præscribunt.

Quòd religiosus diuinis inspirationibus pareat.

CAPVT XXX.

VELLEM quidem huic documento,quod modò scribere incipio, primas partes inter mediã generalia ad assequendam perfectionẽ necessaria tribuere; quod quisquis diligenter in intimis sui cordis admiserit,& attentus vocem Domini se vocantis,inuitantis,& docentis,auscultauerit, breui tẽpore magnos progressus in itinere vitæ spiritualis efficiet. Illud verò est Deum audire,Deo obedire,Dei monita & adhortationes accipere,&illud cuiusdam sapientis celeberrimũ dictum, Sequere Deum] vita,& actione præstare.Vt autẽ hoc ab ipso suo principio exponamus, sciẽdum est,cogitationũ internarum, quæ animum pulsant, & ad aliquid desiderandum, vel faciendũ inuitant, quasdam à dæmone communi aduersario procedere,quasdã à corde nostro,ac à natura nostra exoriri, alias verò à Deo omniũ bonorum auctore generari.Cogitationes à dęmone suscitatæ sũt,quas ad aliquod malum prouocantes,ipse turbando, & componendo phantasmata sensuum nostrorũ (habet enim ad hoc,si Deus permittat,potestatem)sensibus internis immittit,quæ intellectui præsentatæ, possunt illum ad cognoscẽdum mouere,& voluntatem,si admittantur, inficere.De his in Psalmo legimus:Misit in eos irã indignationis suæ,& indignationem,& iram,& tribulationem: immissiones per Angelos malos.]Et Ioannes ait: Cùm Diabolus iam misisset in cor,vt traderet eum Iudas Simonis Iscariotes.Cogitationes à nobis ipsis manãtes sunt,quas natura nostra corrupta, & suum semper commodũ quærens, & illud virtuti & puritati præponens,exsuscitat. De quibus ait Dominus: De corde exeunt cogitationes malæ,homicidia,adulteria, fornicationes, furta,falsa testimonia,blasphemiæ.] Et rursus: Quid cogitatis mala in cordibusvestris?]Et sanè difficile est origines huius duplicis cogitationis discernere,quoniam vtraque ad malum prouocant, & similes habent effectus.Vnde Bernardus ait: Quis ita vigil,& diligens obseruator motionum internarum suarum,siue in se,siue ex se factarum, vt liquidò ab quęque illicita sensu cordis sui discernat inter morbum mẽtis,& morsum serpẽtis? Ego nulli hoc mortallum possibile puto,nisi qui illuminatus à Spiritu sancto speciale accepit donũ,quod Apostolus inter cætera charismata, quæ enumerat, nomina discretionem spirituum.]At licèt ignorũ sit nobis, an cogitationes ad malum incitãtes,à nobis, an à Dæmone exoriantur,notum tamen & compertum est, eas omnes esse reijciẽdas eo ipso,quòd ad malum instigant.Cogitationes denique à Deo procedentes sũt, quæcumque ad bonum impellunt,ad sãctitatem, & puritatem nos excitant,& mẽtem nostrã pace quadam cœlitus immissa tranquillãt. Atque harum meminit Dauid dicens: Audiam quid loquatur in me Dominus Deus, quoniam loquetur pacem in plebẽ suam]Et eas expectabat Samuel,dum ait ad Dominum:Loquere Domine,quia audit seruus tuus.] Et Dominus ipse à se manare nõ negat,qui ait: Ego sapientia habito in consilio,& eruditis intersum cogitationibus.]Neque enim Deus illas approbaret,quas nõ à se prodire cognosceret.Paulus quoque ait:Non quòd sufficiẽtes simus cogitare aliquid à nobis,quasi ex nobis,sed sufficientia nostra ex Deo est.] Bernardus quidem pulchrè has omnes Deo cogitationes ascribit:Sunt quædam verba,inquit,Verbi sponsi ad nos,nostræ meditationes de ipso & eius gloria, elegantia,potentia,maiestate.Non solùm autem sed & cùm auida mente versamus testimonia eius,& iudicia oris eius,& in lege meditamur die ac nocte:Sciamus pro certo adesse sponsum,atque alloqui nos: vt

non

Vide D. Tho.1.p.q.111.ar.3. — Psa.77. — Ioan.13 — Matt.15. — Matt.9 — Bern. ser.32.in Cant. — 1.Cor.12 — Psal.84. — 1.Reg.3. Prou.8. — 2.Cor.4. — Bern. ser.32.in Cant.

non fatigemur laboribus, sermonibus delectari. Tu ergo cùm tibi aliqua talia volui animo sentis, non tuam putes cogitationem, sed illum agnosce loquẽtem, qui apud Prophetam dicit: Ego qui loquor iustitiam.] Et infrà: Itaque pacem, pietatem, iustitiam Deus in nobis loquitur, nec talia nos cogitamus ex nobis, sed in nobis audimus.] Omnes ergo cogitationes ad bonum monentes, ad mortificationem, ad virtutem, ad puritatem incitantes, sciamus à Deo progredi, & ab omnium bonorum principio variis modis, & instrumentis, de quibus alibi dicemus, immitti. *Isaia 53.*

Has à Deo immissas cogitationes, diuinas inspirationes vocamus, quòd illis Dominus in cordibus nostris desideria virtutis excitet, & ad varias boni actiones instiget. Quas attentè audire debet, & diligẽter opere complere, nec illis vllo modo reluctari, quicumque vult spiritu proficere, & ad perfectionem peruenire. Hæ inspirationes sunt quæ nos bona & sancta loqui iubent; hæ, quæ bonum in omnibus exemplum dare præcipiũt: hæ, quæ nunc mortificationis opera, nunc diuersarum virtutum studia, nũc, gratia animarum subire labores, nunc orationis & contemplationis exercitia dictant. Et quemadmodum pædagogus, cui principis cura demandata est, paulatim illum de omnibus docet, quousque in his, quæ ad principem pertinent, & filium regis, & hæredem regni decent, illum erudiat: ita Dominus non solũ per Scripturas, & per externam prædicationẽ, sed etiam per internas inspirationes, dictis Ecclesiæ conformes, iustos erudit, vt eos ad vitæ puritatem promoueat: nisi quòd est magnum pædagogi: Dominique discrimen: nam ille docet quidem puerũ, sed illi vires ad agenda, quę docet, minimè subministrat: Dominus verò & intellectum docet, & voluntatem inflammat, & gratiæ vires ad operandum attribuit. Qui vult ergo in virtute crescere, & ea quæ sũt principis, id est, viri perfecti, perdiscere, has Domini allocutiones audiat, illis obediat, & cùm à Domino eas esse constiterit (quod per Scripturas sanctas, per doctrinam Ecclesiæ, & per consilium maiorum & prælatorũ agnoscet) illis acquiescere nequaquam desistat. Nec casu dixi, ex quibus hæ internæ Domini allocutiones possint agnosci, quoniam fuerunt proximo sæculo homines impurissimi, & à generis humani aduersario decepti, qui omnem internum motum, Spiritus sancti impulsum esse dicebãt, & eo semetipsos tamquam virtutis regulæ gubernabant. Sed absit à nobis tam perniciosus error, & tam stulta fatuitas) qui in Paulo legimus: Quoniã & ipse Satanas transfigurat se in Angelum lucis:] Et Ioannes ait: Charissimi, nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus, si ex Deo sint.] Nihil autem probãdum, aut discernendũ esset, si omnis interior impulsus à Deo procederet, cui sine vlla hæsitatione, aut timore periculi, deberemus submitti. Nõ igitur omnes interni impulsus ex Deo sunt, sed aliquos (vt diximus) Diabolus, alios natura nostra progignit. Aliqui tamen à Deo nos interiùs vocante, & inuitante procedunt, quos eius esse coniicimus, si sacræ Scripturæ, & Ecclesiæ doctrinæ, & prælatorũ iussis conformes, & nostro statui, nostrisque obligationibus non incongruos cognoscamus. His tum gratos, tum obedientes nos exhibeamus, æquum est: ita vt cùm nos Dominus ad mortificationem oculorum, aurium, aut linguæ, aut alicuius passionis vocauerit, cùm ad exercitium humilitatis, fraternæ charitatis, aut alterius virtutis inuitauerit: cùm ad aliquod bonum opus externum, aut ad orationem, & secreta cum ipso colloquia interiùs impulerit, eius quod à *2.Cor.11. 1.Ioan.2.*

A nobis exigitur, diligens operatio sit fidelis nostra responsio.

Diuinis ergo inspirationibus obedire, efficacissimum medium accipiendæ perfectionis est, quoniã illa suprema maiestas, cuius natura est sanctitas, cuius Verbum est ipsa sapientia, nõ vana & inania nobis loquitur, (quis enim hoc de Deo credat) sed quæ sua puritate, ac maiestate sint digna, & quæ nostræ emendationi proficiant. Inspiratione sua vult vitia nostra prosternere, & duritiam mentis nostræ confringere: in cuius signũ lapis abscissus sine manibus statuam illam ex variis metallis factam comminuit, & ferrum, testam, æs, argentum, aurúmque contriuit.] *Dan. 2.* B Quid enim nunc statua, nisi mentis nostræ duritiem, quid lutum & varia metalla, nisi diuersa vitia, quid lapis abscissus sine manibus, nisi diuinam inspirationem designat? Hæc statuam percutit, & metalla, ac testã conterit, cùm in nobis diuinæ iussioni respondentibus, & cooperantibus gratiæ Dei, quidquid est vitiosum, & prauum extinguit. Quod mysterium Richardus Victorinus in hac historia statuæ contemplatus est Sic enim ait: In huiusmodi ferreis, & obduratis mẽtibus: meliùs operatur Deus inspiratione, quàm percussione, corrigũturq; sæpe interna illustratione, quæ nõ possũt flagella corrigere. Percussi inquit, filios vestros, & nõ doluerunt, renuerũt suscipere disciplinam.] *Richard. lib. 1. de erudit. interioris hominis. c. 27. Ierem. 5.* Sed cùm multò sit leuius apud nos dicere quàm facere, sæpè tamen in his etiã C mentibus, in quibus videtur percutiẽtis manus opera defecisse, operatur quidem miro & incomprehẽsibili modo interno suo verbo, vel sibilo. Verbũ, inquit, quod egredietur de ore meo, nõ redibit ad me vacuum, sed faciet quæcumque volui, & prosperabitur in his, ad quę misi illud. *Isaia 55.* Sic & Spiritus sãctus, vbi vult, spirat.] *Ioan. 3.* Verbo enim Domini cœli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum.] *Psal. 32.* Lapis itaq; sine manibus abscissus, timor Domini diuinitus inspiratus: in ictu huius lapidis statua deiicitur, & monstruosum opus destruitur.] O quantæ vtilitatis est diuinæ inspirationi parere, quæ duritiã nostrã emollit, & emollitos Deo subiicit. & ficta altitudine vitiorũ nos liberat. Nec solùm diuina inspiratio suscepta malum pellit, sed & multitudinẽ cœ- D lestium donorum in nobis infundit. Nam dum Deo interiùs loquenti, & diuersarum virtutũ studia præcipienti obedimus, sedem in nobis virtutibus & donis supernis præparamus. Radix mea, inquit Iob, aperta est secus aquas, & ros morabitur in messione mea.] Gloria mea sẽper innouabitur, & arcus meus in manu mea instaurabitur.] *Iob. 29.* Radix nostra cor nostrũ est, à quo sicut à radice vita procedit: quod tunc secus aquas aperimus, cũ diuinæ inspirationi recipiẽdæ subiicimus. Tunc autẽ ros moratur in messione nostra, id est, in iustis actionibus nostris, quæ rore, nimirum superna gratia desuper cadente, crescunt, & ad perfectionis maturitatem perueniunt: Tunc pulchritudo mẽtis nostræ augetur, & fortitudo succrescit, quia Dominus sibi obedientibus, & sua alloquia E recipientibus largam benedictionem immittit. Bonum est itaque audire Deum, & non tantùm eius præceptis omnibus in cõmune propositis, sed etiã specialibus inspirationibus obedire, quæ custoditæ nos malis liberant, & bonis cumulant, & ad amplhora bona recipienda disponunt.

Sed non prætermittamus verba Bernardi, hæc quæ diximus confirmantia, quæ profectò vberrimè explicant, quanta sit diuinarum inspirationum suscepta rum vtilitas. Vtinam, inquit, & mihi aperiat aurem Dominus, intret ad cor meum sermo veritatis, mundet oculum, & lætæ præparet visioni, vt dicam *Bern. ser. 8. in Cãt.*

Deo

Psal. 9. Deo etiam ipse: Præparationem cordis mei audiuit auris tua.] Vt audiam à Deo etiam ipse cum cæteris obedientibus: Et vos mundi estis, propter sermonem quem locutus sum vobis.] Nec omnes mundantur, qui audiunt, sed qui obediunt. Beati, qui audiunt Verbum Dei & custodiunt illud.] Talem requirit auditum, qui mandat dicens: Audi Israël.] Talem offert, qui ait: Loquere Domine, quia audit seruus tuus.] Talem spondet, qui dicit: Audiam, quid loquatur in me Dominus Deus.] Et vt scias etiam Spiritum sanctum hunc in animæ spirituali profectu ordinem obseruare, vt videlicet priùs formet auditum, quàm lætificet visum: Audi, inquit filia, & vide.] Quid intendis oculum? Aurem para. Videre desideras Christum? Oportet te priùs audire illum, audire de eo, vt dicas, eùm videris: Sicut audiuimus, sic vidimus.] Immensa claritas, visus angustus, & non potes ad eam. Potes auditu, sed non aspectu: Clamantem denique Deum, Adam vbi es?] Non videbam iam peccator, audiebam tamen: sed auditus, aspectum restituet, si pius, si vigil, si fidelis præcesserit. Fides purgabit, quem turbabit impietas. Et quem inobedientia clausit, aperiet obedientia. Denique à mandatis tuis intellexit,] inquit, quòd intellectum reddat obseruatio mādatorum, quem tulit transgressio. Aduerte adhuc in sancto Isaac, quomodo præ cæteris sensibus auditus in tam sene viguerit. Caligant oculi Patriarchæ, palatum seducitur, fallitur manus, non fallitur auris. Quid mirum si auris percipit veritatem, cùm fides ex auditu, auditus per verbum Dei,] verbum Dei veritas sit?] Ista omnia bona infert auditio Dei, auditio, inquam illa, qua mente audimus loquentem Deum, & opere, quod iubet, solerter exequimur. Primò intellectum ignarum, & cæcutientem erudit tali doctrina, tali lumine, quod si velimus, desideria excitet, voluntatem moueat, & cor gelidum ac penè extinctum inflammet. Deinde ad opus excitat, ad bellum contra Domini hostes, id est, contra vitia, & vniuersos affectus inordinatos prouocat, & ad diripiendas virtutum exuuias, & spolia donorum inuitat. Tandem mundiciem, & mentis sanctitatem importat Si tam eximia bona, ex diuina inspiratione suscepta, nobis accedunt, meritò timet sanctus Iob à Dei impulsus obeditione deficere. Et propterea ait: Quis det, vt veniat petitio mea, & quod expecto, tribuat mihi Deus? Et qui cœpit, ipse me conterat: soluat manum suam, & succidat me? Et hæc mihi sit consolatio, vt affligens me dolore, non parcat, nec contradicam sermonibus sancti.] Mirabilis imprecatio, sed quæ omnino eligenda, & quærenda sit, ne sermones Domini contemnamus. Quænam est petitio tua, & quæ est expectatio tua, ô sancte vir? An fortè, vt non contradicas sermonibus sancti, & vt vocē eius semper auscultes, & quod præceperit, exequaris? ita sanè, hæc est petitio mea, hæc expectatio mea, à qua ne exeidam, & ne aures meas Dei verbis obturem, vellem vt in me omne vitiosum, & impurum contereret, & soluta manu potentiæ, & misericordiæ suæ, ab omni me affectu terrenorum excideret, & abnegationis doloribus increparet. Hæc cupiamus, vt rectè obediamus Deo, quia necesse est ad hanc obedientiam tenendam nos ipsos sæpe, non sine gratia præuenientе, conterere, & ab omni rerum creatarū amore succidere, quod diuina inspiratio cœptum reperiens, auget, & promouet, & ad debitam perfectionem perducit.

Ioan. 15. · Luc. 11. · Deut. 6. · 1. Reg. 3. · Psal. 84. · Psal. 44. · Psal. 47. · Gen. 3. · Psal. 118. · Gen. 27. · Rom. 10. · Iob. 6.

Iam si diuinæ inspirationes auditæ vitiorum nostrorum sunt inimicæ, & bonorum operum, ac omnium virtutū, & sanctitatis origines, facile erit intelligere, obediētiam, qua illis paremus, nobis felicitatis ianuam aperire. Adeo vt sicut Adam audiens vocem coniugis suæ æternam maledictionem mercatus est, cui dictum fuit: Quia audisti vocem vxoris tuæ, maledicta terra in opere tuo:] ita è contrario nos audientes non vocem carnis, sed vocem creatoris nostri Dei benedictionem acquiramus, & vitam perpetuam mereamur. Quod & vtriusque testamēti paginæ euidēter ostendunt, dum diuinorum verborum auditores, & obseruatores beatos appellant. Nam & increata sapientia per Salomonem ait: Nūc ergo filij audite. Beati qui custodiunt vias meas.] Et beatus homo, qui audit me, & vigilat ad fores meas quotidie, & obseruat ad postes ostij mei.] Ac iterum: Beati, qui audiunt verbum Dei, & custodiūt illud.] Vnde, quod Ioannes de sua visione ait: Beatus, qui legit, & audit verba prophetiæ huius, & seruat ea, quæ in ea scripta sunt,] de omni Dei verbo, siue exteriùs per Scripturam, aut Ecclesiæ doctrinā proposito, siue interiùs inspirato potest intelligi, quòd quicumque illud audiuerit, operéque seruauerit, æternum præmium promeretur. Paulus quidem ita testatus est, dicens: In reliquo reposita est mihi corona iustitiæ: non solùm autem mihi, sed & iis, qui diligunt aduentum eius] Quinam sunt isti diligentes aduentum Domini, quibus corona iustitiæ promissa est? Certè non illi soli intelligendi sunt, qui præcinctos lumbos habētes, & lucernas in manibus tenentes, nouissimum Christi aduentum, quo vēturus est iudicare viuos, & mortuos, ardenter expectant. Non illi soli, qui de bona operatione sibi conscij expectat agonothetam daturū sibi æterna præmia meritorum. Non illi soli, qui digna luce & gaudio facientes, diligunt accessum eius, qui operibus lucis delectatus ea bonis numquā perituris cumulabit. Sed & illi intelligendi sunt, qui aduentum Domini inuisibilem amant, quod ad mentes hominum magister, & Dominus venit, & perfectionis opera, & digna suæ legis studia, impulsibus internis imperat, atque præscribit. Cuius sensus magnus Cassianus assertor est: qui hunc eundem Pauli locum interpretans, ait: Non illum tantùm aduentum, quo etiam nolentibus apparebit, sed etiā hunc qui quotidie in sanctis commeat animabus.] Quæ itaque ex diuinis inspirationibus auditis maior vtilitas, aut peti, aut desiderari potest, qua vt huius vitæ, & futuræ bona ad nos afferant, & vt fideles Dei seruos in cœlestes mansiones inuehant? Bona certè huius vitæ animæ puritas, atque tranquillitas, vitiorum extirpatio, & virtutū acquisitio, & cœlestia dona sunt. Bona verò futuræ vitæ sunt visio, & possessio Dei, gaudium, & claritas, & omnium bonorū cumulus, qui iustis paratus esse fide conspicitur. Hæc autem omnia bona obedientia diuinis inspirationibus affert, quia & nos à malis abstrahit, & ad omne bonum ducit, & præmio iustis parato dignos reddit. Nam Deus nihil à nobis petit, quod non concordiam cum Ecclesia, & dictis Sanctorum sapiat, quod non aliorū ædificationem præferat, quod nō sanctitatem, munditiemque redoleat. Subiice igitur te, anima mea, impulsibus Dei, & ne dicas amico tuo, vade, & reuertere, cū statim possis dare.] Ne inquam, obsurdescas, & obedire differas de die in diem. Si enim Dominum loquentem, & te inuitantem non audis, vt ab illo non exaudiaris, dum oras, periculū subis. Quare Gregorius ait: Diffidit mens, se accipere posse in oratione, quod appetit, quæ reminiscitur nolle se adhuc facere, quod diuinitus audiuit. Dign⁹ est enim, vt ab eius beneficiis sit extraneus, cuius iussionibus non vult

Prou. 8. · Luc. 11. · Apoc. 1. · 2. ad Tim. 4. · Cassian. lib. 5. inst. c. 17. · Prou. 3. · Greg. 10. mor. 17.

esse subiectus. Qui audire vult, audiat: qui nō debita cupit recipere, non solùm in rebus præceptis, sed etiam in aliis, si à Deo intetiùs postulentur, obediat: quia multùm impetrat, qui se ad implendas diuinas inspirationes inclinat.

Nec solùm in audiendis & custodiendis Dei inspirationibus maximum bonum est, sed etiam in illis contemnendis maximum malum. Quod sanè simpliciter dictum verum esse intelligitur. Quid enim noxius, quàm Deo vocanti surdas aures præbere? quid inuerecundus, quàm vniuersorum Domini dicta contemnere? Quid intolerabilius, quàm Deo docente, ignorantiam fingere, & ac si nihil audissemus, dissimulare? Audi periculum eius, qui Dei impulsibus eum ad bonum hortantibus, non obedit:

1. Reg. 15. Pro eo quòd proiecisti sermonem Domini, proiecit te Dominus, ne sis Rex super Israel Meritò, quoniam qui à Dei obedientia se subtrahit, voluntatis propriæ, & omnium vitiorum se seruituti subster nit. Audi ignominiam: Nubes, & ventus, & pluuiæ

Prou. 25. non sequentes, vir gloriosus, & promissa non complens.] Sicut enim nubes, & venti pluuiam, ita impulsus Dei nos ad bonum opus vocans, & roborans bonum fructum promittit. Et quemadmodum pluuia non sequens nubes & ventos, homines fallit; ita vir speciem pietatis habens, qui non acceptæ inspirationi respondit, seipsum, non præstando quod deberet præstare, decipit. Audi inquietudinem. Sapiēs

Iob. 9. corde est, & potens robore; quis resistit ei, & pacem habuit?] Certè nemo: nam sicut pacem non habet seruus, qui iussis heri reluctatur; ita nec homo, qui inspirationibus Dei sapientis, & fortis resistit. Audi denique dignam vltionem. Væ prouocatrix, & re-

Sophonia 3. dempta ciuitas, columba.] Quare ô Propheta Sancte? Non audiuit, inquit, vocem, & non suscepit disciplinam: in Domino non est confisa, ad Deum suum non appropinquauit.] Anima sanguine Christi agni immaculati redempta, eum, à quo liberata est, ad iram prouocat, & se in malum suum, non habere serpentis astutiam, sed stoliditatem columbæ dem onstrat. In quo? In eo scilicet, quòd vocem Domini illam ad perfectionis opera vocantis non audiuit: quòd difficultatem experiens, non in ipso cōfidit: quòd vt vincat impedimenta, nequaquam ad eum oratione recurrit. In hoc indignationem sui creatoris prouocat, & stultitiam cordi habere illigatam ostendit. Quare væ illi, id est, magnum malum, & ingens vindicta illi parata est. Quæ est autem ista vindicta? Illa quidem quòd Dominus, si suam vocem, ac inspirationem contemni videat, paulatim tacet, & sensim à postulandis operibus perfectionis se subtrahit, & miseram animam in sua segnitie, & tepore derelinquit. De qua pœna il-

Osea 4. lud Oseæ intelligendum est: Veruntamen vnusquisque non iudicet, & non arguatur vir: populus enim

Ierem. 51 tuus sicut hi, qui contradicūt sacerdoti.] Ac si dixisset. Curauimus Babylonem, & non est sanata; derelinquamus eam.] Vocauimus istam animā, & prælatorum vocibus, institutorum clamoribus, sodalium exemplis, & internis impulsibus eam à somno teporis suscitare curauimus, & nihil proficimus, nulla à nobis, aut saltem semissa tantùm inspiratio descendat, quæ eam ob suam ipsius culpam efficaciter non reprehendat, nec arguat, nec ad emendationem adducat. Relinquatur in sua inuerecundia, & procacitate, & hæc ignominia semper illi tribuatur, quòd contradicit mihi Deo suo; quod profectò in infinitum peius est, quàm si discipulus, qui hodie cœpit discere, suo magistro contradiceret, aut imperita plebs sapientissimo sacerdoti. Rogo te,

A quisquis hæc legis, ea attentè meditare, & si aliquando diuinis inspirationibus te ad aliquid perfectionis vocantibus obsurduisti, videbis eas à te paulatim fuisse sublatas, & tuam duritiem hac pœna seuerissima fuisse mulctatam. Quapropter cura placare Dominum, & magnis gemitibus orabis, dicens, Loquere iterum Domine, & audiet seruus tuus. Imo tu ipse qui boni cognitionem, & desiderium infundis, da vt ego audiam, & tuis hortationibus me obsequentissimum præbeam.

Intenti igitur simus voci Dei, & cùm eius esse internam vocem coniectamur (quod ex doctrina Ecclesiæ, ex scriptis virorum spiritualium, & ex magistro spirituali discemus (ei diligentissimè obediētes simus. Ipse Dominus gloriæ est, qui vires no-

B stras intetiùs mouet, vt bonum sciamus, velimus, & operemur. Ipse profectò (vt ait pulchrè Bernardus) monet, & mouet, & docet: Monet memoriam, rationem docet, mouet voluntatem. In his *Bern. ser. 1. Pent.*
enim tribus tota consistit anima. Memoriæ suggerit bona in cogitationibus sanctis, atque ita ignauiam nostram, torporémque repellit. Propterea quoties huiusmodi suggestionem boni senseris in corde tuo, da honorem Deo, & age reuerentiam Spiritui sancto, cuius vox sonat in auribus tuis. Ipse namque est; qui loquitur iustitiam. Et in Euange- *Ioan. 14.*
lio habes, quia ille suggeret vobis omnia, quæcumque dixero vobis. Et aduerte quid præmiserit: Ille docebit vobis omnia.] Dixeram enim quia docet rationem. Multi si quidem monentur, vt benefa-

C ciant, sed minimè sciunt, quid agendum sit. nisi adsit denuò gratia Spiritus sancti, vt quam inspirat cogitationem, doceat in opus proferre, ne vacua in nobis sit gratia Dei. Sed quid? Scienti bonum, & *Iacob. 4.*
non facienti peccatum est illi gratia.] Propterea non solùm moneri, & doceri, verùm etiam moueri, & affici ad bonum necesse est, ab eo vtique spiritu, qui adiuuat infirmitatem nostram, & per quem in cordibus nostris diffunditur charitas, quæ est bona voluntas. Itaque cùm sic adueniens spiritus totam possederit animam suggerendo, instruendo, afficiendo, loquens semper in cogitationibus nostris, vt audiamus & nos, quid loquatur in nobis Dominus Deus, rationem illuminans, voluntatem in-

D flammans, non tibi videtur, quia totam domum impleuerint dispertitæ linguæ tamquam ignis?] Si Dominus est, qui venit, si spiritus eius est, qui loquitur, si Deus ipse annūciat homini eloquium suum: præparare, ô anima, in occursū Dei tui Israël. Quia *Amos. 4.*
ecce formans montes & creans ventum.] Præpara teipsam in occursum eius, & cōsilium Noemi quo nurum suam erudiuit, libenter suscipito. Booz, in- *Ruth. 3.*
quit, hac nocte aream hordei ventilat. Lauare igitur, & vngere, & induere cultioribus vestimētis.] In hac mortalitatis nocte Dominus aream suam, quæ tu ipsa es, ventilabro inspirationis purgare, & mundare decreuit. Responde inspirationi, & ita mundaberis, & vnguento spiritualis cōsolationis vngeris, & virtutum indumentis vestieris. Si te ad diuinum

E impulsum suscipiendum parauetis, cōfide, quia (Domino faciente) ad desideratam sanctitatem peruenies. Ipse namque montes creauit, & ex vitæ abiectione tamquam ex nihilo, sanctos eduxit, & homines peccatores ad magnam sanctitatem euexit. Ipse etiam format ventum, & confert dona spiritus sui, quæ te illuminent, & roborent, & Deo (in quo perfectio est) perfectè subiiciant. Dic illi cum Propheta: Pasce populum tuum in virga tua, gregem hæreditatis tuæ.] Et cùm te secretis illustrationibus, & in- *Michea 7.*
ternis monitionibus pasci, & regi senseris, cū lega-

tum

A tum ad te missum, id est, internum impulsum audie-
ris, cùm virga pastoritia, hoc est, arcana increpatione
te percussum esse cognoueris, ne contradicas guber
nanti, & pascēti te, sed sequere illum, & regi, ac du-
ci te finito, vt hîc ad veram iustitiam, & in futuro
ad æterna pascua tandem admittaris.

Quòd religiosus bona opera stre-nuè faciat.

CAPVT XXXI.

B EX his, quæ in superiori capite diximus,
liquet, obediendum esse voci Dei, siue
ea per Scripturam diuinam, siue per
traditionem maiorum, siue per sermo-
nem prælatorum, siue per internam
nobis inspirationem constiterit. Cui voci nequa-
quam perfectè obedimus, si bona quæ Domi-
nus præcipit, aut à nobis poscit, tepidè & remisse fa-
ciamus. Deus enim magnus est: Dominus, quin &
ipsa magnitudo, atque maiestas, qui vult quod prin-
cipes volunt, scilicet diligentissimis obsequiis de-
liniri, & perfectis virtutis actionibus honorati. Vn-
de & substantiam operis mandat, & modum etiam
operis dictat: ita scilicet vt bonum quod facimus,
gnauiter strenuéque præstemus. Qui cupit ergo
C Deo per omnia placere, & aliquam mentis purita-
tem assequi, non putet instrumentum huius purita-
tis esse, sine vllo ordine, aut modo multitudini ope-
rum bonorum insistere, sed bene & diligenter bo-
nis operibus suæ vocationi & suis viribus congruē-
tibus occupari. Sicut enim non est ille optimus
pictor (vt simili Nazianzeni vtar, ad aliud propo-
situm adducto,) qui multiplices, & egregios colo-
res frustra miscet, & veluti pratum in tabula depi-
ctum ostendit, sed qui veras, & pulcherrimas for-
mas penicillo delineat: ita non est perfectus Dei ser-
uus, qui multitudine bonorum operum vtcumque
factorum suam vitam format, sed qui pulcherrimis,
& perfectis operibus, siue illæ plura sint, siue pau-
ciora seipsum honestat. Numquam optimum scri-
ptorem dicimus, qui multa scribit, neque optimum
D oratorem qui multa loquitur, sed ille optimus scri-
ptor habendus est, qui iuxta propositam materiam
doctè, prudenter, & eruditè scribit, & ille perfectus
orator, qui selectissimis verbis, & sententiis dicit, &
rationum pondere, ac efficacitate dicendi, quod in-
tendit, persuadet. Si in his, & in omnibus artibus
non bonum facere, sed bene & pulchrè facere arti-
ficem perfectum constituit, idem de studio virtutis
sentiendum est, vt quemque perfectum, ac sanctum
faciat, non orare, aut obedire, aut aliquid quodpiam
bonum facere, sed feruenter orare, deuotè obedire,
& quicquid bonum est, solerter, & diligenter ope-
rari. Faciat sutor calceos, qui nec pedes eius, in cu-
ius gratiam facti sunt, capiant, nec formam calceo-
rum habeant, omnes ridemus, & qui pecuniam pro
illis obtulit, indignatur. At calcei sunt? Non inficior,
E sed perperam, & non ad vsum pedum operiendo-
rum compacti. Ita frater, Dæmones rident oratio-
nem tuam, rident obedientiam tuam, rident psalmo
diam, & mortificationem tuam. & Dominus cui ista
offers, indignatur, quia omnia tepida, distracta, &
quasi per consuetudinem facta sunt, & stercore in-
numerabilium imperfectionum perfectio infecta.
De quibus ait Ieremias: Viderunt eam hostes, & de-
riserunt Sabbata eius.] Hæc enim opera (quod ad
suam substantiam attinet) Sabbata sunt, quibus ho-
mo ab operibus seruilibus, scilicet à peccatis vocat,
in virtute tamquam in sancto otio requiescit, sed
Dæmones hæc Sabbata rident, quia illis mēs nostra
non proficit, nec suam virtutem auget, imò potiùs
tepiditatis morbo languescit. Quòd verò his hostiis
ac sacrificiis Dominus indignetur, audi Malachiam
dicentem: Si offeratis cæcum ad immolandum, nón-
ne malum est? & si offeratis claudum, & languidum,
nónne malum est? offer illud duci tuo, si placuerit ei,
aut si susceperit faciem tuam, dicit Dominus exerci-
tuum.] Cæca est bona operatio, quam non oculi re-
ctæ & puræ intentionis dirigunt: Claudum est opus,
quod non humilitas, & propria diffidentia sustentāt:
Languidum est virtutis sacrificium, quod irreueren-
tia, segnitie, superbia. aut alio quopiam defectu fœ-
datum est. Si hæc offerantur Ecclesiarum principi,
ait Hieronymus, aut cuilibet erudito, sapientique
doctori, nónne repudiabuntur, & in contumeliam
eius recident, qui talia est ausus offerre? quantò ma-
gis Dominus repudiabit, qui sanctior est, & qui ple-
nius inuerecundiam nostram agnoscit?

Detrimenta igitur bonorum operum tepidè &
remissè factorum numeremus. Primum: Deum non
placant. Secundum: Angelorum, & Sanctorū iram
merentur. Tertium: Dæmones ad risum & contem-
ptum prouocant. Quartum: Minimè ipsum operan
tem perficiunt: Quintum; Maiorem in dies difficul-
tatem assequendæ perfectionis inducunt. Sextum:
Tempus ferè sine fructu consumunt. Deum quidem
bona opera malè & segniter facta non placant, qui
suæ maiestatis contemptum ducit, cultu tam irreue-
renti, ac tepido à suis seruis honorari. Quem cum
nausea & indignatione repellit, dicens: Calendas
vestras, & solemnitates vestras, odiuit anima mea,
facta sunt mihi molesta, laboraui sustinens] Bonis
quippe operibus quasi solemnitatem celebramus &
Deo primos, hoc est, præcipuos dies nostræ peregri
nationis offerimus, Sed istos dies, & ista solemnia
Dominus reiicit, cùm ea segnia, & imperfectionum
plena animus irreuerentia sordens emittit. Deinde
angelos & sanctos ad iram incitant. Quoniam illi
Dei famuli purissimi, qui tanta cura ei seruiunt, tan
to tremore famulantur, non possunt non indignissi
mum putare, quòd homines tantis ei defectibus ob-
sequantur, ac si non Deo, sed homini abiecto serui
rent. Præterea Dæmonès ad risum prouocant. Nam
(vt Hermæ similitudinem afferamus) quemadmo-
dum si quidam peracta vindemia quasdam ampho-
ras musto repleret, alias verò semiplenas relinqueret.
illis quidem prætermissis istas tantùm anxius visita-
ret, quarum vinum posset corruptionem cōtraxisse:
Ita Dæmon non visitat plenos, & perfectos viros,
sed semiplenos, illos nempe, qui substantiam qui-
dem bonorum operum habent, sed modum de-
bitum, id est, intentionis rectitudinem, & feruo-
rem in operando non retinent. Hos, inquam, quæ-
rit, vt non de eorum detrimento doleat, sed vt eos
feruore vacuos veluti vino corrupto occupatos irri-
deat. Hæc etiam opera segniter facta operātem non
perficiūt. Quoniam virtutum habitus tepidis, & re-
missis actionibus non augentur (vt non sola philoso-
phica disciplina, sed etiā experientia clamat) sed sal-
tem contrariis crescēribus eorum vigor minuitur, &
ad interitum disponuntur. Quod & Salomō fatetur,
dicens: Egestatem operata est manus remissa; ma-
nus autem fortium diuitias parat.] Et rursus: Manus
fortium dominabitur, quæ autem remissa est, tri-
butis seruiet] Quonam modo manus remissa, & ne-
gligens egestatem incurrit, & in seruitutem se redi-
git,

Marginal notes: Greg. Nazianz. orat. de vita differentiis. — Threno. 1. — Malach. 1. — Hiero. ad c. 1. Malachia. — Hermas. Pastor. 3. ad finem. — Prou. 10. — Prou. 12.

git, nisi quia ipsa operandi negligentia, & assiduitate remissè viuendi, dum vitia ex tepiditate venientia fouet, bonos mores priùs acquisitos attendat? Et quæ antea virtutibus fulta dominabatur, nunc vinculis socordiæ, ligata virtute, hostibus suis, scilicet vitiis subiicitur. Hinc autem oritur, vt tepida opera difficultatem acquirendæ perfectionis inuehant: quia ipsa consuetudo tepidè orandi, distractè meditandi, & irreuerenter psallendi, non habitum virtutis promouet, sed habitum tepiditatis, distractionis, & irreuerentiæ progignit. (& idem de aliis operibus segniter factis esto iudicium.) Isti verò habitus in corde radicati ipsum deprimunt, & vinciunt, ne ad opera feruida atque perfecta volare possit. Denique opera ista tempus sine fructu consumunt. Vt enim Bonauentura ait: Dies, vel hora, quæ negligenter officiata pertransierit, nequaquam vlteriùs poterit reuocari, cùm temporis sequentis officium, suam nihilominus diligentiam & deuotionem requirat.] Et profectò vel hæc sola cōsideratio deberet nos ad magnam diligentiam excitare, quòd opus semel tepide factum vllo tempore recuperare non possumus. Si enim exempli gratia aliquam ex canonicis horis segniter, distractè, & festinanter pronunciasti, & eam scrupulis agitatus repetas, nequaquam tempus in ea recitanda insumptum recuperas. Quoniā præsens tempus, in quo illam orationem reperis, suam actionem bonam habebat (nisi otiosus viuas) cui illud debuisses tribuere.

S. Bonauē in speculo. 1. p. primo. c. 1.

Ista omnia detrimenta vna virtute diligentię vincuntur, quare enitendum est, vt omnia bona opera diligenter, & strenuè perficiantur. Sed quæ feruorem in bonis actionibus nobis immittent, & ad istā diligentiam excitabunt? Certè ista quæ sequuntur. Primò, ô serue Dei, tuas vires attende, & mensuram gratiæ tibi diuinitus oblatam attentè cōsidera, & non, aut maiora, aut plura virtutum opera aggrediaris, quàm commodè possis sustinere. Opera quidem vel diuinis præceptis iussa, vel sanctis religionum institutis ordinata, non multa admodum sunt, & quæ non possint à quoquam sine multo labore præstari. His verò tu non adiicias, nisi quæ commodè, & cum mentis tranquillitate valeas exercere. Est enim dolus aduersarij nostri, spirituales viros ad multa, aut religionis, aut pietatis opera supra vires ipsorum mouere, non quia ipsi curæ sit, vt bonum faciant, sed vt tot occupationibus onerati, omnia malè & tepidè, & festinanter perficiant. His igitur tantùm insiste, quæ possis perfectè præstare, & eas, verbi gratia, horas in meditationem, aut contēplationē impende, eas vocales orationes recita, eam corporis asperitatem admitte, id temporis lectioni, aut studio sacræ Scripturæ concede, quod te nō turbet, nec nimis oneret, nec in aliquo virtutis studio festinare compellat, reliqua si præcepta, aut debita non sint, confidenter omitte. Postquā verò ista diligenter consideraueris, intentissimis & assiduis precibus à Deo postula (qui fons est omnium bonorū) vt te sedulum, & diligentem suum seruum faciat, & viam ac rationem, qua ei perfectè placeas, edoceat. Dic frequenter in corde tuo: Vias tuas Domine demonstra mihi, & semitas tuas edoce me:] & nomine viarum, quæ latiores sunt, bona opera, quibus ad Deum itur; nomine verò semitarum, quæ sunt angustiores, feruorem, & diligentiam, & bene operandi modum intellige. Hæc duo itaque iugiter postula, quia bonum opus sine bono modo factum, & socordiæ, ac irreuerentiæ vitiis affectum, non sufficit ad mundandam tuam mentem, nec ad perfectionem, quam cupis, assequendam. Item: ne sis mo-

Psal. 24.

A rosus in bonis operibus, nec differas de hora in horam, & de tempore in tempus, ne incommoditate constrictus, in oratione, aut in aliis festinare compellaris. Qui enim sanctas actiones procrastinant, aut de hac hora, in qua deberent fieri, in aliam differunt, similes sunt fœminis, difficiles partus habentibus, quæ & cum maiori dolore, & periculo pariunt, & aut emortuos, aut mutilos fœtus emittunt. Sic isti bona orandi, aut meditandi transacta, periculo se omittendæ orationis exponunt, & cum repugnantia se colligunt, & orationem aridam, tepidam, & distractam profundunt. At animæ perfectæ, aut ad perfectionem currentes, similes sunt mulieribus Hebræis, de quibus in Exodo dicitur: Non sunt Hebrææ, sicut Ægyptię mulieres, ipsæ enim obstetricandi habent sciētiam, & priùs quàm veniamus ad eas, pariunt.] Eo quòd animæ iustorum, vt inquit Ambrosius, non expectent artes, & disciplinas propter inuentionum genera, nec requirant adiumenta generandi, sed sponte partus suos fundāt, expectationémque præueniant.] Vnaquaque igitur bona actio suam horam, aut suum tempus habeat, in quo commodè, & sine molestia fieri possit, & numquā extra illud destinatum tempus illam reiicias, nec sine vrgenti causa (vt postea dicemus) ordinem tuæ exercitationis prætermittas, si cupis bona opera diligēter facere, & aliis occurrentibus occupationibus non impediri, sed temporis commoditate iuuari.

Exod. 1.

Ambr. de fuga secu. li. c. 8.

B

Cùm verò aliquod opus bonum aggrederis, etiāsi minimum aut leuissimum videatur, illud magni momenti, & apud Deum magni valoris esse momēto: qua meditatione formatus, opus occurrens nō perfunctoriè, non quasi aliud agens, sed quietè, attētè, & deuotè incipies, continuabis, atque perficies. Ita Dei obsequia respiciebat Beatus Bernardus, de quo legimus, quia in rebus communibus inerat illi singularis puritas, & deuotio non communis.] Ita etiam de his cogitabat Beatus Pater noster Ignatius, de quo hæc scripta sunt: Nec vllum quamuis leue religionis obibat officium, quin eius animi ardor, ex toto corporis habitu, ac præsertim ex fronte, atque oculis emicaret: ex quo facilè existimari potest, qualem ille se in horaria precatione, psalmisque, & in sacrificio Missæ præstiterit.] Et id quidem meritò. Nullum est enim Dei obsequium, quantumuis exile videatur, quod non, ab homine grato, & debito modo factum, gratiam augeat, & gloriæ coronæ aliquid dignitatis adiiciat. Quòd si homo illud opus diligētissimè perficit, ex quo bis mille aureos sperat lucrari, quali cura, ac diligentia nos benedictioni mensæ, aut gratiarum actioni, quæ post cibum sumptū fit, aut aliis similibus deberemus interesse, ex quibus non bis mille aureos, non centum mille, non mille millia, non infinitam auri, & argenti, & gemmarum copiam, sed (quod in immensum hæc superant) gratiæ & gloriæ augmentum speramus: Certè vilissima etiam obsequia regibus & principibus viris à suis famulis exhibita, mirabili sollicitudine procurantur, ne illis, à quibus toti pendent, aliquo modo displiceant. Et nos non regi terreno, sed illi, qui solus est rex, famulamur, & illi sub cuius nutu omnia curuantur imperia, non ergo segniter, & incuriosè minora ei obsequia præstemus. Si verò ista strenuitatem & diligentiam requirunt, qualem curā par est collocare in rebus maioribus, quæ ad Dei cultum, & venerationem spectent? Equidem puto quia maximam curam exigunt, quæ nos totos absorbeat, & pro illo tempore ab omnium terrenorū cura diuellat. Ad hoc pertinet, quod Hugo ait.

In vitam lib. c.

Lib. 3. vitæ per Maffæum c. 1.

C

D

E

Hugo. in instit. nouit. c. 3.

Quamuis in nullo loco homo disciplinam deserere A debeat, diligentiùs tamen, & magis sollicitè ibi conseruanda est, vbi vel neglecta pluribus generat scandalum, vel custodita bonæ imitationis exemplum.] Hæc ille, & sapienter. Nam licèt in omnibus Dei nos aspicientis oculos præcipuè vereri debeamus, siue illa publicè, & coram aliis, siue occultè, & sine arbitris fiant, tamen ad hãc ipsam Dei reuerentiam pertinet, vt coram aliis maiorem in eius cultu diligentiam ponamus. Quo & nobis ipsis, & aliis aspicientibus eluceat, diuina illa maiestas, cui seruimus, quàm sit diligentissimo obsequio, & profundissima veneratione digna. Et ideo nónnulli quæ diuini cultus publicè acturi sunt, non tam necessitatis quàm deuotionis, & feruoris causa præueniunt. Quod & B ipse Hugo monet his verbis. Sæpe illa quæ in publico necessaria sũt, quemdam priùs in secreto exercitationis vsum exposcunt: quia si ea prorsus in occulto negligimus, vti postmodum eis, dum opus est, in publico non valemus. Et tũc, aut prorsus à disciplina deficientes, intuentibus scandalum facimus: aut ineptè id quod in nobis non est, simulare conantes, irrisionem excitamus.] Hæc quæ Hugo monet, opere præstabat beatus Pater noster Ignatius, qui antequam ad altare sacrũ peracturus accederet, in cella illius diei Missam apud se legebat, & qua ratione cuncta agenda essent, præueniebat. Nec credendum est, hominem literatum, & cognitione diuinarum rerum satis instructum, id necessitatis causa fecisse, quasi tunc syllabas iungere disceret; sed deuotionis C ardore, & eximia quadam erga diuinam maiestatem reuerentia tactum, obseruasse.

Hug. ibid.

Id demum ad opera studiosa diligenter præstanda confert, si ea in principio, in progressu, & in fine ipsorum diligenter inspiciamus. Vt enim ait Gregorius. Tribus modis bona nostra hostis antiquus insequitur: vt videlicet hoc quod rectum coram hominibus agitur, in interni iudicis conspectu vitietur. Aliquando namque in bono opere intẽtionem polluit: vt omne quod in actione sequitur, eo purum, mundúmque non exeat, quo hoc ab origine perturbat. Aliquando verò intentionem boni operis vitiare non præualet, sed in ipsa actione se quasi in itinere opponit, vt cùm per propositum mentis securior quisque egreditur, subiũcto latenter vitio, quasi ex insidiis perimatur. Aliquando verò nec inten- D tionem vitiat, nec in itinere supplantat: sed opus bonum in fine actionis illaqueat: quantóque vel à domo cordis, vel ab itinere operis longiùs recessisse se simulat, tantò ad decipiendum bonæ actionis terminum astutiùs expectat: & quò incautum quemque quasi recedendo securum reddiderit, eò illum repentino nonnumquam vulnere diriùs insanabiliúsque trãsfigit.] Cùm ergo hostis humani generis tribus his modis nostris operibus insidietur, victoria, quam ab eo reportare cupimus, triplicem à nobis curam bonæ actioni impendendam requirit. Ille quidem caput operis, id est, intentionis oculum excæcare contendit, Secundum illud Ieremiæ: Facti sunt hostes eius in capite.] Caput enim operis E hostes adoriuntur, cùm bonam intentionem in præposteram mutare conantur. Sed huic impulsui scutum defensionis opponimus, cùm bonam intentionem placendi Deo seruare curamus. Deinde si dolus iste non prosperè sibi successit, ipsum corpus actionis socordia, irreuerẽtia, nimia festinatione, superbia, & mille aliis modis fœdare molitur. De quo Sanctus Dauid in quodam psalmo conqueritur, dicens: In via hac, qua ambulabam, absconderunt superbi laqueum mihi.] Quoniam si opus nostrum

Gregor. 1 Mor. c. 38

Thren. 2.

via nostra est, qua Deo appropinquamus, in via hostis laqueum abscondit, cùm in ipso progressu operis nos scopulis imperfectionum illidit. At strenuitas operandi, & in dies perfectiùs & diligentiùs perficiendi quod cœpimus, istã aduersarij astutiam irridet. Qui impedimẽta bonis actibus Deo permittẽte apponere potest, at nobis nolentibus, & imperfectionis muscas abigentibus fœdare non potest. Tandem fini operis insidias parat, dum ex bonis operibus ad iactantiam, ad falsam securitatem, ad otium. & torporem instigat. Ipse enim mordet vngulas equi, vt cadat ascensor eius retrorsum.] Qui & eam maledictionem accepit. Ipsa conteret caput tuum; & tu insidiaberis calcaneo eius.] Sed in isto etiam bello vincimus, cùm post multa bona opera, dum negligentias nostras respicimus, nos viliores, & miseriores putamus. Dum perpendimus nihil esse tam magnum, quod comparatione puritatis, quam possemus acquirere, non sit exiguum. Si hæc in bonis operibus seruauerimus, illa nos sensim quotidie puriores & sanctiores facient, & Deo nostris votis fauente, ad maiorem semper perfectionem prouehent.

Gen. 49.

Genes. 3.

Quòd religiosus ab operibus supererogationis non desistat.

CAPVT XXXII.

QVi ea, quæ superiùs dicta sunt, legerit, forsitan putabit nos prætextu bene & diligenter opera studiosa præstandi, velle spirituales iustorum mentes ad sola præcepta, & opera debita facienda restringere, & opera non debita, nec iussa, damnare. Diximus enim proprias vires à quoquam esse considerandas, & bonorum operum multitudinem resecandam, quæ nos festinanter, & sine tranquillitate viuere cogat, & vires diuinitus concessas excedat. Ex quo videtur sequi sola præcepta seruanda esse, & ad summum à regula, vel instituto nostro iussa præstanda, ad quæ vires hominis vix videntur sufficere. Quis namque præceptis diuinis, & Ecclesiasticis cinctus, & multiplicibus religionis, quam professus est, obseruantiis oneratus, poterit, postquam hæc actione compleuerit, alia onera, ad quæ non teneatur, superaddere, & præceptis, atque consiliis, quibus se per vitam religiosam ligauit, nouas curas virtutis adijcere? Præsertim cùm legis perito interroganti, quid faciendo vitam æternam possideret.] Sola à Domino dilectionis Dei & proximi sint mandata proposita, adiectúmque responsioni: Hæc fac & viues] Quasi diceret, ad vitam æternam, quam inquitimus, consequendam, præcepta tantùm esse custodienda, & nihil aliud postulandum. Sed absit à nobis talis existimatio, quia non, opera bona, non debita (quæ supererogationis vocamus, quòd operibus iussis iam completis addantur) sed imprudentiam, & præsumptionem illorum, qui vltra vires se onerant, reprehendimus. Qui benignitatem Dei, pauca, & non difficilia mandantis, & discretam prudentiam familiarum religiosarum, sanctissimis obseruantiis omnes suorum filiorum vires non exhaurientium, aduertimus. Quare sanctæ religiones, vt latè prosequitur Hugo, & sunt erga delicatos misericordes, & erga fortiores moderatæ. Qui etiam scimus Dominum quidem ad vitam æternam consequendam præcepta

Luc. 10.

Hugo. lib. 1. de Claustr. an. c. 13. & 14.

tulisse.

tulisse, ad maiorem verò gloriam adipiscēdam multa non debita, nec præcepta, consuluisset, cùm dixit: Si vis perfectus esse, vende, quæ habes, & da pauperibus, & sequere me. Qui denique in prouerbiis legimus: In abundanti iustitia virtus maxima est: quasi sufficientem iustitiam, quæ scilicet præceptis continetur, virtutem faciat, at iustitiam abundantem, quæ vltra debitum bona exequitur, non iam quamcunque, sed maximam virtutem constituat. Nos verò ad vitam religiosam venimus, non vt quamcūque virtutem, sed vt perfectā virtutem quæreremus. Quòd si virtutis nomine nō omnem virtutem, aut vniuersam perfectionem sed solam fortitudinem intelligamus, etiam hæc sententia præceptis solis & debitis insistentes nos percutit. Maximam enim fortitudinem cupimus, quæ nos ad magna & perfecta roboret, quæ vitiis, & immoderatis affectibus perfectè resistat, quam proculdubio abundanti iustitia, & vltra debitum faciente consequemur.

Matt. 19. *Prou. 15.*

Hæc cùm ita sint, qui vult ad perfectionem & vitæ sanctitatem properare, primò quidē diuina præcepta seruet, & statuta suæ religionis aut status obligantia custodiat: Deinde verò, si vires supperāt, opera non debita, & ad quæ non tenetur, quæ vocantur supererogationis, non relinquat. Exempli gratia: Status, quem profiteris post completoriū, aut post matutinas horas, paruum tēpus meditationis indicit, tu longiores horas meditationi & contemplationi cōcede, vt te virum spiritualem & sæculi contemptorem efficias. Ad vsum cilicij non adigit, tu aliquot hebdomadæ diebus, (nullo nisi patre spirituali conscio) cilicio te domes, & hoc asperitatis genere, à sāctis patribus vsitato, teipsum affligas. Lectionem libelli spiritualis non præcipit: tu singulis diebus spiritualem libellum, qui te moueat, qui te compungat, qui te ad deuotionem excitet, per aliquam horam euoluas. Nulla, aut pauca ieiunia iubet, tu nonnulla alia superadde, quæ corpori comprimēdo seruiant, & menti vires ad puriùs orandum adhibeant Aliquas preces ad Beatam Virginem, & ad nonnullos sanctos, quos in aduocatos & patronos eligas, & in adiutorium earum animarum, quæ purgantur, vltra preces ex instituto debitas, diligenter & alacriter funde. Quæ sine peccato videre, audire, aut loqui, aut gustare posses, pro Dei amore relinque, vt teipsum ad illicita deserenda promptiorem facias, qui etiam pro perfectionis desiderio licitis contradicis. Breuiter ex his paucis poteris plura notare supererogationis opera, quæ si non exterior & distractus, sed intra teipsum ambulaueris, spiritus sanctus animarum magister, & præceptor sanctitatis tibi suggeret. Ad hoc genus bonorum operum, quæ non obligatione aut præcepto, sed sponte, & animæ feruentis voluntate funduntur, nos sanctus Dauid Micholis amore captus inuitat. Is cùm audisset à seruis Saul; Non habet rex sponsalia necesse, nisi tantùm centum præputia Philisthinorum, vt fiat vltio de inimicis regis:] Non tantùm id quod à se pro Michole poscebatur, sed duplo maius voluit offerre. Abijt enim cum viris qui sub eo erant, & percussit ex Philisthiim ducentos viros, & attuli. eorum præputia, & annumerauit ea regi, vt esset gener eius.] Saul centum petiuit, & à magnifico viro non centum tantùm sed bis centum accepit. Mysterium est eius, quod modò tractamus. Nam qui ad coniugium sanctæ perfectionis aspirat, debet quidem petita offerre. & præcepta ac debita custodire, sed si seipsum liberalem vult erga Dominum exhibere, & breuiùs ad optatum coniugium peruenire, poterit non debita, nec à se postulata, præstare. Nec deest nobis in

1. Reg. 18

A lege gratiæ, quæ scriptam mirum in modum largitate præcellit, vnde hoc ipsum documentum eliciamus. Zachæus enim postquam in arborem Sycomorum ascendit, & Dominum in suam domum gaudens excepit, ita ait: Ecce dimidium bonorum meorum Domine do paupertbus, & si quid aliquem defraudaui, reddo quadruplum,] Qui licet ita restituerit furto sublata, vt Exodi legem impleret, qua dictum est: Si quis furatus fuerit bouem, aut ouem, & occiderit, vel vendiderit, quinque boues pro vno boue restituet, & quatuor oues pro vna oue.] Et item: Si inuentum fuerit apud eum, quod furatus est, viuens, siue bos, siue asinus, siue ouis: duplum restituet.] Licèt, inquam, conuersus ad Dominum

Luc. 19. *Exod. 22.*

B Zachæus, ob istas leges ita fecerit: tamen per mysterium, quid nobis agendum est, satis patenter indicauit. Illud scilicet, vt qui in arborem sycomorum, id est, in arborem crucis per vitā religiosam, & per desiderium perfectionis ascendimus, & Christum in domum nostri cordis hospitem bonum excepimus, ei non tātùm simplum, quod debitum est, sed etiam quadruplum, id est, non debitum, nec nobis iniunctum, offeramus. Et quidem illæ leges antiquæ alio mysterio non carent. Dum enim nunc quinque animalia, nunc quatuor, nunc duo tantùm, pro vno ablato poscuntur, indicatum est nobis, vt qui in sæculo grauiùs dereliquit, & in Dei legem maiora cōmisit, pluribus operibus bonis libera voluntate donatis, casus suos & infidelitatem suam compensare curet.

C Ista libera, & spontanea sanctitatis obsequia, ad eos quidem pertinent, qui apud Dominum magni esse noscūtur, aut ad quamdam spiritualem magnitudinem, id est, ad Dei familiaritatem, & non communem, sed specialem, & perfectis promissam gratiam venire concupiscunt. Quod beatus Dorotheus appositissima similitudine in sua prima doctrina cōfirmat: Loquens enim de viris sanctis, & eorum fidelitatem, qua diuina præcepta custodierunt, edicens, hæc subiicit: Nec diuina solùm præcepta obseruauerunt, sed & dona Deo huiuscemodi obtulerunt. Data sunt decem præcepta mortalibus omnibus, & ad ea obseruanda quisque compellitur. Sunt hæc vectigalia annua regi debita. Quis igitur non persoluens debita hæc vectigalia regi mulctam effugiet? Sunt autem in sæculo clari, & illustres viri, qui non solùm regi vectigalia annua persoluunt, sed & munera offerūt. Atque hi digni habentur honore, munificētia, & liberalitate regia. Sic igitur & Patres nostri, nō solùm præcepta Dei obseruauere debita: sed & gratuita munera pariter obtulere. Qualia? virginitatem, castitatem, inopiam omnium. Hæc enim, quæ non præcipiuntur, si offerantur, dona sunt.] Et hoc sanè nō perfectis viris legis gratiæ reseruatum, sed & hominibus sanctitate cōspicuis veteris testamenti concessum est. Nam Abraham omnia mandata supergreditur, cùm spolia Sodomorum, quæ sibi tamquam victori iure debebātur, & à rege cuius antea fuerant, suppliciter offerebantur, nec digito acquieuit attingere. Leuo, inquit, manum meam ad Dominum meū excelsum, possessorem cœli & terræ, quod à filo subtegminis vsque ad corrigiam caligæ nō accipiam ex omnibus quæ tua sunt, ne dicas: Ego ditaui Abram.] Hostium diuitias exuuiásque contempsit, quas ei ius belli decreuerat, vt & debitum superaret, & nō homini, sed Deo homines vniuersi suas opes ascriberēt. Dauid etiam præcepta scriptæ legis, sub qua viuebat, excessit. Cui enim præceptū tātùm esset amicos diligere illis verbis: Diliges amicum tuum sicut seipsum: ego Dominus:] inimicos

Doroth. doct. 1.

D

E

Gen. 14. *Leuit. 19.*

etiam,& se persequentes dilexit. Dilexit quidẽ Saulem,& ei bona precatus,vita functũ lugubriter fleuit,& vltus est interfectum.] Elias quoque & Ieremias supra debitum reddiderunt, qui cùm possẽt licito vacare coniugio, carnis voluptates postmiserunt,quo tempore pretium virginitatis erat absconditum,& mentis carnisque integritatem adamarũt. At filij Ionadab nónne legis præcepta superarũt,qui ex præcepto Domini ad vinum bibendum inuitati, responderunt:Non bibemus vinum: quia Ionadab filius Rechab pater noster præcepit nobis, dicens: Non bibetis vinum vos,& filij vestri, vsque in sempiternum:& domum non ædificabitis,& sementem non seretis,& vineas non plantabitis,nec habebitis: sed in tabernaculis habitabis cũctis diebus vestris.] Elisæus tãdem,& reliqui eiusdem propositi viri, legis mãdata supergressi sunt. De quibus scribit Apostolus: Circuierunt in melotis,in pellibus caprinis, egentes,angustiati,afflicti.] Hæc profectò illis data sunt, vt & ipsi legem superantes, maiorem sanctitatem adipiscerentur, & nos qui maiorem gratiam habemus,& sub perfectissima lege viuimus,ad spõtanea obsequia virtutis animarent. Æquum enim est,vt qui maiora dona suscipimꝰ,laudabiliora opera faciamus. Vt autem Cassianus ait: Non est tam laudabile,si ab illicitis,quàm etiam si à licitis temperemus, & his propter eius reuerentiam non vtamur,qui ea nobis propter infirmitatem nostrã vtenda permisit.] Et si statum fortium habemus,quis neget nobis fortiora congruere? Præceptum autem infirmis quoque,& debilibus positum est,quod & ipsi facilè custodire possunt. Nos ergo,qui pro vocatione nostra,& pro data nobis gratia,infirmis & debilibus eminemus,maiora quàm illi,id est, consilij & perfectionis,opera præstare possumus,& merito pusillanimitati tribuetur,si præceptorum & regulæ obseruatione cõtenti,non aliquid aliud liberi obsequij superaddamus.

1.Reg. 4. 2.Reg. 1. *Ierem. 35.* *Heb. 1.* *Cassi. col. 21.c.5.*

Quàm verò grata sint Domino nostra spontanea virtutis obsequia,& quàm magno ipse præmio cõpenset,quadam Hermæ similitudine, (qui dicitur Pauli discipulus) licet exponere. Is enim in libro Pastoris,(quem Athanasius,Origenes Hieronymus, & Theodoretus approbant) in hunc modum operum supererogationis meritum declarauit. Audi similitudinem,quam dicturus sum tibi, ad ieiunium pertinentem. Quidam cùm haberet fundum,seruósque multos,in quadam parte fundi sui posuit suã vineam successoribus. Deinde peregrè profectus,elegit seruum,quem habebat fidelissimum, ac sibi probatũ: eique assignauit vineam, præcipiens,vt vitibus iungeret palos. Quod si fecisset, & mandatum suum cõsummasset,libertatem eidem se daturum promisit. Nec præterea quicquam aliud præcepit illi,quod in ea faceret, atque ita peregrè profectus est. Postquam autem seruus ille curam apprehendit, fecit quæcumque præceperat Dominus. Cúmque depalasset vineam illam, & animaduertisset eam herbis repletam,cœpit secum ita cogitare:Peregi quod mihi præceperat Dominus:Fodiam nunc vineam hãc, & erit formosior cùm fuerit fossa, & extractis herbis maiorem dabit fructum, & non suffocabitur ab herbis. Aggressus deinde fodit, & omnes herbas, quæ in ea erant, extraxit, atque ita euasit vinea speciosissima,ac læta, non suffocata ab herbis Post aliquantùm verò temporis venit Dominus eius,& ingressus est vineam, quam cùm depalatam vidisset decenter,ac circumfossam, & extractas herbas ab ea,& lætas esse vites,ex facto hoc serui sui gaudium cepit.Adhibito itaque filio, quem charum,& hæredem habebat,& amicis,quos in consilio aduocabat, indicat ea, quæ seruo suo facienda mandasset, quæ præterea ille fecisset. At illi protinus gratulati sunt seruo illi, quòd tam plenum testimonium Domini sui assequutus fuisset. Ait deinde illis. Ego quidem huic seruo libertatem promisi,si custodisset mandatum meum, quod dederam, & custodiuit illud, & præterea opus bonum adiecit in vineam quod mihi quàm plurimùm placuit.Pro hoc igitur opere, quod fecit, volo eum filio meo facere cohæredem: quoniam cùm sensisset,quid esset bonum,nõ omisit, sed fecit illud.Hoc consilium Domini,& filius, & amici eius comprobauerũt, vt fieret scilicet hic seruus cohæres filio.Post dies deinde non multos, conuocatis amicis, paterfamilias misit de cœna sua seruo illi cibos complures.Quos cùm accepisset ille,sustulit ex eis,quod sufficiebat sibi, reliquum autem conseruis suis distribuit. Quibus acceptis illi lætati sunt; & cœperunt illi optare,vt maiorem gratiam apud Dominum inueniret,ob ea,quæ fecerat ipsis. Hæc omnia cùm audisset Dominus eius,percepit iterum maximum gaudium,& conuocatis rursum amicis,& filio,exponit factum serui sui de cibis suis,quos ei miserat. Illi itaque tantò magis assenserunt patrifamilias, ipsum seruum cohæredem filio debere fieri.] Hæc est Hermæ similitudo,quam ipse interrogatus, his verbis exposuit.Mandata Domini custodi,& eris probatus,& scriberis in numero eorum, qui custodiunt mandata eius. Si autem præter ea, quæ mandauit Dominus,aliquid boni adieceris, maiorem dignitatem tibi conquires,& honoratior apud Dominum eris, quàm eras futurus.] Vniuersa hæc, quæ diximus, ab Herma scripta sunt, & mirificè horum operum meritum patefaciunt Si enim Dominus omnibus hominibus est in infinitum largior, & obsequiorum eius gratia factorum munificentissimus retributor,quis dubitet, illum ea, quæ nobis præcepta non sunt, & ipsius gratia præstamus, oculis benignis respicere, amoris affectu complecti, & magnis præmiis cumulare: Nec solùm Dei nostri natura omnium donorum ferax, istam mercedem promittit, sed & illam omnes viri sancti atque perfecti, incredibili suarum opum abundantia manifestant. Rogemus enim illos iam diuino conspectu perfruentes, quidnam eos ad tantam gloriam,ad tantam dignitatis sublimitatem euexit? An solùm, quòd præcepta seruarunt? An tantùm, quòd vt serui pusillanimes, quæ sibi sub pœnæ intermminatione iniungebantur, impleuerunt? Non quidem, sed quòd extendentes seipsos, & virorum fortitudine maiora conantes, ea etiam, quæ sibi iniuncta non erant, factitarunt. Illis conuenit manifestè dictum Pauli: Quòd si spiritu ducimini, non estis sub lege. Nam Spiritu sancto gubernati, non velut mancipia timore pœnæ legi se subdunt, sed vt filij charissimi ob patris amorem legem complectuntur, quia vident Dei voluntatem esse, vt eam opere cõpleant. Quæcumque autem norunt huic diuinæ voluntati grata, ac Domini suasioni conformia, hac eadem ratione, quòd iuxta voluntatem Dei sunt, licèt non sint præcepta, suscipiunt. Sequamur & nos istos beatos viros in strenuitate agendi, in largitate donandi, si volumus præmij eorum esse consortes.

Hermas li 3. simil. 5. *Gal.*

Ista verò spontanea virtutis obsequia, si toti congregationi communia non sunt, quantùm possibile fuerit ab oculis hominum abscondẽda sunt. Omnia enim, quæ positi in vita religiosa facimus, quatuor bonorum operum generibus continentur. Nam aut omnibus hominibus præcepta sunt,vt, Vnum cole

Deum,

Deum, Non iurabis neq; per cœlũ, neq; per terram; A Sabbata sanctifices: aut omnibus nostræ professionis hominibus iussa sunt, vt, exactissimam paupertatem purissimam castitatem, & promptissimam obedientiam seruabis, silentium, & reliquas tui status obseruantias custodies: aut, licet nõ præcepta, tamen quasi sub consilio vniuersi nostri status professoribus cõmunia sunt, vt, Psalterium Virginis recitare, sexta feria ieiunare, & nonnullas humilitatis ostensiones coram fratribus exercere: aut tandem specialia sunt, quæ omnes, aut plurimi nostrum statum colentes non faciunt, sed quidam tantùm specialiter à Deo vocati, & dono feruoris impulsi, suscipiunt. Quæ ad tria priora genera pertinent, publicè, & sine vllo fuco, facienda sunt. Ad bonum namque exemplum, de B quo supra diximus, spectat, vt omnes videant, nos bonos Christianos, & bonos religiosos esse, & quæ propria Christiani sunt, & diligentis religiosi, seruare: Et, si omne scandalũ vitare tenemur, ita viuamus oportet, vt nullus meritò de nobis, aut graue peccatum, aut regulæ transgressionem, aut in communibus status nostri oscitantiam & negligentiam suspicetur. De hisque dicit Dominus: Videant opera (Matth. 5.) vestra bona, & glorificent patrem vestrum, qui in cœlis est.] At alia opera quarto genere bonorum cõtenta, quæ propriè libera & spontanea dicuntur, & à nobis specialiter suscipiuntur, nec sunt omnibus status nostri communia, non palam facienda sunt, sed, si possumus, ab hominum oculis occultanda. De C quibus illud intelligitur: Tu autem cùm oraueris, in- (Matth. 6.) tra cubiculum tuum, & clauso ostio, ora Patrem tuum] Item & illud: Nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua.] Vt enim inquit Gregorius: Valdè per- (Greg. Moral. lib. 8. cap. 38.) fectorũ est, sic ostenso opere, auctoris gloriam quærere. vt de illata laude priuata nesciant exultatione gaudere. Tunc solùm namque innoxiè hominibus laudabile opus ostenditur, cùm per despectum mẽtis veraciter laus impẽsa calcatur. Quam quia infirmi quique perfectè contemnendo non superant, necesse est. vt bonum hoc, quod operantur, abscondãt. Sæpe enim ab ipso ostensionis exordio propriã laudem quærunt: sæpe verò in ostensione operis, auctoris patefacere gloriam cupiũt, sed excepti fauoribus, in laudis propriæ cupiditatẽ rapiuntur: Cúmque semetipsos diiudicare interiùs negligũt, sparsi exteriùs D ignorãt, quod agunt, eorumq; opus suæ elationi militãt, atque hoc se impẽdere obsequio largitoris putant.] Nos ergo, qui nõ ita præsumimus, vt nos perfectos iudicemus, proculdubio debemus ista speciales actiones abscondere, & à vẽto elationis occultare. Quantis enim periculis pateat, qui in his priuatis deuotionis operibus à laudibus se humanis nõ elongat, indicat Ioel, dicẽs: Posuit vineam meã in deser- (Ioel. 1.) tum, & ficum meam decorticauit: nudans spoliauit eam, & proiecit, albi facti sunt rami eius.] Cuius vinea in desertum ponitur? Illius quidẽ, cuius vita bona humanę laudis sterilitate destruitur. Et cuius ficus decorticatur? Illius certè, à cuius studioso opere tegmen humilitatis proiicitur. Et cuius rami albi facti sunt? Illius profectò, cuius labores in oculis homi- E num aspicientium splendent, sed interiùs vermiculus eos fauoris humani cõsumit. Qui labores potiùs modestiæ cortice operiendi essent, qui cortex illos velut ramos operiens, in eis fœcunditatem, quam vanus splendor abstulit, prudenti abscõsione custodiret? Sed si supererogationis opera occultari non possunt, non ob id omittenda sunt, sed interio rectitudine cohonestanda. qua soli Deo placere desideremus, & nesciri, ac sperni cupiamus. Sæpè enim Dominus notitia istarũ actionum vult tepidos excitare, & ad semitas perfectionis mouere, si verò ipse qui auctor est omnium, & in mediis humanis laudibus, quas vitare nequiuimus, eximiæ humilitatis elargitor, vult nosipsos super candelabrum ponere, & fratribus propalare, non est cur non pusillanimitate ducti, ad vitandas laudes humanas Deo gratissima obsequia, & nostros profectus omittamus. Semper ergo voluntate cupiamus abscondi: si autem id aut qualitas exercitationis non ferat, aut Dominus, cui placere volumus, non permittat, fidenter bonum in cõspectu hominum operemur, memoria iugiter cogitantes, quoniam bonũ, quod facimus, à nobis non est, sed Deo id misericorditer donante suscipimus.

Quòd religiosus ordinem in occupationibus teneat.

CAP. XXXIII.

VNIVERSA virtutis studia, siue debita sint, siue spõte à nobis suscepta, ordinem amãt: nõ solũ eum, quo debita liberis præferuntur, sed eum quoque, quo vnumquodque studium, opúsve in hora sibi commoda, aut incõgruenti tempore collocatur. Nam quæ sine ordine fiunt, seipsa præpediunt, & quibusdam iam instantibus, & debitum sibi tempus deposcentibus, in aliis, quæ in importunum tempus reiecimus, festinare compellunt. Nimia autem festinatio distractionem, irreuerẽtiã, inquietudinem, & multos alios defectus importat, quibus anima, dũ se bono opere mũdare debuerat. nouis maculis fœdatur, nouis peccatis inficitur. Est etiã ordinis prætermissio, animi vecordis, & parum spiritualia curantis, ostensio: qui, quod nunc in ista occasione sibi libet, facit, & vt suę satisfaciat carnali voluntati, Dei cultum modò instantem, aut lectionem, aut aliquid simile, aut in aliud tempus differt, aut sine vllo timore, & verecundia prætermittit. Quare, sicut qui hospitem honorabilissimum domo priùs exceptum, causa abiecti hominis superuenientis excludit, magnam illi infert iniuriam: ita qui ob colloquutionem aut occupationem nõ necessariam, orationem, aut psalmodiã, vel lectionem ab hora sibi destinata dimouet, ingentem sanctis operibus iniuriam facit. Dicit profectò iste sancto operi nunc instanti, & suam horã deposcenti, illud Ecclesiastici: Transi hospes, & orna mensam, & quæ in manu habes, ciba cæteros. Exi à facie honoris amicorũ meorum, necessitudine domus meæ hospitio mihi factus (Eccl. 29.) est frater.] Attende quo ordine sancto operi iniuriam faciat, & vsque ad eius cõtemptum perueniat. Primò enim dicit illi, vt transeat, id est, vt à sua sede cõsurgat, & tempus sibi debitum, aut destinatũ, vano colloquio, aut ineptæ occupationi superuenienti derelinquat. Deinde præcipit, vt ornet mẽsam, nẽpe vt sæculari negotio seruiat, & veluti seruus, qui Domino defert, aliam horam non impeditam expectet Postea iubet, vt ex his, quæ ad manum habet, cibet cæteros: scilicet, vt etiã cum aliquo suo detrimento, & cum tranquillitatis, aut reuerentiæ, quæ ipsi debebatur, impendio, in suum tempus illud negotium suscipiat, & aliò illius causa commigret. Tandem intimat illi, vt exeat, nimirum, vt ob alias occupationes inanes penitus sine tempore maneat, & animã tepidam deserat, & ab ea velut contemptus hospes vanitatis admissæ causa discedat. Sic homines spirituales in carnales commutantur: Dum enim hodie, & postea cras, & postmodum per aliquot dies

etiam,& se persequentes dilexit. Dilexit quidē Saulem,& ei bona precatus,vita functū lugubriter fleuit,& vltus est interfectum.] Elias quoque & Ieremias supra debitum reddiderunt, qui cùm possēt licito vacate coniugio, carnis voluptates postmiserunt,quo tempore pretium virginitatis erat absconditum,& mentis carnisque integritatem adamarūt. At filij Ionadab nónne legis præcepta superarūt,qui ex præcepto Domini ad vinum bibendum inuitati, responderunt:Non bibemus vinum : quia Ionadab filius Rechab pater noster præcepit nobis, dicens: Non bibetis vinum vos,& filij vestri, vsque in sempiternum:& domum non ædificabitis,& sementem non seretis,& vineas non plantabitis,nec habebitis: sed in tabernaculis habitabis cūctis diebus vestris.] Elisæus tādem,& reliqui eiusdem propositi viri, legis mādata supergressi sunt.De quibus scribit Apostolus : Circuierunt in melotis,in pellibus caprinis, egentes,angustiati,afflicti.]Hæc profectò illis data sunt, vt & ipsi legem superantes, maiorem sanctitatem adipiscerentur, & nos,qui maiorem gratiam habemus,& sub perfectissima lege viuimus,ad spōtanea obsequia virtutis animarent. Æquum enim est,vt qui maiora dona suscipim⁹,laudabiliora opera faciamus. Vt autem Cassianus ait : Non est tam laudabile,si ab illicitis,quàm etiam si à licitis temperemus, & his propter eius reuerentiam non vtamur,qui ea nobis propter infirmitatem nostrā vtenda permisit.]Et si statum fortium habemus,quis neget nobis fortiora congruere?Præceptum autem infirmis quoque,& debilibus positum est,quod & ipsi facilè custodire possunt.Nos ergo,qui pro vocatione nostra,& pro data nobis gratia,infirmis & debilibus eminemus,maiora quàm illi,id est, consilij & perfectionis,opera præstare possumus,& merito pusillanimitati tribuetur,si præceptorum & regulæ obseruatione cōtenti,non aliquid aliud liberi obsequij superaddamus.

Quàm verò grata sint Domino nostra spontanea virtutis obsequia,& quàm magno ipse præmio cōpenset,quadam Hermæ similitudine, (qui dicitur Pauli discipulus) licet exponere.Is enim in libro Pastoris,(quem Athanasius,Origenes Hieronymus, & Theodoretus approbant) in hunc modum operum supererogationis meritum declarauit. Audi similitudinem,quam dicturus sum tibi, ad ieiunium pertinentem. Quidam cùm haberet fundum,seruósque multos,in quadam parte fundi sui posuit suā vineam successoribus. Deinde peregrè profectus,elegit seruum,quem habebat fidelissimum, ac sibi probatū: eique assignauit vineam, præcipiens,vt vitibus iungeret palos. Quod si fecisset, & mandatum suum cōsummasset,libertatem eidem se daturum promisit.Nec præterea quicquam aliud præcepit illi,quod in ea faceret, atque ita peregrè profectus est. Postquam autem seruus ille curam apprehendit, fecit quæcumque præceperat Dominus. Cúmque depalasset vineam illam, & animaduertisset eam herbis repletam,cœpit secum ita cogitare:Peregi quod mihi præceperat Dominus:Fodiam nunc vineam hāc, & erit formosior cùm fuerit fossa, & extractis herbis maiorem dabit fructum, & non suffocabitur ab herbis. Aggressus deinde fodit, & omnes herbas, quæ in ea erant, extraxit, atque ita euasit vinea speciosissima,ac læta, non suffocata ab herbis Post aliquantùm verò temporis venit Dominus eius,& ingressus est vineam, quam cùm depalatam vidisset decenter,ac circumfossam, & extractas herbas ab ea,& lætas esse vites,ex facto hoc serui sui gaudium cepit.Adhibito itaque filio, quem charum,& hæredem habebat,& amicis,quos in consilio aduocabat, indicat ea, quæ seruo suo facienda mandasset, quæ præterea ille fecisset. At illi protinus gratulati sunt seruo illi, quòd tam plenum testimonium Domini sui assequutus fuisset. Ait deinde illis. Ego quidem huic seruo libertatem promisi,si custodisset mandatum meum, quod dederam, & custodiuit illud, & præterea opus bonum adiecit in vineam quod mihi quàm plurimùm placuit.Pro hoc igitur opere, quod fecit, volo eum filio meo facere cohæredem : quoniam cùm sensisset,quid esset bonum,nō omisit, sed fecit illud.Hoc consilium Domini,& filius, & amici eius comprobauerūt, vt fieret scilicet hic seruus cohæres filio.Post dies deinde non multos, conuocatis amicis, paterfamilias misit de cœna sua seruo illi cibos complures.Quos cùm accepisset ille,sustulit ex eis,quod sufficiebat sibi, reliquum autem conseruis suis distribuit. Quibus acceptis illi lætati sunt; & cœperunt illi optare,vt maiorem gratiam apud Dominum inueniret,ob ea,quæ fecerat ipsis. Hæc omnia cùm audisset Dominus eius,percepit iterum maximum gaudium,& conuocatis rursum amicis,& filio,exponit factum serui sui de cibis suis,quos ei miserat. Illi itaque tantò magis assenserunt patrifamilias, ipsum seruum cohæredem filio debere fieri.] Hæc est Hermæ similitudo,quam ipse interrogatus, his verbis exposuit.Mandata Domini custodi,& eris probatus,& scriberis in numero eorum, qui custodiunt mandata eius. Si autem præter ea, quæ mandauit Dominus,aliquid boni adieceris, maiorem dignitatem tibi conquires,& honoratior apud Dominum eris, quàm eras futurus.] Vniuersa hæc, quæ diximus, ab Herma scripta sunt, & mirificè horum operum meritum patefaciunt Si enim Dominus omnibus hominibus est in infinitum largior, & obsequiorum eius gratia factorum munificentissimus retributor,quis dubitet, illum ea, quæ nobis præcepta non sunt, & ipsius gratia præstamus, oculis benignis respicere, amoris affectu complecti, & magnis præmiis cumulare? Nec solùm Dei nostri natura omnium donorum ferax, istam mercedem promittit, sed & illam omnes viri sancti atque perfecti, incredibili suarum opum abundantia manifestant. Rogemus enim illos iam diuino conspectu perfruentes, quidnam eos ad tantam gloriam, ad tantam dignitatis sublimitatem euexit? An solùm, quòd præcepta seruarunt? An tantùm, quòd vt serui pusillanimes, quæ sibi sub pœnæ interminatione iniungebantur, impleuerunt? Non quidem, sed quòd extendentes seipsos, & virorum fortitudine maiora conantes, ea etiam, quæ sibi iniuncta non erant, factitarunt. Illis conuenit manifestè dictum Pauli: Quòd si spiritu ducimini, non estis sub lege. Nam Spiritu sancto gubernati, non velut mancipia timore pœnæ legi se subdunt, sed vt filij charissimi ob patris amorem legem complectuntur, quia vident Dei voluntatem esse, vt eam opere cōpleant. Quæcumque autem norunt huic diuinæ voluntati grata, ac Domini suasioni conformia, hac eadem ratione, quòd iuxta voluntatem Dei sunt, licèt non sint præcepta, suscipiunt. Sequamur & nos istos beatos viros in strenuitate agendi, in largitate donandi, si volumus præmij eorum esse consortes.

Ista verò spontanea virtutis obsequia, si toti congregationi communia non sunt, quantùm possibile fuerit ab oculis hominum abscondēda sunt. Omnia enim, quæ positi in vita religiosa facimus, quatuor bonorum operum generibus continentur. Nam aut omnibus hominibus præcepta sunt;vt, Vnum cole

Deum,

Deum, Non iurabis neq; per cœlũ, neq; per terram; Sabbata sanctifices: aut omnibus nostræ professionis hominibus iussa sunt, vt, exactissimam paupertatem purissimam castitatem, & promptissimam obedientiam seruabis, silentium, & reliquas tui status obseruantias custodies: aut, licet nõ præcepta, tamen quasi sub consilio vniuersi nostri status professoribus cõmunia sunt, vt, Psalterium Virginis recitare, sexta feria ieiunare, & nonnullas humilitatis ostensiones coram fratribus exercere: aut tandem specialia sunt, quæ omnes, aut plurimi nostrum statum colentes non faciunt, sed quidam tantùm specialiter à Deo vocati, & dono feruoris impulsi, suscipiunt. Quæ ad tria priora genera pertinent, publicè, & sine vllo fuco, facienda sunt. Ad bonum namque exemplum, de quo suprà diximus, spectat, vt omnes videant, nos bonos Christianos, & bonos religiosos esse, & quæ propria Christiani sunt, & diligentis religiosi, seruare: Et, si omne scandalũ vitare tenemur, ita viuamus oportet, vt nullus meritò de nobis, aut graue peccatum, aut regulæ transgressionem, aut in communibus status nostri oscitantiam & negligentiam suspicetur. De hisque dicit Dominus: Videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum, qui in cœlis est.] At alia opera quarto genere bonorum cõtenta, quæ propriè libera & spontanea dicuntur, & à nobis specialiter suscipiuntur, nec sunt omnibus status nostri communia, non palam facienda sunt, sed, si possumus, ab hominum oculis occultanda. De quibus illud intelligitur: Tu autem cùm oraueris, intra cubiculum tuum, & clauso ostio, ora Patrem tuum]Item & illud: Nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua.] Vt enim inquit Gregorius: Valdè perfectorũ est, sic ostenso opere, auctoris gloriam quærere, vt de illata laude priuata nesciant exultatione gaudere. Tunc solùm namque innoxiè hominibus laudabile opus ostenditur, cùm per despectum mẽtis veraciter laus impẽsa calcatur. Quam quia infirmi quique perfectè contemnendo non superant, necesse est, vt bonum hoc, quod operantur, abscondãt. Sæpe enim ab ipso ostensionis exordio propriã laudem quærunt: sæpe verò in ostensione operis, auctoris patefacere gloriam cupiũt, sed excepti fauoribus, in laudis propriæ cupiditatẽ rapiuntur: Cúmque semetipsos diiudicare interiùs negligũt, sparsi exteriùs ignorãt, quod agunt, eorumq; opus suæ elationi militãt, atque hoc se impẽdere obsequio largitoris putant.] Nos ergo, qui nõ ita præsumimus, vt nos perfectos iudicemus, proculdubio debemus ista speciales actiones abscondere, & à vẽto elationis occultare. Quantis enim periculis pateat, qui in his priuatis deuotionis operibus à laudibus se humanis nõ elongat, indicat Ioël, dicẽs: Posuit vineam meã in desertum, & ficum meam decorticauit: nudans spoliauit eam, & proiecit, albi facti sunt rami eius.] Cuius vinea in desertum ponitur? Illius quidẽ, cuius vita bona humanę laudis sterilitate destruitur. Et cuius ficus decorticatur? Illius certè, à cuius studioso opere tegmen humilitatis proiicitur. Et cuius rami albi facti sunt? Illius profectò, cuius labores in oculis hominum aspicientium splendent, sed interiùs vermiculus eos fauoris humani cõsumit. Qui labores potiùs modestiæ cortice operiendi essent, qui cortex illos velut ramos operiens, in eis fœcunditatem, quam vanus splendor abstulit, prudenti abscõsione custodiret? Sed si supererogationis opera occultari non possunt, non ob id omittenda sunt, sed intẽtio rectitudine cohonestanda, qua soli Deo placere desideremus, & nesciri, ac sperni cupiamus. Sæpè enim Dominus notitia istarũ actionum vult tepidos excitare, & ad semitas perfectionis mouere, si verò ipse qui auctor est omnium, & in mediis humanis laudibus, quas vitare nequiuimus, eximiæ humilitatis elargitor, vult nosipsos super candelabrum ponere, & fratribus propalare, non est cur non pusillanimitate ducti, ad vitandas laudes humanas Deo gratissima obsequia, & nostros profectus omittamus. Semper ergo voluntate cupiamus abscondi: si autem id aut qualitas exercitationis non ferat, aut Dominus, cui placere volumus, non permittat, fidenter bonum in cõspectu hominum operemur, memoria iugiter cogitantes, quoniam bonũ, quod facimus, à nobis non est, sed Deo id misericorditer donante suscipimus.

Matth. 5. — Matth. 6. — Greg. Moral. lib. 8. cap. 48. — Ioël. 1.

Quòd religiosus ordinem in occupationibus teneat.

CAP. XXXIII.

VNIVERSA virtutis studia, siue debita sint, siue spõte à nobis suscepta, ordinem amãt: nõ solũ eum, quo debita liberis præferuntur, sed eum quoque, quo vnumquodque studium, opúsve in hora sibi commoda, aut incõgruenti tempore collocatur. Nam quæ sine ordine fiunt, seipsa præpediunt, & quibusdam iam instantibus, & debitum sibi tempus deposcentibus, in aliis, quæ in importunum tempus reiecimus, festinare compellunt. Nimia autem festinatio distractionem, irreuerẽtiã, inquietudinem, & multos alios defectus importat, quibus anima, dũ se bono opere mũdare debuerat, nouis maculis fœdatur, nouis peccatis inficitur. Est etiã ordinis prætermissio, animi vecordis, & parum spiritualia curantis, ostensio: qui, quod nunc in ista occasione sibi libet, facit, & vt suę satisfaciat carnali voluntati, Dei cultum modò instantem, aut lectionem, aut aliquid simile, aut in aliud tempus differt, aut sine vllo timore, & verecundia prætermittit. Quare, sicut qui hospitem honorabilissimum domo priùs exceptum, causa abiecti hominis superuenientis excludit, magnam illi infert iniuriam: ita qui ob colloquutionem aut occupationem nõ necessariam, orationem, aut psalmodiã, vel lectionem ab hora sibi destinata dimouet, ingentem sanctis operibus iniuriam facit. Dicit profectò iste sancto operi nunc instanti, & suam horã deposcenti, illud Ecclesiastici: Transi hospes, & orna mensam, & quæ in manu habes, ciba cæteros. Exi à facie honoris amicorũ meorum, necessitudine domus meæ hospitio mihi factus est frater.] Attende quo ordine sancto operi iniuriam faciat, & vsque ad eius cõtemptum perueniat. Primò enim dicit illi, vt transeat, id est, vt à sua sede cõsurgat, & tempus sibi debitum, aut destinatũ, vano colloquio, aut ineptæ occupationi superuenienti derelinquat. Deinde præcipit, vt ornet mẽsam, népe vt sæculari negotio seruiat, & veluti seruus, qui Domino defert, aliam horam non impediam expectet Postea iubet, vt ex his, quæ ad manum habet, cibet cæteros: scilicet, vt etiã cum aliquo suo detrimento, & cum tranquillitatis, aut reuerentiæ, quæ ipsi debebatur, impendio, in suum tempus illud negotium suscipiat, & aliò illius causa commigret. Tandem intimat illi, vt exeat, nimirum, vt ob alias occupationes inanes penitus sine tempore maneat, & animã tepidam deserat, & ab ea velut contemptus hospes vanitatis admissæ causa discedat. Sic homines spirituales in carnales commutantur: Dum enim hodie, & postea cras, & postmodum per aliquot dies

Eccl. 29.

orationem, lectionem, & alias spirituales functiones sæcularium negotiorum causa relinquunt, cùm volunt ad eas redire, viam reditus nesciunt, aut illã veluti tribulis, & spinis impeditam inueniunt, & spirituali cõuersatione priuati, in rebus sæcularibus, quas ad vnum admiserant diem, ad extremum diẽ vsque persistunt. Si verò mediis sanctis operibus Christũ hospitio recipimus, timeant hi, qui bona opera priùs inordinatè faciunt, & postea omnino reiiciunt, ne Christum pariter cum illis reiiciant. Timeant, ne Mat. 25. audiant in die discussionis: Hospes eram, & non collegistis me.] Cùm enim adest orationis, aut lectionis hora, Christus nobiscum loquuturus, aut nos docturus aduenit, quem proculdubio non recipimus, si negotij sæcularis causa, orationi vel lectioni aditum occludamus. Fitque illud Canticorum, vt anima, quæ Christo pulsanti, & ingressum roganti aperire noluit, cùm mutata cogitatione vult, illum non iam rogantem, sed indignabundum, & à se fugientem accipiat. At ille, inquit, declinauerat, atque Cant. 5. transierat. Iusta sanè tantæ irreuerẽtiæ, & ingratitudinis pœna, vt, quæ cùm sponsus venit, ianuam sui cordis non aperit, cùm ipsa ad sponsum venit, non inueniat, & omni consolatione vacua remaneat.

Qui itaque cupit proficere, & sponsi consolationibus perfrui, ordinem in sanctis exercitationibus teneat, suam cuique horam tempúsve præscribat, & sine vrgẽtissima causa spiritualis vitæ ordinem non prætermittat. Sunt enim aliqui habitum religiosum gestantes, sed vitam sæcularem diligentes, quos nõ semel vidimus, & videntes non parum doluimus, nec modicum erubuimus, qui quælibet vana colloquia, quælibet sæcularia negotia, nunc curiositatem istud aut illud legendi, nunc cupiditatem nouitates audiendi, aut aliqua similia suis exercitiis spiritualibus anteponunt. Ex quo oritur, vt ea aliquando non faciant, & ferè semper ordinem operãdi prætermittant. Videas eos, aut post meridiem, aut etiam ad solis occasum horam primam incipere, & iam lucis orto sydere recitare; & vt totum diuinum officium compleant, quod illuc vsque sine causa prætermiserunt, verba prædicere, carminum partes saltare, & sine vlla attentione, aut reuerentia sedentes, aut iacentes, aut deambulantes, sacras orationes percurrere. Alias preces, quas non ex onere, sed ex more recitãt, aut se vestibus exuentes, vt dormiant, aut in lecto cubantes, aut semidormientes, pronunciant. Sanctam meditationem decurtant, & initium, aut finem temporis illi destinati suffurantur, vt illud aut studio, aut vanæ alicui occupationi concedant. Spiritualis libelli lectionem in aliquam incommodissimam horam reiiciunt, in qua nec attentionem habere, nec quod legunt, meditari, nec fructum decerpere valeant. Ac demum de eorum vita dicere possumus, quod beatus Iob de mortis regione pro- Iob. 10. nunciat: In qua nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat.] Profectò istos ita viuentes, & non tam vitam spiritualem agentes, quàm omnia spiritualia studia subsannantes, deberent prælati duriter increpare, & à nimiis aut vanis negotiis diuulsos ad ordinem in religiosis exercitiis custodiẽdum adigere. Nisi fortè ipsi prælati gubernationis curis impliciti, & nescientes modum in occupatione tenere, & magis in Deo, quàm in seipsis fiduciam collocare, idem faciant, & sine ordine viuant. Quos ego minimus docere nolo, rogo tamen illos vt memores sint illius Luc. 4. sentẽtiæ, quam Saluator suo ore retulit: Medice cu- Matth. 5. ra teipsum.] Et item illius: Quòd si sal euanuerit, in quo salietur? Ad nihilum valet vltra nisi vt mittatur foras, & conculcetur ab hominibus.] Certè si ne-

A sciunt, cum gubernationis onere spiritualiter viuere & tempus commodũ sibiipsis præripere, & non se totos aliis dare, nesciunt gubernare. Sed de hoc aliàs. Qui ergo ordinem in spiritualibus exercitiis nõ seruant, cùm possint, sunt reprehensione dignissimi, à quibus omnis spiritualis profectus fugiet, omnis diuina consolatio discedet. Hæc enim non datur, nisi præceptum Pauli seruantibus, quo ait: Omnia ho- 1. Cor. 14 nestè, & secundùm ordinem fiant.] Vbi non est ordo, non est honestas, Vbi non est honestas, non est tranquillitas mentis, qui verò mentis tranquillitatem non habet, nec potest cœlestibus consolationibus perfrui, nec virtutum profectibus cumulari.

B Istum in rebus spiritualibus ordinem Laurentius Iustinianus, vt rem magni momenti, vniuersis Dei seruis commendat. Singuli itaque Deo famulantes, ait, studeant, proprias interioris & exterioris hominis, loco & tempore dirigere actiones: ne anteponenda postponant, & agenda prætereant: quia frequenter seductoria persuasione decipiũtur, qui absque sedula discussione in via Dei pergere assuescũt. Maximi proculdubio periculi res est, prout suggerit animus, velle degere. Propterea cunctis consulendum est, vt taliter vnumquodque disponant opus, quatenus quælibet hora propriam habeat actionẽ. Sciant quando orationi, quando lectioni, quando operi manuum incumbendum sit, ne accidiæ spiritu in mentis dubietatem, vel hebetudinem encecti, tẽpus suum inaniter consumant. Semper studeant potiora opera quietiori & congruentiori tempore coaptare. O quoties immũdorum spirituum ridiculum efficiuntur imprudentes? O quantis spiritualibus depraedantur profectibus, ij, qui spreto mentis cõsilio, suis inseruiunt voluptatibus? Quàm sæpè lectioni vacant, cùm orare deberent: Orationi insistunt, cùm liceret operari, ac per hoc torpore depressi fraudeq; decepti, cuiuscumq; operis debito priuantur fructu, insipientia ipsorum hoc perpetrante. Non sic verò, qui pollent prudentia: & qui cœlestem magni pendentes gratiam, cœlorum regna sagaciter diripere moliuntur. Singula singulis peragunt horis: nec penes ipsos quidquam inordinatum prætermittitur. Et quoniam cuncta statutis perficiũt temporibus, ideo proficiunt, vitámque suam sine tædio deducunt. Et Bonauentura ad idem hortatur, dicens: Idcirco, discipulis veritatis, est cum diuturniori exercitio sagaciter laborandum, cùm suas orationes, vel Psalmos, vel Hymnos, vel quæcumque alia dixerint, vt stabiliant in se numerum dicendorum: item quid primò, quid secundò, quid tertiò, nisi fraterna charitate, vel necessitate aliqua, vel obedientia maioris aliquãtulum retardentur: semper id, & eo modo, quo decreuerint, studeant adimplere: quia ex isto felici exercitio relinquitur quædam habilitatio in mente, de qua sæpè animus non modicum contristatur, si aliqua negligentia, vel inertia consuetum exercitium derelinquat: imò quod in principio ipsius exercitij spiritualis laboriosum videbatur, spiritui postmodum quasi versum in consuetudinem, suo decore alliciat: vt iam frigiditas versa in calorem, tarditas in velocitatem, maximè quia amore vnitiuo trahitur, experimento infallibili comprobetur.] Ex quorum verbis iam aliquæ vtilitates elucent, propter quas est studiorum spiritualium ordo seruandus, quibus sanè carebit, qui omnia perturbatè agit, & cuique studioso operi minimè suum tempus, locúmque concedit. Sit igitur spiritualium virorum vita amatrix ordinis, & quæ in suis operibus quoddam genus immutabilitatis teneat, & æternitatis naturam imitetur. Vt sicut ista semper est eadem, & nulla

Laurent. Iustin. lib. de discipl. & perfect. monast. conuer. c. 10.

Bonauent. de myst. ca Theol. 5 ... part. 1

incon

inconstantiæ volubilitate mutatur, & vicissitudini nulli subiicitur, ita vita iustorum eodem tenore procedens, & statis horis, & temporibus idem faciens, ad beatam æternitatẽ se properare declaret. Quemadmodum etiam horologium bene dispositũ & solerter ab aliquo gubernatum, iuxta motum solis, & diei horam acu designat, & cymbalum pulsat: ita vir iustus secundùm præcognitam Domini voluntatem, semper se moueat, & certis horis atq; temporibus idem opus, vt orationem, aut lectionem, aut psalmodiã exerceat. Adeò vt sicut miraculo, atq; prodigio deputatum est, (sicut reuera fuit) quòd horologium Achaz tempore Ezechiæ eodem diei tẽpore, non eandem, quam soleret, sed diuersam horam signaret; ita spiritualem virum ordinem vitæ mutare, & sua virtutis studia, aut præponere, aut postponere, quasi miraculum videatur. *4. Reg. 20.*

Multa quidem sunt, quæ istum exercitiorum sanctorum ordinem à nobis exposcunt. Nam illum docet ipsa vita religiosa, cuius sumus ipsi cultores: quæ communes omnibus religiosis virtutis actiones in eandem semper horam reiecit. Horam enim habet certam, & determinatam, qua orationi, & aliã, qua Missæ sacrificio, & aliam, qua psalmodiæ, aut conscientiæ examinationi, aut corporis refectioni, aut dormitioni, aut labori manuum, aut aliis occupationibus insistamus. Et sicut ipsa seuerè, & ferè sine vlla relaxatione præcipit, vt vniuersi religiosi, cùm ad aliquid horum vocantur, in vnum conueniãt, & commune opus simul perficiant; ita ipso opere docet in particularibus operibus ordinem esse seruandum, & sine legitima causa non esse ab illo discedendum. Huius verò piæ matris documentum esse à nobis reuerenter suscipiendum Dominus ipse cõfirmat: qui, vt est in Ecclesiastico, & honorauit patrem in filiis, & iudicium matris exquirens, firmauit in filios] Quod nihil aliud est, nisi Dominum præcepta matris nostræ vitæ religiosæ, suo precepto rata facere, & suæ voluntatis ostensione probare. Religio verò non à se ipsa hunc ordinem piarũ actionũ inuenit, sed ab ipsa vniuersali Ecclesia Dei, cuius est filia selectissima manifeste didicit. Quis enim ignorat, sanctam Dei Ecclesiam in Dei cultu ordinem magnum, & exquisitum tenere, & singulis diebus proprias horas, quibus Dominus sit à nobis laudandus, & horam qua incruentum sacrificium sit offerendum designare? Profectò id adeò notum est, vt & ipsæ laudationes diuinæ horarũ nomen vsurpent, & hora prima, tertia, sexta, nona, & sic aliæ deinceps nominentur. Quis etiam nesciat ab Ecclesia singulis annis dies esse notatos, quibus aut ieiunandum sit, aut ab operibus seruilibus vocandũ, aut sobriæ remissioni, & sanctæ sinceritati, vt ait Augustinus, insistendum? Sicut ergo motus cordis ab ipso incipiens, primũ in proximas corporis partes, & deinde in remotas & externas eadem se ratione diffundit, adeo vt ex pulsu arteriæ medici intemperiem calidam totius corporis à corde prouenientem agnoscant: ita hic motus ordinatus Ecclesiæ, quam ipsa vitæ religiosæ, veluti proximæ parti communicat, æquum est, vt ad singulos spirituales viros, tamquã ad remotiores partes, se demittat: qui etiam eodem modo, ac totum Ecclesiæ corpus, cuius sunt partes, moueantur, & in omnibus, quæ in Dei obsequium peragunt, ordinem seruent. Nec sola Ecclesia, aut vita religiosa nunc ordinem postulant, sed etiam ipsa, qua constamus, natura, nos ad ordinem in piis studiis tenendum inuitat. Quia vt sani & vegeti viuamus, nostra natura ordinis est affectatrix, & eisdem diei temporibus cibum & potũ accipere, somno indulgere, corporis exercitatione vti, & labore quiescere, & pausare iubet. Si verò cibum, & potum vltra tempus destinatum differamus, aut laborem plus æquo protrahamus, aut debita nos requie, & somno priuemus statim aut corporis lassitudo, vel ad quid operis faciendum ineptitudo, vel corporalis infirmitas monet nos, quantum malum afferre possit in his rebus ordinis prætermissio: ita vt mente sani, robustique simus, necesse est in his quibus mens educatur, & crescit, ordinem, & modum obseruare. Nónne cibus & potus animæ, sunt studia virtutum, quæ & eam recreant, & in vita spirituali sustentant? Et quidem: nam & sapientia cibabit timentem Dominum, pane vitæ & intellectus, & aqua sapientiæ salutaris potabit illum.] Nónne somnus animæ est intẽta oratio, humilis deprecatio, & pura contemplatio diuinorum, qua & rebus temporalibus dormit, & in sinu Domini, quasi in lecto mollissimo requiescit? Et sanè ita est: Nam & discipulus ille prædilectus, in sinu Saluatoris recumbens, isto spirituali dormiuit somno, cùm diuinitatis eius mysteria conspexit. Nónne animæ exercitatio, est abnegatio sui, qua prauos affectus & vitia, velut humores noxios minuit, atque consumit? Sed in dubium esse non potest Salomonis sententiam excipienti: Diligenter exerce agrum tuum, vt postea ædifices domum tuam.] Agrum quippe exercere est, vitia nostra mortificatione conuellere, & affectus nostri abnegatione purgare. Vnde Gregorius ait: Quidnam est, præparato opere, agrum diligenter exteriùs exercere, nisi euulsis iniquitatis sentibus, actionem nostram ad frugem retributionis extollere?] si ista cibus, & potus, & quies, & exercitatio animæ sunt, liquet, quoniam si nunc in totũ omittantur, nunc sine causa differantur, & postea sine ordine, & modo præsumantur, anima vegeta, & robusta esse non potest, quæ corpore delicatior est, & magis quàm illud ab ordine pendet, & certis temporibus suum cibum, & potum, & somnum, & & exercitationem requirit. *Eccles. 15* *Ioan. 13.* *Prou. 24.* *Greg. 10. mor. c. 16*

Et nos quidem studiosis operibus non solùm intendimus tempus occupare, sed merita apud Dominum adaugere, & ipsi nos quàm gratissimos facere, & perfectionem adipisci: quæ omnia vna ordinis perturbatione, aut in totũ, aut magna ex parte frustrantur, & magni à nobis thesauri perduntur. Res enim sine ordine factæ sæpè merita non adaugent: nam, vt inquit Ambrosius, scire quid facias, & Ordinem nescire faciendi, non est perfectæ cognitionis, offendunt plerumque præpostera.] Et statim: ordinis ignorantia cõturbat negotiorum naturã, formamq́, meritorum. Et ipso ordinis contemptu turbatur homo, atque distrahitur, ita vt opus occurrẽs irreuerenter, ac tepidè faciat, & non tam meritum, quàm Domini indignationem incurrat. At quonã modo nos Deo gratos faciemus bonis actionib' tepidè factis, & ex eo animo promanantibus, qui illi suas vanitates prætulit, & quasi res nullius momẽti vsq; ad tempus prophanis occupationibus vacuum, illas opere exercendas omisit? Aut quo pacto hæ ad perfectionem perducent, quæ mille imperfectionibus scatent, & mẽtem scrupulis ignauiæ & irreuerentiæ vulnerant, & imperfectionum labe cruẽtãt? O quanta mala vnum malum perturbati ordinis secum importat. Isti, qui omnia miscent, & sine vllo ordine viuunt, & suam in omnibus voluntatem implere contendunt, inobedientes sunt Deo, qui vult sua obsequia rebus omnibus anteponi Exilitatẽ sui erga Deum amoris detegunt, cuius famulatus tam parum cordi est, vt eũ singulis momẽtis caussa ina- *Ambr. in Psal. 119. ser. 3.*

Eccles. 3. *Aug. ser. 157. de tempore.*

nium alloquutionum, aut sæcularium negotiorum calcent,& proterant.Religiosam vitam,quam agũt post sæcularium conuersationem constituunt, qui diligenter solent diuino cultui intendere,& vt sacrificio Missæ assistant,aut suas preculas recitent, omnia negotia sui status ablegare. Statum suum ignomina afficiunt, & ludibrio aspicientium exponunt; quoniam ipso opere, se religiosos esse, & ordinis sectatores erubescunt,quem in nullo seruare, & in omnibus præterire volunt, & dum sæculariter viuunt, & sæcularia publicè tractant, spiritualia verò importunis temporibus, quasi cum rubore præstãt, ab omnibus irridentur. A rebus prophanis vacant, vt Deo vacent, & ipsi quasi vitam religiosam detestantes,& sanctissimas eius exercitationes odientes, ab his per totum diem vacant, vt sciendis nouitatibus, & vanitatibus interrogandis aut perscrutandis intendant, Ac demum à vita sanctorum & virorum perfectorum se elongant, qui in suis piis studiis ordinem amant, ordinem enixè custodiunt, orationi lectioni,& rebus diuinis opportunas semper horas constituunt,& spiritualia exercitia omnibus præferunt Ideo apud Dominum diuersimodè acceptantur obsequia feruidorum & tepidorum. Nam sicut ipse gratum habuit sacrificium Abelis,quod obtulit de primogenitis gregis sui, & de adipibus eorũ, sacrificiũ verò Caini aridioribus terræ fructibus oblatum:spreuit:ita benignè ad obsequia feruidorum respicit,quæ sibi magno amore,& ardenti feruore, & congruis temporibus consecrantur, munera verò tepidorum dedignatur respicere, quæ sibi animo irreuerenti,& importunis temporibus,quæ ex vanitatibus supersunt,offeruntur.

Genes. 4.

Ordinem igitur in exercitationibus spiritualibus nobismetipsis constituamus,& illum,sine vlla, quãtùm fieri possit, interruptione seruemus. Omnes videant vitam nostram, vitam ordinis esse, & nihil in ea,nisi secundùm ordinem gubernari. Horis orationi,& meditationi destinatis, quæ præcipuè diei, & magis quietæ esse debent,orationi & meditationi insistamus:hora psalmodiæ, aut aliis precibus, aut examinationi cõscientiæ aut spiritali lectioni attributa, iisdem operibus occupemur; & si numquam sol à suò cursu cessat, nec à cœpto circulo retrogreditur, numquam nos(quoad fieri possit) inconstantes simus, aut nostri cursus ordinem peruertamus. Tria tamen sunt,quæ meritò exercitiorum spiritualium ordinem mutant,necessitas, charitas, & obedientia.Necessitas est,si aut corporis infirmitas, aut imbecillitas,aut aliquis successus humanus,cui non valeamus obstare, ordinem præscriptum impediat. Tunc enim, quia homines sumus, quæ sunt hominum patienter à nobis sustinenda sunt, & voluntas seruandi ordinem, sine ordinatis operibus obseruãda.Cauendum tamen,ne quod necessarium non est, nomine necessitatis se cõtegat,& quod facilè vitare possemus, rei ineuitabilis velamento se operiat. Charitas est, si aliquid in proximorum vtilitatẽ faciendum occurrat quod commodè in aliud tempus protelari nequeat,vt peccatoris confessio excipienda, concio habenda, dubitationi conscientiæ satisfaciendum. Nam tunc charitas dictat, vt dilato sancto exercitio,rebus proximi seruiamus. Vnde Thomas à Campis in illo suo libello,quem viri spirituales semper præ manibus habent,ita ait: Pro nulla re mundi, & pro nullius hominis dilectione aliquod malum est faciendum: sed pro vtilitate tamen indigentis,opus bonum aliquando intermittendum est, aut etiam pro meliori mutandum. Hoc enim pacto opus bonum nõ destruitur,sed in melius commuta-

Thom. à Cam. lib. 1. de contemptu mundi. c. 15.

A tur Sine charitate opus externũ nihil prodest:quicquid autem ex charitate agitur, quantumcumque etiam paruum sit,& despectum, totum efficitur fructuosum. Magis siquidem Deus pensat, ex quanto quis agit, quàm quantùm quis facit. Multùm facit, qui multùm diligit.Multùm facit, qui rem bene facit.Bene facit,qui priùs communitati,quàm suæ voluntati seruit.] Quia verò charitatis opera, quando differri non possunt specialibus deuotionis studiis præponenda sunt,ideo religiosi suæ perfectionis cupidi,qui in animarum curam incumbunt, solent deuotionis studia in eas diei horas reiicere, quæ sunt magis quietæ,& à tumultu hominum sæculariũ remotæ,quales sunt ad solis ortũ,& ad solis occasum, vt sic puriùs & deuotiùs Deo vacent, & propriam

B virtutem prouehant, reliquum verò diei tempus in animarum salutem impendunt,ex quo si aliquid occupatione externa vacuum fuerit, in studio sacrarum literarum,aut in sacra lectione collocant, & ita totos dies bene occupatos, & diuino numini consecratos indicant. Obedientia est, si tempore, quo aut orare,aut meditari,aut aliquid simile facere constitueramus, prælatus aliquid aliud nobis faciendum iniungat. Quia præcepto superioris instante, ordo est obedire,& ordinem impositum nobis inuertere, & relicta oratione,aut cõtemplatione, aut alio quouis particulari opere,ad obediẽdum properare. Tũc dicendum est nobis:Nõ mea voluntas, sed tua fiat.] *Matt. 26* Nam si obedientiæ opera, exercitiorum spiritualiũ obtentu,detrectare volumus,& nosipsos seducimus

C & vitio propriæ voluntatis, nostra bona studia euidenter inficimus. Cùm propria voluntas sit, quæ non est Deo,& nobis communis, sed ipsi in prælato præcipienti contradicit. Obedientiæ filij, ait Bonauentura,se totos ad obediendum exponant,mòxque vt prælati vocem audierint, quasi diuinitus imperetur,moram pati nesciant, sed relictis omnibus, ad iniuncta quæque fideliter exequenda, promota deuotione consurgant, vt vicino obedientiæ pede, velut vno momento, iubentis vocem, facti exhibitione sequantur.Perfecta obedientia sua imperfecta relinquit.] Dicuntur autem nostra specialia opera, imperfecta relinqui,quia cœpta & non consummata manent, sed isto consummationis defectu, suam

Bonau. in speculo disc. p. 1. c. 4.

D perfectionem accipiunt.Cùm enim obedientiæ causa præciduntur,signum est,nos ea,cùm per obedientiam licet,Dei voluntate facere, & cum iussio superioris accedit, Dei etiam voluntate prætermitti Et pius,ac benignus Dominus,qui videt nos siue in bono opere,siue in operis omissione, eius voluntatẽ quærere,solet quod obedientiæ causa dimisimus, postea ampliori gratia promouere,& potioribus donis cumulare.Necessitas igitur,& charitas, & obedientia quæ supra omnem ordinem sunt, ordinem nostrorum exercitiorum frangant,his verò, aut aliquo illorum non impediente,nos, repulsis occupationibus superuacuis, semper statutis horis in sanctum opus incumbamus, & nostram salutẽ ordinatè,constanter,& subtiliter operemur.

E

Quòd religiosus nullam occasionem proficiendi prætermittat.

CAPVT XXXIV.

CELEBRIS illa sententia, qua vnus ex sapiẽtibus huius sæculi medicæ artis à se elaboratum volumen incepit;ars lõga,& vita breuis,]commodè potest spiritualibus rebus aptari, & de vita spirituali,& eius perfectione proferri.Quę

Hippocrates Aphorismorũ 1. cap.

tot

tot habet addiscenda, tot acquirenda, tot actione & labore præstãda, vt nisi vires gratiæ aspiceremus, vix ad ea, non dico vita breuis, sed nec illorum antiquorum patrũ anni sufficerent. Breuis est vita hominis, quæ velut cursor transit, vt auis volat, vt vmbra præterit, vt cogitatio euanescit, & vix cœpit, cùm iam finem sibi insidiantem, & se ad victoriam parantem agnoscit. *Iob. 14.* Iob ait: Breues dies hominis sũt, numerus mẽsium eius apud te est.] *Psal. 89.* Dauid dicit: Anni nostri sicut aranea meditabuntur; dies annorum nostrorum in ipsis, septuaginta anni Si autem in potentatibus octoginta anni, & amplius eorum labor & dolor.] *Iacob. 4.* Iacobus clariùs explicat: Quæ est vita vestra? Vapor est ad modicum parens, & deinceps exterminabitur.] Quid breuius eo, quod numquam stat. sed more fluminis rapidi non ad mare, sed ad non esse decurrit? Quid inutilius eo, quod inanibus occupationibus distentũ, sæpissimè sine vllo fructu pertransit? Quid vilius eo, quod in modum vaporis dissipatur, & ad nictationem oculi nusquam comparet? *Psal. 143.* Homo profectò vanitati similis factus est; dies eius sicut vmbra prætereunt, vt sicut nihil vanitate inanius, nihil vmbra instabilius est, ita humanã vitam, & inanem & instabilem, & breuissimã esse discamus. Nec Deus in nos crudelis fuit, dum post Adæ peccatum ita vitã nostram abbreuiauit: *Ambr. ser. 42.* Ideo enim illam breuem fecit, inquit Ambrosius, vt molestiæ eius, quæ prosperitate non poterant, temporis exiguitate finirentur.] Et ideo etiã (& quidẽ ego ita contemplor) vt ipse suam potentiam in humana imbecillitate monstraret, qui in tanta vitæ breuitate, artem longam perfectionis hominem docet: Nã rogo, quænam ars vita spirituali longior, & virtutis perfectione prolixior? Hoc homo discit, non tantùm Deum cognoscere, sed Deum amore complecti, Deum ad se pertrahere, Deum actibus imitari. Hac discit, terram in cœlum conuertere, animale in spiritale, impurum in sanctum commutare. Hac discit seipsum, & omnia terrena contẽnere, & suam mentem diuitiis numquam perituris ditare, & Dei puritatem ac sanctitatem induere. Quòd si artes, quæ rerum creatarum naturas considerant, longæ, id est, multum temporis ad sui adeptionem requirẽtes, appellantur, quãtùm hæc perfectionis ars cæteris non solùm dignitate, sed & temporis, ad sui acquisitionem necessarij diuturnitate præstabit, quæ creatorem ipsum docet non tantùm cognoscere, verùm etiam vt sponsum complecti, & illi tamquam Domino famulari? Illi quidem, qui ex vilibus metallis, & multis variisque rebus, aurũ se facturos promittũt, (quos alchimistas vocant) longa temporis spatia ad hanc conuersionem faciendam exposcunt: quam in immensum longiora requirentur, vt carnalis homo, in spiritualem, & terrestris in cœlestem commutetur? Profectò, ars longa, & vita breuis, sed in hoc potentiã suam ac misericordiam commẽdat Deus, quòd artem longam breuiter ingerit, & non solùm annosos homines, & senio confectos, sed & pueros, & teneras puellas, perfectione virtutis imbuit.

Cùm ergo perfectionis ars longa sit, quæ docet peccata destruere, vitia extinguere, affectus moderari, virtutes acquirere, Deum amore complecti, & vitam cœlestem atque diuinam in terris instituere, necesse est, vt nos perfectioni assequendæ indefessabili diligentia cooperemur, & vt in rem magnam, & non paruiam, sed planè difficilem & laboriosam incumbamus. *Matt. 12.* Ne simus ex illis, qui dicebãt: Magister, volumus à te signum videre:] quod in nos quadrat, cũ nihil volumus à nobis exigi, & volumus omnia, quæ ad nostram emendationem pertinent, Domi-

A num quasi per miraculum operari. In eo autem solerter cooperabimur, si nullam occasionem proficiendi, & aliquid virtutis acquirendi perdamus. Qui enim occasiones proficiendi elabi sinunt, similes sunt mancipiis negligentibus, qui cùm multa ab hero facienda susceperint, totum diem in ludis, in iocis, in comessationibus, & in rixis insumunt, & instante nocte nihil ex sibi iniunctis factum inueniũt, & nihil aliud nisi heri indignationem, increpationes, & verbera expectãt. Tales reuera sunt, qui cùm se Deo cõsecrauerint, innumeras, quæ quotidie occurrunt, proficiendi occasiones contemnunt. Nam suam salutem operandam acceperunt, & dũ animi distentioni vacant, & nunc istum actum virtutis, B nunc illum abiiciunt, & vacui & inanes ad diem mortis accedunt, in quo Dominum suæ negligẽtiæ obiurgatorem, & vltorem reperient. Eo verò se acerbiori mulcta dignos fatebuntur, quo Dominum nõ tantùm virtutem præcepisse, sed & negligentiam esse cauẽdam monuisse cognoscent. O quoties in cordibus eorum illud Saluatoris insonuit: *Ioan. 12.* Ambulate dum lucem habetis, vt non vos tenebræ comprehẽdant.] Quid ergo faciant, post hanc millies iteratam monitionem, si vacui ad mortem veniant, & non laborantes, sed oscitantes & iocantes à tenebris cõprehendantur? Certè acrem reprehensionem expectabunt, scientes verissimum esse dictum Bernardi: *Bernard. ser. 15. ex paruis.* Sicut condemnatus est, qui in vitiosa permanet voluntate; ita reprehensibilis est, qui in aliis non studet proficere. C

Qui autem in omnibus studet proficere, hic nec reprehensioni locum dabit, nec (licèt ad finem perfectionis non veniat) sui laboris fructu carebit. Vnde & idem Bernardus ait: Ambulare, proficere est. Nõ ambulantem sed sedentẽ à mortis tenebris cõprehendi, periculum est. Et quis sedet, nisi qui non curat proficere? Id caueto: & si morte præoccupatus fueris, in refrigerio eris, dices Deo: *Psal. 138.* Imperfectum meum viderunt oculi tui.] Et nihilominus in libro tuo omnes scribentur.] Qui omnes? Profectò, qui in desiderio proficiendi inueniuntur. Proficiẽtes enim, si morte præoccupati fuerint, in eo quod eis deest perficiendi sunt.] O magna cõsolatio, quòd à nobis D non peruentio ad perfectionem, sed labor proficiẽdi, & enitendi solùm exigitur. Imitentur proinde spirituales viri, falsæ & fugacis pulchritudinis amatores, qui indignissimum ducunt, aliquam occasionem, placẽdi ei quam amãt, prætermittere. An non sunt amatores veræ sapiẽtiæ, cuius decor numquam perit? An non sunt similes illi, qui dicebat: *Sapient. 8.* Hanc amaui, & exquisiui à iuuentute mea, & quæsiui spõsam mihi eã assumere, & amator factus sum formæ illius?] An non sunt (quod efficaciùs mouet) in isto amatore signati, qui à iuuentute sua, id est, ab ipso conuersionis initio perfectionis sapientiam in sponsam exquirũt? Quare non vt proci, huic in omnibus seruiunt, & occasiones placendi ei, & ad suum amorem alliciẽdi, quæ sunt omnes occasiones proficiendi, E derelinquunt. Negotiator, & magna lucra magno voluntatis ardore quærit, & modica non spernit, sciens quia multa modica lucra vnum magnum faciunt, & non modicam accessionem suis diuitiis adiungunt. Eodem prorsus modo, si multiplicentur parui profectus, magna ipsi merita congerunt, & non paruam nostræ virtutis partem ipsi constituunt. Meritò proinde Paulus diligentissimus spiritualium mercium inuestigator, & auidissimus perfectionis mercator, modicos etiam virtutis profectus, tamquam modica lucra magni reputat. Cùm enim minuta commoda attigisset, quæ alij Apostoli admitte- *1. Cor. 9.*

bant,

bant, ad onus prædicandi Euangelij ferendum, ait: Ego autem nullo horum vsus sum,] quasi diceret, paruis etiam cōmodis abstinui, & in modicis quoque meipsum negaui, & modicas etiā corporis mei vtilitates abieci. Quare hoc?Bonum est,inquit,mihi magis mori,quàm vt gloriam meā quis euacuet.] Licèt commoditates, quis propter Christum desero,paruæ sint,tamen illæ in vnum congestæ, ingens præmium promerentur: adeo vt mallem vita ipsa, quàm isto, quod spero, præmio priuati. Nec solus ipse modicos profectus amplectitur, sed & vult vt in illis quærendis omnes ipsum imitentur.Id namq; inter alia sonat mihi eius vox dicta ad Agrippam regem: Opto apud Deum, & in modico, & in magno, non tantùm te,sed etiam omnes, qui audiunt, hodie fieri tales,qualis & ego sum.] In maioribus, & in minoribus optat omnes sui imitatores fieri, vt scilicet vniuersi, & magna opera virtutis faciant,& modica non omittant. Et meritò primùm in modico,& postea in magno vult, vt omnes suis vestigiis inhæreant, ne inordinata sit virtutis progressio: & ne ignoremus quòd profectuum exiliorum contemptor, numquā erit excellentis sanctitatis imitator. Sed quid est occasiones proficiendi incidentes non spernere?forsitan enim aliquis ista legens, linguam, quam non nouerat, nunc audit, & nos modica exquirentes non intelligit. Huic, vt intelligat, honestissimam ac fidelissimam Ruth in proficiendi formam proponamus.Illa quippe simul cum socru sua, mendicitate fame laborans, eius, quam matrem reputabat,veniam,ad quærendum tantę necessitatis remedium,in hæc verba poposcit: Si iubes, vadam in agrum,& colligam spicas, quæ fugerunt manus metentium, vbicumque clementis in me patrisfamilias reperero gratiam. Annuente matre,abiit, & colligebat spicas post terga metentium. Et felix illi tam exigua annonę collectio;nam ex spicis à messoribus relictis,atque contemptis, ad mensam, & ex mensa ad lectum ditissimi Patriarchæ,& ex lecto ad coniugium eius, & ad possessionem omnium, quæ ipse habeat, hilariter properauit.Considera & tu similiter mendicitatē tuam,& expende famem tuam, quā vt cibi sumptione cōpescas,collige spicas à metētibus derelictas.& modicas proficiēdi occasiones, quas magni in sui oculis spernunt, cōgrega in sinū tuum:& sic primùm famem virtutis te cruciantem, vtcumque compesces:postea ad mensam,in qua satieris,id est,ad magna merita virtutis accedes:Deinde in lectum hominis diuitis admitteris,qui dicet tibi,vt non metuas,& dormias vsque mane:] & tandem ipse te in charissimam sponsam accipiet. Scio iam intelligis quò tendat huius historiæ mysterium, sed adhuc dubitas,quid illę spicæ à te colligendæ significent. Dicam ergo apertè, & tu meum scribendi laborem,sola,eius,quod dicturus sum,in Dei gloriam, executione compensa. Rogo te vnum tantùm tuæ vitæ diem attentè considera,& videbis in eo innumerabiles proficiendi occasiones,quas perdis.Signum ad surgendum è lecto datū est, & tu in lecto aliquantulum moraris,ac si Deus ad surgendum, & orandum non te per illud signū vocaret:Ecce vnam; quam si fuisses amplexus,socordiam vicisses,diabolum te tenentem irrisisses, & bonum ac feruidū initium huius diei laboribus assignasses. Ad orationem, aut psalmorum cantū vocatus accedis, & in oratione,cùm posses genu flexus,non ita, sed sedens; & in psalmodia non rectus,sed semi iacens assistis: ecce aliam: nam si debitam mentis reuerentiam erga diuinā maiestatē,corporis dispositione ostenderes, & teipsum ad deuotionem & suscipiendam internam suauitatem disponeres, & alios tecū stantes, & aspicientes ædificares. Hora ad incruentum sacrificium peragendum accommoda ad sacrarium venis,vt sacris vestibus induaris; ingressus autem nec æditum te expectantem,nec ministrum paratū inuenis,& ob tantam illorum negligentiam impatientia tangeris, & turbaris.Ecce aliam,in qua debuisses teipsum pacare, tuam vilitatem,& peccata respicere;dignūque esse,vt ministri tui,tanquā vilissimi hominis nullam memoriam haberent,& veluti omnium infimum te eos expectare facerent. Triclinium corpus tuum refecturus ingrediens,panis tibi niger, & durus apponitur,pulmentum insulsum, & malè apparatū offertur,cuius causa tristaris,& interiùs saltem coqui oscitantiam & prælati duritiam incusas. Ecce aliam: Debuisses enim tūc,vt verus Christi pauper,illa penuria, & incommoditate exultare, panem illum & pulmentum insulsum, in sanguine tui Redemptoris intingere, & regum deliciis præferre. Cum aliis fratribus colloquium gratia remissionis instituēs, oblata occasione teipsum laudasti, aut tuam sententiam plus nimio descendēs,contendisti;aut historiam,vel fabellam inutilem enarrasti.Ecce alias, quia si diuinæ inspirationi te interiùs ad mortificationē vocanti paruisses,& nec teipsum laudasses, nec pro re nihili cōtendisses,nec sæcularia narrasses,gloriæ coronæ te in cœlis expectanti gemmā adiiceres. A prælato,vel ab alio maiori fratre,aut æquali,aut minori malè exceptus es, & verbis amarulentis, ac contumeliis affectus,quibus aut similia, ausus es respōdere,aut nō timuisti ob iniuriam illatā murmurare, & querulari.Ecce aliam:Si enim patienter contumeliā audiuisses,& hilariter iniurias suscepisses, non modicum puritatis augmentum, nec minimam animi libertatem comparasses.Defectus aliquis parui momenti tibi innocēti occultè, aut publicè ab aliis obiicitur; & statim admiraris, & mille modis teipsum excusas. Ecce aliam:quia non multi momenti ignominia silentio admittenda esset, & mulcta à Prælato imposita accepranda. Cœnobium ad aliquod negotium egressus, aliqua pulchra quæ videas, curiosa, quæ audias,iocosa quæ dicas,passim occurrunt,quibus, ac si esses vnus ex mundanis hominibus,fœdatis,Ecce alias:oportebat enim oculos vanitati claudere,aures aduersus curiositatem munire,& linguā, indomitam bestiam continere. Hæc exempli gratia dicta sufficiāt,nam possem innumerabiles alias proficiendi occasiones, quæ quotidie instant, & nos ad diuitias spirituales lucrandas vocant,in medium proferre.

Ista,dicit, minima sunt. Crede mihi, nullus spiritualis vir, desiderio perfectionis tactus, ista contempsit. Pro certo etiā habe, quia nullus vmquam sine istis minimis, ad eam, quam exoptas, sanctitatem peruenit. Nec mihi succenseas, quòd minima attuli,quia ego nollem ista minima prærerire, quæ, cùm vt minima sperno (& sæpissimè ob antiquam, qua fœteo,negligentiam,& duritiē mei cordis sperno) sentio me interiùs castigatum,& grauiter à Domino reprehensum. Non,inquam, mihi, hæc attulisse succenseas,imò potius tu mihi minima,sed vtilissima suadenti crede,& has spinas collige post terga metētium.Nec putes eas esse tenues, vredineque percussas, quæ venientem famem designent, quin imò plenæ sunt,atque formosæ,& magnę cuiusdam fertilitatis aduenientis indicia. Si eas diligenter collegeris,audies à patrefamilias:Quando hora vescēdi fuerit,veni huc,& comede panē, & intinge buccellam tuam in aceto.]Iam tibi dabitur panis,qui te confirmet,& occasio magna credendi, quam ad in-

Act. 26. Ruth. 2. Ruth. 3. Ruth. 2.

gentem cumulum meritorum, non tamen sine aceto, hoc est, sine laboris amaritudine, & molestia, suscipies. Et ô anima diues facta & primũ minoribus meritis, deinde magnis pro Christo tribulationibus cumulata, quid ni ad eius coniugium assurges? Propinquus cedit iuri propinquitatis, & mundus, quem ipsa contempsisti, te quoque contemnet, vt mundus tibi crucifixus sit, & tu mũdo, & Chistus te in sponsam sine vllo impedimẽto suscipiat. Istæ igitur proficiendi occasiones, nulla ratione prætermittendæ sunt, sed magna mentis contentione amplexandæ, quæ nos vt assidua limæ corrosio paulatim emũdãt. Ad quod hortatur Paulus, cùm ait: Videte fratres quomodo cautè ambuletis: nõ quasi insipientes, sed vt sapientes, redimentes tempus, quoniam dies mali sunt.] Hanc cautam ambulationem à Paulo postulatam, me quidem aurifices docent, qui cùm aurum, id est, rem magni pretij, manibus tractent, non solùm cautè se gerunt, ne magnã vim auri perdant, sed etiã ne minimum granum amittant. Sciunt enim quòd ex multis minimis auri granis, magna auri copia cõflatur. O incredibilẽ stultitiã nostram? Estne autum, quod tractant aurifices, merito virtutum pretiosius? Sed si illi cautè ambulant, ne modicum metalli corruptibilis perdãt: quare nos ambulamus incautè, imò & imprudenter, qui tot virtutis adaugendæ occasiones perdimus, & gẽmas meritorũ pretiosissimas non tantùm obliti, aut incuriosi, sed scientes, & videntes derelinquimus? Illi nõ sunt insipientes in suo negotio, sed abundè sapientes, qui ita sua minima & magna disponunt, vt quantùm potest humana diligentia, nihil illos auri & gemmarum fugiat; & nos etimus insipientes in negotio nostro, ita vt nunc ista occasio virtutis, & postea illa, & in fine vitæ magnus cumulus meritorum nos deserat? O vtinam non ita sit, sed redimamus à malitia tempus, quo possimus in nostræ virtutis augmentum semper incũbere. Quid est redimere tempus, nisi aut detrimẽto rerum temporalium, aut nostræ cõmoditatis damno tamquam pretio soluto tempus coëmere, in quo vacemus virtutis studiis? Redimere tẽpus est, inquit Anselmus, vt quando aliquis infert tibi litem, perdas aliquid, vt Deo vaces, non litibus. Quod enim perdis pretium est temporis. Quo modo perdis nummos, vt emas tibi aliquid, sic perde nummos vel quodlibet aliud, vt emas tibi quietem. Redimamus itaque tempus, id est, commodis nostris, & curis huius sæculi subtrahamus, vt in frequentibus virtutum occasionibus, quæ singulis momentis se offerunt, seipsum impendat. Redimamus tempus, quia verè captiuum est, cùm non Deo famulatur, sed nostræ propriæ voluntati, aut vanitati deseruit. Tunc verò redimitur, cùm ab iis, quæ nostrum statum non decent, liberatum, augmento nostræ virtutis obsequitur.

Ruth.4. — Ephes. 5. — Anselm. ibid.

Dominus etiam monet, ne istas paruulas occasiones proficiendi perdamus, cùm vult nos similes esse seruis expectantibus dominum suum, vt cùm venerit, & pulsauerit, confestim aperiant ei.] Quid enim est dominum ad suum seruum venire, nisi, illum, quem iam in seruum admiserat; & iustum fecerat, ad perfectionem vocare? Et quid Dominum pulsare, nisi ad aliquod virtutis opus, siue magnum, siue paruum, inuitare, & virtutis alicuius exercendæ occasionem offerre? Iuxta illud: Ego sto ad ostium, & pulso,] pulsat, cùm vocat, cùm opus studiosum exigit, & stat ad ostium, cùm id, quod postulauerat, factum expectat. Si ille est, qui pulsat, & minuta à nobis poscit, vt nos, qui modici sumus, multorum minimorũ aggregatione crescamus, quis est tam excors, imò tam durus, & insensibilis, vt nõ suo factori pul-

Luc.12. — Apocal.3.

A santi respõdeat? Intendit ille in nobis illud, quod dicit Salomon: Da sapienti occasionem, & addetur ei sapientia,] & occasionem acquirẽdæ virtutis docet: quare nos qui statum sapientium profitemur, & nos sapientes existimamus, istam sapientiã oblatam non accipimus? Vult item & illud: Doce iustum, & festinabit accipere:] & ideo nos non tantùm in magnis, sed etiam in minimis erudit: quare recipere iustitiã atque amplecti negligimus? Si quis putet ista minima casu nobis accidere, & non speciali Dei prouidentia contingere, hic cæcus est, & manu tẽtans, qui ignorat pium Dominum nostræ imbecillitati consulẽtem non semper ad res arduas, atq; difficiles, sed etiam ad minimas & faciles hominem excitare: quibus veluti per faciles gradus sine vlla lassitudine ad culmẽ virtutis ascendat. B Bene proinde Salomon, minima, vt Dei etiã, mandata respiciens, ait: Quodcũque facere potest manus tua, instãter operare.] Quid est quodcumque? Et magnum bonum facito, & minimũ non omitte: Difficile amplectere, & facile noli aspernari. An nõ Deus omnia creauit, & magna cũ paruis fabrefecit? An non ille creator est elephantis, & culicis, aquilæ, & muscæ, & minima quæq; ex suę bonitatis, & potentiæ thesauro eduxit? Ita homo sui imago creatoris in his quę ad ipsũ pertinẽt, magna si potest faciat, & his præstitis minima non derelinquat. Neque enim Dominus, cùm orbem condidit, secum cogitauit istud minimũ est, omittamus illud, sed, vt est in libro sapientiæ. Pusillum, & magnum ipse fecit, & æqualiter cura est illi de omnibus. C Nos igitur cùm nostram perfectionem operamur, nequaquam simile aliquid cogitemus. Quin potiùs formã creationis in nostra innouatione tenentes, & magna & pusilla præstare curemus. Minima profectò a nobis facienda sunt, vt in postremo die in minimis fideles inuenti super maiora constituamur. At post hanc vitam nec est opus, nec ratio, id est, nec industria, nec facultas agendi. In ista igitur vita mortali, nisi præmio pusillorum carere volumus (& quidem illud pusillum non est) cum maioribus pusilla quoque, & exilia faciemus. Mirum enim est, quòd velimus à seruis nostris etiam à minimis, nostram voluntatem fieri, & nos Dei serui non in omnibus, sed tantùm in magnis eius voluntatem faciamus. D Sed valde formido, quòd in magnis Dei voluntatem non facit, qui in minoribus virtutem spernit.

Prou.9. — Ibidem. — Eccles.9. — Sapient.6.

Quòd religiosus perfectionem amans, sit vita communis affectator.

CAPVT XXXV.

NOn est minoris momẽti ad viam perfectionis feliciter peragendam, amor & exacta custodia vitæ cõmunis, quã in statu religioso nostri maiores instituerũt, & suo exẽplo, ac vitæ ratione probarunt, quæ amori in omnibus proficiendi coniuncta tãtùm valet ad propositum virtutis augendum, E vt multos viderimus his duobus documentis tamquam duabus alis carnalis cõuersationis vilitatem facilè deseruisse, & ad non modicam puritatem euolasse. Vitæ igitur cõmunis, quam status religionis profitetur, vtilitates, & merita expositur, ne quis in nominis notione laboret, priùs quid ipsa sit, breui descriptione dicamus. Vita communis religiosorum est, modus, aut ratio viuendi à maioribus instituta, regulis, & institutis decreta, longo vsu & consuetudine probata, & exemplo illorum, qui spiritualiter viuunt, ac ipsa eorum conuersandi ratione firmata.

A Ad quam iam manifestum est, quid pertineat, vt scilicet more sanctorum fratrum conuersemur, & sine manifesta necessitate nullo modo nos à communibus aliorum actionibus, aut laboribus eximamus.

Cuius rei vtilitates quis explicare sufficiat? Tot enim tantæque sunt, vt abundè satis possint vitam communem tueri, & tepidorum ac negligentiũ corda ad eius amorem & studium accendere. Nam si primum cuiusque bonum est carere malo, custodia vitæ communis, ac communitatis sequela (sic enim aliqui religiosum viuendi modum vocant) nos multis malis & tẽtationibus liberat, atq; in ea, quæ huic mortalitati nõ cõtradicat, securitate cõstituit. Quod *2. Reg. 11.* ita esse ex notissimo casu Dauidis cùm Vriã interfe- B cit, & cum Bethsabe adulteriũ perpetrauit, euidenter intelligitur, cuius causam volens sacra Scriptura manifestare, in hunc modũ cœpit luctuosam historiã recensere: Factũ est vertente anno, eo tẽpore, quo solent reges ad bella procedere, misit Dauid Ioab, & seruos suos cum eo, & vniuersum Israël, & vastauerunt filios Ammon, & obsederunt Rabba: Dauid autem remãsit in Ierusalem.] O infelix quies, & remansio miserabilis, quam si bellator Rex deuitasset, & ad bellum euntes suos milites præcessisset, numquã tantis sceleribus, & tãtis calamitatibus esset obstrictus, sed permisit hoc Deus, vt sui milites discerẽt, exercitus laborẽ nõ fugere, & vt scirẽt periculosum esse, dũ alij sunt in prælio, in quiete & otio permanere. Nos autem ita putamus, & (vt credo) nõ fallimur, domum religiosam aciem esse Christi, tot mi- C litibus, quot religiosis instructam: præliũ verò esse communem orationem, psalmodiam, lectionẽ, &c. huiusmodi, quibus religiosi pro se, & pro Ecclesia dimicãt, & gloriosè de diabolo cõmuni hoste triumphãt. Quòd si tu tẽpore conflictus otiaris, & à cœtu præliantiũ te subtrahis, & nec cũ illis oras, nec psallis, nec legis, nec laboras, vide ne dum Dauidis otiũ & segnitiem sequeris, etiã aut opere aut corde eius flagitium imitere? Magna enim est diaboli in nos sæuientis astutia, qui seruos Dei à congregatione sanctorũ auocat, nõ tantùm vt vitæ otiositate distrahat, *Cyprian. epist. 1. ad Cornel.* verùm vt & otiosos, ac segnes, alicuius grauis peccati deceptione seducat. Vnde Cyprianus ait huius aduersarij dolos intelligens: Vnum primò aggressus, vt D lupus, ouem secernere à grege, vt accipiter, colũbam ab agmine volantiũ separare tẽtauerat. Nam cui nõ est aduersus omnes satis virium, circũuenire quærit solitudinem singulorum.] Numquam pirata copiosam nauiũ classem aggreditur, sed nauiculã ab aliis separatam oppugnat; hãc expugnatã spoliat, & spoliatam iaculato ex tormẽtis igne submergit. Sic Dæmon cuius vires à Christo fractæ sunt, numquã conuentũ iustorum audet suis dolis attingere, sed vnum otio deditum, & ab aliis segregatum inuadit. Hunc sæpe decipit, hũc dementat, hunc vanis cogitationibus, & inquietis cordis amaritudinibus, & impuris desideriis illudit. Petrus collegio Apostolorũ aggre- *Matt. 16. Matt. 14.* gatus Christum confitetur, solus negat. Positus inter alios dicit: Tu es Christus filius Dei viui.] Ab eis se- E questratus ait. Quia nescio hominẽ istum, quẽ dicitis.] Ibi audit: Beatus es Simon Bariona, quia caro & sanguis nõ reuelauit tibi, sed pater meus, qui in cœlis est. Hic ne in maledictione, qua oppressus est, pereat, à Domino benignè respicitur, & vt in compunctione perseueret, ad gregem reducitur. Sic prorsus cùm religiosus conuentũ sequitur, Deũ laudat, eius præcepta custodit, eius exequitur voluntatẽ; cùm verò se ab aliis sequestrat, & illis orantibus dormit, illis ieiunantibus abstinentiam soluit, illis laborantibus ipse quiescit, in nõ modica mala solet decidere.

Meritò quidem vita religiosa, quã omnes in commune sequuntur, vocari potest expultrix malorũ, & maximorum bonorum initium. Vtrumque in Apostolo Thoma conspicimus. Hic enim extra cœtum Apostolorũ Saluatoris iam vitam immortalem agẽtis visione priuatur, & cordis duritie tactus adeò periculo perditionis exponitur, vt dicat: Nisi videro in *Ioan. 20.* manibus eius fixuram clauorum, & mittam digitum meum in locum clauorum, & mittam manum meã in latus eius, non credam. Falleris, Thoma, falleris, *Bern. ser. 6. de Ascensione.* inquit Bernardus, si videre Dominũ speras, ab Apostolorũ collegio separatus. Non amat veritas angulos, nõ ei diuersoria placent. In medio stat, id est, disciplina communi, communi vita, communibus studiis delectatur. Vsquequo miser diuerticula captas, & consolationes propriæ voluntatis tanto labore quæritas, tanto rubore mendicas?] Hic verò tam deceptus, dũ est solus, aliis discipulis aggregatus ad mentem rediit, & beneficiis, quibus priuatus erat, abundè potitur. Denique Thomas inter Apostolos Dominum videt, manuum vulnera tangit, aperturã lateris osculatur, & quem hominẽ agnouerat, Deum confitetur, dicens: Dominus meus, & Deus meus.] *Ioan. 20.* Et tu similiter si à consortio fratrũ per negligentiam aut singularitatem auulsus, Dominũ corde, aut opere reliquisti, vel cõscientiæ scrupulis punctus, & cæcitate turbatus, Deum tibi infensum cognouisti, redi ad fratres, sanctorum laborũ particeps esto, & similibus studiis occupari curato, vt Dominum mentis oculis videas, affectib⁹ amplectaris, & laudis eius cõfessione diteris. Quod Apostoli, & discipuli experti sunt, tu similiter cæteris fratribus corporali præsentia, & labore cohærẽs sine dubio consequeris. Illi enim omnes erãt pariter in eodẽ loco,] & quia cor- *Act. 2.* pore iuncti, & studio orationis similes, & voluntate cõcordes, spiritum sanctum acceperũt, & luce eius perfusi, ac ardore inflãmati, ex pusillanimitate ad fortitudinem, ex ignorãtia ad rerum diuinarũ eximiam cognitionem, & ex timore ad charitatis ardorẽ reuocati sunt. Diuitiæ spiritus illos in vnũ congregatos afficiũt, quos in diuersa loca dispersos, & in dissimilia studia distractos nequaquam afficerent. Et donorũ Spiritus sancti vacuus remaneret, quisquis discipulorum ab illo de cõuentu subtraheret. Nõ ergo sine magna ratione sanctus Bonauẽtura vitã communẽ status religiosi collaudat, & aliqua eorũ, quæ diximus, in vnũ congerit, dicens: Conuentualem vi- *Bonau. in Speculo, particula 3. c. 5.* tam, vt sanctissimã, imò angelicã toto affectu animi amplexantes, ei tam cõtinua quàm deuota profectione adhæreant. Quantùm ad officium, mensam, & alia, vix nisi coacti à conuentus congregatione recedant. Tantã Deus cõuentui efficaciã contulit bonitatis, vt ibi augmẽtum suscipiat boni bonus, aut veniam mali malus. Multa in cõuentu bona præsẽtibus conferũtur, absentibus subtrahuntur. Saül ad cõuẽtum psallentium prophetarũ accedẽs, propheta efficitur; extra conuentum factus, peruertitur. Thomas *1. Reg. 10.* discipulorum absens conuentui, visionis dominicæ consolatione fraudatur, quã ad collegiũ reuersus as- *Ioan. 20. Actor. 2.* sequitur. Discipuli pariter cõgregati, Spiritũ sãctum accipiunt. In cõuentu Dominus habitat, & quiescit; ibi deuotos quosque vberioris gratiæ pabulo refocillat, ibi quàm plures negligẽtiæ personales in diuino maximè officio subrepentes, congregationis communione supplentur. Ibi quod suis quisque non potest, aliorum meritis obtinere meretur.] Concupiscibilia profectò sunt hæc, & simul obtẽtu facilia. Nam sicut facilius, sed & delectabilius est, longam viam cum aliis eam sciẽtibus cõficere, quàm si quis solus, & quã cundum esset nesciens perageret, ita facilius,

& iocũdius est lõga spiritus via, quæ à nobis vsq; ad Dei possessionẽ protrahitur, quęq; nõ solitariũ, sed aliis associatũ incedere. Ille autẽ seipsũ aliis associat, qui suã volũtatẽ spernẽs, & semitas, quas suus spirit' inuenit, nõ tritas declinans, cõmunem aliorum conuersationẽ omniũ patrũ consensu probatã affectatur.

Deus prouidentia sua, singulis rerum generibus vnum modum se conseruandi cõstituit, singulis generibus animalium idem pabulum, eadẽ arma, quibus se defenderẽt, eandem rationem fœtus educãdi signauit, & respublica singulis hominum statibus, ac officiis eundem viuendi & laborãdi modum indixit. Deum itaque & naturam, & respublicas diuino numine institutas imitatur religio, dum omnibus filiis suis eadem studia, & eadẽ exercitia præscribit. Quare, sicut animal, quod propria alimenta reiiceret, & aliena præsumeret, vitæ suæ detrimẽtum afferret: & sicut sutor qui fabri ferrarij instrumẽta conquireret, minimè suam substantiam augeret: sic prorsus religiosus modum viuendi sui status relinquẽs, & noua ac inusitata studia in suam religionẽ inuehens, nihil proficiet. Vnde Augustinus ait: Omnia opera vestra in vnum fiãt, maiori studio, & frequentiori alacritate, quàm si vobis singulis feceritis propria. Charitas enim, de qua scriptum est. Nõ quærit quæ sua sunt] sic intelligitur, quia communia propriis, nõ propria communibus anteponit. Et ideo quantò ampliùs rẽ communem, quàm propriam vestram curaueritis, tantò vos ampliùs proficere noueritis.] Et sanè Dominus hãc etiam veritatem edocuit: Misertus enim turbæ quatuor millium hominum, quæ cum doctrinæ auida sequebatur, vt eam non tantùm pane vitę, sed etiam pane corporali pasceret, fecit in eodẽ loco discumbere. Quare in eodem loco? nisi vt discamus, augmentum nostræ virtutis in eodem loco cũ aliis fratribus esse quærẽdum, & eisdem sanctis studiis comparandum. Hoc verò mysterium in conuiuio septem panum, & paucorum pisciculorum Bernardus agnouit. Porrò, inquit, si qui fuere, qui discumbentibus aliis post dumeta seu diuerforia quæuis abscõditi latuere, homines eiusmodi ieiunos vacuosque remãsisse quis nesciat? Sic & eos nihilominus, qui leuitate & curiositate ducti circũquaq; vagantes minimè resederunt, aut qui resederunt quidem, sed non in ordine, nec in numero cæterorum. Hortamur proinde charitatẽ vestrã, & pastorali sollicitudine admonemus, ne quis ex vobis inueniatur angulos amare, sectari latebras, quærere diuerticula, quoniam qui malè agit, odit lucem, & non venit ad lucem, vt non arguãtur opera eius. Sed nec inueniãtur in nobis, qui circumferãtur omni vento doctrinæ, instabiles, & inquieti, nihil in se soliditatis, nihil grauitatis habentes, tanquàm puluis, quem proiicit ventus à facie terræ. Nam de his quid dicam, quorũ manus contra omnes, & manus omnium contra ipsos? Hi sunt, qui separant semetipsos, animales spiritum non habẽtes, quoniam nemo in spiritu Dei loquens, dicit anathema Iesu. Nequissima sane, & perniciosissima pestis, quóniam vniuersos vnius obstinatio turbat, & fit omnibus discordiæ fomes, materia scandalorum. Denique Prophetam audi, qui de vinea Domini loquens; Singularis, inquit ferus depastus est eam]Pro huiusmodi rogo, & obsecro vos fratres mei, fugite simulationem omnem, & angulos propriæ voluntatis, fugite inquietudinem, & spiritum leuitatis, fugite obstinationem, & nequissimum vitium singularitatis, nisi fortè (quod absit) fraudare vultis animas vestras panis edulio benedicti.] Nec vtilitates religiosæ vitæ in communi ductæ prætermitto, quas in septẽ panibus huius conuiuij Bernardus ipse in eodem loco conspexit. Primus panis, ait, verbum Dei, in quo vita hominis est, sicut & ipse testatur. Secundus panis obediẽtia est, quoniam meus cibus est, inquit, vt faciam voluntatem eius qui misit me. Tertius panis meditatio sancta, de qua scriptum est: Cogitatio sãcta cõseruabit te. & quæ alio in loco nominari videtur panis vitæ & intellectus. Quartus panis orantium lachrymæ. Quintus verò pœnitẽtię labor est. Nec miteris quod laborẽ, aut lacrymas panes dixerim, nisi forte excidit tibi quod in propheta legisti: Cibabis nos pane lachrymarũ] & itẽ in alio psalmo: labores, inquit, manuum tuarũ quia manducabis, beatus es, & bene tibi erit.] Sextus panis est iucũda vnanimitas socialis. panis, inquã, ex diuersis granis cõfectus, fermẽtatus vtiq; sapiẽtia Dei. Porrò septimus panis est Eucharistia; quoniã panis, inquit, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.]Huc vsque ille. Et nõ dubiũ quin omnibus his panibus se priuat, qui vitam religiosã professus cõmunia aliorum studia nõ sequitur. Quomodo enim verbũ Dei audiet, qui vt se ipsum ingurgitet, solus extra triclinium manducat, qui etiam à conuentu, vbi prælatus fratres exhortatur, abscedit? Quomodo obediet, qui vitã singularẽ amplexus, studia ab obediẽtia præscripta cõtẽnit? Quomodo mẽtẽ deuota meditatione reficiet, qui aut vanis colloquiis, aut temerariis aliorũ iudiciis se pascit? Quas lacrymas fũdet, qui dum alij orant, & lacrymas fundũt, risui vacat? Aut quẽ laborẽ pœnitẽtiæ suscipiet, qui vitã laboriosam religiosę institutionis exhorret? Certè, qui sua vita discordias seminat, vnanimitatẽ nõ habet: & qui ab aliis se segregat, panẽ cõmunionis & vnitatis indignus est edere.

Religiosus itaque ne his omnibus se priuet, vitam communem aliorum, & studia cõmunia sectetur. Si alij sũmo mane ad orandum surgunt, ne ipse in lecto decumbat, sed memor illius sentẽtiæ: Hora surgendi non te trices] pro animæ quiete, corporis quietẽ repellat. Si alij orationi vacant, non in illud tẽpus externas aliquas occupationes reseruet, sed & cũ omnibus exaudiatur à Domino, ipse in orationẽ incumbat. Si alij libros sanctos euoluunt, ipse eo tempore erubescat per domũ discurrere, cœnobij officinas, & claustra lustrare, sed sanctis voluminibus legẽdis, & necessariis disciplinis addiscendis intendat. Si alij ex præscripto cõscientiam examinant, ipse ea hora lugenda non faciat, nec cõscientiæ emũdationẽ omittens, suam salutem parui pendat. Cum comedẽtibus comedat, & cõmunibus aliorum cibis cõtentus delicatiores, aut exquisitiores nõ quærat. Laborãtibus collaboret, nec se à cõmuni labore, aut pro vtilitate temporali conuentus assumpto, aut pro animarum salute suscepto, propter otium, & inertiam eximat. Cum dormiẽtibus ipse dormiat, vt corpori necessariam quietem impertiens, in communi exercitatione fratrum non deficiat. Similem cum aliis vestem, nõ cultiorẽ induat, non meliora, quàm alij. nec plura supellectilia in cella habeat, nõ curiosa, & inusitata possideat. breuiter talis sit, quẽ Dominus in die discussionis in omnibus religiosis operibus similem aliis inueniat, nec eum ex vita indicans, nõ sui instituti religiosum, sed alterius professionis hominem dicat. His autem, quæ omnibus fratribus communia sunt, sedulò, & diligenter expleris, si ampliùs adhuc potest, occultè quãtùm potuerit, obsequiis debitis opera supererogationis adiiciat. Debita, inquã, primò, ac præcipuo loco compleat, quia vt Bonauẽtura ait: Optima religiosi perfectio, perfectè cõmunia quæque conuentualia seruare. Porrò hic religionem offendit, qui religionis violat instituta. Turpis omnis pars vniuerso suo non congruẽs.] Carbones

Fff quidem

Margin notes: Augu. in reg. — 1. Corin. 13. — Matt. 15. — Bern. ser. in eodem Euãgelio. — Psal. 79. — Ioan. 4. — Eccli 15. — Psal. 79. — Psal. 127. — Ioan. 6. — Eccl. 32. — Bonau. in speculo. in p. princip. c. 2.

quidē accensi mutuò se fouent, vnus solus extinguitur, & tabescit: ita viri iusti charitate succensi in vnū congregati, mutuò se in virtute iuuant, & ad perfectionē impellūt, vnus verò ab aliis corpore, & corde seiunctus, paulatim in iā cōcepto feruore tepescit. Si autem, ô frater, aliquem fortè vidisti (quod rarum erit) in congregatione religiosorum positum, qui tamen communi, & probatæ eorum vitæ se minimè accommodans, multùm (vt videtur) in virtute profecerit, tu nequaquam illum imiteris: Imò potius illius sententiæ magni Cassiani memēto, qua ait: Generali omnium constitutioni paucorum non debet præponi, nec præiudicare sententia. Illis enim debemus institutis ac regulis indubitatam fidem, & indiscussam obedientiam per omnia commodare, non quas paucorum voluntas intulit, sed quas vetustas tātorum temporum, & innumerositas sāctorum patrum concordi definitione in posterum propagauit.] Nec etiam externæ sanctitatis apparentiæ fidendum est, nam si spirituum ponderator est Dominus,] & non homines, fortassis illa virtus à communi viuendi ratione seiuncta, emētita est, quā nō seniorū definitio approbat, sed specialis vnius sensus, & vitæ modus inducit. Non tamen obliuioni tradendum est (quod supra memini me dixisse) communem religiosorum vitam, non conuersationem tepidorum, & segnium religiosorum facere, sed modum conuersandi feruidorum regulis, & exēplis sanctorum probatum inducere. Nec ad singularitatē pertinere, si multis tepidè, & sæculariter viuētibus, tu regulam, & instituta districtè custodias, & vitæ religiosæ, quā profiteris, columnis adhærēs, à tepidis, & imperfectis te sequestres. Quin imò illi singulares sunt, qui vitā religiosam sua ambitione, & loquacitate, & imperfectione peruertūt, & ab antiquorum patrum virtute degenerāt, tu verò vitam communem, aut (vt ita dicam) conuentualem tenes, dum ab exacta custodia regulæ nō discedis. Sed iam, ne prolixi simus, causas ob quas nonnulli à vita communi discedūt, sub alio capitis initio pandamus.

Cassia. li. 1. de instit. c. 3.

Prou. 16.

Quòd religiosus sit pusillanimis, & superbæ singularitatis inimicus.

CAP. XXXVI.

DVæ sunt generales radices singularitatis, quarum gratia nonnulli à vita cōmuni in religionibus approbata desciscūt, ad quas (si bene inspiciamus omnes aliæ, velut ramusculi à radice prodeuntes, nullo possunt negotio reuocari. Hæ autem sunt pusillanimitas, & superbia. Pusillanimitas quidem, dum aliqui religiosæ vitæ ordinem, munditiē, districtionem, & seueritatem aspiciētes, tātam asperitatem exhorrent, & imbecillitati humanæ naturæ minus tolerabilem iudicant. Superbia verò, dum alij corporeis viribus firmi, & naturali complexione robusti communem religiosorum vitā plus æquo moderatam existimāt, & eam sectantes, vt homines infirmos, & nihil arduum aggredientes aspernātur, & ad labores corporis insuetos, ac immoderatos seipsos applicant. Duæ istæ singularitatis causæ sunt (vt manifestum est) sibiipsis cōtrariæ, & duo admodùm diuersa de vita religiosa sentiunt: ac diuersis rationibus id singularitatis vitium generāt. Sicut enim podagra nunc ex humore calido, nunc verò ex frigido generātur, & secūdum humoris qualitatem opposita medicamenta requirit: ita & singularitas nunc ex timiditate & paruitate animi, nunc ex temeritate, & elatione nascitur, & secundum causæ diuersitatem diuersa medicamina ad sui curationē exigit. Pro his duabus singularitatis radicibus, nos duo eius remedia pandamus, quibus ad vitam omnibus religiosis in communi propositam tamquam ad vitam perfectionis certissimam mirum in modum afficiemur.

Qui ergo vitam toti religiosæ congregationi indictam, velut asperam, & intolerabilem fugiunt, homines sunt delicati, qui in sæculo molliter, & delicatè vixerūt, & ciborum lautitia, somni nimietate, indumentorum pretiositate, & famulorum obsequiis seipsos effœminatos reddiderūt, atque à fortitudine virorum propria ad mulierculàrum imbecillitatem declinarunt. Et sicut ille diues, qui induebatur purpura & bysso, & epulabatur quotidie splēdidè] si ex diuitiis ad mēdicitatem decidisset, subuculā ex stupa, & saccū, & cibos insuaues ægerrimè sustineret, sic isti ab opibus & deliciis, ad sanctam paupertatē & carnis asperitatē deuoluti, nec gratia, qua sua culpa carēt, roborati, abstinentiā, sobrietatem, & vestimēti vilitatem ægrè sustentant. Id quidē mirum nobis non est, quia caro non ita facilè pristinos mores deponit, nisi hi tota mentis contentione niterētur eā vincere, & à luxu ad debitam moderationem traducere. Sed illi nos admirantur, quos non semel vidimus, qui in sæculo duriter educati, & paupertati ac magnis laboribus assueti, in conuentu religiosorum (diabolo eos illudente) se delicatos faciunt, & ciborum, ac vestium delicias, & corporis commoditates, quas in sæculo numquā viderunt, & petere, & accipere non erubescunt. Hi omnes, aut antiqua consuetudine, aut dæmonis astutia victi statas omnibus fratribus vigilias vitant, & somno, orantibus, & psallētibus aliis, indulgent: communibus se laboribus eximunt, & dum alij aut legunt, aut literis student, aut prædicant, aut pœnitentium confessiones excipiunt, noxia otiositate torpescunt: ad corporis refectionem vocati communes cibos respuūt, & in domo pœnitentiæ regum delicias, & lauta conuiuia nobilium exquirunt: Vestes figura quidem religiosas induunt. (& quidni induant, si eas fecerunt indulgentiæ tegumenta) sed panni mollitie, & pretio sæcularium esse malunt: Et deniq; in omnibus, quæ honoris, & priuilegij sunt, religiosi: in his verò quæ oneris, & laboris sunt, sæculares & aulici esse videntur. Quomodo istos curabimus? ita certè, si eis suam ignorantiam aperiamus. Considerent ergo alios, qui vitam communem sequūtur, & vigilias, ieiunia, ac labores vitæ religiosæ sustinent, homines fuisse in sæculo delicatos, exquisitos etiam cibos comedisse, inter famulorum obsequia quieuisse, & splēdidis, ac pretiosis indumentis amictos aspicientium oculos oblectasse Hi diuina gratia fulti, & feruore spiritus animati, possunt, quas habuerūt delicias cōtēnere, possunt asperam conuersationem arripere, possunt vigiliis ieiuniis, orationibus, & laboribus assiduis insistere, possunt inter hæc corpori aduersa, nec mentis alacritatem, nec corporis incolumitatem amittere. & quare tepidi & à Diabolo decepti, idem non poterunt, eisdem gratiæ præsidiis adiuti, & ab eo qui errare non potuit, ad eandem vitam laboriosam vocati? An ipsi sunt omnibus aliis delicatiores, & imbecilliores? Nō: Quia vidimus adolescētes nobilissimos, magnatum & principum filios, & virgunculas tenerrimas, quæ nutriebātur in croceis, & velut altera Esther, præ teneritudine se sustentare nō poterant, domū religiosam ingressas, vitā asperām arripuisse, & carnis infirmitatem superasse! An gratia in illis est impotētior?

Luc. 16.

Esther. 15

Non:

Nó:imò potius,vt in supernaturalibus operibus Dei potestas magis eluceat,dum hominem,infirmum & delicatum iuuat, manifestius in illo suam potentiã, & virtutem declarat.An vocatio illorum fuit inefficatior?Non quia se vident ad vitam religiosam cuectos, ad conuersationem laboriosam sustinendam astrictos, & continuis inspirationibus ad imitationem feruidorum impulsos.Quare igitur seipsos decipiunt,aut à diabolo se decipi sinunt.& necessitatis prætextu, seipsos perdunt, & quam antiqui patres astrinxerunt,ipsi vitam religiosam relaxant.

Laboriosum est ita viuere. Non inficior: etenim religiosa vita(quod ad corpus pertinet)non requies, sed labor est. At sciant infame esse inter operantes quiescere,& panem operantium consumere:Honorificétissimum verò cũ laborátibus laborare. Quod & Dauid, nó iam vnus de populo, sed supremus rex ita esse ipso opere testatus est.Numerauit ille populum Israël,& nonnulla elatione ductus,quantis millibus hominum dominaretur,recensuit. Adest è vestigio vltio diuina,quę dilectosDei breuiter corripit, ne peccata peccatis adaugeãt, & audit Dominũ per Gad Prophetã loquenté sibi.Trium tibi datur optio, elige vnum quod volueris ex his,vt faciam tibi. Aut septé annis veniet tibi fames in terra tua: aut tribus mẽsibus fugies aduersarios tuos, & illi te prosequẽtur:aut certè tribus diebus, erit pestilentia in terra tua.]O bone rex,ô princeps prudentissime,quid eliges,omnia enim sunt terribilia? Animaduertit ille famẽ ad se non pertinere,quam pauperes sustinent, diuites verò,& præcipuè rex vix eã esse cognoscũt Vidit etiam persecutionem hostium non adeo sibi esse periculosã,vt nó amplius afficeret milites suos, qui proprias vitas millies proderẽt,ne vel induméti eius oram hostis attingeret. Elegit itaque pestilentiam,& toti populo, & sibi communem (naturalia enim vt frigus & æstas pluuia, & serenitas, nec regem nec seruum respiciunt,sed promiscuè omnibus nocent,aut prosunt) vt cùm periculum patientibus, & ipse periclitaretur,& cum laborãtibus laboraret. Iudicãs videlicet dignum esse principe subditorum pericula non fugere,& eorum miserias,& calamitates experiri.Quod si capiti,à quo membra vniuersa dependent,hoc congruum est, quantò magis extremo pedis digito congruet,quo sabbato,aut infirmo, reliqua mẽbra illæsa manent.Quisq; itaq; se partem religiosæ familiæ respiciens, intelligat non debere, communes totius corporis labores fugere, nec se à generalibus vigiliis,ieiuniis,& obseruãtiis separare. Paulus enim ait:Sicut socij passionum estis,sic eritis & consolationis.]Vnde necesse est, vt cum aliis fratribus patiatur,atq; laboret, qui optat cum illis tẽporalem, & æternam consolationem accipere. Nec solus honor, sed etiam verus amor communis vitæ cultorem sequitur,& singularem, ac se à communibus laboribus subtrahẽtem fugit.Nam Prouerbium Salomonis est:Omne animal diligit simile sibi,sic & omnis homo proximum sibi.] Quare qui singulares esse,& videri cupiunt,odia sibi,& inimicitias,ac detractiones aliorum conflant, qui verò communium laborum,& studiorum participes fiunt, omniũ in se amorem,& beneuolentiam conciliant. Atque ideo sapiẽter Dionysius Richelius operum similitudinem monet vt fomentũ amoris. Ex similitudine, inquit, nascitur amor,& ex vnitate similitudo emanat.Porrò ex eodẽ res nutritur,& cõstat,vt Aristoteles dixit, vnde vitæ, actuumque parilitas internam affectionem conseruat,nutritque. Hinc enim dicitur, quoniam omne animal sibi simile amat:& vt Ambrosius asserit:Nil tam secundum naturam,quàm amare naturæ consortem.Itaque qui cum alio stabilem cupit dilectioné seruare,ei(vt fas est)in exercitiis, exercitiorúmque desideriis parem se exhibeat: idque quo alium offẽdi,grauarive metuit,vitet,semper nihilominùs vera seruata rationis mensura.] Quem ergo amorem erga se fratrum conciliabit,qui ab aliorum studiis se sequestrans, & ab aliis dissimiliter viuens omnibus odiosus efficitur?Hunc omnes notãt, omnes iudicãt,nouæ eius viuendi rationi detrahunt, & qui non detrahunt,fortè in vitæ laxitate sequuntur. Quamobrem talis hominis vita & conuersatio vniuersis est noxia,& his,qui eã imitantur,& his etiam qui eam detestantes obmurmurationibus lacerant, & risu, ac dicteriis proscindunt.Sed fortassis aliquis istorum,qui ob immoderatum amorem corporis vitam regularem auersantur,adeo est humanis affectibus mortuus, vt nec honorem quærat, nec amari à fratribus cõcupiscat.Id per risum dictum intelligatur, quomodo enim, qui suam carnem nó domat, subtilioribus affectib⁹ imperabit,& hostes fortiores euincet?At ita fit quod humanis affectibus mortu⁹, nihil aliud quærat, nisi in vera sapientia,& perfecta charitate proficere. Quanam ratione proficiet, qui instruméta proficiẽdi contemnit, & sola veste religiosus,affectibus,& operibus sæculariter viuit?Nõne instrumenta perfectionis sunt ieiunia, sunt vigiliæ,sunt iuges precationes,est obedientia,est asperitas vitæ,est arcta custodia disciplinæ?Bene ergo perfectus erit,qui disciplinam non seruat,qui ab operibus perfectionis seipsum elõgat?Numquam humanus affectus,inquit,Richard⁹ Victorinus,ad æternitatis desiderium perfectè inflammatur, numquam humanus intellectus ad æternorum contemplationem plenè acuitur, nisi carnis cura etiã in rebus licitis,multúmque necessariis frequenter fortitérque repellatur.] Ex cuius dictis euidenter liquet, quam longissimè à diuinis illustrationibus, & cœlestibus desideriis abesse, qui non solùm admodum necessaria nó repellit,verùm etiam ob rerum superfluarum & corporalium commoditatem amorem minimæ regulæ,& professionis suæ statuta custodit.

His consideratis,proprij corporis nimius amator seipsum à proprij amoris nexibus liberet,& ad vitãdam ciborum,induméntorum,& commodorum singularitatem desiderio rerum æternarũ exacuat. Expendat,secum bona corporis, vilia, & corruptibilia esse,bona verò animæ pretiosa esse,atque perpetua: quæ pro illis,quorum possessio nec in bonis numeranda est,nullo modo sapiens homo patietur amittere.Roboret ad laborem, & custodiam regulæ corp⁹ suum illa mirabili exhortatione Bernardi, quam libenter his nostris scriptis inseremus, nisi eius lõgitudo tædium aliquod esset,legentibus allatura. Sed id profectò timendum non est, quia ista legentes libentiùs sanctissimum patrem, quàm me audient,& clarissimi Doctoris sermones auidius,quã meos imperitos auscultabũt. Humanum itaque corpus alloquens,& monens,sic ait: Propterea noli, ò corpus, noli præripere tempora:potes enim impedire animę tuæ salutem,tuam ipsius operari non potes. Omnia tempus habent.] Patere vt nunc anima pro se laboret,magis autẽ etiam collabora ei,quoniam si compateris,& cõregnabis.]Quãtùm eius impedis reparationem,tãtum impedis tuam:quod nimirum ante reparari nó poteris,donec suã in ea Deus imaginem videat reformatã. Nobilem hospitem habes,ò caro, nobilẽ valde,& tota sal⁹ tua pẽdet de eius salute.Da honorẽ hospiti tãto.Tu quidẽ habitas in regione tua; anima verò peregrina,& exul apud te est hospitata. Quæso te,quis rustieus,si fortè nobilis,& præpotẽs,

Marginalia: 1 Reg. vlt. — 1. Cor. 1. — Eccl. 13. — Dionys. lib. 1. de vita & fine solit. art. 1. 2. — Richar. de exterminat. mali c. 16. — Bern. ser. 6. de Aduentu. — Eccl. 3. — 2. Tim. 2.

A quispiam apud eum voluerit hospitari, non libenter in angulo domus suæ, aut sub gradibus eius, vel in ipsis cineribus accubabit, cedens hospiti suo locum (sicut dignum est) potiorem? Et tu ergo fac similiter. Iniurias, vel molestias tuas ne reputaueris; tãtum, vt hospes tuus honorificè possit apud te demorari. Honor tibi est, vt pro eo interim te exhibeas in honorẽ. Ac ne forte despicias, aut parui pẽdas hospitẽ tuum, pro eo quòd peregrinus tibi videtur, & aduena: Diligẽter attẽde, quid hospitis huius tibi præsentia largiatur. Ipse enim est, qui tribuit oculis visum, auditũ auribus præstat, ipse est, qui linguæ vocem, palato gustum, motum membris omnibus subministrat. Si quid vitæ, si quid sensus, si quid in te decoris est, huius hospitis beneficiũ recognosce. Deinde discessus eius probat, quid præsentia conferat. Protinus enim anima discedẽte, lingua silẽbit, oculi nihil videbũt, obsurdescent aures, corpus omne rigebit, facies expallescet. In breui quoque totum cadauer, putidum simul & putridum fiet, & decor omnis in saniẽ conuertetur. Vt quid ergo pro temporali qualibet delectatione cõtristas, & lædis hospitem istum, quã nec sentire quidem poteras nisi per ipsum? Ad hæc si tãtùm tibi confert exul, & inimicitiarum causâ à facie Domini sui eiectus, quantùm tibi præstabit recõciliatus? Noli ô corpus, noli impedire recõciliationem illam, quoniã grãdis tibi exinde gloria paratur. Patiẽter, imò & libẽter, temetipsum expone ad omnia, nihil dissimules quod huic videatur reconciliationi posse prodesse. Dic hospiti tuo: quia recordabitur

Gen. 40. Dominus tui, & restituet te in gradum pristinũ, & tu memẽto mei.] Omnino enim memor erit tui in bonũ, si bene seruieris illi: & cùm peruenerit ad Dominum suum, suggeret ei de te, & loquetur bonum pro bono hospite, dicens: Cùm in vltionem culpæ suæ exularet seruus tuus, pauper quidã apud quẽ hospitatus sum, fecit mecum misericordiam, & vtinã retribuat ei pro me Dominus meus. Primò siquidẽ omnia sua, dehinc etiam semetipsum exposuit, vtilitatibus meis, nõ parcẽs sibi propter me, in ieiuniis multis, in laboribus frequẽter, in vigiliis supra modũ, in fame & siti, etiã in frigore & nuditate. Quid igitur?

Psal. 144. Profectò non mẽtitur scriptura, quæ dicit Voluntatem timentium se faciet, & deprecationem eorum exaudiet.] O si fortè gustare dulcedinem hãc, si fortè gloriam istã valeas æstimare: Mira enim dicturus sum, sed tamẽ vera, & omnino indubitata fidelibus. Ipse Dominus Sabaoth, Dominus virtutum, & rex gloriæ, ipse descendet ad reformãda corpora nostra, & configuranda corpori claritatis suæ. Quanta erit illa gloria, quàm ineffabilis exultatio, quãdo creator vniuersitatis, qui pro animabus iustificãdis humilis, anteuenerat, & occultus, pro te glorificãda, ô misera caro, sublimis veniet, & manifestus: nõ iam in infirmitate, sed in gloria, & maiestate sua? Quis cogitabit dies aduentus illius, quando descendet cum plenitudine luminis, præcurrentibus Angelis, & tubæ concẽtu excitãtibus de puluere corpus inops, & rapiẽtibus illud obuiam Christo in aëra. Quousq; igitur caro misera, insipiẽs, cæca demẽs, & prorsus insana caro, transitorias & caducas quærit consolationes, imò desolationes, si fortè cõtingat repelli, & indignam iudicari hac gloria, magis autẽ nihilominus ineffabili in æternum excruciari pœna. Hæc omnia Bernardus: quæ consultò ad lõgum scripta sunt, quoniam nõ iam cor tepidum ad sanctos, & moderatos religionis labores excitabũt, sed etiam pectus ferreũ emollient. Si enim amor bonorũ præsentiũ, & bonorum futurorum nos ad labores perferendos instigat, hæc dicta, ô religiose, attentè meditare, & tanta bona meritorum in præsenti via, & tanta præmiorũ in futura tibi ob modicum laborem promissa reperies, vt illorum causa non dubites durã aliorũ conuersationẽ sequi, sed & ad duriores labores aspirare.

Ista ad molles, & delicatos dicta sunt, nunc verò cum aliis loquamur, qui contrariam viam ingrediẽtes, in eundem scopulum singularitatis impingunt. Hi autem sunt, qui nequaquam communi aliorum fratrum districtione contenti maiora audent, & mille nouitates contra prælatorum, & patrum spiritualium voluntatem, ad corpus suum castigandum & conficiendum inueniunt. Isti aggrediuntur immoderata ieiunia, vigilias vsque ad multam noctem, vel vsque ad lucem protrahunt, flagellis insuetis, & ferreis loricis corpusculum domant, & nullo modo

B cum aliis fratribus in ratione viuendi consentiunt, sed illos, vt carnales, & imperfectos despiciunt. Hæc autem faciunt (& sibi quidem ita videtur) vt breuius, & compendiosius ad perfectionem veniãt, & patres antiquos eremi cultores, qui ista fecerunt, imitentur: reuera autem faciunt, vt breuissimè vires naturales exhauriant, & se ineptos ad onera religionis efficiant, & à nimio rigore, qui illis causa superbiæ est, ad nimiam laxitatem, & ad sæcularium mollities citò deflectant. Isti, quia in viribus suis, & non in Domini virtute confidunt, traditi sunt Dæmonio meridiano, à quo, sicut & ab aliis humani generis aduersariis, solùm defendit diuina protectio. Scuto, Psal. 90. inquit, circundabit te veritas eius, non timebis à timore nocturno, à sagitta volante in die, à negotio perambulante in tenebris, ab incursu & dæmonio

C meridiano.] Nolunt enim à Domino regi, nec à Prælatis, qui Domini auctoritate imperant cæteris, gubernari, & ideo Dæmonium meridianum illos decipit, quod (vt nunc reliqua taceamus) illud est, quod sub specie boni, atque prætextu sanctitatis ad malum impellit. Hos autem esse isto genere tentationis illusos Richardus manifestè profitetur, dicens. Quis Richar. ad Ps. 90. autem illud nesciat, quod in hora meridiana esse soleat, & claritas maior, & calor feruentior? quasi ergo cum summa luce, & feruore dæmones ad nos veniunt, quando fraudis suæ nequitiam dissimulantes sub sanctitatis specie ad peruersitatem nos pertrahere student, & satagunt. Lux ad discretionem, & calor pertinet ad deuotionem. Cum luce ergo & claritate dæmones ad nos veniunt, quando in

D eo quod fraudulenter suggerunt, non modò discretè, verùm etiam deuotè acturos nos etiam promittunt, & persuadere contendunt. Fit autem sæpe, vt huiusmodi fraudulenta tentatione infatua mens eò vsque desipiat, vt in eo ipso, quod ex dæmoniaca persuasione actitat, cæteris se credat, & rectiùs sapere, & sanctiùs agere. In hunc itaque modum Angelus Satanæ transfigurat se in angelum lucis: & sub virtutis specie, formaque sanctitatis ministrat consilia erroris, peragitque negotium iniquitatis. In hunc, inquam, modum dæmonium meridianum quosdam fraudulenter supplantat, in tantúmque infatuat, vt in suis singularitatibus, quas circa consilia fratrum, circa præcepta patrum præsumunt, imò in

E suis rebellionibus, quas in suos prælatos assiduè cõmittunt, putant se cæteris omnibus sapientiores, & cæteris omnibus sanctiores.] Vides ergo iam (vt arbitror) quàm rectè huiusmodi tentationem fraudulentam per dæmonium meridianum propheta designet, quæ mentẽ hominis sub specie sanctitatis supplantat.] Sed quantumuis dæmon iste luce, & feruore se vestiat, nõ posset homines singulares, & superbos latere, si ipsi suas mentes aduerterent, in quibus falsam lucem, & eminentium feruorem inuenirent.

Nam

A Nam falsa est illa lux, quæ illos facit in semetipsos cõfidere & cæteros velut tepidos, & carnales aspernari: & ementitus ille feruor, qui ad breue tempus mentem calefacit, vt exhausto corpore aggrauatã vsque in finem intepescat. Non tamen vident ista, quia solis exterioribus inhærentes, internam animæ emendationem non curant, & facti suiipsorum magistri Prælatorum, atque maiorum ducatum omninò despiciunt.

Hos etiam vitiũ singularitatis depascit, & multò periculosius quàm primos, quoniam illi manifestè oppugnati, facilè possunt laqueũ aduertere, & se ad vitam sæcularem deserendam incitare: hi verò sub boni specie decepti, & omnibus se in sapientia præferentes, a quo ad sanam mentem reducentur? Audi
Psal.79. B Psalmographum idipsum apertè docẽtem: Exterminauit eã, inquit, aper de sylua, & singularis ferus depastus est eam.] Aper animal est soliuagum, quod in
Aug. ib. syluis, & montibus commoratur, & aliorum animalium fugit amata consortia. Et idem (vt placet Augustino,) vocatur singularis ferus, quòd ob suam feritatẽ solitudinem amet, & aliorum se esse comitem dedignetur. Conueniẽter autem (auctore Bernardo) vitium singularitatis designat, illud præcipuè quod ab elatione, & superbia mẽtis exoritur, quoniam vitam amat, à consortio aliorum fratrum, alienã. Hoc vitium Luciferum è suprema inter angelos felicitate deiecit, quia aliis stãtibus ipse sedere, & æqualitatem habere ad Deum cõcupiuit. Angeli quidem vniuer-
C si coram suo stabant conditore: nã scriptum est. Seraphim stabant super illud:] scilicet super templum
Isa.6. vbi gloria Domini se ostẽdebat. Et rursus: Millia mil-
Dan.7. lium ministrabant ei, & decies millies cẽtena millia
Heb.1. assistebant ei.] Et Paulus ait: Nõnne omnes sunt administratorij spiritus.] Angelis stantibus superbus Lucifer voluit sedere, & dixit in corde suo: Sedebo
Isa.14. in monte testamẽti, & similis ero Altissimo.] Ista superba singularitas, & singularis superbia illũ è mansionibus cœlestibus deturbauit, & cum suis sequacibus in infernũ detrusit. Ipsa etiam sæpe homines ab ea, quam cœperunt, iustitia deiicit. Quæ enim in supremos Angelos fortis fuit, etiã in homines præualebit: & qui voluerunt super capita suorum fratrum ambulare, postea corporeis incommodis illigati, cupiũt, nec possunt, eorundẽ pedibus adhærere. Id est,
D qui præ superbia voluerũt maiora, & difficiliora prę sumere, postea non valent vitam communem seruare, & debent, (vt viuant) mille indulgẽtiis, & regulæ relaxationibus suffulciri. A iusto autẽ iudice hac pœna, & quidẽ graui puniuntur, vt semper sint singulares. Prius quidem singulares superbi, quibus communis vita delicata, & mollis apparebat, cũ satis sit dura. Postmodum singulares tepidi, & pusillanimes. quorum iudicium est vitã totius cõgregationis esse sibi intolerabilẽ, cùm tamẽ regulam discretionis nõ
Iona.4. excedat. Ionas Niniuem ciuitatem iam cõuersam ad Dominum, & pœnitentiã agẽtem ingredi detrectauit, & ad orientem ciuitatis solus resedit, nouaq; aduersus ardorem solis vmbracula requisiuit, dũ verò
E minus putabat, vmbra hederæ submota est, vt ipse vsq; ad desideriũ mortis solis ardore cõbustus. Imago est profectò hominis singularis, qui communẽ conuersationem iustorum spernens, & nouam, ac inusitatam viuendi rationem inducẽs, aut æstu superbiæ cruciatur, aut si præ corporis imbecillitate perseuerare non possit, verme iracundiæ, atque indignationis affligente corroditur. Non si prudentes religiosi, qui conuentualem vitam nõ deserentes, super vias iam cognitas, & tritas pascuntur, & in omnibus planis
Isa.49. pascua eorum. Quia non esurient, neque sitient, & nõ percutiet eos æstus & sol, quia miserator eorum reget eos.] Prorsus illos regit Dominus, qui non seipsos regunt, & se à Prælatis sinunt gubernari.

Sciãt isti, vt suæ superbiæ, & singularitati medeãtur, nõ esse placitam Domino cõuersationem, licet externa specie bonam, quæ vnitatem vitæ religiosæ discindit, quæ alios fratres scandalizat, & quę nõ est Prælatorum mãdato, & voluntati cõformis. Neque in hoc mihi, sed Bernardo fidem adhibeant, qui ait: Dicebas fortasse, sufficit mihi, si tãtùm Deus appro- *Bern. ser. 4. Quadragesima.* bat quod ago, quę mihi de humano cura iudicio? Sed certus sis, quod ei minime placeat, quicquid cũ scãdalo filiorum eius, & cõtra ipsius feceris volũtatem, cui obedire te tãquam eius vicario oportebat. Sãcti- *Ioel.2.* ficate, inquit, ieiuniũ, vocate cœtum.] Quid est enim cœtũ vocare? Vnitatem seruare, diligere pacem, fraternitatem amare. Superbus ille Pharisæus ieiuniũ habuit, ieiunium sanctificauit, qui nimirũ & ieiunauit bis in Sabbato, & gratias egit Deo, sed nõ voca- *Luc.18.* uit cœtum, dicẽs: Non sum sicut cæteri hominum,] ideóque ala vna nitẽs ieiunium eius, nõ peruenit in cœlum. Vos ergo charissimi, lauate manus vestras in sanguine peccatoris, & omninò solliciti estote, vt alas duas habeat ieiunium vestrum, sanctimoniã scilicet, & pacem, sine qua nemo videbit Deum. Sanctificate ieiunium, vt pura intẽtio, & deuota oratio diuinæ illud offerat maiestati: Vocate cœtum, vt cõgruat vnitati.] Rursus alio loco ait: Cæterum, & si iustus germinat sicut lilium sed non ad liliũ sponsus *Idem sermone beata Maria.* pascitur, nec in singularitate cõplacet sibi. Audi denique inter lilia commorantẽ: Vbi, duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi sũ in medio eo- *Matt.18.* rum.] Amat semper media Iesus, diuerticula semper, & reclinatoria reprobat filius hominis Dei & hominum mediator.] Sciãt etiam, se nequaquã Domini, sed propria voluntate regi, qua sapienti homini nihil magis debet esse suspectum. Nec ignorent in sua conuersatione se non Dominũ imitari, qui nõ tantùm fecit voluntatem Patris qui in cœlis est, verùm & voluntatem matris atque nutricis noluit proterere. Quod auctoritas quoque Bernardi confirmat. Non vultis, inquit, esse communi contenti vita, non *Idem. ser. 19. in Cãt.* sufficit vobis regulare ieiunium, non solemnes vigiliæ, non imposita disciplina, nõ mensura, quã vobis partimur, in vestimẽtis & alimẽtis, priuata præfertis cõmunibus? Qui vestri curã semel nobis credidistis, quid rursum de vobis non intromittitis? Nã illã, qua toties Deum cõscientiis vestris testibus offendistis, propriam scilicet voluntatẽ vestram, ecce nunc iterum magistrã habetis, non me. Illa vos naturæ docet nõ parcere, rationi nõ acquiescere, seniorum consilio, vel exẽplo non obtẽperare, nobis non obedire. An ignoratis, quod melior est obediẽtia, quã *1.Reg.15* victimæ? [Nõ legistis in regula vestra, quod quicquid sine volũtate, vel cõsensu patris spiritualis fit, vanæ gloriæ deputabitur nõ mercedi? Non legistis in Euãgelio, quam formam obediẽdi puer Iesus pueris sã- *Luc.2.* ctis tradiderit? Nam cùm remansisset in Ierusalem, & dixisset in his quæ patris sui erant oportere se esse] non acquiescentibus parentibus eius, sequi illos in Nazareth nõ despexit, magister discipulos, Deus homines, verbum & sapientia fabrum, & fœminam. Quid & addit sacra Scriptura? Et erat, inquit subditus illis.] Quousque vos sapientes estis in oculis vestris? Deus se mortalibus tradit, & subdit, & vos in viis vestris adhuc ambulatis?] Si autem hæ singularitatis amatores sciuerint, non dubitabunt communia fratrum studia statutis antiquis approbata, parti- *Leo ser. 3. de ieiunio.7. mensis.* cularibus exercitiis merito, & sanctitate præferre. Id enim est quod ait Leo Papa: Diuinarum reueren-

tia sanctionũ, inter quælibet spõtaneæ obseruãtiæ studia, habet semper priuilegium suum; vt sanctius sit, quod publica lege celebratur, quàm quod priuata institutione dependitur.] Si ergo in suis piis studiis sancti, & feruidi religiosi volunt proficere, volunt propriam voluntatem proterere, volũt Deo placere, & Christum exemplar sanctitatis imitari vitam sua professione probatam in omnibus teneant, & omni singularitate exercitiorum abstineant. Id autem facient, non quidem si sola sibi iniuncta perficiant, & vniuersa opera supererogationis omittant, sed si cõmunia numquam deserant, si ea specialibus præferant, si specialia de consilio prælati, aut patris spiritualis assumant, & si in illis humilitatis causa secretum quærant, ne alios, quantùm fieri posfit, exercitationibus insuetis offendant.

Religiosus otiositatem odio habeat.

CAP. XXXVII.

DIDICIMVS quàm magnum impedimentum perfectionis sit singularitas vitæ, nunc discamus, quàm magnum sit otiositas, vt non minus istam pestem, quàm illam fugiamus. Et verè pestis est, quæ non vnum aut duos, sed multos religiosorum inficit, & (si bene quid sit, intelligatur) eorum vitam, moresque peruadit. Magnũ igitur est perfectionis impedimentum, imò multiplex impedimentum: quoniam licet otiositas vnum tantùm vitium sit, à reliquis natura seiunctum, virtute tamen à patribus vocatur, & meritò, initium, ac origo omnium malorum. Quod si perfectio non vnum tantùm est bonum (vt diximus) sed cumulus, & aceruus omniũ virtutũ, nihil sanè magis ei erit aduersum, quàm vitium omnia mala generãs, & præsidio suorũ filiorũ omnibus bonis contradicens. Multam malitiam docuit otiositas,] inquit Ecclesiasticus, si autem multam malitiam docet, certè multis virtutis donis aduerlabitur. Est autem otiositas non solùm à sanctis, & necessariis studiis inepta vacatio, verùm etiam in rebus inutilibus, & nostro statui non cõgruis occupatio: ex quo elicitur eam non paucos religiosorum suo dominio subdere, neque omnes occupatos esse à vitio otiositatis exemptos. Nam si rebus vanis intẽdant, & studiis inutilibus occupentur, profectò multo perniciosius otiosi sunt, quàm si nihil omnino facerent, & totos dies noctésque dormirent. Religiosus ergo, vt otiositatem vitet, & istud magnum impedimẽtum perfectionis abiiciat, semper, aut studiis interioribus qualia sunt oratio, cõtemplatio, lectio, aut actionibus externis, in quibus fũctiones ad animarum salutẽ ordinatas numeramus, vel operi manuum insistant Ita videlicet, vt studia interna occupationes externas dirigant, & moderentur, externa verò opera internos labores animi, dum intercidũt tueãtur. Qui nisi externa aliqua intermisfione cessarent, ob carnis imbecillitatem diu perseuerare non possent. Hæc autem sic intermista, & congruis temporibus acceptata: non sine ingenti iucunditate merita nostra apud omnium bonorum remuneratione augmentant. Quare illi, qui otio tabescebant, à patrefamilias sunt vehementer reprehensi, & audiẽtur: Quid hic statis tota die otiosi:] quia scilicet hic, id est, in loco meritorum prouehendorum otiari, & non illa, vel mẽtis, vel corporis laboribus adaugere, ingenti debet stoliditati mentis ascribi, Sicut è contra magnæ sapientiæ tribuendum est in officina bonorum operũ aliquid semper quod Deo placeat diligenter operari. Gloriam enim sapientes possidebunt,] quæ sanè laborum est præmium, & non otiositati, sed bene operandi curæ respondet.

Eccl. 33.

Matt. 20.

Dominus quidem, qui hominem propter semetipsum videndum & possidendũ condidit, & ad æternum præmium vocauit, otiositatem vetuit dum primo mortalium parenti laborandi præceptũ indixit. Quin & post lapsum idem præceptum iterauit, dum in labore corporis, & sudore vult ab ipso primo parẽte panẽ comedendũ esse præmonuit. Meritò autẽ iussio hæc, & in statu innocentiæ, & in statu peccati lata est, vt sciremus, otiũ & innocentiæ aduersari, & peccatis cõniuere, honestũ verò laborẽ tum peccata destruere, tum innocẽtiæ esse custodẽ. Imò & vt non ignoraremus Dei voluntatẽ esse, vt innocẽs aliquid operetur, quod innocẽtiam augeat, & peccator aliquid elaboret, quod pro suis peccatis satisfaciat. Deũ verò hominem non ad segnitiem, sed ad honestos labores, & studiosas occupationes creasse Basilius astruit his verbis. Neque enim eo consilio Dominus hominem finxit, vt segnis, ac lãguens desideret, sed contrà potiùs, vt esset, qui se in laboribus honestis exerceret. Quãdoquidem & primò in paradiso Adæ præcepit, vt laboraret, & paradisũ ipsum custodiret, (etsi enim hisce verbis altior quidam adiunctus est sensus, nihilominùs tamẽ propterea hoc ipsum etiã quod omnibus expositum est imitatione, ac studio dignum est) & tum deinde postquã ex eo ille eiectus exulauit, sententiam tulit, vt pane suo in sudore vultus sui vesceretur: Quòd autem, quæ Adæ dicta tũc fuerint, ea omnibus etiam dicta sint, qui ab eo sint oriundi, ex hoc liquidò perspici potest, quòd cùm illum tãtummodo tum nominatim Deus morte multasset, quãdo dixit: Terra es, & in terram reuerteris] Nihilominus tamen omnes quotquot ab ea originẽ duxere, eiusdem similiter vnà cum eo calamitatis participes extitere. Quamobrem conuenit vnumquemque neque naturæ ordinẽ, neque præscriptos à naturæ opifice limites transilire, potiùsque in his continere se, & corpus in actione aliqua occupatum tenere, illudque prouidere, ne ipsum, dum grauiùs, quàm par est premit, opprimat.] Qui & hac de causa præcipit macerationem corporis esse discretam, ne si carnem immodicis ieiuniis aut immoderatis vigiliis, aut aliis asperitatibus cõfecerimus, ad honestos corporis mentisque labores reddamur inepti. Ideò autem, & corporis & mentis mentionem facimus, quoniã Deus nos, vt vectigalia spiritualia & corporalia solueremus, ex corpore, spirituq; cõpegit. Nec otiositatẽ debita ratione vitamus, si more spirituum volumus obsequia mentis offerre, in quo nõ poterimus perdurare nec si ad similitudinẽ animaliũ rationis expertium cupimus solo corporis labore seruire. Sed quia duplici parte spirituali, & corporali cõstamus nunc mens orando, meditando, & amãdo. nunc corpus abstinẽdo, flagra, & cilicia sustinẽdo, aut aliquid operis faciendo laboret. Quã eruditionẽ nobis Dominus dare cõstituẽs sacrificia scriptæ legis non de animalibus tantũ, sed de auibus quoque sibi præcepit offerri In animalibus corporalia obsequia, in auibus spiritualia designauit, quæ ad similitudinem auium sublimius se efferũt, & suauiora, ac delicatiora palato Domini esse noscuntur. Sic erimus similes fœcũdis arboribus, quæ & sibimetipsis copiosæ sũt, & alios fructuum vbertate delectãt: ita & nos bonis operibus abundãbimus, & aliorum aut mẽtibus, aut corporibus inueniemur fructuosi. Nullus enim est otiositatem fugiens, & sincera intentione laborans, qui doctrina, aut vita, vel certè alicuius, obsequij aut beneficij exhibitione non aliis vtcumque proficiat

Gen. 2.

Basil. cõst. monast. c. 5.

Gen. 3.

Quantùm

Iustinia. in lign. vitæ: tract. de timore. c. 2. Quantùm autem sibi prosit, qui otiũ pellit, & sanctis laboribus occupatur non potest breui sermone explicari. Sicut enim otiositas est paupertatis spiritualis initium, ita honestæ occupationis assiduitas cœlestiũ diuitiarũ est seminariũ. Nihil in sancto proposito otio deterius, inquit Laurentius Iustinianus, quod non solùmodò nõ acquirit noua, sed etiã acquisita cõsumit.] Ergo nihil in sancto proposito laborare pretiosius, qui & quæsita promouet, & noua semper dona cõquirit. Hic labor est, qui nõ vt mendicus aliorũ bona desiderat, sed vt diues, & sibi, & aliis sufficiẽs fratribus necessitatẽ patientibus ipsorũ indigentiæ subsidiũ impertit. Audi quẽdã otiositatis hostẽ, & laboris amatorẽ, quàm asseuerãter istud fatetur. *Act. 20.* Argentũ inquit, & aurum, aut vestem nullius concupiui. Ipsi scitis, quoniã ad ea, quæ mihi opus erant, & his qui mecũ sũt ministrauerũt manus istę.] *Act. 20.* Ista de corporali labore, sed de spirituali quid dicit? Vos scitis à prima die qua ingressus sũ in Asiã, qualiter vobiscũ per omne tẽpus fuerim: seruiẽs Domino cũ omni humilitate & lachrymis, & tentationibus, quę mihi acciderũt ex insidiis Iudæorũ, quomodo nihil subtraxerim vtiliũ, quominùs annunciarem vobis & docerẽ vos publicè, & per domos, testificãs Iudæis atq; gentilibus in Deum pœnitentiam, & fidem in Dominum nostrum Iesum Christũ.] O quã verè sibi in omnibus abundabat, qui comitum suorũ necessitati suis manibus subueniebat, & Iudæis, ac gentibus ad fidei & ad sanctitatis adeptionem adiumento erat. Hanc otiositatem, ac desidiam detestantes, & honestos labores suscipientes imitantur, qui non vitam inutilem in terris ducunt, sed proximis suis, aut in temporalibus, aut in spiritualibus benefaciẽdo pertranseunt. At otiosi semper pauperes, & inutiles sunt: quos notat Salomon illo prouerbio: *Prou. 28.* Qui operatur terram suam satiabitur panibus, qui autẽ sectatur otium replebitur egestate. Nónne vides quomodò laborantibus diuitias, otiosis verò, & desidibus mendicitatem ascribit. Illorum autẽ opes ex istorum paupertate cognosce, quam in hunc modum Cassianus exponit: Otiosus replebitur paupertate vel visibili scilicet, vel inuisibili, quia necesse est otiosum quemque & diuersis vitiis inuolutũ teneri, *Cassia. li. 10. de spiritu acci. c. 2.* & alienum semper existere à contemplatione Dei, vel diuitiis spiritualibus, de quibus Beatus Apostolus: Quia in omnibus, inquit, diuites facti estis in illo, in omni verbo, & in omni scientia:] Si hæc est otiosorum paupertas, laborantium diuitiæ in verbo *1. Corint. 1.* & in scientia consistunt: Non in verbo, quod aerem verberet, neque in sciẽtia, quæ mentem inflet, & in superbiã efferat; sed in verbo, quod mẽtes erudiat, & in scientia, quæ doctore ipsum, & audientes ædificet. His diuitiis strenui operatores ignorantes docent, frigescentes accendunt, pusillanimes roborãt, & sibimetipsis nouos meritorũ thesauros accumulant. Non sunt hi fures tẽporis, qui illud ab vtilibus studiis surripiant, non fures vitium à Domino concessarum, quas torpore languere faciant, non raptores talentorum sibi ad lucrum cõmissorum, quæ in sudario otiositatis abscondant, sed largi suorum bonorum dispensores, qui necessitatem patientes sustentant. Implent illud Pauli: Qui furabatur, iam non furetur, magis autem laboret operando manibus suis, *Ephes. 4.* quod bonum est, vt habeat, vnde tribuat, necessitatem patienti.] Multis quidem fratrum necessitatibus laborantes subueniunt. Nunc enim deuios consilio dirigunt, nunc inquinatos pœnitentiæ administratione mundant, nunc cæcos doctrinæ effusione illuminant, nunc mæstos consolationis verbo consolantur, nunc oppressos sua auctoritate tuẽ-

A tur. Quis non videat istos diuites esse, quorum labores non sibi solis, sed aliis etiam abundè sufficiunt.

Si verò diuites à diuitibus visitantur, & honorantur, in hoc etiam otiositatem fugiẽtes, & sollicitè laborantes diuites esse competimus, quod spiritus illi cœlestes, qui diuitiis, & deliciis affluunt, dignũ ducunt, huiusmodi homines visitare, & concupiscibilibus subsidiis afficere. Tobiæ iter agenti, vt pecuniã suo patri debitam recuperaret, Angelus Raphael se comitem præbuit: *Tobiæ 5.* Iacob in itinere constitutũ, & ad quærendam suæ gentis sponsam properantẽ, Angeli in somnis apparentes consolantur. *Gen. 28.* Prophetam, aut Dei virum deferent empulmentum messoribus Angelus Domini ad pascendum Danielẽ, & ad altioris *Dan. 14.* B misericordiæ opus excitauit. Quid hoc? Nisi quod cœlestes spiritus laborum gressibus in cœlum eũtes visitant, & eorum conatus non sine ingesta nobis admiratione consummant. Agnoscant igitur homines, inquit Bernardus, quoniam qui in labore hominum non sunt, visitari ab Angelis non merentur. Agnoscant quàm placeat supernis ciuibus labor, *Bernar. ser. 3. de Natiuit.* cuius spiritualis intentio est, quãdoquidem & eos, qui pro victu corporis, corporali vrgente necessitate laborant, suo dignãtur alloquio, & alloquio tam felici, nimirum humanam in eis agnoscunt ordinationem, qua cõstituit Deus, vt in sudore vultus sui vesceatur Adam pane suo.] Et id profectò dicit, quoniam Angeli dominici natalis nuncij, non superbos reges, nõ *Gen. 3.* nobiles delicatos in lectis eburneis lasciuientes, sed C viles pastores laborantes, & vigilantes, & custodiẽtes vigilias noctis super gregem suum luce fulgẽtes, & gloriam Deo ac pacem terrigenis concinentes visitarunt. Si tu vis angelorum consortio frui, si cupis *Luca 2.* cœlestibus donis ditari, si desideras ad Dominum videndum & adorandum peruenire, iuxta tuam vocationem in rebus ad te pertinentibus sine vlla intermissione labora. Angeli piè laborantes visitant, vt ad potiora bona incitent, diabolus verò otiantes, & desides, vt ad omne genus malorum impellat. Mater nãque nostra Heua otiosa erat, cùm veternosus serpens eam inuisit, & pomi vetiti ostensione fefellit. *Gen. 3.* Sodomitæ quoque otiosi erant, cùm eos Dæmon ad tam immania mõstra flagitiorum adegit. Vnde scri- D ptũ est: Quæ fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ? superbia, & saturitas panis: & abundantia, & otiũ ipsius & filiarum eius. *Ezec. 16*]Egregiè proinde scribit Hugo Victorinus: sed etsi à lectione cessatur, debet manuũ operatio subsequi, quia otiositas inimica est animæ, & antiquus hostis, quem è lectione, vel oratione vacantem inuenerit, facilè ad vitia rapit.]Et Cassianus *Hugo. lib. 1. de claustro c. 14.* Hæc est apud Ægyptum ab antiquis patribus sancita sententia operãtẽ monachum dæmone vno pulsari, otiosum verò innumeris spiritib. deuastari.]Verè ita est, quem enim spiritus nequam otiosum, & desidiosum non aggreditur, non expugnat, non deuastat, nõ ad omne malũ vinctum, & alligatum catenis socordiæ trahit? *Cassia. 10. de spirit. accidia c. 23.* Cogitationes talẽ religiosum minus honestæ, imò planè lasciuæ & impudicæ deludunt, de- E sideria elationis & superbiæ inficiũt, ambitio inflat, vanitas iactat, contemptus proximorum irritat, sui æstimatio distendit, & nullum est vitium, quod non mẽtem ab aliquo bono opere vacãtem operiat. Ideò ait Salomon: vacantes potibus, & dantes symbola consumentur, & vestietur pannis dormitatio. Quinam vacant potationibus, & conuiuiis omnis abstinẽtiæ, & sobrietatis inimicis, nisi qui ab honestis operibus vacãt? *Prou. 23* Qui conferunt ad impuras cœnas symbola, nisi qui se mutuo ad scurrilitates & detractiones inuitant, quia ea renuunt admittere, quibus fructuosè tempus insumitur? His cõsumptio seruata est

quoniã vt homines insipiẽtes fine vllo merito ex hac vita discedent. Pannis etiã ignominiosis vestietur, nimirũ vitiis ex desidia nascentibus, quæ eos non ad honorem, sed ad ignominiã operient. Non induũt isti Dominum Iesum Christũ.] sed Dæmonis imitatione vestiuntur, cuius est prauis suasionibus homines ad malum impellere. Non induunt loricam iustitiæ, & charitatis quia nec debito muneri satisfaciunt, cuius est nouis insistere virtutum augmentis, nec per affectũ dilectionis aliquid operantur, vt proximis prosint. Nõ denique eũ spirituali Ierosolyma operimentis gloriæ vestiuntur, quibus nõ indumenta gloriosa, sed suæ otiositatis increpationes, & pœnæ tamquam ignominiosa velamini paratæ sunt.

Rom. 13. *1. Thess. 5.* *Isa. 52.*

Ex hoc apparet quod otiosus, non vestimẽtis gloriæ, sed ignominiæ indumentis se contegat, quia ab omnibus notatur, ab vniuersis reprehenditur, & nõ est, qui illũ nõ fugiat, non auersetur, & non communi cibo indignum existimet. Ratum enim ac firmum subsistit Pauli præceptũ: Si quis nõ vult operari, nec manducet.] Quis ergo dignum cibo putabit eũ, quẽ non laborantem non aliquid fructuosum agentẽ, sed desidem, & otio dissolutũ aduertit. Quis istum non increpet in corde suo, cuius vitam inanẽ prorsus esse cõspicit, & dies vanos, & inutiles. Posuit Dominus signũ in Cain, vt à nemine interficeretur, & ipse vagus & profugus super terrã effectus, à nullo quidem occidebatur, sed ab omnibus ad suã ignominiam agnoscebatur, quia ipse esset, qui fratrẽ vita priuauit, nec Domini iussa cõpleuit.] Ita otiosus signum suæ desidiæ, & pusillanimitatis gestat, quo omnes fratres esse illum agnoscunt, qui munus sibi demãdatum laborandi & virtutem augendi non implet. Indissolubilis est hic curiositatis amicus, quoniã dum sibi iniuncta, & ad se attinentia nõ perficit, vanis, & curiosis intendit. Audi sanctum Bonauenturam, quomodo otiosum in curiositatẽ collapsũ graphicè describat, & videbis quã inanes sunt occupationes otiosi, qui dũ sibi domum virtutis non cõstruit, vt est apud Isaiam telas aranearũ contexit. Curiosus, inquit, non curãda curat, necessaria negligit, & sui oblitus aliena cõsiderat, notat, & explorat. Si quod insonuerit verbum, anhelat sollicitus ad sciendũ: & honestate post posita, id ab inuitis, & celare forsan volẽtibus inuerecundè requirit. Locis sibi nõ concessis congregationi, & collocutionibus fratrum, se ingerit non vocatus: Cùm eum abesse putaueris, adest impudẽs lateri, adest auri, vt nec secretum valeas occultare sermonem. Obseruat angulos, vagis circumspicit oculis, hæret ad singula, quæ occurrunt: communes obsidet transitus, superuenientiũ, & forensium gaudet occursu, rumoribus, & sæcularibus verbis hauriẽdis, & referendis intendit. Res sibi non deputatas curiosè reuoluere nõ quiescit Literas etiam alienas, si casu apertas inueniat, inspicere nõ veretur, quas tamẽ licèt apertas, vbilibet inuẽtas; vix aliquis nisi superior licitè inspicit, vel aliis inspiciẽdas exponit Rerũ quoq; apparatus cura superflua curiositatis vitium clamat.] Ecce occupationes otiosorum, in quibus nihil omninò agunt, quoniam nihil sibi aut aliis vtile moliuntur. Sunt hi similes homini, cui ingens auri pondus daretur, quo se, & suam familiã ditaret, & ipse auro contempto magnum onus lapidum, & terræ, suis humeris portandũ imponeret. Sic otiosi seipsos nouitatibus curiositatibus, & vanitatibus, onerant, quæ nec sibi, nec aliis prosunt, imo non modicũ obsunt, & labores vtiles, ac studia fructuosa quæ sunt velut aurũ, & lapides pretiosi contẽnunt. Qui hoc iniquo onere vanitatis se premi sentit, faciat ad excutiendũ eũ, quod fecerunt filij Israel. Illi enim di-

2. Thess. 3. *Gen. 4.* *Isa. 59.* *Bonau. in speculo, par. 1. c. 6.*

A xerunt. Afflixerunt nos Ægyptij & persecuti sunt imponentes onera grauissima. Et clamauimus ad Deum patrum nostrorum, qui exaudiuit nos, & respexit humilitatem nostrã, & laborẽ, atque angustiã, & eduxit nos de Ægypto.] Clament itaque ad Dominum, & postulent ab eo, vt onera desidiæ, & inanium occupationũ tollat, & onus religiosæ disciplinæ eorum humeris imponat. Quod non premit, sed facillimè reficit, ac non sine ingenti vtilitate portatur; est enim iugum Domini suaue, & onus leue.]

Deut. 26. *Mat. 11.*

Sed quibus in rebus tẽpus meæ mortalitatis impendam? In illis certè, quæ tuo statui, & vocationi cõueniant. Nũc attentæ, ac deuotæ meditationi insiste: nunc Dauidicos psalmos, non sola voce, sed & mente decanta, nunc alias pias preces in conspectu
B Domini, & sanctissimæ matris eius, & aliorũ sanctorum ab Ecclesia probatas funde: nunc sacra volumina, aut libellos spirituales qui te moueant, & ad bonum afficiant, euolue: nunc vtilibus sciẽtiis ac disciplinis stude: nũc quæ cõcionaturus es para, vel quæ pœnitentibus dicturus es, iuxta cuiusque captum & qualitatem dispone: Nũc exempla vitæ patrum cõgerito: quibus in communibus colloquiis vtaris: nũc confessiones peccatorum excipe, vel ad consciẽtiæ dubitationes responde: Nũc carcere detentos consolare, vel pauperes morbo laborãtes visita, aut tuis fratribus etiam infirmis libenter inseruias: Nũc scribe, quæ aut tibi, aut aliis quoque proficiãt, vel quo modò in demãdato tibi ministerio te gerere debeas, meditare? Vel saltem si hæc omnia tibi desipiãt, ali-
C quid manualis operis facito, & corporali aliqua exercitatione labora, ita vt nũquã inueniaris otiosus. Ne verò putes temporales occupationes esse à qualitate tui status alienas, quas Patres antiqui sanctitate conspicui ad vitandũ otium admiserunt. Et omnibus hominibus in primo parente dictum est, vt in sudore vultus nostri vescamur pane nostro: nec dedigneris (etiamsi nobilis, etiãsi literatus) ea actione præstare, ad quæ te dãnauit iudicis iusti, & supremi sententia. Certe Hieronymus Rusticum monẽs, virum non contemnendũ, nec humanarum, ac diuinarum disciplinarum ignarũ ad laborem manuũ causa otij vitãdi adhortatur. Facito, inquit, aliquid operis, vt te semper Diabolus inueniat occupatũ. Si Apo-
D stoli habentes potestatẽ de Euangelio viuere, laborabant manibus suis, ne quem grauarent, & aliis tribuebant refrigeria, quorũ pro spiritualibus debebãt metere carnalia: cur tu in vsus tuos cessura non præpares, vel fiscellã texe iunco, vel canistrũ lẽtis plecte viminibus, sarriatur humus, areolæ æquo limite diuidãtur, in quibus cùm olerũ iactu fuerint semina, vel plantæ per ordinẽ positæ aquæ ducãtur irriguæ, vt pulcherrimorum versuum spectator assistas.

Gen. 3. *Hier. epist. 4. ad Rusticum monachũ.*

Ecce supercilio cliuosi tramitis vndam
Elicit, illa cadens raucum per leuia murmur
Saxa ciet, scatebrisq; arentia temperat arua.

Ex Virgilio 1. Georgicor.

Inserantur infructuosæ arbores, vel gemmis, vel surculis, vt paruo post tempore laboris tui dulcia
E poma decerpas. Apum fabricare aluearia, ad quas te mittunt Salomonis prouerbia; & monasteriorum ordinem, ac regiam disciplinam in paruis disce corporibus. Texantur & lina capiendis piscibus, scribantur libri, vt & manus operetur cibum, & animus lectione saturetur. In desideriis est omnis otiosus. Ægyptiorum monasteria hunc morem tenent, vt nullum absque operis labore suscipiant, non tam propter victus necessitatẽ, quàm propter animæ salutem. Ne vagetur perniciosis cogitationibus mẽs, & instar fornicantis Ierusalẽ, omni transeũti diuaricet pedes suos. Hactenus ille. Nec ista antiquorum

religio

religiosorum exercitia, non verò nouorum esse prætendas, quia ego nouus sum, & nōdum senex, & tamē vidi aliquos viros probatissimos, qui hæc in cœnobiis actione præstabant. Vidi, inquam, religiosos sacerdotes, Theologiæ, & sacrarū literarū apprimè doctos, & concionatores insignes, qui interdum coquo cibos paranti seruiebant, & triclinium apparabant, & alia similia nō erubescebāt humilitatis obsequia, vel vt seipsos deiicerent, vel vt ad lectionē & orationē minùs apti, otium & desidiam vitarent. Hos tu sequi nequaquam verearis, sed dū aut legere aut orare, aut animabus prodesse non potes, saltem, in serui corporibus, & tuæ animæ quære profectum.

Illud tamen te admonitum volo, te vitium otiositatis non fugere, si in negotiis vanis, & inutilibus occuperis. Sunt enim aliqui, quos numquā vacāres, & primo aspectu otiosos inuenias, sed qui rebus nihili suæ vitæ tempus impēdunt. Iam libros inutiles, ne dicam prophanos, euoluunt: iam carmina inepta; & nullam ædificationem habentia componunt: iam horologia fabrefaciūt, & sine vllo fructu mathematicorum lineas ducunt: iam negotia sæcularia tractāda suscipiūt: iam principes, & magnates sine vlla necessitate visitant: iā vana, & à suo statu aliena audiūt & dicunt, & quicquid vile est, & religiosæ vocationi dissonum, faciendum admittunt. His tot rebus sæcularibus, ac inutilibus distentis, nūquam tempus suppetit, vt opera religiosa perficiant, & ministeriis sui status congruis intendant. Quod si aliquādo erubescētia tacti ab his infrugiferis supersedeant, & fratres suos in sanctis ministeriis adiuuare aggrediātur, praua consuetudine abrepti, cœpta non peragūt, & statim à bona, quam cœperunt, actione desistunt. Reprehendit eos Dominus per Isaiam, dicens: Væ filij desertores, vt faceretis consilium, & non ex me, & *Isa. 30.* ordiretis telam, & nō per spiritum meum.] Et quidē hanc increpationem merētur, qui statum religiosum occupationibus sæcularibus insistēdo, conuersatione deserunt, & his rebus occupantur, quas nō spirit' Dei exigit, sed spiritus vanitatis instillat. De eo qui horum mores & studia sequitur ait Iob. Non ei placebit vecordia sua, & sicut tela aranearum fiducia *Iob. 8.* eius.] Cuius scilicet virtutem sua studia nō promouent, & in aranearum telis, id est, in negotiis inutilibus ipse confidit. Quæ in die mortis nō plus nec honestius illum, quàm telæ araneārū operient. Hi omnes licèt occupati videantur, reuera otiosi, & desides sunt, quia nō facienda magnis conatibus faciūt, quibus alios fratres cōtristant, & scandalizāt, & faciēda prætermittunt. Tu non imiteris illos, si otium, & desidiam detestaris, sed ea negotia, ea studia gerēda suscipito, quæ religiosæ vocationi congruant, & te in spiritu, & virtute perficiant. Vide, quas occupationes primi patres religionis fundatores admiserunt, diligenter attende quæ negotia, & quæ studia susceperunt, & eadem tu ad vitam vtiliter trāsigendam admitte. Si autem similium operum fructus solent esse similes, his sāctis operibus similis eris patribus tuis, & quam ipsi assequuti sunt sanctitatē, ac perfectionem assequeris. Audi quid dicat Dominus: operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitā *Ioan. 6.* æternā.] Cibus qui perit, occupatio sæcularis est, quā nulla subsequetur merces, & forsitā ipsa periēs suos operatores disperdet. Cib autē, qui permanet in vitā æternā, oratio est, lectio est, profectus animarū est, & omne opus religiosum est, cuius erit merces æterna. Hoc opus operātē nūquā in bonū deseret, sed velut ala illum in cœlestes māsiones subleuabit, & ab ista mortalitate in immortalitatē efferet. Tādē pro certo habe, quicquid tēporis vanis occupationib. aut col-

A loquiis, concedis aut à Deo, quocū conuersari deberes, aut à proximis, quos eras doctrina adiuturus, iniustissimè suffurari.

Religiosus nimias occupationes timeat.

CAPVT XXXVIII.

OMNIA extrema sunt periculosa, quoniam aut vitia sunt, aut ad vitium inclinant, & ab ea, quæ sola expetenda est, & in medio consistit, scilicet à virtute discedunt. Sicut enim in magnas ciuitates via regia itur, à qua, si vel B ad dexteram, vel ad sinistram declinaueris, aut in præceps rues, aut saltem finem itineris non tenebis. ita extremis viuendi rationibus virtus deseritur, & medio itinere perfectionis habitaculum obtinetur. Amatque gratia, quæ ab omnium auctore profecta est, quod amat natura, vt sicut ista mediis delectatur, & extrema horret, nec immoderatum frigus, aut calorem, nec nimiam saturitatem, aut inediam sustinet, ita & illa, quæ ad mediocritatem virtutis cōposita sunt, libenter amplectitur, quæ verò extrema sapiūt, vel apertè mala odio prosequitur, vel vt suspecta, & exposita periculis auersatur. Quare sapienter monet Salomō: Nedeclines ad dexterā, nec ad sinistrā; auerte pedem tuum à malo.] *Prou. 4.* Nam qui viā regiam deserit, & ad dexteram, vel ad sinistram decli- C nare cōstituit, aut in malum culpæ corruit, aut eidem malo sciens, & volēs seipsum exponit. Ideo percussus est Sehon ab Israel, quod Dei populum viam regiam ambulantem impedire decreuit. Misit hic nūcios in hęc verba: Obsecro, vt trāsire mihi liceat per terram tuam, non declinabimus in agros, & vineas, *Num. 21* non bibemus aquas ex puteis, via regia gradiemur, donec trāseamus terminos tuos.] Ille noluit, & percussus est in ore gladij Sehon, qui eradicatio interpretatur, Dæmones nos ad extrema instigantes, & à via regia auertentes designat: quos Dominus manu nostra percutit, & victos in cōspectu nostro prosternit, cum ipsis repugnātibus extrema fugimus, & eorum suasionibus reluctamur. Cùm hoc ita sit, non sola otiositas nobis fugienda est, quæ vnum est virtuti contrarium extremū, sed etiam nimia occupa- D tio, quę ex altera parte virtuti, & discretioni opponitur euitanda. Hæc enim distrahit, sicut illa dissoluit, & sicut otium spiritales vires eneruat, ita negotij nimietas easdē vires paulatim absumit, & alieni robur eius comedunt, qui seipsum nesciens, quæ sūt supra suā facultatē, aggreditur. Et sicut miles plures hostes adorsus, manibus eorū occumbit, sic spiritualis vir plura quàm possit negotio suscipiēs, eorum impetu seu importunitate deperit. Fitque sæpe, vt qui maiora pręsumpsit, eorū curis sollicitudinibusque distractus, impotem se ad minora reperiat. Cuius figuram tenuit ille potentissimus Machabæus, qui ne crimē inferret gloriæ suæ, cum paucissimis viris immēsam *1. Macha.* E hostium multitudinem adoriri nō timuit, à qua fuit miserabiliter interfectus. Sic prorsꝰ, qui nescio quo gloriolæ inanis obtentu, & vt diligēs operarius prædicetur plura, aut maiora audet, quàm sibi diuinitus cōcessæ vires sustineāt, mole tantæ distractionis oppressus solet in foueā, quā non putauerat, imprudēter cadere. Et qui prudentior occupatus multis vtilis foret, imprudenter in plura distentus, in aliis suum casum videntibus scandalum gignit.

Iam hic inutiles, & sæculares occupationes nō cōmemoramus, quas diximus prorsus esse relegandas, sed vtiles, & sanctas dicimus esse discretione metiē-

das

das,ita vt mentē perfectionis auidam nequaquā obruāt,nec internam trāquillitatem,nec spatia orationi,& spirituali lectioni,ac sanctis precibus destinata surripiant Quisque pōderet vires suas,& vocatione suam,ac gratiam sibi datam consideret, & secūdum ea exteriores occupationes admittat: eas scilicet, quas suus spiritus sine perfectionis detrimēto valuerit sustinere. Et sicut nō omnes ad eandem religionē vocati,ad easdem functiones vocantur, vt sit in eodem religionis corpore,necessaria,& pulchra membrorum varietas: ita nec omnibus eiusdē ministerij vna est mensura occupationis indicta. Sed quemadmodum agricultores,] aut fabri non æquali conatu terram subigūt,aut ferrum ictibus domāt,sed vnusquisque pro virium corporalium sibi data mensura: sic & Euāgelij ministri nō possunt semper ad æquales labores applicari,sed pro virium spiritualiū qualitate debent illis distineri. Horum quidem laborum duplex est finis:alter profectus operantis, alter Ecclesiæ militātis vtilitas. In ea itaque mensura sumātur,quæ & Ecclesiæ filiis,& ipsi laboranti proficiāt. Non prosunt autem laboranti labores sui,si vt alios illuminet,seipsum cæcat,si vt alios doceat,ipse religiosam disciplinam dediscit, si vt aliis apponat doctrinæ,seu prædicationis mensam,semetipsum pane orationis,& reliquis exercitationibus spiritum reficiētibus priuat. Imò nec prosunt filiis Ecclesiæ,quos communiter frigidus non calefacit,cæcus nō docet, ignorans nō discit. Quamobrem ipse laborum scopus hortatur,vt labores ipsi sint moderati,& viribus laborantis accommodi. Fili,inquit Ecclesiasticus,ne in multis sint actus tui,& si diues fueris,non eris immunis à delicto: Si enim secutus fueris, non apprehendes,& non effugies,si præcucurreris.] Tunc verò actus tui erunt in multis, cùm vires tuas spirituales excesserint,& te ad tui profectus obliuionē impulerint. Diues quidem eris negotiis,quia non tibi soli, sed aliis etiam sociis sufficient, sed multis scrupulis non carebis, qui tuam conscientiā aliena curantē, & seipsam negligentē instimulēt. Si hac ratione insequutus fueris honorem,illū proculdubio non apprehēdes, quia sēper videbis homines vniuersa negotia indiscretè curātes detractionibus laceratos. Et si animo fugiendi paupertatē virtutis, supra tuas vires cursum negotiorum acceperis, eam sine dubio nō effugies. Iā iterum hic dolus feliciter aduersario successit,dum nisus est filios Israel à cultu Dei omnipotentis abducere. Opprimātur operibus, inquit Pharao,à Dæmone incitatus,& expleant ea, vt non acquiescant verbis mendacibus.] Et iterū: Vacatis otio,& id circo dicitis. Eamus, & sacrificem° Domino. Ite ergo & operamini paleæ non dabūtur vobis, & reddetis consuetū numerū laterū: ô egregiam regis prudentiam quę cultum Creatoris impediat. Populus ad quærēdas paleas adigitur, & ab illo idē laterū pensum exigitur,vt laboribus, & iniuriis oneratus curā sacrificandi deponat! Eadem, ô religiose, diabolus te arte deludit. Ad quærendas paleas negotiorum sæcularium te mouet,& numerum quotidie occupationum externarū adauget.ne Ægyptū,quem statu deseruisti,cōuersatione deseras,& ne ob cultū Dei, & perfectionis amorem,à vita tepida,& distracta discedas. Tu verò occultam aduersarij astutiam agnoscens,ei prudentiæ scutum oppones,& vulnus distractionis,& duriti ei cordis illius præcepti obseruatione vitabis,quo dicitur: Sex dieb° operaberis,die septimo cessabis arare,& metere.] Si enim mandatū illud ad mysticā,& spiritualē intelligētiā efferas, intelliges quamlibet diem ita esse diuidendā, vt in ea certę,ac determinatę horæ actioni,& labori:& aliæ

Eccl. 32. *Exod. 5.* *Exo. 34.*

tranquilliores orationi,& lectioni dedicētur. Ita fiet vt dies festus,id est,hora destinata orationi,robur ad operandum,& fructum ex labore metēdum, impetret,& dies laboris,id est,hora occupationi dicata,tēpus orationis,vt diē quietis, & vacationis expectet.

Nón est tamen omnino facile mensurā vtilis occupationis inuenire,quā si animus feruid° ex semetipso metiatur,supra mediocritatē protelabit, si verò animus tepidus,& orationis inimicus ex suo affectu consideret, vix aliquando horam ad laborandū, & aliquid extremum faciendum inueniet. Nónullis ergo documentis ex propria experientia desumptis aperiēdum est,quæ sit spiritui & proximis vtilis occupationis,atque apta mēsura. Ac istorū primum sit, quod supra tetigimus,actiones religiosas nūc ad horam nunc ad tempus longum à Prælato mādari. Ad horam quidem,vt si ad habendam cōcionem, ad excipiendam ægroti confessionem, ad aliquod negotiū vtile cœnobio gerendū mittaris:ad tēpus verò lōgū vt si religiosorum prælatus,aut lector,aut concionator,aut cōfessarius efficiaris. Occupationes illæ, quæ nūc in hac hora præcipiuntur, nunc sine vlla mora, aut tergiuersatione præstādę sunt,nec orationis, aut lectionis prætextu refutandæ. Absurdum enim esset, si prælato aliquid præcipienti responderes,nūc tempus orationis,aut lectionis instare,ac propterea te nō posse iussa complere. Illæ verò occupationes,quæ ad longum tempus præcipiuntur, ita disponendæ sunt, vt nec spiritum obruant,nec animum distrahāt, nec spatia necessaria orationi mentali, horis canonicis rite persoluendis,sacrificio missæ deuotè offerendo, spiritualis libelli affectum mouenti lectioni, & aliis similibus adimant. Nam si velis teipsum ita aut prælationis,aut doctrinæ munere suffocare,vt te totum, & omnes vitæ dies proximis tradas, & nihil tibi reserues,similis eris naui, quæ vt aliam à naufragio liberet,se ipsā implacabilibus vndis maris submergit. Porrò id nec prudentia dictat, nec charitas sustinet nec obedientia petit? Prudētia enim dictat,vt primo loco nos liberemus: charitas, vt nos sicut & proximos, imò & illos sicut nos, & non plus quam nos diligamus: obedientia verò,& religiosa professio,ne colore vtilitatis proximorum nosipsos vlla imperfectione fuscemus. Nulla profectò est in Ecclesia Dei aut maior,aut vtilior,aut sublimior occupatio ea,quā summus Pōtifex,& Christi in terris vicarius supportat. Hæc autem ita à capite totius Ecclesiæ moderāda est, vt sibi nec tempus orandi, nec cōsiderādi, nec seipsum poliēdi surripiat. Vnde Bernardus Eugeniū Pontificē alloquens,& in eo, omnęs curā animarū habentes erudiens,ita ait: Si quod viuis,& sapis,totū das actioni,cōsiderationi,nihil laudo te,in hoc non laudo. Puto quod & nemo,qui à Salomone audierit: Qui minoratur actu,percipiet sapiētiam. Certè nec ipsi actioni expedit,cōsideratione non præueniri. Si item totus vis esse omniū, instar illius, qui omnibus omnia factus est] laudo humanitatem, sed si plena sit. Quomodò autē plena,te excluso? Et tu homo es. Ergo vt integra sit,& plena humanitas,colligat & te intra se sinus, qui omnes recipit. Aliqui quid tibi prodest,iuxta Verbū Domini, si vniuersos lucreris, te vnū perdens.] Quāobrem,cùm omnes te habeāt, esto etiam tu ex habētibus vnus. Quid solus fraudaris munere tui? vsquequo vadens spiritus,& non rediens? vsquequo non recipis te,& ipse inter alios vice tua? Sapientibus & insipientibus debitores & solus negas te tibi? stultus,& sapiens, seruus, & liber, diues,& pauper,vir,& fœmina,senex,& iuuenis,clericus,& laicus,& iustus,& impi°,omnes pariter participāt te,omnes de fōte publico bibūt pectore tuo,

Ber. 1 de consideratione. *Eccl. 38.* *1. Cor. 9.* *Matt. 16* *Prov. 5.*

& tu seorsum sitiés stabis?] Si maledictus, qui partẽ suam facit deteriorem, quid ille, qui se penitus redit expertem? Sanè deriuentur aquæ tuæ in plateas, homines, & iuméta, & pecora bibãt ex eis, quin & camelis pueri Abrahæ potũ tribuas, sed inter cæteros bibe tu de fonte putei tui. Alienus, inquit, nõ bibat ex eo. Nunquid tu alienus? cui non alienus, si tibi es? Denique qui sibi nequã, cui bonus? Meméto proinde nõ dico semper, non dico sæpe, sed vel interdum reddere teipsum tibi.] Hæc omnia, & plura alia Bernardus. Quæ profectò vel saxa ipsa, aut pectora ferrea suscitabunt. Si enim ita ad orationem, & ad sui profectum vrgetur caput Ecclesiæ, ex quo salus vniuersorũ fideliũ depẽdet, quonã modo nos ad curam animarum nostrarum & studium orationis hortãdi sumus, qui siue doceamus, siue non doceamus, siue ratiocinemur siue non ratiocinemur, scribamus siue non scribamus, nullam aut exiguam proximis iacturam faciemus? Imò caput Ecclesiæ acrioribus stimulis fuit vrgendus, quoniam si ipse sibimet desit, omnibus proculdubio deficiet, & ideo quò quisque maior est, & vtilior fidelibus, actiùs est ad sui profectum exhortãdus, quoniam plures sitim patiẽtur, si seipsum vas doctrinæ magnum effundat. Id est dicere, quòd qui maioribus donis est præditus, quibus multos possit conuertere, & in via salutis erudire, si seipsum negligat, & suam salutem postmittat, maius Ecclesiæ afferet detrimentum. Nam spiritus vacuus, est si multũ loquatur, & disertè satis de rebus cœlestib. sermocinetur, nõ poterit alios spiritu replere, nec virtutis indigus alios virtute ditare.

Sed quod temporis spatium ex piis & vtilibus occupationibus quisque sibi suffurabitur? illud certè, quod obseruantiæ religiosæ, & proprij cordis tranquillitati, & feruori abundè sufficiat. Nam propter externas actiones (nisi aliquando vna vel altera magni mométi vrgeat) orationem, & lectionem, & examinationem conscientiæ, & cæteras obseruãtias cõmunes abijcere, signum euidens est animi, non salutem animarum quærentis, sed orationis, & disciplinæ religiosæ laborem vitantis. Sed vltra hæc, quæ omnibus religiosis sunt communia, vnusquisque illud tempus meditationi & lectioni tribuat, quod sibi ad spiritualiter viuendum, & feruorem cordis seruandũ satis esse videatur. Id verò nõ possumus certiori alia regula definire, nisi quòd quisque suum spiritum cõsulat, & Prælati, aut patris spiritualis ductum sequatur, & à Domino lumen ad ipsius diuinam voluntatem cognoscendam requirat. Sicut enim pro magnitudine aut exilitate naturalis caloris maior, aut minor quantitas cibi necessaria est ad vitam naturalem conseruandam; ita pro maiori aut minori vehementia passionum, & pro impedimentorum qualitate, siue à vitiosa consuetudine, siue ab alia radice prouenientium, necesse est ampliùs aut minùs spiritualis cibi, scilicet orationis, & lectionis ad vitam spiritualem seruandam, & feruorem augendum ingerere. Nec credamus Dæmoni suadenti aliquot horis ad nos perficiendos sublatis, muneri nobis demandato ritè obeundo parum temporis superesse, illud enim Deo faciẽte, & iuuante satis superque sufficiet. Ad hoc hortatur Dauid, dicẽs. Iacta super Dominum curam tuam, & ipse te enutriet, & non dabit in æternum fluctuationem iusto.] Nam profectò ille iactat super Dominum curam suam, qui tranquillè cultui eius, & profectui suæ mentis intendit, fidens se ob hanc causam proximis non defuturum, imò multò meliùs & efficaciùs profuturum. Hunc enutriet Dominus, id est, ad multa, ac mirabilia facienda roborabit, & ab omni confusione potenter eripiet. Et id quidem secundum altiorem sensum, mihi videtur in Leuitico promisisse dum ait: Quòd si dixeris: Quid comedemus anno septimo, si non seuerimus, neque collegerimus fruges nostras? Dabo benedictionem meã vobis anno sexto, & faciet fructus triũ annorum.] Si enim annus septimus, tempus quieti, & diuino cultui destinatum, & annus sextus tempus labori, & occupationi dicatũ significat, quid est pro requie septimi anni fructus triũ annorũ in anno sexto promittere, nisi his, qui Deo fidunt, & primò quærunt regnũ Dei & iustitiam eius, triplicatum ex suo labore fructum polliceri. Et sanè quod ratio, & Scriptura docet, experientia demonstrat. Attende enim eos, qui saluti animarum vacãt, & videbis eos, qui sibi consulunt, & secũ & cũ proximis horas moderatè patiuntur, esse vtilissimos, & cum magno sui, & aliorum emolumento aut confessiones excipere, aut docere, aut negotia spiritualia tractare, illos verò, qui sine vlla mensurã seipsos effundunt, esse prorsus inutiles, & nõ semel offendere malis exemplis, quos iuuare, & viam virtutis docere debuerant. Quod autem de his dicimus, de omnibus aliis intelligẽdum est, quos cura rerum temporaliũ tenet, qui profectò dum sibimet intendunt, Deo faciente, in rebus temporalibus felices successus accipiunt, dum verò suæ animæ salutẽ contemnunt, etiã in rebus, quas tractant, suo desiderio frustrantur. Quid plura? Sanctorum Patrum vitas considera, & eos doctrinam istam opere expleuisse perspicies. Isti enim ita externis occupationibus ob Dei gloriam assumptis institerunt, vt semper eas prudentia dirigerent, & cura orationis, & propriæ perfectionis cohiberent, ne qui aliis præsto erant, sibi ipsis deficerent. Nec desunt quàm plurimi in modernis temporibus, qui hanc sanctorum antiquorum viam ingrediantur, & per eam ambulantes non communem aliquam virtutem, sed eximiam perfectionem consequentur. Et (vt nunc vnum, aut alterum meorum fratrum exemplum attingam) & certè possem innumera in medium proferre, noui ego Theologiæ lectorem quatuor horis quotidie orationi mentali vacantem, & missæ sacrificium, ac horas canonicas satis deuotè, ac quietè persoluentem. Noui & prælatum magni collegij, qui duabus horis quotidie orationi mentali vacabat, & tres alias horas pro spirituali lectione, & aliis rebus diuini cultus præsumebat. Noui & concionatores inter lectionem non librorum inanium, sed scripturæ, & sanctorum Patrum, & prolixam ac feruidam orationem totam suam vitam ferè æquis partibus diuidẽtes. Noui & confessarios, qui moderato casuum conscientiæ studio & innumeris cõfessionibus istorum neophytorum audiendis, se gnauiter occupabant, & quotidie tribus, aut quatuor horis in orationem incũbebãt. Hi autem quãto fructu legerint, ac gubernauerint, & quàm incredibili animarum emolumento eas ad fidem, & ad bonos mores traduxerint, non est præsẽtis disputationis dicere. Sed facile est intelligere pium Dominum instrumentis sibi per orationem & puritatem vitæ coniunctis libentissimè vti eosque non solùm ad propriam perfectionem, sed etiam ad aliorum profectum mirum in modum adiuuare.

Non sufficit verò rebus exterioribus, hũc, quem diximus, modum imponere, & ab illa horarum spatia ad nosipsos perficiẽdos oratione & lectione subtrahere, nisi etiam externæ occupationis tempore mentem nostram, quantũ possibilitas nostra valuerit, in vnum collectam, tranquillam & pacatam habeamus. Nam qui seipsum cura externæ actionis inquietat, & vires animæ turbat, non poterit orationis

tempore

tempore debitam tranquillitatē tenere, & vanis rerum imaginibus mentem ad Deum contemplandū exuere. Imò aliqui in tantùm, piis curis & sollitudinibus distrahuntur, vt paulatim seipsos efficiant, & quietis impatientes, & silētij ac lectionis osores, & omnis orationis ac contemplationis expertes. Quod quidem non fecit externa occupatio, quę prudenter admissa, solet miro modo ad orationem disponere, & deuotionis affectum excitare, sed eiusdē actionis sine studio tranquillitatis acceptio. Suntque homines isti, qui curis externis immoderatè distrahunt, si bene considerentur, superbi, & sibiipsis præfidentes, & non in Deum spem suam collocantes, & ideo putant, immoderata cura, & assiduis rerum, quas tractant, cogitationibus, se rebus prosperum finem daturos, & magnum nomen, aut Prælatorum, aut concionatorum adepturos. Non ita se gerāt, qui ad perfectionem aspirant, sed in Deo omnem fiduciā suā constituentes, suauiter & tranquillè omnia suæ curę demandata disponant. Imitentur illum, de quo scri-

Sapiēt.12. ptum est: Tu autem dominator virtutis, cum tranquillitate iudicas, & cum magna reuerentia disponis nos: subest enim tibi, cū volueris, posse.] Quod

Grego.18 mor.c.29. proprium esse virorum spiritualiū, Gregorius docet his verbis: Cùm occupationes extrinsecùs perstrepunt, intrinsecùs in amore pacatissima quies tenetur, atque occupationem tumultus exteriùs perstrepentis dispensat, interiùs præsidens iudex ratio, & tranquillo moderamine, & quæ circa se minùs sunt tranquilla disponit. Sicut enim vigor mentis frænādis præest motibus carnis, sic sæpe superimpositos tumultus occupationis bene regit amor quietis: quia exteriores curæ si peruerso amore non appetuntur, nō confuso, sed ordinato animo ministrari queunt]

Daniel. 6 Et ita sanè ministrabat Daniel, & curas magnas non vnius, sed multorum regnorum gerebat; qui ingressus domum suam, & fenestris apertis in cœnaculo suo, contra Ierusalem tribus temporibus in die flectebat genua, & adorabat, confitebaturq; corā Deo

Psal.118. suo. Sic & Dauid, qui rex potentissimus, & bellator fortissimus de seipso dicit: Septies in die laudem di-

2. Corint. 11. xi tibi, propter iudicia iustitiæ tuæ.] Sic & Paulus, cuius instantia quotidiana sollicitudo omnium Ec-

Philip. 3. clesiarū, & tamen ait: Nostra conuersatio in cœlis est.] Sic & Ioannes, qui totas Asię rexit Ecclesias, & tamen tanta animi tranquillitate fruebatur, vt fuerit ad diuinas reuelationes suscipiendas, & cœlestia mysteria cognoscēda subuectus. Pusilli quidem animi est, rerum externarum cura distendi, & eorum quæ sibi iniungitur, occupatione turbari. Hanc pusillitatem summis conatibus euincamus, & sicut Dominus inter turbas ipsum comprimentes, ita & inter occupationes irruentes, quieti & tranquilli esse curemus. Ista enim actionum externarum moderatione retenta, & in eis ista tranquillitate seruata, earum curis immoderatis non fœdabimur, sed mirabiliter proficiemus.

Religiosus appetitum sciendi moderetur.

CAPVT XXXIX.

DOCVMENTVM, cui nunc initium damus, nō omnes alloquitur, sed eos dūtaxat, qui immoderato sciētiarū amore tenētur: multi enim sūt etiā in cœtibus religiosis, adeo stupidi, & bonorū artiū ac vtilium disciplinarū appetitu vacui, vt potiùs debeāt ad sciēdi desideriū excitari. Hos breui sermone rogam⁹, ne rebus externis, aut noxiæ otiositati ita se tradant, vt hanc præstātissimā occupationē, & pro-

A priam hominis deserāt, quæ & optimum sui, scilicet mentem perficiūt, & aliis hominibus se quàm vtilissimos reddunt. Nam scriptum est: Quia tu scientiam repulisti, repellā te ne sacerdotio fūgaris mihi.] Nec Osee 4.
dign⁹ est ad sacrū Dei altare procedere, nec cœlestia tractare mysteria, nec in via cœli proximis ministrare, qui in statu sacerdotali constitutus, ignorationē & cæcitatē amplectitur, & cùm sit Ecclesiæ oculus, in perpetua caligine & obscuritate versatur. Quare quilibet religiosus pro modulo suo (neq; enim vniuersi ad scientiarū profunditatem apti sunt) ita vitam suam (obedientia nō contradicente) disponat, vt bonam eius partem in vtilium disciplinarum, & sacrarum literarum, ac antiquorum Patrū lectionem im-

B pendat. Hoc enim studio, & ætatē suam vtiliter trāsiget, & intra semetipsum mirabiles omnis virtutis stimulos sentiet, & alios doctrina ad omnia sanctitatis amorē accendet. Nunc ergo solos sciendi studiosos alloquimur (nā ignorātes alio loco monebimus) & hi, illud prouerbium, ne quid nimis.] memoria teneāt, necesse est. Si enim scriptura dicit: Noli esse iustus multùm] quasi in ipsa executione iustitiæ possit esse nimius rigor: quantò magis diceret, noli esse nimium sciens, siquidem scientia non iam vt iustitia nos bonos simpliciter facit, sed ea ratione quærenda est, qua nos ad iustitiam ac bonitatem disponit. Dixit profectò, & noli esse nimiùm sciens in illis verbis, quę sequūtur, & non plus sapias, quā necesse

Ter. in Andria
Eccl 7.

C est, ne obtupescas:] Et in illo etiā, quod dicit Paulus: Non plus sapere, quàm oportet sapere, sed sapere ad sobrietatē] Est nāq; spiritualis quædam ebrietas à nimietate scientiæ proueniens, quæ solet vehementiùs & perniciosiùs, quàm vinū, sensum ac mentem subuertere, & hominem vera rerū æstimatione priuare. Fitque miro modo, vt lux mentem cæcet, & scientia dementet, & rerū cognitio affectum obdurct. Imò id mirū non est: nam immoderata lux luminibus infirmis obiecta, solet eos perpetua caligine obruere, & vinum corpus roborans, sine mensura sobrietatis ingestum, solet corporis compagem dissoluere, & amor concubinæ non semel consueuit amorem legitimæ coniugis ablegare. Scientia autē, quæ pedissequa est charitatis, in concubinā hominis Rom. 11

D vertitur, cùm virtuti anteponitur, & immoderatis affectibus adamatur. Vnde scientia diligenda est, sed moderatè diligenda, & discreta quædā sobrietas in eius acquisitione seruanda, vt nō plusquam oportet sapiētes vsque ad damnū virtutis procedamus. Hæc sola, vt sponsa, vult diligi, & vt vxor, adamari, quæ se iniuria affectam putat, si iustus ob amorem sciētiæ, vel tantillum ab eius dilectione & affectu desciscat. Et verè sciētiam immoderatè diligens, à virtutis solet amore, & studio discedere, quoniam illa sine frænō discretionis accepta, animum, plusquam dici possit, à sui cognitione distrahit, & quem moderata ad salutem deprimit, immoderata ad morbum distendit, & affectum obdurat, quem emollire debue-

Rom.1.

E rat. Quantùm à sui cognitione animum distrahat, in illis, sapiētibus antiquis perspici potest, de quib⁹ inquit Paulus: Et obscuratum est insipiens cor eorum: dicētes enim se esse sapiētes, stulti facti sunt.] Quænam fuit causa huius obscuritatis & stultitiæ sapiētū, nisi scientia non debita ratione quæsita, qua, cùm cognouissent Deum, nō sicut Deum glorificauerūt, aut gratias egerūt, sed euanuerunt in cogitationibus suis?] Quantùm verò superbiæ cogitatio inflet, angelus ille primus ostēdit suorum donorum notione distentus, & ob superbiā deiectione confusus. Quātùm tādem obduret voluntatis affectum, docet ipsa natura, quæ si per vnum riuulum deriuat totam

A aquã purissimi fontis,nihil humoris aliis riuulis impartiendũ relinquit. Ita si scientia,& speculatio omnes vires mẽtis exhauriat,nihil habet animus, quod ad pascendam & rigandam voluntatem effundat.

Si ergo appetitus sciendi moderãdus est,dicamus, in quo consistat ista moderatio, vt eam perfectionis desiderio ad actionem referamus. Et mihi quidem hanc rem attentè cogitanti in tribus videtur constituta.scilicet in rebus.quæ addiscẽdæ sunt, & in modo,quo sunt addiscẽdæ,& in tempore, quod intellectui perficiendo sine vllo detrimento virtutis est cõcedendum. Vt autem religiosus amator perfectionis (hunc enim instruimus)sciat,quid ab ipso addiscendum:& sciendum sit,illud cõstituamus.scientias humanas nõ esse ab Ecclesia negligendas,ex quibus ad rerum diuinarum cognitionẽ non minimũ aliquando emolumẽtum decerpit Dauid enim, vt libro Paralipomenõ scriptũ est, tulit pharetras aureas, quas habuerant serui Adarezer,& attulit eas in Ierusalẽ.] In Dauide,Christũ,in Adarezere, qui interpretatur decorũ auxiliũ,gentilitatem, in pharetris seruorum eius dogmata philosophorum,quæ liberalibus artibus cõtinentur,per mysteriũ intelligimus.Has igitur pharetras Christus in Hierosolymam infert, cũ humanas scientias,ad expugnandos errores, & confirmandam veritatem intra sanctam Ecclesiam admittit. Israëlitæ quoque ex præcepto Domini petierunt ab Ægyptiis vasa aurea & argẽtea, plurimamq; supellectilem,quam illis numquã reddiderunt, sed ad suos vsus in terram promissam reportarunt.Quo signatum est.nos,qui ex gentilitate in verum Dei cultum,& ex mendaciis in veritatem, & ex tenebris in lucem transiati sumus, iure posse quicquid Philosophi, & oratores pretiosum habuerunt, ad nostram vtilitatem & scripturæ interpretationẽ assumere. & nobiscum in gremium Ecclesiæ transferre.Et sic interpretatur hunc locum Augustinus, dicens: Sicut Ægyptij non solùm idola habebãt, & onera grauia, quæ populus Israël detestaretur,& fugeret, sed etiã vasa,atque ornamenta de auro,& argẽto,& vestem, quæ ille populus exiens de Ægypto,sibi potius tam quam ad vsum meliorem clanculò vendicauit, non auctoritate propria,sed præcepto Dei ipsis Ægyptiis nescienter commendãtibus ea,quibus nõ bene vtebãtur,sic doctrinæ omnes gentiliũ,non solùm simulata & superstitiosa figmẽta grauesq; sarcinas superuacanei laboris habent,quæ vnusquisq; nostrũ duce Christo de societate gentilium exiens debet abominari,atq; deuitare. sed etiã liberales disciplinas vsui veritatis aptiores,& quædã morum præcepta vtilissima continent,deq; ipso vno Deo colendo nõnulla vera inueniuntur apud eos,quod eorũ,tamquam aurum,& argentum,quod non ipsi instituerunt, sed de quibusdã quasi metallis diuinæ prouidẽtiæ,quæ vbique infusa est,eruerũt,&quo peruersè atq; iniuriosè ad obsequia dæmonum abutũtur, cùm ab eorũ misera societate sese animo separat,debet ab eis auferre Christianus ad vsum iustum prædicãdi Euangelij. Vestem quoq; illorũ,id est,hominum quidem instituta,sed tamẽ accommodata humanæ societati, qua in hac vita carere nõ possimus,accipere,atq; habere licuerit in vsum cõuertẽda Christianũ.] Quo etiam notante cognoscimus antiquos Ecclesiæ Patres hoc disciplinarũ genus non refugisse.Nã (vt nũc Mosem taceamus,de quo scriptũ est:Et eruditus est Moyses omni sapientia Ægyptiorũ)certè Beatus Cyprianus, Lactantius,Victorinus,Optatus, Hilarius. Hieronymus.& ipse Augustinus, vterque Gregorius Naziãzenus,& Nissenus,Basilius,& alij innumerabiles nõ pauperes humanarũ disciplinarũ ad Ecclesiã venerunt,nec illas iam bõuersi ad fidem cõtempserũt,sed aliquando ad res diuinas illustrandas vsurparunt.Et quemadmodum Iudas fortissimus Machabæus, gladium Apollonij abstulit hostis Iudæorũ acerrimi,& erat pugnans in eo omnibus diebus, ita antiqui, & noui Ecclesiæ Doctores,gladiũ gentilium, nimirum sciẽtias humanas,in suũ vsum abstulerũt,& illis nũc aduersus omne genus infidelitatis pugnãt. & elapsis tẽporibus non sine magna laude pugnarũt. Meritò autẽ id faciũt.quoniã humanæ disciplinæ per se bonæ sũt,quare debẽt sapiẽtiæ diuinæ seruire:& quicquid eloquẽtiæ est.quicquid subtilitatis in disputãdo iuste in diuinæ cognitionis obsequium impenditur, propter quod & Philosophis à Deo cõcessum, & in Ecclesiam translatum est.Et quia eloquẽtia & historia & aliæ humanæ disciplinæ,arma sũt paganorũ, nos illas prudẽter assumimus, vt sicut Dauid Philisthæũ proprio gladio percussit. Ita & nos doctrinas falsas aduersùs fidẽ insurgẽtes ipsarum gladio iugulemus.

1.Par al. 18. — *Exod. 13.* — *Aug. 2. de doctrina Christiana. c. 40.* — *1. Mac. 3.* — *1. Reg. 17.* — *Eccles. 3.*

B

Sed omnia tempus habent,& suis spatiis transeunt vniuersa sub cœlo:]& has rerũ infimarũ disciplinas nõ esse cõmuniter vltra tẽpus adolescentiæ protrahendas certissimũ est.Nũc illos excipimus, qui humaniores literas ex obediẽtia profitẽtur,quos ab illis abducere,nec volumus,nec valemus,quos charitas & obediẽtia & Dei volũtas,& adolescẽtiũ necessitas,qui ad sacrã scientiã addiscendam se parant ad hoc genus studij cõtinuãdum astrinxit.Ad illos igitur sermo noster dirigitur, qui eam misericordiam à Domino perceperunt,vt ad studia Theologiæ,& sacrarum literarũ,& ad munus docẽdi & concionandi vocarentur.Ex his nõ paucos nostra ætate video litoris gentiliũ nimis addictos, qui sepositis sacrorum bibliorum voluminibus,& sãctorũ Patrum cõmentationib⁹,nescio quas antiquorũ poëtarum fabellas euoluũt,& sentẽtias Philosophorũ memoriæ commendãt,historias prophanas legũt,& perlegunt, & more puerorũ,qui in schola eloquẽtiæ ludunt, hæc omnia in pulpitis ad populũ sacræ doctrinæ auidum prædicare nõ erubescũt Alios videas palati infirmiores,qui vulgares libellos mille dicteriis & vanitatib⁹ plenos,manibus terunt,curiosis oculis circũspiciũt, vt ex illis nõ more Apostolorũ,sed ad imitationem histrionũ. & parasitorũ aliquid facetum, & putrido sale cõditum.quod populo proponãt,ipsi decerpant. Et iam in bibliothecis multorum,qui se Theologos vocãt,Augustin⁹,Hieronymus,Gregorius, Ambrosius,& reliqui Patres ad ornatũ dũtaxat quæruntur; Poëtæ verò,& gẽtiles philosophi,& prophanæ Græcorũ,& Latinorũ historiæ,& libri curiositatũ & vanitatum referti,ad occupationẽ comparantur. Illi in suggestu,& in cõmuni conuersatione tacent,isti loquuntur; illi ab hominũ memoria deleti quiescunt, isti imprudẽter se sacris cõcionibus ingerũt:illi quos Deus ad docendum elegit. reiecti,isti quos Ecclesia vix pro adolescẽtium primis tyrociniis permittit,ad docẽdum admissi sunt. Quasi verò apud fideles plus valeat Ouidius, quàm Paulus, & efficaciùs moueat Tullius,quàm Euangeliũ,& maiorẽ auctoritatẽ habeat Homerus aut Seneca,quã Spiritus sanctus. qui sacras Scripturas dictauit, & cõmuniter in Ecclesiæ doctoribus loquutus est.Et quidem hos prophanos auctores aliquãdo citare,& quæ adolescẽtia didicimus semel aut iterũ ad memoriã reducere esset tolerabile,imò ab omni reprehensione excusabile,quod Patres antiqui fecerũt,sed hæc viros,& senes,atque grandæuos post studia sacrarum literarũ legere.hæc cogitare hæc prędicanda disponere.hæc in fidelium cœtibus diebus singulis effutire, nescio quam possit excusationem admittere.Nam si esset lugenda irre-

C

D

E

Actor. 7.

uerentia, in altari Dei, in quo ei sacrificiū offerimus, A primo loco Christi imaginem, & statim figurā Cæsaris; post illam, imaginem Beatæ Virginis, & consequenter Veneris simulachrum, & eodē ordine imagines Petri, & Pompeij, Pauli, & Heliogabali, vnius sācti, & vnius histrionis ponere, & sacra prophanis cōtexere, quare nō erit grauis culpa in Ecclesia, vbi Christum audituri conuenimus, nūc Christum, nūc Ouidium citare, nunc Paulum, & post illum Nasonem adducere, & eadē serie narrationis prophetas, & poëtas, Euāgelistas, & philosophos, sāctos, & histriones, & parasitorum dicta proferre? At hoc, inquitis, facimus, vt Scripturas interpretemur. Sed scripturæ sanctissimæ his ad sui interpretationem non indigent, sine quibus sancti Ecclesiæ Doctores eas explanarunt. B Et sicut aurum stanno, & plumbo, & aliis infimis metallis non purgatur, sed inficitur, ita Scriptura sacra his poëtarum historicorum prophanorum dictis, nō explicatur, sed inuoluitur, & fuscatur. At facimus, vt populum ad audiēdam sacrā doctrinam inuitemus, & his tamquā condimētis mulceamus. Quasi verò Ecclesia in ipsa sacra Scriptura & in Patribus suauissima condimenta non habeat, & his vilissimis salsamētis indigeat. Pro mēsa rudis agricolæ condimētū ex allio paratur, sed pro mēsa regis allium reprobatur, & condimētū ex pipere & sacraro, ex cinnamomo, & ex similibus palato suauibus, & pretiosis apponitur. Et sacra concio mēsa summi regis est, ad quam fideles sacrā doctrinam esuriētes, & C sitiētes inuitat, quare vos in ea cōdiméta seruorum, id est, dicta gētiliū apponitis, nisi quia Scripturæ sacræ suauitatem ignoratis? Sed esto hæc condimenta sint sacra cōcione digna, sint tamē condimenta, non panis, sint salsaméta, nō cibus, & vt talia, quā moderatissimè apponātur, licèt melius & Deo accepti⁹ esset (vt credo) hęc aliena, & extranea nūquā apponere.

Modū peuè huius tractationis excessimus, in qua non quid sacræ doctrinæ proponendę congruat, sed quid animabus perfectionem sitientium conueniat, ex instituto tractamus. Sciant tamen hi, istis prophanis studiis maximam sanctæ Ecclesiæ, & cōuersioni fidelium iacturā afferre (quod alio loco ex professo dicemus) & suæ mentis puritati, ac perfectioni mirum in modum officere. Hæc enim studia in viris religiosis, & doctrinam sacram profitētibus, D & Deo displicent, & à sacris literis auocant, quæ lectæ & meditatæ mentem emundant, & dum vana legimus, & memoriæ commendamus tranquillitatem & sanctitatem mentis imaginibus vanis, quæ eam fœdant, aspergimus. Quomodo enim placebit Deo mēs, quæ sacrarium est Spiritus sancti sæcularibus carminibus plena, historiis referta gentilium, & sentētiis inutilibus prophanorum imbuta? Si duo

Gen. 25. fratres in vtero Rebeccæ pugnabāt, & in visceribus matris collidebantur, ita vt ipsa diceret: Si sic mihi futurum erat, quid necesse fuit concipere,] quid facient in mente spiritualis viri duæ nō germanæ, sed diuersæ doctrinæ, quarum vna ad cœlum vocat, altera verò in terrena, & abiecta demergit? Si arca Dei

1. Reg. 5 idolum Dagon nequaquam iuxta se manere sustinuit, E sed illud abscissis manibus, & capite trūcatum in solum deiecit, quo pacto sacrorum cognitio in Christiano, & religioso corde, incest⁹, & iniquitates falsorum Deorum, & lasciua poëmata, & vana poëtarum figmenta, secum patienter sustinebit? Si non

2. Cor. 6. est participatio iustitiæ cum iniquitate, nec societas lucis ad tenebras, nec cōuentio Christi ad Belial, aut pars fidelis cum infideli,] quid facit cū Psalterio Horatius, cum Euāgeliis Maro, cum Apostolis Cicero, & alij libri in immensum vaniores, quos non amor eloquentiæ potest obtegere, sed apertum vitium curiositatis damnare: Profectò hāc sacrorum, prophanorumq; mixtionē Domino displicere Hieronymi historia satis euidenter probat, quam licet communem, & omnibus notam nō prætermitto his scriptis inserere. Referam tibi, inquit ad Eustochiam Virginem, meæ infelicitatis historiam. Cùm ante annos plurimos, domo, parētibus, sorore, cognatis, & quod his difficilius est, cōsuetudine lautioris cibi propter cœlorū me regna castrassem, & Hierosolymā militaturus pergerē, bibliotheca, quā mihi Romæ summo studio, ac labore confeceram, carere omnino nō poteram. Itaque miser ego, lecturus Tullium, ieiunabam, post noctium crebras vigilias, post lacrymas, quas mihi præteritorum recordatio peccatorum, ex imis visceribus eruebat, Plautus sumebatur in manus, si quando, in memetipsum reuersus, Prophetas legere cœpissem, sermo horrebat incultus, & quia lumen cæcis oculis nō videbā, nō oculorum putabā culpā esse, sed solis. Dū ita me antiquus serpēs illuderet, in media fermè quadragesima medullis infusa febris corpus inuasit exhaustum, & sine vlla requie, quod dictu quoq; incredibile sit, sic infelicia mēbra depasta est, vt ossibus vix hærerem: Interim parantur exequiæ, & vitalis animæ calor, toto frigescēte iam corpore, in solo tantū tepēte pectusculo palpitabat: Cū subitò raptus in spiritu ad tribunal iudicis pertrahor, vbi tantùm luminis, & tantùm erat ex circūstantium claritate fulgoris, vt proiectus in terrā sursum aspicere nō auderē: Interrogatus de cōditione, Christianum me esse respōdi. Et ille, qui præsidebat, Mentiris, ait: Ciceronianus es, non Christianus, vbi enim thesaurus tuus, ibi & cor tuū. Illico obmuti, & inter verbera (nā cædi me iusserat) cōscientiæ magis igne torquebar, illū mecum versiculum reputans: in inferno autē quis confitebitur tibi? Clamare autem cœpi, & eiulās dicere: Miserere mei Domine, miserere mei. Hæc vox inter flagella resonabat. Tandem ad præsidentis genua prouoluti, qui adstabāt, precabātur, vt veniam tribueret adolescētiæ, & errori locum pœnitentiæ cōmodaret, exacturus deinde cruciatū, si gentiliū literarū libros aliquādo legissem. Ego, qui in tāto cōstrictus articulo, vellem etiā maiora promittere, deierare cœpi, & nomē eius obtestās dicere: Domine, si vmquā habuero codices sæculares, si legero, te negaui. In hæc sacramēti verba dimissus reuertor ad superos, & mirātibus cūctis oculos aperio, tanto lacrymarū imbre perfusos, vt etiā incredulis fidē facerē ex dolore. Nec verò sopor ille fuerat, aut vana sōnia, quibus sæpe deludimur: Testis est tribunal illud, ante quod iacui: testis iudicium triste, quod timui, ita mihi nūquam contingat in talem incidere quæstionē, liuēres fateor habuisse me scapulas, plagas sensisse post somnū, & tāto dehinc studio diuina legisse, quāto nō antè mortalia legerā. O quātos habitū Ecclesiasticū, & religiosum gestātes nūc Dominus inueniret, quos ob similē causā vehementiùs, & acrius flagellaret, quia inuerecundiùs quàm Hieron. eiusdē sunt criminis patratos! Qui nō Tulliū, aut alios similes auctores eloquentiæ gratia legūt, quod nō multū dānaremus, sed libellos linguis vulgarib⁹, aut versu, aut prosa editos, non pia, sed prophana, & parū honesta redolētes, causa curiositatis euoluunt. At non flagellat illos Deus, quoniam illos, aut non amat, aut non nimis amat, & iste zelus Domini, quo statim in hac vita delicta suorum punit, indicium est magni erga illos cuiusdā amoris, qui, quod Dei amātis oculis displicet, è vestigio interno dolore cordis excoquit, & illata pœna diluit. Non flagellat illos Deus, quoniā ob tantum temporis spatium inutiliter

Hieron. epist. 22 ad Eustochiam c. 13.

impensum

impensum non vnius horæ flagellis, sed acerbitate, & diuturnitate ignis purgatorij puniendi sunt.

Sed quis explicet, quantùm isti his prophanis studiis ab studio diuinarum Scripturarum auocentur. Nam sicut qui meretricẽ amat, in vxoris amore tepescit, ita qui disciplinarum inanium amore capitur, sanctissimæ disciplinæ, quæ in cœlũ ducit, amore & desiderio priuatur. Et hæc, vt ait Guillermus Parisiensis nobilis auctor, sponsa est, cæteræ verò, vt ancillæ & pedissequæ, habendæ sunt, & propter illam solã quærendæ, & diligendæ. Quis autem sustineat propter immoderatum harum amorẽ ancillarum quemquam ab spõsæ dulcissimæ amplexibus auocari? Leuis etiam animus, ac leuitatibus assuetus immẽsum pondus sacrarum Scripturarũ audire non sustinet. Nemo mittit commissuram panni rudis in vestimentum vetus, tollit enim plenitudinem eius à vestimento, & peior scissura fit. Sic Dominus animũ mysteriorum cœlestium cognitione nõ reficit, quem vetustate curiositatis, & imbecillitate cõsiderationis rerum prophanarum cõsumptum reperit. Hic enim rumperetur, id est, indigna de Deo, & de rebus diuinis cogitaret, dum illas cum rebus prophanis, quas assuetus est cogitare, componeret. Nemo etiam mittit vinũ nouum in vtres veteres, alioqui rumpuntur vtres, & vinũ effunditur, & vtres pereunt:] sic in mẽtes huius vanę antiquitatis amatrices, quã libri prophani continent, sacra mysteria, quæ sicut vinum nouum, ebulliunt, & cor ac mentem immutant, mittẽda non sunt. Vidimus enim hoc vinum, in huiusmodi mentes missum, non semel effusum. id est, sine debita maiestate tractatũ & sine spiritu administratum, ita vt populum bibentem non inebriet, neque ad rerum terrenarum obliuionem inducat. Ideo seuerissimum iudicium est Domini, vt isti qui libris vanis assuescunt, nec libros sacros legant, nec intelligãt, nec sciant, nec eorũ, quæ summa, ac ineffabilis est, purissima voluptate fruantur. Comedant illi farinã Ægypti, & ex illa sibi, & suis auditoribus panẽ conficiãt, quia donec illam abijciant, cœlestis mannæ gustum minimè accipient. Quia verò non potest comedi insulsum, quod non est sale conditũ, propterea sacros libros auersantur, in quibus, ob noxias doctrinas, quę eorum palatum cordis inficiunt, nullam esse suauitatem agnoscunt. Profectò Basilius honestiores disciplinas existimat ab studio Scripturarũ abducere. Iam enim quidã, ait, Geometriæ vacantes, quam Ægyptij inuenerunt, vel Astrologiæ, quæ apud Chaldæos in pretio est, denique circa figuras, & vmbras, & ea quę in aere versantur, tẽpus terentes, omnino ex diuinis verbis doctrinam eruditionemq́, neglexisse ac spreuisse inueniantur. Sed & poëtica, & Rhetorica, & sophismatum inuentio multos occupant, quorũ materia mendacium est. Nam neq; poëtica sine fabulis consistere potest, neque Rhetorica sine arte dicendi, neque demùm sophistica sine paralogismis] Si ista ô Basili ex tua sententia, quam nullus sanæ mentis spernet, sacræ Scripturæ cognitioni obstant, quæ tamen moderatè accepta damnanda non sunt, & solẽt eius interpretationi proficere, quid de libris vanis & impuris ipse sẽtires? An putates poëmata Hispanica, & Italica, & Gallica, impuros amores, & lasciuas historias resonantia, esse manibus religiosorum digna, in quibus verbum Dei proponere, & disertè interpretari discant? Sanè istam lectionẽ inutilem omnino damnaret, qui lectionem sæpe vtilem ob vsum eius immoderatum reiecit. Erubescant ergo mentes Deo consecratæ ista legere, imò & ista respicere: libri vani, quos respublica ad maiora mala vitãda permittit, funditus à cœtibus religiosis auferantur, & eos vel contingentes seuerissimè castigentur, ne studia Sacrarum literarum impediant, & puritati mentium religiosarum officiant.

Guiller. li. de virtutibus c. 1.

Matth. 9.

Matth. 9.

Iob 6.

Basil. hō. 12. in initium prouerbiorũ.

Illud autẽ præcipuum est, & nostro instituto cõformius, quòd inutilium disciplinarum cõsideratio, & inanium librorum lectio, mẽtem maculat, & trãquillitatem ad orãdum, & cum Deo colloquendum, expellit. Quod insignis, & valde notãdus locus Cassiani demõstrat. Cùm enim Germanus ex ore Abbatis Nesterotis audisset, mentis puritatẽ esse apprimè necessariam ad intelligẽtiam sacrarum literarum, in hunc modum seniorem interrogat. Ad hæc ergo occulta primùm cõpũctione permotus, ac deinde grauiter ingemiscẽs. Hæc, inquam omnia, quæ copiosissimè digessisti, maiora mihi intulerunt desperationis augmenta, quàm hactenus sustinebam. Quippe, cui præter illas generales animæ captiuitates, quibus nõ dubito infirmos quosque pulsari, extrinsecus speciale impedimẽtum salutis accedit, per illam, quam tenuiter videor attigisse notitiã literarum, in qua me ita vel instãtia pædagogi, vel cõtinuæ lectionis maceraut intẽtio, vt nunc mens mea poëticis velut infecta, carminibus, illas fabularũ nugas, historiásque bellorum, quibus à paruulo primis studiorũ imbuta est rudimentis, orationis etiam tempore meditetur, psallentique vel pro peccatorũ indulgentia supplicanti, aut impudens poëmatũ memoria suggeratur, aut quasi bellantium heroũ ante oculos imago versetur. Taliúmq, me phantasmatũ imaginatio semper illudens, ita mentem meã, ad supernos intuitus aspirare non patitur, vt quotidianis fletibus nõ possit expelli.] Sic ille interrogauit, cui sapientissimus senex respõdit simili instãtia, ac diligentia erga sacrã Scripturã impẽsa inanium rerum recordationẽ esse sensim abolendã. Ex quo manifestè colligitur, non iam antiquã, & tempore adolescentiæ quæsitam, sed nouam, & quotidie instillatam vanitatum memoriam, multò efficaciùs mẽtis trãquillitatem, ac animæ puritatẽ, ac fiduciam impedire. Illa namq; carminum & historiarum recordatio, quam in adolescentia didicimus annosa est, & imbecilla, ac proinde nõ multùm inquietat, at ista vanitatum memoria, nouis lucubrationibus aucta, vt robusta, & adolescẽs fortiùs pellicit, & nos diuina meditantes, ad res inanes fingẽdas inducit. Illam excusat iuuentutis ardor, & desiderium iaciẽdi altiorum disciplinarum fundamina vtcumq; sanctificat: Hanc autem quisnam status, aut quænam puritas intentionis excuset? An status religiosus, & sacerdotalis ad propriã perfectionẽ quærendam, & animarum salutem curãdam, ordinatus? Sed hic talium rerum lectione fœdatur, & impotẽtior ad virtutes quærẽdas, & res diuinas annunciandas redditur, & velut cœno his sæcularibus & prophanis obruitur. An intentio omnia sciendi, & omnium disciplinarum exercitatione, quamdam scientiæ vniuersalitatem captãdi? Sed ô stulta vniuersalitas, quæ vniuersalitatem virtutum impedit, & spiritum compunctionis, & deuotionis extinguit. Hanc omniũ disciplinarum cognitionem, sancti Doctores, qui ea fuerũt præditi, congruis temporibus quæsierunt, & tempore adolescentiæ compararunt quia elapsa, non legimus ipsos prophanis libris inhæsisse, & poëtarum, ac gẽtilium scripta frequẽtasse. Quin imò, qui ex ipsis ad virilem ætatem sine humanis scientiis peruenerũt, nullam postea earũ habuere rationẽ sola sacræ Scripturæ cognitione contenti. Ita qui perfectionẽ & puritatẽ amat, si adolescẽs Philosophorum subtilitates, & Poëtarũ suauitates non didicit, iã vir factus, & ad studia Theologiæ subuectus, curã humana sciendi omnino deponat. Nã profectò

Cassi. col. 14. c. 12.

nescio, quomodo illum non pudeat post lectionem carminum, aut librorum inanium ad cõspectum sui creatoris accedere, Psalmos canere, aut Christi saluatoris nostri vitam meditari? An non legit in Apostolo:
1.Cor.10. Non potestis calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorum: non potestis mensæ Domini participes esse, & mensæ dæmoniorum?] Quomodo ergo audet post lectionẽ libri prophani, & lasciui, aut parum honesti, qui calici, & mensæ diaboli cõparatur, ad mensam Domini, scilicet, ad orationẽ accedere, & vinum diuinæ cognitionis & amoris postulare? Satis perfrictæ frõtis est, qui hoc audet, & satis mihi compertum est, quod non obtinet. Illos enim, qui similibus vanitatibus inuoluti ad orationem accedũt, Deus iustus iudex irridet. Dicet illis: Vbi sũt Dij vestri, in quibus habebatis fiduciam? De quorum victimis comedebatis adipes, & bibebatis vinũ libaminũ? surgãt, & opitulentur vobis, & in necessitate vos protegant.] Ipsi vos suis figmẽtis pascant, suis nugis dementent, suis illecebris afficiãt, quia ex me sapidã rerũ diuinarum cognitionem, & purissimum cœlestium amorem, quo vos indignos reddidistis, nõ habebitis. Hoc ergo initium sit, quo sciendi appetitum moderemur, vt nos, qui vitam spiritualem agimus, vana & prophana penitus ignoremus, & sola spiritualia, & nobis ac proximis profutura discamus. Reliqua verò, quæ ad rectificandum hunc appetitum pertinent, ne plusquã solet istud caput excrescat, sub principio dicemus.

Deut.32.

De eodem appetitu sciendi moderando.

CAPVT XL.

IAM à religiosis cordibus amorem inanium disciplinarum exclusimus, stemus promissis, & modum sciendi sacras disciplinas exponamus. Si enim vana & prophana à religiosis addiscenda non sunt, imò nec penitus audienda, nec legẽda, & humana, vt philosophica, catenus acceptãda quatenus ad Theologiam cõferunt, quomodo isti studendum sit, ab his, qui perfectionem diligunt, dicendum est nobis, ex quo modus addiscẽdi philosophicas disciplinas, qua ratione ad sacram scientiam vtiles sunt, facilè erit explicare. Neq; omnia, quæ ad hoc argumẽtũ pertinẽt, dicere aggredimur, quippe qui nõnulla suprà diximus, cũ scholasticos religiosos instruximus, & alia in postrema huius operis parte, cùm, Deo concedente, administros animarũ erudiemus, sumus dicturi, sed ea tãtùm quę propria huius loci cogitauimus, breuiter proponemus. Omnes scientias siue humanas, siue diuinas modum habere, quo sciantur ipsa philosophia profitetur, cuius sectatores sciẽdi modũ inuenerunt, eumq; ad formam, artẽmq; redactum Dialecticam nuncuparunt. Quod amplius est, docet & Paulus: Si quis, ait, se existimat
1.Cor.8. scire aliquid, nõdum cognouit quemadmodũ oporteat eum scire.] Vbi humilitatis modestiæq; adeptionem, & propriæ ignorãtiæ cognitionem ad modum scientiæ exquirẽdæ pertinere ait. Docet & Salomon
Prou.23. Prudentiæ, inquit, tuæ pone modum:] quasi & ipsa prudẽtia, quæ pars est sapientiæ, & omniũ est moderatrix, modo, vt subsistat, indigeat. Duplex autem est modus acquirendæ sapientiæ, alter quo eã ad sciendum, alter quo ipsam ad nos, & proximos perficiendum acquiramus. Modum illud priorem philosophi tractent, nos verò pro instituto nostro posteriorem explicemus, sine quo & ille primus, & quicquid eo cognitionis acquiritur, parui momenti existimamus. Est nãmq; sciẽtia sine adiumento virtutis, innumeris

A referta periculis, quam immoderatus amor ancillam sæpe ambitionis, inanis gloriæ, superbiæ, & quæstus efficit. Quæ profectò similis est gladio in manu phrenetici, similis est pecuniæ in potestate tyranni, similis & formæ, quam natura dedit impudicæ mulieri, de qua inquit Salomon: Circulus aureus in naribus suis mulier pulchra & fatua.] Sicut enim sus Prou.11 circulum aureum, ac splẽdidum naribus ferens illum luto immergit, & sordibus fœdat: & sicut mulier impudica, pulchritudine decorata illa ad lasciuiam, & turpitudinis malum abutitur, ita scientia præditus, virtutis amore, & studio destituta, eam facit instrumentum ambitionis, & turpis lucri, & ad inanem gloriam captandam inflectit.

Modus itaque, quo scientiam captare debemus, is est, vt & illã, & ipsius acquisitionem, virtutis ac per-
B fectionis instrumẽtum faciamus. Qui enim dũ sciẽtia proficiunt, non curant augmentũ comparare vir- Agge. 1 tutis, Aggæi Prophetæ reprehensionem audire possunt, qua ait: Respexistis ad amplius, & ecce factũ est minus: & intulistis in domũ, & exufflaui illud: quam ob causam dicit Dominus exercituum? Quia domus mea deserta est, & vos festinatis vnusquisque in domum suam.] Ampliores namq; donorum thesauros percupiunt, & licèt scientia crescant, quotidie indigentiores fiunt, quia à potioribus donis, nimirum à virtutibus ipsis discedũt. Quia perfectò discedere à virtute est, nõ eam procedentibus annis promouere, nec præstantissimo scientiæ instrumento perficere. Quæ autem inferunt in domum Domini, scilicet in mentem suã, Dominus ipse indignabundus exufflat,
C quoniam scientiam sanè virtute quæsitã, aut penitus inutilem, aut certè parum vtilem esse permittit. Et hoc est illam exufflare, sine fructu virtutis, in ipso habente, & in aliis relinquere. Merita quidem pœna insipientis, qui scire ad sciẽtiam, vel ad curiositatem, vel ad vanitatem, & non ad virtutem sanctitatemq; festinat, etenim mentem suam, quæ domus Dei est, vacuam deserit, dum soli rerum cognitioni incũbãs, intellectũ disciplinis proprio labore quæsitis replet. Neque istud solùm detrimentum ex scientia, non ad virtutem ordinata progreditur, sed & aliud multò nocentius, quod dum virtutem talis scientia non iuuat, vitiis ac peccatis subseruit. Nam & prima parẽs Gen.3. generis nostri vidit, quod bonum esset lignum ad vescendum, & pulchrum oculis, aspectuque dele-
D ctabile, & tulit de fructu illius, & comedit, deditque viro suo, qui comedit.] Vidit, & comedit, & creatoris præceptum trãsgressa est. Vidit, & dedit viro suo, qui & idem Domini mãdatum transgressus, nos omnes filios suos transgressores fecit, & æterna morte damnauit. Cur ita? Quia mulier lignum ad solã curiositatem aspexit. Si enim non ad curiositatem, sed ad gratitudinẽ, & ad Dei laudẽ otiosa fœmina arborem aspexisset, non ex aspectu animum delinquendi, sed affectũ gratias agendi & creatorem adorãdi comparasset. Ecce fructum curiosæ scientiæ, quã non bona intentio parturit, non virtus terminat, non desiderium proficiendi definit, ad contemptum mandatorũ solet impellere, & vt quis suæ ambitioni, aut in-
E fami quęstui, vel alij immoderato affectui satisfaciat, non timet, quod etiam Deo displicet inuerecundè patrare. Parum est hoc, nam etsi ad propriam voluntatem explendam conferat, alios etiam ad malũ instigat, & quos posset bono scientiæ vsu ad sanam mentem reducere, vsu præpostero socios facit damnationis. Mala ista vitat, qui scientiam ad virtutem addiscit: qui orat cum Propheta: Bonitatem, & Psa.118. disciplinam, & scientiam doce me.] Ita scilicet, vt primò bonitatem & sanctitatem quærat, & propter

illam

illam disciplinam,& scientiam acquirat.Quæ dum
hoc fine quæritur,& ipsa scientiæ acquisitio instrumentum virtutis efficitur,mira sciétiæ sectator pulchritudine mentis decoratur.Nam dum intellectum
instruit,voluntatem regit,affectus dirigit, sensúsque
moderatur,&quicquid à rectitudine deuiat,mira se-
Bern. ser. 37 in cãt. dulitate componit.Egregiè sanè Bernardus ait:Non
dico contemnendam,aut negligendam scientiam literarum,quæ ornat animam,& erudit eam , & facit
vt possit etiam alios erudire, sed duo illa oportet,&
expedit, vt præcedant, in quibus summam salutis
constitui superior ratio declarauit. Et vide si nõ in-
Osee 10. tuebatur,& non docebat hũc ordinem, qui dicebat:
Seminate vobis ad iustitiam,metite spem vitæ,& illuminate vobis lumen scientiæ.] Vltimam posuit
scientiam tamquam picturam, quæ statum habere
nequeat super inane: Et inde illa duo præmisit, &
subiecit illi tãquam si solidam aliquid picturæ substerneret.]Is ergo duo ista scientiæ substernenda, timorem Domini, atque amorem esse ait. Ita igitur
scientia discenda est,vt virtutis maiorem rationem
habeamus,imò & ipsam scientiam adiumẽtum virtutis,ac instrumentum sanctitatis,faciamus.

Sed qua ratione scientia, quam discimus,erit instrumentum virtutis? Ita quidem si eius præsidio nõ
solùm intellectum instruamus, verùm etiam affectum bonum diligendum, & malum odiendum,excitemus. Ideo enim non contemnendi Doctores
Theologiam, tum speculatricem tum effectricem
vocant,quòd affectum excitet, & manus ad bonum
opus moueat, nec sit sola diuinitatis consideratione
contenta. Et licèt aliqua cognitio, & maximè Dei,
propter seipsam expeti possit, quasi ipsa simpliciter
sit amore, ac desiderio dignissima, affectum tamen
amoris non excludit,imò ita secum copulat,seu potiùs imbibit, vt sine illo mutila & imperfecta censeatur. Quis enim non videat,eam notitiã, qua Dei
summam perfectionem agnoscimus, esse mancã, si
non ad ipsius reuerentiam & amorem assurgat? Aut
quis dubitet intellectum datum esse, vt decem affectus,qui frustra per veritates volitat,si non affectum
ad aliquid amandum, vel detestandum deducat? Ita
igitur intellectus cognoscat,vt voluntatem moueat,
& saltem in fine discursus aut cõsiderationis, fructu
affectionis non careat.Quia omnia quæ sacra scientia docet,potentissima sunt,ad cor emolliendum, &
voluntatem Deo subiiciendam, & totum hominem
immutãdum Vnde scriptum est: Quia viuus est ser-
Heb. 4. mo Dei,& efficax] ad mouendum. Et iterum:Num-
Iere. 23. quid nõ vbera mea sunt quasi ignis, dicit Dominus,
& quasi malleus conterens petram?] Vt ergo istud
aliquo exemplo pandamus. Si Deum esse non iam
sola fide cognoscis,sed scientia tenes, & multiplici
demõstratione conuincis, sanctum ex hac cognitione timorem concipito, quia Dominum habes, cui
seruire,& cuius præcepta custodire debes, & quem
confiteris tuorum actuum & intentionum cognitorem Si eius spiritualitatem, simplicitatem, immortalitatem,perfectionem,infinitatem,immensitatem,
immutabilitatem,æternitatem, & reliqua attributa
consideras,excita in corde tuo amoris affectum,quo
illum summè diligas,& diligẽtissimè eidem obsequi
satagas, quẽ vides esse abyssum vniuersæ perfectionis.Si gloriosissimam Trinitatem personarum contemplaris,& illam summam naturæ vnitatem,à solitudine separatam,& nullo modo à suppositorum distinctorum societate disiunctam,ad tantæ maiestatis
reuerentiam teipsum impelle. Si Deum creatorem
triplici naturæ purè spiritualis,& purè corporalis,&
mixtæ ex spiritu &corpore cogitas,ac huius vniuer-

A sitatis effectorem, erige spem in illum, qui suum
opus,scilicet te,non deseret,neque quem ãmat, vt
filium,vmquam derelinquet. Si virtutum ac vitiorum naturas perscrutaris,si non tantùm vt scias,sed
etiam vt virtutum opera facias,& omne quod vitiosum est,constanter effugias.Ex cõsideratione legum
obedientiam,ex cognitione gratiæ, sine qua nihil
boni potest fieri,humilitatem,ex cõtemplatione incarnationis Christi,ac redemptoris humani generis,
diuinæ pietatis admirationem,ex sacramentorũ efficacia hilaritatem,ex nouissimorũ cogitatione mũdi
cõtemptum elicias.Breuiter nullam Theologiæ veritatem addiscas,quã non sequatur aliquis virtutis,
aut deuotionis affectus,vt si noua notitia te facit ma-
B gis doctum,nouus etiã affectus te faciat magis studiosum,atque deuotum. Et quemadmodũ qui diuitias magno labore conquirit,si prudens est,non illas
perpetuò recõdit,sed in necessarios vsus insumit, &
nunc vestem comparat,qua se ornet,nũc cibum,quo
se sustentet,nũc domum,qua se à frigore caloréque
defendat,nunc eleemosyna erogãs facit sibi amicos
de mammona iniquitatis,qui recipiant eũ in æterna
tabernacula:]ita qui thesauros sciẽtiæ sibi parat, de-
bet illorum pretio bonorũ operum,cibos, virtutum *Luc. 16.*
indumenta, tentationum victorias,& proximorum
salutem comparare. Quod profectò assequitur, cùm
scientiæ opes ad affectũ & mores trãsfert,& nõ tantùm in intellectu veluti in arca recõdit.Hunc itaque
C omniũ scientiarũ finem,qui in bona vita,& mentis
sanctitate cõsistit,ipsa disciplinarum acquisitio semper exquirat,quia si ipsarũ disciplinarum scopus est,
etiam & scopus acquisitionis erit. Nam & regius
propheta canit:Beati immaculati in via,quia ambu-
lant in lege Domini.Beati qui scrutantur testimonia *Psal. 118*
eius,in toto corde exquirunt eum.]Quasi ad hoc testimonia Domini scrutanda sint, vt ea actione præstemus,vt totis visceribus exquiramus.

Aliud autem obseruandum est,ad modum sciẽdi
quadam ratione pertinẽs,vt scilicet,non semper in
mediis hęreamus,nec in via subsistamus,sed ad finẽ,
cuius gratia media assumuntur,& ad vitæ terminum
festinemus.Scholasticæ enim subtilitates, & rerum
abditarum disputationes,media sunt ad sacram Scripturam indagandam, & itinera quædam,quæ conficimus, ad terminum sanctarum Scripturarum ob-
D tinendum. Non igitur omnem nostram ætatem argumentationes,& disputationes,& cõtentiones sibi
vendicent, sed aliquid temporis suauitati sacrarum
Scripturarum, & tranquillitati sapientiæ concedendum relinquant.Illis enim qui disputationibus semper insistunt,& nunquam ad sanctas Scripturas perscrutandas accedunt, optimè congruit illud Pauli:
Semper discentes,& numquam ad sciẽtiam veritatis peruenientes. Nam ipsa Scriptura sacra, si quæ
alia, est scientia veritatis, quæ infallibilem verita- *2. Tim. 3.*
tem continet, & eam non humana industria, sed
ipse auctor veritatis adinuenit.Hanc autem, vt virtutis scholam,vt perfectionis officinam, & vt morborum animæ curatricem, perscrutabimur. Neque
E enim vmquam nobis placere potuerunt, qui libros
sacros perinde ac Terentium, aut Maronem, aut
Tullium exponunt, & nihil aliud nisi vocum significationes, & Hebræorum phrases, & sensuum nouitates quærunt. Illos rogo, vt si consilium insipientis forte despexerint, at zelum & charitatem,
qua hæc dicuntur nequaquam spernant. Quia sicut facillimum est chartas, poëtarum versibus, &
prophanorum auctorum dictis implere, ita patrum
vtile est tam humili, & humano modo Scripturam sacram explicare. Cuius rei non alios testes

nisi ipsos,qui ita sacras literas interpretantur, adduco,quorum corda non compuncta,non deuota , sed arida , & dura reperio. Scriptura diuina eo spiritu est interpretanda,quo scripta est. Si verò eam Spiritus sanctus dictauit , (& sine dubio ipse dictauit) ipse etiam illam explanet. Quis autem credat,Spiritum sanctitatis,non aliud nisi prophana resonare,& omnis perfectionis doctrinam,quæ sacris literis cótinetur , carminibus poëtarum,& Grammaticorum dictis tantùm exponere?Omnia spiritus curiositatis adulterat , & non modicùm nostris temporibus sanctarum literarum interpretationem inficit. Quæ sanè si aliquid aut poëticæ , aut humanæ historiæ, aut philosophiæ, aut astrologiæ , aut aliarum disciplinarum humanarum ad sui expositionem admittunt (quod negare magna esset inscitia)tamé hoc minus est,quòd ad suum intellectum eruendum exposcút. Maius autem, imò & præcipuum est , vt orationis & puritatis spiritu eas interpretemur,& ex Ecclesiæ traditiones,& sanctorum patrum scriptis,qui à Deo fuerút illuminati,germanum ipsarum sensum eruamus. Ita fiet, vt ipsæ scripturæ sanctæ nos doceát, nos,dum eas legimus,ad omnem virtutem moueát, nos ad desiderium puritatis alliciant. Eritque scriptura diuina(quæ vera sapientia est)nobis etiam sapida scientia,nam & intellectum illuminabit,& voluntatem dulcedinis suæ gustu reficiet. Si itaque in Scriptura sancta non curiositatem nec arrogantiam: sed sanctitatem quæsieris,& verum sensum, qui te, & alios moueat perscrutaberis , ad mirá cordis puritatem eius lectione, & inquisitione peruenies.Assequeris profectò illam mentis tranquillitatem , atque munditiem,quam his verbis Ioannes Cassianus depingit. Deinde hoc tibi est omnimodis enitendum , vt expulsa omni sollicitudine , & cogitatione terrena,assiduum te,ac potiùs iugem sacræ præbeas lectioni,donec continua meditatio imbuat mentem tuam , & quasi in sui similitudinem formet , arcam quodammodo ex ea faciens testamenti , habentem scilicet in se duas tabulas lapideas,id est,duplicis instrumēti perpetuam firmitatem:vrnam quoque auream , hoc est , memoriam puram, atque sinceram, quæ reconditum in se manna perpetua tenacitate conseruet,spiritualium scilicet sensuum,ac angelici illius panis perēnem,cœlestémque dulcedinem:nec non etiam virgam Aaron,id est,summi, veríque pótificis nostri Iesu Christi salutare vexillum , immortalis memoriæ semper viriditate frondescens. Hæc namque est virga,quæ postquam de radice Iesse succisa est , viuaciùs mortificata reuirescit. Hæc autem omnia duobus Cherubim,id est, historicæ, & spiritalis scientiæ plenitudine protegentur ; Cherubim enim interpretatur scientiæ multitudo , quæ propitiatorium Dei , id est , placiditatem pectoris tui, iugiter protegent,& à cūctis spiritalium nequitiarum incursibus obumbrabunt.Et ita mens tua non solùm in arcam testamenti diuini,verùm etiam in regnum sacerdotale prouecta,per indissolubilē puritatis affectum,quodāmodo absorpta spiritualibus disciplinis,illud implebit pontificale mādatum,quod à legislatore ita præcipitur:Et de Sanctis non egredietur,ne polluat Sanctuarium Dei,id est,cor suum, in quo iugiter habitaturum se Dominus repromittit, dicens:Inhabitabo in eis , & inter illos ambulabo.] Quam mētis perfectionem solus ille Scripturarum sanctarum lectione conquiret, qui mundus à peccato quantùm ista mortalitas tulerit , & rectissima intentione proficiēdi sibi & aliis ad earum lectionem accesserit,ac sancta sanctè,non verò prophanè , aut curiosè tractauerit.

Cassian. col. 14. c. 18.

Hebr. 9.

Leuit. 21.
2. Cor. 6.

A Nec putandum est me , aut sensum literalem sacrarum Scripturarum taxare,aut ad sensus mysticos earundem discipulos , aut interpretatores adigere. Legi enim,Quia omnes domestici eius,id est,Ecclesiæ sanctæ , vestiti sunt duplicibus ,] quibus verbis, si Cassiani interpretationē admittimus, duplex Scripturæ sensus literalis , & mysticus apertè notatur, quem omnis scriba doctus in regno cœlorum libēter admittit.Legi etiam de spirituali sensu:Ecce descripsi eam tibi tripliciter in cogitationibus,& sciētia , vt ostenderem tibi firmitatem , & eloquia veritis,]quo triplex spiritualis sensus,allegoricus,mysteria noui testamenti sub literæ serie cótinens, tropologicus,ad morum instructionem pertinens, & anagogicus , ad cœlestia mysteria declaranda conscendens,nobis innuitur.Noui quoque,mysticos sensus, nisi literali intelligentiæ nitantur,& ei aliqua ratione consentiant , parum vtilitatis afferre. Illa enim, quæ primò à diuino spiritu intenta est , præcipuum inter Scripturæ sensus locū obtinet,quam qui ignorat,sacram Scripturam prorsus nescit.Non inquam, sensum literalem reiicio,qui primus,& nobilissimus est,sed puto , quia sicut hunc grammatici non assequuntur,sed viri doctissimi , & Dei auxilio specialiter fulti , ita nec totus à phrasibus,ab Hebraismis,ab Homeri , aut Virgilij versibus , & ab aliis similibus pendet.Quare qui totum studium in his cōllocant, & vt literæ mordicus hæreant , sacras literas more grammaticorum interpretantur , lōgè ab eius intelligentia discedunt. Certè Hilarius Matthæum, Hieronymus Prophetas,Chrysostomus Genesim, Ioannem & Paulum Ambrosius Lucam,Augustinus Dauidem,& Gregorius Euangeliorum partes (vt alios omittam) aut in omnibus , aut in multis ad literam interpretati sunt , in quibus non poëtarum carmina lego,non philosophorū ieiunia dicta, nec hieroglyphicorū expositiones inuenio , sed verba maiestatis plena,& spiritu mouendi referta, & sanctitatem redolentia conspicio , quæ corda hominum moueant, non mulceant. Estq; ipsorum interpretatio Scripturæ interpretatæ cōformis,vt sicut illam Spiritus sanctus dictauit,ita illam spiritus puritatis,studium orationis,& sciētia cœlestis scripsit. Isti sancti Patres in magistros,& Doctores Ecclesiæ à Deo dati sunt , & qui modò scripturas interpretantur , se eorum discipulos dicunt,in ratione ergo exponendi, & discendi scripturas magistros imitentur. Non nouam exponendi rationem inuehant,spiritu vacuam,& curiositatis plenam , sed ita genuinū literæ sensum in Scripturis sanctis inquirant , vt tamē sanctitatem dicendorum,& maiestatem dicēdi , quam sacræ interpretationes requirunt,non omittant.Nam si Lactantius sanctissimū,& eloquentissimum Cyprianum notat, quòd fideliter aduersus infideles scripserit, & Scripturæ testimoniis conuincere,non recipientes Scripturas,voluerit, cur nos eos non notabimus , qui ad fideles,quasi infideliter scribunt , & solis ethnicorū dictis,atque carminibus intelligentiam sacrarū Scripturarum instillare cōtendunt?Non,inquit,Scripturæ testimoniis , quam Demetrianus vtique vanam, fictam,commentitiam putabat,sed argumētis,& ratione fuerat refellendus.Nam cùm ageret cōtra hominem veritatis ignarū , dilatis paulisper diuinis lectionibus, formare hunc à principio tamquā rudem debuit,eique paulatim lucis principia monstrare,ne toto lumine obiecto caligaret Ita & nos dicimus, non poëtarum,& ethnicorum dictis,quæ diuinarum Scripturarum auidi,vt ridicula, & vana contemnūt, passim,& vbique docendi sunt , sed sanctorum Patrum auctoritatibus & doctrinis imbuendi. Nam

Prou. 31.
Cassi. col. 14. c. 8.

Prou. 22.

B

C

D

Lactan. 5. diuin. institut. c. 4.

E

cùm

A cùm viri fideles, & sæpe in adolescentia rebus ludicris satis instructi doceantur, dilatis aliquantulum, aut cum magna sobrietate resumptis prophanis lectionibus, sacris & à nostris elucubratis erudiendi sunt, & tamquā fortiores non puerorū lacte, sed solido doctrinæ pane saturandi.] Hæc ergo poetica, & ethnicorum dicta, si aliquādo ad Scripturarū interpretationem adducenda sunt (quod permittimus) nō tamen semper, & vbique, & in omnibus inculcāda, ne sanctitatem sacrarum Scripturarum prophana violent, & Dei ipsius mixta sermonibus, eos non tā declarent quàm obscurent. Qui autem ad imitationem sanctorum Scripturam sacram exposuerit atq; perlegerit, non dubium, quin ex eius lectione ma-
B gnum fructum sanctitatis percipiat. Sermones enim diuini sensim legentium pectoribus virtutes inserent, & omne vitium extirpabunt.

Iam postremum dicamus, quod ad discendi tempus spectat, vt scilicet discendi desideriū omne tempus non occupet, sed debitas diei horas piæ & affectui seruienti lectioni atque orationi relinquat. Nā sacratum etiam literarum studium minus efficax est ad pascendum animum, nisi oratione iuuetur, & intenta meditatione fulciatur. Sacras enim literas legere aut discere, nihil aliud est, quam alimentum animæ ori intellectus ingerere, illas verò meditari, est, cibum acceptum dentibus cōminuere, & orare, est, in ventrem traiicere, & per omnia spiritus membra diffundere. Sicut autem corporalis cibus ori in-
C gestus, si dentibus non teratur, nec in stomachum traiiciatur, & in sanguinem commutetur, nihil ad corporis sustentationem proficit, ita sacra mysteria intellectu percepta, nec per meditationem, & orationem in nostros affectus transfusa, parum ad augmētū nostræ virtutis proficient. Ideò hortatur sapiē-
(Prou. 9.) tia: Venite, comedite panem meum, & bibite vinū, quod miscui vobis.] Non solùm vt frangamus panem, vult, sed etiam, vt comedamus, & bibamus vinum consolationis suæ. Non autem comedit hunc spiritualem Scripturæ panem, qui legit, sed qui meditatione, & oratione tamquam dentibus terit. Et qui manducationem potus subsequitur, meditationem Scripturarum. & super meditatis feruentissi-
D mam orationem, consolatio cœlestis comitatur. Iu-
(Prou. 13.) stus itaque, ac perfectionis amator comedit, & replet animam suam: venter autem impiorum insaturabilis.] Hi numquam saturantur, quia numquam comedunt, nec Dei verba deglutiunt; ille verò saturatur, quia cibum Scripturę meditatione comedit, & ventrem mentis suæ, duos sinus intellectus & volūtatis habentem veritatibus & sanctis affectibus replet. Et quemadmodum prudens seruus, qui heri mandatum audiuit, postea considerat, vt sciat secūdum voluntatē heri sibi iussa præstare: ita iustus qui Domini voluntatē sanctarum Scripturarum lectione didicit, cōsideratione ruminat, & oratione auxilium efflagitat, vt sciat, quod didicit, & audiunt, explere. Tempus orationi ac meditationi impensum
E mirabiliter intellectum illuminat, vt sanctas Scripturas intelligat, & volūtatem salutariter deprimit, ne homo, vltra quàm æquum est, in adepta scientia
(Iob. 31.) confidat. Dicit qui huiusmodi est, cum non minùs sapiente, quàm patiente Iob: Si putaui aurum robur meum, & obrizo dixi fiducia mea.] Nec enim in auro fulgentissimæ scientiæ sitam esse suam fortitudinem putat, qui omnem scientiam humanam experientia docente infirmam, & errori subiectam existimat. Nec in obrizo eius veritatis, quam nimis indagauit, confidit, quia ex consortio Domini non solam lucem, sed & mansuetudinem, qua non resistit, con-

A tracia cum validiore ratione docentibus, ac docilitatem mutuauit. Item autem propriū esse iustorū Gre-
(Greg. 11. Mor. c. 4.) gorius in hunc modum explanat. Sancti viri, inquit, robur suum aurum non deputant, quia, quantolibet ingenio fulgeant, nihil se esse, ex suis viribus pēsant. Et cùm sentire omnia valenter possunt, priùs intelligere semetipsos cupiunt, quatenus lumen ingenij more solis, priùs illustret locū, in quo oritur & postmodum cætera, ad quæ procedendo dilatatur, ne si intendendo cognoscendis aliis semetipsos nesciant, ibi solis radius, vbi oritur obtenebrescat. Ingenij itaque virtutem ad cognoscendam propriam infirmitatē dirigunt, atq; ex infirmitatis suæ melius cognitione conualescunt.] Sanè oratio est, quæ vanam in
B donis datis nobis fiduciam depellit. Atque diuino iustus lumine collustratus, non aurum robur meum:
(1. Reg. 22.) Sed Dominus petra mea, & robur meum, & Salua-
(Psal. 21.) tor meus:] & non, obrizum fiducia mea, sed tu spes mea ab vberibus matris meæ, in te proiectus sum ex vtero.] Ita ergo Theologicis lucubrationibus, & sacrarum literarum studiis intendamus, vt bonū vitæ partem in consideratione diuinorum. & in ferventi oratione collocemus. Hæc enim est, quæ studia nostra complet, labores perficit, & voci nostræ vocem virtutis impertit. Hæc vt aqua purissima vinum scientiæ temperet, quod temperatum recreat, atq; sustentat, purum verò solet officere. Et studia, hac qua diximus ratione suscepta, non retardabunt nos à cœpto perfectionis itinere, sed mirum in modum
C ad mentis puritatem adiuuabunt.

Sit religiosus in communi conuictu grauis.

CAP. XLI.

NON solùm studenti proficere, aperta peccata fugienda sunt, verùm etiam seminaria peccatorum declināda. Imò hæc sunt cautiùs & diligentiùs fugienda, quia & ipsa per se peccata esse solent, & ad alia peccata sæpe, veluti ad noxios primæ iniquitatis fœtus inclināt. Quis enim à fœditate culpæ liberet, quod ad culpam inducit? Et quis non ma-
D gis timendum censeat, quod non vnum solum malū est, sed alia ex seipso mala progignit? Occasiones quidem peccati fugiendas esse Dominus non semel præcepit, & in illa lege signauit, quam tulit pro cō-
(Num. 6.) secratione Nazaræi. Acetum, inquit, ex vino, & ex qualibet alia potione. & quicquid de vua exprimitur non bibent: vuas recentes siccásque non comedent, cunctis diebus. quibus ex voto Domino consecrantur: quicquid ex vinea esse potest ab vua passa vsque ad acinum non comedent.] Quid enim est (præter alia) non solùm potum vini, verùm & esum vuæ prohibere, nisi prohibitionē istā, & manifestis peccatis, & initiis, ac occasionibus peccatorum obsistere? Parens quoque generis nostra Eua, nisi mentita sit, satis indicat conditorem omnium cum manifesto
E peccato, inobediētiæ quoque occasionem vetuisse,
(Genes. 3.) dum ait: De fructu ligni, quod est in medio paradisi, præcepit nobis Deus ne comederemus, & ne tangeremus illud, ne fortè moriamur.] Ac si dixisset: tactus ligni nobis interdictus est, ne ex tactu ad esum, & ex esu ad mortem properemus. Et fauet huic rei Salomonis sapientia, quæ vt adolescētem ab amore me-
(Prou. 5.) retricis auertat, inquit: Longè fac ab ea viam tuam, & ne appropinques foribus domus eius.] Nam meretricis fores attingere, & vel leuiter manu pulsare potest, & solet esse impuræ fornicationis exordium. Ego autem mentis leuitatem turpissimam meretri-

cem existimo,cuius etiã fores, id est, primos ingressus vir religiosus vitare, ac fugitare debet, nisi velit maioribus flagitiis fœdari Leuitas enim mẽtis,scurrilitates, detractiones, & subsannationes generat, iras in his qui delusi sunt,atq;indignationes exsuscitat,& in apertas cõtumelias, vltro citróque iactatas non semel prorumpit.Hæc inimica est compunctionis,hostis deuotionis,mater autẽ ineptæ lætitiæ, quę solet sæpe in tristitiam, ac dolorem desinere. Quia scriptum est: Risus dolore miscebitur, & extrema gaudij luctus occupat.] *Prou. 14.* Inanis profectò risus dolore miscetur, dum verbo, quo ridens fratrem punxisti, amarus sermo resistit, & extremum gaudij luctus occupat, cùm ignominioso vocabulo, quo illũ contristasti, manifesta in te prolata cõtumelia respõdit. Hanc delinquendi occasionẽ Dominus à iustis suis prorsus eliminat,& sanctæ grauitatis munere omnino repellit: Vultque illos esse non sine humilitate graues,nec sine amabili placiditate seueros. Quare de illo Sanctus Iob ait: *Iob 28.* Qui fecit ventis pondus.] Mens namque quæ per peccatum leuior est vento, & tentationũ impulsu huc illucque iactatur, per iustitiam & gratiã pondus grauitatis accipit, vt in eo quod rectum est,& hominibus admirandum solidetur. Vnde Gregorius ait: *Gregor. mor. libr. 9.cap.4.* Velocitate ac subtilitate ventorũ in Scriptura sacra solent animæ designari, sicut per psalmistam de Deo dicitur. Qui ambulat super pennas ventorum:] *Psal. 17.* id est, qui transgreditur virtutes animarum. Fecit ergo ventis pondus, quia dum superna sapientia replet animas, eas maturitate indita graues reddit, non illa grauitate, qua dicitur: Filij hominum vsquequo graui corde. *Psal 4.* Aliud námque est grauem esse per consilium, aliud per peccatum: aliud est grauem per constantiam, aliud per culpam. Ista enim grauitas pondus habet oneris, illa virtutis.] Hanc consilij & constantiæ grauitatem possidere enitamur, quæ statum virtutis, ac desiderium perfectionis maximè decet,& sicut omnium virtutum adiutrix est, ita multas inquietudines,& peccata ex leuitate manantia repellit.

At dicamus,in quibus, & quomodo ista grauitas seruanda sit,vt quod bonum & vtile nouimus, opere cõpleamus. Sane grauitas in cogitationibus, in verbis,& in actionibus est tenẽda, & omnia hæc ne perefluãt, pondere maturitatis firmanda.Primùm in cogitationibus teneatur, ex quarũ leuitate, sicut ex fonte,verborum & actionum leuitas solet prodire. *Eccles.22.* Cogitationum autem grauitas in hoc posita est, vt nihil vanum, nihil ad rem nostrã non pertinens, nihil scurrile, nihil ad risum & cachinnos mouens cogitandũ admittamus,sed sola necessaria, & vtilia,& seria, & statu spiritali digna cogitemus. Qui enim vana,& scurrilia cogitatione voluũt, leues sunt animo, quem aptum ad otiositatem, & ad leuitatem, ineptum verò ad spiritalia,& sancta colloquia,& ad opera virtutis perferunt.Et sicut musica in luctu importuna narratio,] ita in musica luctus, & inter leuitates conuersationis grauitas, ac verborũ maturitas videtur imperfectis & otiosis inepta loquutio. Iusta igitur,& sancta cogitent iusti,vt & suæ menti, & omnibus tum verbis tum factis stabilitatem præbeant. *Prou. 12.* De hoc enim à sapiente laudantur, dum ait. Cogitationes iustorum,iudicia. Vt quemadmodum iudicium non inconsideratè agitur, sed à iudice magna mentis attentione exercetur: ita mens iusti, & ad perfectionem anhelãtis cogitationes rationis iudicio selectas recipiat,& non indifferenter ex otiositate aut curiositate insurgentes admittat. Comprimat eas timor Domini sanctus,qui occulta etiã cordis nostri & secreta rimatur. Liget eos spes dono-

A rum cœlestium, quæ non inania cogitantibus, sed pura & sancta considerantibus frequenter offertur. *1.Petr.1.* Nam Petrus Apostolus ait: Propter quod succincti lumbos mentis vestræ,sobrij,perfecti, sperate in eã, quæ offertur vobis,gratiã in reuelatione Iesu Christi.]Lumbos mentis præcingunt, qui affectus & cogitationes cohibent, & non tantùm à malis, verùm etiam ab otiosis auertunt.Qui sobrij & perfecti dicuntur,quoniam perfectorum est desideria, & cogitationes vanas comprimere, & sobriæ mentis non solùm à vino, sed æquali diligentia ab inanibus tẽperare. Hi non erubescunt sperare gratiam, id est, dona cœlestia quæ reuelatus Christus puris animabus promeruit. Cupidus horum donorum, lumbos mentis, affectus scilicet ac cogitationes præcingat, B & tam istas, quàm illos, spiritu maturitatis vestiat. Quicquid leue est inanéque, reiiciat, & cogitata, quæ compunctionem, & grauitatem mentis tollũt, abscindat atque contemnat Quod Dominus sub ritu,quo purificabãtur Leuitæ,nobis præcepit,& quomodo mundari debeamus sub corporali cæremonia declarauit. Leuitæ,inquit, aspergantur aqua lustrationis,& radant omnes pilos carnis suæ.] *Num. 8.* Asperguntur aqua, quæ cutem ad pilos deferendos emollit, Quia Dominus mentem nostram,vt superflua deseramus, aqua deuotionis aspergit. Sed nos aqua ista conspersos debemus pilos radere,id est, inutiles & inanes cogitationes resecare. Leuita, inquit Gregorius, *Gregor. 5. mor.c.24.* assũptus vocatur, Oportet ergo Leuitas omnes pilos carnis radere, quia is qui in diuinis obsequiis C assumitur, debet ante Dei oculos à cunctis carnis cogitationibus mundus apparere, ne illicitas cogitationes mens proferat, & pulchram animæ speciem quasi pilis fructificantibus deformem reddat.] Istis tum illicitis,tum vanis cogitationibus, & desideriis euulsis, sanctis verò, & vtilibus generatis,satis mens nostra maturitatem debitam seruat, & verba, ac actus, ab omni leuitate quàm alienissimos generat.

Ex his materiis cogitationibus sermones graues, & maturi prodeunt,animæ religiosæ indices,& spiritualis vilitatis effectores. Animæ inquam, religiosæ indices, quia si verba non ficta,nec hypocrisis labe polluta mentis qualitatem indicant, maturi sermones D animam grauem, & virtutis amatricẽ ostendunt.Et vtilitatis spiritualis effectores, quoniã sermo grauis audientes ædificat,& aut ad amorẽ eius, quod dicitur,aut ad imitationem eius,qui dicit,impellit. Grauitas autem verborum,siue sermonũ est, nihil futile aut ineptum in conuersatione proferre, nihil quod certum,& indubitatum non sit,pro certo affirmare, nihil irreligiosè facetum,aut quod sapiat scurrilitatem,dicere: fratres honorabiliter propriis nominibus & cognominibus nominare, nulli per opprobrium, aut contemptum,aut risum inuentum nomen imponere,& omnia ridicula,& quæ cachinnos suscitant, omnino relinquere. Est item sic religiosum se gerere in verbis,vt omnes,quibuscum loquitur,honore prosequatur,& nemo audeat, quan- E tumuis sit procax,cum illo puerilem familiaritatem inire, aut minùs eum reuerenter tractare. Id enim ait Petrus, cùm ita scribit:Omnes honorate, fraternitatem diligite.] *1.Petr.1.* Et Paulus: Reddite omnibus debita,cui honorem,honorem.] *Rom. 13.* Ac rursus: Honore inuicem præuenientes] *Rom. 12.* Est denique,nihil iniuriosum, nihil indignabundum proloqui, sed omnes leniter & amanter compellare, & si quis verbis amarulentis in nos insurrexerit,illum mansuetè ac patienter sustinere.Hæc religiosa grauitas non tantùm magni ponderis est ad fraternam charitatem conseruãdam,

quæ

quæ solet verbis indignabundis lædi, & sermonibus ridiculis, & leuiter dictis intepescere; verùm etiam ad spiritualem profectum, ex fratrum conuersatione captandum. Quod animaduertẽs sanctus Bonauentura, inquit: Deferre humiliter sociis honorem, charitatis est fraternæ fomentum, conscientiæ bonæ, illustrisq; animi euidens argumentum. Vix nisi socio deferas cum ipso proficies.] Et optimè. Nam ex alicuius conuersatione proficere, est quodámodo eius disciplinam subire, at quo pacto eum imitaberis, eiusq; doctrinam suscipies, quem non vt magistrum veneraris, sed vt vilem hominem verbis illudis, indignatione lædis, & rerum inanium & ridicularum narratione contemnis? Profectò sicut qui medicamentũ vt inane, & inefficax proterit, numquam eius virtute ab infirmitate sanabitur; ita qui fratre velut parasito ad ineptam mentis relaxationem vtitur, & illum dicteriis pungit, & verborum leuitate percellit, numquam ex eius conuersatione à vitiis conualescet. Sapienter proinde vas electionis nos ab scurrilitate auocat, vt ad Christi imitationem, ac profectum inuitet. Estote, inquit imitatores Dei, sicut filij charissimi, & ambulate in dilectione sicut & Christus dilexit nos.] Et ad hoc quid nobis faciendum Apostole? Fornicatio, & omnis immunditia, aut auaritia nec nominetur in vobis sicut decet sanctos: aut turpitudo, aut stultiloquium, aut scurrilitas, quæ ad rem non pertinet.] Mirabilis sanè fornicationis & immunditiæ, & stultiloquij, ac scurrilitatis, sed vera coniunctio, quia licèt horum malitia non sit æqualis, tamen nonnullam nequitiæ conformitatem participant. Si enim fornicatio, & immunditia Christum ab impuro corde fugant, qui horret in cœno fœdissimo volutari, stultiloquium, & scurrilitas ipsum fontem puritatis contristant, vt vix sustineat dona sua instabili, & leui corde teneri. Nam ex leuitate verborum, facile est in graue proximi damnum proruere, & scurrilitate ad indignationem, & ex illa fratrem ad grauem iniuriam inferendam prouocare. Nihil amplius ad hanc rem exaggerandam dicendum est. Sed qui tanta acerbitate moueri non indiget, se proprij status æstimatione componat. Audiat Hieronymum dicentem ad Demetriadem Virginem: Ridere, & rideri sæcularibus derelinque, grauitas tuam personam decet: & si iam statum sæcularem deseruit, & religiosam professionẽ induit, omni verborum leuitate seposita debitam grauitatem custodiat. Audiat & Basilium: Atque illud etiam, inquit, quod à plerisque negligitur, non mediocriter caueri ab iis debet, qui colendæ pietati studẽt, ne in risum videlicet præter modum effusi sint, quandoquidem nõ abesse à se intemperantiam significat, is, qui profuso nimis petulantique risu teneatur, seseq; nequaquam animi sui motus sedatos, eiusque mollitiem, ac velut laxitatem nequaquam ratione seuera habere compressam declarat. Quod verò hi patres de immoderato risu scripserũt, de aliis immoderatis verbis, & gestibus lector dictum accipiat. Cui debitam grauitatem indicimus, non superbam, non arrogantem, non affectatam, quam omnes irrideant, sed modestam, affabilem, quam vniuersi venerentur, & ex mentis maturitate profectam. Istam suadet Bernardus ad Eugenium scribens: Nec austeritatem tamen suadeo tibi, inquit, sed grauitatẽ. Illa infirmiores fugat, hæc reprimit leuiores: illa si adsit, odibilem, hæc si desit, contemptibilem reddit: in omnibus tamen modus melior. Ego nec seueriùs velim, nec dissolutiùs. Quid hac mediocritate gratius, vt nec de seueritate sis oneri, nec de familiaritate contemptui.] Sit itaque grauitas nostra humilis, sit hu-

Bonauen. in speculo par. c. 16. — *Ephes. 5.* — *Hieron. epist. 8. c. 7.* — *Basil reg. 17. fus. disput.* — *Bern. 4 de considera. c. 6.*

A militas grauis, illa humilis, ne superbiat, ista grauis ne se vsque ad pusillanimitatẽ deiiciat. Ex his namque duobus religiosa conuersatio temperata neminem offendet, sed infirmioribus aditum pandet, & leues ac inuerecundos cohibebit.

Quasi nesciens ex verborum grauitate ad actuũ maturitatem transiui, nec immeritò: hæc est enim postrema pars, quæ religiosam grauitatem complet, & perficit. Quid enim insulsius, quàm sermonibus grauitate plenis actionum leuitate contradicere, & quod sermo fecit, vita & actione destruere? Hæc autem grauitas in capite, in oculis, in fronte, in labiis, in tota facie, in manibus, in incessu, & in omni gestu ac motu corporis pulchrè seipsam ostendat. B In capite, si nec nimis rectum, nec nimis ad anteriorem corporis partem inflexum teneatur, nec huc illucq; leuiter, festinanter, & sine causa vagetur. In oculis, si sinceri sint, si benigni, si communiter in terram demissi, qui nec instabiliter in diuersas partes se vertãt nec inuerecundè vultus aliorum aspiciant. In frõte, si serena sit & tranquilla, quæ sine ruga mentis simplicitatem præferat, & omnem malitiæ & duplicitatis suspicionem, à cordibus inspicientium excludat. In labiis, si ea nec nimius rigor comprimat, nec obliuio, & oscitantia diducat. In facie, si absque dissolutione sit hilaris, & sine immoderata seueritate grauis, quæ nec tristitiam nec affectum inordinatum ostendat. In manibus, si quietæ sint, nisi aliquid vtile operentur, & nec faciẽ, nec manus, nec vestem C illius, quo cum loquimur tangant, & omni tactu minus decente semper abstineant. In incessu, si nec nimis lentus sit, nec nimis celer, sed qui medium tarditatis & celeritatis obtinens, mentem non anxiam, sed diligentem significet. In gestu, si efficax sit, sine importunitate, si rebus, quæ dicuntur accommodus, nec ab status religiosi maturitate deficiat. In motu denique, si ille non inutilis sit, sed necessarius, si non sæcularis, sed religiosus, si non superbus, sed qui humilitatem & modestiam redoleat; si etiam in abdito factus tãta circumspectione & puritate exerceatur, vt nullius aspiciẽtis ædificationi possit officere. Hæc omnia, quæ velut partes modestiæ sunt, ita grauitas moderatur, ac si eius præsentiam intueretur, cuius D oculi, vt est in propheta, mundi sunt, ne videant malum, & respicere ad iniquitatem non poterunt.] Sicut enim vir nobilis, & prudens, qui in conspectu potentissimi regis, cui summè vult placere, aliquid operatur, id præstat sine vlla nota leuitatis, quod oculos regis aspicientis offẽdat: ita vir spiritualis, sciens nihil esse ab oculis sui conditoris absconditũ, sed omnia in eius conspectu geri, cuius gratiam habere desiderat, sic omnia tum interiora tũ exteriora grauitate moderatur, vt pro gratia non Domini iram & indignationem accipiat. Est námque religiosus hac modesta grauitate, ac graui modestia spoliatus, velut animal excoriatum, quod & muscæ, ac culices pungũt, & ingratis oculis mortales aspiciũt. E Grauitas namque, & ipsa virtus, cutis aliarum virtutum est satis pulchra, atque decora, quæ nisi membra aliarum virtutum operiat, & homo tẽtationum morsibus patet, & oculis Angelorum, ac ipsius Dei extat ingratus. Nã sublimes oculos sæpe nostra inhonesta cogitatio, sæpe curiositas impetit, rugosam frontem indignatio fratris excipit, manus solutas quæ aliquid minùs decens tangunt, impudicitia ligat, incessum lentum tepiditas, & celerem affectus anxietatis cõturbat. Cuius autem oculis erit gratus, qui his, aut similibus vitiis apparet infectus? Simon quidem Petrus, vt se oculis Christi Saluatoris offerret, tunica succinxit se (erat enim nudus) & misit se

Habac. 1. — *Ioan. 2.*

in mare,]

in mare,] quia indignum duxit aut minùs decenter, aut minùs celeriter coram Domino apparere. Ita prorsus anima religiosa, vt corã oculis Redemptoris nec indecēs,nec segnis appareat, se & modestia, ac grauitate vestiat,& in mare feruidæ mortificatio. nis immittat. Alioqui carnis suæ parentem imitetur, qui post lapsum vocatus à Domino, ita respondit: Vocem tuam audiui in paradiso: & timui, eo quòd nudus essem,& abscondi me.]Quod spiritualiter faciet, si Domini visitationem aduertens, coram illo immodesta,& leuis apparere timuerit,& se ad excipiendam diuinam consolationem foliis ficus,id est, religiosæ grauitatis operimentis contexerit.

Genes. 3.

At ista grauitas religiosa,quæ in cogitationibus,in operibus,& in verbis elucet, eo præstantior est, & oculis Dei nostri gratior,quod nō ex vana cura placēdi,sed ex animæ adepta pulchritudine,& puritate procedit. Nam licèt omnes religiosæ familiæ, ab hoc(quod ferè postremum dicimus)suos erudire tyrones incipiant,& illi quasi coactè,& non sine graui molestia ante moderationē animæ,corpus, membráque componant, tamen perfecta grauitas non ex cura se moderandi,sed ex ipsa moderatione ac sanctitate mentis exoritur. Quæ cùm seipsam vicerit, cum vitia affectúsq; compresserit,tunc corpus etiam grauitatis decore circundat,& illa mirabili tum moderatione,tum placiditate actionum exornat Quãtùm verò hic grauitatis fructus ab hac radice procedens,diuinis oculis placeat,quàm pulcher sit,& suauis,quàm etiam similem Deo hominem faciat, Bernardus satis elegāter serie huius, quæ sequitur, orationis exponit. Hoc,inquit, hoc illud decorum est, quod super omnia bona animæ diuinos oblectat aspectus, & nos nominamus, ac definimus honestum. Cùm autem decoris huius claritas abundantiùs optima cordis repleuerit, prodat foras necesse est, tamquam lucerna latens sub modio, imò lux in tenebris lucens latere nescia. Porrò effulgentem,& veluti quibusdam suis radiis erumpentem, mētis simulacrum corpus excipit, & diffudit per membra, & sensus quatenus omnis inde reluceat actio, sermo, aspectus,incessus,risus(si tamen risus)mixtus grauitate,& plenus honesti.Horum, & aliorum profectò artuū,sensuumque motus,gestus,& visus cùm apparuerit, serius, purus, modestus, totius expers insolentiæ, atque lasciuiæ, tum leuitatis, tum ignauiæ alienus, æquitati autem accommodus, pietati officiosus:pulchritudo animæ palam erit, si tamen non sit in spiritu eius dolus. Potest enim fieri, vt simulentur omnia hæc, & non ex abundantia cordis taliter moueantur. Et vt magis eluceat is animæ decor, ipsum,si placet,honestum, in quo hunc locandum censuimus,definiatur mentis ingenuitas sollicita seruare cum conscientia bona,famæ integritatem, vel iuxta Apostolum, prouidere bona, non tantùm coram Deo,sed etiam corā hominibus.]Beata mens, quæ hoc se induit castimoniæ decus, & quemdam veluti cœlestis innocentiæ candidatum,per quem sibi vendicet gloriosam conformitatem, non mundi, sed verbi,de quo legitur, quòd sit candor vitæ æternæ,] splendor & figura substantiæ Dei.] Ex quibus illud præcipuè notandum censuimus, externam grauitatem, quæ in corporis membris, moribúsque conspicitur, non tam internam grauitatem efficere quàm ex illa,veluti ex fonte manare. Vel potiùs esse vt scintillam exiguam, quæ nō sine temporis mora, & sine difficultate,magnum ignem accendit,qui postea succensus,& visibilium accessione roboratus, non difficulter,sed facilè ardentem flammam,& non vnam tantùm, sed innumeras scintillas emittit. Sic omnino est religiosa grauitas, quam à sæculo extracti, & admissi in vitam religiosam addiscimus. Est modica, infirmáque scintilla, quæ virtutum actibus tamquam necis paleis supposita, & gratiæ flatu, ac virtute fulcita paulatim in animo magnum ignem charitatis & puritatis accendit. Hic verò religiosæ disciplinæ custodia auctus, & robustus effectus,non tantùm intus in corde flammam amoris excitat, sed scintillas in capite, in oculis, in fronte in manibus, in gestibus, & in omnibus moribus grauitatis exsuscitat. Habemus profectò Paulum attestantem hanc mentis & corporis grauitatē ab interna virtute exoriri.Ita enim ad Titum ait:In omnibus teipsum præbe exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in grauitate.] Primò integritatem vitæ mandat, quæ in perfecta virtute, & interna puritate collocata est,& post illam grauitatis meminit,vt hāc illius fructum, & effectum ostendere. Idemq; Laurentius Iustinianus satis indicat, dum ordinatè, ea quæ sunt grauitatis, enumerat. Sit, inquit, in ipsa mens pura, conscientia munda, intentio recta, lingua moderata, & exterioris hominis sensus temperantiæ fræno restricti. Exhibeatur cum superioribus humilitas, cum paribus charitas, & cum inferioribus sobria,& pudica humanitas. Cum his verò qui foris sunt,ne scandalizentur,prudens maturitas,quæ in facie sit læta,in moribus cauta, & in sermonibus circumspecta.]Hanc igitur ita teneamus,vt non tam ex studio,atque industria nos moderandi, quàm ex virtutis perfectione nascatur.Interim tamen, si necdum sponte ex adepta virtute nascitur,eam sollicita diligentia comparare curemus,vt statum religionis sanctum integrè, & graues mores comitentur. Est enim hæc verborum,& actionum grauitas,quæ multa merita virtutum parit, & innumeris imperfectionibus ianuam nostri cordis occludit. Est hæc, quæ hominem perfectionis studiosum decet. nam si ambitiosi fictam grauitatem ostentant, vt à regibus honore digni existimentur, quantò magis perfectionis amatores, non fictam sed veram grauitatem sectari deberent,qua apud Dominum aliquo modo præparari ad perfectionem obtinendam censeantur?

Bern. ser. 85 in cant.

2.Cor. 8.

Sap. 7. Hebr. 1.

Ad Tit. 2.

Iustin.

Sit religiosus in conuersatione cautus.

CAP. XLII.

GRAVITATI religiosæ circūspectio iungenda est,quam qui neglexerit, nō solùm perfectionē non assequetur,verùm etiã, dum minùs putauerit,innumera mala miser incurret. Quãta verò sit circūspectionis,cautionísque necessitas,vna ex libro Machabæorū aperiat historia. Cū enim Ioãnes frater Ionathæ,& Simonis, cuiusdã bellici negotij gratia iter faceret,exierūt filij Iãbri, & interfecerūt eum,fugatisq;eius comitibus omnem Ioannis substantiam contra ius & fas in suum vsum vendicarūt. Post non multos verò dies, ac si neminem occidissent,ac si nullius opes rapuissent, ac si nihil mali fecissent,ac si in nullius inimicitiã incurrissent,exeunt ex Madaba sine militibus,qui eos eingerent,sine armis, quibus se defenderent, sine apparatu bellico, quo se munirēt,vt filiam cuiusdam magni principis ducerent, & eius nuptias celebrarent. Nouerunt id Ionathas & Simō & occasionem vltionis nacti,exierunt ex insidiis,& occiderunt filios Iambri, & acceperunt omnia spolia eorum,& cōuersæ sunt nuptiæ eorum in luctum, & vox musicorum ipsorum in la-

1. Machab. 9.

mentum. O magnam negligentiam! ô procacem inuerecundiam! ô insanum cautionis prouisionísque contemptum! qui hostes habent, & iniuriis recentibus irritatos, & in luctum fraterna cæde conuersos, nuptiali veste induti, & inermes ad connubia procedũt, quã negligentiã non opibus tantùm, sed propria vita, & profuso cruore purgarunt. Hæc victoria viros religiosos monet, vt non incuriosi, non segnes sint, sed in omnibus negotiis cum magna circumspectione se gerant. Ipsi cùm spreto sæculo habitum religiosum induti sunt, Dæmonem ludibrio habuerunt; ipsi quotidie bonis, quibus intendunt operibus, aduersarium tristitia afficiunt; ipsi cultus diuini puritate, cui iugiter vacant, hostem ad implacabilem iram impellunt; ipsi animarum conuersione, quam curant, communis inimici opes, substantiamque diripiunt. Quanta ergo stultitia erit, si hi, qui hostes acerrimos habent, & recentibus ac quotidianis iniutiis in furorem versos, inermes & securi ad negotia procedant, & tempore belli, ac si essent in pace, omnem cautionem ac circumspectionem posthabeant? Non sic profectò Dauid, ille vir secundùm cor Dei, qui fecit omnes voluntates eius: nam inita amicitia cum Saüle, & omni per iuramentum simultate composita, non se credit illi, sed ascendit cum suis ad tutiora loca.] Quod sollicitè imitabitur, qui omninò cupit animæ suæ salutem non perdere. Cũ Dæmone enim infestissimo hoste numquam amicitiam inimus, numquam nos ei reconciliamus, ne igitur quasi stulti sine iusto timore rem aliquam, ad Dei gloriam, & nostrã salutem pertinentem, ac sine debita cautione tractemus. Ipsa nocendi cura, qua semper diabolus stimulatur, nos ad vigilãdum exsuscitat. Eaque Petrus Apostolus omnem oscitantiam è nostris cordibus euellit, dicens. Fratres, sobrij estote, & vigilate, quia aduersarius vester diabolus tãquam Leo rugiens, circuit quærens, quem deuoret. Leo rugiet, quis non timebit?] Diabolus indignationem clamoribus iniquorum & aliis signis ostendat, quis non verebitur? Ille circuit greges ouium Christi, vt oblitam, & incuriosam deuoret, atque discerpat, quæ ouis id sciens, absque culpa secura dormiet, & sine debita circumspectionis custodia in loco insidiatum, & laqueorum pleno tuta manebit? Quæ huiusmodi est, audiat Ecclesiasticum dicentem: Caue tibi, & attende diligenter auditui tuo, quoniam cum subuersione tua ambulas. Audiens verò illa quasi in somnis vide, & vigilabis. Nimiam cum potentiore familiaritatem dissuasit, & sub illa diaboli astutias detexit, ac dehortationem proposita sententia concludit. Consule tibi ipsi, ait, & obtura aures cordis tui, ne dolosis verbis aduersarij potentioris attendas, quoniam nõ sine spiritualis vitæ discrimine conuersaris cum illo. Damnum autem vitabis, & peruigil, ac prudens eris, si velut inania somnia eius, qui te vult decipere, sermones spreueris.

1. Reg. 24.

1. Petr. 5.

Amos. 3.

Ecclesi. 13.

Hæc verò circumspectio tam religioso necessaria, in duobus præcipuè custodiendã est, in negotiis tractandis, & in animi remissionibus admittendis. In negotiis quidem tractandis, vt spiritualis vir ea negotia tractanda suscipiat, quæ à vita religiosa aliena non sint, quæ suas vires non superent, quæ detrimẽtum virtuti non afferant, quæ deuotioni non officiant. Deinde, vt eo modo huiusmodi negotia gerat, qui nec suæ famæ, nec bono religionis nomini, aliquam infamiæ notam inurat. Exempli gratia, si aliquid, quod honorem, vel dignitatem redoleat, aut conseruandum, aut de nouo pro congregationis bono quærendum est, sine vlla ambitionis nota quæratur: si res temporales cœnobij comparandæ, vel augendæ sunt, sine vllo auaritiæ, aut immodicæ cupiditatis signo augeantur: Si aliquis increpandus, ea occasione, ea serenitate, ea mentis lenitate reprehendatur, vt id non iræ, non vindictæ, sed fraternæ charitati, & desiderio emendationis imputetur. Fœminæ si ad colloquium admittendæ sint, eas aut sacramentalis confessionis audiendæ necessitas, aut graue & vtile negotium, in loco Ecclesiæ designato, breuiter, maturè, & sine vlla occasione suspicionis admittat. Si eædem in suis domibus sint inuisendæ, socius à prælato petatur, aut senex, aut certè non contemnendæ virtutis, qui testis oculatus religiosum & fœminam loquentes videat, licèt quæ secreta esse oportet, audire non possit. Id enim integræ famæ religiosi congruere lex. Basilij manifestè proclamat, cuius sententia est: Ne quis cum fœmina religiosa nisi de rebus spiritualibus, aut necessariis loquatur, & non nisi coram duobus fratribus, qui testes assistant, aliquid tractare præsumat, vt omnis de medio tollatur sinistra suspicio:] & sanè doctè, atque sapienter id præcipit. scriptum est enim: Beatus homo, qui semper est pauidus. Et Habacuc ait: Super custodiam meã stabo, quasi ille qui sibi ipsi minimè inuigilat, nullo modo suæ famæ satisfaciat, quæ, cùm solus homo cum sola fœmina inuenitur, apud videntes aut audientes satis ignominiosè periclitatur. Si enim Hieronymum senem, vel certè non iuuenem cum Paula vetula, & sancta, coram arbitris de rebus diuinis colloquentem, dens inuidorum momordit, quid non mordeat religiosum iuuenem, aut certè non senem, cum fœmina vel suspecta vel, ad minus, non sancta, solum, & sine arbitris conuersantem? De illis militibus fortissimis, qui ambiebant lectulum Salomonis dictum est: Vniuscuiusque ensis super femur suum propter timores nocturnos.] Si verò timores isti insidias diaboli colore boni tectas designant, quid est milites Christi propter timores nocturnos semper ad bellum esse paratos, nisi semper seipsos circumspicere, & latens malum sub boni occasione formidare? Nullum autem ego, aut latentius, aut perniciosius malum inueni pallio boni contectum, quàm cùm spiritualis vir, vt fœminam in rebus cœlestibus instruat, cum illa in loco suspecto, & sine sociis esse non vitat. Hæc enim eruditio sine debita circumspectione suscepta, nõ semel in carnalem affectum, imò in peius aliquid declinauit. A diabolo quoque facile illuditur, qui in laqueum ipse se cõiicit, & ensem hostis, scilicet mulierem nõ timet. Plenitudo est sanctitatis, inquit Cyprianus, & palma perfecta, vt ex omni parte secum non habeat, quod recuset, ne quod profitetur odisse, tenendo videatur amare. Quòd si aliquis dicit: captiuum teneo aduersarium meum, cui semper insultem: videat, ne forte aduersus eum captiuus incipiat præualere. Numquã securus cum thesauro latro tenetur inclusus, nec intra vnam caueam habitãs cum lupo, tutus est agnus. Ipse se voluit superari, qui hostem proprium in suas portas induxit: & intestinum gladium sibi ipse supposuit, qui locũ habitationis suæ aduersarij ingressibus reserauit: Et qui fretus est conuersari cum scãdalo, sine causa dicit: Paratus volo esse cum diabolo, contra Apostolum dicẽtem: Nolite locum dare diabolo. Omni ergo modo muniendus est locus, vbi fuerit thesaurus abscõditus, ne per vnam cauernam totum parietem latro suffodiat. Nam si de foris expugnans vix muris expellitur, quantùm valebit si intra muros acceperit habitaculum? Et, si illi, qui contra eum claudunt, aliquoties ab eodem capiuntur, quantò magis ille, qui vltroneus illi patefecerit ingressum, decipit? Cùm dicat Salomon: Si

Basil. reg. 43. fus. disput.

Prou. 28.

Habac. 2.

Cant. 3.

Cyprian. de singul. cleric.

Ephes. 4.

Prou. 11

1. Petr. 4

iustus

iustus vix saluus fit, iniustus vbi parebit?] Omnes ergo rimæ, ne dicam portæ claudendæ sunt, ne per vnum foramen castra omnia peuetrentur, & vniuersa componenda sunt munimenta, ne per modicum non munitum tota ciuitas ruat. Sicut Salomon repetit, dicens: Qui spernit modica, paulatim cadit.]
Eccl. 19. Huc vsque Cyprianus. Ista ergo causa mulieris (nam ita eam sapiens vocat) isti compedes, istæ catenæ timendæ sunt, quæ si animum viri aliquando deuinxerint, citiùs fortassis vinculum animæ & corporis, quã illas soluet, & à suo collo separabit. Sic animas limo inuolutas quæramus, vt tamen cœno carnis nõ fœdemur: sic amicum spiritum instruamus, vt tamẽ ab hoste, qui spiritui iunctus est, scilicet ab alieno corpore, & venusta forma, non superemur: Sic Dei imaginem liberemus, vt tamen illecebræ laqueum, cui irretita est fugiamus. Et tãdem ita cum personis conuersemur, & in negotiis occurrentibus nos geramus, vt ex illis spiritualem profectum nostri, & aliorum, ac nullius detrimentum reportemus.

In animi verò relaxationibus admittendis etiam magna cautio tenẽda est, vt si humana fragilitas eas omnino aspernari non patitur, periculum, quod eis
Psal. 2. inest, circumspectionis medicamẽto curetur. Dauid enim ait: Seruite Domino in timore, & exultate ei cũ tremore:] quo versu nõ tantùm obsequiis, sed etiam exultationibus (quo nomine nunc animi remissiones accipiamus) metum, & ei cognatã cautionẽ ascribit. Nõ incongruè autẽ pro obsequio timorẽ, & pro exultatione tremorẽ (quod amplius est) poscit, quoniã animi recreatio, quæ solet ad maiorem virtutis obli-
Tobiæ 2. uionẽ inducere, debet maiori circũspectione acceptari. Nã Tobiæ iuxta parietẽ dormiẽti calida hirundinum stercora inciderunt ex nido super oculos, & cæcus factus est,] quo intelligimus nunquàm incautè esse quiescẽdum, nec animum improuidè relaxãdum, ne ex aliquo, quod pausioni carnis adiaceat, stercora imperfectionum cadãt, quæ nos ab internorum oculorum luce diuellãt. Sint ergo animi remissiones primùm licitæ, quæ nullo modo diuinis mandatis contradicãt: nam religiosos, aut aleas, aut chartas pictas, aut aliud quid simile ludere, & argentum, quod possidere non possunt, ludis exponet, iniquis-
Deut. 6. simum est. Certè Moses ad diuinorum custodiam præceptorum exhortans, ait: Eruntq; verba hæc quę ego præcipio tibi hodie, in corde tuo: & meditaberis ea sedens in domo tua, & ambulans in itinere, dormiens, atque consurgens.] Quia cùm sedemus, & cũ ambulamus, cùm dormimus, & cùm vigilamus, meditanda sunt. Si sessio, atque dormitio pro pausatione viri iusti, & sapientis accipitur, qua veluti rebus seriis dormit, vt vires resumat, & curas consumẽtes relaxet, quid est cùm sedet, & cùm dormit, præcepta meditari, nisi in huiusmodi remissione nulla ratione à Domini lege discedere? Sint etiam recreationes statui religioso cõgruæ: Nec vir qui talem statũ profitetur, more puerorũ saltet, aut vociferetur, nec more parasitorum scurrã agat, & cachinnis insistat, nec
Genes. 28. more sæcularium, aut eorum qui vitam spiritualem non profitentur, seipsum effundat. Iacob námq; dormiuit, sed super lapidẽ, & sic honestè & circũspectè dormiuit, quòd Angelos ascendẽtes, & descẽdentes aspexit. Ita prorsus dormiendũ est, ita animus aliqua remissione recreandus, vt super lapidem, id est, super Christum dormiamus, vt à religioso statu, qui Christi viua imago est, numquã aliqua actione prophana discedamus, vt Angelorum salutationem ineptis motibus non repudiemus. Sint præterea huiusmodi remissiones, cœnobio, & loco Deo dicato cõuenientes. Si enim intra ipsum cœnobiũ exerceantur, lo-

A cus ipse circumspectionis nos admonet, qui diuinis obsequiis dicatus, nõ debet pro phanis lusibus cõtaminari, nec pollui. Si verò extra cœnobium, vt in vinea, aut in prædio admittendæ sint, nihil refert, quia vero perfectionis amatori omnis locus cœnobium est, cùm in omni loco teneatur leges cœnobij non trãsgredi, & se moribus religiosum exhibere. Angeli quidem lætantur, sed sicut in cœlo: Adam dormit, Genes. 2.
vt cõiugis formationi cooperetur, sed sicut in paradiso, Samuel quiescit, sed sicut in tabernaculo, in 1. Reg. 3.
quo auditurus est arcana cœlestia. Ita religiosus lætetur, ita animũ relaxet, ita ab assiduo labore quiescat, nimirum, vt qui in religiosa domo, scilicet in cœlorũ imagine residet, & coram Deo & Angelis viriũ re-
B sumẽdarum gratia relaxationem admittit. Putat imperfectus religiosus, aut putare se simulat, quòd recreationis tempore nulla animæ cura necessaria est, nulla mensura seruanda, nulla regula custodiẽda, & dum incautè se curis soluit, mẽtis tranquillitatẽ, aut aliquando Dei gratiam, & amicitiam relinquit. Isboseth sine debita custodia in lectulo suo soporat⁹ est, 2. Reg. 4.
dormienteq; ostiaria ingressi sunt latẽter Rechab & Bana, & interfecerũt eum.] Ita ô religiose, si absque debita circumspectione dormias, id est, animum recrees, & tuæ sensualitati infidæ custodi, somnũ tuę recreationis fidas, ingredientur latenter hostes, qui deuotionis spiritum, aut fortè ipsa gratia teipsum spolient, & te capite truncatũ, id est, melioribus bonis, orbatũ relinquãt. Fac itaq; quod sanctus Iob qui ait: Iob 9.
C Verebar omnia opera mea, sciens quòd nõ parceres delinquẽti.] Et animi remissio vnum est ex operibus tuis, quod in adiumentum aliorũ assumis, nõ huius obliuiscaris, quẽ in omnibus operibus vereri debes quia Deus proculdubio nõ parcet, quòd in hac etiã operũ serie deliqueris. Sint deniq; religiosorũ relaxationes, non sine mensura susceptæ. Nã neq; admodũ frequẽtes esse debẽt, neq; per nimis longum tẽpus protractæ, nec sine aliqua necessitate resumptæ. Noli regibus ô Lamuel, ait Salomõ, noli regibus da- Prou. 31
te vinũ,] subintellige immoderatũ, & quod sobrietatis metas excedat, quia nullũ secretũ est vbi regnat ebrietas.] Et religiosi sũt reges, quisuis affectibus iura decernunt: non ergo lætitiæ & relaxationis vino ingurgitãdi sunt, quod secretis cœlestibus au-
D diendis eos reddat ineptos. Rex profectò ille regũ, Psal. 109
in cuius regno religiosi regnabunt, sæpissimè de torrente laborum in via huius mortalitatis bibit, sæpissimè vsque ad lassitudinem corporis laborauit, vt tãdem in fine vitæ, caput gloria circumdatum exaltaret. Semel autem, & quasi ad momentum transfiguratus est, & haustum gloriæ sibi manentis susce- Matt. 17
pit. Idem nobis faciendum est, vt iugiter pro virtute laborantes, & rarò corpori nostro pausationem concedentes, & non nisi vt necesse est, remissionem acceptantes, cum eo qui caput nostrum est, in æterna gloria caput etiam exaltemus.

E Hæc quidem animi cautio, atque in omnibus circumspectio, propria est amicorum Dei, qua seipsos, quantùm possunt, ab omni casu & labe custodiunt. Animalia enim cæca tamquam immũda à sacrificiis repulsa sunt, quia in sua spirituali salute cæcus, non est aptus Domino in sacrificium offerri. Illa quoque quatuor animalia ab Ezechiele depicta, tã Deo familiaria, & throno deitatis propinqua, plena oculis Ezech. 1.
describũtur, quia videlicet plusquã lynceũ esse oportet, qui eã est puritatẽ adepturus, qua ad Dei familiaritatem admittatur. Vnde Gregorius ait, corpora animaliũ idcirco plena oculis describũtur, quia sanctorum actio ab omni parte circũspecta est: bona desi- Greg. lib. moral. cap.
derabiliter prouidẽs, mala solerter cauens. Et hoc est

laboriosius,

laboriosius, quia sanctorum mens vehementer inuigilat, ne se ante eorũ oculos mala sub bonorũ specie abscondant. Circumspecta ergo est vita sanctorum ne sic sit libera, vt superba sit, quia sæpe superbia excedit in verbis, & audiri appetit libertas puritatis: Ne sic sit humilis, vt formidolosa, quia aliquãdo timor restringit animũ, & loqui, quæ recta sũt, nõ præsumit, sed tamẽ in ipsa timida cogitatione humilitatem esse se simulat: Ne sic sit parca, vt tenax sit, quia plerumque tenacitas parsimonia appetit æstimari, vt iustè ac necessariè videatur tenere, quicquid egenti proximo misericorditer nõ vult impẽdere: Ne sic sit misericors, vt effusa sit, quia nonnumquã effusionem esse misericordiã putat. Aliud enim est pietatis studio necessaria proximis dare, atq; aliud ea quę possidentur sine mercedis intentione dispergere.] Vide quàm circumspecti sint sancti, qui omnia examinãt, & vndique vniuersa ad se pertinẽtia perlustrant, ne defectus aliqui diuinis oculis displicẽtes, se sub pallio virtutis Deo placentis abscondant. Clariùs autẽ Dominus hãc circumspectionem Apostolis suis, atque in eis omnibus amicis suis mãdat, dũ ait: *Matt. 10.* Estote prudentes sicut serpẽtes, & simplices sicut colũbæ.] Simplicitas colũbæ quærẽda est, quis neget? Sed nõ sola, quæ in stultitiã & fatuitatẽ deflectit, sed serpentis prudentiæ, imò & sanctæ astutiæ coniungẽda. Illa sola, vt noxia reprehenditur, in illis verbis. Factus est Ephraim sicut columba seducta, non habens cor.] *Osea 2.* id est, non habẽs debitam prudentiã, ac sagacitatem, qua à nemine seducatur, hæc verò, quæ serpẽtis cautionem, comitem habet, ipsius Domini ore laudatur. Serpẽs quippe, quòd diu viuat, & multis annis multam experientiam capere possit, & quòd multùm videat, (& à viuendo vocatur draco) typus prudentiæ esse cognoscitur. Qui ergo Dei amicitiã, ac familiaritatem venatur, simplicitatẽ quidẽ habeat, qua vtcumque fiat diuinæ simplicitati similis, sed etiã serpentis prudentiam imitetur. Bene enim inquit Ambrosius: *Ambr. in Psal. 36.* Ipsa etiã cauta debet esse simplicitas. & prouida, vt nouerit, quid cauẽdum sit. Neque enim otiosè dictum est: Estote astuti sicut serpentes, & simplices sicut columbæ. Spiritalis ergo debet esse astutia, quæ seruet salutem: quæ dolũ nesciat, spiritalis debet esse simplicitas.] Nec immeritò talis simplicitas coniuncta prudẽtiæ, a nobis exigitur, quoniam semper in loco periculoso, & quasi super tectũ & per tegulas ambulamus, quare ne ex alto virtutis cadamus necesse est simplicitatem nostram prudẽtia muniri. Similiter prudẽtia simplicitati copulata petitur, quoniam nõ cum anxietate nec cum scrupulis viuendũ est, ita vt omnia, etiam salubria timeamus, & vbi nõ est timẽdum trepidamus. Sit itaq; simplicitas cauta, quæ pericula timeat, sit cautio simplex, quæ interdũ propter gloriã Dei, suspiciones inuidorũ nulli subnixas fundamento contemnat. Quæ tam vanæ, & ineptæ, & stultæ esse solent, vt potiùs ridendæ sint, quàm propter illas à rebus diuini obsequij cessandũ.

Duo verò sunt, quæ nos ad tenẽdã circũspectionem, astringunt. alterum est bonũ nostrum, alterum verò religionis bonum, cui etiam tenemur diligẽter prospicere. Virtus enim nostra nimis periclitatur, si absq; circumspectionis custode occasionibus illigetur. Quæ nõnumquam talis generis esse solẽt, vt nisi *1. Cor 9.* cautio eas fugiat, aut temperet, virtus multis annis adepta succũbat. Ideo Paulus raptus in cœlum, & tot annorũ sanctitate munitus, castigat corpus suum, & in seruitutẽ redigit, ne aliis prædicãs, & prædicationis distentionibus aliquantulũ eneruatus, aut reprobus, aut certè segnis, & tepidus fiat.] Ideo etiã positi *1. Paral. 26.* sunt ianitores à Dauide ad quatuor portas tabernaculi, ad orientẽ videlicet, & occidentem, septemtrionem, atq, meridiem, quia mens iusti, quæ tabernaculum Dei est, ne periculis pateat, vndiq. debet custodiri, In oriẽte, id est, in initio cuiusque operis, cautio custos assistat, ne hostis sinistræ intẽtionis irrumpat, In occidẽte, id est, in fine operis, circũspectio actionẽ custodiat, ne eam inanis gloria supplãtet. In meridie prosperitatis, adsit prudẽtia, futura prospiciẽs, quæ superbiam arceat. In septemtrione aduersitatis non desit serpentis astutia, quæ pro seruanda virtute constanter omnia profũdat. Nam si absq, isto custode simus, facile erit ruere, & multis annis comparata vno momento destruere. Vt enim, inquit Gregorius: *Gregor. 6 mor. c. 12* Lõgo studio seges seritur, sole, atq; imbre diutino nutritur, sed tamẽ vna & subita scintilla cõsumit. Paulisper ædificia ad alta proficiunt, sed repentinis casibus terram petũt. Robusta arbor in aera per tarda incremẽta se erigit, sed quicquid diu alta protulit, semel & simul cadit.] O quã vera sũt, quæ sãctus hic pater istis similitudinibus cõtegit! Quid enim est spiritualis vita, nisi quædã abundantissima seges, quam per totam vitam Dominus in nobis serit, & Spiritus sancti ardoribus, ac laborũ pluuiis enutrit. Hanc autem scintillã impuræ affectionis, quæ ex persona suspecta veluti ex camino ignis erupit, repente consũpsit. Quid est perfectio, nisi ædificatio sancta, templumq, magnificũ, quod Deo in cordibus nostris extruximus? Illud verò, nisi superbiã timeamus, subitus casus destruit, & inopinatus euẽtus absorbet. Quid est virtus, nisi arbor pulcherrima, assiduis incremẽtis radicata, quã tamẽ vna aduersitas cũ impatientia, & indignatione suscepta solet deiicere? Videamus ergo quomodo cautè ambulemus, quia thesaurũ nostrum hostes sãctitatis, qui innumerabiles sũt, sẽper & vbi conãtur deprædari. Quibus vna serpẽtis prudẽtia, diuinę gratię fauore suffulta, potẽs est cõstãter resistere.

Nec sola virtus, ac salus nostra, verũ etiã integra fama nostra, ex qua bonum religionis nomen depẽdet, vna circumspectionis contemptione destruitur. Nam religiosum incautũ, & laqueos Diaboli nõ timẽtem, saltem linguæ maleuolorũ infamãt, & nunc eius pudicitiã, nũc eius paupertatẽ, nunc eius humilitatẽ, aut alias similes animæ vestes. dẽte crudeli dilacerant. Fitq; sæpe, vt qui neq, in minimo offendit, iniquus ab omni plebe existimetur, quia ob minimã occasionẽ, quã dedit, ab iniquo homine impudicus, aut proprietarius, aut ambitiosus prædicatur. Consilium sapiẽtis curam habe de bono nomine,] *Eccl. 41.* quod in multis euentibus vim præcepti subire potest, nobis semper sit cordi, si nolumus, nosmetipsos, & matrem nostrã religionem, sinistra prophanorũ hominũ opinione fœdare. Prouidẽtes bona, ait Paulus, nõ tantũ *Rom. 12* coram Deo, sed etiã corã omnibus hominibus.] Non verò corã hominibus bona prouidet, qui bonũ nomẽ, ac famã ob ineptam simplicitatẽ, opinionibus & detractionibus maleuolorũ denigrãdam exponit. Et prodigè atq; illiberaliter gemmã illam pretiosam dilapidat, de qua dictum est: Melius est nomẽ bonum, quã diuitiæ multæ.] Et iterum: Melius est nomen bonum, quàm vnguenta pretiosa.] *Prou. 22.* Et Ecclesiasticus ea ratione nos ad custodiendum bonũ nomen instigat: Hoc enim, inquit, magis permanebit tibi, quã mille *Eccles. 7. & 41.* thesauri pretiosi & magni. bonæ vitæ numerus dierum: bonum autem nomen permanebit in æuum.] Egregiè profectò Hugo ait: *Hug. in regul. c. 9.* Propter nos conscientia bona sufficit nobis. propter alios fama nostra nõ polui, sed pollere debet in nobis. Qui fidẽs conscientiæ suæ negligit famam suam, crudelis est, maximè in hoc loco positus, de quo dicit Apostolus scribẽs ad discipulum: *Titum. 2.* Circa omnes teipsum bonorũ operum

1.Cor.4. præbe exemplum.] Rursus alibi dicit: Spectaculum facti sumus mundo, & Angelis, & hominibus.] Qui nos amant, quærunt quid in nobis laudent: qui verò nos odiunt, detrahunt nobis. Nos autem in vtroque medio constituti, adiuuante Domino nostro Iesu Christo, & vitam, & famam nostrã sic custodire debemus, vt nõ erubescamus à detractionibus laudari.] Prospiciamus ergo nobismetipsis, tum propter nos, tum ne familiæ religiosæ fama lædatur. Hæc enim detrimentum patitur, si nos, qui filij eius sumus, ore inuidorũ damnamur, & causa à nobis incautè data, dictis sæcularium discerpimur. Propter nos certè nomen religiosæ vitæ sanctum, & venerabile blasphematur, non iam inter gentes, quas catholica Ecclesia prostrauit, sed inter hæreticos, qui, quòd casus vni' aut alterius religiosi vident, aut audiũt, sanctissimam monachorum vitam condemnant. Quorũ tunc dentẽs contendimus, cùm sine querela apud homines Bern. ser. 9. in Cãt. conuersamur. Audiamus igitur Bernardum monẽtem: Attendite & vos vobis in omni loco, scientes, quoniam omnia vestra norit scrutãs corda, & renes Deus, qui finxit sigillatim corda vestra, & intelligit Ioan. 2. omnia opera vestra.] Enitamur illum imitari, qui dixit: Quis ex vobis arguet me de peccato?] Non quasi absque omni peccato esse possimus, hoc enim, vt sæpe diximus, beatorum est, sed quia ita curamus viuere, vt licèt aliquis possit in nobis modicum defectum aduertere, non tamen iure possit crimen imponere. Ista circũspectionis cura protecti, & dæmonis laqueos fugiemus, & celeriter ad vitã perfectam properabimus, & bonum virtutis odorem, in gratiam eorum, qui nos considerant, emittemus.

Sit religiosus in eadem vitæ ratione perseuerans.

CAPVT XLIII.

FINIS, vt aiunt, coronat opus, & sola perseuerantia coronatur, quare qui vult omnia, quæ hactenus diximus, cum vtilitate seruare, debet in vitæ suæ ratione constãs effectus, se ad mentis constantiam, & operis perseuerantiam accingere. Quid enim proderit, domus fundamenta iacere, & parietes in altum erigere, nisi superimposito tecto habitatio nostra vsque ad finem perficiatur? Ita nihil ad perfectionem assequendam prodest, in tyrocinio religiosæ vitæ fundamenta perfectionis per sui contemptum & humilitatem submittere, nihil prodest virtutum actibus, velut lapidibus, aut lateribus parietes huius ædificationis cõponere, nisi eam constans perseuerãtia quasi tectũ operiat, & integrum ac pulchrum templum nostri conditoris efficiat. Perseuerantia est, quæ semper ad finem operis nititur, & nihil cœptum, aut semifactum relinquit, sine qua ipsum spiritalis vitæ finem, quem perfectionem esse definiuimus, nemo proculdubio Apoc. 2. conquiret. Vincenti, ait Dominus, dabo manna absconditum, & nomen nouum,] ergo qui difficultates nõ vincit, & ab eo quod cœpit, retrocedit, nec mãna absconditum perfectionis, nec nomẽ nouum sancti atque perfecti, quod Christus nouus homo nobis acquisiuit, accipiet. Istudq; manna, istudque nomen nouum prælibatio quædã est coronæ futuræ, quæ solis 2. Tim. 2. perseuerãtibus in virtute promittitur. Qui certat in agone, inquit Paulus, non coronabitur, nisi legitimè certauerit.] Agonis nomine nũc vitam spiritualem, seu religiosã accipe, in qua pro aliqua retributione certamus: coronam sãctæ perfectionis donum intellige, quæ caput, id est, mẽtem nostram, cingit, atque

A condecorat: legem certaminis perseuerantiã intellige, quam Dominus ipse promulgauit, cùm dixit: Qui Matt. 10. autẽ perseuerauerit vsq; in finẽ, hic saluus erit.] Nõ igitur perfectionis corona ditabitur, qui vtcumq; in statu religioso certauerit, sed qui cõstanter certauerit, & iuxta hãc perseuerantiæ legẽ virtutis exercitationem instituerit. Idq; idẽ Paulus alio etiã loco te- 1. Cor. 9. statur, dicẽs: Nescitis, quòd hi, qui in stadio currunt, omnes quidem currũt, sed vnus accipit brauium? sic currite, vt cõprehẽdatis.] Quisnam est ille vnus, qui accipit brauiũ in terreno certamine? Nónne ille, qui vsq; ad metam currit, qui omnes alios currẽtes prætergreditur, qui gemmã ad finem peruenięti, & alios prætergredięti destinatã arripit? Sic prorsus ad per- B fectionis gemmam vendicãdam, non sufficit in stadio religionis currere, nisi vsque ad finem curras, & omnes imperfectos tepidósque præuertas. Ideo dia- Genes. 3. bolus soli perseuerantiæ parat insidias, cui in Genesi dicitur: Ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo eius.] Tãta est sanè huius hostis insolentia, vt cõtrito capite à persecutione nostra nõ cesset, sed calcaneo, id est, fini operis, ac perseuerãtiæ laqueum instabilitatis obtendat. In quo profectò ad nostram perditionẽ obtinendã nõ fallitur, qui optimè nouit, Eccle. 11. quod vbi ceciderit lignũ, ibi erit,] & nõ ignorat hominũ fortes à Domino non ex initiis, sed ex fine pẽsari. Vnde pulchrè Hieronymus ait: Nõ quærũtur in Hieron. epist. 10. ad Furia. Christianis initia, sed finis. Paul' malè cœpit, sed be- C ne finiuit. Iudæ laudãtur exordia, sed finis proditione Ezech. ca. 18. dãnatur. Lege Ezechielem: Iustitia iusti nõ liberabit eũ, in quacumq; die peccauerit: & impietas impij nõ nocebit ei, in quacumq; die conuersus fuerit ab impietate sua.] Ista est scala Iacob, per quã Angeli con- Gene. 28. scendunt, & descẽdunt, cui Dominus innititur lassis porrigens manum, & fessos ascendẽtium gradus sui contemplatione sustentãs.] Cura itaq; incipiendi, & virtutis iter arripiendi, necessaria est, nã qui nõ incipit, citra dubium numquam ad finem perueniet, sed sollicitudo perseuerãdi, multò magis necessaria. Multi quippe sunt, qui viam perfectionis incipiũt, quos initia non esse admodum difficilia satis ostendit, sed ô quam pauci ad finem huius vitæ, nempe ad perfe- Matt. 10. ctionem, ascẽdunt. Planè illud etiam quadrat in perfectionis obtentu: Multi sunt vocati, pauci verò ele- D cti.] Non enim omnes, quos Dominus ad vitam religiosam, atq; ad perfectionem vocat, se dignos faciũt 1. Cor. 10. efficaci electione perfectorum. Item & illud: Patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes in Moyse baptizati sunt in nube, & in mari, sed nõ in pluribus eorum beneplacitum est Deo.] Quadrat, inquã, hoc per mysterium in illos, qui acceptis nonnullis cœlestibus donis, numquam perfectam virtutem adepti sunt, quia cura perseuerandi seposita à primæuo feruore ad desidiam, & oscitantiam declinarunt.

Qui ergo perfectionis palmã obtinere cõcupiscit, incipiat quidem viam istã felicem ingredi, sed magna cura in eo, quod incepit, perseueret. Nã multos vidimus optimè cœpisse, & incredibili feruore spiritus initia virtutis adamasse, quos certò scimus ob E perseuerantiæ defectum, non solùm non fuisse perfectionem adeptos, sed & in damnationẽ fuisse prolapsos. An Saul non bene cœpit? Vtique, sed inconstantia eum à regno, imò & ab æterna salute deiecit. Denique audit: Pro eo quòd abiecisti sermonem 1. Reg. 15. Domini, abiecit te Dominus, ne sis rex.] An illi non bene cœperunt, qui Saluatorem sequebantur? Ita sanè: Sed quia abierunt retro, & non iam cum illo ambulabant,] se pane vitæ & salute priuauerunt. Ioan. 6. E contra verò Ezechielis animalia, quæ viros iustos Ezech. 1. designabant, non reuertebantur, cùm ambularent.

Et

Apoc. 4. Et illa, quę in Apocalypsi vidit Ioannes, requiem nō
1. Reg. 6. habebāt die ac nocte, dicentia: Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus omnipotens.] Vaccæ quoque arcam testamenti portantes, ibāt in directum, & itinere vno gradiebantur, pergētes, & mugientes.] Ista omnia sunt virorum perfectionem sitientium imagines, qui iugo Christi subiecti, non debent quiescere, non reuerti, non ad dexteram vel sinistram declinare, quousque ad Bethsames, quæ interpretatur domus solis, id est, ad perfectionem, ascendant. Qui autem ignominiosa tepiditate quieuerit, & ad sæculi commoditates reuersus fuerit, numquam perfectionis thesaurum possidebit. Quare sapienter Laurentius Iustinianus ait: Non poterit quis ad consummationem virtutis attingere, nisi voluerit in ipsius exercitatione perseuerare. Non sufficit planè terram fodere, arbusta plantare, atque nascentes fructus inspicere, si non æquo animo permittantur etiam maturescere. Sic nimirum omnis labor, quælibetq; virtus laudem nō meretur, nisi in eadem viriliter perseueretur.] Et Gregorius idipsū aliis pulcherrimis similibus explicat: Neq; enim, ait, absolutus est debitor, qui multa reddit, sed qui omnia: nec ad brauium victoriæ peruenit, qui in magna parte spectaculi velociter currit, si iuxta metas veniens, in hoc, quod est reliquum, deficit. Nec ad quælibet destinata loca pergentibus inchoando prodesset longum iter carpere, si non etiam totum valerent consummare. Qui ergo æternam vitam quærimus, quid aliud quàm quædā itinera agimus, per quæ ad patriam festinamus? Sed quid prodest quod carpimus multa, si ea quæ ad perueniendum restant, negligimus reliqua? More itaque viatorum nequaquam debemus aspicere, quantū iā iter egimus, sed quantùm superest, vt peragamus, vt paulisper fiat præteritū, quod indesinenter, & timidè adhuc attenditur futurum. Amplius igitur debemus inspicere, quæ bona nec dum fecimus, quàm ea quæ iam nos fecisse gaudemus.] Quæ omnia sapiēter dicta sunt. Quoniam licèt omnis virtus, omnisq; perfectio sit donum Dei, tamen ipse hoc donum nō incipientibus, sed perseuerantibus pollicitus est. De illo enim à quo tres panes ad amicum reficiendum petiti sunt, ait: Dico vobis, propter improbitatem eius surget, & dabit illi quotquot habet necessarios.] Ostendens videlicet perseuerantiam pulsandi, & laborandi, tres panes, id est, omnem virtutis abundantiam ad mentem nostram perficiendam impetrare.

Iust. ligno vitæ tr. de obediēt. c. vlt.

Greg. 22. mor. c. 5.

Luc. 11.

In multis hæc perseuerantia tenēda est. Primo in loco, vt scilicet nō facilè locum nostrum deseramus. Nunc verò nihil de mutatione status, siue instituti dicimus religiosis, quos tunc de hac re monebimus, cùm (Deo votis nostris annuēte) varias Dæmonis tētationes aperiemus, sed solam mutationem locorū intra eādem religionem sine legitima causa damnamus. Sunt enim nonnulli religiosi, qui nusquā sciunt quietè consistere, quibus vehementer placet, de prouincia in prouinciam, de cœnobio in cœnobium, aut de collegio in collegium cōmigrare. Quod, vt assequātur, prælatos querimoniis onerant, & aliquorū, qui in domo religiosa, aut extra illā aliquid esse videntur, precibus, & intercessionibus fatigāt, vt facultatem ab hoc loco discedendi, & migrandi in alium obtineant. Istorum autem quosdam mouet spiritalis profectus, quē in alio monasterio, & sub alio prælato, & cum aliis sociis se habituros esse coniectāt: alios excitat corporis incolumitas, quā hoc aëre, & cœlo & huius vrbis temperie putant non modicū labefactari: Alios parentum, & fratrum, ac cognatorū desiderium, quorum absentiā tolerare nō sustinēt: Alios tandē Diabolus apertè deludit, qui ingenita quadam instabilitate, & spiritu curiositatis ducti, omnia lustrare, & sēper hospites esse percupiūt. Hos omnes Dominus ab hac mentis, & corporis mutabilitate retrahit, dum ait: Nolite transire de domo in domū.] Nam si hospites sunt, & peregrini, qui domum religiosam tamquam hospitium ingressi sunt, in quo huius vitæ noctem vtcunq; transigerent, non curēt ab ea quam Deo inspirante, aut obedientia annuente elegerunt, discedere, sed in illa constanter salutem suā operari. Nec putēt se animi cogitationibus, ac desideriis, loci mutatione aliquod remediū afferre, quæ solet non trāquillitatem, sed maiorem inquietudinis morbum inducere. Ipsi enim (vt verba Cassiani referā, qui necdum possunt, vel nolunt voluntatū suarum instigationibus reluctari, cùm acedia pectus insolitū vehementiùs impugnante, intra cellam fuerint anxiati, si progrediēdi sæpius libertate sibi remissā, districtionis lege concesserint, acriorem aduersum se pestem, hoc vt putant, remedio suscitabūt, sicut gelidissimæ aquæ haustu vim internarū febrium quidam restringere posse se credunt: cùm vtiq; accendi ex hoc ignē illum constet potiùs, quàm sedari, siquidem momētaneam illam releuationem multò grauior consequetur afflictio.] Hos homines instabiles spiritalis profectus cura sollicitat. Sed arbores, quæ sæpè de vno solo in aliud transferuntur, numquam proficiunt, nec maturos fructus emittunt. Sed discipuli, qui de vno in aliud gymnasium transeūt, numquam perfectè scientiam quam profitentur, addiscunt. Sed artifices qui locum suæ officinæ mutant, à se emptores, & lucrū abiiciūt. Sic qui prætextu spiritalis profectus de vno in aliud cœnobium volitant, idipsum quod promouere curant, sua instabilitate diminuūt. Virtutem enim eorum huius prælati duri ties, & horum sociorum insuauitas non minuit, sed auget, si patienter feratur, nō destruit sed exercet. Sta in gradu tuo,] dixit Angelus Danieli, vt futura illi prædiceret: quia nimirum necesse est diuinam lucem percepturis stabilitatem etiam corporis, & loci sibi designati habitationem amare. Et Salomon ait: Sicut auis transmigrans de nido suo: sic vir qui derelinquit locum suum. Illa periculum laquei subit, & iste se periculis distractionum exponit.

Luc. 10.

Cassian. col. 24. c. 5.

Dan. 10.

Prou. 27.

At aduersa corporis valetudo, quam in hac prouincia, aut in hoc cœnobio experiuntur, eos ad loci mutationem impellit. Sed sciāt corporeas infirmitates nō ex loco, in quo alij incolumes habitāt, sed ex aliis causis sæpe manare. Quas cùm corpus loci mutatione nō deponat, nec postquā aliò translatum est (quod experientia millies ostēdit, ab ipsis se ægritudinibus liberat. Sed esto, locus sit causa inualetudinis, at dictum Pauli considerent: Quia vnusquisque mercedē accipiet, secundùm suum laborem,] & occasionem patiendi, & sustinēdi non reiiciant, vt secundùm illam, cumulatam mercedem accipiāt. Nec infirmitas, præsertim si modica sit, eos à diuinis obsequiis, aut ab studio perfectionis diuertit, quib' labores, (quæ præcipua solēt esse perfectionis instrumēta) & memoriam mortis, nos ad currendum sollicitantis momentis singulis ingerit. Et si diues, & præpotens homo, qui in sua patria infirmitatem contraxit, salutis obtentu, nec regnum, nec vrbem mutat, neque filios, & familiam, & opes, in aliam regionem deportat, sed commodis remediis apud suos se vtcumque sustentat: cur pauper religiosus, qui sæculi cōmoditates relinquit, vult posse, quod diuites, & pecuniosi non possunt, & indispositione corporis orta, statim comitē & omnia necessària habere, & nō sine impensis monasterij pauperis in aliud monasterium commigrare? Qui verò Prælatis est im-

1. Cor. 3.

portunus, vt in eam vrbem vadat, in qua sui parẽtes, & fratres, & cõsanguinei commorãtur. iudiciũ euidẽs præbet, quòd sæculum non deseruit, cuius chariorem partem tãtopere sibi adiungere cupit. (Matt. 10.) Quisquis hic est, audiat Dominũ dicentem: Qui amat patrẽ, aut matrem, plusquam me, nõ est me dignus. Et qui amat filium aut filiam super me, non est me dignus. Et qui nõ accipit crucẽ suam, & sequitur me, non est me dignus,] & Christum posthabere, ac crucem propriã non ferre conuincitur, qui ob parẽtum, aut consanguineorum amorem, à proposito omnia deserendi separatur. Nec desiderio conuersionis parentum, & cognatorum, eos quisquam religiosus inquirat, habẽt enim Moysem, & prophetas, habẽt, in quã prædicatores, & ministros Euangelij, audiant illos.] (Luc 16.) Et facilius est modicum salis in aquam cõuerti, quàm in mare cõiectum totam aquam in sal cõmutare. Ita, ô religiose, faciliùs tui cognati te distrahẽt, & ad suas curas, & negotia trahẽt, quã tu illos à suis ambitionibus, & peccatis abducas. Dicesque forsan de illis postquam fueris satis sordidatus: Verberauerunt me, sed nõ dolui, traxerunt me, & ego nõ sensi (Prou. 23.) Quãdo euigilabo, & rursus vina spiritualis consolationis, quæ amisi, reperiam.] Nec etiam apud illos te gratum aut acceptum esse cõfidas, quia verissima est sentẽtia Saluatoris: (Luc. 4.) Quòd nemo propheta acceptus est in patria sua.] Iam tãdem illos, qui spiritu curiositatis, & instabilitatis victi, nesciũt in vno loco consistere, non est cur multis adhortemur, certum est enim, quòd Diabolus circũuoluit illos vt rotam, & dispergit vt stipulam ante faciem venti, ne aliquam mentis puritatem acquirant. Audiuimus inter vos quosdam, inquit Paulus, ambulantes inquietè, nihil operantes, sed curiosè agẽtes. Iis autẽ, qui eiusmodi sunt, denunciamus, & obsecramus in Domino Iesu Christo, vt cum silentio operãres suum panem mãducent.] Eisdem verbis rogamus istos, vt sciãt in eodem loco consistere, & quæ obedientia iniunxerit, stabiliter operari: nam multa sunt mala, quæ ex hac mutatione locorum exoriuntur, quæ Climacus his (Climacus gradu. 4.) paucis verbis enumerat. Cordis hæsitatio, & infidelitas, locorumq; mutatio offẽdicula semper atq; calamitates parare consueuerunt. Qui enim proni ac faciles ad migrationem mutationẽmq; locorum sunt, improbi omnino iudicantur. Nihil ita boni operis fructus consueuit obtũdere vt locorum crebra mutatio.] Cùm ergo prælatus aliquem non instantem nec postulãtem de vno loco in alium mutauerit, fidenter obediat, credens quia loci mutatio suo profectui non officiet. Scriptum quippe est: (Psal. 101.) Mutabis eos, & mutabuntur. Nam si Deus aliquos per obediẽtiam mutauerit, ipsi gratiã obediendo recipient, vt se de malo in bonum, aut de bono in melius mutent. Dum verò obedientia sancta religiosum, non mutat, ipse nullo modo suum locum deserat, sed in eo suam salutem operans perseueret.

Deinde perseuerandum est in defectuũ remediis adhibẽdis: ita scilicet, vt vnum medicamentum animæ, multoties vsque ad vitij extirpationem repetamus, nec variè & indiscretè, diuersa ac multa remedia applicemus. Nam qui in carne vlcus senrit, medicum sapiẽtem, & expertem inquirit, de cuius consilio, non nunc istud, & post vnam horam aliud, & post alteram aliud medicamẽtum adhibet, sic enim numquam vlcus curaret, sed perseuerãter vnam seriem curationis tenet, qua tandem ad coucupitam sanitatem peruenit. Sic omnino, qui vitio superbiæ, aut ambitionis, aut alio quopiam laborat, magistrũ spiritualem velut peritum medicum cõsulat, & medium sanandi sibi assignatam constanter vitio suæ

A mentis adhibeat: Nam ista perseuerans eiusdem curationis repetitio, multò magis quàm crebra mutatio remediorum sanitatem efficiet. Et fortassis id docuit Salomon, dicens: (Eccl. 10.) Si spiritus potestatem habentis ascẽderit super te, locum tuum ne dimiseris: quia curatio faciet cessare peccata maxima.] Tunc quidẽ spiritus habentis potestatem ascendit super aliquẽ, cùm animæ morbus illum impugnat, ac miserabiliter subiicit. Et quod tunc medicamen apponendum? Illud certè, vt vitio impugnatus, locum suum, id est, modum curationis, non deserat, quia vniformis, atque assidua curatio peccatis maximis solet mederi, quantò magis minora, aut non nimis radicata curabit? Audi quo pacto ista duo doceat Bernardus. Diximus enim primo spiritualem medicum esse consulendum, de quo ait: Contra leuitatem adhibenda est

B consultatio seniorum, scilicet, ne doctrinis variis & (Bern. ser. 5. de assump.) peregrinis abducamur, sed facias, quod lex diuina præcipit. Interroga patrem tuum, & annunciabit tibi, maiores tuos, & dicent tibi. Diximus secundo eadem remedia constanter iteranda, de quo alio loco inquit: Cura eget & non modica, non inquinata, sed infecta natura. (Idem.) Incũbat ergo immobiliter valetudinario suo, (sic enim solẽt appellare medici valetudinum curãdarum officinam) & remedij suscepti prosequatur vsum vsq; ad sanctitatis experimẽrum. Valetudinarium tuũ, ô ægrote, ô languide, cella tua est: remedium, in quo curari cœpisti, obediẽtia est, obedientia vera. Sed scito quòd remedia crebrò mutata nocent, naturã disturbant, & ægrum disterminant. Nam & qui aliquò pergit, si vnam certam retinuerit

C viã, citò perueniet, quò tendit, & itineris & laboris faciet finẽ. Si verò multas aggreditur vias, errat, nec laboris aliquando finem facit: quia error finem non habet. Non ergo remedium mutes, neque aliud pro alios accipias, sed vsque ad terminũ perfectæ sanitatis medicinalis obedientiæ remedio vtere, neque abiicias eã vt ingratus cũ factus fueris sanus.] Quare non est desperandum, si non statim remedij adhibitione sanemur, quia hæc est omnium medicamẽtorum natura, vt pro maiori aut minori resistentia subiecti, tardiùs aut citiùs suum sortiantur effectum: nec mutatio indiscreta remediorum celeriorum sanitatem afferre solet. Et quod parentibus dicit Salomon: Erudi filium tuum, ne desperes, ad interfe-(Prou. 19)

D ctionem autem eius, ne ponas animam tuam.] quisque sibi dictum existimet, vt semetipsum suauiter corrigat, & prudenter erudiat, & non anxia remediorum iteratione conficiat. Quòd si non sanus statim euadit, ne desperationi det locum, quia sine dubio gratia Dei nostram iuuans perseuerantiam, aliquando tandem est remedium allatura.

Ad hæc, perseuerantia in sanctis ac piis exercitiis conseruanda est, vt nõ passim nostra virtutis, & orationis studia deseramus, & pro aliis nondum probatis commutemus. Aliquos enim vidimus desiderio magno quidem illo, sed non prudenti perfectionis incitatos, qui omnia ab aliis facta exercere, atq; experiri contendunt, & ab hoc viuendi modo ad aliam rationem cõuersandi præcipiti cupiditate raptatos: nihil illi ad operis cõsummationẽ perducunt. Nunc

E cellæ suæ claustra sectantur, & non nisi ad valde necessaria exire patiuntur: Nunc verò cella contempta omni occupationũ genere seipsos effundunt: Nunc antiquos patres proiectus gratia legunt, postea illis sepositis vulgares libellos pio ac simplici stylo conscriptos euoluunt: Nunc orationem meditando, & considerando faciunt, & in illa nõ vnam materiam, sed varias, & innumeras, & nullo ordine quæsitas ad suam meditationem accersunt, postmodum con-

sideratio

A siderationibus relictis seipsos solis affectibus pascũt, & sola voluntate in Deum ferri cõcupiscunt. Nunc tãdem immoderatis se ieiuniis, ac corporis asperitatibus domant, nunc cibo, & somno indulgent, & vitam non tantùm moderatam, sed etiam ad mollitiẽ, ac dissolutionem declinantem ducũt. Qui cùm nullam viam persequãtur, numquam ad viæ finem, scilicet ad perfectam virtutẽ, perueniunt. Optimè sanè illos describit Hugo, dicens: Sunt quidam, qui nunc afflictione carnis macerantur, nunc ad carnis voluptatẽ reuertuntur: sæpe vigilant aliis dormientibus, sed sæpius dormiunt, aliis vigilantibus. Nũc humilia, nunc sublimia, nunc blanda, nunc aspera loquũtur: Nunc de fratribus, nunc de parentibus gloriantur: nunc nihil nisi ordinis statuta perstrepunt, nunc nihil nisi fabulas audire volunt: Nunc albas, nũc nigras, nunc medio colore coloratas delectãtur habere cappas: Nunc vilis placet habitus, nũc mediocris, nunc superfluus: Nunc dant illis olera pastum, aqua potum: nunc verò exquisitis ferculis, nunc diuersis poculis vtuntur: Nunc laborãt, nũc labor displicet. Amant subesse, vt possint præesse: honores fugiũt, vt honoribus occurrant.] Hi non aduertunt, varias ac diuersas esse vocationes Dei, nec quemquam posse omnes vitæ rationes seruare, sicut nec valet varias simul diuersorum statuum vestes induere. Vnusquisque proprium donum habet ex Deo: alius quidem sic, alius verò sic.] Non ergo præsumptione caret dona omnia præsumere, & imbecillitatem hominis tot muneribus onerare. Qui talia aggreditur, non solùm ad alicuius virtutis perfectionem numquam adueniet, verùm etiam, cùm quotidie nouum iter assumat, nec etiam proficiet, sed semper erit incipiens. Quamobrem id obseruet virtutis ac perfectionis amator, vt non sine maioris consilio, suum spiritum ponderet, suas vires expendat, suam vocationem consideret, quæ exercitia illi congruant, quæ pia studia conueniant diligenter aduertat, & aliorum studiis exercitationibusque laudatis, suum non deserat, sed iugiter illi & perseueranter insistat. Quod Cassianus docet in hæc verba: Quapropter hoc vnicuique vtile, atque conueniens est, vt secundùm propositũ, quod elegit, siue gratiam, quam accepit, summo studio, ac diligentia, ad operis arrepti perfectionem peruenire festinet, & aliorum quidem laudans, admiránsque virtutes, nequaquam a sua, quã elegit, professione discedãt: Sciens, secundùm Apostolum, vnum quidem esse corpus Ecclesiæ, multa autẽ mẽbra, & habere eam donationes secundùm gratiam, quæ nobis data est, differentes, &c.] Sanctus Iob profectò hanc piorum studiorum perseuerantiam custodiebat, qui quotidie pro filiis suis idẽ holocausti genus offerebat, eosq; eadẽ semper ratione lustrabat, de quo dicitur. Sic faciebat Iob cunctis diebus] Quo loco inquit Gregorius: Incassum bonum agitur si ante terminũ vitæ deferatur: quia & frustra velociter currit, qui priusquam ad metas veniat, deficit. Hinc est enim quod de reprobis dicitur: Væ his, qui perdiderunt sustinentiam.] Hinc electis suis veritas dicit: Vos estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis. Hinc Ioseph, qui inter fratres vsque in finem iustus perseuerasse describitur, solus talarem tunicam habuisse perhibetur. Nam quid est talaris tunica, nisi actio consummata? Quasi enim protensa tunica talum corporis operit, cùm bona actio ante Dei oculos vsque ad vitæ nos terminum tegit. Hinc est, quod per Moysem caudam hostiæ offerre præcipimur, vt videlicet, omne bonum quod incipimus, etiam perseueranti fine compleamus. Bene igitur cœpta cunctis diebus augenda sunt, vt cùm malum pugnando repellitur, ipsa boni victoria cõstantiæ manu teneatur.] Statuamus itaque semel, qua via nobis in cælum eundum sit, & eam immobiliter teneamus, & breuiùs ac faciliùs ianuam cœlestis patriæ, id est, veram virtutem consequemur. Qui verò cuncta incipiunt, & cuncta statim derelinquunt, similes sunt iis, qui varios cibos leuiter gustãt, & nullius aliquam bonam partem comedũt, nam semper famelici sunt, & numquam, qua cruciãtur, famem depellunt. Quomodo enim famem virtutis sedabit paruus alicuius virtutis actus, ori mẽtis admotus, & è vestigio refutatus? Hos instabiles homines reprehendit simul & monet Richardus de Sãcto Victore, dicens: Multi sæpe multa proponunt, &

B minimè tamen faciũt, quia quam facile aliquid statuerint, tam facilè rursus statuta reijciũt. Primò itaque obseruandum nobis est, vt vtilia statuamus: secundò autem, vt vtiliter statuta firmiter teneamus. Attende, quàm firmiter statuit, quod optimus ille liberator optimum esse perpendit. Iuraui, inquit, & statui, custodire iudicia iustitiæ tuæ.] Audisti de vera institutione, audi & de voti executione. Vota mea Domino reddam in conspectu omnis populi eius.] qui in eodem loco, quod ad se attinuerit, constanter perseuerauerit, & in malis vincẽdis, atq; in bonis cõsectandis, eandem per totam vitam (nisi euidentibus indiciis ad nouũ modum se exercẽdi à Domino vocaretur) conuersationis rationem tenuerit, is veluti

C eãdem viam sequens, multùm spiritalis itineris peraget, & secundùm sollicitudinẽ, qua seipsum vicerit, & ornauerit, magis aut minùs proficiet.

Mirum sanè est ista perseuerans eorundem bonorum operum consuetudo, quantæ sit causa iucunditatis. Nam sicut qui trãsit de vmbra ad solem, aut de otio ad laborem, in principio quidẽ huius mutationis difficultatem, non modicam experitur, & postea verò omnis difficultas in facilitatem, imò & in iucunditatem vertitur: ita diuersorum studiorum reiectio, & vnius prosequutio, primò difficilis, & insuauis, at postea satis prona, ac suauis inuenitur. Est enim tam in bonis quàm in malis verissima Salomonis sententia: Adolescens iuxta viam suam, etiam cùm senuerit, non recedet ab ea.] Quia si mali falsa iucunditas, cuius aliquis in adolescentia cõsuetudinem imbuit, non sinit illum à ficta voluptate

D resilire: ita boni vera suauitas quodammodo per perseuerantiam in naturam versa, iustum iam senẽ non permittit ab illa discedere. Nec solam iucũditatem, verùm etiam & robur ad sanctè & purè viuendum impertit: dum vnius modi viuendi habitum generat, qui robur est animi, quo id, ad quod inclinat facile continuamus. Rusticus namque duros habet neruos, & fortes lacertos, quod perseuerans exercitatio fecit, & si per aliquod tempus otio lãgueat, nõ aduertẽs emollescit: & vir religiosus si in eodẽ modo viuẽdi perseueret, fortis, si verò de vno in alium instabiliter trãseat, ad omnes virtutis exercitationes mollis & delicatus efficitur. Ac tandem perseuerantia fructum virtutis, scilicet perfectionem, emittit.

E Idémque quodammodo in gratia, quod in natura conspicimus. Sicut enim natura semẽ in eodem terræ solo suscipiens, & continuis solis, & pluuiarum influxibus adiuuans, radicem deorsum, & truncum sursum mittit, & ramis veluti membris compingit, & foliis ac floribus ornat, & vsque ad suauissimorum fructuum generationem perducit: sic gratia animam iustam in eodem loco religionis seminans, & eisdem auxiliis ac studiis irrigans, paulatim promouet, & vsque ad vitam quandã purã ac perfectam assequendam, iuuare non finit. Et quidem, vt

Hugo. lib. 3. de claustro animæ. c. 3.
1. Cor. 7.
Cassian. col. 14. c. 5.
Rom. 12.
Iob. 1. Grego. 1. mor. c. vlt.
Eccl. 2.
Luc. 22.
Leu. 7.
Richar. de conscientia securit. c. 5.
Psal. 118.
Psal. 115.
Prou. 22.

Laurentius Iustinianus ait:Nō potest recipere agricola frumenti grana, nisi in agro laborem messis, in area ardorem solis pro separatione palearū à grano perseueranter pertulerit: sic neque nos ad mercedis retributionem pertingemus, nisi in perseuerantia operis fortiter perstiterimus] Perseuerandum ergo nobis est,non tantùm in bona ac religiosa vita, verùm etiam in eodem vitæ modo ac ratione persistēdum. Vt quemadmodum artifices bene gubernatæ reipublicæ, semper idem officium mercatoris, aut scribæ, aut procuratoris exercent,& illud exercendi eandem etiam rationem obseruāt,& sic opinionem apud alios sibi parant, & noua lucri augmenta conquirūt:Sic vir religiosus,& in eodem statu, ad quem vocatus fuit, & in eisdem sanctæ vitæ exercitiis immobiliter perseueret, quibus in dies animæ profectum augebit. Vos,inquit Ioannes Apostolus,quod audistis ab initio,in vobis permaneat:]vt prima perfectionis initia non relinquentes,sed nouis semper augmentis prouehētes,ex initiis ad media,& ex mediis ad finem prosperè veniatis.Hæc autē omnia illis dicta sunt,qui aliquem modum vitæ, & studiorū spiritualium de consilio sapientis arripuerūt,nam illis qui tepide viuunt,& suam in omnibus explēt voluntatem,non dicimus,vt in tam misera viuendi ratione persistant, sed vt iam tandem spiritualiter, & more seruorum Dei viuere incipiāt.Frustra namque habitum religionis induunt,si religiosam vitam, & omnis perfectionis ac sanctitatis amatricem numquam incipiunt.

Iust.lib. vita de perseuer. c.4.

1.Ioan.2.

Quantâ sollicitudine sunt hæc documenta seruanda.

CAPVT XLIV.

EXIMIA profectò res,& supra quam cogitari potest, desiderabilis est sanctitas, quam Christus filius Dei homines docturus aduenit: quam ad animas exornanndas suo sanguine comparauit,ad cuius præmium regnum cœleste mirabiliter cōdidit,cuius amatoribus ac possessoribus totū id quod peccatum perdiderat,ineffabiliter cumulatum restituet.Sanctitatem Christus docturus aduenit, quoniam apparuit gratia Dei, vt inquit Paulus, Saluatoris nostri,omnibus hominibus,erudiēs nos, vt abnegantes impietatem, & sæcularia desideria,sobriè,iuste,& piè viuamus in hoc sæculo.]Quibus verbis mirificè sanctitatis naturā,cuius gratia fili' Dei visibilis apparuit inter nos,ac patenter exposuit. Hæc enim & omnem impietatē odit,& desideria sęcularia reiicit,& his malis sublatis sobrietatem erga nosipsos,iustitiam erga proximos, ac pietatem erga Deum,vt sic omnem comprehēdat iustitiam, impertit. Ne autem dubitaremus hac circuitione verborum perfectionem exponi, cuius docēdæ gratia Christus aduenit,eandem sanctus Apostolus explicare pergit,adiiciēs:Expectantes beatam spem, & aduentum gloriæ magni Dei, & Saluatoris nostri Iesu Christi, qui dedit semetipsum pro nobis, vt nos redimeret ab omni iniquitate,& mūdaret sibi populū acceptabilem,sectatorem bonorū operum.] Hæc itaque causa aduentus Domini,hæc ratio,quare se hostiam pro nobis omnibus obtulit, vt nos à peccatis eriperet, & gratia ac vera virtute mūdaret, in quibus omnis sanctitas perfectióque consistit. Sanctitatem etiam Christus ad ornādas animas nostras suo sanguine cōparauit. Ipse enim est,qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris in sanguine

Titum 2.

Titum 2.

Apocal. 1.

A suo.] Dilectio eius præcessit erga nos,quam omniū donorum quæ accipimus,originem confitemur, huius verò dilectionis effectus est proprij cruoris effusio,quo animas à peccatis elueret,& pulchras,id est, sanctas,conspectui patris præsentaret.Et quidem ad hoc animarum dilectissimus sponsus sanguinem suum pro Ecclesia profudit, vt illam sanctificaret, mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ: vt exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam,non habentem maculam,aut rugam,aut aliquid huiusmodi, sed vt sit sancta & immaculata.] Miro autem modo sanguis mundat, atque sanctificat,quia virtutem aquæ mundantis habet, & efficaciam producendæ gratiæ sanctificantis accepit. Ad cuius balneum nos incitat

Ephes. 5.

B Isaias, dicens:Lauamini,mundi estote: & si fuerint peccata vestra vt coccinum, quasi nix dealbabuntur, & si fuerint rubra, quasi vermiculus velut lana alba erunt.]Non quòd peccata aliquando sint munda, neque enim possunt, sed quòd sacratus Christi sanguis animas peccatis sordidas, mundas effecerit, & à deformitate peccati in sanctitatis decorem traduxerit. Ad sanctitatem quoque præmio cumulandam,regnum cœleste conditum est. In quo glorioso regno non regnant reges terreni, nec huius sæculi principes dominantur,sed regnāt omnes sancti amicti stolis albis, & sequuntur agnum quocumque ierit.] His dictum est: Vos estis qui permansistis mecum in tentationibus meis:& ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum, vt edatis, & bibatis super mensam meam in regno meo.]Ac per-

Isaias 1.

Apoc. cap. 14.

Lucæ 22.

C fectam virtutem,quæ è cœlis demissa est, nō potuerunt omnia terrena satiare, & ideo,quæ hîc non semel affligitur, & angustatur, & ab hominibus non semel sine præmio, & honore relinquitur, recipit præmium & retributionem in cœlis.Et tandem omnia amissa per peccatum restituit Quia sanctitas est, quæ Deum placat, Angelos nobis conciliat,homines mutuo amore copulat,iniquitatem eliminat, affectus ordinat,virtutes inserit,& corpus animæ,animam spiritui, & spiritum suo creatori substernit. Nec solùm omnia,vtcumque restituit,sed etiam duplicata reddit, nam multò magis gratia Dei, & donum,ait Apostolus,quam delictum, in gratia vnius hominis Iesu Christi in plures abūdauit. Sicut enim

Rom. 5.

D Iob paupertate & infirmitate percussus, imago est peccatoris:ita figura est iusti, ab omni malo liberatus, cui omnia bona sua duplicia sunt restituta,quia gratia & puritas per Iesum Christum sanctis data, quæ primus parens perdiderat, multiplicata reuocauit. Quæ tantis est nobilitata titulis tantis nominibus honorata,digna sanè est, quæ maxima cogitetur,& creatis rebus omnibus præponatur.

Iob 42.

Hanc rem maximam & pretiosam, & hominis amore,desiderio,& conatu dignissimam, non possimus desidiosi,& segnes, ac sine magno labore conquirere. Licèt enim Deus, cuius perfectio est opus, nos sua gratia, & quidem abundantissima, ad eam consequendam, imò & desiderandam, ac cogitandam præueniat, tamen ad dandam nostram cooperationem expectat. Quæ si pro magnitudine, &

E diuturnitate doni mensuranda est,non modica, nec breuis,sed magna, ac diuturna esse debet. Et si perfectio res est supernaturalis, & omnes vires ac facultates nostras superat, cooperatio, qua ad eam obtinendam paramur,vt sui principium non nudam tantùm naturam, sed viribus gratiæ vestitam expo scit. Ego quidem inter Angelum & hominē ad perfectionem obtinendam illud cogito esse discrimen, quod ad possidendum opulentissimum regnū est inter illum,qui natus est rex,& hęres regni,& aliū,qui

vilibus & abiectis parẽtibus natus, ad regnum promerendum,& inuadendum aspirat. Ille enim priusquam seipsum, ac suam sortem agnoscat,rex natus, sine vlla industria, ac sine vllo labore solium regni occupat, & cunctis hominibus illius reipublicæ se ipsi sponte subdentibus imperat: at hic maximis exantlatis laboribus, se virum fortem & magnanimum exhibet, sollicita industria amorẽ populi ambit,& se in procerum amicitiã insinuat, & illustrissimis de hoste reportatis triumphis tandem consensione omnium à populis acclamatus ad principatũ possidendum ascendit. Sic angelus rex natus, id est, in perfecta gratia,ac amicitia Dei cõditus,nullis laboribus regnũ perfectionis cõparauit, & post vnius momenti meritum huius regni incomparabilem maiestatem, & gloriam, scilicet beatitudinem acquisiuit. *Ephes. 2.* At homo,qui,teste Paulo,nascitur filius iræ & à parentibus abiectissimis in fœtore carnis, in ardore concupiscentiæ,& in statu miseriæ procreatur, non potest oscitando,& consertis manibus, aut perfectionis regnum,aut gloriam illi promissam acquirere Sed necesse est,vt magnis laboribus pro virtute perpessis agmina vitiorum protetat, vt assiduis precibus, & gemitibus inenarrabilibus, Angelorũ & sanctorum familiaritatem,ambiat, vt mentis puritate sibi diuinum amorem ac misericordiã concilier,& tandem partis de mundo,de Diabolo,& de se ipso gloriosis victoriis,aptum se ad suscipiendã perfectionẽ efficiat.Propterea variæ sortes hominibus, & Angelis obtingunt;nã istis tamquã filiis perpetua beatitudo,& sẽpiterna laus sui creatoris ascribitur, illis verò tamquàm militibus pro regno pugnaturis acris pugna, & importunum bellum indicitur. De Angelis dictum est ad Iob: *Iob. 38.* Vbi eras,cùm me laudarẽt simul astra matutina,& iubilarẽt omnes filij Dei] quasi à principio conditionis suæ Angeli perpetuis gaudiis fruerẽtur,& laudationi cõditoris institerint. *Matt. 11* De hominibus verò scriptum inuenimus; Quoniã regnũ cœlorum vim patitur,& violenti diripiunt illud; quasi ipsi nõ ad pacẽ, sed ad bellum inuitentur, cuius victoria regnum, ad quod occupandũ aspirãt, laboribus propriis obtineant. *Acta. 1.* Angeli vestibus albis, & splẽdẽtib⁹, quæ signa sunt pacis atq; lætitiæ,seipsos amictos ostentant: *Ephes. 6* Homines galea,& clypeo, & gladio,quæ arma sunt bellica,in Paulo inueniuntur instructi. *Tobiæ 12.* Illi cibo ac potu inuisibili]exultationis perpetuæ,in cœlesti patria reficiuntur:isti secundũ illud *Psal. 79.* Psalmistæ: Cibabis nos pane lacrymarum, & potum dabis nobis in lacrymis in mensura] amaritudinis pane cibantur. *Daniel. 7.* Angeli,vt triumphatores vultui semper creatoris assistunt:Homines è paradiso,quẽ perdiderant, eiecti sunt, vt iterũ illum pugna & labore *Gen. 3.* mereãtur. *Iob. 1.* Illi vt filij suum patrem, sic Dominũ cingunt:hi verò,vt exules longis & arduis itineribus,ad patriam remeare contendũt.Ac demum, ne putaremus nostri Saluatoris aduẽtu, bellum ac laborẽ esse sublatum,ait Augustinus: *Aug. ser. 8. de Sanctis.* Nascente Domino,luctus cœpit,non cœlo, sed mundo: indicitur matribus lamentatio,angelis exultatio,infantibus trãsmigratio. Quia licet Dominus sufficiẽtissimè pro omnibus satisfecerit,ac sanctitatẽ, & eius præmiũ, scilicet gloriam,vniuersis acquisierit, tamen efficaciam suæ redẽptionis non applicat,nisi ei,qui aduersus peccata, ob arcem virtutis occupandam, pugnando laborat. Homo ergo,qui connubium virtutis affectat,& eam perfectè ceu sponsam possidere desiderat,sciat se debere pro virtute diligenter laborare, nec se posse sine spoliatione veteris hominis, & acceptione noui, tam pulchram ac nobilem sponsam obtinere.

In quo igitur homini laborandum est, vt regnũ

A perfectionis assequatur? Vtilis sanè interrogatio, cui non ego,sed Dominus ipse respondeat: *Lucæ 9.* Qui vult,inquit,venire post me,abneget semetipsum, & tollat crucem suam,& sequatur me.]Ire post Christum,ac sequi illum, summa perfectionis est, Labor verò in sui abnegatione collocãdus,ac in crucis propriæ baiulatione ponendus. At quid est suiipsius abnegatio? Nihil est aliud,inquit Basilius, *Basil. fusius disput. reg.* nisi summa rerũ omnium vitæ superioris obliuio, atque à sui ipsius voluntatibus recessio.]Et quid est crucis propriæ baiulatio? Animi,ait idem beatus Pater, ad mortem pro Christo subeũdam alacritas,& mẽbrorum, quæ sunt super terram mortificatio:]Et illud,quòd quis libenter se cuiuis impendenti periculo offerre pro Christi nomine paratus sit,& nulla de rebus vitę huius affe-

B ctione tangatur. Qui in his duobus laborauerit, se aptum ad virtutẽ reddet & mirificè ad perfectionem consequendam disponet. Abnegare seipsum,est pro amore Christi omnia mundana relinquere:Crucem tollere,est, molestias quæ ex hac dimissione frequẽter emergunt,æquanimiter sustinere. Negare seipsum est inordinatis affectibus,ac propriis voluntatibus valedicere:Crucem tollere,iugum diuinæ legis, & onus regularis obseruantiæ præferre. Negare seipsum est, pristinã sæculi conuersationẽ omnino dediscere: crucem tollere,cunctis virtutibus,ex quibus vita spiritalis texitur,& non sine labore,quæruntur, corpus & animam honestare.Hæ enim virtutes dum animam desideriis carnis aduersantem constituunt, sicut ex duobus lignis crucem efficiunt. Quæ crux *1. Petri 2.*

C Christum quidem onerauit, & pressit, qui peccata nostra pertulit in corpore suo super lignũ, vt peccatis mortui,iustitiæ viuamus;]nos autem postquã illum onerauit, non onerat, sed mirabili suauitate cõdecorat. Cùm itaque suiipsius abnegatio, ac crucis acceptio,sint sequelæ Christi adipiscẽdæ instrumenta,ac totius perfectionis itinera,in his duobus laborẽ suũ collocet, qui ad perfectionis apicẽ venire cõtendit. Sicut autem immoderatum mundi desideriũ nos omnibus spiritualibus bonis spoliat,& vsque ad contẽptum cœlestiũ pro terrenis assequẽdis procedit;ita vera abnegationis,& crucis cõcupiscẽtia, nos amore terrenorũ exuat,& cõtẽptum omnis honoris, & voluptatis,ac cõmoditatis importet. Parũ enim,

D & inefficax est crucis amor,&imitationis Christi desideriũ,si cùm potest,(& nõ dubiũ quin, si volumus, potest)nos nõ efficaciter mũdo crucifigir,& ab amore terrenorum abducit.An nõ istud desiderium,quo Christus nostram perfectionem concupiuit,Christũ egit in crucem,& inter cœlum terrámque suspẽsum creatis omnibus spoliauit,& tãta ignominia Deo illata,tãta nuditate,tantis doloribus,tãtis vulneribus inflictis,eũ,qui liberè ponebat animã suã esse crucis amatorem ostendit? Sic omnino desiderium crucis, efficaci veteris hominis crucifixione manifestãdum est, vt opera ipsa, quæ facimus, etiam si taceamus, amorem crucis prodãt,& abscondita desideria cordis aperiant. Quæ cùm vera & efficacia esse probauerimus operibus, tunc exhibebimus nos Euãgel:j

E professores, quod sicut circumcisionem carnis euacuauit,& de medio sustulit, ita circumcisionem spiritus inuexit, & omnino mandauit. Nam, vt Cyprianus ait: *Cypria. de operibus cardi. de circumcis.* Vbi Christus Dominus venit, de quo in capite libri scriptum erat, vt in morte suã Patris voluntatẽ impleret,cessarunt sacrificia,nec iã truncationem præputij Euãgelium imperauit,sed circũcisionem cordis,& omnem tam membrorum quàm affectionum petulãtiam,gladio spiritus resecari immutabili decreto mandauit.] Ista spiritali circumcisione infrugiferi palmites,id est,affectus veteris ho-

minis amputâtur,vt noui, & fructum allaturi in nobis,id est,virtutes Christi,succrescât.Ista crucifixione vetus homo noster timoris Domini clauis affigitur,vt nouus homo soluatur, & corruptionis impedimento sublato, suam salutē operetur. Vetus enim homo noster simul crucifixus est, vt destruatur corpus peccati, & vltra non seruiamus peccato.] Destructa autem vniuersitate peccatorum per imitationem crucis,& euacuato vase mentis nostrę,quod Dominus ad sanctitatem infundendam condiderat, quid superest, nisi in suam immensam largitatem exercens,iterum tam suaui liquore illud adimpleat? (Roma. 6.)

Ad hanc duplicem viam abnegationis, & crucis, pertinent omnia, quæ in hoc postremo libro scripta sunt; possunt namque gressibus comparari, quibus itinera mortificationis, crucisque peragimus, & ad concupitam mentis puritatē, non corporaliter ambulando, sed duritiem nostrā vincendo,& ad meliora semper aspirando properamus. Quid enim aliud est,desideria perfectionis concipere, alterius hominis nutu regi, solam Dei gloriam inquirere, parua contemnere,in maiora oculos mentis intendere, & cætera huiusmodi, nisi veterem hominem abnegare, propriā voluntatē proterere, & seipsum quemquā, in omnibus, quæ sunt mundi, crucifigere? Ea ergo, quæ latè perscripta sunt, volumus nunc summatim perstringere,& sub breui compendio oculis legentium proponere,vt breuiter, & simul lecta tenaciùs in memoria hæreant, & legentem iā pleniùs instructum,ad id,cuius gratia scripta sunt,scilicet ad opus inducant.Quia nihil proderit scire quo pacto mens nostra ad perfectionem paranda sit, nisi iuxta scientiam lectione, & Spiritus sancti illustratione quæsitam opere ipso formetur,& nouis quotidie virtutū incrementis augeatur.Post conuersionem, qua peccata fleuimus,& diaboli pompis renuntiauimus, & mundo, ac terrenis omnibus valediximus, à perfectionis desiderio incipiēdum est,quod veluti calcar nostram segnitiem excitet,& ad festinandū, ac currendum impellat. Hoc desiderium non tepidum sit, sed feruidum,sed ardens,quod ortas difficultates superet,& inter verbera,si ita oportuerit, inter persecutiones,& cruces,Deum,& eius amorem,ac mētis puritatem inquirat. Desiderio desideraui,ait Dominus,hoc pascha māducare vobiscum antequam patiar.]Ille desiderio desiderat,id est,valdè & impensè desiderat illam cœnā, qua nobis seipsum in cibum, ac potum erat daturus, & nos ad sui participationē, & vnionem euecturus,vt nos doceat desiderio desiderare, id est,ardenter illum statum sitire, & concupiscere,in quo nos totos Deo tradimus, & per verā imitationem,& ardentissimum amorem Christo capiti copulamur. Quòd si hoc desiderium nondū famis ac sitis nomē mereatur, & præ nostra tepiditate langueat,ac desideriorum adhuc sæcularium cura flaccescat, illud septem illa excitatoria, quæ diximus,quasi septem vehementissimi flatus accendant. Nam & ipsius sanctæ perfectionis æstimatio, & rerum temporalium vilitas,& bonorum spiritualium pretium, & Dei nos ad sanctitatem inuitantis volūtas,& periculum deficiendi,& magna,qua constringimur obligatio, & tandem arrha diuinæ gratiæ, quam perfectionis desiderium obtinet, adeò nos ad optandam perfectam virtutem excitant, vt saxo sit grauior, & torpedine tardior, & rebus inanimis insensibilior, qui his aculeis stimulatus desideria in se perfectionis non sentiat. Iosue dux Israëlitarū fortissimus, septies Hiericho vrbem munitissimam cū arca fœderis, & vniuerso exercitu circuiuit, & hac septemplici circuitione ac buccinarū clangore prostrauit.Sic anima his septem considerationibus circundata & sono diuinarum inspirationum incitata, se ipsam ad amorem perfectionis adiget, & sæculi desideria prosternet.Orandus tamē est Deus, vt potentia sua septem hæc signacula soluat,& illustratione sua nobis meditantibus septem istas portas aperiat. per quas si ad affectum boni, & ad desiderium perfectionis ingressi fuerimus, illud de concupita sponsa talia nunciabit, quæ nos faciant solùm eius amore quiescere,& propter illam omnium terrenorum possessionem aspernari. (Luca 22.) (Iosue 6.)

Ex isto perfectionis desiderio iā ad opus progrediendum est,& primò ductor quærendus, qui viam spiritualis vitæ nobis incognitam monstret,& pericula,quæ in ea latere solēt,aperiat. Ille namque populus,qui Mosem à Domino electum in ducē sequitur,audit: Quia Dominus Deus tuus ipse est ductor tuus,& non dimittet,nec derelinquet te:] vt intelligāt vniuersi tūc se à Domino regi,cū ab eo, qui eius auctoritate præest,se sinunt gubernari.Magistro autē perfectionis inuento, aut potiùs cura & sollicitudine matris religionis accepto,(nam ad illā spectat, virum idoneum & in rebus spiritualibus eruditum aliis in præceptorem præficere) illi in omnibus ad spiritus profectū attinentibus obediatur. Paris enim periculi est,aut præceptorem non habere, aut nolle ei in rebus imperatis obedire. Quidnā profuit Sauli magistrum Samuelem agnoscere, si contra Dei præscriptum ab ipso Samuele declaratū,& muneri se sacerdotis ingessit, & missus ad occidendum Agag,illi pepercit,& morte dignū non occidit?Illi nihil proderit præceptorem virtutis habere, de cuius ore nobis Domini voluntas innotescat,si ad eius monitiones obsurdescimus, & quæ Deus per illū monet inuerecundè contemnimus. In omnibus autē quæ ipse præceperit,siue quę alij superiores iniunxerint,siue quæ vnusquisq; non cōtradicentibus illis facienda decreuerit,ipsa sanctitas,ac puritas mētis,vt finis & scopus inquiratur. Hæc enim est illud vnū, quod Dominus ad Martham dixit solùm esse necessarium. non quia alia virtutis opera,aut necessaria,aut vtilia non sint,sed quia omnia,si rectè fiant, puritatis causa diligantur. Et verò puritas ita,non in quocumque gradu quærenda est, sed in supremo gradu procurāda, vt dum oculos & desideria in culmen montis coniicimus,saltem ad eius radices accedamus.Quia profectò natura nostra pusillanimis, & imbecilla,nō sine suauitate ad magna debet excitari, & non sine discretione ad excelsa debet vrgeri, vt tandem ad mediocria perueniat.Ad quæ sanè numquā perueniet,nisi minimos quosque defectus vitauerit, & quoad fieri possit,ab iis,quę parua vidētur,abstinuerit.Puerorum namque est parua pericula non timere,quæ maiora præsignant, quia enim experientia carent, nesciunt in cantu syrenem, & in sibilo serpentem aduertere, & os idoli, id est Dæmonis, ad primum eius colloquium obtundere.Quis verò minimorum rationem non habeat, qui elapsæ vitæ otiositatem ex vna parte,& ex alia immensum iter, quod restat, attentè considerat?Filioli, inquit Ioannes, nouissima hora est,] ecquis nouissima hora præuentus, & vix in initio itineris constitutus, non properet, & non in tam angusto, quod sibi conceditur tempore, ad palmam promerendam festinet? Semper ergo Dei seruus se incipientem puter, se tyronem cogitet, se aut nihil profecisse, aut parum existimet, & quod in initio conuersionis optabat,vt adhuc absens, & ob suam negligentiam nōdum consequutum ardentissimè concupiscat. Neque in hoc se puret à veritate deuiare, quippe qui (Deut. 31.) (1.Reg.13. 14.& 15.) (Luca 10.) (1.Ioan.2.)

statum religiosum suscepit, vt veterem hominem exueret, & nouum indueret, se autem adhuc videt Christi insignibus nudum, desiderio afflictionis, & ignominiæ vacuum, & Adæ immortificatione circundatum. Si verò desideria tunc cessant, cùm rem desideratam accepimus, & eius præsentia perfruimur, quis non videat dignum esse, vt si quæ in initio conuersionis concupiuit, non habet, desideria tyrocinij non deponat? Hęc verò fuerunt seipsum vincere, Christum nudum sequi, & pro data sibi gratia sanctorum conuersationem æmulari.

Si multæ sunt viæ cœli, & plurima æternitatis itinera, religiosorum quisque eam mordicus teneat, quam ei Dominus assignauit. Cùm tutum nō sit, per aliam portam in hospitium ingredi velle, in quod aliquis voluntariè suscipitur, nisi per eam, quam illi hospitum exceptor aperuit. Et nos gratia in cœlum tendimus, gratia in cœlestes mãsiones intramus, gratia & beneficio Domini in adyta perfectionis admittimur; quare ianuam apertã nobis oblatã despicimus, & aliam nobis occlusam manu pulsare, aut contingere, audemus? At ianua cuique religiosorum aperta, per quam ad perfectionem, & ad gloriam est intraturus, propria sui status regula est, hanc fiducialiter ingrediatur, eius primò obligationes subeat, eius onera portet, nec aliorum causa, quæ sibi speciosiora videntur, prætermittat, si cupit viã consummare securus. Ita verò regulam diligenter obseruet, vt propter nullã ratione, nec propter tepidorum obmurmurationes, eam deserat, sed eas veluti stultorũ dicta paruipendat. Quis homo latratus pusilli canis exhorret. quis, ne sibi latretur, à cœpto itinere, & quod sua non parum interest, retrocedit? Non ergo tepidi & imperfecti sunt, qui exteriùs quidem latrant, sed interiùs virtutem suspiciunt, & admirantur. Quòd si id non faciant, non solùm imperfecti sunt, sed & cæci, ac duces cæcorum, quorum ducatum, qui casum timet, non sequatur. Imò potiùs is viros perfectos diligat, ipsorum colloquium, & conuersationem adeat, eorum imitationem exquirat, quò eis similis tandem euadat. Decernat itaque illud Dauidis: Lauabo inter innocentes manus meas, & circundabo altare tuum Domine,] & cum innocentibus, ac iustis conuersans diligenti custodia regulæ se à peccatis, & imperfectionibus lauet, & per assiduum orationis sacrificium diuinæ miserationis altare circundet. In primis autem illum innocentem imitetur, qui agnus sine macula vocatus est, hunc sẽper præ oculis habeat, hunc in omnibus præsentem consideret, atque ad eius similitudinem, quantum sibi datum fuerit, omnia tum exteriora tum interiora cõponat. Ipse filius, & quidẽ naturalis, à Patre vocatus est, sicut reuera est, ipse magister hominum constitutus: De illo amica, & salutaris vox Patris intonuit: ipsum audite.] Ille verò Christum docentem perfectè audit, qui & eius præceptis paret, & eius vitam & actus imitatur. Actus enim Domini tum actus, tum verba, & adhortationes sunt, quas si auris externa nõ audit, at internus mentis auditus manifestissimè percipit. Quemadmodum enim, qui præceptorem docentem audit, ab eo proposita & enucleata discit; ita qui Christum silentem, aut sustinentem, aut modestè se gerentem considerat, silentij, patientiæ, ac humilitatis vim & naturam callet, & ad vniuersas virtutes imitandas se excitari & animari cognoscit. Actiones ergo Domini vim verborũ habent, imò & validi sunt clamores in auribus interioris hominis, qui eius intellectũ erudiunt, & volũtatem ad amorem, ac vires omnes ad opus exsuscitãt.

Psal. 25. *Ioan. 1.* *Matt. 17.*

Qui autem huius magistri audiendi & imitandi gratia mundum deseruit, parentes, fratres, propinquos, & amicos deserat necesse est, & eorum prospera, ac aduersa è memoria deleat, & nequaquã in eorum curis vel negotiis se intromittat. Religiosus nãque huiusmodi sæcularibus negotiis intẽdens, & de propinquorum prosperitate gaudens, ac de aduersitate mœrorẽ concipiens, illa, Beati Antonij terribili comminatione percellitur: Noueris te etiã in futuro sæculo eorum sorte censendum, cum quibus in hac vita in lucri detrimentique consortio, vel gaudio vel mœrore concuteris.] Si verò consanguineorũ familiaritates ab homine Deo consecrato fugiẽdæ sunt, quantò magis cum aliis amicis, siue eiusdẽ siue alieni propositi, vanæ amicitiæ vitãdæ, in quib[us] minimè tã honesta causa intercedit? Ita ergo se gerat, vt mundo iam mortuus, & viuentibus, hoc est, illis, qui mundo, & suis desideriis viuunt, nequaquam nimia familiaritate iũgatur. Qua de medio sublata, facile erit superfluas consalutationes, & visitationes mundanorum fugere, & nisi necessitas, aut charitas postulauerit, in cœli imagine, nimirum in cella, se cõtinere. Illi enim religiosi per vicos, & plateas, sine causa legitima cursitant, & domos terrenorum adeunt, qui dulcedinem huius cœli experti non sunt: cuius si suauitatem gustassent, cùm opus est tantum, & vt Deo, ac prælatis obediant, non verò prę tædio, & sine causa reliquissent. Ac tũc qui ob causam honestam è cella egrederentur, bono exẽplo aliis prælucerent, & verba sancta, & colloquia ædificationis instituerent, vt intùs, & foris, & apud fratres, & exteros se pro gloria Dei viros spirituales, & perfectionis amatores ostenderent. Religiosus præterea diuinis inspirationibus sit attentus, (quoniã Deus multifariam, multisque modis loquitur,] & erudit suos) & cœlestibus monitionibus siue per Ecclesiã, siue per Prælatos, siue per sacram Scripturam, siue alio modo ad se delatis, diligenter obediat. Nõ sit bonorũ operum quacumque exercitatione contentus, sed ea benè & feruidè faciat, vt strenuis operibus seipsum quotidie meliorem reddat, & habitus virtutum, qui non nisi feruentioribus actibus perficiuntur, adaugeat. Non sola præcepta impleat, nec iniuncta faciat, sed, si potuerit, opera etiam multa supererogationis adiiciat. Magnus enim est Dominus, cui seruimus, & si multa & magna in ipsius obsequiũ fecerimus, redditione præmij superualebit adhuc, & admirabilis magnificentia eius.] Tam in præceptis, quàm in cõsiliis, atque in obsequiis voluntariis ordinem viuendi, & operandi teneat, & minoribus, nisi aliud prudentia dictauerit, maiora, & vtiliora præponat. Occasiones proficiendi amplectatur, & ipsarum quamcumque vt ditissimum thesaurum elabi nõ sinat. Vitam communem & congregationis onera à regula, Patribusque præscripta, vitium singularitatis odio habens, libenter suscipiat. Otiositatem vt pestẽ auersetur, sed à nimiis occupationibus, vt à laqueis diaboli viridi herba contectis prudenter se subtrahat: quia illa nocet manus ligando, istæ verò immoderatis oneribus animum subruendo. Præcipuè autem sciendi appetitus moderandus est ita scilicet, vt vtilia, & statui religioso accommodata discantur, vt ad affectum, voluntatisque informationem extendantur, & vt horis congruentibus ad orandum reseruatis totum tempus non suffurentur. Denique in conuictu religiosa grauitas, affabilitatis sale condita, & in conuersatione, & omnibus, quæ agenda sunt, circumspectio seruetur. Nam mentibus audacibus, ac temerariis humani generis aduersarius innumeros laqueos obtẽdit, quib[us] miserabiliter eas illaqueat, & in ipsarum, ac religionis perniciem decipit, & illudit

Refert Cassian. collat. 24 c. 11. *Heb. 1.* *Eccl. 43*

In his

In his omnibus non minima pars primi itineris, scilicet abnegationis,est,quę veterem hominem cohibent, atque mortificant:secundum verò iter,nempe, acceptio crucis in perseuerantia, quam vltimā proposuimus,apertè consistit. Licèt enim difficile sit cuncta hæc aggredi, & tot sensui aduersa, & humanis affectibus cōtraria,incipere,tamen difficillimum est,& planè opus abundantissimæ gratiæ,in illis vsq; ad finem vitæ perdurare. Vnde istam perseuerantiam crucem vocamus, quoniam nos perfectè mūdo crucifigit,& Christi similes,& sectatores reddit. Sic ergo perfectionis amator suam vitam instituat, vt quibuscumq; negotiis, aut successibus emergentibus ab his, quæ semel secundùm veram virtutem incepit, numquam discedat. Ita se gerat,vt nec aduersitas eum frangat,nec prosperitas illudat, sed in aduersitatibus, & prosperitatibus huius sæculi immobilis semper in sancto proposito proficiendi, & idem omnino perseueret. Tunc erit ex illis viris fortissimis, quos Scriptura ambidextros appellat, qui fortiter vtraque manu pugnabant. *Iud. 20.* Horum fortitudinem Ioannes Cassianus explicabit,cuius sententia primā hāc nostri operis partē cōcludet. Habet vir sāctus, inquit, dexteram, successus videlicet spirituales, in qua tunc consistit, quando feruens spiritu, desideriis & concupiscentiis omnibus dominatur; *Cassi. col. 6. c. 10.* quando ab omni diabolica impugnatione securus, absque vllo labore, & difficultate vitia carnis, vel respuit vel abscindit? cùm sublimatus à terra vniuersa præsentia, atque terrena velut inanem fumū vmbrámque vacuam contemplatur,& vt mox transitura contemnit, cùm futura per excessum mentis, non solùm ardentissimè concupiscit, verùm etiam clariùs intuetur, cùm efficaciùs spiritualibus pascitur theoriis,cùm lucidiùs reserata sibi conspicit cœlestia sacramenta,cùm orationes puriùs atq; alacriùs emittit ad Deum,cùm ita spiritus amore succensus ad ea quæ inuisibilia sunt,& æterna, tota animi alacritate transmigrat, vt nequaquam se iam credat in carne consistere. *Eccl. 30.* Habet similiter & sinistram, cùm tentationum turbinibus implicatur, cùm ad desideria carnis incentiuorum æstibus inflammatur, cùm ad iracundiæ furorem perturbationum igne succenditur, cùm superbiæ seu cenodoxiæ elatione pulsatur,cùm tristitia mortem operante deprimitur, cùm machinis accediç,& impugnatione concutitur,cum-

A que omni spiritali feruore subtracto, quodā tēpore, atque irrationabili mœrore torpescit, vt non solùm cogitationibus rectis,ac feruentibus deseratur, sed etiā psalmus,lectio,oratio,cellæ remotio simul horreant,& intolerabili quodam tetróque fastidio, vniuersa sordeant instrumēta virtutū, quibus cū pulsatur monachus,sinistris partibus se cognoscat vrgeri. Quisquis igitur in illis, quæ dextræ partis esse prædiximus, minimè fuerit subintrante gloria vanitatis elatus,& in istis,quæ sinistræ partis sunt,viriliter dimicans,nulla desperatione conciderit, ac potius de contrariis arma quædam patientiæ ad exercitiū virtutis assumpserit,vtraque manu vtetur pro dextera, & in vtroque actu triumphator effectus,tam de sinistro statu, quàm de dextro palmam victoriæ con-

B sequetur. Ista, quam Cassianus depinxit, est nostræ crucis imago, cuius lignum rectum prosperitas, & lignum transuersum aduersitas reperitur. Hanc crucem tūc tollimus,cùm siue prosperitas arrideat, siue aduersitas vrgeat, à Christi imitatione, & perfecta virtute non discedimus,& æquanimiter insurgentes molestias, & virtuti contradicentes portamus. Et quoniam istæ quotidie nos impugnant, atque contristant, propterea iubet Dominus, vt quotidie tollamus crucem nostram, qua salubriter grauati, à *Luc. 9.* pondere peccatorum, quod intolerabiliter premit, liberabimur,& Saluatoris nostri libertatem assequemur:qui ait:Vbi ego sum,illic & minister meus erit.] *Ioan. 12.*

C Quòd si ipse ad dexteram Patris sedens in cœlis regnat,& nos etiam,si crucem accipimus,& quicquid inordinatū est cohibemus,& ipsi ministramus, cum eo in perpetuum regnaturi sumus. O magnum præmium,quod exiguis laboribus,& infinitis titulis debitis promissum est. Ita ergo, quæ hactenus dicta sunt custodiamus,vt seduli Christi ministri reputati, tam incomprehensibili mercede donemur. Et quidem hæc habuimus generalia documenta, quæ perfectionis amatoribus proponeremus. Reliqua verò magis specialia, quæ ad mali victoriam, boni effectionem,& pacis inquisitionem, ac sequelam pertinent, alio volumine tractare inchoabimus. Istud cedat in gloriam magni Dei & Saluatoris nostri IESV CHRISTI, cui cum Patre, & Spiritu sancto,est æterna gloria in sæcula sæculorum.

Amen.

ORATIO PRO DESIDERIO perfectionis.

OMNIPOTENS, ſempiterne ac benigniſſime Deus, deſiderium noſtrum, ac gaudium noſtrum, qui vocaris deſiderium collium æternorum, id eſt, animarum ſanctarum, & vis ab hominibus tua dona deſiderari, vt in eorum adeptione ipſi aliquid faciant, & ex illis maiorem vtilitatem percipiant, immitte in nobis ingens illius altiſſimi doni deſiderium, quo apud te pro huius vitæ poſſibilitate perficimur, vt cor noſtrum ſuam requiem appetat, & voluntas noſtra ſcopum donorum omnium ſpiritualium percupiat. Non ſit, Domine, hoc deſiderium languens, ſed ardens, quod nos ad opus moueat, & ad omnia media aſſequendæ perfectionis exercenda compellat, vt tu qui miſericors es, miſertus noſtri; & laborum ac lacrymarum noſtrarum, aliquando tandem perfectionis gemmam, quam impensè cupimus, largiaris. Amen.

Deo Ieſu Chriſti æterni Patris coæterno Filio ſit gloria & honor in omnem æternitatem. Amen.

Finis huius Tomi.

INDEX RERVM,
QVÆ HOC TOMO
CONTINENTVR, IN QVO
numerus, paginam: littera, locum in textu designat.

A

Abnegatio.

ABNEGATIO. proprij cōsilij, & cōculcato propriæ voluntatis, quintus est gradus incipientium in via spiritus. pag. 224.A
Abnegatio sui, exercitatio animæ est. 1190.B
Abnegare seipsum quid sit. 1262.B. Est instrumentum sequelæ Christi adipiscendæ. ibid.C

Abrenunciatio.

Abrenunciationes tres. 224.C

Actio.

Actionum humanarum tria genera. 209.B
Actiones humanæ, quæ bonæ, malæ, vel mediæ. ibid.
Actiones malæ, opera sunt vitæ carnalis. 210.A
Actiones bonæ ad vitam spiritualem pertinent. ibid.
Actiones humanæ ex fine speciem sortiuntur. 211.A
Actiones humanæ in finem supernaturalem directæ ad vitam spiritualem pertinent. ibid.
Actiones mediæ causa finis supernaturalis susceptæ, iam bonæ sunt, & mercedem cœlestem recipient. ibid.
Actio alioquin bona à fine distorto vitiatur. 212.E
Actio sine bona intentione mortua est. 213.A
Actiones vitæ actiuæ, vt bonæ sint, quid necessarium est. 285.D.E. 287.E. & seq.
Actiones mediæ, qua regula ordinandæ sunt, 219.A
Actiones nostræ, etiam virtutis, vt nobis prosint, in illis beneplacitum Dei quæramus. 229.A
Actiones vitæ spiritualis viæ sunt æternæ vitæ. 232.D
Actio manus sinistra est, & oratio dextera. 262.C
Actiones sæculares à vita religiosa alienæ sunt. 267.A
Actio quo pacto contemplationem iuuabit. 376 D
Actiones hominum duplices sunt. 1124.B

Adam.

Adam cunctis animantibus nomina imposuit. 708.A
Mulieri drachmam amittenti cur comparetur. 721.E
Adæ sopor quid significet. 728 D
Adam cur è Paradiso eiectus est 769.D E
Adami culpa cur felix sit dicenda. 808.D

Eius imbecillitas perpenditur in primo peccato. ibid.

Aduersitas.

Aduersitatum sustinentia fructus perfectionis, ac charitatis. 326.A

Adulatio.

Adulationes, præsertim amicorum, quantum noceant. 44.B

Æger.

Ægrotantiũ solatium maximum. 451.D

Ægritudo.

Ægritudo vehiculum est ad perfectionem. 452.A
Ægritudines patienter, & alacriter tolerandæ. 578.D

Affectus.

Affectuum naturalium impetus viam perfectioni, decurrendam non impedit. 413.B.
Affectus indomiti sunt fomenta, & adiumenta virtutis. ibid.C
Affectuum charitatis descriptio. 492.E
Eorum vtilitas. ibidem.
Affectus charitatis solet anima recipere, vt pignus partem. 493.A
Affectibus charitatis præferenda opera. ibid.D
Affectus ignis est superbiæ & ambitionis 521.C.
Affectus specials in aliquem cohibendus. 690.E
Auersiones animi parit. 691.A
Affectus immoderati mortificatione superantur. 861.E. 862.A.B

Afflictio.

Afflictiones corporis, vide carnis afflictio.

Agatha.

Sancta Agatha glorianter ibat ad carcerem. 858.D.

Alexander.

Alexandri Magni imperandi cupiditas 1017.A.

Alimentum.

Alimentum proprium quæque creatura habet. 1016.C

Amans. Amator. Amare.

Amanti nihil difficile. 453.A
Amantem etsi occupatissimum, edocet amor Deum & orationem quærere. ibid.
Amatores Dei omnia virtutis opera sedulo tractare debent exemplo sæcularium 572.C.
Amant multi alios ob propriam vtilitatem. 668.C

Amicitia

Amicitiæ leges charitati supernaturali conueniunt. 483.A.B.
Amicitiæ quid sit contrarium, eamque dissoluat. 613.C
Amicitiæ particulares quam malæ sint. 630.
Charitati aduersantur. ibid.
Vnde nascantur. 663.B
Amicitiæ particulares tinea charitatis & exitium pacis. 689.B
Alia incommoda earum memorantur. ibid.C.
Amicitia particularis cum fœminis detestanda. 690.C
Amicitia cum Deo omnia bona animæ affert. 733.D
Amicitiæ leges numerantur. 757.A
Amicitiæ leges Deus seruat cum homine 756 E
Amicitia inter Deum, & homines perfecta est, quãuis hominis amor exiguus. 757.E
Eius dignitas, & vtilitas. 763.B
Amicitia sanctorum, quærẽda est. 1109.A
Amicitia sãctorum est vtilissimã. 1109. A 110 E. 1111.A. & seq.
Amicitia malorum fugienda. 1109.C
Est periculosa, & damnosa. 1109.C 1111.C.D
Amicitiæ nimiæ vitandæ sunt. 1137.E & seq.
Tam perniciosæ sunt sicut inimicitiæ. 1138.A B
Damna ex eis prouenientia numerãtur 1138.D.E

Amicus.

Amicorum adulationes nocent plurimũ 44. E
Amici Dei perfecti pauci sunt. 541.B
Amici Mutuò se diligunt. 757.B
Mutuis colloquiis se oblectant. 758 B
Mutuis officiis, ac donis amicitiã stabiliunt 760.E. Idem sapiunt, & volunt 762 A.
Amici Dei, vide Dei amici.
Amici Christi mortem nõ timent. 202. D

Ambitio Ambitiosus.

Ambitiosi conditio. 47. B
Ambitio mundanorum. 48. C
Ambitio quantum moueat homines. 569. A.
Ambitio perdidit mortuos. ibid.

Amor.

Ex amore inordinato, quæ damna in Religione sequuntur. 663.B
Amor Dei non est otiosus, sed ad animarum salutẽ procurandam nos impellit. 415.A. & seq.
Amore, an vero odio homo dignus sit

incertum est. 196.C
Amore, ac delectatione cor humanum vacuum esse non potest. 202.A
Amor supernaturalis duplex, cõcupiscentiæ, & amicitiæ. 482.A
Amor concupiscentiæ quid sit, & vnde ortatur. ibidem.
Amor alter afficiens, alter efficiens. 489.B
Quid vterque sit. ibidem. C.
Amor non affectibus, sed operibus æstimandus. 491.A
Amor affectuosus multo seduxit. ibid.A
Est dulcis, & seductibilis. ibidem.C
Amor quieto sit inquietior. 548.D
Amor Dei non est cæcus. 570.E
Amor Dei illuminat intellectum 658.D
Amor in aduersis præcipuè patescit. 574.A
575.C
Amoris encomium. 581.B
Amor omnia suffert. 581.D
Amor erga proximum omnia suffert. 585.D
Matris exemplo erga filium ostenditur. ibidem.
Amoris, & amicitiæ inconstantia multorum vnde oritatur 663.C
Amor efficax circunspectionem requirit. 665.A
Amor quando dicendus est circunspectus. 666.A
Amor Deum exinanire, & pati fecit. 673.C
Amor Dei sursum rapit sanctos, amor proximi retrahit eos deorsum. 755.A
Amor creaturæ in Deum in tribulationibus perspicitur. 761.D
Amoris Dei ignis concupiscentiæ ardores extinguit. 891.C
Amoris Dei ignem accendit oratio assidua. 893.C
Amor, Vide Charitas.

Anachoreta.

Anachoreta vitam solitariam amplectens, in cœnobio prius se exerceat. 307.C

Angelus.

Angeli specialem habent sanctorum prouidentiam. 819.E
Angeli mali ex alienis bonis superbierũt. 821.D
Angeli mali amantibus voluptates illudũt 840.A
Angelorum Hierarchiæ infra B. V. Mariã in cœlo constituitæ. 997.D
Angeli sunt penè innumerabiles. 959.C
Angelis sanctos homines intexit Deus. 957.D. & seq.
Angelus, & homo in quo differant in perfectionis acquisitione 1260.E
Angeli mali, Vide Dæmones.

Animus. Anima.

Animus hominis qualis post peccatum manserit. 23.A
Animam oportet audire loquentem Dominum. 36.A
Eius vestes. 71.D. 54.D
Ex osculo Domini in sponsi dilectionem valde succenditur. 110.A
Animæ leues, & instabiles auiculis similes. 61.C
Anima mundani hominis quàm sit despicabilis. 65.C
Animis quærendis inepti sunt honoris, voluptatis, aut diuitiarum cupidi. 109 C
Anima quando sit apta proximis, vt filiis educandis. 110.A
Anima, ac Deus insolubili vinculo per professionem copulantur. 129.A
Quando concipiat ex Deo. 128.E
Quando edat filios. 129.A
Anima nulla est, quæ si velit mater filiorum spiritualium esse non possit 143.C
Eius pulchritudo. 159.B
Anima vitam iustam amplectens induta est duplici vestimento. 169.A
Anima diuino amore incensa alios cupit secum deducere. 253.A
Anima contemplatiua tristari non debet quod tyrocinij tempore sterilis videatur. 247.D
Anima prius debet ad diuinum amorem peruenire, vt sit apta aliorum vulneribus mederi. 247.D
Anima habens gratiam in beatitudinem tendit. 191.D
Animæ Deo mortuæ fœtorem, Lazarus mortuus designabat. 199.B
Anima nostra cœlestibus cogitationibus pascitur. 210.E
Anima perfecta in omnibus creaturis Deũ veneratur. 231.C
Animam vnum spiritum cum Deo factam illi sine intermissione, intellectu, & affectu cohærere quiatus gradus perfectorum est. ibidem.
Animam neque in oratione, neque in laboribus consolationem cupere, sed, vt Deo placeat, desiderare, secundus gradus perfectorum est. 229.A
Animæ bona cœlestia dantur, non vt in illis conquiescat, sed vt magis proficiat. 128.E
Animi inconstantis indicium. 218.D
Anima sine charitate sicut pars corporis præcisa ab aliis eius partibus. 476.B
Animæ morbi, & infirmitates sunt passiones. 509.C
Animæ salutis signum, testimonium bonum de vita, & moribus. 510.A
Animæ perfectæ typus est sponsa. 520.A
Anima perfecta solas Deo cognationes gratas admittit. ibid.C
Animæ vnioni ad corpus comparatur charitas. 519.B
Anima pro vita sæpe vsurpatur. 550.E
Animæ nostræ vita, & anima Deus. 554.B
Anima ad Deum recipiendum se præparare debet. 554.D
Anima in quo ab spiritu differat. 556.A
Anima iusti sicut virgo pretiosa veste induta. 571.C
Anima iusti sollicitè puritatem curare debet. ibid.
Animæ salus & vita, perfectio est. 734 D
Eam anima assequitur Christum imitando. 735.B
Animæ sanctorum Dei sunt sponsæ, & coniuges. 771.C d
Pulcherrimæ sunt. 839.B & seq.
Animæ morbos omnes sanat perfectio. 801.C & seq
Animæ bona nullus potest à iusto eripere. 858.A
Anima rationalis imago Dei viua est. 995.A
Animi bona præstantiora sunt bonis corporis. 1014.B
Animi bonum præstantissimum. ibidem.
Animæ pulchritudo, & virtus. 1010.C
Anima maior mundus dicendus cui sit. 1013.D
Eam temporalia explere non possunt. 1013.E ibid.
Animarum cibus Deus est. 1019.A
Est etiam virtus. 1023.D
Anima spiritualibus consolationibus affecta omnia terrena contemnit. 1021.A
Animæ facies est gratia. 1031.E
Animæ iustorum aquilæ comparantur. 1035.A
Animæ salutem quibus remediis obtinebunt peccatores. 1059.A.B
Animæ iustorum, columbæ, cuius pennæ deargentatæ, comparantur. 1126.A
Animæ cibus studia virtutum. 1190 A
Somnus eiusmenta oratio. 1190 B
Animæ exercitatio est abnegatio sui. ibid.
Anima hospes corporis. 1206.E
Anima per peccatum leuior est vento. 1239 B
Animæ, Vide Sanctorum animæ.
Anima perfecta. Vide, Sancti, Perfecti Iusti.

Antonius.

D. Antonius. 745.C
D. Antonij Abbatis cœlestium amor, & terrenorum contemptus. 547.B

Apame.

Apame Darij regis concubina. 772.A

Appetitus.

Appetituum quies effectus est charitatis. 517 C
Appetitus sensitiuus voluntatis imago 544.D
Appetitus animæ sanctitatis & virtuti seruire faciunt sancti. 861.E
Appetitus inordinati in sanctis locum nõ habent, ita, vt eos vincant. ibid.
Appetitum sciendi moderentur Religiosi. 1213.D
Vide scientia.

Apollo Abbas.

Apollo Abbatis cognatorum cõtemptus. 1132.B

Apostolus.

Apostoli, aliique Dei administri, omnes absque exceptione vlla ad perfectionẽ inuitant. 448.A
Apostoli vitam mistam amplexi sunt. 411.A
Apostoli num essent in statu innocentiæ. 808 B
Apostoli laborabant manibus suis. 1216. C D

Aqua.

Aqua salutis, vel in salutem lauans, vera Pœnitentia. 45.C
Aquæ fluentes ex fontibus Saluatoris sacramenta. ibid E
Aquæ pro tribulationibus vsurpantur. 577.B

Aquila.

Aquilæ similis est, qui terrena exterius tantum despicit. 9.
Aquila quemuis sanctæ Ecclesiæ operarium designat. 374.A
Aquilæ pennis consilia Euangelica comparantur. 539.E
Aquilæ comparatur Deus circa iustos. 900.B
Aquilæ comparatur Deus circa pusillanimes in rebus spiritualibus. 1270.C.D

Arbor.

Arboris pulcherrimæ descriptio. 521.A
Arbori comparatur perfectio. ibid.
Arborum nomine designatur homo. 997.C
Arboris radices cogitationes, & desideria significant. 997.D

Aristippus.

Aristippus, Cyrenaicorum magister, scorto abutebatur. 863.E

Ariditas.

Ariditas mentis veram virtutem non tollit. 453.B

Arma.

Arma spiritualia quæ sint. 1010 A
Armorum genera, non omnia cunctis militibus, neque cunctis prælijs sunt apta. 339.D

Ars.

Ars seruiendi Deo reliquis artibus præferenda est. 2.lin.35.36.

Artifex.

Artifices de suis muneribus, vt plurimùm loquuntur. 1.lin.14.15

Asinus.

Asinorum stupiditas in peccatoribus. 61.D

Aspis.

Aspidum fraudulentia tribuitur peccatori. ibid.

Auarus.
Auarus insatiabilis est. 1017.A
Auarorum hominum stultitia depingitur. 1017.C
Auersio.
Auersio aduersus proximum per orationẽ ad Deum deponitur. 688.B
Alia remedia assignantur. ibid.
Aurifex.
Aurifici sapientissimo comparatur charitas,& perfectio. 514.D
Auxilium diuinum.
Auxilij diuini imploratio. t 3. sub finem.
Auxilia diuinæ gratiæ fluuio aquæ à Ioãne in Apoc.viso comparantur. 514.A
Auxilia gratiæ præbet Deus hominibus, vt bonum faciant. 894.E
Cum discrimine ea suscipimus electi, & reprobi. 895.A.& seq.
Auxilia gratiæ imperfectis concessa eleemosynæ vocantur. 89 .E
Quæ in sanctos cõferuntur amplissima dona vocanda. 896.A
Auxilia gratiæ sanctis concessa, similia sunt viribus insuetis. 897.C
Auxilia communia similia viribus ordinariis, hominibus à natura concessis. 897.A
Vocanda sunt panis, quo anima reficitur. 898.D

B.

Basilius.
Basilius in Græcia primus monachorum parens,cur cœnobia construxit. 356.C
Basilij libertas in honoribus,& dignitatibus 863.E
Basilij orationibus linguæ Græcæ notitiã à Deo accepit Sanctus Ephren. 920.D
Beatitudo.
Beatitudinẽ perfectionis drachmæ comparamus. 718 E
Beatitudo huius vitæ est perfectio.777 A
Beatitudo duplex,imperfecta,& perfecta. 778.A
Beatitudo huius vitæ in quo consistat. 778.A.B.Non cõsistit in diuitiis.779.C
Beata vita,& perfecta idem. 781.B
Beatitudo huius vitæ exigit contemplationem Dei. 782.C
Rectitudinẽ voluntatis requirit 783.B
Per summas delicias. 783.C
Perfectionem corporis. Bona externa, & amicos. 783.D
Beatitudinis primũ locum obtinet Christus. 957.B
B.Virgo Maria secundum. 957.C
Angelorum Hierarchiæ infra Virginẽ Mariam constituitæ 957.D
Ad illas assumuntur sancti. ibid.
Post has alij beati locũ habent. 959.A
Drachmæ amissæ comparantur. 959.B
Beatus.
Beatorum gloria non in omnibus æqualis. 505.C
Beati nullam habent imperfectionis obscuritatem 720.B
Variis similitudinibus eorum perfectio exponitur. ibidem & seq.
Beatorum gloria quæ sit. 751.B.& seq.
Beatorum corpora quibus dotibus ornantur. ibid.C
Beati huius vitæ sunt sancti, ac perfecti. 777.A.& seq.& 784.D.
Beati erunt sicut Angeli Dei. 956.C
Benedictus Abbas.
Benedictus, in occidente, primus monachorum parens fuit. 356.C
Cur cœnobia iuxta vrbes construxit ibidem D
Beneficium.
Beneficia à Deo O.M. accepta increpant delinquentes. 24.B
Beneficia ab anima dono Domini in ingressu religionis accepta,quæ? 186.A.
Pro beneficiis in nos collatis,qua ratione gratias Deo agere possimus. 185 B
Beneficia septem à D.Bernardo enumerata,omnes religiosi experiuntur. 186.B
Beneficia diuina in nos collata nulla ratione compensare possumus. 188.A
Bernardus.
In B. Bernardo indicia apparebant charitatis ignis in eo ardentis. 892.D.E
D. Bernardi desiderium magnum perfectionis. 604.A.B
D. Bernardus se ad perfectionem incitabat sæpe illud cogitando:ad quid venisti. 1064.A
Eius feruor magnus in studio perfectionis. 1088.C
Bernardus duritiem cordis emolliebat sanctorum colloquiis. 1112.B
Bonus.Bonum.
Boni simul,ac mali premuntur miseriis in hoc sæculo. 37.E
Boni præsertim persecutores patiũtur.38.A
Bonum quoddam ingẽs,ac singulare status Religiosi. 112.D
Bonum ex integra causa,malum verò ex quocumque defectu. 438.E
Bonum temporale.
Bona omnia huius sæculi stercus. 31.D
Bona temporalia vilia, & contemptibilia. 1015.B
Animam explere non possunt. 1014.A 1018.B.1020.A.B
Somni instar sunt. 1014.D
Fœni floribus comparantur. ibidem.
Fumo quoque comparantur. ibid. Nebulæ 1014.E
Bullis item aquarum ibid Eorum amatores in Iona Propheta figurantur. 1015.A
Bona temporalia non sunt alimenta homini congrua. 1015.C
Implicãt hominem immoderatis sollicitudinibus. 1015 D.E
Innumeris peccatis hominem contaminant. 1015.E. Arboribus à terra Sodomorum emissis sunt similia. 1018.D
Cibi in tabella depicto comparantur 1018.E
Designantur in lectulo de quo Ioã.33. 1019.A B
In bonis temporalibus affligi, signum est electionis diuinæ. 1019 C
Bona temporalia vilia, & contemptibilia. 1206.D
Bona temporalia,Vide Diuitiæ.
Bona spiritualia,vide Virtutes.
Spiritualia bona.
Brauium.
Brauium quid sit. 796 B
In eo perfectio signata est. ibid.

C.

Cæcus.
Cæcus ille à natiuitate, & in iniquitatibus conceptus, genus est humanum. 23.C
Cælestis.Cælum.
Cælestibus delectantur, qui mundum cum mundanis detestantur. 202 A
Cælestia,ac mundana simul, ac æqualiter amari non possunt. ibid.B
Cælestia pro terrenis commutare summa miseria est. 207.C
Cælestis patriæ capacitatem ex mansionum diuersitate colligit Cyrillus.503.A
Cælestium consideratio terrenorum contemptum parit. 527.D
Cælum iustis patet. 718 B
Cælum ex perfectionis monte expugnatur. 742. D
Cælis sancti comparantur. 749. C
Cæli nomine sancti intelliguntur. 814 B
Cælestis patriæ locorum, ac sedium descriptio. 957.B
Calix.
Calix passionem significat, 585.C
Canis.
Canis reuersus ad vomitum, sæcularis vt plurimum. 50.A
Canibus similes impudentes. 61.C
Candelabrum.
Candelabro aureo virtus & sanctitas comparantur. 587.E
Caro.
Caro sanctorum amicitiam init cum spiritu aduersus dæmonem. 851.E
De victoria, quam de ea sancti assequuntur ipsi lætãtur sicut messores cùm congregant triticum. 861.A.B
Caro iugum animæ grauissimum,& virga eam vulnerans. 861.B
Caro,vel corpus nostrum imago est spiritus nostri. 995.A
Carnem suam vincunt sancti. 958.D
In carnis afflictionibus non consistit perfectio. 466.B & & seq
Carnis afflictio sine charitate nihil prodest. ibidem.
Carnem suam affligentes ne alios iudicẽt, & contemnant. ibid.
Carthusienses.
Carthusienses, non solùm oratione, sed etiam actione Ecclesiæ proficiunt, confessiones pœnitentium etiam excipiunt. 357.C
Cella.
Cellæ habitator continuus sit, qui ad altitudinem cõtemplationis ascendere desiderat. 323.A
Cella religiosi viri terra sancta, & locus sanctus est. 28.A
Charitas.
Charitas Christi ad proximorum salutem nos impellit. 415.B
Charitas à nobis debet incipere. 423.E
Charitas, qua Deum perfectissimè amamus, & proximos diligimus, præcipuè inimicos.signum est gratiæ diuinæ. 200.C
Charitas regula sit operum,quæ proximos respiciunt. 219.C
Charitas à gratia separari non potest. 473.E
Est præceptum.Est consilium. 473.D
Est finis operum, & laborum nostrorũ ibidem.
Charitas Deo nos vnit. 474.E
Est spiritualis contractus,& complexus. 475.A
Eius cur mentio fit in definitione perfectionis,& non gratiæ. 474.C D
In ea perfectio Christiana cõsistit. ibid. D.E
Vnit nos proximis. 475.D
Vtilitates ex charitate procedentes. ibid.E
Vnit nos nobisipsis. 476.A
Sine charitate anima sicut pars corporis ab aliis eius partibus præcisa. ibid.B
Charitatis vnionẽ postulauit in n.. Christus à Patre. ibid.C
Charitas,mentem, quam possidet, omnibus bonis spiritualibus amplificat. ibid. D.E.477.C
Charitas regina virtutum potentissima. 476.D.E
Principium bonorum operum. 477.A
Charitatis fructuum descriptio. 476.E 477 A B
In habente charitatem Deus manet. 478.A B & seq.
Charita.ẽ habẽs filiꝰDei est adoptiuꝰ.478
Charitas transfert in nostrum dominium vniuersã bona proximorũ.479.B.& seq.
Charitas gratiæ subnixa animæ vita est. 480.D
Charitati omnia seruire debent in vita

Digitized by Google

Christiana maximè in professione religiosa. 480.E.& seq.
Charitas est regula omnium bonarum actionum. 481.A
Charitas Dei,& proximi fructus est spiritualis laboris quo anima emollitur. ibid.
Charitas supernaturalis duplex,altera cōcupiscentiæ,altera amicitiæ. 482.A
Charitas concupiscentiæ quid sit. ibid.
Vnde oriatur 482.B.& seq.
Charitas amicitiæ quid sit. 482.D.E
Cur ita appellatur. 483 A
Charitati supernaturali amicitiæ leges conueniunt. 483.& seq.
Eam Deus in hominibus clemēter infundit. 485.C
Charitas sibilo auræ tenuis comparatur. 486.C
Charitas concupiscētiæ non est perfectio animæ. 486 D
Charitatis amicitiæ effectus. 487.A
Charitas alia afficiēs,alia efficiens.489.B
Charitas afficiens & efficiens quid sint. 489 C
In Charitate efficiente consistit perfectio. 489 E & seq.
Charitas affectuosa in imperfectis sæpe reperitur. 490. B. C. Seduxit multos. 491.A
Charitas affectuosa dulcis, & seductibilis. 491.C
Charitatis perfectio colligitur secundum D. Augustinum ex cupiditatis extinctione. 492.B
Charitas, quæ à Deo prouenit, principium est,& finis legis,& Prophetarum. 535.A
Charitatem habentes interdum illumināntur ad scripturas intelligendas. 535.D
Charitas sine mensura nobis præcepta est. 536 B C
Charitas cur sine mensura nobis præcipitur. 536.D
Charitatis præceptū est de charitate perfecta. 537 B
Charitatis præcepto satisfit habendo aliquam veram charitatem, licet minimam. 537.D.& seq.
Exemplo clarissimò declaratur. 539.A
Charitatis præceptum in hac vita omnino perfectè impleri non potest. 540.A
Charitatis præceptū ad quid, & quomodo obliget sub mortali. 540.C.D
Charitas ignea & calida esse debet. 546.A
A Charitate promanant perfectionis opera omnia.vt riui à fonte. 544.A
Charitatis substantia, & perfectio ex cordis natura & proprietatibus elicitur. 545.C
Charitas terrena contemnit, & ad cœlestia se dilatat. 546.D
Charitas instar cordis sinuosa. 547.C
Charitas & gratia omni custodia seruanda. 548.A.B
Charitas regina virtutum. 548.C
Charitas,& gratia vitæ spiritualis principium. 548.B
Charitas vestimentum virtutum. 548 C
Charitas instar cordis semper est leniter inquieta. ibid.
Charitas quiete fit inquietior. 548.D
Charitas à Deo,sicut cor à generāte,semper mouetur nouis gratiæ auxiliis. 548.C
Charitatis natura explicatur.548.E.&seq.
Charitatis laus. ibid.
Charitas fortis aduersus tentationes, prudens,& dulcis. 549.B
Charitas igni comparatur. 551.E
Charitas holocausto veteris legis comparatur. 552 C.D
Charitas Dei ex tota mente in duobus consistit. 556.E
Charitas sensus externos, & internos, & cæteras hominis potentias moderatur & regit. 566.B.C.& seq.
Charitatem quidam accipiunt ad salutē, quidam ad feruorem. 570.C
Charitatem ad feruorem pauci accipiunt. 570.D.E
Charitas fraterna quid sit. 581.B
Est supernaturalis 582.A.A voluntate charitate supernaturali informata procedit. ibid.& C
Est soror dilectionis Dei. 582.E
Respicit omnes homines vt proximos. Ibid.& 583.A
Proximum diligere sapientia est ac prudentia. 584.B.C
Bona spiritualia, ac temporalia proximis vult. 584.C
Diligit proximum propter Deum. 586.A
Quod pulcherrima similitudine exponitur. 586.C
Charitas fraterna est triplex, incipiētium, proficientium,& perfectorum. 588.C
Quomodo incipiētium charitate diligamus. ibid.
Eam amare debent religiosi, eique operam date. 589.A
Quomodo proximos proficientium charitate diligamus. 589.E
Deus illam nobis commonstrat. 590.B
Christus etiam. 591.C
Sancti idem præstitere. 591.D
Quomodo proximos charitate perfectorum diligere debeamus. 592.C
Est perfectior aliis duabus. ibid.
In diligendo proximos ordinem seruat. 593.B
Finis charitatis fraternæ quis sit. 593.D
Ad quid obliget sub peccato præceptū charitatis fraternæ. ibid.
Charitatis fraternæ laus. 594.C.D
Charitatis fraterna vnitas mēbrorū Christi. 594.D
Fons largissimus ibid.D. Clypeus. ibid.
Quis se ipsum diligat hac charitate. 595.C
Quis diligat proximum sicut se ipsum hac charitate. ibid.
Peccatis consentiens proximi, non diligit eum sicut se ipsum. 596.D
Ex charitate fraterna oritur quòd nemini quis temerariè iudicet. 599.C.D
Exemplo Christi exponitur. 601.A
Charitas affectuosa validissimum perfectionis instrumentum. 492.D
Charitatis affectuosæ effectuum descriptio notanda. 492.E.495.A
Charitatis affectus solet anima recipere vt partem præmij. 493.A
Charitatis opera præferenda affectibus. 493.A.B
Charitatis opera exercentes perfecti habebuntur & sancti, etiamsi consolationibus careant. 493.E 494.A
In qualibet charitate efficiētī non consistit perfectio. 494.B.494 E.& seq.
Charitatis efficientis primus gradus incipientium,secundus proficientium, tertius perfectorum. 495.A
Charitatis gradus, licet eiusdem substantiæ sint,in vno perfecto cōsistit, & non in alio. 496.D E
Id à simili bene explicat. 496. E. 947. A
Quis charitatis gradus perfectionis nomen habeat, difficile est explicare. 498.A
Charitatis mensuram, quam iusti possunt in hac vita obtinere, cognoscere non potest homo. 498.E
Charitas in vita nō habet terminum.ibid.
Charitas secundum Dei dispositionem, mensuram habet certam, ad quam homo,& Angelus potest peruenire. 500.A
Charitatis perfectæ particeps in aliquo gradu,perfectus est,& explicatur apposito exemplo. 501.D.E
Charitas iustorum luci stellarum comparatur. 502.A
Charitas B. Mariæ luci solis comparatur. ibidem.
Charitatis perfectæ latitudo maris pelago comparatur. 502. B. Huius maris imperator Deus. ibid.
Charitas diuersissimè à iustis participatur. 502.C.D
Charitas semen gloriæ. 503.D
Charitas,quæ perfectio est,tribuit animæ vitā,& passiones moderatur. 509.C.E
Constantiam præbet. 510.C
Charitas arbori comparatur. 511 C
Charitas in incipiente,quasi arbor in hieme. 511.D
Charitas perfecta quasi arbor in æstate. 512.C
Charitas lux splendidissima. 515.A B
Charitas cur leuissima quæque peccata dicitur fugere. 515.D
Charitas equiti strenuo cōparatur. 515.E
Charitas thesaurus in sinu mentis repositus. 516.B
Charitas sicut gubernator prudētissimus. 517.C
Charitas carbo ignitus. 518.C
Charitatis fructus,& laudes,697.A.& seq.
Charitas insaturabilis in bonum. 521.D
Charitas auidior est omnibus cupidis, & auaris. 522.D
Charitas voracior terra. 522.E
Charitas perfecta matri prudentissimæ comparatur. 523.E
Charitas virtutes omnes à se progenitas exercet. ibid.
Charitas nullam occasionem bene operandi prætermittit. 524 B
Charitas ad labores sanctos exsuscitat. 523.E
Charitas vbique proficit. 524.B
Charitas inuentiones mille quærit, & noua Deo obsequia præstat. 524.C
Charitas perfecta aurifici sapientissimo comparatur. 524.D
Charitas giganti robustissimo comparatur. 526.A B
Charitas vires internas colligit in Deum solum. 527.C.D
Charitas magneti comparatur, respectu virium internarum. 527.C
Charitas vnit nos Deo. ibid
Charitas nos à terrenis eximit. 528.A
Charitas vnioni quæ est inter corpus & animam,comparatur. 529 B
Charitatis mandatum principalius cæteris. 533 D
Charitatis præceptum primum in intentione Dei iubentis. 534.B
Charitatis præceptum primum in necessitate obseruationis. ibid.
Charitatis præceptum cur dicatur primū, ac maximum. 534.D
Charitas fraterna omnes proximos bonis operibus adiuuat,quod exemplo Christi ostenditur. 616.D.E
Charitas fraterna,& charitas Dei separari nequeunt. 616.D
Charitas fraterna præceptū Christi. 624.B
Præceptum nouum. 624.E.628.C
Cōtinet in se charitatē ergaDeū.623 D
Charitate erga Deum sublata nō est vera charitas fraterna. 625.E
Charitas Dei in dilectione fraterna sicut causa in effectu est. 626.C
Charitas Dei sine charitate fraterna non datur. 626.E
Charitatis fraternæ præceptum omnes obligat. 628.A
Sinus habet incōparabilis latitudinis 628.B
Est perpetuum. 629.C
Charitas fraterna ad omnem legem custodiendam inclinat. 630.B.& seq
Charitati fraternæ contrariantur amicitiæ particulares. 630.E 631.A
Charitas fraterna religiones conseruat. 640 D.E & seq.
Charitas quia ad omnē ignem custodiendā inclinat,lex multiplex dicitur 633.E

Charitas fraterna omnibus animæ morbis medetur. 635.E
Religiosis admodum necessaria. 637.C
Cor appellatur. 638.A
Intellectum illuminat. 638 C.D
Charitate fraterna deficiente non est religio. 642.D.
Exéplo corporis,& aliis declaratur. 643 C.D & seq.& 645.A
Charitas fraterna duplicitatis inimica. 646.A
Iustos fortes ad laborãdum efficit. 647. A.& seq.
Concionatoribus omnia tribuit, quæ spiritualis generatio requirit. 650.C
Labores,& animarũ lucra supplet. 651.D.E
Charitatis fraternæ vis,& fructus. 698.A. & seq.
Charitas est Deus. 653.B
Charitas fraterna regalis lex. 653.D
Via excellentior ad perfectionem. 653. E.& 654.A
Expultrix omnium vitiorum. 654.B
Multiplex bonum vocatur. 654.E
Signum quòd simus filij Dei. 655.C
Imago ciuitatis cœlestis. 656.B
Nos quodammodo omnipotentes facit. 657.D
Labio electo, & humero comparatur. 659.D
Omnium laborum,& meritorum particeps est. 658.E.659.A
Labores omnes leuissimos efficit. 660.B
Oleo comparatur. 660.E
Charitas fraterna violenta esse solet erga proximorum bonum. 673.D
Ad Charitatẽ fraternã exhortatio. 673.B
Charitatis operibus Christianus cognoscetur. 664.E
Charitatis fraternæ tinea & exitium amicitiæ particularis. 689.B
Charitas fraterna hominem circumspectum requirit. 665.A
Christi exemplo ostenditur. Ibid.
Ex Charitate incircũspecta multa damna sequuntur. 665.C.D
Cum mansuetudine,& lenitate. 672.A.B
Charitas vulua Dei à qua portamur. 522. A.B
Qui Charitatis perfectionem consequi desiderat, in proximo imaginem Dei aspiciat. 686.E.687.A
Cogitet fratrem non vt extraneum, sed vt fratrem,& proximum. 587.C.
Consideret fratrem tanquam magna bona sibi afferentem. Ibid.
Animi auersionẽ aduersus fratrẽ quàm primum deponere curet. 688.B
Nimiam familiaritatem vitet. 689.B
Specialem affectũ in aliquem cohibeat. 690.D.E
Quomodo hoc faciendum sit. Ibid.E
Res temporales despiciat. 691.E
Fratrum voluntati se subiiciat. 692.B
Iudicio proprio ne fidat. 692.C
Omnibus Charitatis bonũ præferat. 693.A
Itam et nulla causa admittat. 693.A.B
Putet se citò moriturum. 693.C
Charitas margarita pretiosa. 725.E
Charitatis cognatio inter Deum & homines est filiatio. 764.B
Charitatis igne inflãmantur Sancti. 889. C.891.E
Huius ignis figura erat ignis in altari Dei semper ardens. 890.C
Ex Charitatis igne, quæ bona in sanctis sequantur. 891.D.& seq.
Charitatis ignis nonnunquam ad faciem exit D.Bernardi exẽplo probatur. 892.D
Charitatis internæ indicia verba impolita sanctorum. 893.B
Charitatis ignem accendit oratio assidua. 893.C
Charitatis pfectæ fructus, vide Perfectio.

Christus.

Christus in mente religiosa virtute destituta non habitat. 26.A.B
Puritatis amatores ad se admittit. 109. D
Christi spiritum quis habet. 197.C
Christi amici mortem non timent. 202.D
Christus dominus N.docet nos, vt omnia opera nostra in Deum referamus. 215.B
Christum imitantur, qui in omnibus operibus suis maiorem Dei gloriã quęrunt. 215.E.216.A
Christum qua ratione in ambulando debeamus imitari. 232.C.D
Christus vitæ spiritualis Imperator, ac ductor. 232.D
Christus vitam mistam amplexus est. 266. A.C.407.D
Christus prius per opera vitæ actiuæ est quærendus 278.D
Christi consolationes cui concedantur. 326.A
Christus D. N. subditus erat Mariæ,& Ioseph. 421 E
Christus triplicis generis vitæ ordinem exemplo suo monstrauit. 423.C
Christus qua ratione discipulos suos instruit antequam eos ad prædicandum mitteret. ibid.
Christo atque animabus religiosis cõmunis habitatio. 137.B
Christus sponsus religiosæ animæ totum ferè pondus spiritualis portat coniugij. Ideoq́ue suaue iugum, & honorificum. 138.A
Christus fidem seruat animæ religiosæ vt sponsæ. 139.E
Pactum cum eadem ingreditur. 141.A
Christi vestimenta religiosorum corpora 145 E
Christi amore pati quã sit gloriosũ. 161.D
Christus Dominus vnico verbo multa perstringebat. 542.A
Christus in Passione amorem suum erga homines patefecit. 574.B.C
Christus in suo primo Aduentu non iudicis personam, sed defensoris peccatorũ suscepit. 600.E
Exemplis id cõprobatur. 601.A.B.& seq.
Christi D benignitas,& mansuetudo. ibid.
Christi D lenitas in verbis elucebat. 609. A B
Christus cœpit facere,& docere. 616.E
Christus est dux eorum,qui animarum salutem procurant. 642.C.D
Christus suis operibus infinitam dilectionem erga homines ostendit. 617.B
Christus appellatur Propheta,& Magister iustitiæ. 617 C
Legislator Rex,ibid salus. 617 D
Saluator,Redẽptor,ibid. Pastor. 617.E
Aduocatus,& Mediator. 618.A
Sol iustitiæ. 618 C.& seq.
Est verus Deus,& Patri æqualis. 619.C
Fons vitæ. 619.D
A Christo omnia accepimus. 619.E
Verbum vnicum ab ipso prolatum expressius perfectionẽ exponit quàm omnia omnium sapientium huius sæculi. 624.A.B
Christum induere quid sit. 736.B
Christi præceptum,vt diligamus inuicem. 624. E. 628. C. 630.B.635.C.640.A. 646 E.547.A.652.D.
Christi charitatem, qua nos dilexit explicare difficile est. 662.A.B.667.A.B
Christus dilexit nos verè. 662.E
Dilexit nos, vt nos bonis spiritualibus ditaret. 663.A
Dilexit nos vt bonus Pastor. ibid.
Eum imitari debemus. ibid.
Christi charitas cur sit constans. 664.A
Christus efficaciter nos dilexit. ibid.
Id externis operibus amoris ostendit. ibid.
Externa amoris opera charitatis Christi vim ostendere omnino non potuerunt. ibid.& seq.
Christi charitas,& amor circumspectus. 665.A.666.A
Christus dilexit nos gratis. 667 C D
Viliter,& fructuosè. 668.E.669 A
Et quodam modo plus quàm se. 669 B
Perseueranter. 670.C
Christi amor erga nos ad eum amandum nos excitat. 672.E
Christus sua potentia nos defendit. 673.A
Christus quomodo nos dilexit. 672.D
Christus sua sapientia nos instruit. 673.A
Dilexit nos violenter. 673.B
Omnes homines eius amoris effectus participarunt, participant, & participabunt. 673.B.C
Christum amor exinaniri & pati fecit. 673.C
Christus Dauid principi sapientissimo cõparatur. ibid.
Figuratur in Elizeo. 812.D
Christi charitas, quæ contraria videbantur in amore coniunxit. 674.B
Christus dilexit nos dulciter, sapienter, & fortiter 674.C.675. A. Est medicus, & pædagogus. ibid.
Christum imitando consequitur anima perfectionem. 735.B
Christus nec peccatum, nec eius fomitem habuit. 674.E
Ignorantiam non admisit. ibid.
Christi amoris sapientia in ordine præcipuè resplendet. 675.D
Christus dilexit nos, sicut ipse à Patre dilectus est. 776.E
Christus cur perfectionis documenta daturus in montem ascendit. 739.C
Christus in monte conuiuium lætitiæ facit. 739.E
Christum Sancti perfectè imitari nõ possunt. 768.B
Christi excellentiæ proportionaliter sanctis accommodantur. 769.A
Christi excellentiæ referuntur. 768.C
Christus Sanctorum auctor. 790.A
Christus in statu innocentiæ non venitet. 808.A
Christi laus summa, quòd homines inimicos ad arctissimam suam amicitiam, euexerit. 810.D
Christus est Dei brachium. 824.C
Christus Agnus est bonis,leo malis. 833.D
Christi pulchritudo describitur. 842. A. B.
Ei assimilatur pulchritudo iustorum. Ibidem.
Christus mundo pacem attulit. 846.C
Ipse est pax nostra. 849.B
Ex Christo quidquid in sanctis est perfectionis,emanat. 866.C
Christus D. auxilia gratiæ amplissima Ecclesiæ suæ confert. 896.D
Christus super cœlos omnes, vt princeps, & caput nostrum assidet. 957. B
Christus D. profectus nostros in virtute optat. 1027.B
In cruce id manifestauit,dicens,sitio. 1028 A
Omnia dicta,& facta eius dũ vixit hoc ipsum indicant. 1028.B
Christus in omnibus suis operibus Patris æterni voluntatem inspiciebat. 1066. E 1067.A
Christi D.virtutes quoad fieri potest imitandæ sunt. 1121.B & seq.
Christus D.in exemplar est nobis datus. 1121.C
Duobus modis imitandus est Christus. 1121.E.1122 A
Christus instar magnetis est,cum tanquã virtutis exemplar, corda nostra ferrea post se trahat. 1122.B
Tanquam sol nos suo exemplo illuminat. 1122.C
Imitandus præcipuè in omnibus. 1122. D
Ipsum imitari est vtile. 1123.C. est debitum. 1123. A.
Est necessarium. ibid
Christi imitatio,& sanctorũ in quo differant,

iant. 1123.E
Chriſti actiones quomodo imitădæ.1124. B.C.1125.D
Chriſtus à matris & cognatorum congreſſu ſe abſtinuit,in exemplum nobis. 1126.E.1127.A
Chriſtus ſoli comparatur in eis qui de rebus ſanctis colloquuntur. 1153.B
Chriſtus ſanctitatem docturus aduenit. 1254.C
Eam ſuo ſanguine comparauit. Ibid.
Chriſtus ſanguinem ſuum effudit, vt Eccleſiam ſuam mundaret. 1260.A

Chriſtianus.

Chriſtianorum gloria in quo conſiſtat. 914.D
Chriſtianus factis cognoſcitur charitatis. 664.E

Caſtitas.

Caſtitatis cura quanta ſit Religioſis. 148. C.& ſeq.
In caſtitate perfectio non conſiſtit.711.C
Quid ſit reſpectu perfection s. 468.A

Caſus.

Caſus iuſtorum, & iniuſtorum quàm diuerſus. 905.C
Caſus iuſtis cooperatur in bonum. 905. C.D
Caſus iniuſtis in malum cooperatur. Ibid.

Cautio.

Cautio in verbis ſumma cura procuranda ad fraternam charitatem. 613.B
Cautio in omnibus negotiis quàm ſit neceſſaria. 1244.D
Cautio adhibenda eſt, maximè in negotiis tractădis,& in animi remiſſionibus admittendis. 1245.D.1247.B
Cautio hæc propria eſt amicorum Dei. P. 1248.D
Sine ea virtus & fama periclitantur.1249. E

Cautus.

Cautus ſit religioſus in conuerſationibus. 1244.C.D
Cauti eſſe debemus ſicut ſerpentes.1249. B
Bonum noſtrum, & bonum religionis ad id nos mouent. 1249.D

Ceruus.

Ceruus hal tu ſuo trahit ex antris venenum. 1112.C

Cibus.

Cibus animarū propius Deus eſt.1019.A
Eſt etiam earum cibus virtus. 1023.C
Cibus animæ diuina voluntas. 31 D
Cibus quotidianus religioſæ animæ. 154. E.155.A

Cingulum.

Cingulum Religioſorum quid præ ſe ferat. 29.D

Circumſpectio.

Circumſpectio Sanctorum in ſuis operibus. 525.B
Circumſpectio ſanctorum in occaſionibus imperfectionum vitandis. 814.D
Circumſpectus. Vide cautus.

Clericus.

Clerici, præſertim Presbyteri, Chriſti diſcipulis ſucceſſerunt. 349.C
Clericorum ſtatus, cur Religioſorum auxilio indiguerit. 351.C.352 B
Clerici vitam mixtam, vt ipſis maximè propriam ac neceſſariam, amplectantur. 350.A
Clericorum officium. 350 D
Clerici ſæcularia negotia relinquentes, diuinis pr. cibus vacent. 351.B
Clerici pauci ſunt qui res diuinas pro dignitate tractent 352 B
Clerici quales olim fuerint, & quales nunc ſint. 354.B
Clerici ſæculares quibus periculis expoſiti ſint. 354.C

Clementia.

Clementia Dei vulua dicitur. 522 B

Creatura.

Creaturæ omnes, etiam ratione carentes, homines ſtimulant ad charitatis acquiſitionem. 504.B
Creaturæ omnes nos ad Deo ſeruiendum inuitant 25.in Præfatiuncula
Creaturæ omnes ob noſtram culpam in odium factæ ſunt &c. 43.C
Creatura nulla electorum corda poteſt explere. 871.A

Creator.

Creatori ſuo homo æquale retribuere non poteſt. 186.B

Cognatio.

Cognatio charitatis inter Deum & homines,eſt filiatio. 764 B

Cognitio.

Cognitio diuinorum ad bonum faciendū requiritur. 894 D
Sed non eſt ſufficiens ea ſola animæ ad bonum faciendum ibid.
Cognitio ſine deſiderio parum eſt vtilis. 977.A

Cogitatio.

Cogitatio quid ſit. 311.C
Cogitationes ſanæ,quæ. 210.E
Cogitationes malorum quæ ſunt. 869.D
Cogitationes Sanctorum,quæ etiam ſunt. Ibid.& ſeq.
Cogitationes malorū ſunt inutiles. 957. B
Cogitationes à Deo immiſſas inſpirationes vocamus. 1169 A
Cogitatio hominis inquietū malū 568.
Cogitationum munditia fructus charitatis,ac perfectionis. 520 C
Cogitationes ſoli Deo gratas admittit ſanctus,ac perfectus Ibid
Cogitationes,& deſideria inania fœdat Deus in ſanctis ea non admittere conantibus. 520.E
Cogitationes inutiles ex nimia amicitia prouenient. 1138.E
Cogitationes internæ, quædam à carne, quædam à dæmone,quædā à Deo generantur in nobis. 1161.B
Quid ſit quælibet earum. ibidē. & ſeq.
In cogitationibus grauitas eſt tenenda. 1139.C
Cogitationes iuſtorū cur dicātur iudicia 1239.E.
Cogitationum grauitas in quo conſiſtat. 1239.D.
Cogitationes pili nomine ſignificantur. 1240.

Collectio.

Collectio vitium internarum eſt perfectionis fructus. 527.C
Collectio vitium,quam præſtat charitas, aptitudinem ad res gerēdas non tollit. 528.E.529.A

Colloquium.

Colloquia Religioſorum cum ſæcularibus, qualia eſſe debent. 381.E.382.A
Colloquia de rebus ſanctis,ſua Deus præſentia nobilitat. 1152.D
Quàm ſint vtilia. 1152.E. 1153. A. & ſeq.
Colloquia de rebus ſæcularibus ſiliquis comparantur. 1156.E.1157.A
Colloquia ſanctorū de rebus ſanctis ſunt. 1157.B.C.1158.A
Colloqui de potu, & cibo viliſſima res eſt. 1159.C

Color.

Color index ſalutis animæ eſt teſtimoniū bonum. 510.A

Columba.

Columbæ proprietates. 333.D.E
Columbæ eius pennæ deargētatæ,comparentur animæ ſanctorum. 1126 A

Communitas.

Cōmunitas. Vide Religionis cōmunitas

Compaſſio.

Compaſſio ſpiritualis profectus ſignum 107.E.

Conſilium.

Conſilia præceptis poſtponenda. 217. A & ſeq.
Conſilia Domini quid ſint.461.B.& ſeq
In quo à præceptis diſtinguantur.Ibid.
Conſilium eſt cōpendium vitæ anguſtius & ſecurè ducit ad vitam. 461.C
Eſt medicamentum, quo conſeruatur vita. 461.D
Omnibus liberè ſeruădum proponitur ibidem.
Conſilia Euangelica præcipua ſunt tria, paupertatis, caſtitatis, & obedientiæ 461.E.462.A
In conſiliis non eſt ſita ſecundum ſubſtantiam perfectio. 462.A.B
Conſilia ſunt inſtrumenta virtutis.461.B & ſeq.
Cōſilia omnes ſeruare nō poſſunt.463. B
Conſilia in imperfectis validiſſima ſunt perfectionis inſtrumenta. 467.D
Conſilia in perfectis inſeparabiles perfectionis effectus. ibid.
Conſiliorum finis perfectio. 473.A
Conſilia Euangelica pennis aquilæ comparantur. 559.E
Cōſilio indiget perfectioniſcupidi.149.C

Concionator.

Concionatores animarum curā deſerentes difficultatibus perterriti, perfecti non ſunt. 669.E.670.A
Concionatores ſe accommodare debent ſapientibus & inſipientibus. 454.D
Concionatoribus tribuit charitas omnia quę generatio ſpiritualis requirit.650.C
Concionatores leænæ comparantur. 650. E.651.A.
Concionatorum verbis charitas fraterna vim tribuit. 651.A.B
Concionatorum multi non animarū ſalutem quærunt. 669.C
Concionatores ea debent cōcionari, quæ vitæ meritis obtinuerunt. 739.C
Concionatores plus opere quàm verbo aliis proſunt. 824.D
Cōcionatores cum libertate ſancta ſuum munus excedere debent 865.E.866.A
Concionatores peccatores tanquam ſeruos interdū reprehēdere debē. 867.C

Concordia.

Concordia voluntatum fructus charitatis ac perfectionis. 529 D

Concors.

Concordes ſe mutuo fouent. 1164.D

Concupiſcentia.

Concupiſcentiæ ignem vincit ignis diuini amoris. 891.C
Concupiſcentiæ ſolæ bona mundi ſunt 108.A

Confidens.

Confidens ſibiipſi facilè in ſuperbiam cadit. 226.B

Connubium.

Connubium ſpirituale,quàm ſit carnali & purius & iucundius. 142.E

Cor.

Cordis ſinubus deſideria charitatis cœleſtium comparantur. 547.C
Cor hominis in varias contrariaſque partes quàm facilè mouetur. 43.A
Cor hominis cœlum eſt. 97 C
Cō dis puritas ſponſæ ornamentū. 102 A
Si dei t hæc extera Deo diſplicet. 102 B
Cordis puritas mundus muliebris dicitur, 102.D.111.D.
Cor imago volūtatis perfectiſſima. 144.D
Cordis natura,& proprietates numerātur 544.E & ſeq.
Cor humanum deſideriis vacuum eſſe nō

poteſt

potest in hac vita. 1012.E
Cor humanum quo cibo satietur. 1013.B
Cor illius non exaltatur, qui bonam in operibus suis intentionem habet. 229.D

Corona.

Corona perseuerantibus in virtute promittitur. 1251.E

Corpus.

Corporis exterior compositio internæ est tranquillitatis indicium. 147.B.C
Corpus nostrum charitatis sapientiã nos docet. 354.C
Corporis nostri valetudo perfectionis naturam declarat. 508.B
Corporis nostri figura in cœlum porrecta ad affectus cœlestes instigat. 996.B
Corpus spiritui æquari nõ potest. 1008.A
Corporis miseriæ quæ sint. ibid.
Corporis bona vilia & contemptibilia. 1206.D
Corpus labores huius vitæ, spe gloriosæ resurrectionis patienter sufferat. 1206. D.E
Corporis necessitas vita spiritualis nunquam valet abiicere. 212.A.B
Corporis castigatio, ac omnium carnalium vitiorum mortificatio, quartus gradus est incipientium. 223.D
Corporalis vita spirituali postponenda. 548.C
Corpori concedenda sunt victui necessaria. 567.C

Coruus.

Coruos imitantur, qui peccandi delectantur consuetudine. 610 C

Conscientia.

Conscientia propria nos non increpans, iudicium est gratiæ diuinæ. 201.E
Conscientiæ motum ad mala corrigenda, ac bona approbanda, nobis Deus impressit. ibidem.
Conscientiæ motum sola iustitia, ac motum rectitudo placare potest. ibid.
Conscientia nostra nos non increpãs coram Deo, gloria nostra est. 203.A
Conscientiæ bonæ testimonium quantũ gaudium generet. 817.D
Conscientia referta bonis operibus lectulo respersa floribus confertur. 218.E
Conscientiam nostram excutere debemus. 679.D
Dei exemplo ostenditur. ibid.

Consensus.

Cõsensus mortuus spiritualis coniugij inter Deum, & animã Religiosam. 131 B
Consensio voluntatum Religiosis necessaria. 648.D

Consideratio.

Consideratio cœlestium, terrenarum rerum contemptum parit 527.C.D

Consolatio.

Consolationes cœlestes ad Prophetiam reuocantur. 456.A
In consolationibus etiam spiritualibus perfectio non est sita. 489.E
Sine consolationibus spiritualibus potest obtineri perfecta sãctitas. 493.D E
Consolationes spirituales experiri, non omnibus Deus concedit. 494.A

Contemplatio. Contemplans.

Contemplatio Dei erigitur ad beatitudinem huius vitæ. 782.C
Quem Deus sua contemplatione dignetur. 782.D
Cõtẽplationis fructus est sapiẽtia. 782.E
Contemplans quid in meditationibus fugere, quid verò quærere debet. 323.C
Contemplans diuinam vnionem quærat. 321.A
Contemplãs verum virtutis decorem assequi curet. 320.D
Contemplans corporis ac animi quietem assequi contendat. 334.E
Contemplatiui, ad momentum à Christi contemplatione discedere fornicatio-
nem esse iudicare solent. 256.B
Contemplatio quid sit. 333 B
Contemplationis dulcedo ne nos ab actiuæ vitæ fructibus amoueat 386.A.B
Contemplatio tunc actionem iuuat, cùm non solùm ad nostrum profectum dirigitur, sed etiam ad vsum proximorum ordinatur. 387.A
Contemplationis deliciæ narrantur. 826. A.B & seq.
Ex ea fluuius pacis oritur. 827.B
Contemplatio diuinarum rerum in Dei dilectionem & amorem mouet. 893 D
Contemplatio diuinorum menti nostræ maximè congruit, illique maximam affert dulcedinem. 398.E
Contemplatio, passionum vehementia, impeditur. 326.D
Contemplationis delectatio qualis sit. 399.D.E.& seq.
Non conceditur omnibus. 405.B
Contemplationis dulcedinem ob salutem animarum omittere, signum magnum est diuini amoris. 415.C.D

Contemptus.

Cõtemptum sui patienter sustinere, quintus gradus perfectionis est. 228.A
Contemptio omnium rerum externarum, ac honorum, & dignitatum tertius gradus est incipientium. 223.A.B

Contritio.

Contritio vera signum est diuinæ gratiæ. 198.C
Contritio est illud labrum æneum, &c. 198.D

Conuitium.

Conuitia Charitati aduersantur. 613.C
Punit ea Deus. 614.A
Conuitia mitissime audienda exemplo Christi. 614 D
In conuitiis taceadum. 614.E

Conuersatio.

Conuersatio nimia cum hominibus ad perfectionem acquirendam impedimento est. 683.B
Conuersationes Religiosorum cautæ esse debent. 1244.D

Conuersio.

Conuersio peccatoris opus naturæ nõ est, sed Dei donum. 981.A.C

Correctio.

Correctio Prælatorum quàm vtilis est. 309.B
In correctione fraterna qui modus seruandus. 599 D

Crux.

Crux Christi officina mortificationis. 807 B
Cruci Christi quis dicatur configi. 530. D
Crucis amator instrumentum est adipiscendæ Christi sequelæ 1262.C
Crucis amor in quo manifestatur. 1262.D

Cucullus.

Cucullus Religiosorum quid significet. 29.D

Cupiditas.

Cupiditas quantum moueat homines. 469 A
Cupiditas perdidit multos. ibid.
Cupiditatis extinctio signum charitatis perfectæ secundum diuum Augustinũ. 492.B

Cura.

Curæ, & occupationes mundanorum pænitentiæ studium eneruant. 49.B
Cura Sanctorũ in operibus agendis, quæ. 884.D

Curiositas.

Curiositas otiositatis amica. 1215.C

Custodia.

Custodia vnitatis tertia vigilia est. 216.C

D

Dæmon.

DÆmonem irridet Sanctus. 851.C
Dæmones tepidorum opera irridẽt. 1176.B.D
Dæmon in angelum lucis se transfigurat singularitatem sectantibus. 12 8 D
Dæmon qua ratione à religioso est vincendus. 180.D
Dæmon molestissimis tentationibus homines affligit. 347.E.C

Dauid.

Dauid in gratiarum actionem tria Domino offert. 185.B

Decalogus.

Decalogus splendidissimũ Dei misericordiæ speculum, in quo homo faciem suæ mentis inspicit. 469.A
Decalogus quid sit. 469. B. D. in Decalogi præceptis nihil credendum, sperãdum, diligendum exprimitur, vel nobis proponitur. 469. C. Cur tanquam primum Decalogi mandatum offertur illud, Diliges Deum super omnia creata. ibidem Primum Decalogi mandatum religionis fuit. 569.D Quæ in Decalogo præcepta sunt omnia ad iustitiæ virturem vel ad aliquam eius partem pertinent. 469.E
Decalogi præcepta quoad substantiam sine gratia & charitate tenere quis potest. 472.C

Dens.

Dentibus sponsæ comparantur Sancti. 1164.D.E

Defectus.

Defectus fratrum in duplici solùm casu audiri possunt. 612.C
Defectus minimi vitandi, quia perfectionem impediunt. 679.A
Defectus minimi in vita spirituali non cõtemnendi. 1073.C
Mala, quæ ex eis sequuntur. 1074.C

Derelinqui.

Derelinqui à Deo miserrimum est. 917.B

Desertum.

Deserti proprietates. 60.A

Desiderans, & Desiderium.

Desideriorum impatiẽtia perfectionis est fructus. 511.B
Desideriorum viri sunt iusti. 522.B C
Desideriis ardentibus reficiuntur virtutes. 547.D
Desideria auida virtutis sunt sanguis elaboratus quibus virtutes reficiuntur. 547.E
Desideria auida virtutis sunt quasi vitales spiritus. ibid.
Desideria malorum quæ sunt. 869.D.E
Quæ etiam sint sanctorum. ibid.
Desideria bona iniquorum & iustorum in quo differant. 873.B
Desideria bona iniquorum similia sunt semini, quod cecidit in terram secus viam ibid.
Desiderium perfectionis est primum virtutis principium. 978.B
Multa eius encomia. 977.A
Desiderium mali initium totius peccati. 978.C
Desiderium perfectionis actus est amoris. 979.B
Desiderio cooperatur homo ad suam perfectionem. 985.B
Desideriũ est oculus, quo homo suæ mentis bonũ intẽdit. ibid. Est manus. 985.C
Est alarum instar mulieri datarum. ibi. Desideria perfectionis quædam sunt à solo Deo immissa quædam diuina gratia, & labore nostro excitata. 989.A
Desiderium virtutis à Deo immissum lux est ad modicum tempus accensa. 989.D
Desiderium virtutis calor est à socordiæ frigore mentes dissoluẽs Ibid. Est instru-

mentum ad terram cordis excolendam acceptum. 989.E
Desideria perfectionis excitanda sæpè. 990.A
Desideriis amplius se sancti adsecteta cælestia cognoscenda disponunt, quàm ieiuniis. 990.B
Desiderium virtutis ipsius desiderij desiderio crescit. 990.D
Desideria virtutis à Deo enixè petenda. Roborantur in meditatione, 990.B 991.C
Non sufficiunt ad verã sanctitatem sine virtutum operibus. 991.E
Desideria virtutis & perfectionis concipere difficile est. 994. A & sequentibus. Ad ea habenda nos mouet, quod Dei imagines simus. 994.D
Desideria virtutis apud Deum, si amplius non possumus, pro opere reputantur. 499.E
Desideria infirma & tepida quælibet difficultas insurgens extinguit. 1001.A
Desiderium perfectionis desideriis, gemitibus, ac lachrymis acquiritur. 998.C 1000.D. Magnum & inenarrabile esse debet. 1001.C. Iusta desiderij mensuram præmium Deus communicat. 1003.B
Desiderium perfectionis tale esse debet, quod nos faciat flere pro eius assecutione. 1003.E
Desiderium perfectionis quale esse debeat 1004.D
Desiderium in scripturis per os significatur. 1005.E
Desiderium perfectionis est medium ad consequendam perfectionem. 1005.D
Desiderium perfectionis excitat æstimatio illius. 1006. per totum caput.
Desiderio perfectionis eius ignoratio obstat. 1007.B
Desiderium perfectionis excitat scire, quod temporalia non satiant. 1012.D per totum caput.
Desideria satiare non possunt. 1018.B Mundi bona sunt. 1018.A
Desiderium perfectionis ad perfectionem acquirendam instigat. 1032.B Signum est gratiæ inhabitantis in anima. 1032. E. & sequentibus, & 1033. C. per totam.
Desiderantes perfectionem steriles non sunt. 1035.C. Deficiunt in vita spirituali, qui non proficiunt. 1035.D
Desideria efficacia perfectionis ad opus exeunt. 1049.A
Desiderium eximiæ sanctitatis habere vtile est. 1068 C
Desiderãtes magna, magna consequuntur. 1071.A. Secundũ capacitatẽ desideriorum dona sua Deus attribuit. 1071.C
Desideria in cõuersionis initio à Religioso concepta diligenter conseruanda. 1085.D
Desideria virtutum probanda sunt, an ex Deo sint. 1091.A
Desideria cœlestia amorem tollunt terrenorum. 148.A
Desideria sola vitam gratiæ custodire non possunt 195.C
Desiderium perfectionis ac regni cœlestis signum est diuinæ gratiæ. 102.A

Detractio & Detractores.

Detractores sunt charitatis interfectores. 593.A
Detractiones fugiendæ. 610.B
Detractores animi sunt abiecti & angusti ibid. Lupo comparantur. 611.B. Duplex habent cor. 610.C
Ab exemplo Christi lõgè absunt. 610.E
Detractorum mores praui, enumerantur. 610.B.C
Detractio non est, Prælato defectus fratrũ deferre. 611. C. In hoc tria seruanda ibidem.
Detractores non audiendi. 612.B

Deus.

Dei dona mundanis prærogata ipsorum culpa non rarò suam efficaciam amittunt. 58.D
Deo vocanti non reluctari sapientia maxima. 73.A. Hæc vocatio & beneficium Dei vnde incipiat. 75.B
Deus quàm longissimè abest à peccatoribus. 75.D. Variis modis vocat ad religionem. 118.B
Dei transitus per animam, quam ad se vult attrahere, explicatur. 76.C
Dei erga Religiosos protectio. 121. C. & seq. Eius indicia quàm plurima. 124. B. C.& seq.
Deus & anima religiosa vinculo insolubili copulati. 129 A
Deus erga animam religiosam est huius vitæ socius, comes peregrinationis, spõsus, virque fidelis. 130.B
Deus in habẽte charitatem manet. 478.A
Deus peccatores excitat, & ad supernaturalem amicitiam inuitat. 485.D
Dei cibus & potus profectus hominum in virtute. 1027.C.D
Deus solus scit, in qua charitatis mensura perfectio viatorum consistat. 498.C
Deus Mariæ charitatis perfectæ moderator. 501.A
Deum quis dicatur vincere. 520.E. 521.A
Dei vulua, qua portamur, charitas. 522.B.
Dei misericordia vulua Dei dicitur. Ibid.
Dei clementia vulua Dei dicitur. ibi.
Deo nos vnit charitas. 527.C. & seq. totã.
Deus ad voluntatem creatam iusti, sicut anima ad corpus. 529.B
Deus quomodo in iustis viuere dicatur. 530.D
Dei amici perfecti pauci. 543.B
Deus ex corde diligendus, quomodo intelligendum sit. 543.E. 545.C
Deus nouis gratiæ auxiliis sanctos mouet semper. 548.C
Deus est veluti anima & vita nostræ animæ. 554.B
Deus assiduis orationibus & gemitibus vocandus. 554.C.D. 555.A.B
Deus in omnibus rebus est per essentiam, præsentiam, & potentiam. 557.A
Deus quomodo sit in rebus per essentiam, ibidem. Deus quomodo sit in rebus per præsentiam. 557.C
Deus quomodo sit in rebus per potentiam. 557.D
Dei immensitas. 557.A & seq.
Deus in iustis speciali modo est. 558.C 559.D
Deus in iustis est tanquam in templo sancto suo. 558.C
Dei thronus & sedes iusti dicuntur. 559. A. Quomodo debeat parari Deo. 559. E
Deum esse in iustis tanquam in templo, quantum beneficium sit, perpenditur. 561.A
Dei ad memoriam conari debemus. 561. E. 562.A. 565.D & seq.
Deus omnia condidit. 562. E. & seq.
Deo tanquam omnium rerum auctori gratiæ agendæ. 563.A.B
Deus tria postulat in præcepto dilectionis, Diliges Dominum &c. 563.B.C
Deum diligere ex omnibus viribus quomodo accipiendum. 565. D
Deum quando homo diligit ex omnibus viribus. 564.C
Deus quis, qualis sit, quomodo habendus sit, quibusque auxiliis. 565 A B
Deus iustè præcipit à nobis diligi ex omni virtute nostra. 569 B
Deum diligere ex virtute qui dicantur. 570 C.D. 571.B
Deus feruidos amat. 57 .E
Deus amorem suum erga hominem, passibilem se faciendo, ostendit. 574 B
Deum diligere ex omni fortitudine quomodo accipiendum. 575.E. 576.A. 577. C. 578.B. 578.D
Dei beneficia in homines collata. 590. B. C.& seq. Gratias propter ea agit Dauid Domino. 590.E 591.A
Deus charitas est. 653.B
Deus quos amat, magis affligit. 666.C
Dilexit nos gratis. 667.C
Deus quomodo Iustis ac Sanctis paret & obedit. 718.D
Deum amor exinanire & pati fecit. 673.B
Dei amor dulcis, sapiens, & fortis. 674. C.D
Deus quemlibet eligit iuxta propriam sanctitatem cuiusque. 676.A
Sicut Deus Pater Christum dilexit, sic dilexit nos Christus. 676 E. Quomodo Pater Christum dilexit 677.A
Dei Præsentia in omnibus sedulo procuranda. 686.B. Nos à sensibilibus auocat, & ad diuina trahit. 686.C
Dei imago est homo. 687.A. Vt eam Deus reformaret, Filium suum dedit. ibidem
Drachmæ perditæ comparatur. 716.E. 717.A
Deus in hominum iustificatione quomodo sapientiam suam ostendat. 727.A
Deus est, qui hominum corda in bonum mutat. 727.B
Deum perfectio exornat. 730.C
Dei amicitia omnia bona animæ affert. 731.C.D
Dei prouidentia circa iustos. 748.B. 762. E
Dei attributa in Sanctis resplendent. 749.C
Deus amicitiæ leges cum homine obseruat. 756.D
Deus leges quas hominibus imponit, ipse super humerum suum supportat. 756.E
Deus animas iustorum diligit præcipuè. 757.D
Deus sæpe loquitur cum anima perfecta. 758 B 758 D
Dei verba, & colloquia cum anima sancta quàm dulcia sint. 758.C
Deus animæ donat omnia quæ habet. 759 C D. Flagella ab ipso inflicta non minora sunt dona. 760.A
Deus iustorum imperfectiones & peccata venialia quam patienter sufferat. 761.A
Deus, & iusti idem sapiunt, & volunt. 763. A.B
Deus sua secreta iustis reuelat. 761.B
Amicitiæ intercedentis inter Deum, & iustum dignitas, & vtilitas. 763.C
Dei filij sunt & vocantur perfecti. 764.C
Dei filij peccatores quodammodo, si habeant fidem 765.B
Dei filiorum quidam sunt paruuli, quidam maiores. 765 Imperfecti sunt eius filij dissimiles ibidem 765.D Sunt felices, & miseri. 766.A
Deus media perfectione animæ sponsus efficitur. 770 E
Dei sponsa vna sola 771.B.C. 776.A. 776. B. Quæ gratiæ ornamenta ei Deus concedat. 776. B C
Deus Sanctorum animas quotidie lauat, & purificat. 771 D
Deus cur appareat Insidens equo rufo. Ibidem.
Deus iustos instar myrtorum tribulationibus expilat. 772.E
Deus perfectorum est census, & hæreditas. P. 782.A Summa cura est inquirendus. 782.B.
Dei sponsæ deliciæ. 783.C. Habitatio gratissima Sancti. 811 A
Diues qui Deum habet. 784.B
Dei opus præstantissimum est perfectio. 785 per totũ caput: Cur opus Dei præstantissimum dicatur. 785.C
Deus est qui operatur in nobis velle, & perficere. 785.C. Exemplo declaratur. 785.D
Deus perfectionis est dator. 785.E. & seq. & per totum.
Deus de perfectione hominum tanquam de opere suo magno gloriatur. 787.B

Deus sanctorum nutritius est. ibid.
Dei prouidentia circa iustos, & sanctos ibid
Deus sanctitatis est largitor 787. D.& sequentibus.
Dei opus præstantissimum inter alia est perfectio. 788.C
Dei amici perfecti sunt familiarissimi, & dilectissimi. 793.C.D
Deus gratiam & sanctitatem hominibus confert, vt sint sancti 795.B
Deus sanctis, ac perfectis maiora dona confert, quàm aliis iustis ibid. B.C Abrahami exemplo probatur. ibid.C
Dei hæreditas virtus perfecta est. ibid B
Dei perfectiones præcipuè ostendit perfectio, & sanctitas iustorum. 796.E
Dij, & filij Dei cur appellentur iusti. 797. B.C
Deum peccatores inhonorant. 797.D
Deum sancti, ac perfecti gloria summa afficiunt. 796.D. Hanc gloriam Dei in oratione dominica petimus ab ipso. 798.B. An hanc Deo dandam ipse hortatur. 801.C
Deus à sanctis vitæ probitate magnificatur. 799 A.B. & seq.
Deus in sanctis suis est mirabilis. 800.D
Deus in scripturis medicus vocatur. 802.D Rex ibid. Diues. 802 E. Sponsus. ibidē.
Deus est, qui salutem hominis amissam media perfectione restaurat. 805. D.& 806.807.
Dei cœnaculū paratissimum, sancti. 812.B
Dei domus nulla est æquè perfecta, aut gloriosa sicut anima sancta. 815.E.
Dei sedes, cur dicantur sancti. 813.A
Dei tabernaculum sancti. ibid.D
Deus libentius in sanctis commoratur, quàm in cœlis materialibus. 814.B
Deus iustos quantum amet. 815 C
Dei gloria elucet hominē sanando. 815.D
Deus sibi soli gloriam omnem reseruat. 790.D.
Deus sanctos tribulari permittit, vt virtutum thesauros in eis conseruet. 820. B ibid D.
Dei læua cōminationem supplicij significat. 823.C
Dei dextera, quid significet. ibid.
Dei brachia eius sunt diuinitas & humanitas. 824 C. His duobus iustos protegit. 824 D
Deus animarum in virtute profectum zelat. 1029.B
Deus per cognitionem, & amorem perfectam animam sibi copulat, & diuinis consolationibus astringit. 825 C
Deus duplici affectu animam sanctā amplectitur, protectionis scilicet specialis, & consolationis. 724.B.825.C
Dei iugum leue, & suaue. 826. &
Dei mandata obsetuantes pacis fluuius irrigat 827.B C & seq.
Deus tribulationes iustorum dulcedine condit. 829.C
Dei iram effugiunt peccatores sanctorum meritis, & orationibus 836.A
Deus quomodo se gerat cum tepidis, & imperfectis. 847.E
Deus speculum sancti. 849.C
Deus, & sancti quodammodo vnum sunt. 854.D.
Dei locus in pace sunt sancti. 850.B.
Dei præsentiam in anima cōsequitur pax. 850.B.851.D.
Dei absentia & ex illa, turbatio consequitur. 850.C
Deus speciali protectione sanctos protegit a mali consensu. 851.B.855.A
Deus voce sua perfectos pacificat. 851. C
Dei præsentiam in anima consequitur securitas. 854.D.
Deus murus igneus dicitur in circuitu iustorum. 855.B
Dei præsentia in anima à dæmonum, & hominum impugnationibus sanctos defendit. 856.E
Dei omnipotentię effectus est sanctorum libertas. 863.B.
Dei iugum suaue. 864.A
Deus solùm electorum corda potest explere. 871.A
Dei prouidentia circa creata, soli comparatur. 874.A sub finem pag Hominum specialem habet prouidentiam. 875.D Sanctorum specialissimā habet prouidentiam 876.A.& seq.
Dei prouidentia circa sanctos, velut erga sponsam ac dilectissimos filios 877. B & 879.A. Obiectioni respondetur. 860. B.& C.
Dei prouidentiæ circa sanctos nequeunt mali resistere. 878 A
Dei prouidentia sancti tribulationibus premuntur, & mali non. 879.D. 880. B. 880.E.& 881.B
Dei prouidentię circa electos tria sunt instrumenta. 882.C
Deus ignis est consummans iniquitates iustorum, sed non affligit. 889.B
Deus ignis est illuminans iustos, & exurens malos. 889. C. Eius oculi sicut flamma ignis. 889 D
Dei prouidentia lucis suæ radiis sanctos illuminat. 882. C. per totum cap.
Dei prouidentia sanctos ad bonum roborat. 894.D. per totum cap.
Dei eleemosynę, quas ipse in homines distribuit auxilia gratiæ sunt. 896 A
Dei prouidentia specialis circa iustos. 899.C.& seq.
Deus vt papillam oculi custodit sanctos. 900.A.
Deus aquilæ cōparatur circa iustos. 900.B
Deus sanctos à malo retrahit. 901.& seq.
Deus leuissimas iustorū culpas reprehendit, ac punit statim. 905.B
Deus cur magna iniustorum peccata non statim punit. Ibid.
Deus in hac vita punit, vt ab omni lapsu seruet. 906. E. & 901. per totum cap.
Deus auxilium iustis præbet ad inimicos spirituales vincendos. 907. B
Deus sanctos suauissime à tribulatione liberat 908. C
Dei prouidentia soli est similis Ibid.
Dei prouidentia circa iustos est specialis. 912 A
Dei in manibus sunt sancti. 912 E
Dei prouidentia circa iustos scuto comparatur. 915. E
Deus iniquos flagello punit tanquam seruos. 913. C
Deus iustos tanquam filios manu percutit, & affligit. Ibid.
Deus iustos tribulat, vt ad se confidentius accurrant. 914. C. Matri comparatur Deus in hoc respectu infantuli sui. Ibid.
Deus iustos ad sibi petendum animat. 919.C
Dei largitas erga iustos. 919 & seq. 920. & seq.
Deus orationes sanctorum sæpe non audit, vt eorum merita crescant. 921.D.& seq. Quę Deus dona hominibus elargiri desiderat, iustos à se petere vult. 924 B
Dei dona sanctis concessa, alia sunt ad profectum, alia ad ornatum. 925. A
Deus donis replet sanctos. 925. per totum caput, quæ sint ista dona. 877. C 555.A
Dei iugum suaue. 928.C
Dei onus, dona sunt iustis concessa. Ibid. Ab hoc onere mali sunt liberi. 929.A
Deus mirabilis est in sanctis suis. 942 D
Dei gloriam narrant sancti. 965. C
Deus nemini debet. 982.C
Deus seipsum semper cogitat. 995 B Omnia creata in seipso cognoscit. Ibid.
Deus solus hominum cibus est. 1019.A
Dei voluntas est, vt in bello, & pace viuamus. 1027 E
Dei volūtas est vt in virtute proficiamus. 1027.E. In cruce manifestat eam, cū ait, sitio. 1028 A. Eandem iudicant dicta, & facta Christi viatoris. 1028.B
Deus iustos tribulat, & affligit, vt eorum animas sanet. 1029.D
Deus circa pusillanimes se habet vt aquila. 1070.C
Dei testes contra peccatores sunt sancti. 1165.D
Deus qua ratione in mentibus iustorum commoretur. 192. C
Deus vera vita animæ qua ratione dicatur. 192.E
Deus ad se accedentes claritate quadam diuina illuminat. 200.C
Deus in hac vita nec penitus nobis notus, nec omnino ignotus est. 201 A
Deus, quidquid petierimus, nobis concedet, si mandata eius custodierimus. 203. A.B
Dei voluntati etiam in minimis vir spiritualis parare curat. 207.E & seq.
Deum noscere, & in aliis virtutibus se exercere vera vita est. 210.C
Deum vt scopum debent respicere omnia opera, vt ad vitā spiritualem pertineant. 212.D.
Deus ab hominibus ad eius imaginem creatis imitandus est. 213. D
Deus suarum actionū finem sibi seipsum proponit. 213. E
Deus suis actionibus nullam sibi perfectionem acquirit, sed sapientiam bonitatem &c. manifestat. 214.A
Deo placere cupientes actuum primordia Deo consecrent. 216.A.& C
Dei beneplacitum in omnibus operibus suis cupere secundus gradus perfectorum est. 219.A
Dei obsequia ingēti Spiritus feruore perficientes tertium gradum perfectorum obtinent. 229 E
Dei voluntatem omnibus nostris desideriis, etiam piis, ac sanctis anteponere debemus. 230 E.& seq
Deus cultores suos his omnibus temporalibus vult renunciare. 284.C
Deus licet per se, vel per Angelos posset nos docere, tamen vult, vt per homines doceamur. 308.D. E
Deo in in contemplatione vniri, quid sit. 321 E
Deus in solitudine alloqui animam solet. 324.E
Deus in statu innocentiæ potentias, & affectus nostros sine vllo nostro labore composuit, nunc vero vult, vt nosmet ipsos mortificemur. 325 E
Deus humiles exaltat. 165.B
Deus illorum dicitur qui sæculo renunciantes creatorem suum sincero corde quærunt. 169 B.& seq.
Deus cur ita vocatur. 169.C
Deus Religiosos sibi in populum assumit. 170.C.

Diabolus.

Diaboli insidiæ quamplurimæ. 43.D
Diabolus affectibus nostris tanquam armis sibi aptissimis vtitur contra nos ipsos. ibid
De Diabolo victoriam reportant sancti. 937 D.E. Vide Angelus malus.

Dignitas.

Dignitas summa Dei filium esse. 24 B
Dignitates temporales extraneæ sunt hominibus 967 D
Dignitates sæculares instar somni sunt. 1104.C
Dignitates mundanæ arboribus à Sodomorum terra emissis assimilantur. 1018. D
Dignitates multis maximo dāno esse solent. 248.D

Diligentia.

Diligentia Religiosis in operando commendatur

meudatur. 85.D
Diligentia in virtutum operibus necessaria. 1175.B C

Diligere.

Diliges Dominum ex toto corde, & ex tota mente, &c. Hæc verba verbo abbreuiato comparantur, & multa complectuntur. 541. D. Eadem verba thesauro simul & margaritæ comparãtur. 542.B
Diligere Deum ex toto quid sit. 542.D. & per totum. & 543.E. 545.D
Diligunt perfectè Deum pauci. 543.B
Diligere Deum ex tota anima, quomodo accipiendum. 551.D
Qui diligant Deum ex tota anima. ibid.
Diliges Dominum Deum tuum ex tota mente, quo sensu accipiendum? 556.D. 559.E

Dilectio.

Dilectio Dei ex tota mẽte in duobus consistit. 556.E
Dilectionis Dei modum docẽt sæculares. 571.C
Dilectio fortis, vt mors. 579.A
Dilectio fraterna præceptũ Christi. 624. C.E. Præceptum nouum. 624. E. Tanquam à causa dependet à charitate erga Deum. 626.D
Dilectionem ex tota anima, præfigurabãt holocausta veteris legis. 552.D
Vide Amor. Charitas.

Discretio.

Discretio spirituum quid sit. 456. A
Discretio seruãda in bonis operibus. 216. E. 218.A

Dissensio.

Dissensio Religionum ruina. 644.A

Distractio.

Distractionis mater est tepiditas. 1145.E. 1146.A
ex Distractione, quæ damna eueniant? 1146.A
Distractio in oratione vnde proueniat? 1230 A

Diues.

Diues, quis sit. 457.A. 784.B. 792.D
Diuitum est consuetudo ad res magnas, despectis rebus minimis anhelare. 1079.D
Diues solùm est ille, qui non opum, sed virtutum fructus recondit. 736.D
Diuites huius mundi pauperes potius appellandi. 816.E
Diuitis abundantia molestias affert, & quietem cordis amouet. 823.A

Diuitiæ.

Diuitiæ spirituales, ac veræ in religioso statu quàm amplæ 90.A
Diuitiæ sæculi hominum vitio omnium bonorum materiam abscindunt, & malorum omnium fomitem ministrant. 202.D
Diuitiarum pedissequa luxuria. 202. D. & ira, intemperantia, furor, iniustitia, arrogantia, superbia, &c ibid.
Diuitiarum cupidi inepti ad quærendas animas. 1.9 C
Diuitias cur abijciant sancti. 462. E. Cur etiam à delitiis abstineant ibid.
Diuitiarum abiectio fructus charitatis, & perfectionis. 516. B. Maximè in Religiosis. 516.C
Diuitiæ sanctorum virtutes sunt. 1036.A
Diuitiæ tẽporales cur cõtemnendæ. 791.C
Diuitiæ tanquã vilissimæ, & minimæ contemnendæ sunt. 744. E. De hac re D. Antonini sententia. 741.C
Diuitiæ sanctorum gratia, & charitas. 791. B. Præstantiores sunt tẽporalibus. 792.B
Diuitias gratiæ soli Dei amicissimi assequuntur. 793. A. Pauci eas percipiunt. ibid.C
Diuitiæ huius mundi falsæ sunt. 816.E
Diuitiæ sanctorum Vide sanctorum diuitiæ.
Diuitiæ veræ quæ sint. 818.A
Diuitiarũ huius sæculi tinea est superbia. 822.C
Diuitiæ spirituales non pungunt. ibid.
Non satiant in hac vita. ibid.
Delitias, & tranquillitatem animo afferunt. 823.A
Diuitiarum temporalium cõtemptum securitas in anima consequitur. 856 D
Diuitias appetere, iugum asperum est. 865.A
Diuitiæ extraneæ sunt hominibus. 967.D Animum explere non possunt. 1014.A
Diuitias suas Deus dono perfectionis in iusto effusas ostendit. 983.B
Diuitiæ. Vide bona temporalia.
Diuitiæ alimentũ hominis nõ sunt. 1016. B. & seq.
Diuitiæ arboribus à Sodomorum terra emissis assimilantur. 1018. D
Diuitiæ aliis bonæ, aliis malæ sunt. 208.C
Diuitiæ vino comparantur. 948.D

Docendi modus.

Docendi modus optimus facere, & experiri prius ea quę quis alios docet. 616.E

Doctrina.

Doctrinam veram aspernari ob scriptoris vitam ineptum est. 12.in 38.

Dolor.

Doloribus est plena via peccãtium. 201.C

Domus.

Domus iuramenti cœnobium. 149.A

D. Dominicus.

D. Dominicus diuinitus ad prædicandum vocatus est. 358. C

Dona.

Dona Spiritus sancti solus Deus dat hominibus. 455.C
Donum linguarum quid sit. ibid.
Dona Spiritus sancti vbi charitas supernaturalis. 477. & seq.
Dona Dei. Vide Dei dona.

Drachma.

Drachma cur perfectio vocetur. 716.C
Dulcedo spiritualis. Vide consolatio.

E.

Ecclesia.

Ecclesia sanctos coniectat nõ ex affectibus & miraculis, sed ex perseuerantis mentis puritate. 491.D
Ecclesiæ nobilitas est vitæ perfect.o. 506. D
Ecclesia munerum, distinctionem debet, habere. 607. E. variis modis exponitur ibidem per totum.
In Ecclesia esse sanctos, est de fide. 694.E
Ecclesia cur circumdata varietate dicatur. 728.A
Ecclesia ciuitas parua. 775.A. A Dæmone expugnatur. Ibid. Eam tuentur sancti. Ibid. C. Scripturæ exẽplis confirmatur. Ibidem.
Ecclesia sanctos semper habet. 813.E
Ecclesia abundans in sanctis. 818.C
B. Gertrudis visione ostenditur. Ibid.
Ecclesia peccatorum morte tristatur. 818. E
Ecclesia viduæ illi est similis, quæ vasa vacua mutuo à vicinis accepit. 818.E 819.A
Ecclesiæ lampades sunt sancti. 820.C
Mundus eas contemnit. 820. D. Deus magni æstimat. 820.E
Ecclesiæ sterilitas & fertilitas. 828.C
Ecclesiæ veluti capita sunt sancti. 832.A
Ecclesiæ veluti ossa sunt sancti. 832.B
Ecclesiæ gaudium remissio peccatorum. 79.B.
Ecclesiæ sunt vtiles sancti & Perfecti 831. D. per totum caput. Exemplis probatur. 832.A
Ecclesiæ muri, & antemuralia sancti sunt. 835.E.
Ecclesia Christi plena est infantibus, id est sanctis. 863.A
Ecclesiæ segnities intrauit simul cum pace. 868.C
Ecclesiæ persecutionum causa. 868. D
In Ecclesia Dei duo sunt iustorum genera. 901.C
Ecclesia Dei perpetua est. 1016. D. Eius Rex est Deus. Ibid.
Ecclesiæ dentes sunt sancti. 1164.D E
Ecclesia in Dei cultu magnum ordinem obseruat. 1189. C. Ab Ecclesia Religiones didicerunt hunc ordinem. 1189. D.E.
Ecclesia ordinem habet. 348.B
Ecclesiæ Rectores quales esse debẽt. 350. C.
Ad Ecclesiæ vtilitatem confert Deus principaliter gratias gratis datas fidelibus. 458.E.
Ecclesiasticos ordines qui diuinitus non vocatus arripere cupit, cum latronibus numeratur. 353.B.

Electio.

Electionis diuinæ signum quodnam sit. 1019.C

Electus.

Electorum corda solus Deus potest explere. 870 E
Electi ratione alia auxilia gratiæ suscipiunt quàm mali, & reprobi. 895.A. & 895.B. & seq.
Electorũ pulchritudo describitur. 838.C. per totum cap.

Eleemosyna.

Eleemosynæ quas Deus in homines distribuit auxilia sunt gratiæ. 895 E

Elias.

Elias quoad zelum domini formam prætulit Religiosorum. 111.A

Eliseus.

Eliseus. 806. B. In eo Christus figuratur. 812.D

Episcopatus.

Episcopatus præstantior est statu Religionis. 1043 D

Episcopus.

Episcopi mundi gubernatores, & humani generis Præceptores sunt. 349.A

Eques.

Equiti strenuo charitas cõparatur. 515.E

Eremita.

Eremitæ illi primi sub Marci disciplina militantes quales fuerunt. 336 E

Ericij.

Ericiis similes iracundi, & rapaces. 61.C

Eusebius.

Eusebij dictum circa peccata leuia vitãda. 1079.A

Exemplum.

Exempla bonorum quantum aliis proficiant. 1164.B
Exempli causa omnes defectus quoad fieri possit, sunt vitandi. 1160. A. B. Ab opere licito cessandum, non præcepto. 1160.B. & seq.
Exemplum bonæ vitæ aliis præbẽtes sunt Dei adiutores. 1165.C. Dei etiam testes. Ibid.
Exemplum bonæ vitæ aliis præbere debemus. 1166 D

Exercitia.

Vide opera.

Extasis.

Extases ad Prophetiam reuocat S. Thomas. 456.A

Extrema.

Extrema in virtute vitiosa sunt. 1218.A

Ezechiel.

Ezechiel hominum vituperationes contemnit, vt mandata Dei exequatur. 866.D

Esurire.

Esurire iustitiam & sitire quid sit. 1002.E

F.

Fæmina.

IN fœmina, quæ requiruntur, vt Regis vxor fit. 775.E
Fœminæ in statu innocentiæ absque fractione sigilli virginalis conciperent. 808.C
Cum fœminis Religiosis sine socio in loco suspecto non loquantur. 1246.A

Fœcunditas.

Fœcũdi sunt sancti, vsque ad ipsum mortis momentum. 522.B

Fœnum.

Fœni floribus comparantur bona temporalia. 1014.D

Fama.

Fama sine cautione periclitatur. 1250.C
Fama bona quærenda est. 1250.D.E

Familiaritas.

Familiaritas, vide Amicitia.

Fastidiosus.

Fastidiosus mutationem quærit. 217.E

Feruidus.

Feruidos Deus amat. 570.E
Feruidi similes filij Abrahæ. 571.A
Feruentes Spiritu vide, Viri spiritu feruentes.
Feruens quis est, & quam mercedem accipiet. 217.E

Fides.

Fides, ac proles Dei, & animæ Religiosæ. 1039.D
Fides gratia gratis data, quid fit. 455.D
Fidei luce sancti collustrantur ad sanctè viuendum 83. A. Tum ad sapientissimè Intelligendum. 886.A
Fides diuina citra specialem reuelationẽ non inclinat ad credendum nos amicitiam Dei habere. 196 A
Fides diuina nos docet hominem per veram contritionem remissionem peccatorum, & diuinam gratiã accipere. Ibid.

Fidelis.

Fideles omnes possunt perfectionem acquirere. 449.E

Figura.

Figura pinea charitatis symbolum. 546.D

Filius.

Filij Spiritus. 129.A
Filios spirituales suscipiunt Christus, & anima Religiosa. 142 D. amorem scilicet Dei, ac proximi, &c. 146.A
Filij carnales quot, quantósque labores, atque molestias parentibus afferant. 143.C
Filius Dei adoptiuus est habens charitatem. 478.A
Filij Dei, vide Dei filij.
Filij parentibus quandoque similes corpore, & moribus similes, quandoque dissimiles. 764.E

Finis.

Finis diuinæ vocationis in Religiosa vita. 26.A
Finis pene omnium secularium peritura bona acquirere. 40 D
Finis est, qui ad agendum mouet. 431.D
Finis distortus opus alioquin bonum inficit. 212 E
Finis actionibus humanis speciem tribuit 211 A
Finis prius cognoscendus est, ne in vanũ laboremus. 279.C & seq.
Finis vitæ contemplatiuæ. 369.C

Flagellum.

Flagella quibus sancti affliguntur, Dei sunt dona. 760.B

Fluuius.

Fluuio decurrenti cõparantur sancti circa laudes, & vituperationes hominum. 866.B

Fortitudo.

Fortitudo quid fit. 575.E
Ex tota fortitudine quis Deum diligat. 575.E. 577.C
Fortitudo necessaria est. 282.B

Franciscus.

Franciscus sapientia præstantissimus fuit. 712.C
Franciscus vstionem non sentit. 763.A
Franciscus etsi scientiarum ignarus, sicut vitis abundãtissima in Ecclesia, fructificauit. 774. E. Eius Religio vsque ad fines terræ extensa. ibid.
Franciscus maiori Deum gloria affecit quàm multi iusti tepidi. 800.A
Francisci signa charitatis in eo ardentis. 893.A
Franciscus se ad animas Christo lucrandas vocatum esse supernæ reuelationis oraculo intellexit. 358.D
Francisci feruentissimum Dei seruiendi desiderium. 230.B
Francisci laus. 814 B

Fraternitas.

Fraternitas spiritualis in quo à carnali differat. 639.A

Fraterna charitas.

Vide charitas.

Frigidianus.

Frigidianus, Lucanæ ciuitatis Episcopus ciuitatem suam à fluuio omnia inundanti oratione liberat. 925.B

Fumus.

Fumi virgulæ assimulantur sancti in suis cogitationibus 957.A
Fumo cõparantur bona tẽporalia. 1014.D

Franciscus Xauier.

Est in x. Pagina vltima.

G.

Gaudium.

GAudium ex bonæ conscientiæ testimonio natum, quãtum sit describitur. 828.A
Gaudium de rebus cœlestibus cõceptum extrema habet læta, & signum est gratiæ diuinæ. 201.B
Gaudium gratiæ fructus est ac vitæ spiritualis effectus. 201.C

Gena.

Genæ duæ sponsæ, quid significent. 213.B

Germen.

Germini agro speciosissimo comparantur Religiosus. 90.A

B. Gertrudis.

B. Gertrudis visione confirmatur Ecclesiæ fertilitas & sterilitas. 818.C

Gigas.

Giganti robustissimo comparatur charitas, & perfectio. 526.B

Gloria.

Gloria huius mundi conculcatur à Beato Ephren. 78 E
Gloriam qua ratione cõparare debemus. 215.A
Gloriæ inæqualitas gratiæ, ac charitatis inæqualitatem arguit. 503 D
Gloriam perfectionis drachmæ comparamus. 718.E
in Gloriã nõ intrabũt imperfecti, etiamsi iusti sint, nisi prius in hac vita aut in alia perficiantur. 720.A
in Gloria omnes sunt Sacerdotes, & Reges. 751 D
Gloria iustis datur iuxta propria cuiusque merita 953 & seq.
Gloriam Dei in omnibus nostris quærere debemus. 216.A
Gloriam, ac honorem assequi non possumus, nisi eum fugiendo. 167.D
Gloria Beatorũ non in omnibus est æqualis. 503.C

Grabatum.

Grabatum, vide Sancti, & Peccatores.

Gratia.

Gratia est mater animæ. 201.C. Ea Christus inuenitur, sed munditia in cordis hospitium introducitur. ibid.
Gratias gratis datas solus Deus homini confert. 455. C. In quo earum natura consistat. 455.B per totum.
Gratiæ gratis datæ Euangelij ministris authoritatem conciliant. 456 C
Sunt perfectiones intellectus. 457.E
Gratiæ gratis datæ sanctitatis opinionem apud populos ingerũt 456. C. Sine charitate subsistere possunt 459. A. In eis perfectionis natura non consistit. 456. C. Gaudium ex illis Christus comprimit. 456.E
Gratiæ gratis datæ non facilè ab omnibus obtinentur. 457.C. Sanctos efficere non possunt 457.E. Ad eas quærendas nullus incitatur. 458. C. In eis perfectis non est sita. ibidem.
Gratiæ gratis datæ sine vera virtute nihil prosunt ad salutem animæ 458.A.B.C
Gratiæ gratis datæ sine charitate dedecus, & confusionem pariunt. 458.E. Conferuntur illæ à Deo principaliter ad vtilitatem Ecclesiæ. Ibid. Sunt interdum sanctitatis indicia. Ibid.
Gratiæ gratis datæ non sunt semper sanctitatis indicia eius, qui eas habet, sed quòd in Ecclesia commoretur. ibidem. & 459. A. & seq. Eas cur Deus non omnibus conferat. 459.C.D
Gratiæ gratis datæ sunt sanctitatis instrumenta in imperfectis. ibid. Eas Deus reprobis cõfert, vt electos iuuent. 460. A. per totum.
Gratia sibilo auræ tenuis comparatur. 486 C
Gratia semen gloriæ. 503.D
Gratias pro acceptis beneficiis Deo agere debemus. 563.B
Gratia cooperationem nostri arbitrij non excludit. 678 B
Gratia ros appellatur. 728.B
Gratia omnia bona animæ affert. 731.D
Gratiam Deus hominibus confert, vt sint sancti. 795.B
Gratiæ status cum innocentiæ statu confertur. 808.A & seq
In statu gratiæ copiosior gratiæ cõfertur. ibid. Gratia nunc collata est robustior ea quæ dabatur in statu innocentiæ 808. C. Est gloriosior. 809.D
Gratia à natura nõ prouenit 981.C. & sequentibus.
Gratia est animæ facies. 1031.E Cognosci non potest naturaliter. An ea affecta sit anima. 1032.A
Gratia quid sit, & quid in anima nostra operetur. 190.A. & seq.
Gratia est vita animæ. 191.A
Gratia dat animæ vt viuat, origo est virtutum meritorum initium. 193.B
Gratia hum liter seruanda est. 195 E
Gratiæ diuinæ effectus occulti ac sensibus nostris absconditi. 196.A
Gratia Ecclesiæ vera vita duodecim signis commonstrat se hominis inesse. 197.B
Gratia signata fuit rationali summi sacerdotis. 197.C
Gratia vestis sacerdotis est, & quorum sacerdotum. 197.E
Gratia grano synapi qua ratione similis dicatur. 198.A
Gratia nõ solũ internas animi vires moderatur, sed etiam sensus, ac actiones disponit. 19? B
Gratiæ diuinæ signa aliqua. 198.C. & sequentibus.
Gratia gratum faciẽs matutina stella præfulgida vocatur. 200 B
Gratia ipsam substantiam animæ afficit. 200 C
Gratia dona Spiritus sancti secum affert. Ibid.
Gratia diuinæ indicium est lætitia de rebus cœlestibus concepta. 201.A
Gratiæ diuinæ indicium est mortem nõ

timere

timere. 202.C
Gratiam Dei in nobis otiosam non habeamus si dona cœlestia perdere nolumus. 105.E
Gratia nos Christo coniungit. 190.A
Gratia operibus nostris meritum tribuit. 190.B.

Gratitudo.

Gratitudo pro diuinis beneficiis quã necessaria 2. sub medium
Gratitudo vocationis ad alia dona promerenda ianuam aperit. 194.D

Grauitas.

Grauitas tenenda est in cogitationibus verbis,& actionibus. 1239.C
Grauitas in cogitationibus in quo consistat. 1239.D
Grauitas in verbis,in quo cõsistat.1240.D Magni est ponderis ad fraternam charitatem & spirituale profectum. 1240. E.1241.A
Grauitas in actionibus corporis tenenda est.1242.A. Est virtutum cutis & facies. 1242.D.Ex animæ puritate interiori adepta procedit. 1243. A.B. Deo gratissima est. 1243.C

D. Gregorius.

D. Gregorius Magnus etiã Pontifex Monachorum colloquia amabat. 1112.A

Gubernator.

Gubernator prudẽtissimus charitas.517.E

H

Habitus.

HAbitus etiam ipse Religiosorũ perfectionem ab eisdem exposcit. 29.C

Hæreditas.

Vide Dei Hæreditas.

Hieronymus.

Hieronymus Platus scripsit copiosè ac luculenter de bono statu Religiosi. 33.D
D. Hieronymus punitur ob liberam librorum gentilium lectionem.1228.A. & seq.

Hierosolyma.

Hierosolyma typus animæ nostræ. 34.C
Hierusalem patriam cœlestem significat. 211.B

Histrio.

Histrionis cuiusdã lepida promissio.777.B

Holocaustum.

Holocaustum totum in veteri lege consumebatur, atque illo vita Religiosa præsignificabatur. 214.B

Homo.

Homo quæ imprimis amat tractat libentius. in initio.Eius vera magnitudo. in quo consistat. 94.C
Homo post peccati vulnus quã imbecillus. 13.A
Homines mundani irrationabilibus similes. 61. B
Homine mundana sectante nihil vilius,& abiectius. 64.C.& seq.
Hominis duplex status. 440.E
Homo dum viuit,potest magis, ac magis in sanctitate proficere. 498.E
Homo assuescere debet intra seipsũ Deũ cogitare,& eum memoria,& voluntate colere. 660. A
Homo constat natura,potentia, & operatione. 562.D
Homo cur microcosmos sit dictus.563.D
Homo mundus abbreuiatus. ibid.
Homines omnes multis titulis fratres, ac proximi possunt nuncupari. 583.B. 584.A
Homines cum dignitate ingeniũ mutãt. 170.E
Homines omnes vocat Christus amicos. 675.D
Hominem Deus ad sui imaginem fecit. 687.A
In Hominum iustificatione ostẽdit Deus suam sapientiam. 727.A
Honores hominum fugiunt sancti.728.C
Homines soli emptioni,& venditioni insistunt. 777.C
Hominis velle,& perficere Deus operatur in illo.785.C.Exemplo declaratur.785. D.Conatus soli hominum insufficientes sunt ad perfectionem acquirendam 785.E
Homo iustitia originali vestitus creatus fuit. 803. B
Homo creatus fuit in initio perfectus tam in naturalibus,quàm supernaturalibus. 803.C.& seq.
Homo innocentiæ statum amisit,quia suam felicitatem non intellexit.804. A
Hominis vires omnes quantum in natura lapsa langueant. 804.C & seq.
Hominis salutem spiritualem media perfectione Deus restaurat.806 A.E & sequentibus.Exemplo Elisei filium Sunamitis ad vitam reuocãtis confirmatur. 806.B
Hominis salus spiritualis in statu legis gratiæ, maior,robustior, & gloriosior est ea quam in statu innocentiæ possederat. 897.E
Homo ad laborem natus. 830. A
Hominum miserias, & calamitates depellunt sancti. 836. D
Hominis desidia in Deo quęrendo 844.E
Hominum iudicia & dicta contemnunt sancti. 865. E
Hominum Deus specialem habet prouidentiam. 875.D
Hominum appetitus insatiabilis. 960. E
Homines immortalitatis desideriũ nullo bono creato implere possunt. 961.B
Hominum sæcularium memoria cineri comparatur. 961.C
Homines sui memoriam in terrenis quærentes, non tam laudem,quàm crimen sibi parant. ibid.
Homini extranea sunt temporalia non propria.967 D Et velut propria est sanctitatis dignitas. 968.A
Homines omnes nudi nascuntur 967.E
Homo in gratia creatus.968.A. Per inobedientiam eam amisit Ibid.Fatuus est, & miserabilis non Sanctitatis dignitatẽ quęrendo.968.B. & seq.Ipse infiniti, se quæstionibus miscuit.996 E. Mulier 18. annis infirma, & inclinata hoc designat.997.A. Cœlestia quærere tenetur. ibid.
Homo arboris nomine designatur. 997. C. Sursum radices mittit. Ibid.
Hominum natura peccatis,& passionibus quasi duobus catenis irretita tenetur ne in amorem cœlestium assurgat.1007.A
Homo quæ desiderare debeat. 1013. A
Homo cur temporalia appetere non debeat. 1013.B
Homo quo cibo satietur. 1013. C. Eum bona temporalia explere non possunt. 1014.D.per totum cap.
Hominis cibus verus Deus solus est. 1019.A
Hominũ perfectionẽ optat Deus.1026.E
Homo abscõdita videre cõtendit.1031.A
Hominum actiones duplices sunt.1114.B
Homo Christũ Dominũ quomodo imitabitur in suis actionibus. 1124.B.C
Hominum vita breuissima. 1193.A
Homo,& Angelus in quo differãt in perfectionis acquisitione. 1260.E
Hominis interioris vita in diuinarum rerum cognitione consistit. 210.D
Homini data est vita naturalis, vt exerceat actiones vitales. 205.B
Homo duo præstare debet,& vt noua acquirat, & comparata custodiat. 105.D
Homines Deum ad eius imaginem creati imitari debent. 213 D
Hominis natura est, vt in aliquibus ab alio indigeat instrui:quod etiam in statu innocentiæ reperitur. 347.C

Honor.

Honoris,voluptatis,aut diuitiarum cupidi animabus quærendis inepti. 109. C
Honor verus qualis sit 157. A.A virtute procedit. 158. A. Quibus debeatur. 159.C
Honores hominum fugiunt sancti.728.E
Honor virtuti comparatur. 929.D
Honore Sancti afficiuntur à Deo.ibid. C. per totum caput.
Honor Sanctorum, diuitum ac nobilium honorem superat. 932.C.& seq.
Honor verus in quo consistat. 934.D
Honor sæcularis infamia,& nugæ 934.C
Honor vitæ carnali postponitur. 194.B
Honor aliis bonus,aliis malus est.109. D

Hortus.

Horto flores suauissimos cõtinenti comparantur Sancti in suis cogitationibus & desideriis. 871. C

Humilitas & humilis.

Humilitas ad perfectionem acquirendam necessaria.682.A.Cõparatur equo agili currum trahenti. 682.C
Humilitas Sanctorum. 821.D
Humilitas virtutum ornamẽtum est ibid.
Humiles Dæmones superant. 938.A
Humilitas quid sit. 1120.A
Humiles à Deo exaltantur. 165.B
Humilitas est fundamentum aliarum virtutum. 326.E

Hypocrisis.

Hypocrisis cur deargẽtata dicatur.721. C

I.

Iacob.Iacobus.

IAcobi Nisibis.siue Antiochiæ Mygdoniæ Episcopi orationis efficacia aduersus hostes suæ ciuitatis. 837.C
Iacob vitam mistam significat. 260.E

Idolum.

Idola turpes, ac terrenas cogitationes significant. 254. B
Idolorũ cultus hominibus horrendus esse debet. 171.A

B.Ignatius.

Ignatij Martyris patiendi desideriũ.523 B
B.Ignatij nostri feruor in studio perfectionis. 1088.D.E
B Ignatij amor singularis erga proximos. 673.E. Seipsum propter illos quod immodo exinaniebat. ibid.
B Ignatius Societatis Iesu parens. 359. B
B P. Ignatius de Loyola officium, etiam leuissimum,summo conatu obibat. 1178.C. Ante Missæ celebrationẽ Missam apud se legebat, & præueniebat omnia. 1179.B

Ignis.

Igni inextinguibili comparatur charitas, & perfectio. 521.D
Igni charitas comparatur. 552 E
Ignis consumens est Deus. 889.B
Ignis inflammãs sanctos est charitas.890. B 881.per totum Huius erat figura, Ignis in altari Dei semper ardẽs.890.C

Ignorantia.

Ignorantia huius mundi. 50.E.
Ignorãtia perfectionis eius desiderio obstat. 1007.B

Imago.

Imago Dei,Vide Dei imago.
Imago vide quid sit 707.B

Imitatio.

Imitatio. Vide Sanctorum imitatio vel Christi imitatio.

Impatientia.

Impatientia desideriorũ perfectionis fructus. 511. B

Imperandi cupiditas.

Imperandi cupiditas Alexandri 1017.A

Imperfectus & Imperfectio.
Imperfecti, & pigri diu latere nequeunt. 147. B. Eis Deus gratias gratis datas concedit, vt ad se trahat. 459. C
Imperfectorũ nomen passim legitur apud sanctos fine offensione. 495. D
Imperfecti infantes dicuntur, & pueri. 513. C
Imperfectus in suis operibus quomodo à perfecto differat. 514. E
Imperfecti labores, & tribulationes recusant. 516. E
Imperfecti onus aliorũ non portãt æquanimiter. 517. B
Imperfectus, etiamsi iustus quo vsque perfectatur in gloriam non intrabit. 720. A
Imperfecti quomodo se habeant respectu Dei. 96. D
Imperfecti quomodo à perfectis distinguantur. 766. D. 771. B
Imperfectorum animæ non Dei sponsæ sed adolescentulæ vocantur. 771. B
Imperfecti seruis comparantur. 901. D
Imperfectorum imperfectiones in Purgatorio purgantur. 953. A

Impudens.
Impudentes comparantur canibus. 61. C

Imprudentia.
Imprudentia est, aperta negare. 195 D

Incipiens.
Incipientium est proprium timor pœnarum. 487. B
Incipientes terræ bonæ cõparantur. 496 C
In incipientibus perfectio quasi arbor in hieme. 511. D. 512. B
Incipientes in via spiritus qui dicantur. 222. C

Indus.
Indorum salutem procurare quàm vtile 669. E. Difficultates quæ se offerunt in illa multa, ibidem. Eas superare perfectorum est. 670. A

Indicium.
Inconstantis animi indicium. 218. D
Indicium excellentis virtutis est inter bonos lucere. 225. C

Infernus.
Infernus etiam ipse nos ad Dei amorem impellit. 26. in præfatiuncula.

Infirmitas.
Infirmitates animæ passiones. 509 C

Inflammare.
Inflammat Deus sanctos. 888. C. & seq.

Ingratitudo.
Ingratitudo periculosa. 1. sub medium.

Ingratus.
Ingratus non habebitur, qui tria Domino in sacrificium laudis obtulerit. 118. C

Iniuria.
Iniurias dissimulare non norunt mundani. 48. C
Iniuriæ peccato animo excipienda sunt per totum. & 614. D. 615. A. 616. B
Iniurias suas vlciscitur, qui eas contemnit. 615. B

Iniustus.
Iniustos & peccatores quòd non statim Deus in peccatis suis reprehendat, ac puniat, cos contemnit. 951. A

Iniquus.
Vide peccatores.
Iniquorum bona temporalia eorum animam non explent. 1015. D. Figurantur in Iona. 1015. B. Vide, Bona temporalia.

Innocentia.
Innocentia vestis candidissima difficile seruatur in sæculo. 57. B
Innocentiæ status perfectio cum ea, quæ est in lege, gratiæ confertur. 817. E
In statu innocentiæ non veniret filius Dei 808. A. Nec esset Mater Dei. 808. B Nec Apostoli, ibidem. Fœminæ sine fractione Virginalis conciperent. 808. C

Inobedientia.
Inobedientes. Vide obedire.

Infaturabilis.
Infaturabilis est charitas, & sancti. 523. D. & 521. D

Inspiratio.
Inspirationes diuinæ lux sunt sãctis. 886. A
Inspirationibus diuinis parere debemus. 1167. A
Quid sit inspiratio diuina. 1168. B. 1169. A Quãtæ sit vtilitatis. 1170. C. 1170. D. E. Qui eis parent, citò in virtute proficiunt. 1169. C. Illis qui velit Deus in nobis. 1170. A. Eis parendo ianuam fœlicitatis nobis aperimus. 1171. E. 1172. A. Eis resistendo quæ & quot damna nobis obueniant. 1173. A. & seq. ad eis parendum exhortatio. 1174. A.

Intellectus.
Intellectus iusti quid præstare oporteat circa Deum. 565. A.
Intellectus illustratio in oratione comparata ad inflamandum voluntatem dirigitur. 332. E.

Intemperans.
Intemperans ad vomitum redit quàm citissimè. 47. E.

Intentio.
Intẽtio praua oculo nequam significatur. 212. E.
Intentionis puritas. 21. C.
Intentionis rectitudinem habentes, animi tranquillitatem non amittunt. 291. C. D.

Interpretatio.
Interpretatio sermonum quid sit. 456. B. Eius duplex fructus. ibidem.

Inuidus, Inuidentia.
Inuidi omnia fratrum malè interpretantur in malum. 602. B. Exemplo melancholici declarantur. ibidem.
Inuidentiæ damna. 44. C. D.

Inuocatio.
Inuocatio diuini nominis incensum orationis est. 185. C.

Ioannes Baptista.
Ioannis Baptistæ libertas in pronunciãdo veritatem. 867. B
Ioannes Baptista, cùm lucerna ardens vocatur, perfectus prædicator vocatur quẽ omnes imitari debent. 371. A. & seq.

Iob.
Iob exemplum admirandum. 37. B
Iob infirmitate percussus imago est peccatoris. 1160. C

Ionas.
Ionæ libertas in veritatem pronunciando. 867 B
Ionas propheta figura est eorũ, qui bonorum tẽporaliũ amore capiuntur. 1015. B
Ionas imago hominis singularis. 1209. D. E

Iosephus.
Iosephi erga Dominũ suũ gratitudo. 24. B
Iosephi talaris tunica perseuerantiam iudicat. 1157. D. E

Isaias.
Isaias hominum vituperationes contẽnit. 866. D. Ieremias etiam. ibid.

Iudices.
Iudices mundani diligentes munera. 47. B

Iudicium, & iudicare.
Iudicij temeritas non est in diligentibus proximos fraterna charitatè 600 B. & seq. Exemplo Christi id exponitur. 600. D. & seq.
Iudicantes temerariè, quibus assimilentur. 602. B. C. Christi potestatem iudiciariam ambiunt. 602. E. Ad oppositum exhortatio. 603. A. & seq.
Iudicium temerarium trahi comparatur. 603. C. D. Iudicia temeraria multorum in speciali referuntur. 604. B Quidam dupliciter Prælatos iudicare solẽt. 604. C. Hi in magno salutis discrimine versantur. 605. A. Contra temerè iudicãtes defenduntur laborantes, & in incertionibus occupati. 606. C D. & seq.
Iudicio proprio ne fidas. 692. C
Iudicij proprij abnegatio, & propria voluntatis conculcatio, quintus est gradus incipientium. 224. A
Iudicium proprium lepra pessima est. ibid.
Iudicia. Vide Hominum iudicia.

Iugum.
Iugum Christi Domini, & suaue est & honorificum. 138. B

Iusti.
Iustorum sapientia. 2. sub finem.
Iusti simplicitas deridetur ab stultis mundi habitatoribus. 43. D
Iusti sæcularis, & Religiosi perfecti discrimen. 123. E
Iusti reputantur à Deo bene operantes, etsi consolationibus careant. 493. E
Iusti dicuntur viatores. 499. B
Iustus auidior est in bonum, quàm omnes cupidi in diuitias. 522. D
Iusti nati ad volandum. 830 C
Iustorum labores dulcedine condiuntur. ibid. Eorum animæ pulcherrimæ sunt. 838. C. per totum caput.
Iusti speciali modo Deum habent. 558. C
Iustorum sanctitatem manifestant persecutiones & tribulationes. 516. C. D
Iusti throni, & sedes Dei dicuntur, vbi Deus requiescit. 559. A
Iusti templum, & domus Dei. ibidem. Soli comparantur. 623. A. Quomodo Deo hæc domus parari debeat. 560. A
Iustorum fortitudo. 576. A.
Iustorũ opera iudicat mundus stultitiam 674. A
Iustos diligit Deus iuxta maiorem, vel minorem sanctitatem ipsorum. 676. A
Iusti plus diligẽdi quàm peccatores. 676. D
Iustorum ingenium, & conditio. 724. D
Iusti, & iniqui comparantur. 730. B
Iustorum cibus calore naturali non consumitur. 735. D
Iustorum cibus, & potus non satiant. ibid.
Iustorum vita communium est magnificum, in quo spiritualis indigentiæ omnium prouidetur. 740. A
Iustos mali cur persequantur. 741. A
Iustis nihil nocet. 749. A. Eorum quam habeat Deus prouidentiam. 753. C
Iusti etiam si perfecti peccata venialia, & imperfectiones multas in Deum committunt. 760. E. Patienter ea Deus suffert. 761. A. & seq.
Iusti in tribulationibus Deum sufferunt. 762. B. Vide Sancti.
Iusti idẽ quod Deus sapiũt, & volũt. 762. A
Iusti imperfecti sunt filij Deo dissimiles. 765. D. Fœlices sunt, & miseri. 766. A
Iustos instar myrtorum Deus tribulationibus expilat. 772. E
Iusti tribulationibus pulchriores quotidie euadunt. ibid.
Iustorum corpora quàm perfecta quomodo. 783. D
Iusti fasciculi Dei sunt. 788. C. Ieui ferro comparatur. 800. B
Iusti tribulationibus premuntur, vt eorum animæ feruerent. 1029. C
Iustus mundo est vtilis, iniustus inutilis. 838. A
Iusti dum imperfecti sunt pace perfectè non perfruuntur. 847. D
Iustorum specialissimam habet Deus prouidentiam. 876. A
Iustorum, & iniustorum casus quàm diuersus. 905. C
Iustorum tribulationes. Vide sanctorum tribulationes.
Iustorum non omnes æqualem cum Angelis gloriam participabunt. 956. C
Iustorum memoria æterna laudibus referta. 962. A
Iustorum desideria complentur. 998. D

Iusti etiam in hac vita saturantur bonis spiritualibus. 1022.C.
Iustorum animæ aquilæ comparantur. 1035.A
Iusti,electi sunt,Reges,& sacerdotes sunt, & populus adquisitionis. 198.A
Iusti cur mundum despiciunt. 202.C
Iustos nos Deus facit,& nō ipsi nos.203.C
Iusti peccata leuia,non vt iusti,sed vt homines imbecilles committunt. 210.A
Iustorum mors,vide Sanctorum mors,vide Perfectus,vide Sanctus.
Iustis tam cœlestia, quàm terrestria omnia inseruiunt.71 .C.& sequentibus.

Iustificatio.

Iustificationem peccatoris præcedunt aliqua ex parte ipsius & Dei,fides,scilicet, & spes. 486.C

Iustitia.

Iustitiam esurire,& sitire quid sit. 1002.D

Ira.

Iram cohibere Vilissimum à Mundanis ducitur. 48.C.& seq.

Iracundus,& iracundia.

Iracundus. 47.B
Iracundi,& rapaces ericiis similes. 61.C
Iracundia charitati aduersatur. 613.B
Deponenda statim. 614.C
Iracunda verba charitati fraternæ aduersantur. 613.B

Irridere.

Irridendus ille, qui cœlestia deserens ad terrestria se conuertit. 207.C

Iter.

Iter virtutis iucundum. 201.B
Itinera spiritualis vita. 201.C

Inconstans.

Inconstantis animi indicium.

Iniquitas,vide Peccatum.

L

Labor,& laborare.

Laborantibus promittit Deus cogitationum munditiam. 521.A
Labores non esurire signum est parua charitatis. 514.B
Laborare cum laborantibus,est honorificentissimum. 1105.A
Labores huius vitæ spe gloriosæ resurrectionis sufferat corpus. 1208.D & seq.
Labor honestus peccata destruit, & innocentiam custodit. 1212. A. Quàm sit vtilis. 1213.A
Laborantes visitant Angeli. 1214.A
Labor externus omnibus ad perfectionem tendentibus necessarius est. 413.A

Lacryma.

Lacrymæ iustorum quàm vtiles. 892.A
Indicat charitatis ignem intus latere.ibi.
Lacrymarum vis. 998.D

Lætitia.

Lætitia de rebus cœlestibus concepta diuinæ gratiæ indicium est. 201.B
Lætitia cœlestis extrema, læta,ac iucunditate plena sunt. ibid.

Lapis.

Lapidum quibus rationale summi sacerdotis ornabatur proprietates explicantur. 204.A

Laurentius.

Laurentius Martyr patiēdi desiderio crudelitatem carnificum superauit. 523.B

Laus.

Laudes hominū cōtemnunt sancti. 866.B

Lebes.

Lebetes denigrati peccatores indicant. 826.C

Lectio.

Lectio spiritualis omnibus Religiosis, sed præcipuè Tyronib.necessaria est. 298.B
Lectio spiritualis qualis esse debet,vt vtilis sit. 328.E
Lectioni meditatio debet succedere. 706. A

Legalis cæremonia.

Legalium cæremoniarum onus magnum, & quasi mancipia homines constringebant 859.E

Leo.

Leonibus, ac Pardis ob rapacitatem, & habendi auiditatem comparantur mundani 61.D
Leæna catulos suos gemitibus exsuscitat. & lambendo format.650. E. 651. A. Ei Prædicatores comparantur. ibid.
Leoni assimilantur sancti aduersus hostes suos spirituales. 940 A

Lex.

Legis principium,& finis charitas. 534.C
Lex diuina.vide Mandatum.Præceptum diuinum.Decalogus.
Legis cognitio à charitate pendet. 536.A

Liber liberi.

Liber in domino quis sit. 860.C.861.D
Libertas in Domino effectus omnipotentiæ Dei. 847.B
Liber est qui sola Dei possessione contentus nihil terrenum concupiscit. 865.B
Huius libertatis effectus. 865.E.863.E
Liber est, quem conscientia non accusat. 203.A

Libri.

Libris gentiliū multi sunt addicti.1226.C
Qui ita faciunt Ecclesiæ, & conuersioni gentilium magnam iacturam afferunt. 1227.C Deo displicent.ibid.& 1228.A
A studio diuinarum scripturarum auocant libri prophani.1229. A. Tranquillitatem animi ad orandum expellunt. 1210 A. Aliaque mala ex illis prouenientia numerantur. 1230.D

Libertas.

Libertas animæ in omnibus iustis, maximè in perfectis. 860.A.B
Libertas peccatori multa mala affert.867. C

Libidinosus.

Libidinosi equis similes. 61.D

Lignum.

Ligno vitæ perfectio comparatur. 514.C
Ligno humido imperfecti comparantur. 888 E.889.A
Ligno sicco, & combustioni apto assimilantur sancti 889 A
Ligna arida dicuntur sancti. ibid.

Lilium.

Lilium inter spinas perfecti. 771 C

Lingua.

Linguā cohibere quàm sit difficile,quamque fructuosum. 152.C
Linguarum donum,quid sit. 45?.B
Lingua hominum vipera est teterrima. 151.C

Littera.

Litterarum studia,quo fine Religiosi amplecti debeant. 1067.A.B

Locus.

Locus ipse Religiosorum eosdem ad perfectionem mouet. 27.E

Loquacitas.

Loquacitatis victoria omnium aliorum hostium victoria est. 152.E

Loqui.

Loquendum cautè,ex opposito enim multa damna sequuntur. 613.C
Loqui de Deo.vide Colloquia de Deo.

Lucifer.

Lucifer cur à dignitate in qua creatus erat deiectus est. 769.D

Lupus.

Lupus Traiectensis Episcopus ciuitatem suam oratione liberat. 921.A

Lutum.

Luto platearum peccatores comparantur 1009. E

Lux.

Lux sapientiæ,quid præstet. 50.C
Lux minoris stellæ est maior cæteris luminibus corruptibilibus. 591.E
Lux splendidissima charitas, & perfectio. 511.B
Luci comparatur sanctitas. 882.D
Lux spiritualis præstat corporali. 813.D
Datur sanctis ad sanctè viuendum.ibid.
Lux cœlestis illustrans mentes,ad vanitatē fugiendam, cœlestiaque amplectenda, signum est gratiæ iustificantis. 200.A

Luxuria,& Luxuriosus.

Luxuriem diligunt,atque adeo mercantur mundani,tantùm abest, vt illam exhorreant. 47.B
Luxuriæ immunditiam abluit Religiosus status. 9..E
Luxuriosus nō satiatur voluptatib.10 7.A

Leuitas.

Leuitas mentis multa generat vitia.1239. A
Leuitas in verbis fugienda diligentissimè. 1241 C
Leuitas in actionibus corporis vitanda. 1242.A

M

Malum & malus.

Mala sæculi cū bonis Religiosi status collata magnopere mouent. 30.B
Mala innumera sæculi. 30.D
Mali pariter,ac boni calamitates patiuntur in sæculo. 37.E
Mali his bonis sensibilibus quasi furtim vtuntur. ibid.
Mali cur iustos,ac sanctos persequuntur. 730.D
Mali nihil Deo donant. 760.A
Mali etsi omnibus bonis tēporalib. abundent,miseri & tristes viuunt. 829 B.C
Mali ad laborem nati sunt. 830. Timorē incutiunt sancti.833.C.Exemplo Pauli confirmatur. ibid.
Malorū iudicia, & dicta.vide Mūdi dicta.
Mali,& sancti in desideriis bonis quomodo differant. 873.B
Malis cur Deus permittat omnia prosperè succedere,sanctos verò tribulationibus, & ærumnis premi. 880.B,C & seq.
Mali mutuum quod à Deo receptum non soluunt.895.A.Verba sapientiæ non gustant, sed sonant in eorum solùm auribus. 195.C D
Malorum amicitiæ, & consortium. vide Amicitia.
E monasterio egredi licet Religiosis ex necessitate.1144.C.Ab illo sine necessitate prodire laudabile non est 1143. C.Quanta damna discursus non necessarij Religiosis afferant. 1145 C
Malum aliud non est nisi peccatū. 209.C
Mala quomodo declinamus. 329 B
Malorum bona.vide Iniquorum bona, & bona temporalia.
Mali sapientes esse aut reputari non possunt. 714.D
Malorum cogitatiōnes & desideria quæ sint.869.D.Sunt inutiles. 871.E
Mali terræ secus viam positæ cōparantur circa desideria bona 871.B.Ad virtutem sunt pusillanimes.873.C.Dei prouidētiæ circa sanctos nequeunt resistere. 878.A

Magnus.

Magnus quinā verè dicēdus.92. B. & seq.

Magnes.

Magneti comparatur charitas & perfectio respectu virium internarum. 527.C.

Magnificare.

Magnificare Deum quid sit in cantico beatæ Mariæ. 795.D E

Magister.

Magistro perfectionis opus est cupidis perfectionis.1049.A.1055.A.Ei sunt manifestanda oīa cordis secreta 1051.C. Qui eius regimine ducuntur,breuiori tēpore, perfectionem obtinebunt.1052. E. Qui sine eius regimine perfectionē obtinere volunt,eam non consequentur. 1053.A

Quanti

Quanti intersit omnia cordis secreta ei manifestare integrè. 1054. A. 1055. A & 1056. B. Ei obedire debet in omnibus Religiosus. 1058. B & seq.
Magistri spiritualis instructio quàm necessaria est. 308. C. Et eius correctio. 309. A

Mandatum.

Mandata Dei summum ordinem seruant inter se. 430.D
Mandatorum Dei obseruātia radiis splendoris sapientiæ illustrat nos. 887.E
Mandatorum omnium diuinorum impletio signum est diuinæ gratiæ. 199.C
Mandatum, vide Præceptum.

Mandragora.

Mandragoræ honorem ac famam designant. 253.D

Mare.

Mare iustis paret. 718.A

Margarita.

Margaritæ orationis efficacia. 921.C
Margaritæ comparantur verba illa, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde &c. 542.C
Margarita idem quod perfectio. 725. D. 725.C. D. Idem quod charitas 726. A De Margaritarum conchyliis quid mirabile refertur. 726. C. 728. C. De margaritis quid notabile refertur. 727.D

B. Maria.

B. Mariæ Virgini nulla animarum est similis. 496A.B.
B. Mariæ perfectio quāta sit. 500.A. 502.A Inter B. Mariæ charitatem & aliorum immensa latitudo interiacet. 50..A. 502 A
B. Maria Virgo in ipso suæ mortis momento maiorem puritatē esuriit. 523.C
B. Mariæ virginis animam cur doloris gladius pertransiuit. 666.C
B. Maria virgo amicissima Dei fuit 794 D
B. Maria gratiam, quam habuit, magno labore & continua oratione obtinuit. 914.D
B. Maria virgo in suo cantico ob quam gloriam magnificauit Deum. 798.D
B. Maria quomodo Deum magnificauit. 798.E
B. Maria non esset in statu innocentiæ. 808.B
B. Maria virgo domicilium habet in cælo secundum post Christum Dominum. 957.C
B Maria virgo vitam mistam dilexit. 409. B. & seq.

Maria Magdalena.

B. Mariæ Magdalenæ memoria æterna. 962.B
Mariæ Magdalenæ similis est anima perfectionis cupida. 1003.D
Maria imago est vitæ contemplatiuæ. 255.D. & seq.

Martyr.

Martyrum securitas vnde proueniat. 857.D

Martinus.

Martini Turonensis pœnitentia ob leuem culpam 904. C. Magno honore afficitur ab imperatore Maximo & Regina. 933.E

Martha.

Martha typus est vitæ actiuæ. 255.D. & seq.
Martha transeunte Dominum vidit, & stando eum allocuta fuit. 253.E

Mater.

Matri prudentissimæ comparatur charitas & perfectio. 523.E

Matrimonium.

Matrimonij vnio inter virum & vxorem quàm intimè coniugat. 771.A

Meditatio.

Meditatio odium mali generat, & desiderium boni succendit. 591.C
Meditatio quid est. 332.C

Melancholicus.

Melancholici quidquid absumunt, in choleram conuertunt. 602.B

Memoria.

Memoria sanctorum, vide Sanctorum memoria.

Mens.

Mens peruersa quæ? 59.D
Mentis nostræ acies plus cernere nitens obscuratur. 696.D

Menippus.

Menippus. 745.A

Miles.

Miles de rebus bellicis libenter loquitur. 1.lin.11.

Minister.

Minister Euangelij Angelum suum custodem imitetur. 373. A. Et Antonium in foro, & Paulū in deserto sibi imitandos proponat. ibid.
Minister Euangelij propriæ animæ salutem prius curet. 379.B.296.D
Ministri Euangelij munus, Angeli munus est. 383.E
Minister Euangelij qualis esse debeat. 386. B. & sequentibus, & 362 D. & sequentibus, & 372.D. 385.B
Minister Euangelij dies inter actionem & contemplationem diuidat. ibid.
Ministri Euangelij oratio qualis esse debet. 387.A
Minister Euangelij antequam ad animas conuertendas accedat, orationi incumbat. 391.E

Miraculum.

Miracula non sunt semper veræ sanctitatis indicia. 491.D

Misericordia.

Misericordiæ Dei aptissima materia miseria animę. 77.D
Misericordia Dei, vulua Dei dicitur. 522.A
Misericordiæ laus. 964.B
Qui misericordiam proximi non habent, timorem Domini derelinquunt. 627.A

Misericors.

Misericordes erga pauperes ditiores sunt, quàm qui misericordes non sunt. 792.D

Mitis.

Mites beati sunt in hac vita. 780.C

Modestia.

Modestia in actionibus & motibus corporis seruanda 1242.A sine ea Religiosus sicut animal est excoriatum. 1242.D

Modus.

Modus seruandus in operibus bonis. 216. E. 217.C

Monachus.

Vide Religiosus.

Monastica conuersatio.

Monasticæ conuersationis disciplinā manifestare magnum est. 3. sub finem.

Monasterium.

Monasteria præsidia munitissima. 27.E
Monasterium seu religiosa domus paradisus est 28. A. Et cœlum quoddam empyrium. ibid.
Monasteria stagnis comparantur & repositoriis. 105 E. 106.A

Mons.

Montis nomine perfectio nuncupatur. 750. A. per totam.
Mons Thabor quid significet. 739.C
Mons Sion quid significet. 739.D

Morbus.

Morbi animæ passiones. 509 D

Mors & Mortuus.

Mortui viuimus in sæculo, & Christo morimur. 79.D
Mors iustis paret. 718.C
Mors sanctorum cur differtur. 827.A
Mortem sancti securè excipiunt. 858.D
Mors somnus est. 947.E
Mortem nō timere, sed alacri animo eam expectare, signū est gratiæ diuinæ. 20 .C
Mors sanctorum quàm sit pretiosa. 945.D per totum caput. Magnis diuitiis anteponenda ibid. Vide, Sanctorum mors.
Mortuus remotus est ab omnibus vitiis. 108.C

Mortificatio.

Mortificationis perfectæ Religiosi descriptio. 565.B
Mortificatio sensuum omnium procuranda ad perfectionem acquirendam. 680. C. 681. A. Quomodo præstanda sit 681.D
Mortificatione omnes animi affectus immoderatos vincunt sancti. 862 B
Mortificatio passionum vitæ contemplatiuæ amatoribus necessaria est. 325.C & sequentibus. Et vt quis donum orationis à Deo consequatur. 391.D

Mori.

Mori quandoque sancti exoptant. 825.B cur id optent. 827.A

Moses.

Moses nunc tabernaculum ingrediens & Dominum videns, nunc ad proximos egrediens, & eorum spirituali necessitati subueniens, vitam mistam significat. 261.C. 363.B & seq.

Mulier.

Mulier amoris vi Regem & virum suum suæ potestati subiicit. 772.
Mulier 18. annis infirma & inclinata affectū terrenorū hominis designat. 957.A
Mulier, vide Fœmina.

Mundus.

Mundus in Saule figuratur. 1010.D
Mundo nihil miserabilius. 37.B. Eius gloria vt conculcanda. 76.E
Mundus bona cuncta promittens mala omnia profert. 57. E. Amicorum suorum inimicus est. 67.E
Mundus obscuritas ac tenebræ ipsæ compellatur. 5 .A
Mundus iustitiæ omnis atque æquitatis osor. ibid.
Mundus desertum quoddam incultum. 59.C. 61.A. 63.D
Mundus bonis omnibus, atque adeo hominibus vacuus. ibid.
Mundus neminem propter seipsum diligit. 64. C. Ludit cum suis, eisdemque illudit. 67.D
Mundus plenus est laqueis ad animas capiendas. 571.E
Mundo naturali & eius partibus comparatur religio. 641.A
Mundi stultitiam iudicant sanctorum opera. 674.A
Mundum hunc tam bonis quàm malis Deus proposuit. 751 B. Eius bonis fruuntur peccatores. ibid.
Mundi diuitiæ falsæ sunt. 816.E
Mundi luminaria sunt boni. 834.A
Mundi opiniones sancti despiciunt. 860.D Hæ opiniones iugum sunt in seruitute redigens homines. 860. E. Illud abiecisse magnam lætitiā sanctis parit. ibid.
Mundi iudicia & dicta cōtemnunt sancti. 865.E
Mundus desideriis solùm homines explere intendit. 1017 E. 1018.A
Mundi bona in desideriis rerum temporalium consistunt. 1018. A. Arboribus à sodomorum terra emissis assimilantur. 1018.D
Mundus quos honore afficit. 165 D
Mundus libenti animo est relinquendus, vt Dominus speciali prouidētia sit Deus noster. 172.B
Mundus non solùm corpore, sed animo & affectu est relinquendus. 174.A
Mundi dignitas exigua & contemptibilis. 966.B

De mundo triumphant sancti. 536.C
Mundanus.
Mundani atque Æthiopes comparantur inter se. 45.D
Mundani omnes lumine capti. 52.E
Mundanorum stultitia. 53. B. Eorundem inertia. 53.C
Mundanorum scire nescire est. 53.D
Mundani fera animalia. 67.C
Mundanus affectuum suorum mancipiũ. 66. C. Illuditur atque irridetur ab ipso mundo. 67.C
Mundana perfectos non mouent. 830 E
Munditiae.
Munditiem cogitationum promittit Deus laborantibus eas repellere. 52.E
Murmurator.
Murmuratores cæci & duces cæcorum. 67.C
Multa damna inferunt perfectionem inquirentibus. ibid.
Murmuratores, vide Detractores.
Murmuratio.
Murmurationes contemnendæ à perfectione conquirente. 677.D
Mutatio.
Mutatio admiranda dexteræ Dei excelsi. 87.D
Mutus.
Mutus, de quo Marci 7. genus humanum. 23.A

N

Natura.
Naturæ nostræ imbecillitas magna ad pericula spiritualia euadenda. 571 D
Natura hominum, vide Hominum natura.
Naturalis.
Naturalis præcepti necessitas puncto assimilatur. 547.B
Nebula.
Nebulæ comparantur bona temporalia. 1314.E
Necessitas.
Necessitas regula sit actionum, quas circa corpus nostrum exercemus. 219.B
Negligentia.
Negligentia, vide Tepiditas.
Negotiator.
Negotiator de emendi atque vendẽdi arte agit libentius. 1. lin. 14.15
Negotiatoris huius sæculi ingenium. 724.C
Negotiatoris spiritualis ingenium. 724 D.E
Negotium.
Negotiorũ multitudo perfectioni acquirendæ impedimento est. 684 E
Negotia ab obedientia vel proprio statu iniuncta primo loco Religiosus debet exequi. 1097.B
Negotium nostrũ quod esse debet. 205. E
Nicolaus.
S. Nicolaus Factor gelidum stagnum ingressus oratione ita calefecit, ac si ignis esset ei subiectus. 823.A.B
Nobilitas.
Nobilitatis temporalis descriptio. 576.D
Nobilitatis spiritualis descriptio venusta. 577 B.C. Huius latitudo & varietas superat tẽporalis nobilitatis latitudinem & varietatem. 607.D
Nobilitas spiritualis quæ sit, eiúsque graduum enumeratio. ibid.
Nobilitas temporalis perfectionis naturã declarat. 572.B
Nobilitas vera quæ sit. 778 C
Nobilitas Religiosi maiori quotidie mortificatione fulgere debet. 1089.C
Nomen.
Nomina rerum indicia sunt earum naturæ & dignitatis. 707.A
Nomen intellectus, vide Verbum mentis.
Nouitius.
Nouitiis dat Deus gratias gratis datas, vt eos ad se trahat. 459 D
Nouitij in vita spirituali non ita proueсti sunt ac veterani. 1086.C.D
Nouitius est sicut infans recens natus. 1086 E. Est sicut arbuscula nũc. 1087.A
Nouitiorum propriæ sunt actiones primi generis vitæ actiuæ, quæ hominis mores emendant. 94.A
Nouitius quo pacto se gerere debet. 294. C.D
Nouitij cura quæ esse debet. 297 A
Nouitiis quinque documenta valde necessaria proponuntur. 297.D & seq.
Nouitius sine consilio spiritualis magistri nihil faciat. 297.D
Nouitius ab oratione suam cõuersionem incipere debet. 298.D.E
Nouitius sæcularium allocutiones, cõsanguineorúmque consortia fugiat. 295.C
Nonus.
Noni Episcopi lachrymæ super Pelagiam meretricem obs[illegible]uitatem eius. 844 B.C

O

Obedientia.
Obedientia omnem vitam religiosam cooperit. 147.B
In obedientia non consistit perfectio. 407.A
Obedientia filia humilitatis & pedissequa charitatis ibid. Perfectionis socia. [illegible] B. Similima perfectionis vita. 4[illegible] B.C. Perfectionis vox, 4[illegible] C. Quid sit respectu perfectionis 4[illegible] D. Aliarũ virtutum mater [illegible] 4[illegible] A
Obedientia ad perfectionem acquirendã necessaria est. 6[illegible] A. Equo agili currum trahenti comparatur. 6[illegible] Licitè mutat ordinem exercitiorum spiritualium. [illegible] 91 D
Obedientia vera regula est, qua vires nostras metiri debemus. 293.D
Obedire.
Obedire debemus inspirationibus diuinis. 1167.A
Qui ita facit, citò in virtute proficiet. 1169.C
Obedire debẽt Religiosi Prælato vel Magistro spiritus in omnibus. 10[illegible].A B
Secus facientes in magno versantur errore & discrimine 1060.A.B 1062. D. Exemplo confirmatur ibid. Quod sine beneplacito superioris fit furtum & sacrilegium est. 1061.A. Deo non gratum est. 1061.A. 1099.A.B. Inobedientia totius mali initium fuit. 105[illegible].E
Inobedientiæ non vnum tantùm malũ est, sed multa. 100[illegible].A
Obmurmuratio.
Obmurmuratio, vide Detractio
Obsequium.
Obsequia debita sunt instar panis mẽtem hominis reficientis. 11[illegible].A
Obsequia non debita arborum fructibus comparantur. ibid.
Obsequia debita sunt velut auri talenta, quibus homo ditescit. ibidem
Obsequia, quæ Deo placent, quæ sint. 1009.C
Occasio.
Occasionem proficiendi nullam prætermittat Religiosus. 1152.E
Occasiones peccandi in sæculo frequentissimæ. 44.A & seq. Et fortissimæ. [illegible].A
Occasio peccandi potestate fulcita quid pariat. 45.A
Occupatio.
Occupationes, quibus otium fugias. 1216. A.B
Occupationes nimias timeat Religiosus ibid. & seq. In occupationibus quomodo se gerat Religiosus. 1220.A.B
Occupationibus externis immoderatè distracti superbi sunt. [illegible]3.A. In occupationibus animi tranquillitatem procurare debemus. 1222.E
Occupationes nimiæ etiamsi spirituales tepiditatem generant. 1177.C.D
Occupatio sancta vitam perfectam & generat & fouet. 28.C
Occupationes sæcularium abiectissimæ. 40.B Et ignominiosissimæ. 53 C
Occupationes ex obedientia & charitate susceptæ non solùm non impediunt, sed adiuuant perfectionem. 451.B
Occupationes ab statu cuiusque alienæ abijciendæ sunt. 1100.B
Occupationes ab obediẽtia iniunctas perfectissimè debent Religiosi exequi. 1100 C
Occupatio honesta peccata destruit, & innocentiam custodit. 1212.A. vide, Labor honestus.
Occupationes ex propria solùm volũtate susceptæ, malæ sunt. 110[illegible].E
Occupatio nostra quæ esse debet. 205.E 2[illegible].A
Occupationes, vide Opera.
Oculus.
Oculis Domini quàm potenter capiantur multorum animæ. 78 D. Quid itẽ ijdem ipsi operentur. 79 A B
Oculus nequam intentionem prauam significat. 212.E
Oculus sit lucerna corporis 2[illegible]3.A
Odium.
Odit seipsum, qui peccatum amat. 595 D
Oleum.
Oleo comparatur charitas. 660.E
Onager.
Onager quid significet. 864 C.D
Onerator.
Onerator[illegible]s comparatur mũdanus gloriosus ac vorax. [illegible]61.B
Operor.
Operari debemus quasi tota salus & vtilitas ex vno opere solo dependeat. 523. C.D
Operarius.
Operarius semper quiescens, inutilis semper ac imprudenter operans, temerarius est. 368.A
Operatio.
Operatio virtutum quid sit. 455.E. 456.A
Opes.
Opes, vide Diuitiæ.
Opinio.
Opinio etiam ipsa sæcularium de Religiosis concepta mouet ad perfectionẽ 2[illegible].E
Opinio inueterata mundanorum perturbat valde passionum [illegible] 43.C
Opinio falsitati fulcita est. 19[illegible].A
Optimates.
Optimatum vita. 47.B.C
Opus.
Opera supererogationis quæ dicantur. 1180.D Ab eis non desistat Religiosus 1180.B. 118[illegible].B. Ea præstare eomm[illegible] qui magni fiant apud Deum. 1182 B.C sunt Deo grata. 118[illegible]. C. Magno Deo præmio ea compensat [illegible] Non palam facienda sunt [illegible] siqua palam quis faciat, pe[illegible] se exponit 1185.D
Opera bona proximorum transfert charitas ad dominium [illegible] 0.B. & seq.
Operum pulchritudo fructus perfectionis ac charitatis. [illegible]
Opera ex charitate procedentia pulchra & honesta etiam Deo videntur. 524 D E
Operibus bonis cooperatur homo ad suam perfectionem. 9[illegible].A. Sunt oculi, quibus homo suũ bonũ intendit. ibid. Sunt manus. 9[illegible]. Sunt [illegible] mulier. ibidem

Opera omnia virtutis reducuntur ad duas illas iustitiæ partes, Declina à malo & fac bonum 992.A
Opera, quæ Deo placent. 1009.C
Opera omnia, vt ad vitam spiritualem pertineant, in Deum dirigi debent. 212.D
Opus sine intentione bona idem est quod corpus sine vita. 213.A
Opera fines distortos respicientia quam mercedem habent. 213.C
Opera in Deum referenda esse Christus nos docet. 215.B
Opera bona cum ordine, modo, discretione, ac perseuerantia sunt facienda 216 E
Opera prius quæ sub præcepto, quam quæ sub consilio cadunt, sub facienda. 217 A
Opus bonum aliquando differendum, & aliquando pro charitate omittendum. 218.A
Opus bonum aliquando abscondere, Implere est documentum saluatoris 218.B
Opus bonum abscondere ob fugiendam humanam apparentiam tutum est. ibid.
Opera, quæ vsum proximorum respiciunt, charitas moderetur. 219.C
Opera, vt bona sint, non solùm finem bonum respicere, sed etiam cum debitis circunstantiis fieri debent. 287.E.288.A & seq.
Opera nostra, vt meritoria sint, à gratia procedere debent, & in Deum sunt dirigenda. 289 E
Opera bona, vide Virtutis opera.
Opera virtutum, vide Ordo.

Oratio.

Oratio intenta est somnus animæ. 1190.B
In oratione distractio vnde proueniat. 1067.B 1230A
Oratio pro gratia scribendi obtinenda. 13.
Orationis desolatio vnde proueniat. 639.D
Orationi insistere debent, qui perfectionem consequi desiderant 685 D. Nulla occupatio tempus ei assignatum surripiat. ibid.
Oratio medium efficax ad perfectionem consequendam. 696.C
Orationes sanctorum exaudiuntur à Deo. 916.B. & seq 818.C
Orationes peccatorum non exaudiuntur. 916.C
Orationis efficacia. 918 D.& seq.
Oratio nobis vires subministrat, vt à malo recedamus, & bonum sequamur. 188.C
Oratio omnia opera nostra comitetur. 229 C
Oratio manus dextera est, & sinistra actio 262.C
Oratione nos præparemus, si perfectè operari volumus. 29..E
Oratio via est, per quam Nouitius religionem ingredi debet. 298.D
Oratio multorum quàm efficax sit. 312.D
Oratio sanctorum quantum apud Deum valeat. 314.E
Oratio, cum à Prælato probatur, ob aliorũ murmurationes omittenda non est. 315.A
Orationis studium animam quietam requirit. 324 B
Oratio vocalis omnibus etiam perfectis valde vtilis est. 331.B
Oratio est petitio decentium à Deo. 332.D
Oratio perfecta ad salutem proximorum nos inuitat. 364.A
Oratio feruens acutissimus gladius est. 368.D
In oratione Dominica gloriam Dei ex sanctitate nostra procedentem ab ipso Deo postulamus. 798. B. Hanc etiam B.Maria Virgo in suo cantico postulauit. 798.D.E. Cœli nomine in ea, sancti intelliguntur. 814 B

Ordo.

Ordo necessarius est in operibus virtutũ. 1188.E
Ordinis prætermissio animi est vecordis & parum spiritualia curantis. 1186.C
Ordo in operibus commendatur. 1187.B 1188.A.1191.C. Eũ docet religio. 1189. Eũ tenet Ecclesia in Dei cultu. 1189.C.
Ordinis prætermissio animæ nocet. 1190. A.D
Ordinem exercitiorum spiritualium licitè mutant necessitas, charitas, & obedientia. 1191.D
Ordo summus in Dei mandatis. 430.C
Ordo in rebus omnibus, vt scientiis, artibus, pernecessarius est. 431.C
Ordo est, quem si tenuerimus in vita, perueniemus ad Deum. 432.B

Os.

Os in scripturis idem est quod desideriũ 1006.A

Oseas.

Oseas hominum iudicia contemnit, vt mandata Dei exequatur. 866.D.E

Otium.

Otium sanctum ad amorem Dei est accõmodatum. 869 C

Otiosi.

Otiosi sunt rebus inutilibus occupati. 1211.C.1217.A B
Otiãtes & desides visitat Dæmon. 1214 C

Otiositas.

Otiositas damna. 1211. B. C.seq.& Quomodo fugiemus ea. 1216. C. Curiositas eam semper comitatur. 1215.C
Otiositas odio habenda est. 1211.B
Est omnium vitiorum origo. 1211. C
Quibus mediis vitanda. 1211.D
Innocentiæ aduersatur, & peccatis connitet. 1212.A. Qui eam fugiunt, multum sibi prosunt. 1213.A. Est paupertatis spiritualis initium. 1213.A.1213.C

Oues.

Ouibus derõsis assimilãtur sancti. 1165.A

P

Pœnitens & pœnitentia.

Pœnitens verus quis. 46. E. Et quàm citò in sæculo ad pristinum statum redeat. ibid.
Pœnitentia vera quàm difficilis in sæculo. 46.D.80.D.Et cur. 248 B
Quàm frequens in religione. 70 E

Pambus.

Pambus Abbas amarè fleuit, visa muliere diligenter ornata. 1084.B

Panis.

Panis vocanda auxilia gratiæ sanctis concessa, qua anima reficitur. 898.D

Papa & Pontifex.

Papa quomodo se gerere debeat in occupationibus, quibus opprimitur. 1220.C D.
Pontifex per se solum omnes Ecclesiæ populos docere non potest. 351.C

Parens.

Parentes quandoque filios generant sibi corpore & moribus similes, quandoque dissimiles. 764.E
Parentes fugere quid sit. 1129.B.& seq. Inter eos Deus non inuenitur. 1130.A
Parentum obliuisci quàm vtile. 1134.C Eorundem memoria quantum damni afferat. 1134.D & seq.
Parentes honorare est primũ præceptum, cui Deus præmium promisit. 1131.D
Parentes quomodo honorandi à Religiosis. 1136.B. Quib. in necessitatibus subuenire debent eis religiosi. ibid.& seq.
Parentes vide Religiosus.

Passio.

Passiones hominis in sæculari vita permultis acrius inflammantur 42.E 43.A
Passiones animæ morbi spirituales 509 C. D.
Passionum quies effectus charitatis & perfectionis. 517.C.

Pati.

Pati pro Christo gloriosissimũ est. 161.D

B. Paulus.

Paulus nullis tribulationibus satiari potuit. 522.D
Pauli charitas. 546.B
Pauli Apostoli amoris inuicta fortitudo. 576.B
Pauli securitas in tribulationibus. 854. D 858.C
Paulus Apostolus cur dicatur vas electionis. 925 C.D
Paulus Apostolus præterita obliuiscebatur, & futura sectabatur. 1081.E
Paulus magna pericula subiit in prædicatione. 1103.A
Pauli Apostoli proficiendi desiderium. 1194.E
Paulus illustrissimum exẽplar sequentium vitam mixtam. 261 E
Paulus Sergium liberat ab Elymæ Magi dolis. 833.C.D
Paulus Monachus D. Antonij eximius imitator. 1120.E

Paupertas.

Paupertas vera & sola virtutis defectus 65.A. sine paupertate, obedientia, & castitate perfectio non acquiritur. 468. A In paupertate voluntaria non consistit perfectio. 463. D. Nec in carnis afflictionibus. 466. C. ferè per totam. Nec in promptissima obedientia. 467.A
Paupertas quid sit in ordine ad perfectionem. 468 A
Paupertas mortalium virtutũ seminarium ibidem.

Pauper.

Pauperes beati sunt in hac vita. 780.C

Pax.

Pax animi inter mundanas curas admodum difficilis inuentu. 72.B
Pax peccatori multa mala affert. 868.E 869.A & seq.
Pax quid sit. 846. B.E. Quæ eius nobilitas 846.B. Eã omne inquirũt. 846.B.C Iustorum. 846.C. Mali eã cõsequi non possunt. 846.C.847.B. Eã Christus mũdo attulit. 846. C. Iusti dum imperfecti pace non perfruuntur. 847.D
Pacem iustorum remunerat Deus. 852 D
Pax admirabilem tranquillitatem animis nostris tribuens signum est gratiæ diuinæ. 201. D
Pacis huius effectus. ibid.

Peccatum.

Peccatum quãtum & quale humanis animis vulnus infixerit. 13.A
Peccati deformitas & malitia ignoratur in sæculo. 48.B
Peccata quæque leuissima fugit charitas perfecta. 515.D
Peccato proximi consentiens eum non diligit sicut seipsum 596.D
Peccata proximorum tegenda silentio. 610.B
Peccata fratrum Prælato deferre detractio non est. 611. C. Tria in hoc seruanda. ibid.
Peccata hominum odit Deus. 675. E
Peccata sua seuerè iudicans blandè à Deo iudicabitur. 748.A
Peccatum luto comparatur. 1009 D E
Peccata venialia non contemnenda. 1073. C. Damna, quæ ex eis sequuntur. 1074. C.1075.B.& seq.
Peccata venialia virtutis fructus impediunt. 1076.A. Si contemnantur, in manifestum discrimen perditionis adducunt. 1075.C. Qui ea contemnunt, toti Religioni sunt damnosi. 1076. B. Cura fugiendi peccata venialia à casu maiorum liberat. 1078. E. Eusebij exemplo confirmatur. 1079.A

Peccati occasiones vitare tenemur. 1238. D.
Peccatum exterius non solum euitat, qui in Christo mansit, sed etiam non admittit voluntatem grauiter peccandi. 198.E
Peccatum vnum ad aliud trahit. 199.B
Peccatum graue multo tempore non perpetrasse, signum diuinæ gratiæ est. ibid.
Peccatū solum dicendū est malum. 200.C
Peccata grauia per veram pœnitentiam detestari, & se ad Deum conuertere, primus gradus est incipientium. 221.C
Peccata venialia vitæ spirituali contraria sunt, & ad interitum disponunt. 210.A
Peccata leuia fugere secundus gradus est incipientium. 213.A
Peccatorum vera contritio signum est diuinæ gratiæ. 198.C
Peccatorum condigna satisfactio quietam conscientiam facit. 202.E

Peccator, & Peccans.

Peccatoris insipientia. 33.A. Eiusdem miseria & vilitas. 66.D
Peccator equi, muli, cameli, & asini nominibus compellitur. 66.D.E
Peccatore nihil contemptibilius. 60. A Eiusdem vilitas. ibid.B
Peccatores Deus excitat, & ad supernaturalem amicitiam inuitat. 485.D.486.C
Peccatoris iustificationē præcedunt nonnulla ex parte Dei, & peccatoris. 486.B
Peccatores seipsos odunt. 595.D
Peccatores quomodo debeant diligi optima similitudine ostenditur. 675 E.676. A C
Peccatorum duo sunt genera. 1046.D
Peccatores sunt serui aut inimici Dei, non filij. 765.B.C
Peccatoribus aliquando cuncta prospera succedūt 791.C Cur hoc ita fiat. 792.A
Peccatores bonis temporalibus abundant. 791 B.C. Ad labores nascuntur. 830.B
Peccatores Deum ignominia afficiunt. 797.D. Leproso 38. annos habenti in infirmitate sua comparantur. 807. C Grabatū tollunt imperio Christi. ibid. Eorum morte tristatur Ecclesia. 818. E
Peccatores sanctorum orationibus & meritis ab ira Dei eripiuntur. 836.A
Peccatoris conuersi mutatio motū, 849. E
Peccatores sunt serui peccati. 860.B
Peccatores reprehendere debent concionatores & sancti. 867.C
Peccatoribus multa damna afferunt pax, securitas, & libertas. 868.A
Peccatores exurit Deus, qui ignis consumens est. 889 D
Peccatorum duritiem cordis emollit charitas. 891.D
Peccatorum culpas Deus non statim reprehendit ac punit quia eos contemnit. 905.A.B Eorum orationes qua peccatores sunt, non audit Deus. 916.C
Peccatores audit Deus sibi ipsis veniam errarorum petentes. 918.A
Peccatores non audit Deus alia sibi vel aliis bona postulantes. ibid.
peccatores indicantur lebetibus fuligine denigratis. 916.C
Peccatores reuocant sancti ad veram virtutis viam. 939.D
Peccatores monstri instar sunt. 995.D Malorum timore sæpe conturbantur. 998.D
Peccatores vt lutū plateatū sunt. 1009 E
Peccatores quibus remediis animæ suæ salutem obtinebunt. 1059.A
Peccatores fures dicuntur. 1061.D
Peccator similis est viro consideranti vultum natiuitatis suæ in speculo. 1113. E 1114 A
peccatoris imago est Iob infirmitate percussus 1260.C
Peccator excusationibus peccata cōtegit. 188.B C
Peccatorum via plena doloribus. 201.C
Peccandi occasio ab ipso præcipitio parū differt. 42.E
Peccatores, vide Mali, Impij.
Peccatorum bona, vide Malorum bona.

Pecunia.

Pecuniæ obediunt omnia. 717.C

Pelagia.

Pelagiæ vanitas antè cōuersionem ad hominibus placendum. 844. C Eā religiosorum desidiam cōfundit. 844. D.E

Penna.

Pennis aquilæ consilia euangelica comparantur. 339.D.E

Perdix.

Perdix audita voce eius, quæ oua generauerat, relicta alia ad eam se confert. 246.E

Perfectio.

Perfectio spiritualis ad tractādum honestissima. 2. lin. 5. Eius dignitas. 431.E. 432.A
Perfectionis doctrina in ipso vitæ spiritualis initio cognoscenda. 431.A
Perfectionem omnia appetunt. 435.A
Perfectionis in quacunque arte dignitas. 436 A
Perfectio in genere quid sit. 435. B. 439 B
Perfectio duplex. 441. E
Perfectiones rerum omnes in Deo qua ratione contineantur. 437 D
Perfectio triplex 439. C. Subdiuiditur in naturalem & supernaturalem. 439 D
Perfectio viæ & patriæ natura non differunt. 441.E
Perfectio huius vitæ via est & nauigatio, perfectio verò cœlestis patriæ ciuitas est & portus. 443. D
perfectionis vtriusque, viæ nimirum ac patriæ, præclara descriptio. ibid. & seq.
perfectio vitæ spiritualis duplex est, sicut & naturalium entium creatorum duplex item. 445.A B
perfectionis nomine quid intelligatur. 446. A. Ad eam omnes inuitantur. 447. B.C
perfectio spiritualis omnibus possibilis est, sed præcipuè Religiosis. ibid.
perfectionis viam vanis sibi prætextibus sæculares occludunt. 447.E
Perfectio absque litteris cōtineri potest. 451.C
perfectionis obtinendę instrumentum facile. 451.C
perfectio à quibuscumque etiam ægrotis obtineri potest, imo facilius ab his, atque efficacius. 451.D. E
perfectio nequaquam impeditur occupationibus ex obedientia & charitate susceptis, sed potius iuuatur. 452. C D
perfectionis via nec mentis ariditate, nec affectuum naturalium impetu, nec tentationibus impeditur. 453.A
perfectionis via breuis qua ratione. 453.C Eius instrumenta consilia & præcepta. 471.B
perfectio non sola oratione, lectione sed etiam occupationibus & labore conquiritur. 452 B
perfectionis natura non consistit in gratiis gratis datis. 456.C 459.A
perfectio facilis est omnibus gratia Dei munitis. 457.B
perfectio labore diuina gratia roborato acquiritur. 703.C.703 E.704.A Ad eam omnes deus permouet. 457.C
perfectionem indicant aliquando gratiæ gratis datæ. 459. A. Perfectionem non indicant. Ibid. & 460 A
perfectio quid sit. 462. D. E. In consiliis non est secundum substātiam sita. 462. A.E
perfectio non consistit in voluntaria paupertate. 463. D. 464. B. C. & seq. Nec est posita in castitate aut virginitate. 465 B. & seq.
perfectio vim patitur, & violenti rapiunt illam. 681.d
perfectio, terræ promissionis comparatur. 701.C.702.A
perfectio drachmæ amissæ comparatur. 468. d. c. Et thesauro abscondito in agro. 471.E
perfectio non est constituta in mandatorum decalogi & quorumlibet aliorum moralium obseruatione. 468.d.470.d 472.C
perfectio à diligenter eam conquirentibus inuenitur. 471.E Est brauiū, quod pugnando conquirimus. 472. B. præceptorum & consiliorum est finis. 473.A Iam prædestinati in hac vel alia vita consequentur. 473.B
perfectio in charitate consistit. 743. C. d. & seq.
perfectionis definitio cur potius per charitatem quàm per gratiam tradatur. 473.E
perfectio animæ non est charitas concupiscentiæ. 486.d
perfectio sola montis nomen habet. 488. C. Locus quietis laboribus multis comparatur. Ibid.
perfectionem conquirentis simile. 488 E
perfectionis natura non in charitate afficiente consistit. 489.E
perfectionis natura in charitate efficiente consistit. Ibid. & seq.
perfectio cuiusq; non affectibus sed operibus æstimanda & metienda. 491.A
perfectio ex mentis puritate colligitur. 491.d
perfectionis signum, secundum. d. Augustinum cupiditatis extinctio. 492.B
perfectionis instrumentum validissimum charitas affectuosa. 492.d
perfectio non in qualibet charitate efficienti consistit. 494. B. 495. A.496.c.d
perfectio in qua charitatis mensura consistat, solus deus scit. 498. C. Est difficile id explicare. 498.B
perfectio, ad quam homo vel angelus potest ascēdere, ex Dei dispositione mensuram habet. 500.A
perfectionis officium quod sit. 501.A
perfectionis latitudo maris pelago comparatur. 502.B
perfectio à Religioso maximè conquirenda. 505. A. & seq. Ad perfectionem comparandam nos stimulant omnia creata. 504.C.D. & seq:
perfectio ecclesiæ sanctæ nobilitas est. 506.C.507.C
perfectionis spiritualis conditio & vis. 507.C.D
perfectionis spiritualis latitudo & varietas nobilitatem temporalem superat. 507.D
perfectionis naturam declarat nobilitas temporalis. 507.D
perfectionis naturam declarat corporis nostri valetudo. 508.B
perfectio est sanitas animæ. 509.A Consistit in tribus, sicut sanitas corporis. 509.B. Ad perfectionem comparandam vocauit nos Deus, maximè Religiosos. 508.A
perfectio arbori comparatur. 511.B. vsque ad finem capitis.
perfectio in incipientibus & proficientibus quasi arbor in hieme est. 511. D
perfectio animę quasi arbor tempore ęstatis. 512.C
perfectio in quo consistat. 694.A Charitas est eius principiū. 694. B. Est animę thesaurus. 694.C. Est donum Dei præstantissimum in charitate præcipuè positum. Ibid.
perfectionem rigant riui auxiliorum cœlestium. Ibid. & 912.D
perfectionis folia verba sancta. 512.C
perfectionis fructus bona opera. 512.D

Perfectionem hâc pauci acquirunt. 512.C
perfectio arbori, quam Ioannes vidit in Apocalypsi, comparatur. 513.E
perfectio ligno vitæ comparatur. 514.C
perfectionis certus fructus impatiētia desideriorum. 521.B 7. Sollicitudo virtutum 523 E 8. Est pulchritudo operum. 524 D 9. Sustinentia aduersitatum 526 A 10. Collectio internarū virium. 527. C. 11. Concordia voluntatum. 529. B. 12. Transformatio in Deum. 530 B
Perfectionis primus fructus puritas mentis. 515. A. 2 Fructus abiectio temporalium. 516 B 3 fructus quies appetituū. 517. C. 4. Fructus circumspectio verborum. 518. C. 5. Fructus mundiria cogitationum 519. E
Perfectio thesaurus in sinu mentis repositus. 516. E
Perfectio tanquam carbo ignitus. 618. C. Mundissimæ virgini comparatur. 519. E. 520. A
Perfectio marti prudentissimæ comparatur. 523 E
perfectio in illis Christi verbis continetur, diliges Dominum Deum tuum. 533 C
perfectio charitatis summa in hac vita obtineri non potest. 540 A
perfectio altera Beatorum, altera viatorum. 540 B
Perfectionis opera omnia à charitate vt rivi à fonte promanant. 544. A
Perfectio Christiana in holocaustis veteris legis fuit præfigurata. 552. D
perfectionem si quis consequi desiderat, murmurationes & opiniones multorū contemnat. 677. D. Peccata etiam leuissima, & affectus minimos vitet 679 A. Quotidie bis suam conscientiam examinet. 679. D. Mortificationē sensuum internorum & externorū assumat. 680. C Cor suum à desiderio carnalium omnino putum custodiat 681. B. Humilitatem & obedientiam comites in omnibus actionibus adhibeat. 682. D. Singularitatem fugiat. 682 D. Cōuersationes hominum vitet. 683 B. Occupationes externas ab obedientia iniunctas perfecte perficiat. 684. A Negotiorum multitudinem reiiciat. 694. E. Orationi & contemplationi semper insistat. 685. D Deum præsentem semper intueatur. 686. D
perfectionis adeptio emptioni mercium comparatur. 703 C. 703. E
perfectio quomodo sine argento emi dicatur. 703 D Vocatur sapientia. 708 D. & sequentibus. Cur ab Spiritu sancto vocetur sapientia. 711. B Sapientiam quis inuenit. 714 C
perfectio diadema vocatur, qua fœlicitatem consequimur 716. C. 718. E. 721. B. Cur eam Dominus sic vocat. 717. B. Ei omnia inseruiunt, & obediunt, siue terrestria, siue aërea, siue cœlestia. 717 C
perfectio modicum pretium est, quo gloriam comparamus. 719. D. Cur vero argentea dicatur. 721. C
perfectio est imago & similitudo Dei. 721. D. Ad eam assequendam hortatur. 722. A. & seq. Tepiditas in eam conquirendo deploratur. 722. D
perfectio cur margarita appellatur. 723. D. 721. C. 726. E. Secum omnes virtutes affert 726. D. 729. C. Inter sæculares occupationes fœdatur. 728. D. Negligentia falcatur, & in fœtorem conuertitur. Ibid. Exemplo cuiusdam Monachi confirmatur. 729. A. Est omnium virtutū pretiosissima 729. D. Omnium virtutum perfectiones continet. ibid.
perfectio quomodo omnes animæ partes ornet 730. A. Deum exornat. ibid C
perfectionis margaritā quo pretio emere debemus. ibid. D
perfectio cur thesaurus appellatur, ob cuius amorem omnia relinquimus. 732. B & seq.
perfectionis thesaurus pro tribus sufficit. 733. B. Est penè infinitus. ibid. D
perfectionis vsus participes nos facit familiaritatis Dei. ibid. C
perfectio cur thesauro assimiletur 734. C
perfectio vita animæ & salus. 734. E. & sequentibus.
perfectio cibum & potùm habet, quibus homo interior in dies reparatur. 735. D. 736. A
perfectio voluptuosa est. 736. C
perfectio honorabilis est. ibid. D
perfectionis thesaurus in Religionis agro delitescit. 737. C. Quomodo accipiendus. 738. C
Perfectionis thesaurus debet abscondi. ibid. B
perfectio mons vocatur. 739. A. B. & seq. Montis proprietates ei accommodantur. 740. C
perfectio solum Deum altiorem respicit. 741. D
Perfectionis mons quomodo solidus & firmus. ibid.
Perfectio venter Ecclesiæ. 741. E
perfectio aceruo tritici comparatur. ibid.
Perfectio turri Babylonicæ comparatur. 742. D
Perfectio mons aureus, argenteus, æreus. 743. D
Perfectionis montē quomodo debeamus ascendere. 744. D
Perfectio regnum cœlorum vocatur. 746. B & seq.
Perfectionis regnum cœlesti regno comparatur 746. A. & seq. Violenti illud diripiunt. 752. D. Sanctorum acies illud expugnantium describitur. 753. C
Perfectionis expugnantes per aliā viam reuertuntur in regionem suam. 745. A
perfectio est necessitudo tam recta Dei & hominis, vt vix credat homo. 756. B. 763. C
Perfectionis vtilitas & dignitas. 763. C. Quæ perfectioni insunt concipi & verbis aptè explicari non possunt. 756. A
Perfectio est maxima vnio inter Deum & hominem. 770. C. per totum caput.
Perfectio est castum quoddā connubium & matrimoniū inter Deum & animam. 770 E
Perfectio non statu, sed vita animam Dei sponsam facit. 771. A
Perfectio est vitæ huius beatitudo. 777. A. per totum caput.
Perfectio cōtemplationem importat. 782. D. Rectitudinē volūtatis habet. 783. B. Deliciis non caret; perfectionem corporis quomodo tribuat. ibid. Diuitias comparat. 784. B. Est opus Dei præstātissimum. 784. A. & seq. Labore acquiritur. 785. C. Ad eam acquirendam soli conatus hominum insufficientes. 785. E. Eam Deus dat. 785 E. & seq. De ea tanquam de opere magno Deus gloriatur. 787. B. Inter opera Dei est opus præstantissimum. 788. C. Templo Salomonis comparatur. 779. B Dei solum amicissimis conceditur. 791. A per totum caput.
Perfectio optimo vino in fine conuiuij propinando comparatur. 794. d. Beatuo etiam. 796. B. Deum summo honore afficit. 796. C. & seq. Dei attributa præcipuè ostendit. 796. d. Lucifero comparatur. 800. B. Ab omni morbo animam sanat. 802. C. per totum caput. Animam immensis diuitiis multiplicat. 816. C. per totum caput. Eius diuitiæ inuestigantur. 816. d. Ineffabiles delicias continet. 822. E per totum caput. Pulchritudo est animæ. 838. C. Pro eius acquisitione laborare securitas est magna. 853. A. Animæ magnam generat securitatem. 854. d. & seq.
Perfectionis dignitas quanta sit. 966. C. Ad eam comparandam eius dignitas omnes mouet. 966. d. Spirituales viros maximè mouere debet. 967. d. Hominum est propria 968. A
Perfectionis doctrina cognitione, desiderio, & actione concluditur. 977. A
Perfectionis desiderium est primum virtutis principium. 978. B
Perfectio Dei est donū, libertatem tamen nostri arbitrij non excludit. 981. A. Ad eā voluntas liberè inclinat. 981. C. Est Dei donum in omnes tutos effusum. 982. d. Hoc dono quantæ sint diuinæ luæ ostendit Deus. 983. B
Perfectionis donum omnia alia dona secum inuoluit. 984. B. & seq. Præter beatitudinem nullum aliud est præstātius. 985. C. A Deo est expectandum. ibid.
Perfectionem quis assequatur. 986. E
Perfectionis gustus quam dulcis. 1006. B
Perfectionis partes per Euangelium sparsæ sunt. 1006. C. Ad perfectionis desideriū nos excitat, Quod spiritualia solùm animo satisfaciunt. 1019. d. Quòd Dei voluntas est, vt perfectionem quęramus. 1025. C. Quod temporalia non satiant. 1012. d. Quod digna est summa æstimatione. 1006. E Quòd ipsa est signum inhabitantis gratiæ. 1031. Quod nō proficere deficere est. 1035. d. Quod ad eam quærendam status obligatione constringimur. 1043. C
Perfectionis magistro indigent perfectionis cupidi. 1049. A. 1050. C
Perfectionis cupidus quid præstabit ad eā consequendam. 1052. B. Omnia cordis secreta Prælato suo aperiet. 1052. C. & sequentibus.
Perfectionem breuiori tempore obtinebunt, qui se regi sinent ab instructore. 1052. E
Perfectionem non obtinebunt, qui à Magistro, quem habent, non se instrui permittunt. 1053. A
Perfectionis acquisitio Magistro indiget. 1036. A. B. & seq.
Perfectionis opera quæ sint. 1065. E Perficiēda sunt ardētiori studio, quam alia. 1065. d
Perfectio finis esse debet Religiosi. 1063 B. & sequentibus. Ad id cōducit in omnibus operibus animæ perfectionem emiti. 1066. d
Perfectio quomodo ab homine comparanda est. 1261. e. 1262. A
Perfectionis desiderium gratiæ diuinæ signum est. 202. A
Perfectionis tres status: & in quibus fuerint præsignati. 211. e. & seq.
Perfectio vitæ spiritualis studiosorum actuum repetitione comparatur. 121. A & sequentibus. Oratio pro luce ad cognoscendam perfectionem. 699
Perfectionis via certissima Religioso propria vocatio. 1090. e
Perfectio, vide Sanctitas.
perfectionis desiderium, vide Desiderium.

Perfectus.

perfectorum numerus quàm exiguus. pag. 9.
perfectus, ita vt omnem prorsus perfectionem habeat, solus Deus. 437. d
perfectos & sanctos aliquos in omni hominum statu atque ætate Deus effecit. 449. C
perfecti viri descriptio. 984 C
Perfecti habebūtur charitatis opera exercentes perfectè, etiamsi cōsolationibus careant. 449. A
perfecti viri descriptio notanda. 501. B 510. e
perfectus non est, qui etsi in gratia sit, passionibus animi laborat. 509. C
perfectus non est, qui difficultatibus per

tertius ab animarum salute procuranda debitur. 670 A
Perfecti non sunt, qui in virtute, eius dulcedine solum allecti persistunt. 510.D
Perfecti carere non possunt omni culpa leui, dum viuunt. 515.B
Perfectus in quo differat ab imperfecto. 514.E
Perfecti in suis operibus sapientissimo pictori comparantur. 525.C
Perfecti quæ Deus vult, volunt, & quæ non, non 529.C
Perfectorum conditio quæ sit. 532.C
Perfecti qui sint. ibidem
Perfectus quis poterit pleno ore dici. 594 E
Perfecti vbique proficiunt. 524.B
Perfectus appellatur sapiens. 713.A
Perfectus sapientia, & perfectus virtute idem sunt. 713.E
Perfectus quis sit. 549.E
Perfecti solum diuites sunt. 736.D
Perfectis solet Deus dare virtutum & donorum venas. 743.D
Perfecti qui sint. 780.D
Perfecti filij Dei vocantur, & sunt. 764 B
Perfecti & imperfecti quomodo distinguantur. 766.D
Perfecti cur Patri cœlesti sunt similes. 767.C.768 A
Perfecti lilium inter spinas. 771.C
Perfectorum vestimenta cum imperfectorum vestimentis comparantur. 773 B
Perfecti sapientes sunt. 782.E
Perfecti amici Dei sunt familiarissimi & dilectissimi 791.C.& D Exemplis probatur 459 D. Beniamin comparantur. 794. C. Maiora eis dona confert Deus quam aliis iustis. 795.B. Cur dij in scripturis appellentur. 797.B. Deum magis magnificant, quàm multi alij imperfecti. 799.E. Eorum animæ Dei habitatio gratissima & cœnaculum paratissimū. 812. A. Ecclesiæ sunt veluti capita. 831 E
Perfecti Ecclesiæ sunt vtiles. 831. D seq & 833 A
Perfecti cur infantes dicantur. 862.D.& E
Perfectorum casus difficilius reparatur, quàm imperfectorum. 983. D.& sequentibus.
Perfectus est, qui perfectam charitatem assequitur. 228.A

Periculum.
Periculis omnia plena sunt. 37.D
Pericula & incitamenta ad peccatum in sæculo frequentissima. 41.C

Perseuerantia.
Perseuerantia necessaria est Religiosi. 1251.C
Perseuerantia quid sit. 1251.D
Perseuerantiæ soli parat dæmon insidias. 1252 B
Perseuerantia in virtute causa est iucunditatis. 1258. C. D Impertit robur ad sanctè viuendum. 1258. D. Perfectionem tanquam virtutis fructum emittit. ibid.
Perseuerantia in bonis operibus seruanda 218.D
Perseuerantia in gratia ac in bonorum operum exercitatione donum diuinum est. 192.A

Perseuero.
Perseuerantibus in virtute corona promittitur. 1251.E
Perseuerant pauci. 1252 C
Perseuerare debent Religiosi in vno monasterio. 1251.D
Perseuerandum in defectuum remediis adhibendis. 1255.D.1257.C

Persecutio.
Persecutiones sanctitatem iustorum manifestant. 526 D.& seq.

Petrus.
Petrus Apostolus Dominum negauit. 1109.D

Philosophus.
Philosophus inter medios homines, face accensa, hominem quærebat. 61.C
Mundi conditionem declarat. 64.D

Pictor.
Pictori sapientissimo comparantur perfecti. 525.C

Pietas.
Pietas in parentes præceptum est Decalogi. 1135.C

Piger.
Piger, vide Tepidus.

Pileus.
Pileus in crucis similitudinem quid significet. 29.C.D

Pilus.
Pili robur & fortitudinem internam significat. 108.A

Pinea.
Pineæ figura charitatis symbolum. 546 D

Piscator.
Piscatori comparatur sanctus in cogitationibus admittendis. 520.D

Præceptum.
Præceptum in quo à cōsilio differat. 461. B & seq. Est via arcta ad beatitudinem. 461.C. Est vita. ibid. Vniuersis proponitur seruandum sub pœnæ interminatione. 461.D. Est perfectionis instrumētum. 471.B
Præceptorum finis perfectio. 473.A
Præceptorum diuinorū quoddam est magnitudine & ordine primum, quoddam secundum. 533.E
Præceptum charitatis primum & principalius. ibid.
Præceptum charitatis primum in intentione. 534.B
Præceptum charitatis primum necessitate obseruationis. 534.C
Præceptum charitatis cur primum ac maximum mandatum vocatur. 534 D
Ex præcepto charitatis Dei & proximi vniuersa lex pendet. ibid.
Præceptum charitatis quando & quomodo obligat sub peccato. 540 C.D
Præcepti naturalis necessitas puncto assimilatur. 547.B
Præcepta prius, deinde consilia seruare debemus. 217.A B.& sequentibus.
Præceptum, vide Decalogus.

Prædicatio.
Prædicatio euangelica imber vehementissimus. 59.C

Prædicator.
Prædicatores euangelij quales esse debēt. 271.D.E.362.D.E. & seq.422. D. Quales sunt nunc. 352.D
Prædicatores in vmbra mortis requiescere, ac verborum Domini meditatione recreari debent. 369.E
Prædicatores prius orationi incumbant, antequam ad animas conuertendas accedant. 391.E

Prælatus.
Prælati labores positos in corrigeddo & docendo à subditis pessundari quantæ tristitiæ sit. 26.A
Prælati sermones suos attemperare debēt sapientibus & insipientibus. 454 D
Prælato defectus fratrum deferre detractio non est, 611.C. Tria in hoc seruanda. ibid.
Prælati prudentia, sapientia, & virtute vacui Religionis ruinam minantur 691 B
Prælati Religionum quales esse debeant. 105 r.A.& seq.
Prælati officium est officium mediatoris. 383.B

Præmium.
Præmij expectatio tribulationes & labores amore Dei exanthlatos dulces efficit. 829 D

Præsentia.
Præsentia beneficiorum Dei procurandæ. 561. ferè per totam.
Præsentia rei amatę gaudium parit. 201.C

Pretium.
Pretium, quo beatitudo & gloria comparatur, quodnam sit. 719.A

Princeps.
Principes mundi nobiles tertiæ suæ vocāt cognatos, sed non faciunt. 764. A. Deus aliter hoc præstat, ibid.
Principes liberi non sunt. 865.B
Principum mores sequuntur subditi. 1015 D

Principium.
Principiū in operabilibus est finis ac scopus in quem diriguntur. 431.C
Principia vitæ spiritualis sunt mandata virtutū Theologicarum. 471. D.472.A

Prodigus.
Prodigo libertas multa damna attulit. 868.8

Professio.
Professio animam religiosam verè efficit sponsam Dei. 128.A

Proficere.
Proficit multum animus virtutibus purificatus, etsi corpus non seuerè tractetur. 451.E. xemplum hac de re. 452.A
Proficientes terræ bonæ cōparantur. 496. C
Proficientes agri ac villæ dicuntur. 512. A.& B
Profecit multum, qui quam longè sit à perfectione cognouit. 542.D
Non proficere deficere est. 1035. D. per totum caput. Obiectioni respondetur. 1036.B.& seq.
Proficiendi occasionem nullam Religiosus prętermittat. 1192.E.1194.E.1195.B
Proficiendi occasiones prætermittens similis est mancipio negligenti. 1194.A
Proficiendi desideriū à nobis solum Deus petit. 1194.C
Proficiendi occasiones, etsi minimæ, non prætermittendæ. 1196.D.& seq. Id Deus etiam monet. 1197. D. Iuuat ad perfectionem obtinendam, communitatem affectari. 1198.D

Prophetia.
Prophetia quid sit. 456. A. Quæ ad illam reuocantur. ibidem.

Propinquitas.
Propinquitas spiritualis à carnali differt. 639.A

Prouidentia.
Prouidentia, vide Dei prouidentia.

Proximus.
Proximorum opera bona transfert charitas in dominium nostrum. 479.A.& seq.
Proximū diligere, vide Charitas fraterna.
Proximorum salutem curare, vide Salus animarum.
Proximorum salutē curant sancti. 755. A
Proximos ædificāt sancti in omnibus suis operibus. 1162.C

Prudentia.
Prudentiæ dies quinam. 81. A. Quæ sit vera prudentia. ibid.
Prudentia in afflictione corporis tenenda est. 337.B

Pulchritudo.
Pulchritudo naturalis in quo consistat. 839.C. In quo differat à spirituali. 844. A
Pulchritudo spiritualis quæ sit. Ibidem. A corporis sanitate non dependet. 843.D. Est æterna. 843.C. In quo differat à naturali. 843.E
Pulchritudinis corporeæ cura magna, spiritualis parua. 844. A. & B. Exemplo S. Noni Episcopi probatur. 844.B
Pulchritudinem corporeā quæ vitia consequātur. 845.C. Cōsequuntur bella. ibid.

Punctum.

Puncto assimilatur præcepti naturalis necessitas. 547.B

Purgatorius.

Purgatorij ignes teruorem à nobis exposcunt. 25. in præfaciuncula. In purgatorio imperfectorum imperfectiones inundantur. 511.C

Puritas.

Puritas cordis sponsæ ornamentum. 100. E
Quæ si desit, cætera Deo displicet. 102.B
Puritas animę perfectionis iudiciũ. 491.D
Puritas animæ arbori comparatur. 511.C. & seq.
Puritas intentionis secunda vigilia est. 216. C

Pusillanimis.

Pusillanimes in rebus spiritualibus qui sint. 1067 E
Pusillanimes iustos hortatur Deus, vt aliquid magnum moliamur. 1070.A
Pusillanimes filiis aquilæ inualida oculorum acie solem intuentibus comparantur. 1070 C

Pusillanimitas.

Pusillanimitas viri spiritualis Deo displicet 10 0 A
Pusillanimitas singularitatis est mater. 1103.D

Q

Quies.

QVietem animi non assequuntur Religiosi vitiationibus sæcularium deditis. 1142.A

Quiesco.

Quiescere inter operantes in fame est. 1205.A

Quietus.

Quietus quis dicatur. 217.D

R

Radix.

RAdici comparatur cor nostrum. 1270 D

Raptus.

Raptum reuocat sanct. Thomas ad prophetiam. 456.A

Recreatio.

Recreationes animi licitæ sunt 1247 C
Quæ religioso congruant. 1247.D

Regno.

Regnare quisnam vere dicatur. 160.D
Religiosus certe. ibid. E

Regnum.

Regnum Dei intra non est. 101.B
Regnum cœlorum quibus promissum. 161. C
Regnum cœlorũ sola perfectionis drachma comparatur. 17.E
Regna temporalia tanquã vilissima contemnenda. 745.A.& seq.
Regnum cœlorũ vocatur perfectio. 746. B. per totum caput.
Regnum duplex est. 747.B
Regnum Dei amoris imperio potius quã timoris regitur. 747.C
Regnum cœlorum duplex. 746.E.747 B. C 749.C
Regnum Dei sanctorum collectio. 749 C
Regnum Dei potestas à Deo denuata 747.C
Regnũ cœlorum violenti diripiunt. 753.B
Regnum cœleste, vide Gloria.

Rex.

Reges terræ nobiles curiæ suæ cognatos appellant, sed non faciunt. 764. A. Deus aliter. ibid.
Regem subiicit mulier suæ potestatis amoris vi. 772.A

Ratio

Rationes tres bene viuendi. 235. A. & sequentibus.
Rationi appetitum & cæteras passiones subiiciamus. 293.A

Rationale.

Rationali summi sacerdotis gratia, quæ vere puritas animæ nostræ est, signata fuit. 19 .E
Rationale summi sacerdotis quale erat. 19 .B
Rationale quare ex auro & quatuor coloribus texebatur. 197.D. Et quã ob causam à super humerali pendet. ibid.
Rationale summi sacerdotis quibus lapidibus ornabatur: ac eorum lapidum proprietates proponuntur. 204.A

Rectitudo.

Rectitudo operis prima vigilia est. 216.C

Religiosus.

Religiosi milites sunt. 1055. A. Discipuli etiam perfectionis. 105 .A
Religiosæ vocationis beneficiũ. 2. lin. 11. Quid præstet in tepidis 23.A.B. 71.A.B
Religiosi ignaui & tepidi descriptio. 4. lin. 14 & seq. inuectiua in eodem. 4. lin. 20. Eius periculum. 7. lin. 1 & 8. initio. Similitudo. 25. B. 27. C. D. 29
Religiosi viri dignitas. 10. lin. 16. 24 A. col. 2. Qua doctrina sit erudiendus. 26.B Eiusd. vtilitas. 24. B.C. & seq. col. 2. Ad religiosum exhortatio vt etiam se dignam agat. 24. E. & seq. col. 2. Dei in illũ misericordia & benignitas. 75. A. & seq.
Religiosum multa constringunt ad vitam spiritualẽ. 25. A. Vinci à dæmone ignominiosissimum. 27 .A
Religiosi & mala omnia sæculi euaserũt, & bona, si quæ in illo erant, centuplicata receperunt. 69. A. Peregrini sunt. 69.C
Religiosis cupiditatum vmbilicus præcisus 70 B. Eorum status, lauantur verè in salutem. 71.A
Religiosos venerantur omnes plurimum. 72.A. Eorum confidentia in Deum plurimum excitatur. 78 B
Religioso statu quæ deseruntur, animo etiam & vita deferenda esse. 74. Eius bona. 74.C
Religiosæ vitæ beneficium primum diuina vocatio. 79.C. Eius stabilitas. 99. E. Tempus amantium. 119.D
Religiosus cur mortuus dicatur. 183. C. in eo viuit Christus. ibid. Quàm vere diues sit. 90.A
Religiosa vita interitus est & resurrectio, mors & vita. 4.D Remouet omnia, quæ puritati aduersantur. 112.D
Religiosus sæculares retinens mores quã abերret à veritate. 85.B. Quàm oporteat illum esse diligentem. 81.E
Religiosi mutatio admiranda. 67.D. Vocatus est ad magnam Dei familiaritatem & amicitiam. 116.C
Religiosus germini agri speciosissimo cõfertur. 90 C
Religiosæ animæ sublimitas & magnitudo. 91.B. 94 C. Eius pax, quies, tranquillitas. 93.D. 127.A
Religiosus status ratione sui maxima habet adiumenta ad proprium cor inhabitandum. 100. C. Et ad puritatem cordis. 101.D
Religiosus ad cordis sui domum inhabitandam vocatus est. 100.C. Pacem alibi non reperiet. 101.E
Religiosus status omnem luxuriæ immũditiam abluit 103.E. Propriam voluntatem fugat. 105.C Eius bonum singulare. 113 C
Religiosi ipsi parietes terribiles diabolo. 103 C. Cinguntur angelica ac diuina custodià. ibid.
Religiosæ domus certissimæ lachrymarũ sedes. 105. C Et locus amicorum Dei. 119 D. Sunt tabernacula Dei. 122.D
Religiosi aptissimi, vt Ecclesiæ prosint. 107.A. Initio suæ conuersionis aliorum salutem aut nihil aut parum curant. 108.B
Religiosi quando ad aliorum salutem curandam idonei 1 .C. Sunt fœcundi bene & prudenter audaces 1 .E
Religiosæ animæ vocationes duæ 11 .B
Sunt Ecclesiæ defensio. 123.C
Religiosorum vita ac tempus est amicorum & amantium. 19.D. 120.B Eorum scepus. 12 .D
Religiosi perfecti à sæculari iusto discrimen. 121. D. E. Illi in hac etiam vita quendam gradum immutabilitatis acquirunt. 131.A
Religiosi status defensores magnis donis expetentur. 12 .B
Religiosa anima sponsa Dei. 127.A Habet hoc vere ac proprie per professionem 128. A. Ad regiam dignitatem euehitur 130 D
Religiosæ animæ dos amplissima, vtpote sponsæ Dei gratia vocationis 131. A. Alia vero subsidia temporalia. 13 .C
Religiosis præsertim in futuro vita æterna, & in præterita centuplum illud magnificum promissum est. 134.A
Religiosi Christum Dominum vicinum habent. 136. C. Imò & cohabitatorem eiusdem domus. ibid.
Religiosorum desidiam confundet cura & labor meretricum adhibitus ad hominibus placendum. 844 D
Religiosus perfectionis cupidus Magistrũ perfectionis quærat. 1049.A
Religiosæ animæ ac Dei spiritualẽ nexum ne mors quidem ipsa diuellit. 137.B
Religiosos status quàm arcte Deo mentes nostras associet. 13 .C
Quàm fœlix. 154.C
Religiosi in monastica vita præ incendio amoris non modò non sentiunt pondus aliquod, sed potius suauitatem ingentem. 138 D
Religiosus sine Christo ne ad horam quidem iugum religionis defert. 139 A
Religiosa anima fidem Christo vt seruet. 14 .C Eius indumenta. 144.B. Eius ornamenta. 149.E & seq.
Religiosæ animæ vt sponsæ Dei congratulatio 143. D. Quanta sit castitatis cura. 148.C
Religiosa vita habitaculum veritatis 144. D. Omnium virtutum magistra. 152 C
Religiosorum leuia etiam peccata vita ipsa monastica extenuat. 145 A
Religiosorum corpora Christi vestimenta. 145.E
Religiosorum lætitia quanta sit. 146. A securitas & quies. 145.B.C
Religiosæ sponsæ prima vestis. 147.A. Cibus quotidianus. 155.A
Religiosorum verus honor 155. D. Eos omnis mundus superiores agnoscit. 159.C
Religiosi officium. 161.A
Religiosorum honor stabilis. 162.D
Religiosus ignarus & idiota sapientissimis sæcularibus sapientior habetur, & est. 163.A
Religiosus quantumcũque esset in sæculo, abiectus & vilis, tamen in summo iam honore habetur. 163.C
Religiosis ac sæcularibus præcepta eadem eademque consilia proponuntur. 448.C
Religiosorum exhortatio ad perfectionem. 452.B
Religiosorũ status est perfectorum, id est, tendentium ad perfectionem. 450.C
Religiosis omnia affatim præbet Deus, & temporalia & spiritualia adiumenta ad perfectionem. 450.D
Religiosi non pauci perfectionis ianuam Præclusam sibi esse arbitrantur. 450.E
Religiosi his, quæ sibi impedimenta videntur ad perfectionem, iuuantur, & non præpediuntur. 45 .A
Religiosi sine literis perfectionem consequi possunt 451 D
Religiosi aduersa valetudine oppressi per-

fecti

fecti esse possunt. 451.D
Religiosi ad quid vota emittant. 461.D 462.E. sine illis nec perfectionem nec salutem æternam consequentur. 467.D Quo fuerint obedientiores pauperiores, & castiores, eo erũt perfectiores. 468.B
Religiosi statũ in Ecclesia habent. 1044.A
Religiosum multa ad perfectionem comparandam hortantur. 505.A. 507. C. In religiosa professione omnia charitati inseruire debent. 480.D.E
Religiosi quàm minima sunt, quæ relinquunt. 74.A
Religiosi ad virtutem incitantur. 959.C
Religiosos, maximè moueri debet perfectionis dignitas. 96.D
Religiosi, qui perfectionem non quærunt, fami sunt. 968.C
Religiosi suos præcipuè fundatores imitentur. 969.B
Religiosus non potest simul sæcularibus & diuinis attendere. 969.D
Religiosorum multorum tepiditas & imperfectiones narrantur. 970.B
Religiosi ad desideria cœlestium excitantur. 994.B
Religiosi ratione sui status ad perfectionẽ quærendam tenentur. 1043.C
Religiosi statum perfectionis habent. 1044 A
Religiosi ad perfectionem tendere tenentur. 1044.C. 1045. B. Quomodo eam breui tempore consequentur. 1052.E. & seq. Quomodo non errabunt in via spirituali. 1054. D. More infantium in omnibus Prælati consilium exquirant. 1056.E. Magistro perfectionis in omnibus obediant. 1058.B. & sequentibus. Vide obedire.
Religiosus est Dei holocaustum. 1061. B. Perfectionem spiritualis vitę finem sibi præscribat. 1063. B & seq. Terrenis in tantum vtatur, in quantum ad perfectionem acquirendam necessaria fuerint. 1064.B C
Religiosus qua se consideratione excitabit ad perfectionem. 1065.C
Perfectionis opera ardẽtiori studio quàm alia perficere debet. 1065.D
Religiosus perfectionem sibi vt finem præfiget, si in omnibus suis operibus enitatur solùm animam purgare & perficere. 1066.D
Religiosi quo fine litterarum studia amplecti debeant. 1067.C
Religiosi oculos semper in magna intendere debent. 1068. A. per totum caput. Eximiam sanctorum perfectionem sibi ad imitandum proponere debent, vt saltem mediocrem virtutem consequantur. 1069.A
Religiosi visitationibus sæcularium superfluis se & religionem contemptibilem faciunt. 1148.E
Religiosi quomodo religiosè viuent. 1149 E
Religiosorum colloquia de rebus sanctis esse debent. 1151.B. & seq. Quo pacto hanc virtutem consequemur. 1154.E
Religiosi res sæculares ad nos ipsos aliquando pertinentes in colloquium nulla ratione admittamus. 1155.B Qui secùs faciunt, vani sunt. 1155 D
Religioso indignum est colloqui de rebus sæcularibus ad alios spectantibus. 1156. C D. & seq. Vide colloqui.
Religiosus taceat inter colloquia de rebus sæcularibus. 1157.E
Religiosus de Deo semper loqui debet. 1158. A. 1159 B In omnibus bonum exemplum præbent. 1160. A. & seq. & 1161.E. 1162 B. Mala boni exẽpli causa vitare debet. 1161.A. & seq. Qui secùs faciunt, in magno versantur periculo. 1161.E. 1162 A
Religiosi se mutuò foueant. 1164.D Diuinis inspirationibus pareant. 1167. A. & seq.
Religiosus ab operibus supererogationis non desistat. 1180.B. & seq.
Religiosus in occupationibus ordinem teneat. 1186.B. Proficiendi occasionem nullam prætermittat. 119.E
Religiosi singularitatem fugiant in rebus communitatis. 1198.D
Religiosi singulares, vide singularitas.
Religiosi otiositatem odio habeant. 1211. B. Vide otiositas.
Religiosos laborantes in sui status ministeriis visitant Angeli. 1214.A B
Religiosus quibus occupationibus otium fugiet. 1216.A. & seq.
Religiosus nimias occupationes timeat. 1218.A
Religiosi ob magnas occupationes exercitia spiritualia non deserant. 1221.C Qui ita faciunt, sunt vilissimi sibi & proximis. 1222.A.B. & seq.
Religiosus in occupationibus quomodo se geret. 1220.A.B 1221.C. 1222.E
Religiosus sciendi appetitum moderetur, 1223.D
Religiosus sit in cõmuni conuictu grauis. 1238.C. Vide, grauitas.
Religiosus immodestus sicut animal est exoriatum. 1242.D
Religiosus in omnibus sit cautus. 1244.D
Religiosus cautus maximè sit in negotiis tractandis, & in animi remissionibus admittendis. 1245.D
Religiosus cautus sit in fœminarũ colloquio. 1246. A. In loco suspecto sine sociis cum eis non loquatur. ibid.
Religioso, quæ animi recreationes congruant. 1247.D E & seq.
Religiosus in eadem vitæ ratione sit perseuerans. 125.C
Religiosi in vno monasterio perseuerent. 1253.D. Infirmitas ad hoc non obstat. 1254. C. D. Locorum mutatione quæ desiderant, non obtinebunt. 1254. A. Parentes & consanguineos inuisendi vel conuertendi causa mutare etiam locum non debent. 1254.E. 1255.A
Religiosis ex locorum mutatione multa mala oriuntur. 1255.C
Religiosus perseueret in defectuũ remediis adhibendis. 1255. D. Aliter perfectionẽ vix obtinebit. 1256.D.E. 1257. B.C Estque similis varios cibos leuiter gustanti, & nullius bonam partem comedenti. 1258.A
Religiosi cura qualis ad perfectionem acquirendam. 505.A. & seq.
Religiosos vocauit Deus ad perfectionis nobilitatem comparandum. 508.A
Religiosus terrena habens Deo & mammonæ seruit. 517.B
Religiosus, qui maiorem animi puritatem non esurit, parum charitatis habet. 523.D
Religiosi perfecti in cõgregatione omnia aduersa æquanimiter ferunt. 527.A
Religiosi, qui perfectionem acquirere non curant, vilissimi sunt. 53.A
Religiosi, qui eam sollicitè quærunt, licet eam non consequantur, digni sunt laude. ibid.
Religiosi perfecti, etsi aliàs idiotæ & plebeij, felicissimi & sapientissimi. 532 B
Religiosi fraternam charitatem ament eique operam dent. 689.A
Religiosi in hac vita fratrum defensores & consolatores sunt. 60.E
Religiosi quidam similes Pharisæis sunt in suis iudiciis temerariis. ibid.
Religiosi Prælatos suos vel nimiæ lenitatis vel seueritatis arguentes in magno discrimine versantur. 604.C
Religiosi contemplationi solùm vacantes alios iudicare non debent. 606. C. per totam. 605.D. Nec è contra. ibid.
Religiosi maximè indigent charitate fraterna. 637.C
Religiosi cur sint dentibus similes 644.A
Religiosi efficaci charitate & amore vacui tanquam simulacra muta & otiosa. 664.D
Religiosi multi alios amant ob vtilitatem propriam. 668.C
Religiosi perfectio quibus acquiri possit, vide Perfectio.
Religiosi tepidi, miseri sunt, & fletu digni. 702. C
Religiosi ad perfectionem assequendam exhortatio. 722 A
Eorum tepiditas deploratur. 722.D.
Modus perfectionem assequendi ostenditur. 723.B. 731.A
Religiosi, qui omnem curam in virtutis acquisitione non ponunt, corripiuntur. 731.B & sequentibus.
Religiosi omnes stadium currunt, sed non omnes accipiunt brauium. 796 A
Religiosi animæ tranquillitas, paupertas, & vigiliæ quantum sæculi bona & voluptates superent. 825.E.
Religiosorum alij imperfecti, alij perfecti. 901 C
Religiosi imperfecti seruis comparantur. ibidem.
Religiosus minima non aspernetur, si perfectionem cupit. 1073.C. & seq.
Religiosi defectus minimos contemnentes toti religioni sunt damnosi. 1076. B. in magna sanctitate non collocabuntur. 1077. C
Religiosi præterita obliuiscantur, & futura sectentur. 1080. C. per totum caput. Quæ vtilitates inde proueniant. ibid. & 1081.C. & sequentibus.
Qui hoc præstant, sunt beati. 1082.A
Ex opposito quæ damna sequantur. 1080.B
Religiosi ardentiora desideria spiritualiũ rerum habere debent, quàm mundani temporalium. 1082.D
Religiosi, qui bona à se facta contemplantur, vt à labore quiescant, stulti sunt. 1081.C
Religiosi quæ sibi perfectionis desunt, inspicere debent vt pauperes 1083.D
Religiosus bona præterita obliuiscetur, si se semper incipientem putet. 1084.E
Desideria in conuersionis initio ab eo habita diligenter conseruare debet. 1085.D. per totum caput & 1087.C
Religiosus professus est sicut miles veteranus. 1086.D. Est sicut vir. 1086.E
Est quasi arbor procera. 1087.A
Religiosi se hodie incepisse cogitare debent semper, ne ab adepta virtute cadãt 1087.D. & seq.
Religiosæ vitæ nobilitas est maiori quotidie mortificatione fulgere. 1089.C
Religiosis non prodest benè cepisse, si perseuerantia desit. ibidem
Religiosi quidam solent ad perfectionem consequendam auxilia vocationis alienæ conquirere. 1091.B
Hoc magna contentione fugere debent. 1091.E
Religiosi iudicabuntur à Deo iuxta propriam vocationem cuiusque. 1094.D
Religiosorum numerum & conditionem designant illi quadraginta quatuor millia habentes nomen agni scriptum in frontibus. Apoc. 14. 1096.A
Religiosi obligationes status suscepti primo subire debent. 1079 B. per totum caput. Qui secùs faciunt, signum præbent propriæ voluntatis & amoris. 1098. A. Omnes obligationes præter eas, quæ sui status sunt, abiicere debet. 1099. A Quæ sibi à Prælatis iniunguntur, perfectissimè debent exequi. 1100.C.D
Religiosus efficit voluntaris propriæ abdicatio.
Religiosus tepidorum dicta contemnat. 1102.D. & 1105 C & sequentibus.

INDEX.

Religiosi tepidi, vide Tepidi.
Religiosus sanctus aduersus tepidorum dicta quomodo se gerat. 1105. C. & seq. 1106 B D
Religiosi proponant sibi aliquem ex fratribus imitãdũ. 1112. E. 1113. A. sanctos imitari debent. 1113. E. & seq.
Religiosus sanctorum virtutes cum ordine imitari debet. 1116. B. E. 1117. C. vnius solùm sancti virtutes sibi imitãdas proponere nõ debet. 1118. C. & seq.
Religiosus parentum & cognatorum cõgressu abstinere debet. 112. C. D & seq. & 1127 C
Religioso parentes & cognati multa afferunt damna. 1127 D. 1128. C
Religiosus Dei & parentum negotia præstare non potest. 1128. C
Religiosi, qui se parentum & cognatorum negotiis implicant, iterum ad sæculum reuertuntur. 1131. B. C
Religiosi negotiis parentum tanquam mortui esse debent. 1132. B
Religiosi mundo mortui sunt. 1132. C
Religiosi carnalem affectum & amorem eruant. 1133. A. Eis parentum memoria quantum noceat. 1134. C D
Religiosi quomodo teneantur honorare parentes 1136 A B. Quomodo parentum necessitatibus succurrere debent. 1136. C. D. Mouentur ad eorum amorẽ exuendum. 1137. A. B
Religiosi nimias familiaritates vitent. 1137. E. & seq. cum Christo amicitiam ineant. 1141. C. 1142. B
Religiosi superfluas visitationes fugiant. 1145. C. & seq. Qui secùs faciunt, coruo ab arca Noë egresso similes sunt. 1146. C. D. sunt etiam stellæ illæ Apocalypseos, quæ de cælo ceciderũt. 1146. D Sunt stellæ errãtes. 1147 A B Quietem non assequuntur 1148 A
Religioso quanta damna afferant visitationes sæcularium superfluæ. 1145. E 1146 A 1147 C
Religiosorum honor quantus sit. 164 D
Religiosi cur vocantur 166 C
Religiosi admodum vtiles sunt Ecclesiæ 166 E
Religiosorum gloria veræ virtuti, & non vanæ hominũ opinioni subnixa 166 E
Religiosus honores contemnit 167 C
Religiosus quam ob causam à Deo in religionem vocatus est. 166. B & seq. & 180 A. & seq.
Religiosus ab Ægypto liberatus est 168. D
Religiosi, peculiaris populus electus à Domino 170 B
Religiosi sedebunt super sedes duodecim iudicãtes duodecim tribus Israel. 171. C
Religiosi iucũdissimè in die mortis à Deo in patria recipiuntur. 171. B
Religiosi nulla ratione in sæculum redire, neque cogitatione debent. 171. A
Religiosis irreligioso animo viuentibus quàm malè contingat in hora mortis. 72. A. B
Religiosus non est, qui tantùm vestem monachalem induit, sed qui ad virtutis normam mores suos cõponit. 72. B. & sequentibus.
Religiosus in die iudicij de quibus est à Deo iudicandus. 176. A
Religiosus qua ratione finem suum consequetur. 177. A
Religioso mundana conquirere non licet 177. C
Religiosus qua ratione dæmones vincere debet. 180. C
Religiosus aduersus semetipsum & carnis vitia dimicare debet. 180. E
Religiosi rebus spiritualibus eam diligentiam saltem impendant, quam sæculares vilissimis rebus impendere solent. 181. C
Religiosus quæ beneficia à Deo, ipso religionis ingressu recipiat. 186. A. B
Religiosus negligens, religiosos mores non retinens tanquam agrestis Saul inter cuneos prophetarũ reputatur. 207. A. Habitu mundus apparet, in his verò est canis reuersus ad vomitum. 207. B
Religiosus omnes vires animæ refrenare tenetur. 214. C. & seq.
Religiosus cibos exquisitos & ea, quæ magis corporis voluptati quàm necessitati deseruiunt, quærere non debet. 215. E
Religiosus in habitu vanitatem non requirat. 220. A
Religiosus sæcularia negotia non suscipiat. 220. B
Religiosus, qui semel mundum contempsit, honores ac cætera terrestria non quærat. 234. B. & seq.
Religiosi perfectiùs vitam spiritualem exercent. 237. E
Religiosi ordinatim tres vitas spirituales aggrediuntur. 239. B. & seq.
Religiosus ad cõtemplatiuæ vitæ delicias admitti cupidus sæculares affectus cohibeat, & in acquisitione virtutum laboret. 251. D
Religiosi otio dediti meritò mendaces reputantur. 287. D
Religiosus per vocationem suã quæ mala fugit, & quæ bona adquirit. 295. A
Religiosus laicus, qui in actionibus externis maximè occupatur, qualiter se in illis habere debet. 300. D
Religiosi laici res monasterij tractantes quomodo apud domesticos & externos habebunt bonam opinionem. 303. B. & sequentibus.
Religiosi laici qua sapientia referti esse debent. 304. C
Religiosi solitarij quales esse debent. 313. B
Religiosi quo fine literis operam dare debent. 341. C
Religiosi dum literis vacant, qua ratione se habere debent. 343. C. & seq.
Religiosis scientiæ ac virtutes datæ sunt, vt aliis proficiant. 346. E
Religiosi statui clericali dati sunt in eius auxilium. 356. A
Religiosi cur in ciuitatibus ac in oppidis habitant. 350. E
Religiosi qua ratione dicuntur sæculum fugere, ac simul in eo manere. 360. C
Religiosi in salutem proximorum incumbentes vitam mistam amplectantur. Ibid.
Religiosi omnes sæculares actiones fugiant. 377. A
Religiosi, qui cogitationibus ac curis in sæculum redeunt, vitæ spiritualis contemptores sunt. 378. A
Religiosorum colloquia cum sæcularibus qualia esse debent. 382. A
Religiosi ad salutem proximorum vocati qua ratione orare ac contẽplari debent. 387. D

Religio.

Religiones sacræ quasi vrbes munitissimæ. pag. 6. lin. 34. Aulæ summi Regis 33. E. Et porta cœli. 44. A
Religionem ingredi quid sit. 24. A. 24. P. Est vera vita perfrui. 81. E. Eius securitas. 123. A
Religio desertũ, sed bonum. 81. B. 125. A. Habet gratiæ subsidia quàm plurima. 86. D
Religio bonis & malis est optima. 106. D. Est gymnasium puritatis. 106. E. Et veluti specula. 22. C. Et portus. Ibid.
Religio cubiculum summi Principij. 122. D. Ciuitas refugij. 122. E
Religio est generale quoddam ieiunium. 146. A
Religionis substantia in tribus votis. 147. E
Religio in mensa spirituali sanctorum Patrum quasi mel. 999. C
Religionis status non est ita perfectus ac Episcopatus. 1043. D.
Religionis finis non est, vt in ea Religiosi habitent, sed vt ad perfectionem tendãt 1061. C
Religiosæ cõmunitatis sit Religiosus affectator. 1198. D. Est vtilissimum. 1198. E
Religio acies bene instructa aduersus dæmonem. 1199. B. C. Expultrix malorum & maximorum bonorum initium. 1200. A
Religionis vtilitates. 1200. E. & seq.
Religionis membra coniungit fraterna charitas. 640. D. & seq.
Religio est quidam spiritualis mundus in noui Adæ gloriam fabricatus. 641. A. In ea cœli, aër, ignis, aqua, terra, mista, animalia assignantur. ibid. & 641. B
Religio dissoluitur, vbi deest charitas. 642. C. Exemplo corporis humani declaratur. 643. D. Aliis exemplis exponitur. 643. B
Religionũ ruina dissensio. 644. A. & 645. B. Variis exemplis declaratur. ibid.
Religio domus pacis & amoris. 657. B. In religione ex amore inordinato quæ dãna sequantur. 663. A. In religione ex amore incircũspecto multa damna sequuntur. 661. D. In religione perniciosus est specialis affectus alicuius in alium. 691. B & seq.
Religio, cuius Præpositi prudentia, sapientia, & virtutibus sunt vacui, magno est in periculo. 691. B. C
Religionis status mensa virtutis. 703. A Mensa lautissima. ibidem. Fons aquæ viuæ. ibid.
Religionis status ager est, in quo perfectionis thesaurus delitescit. 737. C
Religionis status ager est irriguus & ferax. ibid.
Religio animam sponsam Dei statu facit, non vita. 770. E. 771. A
Religionis iugum leue ac dulce. 826. A
Religioni sunt damnosi defectus minimos contemnentes. 1076. B. scrupulis arguuntur 1078. C
Religio quæq; suis religiosis via est cœli. 1091. A Visione quadam sanctorum Monachorum confirmatur. ibid.
Religio instituta est ad mutuam exemplorum instructionem, & imitationem. 1114. E
Religionem punit Deus, ab ea sanctos auferendo. 1116. C
Religioni quantum noceant visitationes superfluæ sæcularium 1147. C. 1148. E
Religionem cùm ingredimur, calicem Domini nos bibere posse respondemus. 187. C. D. In religionem ad quid à Domino admissi sumus. 188. B
Religionum diuersitas vnde oriatur. 238. B
Religionis vocationem vt magnum beneficium recognoscere, ac nos Deo gratos pro illo præbere debemus. 294. D

Reprobus.

Reprobis sæpè Deus gratias gratis datas confert, vt electos iuuent. 450. A. & seq.

Resignatio,

Resignatio perfecta in diuino beneplacito quartus gradus est perfectorum. 250. D

Resurrectio.

Resurrectionis spe sancti in summis periculis securi manent. 858. E

Reuelatio.

Reuelationes diuinas ad prophetiam reuocat S. Thomas. 456. A

Regula.

Regula monastica cur iugum Christi vocetur, ac suaue illud quidem. 137. E 138. A
Regula bonorum omnium actionum est charitas. 481. A

Rixa.

Rixæ verborũ amoris ignem extinguunt. 613.B

S.

Sacerdos.

Sacerdotum laxitas. 47.C
Sacerdotes omnes pilos carnis radere debent. 1140 B

Sacerdotium.

Sacerdotio indignus est ignorans. 1224.A
Sacerdotij dignitatem cupiens quam dispositionem habere debet. 353.D

Sacerdotalis.

Sacerdotalis dignitas qua ratione exceptãda est. 353.A

Sacrificium.

Sacrificium est aliquid vouere, aliquid verò non. 214 B

Sal.

Salis effectus. 51 B
Sal sapientiæ deest sæculariter viuentibus. 51.D
Sal mundi Apostoli, viríque Apostolici. 51.E

Salomon.

Salomonis opus præstantissimum templum, quod fabricauit. 789 B
Salomonis templo comparantur sancti. 815.E.816.A

Salus.

Salutis animæ indicium est bonum testimonium de eius vita & moribus. 510.A
Salutis animarum procuratio bellum est grauissimum. 647. B. In quo dux est Christus Dominus, 647 D. Milites eius discipuli & imitatores. ibidem. Indiget duobus. 648. B. Consensio voluntatum requiritur ad illud. 648.D. Est spiritualis generatio. 650.A

Sanctitas.

Sanctitatem scientiæ non pariunt. 451. A Quid eam pariat. 451.B
Sanctitatem non indicant semper gratiæ gratis datæ eius, qui eas obtinet. 458.E. 459.A & seq. Sanctitatem & perfectionem interdum indicant. 459.A
Sanctitatis instrumenta sunt gratiæ gratis datæ in imperfectis. 459.C D
Sanctitas non ex affectibus & miraculis, sed ex puritate cordis colligenda. 49. A D
Sanctitatis perfectionem ex imminutione cupiditatis colligit D. Augustinus. 492.B
Sanctitatis instrumentum validissimum charitas affectuosa. 492.D
Sãctitas perfecta obtineri potest sine consolationibus. 493 E. 494.A
Sanctitas in vita non habet terminum. 498.E
Sanctitati omnia parent & inseruiunt. 718.C
Sanctitas arbori comparatur. 511. A.B.& seq.
Sanctitas in incipientibus & proficientibus quasi arbor in hyeme. 511.D. 512.C
Sanctitas animæ perfecta quasi arbor tempore æstatis. 512.C
Sanctitatem rigant riui auxiliorum cœlestium. 512.D. 514 A
Sanctitatis folia verba sancta. 512.D
Sanctitatis fructus bona opera. ibid.
Sanctitatem iustorum tribulationes & labores manifestant. 526 C.D. & seq.
Sanctitas luci comparatur. 582.D
Sanctitas à Deo prouenit. 787 B D. 89.B
Sanctitas vitæ est Dei laudatio omnibus nota. 709.D
Sanctitas voluptatem & tranquillitatem animo affert. 823.A.B
Sanctitatis dignitas quanta sit. 966. D. Ad eam comparandam eius dignitas omnes mouet. 967.C
Spirituales viros maximè mouere debet. 967.D. Hominũ est propria. 968.A Qui ad eam non aspirant fatui sunt. Ibid. Ab eius institutione aliorũ socordia ne nos abducat. 969.A
Sanctitatis præmium. 974.B Ad Sanctitatem accessus facilis est nobis. 973.A
Sanctitatem Christus docturus aduenit. 1259. C.D E. Eam suo sanguine cõparauit nobis Christus, 1255.E
Sactitatis encomia. 1260 C
Sanctitas, vide, Virtus, Charitas, Perfectio.

Sanctus.

Sanctos aliquos atque perfectos quiuis hominum status habuit, atque ætas. 44.B
Sanctorum diuitiæ virtutes sunt. 1036.A
Sancti cur diuitias abijciant, & à delicijs abstineant. 462 E. ut etiam alia virtutum opera exerceant. 463. A. Omnia humana despiciunt, & eis vilescunt. 468 B.C. Omnibus omnia siũt. 673. B. Labores pro proximorum ædificatione sustinent. ibid.
Sanctos esse in Ecclesia est de fide 694. D E
Sancti viri descriptio. 491. E.& seq. 502. B.C. 510. E 511.A
Sancti Ecclesiæ nobilitas. 506 C. Eorum opera iudicant mũdi stultitiam. 674. A
Sanctus non est, qui etsi in gratia sit passionibus animæ laborat. 509.C.D
Sancti non sunt, qui in virtute, eius dulcedine solùm allecti persistunt 510. C.D
Sanctus cogitationes solas Deo gratas admittit, reliquas repellit. 520.C
Sanctus sicut piscator solertissimus in cogitationibus admittendis 520.C.D
Sancti putæ auidæ vuluæ Dei comparantur. 522.B
Sancti vsque ad mortis monumentum fæcundi. ibid.
Sancti, viri desideriorum sunt. 522.C
Sancti auidiores sunt in bonũ quàm auari ac cupidi in diuitias. 521 D
Sancti nulla re nisi gloria cœlesti satiari possunt 521.E
Sancti nulla re retardari possunt in suis operibus. 521 A.B
Sancti vbique proficiunt. 524.B
Sancti mille inuentiones reperiunt, & noua Deo obsequia præstant ob retributionem. 524 C
Sancti in suis operibus veluti pictores sapientissimi 525 C
Sanctorum circũspectio in suis operibus. 525.B
Sancti tribulationes & labores exoptant. 526.B C.
Sancti imperfectiones aliorum æquanimiter portant. 527.B
Sanctorum voluntas ad Deum, sicut corpus ad animam. 529.B
Sanctorum conditio quæ sit. 532.B
Sancti quæ Deus vult, volunt, & quæ non, non. 529 C
Sancti scripturarum intelligentiam interdum habent. 535.D
Sanctorum figura quasi pinea. 546.D
Sancti sicut vasa pretiosa superius lata, & inferius angusta. 547.A
Sancti ita aliquando cœlestia inquirunt, vt se in circulum vertant. 547.B
Sancti membra virtutes. 547.C.D
Sancti quiete inquietiores sunt. 548 D
Sancti à Deo semper, sicut cor à generante, mouentur nouis gratiæ auxiliis. 548 C.D
Sanctus quis sit. 549.E
Sancti non sibi sed Domino viuũt. 552.C.
Sancti omnia temporalia etiam vitã propriam pro Deo contemnunt. 552.A.B
Sancti holocausto veteris legis comparantur. 552.C D
Sanctorum diuersa studia vnde nascãtur. 727.E
Sancti hominum laudes & honores fugiunt. 728.C
Sancti terrenã necessitatem effugere non possunt. 742.B
Sancti ex perfectionis monte cœlum expugnant. 642.D
Sancti dona cœlestia aliis communicant. 741.
Sancti sunt monticuli sub magno perfectionis monte collocati. 743.D
Sancti sunt montes virtutum floribus pulchri, & fructibus frugiferi. 743.E 744.A
Sanctorum collectio est regnum Dei. 745.C
Sancti cœlis comparantur. 749.C. & seq.
Sancti cur cœli dicantur. 750.A.& seq.
Sanctos solus Deus satiare potest. 750.C
Sancti cur mente rotundi dicantur. ibid
Sancti nunquam otio torpent. ibid.
Sancti omnibus prosunt 750.D
Sancti Christum perfectè imitari nõ possunt 768.A
Sancti à terrenis remotissimi. 750 D
Sancti cœlestis patriæ imago. 750.E.& sequentibus.
Sancti Beatis comparantur. 751.A
Sancti castrorum acies ordinata. 753.B C.
Sancti inuidia carent 754.C D
Sanctorum vnus plus quàm alius in vna virtute eminet. 754.D.E
Sancti propter Deum ascendunt vsque ad cœlum, & descendunt vsque ad abyssum propter proximum. 755.A.B
Sancti proximorum salutem curant. ibid.
Sancti amicitiæ leges cum Deo obseruãt. 757 B
Sancti pro Dei amore cuncta despiciunt. 757.C
Sancti dulcia colloquia cum Deo miscẽt. 758.B.E
Sancti se totos & sua omnia Deo offerũt. 760.B
Sancti maiora, quæ habent, Deo offerre desiderant. 760.C
Sancti omnia, quæ habent, Dei esse cognoscunt ibid.
Sancti etiã perfecti imperfectiones multas & peccata venialia committunt. 760 E. 761.A
Sanctorum imperfectiones Deus patienter tulit. 761.A.& seq.
Sancti in tribulationibus Deum sustinent. 761 D
Sancti & Deus idem sapiunt & volunt. 762.A
Sancti sua secreta Deo reuelant. 762 B
Sancti filij Dei & vocantur & sunt 76.A
Sancti dignitate & fructu imperfectos superant. 766.C
Sancti Patri cœlesti sunt similes. 767.C
Hæc similitudo est appetenda. 769 D
Sãctorum cura Christum inducere. 768.A
Sanctos qui videt, videt & Patrem cœlestem. 767.C
Sanctis Christi excellentiæ proportionaliter accommodantur. 769. A
Sanctorum animæ Dei sponsæ & coniuges, media perfectione, efficiuntur. 770.E
Sanctorum animæ nobiles. 772.B Pulcherrimæ. 772. D Eas Deus lauat quotidie, & purificat. Ibidem. Virtutum vestimentis & donorum gemmis ornatæ procedunt. 773. A. Earum curæ omnes & desideria cœlestium. 771. C. D. Deo solùm seruire intendunt. 774.A Sunt fœcundæ. 774. C. Serpenti per Moysem exaltato comparantur. Ibid. Quæ gratiæ ornamenta sanctorum animis Deus concedat. 776.B.C
Sancti etsi scientiarum ignari multos ad virtutis desiderium adducunt. 774.C
Sancti ecclesiam Dei tuentur. 775.B
Sancti in hac vita sunt Beati. 779.B
Sancti qui sint. 780.C

Sanctorum census & hæreditas Deus est. 782.A
Sancti sapientes sunt. 782. E. Beniamin comparantur. 794 C
Sanctorum deliciæ. 783 C
Sanctorum corpora quàm perfecta perfectioue corpora reddantur. 783.D
Sancti diuites sunt in hac vita. 784.A B
Sancti multos amicos habent, & qui hi sunt. 784.B
Sanctorum nutritius est Deus. 787 E
Sancti templo Salomonis comparantur. 789 B
Sanctorum auctor. 790.A
Sancti pro perfectionis dono Deum collaudare debent. 790.A
Sanctorum diuitiæ gratia & charitas. 792. B.Præstantiores sunt temporalibus.792 C Eas Deus solum sibi amicissimis concedit. 793.A
Sancti amici Dei sunt familiarissimi & dilectissimi.793 C.D.794 A.Solum cœlestia optant. 794.A
Sanctorum quidam sunt amici Dei familiares, alij familiarissimi. 793. B. C. & seq. Scripturæ locis confirmatur. 794. A B
Sancti per multos labores perfectionem adsequuntur. 794 A
Sanctis Deus maiora dona confert, quam aliis iustis. 795 B
Sancti cur Dei, & filij Dei appellentur in Scriptura. 797.B
Sancti Deum vitæ puritate magnificant. 799 B
Sancti sunt Dei imagines ab eo summa cura depictæ. 799 E
Sancti maiorem Deo gloriam afferunt, quam iusti tepidi. ibid.
Sancti lucifero comparantur. 800 B
Sancti grabatum suum tollunt. 807.C.D
Sancti habitatio Dei gratissima sunt. 812, A.& seq. Cœnaculum aptè instructum omnibus necessariis Deo 812.B Tabernaculum.813 D Cœli.814.A.& seq.Eos Deus in verissimam dignitatem extollit. 811.A.B.& seq.
Sancti vitam quandoq; exhorrent. 815 B. A Deo quantum amentur. 815 C
Sanctorum diuitiæ quæ,& quantæ. 817. B D
Sancti sunt vasa viduæ mutuò à vicinis accepta. 818 E
Sancti dum labuntur, feruentius surgunt. 819.C
Sanctis etiam peccata & defectus cooperantur in bonum. ibid.
Sancti speciali Angelorum prouidentia proteguntur. 819 E
Continua aduersitate deprimuntur. 820.D
Sanctos cur Deus tribulari permittat. 820. B.& seq.
Sancti quo sanctiores, eo humiliores sunt. 821.D
Sancti læuam Dei sub capite habent, & dextera illius amplexantur illos.823.C
Sancti fasciculus viuentium cur in Scriptura appellentur. 815.A
Sanctus iucūdum est experimento cognoscere se à Domino custodiri. ibid.
Sancti specialis Dei protectionis & consolationis amplexibus ferunt.824 B. C 825.B.C.826 A
Sanctorum mors cur differatur. 827.A
Sancti fluuio pacis ex contemplatione orto irrigantur. 827.B.C
Sanctorum gaudium describitur. 827.D
Sancti ex bonis operibus quantum gaudij percipiant. 828 C
Sanctorum tribulationes dulcedine conditæ sunt. 829.C & seq.
Sancti nati ad volandum. 830.C. Ecclesiæ sunt veluti capita. 832. A sunt veluti ossa Ecclesiæ. 832. Holocausta medullata,charitate scilicet. 832
Sancti Ecclesiæ sunt viles. 831.D.& seq.
Ideóque sori comparantur. 833.B
Sancti timorem malis incutiunt. 833.C. Ideo leoni comparantur in iumentis syluarum. 833.C
Sāti sunt agnus bonis,& leo malis.833.D Vnus eorum solet suo exemplo à peccatis malos liberare. 833. E. Exemplo vitæ suæ ad virtutis amorē alios ascendunt. 834.A
Sunt orbis luminaria. ibidem
Sancti stellis comparantur.834. C. Peccatores à peccatis suis abducunt. 835.B
Sancti ligno plātato secus decursus aquarum comparantur.Ibidem.Palmæ etiam & Oliuæ. 835.C
Sancti sunt muri & antemurale Ecclesiæ aduersus eius hostes. 835. E. Aduersus Deum fortes sunt amoris virtute.836.A
Sanctorum vnus sufficit ad populum integrum ab ira Dei eripiendum. ibid.
Sancti vita functi plus quam cùm viuerēt, apud Deum valent.836.B.Bona temporalia hominibus afferunt, & miserias depellunt.836.D.Ideo nubibus comparantur. ibid.
Sanctorum pulchritudo describitur. 838. C.& seq.
Sancti pulchritudine omnem creaturam superant. 841.D
Sancti Christo Domino assimilantur.842. A.De eorum pace. 845.B.& seq.
Sancti speculum Dei sunt. 849.C
Sancti cum Deo quodammodo vnū sunt ibidem.
Sanctorum passiones sedatæ sunt. 850 B
Sancti speciali Dei prouidentia proteguntur à mali consensu. 851.B
Sancti dæmonem irrident.851. C. Eorum caro & Spiritus amicitiam ineunt aduersus dæmonem. 851.D.E
Sancti cum proximis etiam inimicis pacem amant.851.E.852.A.Hanc cū proximis pacē remunerat Deus. Ibi.& seq.
Sanctorum securitas in hac vita.853 A.& seq. Vnde hæc securitas prouenıat.854. D.in quo hæc securitas consistit.856.E. 857.D.Quomodo acquiritur. 856 B
Sanctos liberat Deus in tentationibus à dæmone & ab hominibus 856.E.858.A
Sancti improborum minas non timent. 858.A
Sancti in bonorum temporalium amissione securitatem habent. 858.C
Sancti in ipsis tribulationibus securi & constantes persistunt. Ibid. Mortem securi excipiunt. 858. D. Resurrectionis spe in summis periculis sunt securi 858 E. De eorum animæ libertate. 859. C. & seq.
Sanctorum libertas animæ in quo consistat. 860.A.864 B
Sancti mundi opiniones despiciunt. 860. D.Eas despexisse magnam eis lætitiam parit 860.E.A sanctis Deus sæculi huius iugum aufert. 861.A
Sancti de carnis victoria lætantur, sicut messores cùm cōgregant triticum. 861. A.B
Sancti appetitus animi virtuti & sanctitati seruire faciunt. 861.E
Sancti infantes in Scriptura cur appellentur. 862.D E
Sancti in honoribus & dignitatibus non extolluntur. 863.B
Sancti in diuitiis non iactant se.763.C Libertas hæc Sanctorum omnipotentiæ Dei effectus est. 864.B
Sancti de malorum iudiciis & dictis non curant. 865.E
Sanctos a virtutis proposito non amouent laudes nec vituperationes hominum. 866.A.B. Fluminis exemplo declaratur 866.B
Sancti fluuio è paradyso orto comparantur. ibidem
Sine fuco veritatem pronūciant. 867.A
Sancti cur peccatores reprehēdant 867.C
Sanctorum cogitationes & desideria quæ sunt. 869.D
Sancti in suis cogitationibus & desideriis horto comparantur.871.C Comparantur etiam Piscinibus plenis aquæ suauissimæ. 871.D
Sancti soli assimilantur in suis cogitationibus & desideriis. 871.E
Fumi etiam virgulæ. 872.A
Sanctorum etiam somnia spiritualia sunt. 872. C. Hæ sanctorum cogitationes viles sunt. 872.E
Sanctorum specialissimā habet Deus prouidentiam. 876.A & seq.
Sanctos cur permittat Deus tribulationibus premi, malos verò exaltari.879.D E.880. C. Non sine speciali Dei prouidentia tribulationibus opprimūtur.880 E.881.A.In tribulatione proficiūt.880. C.880.E
Sanctos immensa sanctitatis luce illuminat Deus.882.C.D 883.D. Fidei ac sapientiæ luce collustrat. 884.C
Sancti Nazaræis Deo dicatis assimilantur.Ibid. Eorum cura in operibus agendis 884.D Eorum circumspectio in occasionibus imperfectionū vitādis.ibid.
Sancti sapientissimè intelligunt mysteria fidei. 886.A
Sancti, etsi rudes & imperiti quoad scientias humanas, sunt tamen verè sapientes. 886. E
Sancti futura cognoscunt. 887.A.B
Sancti ligno sicco & combustioni apto assimilantur. 889. A. B.Ligna viridia etiā sunt. 889.A
Sancti Christi bonus odor sunt. 963.D
Sanctos Deus inflammat. 888.B.C.& seq.
Sancti charitatis igne inflammantur 890. B.C Et indicant hunc ignem in sanctis lacrymæ 892.A.B.ad faciem sæpè erit. 892.D Indicant illum etiam verba impolita sanctorum. 893.B
Sanctorum verba ad amorem virtutum accendunt. 893 B
Sanctorum oratio assidua ignem charitatis accendit. 893.C
Sancti gratiam sibi à Domino mutuatam persoluunt bonis operibus 895.A Verba sapientiæ audiunt & gustant. 895. C D
Sancti abundantiora & maiora gratiæ auxilia recipiunt quàm imperfecti. 895. D.E
Sanctis quę auxilia gratiæ concedat Deus ad operandum. 895.E.897 A.& seq per totam.
Sancti initio suæ conuersionis minoribus gratię auxiliis rigantur, postea verò maioribus fouentur. 899. A
Sancti sunt Beati. 900.C
Sāctorū defectus minimos castigat Deus, vt ab eis eos retrahat. 901.E 902 A
Exemplis probatur. 902. E.& seq.
Sancti filiis Principum comparantur.901. B C
Sancti leues imperfectiones multis lacrymis deflent, & afflictionibus puniunt. 904. A.exemplis confirmatur. 904 B C
Sancti cur in leuissimis culpis reprehenduntur statim a Deo,& puniuntur.903. D & seq.
Sanctorum casus cooperatur in bonum. 905 D 906.A
Sanctis Deus altissimam præbet cognitionem peccatorum,tentationem, & periculorum spiritualium, vt eos ab omni lapsu submoueat. 906.A
Sancti auxilia à Deo habent ad inimicos spirituales vincendos. 907.B C
Sāctos suauissimè à tribulationibus Deus liberat. 908 C.& seq.
Sancti multis tribulationibus affliguntur 909.C.Cur id Deus permittat. 909 D 910 B C.914.C
Sancti tribulationibus oppressi nauifrēro.

secundo naviganti comparantur. 910.
B.C.In manu Dei sunt. 911.E
Sanctos non conturbat tribulatio. 912.B
Sanctorum corporibus non appropinquat flagellum Dei. 913.C.& seq.
Sancti in tribulationibus,consolationibus afficiuntur. 914.A.B
Sancti à Deo tribulantur, vt ad eum confidentius accurrant. 914.C
Matris exemplo declarantur. ibid.
Sancti manu Dei tanquam filij percutiuntur,non flagello. 913.C
Sancti vt strenui milites tribulationibus exercentur. 915.E
Sanctorum Deus orationes exaudit 916.B C & seq.
Sancti sæpè à Deo non exaudiuntur,vt eorum merita crescant. 921. D.& seq. Et pro eo quòd non audiuntur gratias in cœlo agent. 922.D
Sancti mensuram gratiæ, quam appetunt, non obtinent sæpè.922. E. & seq.Si postulata eis Deus non tribuit, aliud eis proficuum donat. 923.C
Sanctorum dona à Deo accepta numerantur. 925.E.926.E
Sancti,iniusti,& imperfecti quomodo differant. 927.C.928.C
Sancti honore afficiuntur à Deo. 929 C & seq.In eis omnes causæ reperiūtur,propter quas solent homines honorari. 930.C
Sancti honore à Deo afficiuntur, etiā dum viuunt. 931 B.C
Sanctorum honor,nobilium & diuitū honorem superat. 932.C
Sanctis plus se homines deiiciunt quàm Principibus. 933. C. Exemplo Martini Episcopi confirmatur. 933.E
Sancti victoriam & triumphum de hostibus reportant 935.C.Hostes nō timent 736.A.De mundo triumphant. 936. C. De diabolo victoriam assequuntur.938 D.E.De carne palmam ferunt. 938.D Peccatores ad virtutis viam reuocant. 939.D
Sancti similes sunt leoni in operibus suis, 940 A
Sancti paucissimi inueniuntur. 941.B
Eorum vita est admirabilis. 940. D. & seq.841.E.942. B.944.D.In sanctorum vita miraculum maris Rubri in duas partes diuisi cernitur. 943 B.C
Sancti, etsi præmia non essent, ob solam Dei bonitatem omnia mala fugerent. 944.E.
Sanctorum mors quàm sit pretiosa.945.B. C.& seq. Magnis diuitiis anteponenda. 945.D.Eam quidam Dei afflatu permoti ardenter desiderant. 946. A.Cur eam sibi desiderent. 946.E
Sanctis terrena mortis desiderium nō impediunt. 947.A
Sancti de morte cogitant quasi de transmigratione ad vitam meliorem. 947 B
Sanctorum mors somnus est. 948.A
Sancti post mortem firmamenti splendori & stellis comparantur. 948.B
Sancti mortem non timent. 948.E
Sancti in ipsa morte circumstantes ad virtutem colendam disponunt. 449 A
Sancti dolorem mortis non sentiunt. 950.A
Sāctorum gloria ineffabilis 951.D.& seq. Est dispar ab ea quam imperfecti obtinent. 953.C
Sancti in gloria ad Angelorum ordines assumuntur. 956.A
Sanctorum memoria iucunda.960.C.963. C 964 E
Sancti viri cur iuuenes appellentur.962.E
Sanctorum memoria æterna 962 B 963.C
Thymiamati cōparatur,963.C.est quasi mel dulcissimū.964. D E.Est quasi musica in conuiuio vini.964.C Figurabatur veste sacerdotis antiquæ legis. 964.E
Sācti Elephāti similes esse debēt 972.C. D
Sancti specula sunt,in quibus diuitiæ Dei inspiciuntur. 983.B
Sanctorum legis gratiæ vita tempus acceptabile dicitur. 987.B
Sāctorum cura spiritualium cum agricolarum cura confertur. 1005.A
Sancti etiam in hac vita saturantur bonis spiritualibus. 1022 B.C
Sancti in magna animū intendere debent. 1071.A
Sancti à tepidis exprobrationes ferunt. 1103.A.B
Sancti inuicti & constantes esse debent. 1106.A
Sanctorum colloquia frequētia vtilissima. 119.& seq.per totum caput.
Sāctorum colloquia fauus mellis. 1112.D
Sanctorum virtutes imitandæ. 1114.E. Imitādæ sunt cum ordine.1116.E.1117. C.Imitandæ cum humilitate. 1119.E
Sanctorum imitatio & Christi in quo differant. 1125.E
Sanctorum colloquia de rebus spiritualibus. 1157.B.1150.A. 1159.A
Sancti in cunctis operibus ad proximorū ædificationem contendunt. 1162.C
Sancti bonum exemplum proximis præbeant. 1163.C.& seq.
Sancti cur dentes Ecclesię dicantur.1164. D.E.Ouibus detōsis sunt similes.1164.E
Sancti Dei adiutores sunt. 1165. C.Dei etiam testes. ibid.
Sancti sideribus comparantur. 1166.C
Sancti in cogitationibus suis grauitatem seruant. 1139.E
Sanctorum est proprium esse cautos. 1248.D
Sancti,vide,Iusti.

Sanguis.

Sanguini elaborato comparantur desideria virtutis,quibus virtutes reficiuntur 547.E

Sanitas.

Sanitatum gratia. 455.E
Sanitas corporalis in quo cōsistat. 508.C
Quid requiratur ad illam.508.D.Constat tribus. 508.E
Sanitas corporalis aliis bona, aliis mala est. 209. D. E

Sapiens.

Sapientis conditio. 1.lin.35.
Sapientibus etiam doctrinam esse necessariam.4.lin.10.11.Eorum sermo qualis.
Sapiens ab insipiēti in quo differat.541.D
sapiētes esse aut reputari non possunt mali. 714.D

Sapientia.

sapientia vera. 2.lin 42
sapientiæ obsequuntur omnes sæculares scientiæ. 2.lin.vlt.& 50.C
Eius effectus. 51.B.C
sapientia maxima Deo vocanti non reluctari. 73.A
sapientiæ proprium est verborū paucitas. 541.D
sapientia idem quod perfectio. 708.D
sapientia humana & diuina conferuntur. 711.D E.& seq.
sapientiæ discipuli qui sint. 715.D
sapientiæ magistri. ibid.
Qua via debet quæri sapientia. 716.B
sapientia contemplationis est fructus. 781.E
sapientia sanctorum diuitiæ. 817.D
sapientiæ luce sancti collustrantur. 884.C
sapientia à Deo petenda est. 10011.B
sapientia à petentibus & quærentibus inuenitur. 1011.C
sapientia omni laude digna. 150.E.151.A

Saul.

sol figura est mundi. 1020.C

Scala.

scalæ à Iacob visæ spiritualis vita comparatur. 473 A
Exhortatio ad eam conquirendam. 472.B.C
scala Iacob mistam vitā significat. 261 A

Scandalum.

scandalum infirmorū in operibus nostris cuitare debemus. 218.D

Scientia.

scientia qua ratione vtilis. 3.lin,6
scientia differt a vera sapientia. 51.A
scientia medendi animabus non in libris. sed in proprio corde perdiscitur.110.C
scientia quælibet a facilioribus debet incipere. 977.C.D
scientia superba despicabilis est Deo. 1009.C
scientiæ præstantissimæ sunt. 1224.A
Qui eis caret, indignus est sacerdotio. ibid.
scientiæ humanæ negligendę non sunt in Ecclesia Dei. 1225 A.B C seq.
scientiæ inanes à studio diuinarum scripturarum auocant. 1229.A
Tranquillitatem animi ad orādum expellunt. 1230.A
Scientiæ omnes modum habent,quo teiātur, 1231.D
sciētiæ dupliciter acquiri possunt.1231.E
scientia sine virtutis adiumento multis subest periculis. 1231.E.1232.A
scientiæ virtutis sunt instrumenta. 1232. A.B
Quomodo hoc fiat. 1233.B
scientiam acquirentes sine virtute multis afficiuntur detrimentis. 1232 B.& seq.
sciētiæ propriæ fidere nullus debet. 1226B
scientia carnalis ac mundana quæ. 340.C
scientia spiritualis quas habet proprietates, 341.A
scientia virtutibus & præcipuè humilitate ornata sit. 142.C

Scire.

sciendi appetitum moderetur Religiosus. 1223.&1225.A
sciendi appetitus immoderatus nocet. 1224.C.Quomodo moderandus est. 1225. C

Scriptura.

scripturarum intelligentiam interdū habent sancti & perfecti. 535.D
scriptura diuina eo spiritu est interpretāda,quo scriptura est.1235.A Eius intelligentiam non assequuntur, qui omnē ætatem in disputationibus scholasticis consumunt. 1234.D
scriptura orationis & puritatis spiritu exponenda est. 1235.B.& seq.
scriptura iuxta triplicem sensum exponi potest,literalem scilicet, mysticum, & spiritualem.1236. A. Mysticus sine literali parum vtilitatis habet. 1236 B
Literalis sensus est præcipuus. Ibid. Non pendent totus à phrasibus,ab Hebraismis,ab Homeri vel aliorum versibus. Ibid. Eam iuxta literalem sensum quinam sancti sint interpretati. 1236.C
scripturæ sacræ studium minus efficax est ad pascendum animum sine orationis & meditationis lumine. 1237.B

Scrupulus.

scrupulis angitur Religiosi peccata leuia contemnentes. 1078.C

Sæculum.

sæculum sterquilinium quoddam. 31.D
sæculum,quid. 36.E.37.A.B
Et atra nox. 54.D
sæculum plenum laqueis.periculis,incitamentis passionum. 45.A
sæculum vniuersis commodis ad virtutē vacuum. 62.C
sæculum molestissimis dæmonum tentationibus afflictum doctorum præsidio indiget. 347.B

Sæculi cogitationes fugat, qui ad vitam contemplatiuam ascendere exoptat. 319.C.D.
Sæculi contemptus signum est gratiæ iustificantis. 102.A
Sæcularis
Sæcularium occupationes abiectissimæ. 40.B.
Sæcularium vita est vita seruorum. 119.D
Sæcularium tempus tempus timentium. ibid.
Sæcularis iusti, & Religiosi perfecti discrimen. 123.D.E
Sæculares solùm externa considerant. 147.A
Sæculares, laqueos & pericula in omnibus tum prosperis tum aduersis inueniunt. 154.C
Sæculares vanis se prætextibus excusantes viã sibi perfectionis occludũt. 447.E
Sæcularibus eadem præcepta & consilia, quæ Religiosis proponuntur. 448.C
Sæculares eadem Christum dominũ mirandi obligatio arctat, quæ Religiosos. 548.D
Sæcularium ac Religiosorum officia quidem ac media varia sunt, finis tamen vnus atque idem. 449.A.B
Sæculares docẽt, quomodo sit Deus amãdus. 573.D
Sæculares in duas classes possumus redigere. 137.A
Sæcularis in tribus vitis spiritualibus nullum fere ordinem seruat. 139.B
Sæcularium frequens conuersatio multis nocet. 140.D
Sæculares actiones à vita religiosa alienæ sunt. 377.A
Securitas.
Securitas multa mala peccatori affert. 868.A
Securitas datur sanctis, vt studio amoris vacent. 869.C
Sententia.
Sententiam quamuis de re circumspectè admodum oportet proferre. 11. lin. 38.
Sensus.
Sensus externos moderatur charitas perfecta. 566.A
Sermo.
Sermo sapientiæ quid. 455.D
Sermo scientiæ quid. ibid.
Sermonum interpretatio. 456.B
Eius fructus. ibid.
Serpens.
Serpentes ac viperæ vocantur ab Scriptura peccatores ob latẽs venenum & malitiam. 61.D
Seruitus.
Seruitus omnis ex bellis exoritur. 859.C
Seruus.
Serui qui sint. 860.B
Seruus fidelis est voluntas firma non peccandi. 593.E.599.A
Silentium.
Silentij laudes. 151.C
Silentium seruandum est. 292.C
Singularitas.
Singularitas in religione vitanda, vt perfectionem acquiras. 682.D
Decipit multos. 682.E.683.A
Singularitas, qua Religiosus, à cœtu Bonorum se separat, fugienda est. 1207.B
Singularis, quã quis se à Malorum cœtu seiungit, sectanda est. 1108.C
Singularitas in religione vitanda. 1198.D 1200.A.1201.D.1202.B
Singularitatis radices sunt pusillanimitas & superbia. 1203.D
Singularitatem qui ament. 1204.& seq.
Quomodo istos curabimus. 1204.D
Singularitatis damna. 1205.D
Singularitas commodorum corporalium desiderio rerum æternarum amorem tollit. 1206.C
Singularitas in spiritualibus periculosior est, quàm ea, quæ est in commodis corporis procurandis. 1209.A
Luciferum è cœlo deturbauit. 1209.B
Singularitas hæc Deo displicet. 1211.A
Est scandalum fratrum. ibid.
Singularitas in omnibus operibus etiam bonis fugienda est. 218.C
Singularis.
Singularis quis sit. 1203.C
Singulares in corporis afflictionib. & ieiuniis traditi sunt dæmoni meridiano. 1208.B
Singularis viri imago est Ionas propheta. 1209.D.E
Societas.
Societatis homines variis scriptis Ecclesiæ inseruiunt. 2.lin.28
Societatis Iesu filij B. Ignatiũ imitari debent. 969.B
Societas Iesu Ordo clericorum est. 359.C
Societas Iesu ministeria. ibid.
Socordia.
Socordia cuncta vastat. 272.A
Sol.
Soli Christus comparatur. 618.C
Soli comparãtur sancti in cogitationibus & desiderijs suis. 871.E
Solis virtus terræ viscera penetrat. 794.C
Sollicitudo.
Sollicitudo virtutum perfectionis fructus 523.E
Sollicitè viuendum inter pericula huius vitæ. 469.D
Solitudo.
Solitudo, quam contemplans aurare debet, duplex est. 324.A.B. & seq.
Quid vtraque sit. 324.D
Solitudo exterior. instante Prælati præcepto, & necessitate fratrum, deserẽda est. 325.A
Solitudo est, vbi animæ cõtemplatiuæ sacrarum Scripturarum pane nutriuntur 334.B
Speculum.
Speculum, vide, Sancti Dei.
Spes.
Spes ac confidentia Religiosi in Deum valde excitatur.
Spiritualis vir.
Spirituales solidiori cibo indigent. 11. lin.11.
Spiritualis hominis membra virtutes. 547.C.D
Spiritualis quis vocatur? 106. B. & seq.
Spiritualis quo fine corporis necessitatibus satisfacit. 212 A.& seq.
Spirituales viri, non solùm quid agãt, sed etiam quo fine agant, considerare debẽt 216 A
Spiritualis vita.
Spiritualis vita, scientia diuina. 471.D. Cõstat, sicut scientiæ creatæ principiis notissimis. & non multum notis, & conclusionibus. ibid
Eius principia sunt mandata virtutum theologicarum. ibid.
Eius conclusiones præcepta Decalogi 471.D. Arcanum eius, perfectio. 471.E
Spiritualis vita scalæ à Iacob visæ comparatur. 472 A.
Spiritualis vitæ tertius gradus. 469.D vide, Perfectio.
Spiritualis vita corporeç præferenda 548 C. 551.A B
Spiritualia.
Spiritualia arma quæ sint. 1010.B
Spiritualia bona animæ satisfaciũt. 1020. B. Qui ea gustant terrena statim cõtemnunt. 1021. A. & seq. Ratio vtriusque redditur. 1023.B
Spiritus.
Spiritu feruens quis sit? 1060 A
Spiritus in quo ab anima differat. 556.B.C
Spiritus sanctus quibusdam est ad salutem quibusdam ad feruorem. 570.C
Spiritum ad feruorem pauci accipiunt. 570.D E
Spiritum Christi quis habet. 192. B
Spiritus sanctus aliquando interius testificatur in nobis nos esse filios Dei. 103 D
Spiritus sanctus, quidquid in nobis boni est, tribuit. 203.D
Sponsus.
Sponsi animæ pulchritudo. 155 B
Sponsa.
Sponsa est animæ typus. 520.A
Status.
Status quilibet hominum atque ætas sanctos aliquos habuit atque perfectos. 448 B
Status Religiosorum est tendentium ad perfectionem. 450.C
Stella.
Stellæ minoris lux maior est cæteris luminibus corruptibilibus. 601.E
Studium.
Studium sacræ scripturæ est vitæ spirituali maximè proprium. 330. B
Studia litterarum, vide, Scientiæ.
Studiosus.
Studiosus profectum appetit. 217.E
Subditus.
Subditi Principum mores sequuntur. 1025.D
Subditorum voluntas Principis voluntati conformanda. 1030.B
Superbus.
Superbus modestiam & humilitatem docere nequit. 7.lin.16.17
Superbia.
Superbia mundanorum. 48.C
Superbia pestilens tinea. 112.A
Eius periculum. 112.B
Superbia diuitiarum huius sæculi tinea. 812.C
Superbia singularitatis est radix.
Superior.
Superiores religionum, vide, Prælati.
Surdus.
Surdus & mutus ille, de quo Marci. 7 genus humanum. 23.A
Sustinentia.
Sustinentia aduersitatum charitatis ac perfectionis fructus. 526.A
Sydus.
Syderibus comparantur sancti. 1166.C

T

Tabernaculum.
TAbernacula Dei sunt sancti. 813 E
Talentum.
Talenta quinque Religiosorum. 26. B
Temporalia.
Temporalia contemnenda. 691.E. vide, Diuitiæ, Bona temporalia.
Templum.
Templum Dei est iustus. 558.D
Quomodo debeat parari Deo. 559 E
Templo Salomonis cõparatur perfectio 789 B
Templum Dei sunt corda sanctorũ. 1023 D.E
Templi Domini operarij triginta millia fuerunt. 1030.D
Templo Salomonis vita spiritualis adumbrata fuit. 222.B
Tempus.
Tempus irrecuperabile est. 1150.E
Tentatio.
Tentationes variæ animorum. 65.E
Tentationes nec tollunt virtutem, nec viam perfectionis impediunt. 451 E

Tentatio vehementer excitat ad profectũ charitatis. 454.A

Tentationis initia reiicienda sunt. 938.B

Tepiditas.

Tepiditas mater est distractionis. 1145.E 1146.A

Tepiditas ex nimiis occupationibus generatur quandoque. 1177.C.D

Tepidus.

Tepidorum Religiosorum descriptio, & in eosdem inuectio. 4.lin.20

Tepidorum murmurationes multa damna afferunt. 678 C

Tepidi quomodo se habeãt respectu Dei. 847.E

Tepidi Deo dissimiles sunt. 765. D. velut filij patri dissimiles. 767.A

Tepidi molestia magna Deum afficiunt. 811 C.Et ipsi ignominiosi sunt. ibidem

Tepidi sicut aqua stagni. 987.D

Tepidi mala pro bonis Deo referunt. 1047.D. De tepidis conqueritur Deus. ibidem.

Tepidi sicut arbores infructuosæ. 1048 A

Tepidi volunt,& non volunt. 1049.A Eorum ignauia ad perfectionem comparandam. 1068.D

Tepidi dum paucis sunt contenti,illa,quæ habent,merentur amittere. 1072.A

Tepidorum conditio vt suam segnitiem consolentur. 1072.C

Tepidorum dicta contemnenda à Religioso 1102. D.& seq.

Tepidi sanctis sanctitatem exprobare solent. 1103.B.1104.C.& seq Ad suam segnitiem trahere contendunt Sanctos. 1103 D. Herbas & arborum cortices cur dicantur comedere. 1104.A.B

Tepidi cellam fugiunt,& orationem horrent. 1104. E. Eorum dicta in sanctos. ibid.Eorum cæcitas & miseria. 1107.A

Tepidi in operibus virturum quæ sibi detrimenta afferant 1176. B. Dæmones prouocant ad risum. ibidem

Terra.

Terra & vniuersa, quæ continet, incitamenta sunt ad virtutem.26.lin.3 & seq.

Terra est voracior charitas. 522.E

Terra iustis ac sanctis inseruit & obedit. 718.A

Terrena.

Terrena charitas contemnit,& ad cælestia se dilatat. 547.B

Testimonium.

Testimonium bonum de aliquo,color dicitur. 510.A

Testis.

Testes Dei,vide,Dei testes.

Theologicæ virtutes.

Theologicę virtutes in Decalogo nõ pręcipiuntur.469. C. 470.A.Sunt vitæ spiritualis principia. 472.A

Thesaurus.

Thesauro comparantur verba illa, Diliges Dominum Deum tuum &c. 541 C

Thesaurus duplex est. 734.C

Thesaurizare.

Thesaurizare fideles vbi debeant. 737.B

Timor.

Timor pœnarum incipientium proprius. 487.A.B

Timor Domini duplex, seruilis & filialis. 708.D.In quo vterque consistat. ibid. & seq.

Timor seruilis initium sapientiæ nominatur.708.E.Timor filialis perfecta sapientia. 709.A

Timor Domini initium sapientiæ ac perfectionis. 992.C.D

Tinea.

Tinea diuitiarum superbia. 822.C

Tolerantia.

Tolerantia aduersitatum charitatis ac perfectionis fructus. 526.B

Tractare.

Tractat libenter vnusquisque artem suam 1.lin.5 & seq.

Transformatio.

Transformatio in Deum charitatis & perfectionis fructus. 530.B

Transformatio hæc in quo consistat. 530. B.C

Thomas.

Thomas Aquinas ægrotans pisces diuinitus oblatos recepit. 763.A

Thomas Cantuariensis à Missæ sacrificio abstinet ob leuem culpam. 904.B C

Thronus.

Thronus Dei dicuntur iusti. 559.A

Tribulatio.

Tribulationes fugiunt imperfecti. 526.C

Tribulationes & labores iustorum sanctitatem pandunt.526 B C.In tribulationibus gloriantur sancti. 575.B

Tribulationes charitatem iustorum indicant. 575.C

Tribulationes iusti patienter & hilariter sustentant. 761.E

Tribulationibus instar myrrhorum expilantur iusti. 772.D.E

Tribulationibus iusti pulchriores euadũt. ibidem.

Tribulationes virtutum thesauros conseruant in iustis. 820.B.821.B.C.& seq.

Tribulationes iustorum dulcedine conditæ sunt.829. C. In eis Paulus gloriatur. ibidem.

Tribulationes ad virtutem exacuunt. 829. C.880.

Tribulationes & labores amore Dei exãtlati in quo differant ab iis, qui alicuius rei temporalis gratia feruntur. 829. D. Spes præmij eos dulces reddit. 829. E. A tribulationibus liberat Deus sanctos suauissimè. 908.C

Tribulatio omnium virtutum est mater. 909.D

Tribulationum vtilitates. 909 E.910 A C

Tribulationes vento prospero comparantur. 910. C. Sanctos non conturbant. 911 B

Tribulationibus in bonis temporalibus affligi signum est electionis diuinæ. 1019.C

Tribulationis dies hanc vitam mortalem significat. 228.D

Triticum.

Tritici aceruo perfectio comparatur. 741 E

Turris.

Turris,ex qua cælum expugnatur, perfectio. 742.D E

Tyrocinium.

Tyrocinij tempore animas lucrandi desiderium habere sæpe astus dæmonis est. 248.C

Tyrocinij exercitia nunquam sunt omittenda. 301.C

V

Valetudo.

Valetudo nostri corporis perfectionis naturam declarat. 508.B

Valetudo corporis in quo consistat. 508 C Quid requiratur ad illam. ibid.

Valetudo corporis constat tribus. 508 E

Vas.

Vasa superius lata & inferius angusta sancti appellantur. 547.A

Venenum.

Venenum trahit cerasus halitu suo ex antris. 1112.C

Vestis & vestimentum.

Vestes omnes Religiosorum mysticum aliquid significant. 29 C

Talaris. 29.D

Vestimentum virtutum charitas.548.B C

Verbum.

Verba sanctorum, vide, Sanctorum verba In verbis grauitas est tenenda. 1140 C.D

Verba animæ religiosæ indices sunt. 1240 C.Vide,Grauitas.

In verbis leuitas,vide,Leuitas.

Verborum circumspectio fructus charitatis & perfectionis. 518.C

Verba indicant ea, quæ in corde sunt. 519.B

Verba inconsideratè & impatienter prolata, & iracunda, magnum afferunt damnum. 6 3.B

Verbum mentis quid sit. 707.B

Verbo mentis dicitur intellectus fieri vnum cum re intellecta. 707.C

Verbum intellectus Patris æterni quid sit. 707.D

Via.

Via ad perfectionem & ad cœlum Religioso est propria vocatio. 1090 D.E

Viæ vitæ spiritualis ac vitæ æternæ ad tres reuocantur. 233 A

Via peccantium plena doloribus. 101.C

Viator.

Viator ille descendens ad Hierusalem in Hierico totum genus humanum. 23.C

Viatores dicuntur iusti. 499 B

Viatores dicuntur etiam peccatores 499. C.D

Viator prouidus ne decliuet ad dexteram nec ad sinistram. 206. C

Victus.

Victui necessaria, cui non sunt concedenda 567.C

Violentus.

Violenti Regnum cœlorum deripiunt. 752.D

Vipera.

Viperarum nomen ob latens venenum & malitiam peccatoribus conuenit. 61.D

Vir.

Viri religiosi nudi atque expediti Christum Iesum nudum & crucifixum sequuntur. 4 lin.8

Viri perfecti descriptio. 501.C

Viri sancti Ecclesiæ nobilitas. 506.C

Vir sanctus non est, qui etsi in gratia sit, passionibus laborat. 609.C. D

Vir iustus sicut piscator esse debet in cogitationibus admittendis. 520. D

Viri spirituales ardentiora desideria habere debent rerum spiritualium, quàm mundani temporalium. 1082.E

Vir spiritu feruens quis sit. 1090. A. Qui tales sunt,fructu non carebunt. 1090.B

Vires.

Vires internas colligit charitas. 517.C

Vires nostras onus susceptum non excedat. 293.B

Virginitas.

Virginitas quantùm superet carnis voluptates. 825. E In virginitate perfectio non consistit. 465.B

Virgo.

Virgini mundissimæ comparatur perfectio.519 E.520 In virgine aliqua, quæ requirantur,vt Regis vxor sit.771.D.E

Virgo sanctissima.

Virginis sanctissimæ adhuc viuentis charitas quàm lõgissimè Angelorum charitate maior. 442.E

Virtus.

Virtutum opera sedulò & strenuè facienda sunt. 1175. B. Aliter imperfecta sunt. Ibidem,& seq.Magna detrimenta afferũt 1176.E. In virtute citò proficiemus, si inspirationibus diuinis paremus. 1170.A

Virtutum opera, quæ corā aliis fiunt, præcipue summa diligentia præstāda sunt. 1179 A
Virtutis opera ordinem amant. 1186.B
Virtutis exercitia cibus & potus animæ sunt. 1180.C
Virtus sine cautione periclitatur. 1149.E
Virtutum altitudinem pandere acceptabile Deo sacrificium. 3.lin.33
Virtus nobis ægris insipida; vt sapiat, quid necesse sit? 23.C
Virtutes sunt vestes animæ. 54.D.E.71.D
Virtus defectus, vera & sola paupertas est. 65.A.B
Virtus seipsa honore dignissima. 65.C
Virtus est veri honoris principium 158.A
Virtus vera nec mentis ariditate, nec affectuum naturalium impetu, nec tentationibus tollitur. 553.A.B
Virtus vera in quo consistat. 458.D
Virtutum instrumenta sunt consilia. 462.B.C & seq.
Virtutes sancti exercent ob præmium. 462.E 563.A
Virtutes omnes vbi charitas. 476. D.E
Virtutum Regina charitas. ibid.
Virtutem consectantis simile. 488.E
Virtus cuiusque non affectibus, sed operibus æstimanda & metienda. 491.A.D
Virtus luci comparatur. 882 E
Virtutis instrumentum validissimum charitas affectuosa. 492.D
Virtutum sollicitudo fructus veræ sanctitatis. 523.E
Virtutes omnes excitat charitas. ibid.
Virtutes a charitate distinctæ cur nobis sub mensura præcipiuntur. 536.D
Virtutes membra sunt spiritualis hominis. 547.C.D
Virtutes reficiuntur desideriis ardentibus. 547.D
Virtutes nudæ sunt sine charitate. 548.B C
Virtus quid sit? 569.D
Virtus vnde sit appellata. 569.E
Virtutis via qua ratione arripiēda. 731.A
Virtus vera est regnum Dei, quod est intra nos. 740.E
Virtutes perfectorū cum imperfectorum virtutibus comparantur. 773.E
Virtutes perfectæ sunt hæreditas Dei. 795 C
Virtus est sydus & astrum cœlorum Dei, Sanctorum scilicet. 815.A
Virtutes tribulationibus cōseruantur. 820 B 821.A.& seq.
virtutum ornamenta humilitas. 822.C
virtutes animo voluptatem & tranquillitatem afferunt. 823.A
virtutum deliciæ præferuntur mundi deliciis. 825.C
virtutum opera exercere quantum gaudij & consolationis animæ afferat. 828.C
virtus sola est, quæ verum gaudium potest efficere. 829 B
virtute carētes etsi omnibus bonis abundent miseri & tristes viuunt. 829.B.C
virtutum fructus pax. 848.E
virtus candelabro aureo cōparatur. 857.E
virtus via est ad honorē & gloria. 929. D
virtus audita magnos fructus facit. 939. D 959.D. Ad virtutem exhortatio, 959. D. Ad virtutem multa nos moueant & instigant. 971 C
virtus vna multis est vitiis fortior. 971. E
virtus ac vitium conferuntur. 973.B
virtutem veram quis assequatur. 986.E 987 A
virtutis initium declinare à malo. 992.A
virtus perfecta est animi bonum præstantissimum. 1008.C
virtutis æstimatio desiderium perfectionis excitat. 1006.E
virtutis fructus. 1009 B C
virtutes spiritualia arma sunt. 1010.C
virtus animæ pulchritudo. 1011.C
virtute nihil pretiosius, ibid. D
Nihil excellentius. ibid.
virtutum notitia a Deo enixè petenda. 1011.B. Ea a petentibus & quærentibus inuenitur. 1011. C
virtutum cognitio ad laborem incitat. 1012.A
virtutis bona animæ satisfaciunt 1019.D E. Qui ea gustant, terrena statim despiciunt. 1021. A.& seq. Cur animæ satisfaciant. 1023.B
virtus cibus est animæ proprius. 1023.C Bonum domus Dei. 1023 D. in virtute proficere homines cibus est Dei. 1027. C.D
Virtutes sunt sanctorum diuitiæ. 1036.A
virtutum merita sunt gressus nostri, quibus ad immortalitatem festinamus. 292,A
Virtutis itineta iucunda. 201 B
virtus animi principale bonum est. 209.C
virtutum acquisitio primus gradus proficientium est. 225.A
virtutum regnum cupere debemus. ibid. virtutis excellentis indicium est inter bonos lucere. 225.C
virtus honore digna est. 164.D
virtus, vide Sanctitas.
virtutis desiderium, vide Desiderium.

Visitatio.

visitationes superfluæ sæcularium quàm damnosæ sint Religiosis. 1143.C,& sequentib.

Vita.

vitæ spiritualis via difficilis est. 1101.D.E vide perfectionis via, & spiritualis vita.
vita hominum occultissima. 1193.A.& seq.
vita spiritualis longissima. 1193.C
vitæ spiritualis laus. 1193 C.E
vitæ spiritualis perfectio ad scribendum de ipsa honestissima 2.lin.5
vitæ animæ in cœnobio multo facilius quam in sæculo conseruatur. 81.C
vitæ sæcularis ac religiosæ discrimina. 119.D.& seq.
vitæ spirituales duæ sunt. 441.E
vitæ spiritualis gradus tres. 496 D
vitæ spiritualis principium charitas. 548. A.B
vita spiritualis temporali præferenda. 548 C. 534. A. B
Vita idem quod anima. 550.E
Qui in vita spirituali non proficiunt. deficiunt. 1036 C.D
vita nostræ animæ Deus. 554. B
vita iustis ac sanctis patet. 718.B
vitæ in bonum mutatio est opus Dei. 727 B
vita sanctorum legis gratiæ tempus acceptabile. 987.B
vita spiritualis est quædam animi cultura. 1005.B C
vita dicitur primum initium operationum vitalium. 189 C.193 B
vitam summa sollicitudine seruamus. 193 D.194 A. Ac pro ipsa seruāda diuitiæ ac cætera omnia contemnuntur. 193 E
vita hæc amara mors est. 194 D
vitæ præsentis miseriæ. 194. E
vita vera est Deum noscere, & in aliis virtutibus se exercere. 210 C
vita diuino numini consecrata holocaustum est. 214 B
vita hæc mortalis die tribulationis prægnatur. 228.D
vita actiua prius nobis coniungitur, quam contemplatiuam desideratam assequamur. 251 B
vitam actiuam amplectentes & gemunt & dolent. 243.E
vita actiua cur iucundior ac vtilior ab aliquibus iudicatur, contemplatiua verò minus fructuosa. 245 E.246 A
vita actiua per Liam signatur. 252.B
vitam actiuam non propter seipsam, sed propter contemplatiuam amplectamur 250.D
vitæ actiuæ opera ad tria genera reuocantur, 285.C
vitam actiuam amplectentes peccatorum pœnitentiam agant, vitia ex animo radicitus euellant, passiones mortificent, ac veras virtutes acquirant. 283.C.D
vitæ actiuæ prima pars quæ sit? 297.A
vita actiua vera cōtritione animam a peccatis purgat, & eam virtutibus exornat. 250 D.393 B
vitæ actiuæ perfectio. 258 A B
vitæ actiuæ opera discretione contemplationis dirigenda sunt. 272 B.& seq.
vita actiua studiosis tantùm operibus vacat. 276.B.C
vitam actiuam amplecti Dominus per Isaiam multos hortatur. 277.C
vitæ actiuæ operibus Dominus gratiam, fortitudinem, ac fœlicitatem promittit. 277.D
vitæ actiuæ opera & nobis & proximis magnam vtilitatem pariunt. 278.A B
Vitæ actiuæ finis est emendatio morum, ac vitæ correctio. 279.B
Vitam actiuam amplectentes, bonis operibus exercitis Deum semper intentè debent quærere. 282 A & seq
Vitæ actiuæ actiones erga proximos quæ? 285 B C.& seq.
Vita actiua ex tribus spiritualibus est imperfectior, & quid in animis nostris præstet? 390.C.D
Vitæ actiuæ opera minoris meriti sunt, quam opera vitæ cōtemplatiuæ. 363.B
Vita contemplatiua etiam est eorum, qui scientias religioso statui congruas addiscunt. 339.C.D
Vita contemplatiua maior est quam actiua non solum ætate, sed etiam præstantia. 242.A
Vita contemplatiua non est sterilis. 240. C.D.253.E.254 A
Vita contemplatiua per Rachelem signatur. 250 C.& seq.
Vitam contemplatiuam non assequitur, qui in sua mortificatione ac in virtutibus acquirendis non laborat. 251.B.& sequentib.
Vita cōtemplatiua sollicitudinibus vacua in sola diuinarum rerum meditatione conquiescit. 256.E
Vitæ contemplatiuæ summa perfectio. 257.E
Vitam contemplatiuam, cùm quis Prælatorum cōsensu amplectitur, ob murmurationes aliorum non debet omittere. 315.A.B
Vitæ contemplatiuæ magna est vtilitas. 315.C. Magna eiusdem dignitas. ibid.
Vita contemplatiua est veluti Domini charissima sponsa. 317.A
Vitæ contemplatiuæ suauitas. ibid.
Vitæ contemplatiuæ finis. 317 D
Vitam contemplatiuam assequi non possumus, si terrena non contemnimus 319 C.D
Vitam contemplatiuam vt quis assequatur, vocatus esse debet à Deo: & qua ratione aliquis cognoscet se ad illam esse vocatum. 322.E 323.A
Vitæ contemplatiuæ amator, amator sit silentij, & propriæ cellæ assiduus habitator. 324 A
vitam contemplatiuam amplectens, mortificationem etiam amplectatur. 325.B C. Virtutum ornatum acquirat 326 B
Vita contemplatiua propria est Religiosorum solitariorum. 333 B
Vita contemplatiua corporis ac mentis quietem assequi conatur 334 D E
Vitæ contemplatiuæ opera etiam ad vitam mistam pertinent 275.B 376 A
Vita contemplatiua perfectior est quam actiua 395.C.D. Contemplatiua oculo dextero, actiua vero sinistro assimilatur 395.E 396.A
Vitæ actiuæ actiones Dei gratiores sunt

396 A
Vitæ contemplatiuæ perfectio. 396.C.397 D.398.E
Vita contemplatiuæ hic incipit, in patria verò cœlesti perficitur. 397.D.E
Vitæ contemplatiua aliquæ perfectiones. 401.B.402.A
Vita cœnobitica quas vtilitates secum afferat. 313.C
Vita eremitica rerum temporalium cura distenditur. 312.E.313.A
Vita eremitica dona atque talenta a Deo accepta abscondit. 312.A
Vita æterna cur gratia vocatur. 290.B
Vita gratiæ animam nostram ad omne bonum inuitat, eique vires tribuit. 195.A
Vitam gratiæ sola desideria custodire non possunt. 195.C
Vitæ gratiæ causa, diuina voluntas est. 195.E
Vita mista quorum sit. 239.D
Vita mista quinque nobilibus viris præsignata fuit. 258, C. & seq. Et tribus mulieribus. 263.C.& seq.
Vita mista tam magna possessio Dei est, vt alias Dei possessiones, actiuam scilicet & contemplatiuā contineat. 260 A
Vita mista non tenera ac delicata est, sed robusta. 260.B
Vita mista vnus vir vocatur, quia vna vita est, licet ex diuersis partibus coalescat. 260 B.C
Vita mista Aod vtraque manu pro dextera vtente significatur. 262.B
Vita mista nigra est cura ac solicitudine actionis, sed formosa trāquillitate contemplationis. 264.A
Vita mista est quasi apis studiosa. 265.B
Vita mista in muliere forti signatur. 267. D. Et quatuor animalibus Ezechielis. 270.B
Vita mista propria est clericalis status. 350.A B
Vitæ mistæ descriptio. 262.C
Vitæ mistæ perfectus sectator quis dicatur? 362.D & seq.
Vita mista quas actiones sibi proprias agnoscit. 363.E
Vita mista in quo ab actiua & contemplatiua secernitur. 364 E
Vita mista nunc ad quietem contemplationis, nunc ad sollicitudinem actionis nos allicit. 365.A
Vitæ mistæ regula (an scilicet plus contemplationi, an verò actioni tribuendū sit?) sit obedientia & proximorum necessitas. 366.A
Vitam mistam profitentium dignitas declaratur. 367 D
Vitæ mistæ finis. 369.C
Vitam mistam amplectētes fulguri comparantur. 376.C
Vita mista aliqua opera non amplectitur vt propria, sed ea supponit vt fundamēta totius vitæ spiritualis. 378 E.379.A
Vita mista quæ opera externa vt propria habet. 380.A
Vita mista ad quos pertinet. 383.A
Vitæ mistæ perfectio. 411.D.& seq.
Vita mista iam non vocatur amica nec filia, sed sponsa. 418 A.B
Vitam mistam profitentes de altitudine status ne superbiant. 419.D
Vita naturalis propter vitā gratiæ amanda aut fugienda est. 195.A
Vita naturalis homini data est, vt exerceat actiones vitales. 205.B
Vita secularis multis periculis peccandi exposita est. 238.C
Vita spiritualis in gratiarum actionem Domino offerenda est. 187.C
Vita spiritualis quid sit. 189.C
Vita spiritualis virtutum actibus augetur. 194.C
Vita spiritualis est bonorū operum exercitatio. 206.A
Vitæ spiritualis itinera. 206.C
Vitæ spiritualis feruorum peccata venialia minuunt. 210.A
Vita spiritualis media est inter naturalem ac cœlestem. 211.B.E
Vita spiritualis atrij nomine sæpe in sacra Scriptura significatur. 211.C
Vita spiritualis ex incipiētibus, proficientibus, & perfectis coalescit. 211.D
Vita spiritualis scala quædam est nos ad cœlum ducens. 213.C
Vita spiritualis in veteri lege holocausto præsignata fuit. 214.B
Vita spiritualis imitatio est vitæ Christi. 215.D
Vita spiritualis quibus operibus vacare debeat, & opera corporalia qua ratione ad illam pertineant. 220.D
Vitæ spiritualis perfectio continuis actibus virtutum acquiritur. 221.A.& seq.
Vita spiritualis templo Salomonis adumbrata fuit. 221 B
Vitæ spiritualis tres status siue ordines. 221 D
Vitæ spiritualis imperator ac ductor Christus est. 232.D
Vitæ spiritualis actiones viæ sunt vitæ æternæ. 231.E
Vitæ spiritualis fructus. 233.C.& seq.
Vita spiritualis in actiuam, contemplatiuam, ac mistam diuiditur. 235.A.B
Vitæ spiritualis diuisio in has tres, sacra Scriptura adumbrata est 235 B
Vitam studiosam qui dicantur habere, & qui voluptuosam. 189.C

Vitalis.

Vitales tanquam Spiritus, virtutum desideria auida. 547.E

Vitium.

Vitiorū actus & causas aperire magnum pietatis opus. 3.lin.31
Vitia aliena qui corrigit, mundus & ipse à vitiis esse debet. 7.lin.26
Vitium seipso vilissimum. 65.C
Vitia aquæ amaræ sunt. 943.D

Vmbilicus.

Vmbilicus spiritualiter quid significet? 42. B. Nobis in sæculo non præcisus. 45.B

Vnio.

Vnio, vide, Charitas.
Vnioni, quæ est inter corpus & animam, charitas & perfectio comparatur. 529.B
Vnio idem quod margarita. 729.C
Vnio, quam vitam contemplatiuam amplectens quærere debet, est, qua Deo per voluntatis concordiam copulamur. 321.C

Vocatio.

Vocationis religiosæ beneficium. 2.lin.22. & 24.D. A quibus contemnatur. 26. A. Vnde incipiat. 75.B.79.B
Vocationes duæ animæ religiosæ. 1.7 B
Vocatio propria via certissima est Religioso ad perfectionem. 1090.E & seq.

Vocatus.

Vocati ad religionem excitantur ad id ipsum. 72.D

Vocans.

Vocanti Deo non reluctari sapientia maxima. 73.A

Voluntas.

Voluntatis propriæ abnegatio Religiosos efficit. 1102.C
Voluntas propria efficit, vt bona tua, bona non sint. 1099.D
Voluntas diuina cibus cordis. 24 B.31.C
Volūtas propria valde hominem poluit. 104 A
Volūtas propria est peccatorum omnium seminarium. 104.A.B
Voluntatum concordia fructus charitatis ac perfectionis. 529.B
Voluntas sanctorum ad Deum, sicut corpus ad animam se habet. 529 B.C
Volūtatis imago perfectissima cor. 544 D
Volūtatis imago perfectissima cor. 544.D
Voluntatis quasi imago appetitus sensitiuæ. 544.C.D
voluntas bona quæ sit. 564.E
Voluntas propria deponenda. 692.B
Voluntas firma non peccandi serui fidelis est. 198.E.199 A
Voluntatis diuinæ impletione vitam spiritualem comparamus. 201.C
Voluntatis propriæ abnegatio, & proprij iudicij conculcatio, quintus est gradus incipientium in via Spiritus. 224. A. & sequentib.
Voluntas propria lepra pessima est. ibid.
Volūtatis nostræ perfecta resignatio cum diuino beneplacito tertius gradus est perfectorum. 230.D

Voluptas.

Voluptatum cupidi inepti ad quærendas animas. 169.C
Voluptates huius sæculi inanes repudiandæ sunt. 830.E 831.A

Voracior.

Voracior est charitas, quàm terra. 522.E

Votum.

Votorum adhibitio omnium virtutum exercitatio est. 185.C.188.A.B

Vox.

Vox, quæ in secreto orationis auditur, nos victoriam de hostibus impellit. 323.E

Vulua.

Vulua Dei dicuntur charitas, misericordia, & clementia Dei. 512.B

Vxor.

Vxor, vide, Matrimonium.

X

Xauier.

XAuerij nostri deliciæ & consolationes spirituales. 827.B
Xauerius noster qua via ad tantam mentis puritatem ascendit. 1100.B

Z

Zelus.

ZElat Dominus hominum in virtute profectus. 1019 B.C

FINIS.

Nonnulla ſic reſtitues.

Numerus, paginam; littera, locum in textu deſignat.

Pag. 32. lit. D. lege, auerſatus 38.B proterunt 42. B affectuum 43.A Mirabile ſanè 46.A Reuera 57.A decreueras 62.D ex honoribus 63.A Audi & Pr. 72.A rudentes 90. B mundanarum 96. C odio habent 121. B aperit vol. 136. 136.B temperat 139.C more fideliſſ. 142. E in morem carn. 149.D minùs vilia 151. E auro puriſsimo 152. C proſternere 153.C Anima ergo 156.B ſatisfaciamus 165. D erimus vniu. 166.D cui tanquam 168. A auerſatur 170. A Eduxit ergo nos D. 176.B vt excors 180. B illi inſani 185.A erutum 195. A At hæc 196. C receperim 197. A cognitor, quæ 201.B interminabili 205.E qua ſtudioſis 210.A bibere 217. B cauſſa iſtarum 218. C eſt charitatis b. 223. C duobus aliis 230.E ſua manet infirmitate c. 232. A ſed non in fœl. 233. D non vilem 241. D fœcundata 242. D exigentibus 244.D repræſentat 249.B orationis effic. 251.D cieutis 253.D matríque 256.D vt tanto h. 264. B per effectum 457.A his mirabilibus 458.D veros Dei f. 459.E infirma fide 462. B vt ſimus 466. C luridi 477. E præcipuæ 480.E vegetamur 504.E corporeis 530.B quo perfecti Ibid. E claritatem 531. C perfectiſſimi 534. A & in viſceribus 535.A inueniet conſummationem 542. C quia omnia quæ p. 543. C vniuerſa effectu 544. A in hac trina diſt. 545.E diffluit 547.B. dolatus 548.D ſine vlla c. 549.E procedet 550.C Latus ſuprà 551. A athletam 552. A naturalis vita 555.D tentationes ſubiiſſe 559.C communicat 569.C noſter hoſtis 570. A diſponant 571. D & ſemper ibid. cùm verò ab intentione aſcendendi reſoluitur, ſine labore ad ima reducitur. ibid. & optimè 576. E quo diligimus Deum 580.B delicias 586. B non diligit eum niſi propter Deum 588.E irrogat, dilectionem 595. C ſed appellationem 596.C qui bonis duntaxat & rationi conſonis 599.A verba ſcilicet 608.D ita vt vniuerſa 613. D impetit 615. C mitiorem reddes 616. B ſuſtineri 617. C perfectionis 623.B nos excitat 626.D ſed catena vna 530.A dilectionem 638.B vulnus ibid. aduerſum 639. C & à plagis ibid. D famam & bonam eius coram aliis op. ibid. & donum ei immaculatum offerre, & dum te ad offerendum præparas 642.B quietus eſſe deſiit, mundus quoque eſſe deſinit 644. A quia nihil ibid. B quod vnuſquiſque ibid. contemnens, dum 648.B non ſolùm pr. ibid. E comitatus 653. E gerendarum 668.A nos non ipſe cont. 675. A proſterneret 685.E ablatum 688.C tuo cordi 693.D charitatis & pacis 755. D beati erimus 756.A vt à me viſa d. 759.A iam verba animæ dilecti ſui libenter audientis pulchritudinem laudát, cui dicit, dilecte mi &c. 763.A non ſenſit 764. E perfectorum prærogatiuam 766. E quibus cordi 767. D ridebant diuinum verbum 1139. D cur vanos 1140.B. cum periculo nonnunquam 1144. A vitæ Apoſtolicę ibid. D è cella ibid. E veluti ſcholam.

8 – 1 –